
12
23 H
15

# EPITOME GALENI PERGAMENI OPERVM, IN QVATVOR PARTES DIGESTA, PVLCHERRIMA METHODO VNIVERſam illius uiri doctrinam complectens: per AND. LACVNAM Secobienſem, Equitem auratum, & Medicum longè excellentiſsimum, ſumma fide ſtudióq; collecta.

CANDIDO LECTORI.

Cùm GALENI Epitome, quam nunc tibi exhibemus, amice Lector, nobis multis nominibus à doctiſsimis in arte Medica uiris commendaretur, nosq; diligentius re perſpecta, omni laude ſuperiorem eam comperiſſemus, ſtatim prælo ſubijciendam, atq; in rei Medicæ incrementũ, longè lateq; propagandam cenſuimus. Cùm enim GALENVS medendi artem, ab Hippocrate haud ſatis explicatam, multis modis excoluerit, eamq; explicarit, ornarit, abſoluerit: atq; ob illam quidem admirãdam ſuam doctrinam, ac ſermonis fœcunditatem, magno ſtudioſorum, ut par erat, exciperetur applauſu: ob prolixitatem autẽ immenſam (quæ in tanta uitæ breuitate eſt incommoda) nonnulli à lectione eius deterrerentur: ANDREAS Lacuna Medicus & equeſtri ſplendore, & doctrinæ præſtantia clarus, ut ad uotum eo omnes uterentur, uniuerſa uiri illius opera in exiguũ quoddam corpus, uerùm integrum, & admodum ſucculentum, ea fide & diligentia contraxit, ut ex ijs quæ ad artem ſpectant, aut quoquo modo rem Medicam iuuare poſſunt, prolixis tantùm digreſsionibus, quibus prauas aduerſariorum opiniones moroſè refellit, reſectis, nihil prorſus omiſerit, planeq; ita adornarit, ut ijs etiam qui immenſa eius autoris uolumina indefeſſo ſtudio quotidie euoluunt, haud mediocrem utilitatẽ ſit allatura. Exemplaria porrò tam latina quàm græca deprauata, paſsim inſtaurauit, contulit, lapſus omnes correxit, lucem obſcuris ſententijs addidit: & ut ego quoq; uerba in compendium cõferam, ſuccum omnem atq; medullam elicuit, in ordinem digeſsit: locos deniq; cõmunes uniuerſos, præcipuasq; ſententias omnes, lucis maioris grana, ad margines annotauit. Hos itaq; tanti uiri conatus, publicæ utilitatis magis, quàm auræ popularis captandæ gratia ſuſceptos, ac multis tandem uigilijs laboribusq; perfectos, ſumma gratulatione proſequi, amplectiq; te decet, quò & plura, æquè tuis ſtudijs prouehendis idonea, elaborare pergat: quod certè ſedulò facit, quemadmodum ſub finem ſui de ponderibus ac menſuris medicinalibus libelli teſtatur, quem ob multiplicem pharmacorũ à Galeno traditorum uſum, in calce operis attexuit. Vale, ac fruere.










BASILEAE
apud [redacted], anno
1551.

## *AD LACVNAM.*

*Debemus tibi plurimum Lacuna,*
*Quicunq; egregias amamus artes,*
*Et Coi studijs Senis tenemur.*
*Tu quicquid pater asserit Galenus*
*Versu multiplici & laborioso,*
*Paucis contrahis, explicasq; chartis,*
*Et suum statuis modum labori.*
*Felix ô ter & amplius vocandus.*
*Non frustra tibi contigit Lacuna,*
*In re difficili, & parum expedita,*
ἀπαίτην μέτρον ἐμμετρεῖν ἀρίστοις.

*Pyrrhus.*

# ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSI MO D. D. FRANCISCO A BOVADILLA ET MENdozza, Cauriensi Episcopo, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Senatori vigilantissimo, Patrono suo, & optimo Mecœnati, Andreas Lacuna Secobiensis, Doctor Medicus, Miles S. Petri, S. P. D.



*Erostratum illum insolentissimũ haud immeritò infamant, conuicijsq́ proscindunt literæ, Pater amplissime, quòd combusserit antiquissimum illud ac celeberrimum Ephesiæ Dianæ delubrum: idq́ non odio aliquo in deam ipsam accensus, sed vt tantùm memoriam sui, posteritati relinqueret: quæ sanè vel hodie viget, piacularis tamen, & flagitiosa, nimirum qualis fuit ille. Siquidem si non aliud, at certè verisimile est, nebulonem illum fuisse caduci, vilis, atque deiecti animi: qui cùm potuisset optimis institutis & artibus iuuare mortalium genus, simulq́ immortalem se reddere, maluerit tamen facinus tam indignum perpetrans, omnibus innotescere, famamq́ sibi eam conciliare, quam præstitisset illi si consecutus nõ fuisset. Contrà verò fecerunt veteres illi patres, philosophiq́ grauissimi, bonorũ nobis omnium autores, qui ob admirandam illam sapientiam suam, strenueq́ in cõmunẽ vsum nauatã operam, hodie celebrantur ab vniuersis, atq́ inter diuos relati sunt. In quibus illi, mea quidem sententia, summa laude videntur digni, qui arti Medicæ, totius humani generis tutrici, conseruatriciq́, summo studio incubuerunt, eamq́ opibus & facultatibus suis auxerunt, atq́ locupletarunt: cuius porrò inuentionem Græci ferè vniuersi, in deos ipsos, atq́ illorum amicos, referunt. Tradunt quippe Aesculapium ab Apolline patre institutum, filios suos postea Medicinã docuisse: atq́ in hunc modum artem ipsam cœptam diuinis auspicijs, successione quadam hæreditaria, à parentibus propagatã sem per in liberos, ad Hipppocratem vsque (qui oriundus etiam ab Aesculapio fuit) peruenisse. Cautum siquidem erat in illa Asclepiadarum familia, ne quis artem & industriam medendi, possessionem planè diuinam, à Deoq́ solis ipsis concessam, cuipiam communem faceret, qui ab eodem non esset genere exortus. Id quod fuisse in causa videtur, vt peritos artis illius, τῶν ἰατρῶν παῖδας, hoc est, filios Medicorum, Græci semper vocarint: ac si fieri vllo modo nõ posset, vt legitimè quispiam Medicinam profiteretur, quam minimè à genitoribus suis accepisset. Nec perperàm quidem illi, iudicio meo, factitabant: quandoquidem vel optima quæq́ instituta vilescunt, & dilabuntur, varijsq́ fiunt obnoxia adulterijs, dum citra delectum vllum ab omnibus profanantur: multoq́ aptiores ad quamcũq́ artem capessendam, exercendamq́, sunt ij, qui à parentibus suis, vnà cum generationis primordijs contraxerunt quandam veluti inclinationẽ, propensionemq́ in eam ipsam artem, cui postea indulserint: quàm quibus natura & mens, ob diuersam genituram, ad contraria inclinatur. Quare sæpe soleo admirari, cùm ad cudenda numismata Principes admittant tantùm eos viros, qui & ingenui sunt, & industrij, moribusq́ integerrimis præditi: cur ad conseruandã instaurandamq́ salutem hominum (quæ quibusuis gemmis & margaritis longè preciosior est) vt deligant quidem inculpatissima ingenia, eisq́ solis prouinciam adeò periculosam cõmittant: abigant autem illos à tam sacro & heroico munere, qui ad aurigandum vel remigandum sunt, potius quàm ad medendũ, aptiores, non sint æquè soliciti. Hoc siquidem maximè sua ipsorum interest. Vt igitur ad Hippocratem redeam, ille omnium primus artem Medicam rationali methodo condidit, nobisq́ volumina octoginta reliquit, quæ incõparabi-*

lem doctrinam eius, vitaq́; innocentiam, testantur. Eum postea secuti sunt Diocles Caristius, Praxagoras, Chrysippus sophista, Erasistratusq́; ex filia Aristotelis genitus: qui antistites Rationalis sectæ extiterũt. Nam sub Philino Coo, eodem ferè tempore, factio Empiricorum est orta: cuius fautores fuerunt Serapion Alexandrinus, Apollonius Antiochenus, & Menodotus. Qui sanè dissidebant à Rationalibus, quòd illi quidem ratione simul & experientia vterentur ad inuestiganda præsidia, morbis ipsis cõgruentia: hi autem solo vsu contenti essent, eorum quæ aliàs obseruauerant. Ab vtrisq; recesserunt ex æquo Methodici nuncupati, causarum abditarum indaginem (quas Logici summo studio explorabant) respuentes: nec tribuentes quicquã experimentis particularibus, quibus nitebantur Empirici. Reducebant autẽ hi, vt omnes particulares affectus ad generales duos, nempè astrictum & laxum: sic vniuersas curationes ipsorũ, ad duas similiter: astrictionem videlicet eorum quæ laxa essent, & relaxationem illorũ quæ astricta. Auspicia huic sectæ dedit Themison Laodiceus: absoluit autẽ eam Thessalus ille Trallianus, qui pollicebatur se edocturũ artem ipsam accuratissimè, vel sex mensibus tantùm. Post quos omnes tandem Galenus secutus, Medicinam in tot sectas diuulsam, laceramq́; suæ integritati atq; nitori restituit: explodens quidẽ omnia peruersa dogmata, quæ grassabantur suo tempore, diramq́; exercebant tyrannidem: reuocans autem Hippocraticã rationem medendi, quæ iam plus quàm sexcentos annos sepulta fuerat, eamq́; & explanans, & validissimis rationibus roborans. Cuius viri doctrina & methodus, ob dulcedinem insitam, atq; sublimitatem, adeò allicit omniũ studiosorum animos, vt qui semel illam gustarit, amplius abstinere ab ipsa non possit. Cæterùm cùm ob crebras digressiones, quas facit, dum prauas opiniones aliquantulum morosè refellit, nonnulli quibus cordi est breuitas, à lectione illius deterrerentur: rem non minus gratam, quàm vtilem vniuersis, me facturum existimaui, si omnia Galeni opera in Epitomen succinctam redigerem, excutiens quidem illa, quæ nihil succi in se haberent, colligens verò reliqua, ex quibus tota ars constarèt. Quod hercle institutũ meũ mirũ in modum promouit, ac veluti cõcalfecit clarissimus & ornatissimus vir, amplitudinisq́; tuæ amantissimus, Ioannes Aquilerius, Medicus Pontificius: qui quidem quo feruet sapientiæ incredibili amore, nunquam destitit me hortari, monere, instigare, & (vt ingenuè fatear) cogere, donec ad laborem me accinxi. Quam prouinciã difficilem, ac meis humeris imparẽ, equidem vix suscepissem, nisi ille institisset tanta vehemẽtia. Quantũ verò laboris exhauserim, dum huic saxo voluendo incũbo, nemo æquè nouit ac tua Celsitudo, Antistes reuerẽdiss. sub cuius vmbra & auspicijs omnia fuerũt elaborata. Quanquam vel ex ipsius operis mole, atq; difficultate, perpendere lectores candidi poterunt, non potuisse hunc nostrum partum in lucem edi, citra enixus atq; conatus maximos: cùm nobis necessum fuerit, in primis quidẽ, instaurare deprauata exemplaria, tam latina, quàm græca: dein ea mutuò inter se cõferre: postea lapsus omnes corrigere, lucemq́; obscuris sententijs addere: demũ succum omnẽ atq; medullam elicere, eamq́; digerere in ordinẽ: ac deniq; vniuersos locos cõmunes, præcipuasq́; sententias, ad margines annotare. Quòd si addidero, quoties mihi opus fuerit eadem ipsa relegere, examinare, & transcribere, priusquàm traderentur prælo, nec modum nec finẽ fecero. Perpetuò autẽ summa cũ religione curauimus, ne aut aliquid insereremus huic operi, quod Galeni nõ esset: aut ex doctrina illius quippiã relinqueremus, quod pertinere videretur ad artem.

Iam

*Iam verò præcipua loca quæ restituenda censuimus, asterisco annotauimus, quo videlicet Lector admonitus posset, si quãdo vellet, codices græcos consulere, iudiciumq́ suũ interponere. Ex annotationibus margini appositis, quæ esse vice scholiorũ possunt, conflauimus copiosissimũ Indicem, vt omniũ rerum & sententiarũ, quæ præcipua in Galeno habetur, lectori ad manũ larga semper copia suppeteret. Porrò vniuersum opus in quatuor sectiones, siue classes, digessimus: quarum prima quidem cõtinet ea omnia, quæ ad artis constitutionẽ, humaniq́ corporis fabricam atq́ compositionem pertinent. Secunda autem, quæ tum ad sanitatem tuendam, tum ad morborum cognitionem spectant. Tertia verò, omnes differentias morborum, generalemq́ medendi methodum, ambit. Quarta deniq́ vendicat sibi historiam omnium medicamentorum simplicium, atque compositorũ. Harum autẽ nostrarũ lucubrationũ eam partem consecrare T. C. statui, quæ vt lectu iucũdissima est, sic in se veram philosophiã, adeoq́ (si Galeno credendũ sit) exactissimam Theologiam amplexatur: cùm exercitatio meditatioq́ assidua circa res naturales, ac præsertim circa nostri structuram corporis, nostrã erga Deum fidem, propensionemq́ multùm adaugeat, ac veluti concalfaciat. Nam cognitis iis perfectè quæ sapientia & bonitate sua fecit ille conditor noster, in maximã admirationẽ, cõmendationemq́ sui, omniũ animos reuocat. Tali autem admirationi, charitas, fides, atq́ firmissima spes, euestigiò succedunt. Sed ex hac etiam naturalium rerum contemplatione, cogimur æquitatem exercere & iustitiã: quandoquidem & elementa ipsa, & cæteras vniuersi partes, sibi inuicem cedere, & suum amare quæq́ ordinẽ, æquabilitatemq́ seruare geometricã, nemo tam cæcutiens est, qui nõ cernat. Unde ab ambitione, possidendiq́ libidine, naturalis Philosophiæ pars nos reddet alienos. Hinc etiam nõ vulgarem fortitudinem comparamus contra mortis formidinem: cùm didicerimus hominẽ esse portiunculam vix perceptibilem vniuersi, cunctaq́, si genita sint, etiã corruptioni esse obnoxia.*

*Ut verò hanc naturalium rerum historiam dicarem T. C. eædem me causæ impulerunt, quæ iampridem conciliarunt tibi omniũ studiosorũ animos, Pater obseruandiss. nempe singularis prudentia tua, rara temperantia simul & continentia, non vulgaris animi magnitudo, constantia insignis, admiranda clementia, incomparabilisq́ omnium linguarum, artium, atq́ disciplinarũ peritia. Eo siquidem semper sapientiæ amore flagrasti, vt quarũ vnam tantũ aut alteram, vel optima quæq́ ingenia vix tandem post multos annos assequi mediocriter possunt, eas omnes disciplinas, non per transennã (quod aiunt) aut primoribus degustandas labris, sed consummatè, integreq́ tibi esse indipiscendas putares. Quem feruorem ac diuinum affectum animi, adeò labore improbo, vigiliisq́ immensis fouisti, vt non modò tui voti compos, sed promptuarium etiam omnium Musarum, quid dico promptuarium? imò sacratissimũ quoddam templum, nobis euasisse videaris. In quo quidem, si latinæ, græcæ, atq́ hebraicæ linguæ puritatem ac proprietatem requirat quis: si artium omniũ liberalium ornatũ: si Iurisprudentiæ, Theologiæq́ veluti summũ apicem, vniuersas inquam has scientias & facultates reperiet absolutissimas. In quarum singulis tam feliciter es versatus, vt ex æquo omnes didicisse videaris. Quæ immortales virtutes tuæ, adeò, tanquam per gradus quosdam, te ad maximum dignitatis fastigium pari amoris vicissitudine promouerunt, vt primò quidem, dum egressus pueritiæ fines vix esses, cum maximo bonorum omnium applausu creatus fueris Gymnasiarcha celeberrimæ Academiæ Salmanticensis:*

*quam ita singulari prudentia tua & consilio rexisti, vt eorum qui eo in munere te praecesserãt, gloriam prorsus obliteraueris. Haud multò pòst factus es Toletanae Ecclesiae Archidiaconus: quae dignitas quantopere in Hispaniys illustris sit, nemo est qui viuat & nesciat. Nec interceßerunt multa mensiũ curricula, quin iam Episcopus Caurienſis euaderes. Quod pastoris tam insigne munus, adeò piè religioseq́ hactenus semper administrasti, vt si caeteri Ecclesiastici proceres eandem, quam tu, viam ingrederentur, nõ tot cladibus hodie afficeretur Ecclesia: non tot indies sauciaretur vulneribus: sed semper contra hostes suos praeualeret. Postea verò* PAVLVS III. *Pont. max. fama tuarum virtutum adductus, à Deoq́ ipso inspiratus, te vltrò (vt solet complures alios, quos & pietate & doctrina caeteris antecellere intelligit) in ordinem Patrum amplißimorũ censuit esse accersendũ. Inter quos adeò splendes & fulges, vt de te cunctis raram quandam expectationem exhibeas. Nihil dicam impraesentiarum de antiquißima & nobilißima, ex qua oriundus es, Mendozzarum familia: quandoquidem illa vniuerso innotescit orbi: & animus nobis est persequi, non quae natura tibi, sed quae virtutes tuae praestiterunt. Ut autem reliqua expediam: quemadmodũ ingenuißimus iste animus tuus Musarum omniũ delubrum atq́ sacrarium est, sic aedes tuae semper Academia quaedam hominum doctißimorum quam absolutißima existit: quos adeò semper foues, auges, cohonestasq́ muneribus, vt eruditis tantum viris natus esse videaris. Quam sanè tibi insitam, cognatamq́ in studiosos omnes benignitatem, abundè etiam sum ipse expertus: quippe cùm me anno quadragesimosexto supra millesimũ, ex Germania redeuntem, vbi primũ attigi Romam, q̃munificentißimè exceperis, exceptumq́ praefeceru curae valetudinis tuae, ac postea indies magis summa liberalitate locupletaueris. Haec itaq́ omnia adduxerunt me, vt hasce mei ingeniy primitias, calore splendoris tui confectas, ad maturitatemq́ perductas, Tuae Celsitudini offerrem. Tuae igitur partes erunt, Pater amplißime, eorum meditationes contra maledicorum morsus defendere, quos in tutelam tuam recepisti q̃benignißimè. Uale. Uenetiys, ex aedibus illustrißimi D. D. Ioannis Furtadi à Mendozza, in hac insigni Republica Caesarei Oratoris circunspectißimi.*

*XU. Calend. Maias, M. D. XLUIII.*

ELENCHVS LIBRORVM GALENI, QVI IN quaq; sectione habentur, cum eorundem Interpretibus, quorum uersiones, dum Epitomen conderemus, sequuti sumus.

PRIMAE SECTIONIS LIBRI.





SECVNDAE SECTIONIS LIBRI.

TERTIAE SECTIONIS LIBRI.



QVARTAE SECTIONIS LIBRI.



FINIS.

# GALENI PERGAMENI EXHORTATIO AD BONAS ARTES DISCENDAS.



*Brutis inesse rationem reconditā* * ἐνδιάθετον λόγον

TAmetsi animalia bruta non habeant rationem illam enunciatiuā, sermocinatricémue, qua nos ipsi prædıti sumus, eam tamen quæ secundùm animā intelligitur, quam ἐνδιάθετον uocant, hoc est, * rationē intus delitescentem, fortasse nobiscum habent omnia cōmunem, licet alia magis, alia minus. Cæterū cùm animantia omnia sint artis omnino expertia (paucis quibusdam exceptis, quibus natura magis quàm institutione cōtigisse uidentur artes) solus autem homo scientiæ capax, quancunq; uelit artē percipiat, ac tum ea quæ subter humum, tum ea quæ supra cœlos sunt, contempletur: ac deniq; omniū bonorum maximū, nempe philosophiā, sua sibi pararit industria, meritò solus is dicitur rationalis, quòd ratione cæteris omnibus antecellat. Quare longè turpissimū est, hanc ipsam rationis uim, quæ nobis inest cōmunis cum Dijs, negligentes, caducarū rerum studio teneri, ac spretis artibus, nos improbæ fortunæ cōmittere, quæ plerunq; bonis uiris posthabitis, quorū oportebat haberi rationē, locupletat indignos, ac ne id quidem cōstanter, sed tantisper donec, pari qua dedit temeritate, rursus eripiat donata. Quā deam qui infelices sequuntur, omnes infeliciter pereunt. Cōtrà uerò qui Mercurio, rationis domino, omnisq; artis autori, se addicūt, nunq̄ destituuntur ab eo, sed quandiu sequuntur illum, semper eius prouidentia, patrocinio, & splendore fruuntur. Qui igitur pendentes ex ipsius solo nutu fortunæ, honestissimas artes & disciplinas, ceu uirus, toruè intuentur, & cùm interim equos ipsos & canes artium exercitijs erudiant, famulum autē ignauū, nulliusq; peritum artis, nullo precio dignum existimēt, curent præterea & agros, & cæteras possessiones, ut quęq; sit quam optimè exculta, solos seipsos negligunt, abdicantq; ab omni liberali instituto, ne hoc quidem intelligētes, animā habeant nec ne, an nō ij, quamuis Crœso ditiores sint, omniū abiectissimi existunt, cōtemptissimisq; famulis similes? Eiusdem farinæ uidentur, qui nobilitatē sui generis uenditant, atq; hinc sibi placentes, erigunt cristas: quanq̄ non uident infelicissimi, qui generi non respondent suo, eos magis cōtemni, quàm obscuro loco natos. Siquidē imperiti, qui genere sunt uehementer obscuro, hoc lucrifaciunt, quòd plerīq; nesciant, quales nam illi sint. At quos decus & claritudo generis non sinit latêre, quid aliud fructus ferunt ex illa nobilitate, nisi ut eorum infelicitas sit illustrior? Proinde si quis sapit, ad exercendam artē se conferat: per quam si nobilis fuerit, uidebitur genere non indignus. Sin minus, suum ipse genus nobilitabit. Sed nec ob elegantem corporis formā, quæ nisi arte fuerit exculta, prorsus ad omnia est inutilis, debemus animi uenustatem negligere, quę tanto illa dignior & excellentior est, quanto ipse animus corpore uidetur esse quippiā præstantius. Oportet itaq; adolescentem suam ipsius formam ad speculum cōtemplari: qui si se conspexerit facie pulchra, aduigilandum est, ut talis sit etiam animus: existimetq; uehementer absurdum, in formoso corpore animū habitare deformem. Rursus, si se uiderit esse forma corporis infelici, tanto magis illi curandum est, ut elegantem efficiat animum, quò audire possit illud Homeri:

*Bruta esse artium expertia.*

*Homo solus sciētia capax.*

*Homo solus dicitur rationalis, quòd ratione cætera antecellat.*

*Ratio nobis inest cōmunis cum dijs.*

*Fortunæ improbitas, incōstantiaq;.*

*Mercurij cōmendatio, qui omnium artiū autoris.*

*Ineruditorū hominum infelicitas.*

*Imperitorū infelicitas tanto illustrior est, quāto genus eorum est clarius.*

*Pulchritudo arte non exculta, est inutilis.*

*Animi uenustas præferenda pulchritudini corporis.*

*Est aliquis cui forma parum sit corpore felix,*
*Sed comptis formam uerbis Deus ornat, &c.*

Quòd autem nec ipsa Athletarū professio, quæ pollicetur maximū robur, gloriamq; apud uulgus conciliat, etiam componi debeat cum artibus homine libero dignis, uel hinc nobis licet colligere, quòd cùm uariæ sint bonorū species, quæ natura hominibus insunt, puta quæ ad animum, quæ ad corpus, & quæ ad facultates exteriores spectant, nullam harū Athletæ, ne in somnijs quidem, agnoscunt. Siquidem quod ad primam attinet, animam habeant nec ne, prorsus ignorant Athletæ: tantum abest, ut illam sciant esse rationis participē. Etenim cùm semper maximam uim carniū, sanguinisq; coaceruent, habent animam suam ueluti multo immersam cœno, ut nihil possit intelligere, uerū nō minus stupida sit, quàm brutorū animæ. Cùm autē supra modum laborent, supra modumq; (ut dixi) expleantur, manifestum utiq; est, eorū habitudinē maximè periculosam existere: id quod sentiens Hippoc. ait, summè bonam habitudinē Athletarum in maximo uersari discrimine: affectionēq; Athleticam nō esse secundùm naturā: meliorem autē esse habitudinē salubriorem. Quibus uerbis nō solùm negauit palàm eorum exercitationem naturalem existere, sed ne habitudinē quidem illam dignatus est appellare, quòd obnoxia periculo sit, facileq; in diuersum mutabilis. Iam quod ad formā corporis attinet, sic illis habet res, ut nō solū exercitatio Athletica nihil ad pulchritudinē conferat, uerumetiam plurimum obsit, ob ingluuiem illam, qua distendunt, ac supra modum ingurgitantur. At fortasse nihil quidem ex ijs quæ exposita sunt, sed robur sibi uendicabunt Athletæ. Quod per deos robur? aut ad quid utile? an ad agrum colendum? Perpulchrè igitur uel fodere, uel metere, uel aliud quidpiā, quod ad agricolationem pertinet, possunt. Sed fortassis ad res bellicas ualet. Audi Euripidem igitur, qui laudes eorum canit, dicens:

*Athletarum professio.*

*Bonorum species tres.*

*Athleta omni genere bonorū sunt destituti.*

*Athletarū animam esse ueluti multo demersam cœno.*

*Athletarū habitudinem maximè periculosam existere.*

*Athleticam exercitationē pulchritudini obesse.*

*Num aduersus hostem præliabuntur, manu*
*Discos ferentes? Num ne uibrata aspide,*
*Pedibus citi hostem submouebunt patria?*
*Nullus profectò: uana sunt hæc,*
*Vbi cominus ferrum micare cœperit.*

*Athletarum esse robur inutile.*

Ergo inde fortè gloriant, quòd præ cæteris plurimum colligāt, coaceruentq; pecuniarū. Atqui uidere licet omnes istos æri alieno obstrictos, non solùm id temporis, quo exercent artē Athleticam, uerumetiā dum ab ea dimissi sunt. Quanquam ne id quidem præclarum est, ex arte parare diuitias, sed talem potius artem scire, quæ fracta naui, simul cum domino enatet. Ex dictis igitur euadit perspicuum, ô ingenuissimi adole-

*Athletas omnes esse æri alieno obstrictos.*

*Ars quæ paranda.*

ut ditesceret, ad propriũ artis finem perueniat. Proinde fieri etiã nequit, ut simul & pecuniæ studio seruiamus, & exerceamus artem tam sublimem, tamq; arduam: sed necesse est, ut qui uehementius incumbit in alterũ, alterum negligat. Iam uerò cùm oporteat medicum uarias regiones orbis lustrasse, diuersasq; ciuitatũ & locorũ temperaturas, situs, & constitutiones accuratè nouisse, ut de illis posit iudiciũ ferre, manifestũ utiq; est, qui talis sit euasurus, eum debere non modò contemptorem pecuniæ, sed supra modũ etiam industrium, atq; impigrũ esse. At fieri non potest, ut is sit industrius & impiger, qui inebriatur, qui sese ingurgitat, quiq; (ut summatim dicam) pudendis tantùm, ac uentri obsecundat. Qui igitur sobrietatis amator est, nec minus ueritatis amans, hic uerus medicus comperitur. Huic autẽ cum naturali, etiam ars rationalis discenda, exercẽdaq; est: quò sciat, quot in uniuersum sint morbi, & quo pacto cuiusq; sumenda sit curationis ratio, qualisq; præterea sit uniuersa corporis humani natura: id quod ars ipsa rationalis, siue logica, docet accuratissimè. Quid igitur iam deest medico, quo minus sit & philosophus, quisquis Hippocratis artem, ut par est, exercuerit? Etenim si ob dictas causas eum in logica speculatione exerceri conuenit: ut uerò impigrè perseueret in exercẽda arte, oportet ipsum tum aspernari pecuniam, tum sobrietatẽ amplecti, nimirũ omnes philosophiæ partes habebit, nempe eam quæ rationalis dicitur, & eam quæ naturalis: atqueadeo etiã cum his, eam quæ moralis. Nec enim uerendũ fuerit, ne qui pecunias contemnit, ac sobrietatẽ suspicit, aliquid absurdum cõmittat. Nam quicquid facinoris audent patrare homines, aut auaritiæ persuasu, aut uoluptatis fallacia patrant. Nec arbitror ulla esse opus demõstratione, ut probemus, medicis esse necessariam philosophiam ad rectè utendum arte, cùm plerunq; uideamus eos non medicos, sed ueneficos esse, qui pecuniæ studio dediti, in aliud utuntur arte, quàm est inuenta. Ergo ipsi philosophiæ nauemus strenuam operam, si modò ueri sumus æmulatores Hippocratis. Quod quidem si fecerimus, nihil uetat quo minus euadamus, non dicam illi similes, sed superiores certè illo, percipientes quidem quę rectè ab eo sunt tradita, quæ uerò restant, nostra ipsorum industria inuenientes.

*Medicum oportet uarias regiones orbis lustrasse.* — *Medicum debere esse cõtemptorem pecuniæ.* — *Medicus accuratus quis sit.* — *Rationalis ars necessaria medico.* — *Medicum debere esse & philosophum.* — *Philosophiæ partes, naturalis, rationalis, moralis.* — *Facinora perpetrari, aut auaritiæ persuasu, aut uoluptatis fallacia.*

## GALENI PERGAMENI
### de Sectis ad eos qui introducuntur, liber Vnus.

*Medicinæ scopus, sanitas. Medicinæ finis, sanitatis adeptio.* — *Curationes.* — *Victus ratio salubris.* — *Medicina quid. Salubria quæ.* — *Morbosa quæ.* — *Medicum quæ nosse oporteat.* — *Empirici sola experientia ducuntur.* — *Dogmatici & rationales qui.* — *Empiricæ inspectionis tres species.* — *περίπτωσις.* — *αὐτοσχέδιον.* — *Imitatrix.* — *Transitus ad similia.* — *Rationalium progressus.* — *Medicis quæ cognoscenda sint secundum rationalium hæresim.* — *Empirici Dogmaticiq; discrimen.* — *Morsus rabidi canis curatio.*



Ropositũ artis medicæ sanitas est: finis, ipsius adeptio. Quibus autẽ quis uel absentẽ sanitatem recuperet, uel pręsentẽ conseruet, medicis est necessarium cognoscere. Porrò quæ absentẽ quidem sanitatẽ restituunt, curationes & auxilia appellant: quæ uerò præsentẽ conseruant, salubris uictus ratio. Hac igitur de causa, & ipsam medicinã salubrium & morbosorum scientiam esse, antiqua definitio asserit: salubria quidem uocans ea, quæ præsentẽ sanitatẽ tuentur, restituuntq; deperditã: morbosa uerò, quæ contraria his sunt. Vtraq; igitur medicum nosse oportet. Cæterũ qua ratione horum scientiã facilè quis cõsequatur, nõ pariter adhuc omnibus est confessum. Verùm hi experientiam solam arti satis esse affirmant: alij uerò & ratio nõ parũ uidetur conferre. Qui igitur sola experientia ducuntur, Empirici, & memores nuncupantur: sicuti Dogmatici & Rationales, qui utunt ratione ad inueniẽda remedia. Atq; hæ quidem duæ principes sunt inter medicos sectæ: altera quidẽ per experientiam ad remediorũ inuentionẽ festinans, altera uerò per indicationẽ. At tum iuuantia, tum noxia Empirici in duas species diuidunt, quarũ primã naturalem appellant, cõplectentẽ affectus omnes, qui in corpore citra manifestam causam oriuntur: secundam autem, artem fortuitam, quam eorũ esse uolunt, quæ à casu solent homini accidere. Ipsius autẽ inspectionis Empiricæ tres sunt species. Prima dicit Græcis περίπτωσις, quasi incidentiam dicas, dum incõsultò ad experiundum accedimus. Secunda αὐτοσχέδιον, hoc est, ex proposito, nominatur, quando uel in somnijs admoniti, uel alia opinione ducti, aliqui spontè experiunt. Tertia deniq; dicitur imitatrix, dum quiduis eorum quæ opem attulerunt, aut noxã, rursus in ijsdem affectibus aut experimur, aut declinamus. Quæ quidem ultima species, ipsorũ artem maximè cõstituisse uidetur. Quia uerò occurrunt ipsis Empiricis interdum affectus incogniti, uel quorũ nõ habent satis explorata remedia, instrumentũ quoddam commenti sunt ad inuenienda præsidia, nempe transitũ ad similia, nimirũ ab affectu ad affectũ, à loco ad locũ, sicuti ab auxilio ad auxiliũ. Talis itaq; uia est per experientiã ad artis finem. Quæ uerò ratione perficitur, corporis curandi naturam prius addisci iubet, necnon omniũ causarũ uires, in quas incidens corpus, uel salubrius, uel morbosius seipso efficitur. Præter ista, aëris etiã, & aquarũ, & regionũ naturæ, & uitæ studiorũ, & ciborum, & potuum, & consuetudinũ, oportere medicum necessariò peritum esse, Rationales contendunt, ut ægritudinũ omniũ causas, & medicaminũ facultates inueniat, riteq; tum ab affectu ipso, tum à uiribus ægrotantis, necnon ab omnibus ijs, quæ recensui, posit indicationes elicere, congruentiaq; morbis semper accõmodare remedia: semper contrarijs affectibus contraria præsidia ministrans. Cæterũ à quibus rei cõferentis indicationẽ Dogmatici, ab ijsdẽ Empirici obseruationẽ eliciunt. Dogmaticus siquidem interdũ plus sanguinis detrahit, ipsa rei natura & ratione ductus: Empiricus uerò, quòd in alijs sic obseruauerit. In uniuersum autẽ, eadem in ijsdem affectibus remedia Dogmatici pariter & Empirici admittũt, de modo inuẽtionis ipsorum interim altercantes. Ex apparentibus enim accidentibus circa corpus, indicatio causæ Dogmaticis fit, per quam inueniũt. Empiricis uerò instituit recordatio eorũ, quę sæpius eodem modo obseruata sunt. In quibus autem Dogmatici nullũ habent accidens manifestũ, quod causam ipsam demõstret, in his causam procatarcticam nõ cunctant inuestigare: ut, si canis rabidus fue-

rit, ant uipera, quod momordit, tunc sanè minimè cicatricem statim inducunt ulceri, sed potius contrà, particulas quæ circa ulcus cõsistunt, nõnunq̃ minutatim præcîdũt, dein uerò calidis & acribus medicamentis uenenũ extrahunt, quod in corpus unà cum morsu est illapsum. Eadem autẽ medicamenta etiã Empirici applicant, non ipsa rei natura ad illorum inuentionẽ perducti, quẽadmodũ Rationales, sed recordatione solũ eorum, quæ longo usu atq; experientia explorarunt. Dogmatici porrò ipsam experientiam accusant, hi tanquã inconstantẽ, alij ceu imperfectam, alij ut artis omnino expertem. Rursus rationẽ Empirici, tanquam probabilem quidem, sed nõ ueram, damnant. Methodici autem (sic etiam seipsos nuncupauerũt, ac si nõ etiam priores dogmatici artẽ methodo pertractandam esse tradiderint) nõ uerbotenus cum ueterũ sectis certare mihi uidentur, sed multa adhuc artis immutare opera:

*Methodici multa artis immutant opera.*

quãdoquidem neq; locũ passum, neq; causam, neq; ætatem, neq; anni tempus, nec regionem, nec consuetudinẽ, nec uirium ægri inspectionẽ, seu naturæ, seu habitus, cõferre quicquam ad indicationẽ aiũt, sed à solis affectibus, eius quod confert, indicationẽ sans sibi esse putant.

*Methodici à solis affectibus indicatiões sumũt.*

*Methodici constituunt duas cõmunitates morborum, astrictionem atq; fluorẽ, ac tertiã ex his conflatam.*

Atq; horum sanè quidam, morborũ omniũ qui ex uictus ratione proueniunt, alij omnium simpliciter, duas esse cõmunitates, & tertiã quandam ex illis mistam, ostendere nobis conantur, astrictionẽ uidelicet, fluoremq;, atq; ex his tertiã dispositionẽ conflatam. Morbum itaq; omnem, uel astrictum, uel fluentem, uel etiam ex utroq; complicatum esse contendunt. Vtilis autem indicationem, in astrictis quidem, laxationem: in fluentibus uerò, suppresionẽ existere. At in cõplicatis affectibus, ei qui magis urget, esse occurrendum.

*Methodicorum secta quid.*

Suam autem sectam definiunt esse cognitionem euidentiũ cõmunitatum, finem medicinæ sequentium. Nolunt porrò dici dogmatici, quòd iactitent se nõ indigere latentibus, quẽadmodum illi.

*Methodici quibus distinguantur ab Empiricis & Rationalibus.*

Nec Empirici etiam se appellari patiuntur, licet illi q̃maximè circa euidentia uersentur, quòd Empirici in euidentibus utantur obseruatione, ipsi uerò indicatione regantur: quodq; illi quidem, tanquam ab ignotis, ab obscuris recedant, ipsi uerò tanq̃ ab inutilibus, inanibusq;.

*Methodici pollicentur se totam artem docturos curriculo mensium sex.*

Porrò totam artem medendi adeò breuem efficiunt, atq; in angustum contrahunt, ut nõ modò in peruulgatis illis sex mensibus (quibus posse doceri eam profitentur) uerùm multò eam citius uniuersam posit quispiam ediscere: cùm iuxta eorum decreta, sat sit nobis causis uniuersis, tam procatarcticis, quàm coniunctis, neglectis, astrictos quidem affectus laxare, fluidos autem sistere, à quacunq; illi causa processerint: idq; nulla habita temporum, ætatum, regionum, aut laborantium particularum ratione. At quantopere hallucinentur hi, uel Empirici percipere possunt: qui uident planè, quos rabidus canis momordit, si statim ulcus ad cicatricẽ ducatur, prius non administratis remedijs, quæ ab ipsius causæ procatarcticæ indicatione sumunt, conuulsos omnes animã exhalare: seruari autẽ, quibus iuxta indicationem illius, adhibita fuerit medendi ratio. Quare neq; ipsarum causarũ, neq; ætatum, nec temporum, nec regionum, nec deniq; affectarum particularũ indicationes negligunt: cùm experientia didicerint, nec senectute confectis, nec item admodum pueris, uel si laborent pleuritide, uenam secandam esse.

*Pueris senibusq; nullo pacto uenam secandam esse.*

Sub cane autem, & ante cauem, laboriosas purgationes existere. Eos qui septentrioni subiacent, aut Aegyptũ, aut plagam meridionalem incolunt, copiosas & semel factas euacuationes, nõ ferre. Qui uerò inter hos sunt medij, manifestam subinde ex uenæ sectione utilitatem sentire.

*Vacuationes copiosas qui ferãt minimè, quiq; facilè.*

Quinetiam oculum phlegmone obsessum, diuersam curationem requirere, ab ea, quam inflammata auris postulat.

*Aurium inflammatiõi auxilia ri acetũ cum rosaceo instillatũ.*

Quippe acetũ cum oleo rosaceo instillatum, unicè aurium inflammationi auxiliatur. Oculis autem, si quis id infundat, haud leuem noxam attulerit.

*Oculis acetum esse perniciosissimum.*

Ad hæc gurgulioni inflammato, spinæ Aegyptiæ fructus, necnõ scissile alumen, præsentanea remedia sunt: quibus tamen neq; in auribus, neque in oculis uti impunè licebit.

*Gurgulioni inflammato quæ conferant.*

*Empiricorũ argumenta cõtra methodicos.*

Obijcient etiã Empirici cõtra ipsos methodicos: ubi pars quæpiam astricta est, nõ continuò laxandam esse: cùm nimirum in ipsius cruris inflammatione, quæ sponte decubuit, minimè quidem ante totius corporis euacuationem (dum plethora adest) laxanda sit inflammata particula: sed refrigerantibus potius & astringentibus medicamẽtis admodum cõprimenda. Vbi autẽ corpus uacuatum fuerit, tum demũ laxandam esse. Atque his quidem contra illos argumentis utuntur Empirici.

*Dogmaticorum obiectiones contra methodicos.*

At dogmatici, quòd tum sudores, tum urinas, tum deiectiones alui, atqueadeo etiam sanguinis fluxus per nares, q̃uis modum naturæ excedant, in morbis cõtingat oriri utiliter, cõuellunt eorũ methodicorũ sententiã, qui ex immoderatis fluxionibus morbos cõmuniter iudicãt: nempe in fluore quidem uocantes morbum, ubi humores excernuntur immodicè: in astrictione autem, ubi præter naturam sistuntur: curantesq; utrunq; remedio cõtrario. Nam tametsi illæ excretiones creticæ supprimẽdæ ullo modo nõ sint, quia per eas id quod lædit, uacuatur: Methodici tamen, qui naturalibus excretionibus ad omnia, tanquã regula, utuntur, prohibere eiusmodi accidentia conantur. Cæterùm qui methodici non in excretionibus ipsis, sed in affectionibus corporum, cõmunitates suas collocaut (nomine siquidem tenus inter se omnes concordes sunt, sed in rebus ipsis dissentiunt) quo pacto eas dicere euidentes sunt ausi, cùm à sensibus remotissimæ sint, nec possint nisi per signa cognosci? Quod quidem si nobis fateanẽ, in quónam à priscis medicis discrepent, non satis noui: nec etiam qua freti ratione, sex tantùm mensium curriculó, se edocturos artem promittant. Quippe ad cognoscenda ea quæ nostros sensus effugiunt, non uidetur mihi esse opus methodo exigua: cùm præsertim talia indaganti necessaria in primis sit anatomicæ administrationis cognitio, ac tum naturalis scientia, tum dialectica exercitatio: ut quę uniuscuiusq; partis propria functio sit, atq; eius quis usus, facilè deprehendat: utq; etiam ex quibus quid concludatur, planè perspiciat, ne sophismatis quandoque aut ab alijs, aut etiam à seipso fallatur. Verùm

quan

quandoquidem & de phlegmone, & de meatibus, plurima absurda prodiderũt methodici, pauca aduersus eos dicere est animus, quæ iuuentuti erudiendæ nonnihil utilitatis adferent.

*Inflammatio seu phlegmone, quid.*
*Phlegmone affectam particulã nec rariorẽ, nec densiorẽ, nec duriorem efficit.*
*Phlegmones curatio.*
*Tensio comitatur repleta.*
*Laxitas comitatur uacua.*

Inflammatio est tumor præter naturã, dolorificus, tactui renitẽs, durus, & calidus, partẽ ipsam, quàm antea (contrà quàm illi existimaut) nec rariorem, nec densiorem, nec etiam duriorem efficiens: sed affluxu humoris superuacui repletã, atq; ea de causa distentam. Cuius quidem curatio, euacuatio est humorum: quibus uacuatis, partes laxiores reddentur. Tensio igitur, necessariò comitatur repletas: sicuti laxitas, eas, quæ euacuatæ fuerint, particulas. At densitas & raritas horum neutri sunt ex necessitate annexæ: sicuti nec fluor, nec retentio. Neque enim si rarum quippiam existit, etiã ex ipso quid effluere prorsus necesse est (quid enim si crassum & pusillum fuerit quod cõtinetur?) nec si densum sit, necessariò quodcunq; cõtinebit. Nam multum & tenue, etiam per densos meatus diffluit. Præstabat itaque didicisse illos, excerni quod prius in particula contentũ est, rarefacto eo quod ipsum continet: & eo quod continetur, attenuato, copiosioriq; effecto, & uehemẽtius moto, & ab aliquo exteriorũ attracto, uel ab aliquo internorũ expulso: non autem ipsam euacuationem referre ad solam raritatẽ meatuũ.

*Excretio quib. modis fiat.*

Frequenter etiam natura ipsa impetu uehementiori insurgens, quicquid sentit superuacaneũ in corpore, expellit, exprimitq;. Oculus præterea nonnunquam fluxione affligit, aut copiosiori existente quod fluit, aut etiam tenuiori effecto, aut à natura per eam partem expulso, nihil illis corporibus à naturali constitutione mutatis. Et oportet quidẽ, si uelimus mederi affectui, tenuem fluxum crassiorem reddere, copiosum uerò euacuare.

*Tenuẽ fluxionẽ oculoris crassiorem esse reddendam.*

Opinari autẽ inflammationẽ unam affectum astrictum esse, & complicatũ aliã, quemadmodũ opinantur methodici, deptauati certè est iudicij. At quia ijs, qui introducẽdi sunt, ista sufficiũt, huic præsenti sermoni iam suum finem imponam.

## GALENI PERGAMENI de optima secta ad Thrasybulum, liber unus.

*Theorema omne uerum, utile, cõsentiensq; esse debet.*



Edicorũ * theorematũ singulum, atq; uniuersim omne theorema, in primis uerũ esse debet: secundò, utile: tertiò, iactis fundamentis cõsentiens. quorũ si desit unum, ne theorema quidem dici meretur. Quatenus enim sub cõprehensionẽ omne theorema cadit, eatenus uerũ sit est necesse. Falsi nanq; cõprehensio nulla est.

*Falsi cõprehensio nulla.*

Quatenus autẽ ad finem aliquem uitę cõmodum pertinet, eò utile esse affirmandũ est. Quia uerò quemadmodũ sub uno principe subditorum multitudo mente concipitur, sic & theorema ipsum ad ante iactum principiũ refertur: ob id omne theorema uerũ, utile, consentiensq;, necessariò dicẽdum. Quare si omne aliud, liquidũ certè est, medica etiã theoremata his tribus esse dijudicanda. Igitur quandoquidem nec uerum ipsum, quale nam sit, nec utile, nec etiam consequens, facilè aut æstimari, aut deprehendi possunt, notas horũ aliquas, iudicandiq; instrumenta in primis tradere, preciũ operæ fuerit.

*Verum unde æstimetur.*
*Rerum differentia.*

Ipsum porrò uerum, ex orationis cum rebus cõcordia æstimabitur. At rerum, aliquæ sensibus euidentes sunt, aliquæ sensum latent. Euidentium rursus aliquæ per se innotescunt, ut albus aterq; color: aliæ ab alijs euidentiam adipiscunt, ut quæ deprehendunt signis. Ad hæc, rerum sensui abditarũ aliquæ intellectui & perspicuæ sunt, & dicuntur: ut, bis duo, quatuor constituunt: aliæ cognoscuntur per ostensionẽ: ut si dixeris, quo bene uti licet, eodem & abuti. Oportet autem semper sermonem, atq; omne theorema ad propositæ rei speciem referre. Iam uerò iudicia de rebus sensui euidentibus atq; occultis differunt. Quæcunq; enim sensui euidentium rerum, per se de seipsis notitiam faciunt, sensu dijudicantur: ut album & atrum. Quare illi medici iure sunt deridendi, qui de rebus sensui euidentibus, sententiam, non sensorijs, sed ferre demonstratione conantur. At euidentium quidem sensui, non autem per se cognitorũ, iudex est obseruatio. Præterea, sensui abstrusarum rerum, ut plures sunt differentiæ, ita & diuersa iudicandi instrumenta. Ex abstrusis autẽ sensui, aliqua intellectui perspicua sunt: ut hoc, fieri non posse, ut idem homo Athenis simul atque in Aegypto sit. Aliqua per ostensionem agnoscuntur. De perspicuis intellectui iudicium ex cõmuni omniũ hominum conceptione habetur. At quæ ostensione percipiuntur, per consensum ab ijs, quæ ab omnibus conceduntur, dijudicantur. Rursus, concessi diiudicatio in plura diuidit. Aut enim ex cõsensu cum sensui apparẽtibus, aut cum intellectui perspicuis, aut cum demonstratis, concessum discernitur. Igitur quo modo uerum, & ad iudiciũ ueri ducẽtia, iudicari oporteat, iam explicauimus.

*Utile theorema quomodo dignoscatur.*

Deinceps de utili dicamus theoremate. Utile theorema, cùm ad artis finem refertur, dignoscitur. Oportet autem ipsum, primũ quidem comprehendi posse: alioqui inutile theorema redditur. Deinde, ipsius apprehensionem non conuenit uulgaribus esse communem, sed artificibus propriam. Idcirco nanq; eos falsos esse nos dicimus, qui sensui euidentia initiũ artis existimant.

*Artem non constitui ex euidentibus sensui.*

Neque enim ex sensui euidentibus ars constituitur, nec per sensui euidentia fit eius traditio: quandoquidem nemo sensui nota tradit, sed ea quæ ex sensui notis præcepta oriunt, quæ planè sensui subiecta nõ sunt. Hæc igitur artis principium esse, haud ab re quispiam existimauerit: dico enim theoremata, ex euidentibus sensui nata, quòd principium tradendæ ab sensui euidentibus artibus euadãt. Itaq; sensui nota, principiũ inuentionis theorematũ esse iure dicentur: principium uerò artis nequaquam.

*Artis principia uulgo esse ignota.*
*Artes uulgo esse ignotas.*
*Theoremata in quibus consistant.*

Nam artis principia uulgo ignota esse debent, sicuti & ipsæ artes illi omnes ignotæ sunt. Præterea, artiũ principia tradunt: euidentia autem sensui haudquaquam traduntur. Theoremata nanq;, aut in sensui notis, aut in ijs quæ ex alijs percipiuntur, aut in his quæ præostensa fuere, aut in manifestis intellectui consistunt.

*Theorema quid dicatur.*

Quod igitur ex manifestorũ sensui cõsensu, aut in ijs quæ manifesta sitnr sensui, ratione inuentũ est, & uniuersim prolatum,

*Theorema omne æternum, firmum atq; perpetuum esse.*

id appellatur theorema. Omne autẽ theorema, æternum, firmum, atq; perpetuum est. Quamobrem hallucinantur illi, qui ab ipsis theorematis medicinam appellari existimant artem coniectatricem: cùm ab actione, & medentiũ opera, quæ incertum habet euentum, ea coniectrix reddatur. Cæterùm quoniam utile dijudicandum esse profitebamur, si referretur ad finem, artis finem proponere iam tempestiuum fuerit.

*Artium fines diversi.*

Artiũ igitur aliquæ, ea quæ non sunt efficiunt: ut nauium structoria. Nonnullæ, quæ facta sunt, conseruant: ut nauium gubernatoria. Aliæ utrunq; pręstant: ut ædificatoria. Porrò in facientibus artibus, aut seruantibus, unus est consequendi finis modus: ac proinde in his simplex est utilis æstimatio. At in ijs quæ iuxtà faciunt, & seruant, non ita facilè fuerit dijudicare.

*Medicã artẽ esse factricem simul & conseruatricem.*

Ars itaq; medica inter eas est, quæ faciũt, atq; conseruant: non ob id tamen geminũ esse eius finẽ credere cõuenit, & quod nõ est facere, utpote sanitatem: & eam quæ est, conseruare.

*Medicinæ esse propositum atque finem unicum.*

Siquidem ipsius artis unicũ est propositũ, sanitas scilicet: finisq; unicus, nempe adeptio illius: quamuis modi sint ipsius adeptionis multiplices. Quippe dum submouemus aduersa & noxia, sanitatem acquirimus: dum uitamus illa, præsentem sanitatem tuemur. Quare utile in medicina rectè æstimabimus, nonnunq̃ si ad sanitatẽ accersendam, nonnunq̃ si ad eam retinendam confert, nobiscũ reputantes. Consecutionẽ autem ipsam dijudicare oportet ex eo, quòd sublato uno, aliud necessariò aufertur: sicuti & posito, ponitur.

*Consequentia quæ dicantur.*

Talia nanq; consequentia, consociataq;, iurè putanda sunt. Neq; enim quòd medicinale theorema uerum utileq; sit, cognoscere satis fuerit, sed nihilo secius ipsum cum alijs cohærere, cõsentireq; opus est. Quandoquidem igitur omnis oratio, omneq; theorema, tribus hisce perpendit: tres autẽ in medicina sectæ celebres sunt, Rationalis, Empirica, Methodicaq;, agè & hisce iudicandi rationibus usi, earũ singulas diligentius examinemus, ut syncera & salutari, cæteris posthabitis, adhæreamus.

*Sectæ medicorũ tres, rationalis, empirica, methodicaq;.*

In primis itaque quid inter eas conueniat, & quid cuiusque sit proprium, exponere uidetur necesse. Dein autem, singulas ad examen reducere.

*Sectarũ trium communia.*

Porrò cõuenit inter illarum trium sectarũ professores, quòd euidentia theoremata utilia sunt, analogismus, obseruatio, historia, ad simile trãsitus. Pręterea quòd historia sine iudicio nõ admittenda: quòd instrumenta, & remediorũ applicandorum modus ex usu sint: quòd ex alijs alia deprehenduntur: quòd ijsdem præsentibus malis eadem sint facienda: quòd adiectionibus & subtractionibus sanitas conseruat, atq; fugant morbi: quòd ad materiæ adhibendæ notitiã, experientia potẽs atq; utilis est. Siquidem quæ nutriũt, & quæ nõ nutriunt, purgantia & letalia omnia, experientia cõperta sunt.

*Methodici & rationales qui cõueniant differantq; inter se.*

Verùm Methodici & Rationales eatenus inter se conueniunt, quatenus utriq; utile percipi ex indicatione arbitrantur. Quatenus uerò à diuersis accipiũt, eatenus sunt discordes.

*Empirici methodiciq; quib. inter se sint concordes.*

Siquidem methodici ex euidentibus sensui, utilia indicari existimant. At Rationales, ab huiuscemodi quidem minimè, sed ab occultis, hoc est, à causis. Qua in re etiam Empirici Rationalibus suffragant. Rursum, hoc loco inter Empiricos methodicosq; conuenit, occultũ ex euidentibus nõ agnosci, ex quo cõferentium indicatio oriatur.

*Empiricorũ methodicorumq; in rationales obiectio.*

*Rationaliũ contra Empiricos responsio.*

Obijciunt autem Empirici & Methodici Rationalibus, inutilem esse rerũ abditarum notitiam: nihil enim abditum utile reperiri. Ad hoc Rationales Empiricis quidẽ respondent, sensu cognita non satis esse, ut in ipsis utilia obseruatione deprehendant, cùm ne ipsi quidem Empirici in omnibus sensu perceptis, utantur obseruatione. Ac proinde occultis esse opus, ut à quibus conferentiũ indicationes nascantur. Vltra dicta etiam, quandoquidem Empirici asserunt, & in præteritis & in præsentibus obseruandum esse, cùm infinita sint, tum præterita, tum præsentia, in infinitis autem obseruatio fieri nõ possit, planè eorum obseruationem ex ijs esse, quæ fieri non possunt.

*Rationaliũ assertio contra methodicos.*

In Methodicos autem, sensui perspicua conferentium esse indicatiua putantes, hæc Rationales adducunt: Sensui nota ex seipsis percipi possunt: uulgo igitur nota erunt. Quoniam uerò & cõmunitates indicant, simulq; cum indicantibus sese indicata offerunt, uulgaribus utiq; indicabunt cõmunitates: atq; ita nihil à uulgaribus, ô Methodici, differetis.

*Indicationẽ conferentium nõ sumi ab affectib.*

Quòd ab affectibus uerò conferentium indicatio non proueniat, hinc maximè licet cernere, quòd eodem affectu, exempli gratia, phlegmone, occupante differentes corporis partes, ut oculos, iecur, & gulam, nõ utimur eadem ratione medendi, cùm nimirũ desideret diuersa.

*Oculo inflãmato succus fœniculi, & lac muliebre auxiliatur.*

Oculo nanq; inflammato, succus fœniculi, & lac muliebre cõueniunt. Gulæ autẽ, aut iecori, aliud quippiam: cùm tamen idem semper in omnibus eidem affectui applicandum esset præsidium, si affectus ipsi conferentia indicarent. Non applicatur autem, affectus igitur conferentia nõ indicant.

*Affectus cõferentia nõ indicant.*

His summatim expositis, quidnam sit ipsa indicatio, atq; etiã analogismus, & qua ratione ab illis, necnon ab obseruatione sumat utile, expedit aliquid dicere. Quemadmodũ igitur sensui euidentium aliqua per seipsa percipiũtur, ut album, & nigrum: nõnulla, adhibita obseruatione, ut ea quæ dignoscuntur per notas: ita & iuuantia quidem per indicationem patefiunt, nulliusq; cogitationis ope indigẽt.

*Iuuantia per indicationem patefieri.*

Quare quod in apertissimis & sine cõtrouersia cõcessis reperit, id nimirũ & in perceptis ex indicatione contigerit. Obseruatio autẽ, proportione ad ea respondet, quæ per signa & notas comprehenduntur.

*Iuuans quo pacto percipiatur ex analogismo.*

Verùm ex analogismo iuuans ipsum percipitur, quando causa ipsa ignoratur, nullaq; obseruatio habet, sed affectus quàm simillimus ex symptomatis est. In huiusmodi enim ab indicatione profuturum colligi nequit, cùm ignoretur causa. Idcirco nulla præterea facta obseruatione, casuum similitudinem intuentes, cogimur ad simile transgredi.

*Analogismũ fieri per transitũ ad similia.*

Analogismus itaq; per transitũ ad simile fit: quo utentes, à simili ad similia transimus. Empirici uerò secus ac nos (hoc est, nullo prorsus iudicio adhibito) transitum huiusmodi usurpãt.

*Indicatio quid.*

Est igitur indicatio, iuuantis cõprehensio, simul cum cõprehensione infestantis adueniẽs, sine obseruatione aut ratiocinio.

*Experientia quid.*

Experientia uerò, est eius quod frequenter & eodẽ modo

uisum

*Obseruatio & experiētia idē.*
*Analogismus quid.*

uisum est, cōprehensio, & memoria. Cæterū obseruatio & experientia sunt idem. Analogismus autem est comparatio, & perceptio causarum iuuantium, per similitudinem. At deinceps, propria cuiusq; sectæ cùm exposuerimus, aduersus singulas aliquid inducemus.

*Empiricorū propria.*
*Rationaliū obiectiones aduersus Empiricos.*

Empiricorum sunt propria, iuuantium in concursibus obseruatio, historia, diuersusq; à simili transitus. Ab ipsis tamen causa iure petenda est, cur non in omnibus accidentibus, sed in certis quibusdam, se conferentia obseruare fateantur: cùm accidentia, quatenus sensui euidētia sunt, tam illa in quibus fit obseruatio, quàm cætera omnia inutilia, nulla ex parte dissideant. * Dicant igitur nobis, quidnam accidentia utilia cōmonstret: apparens ne, an occultū? Si enim apparens dixerint, quo utilia accidentia produntur, & in quibus est obseruandum, inferemus iterum, hoc apparens, quatenus conspicuum est, nihil ab inutilibus differre accidentibus. Quòd si occultum esse id quod indicat utilia accidentia, affirmēt, occulta ad accidentium obseruationem cōducere, necessum est fateant. At occulta nulla ui alia, quàm ratione comprehendi queunt. Quare si occulta utilia sunt, in concursibus occultorum est obseruatio. Et si nihil aliud quàm ratio comprehendit ea, apertum iam est, absq; ratione obseruationē fieri nō posse.

*Obseruationem absq; ratione fieri non posse.*
*Obseruationem non posse colligi in similium accidentium concursibus.*

Quòd antē in similium accidentiū cōcursibus obseruatio colligi nequeat, per hęc euadet perspicuum. Cùm enim prorsus oporteat ipsa concurrentia, nō modò genere eadem, numero æqualia, magnitudineq; similia esse, sed etiam idem tempus, eundemq; ordinem seruari necessum sit (ut etiam cōfitentur Empirici) si debeat integra, absolutaq; obseruatio fieri: cumq; in omni uita, ne duobus quidē ægrotis, nedum pluribus, omnia symptomata quæ comitantur morbos, accidere similiter queant, clarū est huiusmodi obseruationē fieri haudquaquā in istis concursibus posse. Quòd si duo etiam ægri nulla in re differentes inuenti fuerint, non ob id tamen cōcedenda obseruatio est: quandoquidem

*Obseruatio debet fieri in pluribus.*

ipsa in pluribus fieri debet. Porrò in quibus propositis utile ipsum aut inutile nos obseruemus, iam dicamus Empiricis. Nos scilicet in solis symptomatum generibus obseruare, in quibus nec potentia, nec tempore, nec magnitudine, nec ordine, nec alio quopiam est opus: ut in dentiū stupore: quæcunq; causæ, loci, facultatisue symptomata sunt, ea reputantes utilia: quæ uerò nō huiusmodi, ceu inutilia explodentes. Cæterùm si dicant, morsum hæmorrhoi plura symptomata comitantur, uos autem nihil in his obseruastis: ad hæc eis respondebimus, non in illis symptomatis, sed in antegressa causa, nos obseruationem facere: symptomata uerò ad antegressarum causarum cognitionem, in quibus obseruationē statuimus, expendere. Causa nanq; ignorata, & facultate curādi ex indicatione carentes, obseruationē in antegressis causis præstamus. Etenim cùm dentes stupent, minimè portulaca

*Portulaca auxiliatur stupori dentium.*

obseruatur, sed affectus ab acidis acerbisq; ortus: qui si ex fluxione, aut uomitu, aut secātis serræ stridore productus sit, nihil in portulaca præsidij fuerit. Prius itaq; causam rimati, dein portulaca utemur. Iam uerò Empiricorū historiā, qua utuntur, cùm ut remedijs cōtra omnes morbos abundent, tum ut ipsa traditio sit breuior, inanem omnino esse, nec confici posse, mox patefaciam.

*Historiā omnē esse præsentium aut præteritorū.*
*Futurorum non historiā, sed diuinationē esse.*

Omnis enim historia, aut præsentium, aut præteritorum est. Siquidem futurorum non historia, sed potius diuinatio est dicenda. Etenim ipsi Empirici frequenter præteritorum historia sunt usi: quam definiūt esse narrationem rerum sæpius circa eadem probatarum. Cùm autem omnia in historia enarrata uera esse affirment, aliquem profectò iudicem habere deberent, qui rectè historiam institutam esse, dijudicaret. Is cùm non adsit, aliquod dijudicandæ historiæ instrumentum est reperiendum, quo à falsis uera discerni possint. Siquidem circa unam eandemq; rem, non solùm non consentiunt medici, sed etiam contraria opinantur. Quare cùm ipsi fateri cogantur, utile esse historiam admittere, interrogandi sunt, experientiá ne, an ratione, historiam iudicent. Ratione quidem nequeunt, cùm ipsam exterminēt, & alioqui eo iudicare debent, quo istorū unumquodq; percipitur. Atqui experientia, quæ iuuant, deprehensa fuisse prædicant: experientia igitur etiam iudicari ea est necesse.

*Historiam iudicari ab Empiricis per experientiam, & à Rationalibus per causas.*

Quare necessariò etiam Empirici de historia per experientiam iudicium facient: id quod si ita est, relinquitur, superuacuā inutilemq; esse historiam. At Rationalis medicus, per causam dijudicare historiā poterit: qui ubi causam nancisci non potest, historiæ iudicium experientiæ cōmittit.

*Ex historia non posse haberi iuuantis notitiā.*

Nullius autem iuuantis notitiam haberi posse ex historia, non magno quis negocio probauerit. Siquidem per quæ conclusimus in concursibus obseruationem fieri non posse, per eadem efficitur, neque historiam posse constitui. Neq; enim obseruationē fieri nō posse, posse autem non obseruata describi, quispiam dixerit.

*Empirici quomodo utantur transitu ad simile.*

Vtuntur autem ipso transitu ad simile Empirici, nonnunq̄ ab auxilijs ad auxilia, nōnunquā à locis ad locos: est cùm à uitijs ad uitia. Ab auxilijs quidem ad auxilia, ut quando mespilos, uice cotoneorū, torminosis exhibent. A locis autem ad locos, ut quando ea quæ in musculosis membris obseruarunt, talibus etiam applicuerunt. A uitijs uerò ad uitia ita transeunt, ueluti cùm remedia ad sanguinis fluxum probata, ad hæmorrhoi morsum accipiunt. Quomodo autem intelligant ipsam similitudinem, si interroges, facilè ipsos cōuinces, atq; in absurditates innumeras pręcipitabis.

*Rationales quo pacto usurpent ad simile transitum.*

Nunc uerò declarandum superest, quo modo Rationales transitum ad simile (quem nonnulli uocant analogismū) usurpent. Ipsorum symptomatū, aliqua quidem causas, aliqua passos locos, aliqua facultates, aliqua ægrotantes sequuntur. Hæc Rationalis omnia distinguit, noscitq; ubi obseruandum sit, nec ne. Quòd alia uerò adsint, absint'ue, non laborat, cùm nihil ad curationē conferant. Quinetiā, ubi concursus ipse in aliquo symptomate inutili uariare uidetur, haud secius ijsdem utitur, quàm si penitus consimilis concursus adesset. Quocirca utilia symptomata distinguens Rationalis ab inutilibus (qua facultate carent Empirici, cùm secundum concursum aut absentiam similium

symptomatū, soleant semper curationē uariare) sæpius dissimili in multis apparente concursu, eadem medicamenta sectatur, ut in emprosthotono, opisthotono, & tetano: qui affectus diuersum cōcursum habere uidenť. Intelligens siquidem copiā sanguinis (si sic euenerit) in causa esse illorū affectuū, musculorumq; esse uitium, atq; unum eundemq; morbum, eadem uia incedet. Nam in priorē, aut in posteriorē, aut æqualiter in utranq; partem conuelli, patientis symptoma est: quod obseruatum, nullum ad curationē momentum adfert: quemadmodum nec lachrymari. Contrà nonnunquam simili apparente concursu, ubi causam animaduertit, differenti curatione utitur: ut in illis qui ob erosionem, aut fracturam, cruenta ore emittebant. Diuidens enim symptomata Rationalis, ad uniusq; indicantia respiciens, atq; utilia tantū ex ipsis deligens, auxilijsq; contra ea pugnare ualentibus utens, plerunq; diuerso apparente concursu, eodem ipse semper modo curabit: aut contrà, apparente simili, diuersam curationē instituet, remedia nempe causis symptomata producentibus, contraria adhibens. Sed quomodo, dicet aliquis, utilia symptomata à uanis, ipse Rationalis distinguet? Ad indicantia proposita referendo, respōdeas. Quemadmodum autem concursus, ita & curandi rationem distinguit: atque in primis perspicuum habet, quænam curationis auxilia, symptomatis quæ à causis producta sunt, aduersantur: quæ symptomatis à loco, facultatéue exortis. Sciens nanq; hoc à causis symptoma enasci, à locis illud, aliud deniq; à facultate: à causa præterea, auxilij genus indicari, à loco utendi modum, sicuti à facultate mensuram, si quidem eadem causa sit, & causam prodentia signa simul etiā appareant, sed nec locus sit idem, nec facultas eadem, utique idem remedij genus accipiet, sed mensuram, & utendi rationē uariabit. Contrà, si causa planè diuersa fuerit, sed locus & facultas sint ijdem, nō idem auxilij genus, sed mensura, & utendi ratio seruabitur.

*Causa genus auxilij indicat. Locus indicat utendi modum. Facultas mensuram præsidij indicat.*

Postquam igitur Rationalis medicus & concursus & curationes metiri est idoneus, potest secundum cōcursuum similitudines, aliquas curationis partes pro suo arbitratu mutare. At Empiricus neque causam, neq; causarū, aut loci, aut facultatis proditoria rimatus symptomata, id neutiquam facere poterit: quocirca neq; ad simile transitum inter curandum ritè usurpauerit. Ostendimus itaque ea quibus Empiricorum secta insignitur, atq; informatur: nempe obseruationē, historiam, & ad simile transitum, frustratoria esse, minimeq; consistere posse.

*Rationales posse curationē uariare id quod non licet Empirico.*

Modò superest ultima acies cum Methodicis depugnanda, quorum sanè instituta sunt hęc. Cùm eadem symptomata sunt, affectus autem, quibus hæc inhærent, differunt, nō eadem medendi ratione est utendum: ut in phrenitide generis astricti, atq; laxi. Rursus, si ijdem adsint affectus, symptomata autē differāt, eadē (inquiūt) curatione utemur: ut in costarū, cerebriq; phlegmone, si utraq; sub astrictionis genere contineať. Quandoquidem igitur symptomata eadem cùm sint, dissidente tamen ratione in medendo utimur, cumq; illa differūt, eodem nōnunq̄ modo curamus, ideo inutilia prorsus ad curationē pronunciant esse symptomata. Cùm autē sublatis affectibus, ipsa pereant symptomata: positis autem, perdurent, utiles esse affectus contendunt, ut qui hæc exorientes producant, extinguant autem euanescentes.

*Methodicorū dogmata.*

Quòd autem per ea quæ methodici faciūt, cogantur utilia fateri symptomata, facilè cognitu est. Nam homines utcunq; insanientes, siue ob fluxum, siue ob astrictionem insanlant, collocant in tenebricoso cubiculo, lucē ipsam addere ad insaniam existimantes. At ueternosos, siue astrictione, siue etiam fluxu laborent, loco splendido continere conantur. Tenebris enim ueternū augescere putant. Cùm igitur delirantes ex astrictione, in tenebris, quæ adaugent ipsam astrictionem, detineant: in luce autem, ueternosos ex fluxu, licet lux ipsa fluxum reddat magis exorbitantem, uidenť certè mihi affectus ipsos negligere, solaq; intueri symptomata.

*Rationales contra methodicos.*

*Insanientes, cōmuniter collocari in tenebris. Lucem augere insaniam.*

*Tenebris ueternum augescere.*

Sed neq; affectus conferentia indicare, ut opinanť methodici, ijsdem illis rationibus, quibus ipsi inutilia esse symptomata nitebantur probare, etiam elici poterit. Nam si ijdem affectus sint, causæ uerò differant, non eandem curationē admittunt. Vrinæ nanq; suppressio, unus quidem affectus est. Verùm si calculus sit in causa, excindimus. Si phlegmone, cataplasma illinimus. Si uesicæ supra modū distentio, oriculariū specillum, aut cathetera imponimus: aut ęgrum in genua flectentes, aphronitro extremum urinariæ fistulæ perfricamus. At una cùm est causa, licet affectus dissideant, idem curandi genus admittimus. Cholera nanq; & arquatus morbus, quamuis dissimiles, eadem fermè & ipsi ratione curantur. Quamobrem, quoniam sublatæ causæ affectus auferūt, positæ constituūt: item diuersæ causæ, quāuis affectus sint ijdem, diuersam: eædem, licet affectus uarient, eandem curationem postulant, non iniuria nos & causas, & affectus, & passos locos expendimus. Et quemadmodū symptomata ipsi methodici, quoniam à diuersis affectibus eadem, & ab ijsdem diuersa proueniunt, nihil cōmodi indicare testātur: itidem nos, à diuersis causis eosdem, ab ijsdem diuersos gigni affectus cernentes, eos ad utiliū indicationē incōmodos esse dicimus: ad curationē autē sufficere perceptionē causæ, dignotionem perpessi loci, necnon ipsius facultatis mensuram.

*Affectus cōferentia nō indicare*

*Vrina suppressa uaria curationes, pro diuersitate causarū.*

*Curationi quæ sufficiant.*

Quādoquidem sit'ne fluor, an astrictio, superuacaneum puto cognoscere, cùm affectus nō quid agendū sit, aut quo modo, sed suam ipsorū sublationē indicēt: id quod ne bruta quidem ignorāt. At artifices tali indicatione nō egent, sed illa scire exoptant, per quę languores pellantur. Nam si morbi sua ipsorū remedia edocerēt, laborātes ipsi, per quæ ad sanitatē redirent, intelligerent. Quin & ex auxilijs adhibitis, non morbos, sed causas, indicare medelam, deprehenditur. Auxilia nanq; non effectis, sed efficientibus aduersantur. Itaq; non prorsus incōmoda esse symptomata, nec à morbis conducibile, sed à causis, indicari, satis amplè est ostensum. Iam uerò cùm methodici medicam facultatem definiant esse cognitionē per se euidentiū cōmunitatum, manifestè etiam hallucinantur,

*Affectus suam ipsorum sublationem indicare duntaxat.*

*Causæ medelā indicant. Auxilia nō effectis sed efficientibus aduersantur.*

atq;

atq; conuinci possunt: quandoquidem cōmunitates ipsæ, quas uocant, neq; euidentes sunt, neque per se perceptibiles. Siquidem cùm nō omnis densatio & retentio astrictio sit, neq; omnis raritas aut excretio fluor (in prægnantibus enim retentio menstruorū nō est astrictio: sicuti neq; fluor, expulsio illa materiæ inutilis, quæ in mulierculis molliori uictus ratione usis excerni singulis mensibus solet) relinquitur manifestum, qui sola ipsa symptomata respicit, eum nec fluxum, nec astrictionem deprehendere posse.

*Menstruorū retentio, non est astrictio, sicuti neq; fluor eorū naturalis, excretio.*

Sed hæc ex alijs etiā esse dijudicanda. Siquidem densitas ipsa & raritas, nonnullis quidem ingenitæ, alijs aduentitiæ, & præter eorum naturam sunt: ac proinde oportet, in aliud quippiam affectiones eas referentes, ita secundū naturám ne sint, an uitiosæ, iudicium ferre. Amplius, id quod immoderatū, atq; præter naturam est, euidens non est: quandoquidem ut cognoscatur, magna est opus inquisitione, necnon collatione ad uires. Atqui cōmunitates (quod fatentur etiā methodici) præter naturam sunt, atq; immodica quædam, cōmunitates igitur euidentes nō erunt.

*Communitates euidentes non esse.*

Illud etiam considerandum est, num quispiam unquam medicum accersierit, spissitudine aut immodica raritate uexatus. Quòd si nemo unquā cōmunitates percipit sensu, cur ipsi artem medicam definiunt esse notitiam per se euidentium cōmunitatum, quas quidem inuestigare & cognoscere, Erasistratus & Hippocrates oppidò quàm difficile & laboriosum existimarunt? Cæterùm etiamsi cōmunitates ipsæ euidentes sint, nec ob id tamen eas aliquid utile indicare est fatendum, cùm aliunde ipsa uera indicatio inuestigari debeat, nempe ab efficientibus causis, quarum differentia cōmunissima est duplex: aliæ siquidem in nostro corpore continentur, aliæ accedunt extrinsecus. Verùm cùm ab aliqua externa causa pulsamur, minimè lædi possumus, nisi alia intestina causa in corpore delitescens, impetum externę illius excipiat.

*Causarum differentia duplex.*

*Causa externa nō lædit, nisi intestina causa adsit.*

Porrò methodici nō duas tantùm cōmunitates, sed plures etiam statuunt. Alias nanq; in uictus ratione, alias in chirurgia collocant. In uictus quidem ratione, ut astrictum, & fluens, adiunctamq; magnitudinē, & morbi tempora quatuor, & longinquitatem, & accretionem, & intermissionem. In manuaria autem opera, quod à natura alienum est, ponūt, loco, & tempore, & pluribus alijs. Sed de ijs tantùm cōmunitatibus, quæ ad uictus rationē pertinent, satis fuerit impræsentiarum aliquid dicere: quas quidem introduxerunt, nihil reperientes, quod auxiliorum differentias indicaret, ut scilicet iuxta ipsarum diuersitatem, diuersam inuenirent medendi rationem. Quòd autem magnitudo cōmunitatum non indicet magnitudinem remediorū, hinc nobis discere licet, quòd in ipsis morbis curandis, non simpliciter auxiliorum magnitudine egemus, sed huiuscemodi certa magnitudine. At magnitudo communitatum, non hanc huiusce auxilij magnitudinem, sed simpliciter magnitudinē indicat. Deinceps neque morbi tempora utile quippiam indicare ostendemus: prius tamen aliqua de temporum differentijs tractanda sunt. Duę igitur temporū differentiæ apud medicos celebrantur. Aliqua enim morborum, aliqua auxiliorū dicunt tempora. Atq; hinc iam manifesta curatio fiet.

*Temporū differentia duplex.*

Causarū autē motiones, morbi esse tempora dicunt. At motionis differentiæ sunt quatuor: initium, incrementum, status, & declinatio. Hæc eadem sunt & temporum nomina.

*Causarum motionis differētia sunt quatuor.*

Auxiliorū uerò tempora, ea quæ ad ipsorum exhibitionem idonea sunt, prædicant. Sunt autem idonea, quando remedium postulantia quidem adsunt: prohibens uerò, nullum. Pleriq; autem auxiliorum morborumq; tempora, non re ipsa, sed cogitatione tantùm differre existimant: quòd auxilij morbiq; tempus simul incidant, interdumq; eodem tempore & morbus fit, & auxilijs optima reperiatur occasio. Hallucinantur autem non leuiter.

*Tempora auxiliorum.*

Nam si eadem auxiliorum morborumq; tempora forent, nec re ipsa distarēt, oporteret quocunque morbi tempore, tempus etiam auxilij adesse: nō autē quocunq; morbi tempore auxilia adhibemus, non eadem igitur auxiliorum morborumq; sunt tempora.

*Tempora auxiliorum remediorumq; non eadē esse.*

Plerunq; etiam administramus remedia, cùm morbus quidem non adest, sed futurus timetur. In morbi autem uigore & impetu, auxilijs cōmodum tempus nō est. Contrà uerò in ipso uno declinationis tempore, plura quis auxiliorū tempora, & quidem opportunissima accipiet. Ad hæc, morborum quatuor tempora habentur, initium, augmentum, status, & inclinatio, quæ quidem in auxilijs minimè reperire licebit.

*In uigore morbo existente, nō esse opportuna auxilia.*

*Declināte morbo opportunum esse auxiliorum usum.*

*Morborum tempora quatuor.*

Quinetiam morborū tempora, aliqua uniuersalia, aliqua particularia sunt. At remediorum, generalia quidem describi possunt, particularia uerò nō item. Ex quibus liquidò constat, non sola cogitatione, sed re ipsa etiā, distingui huiuscemodi tempora. Ac tēpora quidem id quod utile est indicare, methodici hac ratione impulsi putarūt, quòd tempora nō omnia ad cibi medicamentiue assumptionem apta esse cernebant: cumq; temporibus nōnullis hæc utiliter exhiberi, nōnullis uerò noxiè spectarent, id ob temporū discrimina accidere arbitrabantur. Quare ex eodem fonte & cibi proposita, & remediorum tempora manare profitebant. Thessalumq; inter illos fefellit Hippocrates, dicens: Quando morbus in summo est, tunc uictu tenuissimo utendū. Suspicatus est quippe, ipsum natura temporis ductum, alimenti qualitatem tunc præscripsisse, cùm tamen à tempore facultatem illic mensus fuerit, ac secundū ipsius facultatis mensurā, cibi qualitatē acceperit: id quod ex ijs quæ subiunxit, declarat. Coniectandū enim, inquit, an æger possit durare. Plerūq; enim tempora, quod à facultate requiritur, interuertūt, & ne accipiat impediūt: nōnunquam autē quid faciendū sit, edocent.

*Tempora interdum interuertere quod à facultate requiritur*

Cùm igitur id quod aliquid postulat, eius quod postulatur propositum sit: quod uerò nos postulatū sumere impedit, propositū nequaq̄ dicat: utiq; morbi tempora nos interdum postulatum sumere prohibentia, proposita minimè fuerint. Neq; alia ratione constat dixisse Hippocratem, Inter morborum initia si quid uidetur mouendū, moue: uigentibus autē, quiescere melius est: quàm quòd circa ipsa principia, uires nondum infirmas esse intellexerit,

sed posse eas facilè inanitiones perferre: at circa morbi statum, & inualescere causas morbificas, & uirtutem languidam effici, prosterni, atque labefactari. Cui accedit, neq; impunè posse administrari remedia, cùm omnia præter naturā sint, ob idq; naturales facultates infestēt, nec possint adeò morbosas causas rescindere, quin unà cum illis, aliquid etiam benignæ substantiæ rapiant.

*Remedia omnino esse præter naturam.*

Quare primùm ipsam auxiliorum naturam, & usum, non ignorare oportet. Auxilia autem per se, causas extirpare non possunt, sed naturæ adminiculum postulant: & fermè solum impetum, motusq; initium naturæ iniiciūt, quæ per se postea totum opus absoluit. Igitur cùm est ualida, remediorum uiolentiam perfert, & bonæ ingenitæq; substantiæ detractionem facilè sustinet, minimoq; negocio ipsam diuexantia excutere potest. At in morbi uehemētia ualde laborans, adhuc remediis adhibitis magis opprimitur, & propriis direptis opibus, infirmior redditur, & lædentibus causis magis succumbit, morbiq; autores nullatenus potest expellere. Cùm uerò natura ipsa conata, discutere sibi infesta nō ualuit, magnopere ex ipso conatu imbecilla efficitur. Atq; his de causis, in principio quidem nō licet mouere, iuxta doctrinā Hippocratis: in statu aūt cessandum est.

*Auxilia per se causas morbificas extirpare nō posse, sed initiū motus naturæ iniicere.*

Quod autē neq; facultas ipsa indicare remediū possit, ex hoc euadet perspicuū. Nam si constans uis remedium indicat, in sanis quoq;, quādoquidem in eis constat, remedium similiter indicabit. Sed in sanis remedium nō indicat, ergo neq; etiam in ægris modum seruans facultas indicabit remediū. Siquidem opus est, ut scopus præsentia indicet: facultas autē ipsa, quemadmodum suprà est expositum, prohibere ne accipiatur id quod requiritur, ualet: itaq; remedii scopus, ipsa nequaquam existit. Quam uicem autē in exhibendis remediis facultas gerit, eandē in dandis cibis, morbi tempora. Item, ut ad remedia se habent eorum appetentes causæ, ita & ad alimenta facultas.

*Facultatem nō indicare remedia.*

*Facultas prohibet ne accipiatur id quod requiritur.*

Facultatem uerò exiguam escam postulare, nō initium, aut incrementum, inde declaratur, quòd ex ægritudine conualescentibus modicum cibum præbemus, quem facultas requirit. Nam si modicū cibum incrementū ostenderet, expediret istos ad saturitatem impleri, absente nempe ipso paucum cibum indicante proposito.

*Conualescentibus modicū cibum præberi.*

Ad hæc, non indicari alimenti qualitatem, quantitatémue à tempore, hinc etiā liquet. Quod genus indicat, id qualitatem indicare est necesse. Atqui alimenti genus facultas indicat: illius igitur qualitatem, quantitatemq; indicabit: nam sine differentia alimenti genus indicat. Differentiam uerò accipiens, & discrimen in genere demōstrabit.

*Tempus nec qualitatem nec quantitatē alimenti indicare.*

*Facultas indicat alimenti genus.*

Quare meritò Hippocrates ciborum quantitatis scopum, facultatem statuisse uidetur, ubi ait: Augescentia corpora plurimum habent calidi innati: plurimo igitur alimento indigent. Item qualitatem pro facultatis differētia euidenter assumit, dicens: Cibus iuuenibus quidem in summo ætatis flore non mutatus: senibus autem exquisitè permutatus. Ex quibus clarissimū est, uirtutem absolutè escarū genus appetere: differentia uerò addita, qualitatem.

*Facultatem esse ciborum quantitatis scopum.*

At tempus, nec ciborū qualitatem, nec quantitatē ostendere. Nam si morborum tempora ciborum quantitatem & qualitatem præscriberent, aut in sui conseruationem, aut abolitionem id facerent. Primum autem est omni ex parte ridiculum. Ex secundo uerò infertur, talem tantumq; cibum, aliqua aduersus tempora contrarietate esse præditum. A solis nanq; contrariis, contraria tolluntur. At temporibus nec talis, nec tantus cibus contrarius dicitur, cùm nō sub eodem genere contineantur, nec possit quod unum est, dici contrariū pluribus.

*Contraria à solis contrariis tolli.*

*Vnum pluribus dici cōtrarium non posse.*

Hac eadem ratione efficietur, ut nec remediorum differentiam morborū tempora indicent. Quòd autem aiunt, principium indicare, quod augmentum prohibet, scopum autem agnitū indicare nihil, extremè ridiculum est. Cuius erroris origo ipsis ex altera falsa opinione manauit.

*Morborum tempora, remediorum differentiā non indicans.*

Credentes enim quēlibet morbū transire per quatuor tempora, uerisimile arbitrati sunt, ut morborū initia suppressionem incrementi indicarent. Id igitur ipsos latuit, non omnem morbum incipere, augeri, in summo cōsistere, ac declinare. Acuti nanque morbi, qualis apoplexia est, simulatq; inuaserunt, ad extremam ascendunt magnitudinem. Et qui iudicantur morbi, uno tempore, declinatione scilicet, mutilantur. Siquidem iudicationes, in sua uehementia morbos, adhuc etiam augescentes, discutiunt. Potest præterea inter initia, remediis adhibitis, deleri morbus: atque ita cætera morbi tempora præuerti, succidiq; cōtinget.

*Morbi non omnes quatuor sortiuntur tēpora.*

*Acuti morbi simulatq; inuaserunt, ad extremū perueniunt magnitudinē.*

*Morbi qui iudicantur, mutilantur declinatione.*

*Morbū posse in initio discuti.*

Id præterea Methodicorū decretū est fatuum, quòd inter morborū initia astringētibus semper utendū censent. Causam uerò inde placitum illud accepit, quòd multæ phlegmonæ per astringentia, reprimentiaq;, inter initia desināt. Cùm autē quælibet secundū ipsos phlegmone, astrictio sit, absurdū planè uidetur, astrictos affectus per cōdensantia tolli: id quod se hoc nomine facere profitentur, nō ut causæ reprimantur, sed ut corpora firmiora, minusq; patibilia reddantur. Quibus ita respōsum uelim, minimè fieri posse, ut nocentibus causis simul auctis, corpora ægrè patibilia reddantur. Cæterū quòd inchoantibus phlegmonis, cōmodè astringentia admoueant, ob repercussionem humorū lædentium, nō ut cōcilietur robur particulæ, ut illi existimant, nemo id non fatetur.

*Phlegmonis incipientibus, cōmodè adhiberi astringentia.*

Nam si ex astrictoria ratione firmitudo conciliaret corporibus, cutem rigidam distentamq; præ egestate habētes, ualentiores bene sanis, senesq; iunioribus longè uegetiores existerēt. Qui igitur corporibus robur firmitudinemq; cōparare studuerit, minimè qui corpus durum reddat, cogitet opus est: sed qua ratione membrorū uires augescant, quibus liberè atq; expeditè proprios usus exhibeant.

*Robur qua ratione conciliandum corporib.*

## GALENI PERGAMENI de Constitutione artis medicæ, liber unus.



Vandoquidem diuino quodā præditus affectu, Patrophile, mihi uideris, ut qui omnia cum demōstratione & methodo indipisci desideres, nec soli eam prouinciā tibi cōmittere au-

re audeas, statui alacritati tuæ obsecundare, atq; in tuam gratiam duos cõmentarios cõscribere, alterum in quo monstratur, quamlibet artem à finis notione suam habere constitutionẽ: alterũ (quẽ habemus præ manibus) ubi ostendimus, methodum eam quæ omnes alias artes, ipsam quoq; medicinã constituisse: id quod iam nobis est exordiendum.

*Ars qualibet à finis notiõe suã habet constitutionem.*

*Methodus qua alias artes, ipsam quoq; medicinã constituit.*

Cùm igitur artium ipsarũ aliç quidem in sola naturæ rerum contemplatione, quas sibi proposuerũt considerandas, suum habeant finem, ut astrologia & physice: aliæ edant præterea nõnullas actiones, à quibus cessantes, nullum permanens opificium ostendunt, ut saltatoria: aliæ opificium aliquod possint ostendere, ut ars ædificatoria & fabrilis: aliæ denique nihil efficiant ipsæ, aliquid tamen aucupari conentur, ut uenatoria: manifestum utiq; est, artem medicã ex effectiuarũ genere existere: habet enim aliquod opificiũ, q̃d finita actione possit ostendere.

*Medicam artẽ, ex effectiuarũ genere existere.*

Quare iam operæprecium fuerit, eandem methodũ, quam in cæteris factiuis artibus priori cõmentario tradidimus, ad hanc, quã in præsenti cõstituere conamur, transferre, posito hic quoq; eodem principio, quod in alijs est statutum, nempe finis notione. Prima igitur quæ in nobis suboritur cognitio, est hominum rectè ualentium. Altera ab illa, eorundem, cùm morbis impliciti sunt. Vnde mox in nobis bene ualendi desiderium assurgit, artemq; aliquam sanitatis conciliatricem constituendi. Vt autem proponimus efficere integram ualetudinem, sic ex factiuarum numero ars ea futura est, quam cõstituere uolumus.

*Factiuæ artes duplices.*

Dein, cùm duplices factiuæ artes sint (nõnullæ quidem res ipsas conficiunt, aliæ labefactatas instaurant, corriguntq;) hæc quam inuestigamus, in eis potius erit, quæ rem iam factam reficiunt, quàm quę aliquid, quod prius non esset, edunt.

*Medicam artẽ ex ijs esse quæ labefactata instaurant.*

Quemadmodum igitur illi qui ædificaturus, aut collapsas instauraturus est ædes, necessium est prius omnes ædiũ particulas, earumq; constitutionẽ accuratè nouisse: sic etiã qui artem, quæ circa humanũ corpus uersatur, constituturus est, illius partes omnes sigillatim necessariò debet cognoscere: quali nimirũ substantia, qua magnitudine, quali figura & numero præditæ sint, quamq; inter se structuram sortiantur.

*Medicam artẽ cõstituturus, corporis humani particulas exquisitè debet cognoscere.*

Et quemadmodũ ille qui extruit domũ, nunq̃ cognitionem particularum, nisi ex resolutione assequi poterit, ita nos corporis humani notitiã, ex illius dissectione consequimur.

*Deus & natura prænorunt corporis partes, earũ officijs pro exemplari usi.*

Deus quippe & natura, instar illius qui primùm ædes est fabricatus, prænorunt partes, earum officijs pro exemplari usi. Nos uerò illum qui extructã domum contemplatur, imitamur. Vbi autem ex dissectione ipsa, naturã, formam, magnitudinẽ, numerũ, & concretionem partium similariũ apprehenderimus, compositorum pariter membrorũ (quæ nonnunq̃ & instrumentaria uocantur) scientiã assequemur.

*Actiones partiũ duplices, simplicium nempe, & compositarum.*

Quo fit deinde, ut duplices partiũ actiones in corpore reperiantur, simpliciũ nempe, atq; compositarũ: cùm & crus uniuersum moueri, & sigillatim musculos eius omnes uideamus: cumq; musculo quocunque per transuersum resecto, necessium sit deperire ipsius motũ aliquem cruris: uulneratoq; neruo, primùm quidem, musculum cui inseritur, expertem motus & sensus reddi, mox uerò & articulum qui ab eo mouebatur.

*Medicam artẽ cõstituturo, necessaria est partium actionum cognitio.*

Quare hanc nobis artem cõstituturis, necessariũ fore arbitror, etiam partium actiones cognoscere: id quod sanè ab ędificatoribus nos distinguit. Duplex igitur est, ut particularum, ita & actionũ natura: una quidem prima, & maximè propria, dum pariter omnes simplices partes agunt: altera uerò ex accidenti, aut secundaria, quæ totius est instrumẽti. Vt, totius quidem cruris actio incessus est, qui fit, dum articuli illius uicissim nunc extenduntur, nunc inflectuntur. Ipsius porrò facultatis motricis à cerebro descẽdentis, neruus ueluti uia quædam est.

*Cerebrũ esse originem facultatis motricis per neruos delata.*

Cerebrum nanq; esse neruis omnibus huiuscemodi facultatis originẽ, principiumue, inde perdiscas licet, quòd secto quocunq; neruo, in supremis partibus, quæ cerebro continentes sunt, actiones seruantur integræ, cùm tamen omnes in inferioribus pereãt.

*Musculos præesse incessui.*

Incessus itaq; actio est totius cruris, cui actioni musculorum præest genus. Ossa siquidem, cartilagines, adeps, glandulæ, arteriæ, cutis, uenæ, membranæ, ligamentaq;, à musculis habent initium motus. Primùm enim ab ipsis ossa mouentur, mox cætera unà cum ipsis etiam moueantur oportet. Ad quem motum necessaria fuit optima cùm ossium, tum etiam ligamentorũ cõmoderatio, constitutioq;. Ac de cæterarum partium actione & usu, similiter disserendum, ut quæ optimè constitutę sunt, seruentur, quæ autem uitio nõ carent, ad meliorem statum ducantur: id quod minimè nobis licebit, nisi uniuscuiusq; partis tum actionẽ, tum usum, atqueadeo etiam structuram examinauerimus. Structuram porrò cuiuspiam rei, an uitiosa sit, an ab omni prorsus immunis uitio, nemo perpendere poterit, nisi is magnitudinẽ, numerum, figuram, & situm omniũ partiũ, ex quibus talis res constat, optimè scrutatus prius fuerit.

*Instrumentorũ uitium integritatemq; in magnitudine, numero, figura, & situ consistere.*

Quandoquidẽ omniũ instrumentariorũ corporũ, quæ ex cõpositione suam essentiã sortiuntur, tum uitiũ, tum integritas, affectusq; omnis, quatuor generibus his continetur. Quòd si partes unionis quoq; ex natura participes sint, quintũ hoc genus his addendũ erit corporibus: ita ut quod in ipsis se præstantissimè habuerit, sit optimas habiturũ actiones: quemadmodum pessimas, q̃d deterrimè.

*Vnitatis solutio communis morbus est similarium & instrumentalium particularum.*

Si ergo etiam unio soluatur, talis affectio erit morbus, quẽ unitatis diuortiũ uocamus, quo nõ solùm instrumẽtariæ, sed similares etiam affliguntur particulæ.

*Fractura.*

*Scissura.*

*Conuulsio.*

*Vulnus.*

*Scissio.*

*Punctio.*

*Contusio.*


*Caries.*

*Vlcus.*

Cęterũ in osse is affectus fractura dicitur. In carnea uerò musculorũ parte, si cum distentione accidat, ῥῆγμα, hoc est, scissura. Vbi autem sic filamenta tenduntur ut disrumpantur, conuulsio. Vbi caro citra tensionem soluitur, uulnus. In neruo dicitur affectus is, scissio. Si uulnus ab acuto telo infligatur, punctio uocatur. Si à graui, cõtusio. Si à corrosione ortum habeat, in osse quidem, caries: in alijs autem partibus, ulcus uocatur. Tot ergo, talesq; in hoc quinto morborum genere, quum simplices particulas occupat, differentiæ erunt.

*Diuulsio.*

Instrumentarijs uerò sæpe accidunt, atq; diuulsiones dicuntur. Sed si similaris quæpiam particula dissecetur in totũ, affectio illa, partim



illius quę secta est, dicetur: partim totius instrumenti: quamuis nōnunquā huius nō nisi ex accidenti dicenda sit, ut cùm aliquis musculus patitur. Quādoq; autē etiam primū, ut cùm aliquod ligamentū. Quemadmodum igitur in hoc uno morborum genere fecimus, sic in alijs quatuor differentiæ tibi scrutandæ sunt. Quibus examinatis, nosse oportet, posit ne pars quæpiam in alterius locū restitui, an minimè. Quando quidem si resecueris carnem uitiatam, facilè poteris similem aliam reficere. Secus autē si neruus, uel ligamentū dissectum fuerit. Neq; enim alia resarcies, qualia erant priora: cùm illa quidem ex sanguine generetur, hæc uerò ex semine ducant originem. Os quoq; in ijs est, quæ per primā efformationem constructa sunt. Cæterùm in locum ipsius aliquid suggerere possumus, quod osi quamsimillimū sit. Verùm iam methodus ipsa nos cogit ad inquirendum, utrū unaquęq; pars, earum quæ & simplices, & similares uident, unū sit, an potius ex pluribus constituta: & præterea, quis sit earum cōpositionis modus. Quæ inquisitio, quāuis nō philosophis modò, sed etiā medicorū nōnullis admodum sit uisa difficilis, ij tamen quibus adsint septem adiumenta quæ subdam, facilè cùm illius, tum aliarum omniū difficultatum, ipsam ueritatē inueniēt: aut si minus, saltem nō omnino de inuentione desperabunt. Septem igitur illa sunt, natura perspicax, educatio optima, præceptores ingenui, labor improbus, ueritatis ardentissimus amor, optima methodus, exercitatio denique assidua. Quorū si uel unum desideret, qui ad uiam ueritatis introducendus est, non est admodum sperandum, illum posse sui uoti compotem fieri. Si uerò omnia cumulata adsint, quid deinde uetat, quo minus ueritatem, bona etiam spe, exquiramus? Reuertamur autem eò, unde digressa est oratio, disquiramusq; primū, an carnis (exempli gratia) elementum, unū specie sit. Deinde uerò, si secus uideatur, an plura. Mox quot ea sint, & quæ, & quem habeant cōpositionis modum. Profectò si caro cùm uel secatur, uel impensius calfit, dolet, fieri nequit ut ex uno elemento cōstet: ut ex atomo, quemadmodū Epicurus existimauit. Quare pulchrè diuus inquit Hippocrates: » Si unus exsistat homo, neutiquā dolebit: quia in alterū nequit mutari, si unum est, cùm nihil præterea relinquatur, in quod mutet. Quòd si est mutationis, erit quoq; alterationis expers, atque impatibile, ac proinde nulli dolori obnoxium. Si itaq; elementum carnis esset specie unum, nunq̄ illa doleret: dolet autem, igitur elementū carnis nō erit specie unum. Rursus, si impatibile esset elementum carnis, nō doleret: atqui dolet, non igitur est impatibile. Quibus rationibus subuertunt dogmata eorū, qui tum atomos, tum similaritates, tum elementa quatuor, sed quę mutuò inter se transmutari nequeant, introduxerūt. Quippe si duos digitos simul cōmittas, moxq; disiungas iterū, neq; eorum conuentus, nec diductio, aliquē excitabit dolorem. Vt enim aliquid dolet, ita patitur. Siquidem pati, ab his duobus prodit, ab alteratione per totū, & à continui dissolutione. Quandoquidem igitur nec conuentus, nec separatio corporibus uel manifestò patibilibus, ullū adfert dolorē, minus profectò adferet impatibilibus. Etenim quodcūq; in dolore futurum est, necessum habet, ut cùm patiendi, tum sentiendi facultate præditū sit. Nulla tamen necessitas cogit, id quod sentit, ex illis primis constare, quæ ipsa etiam uim habeant sentiendi: nam sat erit si ex patibilibus sit. Dum enim patient, alterabunturq;, poterit aliquā sentiendi uim assequi. Cùm innumeræ possint esse alterationes elementorū, unde mox innumeræ particularū poterunt proprietates oriri, sic ut aliæ euadant sensus expertes, aliæ illo præditæ sint. Ex dictis igitur constat, elementa esse plura uno, eaq; alterationi esse obnoxia: nunc uerò numerus eorū nobis inuestigandus est. Necessum autem est, ut illa quæ rem quampiā alterant, primū quidem illud contingant, quod ab eis alterādum est, atq; ita mox ipsum tandem immutent, idq; per tactiles qualitates, quæ alterare totam proximæ rei substantiam possunt: cuiusmodi sunt caliditas, frigiditas, humiditas, atq; siccitas: quæ quidem actiuę qualitates planè & sunt, & dicuntur: ex eisq; uel maximè oppositio prima, atq; in hac ipsa, caliditas. Præter has quatuor, nulla reperit qualitas, quæ corpora quibus occurrit, alterare per totū possit. Vnde si niuem ad minima usq; secueris, nix quidem seruabitur: sed simulac calfiet, desinet actutùm nix esse. Quare quæcunq; corpóra has quatuor qualitates sibi uendicauerint primùm, erunt omniū corporū elementa: sunt autē hæc, terra, aqua, aër, ignisq;. Ac proinde uniuersi, qui demōstrationi parent, philosophi, hæc esse omniū quæ gignuntur, intereuntq;, uera elementa, necnon mutuò se transmutare, habereq; omnia subiectum quoddam cōmune, autumāt. Igitur ex quatuor elementis simul contemperatis, corpus unū similare gignitur: quod pro uaria temperamenti ratione, aut particeps sensus, aut illius expers euadit. Vnde corporū similariū differentiæ, quę simplices quidem sunt, tot sunt, quot elemēta: calidiores nempe, frigidiores, humidiores, atq; sicciores. Totidem uerò & cōpositæ, ut quę simul calidiores & humidiores sunt: quæq; frigidiores & humidiores: & præter has, alia tertia, siccior atq; calidior: & quarto deinde loco, quæ siccior est, & frigidior: sic tamē, ut quę temperantissima est, & harum omniū prima, nō negligatur. Cùm igitur abūdè sit iam ostensum, similarium partium integritatē & uitium, in elementorū tum moderatione, tum immoderatione cōsistere, superest ut inquiramus, quomodo ab earū uitio morbus sit distinguendus. Distinguetur autem à rei cuiusq; notione. Porrò salubris constitutio corporis, actiones sibi ex natura debitas, inoffensas habet: morbosa, offensas. Idcirco si quis sanus quidem sit, altero tamen, qui itidem prospera ualetudine fruat, actiones habeat imbecilliores, erit sanè is intemperatior illo, necdum tamen ægrotat. Itaq; inter salubres habitus uniuersos, unus erit temperatissimus, octo autē intempetati. At inter morbos, nullū temperatum inuenias: eundem tamen numerū complent, quem intemperaturæ salubres. Ac de his hactenus. Deinceps autē dicendum est, quo

modo

*Carne resecta, similem instaurari posse.*

*Neruum aut ligamentum scissum, refici rursus non posse.*

*Carnem ex sanguine, neruos ex semine generari.*

*Adiumenta septem ad ueritatem in abstrusis rebus peruestigandam.*

*Carnis elementum nō esse unicum.*

*Carnis elementum nō esse impatibile.*

*Pati contingit aliquid, ob alterationem & solutionem continui.*

*Doliturum corpus idem esse debet patibileq; & sensibile.*

*Sensibile corpus nō necessario ex sensibilibus constari.*

*Elementa esse tum plura uno, tum alterationi obnoxia.*

*Alterationē fieri absq; cōtactu non posse.*

*Tactiles qualitates.*

*Actiua qualitates, caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas.*

*Elementa omnium sunt, terra, aqua, aër, ignisq;.*

*Similarium corporum differentias simplices, tot esse, quot elementa, totidemq; etiā cōpositas.*

*Similariū partium integritatem & uitium in elemētorum moderatiōe, immoderationeq; consistere.*

*Morbus qui distinguēdus à uitio similarium particularum.*

*Morbi tot sunt, quot cōstitutiones salubres.*

modo quis morbos curet,quo modo &sanitatẽ tueat. Enuero medendi methodus ex ipso cùm sanorũ,tum ægrorũ corporũ affectu,suũ principium habet. Cùm enim id q̃d exquisitè sanũ existit,omni ex parte sit moderatũ: q̃d uerò ęgrum, immoderatũ: aduertendũ in primis est,quęnam ea sit illius immoderatio. Quippe necessariũ est aliã inueniri immoderationẽ contrariã,per quã illam exterminemus.

*Reditum ab immoderatione ad temperiem, per immoderationẽ cõtrariã fieri debere.*

Reditus siquidem ab immoderatione ad temperiẽ, in omnibus erit per immoderationẽ contrariam. Vt tandem necessum sit,id quod pręter naturam affectũ est,dum ad naturalem statum redit, illam eandem quasi uiam incedere, quam prius confecerat, præterq̃ quòd ordine contrario.

*Contraria contrarijs remedia sunt.*

Quare generalissimus curandorũ morborũ scopus erit, Contraria contrarijs remedia esse, & particularibus particularia cõtraria. Calido enim morbo,frigidum: &frigido calidũ. Ita etiã sicco, q̃d humectat: humido quod exiccat. In similaribus siquidẽ res se habet hoc modo. In instrumentarijs autem, oportet in unoquoq; prædictorũ quatuor generũ, morbosæ immoderationi eousq; adhibere contrariam, donec ad moderationẽ, naturalemq́; statum peruentum fuerit. Vt, si (exempli gratia) caro plus quàm par sit, ulceri excreuerit, erodenda est. Sin autem nimis cauum sit ulcus, implendum. Similiter & in alijs faciundum. Considerandum autem in omnibus generibus est, tum habeamus facultatem, ea quę ex indicatione se offerũt, perficiendi.

*Morbi species curationem tantũ indicat.*

Siquidem morbi species, curationis tantùm modum indicat. Id autẽ fieri possit nec ne, haud item indicat. Etenim eorum omniũ quæ prosunt corpori, in causa est, cùm ipsa natura, tum etiam medicus. Quædam tamen medicus, quædam etiam natura præstare nequit.

*Natura quæ nequeat præstare, & quæ possit.*

Os nimirum ita perfractum, ut de suo loco partes decedant, membrumq́; distortum reddatur, haud potest natura corrigere aut conformare, sicuti potest medicus. Sed natura potest ulcus cauum implere: quemadmodũ quæ semicocta sunt, aut etiam cruda, concoquere: id quod negatũ est medico.

*Medicũ esse naturæ ministrũ.*

Quanq̃ ad hæc peragenda, medici ministerium naturæ potest ex usu esse, ut dum congruis medicamentis ulcus reddit purissimũ, &eis quę concoctione egent, ea offert quæ modicè calfaciant. Iam uerò natura ipsa, nonnulla etiam primùm à se confecta, denuò non ualet reficere: ut uenam, arteriam, ligamentũ, neruũ, & alia id genus.

*Naturã nihil ex ijs quæ à semine orta sunt, posse denuò reficere.*

Siquidem ob inopiam materiæ, nullum eorum natura reficere ualet, quæ ex semine suum ortum duxerunt. Igitur scopis ipsis à methodo medendi repertis, eos in particulares materias inducere oportet: ut deinde comprehendantur, quæ aut omnino, aut ex parte aliqua, aut aliquo etiam tempore, secundũ eam fieri possint, quęq; secus. Nec uerò est exigua huius artis portio, remediorum omniũ materias, tam similarium partium, quàm dissimilariũ morbis cõgruentium, adinuenire.

*Remediorũ uniuersum genus in quibus consistat*

Quorum uniuersum genus, in offerendis, efficiendis, euacuandis, & ijs præterea quæ extrinsecus accidunt, planè consistunt. Quę omnia, ubi artis constitutor adamussim persecutus, & consecutus fuerit, iam causas omnes salubres, ut nihil illi præterea ad artem medendi desit, absoluisse putãdus est: his omnibus redactis in capita duo, nempe corporũ cognitionẽ, quibus remedia offerenda sunt, atq; ipsam remediorum naturam. Verùm hoc mox illi quoq; supererit, ut sibi aliquam affectuũ omniũ dignoscendorum facultatẽ comparet, maximè uerò eorũ, qui partes in alto sitas occupant: quos exactè cognoscere, unà cum affectis particulis, haud fuerit obuij cuiusq;. Quocirca de his etiam aliquid impræsentiarũ dicendum.

*Rerum præter naturã esse tria genera.*
*Affectus.*
*Causa.*
*Symptomata.*

Tria sunt genera rerum præter naturã. Primũ, affectus qui lædũt naturales functiones. Secundum, horũ causæ. Tertium, symptomata. Sed causæ potissimũ appellantur, cùm agunt: quãuis ita nonnunq̃ dicant, quòd uim habeant agendi.

*Symptomatum differentia tres.*

Symptomatũ uerò genus in tres differentias digeritur: in actionis læsionem, in ea quæ corpori accidunt, & in excrementorũ exuperãtias.

*Affectum cognosci ex symptomatis.*

Quocirca omniũ symptomatũ existit causa ipse affectus: ob idq; meritò ex illis agnoscitur. Symptomatũ porrò nonnulla affectus ipsos necessariò cõcomitant. Alia nõ ex necessitate, sed aut sæpius, aut raro, aut æqualiter. Sicuti alia rursus, affectuũ differentias necessariò sequunt: quædam sæpe, alia raro, alia in ancipiti sunt.

*Pathognomonica.*

Ea itaq; symptomata, quæ morbos ex necessitate sequunt, quòd affectuũ in se cognitionẽ habeant, dicũtur Græcis pathognomonica, & pro morborum notis habenda sunt. Quæ uerò non necessariò, ea uel morbi differentiam, uel illius mores, uel magnitudinẽ indicãt. Vtrorunq; autem uim uno eodemq́; aperiamus exemplo.

*Pleuritidos symptomata.*

Costas succingens membrana teneat inflammatione: quẽ affectum necessariò sequentur tumor præter naturam, rubor, & dolor uelutipungens circa ipsas costas: quoniã est substantia affectæ partis membranea. Latè etiam uagabitur dolor, quòd ea ipsa membrana latè etiam diffunditur. Febrim quoq; tum ex ipsa phlegmone, tum ex uicinia cordis, sequi necessarium est. Quorũ si uel alterũ desit, iam non ex necessitate febris aderit. Nam si digitus inflãmatione laboret, aut costas cingens membrana * scirrho, œdematéue affligatur, nõ cõtinuò adorietur febris. Quin & spirandi difficultas incidet, quam affectus ipse producet, potius quàm læsa pars.

*Dolorem lateris exsoluere respirationis operam.*

Dolor nanq; respirationis operã (eius usu nondũ expleto) dissoluit: ut mox necessum sit alterã celerius illi succedere actionẽ, unde spiritus frequẽs & paruus redditur. Aderit etiã, præter eam quæ seiungi à febri nõ potest, & pulsuum quoq; alteratio, nempe durities tensioni iuncta: quia pars phlegmone obsessa, neruosa est. Cùm autem duplex sit ea tunica quæ costas uelat, si ea pars quæ exterius ossibus hæret, ualde aliquãdo laboret, facilius ęgri in latus decumbunt oppositũ. Nam si decumbant in læsum, cõpressio molestiam adfert. At si interior (quod frequentius contingit) uehementius dolent, si in oppositum latus reclinent, cùm nimirũ pensilis sic reddatur inflãmata particula. Quòd si utraq; membrana afficiatur, par in utroq; latere decubitus fuerit. Ad hæc, si inflammatio in supremis illius partibus excitetur, clauicula trahi deorsum uidetur. Si in infernis, dolor pręcordia pertingit. Quamobrem exigua inflammatio erit, & secundũ partes costarũ

mediae, si in neutram se inclinet partē.

*Effluxus ratio.*

Quòd uerò tenue quid, purulentumq́, ex inflammata effluat particula, cùm ex morbo ipso, tum ex parte læsa procedit. Suboritur etenim inflammatio ex humorum affluxu. Vbi igitur multus, tenuisq́ is humor fuerit, qui influit in inflammatam partem, atq; pars etiam ipsa est rarior, plurimum est quod effluit. E contrario autem, si fluxio fuerit tum exigua, tum crassa, corpusq́ præterea densum, minimū erit quod transfundetur: ac proinde excitabit tussim, ita ut nihil inde excernatur. Quemadmodū si copiosum fuerit, tussient plurimum, nec parum expuent.

*Pleuritim necessariò sequitur tussis.*

Hunc itaq; affectū semper ac necessariò sequitur tussis. Screatus autem post tussim, non semper: at maiori ex parte. Quod sputo reijcitur, necessum est semper esse infectum colore, non tamen perpetuò eodem, cùm nec excrementū in inflāmata particula semper sit eiusdem naturæ.

*Sputorum colores varij, ob varietatem humorum gignētium pleuritidem fiūt*

Etenim cùm sanguinolentum fuerit, biliosúmue (eiusmodi siquidem ferè semper ea fluxio est, quæ in pleuriticis phlegmonem gignit) à detento succo in inflammata particula, sputū colore inficitur: rubeo quidem, si sanguineū id fuerit: flauo autem, si biliosum. Cæterùm si pituitosus primùm fuerit is succus, qui & conclusus demū putrescat, ac deinde sit in causa fluxionis gignentis phlegmonē, tunc spumosa excreantur. Sed quandoq; cernitur screatus niger, dum biliosa, sanguinolentáue fluxio præassatur. Quare omnia hæc, cum partis affectæ, affectusq́ ipsius dignotione, etiam fluxionis indicant differentiam. Ex dictis igitur constat, pernecessariū esse ad affectus, lociq; affecti inuentionē, tum uniuscuiusq; affectæ partis substantiam, actionemq́, tum eiusdem cum uicinis consortium callere: necnon morborū & symptomatum genituras, adeoq́ morborū effectrices causas, prius inuestigasse.

*Atra bilis perniciosissimus succus*

Porrò in nuper proposito exemplo, perniciosissimus succus est atra bilis: omniū mitissimus, sanguis. Medium in simplicitate & malignitate reliqui duo obtinent. Ex symptomatibus autē, ut nihil omnino expuere, perniciosissimū est: ita screatus facilis, saluberrimus, præcipuè si concocta expuantur.

*Screatus qui saluberrimus.*

Pulsuum etiam symptomata morborū mores ostendunt: sicuti & quæ lege consortij accidunt, ut deliria, somni quidam inexpugnabiles, fastidia, urinæ, deiectionesq́ alui. Ex quibus omnibus erit petenda ratio cùm præsagiendi, tum cōmodè utendi remedijs.

*Præsagiorū virtus.*

Præsagia nanq;, & medicum ab omni mortis culpa reddunt immunem, & ægros ad obtemperandū faciles, occasionemq́ remediorum præmonstrant.

*Remediorū vsus aptus, est in arte præcipuum.*

At uerò quòd aptus remediorum usus, id sit, quod in arte est præcipuum, liquet.

*Excrementorū species.*

Iam excrementorū species, multorū notitiam adfert, cùm & corpus secum cōnexum habeat, è quo illa excerni uidemus.

*Locus per quem fit excretio.*

Locus autē per quem fit excretio, poterit certius nos ad affectas partes perducere. Nam si per inferiorem aluum, membraneum quid excernatur, ulcus indicabit in intestinis. Si per superna uomatur, in uentriculo. Si per tussim excreetur, abradi tunicas asperæ arteriæ, indicium erit. Sicuti si mingatur, uel uesicam, uel pudendi meatū. Sed non parū præterea ad rem faciet, ea quæ primario affectu, ab ijs quæ per consensum laborant, distinguere. In uniuersum autem maximè necessariū est ad cōmodum remediorū usum, partis, quam curaturi sumus, substantiam, figuramq́, & positum, accuratè cognoscere.

*Substantia partis quid indicet.*

Substantia enim affectus primos, qui in intemperie consistunt, quantū à naturali statu aberrarint, ostendit, quantumq; refrigerare, calfacere, humectare, aut exiccare oporteat.

*Figura partis quid indicet.*

Figura uerò, morbos qui ad ipsam spectāt, eorumq; magnitudinē indicat: necnon quousq; sit opus ad naturalem habitum per contraria reducere. Obstructiones autem ad hoc genus pertinent: quanq̄ habent aliquā cōmunionem cum illis indicationibus, quæ desumuntur à situ: de quibus iam agam, uno proposito exemplo.

*Obstructionem esse affectū partium instrumentariarum.*

Obstructiò affectus est partium instrumentariarū, qui præcipuè iecori solet negocium facessere. Nam uenæ quæ à portis oriūtur, per uniuersam huius uisceris partem cauam disseminatæ, tandem illis quæ in gibba sunt, per quædam oscula sensum effugientia applicātur. Vniuersum uerò alimentū, ex uentriculo in hunc unum locū, qui ob idipsum, quod nuper diximus, porta appellatus est, suggeritur.

*Porta vena cur sic dicatur.*

Quemadmodū enim in urbes nihil inuehi nisi per portas potest, ita ferri nihil potest in iecur, nisi in hunc prius locum feratur: unde in totam iecoris partem cauam demittitur: inde uerò, per eos quos diximus terminos, in ipsam gibbam. Quare nihil mirum uideatur, si uiscus hoc, & ob uiarum angustiam, & ob copiam pertranseuntis substantiæ, assiduè obstructionibus corripiatur.

*Iecur assiduè obstructiōibus corripi.*

Ei igitur curatio adhibenda est, prius quàm obstructiones excrescant, atq; accendaī febris, tum cibis, tum medicamentis attenuantibus administratis. Nam si auctæ illæ fuerint, euacuatione erit opus: quæ per quem locum molienda sit, membri figura & situs dictabunt.

*Iecoris partes cauæ gibbæq́, per quas regiões purganda.*

Quippe si quid iecoris cauo adhæreſcat, id per intestina detrahemus. Quæ autem in gibbo comprehenduntur, urinam cientibus euacuabimus.

*Pulmonis pectorisq́; excrementa expurganda per tussim.*

Eodem etiā modo, quæ in pulmone & pectore delitescunt, per tusses sunt expurganda: sicuti deducenda ad nares, quæ in cerebro sunt. Nec minus à membri figura & situ desumpta ratio est, sanandi phlegmone detentas particulas.

*Vena secanda ratio in fluxionibus quæ decūbunt ad coxam, vterū, thoracem pulmonē, caput, & collum.*

Siquidem fluxiones quæ decubuere in coxam, sectis uenis in poplite aut in talo, euacuamus: & eas pariter quæ in utero cōprehensæ sunt. Quæ in thorace aut pulmone, per cubiti interiorē uenam. Sicuti eas quæ in capite & collo, per humeralem.

*Vacuatio omniū optima quæ*

Ea quippe uacuatio facillimè & optimè fiet, quæ per uicinas uenas, & affines parti affectæ, fuerit administrata. Porrò & suam ex morbo habet indicationē, in halitum difflandū esse, quod in inflammatū locum defluxit.

*Situs variat auxiliorum particularium vsum.*

Situs tamē affectæ partis, uarium deinde insinuat particularium auxiliorum usum.

*Cutis summæ affectus, qualia remedia postulent*

Etenim quæcūq; in summa cute ortum habent, tale exposcunt difflatorium remedium, quale ipsa indicat inflammationis species.

*Profundarum partiū affectus qualia remedia postulent.*

At quæ in profundo, eò egent medicamentis acrioribus, quò magis ab exterioribus recessere: ut quandoq; cucurbitulis sit utendum, si sedem plurimū profundam habeant, quod tamen inflammationibus quæ in summa cute consistunt, quam aduersissimū est.

*Cucurbitulis vtendum in affectibus altè sitis.*

Nec minus etiam

situs

situs loci æstimandus est, quãdo astringente medicamento opus fuerit. Quia si medicamentum ipsum astringens potest eò peruenire, nil uetat quo minus ipsum administremus. Sin minus, cauendum tunc, ne humorem ex uicinis partibus in affectum locum pellamus. Quare uel aliquid admiscendum astringenti medicamento est, q̃d eò uirtutem illius perducat: uel ab illius usu in totum fuerit supersedendum. Ac de his quidem iam dicta sufficiant. Deinceps nonnihil de præsagio dicendum, cuius artem qui constituere uoluerit, is necesse habet prius examinasse, an sicuti cuilibet rei animatæ propriũ uitæ spacium cõstitutum est à natura, sic etiam omnibus morbis: ut nullo deinde pacto, si sit alicui illorum à natura constitutum bimestre tempus, possit is quatuor diebus absolui: an uerò & in longum protrahi, & celerrimè possit finiri. Vbi igitur excrementa in locum aliquem decubuerint, nec defluant amplius, si cuiusq; humoris naturam explorauerimus, facilè artificiali quadam cõiectura concoctionis rationem & tempus deprehendemus: modò cętera omnia rectè circa ægrotantem tractentur. Nam quicquid erroris fuerit in his commissum, erit profectò in causa, ut uel serius morbus soluatur, uel mors celerius aduentet. Quare tunc sanè præsagia sunt euentura, ubi & medicus pręstantissimus fuerit, & æger in nullo delinquat. Medicus igitur his duobus, morbo inquam & naturæ, ueluti colluctantibus, semper mentẽ intendit: ac dum discernit quodnam horum robustius sit, primùm quidem suum de salute hominis aut interitu, præsagium depromit. Dein uerò, quò alterum altero fortius esse nouit, eò & illius præfinitum tempus agnoscit. Vt enim celerrimè morbus soluendus est si uires sint ualidiores: sic citò mors aduẽtabit, si hæ imbecilles fuerint, morbus autem uehemens. Sed magnitudo excessus horum tempus indicabit. Naturæ robur ex proprijs illius actionibus cõprehendes, maximè uerò ex pulsu. Siquidem is, facultatis uitalis est opus. Morbi autem magnitudinẽ cognosces ex suis symptomatis. At quatenus alterum altero præualet, concoctio cruditasq; indicabit: quas subinde ex proprijs excrementis cognosces. Quæ enim in uentriculo conficiuntur, deiectiones cõmonstrant: quæ in uasis, urinæ: quæ in corpore uniuerso, sudores. Quo etiam modo & reliquæ concoctiones omnes se habent, quæ in una quapiã parte, aut pluribus absoluunt. Quibus omnibus cõmune est, nunquam morbum solui posse, nisi prius in excrementis, concoctionis signa cernantur. Nam ut concoctiones omnes celerem crisim, salutisq; securitatem indicant, sic cruda, & quæ in prauos uertuntur abscessus, uel nullam crisim, uel labores, uel tempus prolixum, uel mortes, uel recidiuas declarant. Ac iam mihi uidetur uniuersa medendi methodus (quæ formam tantùm, ac ueluti uniuersalem speciem totius negocij continet) ad finem suum peruenisse. Reliquũ autem nunc fuerit, ut modum aliquem, quo quis posset eos, qui à morbis sunt liberati, reficere: prospicere autem ijs, qui in morbos procliues sunt: ac eos denique, qui inculpata fruuntur corporis ualetudine conseruare, doceamus. Ergo ex symptomatibus, quæ medium inter ea quæ sanis insunt, & ea quæ eueniũt ægris, seruant, deprehenditur ipsa in morbos procliuitas. Affectiones uerò quæ talem procliuitatẽ gignunt, per contraria sunt corrigendæ: si tamen hæc res summatim tractanda est: nam si transigenda particulatim, omne exuberans est uacuandũ: sic ut prius sit distinguenda exuberandi ratio, quantitatè ne an qualitate, aut utraque etiam ratione exuberet. Ac deinde, quod potest iterũ ad naturalem statum redire, sic per contraria alteretur, ut quod crassum lentumq; est, tenue fiat: quod tenue, crassius reddatur: ambo uerò pariter concoquantur: obstructiones præterea aperiantur: quæ toto genere existunt præter naturam, quemadmodũ uenena animaliũ, tum alterentur, tum euacuentur. Alteratio autem per contraria fiat, quæ uel tota substantia aduersantur, uel altera, uel utraq; qualitate. At euacuatio, per ea quę trahendi uim habẽt. Cæterũ hæc omnia quibus sint peragenda remedijs, ab ipsis morbis petendum est. Quin si omnes pariter humores accreuerint, præcipua ipsorum uacuatio erit per sectam uenam. Deinde uerò per frictiones, per exercitia, per balneas, per inediam. Nec alia etiam erit uacuãdi ratio, cùm solus sanguis excesserit. Vbi autẽ flauæ uel atræ bilis succus, uel serosus humor cõtineatur in primis uenis, purgandi tales humores sunt ijs, quæ aluum cõmoueant. Si in alijs tenuia & aquosa excrementa fuerint, per urinam: si biliosiora, per purgatoria. Possunt tamen & tenuia etiam alui deiectione purgari. Sed quæ totum corporis habitum occupauerint, cùm tenuia fuerint, aut sudore, aut medicamentis, quæ cuti applicita, uim exiccandi habent: cùm uerò biliosa, primùm quidem purgatione egent, mox euacuatione per cutim. At cùm pituitosus succus exuberarit, si salsus sit, est purgandus. Si * acidus, experiundum an possimus eum alterare: & longè etiam magis si dulcis fuerit, erit enim is cõcoctu facilior. Porrò ad concoctionem conducit quies, calfactio modica, cibi parcus usus, boni tamen succi, potus uini parũ calfacientis, moderata frictio, mediocris usus calidarum aquarum, insuperq; cibi atq; medicamẽta moderatè calfacientia. Obstructiones reserant quæcunq; uel esculenta, uel medicamenta attenuantia. In quibus autem nulla causa, nullusq; affectus præter naturam est, sed cum gracilitate, sola imbecillitas uirium, ij facilè in naturalem habitũ reducentur, si moderatis cibis & motionibus reficiantur. At materias quibus hi alendi instaurandiq; sint, in opere de sanitate tuenda explicuimus. Ne tamen deesse aliquid huic sermoni uideat, non modò ipsius analeptices, sed uniuersi etiam salubris negocij methodus, hoc quoq; loco repetenda est. Si solum hoc eueniret corpori, ut in halitus difflaretur, & subinde inaniretur, cibus potusq; defectũ illum sarcire posset. Quia uerò humorũ copia, prauaq; excrementa gignuntur, egemus exercitationibus. quarum nimirũ est munus, superfluum succum uacuare, excrementa uerò cõcoquere & expurgare: si tamẽ causæ omnes uitentur, à quibus solet uitiari sanitas, refrigeratio inquam, æstus,

*Astringentium usus quando uitandus.*

*Animatis omnibus proprium uitæ spacium constitutum esse à natura.*

*Errores circa ægrũ admissi producunt morbũ, uel etiam mortem accersunt.*

*Præsagia quando euentura.*

*Medicus intentus naturæ & morbo.*

*Robur naturæ cognosces ex proprijs illius actionibus, ac maximè ex pulsu.*

*Morbi magnitudinẽ cognosces ex suis symptomatis.*

*Concoctio quid indicet.*

*Cruditas quid indicet.*

*Deiectiones.*

*Vrina.*

*Sudores.*

*Morbũ nunquã solui, nisi concoctionis signa in excrementis præcesserint.*

*Concoctiones quid indicent.*

*Cruditates quid indicent.*

*Procliuitas in morbos unde deprehendatur.*

*Exuberans omne uacuandum esse.*

*Tenues succos esse incrassandos, ut cõcoquantur: crassos autem tenuandos.*

*Venena alteranda & uacuanda esse.*

*Alterationẽ per cõtraria moliendam.*

*Vacuatio fiat per trahentia.*

*Sectione uenæ cõmodissimè uacuari plethorã.*

*Purgatio quibus debeatur humoribus, qualisq;.*

*Pituita dulcis est cõcoctu facilior.*

*Cõcoctioni quæ conducant.*

*Obstructiones aperientia.*

*Analeptice.*

*Exercitiorum usus.*

*Sanitatem uitiantia.*

*Autumnus ad siccius declinat.*

speri: nec in humido & sicco omnino medium statum obtinet, quemadmodum ver, sed ad siccius declinat. Idcirco patêre arbitror, nec autumnum absoluto sermone, & citra exceptionem, frigidum & siccum dicendum esse: sicuti neque ver calidum atq; humidum. Ego siquidem, tantùm abest ut uer, aut si quid aliud est temperatum, calidum & humidum esse credam, ut quod planè contrarium est, id affirmem, omnium scilicet aëris temperamentorū id pessimum esse, quod humidum est & calidum. Quod sanè temperamentum in quatuor anni temporibus inuenire non possis: quamuis id in pestilenti aëris constitutione incidere aliquando uideatur, quemadmodū Hippocrates olim contigisse in Cranone memorat, ubi nimirum assiduè per æstum largo imbri pluerat (quod calidi humidiq; status est proprium) quam intemperiem aëris comitati sunt uarij & grauissimi affectus, hauddubiè diræ putredinis soboles. Nam ut à frigido & sicco omnia incorrupta seruantur, sic à calido & humido facilimè cõputrescunt. Boreæ etenim flatus siccus & frigidus, omnia q̃ diutissimè imputria cõseruat. Austrinus autem flatus, qui calidus & humidus est, illa subitò ad corruptionem perducit. Ver itaq; haudquaq̃ calidum & humidum pronunciamus, cùm nec tale sit, nec si esset, utiq; salubre esset, aut sanitati accõmodum. At quatuor qualitatum mistionis æqualitas, & mediæ temperaturæ eius, & salubritatis est causa. Perperàm etiam faciunt, dum ætatum temperamenta, ad quatuor anni tempora transferunt, quum non idem sit, aut similiter dicatur animalis temperies calida & humida, sicuti aëris temperamentum calidum & humidum dicitur. Qui error inde illis uidetur ortus, quòd nõ meminerint, animantia ueteribus pronunciata fuisse calida & humida, nõ propriæ temperaturæ ratione, nec sermone absoluto, sed ad stirpes, & demortua, collata. Quippe demortuis & stirpibus, animantia calidiora humidioraq; sunt. Quinetiam ex animãtibus ipsis inter se speciatim collatis, canis quidẽ est siccior, homo autem humidior. At si formicæ, uel api ipsum canem compares, illas sicciores, hunc humidiorem inuenies. Ita idem animans, præut homo, siccum: præut apicula, humidum fuerit. Rursus ad hominem collatum, calidum: ad leonem, frigidum erit. Calidus etiam est canis, ut uiuens (cùm mortuus non amplius calidus sit) nõ calidus autem, si ad alterum comparetur canem. Atq; hæc quidem omnia per collationẽ inter se dicuntur. Quæ uerò in animantium genere conferuntur, alia ratione: sicuti etiam quæcunq; in aliqua animalium specie. Canis namq; ad formicam est humidus: in animantium genere est siccus. Rursus, ipsorum speciatim canum, hic siccus, ille humidus, alius (ut fas est cani) temperatus existit. Quod ergo absoluto sermone, nec ad aliud ullum collatum, uocatur siccum, id in solis est elementis: similiterq; de cæteris qualitatibus est sentiendum. Nullum enim cæterorum corporum, prorsus calidum aut frigidum est, sed sola elementa. Quicquid præter hæc ceperis, ex his mistis constat. Ac propterea per secundam significationem, non amplius absoluta ratione, ueluti syncerum & à mistione alienum, reliquorū quoduis calidum aut frigidum dicitur. Ac duo quidem significata calidi, frigidi, humidi & sicci, hæc sunt: alterū, absoluto sermone loquentium, mistura carens atq; syncerū: alterum contrarijs quidem mistis constans, cæterùm ex pollentis in mistura nomine appellatum. Quo genere sanguis humidus dicitur, sicuti & os siccum. Formica uerò sicca est, & uermis humidus: scilicet ut sunt animalia. Dicitur porrò unumquodq; secundum genus, uel speciem, non modò calidum esse, aut frigidum, sed alijs etiam qualitatibus præditum, cùm supra mediocre atq; medium fuerit. Verbi gratia, animal dicitur calidum, cùm supra mediū temperie sit animal. Equus calidus, cùm supra medium temperie equum fuerit. At uerò in quoque genere speciéue sunt media, quę à summis in eo genere, speciéue, finibus æqualiter distant. Ac genus quidem est animal, species equus & canis. Medium temperie in toto animalium genere, est homo. Medium uerò ut in hominum specie, quem Græci eusarcon, hoc est, quadratum appellant, ab omni excessu, defectúue remotus. Quisquis igitur supra hunc fuerit, is aut prorsus calidior, aut frigidior, aut humidior, aut siccior erit: idq; partim absoluto sermone, quia minimè uni alicui priuatim collatus dicitur talis: partim non absoluto, quòd symmetro & medio totius speciei comparetur. Ergo unumquodq; horū quæ talia sunt, aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum tripliciter dicimus. Nempe aut comparantes id cuilibet particulari indiuiduo: aut cum uniuscuiusq; tum generis, tum speciei medio id conferentes: uel deniq; summū atq; impermistum ipsum esse æstimantes, id quod sanè ad sola pertinet elementa. Quare ad tractationẽ de temperamẽtis illi duo primi modi nobis tantùm sunt necessarij. Quoniã autem multa genera sunt, quemadmodū & indiuidua, ad quæ cõparare possumus, poterit idem corpus multis modis, calidum, frigidum, humidū, atq; siccum existere, simulq; suscipere uarias appellationes. Verū ubi stirpem animánsue ullum, eucraton, siue optimè temperatū dicimus, nequaq̃ in ea dictione, simpliciter contraria inter se cõparamus: sed ad naturam uel animalis, uel stirpis referimus, cùm eorum quodq; pro sua natura optimè sese habeat, optiméq; suas obeat functiones. Sic enim dicimus animalia ipsa & stirpes optimã & mediam habere suo in genere temperaturã, non utiq; absoluto sermone, ac si paritas exquisita cõtrariorum in ijs reperiatur, sed quòd ea mediocritas, quę ad potestatẽ refertur, eis adsit. Ac tale quid etiam dicimus esse & iustitiã, nõ quæ mensura & pondere, sed quæ eo quod pro dignitate conuenit, æqualitatem explorat. Est ergo temperatura æqualitas, in omnibus animalibus temperatis, stirpibusq;, non ea quę ex pari elementorum commistorum mole spectatur, sed quę tum animalis, tum stirpis naturæ conuenit. Conuenit autem aliàs, ut humidum sicco, & frigidum calido præponderet. Itaq; ad interrogantem, cuius temperamenti sit homo: si quidẽ ut in animalibus interrogatio fiat, ad id q̃d medio est inter

*Ver non esse dicẽdum calidum & humidum.*

*Temperiem aëris calidam atq; humidam, esse omnium aliarū pessimam, nec reperiri posse in quatuor anni temporibus.*

*Incorrupta seruari à frigido et sicco omnia, putrescere à calido & humido.*

*Boream seruare imputria uniuersa.*

*Austrinum flatū putrefacere singula.*

*Ver temperatū, & saluberrimū.*

*Animantia dicta esse calida & humida non absolutè, sed collata ad stirpes.*

*Canis siccior homine.*

*Canis humidior formicis & apibus.*

*Temperamentorum collationes diuersa.*

*Elementa sola dici absolutè calida, aut humida, aut frigida, aut sicca.*

*Media in quoque genere, uel specie, quæ dicãtur.*

*Homo est mediū in toto animalium genere.*

*Temperatura corporum quotuplicitèr assumãtur.*

*Temperatura ad iustitiam.*

*Iustitia quid.*

animalia omnia temperamento respicientes, respondere oportet. Si uerò facta collatione cum indiuiduo aliquo, utiq; ad illud solum conferendo, tunc respondendum est. Si absolutè, atque ut ad omnem substantiam, sic iam contraria quæ sunt in eo comparare oportet, atque æstimare, haudquaq; ad actionem referentes temperiem, sed potius ad elementorum portiones, hoc est, ad substantiam quandam, quæ pariter ab extremis distet, quæ prima omniũ sunt elementa. Siquidem quæ supra citràue hanc substantiã temperies fuerit, eam simpliciter calidam, frigidam, humidã, siccámue asseremus. Vbi uerò cum medio temperamento conserimus, nõ simpliciter, sed quod ad mediocre eiusdem generis sic se habet. Porrò generum omniũ supremum substantia est, sub qua quidem tam animata, quàm inanimata continentur. Vltima autem genera, supernè descendentibus nobis, sunt, homo, cornus & ficus, eorũ species dicuntur. Infernè uerò ascendentibus, scilicet ab indiuiduis substantijs, eadem sunt prima genera: indicatumq; alio opere est, meritò omnia quæ media sunt, inter indiuidua & genera prima, tum genera, tum species à ueteribus nominari. Iam uerò, quemadmodũ nomen albi, tum de colore albo, tum de corpore, quod ipsum colorem suscipit, enunciatur: sic etiam calidi nomen, non solùm de substantia calore prędita, sed de ipsa etiam caliditate dicetur. Dicitur itaq; ipsa caliditas calidum: sicuti & corpus ipsum, quod tamen nunquam caliditas appellabitur: in cæterisq; similiter qualitatibus eadem ratio est habenda. Quæ corpora igitur has qualitates quatuor, caliditatem inquam, frigiditatem, humiditatem & siccitatem, puras & impermistas sortiuntur, absolutè dicuntur talia, elementaq; genitorum & pereuntium existunt. Reliqua uerò uniuersa corpora, in illorum medio sunt collocata, cùm non sint summis qualitatibus prædita, sed prorsus aut in medio contrariorum consistant, aut ad alterum extremorũ sint procliuia & propensa. Idcirco nouem in uniuersum temperamentorũ differentiæ exoriuntur. Quarũ una quidẽ temperata est & media, octo uerò nõ temperatæ. Harum rursus, quatuor simplices sunt, calida, frigida, humida & sicca: quatuor uerò composite, calida & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca. Temperatã enim dicimus esse, in qua illæ quatuor qualitates ad æquilibrium miscentur. Non temperatam autem, in qua una aut duæ qualitates præpollent. At calidam temperaturam pronuncio, in qua calor uincit ipsam frigiditatem alterius oppositionis, quę in humido & sicco est, interim paritate seruata. Similiterq; in frigida, humida & sicca temperie simplici iudicandum. Cæterùm calidam & humidam eam temperaturam censemus, in qua frigiditatem caliditas, siccitatem humiditas superat. Nec secus calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca temperies sunt æstimandæ. In qualibet autem dictarum temperaturarum permagnus est excessus, defectusq; modus. Idcirco, si cui agnoscendarũ illarum est cura, incipiat exercitationem ab ijs naturis in quo libet genere oportet, quæ temperatæ mediæq;

*Substantiã esse generum omniũ supremum.*

*Genera ultima dici species.*

*Elementa quæ sint.*

*Temperamentorum differentia nouem.*

*Temperata temperies.*

*Temperies nõ tẽperata quæ.*

sunt: quandoquidem si cum his alias comparet, facilè quod in quauis superet, deficiatue, inueneerit. Cùm igitur temperies calida, alia quidem actu, alia potestate dicatur, quòd uidelicet nondum sit, sed possit esse quod dicitur: differamus primùm de ijs, quæ calida, frigida, humida, aut sicca esse actu dicuntur, idq; auspicati ab uniuersa substantia, mox descensuri ad animalia & stirpes. Cùm autem quod in omni genere, maximeq; in uniuersa substantia est mediũ, id ex mistione extremorum conflетur, certè si à calidissimo igni, aut aqua feruenti, ad frigidissimam glaciem transeamus, in ipso exquisitissimo medio, id quod symmetron est, intellectu deprehendemus. Quinetiam id nobis præparare licebit, miscentibus aquæ feruenti parem modum glaciei. Quod enim ex ambobus est mistum, pari interuallo ab utroq; extremorum aberit. Quare non erit difficile, ei qui tale mistum tetigerit, habere medium uniuersæ substantiæ, in calidi & frigidi oppositione: atque alia omnia, illi ueluti formæ adaptata, discernere. Quòd si terram etiam pari aquę modo imbueris, medium in sicci humidiq; oppositione feceris. Quanquam hæ non mistiones uerę, sed tantùm particularum appositiones sunt. Siquidẽ miscere corpora tota per tota, non hominis, sed Dei & naturæ est opus. Iam uerò corpus de quo iudicandum est, mediocriter calens esto: nam interdum nimio calore liquatur adeò, ut humoris falsam imaginem præ se ferat. Sicuti interdum etiam adeò cogitur frigore, ut siccius quàm sit mediocre, nobis esse uideatur. Porrò ipsa hominis temperatissimi cutis, ac præcipue quę in manu est, omnium extremorum est media: suitq; sic temperata à natura, quòd sensibilium omnium esset ueluti norma quædam, tactusq; instrumentũ futura. Ex dictis igitur constat, inter omnia quidem corpora, hominẽ esse temperatissimũ: inter omnes autem humanas particulas, cutim eam, quæ intra manũ habetur, si modò nullũ callum cõtraxerit. Qua quidẽ quę sunt duriores particulæ, in his omnibus siccum præualet: quæcunq; uerò molliores, in ijs humidi plus est quàm sicci. Cæterũ homo temperatissimus, qui tum hominũ, tum reliquorũ animalium futurus est regula, cum uniuersa substantia collatus, medius apparere in ea debet: magisq; eum hominibus atque bestijs. Dein uerò sapientissimus sit oportet, habeatq; actiones corporeas consentientes animi moribus: action solùm mediam temperaturã, sed optimam etiam formationem sortiatur. Quod uerò ad manus pertinet, quum ex gemini usus gratia sint factæ, nempe tangendi atque comprehendendi: utique illæ quæ molles sunt, ad exquisitius tangendum, ut duræ ad aliquid ui maiori capiendum, magis idoneæ existunt. Quinetiam cutis, quæ uniuersæ, quæ generationi corruptioniq; subijcitur, substantiæ est media, nec dura lapideáue est, sed ab omni exuberantia remota, atque omnino secũdum naturam se habens. Quo scilicet cutis genere maximè perfectum esse tactum censemus. Etenim neruus omnis est exanguis & frigidus. Caro multi sanguinis, atque calida. Media inter utrunque est cutis: nec planè exanguis

*Temperiem calidam dici uel actu, uel potestate.*

*Medium in uniuersa substãtia.*

*Mistionem exquisitam, solius Dei, atq; naturæ esse opus.*

*Cutim volæ manus in homine tẽperato esse extremorũ mediã.*

*Cutim esse instrumentum tactus.*

*Hominem esse omniũ corporũ temperatissimũ.*

*Hominem qui futurus sit animalium omniũ regula, qualem nã esse oporteat.*

*Manus tangendi atq; apprehẽdendi gratia esse factas.*

*Manus molles.*

*Manus duræ.*

*Cutis media qualis nam esse debeat.*

*Neruũ omnem esse exanguem, & frigidum.*

*Carnẽ esse multi sanguinis, calidamq;.*

exanguis ut neruus, nec sanguine abundans ut caro, sed ueluti neruus sanguine præditus. Si igitur hanc omniũ animalium partium, ueluti normam iudicemq́ proponens, reliqua illi cõferas, octo in uniuersum diuersas intemperies reperies: de quibus membratim disseram. Humidissimum frigidissimumq́ in corpore pituita est. Calidissimũ, sanguis: non tamen perinde is humidus est ut pituita. Frigidissimũ est ac siccissimũ, pilus. Minus eo & frigidum & siccum, os. Hoc uerò minus siccum est cartilago. Proximè hanc sequitur chondrosyndesmos. Post hunc tendo. Deinceps membrana, & arteria, & uena. Succedunt dein nerui duri: molles quippe in humiditate & siccitate mediam naturam, sicuti cutis, obtinent. Nam in altera oppositione tantùm caloris desiderant, quantùm sanguinis. Ita uerò & reliqua prius dicta, tantò sunt frigidiora cute, quãtò minus habent sanguinis. Etiam uasorũ tunicæ nõ solùm exangues sunt, sed etiam naturæ frigidæ: contactu tamen sanguinis calfiunt, atque ad mediũ temperamenti statum deueniunt.

*Intemperies collata ad cutim octo.*
*Pituita.*
*Sanguis.*
*Pilus.*
*Os.*
*Cartilago.*
*Chondrosyndesmus.*
*Tendo.*
*Membrana.*
*Arteria.*
*Vena.*
*Nerui.*

Sanguis uerò ipse à corde suum calorem accipit. Id uiscus siquidem tum omnium animalis particularum maximè sanguineum, tum uerò calidissimum est. Proximũ illi est iecur. Verùm cor, paulò minus quàm cutis est durum: iecur multò. At caro humidior cute est: eadem tamen calidior. Spinalis autẽ medulla cute est humidior, atq́ frigidior: sicuti hac rursus humidius est cerebrum. Cerebro autẽ ipso adeps: cui cõcretio cõtingit, propterea quòd oleosa cùm sit, membranis frigidis adiacet, ob quarũ uiciniam cogitur. At nec circa iecur coire adeps potest, nec circa arterias, uenas, aut cor: sicuti nec circa ullam aliam præcalidam partem. Quoniã autẽ cogitur ab eo quod ualde est frigidum, idcirco calfacta liquatur, cæterorũ coagulatorũ more. At cerebrum calfactũ liquatur minimè: eoq́ adipe minus est humidũ. Minus humida quàm adeps est ipsa etiam pulmonum caro, quæ ne calfacta quidem liquatur. Iam longè etiam quàm hæc adipe minus humida est tum lienis, tum renum caro. Omnia tamẽ hæc cute sunt humidiora. Quarũ rerum demonstrationes proximo commentario trademus.

*Sanguinem à corde suum calorem accipere.*
*Cor omniũ particularum tum maximè sanguineum, tum calidissimum esse.*
*Hepar.*
*Caro.*
*Spinalis medulla.*
*Cerebrum.*
*Adeps quo pacto gignatur, et quibus hæreat partibus.*
*Pulmonis caro.*
*Lienis caro.*
*Renum caro.*

## GALENI PERGAMENI
### *de temperamentis lib. II.*

ERgo quot sint in uniuersum temperamenta, quotq́ modis unumquodq́ illorũ dicatur, in proximo definitũ est libro. Vbi à nobis etiam est traditũ, animal ipsum minimè quidem absoluto sermone calidum & humidũ dici, quòd in eo scilicet humiditas aut calor exuperet (sic enim liceret inuenire animalia sicca, frigidaq́ cõplura, ueluti culices, muscas, apes, formicasq́) sed tantũ ad demortua collatum. Monstratumq́ similiter est, cutem uolæ manus, in homine qui optima temperatura sit præditus, esse temperatissimam, totiusq́ medium substantiæ. Est autem plurima in hominibus differẽtia. Verùm maximè temperatus is est, qui corporis habitu medius horum extremorũ uidetur, gracilitatis nẽpe, crassitudinis, mollitiei, duritiei, itemq́ caloris & frigoris (nam interdũ in animali sanguine prædito & humido, frigiditatẽ quandam pollentem reperias) quiq́ etiam liber cùm sit ab immodicis animi affectibus, omnes tam naturales quàm animales actiones & facultates habet inculpatissimas. Idem medius oportet sit inter somnolentum atq́ peruigilem, inter glabrũ & hirtum, inter nigrum & candidum: pilosq́ habeat cùm puer est, magis rufos, quàm nigros: cùm in flore consistit, contrà.

*Animalia frigida quæ.*
*Animalia dici calida et humida, non simpliciter, sed ad demortua collata.*
*Cutim volæ esse medium totius substantiæ.*
*Hominis temperatissimi nota.*

Cæterũ quandoquidem se nobis occasio iam obtulit, de ætatibus nonnihil dicendum est. Prima constitutio animalis recens formati in utero, ex semine & sanguine est: qui humores calidi sunt & humidi. His autẽ magis semper siccescẽtibus, primũ quidem formantur membranæ, tunicæ, nerui, uisceraq́, & sanguinis uasa, nempe illorum substantia tensa. Vltimò uerò perficiuntur ossa, ungues, & cartilagines, scilicet substantia ipsorum cõcreta. Quibus perfectis in utero, ita deinde paritur infans, adeò tamen mollis & humidus omnibus partibus suis, ut omnia ipsius membra nutrices, perinde ac si cerea sint, pro arbitrio forment & fingant.

*Formationem primam animalis constare ex semine, & sanguine menstruo.*
*Partes quæ citius, quæ posterius formẽtur utero.*

Idcirco nuper nati animalis corpus, maximè si suillum, ouillúmue id sit, propter redundantem in eo humorem, libens non comedas. Nam caprillum, quòd siccius sit, & melius esui est, & iucundius. Contrà uerò quàm in nouellis porcellis, quæcunq́ iam contenuerunt, hæc omnes partes præsiccas rigidasq́, & sine succo possident. Quæ medio statu horum, ac nuper natorũ sunt, ea quantùm à senio absunt, tantùm & ab extrema sunt siccitate remota. Quæ minora sunt, atq́ adhuc augescunt, tantùm ea quoq́ absunt ab humore fœtus delitescentis utero, quantũ processerũt ætate.

*Recens edita animalium corpora esui inepta existere.*
*Capreolorum carnes laudantur.*

Florescens uerò ætas omniũ animalium, maximè in medio extremorũ est. Porrò senes naturali particularũ temperamento sunt sicci, licet copia excrementorũ humidi esse dicantur. Siquidem cùm particulæ senilium corporũ per caloris imbecillitatem similiter nutriri non possint (qua ratione dicuntur siccæ) foris illis copia humidi excrementi redundat, & superfluitat. His itaque siccus est senex, quibus scilicet puer est humidus: ipsis nimirum solidis corporis partibus.

*Aetatem florentem esse in medio extremorũ.*
*Senes esse naturali temperie siccos, humidos excrementorum copia.*

Quòd igitur siccissima ætatum senilis sit, ex iam dictis constat. Quòd autem & frigidissima, ex tactu ipso, ex liuore qui uidetur in senibus, ex frigidis morbis, quibus facilè corripiuntur, ac deniq́ ex imbecillitate naturalium functionũ, facilè etiam quis iudicauerit. Et quid quæso aliud est senium, quàm uia ad interitum? Si enim mors, naturalis caloris extinctio est, utique senium ueluti tabes quædam eius fuerit.

*Senilem ætatẽ esse siccissimam aliarum, & frigidissimam.*
*Senium esse ad interitum viã.*
*Mortem esse extinctionem naturalis caloris.*

At uerò de puerorũ & florentium ætate, utra nam sit calidior, maxima inter medicos digladiatio est. Qui quidem omnes perperàm mihi uident facere, dum sensibilium rerum cognitionem, laborioso cõsequi ratiocinio moliunt. Nam cùm eorũ quæ actu calida sunt, alius esse iudex quàm tactus nullus possit, sanè si multos uiros, tum senes, tum adolescentes, tum pueros, tum infantes tetigerint, inuenient facilè, qui magis, minúsue calidi sint. Ego siquidem, quod actu calidum est, tactu iudico: sicuti & quod potestate calidum iudicatur, id ratione conor inuestigare.

*Tactum solum esse iudicem eorum quæ actu calida sunt.*
*Potestate calidũ inuestigari ratione.*

Calidum itaq; quod in ætatibus cognoſcere cupimus, primùm & maximè tactu dijudicemus. Fiet autẽ optimũ iudiciũ in alicuius infantis corpore. Poteſt nanq;, & qualis calor illi ante biennium fuerit, in memoria reponi: & qualis nunc ſit, poſt duos fortè uel tres interpoſitos annos. Nam ſi mutatio om̃ino ulla ad calidũ frigidúmue infanti facta uidebitur, nullũ præterea negocium erit, quí uſq; ad florentem ætatem exceſſus futurus ſit, colligere.

*Aetatum calores qua methodo dignoſcendi.*

Quòd ſi plures puellos pluribus cõferre ætate florentibus uelis, ſimiles per omnia, & natura, & educatione, ſuis ſimilibus cõferes, ita ut reliqua omnia, quantũ fieri poteſt, ſint paria, una tantũ ætate excepta. Siquidem in cõtrarijs naturis diſquirere differentiam ætatũ, citra maximã impoſturam nõ licet. Quare te his iam inſtructum, ceu rectè iudicaturũ, ad ipſam experientiam remitto. Quippe ſi reliquis omnibus quæ extrinſecus adueniunt alterationibus circuncisis, eas quæ ex ſola ætate proueniũt differentias perpenderis, nec puer iuuene, ſicuti nec iuuenis puero, abſolutè uidebitur eſſe tibi calidior, cùm nimirum eorum calores differant qualitate quadam, quæ ex imparitate difflatus gignitur.

*Puerorum iuuenumq; calorem differre inter ſe qualitate tantùm.*

*Puerorum calor mitis.*

*Florentium calor acris.*

Eſt enim puerorũ calor magis halituoſus atq; copioſus, tangentiq; blandior. Florentium uerò calor ſubacre quiddam habet, atq; inſuaue. Quæ differentia occurſus adducit plures ut credant, florentiũ corpus eſſe longè calidius. Res uerò ſecus ſe habet. Nam quemadmodum aër, aut etiam lapis, aliquando pari calore cum aqua eſſe poteſt, nullum eò faciente diſcrimen, quòd lapis ſiccus ſit, aqua humida: ſic nimirũ caloris æqualitas in pueris, florentibusq; inuenietur, etiã ſi alter in humida, alter in ſubſtantia ſicca repræſentet. Qua ratione in pueris magis halituoſus, & multus, & ſuauis: in florentibus uerò exiguus & aridus, nec ſimiliter ſuauis occurſus caloris exiſtit. Siquidem puerorũ ſubſtantiæ, utpote humidæ, multũ foras effluit: florentium ſubſtantiæ parũ, utpote ſiccæ. Itaq; neuter eorũ ſimpliciter uidetur calidior, ſed alter multitudine eius quod difflatur, alter acrimonia. Quippe inſiti caloris, eiusq; blandioris, plus habet puer, quàm florens ætate, à quo quidẽ acrimonia caloris uincitur.

*Tactus quorum ſit iudex.*

*Sicca omnia eſſe dura.*

*Dura quæ ſunt, nõ neceſſariò eſſe ſicca.*

Ergo calidi frigidiq; corporis ſolus tactus eſt iudex: humidi autem & ſicci, unà cum tactu ipſa ratio. Siquidẽ quod ſiccũ eſt, durum prorſus eſt: nõ tamen ſi quid durũ eſt, idem ſtatim & ſiccum erit, niſi mediocriter exiſtat calidum. Nam & quod à frigore concretũ eſt, durũ cernitur, ſicuti glacies.

*Molle cum mediocri calore eſſe humidum.*

Quare nec ſi quid cum uehemẽti calore ſit molle, idem ſtatim eſt humidũ: uerùm cùm mediocriter eſt calidũ, tum æſtimare durúm ne, an molle ſit, oportet. Si enim molle ſit, humidum eſt: ſi durum, ſiccũ. Quæ quidem ſi ſic ſe habent, partiũ quæ in humano corpore duræ ſunt, nulla eſt humida. Neq; enim tanta in eo eſſe frigiditas poteſt, ut aliquid in ipſo cõereſcere in duritiem queat. Poteſt tamẽ quod prius fuit fluxile, aliquando cõereſcere, ut adeps: at durum, ne ſic quidem euaſerit. Cõmodè igitur dictum ueteribus eſt, humidiſsimã eſſe adipem.

*Carnis plures ſpecies.*

Secundo poſt eam loco, carnoſum genus. Eius plures ſunt ſpecies. Prima quidem, quæ propriè caro appellatur, quã ſcilicet nuſquam in corpore per ſe ſolam inuenies, ſed eſt perpetuò muſculi pars.

*Carnẽ nuſquã per ſe reperiri.*

Dein cuiuſq; uiſcerum propria ſubſtantia eſt, cui ipſorum tota actio tribuitur. Porrò cerebri pulmonisq; corpus, proximum adipi eſt, humiditatis ratione. Propinquam habet naturam his, oſsium medulla: nõ eſt tamen eiuſdem generis cum ipſo cerebro, neq; etiam cum ſpinali medulla. Hac cerebrum calidius eſt, & humidius, eoq; mollius. Cuius anteriores partes tantò humidiores ſunt, quantò molliores. Omnia tamẽ hæc cute humidiora & frigidiora exiſtũt: ac breuiter, omne exangue, frigidius eſt ſanguine prædito.

*Exanguia omnia frigidiora ſunt ſanguine prædit.*

Proxima cuti eſt mollium neruorum natura. Duriores autẽ in humido & ſicco, ſecundum cutis naturam ſe habẽt. At calore ab eius natura tantùm abſunt, quantũ conſentiens eſt exangue corpus à ſanguine prædito abeſſe. Lienis autem, renum, & iecinoris caro, tantò cute eſt humidior, quantò eſt mollior: calidior uerò, quantò magis abundat ſanguine. Iam cordis caro ijs omnibus tantò eſt ſiccior, quãtò durior: calidior autem nõ modò his, ſed etiam omnibus abſolutè corporis partibus.

*Cordis caro calidior uniuerſis corporis partib.*

At iecoris, lienis, renum, pulmonisq; caro, ſimplicis cuiuſdam naturæ eſt, circa cuiuſq; uiſceris uenas, arterias, & neruos creſcens. Cordis ſimplex carnis natura non eſt, ſed ſunt in eo fibræ, quales in muſculis cernimus, quibus caro circumhæret. Atq; hæ quidem carnes cute ſunt calidiores: fibræ uerò q̃ cutis, partim paulò magis, partim paulò minus, tum frigidæ ſunt, tum ſiccæ, partim ſimiles omnino cutis ſubſtantiæ.

*Fibra.*

*Membranæ.*

Porrò omnes membranæ cute ſunt ſicciores: ligamentaq; ipſa, quãtò cute duriora ſunt, tantò etiã ſicciora.

*Tendones.*

*Cartilago.*

Tendones quoq; longè duriores ſunt cute. Cartilago uerò poſt ligamentum eſt: ac deinceps mediũ quoddam inter ea corpus, quod νευροχονδρώδη σύνδεσμον quidam anatomici appellant, ac ſi dixeris ligamentum cartilagineũ.

*Chondroſyndeſmos.*

*Os.*

Os uerò omniũ quæ cutis operit, duriſsimum eſt.

*Pilus.*

At eorum quæ cute extant, ſicciſsimus eſt pilus: deinde cornu, mox ungues, ungulæ, calcaria, & roſtra.

*Sanguis ſuccorũ optimus.*

Succorum optimus ac maximè familiaris eſt ſanguis.

*Atra bilis fæx ſanguinis.*

Huius ueluti ſedimentum & fæx, atra bilis. Quæ idcirco tum frigidior, tum craſsior ſanguine eſt, ſicuti flaua bilis longè calidior.

*Pituita frigidiſſimum & humidiſsimũ omniũ quæ in corpore habentur.*

Frigidiſsimũ uerò ac humidiſsimũ omniũ quæ in animali habent, pituita eſt.

*Tactus eſt inſtrumentũ quo hæc diſcernendarum.*

Inſtrumentũ autem quo id cognoſcitur, ipſe eſt tactus. Ac particulæ quidem, & ſucci corporis, ad hunc modũ ſe habent. Iam uerò craſsitudo & gracilitas habitus, corporum temperamenta ſequuntur, non ea modò quæ naturalia ſunt, ſed etiam ſi qua ex longa cõſuetudine ſunt cõtracta. Multos ſiquidem, qui natura graciles fuerant, pingues redditos uidi: contràq; qui pingues fuerant, graciles: illis quidem ex ocioſa & delicata uita, toto temperamento ad humidius mutato: his uerò, multa tolerantia, & curis, & tenui uictu perſiccatis.

*Pinguitudo unde contrahatur.*

*Gracilitas unde contrahatur.*

*Venis latioribus præditi, calidiores: ſicuti anguſtioribus, frigidiores.*

Cæterũ quibuſcunq; latiores ſunt uenæ, ij calidiores natura ſunt. Quibus anguſtiores, cõtrà, magis frigidi. Caloris nanq; opus eſt, has dilatare. Quare meritò in idem recidunt, uenarũ quidem anguſtia, cum habitu pingui & craſsiori: habitus autẽ gracilis, cũ laxitate uenarum.

uenarum. Quòd si quis simul pinguis crassusq́ est, ac uenas latas habet, is cõsuetudinis alicuius occasione, nõ natura, pinguis est redditus. Sicuti è diuerso, qui angustas habet uenas, & gracilis est, ne hũc quidem talem esse natura, est necesse. Quinetiam cùm fames urget, ex laxitate & angustia uenarum, nõ ex cætero corporis habitu, spectandã esse mediocritatẽ, monet diuus Hippocrates. Quippe qui angustas possidẽt uenas, & exigui sunt sanguinis, nec longam inediam ferunt. Quibus sunt latæ, ijs copia sanguinis inest, & citra noxam cibo abstinent. Etenim quicquid pingue est in sanguine, leueq́, id in corporibus calidioribus alimentum quoddam calido fit: in frigidioribus uerò asseruatũ. Vbi igitur id à uenis transmissum, inciderit in particulas frigidas, in ipsis quidem concrescit. In calidioribus uerò natura partibus, cuiusmodi sunt carnosæ, à calore absumitur, & digeritur: nisi fortè frigiditati temperamenti uita indulgentior accedens, ipsis carnosis particulis allinat aliquid pinguitudinis. Atq; hac ratione fœminę uiris pinguiores sunt, quòd nimirum sint eis frigidiores, plurimumq́ domi uersentur. At qui habitus natura sunt temperati, mediocriq́ exercitio utũtur, hos necessum est eusarcos esse, hoc est, mediocri habitudine corporis. Quibus uerò abundat humidum, & calor à mediocritate summa non longè abest, ij corpulenti sunt. Corpulenti etiam fiunt, qui natura sunt temperati, cæterũ ociosi & desides uiuunt: cùm uidelicet consuetudo sit ueluti acquisitiua natura. Adeps etenim, ex habitus frigiditate gignitur. Corpulentia, ex sanguinis copia. Mediocritas, temperatæ naturæ est nota. Et corpulenti quidem, omninò plus adipis habẽt, quàm mediocri habitudine præditi. Nec tamen pro carnis semper portione, adeps simul augetur: sed alios habere plus carnis, alios plus adipis uideas: alijs ambo pari modo sunt aucta, cùm uidelicet tantũ illis, supra temperatam naturam, humoris est, quantũ & frigoris. Quibus autẽ plus est adipis, in his frigidi plus est, quàm humidi: æquè ut quibus caro est plenior, his humoris plus iusto est, nõ tamẽ frigoris. Porrò ubi nullũ adhuc morbosum symptoma crassato corpori incidit, ipsa abundantia humoris intra sanitatis est fines. Cùm autem mediam temperatamq́ naturã, reliquarũ ueluti canonem semper statuamus, quæ uerò ex huius utraq; sunt parte, iudicemus intemperatas, manifestum utiq; est, in sanitatis statu & latitudinẽ, & maioris minorisq́ inueniri rationem. Est enim alia sanitatis, alia morbi intemperies. Morbi quidem, ea quæ à media temperie quamlongissimè abest. Sanitatis, quę paulùm. Definire autẽ modum, nec mensura, nec pondere licet. Cæterũ intemperiei quæ intra sanitatem cõsistit, sufficiens nota est, quòd nulla functio animalis manifestè adhuc sit oblæsa. Quantũ igitur interuallum est inter id quod perfectissimè suam obit functionem, & id quod actionẽ aliquam habet manifestè uitiatam, tanta est profectò & sanitatis, & intemperiei, quę intra sanitatem cõsistit, latitudo. Ab hac proxima est intemperies morbosa, cùm scilicet animal uitio intemperiei iam ægrotat. Rursus, quemadmodum naturali calore optimã seruante tempẽriem, humidum, quod intra sanitatis terminos est, auctũ, nõ adipem modò in homine, sed etiã corpulentiã gignit: & adipem quidem parcius adijcit, liberalius autem carnẽ adauget: sic etiã, si humidum & siccum mediocritatẽ ad unguem inter se seruent, calor autẽ fit in homine minor, necesse est huius corpus adipe quàm carnis copia magis abundet. At uerò si calor augeatũ, seruetq́ mediocritatem altera contrarietas, minus erit ei animali adipis, quàm carnis. Sicuti è diuerso, si quando præpolleat siccum, altera contrarietate medium modum seruãte, & gracilius & durius corpus euadet. Ex quibus liquet, non solùm ratione monstratũ esse, quòd simplices in animalium corporibus intemperies habeantur, sed etiam, quòd singularũ manifestæ sint notæ, idq́ in uniuersis habituũ corporis differentijs. Porrò calida & sicca temperies, hirsuta est: uerũ ea in summo. Mediocriter autẽ, quæ calida quidem est, sed in altera contrarietate mediocritatẽ habet. Similiter & quæ sicca quidem est, sed in calido & frigido mediam temperiem obtinet, modicè est hirta. Nuda pilis sunt frigida omnia temperamenta, siue ea modicè se habeant in humiditate, siue etiam immodicè. Cæterũ ad summum glabra est frigida temperies & humida. Minus hac, quæ frigida est, sed in altera oppositione, temperata. Adhuc minus, quæ frigida est & sicca. Siquidem siccitas cutis, in ijs qui molli sunt cute, maximè omniũ idonea est ad pilorũ generationem. & quò siccior calidiorq́ fuerit, eò magis pilos gignere potest. Hanc enim siccam & calidam cutim, uelim terræ statui assimiles, quæ abeunte fit uere, uel ineunte æstate. Etenim per omnẽ cutim digeritur semper à calido aliquid, quod secum etiam nõnihil interni humoris euehit. In quibus igitur humida est cutis, & mollis, qualis modò cõcrescens caseus, in ijs, eorũ quæ exciderunt, uiæ per cutem dilatatæ nõ manent: nẽpe partibus eius, quæ prius dissidebãt, rursus inter se coëuntib. At in quibus dura est, nec absimilis caseo cõcreto, perforatur quidem, eorum quæ exeunt transfluxu. Cùm autẽ uniri rursus per siccitatem nequeat, seruat immutatos meatus, qui etiam perpetuo transfluentium ictu, indies magisq́ fistulantũ. Per eos igitur, halitui minimè impeditus est transitus. Sin autẽ fuliginosus, terreusq́ uapor fit, id quod permeat, subinde contingit, ut in angustis spiramentis impactus, nec facilè rursus intrò redeat, nec item possit uacuari, sed impellatur ab alio secundo uapore, atq; ille rursus ab alio, & sic consequenter, simulq́ multi uapores fuliginosi inuicem complicati & coniuncti, in unum corpus degenerent, quale est fuligo ea, quæ foris cernitur. Fit autem niger pilus, cùm deusto ui caloris uapore, excrementum in exactam fuliginẽ permutatũ. Flauus uerò, cùm uapor minus torretũ. Nam quod tunc est impactum, flauæ bilis excrementũ existit. At albus pilus ex pituita nascitur. Rufus, sicuti coloris albi, flauiq́ est medius, sic generatio eius ex pituitosæ biliosæq́ fæcis, media quadam natura prouenit. Crispi pili fiunt, uel propter siccitatem temperamenti, quæ intorquet illos (qua

*Venas angustas habentes, agrè ferũt inediam.*

*Venas latas habentes, facilè cibo abstinent.*

*Fœmina cur sint viris pinguiores.*

*Eusarcoi.*

*Corpulenti qui.*

*Consuetudo velut acquisititia natura.*

*Adeps qui gignatur.*

*Temperatã naturam esse omnium aliarũ canonem.*

*Sanitatis statũ habere in se latitudinem.*

*Intemperies sanitatis & morbi, quibus notis deprehendãtur.*

*Hirsuta esse quæ calida sunt & sicca.*

*Glabra existere, quæ frigida sunt & humida.*

*Cutis siccitatem idoneam esse pilorum generationi.*

*Pilorum generatio.*

*Pili nigri generatio.*

*Pili flaui generatio ex flaua bile.*

*Pili albi generatio ex pituita.*

*Pili rufi generatio.*

*Pili crispi qui fiant.*

*Aethiopes omnes cur criſpi.*

ratione Aethiopes omnes ſunt criſpi) uel propter imbecillitatẽ exhalationis, quæ rectam uiã ſibi moliri non poteſt: uel deniq; ob duriorẽ cutis naturam, quæ ipſam exhalationẽ, etiam ſi ualens ſit, prohibet recta ferri regione, cogitq; ut ad latus ſe inflectat, ac ſibi obliquum tranſitum paret. Eſt quãdo ambobus coëuntibus, & exhalationis, quæ meatum finxit, imbecillitate, & cutis ſiccitate, pilorum radicibus obliquitas ipſa contingit. Quales autem in radice finguntur, tales rationabile eſt pilos perpetuò fore. Atq; hæc quidem pilorum eſt generatio. Sequens eſt, ut cauſas omniũ quæ temperamentis in pilorum pro ætate, regione, & corporis natura, differentijs contingunt, dicamus.

*Pilorum varietates ſecundum varias ætatum, regionum, corporumq; temperaturas.*

Ergo Aegyptij, Arabes, Indi, quiq; calidam & ſiccam regionem incolunt, nigros, exigui incremẽti, ſiccos, criſpos, & fragiles pilos habent. Contrà, qui humidam, frigidamq; regionem habitant, Illyrij, Germani, Sarmatæ, & omnis Scythica plaga, modicè auctiles, graciles, rectos, & rufos obtinent. Qui uerò inter hos temperatum colunt tractum, hi pilos plurimi incrementi, robuſtiſsimos, & modicè nigros, mediocriterq; craſſos, tum nec prorſus criſpos, nec omnino rectos, emittunt. In ætatibus ad eundem modũ. Infantium quidem pili, Germanis: florentiũ ætate, Aethiopibus: Epheborum atq; puerorũ, ijs qui temperatum locũ incolunt, in robore, craſsitudine, magnitudine, colorecq; ad portionem ſe habent. In corporum quoq; naturis, ad ætatum & regionũ portionẽ ſimiliter ſe habere pili uidentur.

*Infantes cur glabri.*

At pueri admodum parui, nudi prorſus ſunt pilis, quòd nec meatus adhuc ullus illis in cute ſit, nec excrementum fuliginoſum. Incipientes autem pubeſcere, paruos & imbecilles exigũt. Qui uerò iam florent, hi ualentiores, multos, magnos, & nigros habent: quòd & frequentes meatus iam illis ſint facti, & excrementis fuliginoſis, præ ſiccitate & calore, abundent.

*Pilorũ capitis, ciliorum & ſuperciliorum generatio qualis exiſtat.*

Cæterùm pili qui in capite, cilijs, & ſupercilijs habent, etiam pueris nobis innaſcuntur. Siquidem generatio ijs eſt, non qualis herbis, ſed qualis ſtirpibus prima ratione à natura conditis, nõ temperamentũ neceſſariò ſequentibus. Verùm hi quoq;, quòd quidẽ ſint, id naturæ arti acceptum ferunt. Quòd nigri, rufi'ue, aut alio quouis ſint colore, id ætatis temperamento omnino debent. Subnigri enim ferè ſunt, quoniã quod in meatibus eſt impactum, nondum totũ eſt nigrum: quippe cùm humiditas multa ſit, & tranſitus facilis, & deuſtio imbecilla. Boni uerò incremẽti & modicè craſsi ſunt, propter excrementorũ, quibus aluntur, copiã. Siquidem ipſa pars corporis, in qua fiunt, ſicca eſt. Tota nanq; calua oſſea eſt. Cutis uerò quæ illi eſt circundata, tanto reliqua totius corporis cute eſt ſiccior, quanto durior. Aſcendunt tamẽ tum ab ijs quę circa cerebrum ſunt, tum uerò ex toto corpore, fuliginoſi excrementi non parua uis. Quo fit, ut quale ætate florentibus totũ corpus, eiuſmodi iam infantibus ſit capitis cutis. Eóq; rationabilius nõnulli procedente tempore calui redduntur, quibus ſcilicet à primo ortu cutis durior erat.

*Calui qui fiant.*

Siquidẽ in ea cute, quæ fuerit ſiccata impenſius, nihil naſci poteſt. Itaq; etiam interna manuum, & inferna pedum, ſemper ſunt pilorũ expertia, quòd ſicciſſimus, denſiſsimusq; is tendo ſit, qui ſub cute habetur.

*Vola manuum cur glabræ. Plantæ pedis cur glabræ. Cani qui fiant.*

Quibus autẽ ad ſummã ariditatem cutis capitis non peruenit, imbecilli ijs omnino, albiq; pili fiunt: quos uulgò canos appellant. Imbecilli quidem, congruentis alimenti penuria: albi uerò, propterea quòd alimentũ quo aluntur, ueluti marcor pituitæ eſt, quæ ſpacio computruit. Vbi enim meatus etiamnum manet, excrementũ uerò exiguũ eſt & lentũ, languideq; à calore propellitur, non diſsimiliter putredini afficitur.

*Caluities cur in ſyncipite magis. Canities cur in temporibus potius.*

Iam calui fiunt homines, cùm ſeneſcunt, à ſyncipite magis. Caneſcunt magis à temporibus: quoniam regio illa eſt omniũ aliarum ſiccisſima. Hæret enim cutis illic oſsi nudo. Tempora uerò, humidiora ſunt, quòd in his muſculi magni ſub ipſa cute habeant. Omnis nanq; muſculus carnoſus eſt. At caro tum oſſe, tum cute humidior. Verũenimuero, quandoquidem humanum corpus nõnullis quidem ęquabili per totum temperamento eſſe poteſt, nonnullis autem, neq; ijs paucis, inæqualiter eſſe affectum, cùm eorũ aliæ particulæ temperatæ, aliæ intẽperatæ eſſe poſsint, certè ex unica particula corporis, ſimpliciter de toto ſemper coniectandum nõ eſt.

*Pronunciandũ ſimpliciter de corpore uniuerſo nõ eſſe, ex una eius particula.*

Neq; enim hi, qui docere mores ex ingenio corporis profitentur, de omnibus pronunciant ſimpliciter. Verũ ſi quis impenſe hirto eſt pectore, hunc audacem iudicant. Sin cruribus hirtis, ſalacem.

*Hirti pectore, audaces. Hirti cruribus libidinoſi.*

Quare hominum tẽperamenta conſiderantibus, ſingulæ partes per ſe examinandæ ſunt. Nec ſi cui thorax hirſutus eſt, huic totũ corpus calidius, ſicciusq; ex neceſsitate putandum: ſed plurimũ in corde caloris eſſe, eóq; audacem illum, cui talis fuerit, exiſtere. Poſſe uerò aliquãdo etiam huius ipſius rei occaſione accidere, quo minus totũ his corpus ſimiliter calidum ſiccumq; ſit, quòd ſcilicet plurimũ caloris ſurſum ſpirauerit, atque in ambientẽ abierit.

*Calidi & ſicci temperamenti nota.*

Nam ſi tota corporis temperies æqualis ſit, erit his ſtatim thorax ipſe uniuerſus latiſsimus, uenæ amplæ, arteriæ magnæ, eædẽq; maximè uehemẽtiſsimeq; pulſantes: tum plurimi per totum corpus pili, atq; hi quidem in capite plurimi incrementi, nigri, & criſpi: utiq; in prima ætate. Procedente uerò tempore, caluities excipiet. His etiam & robuſtum, & exactè deliniatum, & muſculoſum totum erit corpus: tum cutis nigrior, durior, hirſutiorq;. Ad eundẽ modum ſi cõtraria omnia in thorace ſint, atq; æqualis in toto corpore uigeat temperies, hoc eſt, ſi humidiores & frigidiores uniuerſæ corporis partes fuerint, thorax quidem anguſtus, & glaber erit: ſicuti etiam totũ corpus pilis nudum.

*Frigidi humidiq; temperamenti nota.*

Cutis uerò mollis & alba, capilli ſubrufi, potiſsimum in iuuentute. Hi in ſenectute nõ calueſcũt, timidiq; ſtatim, & ignaui, & ſegnes: adde etiam, paruis uenis, ac minimè conſpicuis, & adipoſi ſunt. Iidem neruis muſculisq; imbecillis, & artubus parũ exactè deliniatis, & blęſis.

*Temperies partium, ex earum functionib. penſitanda. Cutim in regione temperata, ſubiectarũ partium naturam prodere.*

At ubi uaria partiũ temperies eſt, ex una earũ, de toto pronũciare nõ licet: ſed adeundæ ſingulæ ſunt, earũq; temperaturæ ex functionibus ſigillatim inueſtigandæ. Cutis ſiquidẽ in noſtra regione (quę tẽperata eſt) ſubiectarũ partiũ naturã prodit: nõ tamen

men omniũ, sed earum tantùm, quæ similem habent ipsi cuti temperiẽ. At in regionibus ijs quæ recesserunt à temperamento, nõ potest ex eo affectu, qui in cute cernitur, internarũ partiũ temperies clarè discerni, cùm internæ externæq; partes non ad eundem modum se habeant.

*Cutis frigida et humida quibus*

Gallis enim, Germanis, & omni Thracio ac Scythico generi, frigida, humidaq; cutis est: ideoq; etiam mollis, alba, & pilis nudata. Omnis uerò naturalis his calor in uiscera confugit, unà cum sanguine: ubi dum agitatur & premit, feruetq;, iracundi, audaces, & præcipitis consilij redduntur.

*Iracunda nationes quæ.*

Aethiopibus uerò & Arabibus, omnibusq; breuiter ijs, qui ad meridiem incolũt, natura cutis ex ambiẽtis æstu & naturali calore foras acto, usta, sicca, dura, & nigra redditur: toto nimirum corpore, naturalis quidem caloris exiguã obtinente portionẽ, sed alieno, atq; adscititio incalescente. Quare attendendum in singulis corporibus est, suóne ac proprio, an adscititio calore incaleant.

*Putrescentia omnia, adscititio calore esse calida, naturali frigida.*

Quæ enim putrescũt omnia, adscititio calore sunt calida, frigent proprio. Qui meridianã plagam incolũt, adscititio calore sunt calidi, proprio frigidi.

*Aestate adscititium calorẽ esse maiorẽ, propriũ minorẽ, cõtraq; hyeme.*

Apud nos quoque naturalis calor hyeme est uberior, adscititius minor. Aestate cõtrà, adscititius maior, & naturalis minor. Omnia nanq; hæc definiat oportet, qui rectè temperamentum est cogniturus. Neq; enim si cutis nigrior appareat, totus homo omnino calidior est. Nam si alter in sole uersatus diutius fuerit, alter in umbra, illi nigrior, huic albidior cutis erit. Verùm hoc ad totius temperamenti alterationem nihil facit: quare singulæ partes particulatim examinandę sunt, iudicandæq; ex functionibus proprijs.

*Ventriculi temperati, intemperatiq; nota.*

Verbi gratia, uentriculus, si bene cõcoquit, temperatus: si non bene, intemperatus cognoscit. Si nidorosos, uel fumosos ructus edat, quòd igneus calor in eo sit: sin acidos, quòd imbecillus, deprehendes. Simili modo, si qui bubulam, & omnia quę cõcoctu difficilia sunt, concoquunt, quòd immodicus eorũ calor sit: si qui autem hæc cõcoquere nequeant, conficiant autem saxatiles pisces, aliaq; similia, quòd infirmus, pronunciare ne dubites. Videndũ autẽ his rursum, num succi alicuius aliunde confluentis culpa, eiusmodi symptomata uẽtriculo accidãt.

*Romanã regionem esse admodum humidam*

Compluribus enim ex capite pituita, idq; maximè Romæ, ac locis perinde humidis, in uentriculum confluit. Nõnullis etiam, licet hoc rarò, & paucissimis accidat, flaua ex iecinore bilis. Siquidem ipse uidi quibusdam perquàm pituitosis hominibus, multam in uentriculo colligi flauam bilem. Vidi & qui bilem nunq̃ uomuerunt, qui tamen & graciles, & hirsuti, & musculosi, & nigri, & uenosi erant. Intelligere autẽ conuenit, meatum illum, per quem iecur bilem in uentriculum uomit, alijs geminũ esse, alijs unicum. Ac plurimũ quidem is unicus est, in exortũ intestinum insertus. Vel si geminus meatus sit, in exortum ipsum maior inseritur: minor in fundũ uentriculi, parum supra pyloron. Sed tamen in paucissimis superior pars maior, inferior minor existit.

*Bilis in ventriculum quibus confluat.*

Cæterùm quibus est maior, his quotidie in uentrem, nõ exiguum bilis effunditur: quam & uomant ante cibos oportet, & nisi id faciant, læduntur.

*Bilis vniuersa quibus in ieiunum confluat.*

Quibus autem unicus est omnino meatus, ijs tota bilis in ieiunũ confluit. Hos igitur licebit nobis dignoscere, primũ quidẽ, ex totius corporis temperamẽto.

*Notæ quibus discernũtur hi quibus bilis in uentriculum atq; in ieiunũ confluit.*

Dein ex ijs quæ infrà excernunt. Tertiũ notæ genus, in ijs quæ uomitu rejciunt, consistit. Siquidem qui multã colligũt bilem, cuius nihil per supernã partem excernũt, ij biliosa mera dejciunt. Qui autẽ & pituitoso sunt corporis habitu, & bilem euomunt, ab his minus dejciunt biliosa, quòd & minimũ flauæ bilis gignant, & eius maxima portio in superiorem uentrẽ perueniat.

*Bilis prasina quibus in ventre gignatur.*

Iam uerò, quibus in uentre biliosum excrementũ gignitur, id porri uirorem præfert: debetq; omnino ijs cibus fuisse cũ iusto calidior, tum cacochymus. Quibus autem ex iecinore in uentrẽ defluxit, his flaua ea, pallidáue euomit, etiam si boni in primis succi fuerit id quod sumpserũt, ad summumq; fuerit concoctum. Imò uerò magis ijs qui ad unguẽ coxerũt uomunt flaua: atq; etiã magis his, qui diutius cibo abstinuerũt. Quæ uerò bilis porrũ refert, ijs solis gignitur in uentre, qui utiq; concoxere malè.

*Bilem gignentia.*

Quinetiã sollicitudo, ira, dolor, labor, exercitatio, uigilia, & inedia, plus succi flauæ bilis coaceruãt, propterea quòd plus eius in iecinore gignunt.

*Bilis orta ab igneo calore vẽtriculi, & eius quæ cõfluit à iecore, indicia.*

Sunt igitur hæc certa indicia: tum præterea, quòd ubi siccũ & igneũ uentriculi calorem cõuersio ad biliosum sequitur, panis, & suilla, & bubula caro, cõmodius quàm saxatiles pisces coquentur. Quòd si ex iecinore bilis affluat, ex comestorũ mutatione nulla secutura est cõcoctionis diuersitas. Ad eundem modum, si defluẽs à capite in uentrẽ pituita, acidi ructus in causa est, aut si caput etiã dolore tentetur, discernere semper oportet illa quæ propria sunt, ab ijs quæ per cõsensum accidunt.

*Cerebri temperies quibus æstimanda sit notis*

Iam cerebrũ ipsum cuius sit temperamenti, per se æstimare est satius: nempe ex canitie, catarrhis, tussi, destillatione, & saliuæ copia (quæ illud frigidius, humidiusq; esse docent) quàm ex corporis totius affectu.

*Caluities ex siccitate oritur.*

At caluities ex siccitate prouenit. Nigrorũ autem, & frequentium pilorũ prouentus, ęqualis in cerebro temperamẽti est nota. Qui igitur resimos, humidos, aduncos autẽ absolutè siccos dixerũt, duplici nomine hallucinari uidentur. Primò, quòd unius particulæ occasione, de toto corpore pronunciare sunt ausi.

*Formatrix natura effingit particulas secũdum animæ mores.*

Secũdò, quòd formatricis in natura uirtutis, quæ artifex facultas est, & particulas secundũ animæ mores effingit, parum meminerũt. De hac enim Aristoteles dubitauit, nũquid diuinioris originis esset, atq; à miscella elementorũ diuersa.

*Qualitates esse organa opificia.*

Rationi autẽ est consonũ, qualitates quidem ipsas esse organa: at formatorẽ, alium. Nec uerò propterea quòd pueri nasis magis sunt resimis, florentes ætate magis aduncis, idcirco rationabile est, resimos omnes censere humidos, adũcos siccos: cùm fieri possit, ut formatricis potentiæ id opus sit, potius quàm temperamenti. Quod si temperamẽti est nota, at certè eius quod in naso tantum habetur, non eius quod in toto corpore, nota fuerit: nisi fortè totius corporis temperies, cum nasi temperamẽto pari ratione se habeat. Ad eundem modum est iudicandum de cute, de cæterisq; corporis partibus. Nec enim si cutis sit duræ, necessariò sic-

cum est animans. Quippe ostrearum corpus humidissimũ est, cutis ipsa siccissima. Verùm si per totum æquabiliter sit corpus attemperatum, ratio est, ut qualis sit cutis, talis sit & reliquarũ partium unaquæq;. Spectandum præterea in uniuersum est, ex quibus in quæ, mutationes ipsæ sint factæ. Fit enim nec rarò, ut præsens nota, prioris temperamenti sit, non eius quod in corpore nunc habetur. Veluti si quis sexaginta annos natus, denso pilo sit, non quòd calidus & siccus nunc sit, sed quòd talis antea fuerit. Iam uerò neque ex ipsa excrementorum natura, indefinitè de temperamentis est pronunciandum. Fieri siquidem potest, ut colligantur pituitosa excrementa, nec tamen humida sit particula, sed simul frigida & sicca: cùm nimirum ex cibis, neutiq̃ ex nostro corpore, ipsa pituita oriatur. Corpus enim ubi ingestos cibos nõ uincit, simile ijs ipsum quoq; excrementum gignit. Cæterùm quòd nõ omnia quæ calfaciunt, necessariò etiã exiccent, ut perperàm nõnulli putarunt, nemini obscurũ existimo. Aqua siquidẽ calida, & quæcunq; natura sunt calida & humida, si inflammationi, exẽpli gratia, admoueant, tametsi ipsa quidẽ superuacanea, quæ media similarium spacia occuparũt, euocẽt, corpora tamẽ ipsa tantùm abest ut siccẽt, ut etiã illis humorẽ adijciãt. Atq; iam hũc secũdum cõmentariũ claudamus.

*Pituita oritur ex cibis, minimè ex nostro corpore.*

*Calfacientia omnia non ex necessitate siccare.*

## *GALENI PERGAMENI de temperamentis liber III.*

CVm igitur antea traditũ sit, unumquodq; actu calidorũ, frigidorũ, humidorum, atq; siccorũ, uel ex eo tale dici, quòd summã habeat huiuscemodi qualitatẽ: uel quòd uincat in eo id genus qualitatum aliqua: uel quòd ad cognati generis mediocre aliquid, uel ad unumquodlibet, à nobis sit collatũ: mõstratumq; præterea sit, quemadmodũ ea quis cognoscere exactè possit: reliquum est, ut de ijs, quæ talia potestate sunt, disseramus. Etenim quod quale dicitur, tale nõdum est, sed potest tale esse, id hoc esse potestate dicimus: uerbi gratia, hominẽ qui nuper natus fuit, rationalẽ, & auem uolatilem, scilicet quod eorũ unumquodq; futurũ est, hoc ceu iam id sit, appellantes. Est autem perfectum quid, ac præsens, ipse actus: sicuti imperfectum, ac futurũ, potestas. Ac maximè quidem propriè sola ea potestate esse dicimus, in quibus natura ipsa suopte impetu ad absolutionẽ uenit. Proximus huic modus, eorũ est, quæ sunt propinqua materia: ut, dum sanguinẽ potestate carnem appellas, quòd minimam mutationẽ ad carnis generationẽ requirat. Dicitur potestate etiam esse, quod ei quod ex accidenti dicitur, est ex aduerso positum: ut si quis dicat, frigidam lauationẽ ex accidenti, non ex propria potestate calfacere corpus carnosi iuuenis. Porrò quæcunq; medicamenta calfacere nostrũ corpus sunt nata, ea, licet talia nõ appareãt tangenti, calida tamen potestate uocamus, quòd facilè possint calida esse, quodq; promptè in ignem uertantur: hoc interiecto discrimine, quòd oleosa & aërea, in flammam, in prunã autẽ terrea degenerẽt. At quemadmodum neq; ignis ipse augetur prius quàm uicta ab eo ligna mutata sint, ita nec animantiũ calor à medicamentis, nisi illa prius & cõminuta aliquantisper, & nostro corpori iuncta, ab ipso etiam mutent. Quæ quidem si perfrigerato corpori quantũuis tenuia inspergantur, non calfacient illud. Proinde quę refrigeratæ sunt partes, eas eiusmodi medicamentis plurimũ perfricamus, rarefacimusq;, quò scilicet introrsum pharmacum penetrans, naturali animalis calori iunctum, mutetur, & calfiat: quippe cuius si particula quæpiam uel minima, calorem actu conciplat, hunc deinde in totum, propter continuitatem, porrigat. Ac quicquid potestate quidem calidum est, huic nondum in natura sua frigido calidum præpollet, sed in propinquo est ut præpolleat, adeò ut breuẽ opem quò uincat, requirat extrinsecus. Hanc illi modò frictio abundè præstare potest, modò uel ignis, uel corporis natura calidi contactus. Alia tamen citius, alia tardius corpus nostrum recalfaciunt. Cùm autem quatuor sint corporis facultates, attractrix, retentrix, alteratrix, expultrix, quę effectus sunt totius in quouis corpore substantiæ, quam constare ex calido, frigido, humido & sicco, inter se mistis, dicimus, sanè ubi corpus nostrũ unaquælibet earum qualitatũ corpus sibi admotũ demutat, nec ipsum hoc casu tota substantia existimãdum est agere, nec quod ab ipso mutatur, posse ei assimilari. Quare nec unquã nutriet quod ita mutatũ est, id quod ipsum mutauit. At si exactè illud mutet, id est, si tota operetur substantia, utique tũc sibi assimilabit id quod mutabitur, tum enĩ ab eo nutrietur. Neq; enim aliud nutritio est, q̃ assimilatio perfecta. Omne autem animal cõgruenti, sibiq; simili alimento nutritur, quale est, quicquid corpori, quod nutritur, assimilari potest. Cæterũ pro ratione similitudinis, alia citius, alia tardius assimilantur. Auiũ siquidem caro, haud magno negocio: suilla, maiori: bubula etiam hac maiori: uinum uerò, omniũ minimo, assimilari poterit, ubi prius in instrumentis coctionis manserit aliquandiu. In quibus antequam demutatũ sit, fieri non potest, ut animalis corpori sit nutrimentũ. At quæ quidem assimilantur, omnia quidem nutrimenta uocant: reliqua omnia, medicamẽta: quorũ duplex natura est. Quippe uel cuiusmodi sunt assumpta, eiusmodi etiam permanentia, uincunt, corpusq; mutant, ad eundem modum, quo id cibos: atq; hæc prorsus tum uenenosa, tum naturę animalis corruptrica medicamenta sunt. Vel mutationis initium ab animalis corpore consecuta, deinceps iam putrescunt, & corrumpunt, ac deinceps corpus unà corrumpunt, & putrefaciunt. Sunt hæc quoq; noxia uenena. Est præterea & tertia medicamentorũ species, eorum nimirũ, quæ corpus quidem recalfaciunt, mali tamen nihil afferunt: sicuti & quarta alia eorũ quæ & agunt, & patiuntur aliquid, sed spacio uincunt, planeq; assimilantur: quibus accidit, ut tam medicamenta sint, q̃ nutrimenta. Nihil autẽ miri est, si exiguũ consecuta momentũ aliqua, maximam à priori natura mutationẽ habent: cùm cõstet olim in Mysia domũ integrã cõflagrasse ex solo stercore colũbino, quod ab ardenti sole inflammatũ, fenestræ

proximæ

*Actu calidũ, frigidum, humidũ atq; siccum, quotupliciter dicatur.*

*Potestate quæ dicantur.*

*Actus, perfectũ ac præsens quid.*

*Potestas, imperfectum atque futurum.*

*Potestate propriissimè quæ dicantur.*

*Oleosa in flammam vertũtur.*

*Terrea in prunam degenerãt.*

*Medicamenta augere calorem nostrum nõ posse priusquã ab ipso mutentur.*

*Facultates nostri corporis quatuor, attractrix retentrix, alteratrix, expultrix.*

*Nutritio est assimilatio perfecta.*

*Animalia omnia sibi simili alimẽto nutriri.*

*Vinum quamocissimè assimilari posse.*

*Nutrimẽta quæ dicantur.*

*Medicamentorum natura duplex perniciosorum.*

*Medicamentorum familiariũ natura duplex.*

*Stercus columbinum inflammabile.*

proximæ suum cõmunicauit incendiũ. Qua ratione etiam aiunt Archimedem hostiũ triremes urentibus speculis incendisse. Succenditur his promptè lana, stupa, ellychnium, ferula, & quicquid similiter his siccum & rarum fuerit. Flammã edunt & lapides attriti, atq; eò magis, si quis sulfure illos illeuerit. Quare lucernã extinguens quidam, ac rursus lapidi, uel muro admouens, quẽ antea sulfure illeuerat, ceu prodigiũ qoid, illam accensam ostendit. Eiusmodi erat medicamentum Medeæ, ex sulfure & humido bitumine constans: quod quidem quibus illitum erat, omnia, ubi in id incidebat calor, accendebat, & inflammabat. Vniuersa igitur hæc, potestate dicuntur calida. Iam uerò quicquid corporum natura calidorum proprium est nutrimentum, id ea semper non roborabit tantùm, sed etiam insitum eorum calorem augebit: id quod omni nutrimento est cõmune. At uino præter cętera proprium ac suum est, mutationis celeritas, ita utiq; ut tædæ, ellychnio, stupæ, & pici. Porrò cùm trifariam nutrimentum dicatur, secundum Hippocratem, nempe & quod nutrit, & quod ueluti nutrimentum est, & quod futurum est nutrimentum: id utiq; quod iam nutrit, propriè nutrimentum uocatur, cùm corpus nutriat & calefaciat: quod reliquorum neutrum facit. Quemadmodum igitur si exiguæ & imbecillæ flammæ, confertim multũ olei infundatur, illam prorsus extinguet: sic etiam uinum, ubi plus bibitur quàm ut uinci possit, tantùm abest ut animal calfaciat, ut etiã apoplexias, pataplexias, comata, càros, neruorum resolutiones, epilepsias, conuulsiones, & tetanos, qoi affectus sunt frigidi, inducat. Generatim enim, quæcunque assumpta in corpus ut nutrimentum calfaciunt, hæc interim frigefacere deprehendes, si immodicè aut intempestiuè sumantur. Nec uerò mirari debemus, si nonnulla quæ cuti imposita, hanc erodunt, exulcerantq;, ot sinapi, muria, allia, & cepæ, qoamtutissimè comedantur: cùm nimirum neq; intus in uno semper loco permaneant, sed undequaque ferantur, ac tum cibis, tum uarijs succis permista cõminutaq;, innumeras subeãt alterationes: ita ut quod conueniens in eis est, assimiletur: quod superuacaneũ & acre, per aluum, urinas, sudoremq; excernatur. Quòd autem si acrimoniam suam seruarent, etiam exulcerarent interna, ex ijs quæ ob cacochymiam spontè accidunt ulceribus, cùm in iuternis partibus, tum uel maximè in ipsa cute, facilè intelligere poteris. Neq; etiã est dubitandũ, cur medicamentorũ nõnulla, cùm nihil nos offendãt extrinsecus, intrò assumpta magnũ afferant malum: aliqua rursus intrò assumpta, nonnunquam lædant, nonnunquam conferant: aliqua nõ solùm intrò assumpta, sed etiam extrinsecus applicita offendant. Quippe nihil intus forisq; parem agendi facultatem sortitur. Mirum etiam esse nõ debet, si lachrymam Cyrenaicam ipsam quidem per se non liceat citra incõmodum sumere: quæ tamen si omnino exigua, uel cum alijs opportunè sit sumpta, magnopere conducit. Atque ad hunc quidem modum, quæcunque corpus excalfaciunt, ubi mutationis principium in ipso accepere, recalfacere illud sunt apta. Quæ uerò refrigerant, ueluti papaueris succus, hæc à nostro corpore, ne uel paululum quidem demotãtur, sed ipsum statim uincunt, ac mutant, etiam si calfacta prius dederis. Est enim eorum natura frigida, ut aqua: quæ per se quidem frigida est, ex accidenti uerò aliquando calida. Verùm acquisititius eius calor breui perit, naturalis frigiditas manet. Quemadmodum igitur aqua calida flammæ iniecta eam extinguit, sic meconium, uel si id quantumuis calfactum dederis, & calorem animalis perfrigerabit, & necis periculum afferet. Quanquam id genus medicamenta, si parcè exhibita sint, & unà cum ijs quæ ipsorum frigiditatem retundãt, nõnunquam usum aliquem nostris corporibus præstãt. Iam uerò medicamen id quod cantharidas recipit, hydericis auxiliatur, tametsi cantharis ipsa uesicam exulceret. Discernere autem in omnibus quãmaximè oportet, quæ per se sunt, ab ijs quæ per accidens. Nonnulla quippe cùm siccam sint sortita sobstantiam, ubi largo calore liquata fuerint, humiditatis speciẽ exhibent: ut æs, & ferrum. Quædam per se humida, ubi in syncero frigore sunt morata, apparent sicca: uti glacies. Quocirca de illis absolutè pronunciandum non est: sed qualiter in calore frigoreq; se habeant, considerandum: ac sic tandem non ad id quod secundum accidens est, sed ad id quod per se, respicientibus nobis, iudicandum. Porrò cõmunis in omnibus, unaq; iudicandi ratio, est alterationis celeritas. At cùm calidum, frigidum, humidum, atq; siccum, *ὁμωνύμως* dicantur: nempe hæc quidem, per id quod exuperat: illa uerò secundum qoalitatem quam habent summam, à qua nimirum denominantur: in utrũcunq; horum promptè uertitur, de quo agitur iudiciũ, tale potestate fuerit. Oleum nanque, bitumẽ, resina, & pix, calida potestate sunt, quòd in flammam uertantur facilè. Vinum autem, quòd facilè fiat sanguis. Pari modo mel, caro, & lac. Atque hæc quidem, totis ipsorum alteratis substantijs, nutrimẽta se alterantiũ sunt. Quæ uerò unaqualibet qualitate alterantur, ac mutantur, ea medicamenta tantùm sunt. Medicamenta itidem sunt, & quæ nulla substantiæ suæ motata parte, sed tota seruata integra, corpus ipsum afficiunt. Cæterùm totum eorum genus naturæ ipsi contrarium, graue, ac maximè deleterium existit: quamuis ubi planè exhibentor minima, nullum exhibent sensibile nocumentum. Porrò iodicabitur contrarietas ipsorum, ex ea, quæ media intercedit, mutatione. In elementis, uerbi gratia, neque aqua mutari potest in ignem, neq; ignis in aquam, sed ambo in aërem, ipse uerò in otraque. Ergo continens & sine medio est aquæ mutatio in aërem: itemq; ignis: non continens ignis & aquæ in alterutrũ. Hæc igitur inter se contraria, pugnantiaq; sunt. Non dissimili ratione papaueris succus humano corpori prorsus contrarius est, ut quod in eum quicquam agere, ne una quidem qualitate possit, ac multò minus tota sua substantia. Atq; unum quidem deleteriorũ genus eiusmodi est. Alterum est eorum, quæ ex nostro calore momentum aliquod mutationis accipiunt, ac dein-

*Archimedis industria.*
*Specula urentia.*
*Lapides attriti edunt flammã.*
*Medeæ medicamentum.*
*Calida potestate.*
*Vinum mutatur celeriter.*
*Nutrimentũ dicotripliciter.*
*Vinum immodicè haustum, frigidos affectus inducere.*
*Erodentium cutim nõnulla, cur intus tutò sumantur.*
*Nihil intus forisq; parẽ agendi facultatẽ sortiri.*
*Lachrymam Cyrenaicam tutò per se non sumi.*
*Papaueris succus nõ immutatur à nostro corpore.*
*Aqua per se est frigida.*
*Cantharis uesicam exulcerat.*
*Distinguenda esse, quæ per se, atq; ex accidenti dicuntur.*
*Potestate tale qua ratione dicatur aliquid.*
*Potestate calida quæ dicãtur*
*Nutrimenta quæ.*
*Medicamenta quæ.*
*Deleteria quæ dicantur.*
*Contrarietas qualiter iudicanda.*
*Elementorũ in se inuicẽ transitus.*
*Papaueris succus humano corpori omnino cõtrarius.*
*Deleteriorũ primum genus.*
*Deleteriorum secundum genus.*

de in multifarias alterationes uertuntur, quibus corrumpi naturam nostram accidit. Quæ igitur corpus rodunt, putrefaciunt, & liquant, meritò potestate calida nominant. Contrà, quæ refrigerant, & sensum auferunt, notabilemq́ inducunt torporem, frigida. Verùm in applicandis ijs quæ natura quidem sunt frigida, sed per accidens calida, cõtingit eorum calorem acquisititium necessariò perire: propriam autem temperiem frigidam, à nostra nihil immuratam perseuerare.

*Salamandram uri ab igne, si diutius admota fuerit.*

At quemadmodum salamandra ad certum usq; terminum ab igne nihil patitur, uritur autem si longiori spacio sit igni admota: sic & mandragora, & cicuta, & psillium, breui spacio igni applicita, proprium adhuc temperamentũ seruant: largius autẽ excalfacta, illicò corrumpuntur, nec quicquã efficere, eorum quæ prius poterant, ualent. At talium quidem omniũ natura, hominibus maximè existit contraria: eorũ uerò quæ celerrimè nutriunt, cõuenientissima. Reliqua omnia, media inter hæc sunt, quorum alia magis, alia minus, agere ac pati à nostro corpore possunt. Siquidem castoreum & piper, agere magis in corpus nostrũ, quàm pati ab eo ualent: uinum, & mel, & prisana, pati magis quàm agere. Cæterùm ubi duo corpora inter se cõmista multo repugnant tempore, certantq́ de alterando, utrunq; eorũ tum agere, tum pati est necesse. Semper quippe agit id quod uincitur, in id quod uincit: adeò tamen exiguum, ut sensum effugiat. Hoc autem in ijs quæ nutriunt, etiam compertum est.

*Lactuca facultates.*

Lactuca siquidem, quandiu ab æstuanti uentriculo coquitur, manifestè quidem refrigerat, sitim compescit, atqueadeo, quòd frigida & humida sit, somnum conciliat. Vbi uerò ex ea nutritus homo iam fuerit, insiti caloris substantiam augebit. Ventriculum autem ea lædit refrigeratum.

*Nutrimenta simul & medicamenta.*

Quare ubi id genus utrunq; præstant, & quòd ueluti medicamenta corpus nostrum afficiant, & tanquam nutrimenta naturalem calorem augeant: cùm hoc exploratũ iam sit, interdum qualitatem caloris intendi, interdum substantiam eius augeri: si ergo non concoquatur lactuca, aut si mauis, succus ipsius, quandò is, si liberalius sumatur, similem cum papaueris succo in homine effectum sortitur, erit utiq; tantùm medicamentum.

*Lactuca succus liberaliter sumptus, similẽ cum papaueris succo facultatem sortitur.*

At si absolutè concoquatur, quis ambigit, quin corpori etiam sit nutrimentum? Lactuca itaq; tam cibus, quàm frigidum medicamentũ existit. Eruca autẽ, & ex herbis anethum, ruta, origanũ, pulegium, calamintha, thymbra, atq; thymum, tum cibi, tum medicamenta calida sunt: dum scilicet adhuc coquuntur, medicamenta: mutata uerò in sanguinẽ, nutrimenta: secunda nimirum nutrimenti significatione, qua id significatur, quod nõdum est alimentum, sed ueluti alimentũ. Si igitur frigidior iusto fuerit uentriculus, quandiu in eo delituerint, donec coquantur omnes id genus herbæ, calfaciunt ipsum, atq; ad temperamenti æqualitatem reuocant, prosuntq́ ut medicamẽta. Si uerò calidior impendiò sit, inflammabũt illum, ac magnopere lædent: atq; has quidem alterationes, qualitate sua inducent. Nam omnino percoctæ, atq; in sanguinẽ bonũ cõuersæ, substantiam caloris naturalis augebunt, non qualitatẽ intendent. In uniuersum autem, siue frigidus, siue calidus potestate sit cibus, posteaq̃ in sanguinem est cõuersus, naturalem similiter calorem augebit.

*Cibus omnis in sanguinem versus, naturalẽ calorem auget.*

Quod uerò ad sanguinis formam spectat, necdum planè sanguis est redditus, refrigerat, calfacitue animal, medicamenti ritu. Etenim cuilibet corpori proprietas quædam temperamenti est, quæ huic quidem naturæ cõsentiens, ab hac uerò dissentiens uidetur. Quòd si id quod sibi cõsentiens est, in suam naturam transmutet, caloris proprij substantiam augebit. Sin uerò ipsum temperamentum mutatum sit, utiq; uel calorem quendam conquiret, si id à quo est mutatum, sit calidum: uel etiam proprium amittet, si id minimè calfaciat.

*Ad aliquid quæ dicantur.*

Quare omnia eiusmodi ex eorum sunt numero, quæ ad aliquid relata dicuntur: cùm ad proprietatẽ mutantis naturæ, quicquid assumitur, uel nutrimenti, uel medicamenti, uel utrunque nomen sortiatur.

*Cicuta sturno nutrimentũ existit.*

*Veratrũ est nutrimentũ coturnicibus.*

Verbi gratia, cicuta sturno nutrimentũ existit, homini medicamentum. Rursus, coturnici ueratrum est nutrimentum, homini medicamentũ. Ergo manifestum iam arbitror factum, iudicium eius quod respectu nostri calidum, frigidum, humidum, atque siccum dicitur, non ex ijs quę posita extrinsecus sunt, sed ex illis quibus ipsi afficimur, certum exactumq́ fieri posse: atque id tanquam primum ac maximum spectandum esse: deindè, si res exigit, etiam quod ab externis petitur: idq́ nõ quouis modo, sed secundum quæsitæ rei substantiã.

*Medicamẽta & nutrimenta exploranda esse; admouẽda tepida, & corporis simplicissimo affectui.*

Vt igitur absolutissimè iudicemus, cibus uel medicamen quod admouetur corpori, expers esto omnis acquisititij caloris & frigoris, planeq́ sit tepidum. Nam siue potestate frigidum, cùm id applicas, manifestè calfacias, siue calidum refrigeres, corpus primo occursu qualitatis acquisitæ, non eius quæ propria est rei admotæ, sensu afficietur. Applicetur autem ipsum medicamentum, quum eius uim exploras, non cuilibet corporis affectui, sed simplicissimo, & summo.

Quòd si summi quidem caloris affectioni admotum, frigoris sensum excitet, erit profectò sic frigidum. Pari modo, si frigido affectui applicitum, calidum statim appareat, id quoque erit calidum. Sin uel calidæ affectioni calidum, uel frigidæ frigidum percipiatur, nõ est quòd hoc calidum, illud frigidum omnino pronuncies.

*Accidentariæ actiones qualiter iudicandæ.*

Iudicabimus autem quod ex accidenti aliquid facit, tum ex affectu ipso, tum tempore. Ex affectu, si unus sit, & simplex: ex tempore, ad hunc modũ. Quod protinus ut admotũ est, manifestè calfacere uel refrigerare cernitur, id utiq; ex se, & per se tale fuerit. Quod tempore id facit, fortasse ex accidenti aliquo huc est actum.

*Aqua perfusio frigidæ, calfacit ex accidenti.*

Veluti iuueni quadrati corporis tetano æstate media laboranti, frigida liberaliter affusa, caloris repercussum ex accidenti facit, cutim nimirum astringens. Cæterùm quòd aqua frigida per se minimè calfaciat, ex primo eius occursu patet.

*Calor ex accidenti refrigerat.*

*Phlegmones generatio & curatio.*

Sed non minus quandoque calor ex accidenti perfrigerat, uacuatione utiq; intercedente: sicuti perfusio phlegmonem. Cùm enim ex calida fluxione consistat phlegmone, propria quidem eius curatio, uacuatio superuacui est, cui succedit affectæ partis

tis

tis refrigeratio. Ergo cū duplex, in his quæ phlegmone laborant particulis, affectus cōsistat, unus quidem in quantitate, alter in qualitate, sequitur prioris curationem, etiam posterioris curatio: fiuntq; ex accidenti ea medicamenta, quæ materiam calentem euacuant, inflammationis etiam particularū refrigeratoria. Sed pro modo simplicis affectus etiam uirtū medicamēti inueniat modus. Nempe calido in summo affectui, frigidum in summo medicamen paretur. Paululum recedenti à summo, medicamen etiam pro ratione adhibeto, quod declinet parū à summo frigore. Quippe si auspicatus à tali coniectura examen ipsorum sis, facilius propriam uim eorum inueneris. In uniuersum autē, in omni simplici affectu calido, quodcunq; adhibitum medicamen primo statim occursu, frigoris sensum intulit, id frigidum potestate est: ac multò profectò magis, si post primam exhibitionem tale perpetuò manet. Quòd si prorsus calidū ipsum affectum sanet, frigidum id ex necessitate fuerit. Adhibendum uerò est, quum exploratur quidem, omnino tepidum. Vbi autem iam cognitum est, & gratia curationis petitur, rectius frigidum sumitur: nisi medicamen quidem ipsum, summi sit frigoris, morbus autē in summo calore non sit. Porrò cùm frigidum calidúmue aliquid per se, uel primò, uel nullo intercedēte medio, esse dicimus, omnibus eiusmodi uerbis idem potestate significamus. Quemadmodum igitur actu calidum corpus dicitur, uel ut summam caliditatem habens, uel ut præpollentem duntaxat, uel ut collatum ad mediocre sui generis, uel ad quoduis aliud, quicquid sors ipsa tulerit, sic etiam quod potestate calidum est, intelligi, probariq; multis modis oportet. Quo utiq; minus rectè, si quid non statim inflammatur, id aliqui, ut ad nos quidem, calidum nō esse potestate existimant. Nam siue facilè concoquitur & citò nutrit, siue admotum, ueluti medicamentum, calfacit, erit id ut ad hominem potestate calidum. Est enim ex ijs quæ ad aliquid referuntur, quicquid potestate aliquid dicitur. Quare & probatio quę propria est, melior utique est, quàm quæ ab externo petitur. Propria uerò est una in singulis, utique si celeriter tale fieri appareat, quale id esse potestate diximus. Est enim potestate ignis, quicquid celeriter in ignem uertitur. Potestate uerò calidum, ut ad hominem, quicquid hominis applicitum, naturalis eius caloris uel qualitatem, uel substantiam adauget. Idem etiam & de alijs censendum est, quæcunq; potestate frigida, humida, & sicca dicuntur. In omnibus autē, tactus ipse, qui iudicaturus est, omnis acquisititij caloris frigorisq; oportet sit expers.

*Frigidum potestate.*

*Medicamē quale applicandum sit.*

*Actu & potestate calidum quotupliciter dicatur.*

*Quæ potestate dicuntur, etiam referūtur ad aliquid.*

*Probatio propria.*

*Tactum iudicaturum temperamēta, debere esse expertē alienarū qualitatū*

## GALENI PERGAMENI de inæquali intemperie, liber unus.

INæqualis intemperies aliàs in toto animalis corpore fit, ueluti in ea hydropis specie, quā anasarca uocant, ac ferè in omnibus febribus, exceptis quas appellamus hecticas: interdum in singulis partibus, idq; tum ob fluxionem, ut dum ex tumore aliquo præter naturam affectæ sunt: tum ob solā qualitatū alterationē, quæ multifariā solet accidere, atq; in octo intemperaturas, quatuor quidē simplices, quatuor uerò cōpositas, ut diximus antea, digeritur. Quòd autem eiusmodi intemperies eò ab æqualibus distent, quòd in omnibus intemperanter affecti corporis partibus, non insint æqualiter, id clarè liquet. Ergo quis sit omnis inæqualis intemperaturæ generandæ modus, in proposito libello exequi est animus. Meminisse tamē oportet, corpus quidē ipsum diuidi in maximas partes: has rursus, in alias minores: atq; illas deniq; in similares & primas, quas diuisisse in aliam speciē nō est: quinetiam cōplura esse spacia inter ipsas similares particulas, atq; ijs etiam plura & maiora, inter ipsas instrumentarias, compositasq;: aliqua uerò, & in unaqualibet similari particula, ueluti osse, cuteq;. At quæ mollia quidē sunt corpora, ea, quoniā sibi inuicem incumbūt, interposita spacia latêre conspectū nostrū faciunt. Quæ dura siccaq; sunt, in ijs cernere spacia licet: sicuti ossium cauernulas, quæ plurimo humore tum crasso, tum albo refertæ sunt, ad alenda ossa. Quandoquidem igitur omniū particularū inæqualiter affecti corporis, non eadem est temperies, certè differentiæ ipsius intemperamēti inæqualis, naturam corporū affectorū sequentur: cùm aliter simplex caro, aliter uniuersus musculus, impari temperamento afficiatur. Quippe calida fluxio, ubi procubuit in musculum, primū maiores arteriæ, uenæq; opplent, ac distenduntur. Ab his, minores: atq; ita res procedit ad minimas. In ijs, ubi ualenter impacta fluxio est, neque adhuc sistitur, pars quidem eius per ipsarū ora, pars per tunicas transcolatur ad exteriora. Tum uerò spacia ipsa uacua, quæ inter prima sunt corpora, fluxione implentur. Sic omnia ab humore, omni ex parte incalescunt, & perfunduntur. Ea sunt nerui, ligamenta, membranæ, caro ipsa, anteq; hæc, arteriæ & uenæ, quæ scilicet & primæ, & præter cætera, uario dolore afficiuntur. Interius nanque à fluxione tum excalfiunt, tum distenduntur, & diuelluntur: exterius nō modò calfiunt, sed etiam premunt, ac degrauant: appellaturq; morbus ipse phlegmone, quę musculi inæqualis est intemperies. Feruet enim iam qui in eo est sanguis: ac secum excalfacit primùm quidem, ac maximè, arteriarum atq; uenarum tunicas: mox omnia quæ extra has sunt, quibus scilicet circunfunditur. Ita duorum alterum necesse est sequi, ut si fluxio uicerit, corruptio sequatur uictorum corporum: sin fluxio sit uicta, ut musculi ad naturalem statum redeant. Esto igitur prius uicta fluxio: duplex hìc incidit curationis genus: nempe aut discussio omni eo quod in partem confluxit, aut cōcocto. Verùm discussio, siue digestio, optanda maximè curatio est. Concoctionem hæc duo necessariò sequuntur, puris generatio, & eius in aliquod spaciū abscessio. Abscedit aliquando in capacitatum quæ proximè sunt, tum maximam, tum minimè momentaneam: q̃d sanè abscessionis genus optimū est. Aliàs in nō momentaneam quidem, non tamen maximam. Interim in maximā, non tamen

*Inæqualis intemperiei, æqualisq; discrimen.*

*Inæqualis intemperantia quotupliciter accidere possit.*

*Corporis humani diuisio.*

*Spacia partibus insita.*

*Inæqualis intemperantiæ differentia, naturā corporū affectorum sequuntur.*

*Phlegmonis generatio exquisita.*

*Phlegmone est musculi inæqualis intemperantia.*

*Phlegmones curatio.*

*Digestionē phlegmonis, esse illius curationem optandam.*

*Phlegmonis concoctionē quæ necessariò sequantur.*

non momentaneam. Ac quæ in uentriculum incidunt abſceſsionū optima eſt, quæ in ſinum eius internū abit: in quem etiam plerunq; ſe aperiunt. Mala uerò, quæ ſub peritonæum.

*Abſceſſuum modi diuerſi.*

Pari modo in ijs quæ circa cerebrum exiſtunt, bona eſt, quæ in priores uentriculos eius abſcedūt: mala quæ ſub inuolucra ipſius, & quæ etiam in poſticum eius uentrē ſe recipit. Qui uerò circa coſtas colliguntur abſceſſus, hi in capacitates erumpunt pectoris. At muſculorum abſceſſus, ſub cutem: uiſcerum autem, in arterias & uenas, quas in ſe cōtinent: uel in membranam quæ ipſis procure eſt. Verùm ſi uictæ à fluxione fuerint particulæ, in tantam intemperiem deuenient, unde tum earum pereat actio, tum ipſæ tempore corrumpant.

*Inflāmatæ partis dolor quando ſoluatur.*

Porrò deſinēt tum primū dolere, cùm mutatrici qualitati fuerint aſsimulatæ. Nō enim cùm mutata particularū tēperies iam eſt, dolent, ſed dum mutant.

*Dolores fieri, dū alteratur, corrūpiturq; natura.*

Siquidem dum alteraſcit, corrumpiturq; natura (quemadmodum dixit Hippocrates) dolores fiunt. Alteratur autem, corrumpiturq; natura cuiuſque, cùm uel calfit, uel frigeſit, uel humectatur, uel exiccatur, uel unitas eius diſſoluitur, in ijs quidem intemperantijs, quæ inæquales ſunt, ex calfaciendo, uel frigefaciendo, potiſsimum: quippe cùm efficaciſsimæ qualitates hæ ſint: ſecundo loco, è ſiccando uel humectando.

*Qualitates efficaciſsimæ quæ exiſtant.*

Ex eſuriendo uerò, uel ſitiendo, deficiente hic humida, illic ſicca ſubſtantia. Ex uulnerando, & rodendo, & tendendo, & premendo, & conuellendo, unitate ſoluta. Ergo ſi calor ſanguinis in particula quæ phlegmone laborat, eſt mitis, tum qui in toto animalis eſt corpore, mediocriter tēperatus, non facilè unà cum afflicta particula calfit. Sin uel ille ſeruet uehementius, uel qui per totum ſpargitur animal biliosus eſt, illicò totus ad calorem uertitur. Multò uerò magis, ſicubi ambo concurrunt. Porrò calfit primū, qui in arterijs eſt ſanguis. Poſt hūc uerò etiam qui in uenis eſt. Quòd ſi in propinquo uiſceri cui plurimus ſit ſanguis, obieſſa phlegmone particula fuerit, iam celerius cum hoc, uniuerſus qui in animali eſt ſanguis ipſum calorē excipiet. In ſumma, quicquid facilè alterabile eſt, aut calidū natura, id à quouis calfaciente primùm calfit. Non ſecus & ab eo quod frigefacit, quicquid facilè alteratu eſt, uel natura frigidum, id primùm refrigeratur.

*Spiritū alterari facilè.*

Ac promptus quidem, ut alteretur, ſpiritus eſt. Calidiſsima autem natura eſt, flaua bilis: frigidiſsimaq; pituita. Sanguis poſt flauam bilem maximè eſt calidus. Sicuti nigra bilis poſt pituitam, eſt frigida.

*Flaua bilis eſt calidiſsima.*
*Pituita eſt frigidiſsima.*
*Sanguis qualis.*
*Atra bilis qualis.*

Quinetiā alteratur flaua bilis leui momento, ex quouis in eam agente. Nigra ægrè alteraſcit. In ſumma, quicquid tenuium eſt partium, id promptè alteratur. Cōtrà, cui craſſæ ſunt partes, ægrè.

*Tenuiū partiū omnia promptè alterari, craſſarum cōtrà, ægrè.*

Iam uerò quæ perſpiratu carent, celerius putreſcunt, præſertim ſi calida ſint & humida.

*Perſpiratu carentia celeriter putreſcere.*

Quare, pro uarietate horum omnium quæ dicta ſunt, neceſſum eſt multifariæ phlegmonum inæquales alterationes incidant: maximè quidem inflammato eo qui in phlegmone eſt ſanguine: dein eo, qui in uiſceribus habet & corde: atq; huius maximè eo, qui in ſiniſtro eius ſitu cōſiſtit. Etenim ubi totū corpus incaleſcit præter naturam, ſinus ille ad ſummum calorem peruenit, cùm tenuiſsimum ac maximè ſpiritoſum ſanguinē habeat, & moueatur perpetuò. Cæterùm in febribus id genus omnibus, calefit quidem ſanguis aliquādo uniuerſus, *recipitq; calorem illum præter naturam, qui ex humorum putredine eſt ortus. Non tamen aut arteriarum, aut ipſarum uenarum tunicæ, aut aliud ullum circumiacentium corporum, ſuā prorſus mutauit temperiem, ſed adhuc calfiēs mutatur: quòd ſi id patiatur diutius, etiā aliquando uincetur, prorſuſq; mutabitur. Terminus mutationis cuiuſq; particulæ, eſt functionis illius læſio.

*Functionis læſionem eſſe terminum mutationis cuiuſq; particulæ.*

Ad quem uſq; terminū omnis alterationis latitudo, uia eſt in id, quod præter naturam eſt. Ergo toto hoc tempore corpus incaleſcens, pro modo alterationis, ad portionē ſentit dolorem. Quum uerò omnes ſolidæ particulæ corporis excalfactę ad abſolutionē iam ſunt, eiuſmodi febrim Hecticam Græci nominãt, ceu non amplius in humoribus & ſpiritibus, ſed in corporibus ijs, quæ habitus rationem habent, comprehenſam.

*Hecticā febrim occupare ſolidas corporis partes.*

Hæc doloris eſt expers: putātq; qui ea febriūt, omnino ſe nō febrire.

*Hecticam febrē eſſe doloris expertem.*

Neq; enim eius calorem percipiunt, nimirum omnibus eorum partibus æquè percalfactis: quum neque etiam citra alterationem ſit ſenſus, neque in ijs quæ iam ad perfectionem ſunt alterata, dolor.

*Senſus non eſt abſque alteratione.*

Porrò, quod alicubi Hippocrates ait, omnē morbum eſſe ulcus, id quidem nō uſqueadeo alienū uideri debet.

*Morbum omnē eſſe ulcus.*

Vlcus nanq; unitatis ſolutio eſt.

*Vlcus eſt unitatis ſolutio.*

Immodicus antē calor, ſegregandu ſubſtantiæ continuitatem: ſummum uerò frigus, ſtipando, exprimendo, & quaſſando, proximè accedunt ut unitatem ſoluant: id quod certè immodici caloris & frigoris terminus cōmodè ſtatui poterit. Cęterùm omnis immoderatus exceſſus, in habitudine conſiſtit ad aliquid.

*Exceſſum omnē immoderatum, conſiſtere in habitudine ad aliquid.*

Non enim pari ratione à calidis frigidisq; afficit omne corpus. Vnde fit, ut aliqua animalium cōuenientes inter ſe ſuccos habeant: aliqua nō ſolùm nō conuenientes, ſed etiā qui ſe mutuò corrumpant: ueluti homo, atq; uipera, quorū utriuſq; ſaliua alteri pernicies exiſtit. Ita utiq; & ſcorpium necaueris, ſi illi ieiunus inſpuas.

*Saliuam ieiuni hominis enecare ſcorpionem.*

At non homo hominē, nec uipera uiperam, nec aſpis aſpidem, morſu interimit. Siquidem quod ſimile eſt, id cōgruum, amicumq; eſt: quod contrarium eſt, inimicum & noxium.

*Similia omnia, ſibi eſſe mutuò congrua & amica.*

Augetur enim quidq;, ac nutritur, ſimilibus: perimitur & corrumpitur à diſsimilib.

*Diſsimilia, eſſe inimica & noxia inuicem.*

Quocirca ſanitatis tutela, per ſimilia perficit. Morborum ſublatio, per cōtraria.

*Sanitatis tutelam per ſimilia perfici.*
*Morbos per contraria tolli.*

Hecticā itaq; febrem minimè ſentit, qui ea laborat. Reliquarū febriū nulla eſt, quæ non à laborante ſentiatur: ſed alię magis, alię minus ſunt graues. Sunt enim ex ijs, & quę rigorem ingerant: quod ſymptoma fit ab inæquali intemperie.

*Febris putrida.*

Iam uerò accendi febrem, & citra phlegmonem, ex ſolis humoribus putreſcentibus, licet: ſicuti & aliud genus inæqualis intemperiei in toto corpore oriri, modò fuliginoſo uapore detento, modò exercitationibus & pluſculis laboribus calore adaucto, modò ab ira, modò à deuſtione quauis externa, ſanguine incaleſcente.

*Febris ephemeræ generatio.*

Quòd igitur intemperies ipſa nonnunꝗ ſpirituoſam duntaxat inuadat partē, nonnunquā etiam ipſos humores, quodq; omnibus huiuſ-

huiuſcemodi febribus, ſi diu perdurauerint, hectica superueniat febris, nemini obſcurum existimo. Quemadmodũ ergo ex deuſtione accenditur febris, ita nonnulli ſæpe ex frigore refrigerati uehementer toto corpore ſunt: aliqui uerò etiam perierũt. Sed quòd ij omnes etiã doleant, ne id quidem latet. Dolẽt etiam, maximeq́ circa unguium radices, & qui ex rigore ingenti uehemẽter perfrigerati, celeriter ſeſe calfacere properarunt.

*Refrigeratio uehemens.*

Quam quidem inæqualem intemperantiam, quũ uideat apertè quis eſſe cauſam doloris, non eſt quod de cæteris dubitet: nec ſi ſimul rigeãt & febricitẽt ægrotantiũ aliqui, ſentiantq́ humorem pituitoſum, qui frigidus eſt, mistum amaræ bili, quæ eſt calida, moueri per ſenſibilia membra: ut in epialis febribus, in quibus ſimul ambas qualitates contrarias intra corpus æger ſentire uidetur, cùm nimirum calidum ipſum & frigidum, per id genus febres, tenuiſsimis portiunculis aſpergantur, adeoq́ miſceantur inuicem, ut ne minimam quidem unius ſumere poſſis particulam, in qua alterum * nõ ſit comprehenſum.

*Doloris cauſam eſſe inæqualem intemperantiã.*

*Epiala febres.*

In ipſa tamẽ acceſsionis inuaſione, nõnulli & rigent & ſitiunt: atq́ intus quidem, & in ipſis uiſceribus, magnũ incendiũ: in externis autem partibus, frigus maximum ſentiũt. Ac tales febres ſunt, quæ græcè lypiriæ uocantur, atq́ ardentium febrium quoddam perniciosiſsimũ genus.

*Lypiria febres.*

Quinetiam ijs qui rigent, nec tamẽ febriũt, inęquale temperamentum adeſt. Rarum tamen eſt id ſymptoma, licet tum mulieribus, tum uiris quibuſdam accidat, ubi aut deſes uita, aut cõtinua ciborum copia præceſsit. Porrò antiquitus nemo, ut uidetur, ita eſt affectus, cùm neque adeò ocioſi, nec in uictus ſaturitate tunc uiuerent. Vnde factum eſt ut ſcripſerint ueteres medici, rigori febrem neceſſariò superuenire: tametſi ſæpenumero rigorem uiderimus, quem nulla ſequuta ſit febris.

*Rigor abſq́ febre, quibus accidat.*

*Veteres fuiſſe temperantiores.*

*Rigorẽ ſæpe accidere citra febrim.*

Componitur autem ex hac intemperie, & ea quæ febrientium eſt, epialus. Appello ita febrẽ illam, cui ambo ſemper ſimul accidunt. Nam in qua rigor quidem pręcedit, febris ſequitur, uelut in tertianis & quartanis, hanc epialam non uoco. Ita ex duplici inæquali intemperie epialus componitur, atq́ etiam aliæ ferè omnes febres, pręter hecticas.

*Epiala febris quæ dicatur.*

*Febres ferè omnes præter hecticas, conſtare ex duplici inæquali intemperie.*

Pariter & qui particulæ alicuius cum tumore ſunt morbi, hi quoq́ omnes cum temperamento inæquali cõſiſtunt: ut cancer, eryſipelas, carbunculus, herpes, œdema, phagedæna, gangręna: differunt tamen, pro ipſa fluxionis diuerſitate. Siquidem qualis fluxio fuerit, talem pręter naturam tumorem gignet.

*Tumores iuncti cum inæquali intemperie.*

## GALENI PERGAMENI de optima corporis conſtitutione, liber Vnus.



Vandoquidem temperamentũ ex calido, frigido, humido & ſicco, definitum congruenti menſura, ſimilariũ membrorũ exiſtit ſanitas: noſtri autẽ ex omnibus his conſtructio, poſitione, magnitudine, figura, & partium numero conſtituit: concedendũ iure eſt, corpus aliquod, licet ex plurimis optimè tẽperatis particulis compoſitũ ſit, ſecundum tamen ipſarũ magnitudinem, aut numerũ, aut figuram, aut mutuum inter ſe cõnexum, nõnihil poſſe uitij contrahere.

*Similariũ partiũ ſanitas quæ ſit.*

Porrò, ut à cõmuni notione exordiamur, ſaluberrimum corpus omnes uno ore laudant: necnõ id quod Græci εὐεκτικώτατον uocãt, hoc eſt, optimo habitu pręditum: idq́ ad unam, eandemq́ rem reſpicientes. Quippe omniũ ipſius corporis particularũ functiones eſſe robuſtas aiũt, nec à morbiferis cauſis facilè uinci poſſe.

*Notio cõmunis.*

*Saluberrimum corpus.*

Cæterùm cùm ipſæ particulæ functiones ſecundum naturam promptè obeunt, ſanitas eſt. Vbi uerò id cum quodam etiã robore præſtant, bonus habitus dicitur. Cõmune autem utriſq́ eſt, nõ facilè morbis ſuccumbere. Quare bonus habitus, omnium illa ſaluberrima cõſtitutio exiſtit, quam uniuerſi percupiunt: cuius accidens & menſura eſt, in obeundis functionibus ſtrenuitas, atq́ conſtantia. Qua ratione meritò bonus habitus appellatur.

*Sanitas quando dicatur.*

*Habitus bonus quãdo dicatur.*

Meminiſſe autem oportet, noſtra corpora ex miſcella quatuor elementorum conſtare, uariasq́ eſſe partium temperaturas: ad hæc, ſingulis organicis membris unicam ineſſe particulã, cui tota actionis cauſa tribuitur: cuius gratia reliqua omnia creata ſunt, quæ totum cõplent inſtrumentũ. Quibus præmiſsis, erit optima corporis conſtitutio ea, in qua ſimilares partes propriam temperiem poſsident, necnon cuiuſq́ inſtrumentariarũ compoſitio ex illis, ſecundum ipſarum magnitudinẽ, numerum, figuram, mutuumq́ inter ſe connexum, certa quadam & exacta menſura conſtructa fuerit.

*Corpora noſtra conſtare ex quatuor elementorum miſcella.*

*Inſtrumentorũ ſingulis ineſſe particulam unicam, cui tota actio tribuitur.*

*Conſtitutio optima quæ.*

Quocirca id tale corpus optimè ſuis fungetur actionibus, ac proinde aliorũ omniũ & firmiſsimũ erit, & minimè prolabetur in morbos. Siquidem uniuerſis cauſis morbificis tam extrinſecis quàm intrinſecis facilè reluctabitur, quòd omnino ab utriſq́ extremis recedat, adeoq́ optimis ſuccis abundet, ut triſtitiã, iras, uigilias, curas, imbres, ſqualores, & peſtilentiam, alijs omnibus ferat multò facilius. Nam quæ maximè uitioſis ſuccis redundãt, facilè ab huiuſmodi cauſis tentantũ, utpote quæ per ſe iam morbis proxima ſint.

*Vitioſis ſuccis redundantia corpora, facilè à cauſis morbificis affici.*

Quoniã autẽ ſanitas extendi in ſatis amplam latitudinem poteſt, non ſolùm in hoc commentario corpus illud abſolutiſsimũ, quod rarò inuenitur, & tanquã Polycleti regulæ exemplum eſt, debes effingere, ſed eorũ etiam meminiſſe, quibus cum quotidie uerſamur, quæq́ ab eo breue aliquid deficiunt, nõ tamen adhuc inſignem admodum lapſum ſunt nacta.

*Sanitatis eſſe latitudinẽ amplã.*

Quod igitur exquiſitè bona temperie prædítũ eſt, mediũ ſanè locum obtinet inter molle & durum, & inter hirſutũ & glabrum: pariter neq́ amplis, neq́ anguſtis eſt uenis, nec pulſibus magnis aut paruis recedere à mediocritate uidetur. Quod uerò undecunq́ exacta in inſtrumentarijs particulis menſura conſtat, id tanquam Polycleti eſt regula.

*Temperatiſsimi corporis notæ.*

*Polycleti regula.*

At ea corpora quæ iam calidiora ſunt, plus quàm par ſit, non tamen admodũ multò, pariter etiam quæ frigidiora, humidiora, & ſicciora modicè, etſi partẽ unam nõ rectè efformatã habeant, corpori tamen ſymmetro nõnunq̃ pręſtare uidentur. Quippe ubi id genus corpus moderato durius euaſerit, aduerſus omnes externas

*Durius moderato corpus aduerſus externas cauſas firmius redditur: mollius, aduerſus internas.*

causas, firmius ac tutius redditur. Vbi uerò mollius, aduersus internas. Atq; eadem ratione ubi densius fuerit, externis magis resistit. Vbi uerò rarius, ab internis minus offenditur. Raritas siquidem corporis, quibus plus recrementi per difflationem educitur, salubrior existit: quibus uerò minus, insalubrior. Nam ab omnibus externis causis facilius corpus rarum oblæditur. Corpus autem quod exquisitissima cōstat mensura, nec rarū, nec densum dici potest, sed in medio prorsus consistit. Cui quidem utrunq; excedentiū corporū præstat secundū aliquid. Quod enim densius est, magis ab exteriorib. causis est tutum: quod uerò rarius, ab interioribus. Vtrisque autem quod exactè resistat, planè non inuenies. Sed mediocriter id resistit, quod inter omnes excessus est mediū, quod'q; omniū etiā corporum saluberrimū esse censemus. Quare id singulis excedentibus mediū, secūdum aliquid est deterius: collectim uerò omniū optimū, & maximè eligendum uidetur. Quòd autem corpus ipsum, quod tum similaribus, tum instrumētarijs particulis optimè constitutum est, uel paruum, uel magnū, uel mediocre necessariò esse nō debeat, hinc discas licet, quòd magnū quidem, ob humoris, uel materiæ multitudinem: paruū autem, ob siccitatem, aut ob materiæ penuriā efficitur tale. Potest itaq; aliquod corpus & pulcherrimum, & optimè temperatum effici, quantamcunq; magnitudinē sortitum id fuerit. Augmentum enim fit, quousq; ossa confirmentur: confirmantur autem, in exigua magnitudine, ob materiæ defectum, uel ob siccitatē: ita ut simpliciter neq; magnitudo, humiditatis indicium sit, neq; paruitas siccitatis, nisi aut magnū molle, aut paruum etiam sit durum. Quamobrem optimā cōstitutionē in his duobus meritò collocabimus, moderata scilicet consimiliū particularū temperie, necnō exactissima instrumentaliū mensura.

*Raritas corporis quibus salubrior & insalubrior.*

*Densius corpus magis esse ab extrinsecis causis tutum.*

*Medium exquisitè corpus, excedentibus mediocritatem, secundum aliquid esse deterius.*

*[M]agnū corpus, vnde sit tale.*

*Paruum corpus vnde fiat tale.*

*Magnitudinem nihil cōferre ad optimā constitutionē corporis.*

*Augmentū fit, quousq; ossa confirmentur.*

*Optima corporis cōstitutio in quibus cōsistat.*

## GALENI PERGAMENI
### de optimo corporis habitu, liber vnus.

HAbitus nomen de omni fixo & uix solubili pronunciare consueuimus: nihil adhuc magis laudātes, uel improbantes. At cùm bonum habitū aut malum dixerimus, iam tūc qualem nam habitū dicamus, distinguimus. Quippe bonus simpliciter habitus, optimam corporis constitutionem sequitur: eum uerò qui non simpliciter bonus sit, in quacunq; corporis natura reperire licebit, aut simpliciter, aut ad aliquid relatum. Igitur quum sanitas latitudinem habeat, intensionem quidem ipsius medici bonum habitum uocant: lapsum uerò nondum nomine proprio appellarunt, sed perinde ac genus ipsum, sanitatem nuncupauerūt. Itaq; bonus habitus optima quædam sanitas est. Cæterùm habitus Athletarum, non est simpliciter bonus habitus, ac proinde periculosus existit, si ad summum peruenerit, quemadmodum dixit Hippocrates. Nam bonus simpliciter habitus ad summum bonitatis perueniens, omniū erit corporis affectuum tutissimus. Porrò tam bono simpliciter, quàm ipsorum Athletarum habitui, bona omniū particularum temperies cōmunis est: ut etiam functionum robur, atq; succorum bonitas. Interest autem, quòd in habitu simpliciter bono, sanguinis cōmoderatio, ac totius solidarum partium molis, habeatur: in Athletico autem, horum ipsorum, potissimum'q; carnosi generis, excellens sit copia, ratione cuius periculū necessariò sequetur, si is in summo constiterit, ne aut extinguatur, & suffocetur calor innatus, ob plenitudinē illam exuberantem difflatione prohibita, aut aliquod ex præcipuis uasis rumpatur, quæ in pulmone, & in iecore, & in thorace sunt sita. Siquidem sanguis ipse, tum ob naturalis caliditatis copiam, tum ob actiotus perpetuitatem, necnon ob incrementum assiduum quasi efferuescens, ipsorum uasorum tunicas, ut mustum dolia, disrumpit. Hæc igitur omnia, nec non repentinæ omnium functionum resolutiones (ut paucis docuit Hippocrates) necessariò immoderatas repletiones sequuntur.

*Habitus de quibus dicatur.*

*Habitus simpliciter bonus.*

*Habitus nō simpliciter bonus.*

*Sanitas latitudinem habet.*

*Habitus bonus est sanitatis intensio.*

*Athletarum habitus periculosus.*

*Habitus simpliciter bonus, vel si ad summum perueniat, omniū affectuū tutissimus.*

*Habitus simpliciter boni, & nō simpliciter boni, cōuenientia, discrepantiaq;.*

*Repletiones immoderatas quæ sequantur.*

## GALENI PERGAMENI
### de animæ morum & corporei temperamenti mutua consequutione, liber vnus.



Vemadmodū ex cibo & potu, nec non ex quotidianis exercitationibus, bonam corpori conciliamus temperiem, sic etiam ex hac, ad uirtutem animæ comparandam, nonnihil emolumenti attulerimus: id quod certè in actionibus atq; uniuersis affectibus, qui secundum tres animæ species, ob temperamentorum diuersitatem maximè in puellis differunt, liquidò constat. Alij enim timidissimi sunt, alij audaces, alij inexplebiles, alij sobrij, alij uerecundi, alij deniq; admodū impudentes. Ex quo quidem in illis morū discrimine, ratione concludere aliquis poterit, non eandem omnibus animæ naturam, siue substantiā, inesse. Nam si substantia animæ esset illis per omnia similis, easdem utiq; actiones agerent: eisdem'q;, ob causas similes, afficerentur affectib. Quare hauddubiè pueri tantùm inter se animorū essentia differunt, quantū proprijs actionibus atq; affectibus discrepant. Quod quidem cùm sic habeat, facultatibus quoque different. Porrò singulorum quæ fiunt, effectrix quædam causa est, quæ ad aliquid referri intelligitur, cuiq; nomen per se est inditum. In quadam autem à seipsa ad genitū relatione, geniti facultas consistit. Quocirca tot facultatibus substantiam, quot etiam actionibus, esse prædi tam dicimus. Siquidem quia aloē (exempli gratia) uires habet purgandi, os uētriculi roborandi, cruenta uulnera glutinandi, plena ulcera solidandi, & humidas palpebras exiccādi, tot facultates, quot etiam opera, profitemur ipsam sortiri. In uniuersum autem, animæ species sunt tres: rationalis scilicet, irascibilis, & appetitoria. Quarum quidem illa prima (quam etiam intellectricem uocamus) ueritatis, scientię, disciplinarum, atque, ut summatim dicam, honestorum omnium desideratrix est, secundum desiderij commune

*Temperiem optimam vnde conciliemus.*

*Temperiem probam cōferre ad virtutē animæ.*

*Pueriliū morū diuersitatem.*

*Animæ substantia nō eadem omnibus inest.*

*Effectrix causa.*

*Substantiā esse tot facultatib. quot actionibus præditam.*

*Aloes facultates.*

*Animæ species tres.*

*Rationalis anima quenā appetat.*

*Irascibilis anima quarum rerum flagret libidine.*

*Appetitoria anima quanam expetat.*

mune significatũ. At irascibilis, quam etiam animosam appellant, libertatis, uictoriæ, potentiæ, imperij, gloriæ, honorisq; flagrat libidine. Tertia uerò illa, quæ à Platone per excellentiam appetitoria appellata est, ueneris, esculentorũ, potulentorumq; uoluptatibus perfrui desiderat. Hæc honestũm expetere nequaquam potest: sicuti nec rationalis uenerea, nec escas, nec potum: cum quibus etiam imperium, gloriam, dignitatesq; haud iniuria aspernabit. Pariter quoque irascibilis animæ pars, quæ à rationali & appetitrice exoptantur, non appetet.

*Appetitoria anima in iecore.* *Irascibilis anima in corde.* *Rationalis anima in cerebro.* *Rationalem animam esse immortalem ait Plato.* *Animam irascibilem & appetitoriam interire cum animali.* *Corpora uniuersa cõstare ex materia & temperie.* *Temperiem necessariò esse speciem seu formã.* *Animæ substantiam quodammodo esse temperiem quatuor qualitatum.* *Animæ substantiam propriæ eius uires sequũtur.* *Ratiocinandi uim interiturã cùm cerebri sit temperies.* *Animæ uires temperiem sequi.* *Intellectricem animã, nõ quamlibet speciẽ corporis esse capacem.*

Iam uerò appetitoriam animæ partem in iecore, irascibilem in corde, rationalem in cerebro collocari, alibi à nobis est demonstratum. Ex quibus quidem rationalem esse immortalem, Plato sibi persuasisse uidet. Ego uerò, sit immortalis, nec ne, quid illi obijciam non habeo. Hoc autem mihi cum illo conuenit, species animæ, quæ in corde & iecinore habitaut, simul cum animali interire. At uerò cùm uniuersa corpora ex duobus constent principijs, materia nempe, & temperie quatuor qualitatum primarũ, quæ illi inest, & species necessariò dicenda est: anima autẽ ipsa, dum corporis dicitur esse species ab Aristotele, nõ de ea specie, quæ instrumentarijs hæret corporibus, sed potius de altero similarium & naturalium membrorũ principio dicatur, quãdoquidem ab istis primò actiones proueniũt: certè substantia animæ, calidi, frigidi, humidi, & sicci, quodammodo temperamentũ erit. Quòd autem animæ substantiam propriæ eius uires sequant, ostensum fuerit, si eius etiam actiones ita se habere declarauerimus. Quamobrem, si ratiocinandi facultas animæ pars existat, interibit utiq;, cùm & ipsa cerebri sit quædam temperies. Atq; in hunc modum omnium animæ specierum uires ipsam temperaturã sequentur: huiusq; naturæ animæ substantia fuerit. Itaq; ipsius animæ intellectricis, non quælibet corporis species est capax. Cuius tamen dogmatis nullam firmam rationẽ adferre ualeo, cùm animæ substantia, qualis nam sit, me prorsus lateat, si in incorporeis ipsam annumeremus. In corporibus quippe, tẽperamenta inter se longissimè distãtia, numeroq; permulta esse conspicor. *Incorporeæ uerò substantiæ, quæ ipsa per se subsistere queat, neque corporis qualitas aut species sit, nullum discrimen inuenio. Noui tamen illud exactè, sanguinis missione, & cicutæ potu corpus frigescere: sicuti & uehementi febri plus quàm par sit calfieri. Cur autem refrigeratum nimis, aut calore æstuans corpus, penitus ab anima relinquat, longa indagatione fangatus nõdum reperi:

*Delirium fieri flaua bile collecta in cerebro.* *Melancholia unde.* *Lethargum induci à refrigerantibus.* *Cicuta stultitiã inducit.* *Vinum mœrorẽ discutit.* *Oenopia radix.* *Vini facultas.*

quemadmodum neq; cur flaua bile in cerebro copiosiore collecta, desipimus: atra uerò, melancholia uexamur: neq; cur pituita, & omnino refrigerantia, lethargi causæ esse soleant: unde & memoriæ, & intelligentiæ iacturam facimus. Necnon cur stultitiam cicuta propinata cõciliet: omnẽ autẽ mœrorem & anxietatẽ discutiat epotum uinũ, atq; etiam œnopia radix. Porrò uinum si largius sumatur, malo est. Sin uerò quis ipsum scitè bibat, concoquet, digeret, sanguinemq; augebit, & nutriet, cum hocq; animũ mitiorẽ iuxtà & audaciorem efficiet: interueniente scilicet media temperatura, quam producet ex medijs humoribus.

*Temperamenta corporis, animæ mores uariare, illamq; explodere possunt.*

*Aspidis uenenũ refrigerare.*

Corporis itaq; temperamenta, nõ modò animæ actiones uariant, sed etiã ipsam à corpore interdum seiũgere possunt: cùm extremè frigida, calidáue medicamẽta, statim perimere assumentẽ cernamus. Quo in genere cõtinentur & ferarũ uenena. Quippe demorsos ab aspide illicò exanimari cernimus, perinde ac si cicutam biberẽt: utpote ipsius ueneno etiam refrigerãte. Sed nec minus ab humido & sicco, quàm à frigido & calido, uires animæ permutantur: ut in assumendis medicamentis, atqueadeo in quotidiano uictu, percipimus:

*Dementiam induci humiditate.* *Intelligentiã parit ariditas.*

id quod etiam demonstratur à Platone in Timæo, ubi humiditatem dementiæ, ariditatẽ intelligentiæ in anima causam esse arbitratur. Cæterùm si humiditas amentiam, siccitas sagacitatem parit, extrema siccitas extremã sagacitatem producet: admista uerò humiditas tantũ perfectæ sagacitati detrahet, quanta eius portio siccitati permista fuerit.

*Amentiã tantũ esse animantib. insitum, quantum humoris.* *Animæ mortalẽ speciem esse temperiem corporis.*

Quare animantia omnia, summa intelligentia destituta quum sint, quantum humoris, tantum & amentiæ sortiuntur. Si igitur pars animę capax rationis, unà cum corporis temperamẽto mutatur, certè mortalem speciem animæ non solùm gerere morem corpori, sed corporis etiam esse temperiem censendũ est. Temperies itaq; cordis irascibilis anima existit: iecinoris autem, appetitoria.

*Substantia quo tripliciter dicatur.* *Animam esse speciẽ, quæ temperatura existit.* *Stoicorũ de anima opinio.*

Etenim anima ipsa, substantia quædam existens, facultatibus multis prædita est. Cùm autem substantia dicatur tum materia, tum species, tum ex utroq; compositũ: animam eam esse substantiam quæ species dicitur, Aristoteles pronunciauit, aliud quippiam à temperatura esse animam planè asseuerare non potens. Spiritum autem esse animam, quemadmodum & naturam, Stoici contendunt: sed humidiorem frigidioremq; naturalem: animalem contrà, aridiorem & * calidiorem.

*Spiritus animalis est propria materia animæ.* *Materiæ speciẽ esse tẽperamentum.* *Aërem esse naturaliter frigidũ elementum.*

Quem quidem spiritũ materiam propriam esse animæ constat. Materiæ autem species, temperamentũ fuerit in cõmoderata aëreæ igneæq; substantiæ mistione consisteus. Neque enim aerem solum, aut ignem, animam esse, dicere possumus: cùm nec summè frigidum animalis corpus, nec summè calidum effici unquam appareat, neq; ab horum alterutro excellentius occupari deprehendatur. Porrò aër, suapte natura frigidum elementum est, sed per ignei elementi mistionem, mediocre, ac temperatũ redditur.

*Animam perspicaciorem reddi temperatura cõmoderatione.* *Heracliti sententia de animo.* *Sydera esse prædita intelligẽtia summa.* *Senes desipere frigiditatis ratione.*

Qui igitur animã corporis esse speciem, hoc est, formam existimant, hi non siccitate, sed temperaturæ commoderatione ipsam perspicaciorem fieri, dicere contra Platonicos poterunt, neque ob id tamen asserere, siccitatem aduersari mentis acumini: quum nimirum splendor siccus, secundùm Heraclitum, sit animus sapientissimus: quæ sententia uidetur potior. Quippe sydera pellucida iuxtà & sicca, summa intelligentia esse prædita cernimus: quã si quis illis inesse inficietur, deorum excellentiam nõ sentire, planeq; ignorare uidebitur. Cùm autem alibi senilem ętatem prolabi ad siccitatem diximus, cur haud ita pauci ad extremã usq; senectam uiuentes desipiant, si quis interroget, respõdebimus,

*Frigiditatē aduerſari omnib. animæ actionibus.*

*Animam totam corporeā ſuſpicatur Galenus.*

id non ob ſiccitatem, ſed ob frigiditatem accidere: quæ omnibus animæ actionibus officit. Ex hoc igitur ingens mihi iam oboritur ſuſpicio, ut totam animæ ſubſtantiam eſſe corporeā credam, quòd interdum non modò pereant ingenitæ animæ facultates, ſed etiam aliæ contrariæ illis introducantur: ut dum cernere quæ nō cernuntur, audire quæ non audiuntur, ſeſe quis arbitratur. Quo pacto enim ex ea quæ ipſi cum corpore intercedit neceſsitudine, in naturā planè cōtrariam tranſire poſſet, niſi aut qualitas aliqua, aut forma, aut affectus, aut facultas corporis eſſet? Porrò ex uitioſo corporis habitu languere animā, ac neminē ſpontè eſſe malum, ſed ob prauam habitudinē corporis, & rudem educationem: ac proinde nec debere turpia uituperari, profeſſus quidem eſt Plato in Timæo.

*Malum eſſe neminē vltrò, Plato aſſerit.*

Ariſtoteles autē, ſecundo de partib. animaliū, ipſius animæ uires, materni ſanguinis ſequi temperiē exiſtimat. Qui rurſus, primo de hiſtoria animalium innuit, inſtrumentariarū partiū figurationem, animæ moribus accōmodari: ac proinde ex illa recōditos hos cognoſci.

*Animæ vires ſequi temperiem menſtrui, Ariſtoteles ait.*

*Mores cognoſci ex figura partiū Ariſtot. ait.*

*Septentrionalium mores eſſe agreſtiſſimos.*

*Aſia, Aſiaticorūq; mores, magnificè commendantur.*

Hippocrates etiā in libro de aquis, aêre, & regionibus, ait, eos qui plagam Septentrionalem incolunt, aut etiā mōtana loca, agreſtiſsimis eſſe moribus præditos: Aſiam autem regionibus cæteris longè clementiorem exiſtere, in eaq; omnia multò meliora & grandiora naſci: necnon mores hominū tum mitiores, tum ad agendū prōptiores eſſe, ob optimam Aſiatici cœli temperiem: haberi tamen illic magis imbelles homines, quàm in Europa. In ſumma uerò, ſpecies & mores hominū ait plerunq; naturam regionis ſequi: calido autē, frigido, humido, & ſicco, unam regionem differre ab alia.

*Mores ſequi plerunq; naturam regionis.*

*Furibundos eſſe quibus cubiti arteria vehementer pulſat.*

*Iracundiam caloris abundantia excitat.*

*Stupidos frigiditas efficit.*

Alibi etiam tradit Hippocrates, quibus cubiti uena (ueteres enim arterias etiam uocabant uenas) uehementē ederet pulſationem, eos homines furentes exiſtere: & meritò quidem. Nam præ nimia in corde abundantia caloris, ita uehementer mouentur arteriæ: furentes autem atq; iracundos, caloris abundantia efficit. Stupidos uerò, graues, & pigros, temperaturæ frigiditas. Hippocrates itaq; uoluit, non ſolùm iraſcibilis appetitoriæq; partis animæ, ſed etiam cogitatricis uires & facultates, corporis temperaturæ adhærere, atq; illam omnino ſequi. Nec ſecus Plato, ex terræ diuerſis habitationibus, ex uario ſpiritu, ex inſolationibus, ac deniq; ex uarietate nutrimentorū, non ſolùm ipſorū corporū, ſed animorum etiam profitetur naſci diuerſitates: temperamento ſcilicet ipſo (quod ſubintelligere oportet) interueniente.

*Vino citra duodecimum annū pueros Plato interdixit.*

*Vinū lenit acerbitatem ſenectæ*

Quare pueris quidem citra duodecimū annū prorſus uino interdicit, ſecundo de legibus: idq; ne in furorem agantur. Prouectis autē, ut ipſo utantur, permittit: quippe quod aduerſus acerbitatē ſenectæ remedio ſit, animiq; mœrores diſcutiat, ac deniq; duriores mores emolliat. Etenim iuuenilis ætas calida eſt, ac multo referta ſanguine. Cōtrà ſenilis, & frigida, & ſanguinis inops.

*Vinum ſenibus cur vtile.*

*Vinum aduerſatur creſcētibus.*

*Vino quibus interdixit Plato.*

Propterea ſenibus uini potus utilis eſt: ijs autem qui creſcūt, aduerſatur q̄maximè. Iam uerò neq; in exercitu permittebat Plato ut uinum guſtarent milites, neq; in ciuitate ipſa ſerui: ſicuti neq; principes, neque adminiſtrantes rempublicam, neq; iudices, neq; hi breuiter, qui de re aliqua eſſent conſultaturi: quòd nimirum ueluti quidam tyrannus animæ facultatibus imperet.

*Vinum imperat animæ facultatibus, velut quidam tyrannus.*

Sed neq; interdiu, niſi aut exercendi corporis, aut tollendi morbi gratia, permiſit unquā uini potionē: neq; item noctu, dum liberis nauanda eſſet opera. Pro uirili autē eſſe enitendum ſingulis, ut alimento, ſtudijs, & diſciplinis ſimul & uitium fugerent, & uirtutem ipſam capeſſerent, idem profeſſus eſt. Cæterùm qui cunctos homines uirtuti comparandæ idoneos, & qui nullum iuſtitiæ amantem eſſe arbitrantur (quod eſt nullū naturalem finem ſtatuere) utriq; hominū naturam ex dimidio tantū cognouerunt. Neque enim omnes iuſtitiæ hoſtes, neq; omnes amatores naſcunt, ob corporis temperaturam utriq; tales geniti.* Ac ſanè qui talia aſtruūt, ſubinde petunt, quo uidelicet iure quiſpiam debeat laudari, uituperari, odio haberi, aut amari, cùm bonus aut improbus nō ſuopte ingenio, ſed à temperatura ſit factus, quam ab alijs cauſis quiſq; accepiſſe deprehēditur.

*Inclinatio hominum ad commendanda honeſta, & turpia vituperanda.*

Quia (ſcilicet reſpondebimus nos) omnibus hoc nobis ineſt, ut amplectamur bona, ambiamus, amemus: malum abominemur, atq; procul arceamus, ignorātes adhuc, genitúm ne ſit tale, an minus. Scorpios enim, phalangia, uiperasq; necamus, cùm tamen à natura, non ſua ſponte, talia creata ſint.

*Deus non genitus, ab æterno, & non ex ſe, bonus exiſtit.*

Primū etiam, maximumq; Deum nō genitum Plato aſſerens, bonū tamen illum eſſe pronūciat, nosq; ipſum talem ab æternitate, nō ex ſeipſo bonū effectum, natura duce colimus, & amamus. Prorſus enim nullo unquam tempore genitus eſt, omnibus ſeculis increatus, ſempiternusq; exiſtens. Meritò itaq; malos odimus, cauſam cur mali exiſtant, necdum præmeditati. Bonos uiciſsim, ſiue natura, ſiue inſtitutione & doctrina, ſiue honeſto uitæ exercitio probitatē ſint aſſecuti, recipimus, atque amore proſequimur.

*Stoicos ſuggillat Galenus.*

*Hominū genus non fuiſſe ab æterno, videtur innuere Galen.*

Quocirca Stoicos admiror, qui homines uniuerſos ad uirtutē adipiſcendam habiles eſſe opinantur, ſed ab alijs quibus cum uiuunt, à recto itinere detorqueri. Haud ſiquidē dicere poterunt, qui omniū hominū primi geniti ſunt, à quibus nam deprauati fuerint, ante ſe nullum alium habentes. Videmus enam pueros complures, ijſdem parentibus ortos, ab eiſdem præceptoribus educatos, ijſdemq; alimentis uſos, natura tamen q̄longiſsimè inter ſe differre. Quos quidem quis per deos flagitia edocuit?

*Puerorum paucos eſſe natura ad virtutē propenſos.*

Reperies enim paucos admodū pueros natura ad uirtutē propenſos, ſed à parentib. & pædagogis ad eam minis increpationibusq; conuerti. Porrò illi extrema dementia tenentur, qui nos uoluptate à uirtute detorqueri aiunt.

*Poſidonij egregia ſententia.*

Quos quidem erudiſſimus Poſidonius refutans, ait in nobis ipſis inteſtina quædam uitiorum ſemina, & tanquam igniculos deliteſcere: nec tam nobis à uitioſis cauere, quàm uitiorum incrementū reſtinguere & coërcere eſſe opus. Non enim (ut fert Stoicorum opinio) totū extrinſecus ingruit in noſtros animos uitium, ſed plurimū in ſeipſis uitioſi homines cauſæ habēt. Quod extrinſecus aduenit, longè minus eſt.

*Cōſuetudo quātum poſſit ad bonitatem morū vel prauitatē.*

Proinde ſanè conſuetudine praua accedente, ſecundum partem animæ ratione carentem,

carentem, praui reddimur: falsis autem opinionibus, secundum intellectricem partem imbuimur. Sicuti dum à bonis, syncerisq; uiris instruimur, opiniones quidem ueræ sunt, mores autẽ humani. At in cogitatrice animæ parte, intellectio, stultitiaq;, ratione maioris minorisq; euariantes, corporis temperaturas sequunt. Ipsę autem temperaturę, primam in utero generationẽ & cibũ probos succos parantẽ, habẽt autorem: atq; hæ mutuò sese & adaugent, & fouent. Calida nanq;, exempli gratia, temperies, iracũdos facit: inde rursus iracundia ingenitũ calorẽ accendit, & igneum reddit. Contrà qui mediocri temperatura constant, mediocriterq; commoti animo, ad probos succos gignendos proficiunt.

*Temperies qua sequantur.*

*Temperies calida iracundos facit.*

*Iracũdia igneũ reddit calorem insitum.*

## GALENI PERGAMENI
### *de naturalibus facultatibus liber primus.*



Vandoquidem sentire & moueri secundum electionẽ, propria animalium sunt: augeri uerò, & nutriri, plantis etiam cõmunia: erunt utiq; priora quidẽ, animæ, posteriora uerò, naturæ ipsius opera: quare animalia ipsa, simul & ab anima & à natura gubernari dicimus, stirpes à sola natura. Quanquam his etiam animã uegetatricem aliquis tribuere haud immeritò poterit, distinguens illã à sensitrice, quæ animalibus inest. Porrò cùm corpus aliquod ab ijs sub quibus antẽ fuit in nullo est immutatum, quiescere id dicimus. Quòd si in aliquo ab ijs recessit, eatenus id moueri. Vbi igit corpus ipsum ab una in alterã qualitatem mutatur, ut ab albo in nigrũ, aut à frigido in calidum, motũ ipsum alterationem uocamus: estq; unũ motus genus. Alterum genus in corporibus ijs est, quæ situm mutant: cui generi latio nomen est. Atq; hi quidem duo motus simplices & primi sunt: auctio uerò & diminutio, ex his compositi. Illa, cùm ex minori maius fit: hęc, cùm ex maiori minus: propria scilicet utrobiq; seruata forma. Alij autem duo ab his motus sunt, generatio & corruptio: illa quidem ad substantiã productio, hæc illi cõtraria. Omnibus ijs motibus cõmunis est prioris status immutatio: sicuti è diuerso quietibus, prioris status conseruatio. His præmissis, inquirendum iam nobis est, quot & quæ naturæ sint facultates: nam, quod opus edere singulæ earũ sint natæ. Porrò opus appello, quod iam factũ atq; completũ per actionẽ est: ueluti sanguinẽ, carnẽ, neruũ. Actionẽ autẽ, ipsum actiuũ motũ. Causam uerò, à qua hæc procedit, facultatem. Etenim ubi cibus fit sanguis, passiuus quidẽ cibi, actiuus uerò ipsius uenę fit motus: quã actio nem licebit ubi appellare naturę opus, nõ tamẽ opus ipsum, actionem. At mihi quidem tam uenã, quàm reliquarũ particularũ singulæ, ob certam quandam temperiem quã ex quatuor sunt qualitatibus nactæ, hoc uel illo modo uidentur agere. Quanq; Aristoteles, atq; ipsum Stoici secuti, calido & frigido omnem actionem tribuunt siccum & humidũ pro patientibus ijs subijciũt: cùm tamen satius fuisset omnũ particularum causas ad ipsas quatuor qualitates reducere Nã tametsi in animalibus & stirpibus calidum & frigidum magis agere, siccum uerò & humidũ pati, uideant, nõ ob id tamen sic res habet in omnibus. Cæterũ omnis potentia siue facultas, in relatione ad aliquid intelligitur. Primũ siquidem, actionis ipsius potentia est causa, dein etiam operis, ex accidenti quodam: quare si causa ad aliquid est, potentia quoq; in relatione dicetur ad aliquid, nimirum causa cùm sit. Cuius quidem agentis causę substantiam quandiu ignoramus, facultatem eam, siue potentiam, appellamus: in uenis quidem potentiam quandam sanguificã, in uentriculo concoctricem, in corde pulsatoriam dicentes. Incipiendum itaq; nobis ab ipsis operibus est, si certa ratione & uia, quot & quæ facultates sint, inuenturi sumus. Singula nanq; opera, ab aliqua procedunt actione. Hanc uerò omnino aliqua præcedit causa. Ergo naturæ opera dum adhuc in utero gestatur, ac fingitur animal, omnes corporis sunt particulæ. Edito uerò in lucem, cõmune in omnibus naturæ opus est, earũ ad magnitudinẽ perfectam perductio. Postea uerò, etiam ut omnes perdurent, molitio. Actiones quæ tribus his operibus respondent, necessariò tres sunt, una scilicet cuiq; generatio, auctio, & nutrino. Verùm generatio, simplex actio naturę nõ est, sed ex alteratione & formatione cõposita. Siquidem alterari oportet, efsingiq; materiam ipsam, ut ex ea gignat animal. Auctio uerò, solidarũ ac iam formatarũ animalis particularũ augmentum, ampliatioq; in longum, latum, & profundũ est. At nutrino, ijsdem partibus appositio quædam est, sed sine ampliatione. Ergo primò omniũ agamus de ipsa generatione. Profectò in uterũ, aut etiam in terram semine, statis quibusdam temporibus, multæ cõflantur partes eius quæ gignitur substantiæ, humiditate, siccitate, calore, & frigore, cæterisq; omnibus, quæ hæc sequunt, qualitatibus (hoc est tactilibus, atq; ijs etiã quæ gustu, odoratu & uisu diudicantur) inter se differentes. Quocirca si primas & elementares alterationis facultates requiris, hæ sunt, humiditas, siccitas, caliditas, & frigiditas. Si uerò eas quæ ex his inter se mistis nascuntur, tot sanè omni in animali erunt, quot fuerint in eo sensibilia elementa, hoc est, similares particulæ: quas nimirum in prima animalis generatione, natura creat, usa generatrice, alteratriceq; potentia. Propriũ autẽ uniuscuiusq; uisceris corpus, si ab eo uenas, neruos, & arterias execueris, similare, simplexq;, atq; cõpositionis est expers. Cæterùm si qua organa ex geminis constant tunicis, sed simplicibus & dissimilibus, horum ipsæ tunicæ elementa sunt. Atq; in utraq; tunica sua quædã alteratrix uis est, quæ ex menstruo sanguine eam particulam generauit. Itaq; alteratrices facultates in omni animalis genere tot membratim erunt, quot habet in se elementares particulas. Sed & actiones proprias cuiq; membratim particulæ necesse est esse, quemadmodũ & usus. At alteratrices naturæ facultates, quæ particulares sunt, omnes tunicarũ & uentriculi, & intestinorũ, & uteri substantiã, qualis est, effecerunt: cõpagem uerò, formamq;, formatr...

*Animaliũ propria.*
*Plantis communia cum animalibus.*
*Anima opera.*
*Natura opera.*
*Animalia gubernari ab anima et à natura.*
*Stirpes dispensari à sola natura.*
*Stirpibus inest anima uegetatrix.*
*Alteratio.*
*Latio.*
*Auctio.*
*Diminutio.*
*Generatio.*
*Corruptio.*
*Opus quid dicatur.*
*Actio quid.*
*Causa quid.*
*Partes omnes agere tẽperamenti ratione, quo prædita sunt.*
*Facultas omnis in relatione cõsistit ad aliquid.*
*Venis inest facultas sanguifica.*
*Cordi inesse uim pulsatoriam.*
*Partes corporis uniuersas esse naturæ opera.*
*Actiones naturæ tres, generatio, auctio, nutritio.*
*Generationẽ esse actionem cõpositam.*
*Auctio quid sit.*
*Nutritio quid.*
*Generationis progressus.*
*Facultates elemẽtares primæ, quæ.*
*Facultates ex primis cõflatæ, quot.*
*Elementa sensibilia sunt similares particulæ.*
*Alteratrices facultates tot inesse singulis animalib., quot elementares particulæ.*
*Formatrix facultas.*

quædam uirtus effinxit, quę ars optima existẽs, tam cõsultò & artificiose compingit singula, ut nõ posint aliter se habere melius. Sed neq; ipsa facultas auctrix, deest ijs qui gestant in utero, sicuti nec uis nutrix. Sunt tamen eo tempore alteratricis & formatricis potentiæ, uelut ministræ quædam, nec sustinent ipsæ primas partes. Vbi uerò perfectã magnitudinẽ animal est adeptũ, toto postquã editum est tempore, usq; ad ætatis uigorem, auctrix uirtus dominatur. Auxiliatrices & ueluti ministræ eius sunt, alteratrix & nutrix. Auctricis autem facultatis est proprium, in omnem partem proferre solidas corporis partes, quas elemẽtares & similares, simplicesq; appellauimus: id quod solius naturę proprium est munus. Nam quæ à nobis extensa sunt, sicut una dimensione id patiuntur, ita minuuntur reliquis. Quare ijs quæ augentur, necessaria mutatio est: de qua iam nonnihil dicamus. Quum id quod in nutrimenti affluit specie, corporis eius quod nutritur, omni parti affigitur, actio quidẽ ipsa nutritio est: causa uerò huius, ipsa facultas. Et alteratio quidẽ hic quoq; ipsius actionis genus est, nõ tamen qualis erat in generatione. Ibi nanq; quod os nõ erat, postea factum est os: in nutritione uerò, ei quod iam factũ est, id quod affluit efficitur simile. Ita nõ immeritò alterationem illam nominamus generationẽ, hãc asimilationẽ. Ergo generatio, auctio, & nutritio, prima naturæ operum, ac ueluti capita sunt: quare etiam effectrices horum facultates primæ principesq; tres fuerint. Desiderant tamen tum ipsarum inter se, tum aliorũ ministeriũ. Ac quæ quidem generatrix, auctrixq; desiderent, dictũ iam est. Quæ autem nutrix facultas requirat, nũc dicetur. Ergo cùm actio huius facultatis asimilatio sit, nec fieri posit, ut asimilentur mutenturq; inter se ulla, nisi societatẽ aliquam, cognationemq; in qualitatibus habeant, idcirco primùm quidem nec quodq; animal quocũq; cibo nutriri potest: deinde nec quibus nutriri potest, ijs utiq; protinus. Atq; huius necesitatis causa pluribus alterationis nutrimenti instrumentis utiq; animali est opus. Nam ut ex pane, aut lactuca, aut beta fiat sanguis, permulta sanè alteratio requiritur. Quæ quidem una est causa, cur multa sint ad alterationem nutrimenti instituta organa. Altera causa est excrementorũ natura: quibus excipiendis & euacuandis, secundum quod dam in corpore particularũ genus est destinatũ. Est & aliud tertium genus instrumentorũ, pro bonis succis undiq; per totũ corpus deferendis, tributum. Alia nanq; organa idoneũ cuiq; particulæ nutrimentũ alterando præparant, alia separant excrementa, alia transmittunt, alia suscipiunt, alia expellunt, alia salubriũ succorũ in omnem partem ferendorũ sunt uiæ. Quæ omnia unius nutritionis gratia, sunt à natura condita. Porrò nutritio ipsa, ad id ꝗd nutritur, eius quod nutrit asimilatio est: quam necessariò præcedit semper agglutinatio: sicuti & hanc appositio. Postquã enim succus is qui omnẽ animalis particulam nutriturus est, à uasis excidit, in totam eam primũ dispergitur: mox adiungitur: dein agglutinatur, ac demũ asimilatur. Differre autẽ appositionem ab agglutinatione, sicuti & agglutinationem ipsam ab asimilatione, hinc cõstat, quòd in hydrope quidem humoris fiat appositio, nõ tamen agglutinatio: in leuce autem, adhærentia quidem cernatur, at asimilatio non item. Porrò nutrimentum dicitur propriè quod asimilatur & nutrit: nam quod agglutinat, uel quod apponitur, id nõ propriè nutrimentũ est, sed æquiuocè, ut ueluti nutrimentũ: multoq; minus, quod in uentriculo cõtinetur. quanquã id etiam nutrimentũ uocamus, quod si probè concoquatur, aliquando sit nutriturũ. Cæterũ nullam esse asimilationem ueram, sed apparentem tantùm, dicunt hi qui nec artificiosam naturam existimant, nec animalis habere prouidentiam, nec denique ullas proprias obtinere facultates, quibus scilicet alia trahat, alia teneat, alia demutet, alia expellat. Asclepiades porrò nõ solùm negauit inesse renibus uim secernendi lotiũ à sanguine, uerumetiam urinam ipsam minimè quidem per meatus ureteras demitti in uesicã, sed per alias quasdam obscuras uias, ac nullo sensu perceptas, professus est, contrà quàm licet planè cognoscere, uel ex ipsa uiuorũ anatome. Sed nec admittit, æstate plus bilis ijsdem medicamẽtis uacuari, hyeme pituitæ: neq; rursus plus bilis, in iuuene: in sene, plus pituitæ. Quippę medicamenta ipsa minimè familiares sibi succos attrahere, imò uerò nihil prorsus ab ullo trahi, impudenter pronunciat. Opinio cuius ꝗ sit absurditatis plena, indicat lapis magnes: ex quo quidem uidimus ferreos stylos quinq; continenter appensos, quorum primus partem lapidis tetigit, per illum scilicet diffusa in reliquos, ipsius lapidis ui. Hippocrates uerò, qui naturæ mysteria nouit, hanc semper tum admiratur, tum prædicat. Huic facultates adesse affirmat unã, qua sibi cõueniens attrahat: alteram, qua alienũ à se repellat. Ipsam præterea tum nutrire animalia, tum augere. Iam morbos quoque finire, indicareq; ijsdem facultatibus putat. Porrò nõ modò medicamẽta purgantia proprias sibi qualitates attrahunt, sed etiam quæ surculos, & telorũ cuspides, quæ præaltè nõnunquã in carne sunt infixæ, euellunt. Iam uerò quæcunq;, uel serpentiũ uenena, uel quæ telis sunt illita educunt, hæc quoq; eandem quam magnes lapis facultatem ostendunt. Cæterùm eorum quæ uenena extrahunt, alia uenenum uiperæ, alia pastinacæ marinæ, alia alterius cuiuspiam eliciunt: liquidoq; uidere licet super ipsis medicamentis uenena iacentia. Est itaq; rebus quibusq; facultas quædã, quæ nimirum congruentem sibi qualitatem attrahit: id quod certè uel in tritico uidere licet manifestisimè. Nam si fictilia uasa aquæ plena, in tritici aceruo recondas, id humorem in se per fictilia euocans, tum molem sibi, tum pondus adijcit: cùm uidelicet triticũ ipsum trahendi ad se uicini humoris maiorẽ uim habeat, quàm uel uehemens calor Solis. Atq; ad hunc modũ renibus inest propria quædam uis lotiũ trahendi. Si quidẽ uenæ cauę pars altera, sursum ad cor ascẽdit: reliqua super spinã incedit, per totam eam ad crura usq; porrecta: cui renes à lateribus utrinq; per uenas quasdã emulgẽtes adhærẽt. Per

quas

*Auctrix facultas quando uigeat, & quæ famulentur illi.*

*Auctricis facultatis proprium.*

*Augere secundũ trinam dimensionẽ, solius naturæ est opus.*

*Augescentibus nutritionẽ esse pernecessariam.*

*Nutritio quando fiat.*

*Asimilatio.*

*Nutricis facultatis opus esse asimilationem.*

*Asimilationi quæ requirãtur*

*Organa naturalia cur instituta plurima.*

*Instrumẽtorum nutritioni inseruientium genera uaria.*

*Nutritio quid.*

*Agglutinatio semper asimilationẽ præcedit.*

*Appositio præcedit agglutinationem.*

*Nutrimentum propriè dictum.*

*Nutrimentum æquiuocè dictũ.*

*Asclepiadis error.*

*Magnes.*

*Hippocrates cultor & admirator naturæ.*

*Purgãtibus medicamẽtis inesse uim proprias sibi qualitates trahendi.*

*Medicamenta educentia uenena.*

*Attractricem uim cõgruentiũ inesse singulis rebus.*

*Triticum habere maximã uim trahẽdi sibi humorem uicinũ.*

*Renibus inesse uim lotij trahendi.*

*Latij expurgandi ratio.*

quas quidem cùm etiam feratur sanguis, quod serosum eius,& tenue est, id per renes, ceu per colatoria quædam transibit (non quidem consecutione ad id quod uacuatur, qualiter Erasistratus existimauit, sed ob renum facultatem tractricẽ, alioqui nulli ex retenta urina perirent) quod uerò sanguineum & crassum, id coërcetur, ac per uniuersum corpus regeritur. Non est autem diuersa ratio, qua urinæ per renes in uesicam feruntur, & qua sanguis in omnes animalis partes: neq; etiam qua flaua secernitur bilis.

## GALENI PERGAMENI
### *de naturalibus facultatibus liber secundus.*

*Pulmonem solũ, inter omnia viscera, nutriri ex corde.*

*Facultates naturales esse necessarias ad vitam.*

*Naturã esse per totas corporis partes extẽsam.*

*Natura ab statuaria qui differat.*

*Phidias.*

QVòd necesse quidem sit fateri uim quandã in renibus esse, quæ huiusmodi qualitatẽ, qualis in urina percipitur, ad se trahere sit habilis, superiori monstrauimus libro. Qua nimirum facultate cor etiam, unicũ ex ijs quę post iecur habentur, in dexterum proculdubio sinũ, suum alimentũ trahit, deinde per arterialem uenam ad pulmonem transmittit. Reliquorũ quippe nullum, nec Erasistrato quidem ipsi, nutriri ex corde placet, propter eas, quæ super uasis crescunt, membranas. Iam uerò, qui pro tenuitate, aut crassitie humorum, latitudine autem, aut angustia meatuũ, fieri aiunt ipsam humorũ segreganonem, hi nobis rationem reddant oportet, cur urina, quam bile esse tenuiorẽ constat, in bilis uasa nõ influat. At certè nullam aliam reddere poterũt, præter facultatem illam à natura unicuiq; instrumento statim ab initio tributam, sine qua durare animalia nõ poterũt. Siquidẽ nec uiuere, nec durare ulli animalium, uel breuissimo tẽpore fas erit, si tot in se particulas, tamq; dissidentes cùm habeat, nulla facultate utaẽ, nec quę conueniens trahat, nec quæ alienũ secernat, nec quæ id quod nutriat alterabit. Quibus quidem facultatibus utitur natura illa, quę particulas effingit, easq; sensim adauget, atq; omnino est per eas totas extensa: ut quę sanè totas per totas, fingat, nutriat, atq; augeat, ueteri semper ipsius materiæ forma mutata: quo uel maximè nomine differt natura ab statuaria, quæ foris quidẽ materiam ipsam adornat, intus autem illaboratam atq; neglectam relinquit. Phidias siquidẽ ex cera efficere ebur, aurúmue nõ potuit, sed neq; ex auro ceram: quippe horum quodq; manens id quod à principio erat, foris tantũ speciem artis adeptũ, perfecta fit statua. At natura, nullius materiæ ueterem formã seruat: alioqui sanguis omnino essent cunctæ animalis particulæ, is scilicet qui à matre cõcipiente confluit ad maris semen, instar ceræ cuiuspiam, atq; unius & uniformis materiæ, artifici subiectæ. Nulla autem animalis particula ex ea ipsa materia, fit ita rubea, humidáue, sicuti est ipse sanguis. Nam os, cartilago, arteria, uena, neruus, adeps, glandula, membrana, medulla, exanguia quidẽ sunt omnia, licet cõcreta ex sanguine, uidelicet materiali principio. Semen uerò cùm sit efficiẽs animalis principium, trahendi sanguinis possidet facultatẽ, nõ secus q̃ magnes ferrũ. Quare primò quidem competentem sibi sanguinem attrahet, quem &

*Sanguis est materiale principium, ex quo cõcrescunt nostri corporis partes.*

*Semen est efficiens animalis principium.*

*Formationis factura ratio.*

*Auctio quî fiat.*

*Cordis magnitudo in primo ortu.*

*Augeri tantum quæ viuunt.*

*Generatio quid dicatur.*

facilè uincere, & celeriter assimilare, & sibi nutrimentum facere possit. Mox arbitror secũdò attrahet, & tertiò, quò scilicet sibi molem magnitudinemq; iustam ex nutritione adijciat. Vnde iam alteratrix inuenta uis est. Tertia uerò formatrix apparebit: cuius ope semen primũ ueluti cõcretum quiddam tenue, membranam illam sibi induit, quam Hippocrates sexta die cum fœtu, Musicæ cuidam mulieri ouorũ tunicæ similem excidisse ait. Post hoc uerò reliqua etiam quæcunq; ab eo, in libello de infantis natura, sunt scripta, fingit. Cæterùm cùm augeri illa post formationem cõueniat, id profectò assequenẽ, tum in omnem extenta partem, tum uerò nutrita. Cor igitur ab initio ita mihi paruum esse, ut nihil à milij semine, aut si mauis à faba distet, intellige. Augentur porrò ea tantũ, quæ uiuunt, quorum nimirum formæ perfectæ iam sunt. At eius quod fit, processus ille qui est ad formã, non utiq; auctio, sed generatio nominaẽ. Siquidem augetur id quod est: gignitur quod nõ est. In uniuersum autẽ deridenda Erasistrati est opinio, dicẽtis attractionẽ fieri successione continui ad id quod uacuatur. Quæ ratio, tantũ succedere cõtinui necessariũ facit, quantum effluit. Hoc uerò ijs qui cõmodo sunt corporis habitu, satis ad nutritionem est: utpote quibus ea quæ apponuntur, ijs quæ effluunt, paria esse oportet. At in ijs qui ad ultimum sunt graciles, ac liberaliter refici postulant, nisi multò plus sit quod apponitur, quàm id quod uacuatur, pristinus restitui habitus nunquam poterit. Liquet igitur, quòd tanto plus sunt hi attracturi, quanto etiam pluribus egent. Trahiẽ itaq; nutrimentũ, non successione continui, ad id quod uacuaẽ, sed perinde ac à magnete lapide ferrum, qui scilicet talis qualitatis trahendæ uim habet. At uerò distributionis principium expressio uentriculi præstat: reliquũ autẽ eius progressum omnem, tum uenæ ipsæ cõtractæ ac propellentes, tum singula quę nutriũtur ad se trahentia. Quare improbè Erasistratus hallucinatur, dum horum omnium causam successionem illam ad id quod uacuatur, statuit: sicuti etiã ubi ex iecinoris scirrho gigni semper hydropem ait: id quod certè hominis planè est secordis. Siquidẽ ex diuturnis hæmorrhoidibus, uel suppressis, uel immodica profusione, hominem ad extremã frigiditatẽ ducentibus, nõ semel aut bis, sed sæpe iam aquam intercutem collectã uidi. Sicuti mulieribus quoq; tum menstruæ purgationis omnimoda cessatio, tum immodica uacuatio, sæpe hydropem accersiuerunt. Nonnullis uerò earum, & qui muliebris uocatur fluxus, in hunc terminatus est morbũ: ut interim qui ab ilijs incipiunt, alióue quopiam opportunorum ad id membrorum, hydropas impræsentiarum prætercam. Est tamen ea prima generãdi hydropis causa, quæ ex sanguificationis defectu procedit: simili genere, atq; ex ciborũ cõcoctionis defectu diarrhœa. Atqui in tali hydropis genere, nec aliud uiscus ullũ, nec iecur uitio est affectũ. Sed illud etiã, quod innuere uideẽ, præ se fert extremã absurditatẽ: nẽpe fieri posse ut bilis cibis statim mista, forinsecus nobis adueniat, non gignatur in corpore. Mel siquidẽ, nõ eò quòd plu-

*Nutrimentum trahi, nõ successione ad id quod vacuatur, sed perinde vt à magnete trahitur ferrum.*

*Distributio alimenti quo modo fiat.*

*Hydrops quibus ex occasionibus gigni possit.*

*Hydropis generãdi prima causa, ex sanguificationis defectu.*

*Diarrhœa ex ciborum cõcoctionis defectu.*

rimam in se bilem continet, sed quòd intra corpus est mutatũ, in hanc alteratur & uertitur. Quippe amarum gustantibus esset, si bilem in se extra corpus contineret: omnibusq; similiter hominibus æqualis ex eo gigneretur bilis copia. Verùm id secus habet.

*Mel florentibus in bilem conuertitur.*

Siquidem qui iam sunt in flore, potissimum si calidiore natura sint, ac uitam laboriosam transigãt, in ijs totum mel uertitur in flauam bilem.

*Mel senibus commodum.*

Senibus uerò admodum est accõmodum, utpote quibus non in bilem, sed in sanguinem conuertatur.

*Bilis generatio.*

Gignitur autẽ in iecinore, atq; etiam in uenis, ipsa bilis unà cum sanguine. Est enim exactè iam demonstratum ueteribus, dum in uenis alimentum ab innato calore alteratur, sanguinẽ quidem ex mediocri calore fieri: reliquos uerò succos, ex eodem immodico.

*Sanguis fit ex mediocri calore*

Atq; huic sententiæ, quæ euidenter sensibus apparent, omnia consentiunt: quandò & ex cibis, hi qui natura sunt calidiore, magis sunt biliosi: qui frigidiore, magis pituitosi. Simili modo ex ætatibus, quæ calidiore natura sunt, has biliosiores esse cõstat: quæ frigidiore, pituitæ magis obnoxias. Iam uitæ rationũ, & regionũ, & anni temporum, multoq; priores his, ipsarũ quoq; naturarum, quæ frigidiores sunt, eæ magis cernũtur pituitosæ: quæ calidiores, magis biliosæ.

*Frigidi morbi à pituita oriũtur. Calidi morbi à bile.*

Præterea ex morbis quoq;, qui frigidi sunt, hi à pituita oriũtur: qui calidi, hi à bile ortum habent. Cùm enim ob certam illarum quatuor qualitatũ temperiem, particula quæq; certam habeat functionem, necesse omnino est, propter eius temperiei uitium, aut prorsus corrumpi functionem, aut impediri: ac proinde uel totũ, uel in parte ægrotare animal.

*Morbi primi quatuor.*

Ac primi quidem, maximeq; generales morbi sunt quatuor: qui calore, frigore, siccitate, humiditateq; inter se dissident.

*Concoctionem uẽtriculi uitiari maximè in febribus.*

Porrò in febribus, admodum uitiatur ipsa cõcoctio uentriculi, ob calorem illum præter naturam, qui cùm substantia sua functionem lędat, meritò inter primos morbos annumeratur: quare actio ipsa necessariò ex commoda nascetur temperie.

*Actionem ex cõmoda oriri temperie.*

Neq; enim alia de causa potest intemperies primorum esse causa morborũ, nisi quòd cõmoda sit temperies corrupta. Cùm enim ab hac manent actiones, necesse est prima earum uitia, ex hac manare corrupta. Est autem cõmoda caloris temperies, ipsius actionis causa. Quare in omni actione, id quod melius est, cõmodo temperamento ferre acceptum cõuenit: quæ deteriora sunt, uitioso. Sanguinem itaq; à mediocri, bilem ab immodico calore nasci, putandum.

*Ieiunantib. diu præter consuetudinẽ, quænam accidant.*

Vnde ijs qui sani citra uitium sunt, ubi aliqua coacti occasione contra consuetudinem cibo abstinuerunt, os quidem amarum, lotium uerò biliosum redditur, atq; etiam mordetur uenter, quòd uidelicet ea quę coquuntur immodicè, primũ quidem salsiora, postea uerò amariora reddantur.

*Quæ coquũtur immodicè, primò salsiora, postea amariora reddi. Mel reddi ex lõga coctura amarum.*

Nam si mel ipsum, quod omnium dulcissimũ est, plurimum percoquere uelis, id quoque reddideris amarissimũ. Quod nanq; ad dulcedinem generandam caloris ei debebat accedere, id totum prorsus intra se obtinet. Quare si calidum cùm sit, calido adhuc iungatur, statim fit bilis, non sanguis. Postulat itaq; ut uertatur in sanguinem, naturam hominis frigidam, ætatemq; frigidam.

*Mel biliosis naturis non esse ex usu, conferre autem senibus.*

Non ab re igitur censuit Hippocrates, mel biliosis naturis nõ esse ex usu: inimicũ autẽ esse morbis, quos amara excitauit bilis. At senili naturæ, maximè cõuenìens existere. In uniuersum autẽ, corporibus calidis, quacũq; ex occasione sint calida, mel atq; dulcia omnia, generandæ bili causam præbent: ijs autẽ quæ cõtrarij sunt habitus, sanguini. Atqui non potest idem cibus alijs uerti in bilem, alijs in sanguinem, nisi intra corpus eorũ generatio peragatur. Etenim si cibus quisque à se & in se hanc habens, nec in animalis corpore mutatus, bilem gigneret, utiq; in omnibus eam corporibus pari modo generaret. Sunt igitur semper nobis causæ ipsæ inquirendæ. Qui enim intemperamentorũ causas cognorit, is facilè ad naturam suam ea reducet.

*Affectus primò labefactãs functionem, est morbus.*

Porrò affectus qui minimè ex accidenti, sed primùm & per se labefactat functionem, is uerè morbus est.

*Sanguis calidus & humidus. Bilis calida & sicca.*

Iam uerò Hippocrates temperatũ calorem, & qui modicè est humidus, sanguinis generandi causam affirmat: qua ratione sanguinem potestate calidum & humidũ esse ait, æquè ut flauam bilem calidam atq; siccam, quantumuis sit aspectu humida. Quippe dissidet quod secundum apparentiam humidum est, ab eo quod uiribus tale existit. Cùm enim ubi plurima in uentriculo flaua bilis cẽrnetur, perpetua siti urgeamur, signum est, potestate ipsam calidam esse, & siccam: æquè ut pituitã frigidam, humidamq;:

*Pituita frigida & humida.*

cum qua etiam albicans ille succus, quem βλένναν, id est, mucum, appellat Prodicus, frigidus atque humidus est. Est & alius humor frigidus simul & siccus, qui & in autumno, & in ætate illa quæ succedit uigori, crescit, quam atram uocamus bilem, flaua multò acriorem, & maligniorem.

*Atra bilis acrior & malignior quàm flaua.*

Dysenteriam siquidem quæ ab atra incipit bile, mortiferã pronunciat Hippocrates. Non tamẽ quæ à flaua oritur, prorsus mortifera est, sed pleriq; ex ea seruãtur.

*Lien receptaculum atræ bilis.*

Est autem atræ bilis receptaculum lien: qui ubi minus quàm iustũ sit, illam ad sese trahit, utputa quando est malè affectus, neq; ualenter trahit, ut sanguis impurior est, sic totũ corpus magis redditur decolor.

*Liene imbecillo, quæ accidant. Regij morbi à liene orti, nigriores.*

Tum regij morbi, qui à liene ægrotante ortũ habẽt, nigriores sunt: itemq; ulcerum cicatrices nigræ. Cæterùm quibus corpus floret, ijs lien, Hippocratis testimonio, minuitur. Quibus uerò id uiscus magnũ & tumens augescit, ijs corpus minuit, & cacochymum reddit.

*Musti & sanguinis comparatio.*

Quemadmodũ igitur in feruẽti musto duo prouenire excrementa cernimus, alterũ leuius, magisq; aëreum, quod nimirum florem uocamus: alterum grauius & magis terreum, quod appellamus fæcem: sic etiam in sanguine generando, excrementa gignunt duo, quæ illis proportione respõdent: alterũ tenue, humidumq;, & fluidũ, quod flaua dicitur bilis, & in uesicã fellis excipitur: alterum fæculentũ & terreũ, quem ueteres atrum succum appellant, quemq; ad se lien ipse trahit. Cæterùm nõ eandem habent hi succi speciem, cùm respondent naturæ modo, quam ubi præter naturã se habent.

*Flauam bilem dum ad ultimò perassatur, crassam, igneam, & uitellinã reddi. Atra bilis perassata, qualis reddatur.*

Quippe quæ flaua dicitur bilis, dum ad ultimũ perassat, crassa, ignea, & uitellina redditur. Atra etiam bilis, perpessa idem, lõgè malignior quàm naturalis, euadit. Siquidẽ tum acris, in morẽ aceti, fit: tum

corpus

corpus radit, necnon terram ipsam fermentat, ubi scilicet ascititia putredo nigro illi succo naturaliter se habenti accessit. Mihiq; uidentur ueterum medicorum pleriq;, id quod è tali succo naturaliter se habet, quodq; infrà deijcitur, & sæpe suprà fluitat, atrum uocare succum, non atram bilem: quod uerò exustione quapiã ac putrescentia, in acidã migrauit qualitatẽ, id atrãm nuncupare bilem: quod excrementũ iam præter naturã est, quum nimirũ ab ustione non naturalis caloris acrimoniã illam asciuerit, ac ueluti cinis quidam sit redditum. Sic quodammodo & fæx usta, à nõ usta dissidet. Illa nanq; admodum calida est, adeò ut carnem urat, liquet, atq; corrumpat. Altera quæ nondum est usta, ad omnia utuntur medici, ad quę terra figulari, alijsq; etiã quæ tum siccandi, tum refrigerandi facultatẽ habent. Sanè in atræ bilis sic ustæ speciem etiam uitellina illa subinde uertitur, quoties ipsa quoq; igneo percocta est calore. Reliqua bilis genera, partim ex iam dictorũ mistura constant uniuersa, partim tanquam uiæ quædam sunt ad harum tum generationem, tum inter se mutationem. Distant inter se, quòd aliæ meracæ sunt, ac solæ: aliæ ueluti sero quodam imbutæ. Verùm seri genera quæ in succis habentur, omnia sunt excrementa, purumq; ab ijs esse postulat animalis corpus. Ea uerò quę prædicta sunt, naturæ usum aliquem conserunt. Purgatur autem ab ijs sanguis tum per lienem, tum per eam quæ iecinori subest uesicã. Requirit enim sanguis in non paucis animalis particulis crassitudinem. Est etiam quando neq; in postremis flauum succum postulet, qui tamen igneus ad extremũ factus non sit. Porrò quod pituitam expurget, natura nullum instrumentum cõdidit, proptereà quòd frigida & humida est, ac ueluti ex dimidio coctum nutrimentum. Desiderat igitur talis succus non utiq; uacuari, sed in corpore manens alterari. Excrementũ uerò quod à cerebro destillat, fortasse nec pituitam quis rectè, sed mucum, & destillationem appellet. Ergo quemadmodum ex bilis generibus aliud utile naturaleq; in animalibus est, aliud inutile & præter naturam: sic pituitæ quod dulce est, id salutare esse animanti & naturale putandũ. Quod acidum salsumq; est, acidũ quidem, omnino crudũ esse: salsum uerò, computruisse. Porrò omnimoda cruditas pituitæ intelligenda est, quę in secunda concoctione incidit, quę in uenis agitur: non aũt in ea quę prima est, quęq; in uentriculo perficitur: quũ si hac destitueretur, ne succus quidẽ omnino esse posset.

*Ater succus.* — *Atra bilis.* — *Fæx usta urit atq; corrumpit carnem.* — *Vitellinam bilẽ uerti in speciem atræ exustæ, ubi nimis percocta est.* — *Seri genera omnia, esse excrementa.* — *Bilis utraq; à quib. instrumentis purgetur.* — *Pituitam expurgãs cur nullum instrumentum sit conditum.* — *Pituitam dulcem salutarẽ esse animanti: acidam esse crudã: cõputruisse salsam.*

## GALENI PERGAMENI de naturalibus facultatibus liber tertius.

NVtritionem quidem fieri, quum id quod nutrit, ei quod nutritur, assimilatur: esseq; in singulis animalis particulis facultatem quandam alteratricẽ, quam membratim assimilatricem & nutritoriã uocauimus: aliamq; præterea attractricem, quę materiam cõuenientis nutrimenti suppeditat, in proximo demonstratum est libro. Indicatũ præterea est, & quòd ante assimilationem agglutinatio fit: hanc uerò ab appositione præcedi, quæ finis est actionis quæ ab attractrice perficitur. Porrò ad nutritionem ipsam ampliori opus est tempore, quàm ad perficiendas aliarum facultatũ actiones: requiriturq; ut appositus in particula succus, si illam sit nutriturus, minimè transferatur ad alias, sed in ea quiescat: quare necessaria etiam uidetur naturæ ipsi facultas quædã retentrix, quæ id quod appositum est retineat. Talis autem uis, in maximis, maximeq; cauis instrumentis cõspicua admodum cernitur: in paruis aũt obscurior. At inter animalis partes maximè cauæ, amplissimæq; sunt, uentriculus, uterus, & quæ secundæ uocantur. Retinet autẽ uenter cibum, quoad eum concoxit: nec minus fœtũ uterus, quoad hunc consummauit. Cæterùm longè amplius perficiendi fœtus tempus, quàm cibi concoquendi. Ac proinde retẽtrix uteri à nobis multò clarius cognoscetur. Quippe nouem mensibus plerisque mulieribus perficitur in utero fœtus, qui tota quidem ceruice conniuet: complectitur autem fœtum undiq; unà cum secundis. Estq; tum oris conniuentiæ, tum moræ fœtus in utero finis, ipsius actionis utilitas. Nam ubi id completum est, cuius gratia retentrice facultate est usus uterus, utiq; hanc inhibet, ac cessare facit, propultrice, quæ hactenus quieuerat, loco eius assumpta. Sanè erat sicuti quietis huius facultatis finis, ipse usus: ita etiã actionis eiusdẽ, finis, similiter ipse usus, utpote quo excitante agat, nõ excitante quiescat. Succedentibus igitur rectè omnibus quæ in utero fiunt, expultrix quiescit omnino facultas: improsperè aũt cedentibus, non amplius expectat uterus nouem mensiũ temporis moram: imò retentrix facultas statim desistit ab opere, & expultrici ut moueatur permittit: etenim sibi mutuò succedũt. Iam uerò prægnantes ipsæ primis diebus, potissimũq; eo ipso quo semen est conceptũ, moueri, atq; in seipsum concurrere uterum sentiunt: quòd si præter hæc, citra affectum aliquem, etiam conniueat os uteri, iam semen ipsum à mare, & se cepisse, & retinere arbitrantur: quo tẽpore adeò clauditur uterus, usq; ad horam partus, ut ne specilli quidem mucronẽ admittat. At uerò Hippocrates cõniuere os uteri, & in conceptionibus, & dum phlegmone affectũ est, profitetur. Cæterùm in conceptibus, seruato naturali habitu: in phlegmone, in durum mutato. Igitur absoluto, aut etiam mortuo fœtu, sub facultate expultrice os uteri aperitur: fundus aũt, atq; uniuersę partes circũiacentes utero, sese deorsum contrahunt, atq; fœtum propellunt: idq; tanto labore & conatu, ut interdum ipse uterus excidat, potissimum cùm eius ad spinã ligamenta sunt laxa. Porrò obstetrices ipsæ non iubent surgere parturientes, neq; in sella collocant, donec ad fœtus transitũ os uteri satis patet: id quod ex assidua manuũ contrectatione sentiũt fieri paulatim. Opus autem ipsum quod à seipsis præstant parientes, non uteri est, sed musculorum qui sunt in abdomine, qui scilicet tum ad deiectionẽ, tum ad reddendam urinam nobis etiã auxilio sunt: atq; ita quidem in utero, duæ memoratæ facultates apparent. In-

*Nutritio quando fiat.* — *Facultatum naturalium ordo.* — *Nutritioni quæ sint necessaria.* — *Retentrix facultas in quibus cõspicua.* — *Partes maximè caua.* — *Vteri natura et operatio admiranda.* — *Expultricem et retentricem uteri sibi mutuò succedere.* — *Conceptionis ratio.* — *Vteri os cõniuere, & in conceptionibus, & dũ phlegmone afflig[i]tur.* — *Vteri prouidentia.* — *Obstetricandi ratio.*

uentre uerò, ad hunc modum. Quum is pro sua natura se habet, ac constrictoria uirtute utitur, quālibet exiguū sit quod in se cootinet, totū id undiq; complexus nullum uacuum relinquit locum. Quum imbecillus est, quacunq; parte complecti exactè assumpta noo ualet, ac proinde laxum quoddā spatium efficit, permittitq; ea quæ io se continet humida, ex alio in alium locū transire, ac fluctuationum sonitus edere. Talis autem uentriculus, quum imbecillus sit, haud quidem probè concoquet: sed in eo diutius uidebitur quædam manere grauitas, tum cibi, tum potus, ut qui etiam tardius cōcoquat. Eius autem diutinæ ciborum moræ, non est causa angustia infimi orificij uentriculi, quū uideamus in dies multa longè crassissima, quæ per imprudentiā uorantur, facilè excerni: sicuti & alia liquida retineri: unde neq; etiam eiusdem in uentriculo moræ finis aut terminus erit ciborum in cremorem conuersio (alioqui sorbitiones, & lac, & ptisanę cremor, in omnibus illicò transirent) sed concoctio, quæ à conuersione in cremorem res est diuersa, sicuti nutritio à sanguificatione. Est autē concoctio ipsa in uentriculo, nutrimenti in propriam eius quod nutritur qualitatem mutatio. Vbi igitur ad perfectionem concoxit cibos uentriculus, tum aperit inferius os, excidūtq; per ipsum facilè cibi, etiā si lapides, ossa, acinos, aliáue quæ uerti in cremorem non possint, plurima secum habeant. At interim dum coquit uentriculus, cibos totus (perinde ut uterus fœtū) ambit, & amplexatur, clauditurq; ad unguē infimum illius orificiū, quod pyloron nomināt. Itaq; neq; in utero, neq; io uentre, neq; in uesica utrauis, licet reperire locum aliquem uacuum, scilicet instrumentorū tunicis, ea quæ continent, semper arctè amplectentibus, quādiu naturaliter se habet animal. Quare illis omnibus ingenitæ sunt aliquę facultates, quibus retinere quę expediūt, expellere aliena, possint. Siquidem quòd bilem ad se trahat ea quæ iecinori subest uesica, suprà est monstratū. quòd aūt & in uentrem quotidie eijciat, id quoq; euidenter cernitur. Atqui si tractricis operā statim expultricis actio exciperet, nec media semper inter eas intercederet uis retentrix, par semper in uesica bilis inueniret modus: at non sic inuenitur, sicuti nec urinæ in altera, quæ lotio est addicta. Porrò ubi uentriculus circa imas partes multitudine ac acrimonia humoris afficit, si firmæ sint quę circa stomachum habentur partes, diarrhϾ citantur. Quum uerò sic eius os infestatur, si cæteræ partes ualentes sint, uomitiones sequuntur. Quippe uentriculus, non secus quàm partes reliquæ, ut conuenientem sibi qualitatē expetit, sic prorsus alienā respuit. Quare si expetit, trahet utiq;: sicuti & expellet, si etiam fastidiat aliquit. Ad hæc aūt, si traxit, necessariò etiam fruitur: id quod non licebit illi, nisi retineat. Sed ipsius fruitionis aliquis erit finis, nempe benignioris ciborum substantiæ suctus, & repositio intra uenas. Post quem finem iam expultricis facultatis agendi succedet tempus. Nam ubi abundè saturatus est uenter, quicquid reliquū nutrimēti est, ueluti onerosum aliquid reijcit, quanquā ex eo, quod cū uentriculo

*Vētriculus quādo non rectè cōcoquat.*

*Cōcoctio est nutrimenti in propriā eius quod nutritur, qualitatē mutatio.*

*Pylorus.*

*Vesica fellis trahit bilem.*

*Diarrhœæ quādo excitentur.*

*Vomitiones quando.*

habuit, commercio, ipsum quoq; consecutū est salutare aliquid. Quippe ubi conueniūt duo corpora, quę ad agendū ac patiendū sunt nata, si pares ijs uires sint, ex ęquo tum agēt, tum patient. Sin longè superet, uincatq; alterum, magnum quiddam, in id quod patitur, efficiet: ipsum uerò uel exiguum aliquid, uel omnino nihil patietur: quo nomine dissidet nutrimentū à medicamento uenenoso: hoc nanq; uim corporis uincit, illud ab hac uincitur. Minimè igitur potest conueniēs animali nutrimentum esse, quod ab ijs quæ in animali sunt qualitatibus non uincitur. At uinci aliud nō est, quàm alterari. Non tamen æquali omnes modo uincunt nutrimentū particulæ. Siquidem alteratio quæ fit in uentre, maior est quàm quæ in ore perficit: minor uerò ea, quę in iecinore & uenis. Horum nanq; alteratio, nutrimentum in sanguinis substantiam mutat. Quæ in ore agitur, mutat quidem id in alteram speciem manifestè, non tamen ad perfectionem transformat. Cæterùm quàm magna sit ciborum in ore alteratio, hinc discas licet, quòd mansum triticū crudos furunculos ocyssimè & mutat & coquit: quum tamen si aquę admisceatur, nequeat tale quicquam præstare. Nec est quòd id mirere. Nam pituita quæ in ore habetur, & lichenum remedium est, & scorpios statim necat: prēterea multas ex uenenatis bestijs, partim protinus perimit, partim spatio: omnes certè insigniter lædit. Verùm quanto ij qui mansi sunt cibi, ijs qui inhærescunt in uacuis dentium interuallis, magis sunt alterati, tanto etiā his magis ij qui deuorati sunt. Siquidem incomparabilis est horum alterationis excessus, si & quæ in uentre est pituita, & bilis, & spiritus, & calor, & tota uētris substantia, æstimētur. Quòd si uiscera quoq; illi adiacentia, tanquam magno lebeti plures ignis foci, pariter æstimata sint, à dextris quidē iecur, à sinistris lien, supernè cor, & transuersum septum, & eleuatū, & assiduè motum, ingentem quandam ciborum, qui in uentriculū sunt deuorati, alterationem fieri credideris. Quo autem pacto mutari facilè in sanguinem possent, nisi tali essent mutatione præparati? Monstratū nanq; est, nihil in contrariam qualitatem totum simul migrare. Porrò uenter duas habet tunicas, usq; ad ipsum os pertinentes. Quarū interior quidē, qualis in ipso est uentre, talis persistit, in directūq; porrectas fibras sortitur, trahendi nimirū gratia. Altera ad carnosiorē speciem in gula conuertit, habetq; transuersas fibras, ad contrahendum undiq;. Quippe singulorū quæ mouent instrumentorum corpora, pro fibrarum positura motus habent. Iam in singulis intestinis circulares in utraq; tunica fibræ sunt, quòd contrahantur duntaxat, nec quicquam trahant. At uenter alias fibrarum rectas habet, quibus scilicet trahat: alias transuersas, quibus cōstringat. Verùm ubi transuersæ fibræ tendunt, latitudinem uentris minorem reddunt. Rectæ autem dum contrahuntur, necessariò longitudinem minuunt. At uerò deglutientibus nobis, liquidò cernitur larynx sursum in tantum currens, quantū gula deorsum trahitur: quūq; cōpleta iam deglutiendi functione laxauerit sese gula, luculēter descēdere

*Nutrimentum à delererio medicamēto quomodo differat.*

*Vinci nō esse aliud quàm alterari.*

*Alterationum ubi differentia.*

*Alteratio quæ fit in ore.*

*Triticum mansum crudos furūculos coquere.*

*Pituitā oris necare scorpios.*

*Alterationis quæ in uentriculo fit, descriptio.*

*Ventriculo duas inesse tunicas usq; ad os pertinentes.*

*Fibra recta, trahēdi gratia.*

*Fibra transuersa ad cōtractionem.*

*Intestina non trahere, sed contrahi tantùm.*

*Larynx sursum tantū trahitur, quantum gula deorsum.*

*Ventriculi internā tunicam os uestire.*

dere cernit illa summitas asperæ arteriæ. Siquidē interna * uentriculi tunica, quæ rectas habet fibras, quæq; tum gulā intrinsecus uestit, tum os ipsum, ea inquam super internis partibus ipsius laryngis extenditur. Itaque fieri nequit, quum ipsa à uentriculo deorsum trahitur, quin simul etiam secum detrahat laryngem. Sed quòd supernis partibus contractis, infernæ dilatentur, cōmune quidem id est, tum uiuis, tum demortuis corporibus. Gula igitur, ut monstrauimus, trahitur: alioqui laryngem non traheret.

*Gulam esse ciborum ad uentriculum uiam.*
*Deglutire cur facilius quàm uomere.*

Trahit aūt per gulam ipse uentriculus cibos: quos etiā per eandem euomit. Atq; idcirco facilius est deglutire quàm uomere, quòd scilicet deglutiatur ambabus uentris tunicis operantibus, interna quidem trahente, externa se contrahente, ac trudente: uomatur autem altera tantùm, quæ foris est, ac trudit, agente, nec ulla in os trahente. Nō enim sicuti uentris appetentia deglutiendos cibos præcedit, sic in uomitionibus appetit oris pars ulla, excitati affectus quippiā, sed sunt ambo uentris affectus inter se contrarij: quorum utriq; inseruit gulæ tunica externa, cui transuersæ sunt fibræ.

*Gula externam tunicā inseruire uomitui, atq; deglutitioni.*
*Venter quibus in ore inueniatur.*

Etenim deglutitio in ijs qui immodicè appetunt, ocyssimè fit: uentre nempe cibos deorsum uellente, prius quàm sint mansi, ut in Hiatulis, & Synodontibus accidit, quorum præ gulositate (ut Aristoteles inquit) uenter aliquando in ore inuenitur. At uerò utranq; gulæ tunicam prædictis fungi actionibus posse, hinc deprehendes: quòd si in uno animali externā quidem tunicam, cui transuersæ adsunt fibræ, in alio autem internam, cui rectæ, transuersa incisione secueris, utrunq; planè animal deglutire uidebis. Ex quo manifestè patet, quod altera earū deglutire licet, cæterùm deterius quàm ambabus.

*Gulā inter deglutiendum impleri spiritu.*
*Gulæ situs obliquus.*
*Ventriculi quatuor facultates naturales, quæ nutritioni inseruiunt.*

Sed hoc interim perpendendū est, spiritu qui unà cum cibis deglutitur, gulā inter degluttiendū impleri, esseq; sitū huius obliquū. Indicauimus igitur quatuor in uentre uirtutes sitas: nempe in deglutiendo attractricē, in coquendo retentricem, in uomitione, & concoctorū ciborū in tenue intestinū descensu, expultricem: ipsam uerò cōcoctionem quandam existere alterationem. Quas quidē facultates ministras esse nutritionis, similiter expositū est. Sedenim ut stercus humanū canibus existit suauissimum, ita iecinoris excrementorū, aliud lieni, aliud bilis uesicæ, aliud renibus est acceptum.

*Instrumētum singula inesse attractricē & expultricem potentiam.*

Ergo uniuersa instrumenta geminas facultates obtinent, & qua cōuenientia trahunt, & qua alienū repellūt. Proïnde si quod uel ex unica tunica instrumentū cōstat, ueluti ambæ uesicæ, uterus, & uena, utrunq; fibrarū genus obtinet, rectarū & transuersarū. Quin tertium quoq; fibrarū genus obliquarū est minus omnino, quàm duo prædicta genera, numerosum. Inuenitur id in ijs instrumētis, quæ ex duabus tunicis constant, in altera sola, rectis scilicet ipsis fibris immistum. In his autem quæ ex singulari constituuntur tunica, unà cum duobus alijs generibus.

*Fibræ obliquæ opitulantur retentrici potentiæ.*

Sanè hæ maximè opitulantur retentricis facultatis actioni. Postulat etiam in hoc opere particula quæq; super ea quæ continet, stringi ac circum ea tendi: utputa uenter quidem, toto concoquendi cibi, uterus toto gestandi fœtus tempore.

*Venæ constitutio.*
*Arteriæ constitutio.*

Venæ porrò tunica, ex multifarijs fibris est condita. Externa arteriæ tunica, ex circularibus: interna ex rectis plurimis, paucis autem cum his obliquis, conflatur.

*Intestina sola cōstant ex duabus tunicis, quarum singula ex trāsuersis fibris conflantur.*

Sola instrumentorum omnium ex duabus tunicis, atq; harum utraq; ex transuersis constante fibris, facta sunt intestina. At uēter & utraq; uesica, & uteri, ubi uel multitudine eorū quæ continent degrauantur, uel qualitate mordentur, quod offendit abijcere properant.

*Abortus.*
*Partus.*

Quorū utrunq; aliquando uiolenter incidit, quo casu prouocatur abortus: fit autem is plerunq; ex naturæ cōmodo, quod genus non abortus, sed partus nominatur. Atq; aborsus quidem sequuntur uel medicamenta quæ ipsos prouocant, uel etiam tensionē uteri: partus autem, ipsius fœtus motiones uehementissimas.

*Vteri offensionis triplex causa.*

Cōmunis aūt omnibus his affectibus ipsa est offensio. Cuius triplex est causa: aut moles nimia, aut pondus aliquod, aut morsus. Moles, ubi amplius distendi uterus nō tolerat. Pondus, quū supra uires eius sit, quod cōtinet. Morsus, ubi uel humores qui prius in mēbranis continebantur, his ruptis, in ipsum uterū sunt effusi: uel etiā totus partus corruptus & putris, ac in noxiam saniem dissolutus, uteri tunicā eius occasione irritat, atq; mordet.

*Excrementa singula ubi morantur diutius in corpore, computrescere.*
*Vesica fellis neruorum expers.*

Ad hæc, excrementa singula, si morā in corpore diutius trahant, putrescunt: quare mordacia & acria, atq; his quæ ipsa continent, infesta redduntur. Minimè tamen id in ea uesica quæ iecinori subest, similiter se habet, ut quæ neruorū planè sit expers. Quanquā certè cùm hæc ipsa trahat liquidò, excernatq;, necesse est eam uel succi multitudine pressam, uel qualitate illius offensam, expulsionem desiderare. Iam nec illud difficile cōpertu est, & tractum & expulsionē diuersis in temporibus per eundem eius meatum fieri.

*Vteri stomachus est uia partus & seminis.*

Vteri præterea stomachus, pari modo sicut intrò seminis, ita foras partus uia est. Verùm hic tractrix facultas, æquè atq; expultrix, non liquet uulgo. Quum igitur attractionem & expulsionem, per unam eandemq; fieri uiam cernamus, non debemus mirari, etiam si per uenas in uentrem natura nōnunquā excrementa propulset, dum purgātia pharmaca propinamus: at multò minus, si per quas uenas à uentre in iecur facta est digestio, rursus ex iecinore in ipsum trahi aliquod alimentum in longiori inedia potest.

*Venarum quæ inter uentriculum & hepar sunt, duplex ministerium.*

Venæ siquidem illæ, quæ medium spatium inter iecur & partes circa uentrem occupant, duplex ministerium præstant: nempe ut quum in his abundantia fuerit alimenti, per eas sursum feratur in iecur: quum autem uacua sunt, nutririq; auent, per easdem ipsas ex hepate rursus trahatur.

*Trahere totum ex toto.*

Siquidem totum ex toto trahere, ac toti impartire, unaq; omniū confluxio ac cōspiratio esse uidetur.

*Sanguis quibus euacuetur per intestina, certis quibusdam periodis.*

Quare multis eorum qui ualentem exercitationem subitò ac prorsus intermiserunt, aut artuum aliquem præciderunt, sanguinem per intestina certis periodis simul plurimū cernimus euacuari: sicuti illac etiā alios humores à natura in morbis expelli. Ac trahit quidem id quod est ualentius: uacuatur aūt id quod est imbecillius. Porrò ualentior, imbecilliorq; altera quàm altera particula est, uel absoluto sermone, naturaq;, et cōmuniter

est,etiam trahitur,id quod constat,cùm ob foramina illa interpositi septi, quæ à lato ore magis magisq; in angustius procedunt. tum uel maximè, quòd cùm in dextro cordis sinu duo ora sint,unum quo sanguis inuehitur, alterum quo emittitur in pulmonē,longè maius est id quo infertur,quàm id quo emittitur. Neq; est quòd dicat aliquis,absumptum esse sanguinis aliquid in ipsam substantię cordis nutricationē. Siquidem alia uena est, quæ in id uariè fissa dispergitur, quæq; nec ortū à corde habet, nec sanguinē ab eo accipit. Manifestū igitur est, aliquā portionē illius sanguinis, qui inuehitur in dextrū uentriculum,in sinistrū sinū transmitti: cùm etiā duorum numero quæ in sinistro cordis uentriculo sunt uasorū, longè minus id fit, quod à pulmone in eum ducit spiritum, quàm arteria illa magna, quæ ex eo procedit, à qua reliquæ omnes, quæ sunt in corpore,oriunt: ceu non spiritū modò à pulmone accipiat, sed etiā ex dextro sinu, per iam dictas cōmunes uias,sanguinem. Porrò carnes tum uiscerum omniū,tum musculorū,ex sanguine exiguā alterationē consecuto,nutriuntur. Ossa uero quò nutriant, numerosa quæ intercedat mutatione egent. Estq; qualis carnibus sanguis,talis ossibus medulla. Nam quibus similis est substantia, ijs mutari inter se fas est: quibus plurimū inter ipsa est discrimen,ea fieri similia citra omnes quæ in medio sunt mutationes, nō possunt. Tale quiddam & cartilagini est mucosum illud quod ei circunfunditur: necnon ligamentis,membranis, & neruis, lentus humor qui in medijs eorum spacijs inspersus cernitur. Iam uerò quòd ocyssimè aliquid digeratur per corpus (ut in plurimis eorum qui biberunt immodicè,atq; id quod biberunt,intra breue tempus totū plus minus emingūt,uidere licet) qualitatis cōuenientia,humoris tenuitate,uasorum laxitate,atq; adeò trahentis facultatis robore id accidit. Ita nihil miri est,uinū aqua, propter qualitatis cōuenientiam,citius excipi à uenis. Ipsorū uerò uinorū,quod album est,& purum,tenuitatis gratia,promptè in corpus digeri. Sicuti è contrario nigrum & turbidum, crassitudinis uitio, per uiam hærere,& tardari.

*Cor nutriri à vena quæ per eius superficiē disper gitur,non ab ea quæ dextrū ven trē ingreditur.*

*Carnē vniuersam nutriri ex sanguine.*

*Medullā esse nu trimentū ossib.*

*Cartilaginē nu triri ex mucoso quodā humore.*

*Distributio humoris uelox per corpus, vnde accidat.*

*Vinum aqua citius excipi à venis.*

*Vinum albū & purum promptè in corpus digeri, nigrum contrà.*

## GALENI PERGAMENI
### *de naturalium facultatum substantia,liber vnus.*



Vòd quidem in nobis anima sit,nemo est qui nesciat:utpote cùm norit,earum omniū functionū, quas corpore indies obimus, aliquam oportere esse causam. Quippe nihil fieri sine causa potest. At quænam ea sit causa,unde hæ functiones prodeant, non æquè est compertū. Varij enim uario modo opinantur. Ego autem,licet non sim is, qui uelim mihi persuadere,me eorū certam habere notitiam, quorum certā demonstrationē nō habeam,de ijs tamen impræsentiarum nōnihil differam,inde nobis exordio sumpto, quòd ego hæc firmiter me scire profiteor. Omnia nimirū corpora, quæ hic penes nos gignūtur, ex quatuor elementorum per totum mistorum temperatura suum habere ortum. Quorum elementorū ipsæ corporeæ substantiæ,an per se inuicem permeent,uel solæ potius qualitates,ut id scire non duco esse operæprecium,sic nec pronunciare uelim. Probabilius tamē mihi uidetur, quòd temperamentū id per qualitates fiat. Anima uerò ipsa,an immortalis sit, quæ corporis immista substantijs, animantia gubernet,me nequaquam hoc certò scire affirmauerim: sicuti neq; illud,an ullam ea peculiarem, & per se, substantiam possideat. Sed hoc mihi planè constat,quòd quantumlibet anima in hæc cōmigret corpora, ipsorū tamen naturis ex elementorū temperie constantibus, obnoxia est. Oportet autem corpus ipsum, quod animam suscepturum est, paratum idoneumq; esse. Nam si magnam subierit illius temperamēti alterationem,cogitur inde anima exire: ueluti etiam cùm omnino respiratio intercipitur. At dum corpus ipsum naturalem seruat suam constitutionem,nunquam fieri posse crediderim,ut ab illo anima secernatur. Et hac de causa, scire quænam sit animæ substantia, nec est ad morborum curationes necessarium, neq; etiam ad ipsam philosophiā. Porrò stirpes,internū aliquod motus initiū,& aliquē præterea rerum sibi congruentium sensum habent, præditæ nimirum facultatibus illis quatuor, attractrice nēpe,retentrice,alteratrice,& expultrice, quas naturales dicimus. Sensu autem & motu, qui ab interno & proprio impetu fit, animalia ipsis plantis præstant. Est enim stirpibus ea tantū cognitio tradita,quæ ex uoluptate quadā,uel tristitia, aut alia quapiam istis simili affectione, aut saltē istis ex proportione respondente,nascitur:cùm nulla alia causa esse possit,cur ea quæ sibi competāt, & attrahant, & conficiant, præter uoluptatem, & fruitionem,quæ ab illis gignitur. Nam alterius cuiuspiā cognitionis quæ ad sensus spectet, nequit esse particeps anima naturalis, utpote quæ uisibiles qualitates, uel audibiles, uel gustatiles, uel olfactiles, uel tactiles nequaq̄ possit apprehendere: sed illas tantū,quæ his quæ alere possunt,uel secus,insunt. Cęterū cùm stirpes trahāt, retineāt,alterent,atq; à se expellāt,rectè mihi uidetur Plato eas & sensu congruentiū incōgruentiumq; præditas, & animalia etiam esse, dixisse.

*Nihil fieri sine causa posse.*

*Corpora vniuersa cōstare ex mistella quatuor elementorū.*

*Temperamentū fieri per qualitates, probabilius videtur Galeno.*

*Animā esse immortalem,Galenus ambigit.*

*Animam cōsentire naturis corporum.*

*Animam non posse secerni à corpore,quādiu illud naturalē constitutionem seruarit.*

*Stirpes habere congruentiū sensum præditasq; esse quatuor facultatibus naturalibus.*

*Animalia præstare plantis sensu & voluntario motu.*

*Anima naturalis quas qualitates apprehendere nequeat.*

*Stirpes animalia appellans Plato.*

## GALENI PERGAMENI
### *an sanguis in arterijs natura contineatur,liber vnus.*



Vm secta quacunq; arteria,sanguis inde effluere uideat, duorū alterū necesse est:aut illum in ipsis arterijs cōtineri,aut aliunde in eas trāsfundi. Sed si aliunde trāsfundit,iam sanè cuilibet cōstat, eas solum spiritū (cùm secundum naturam haberent) cōtinuisse. Quòd si ita res esset, profectò esset opus, ut illato uulnere, ante sanguinē,exeuntē spiritū uideremus: at nō uidemus,igitur neq; prius solus ille continebat. Itaq; arteriæ nusquā uisæ sunt solum spiritū continere. Etenim secto abdomine unà cum peritonęo,in hœdis qui nuper lactarūt,manifestè uidere licet mesenterij arterias refertas lacte. Enim-

*Arteria nusquā solum spiritum continens.*

uero quæ in humanam ueniunt cognitionem, omnia tum sensu, tum ratione deprehēduntur. Vnde queādmodum ex sensibilibus multa sunt, quę plurimis de causis sensus effugiunt, ita etiā & rationem. Dubitant autem Erasistrati sectatores, quomodo, si sanguine repletæ sint ipsæ arteriæ, possit spiritus à corde in uniuersum corpus deferri.

*Spiritum non mitti in corpus à corde, sed undique attrahi à corpore.*

Ad quos dicemus, non mitti spiritum, sed attrahi: nec ex solo corde, sed undiq;. Demōstratū quippe à nobis est, in libro de usu respirationis, aut nihil penitus, aut admodū parū substātiæ spiritus, in cor transsumi. Vniuersus siquidē expirari potest, ut diligentioribus tum philosophis, tum medicis uisum est:

*Spiritus nō substantiā, sed qualitatem ex usu esse cordi, cùm refrigerari appetat.*

qui nō eius substantiam, sed qualitatem potius cordi esse ex usu autumant, utpote quod refrigerari appetat: atque hunc esse respirationis finē.

*Refrigeratio est finis respirationis.*

*Arteriæ nō eò dilatantur quia implentur, sed implentur quia dilatantur.*

At uerò arteriæ ipsæ non eò dilatantur, quia implentur, sed ideo potius implentur, quia dilatantur. Cùm enim in suis tunicis uires quasdam habeant, quibus se dilatant, ex unaquaq; sui parte, per extrema foramina, quicquid illis cōtinens est, unde possunt, attrahunt. Poteris facilius intelligere exemplis, quæ sit differentia, quòd aliquid repletum dilatetur, uel quòd dilatatum repleatur. Vtres quippe sacciq;, dum implentur, dilatantur: fabrorum uerò folles, dum dilatantur, implentur. At facultatis illius quæ arterias dilatat, cor ueluti fontē esse, alibi à nobis est dictum. Et est hoc sanè magis naturę congruens, ut sic opinemur, quàm ut spiritū per eas, ueluti per inanima quædam corpora, ferri arbitremur.

*Viuens quo differat à non uiuente.*

Differt siquidem uiuēs, à non uiuente, non tam substantię cōplexu, quàm quòd sit facultatis particeps. Quòd autem à corde ipso tunicis arteriarum facultas quędam qua dilatentur, non autem materia per illarum cauitatem, mittatur, ex hoc cognosces manifestissimè, quòd si aliquam conspicuā arteriā cute nudaueris, illiq; per longitudinem sectæ, fistulā aliquam imposueris, ita ut totum uulnus obstruatur, uidebis illam pulsantē. Vbi uerò circūducto laqueo, ipsius arteriæ tunicā circa calamū astrinxeris accuratè, non amplius ultra laqueū (quantumlibet tam sanguinis quàm spiritus delano per cauitatem fistulæ fieri possit) pulsantem uidebis.

*Arteriæ omnes partes mouētur simul.*

Porrò mouetur artéria uniuersa uno eodemq; tempore, nec altera eius pars prius, altera uerò posterius: sed quemadmodum simulac mouere pedis digitū proposuerimus, q̃uis nulla in ea parte ratiocinandi uis sita sit, confestim tamen facultate illi, in temporis momento distributa, mouemus, ita etiam idipsum fit in corde et arterijs.

*Motus celeritas facultatib. attestatur, materijs aduersatur.*

Motus enim celeritas, ut facultatib. attestatur, ita materijs potius aduersatur.

## GALENI PERGAMENI de motu musculorum liber I.

*Musculi sunt instrumēta uoluntarij motus. Musculos numerari nō posse.*



INstrumenta motus uoluntarij musculi sunt, quorū adeò magna multitudo est, ut ne numerari quidē facilè possint. Nam & natura ita quidem coalescūt inter sese, ut uideantur unus esse. Et cùm unus aliquis in multos tendones desinat, non unus amplius solus esse uidetur, sed quot tendones. Idcirco, & quia multiplici sunt figura, & in dissimiles inseruntur partes, modum motus difficulter comprehensibilem habent. Cæterùm omnis musculus tendóue transuersim atque insigniter sectus, aut phlegmone, aut scirrho, aut putrefactione, aut cōtusione, aut duritie cicatricis affectus, nocet quidē omnino quibusdam motibus particulæ in quā inseritur.

*Tendonum natura media inter ligamentum & neruum.*

*Ligamentum quid.*

*Neruus.*

*νεῦρον.*

*Spinalis medulla.*

Tendonū porrò natura, mista mediaq; est, inter ligamentū & neruum. Etenim ligamentum ipsum, corpus neruosum est, ex osse omnino ortum habens, insertum autem in os, aut in musculum. Neruus autē & νεῦρον ex cerebro aut spinali medulla oriuntur: quorum substantia est ueluti durusculum factum cerebrū, qualem esse spinalem medullam constat. Sed ipsius etiam cerebri pars posterior, durior est anteriori: & quicunque neruorum molliores sunt, hi nihil à spinali medulla tibi uidebuntur differre.

*Medulla ossiū.*

At aliorū ossium medulla, humida & fluxilis est, pinguedinią; persimilis: quare ex ea oriri nullum neruū uidebis: neque est ipsi inuolucrum ullum, nec arteria, aut uenæ complexus, nec ulla prorsus cōmunicatio cum musculis.

*Nerui omnes aut à cerebro, aut à spinali medulla oriuntur.*

Porrò à cerebro aut spinali medulla musculi omnes necesse est ut neruum accipiant, qui uisu quidem paruus, sed uirtute magnus existit.

*Neruo affecto musculi actionē uitiare, corrumpere.*

Cognosces autem id ex passionibus. Nam incisus, oppressus, contusus, laqueo interceptus, scirrhis affectus, & putrefactus, aufert musculo omnem motum & sensum. Quin & neruo inflammato, non pauci spasmo correpti sunt, & mente alienati: quorū quidam sic affecti, cùm sapientiorem medicum nacti essent, qui neruum illis abscinderet, statim spasmo, & mentis alienatione sunt liberati: sed postea musculum, in quem neruus insertus erat, insensilem atque inutilem ad motum habuerunt: tanta uis neruis à superno principio affluit.

*Neruis influere uim à superno principio.*

*Neruo aut spinali medulla transuersim incisis, quæ infra sectionem sunt partes destitui motu simul & sensu.*

Non enim ex seipsis eam, neque connatam habent. Id autem hinc facilè cognoscere poteris. Nam si aliquem neruum, aut ipsam spinalem medullam incideris, quantum superius est incisione, continuum cerebro, id quidem adhuc conseruabit principij uires. Omne autem quod inferius est, neque sensum neque motum ulli præbere poterit.

*Neruos à cerebro deferre musculis suas facultates.*

Nerui itaq;, riuorum instar, à cerebro, ceu à quodam fonte, deducunt musculis suas facultates. Quos quum primum attigerint, scinduntur multipliciter in aliam subinde atq; aliam sectionem: tandemq; in tenues toti & membraneas fibras soluti, totum sic musculi corpus texunt.

*Ligamenta gignunt membranas circa musculos.*

*Musculorū caro qualis.*

Ligamenta uerò, per quæ ossibus musculi colligantur, coalescūtq;, membranas circa ipsos gignunt, & quasdam intrò propagines in ipsam carnem musculorum demittunt: quam ueluti quendam locum intellige multis riuis irriguū, uno quidem prædicto neruo, duobus uerò alijs, altero sanguinis calidi & tenuis & uaporosi, altero frigidioris atq; crassioris.

*Arteria.*

*Vena.*

*Musculus ueluti quædā planta.*

*Musculus, animale instrumentum, & naturale.*

Vocatur autem ipsorū alter, arteria: alter uena. Isti igitur principium à corde & hepate habentes, corpus musculorum irrigant. Quorū gratia fit ipse musculus, ueluti quædam planta. At propter sensum & uoluntarium motum, quibus animal à nō animali differt, & quos musculus ab ipso suscipit neruo, factus est animale instrumentum, sicuti propter

arte-

*Motus naturales qui.* arteriam & uenam, naturale. Etenim motus qui ex arteria & uena procedunt, sunt naturales, & *Motus animales qui.* uoluntatis expertes: qui autē à musculis, & animales, & uoluntarij. Est autem musculus, instrumentum non sensus, sed motus, etiamsi utriusq; sit particeps: quia nullus motus uoluntarius po- *Sensus inest cunctis particulis neruo praeditis.* test sine musculis fieri: at sensus inest uniuersis particulis, quaecunq; nerui participes sunt. Iam *Tendo tanto durior neruo, quāto ligamēto mollior.* tendo, tanto durior est neruo, quanto ligamento mollior: quin & mole corporis talis, ut qui ex ambobus maxime factus sit. Et ligamentū qui- *Ligamentū omne insensile.* dem omne insensile; neruus autem omnis sensu *Neruus omnis sensu praeditus.* praeditus: tendo uerò, neq; insensilis, quia est nerui particeps: neq; ita sensilis ut neruus: nō enim est neruus tantū. Quatenus igitur ligamenti naturae est particeps, eatenus hebetatur in eo acrimonia sensus. Cùm nanq; ex fine musculi oriatur, multò maior neruo qui descendit in musculum, liquet utiq; nō ex neruo tantū ipsum constatum esse, uerumenī aliquid momentaneū ex natura ligamentorum sumpsisse. Multis quippe locis sexcupla, multis etiam decupla crassitudine neruū superat. Et meritò sanè tantus & talis est factus, ut qui & nerui, & ligamenti usum exhibi- *Tendonis munus.* turus erat. Alligat enim musculum subiectis ossibus, in quorum capita munita cartilagine inseritur: & hac quidem ratione nihil differt à ligamento. Sentit autē, atq; mouet, qua ratione ner- *Neruus est uia facultatis motricis à cerebro descendentis.* ui est particeps. At neruus ipse quaedam existens facultatis motricis, à cerebro descēdentis, ut eam cōmunem faciat, extensus est, atq; ligamento cōmixtus. Tendo itaq; sic ex utrisq; con- *Tendo omnis in os inseritur.* flatur. Omnis igitur tendo, in os omnino inseritur: nō tamen omnis musculus desinit in tendonem. In nullo enim musculorum mouentiū linguam (cōstat enim ex uarijs musculis) tendo na- *Lingua musculi carent tendonibus.* scitur. Nullum siquidem os erat lingua motura, sed editura uocē articularē, & sapores dijudica- *Linguae munus.* tura, & masticationi atq; deglutitioni adiumento futura. Iam cor plurimū à musculo differt, & crassitudine, & formatione, & contextu, & duri- *Cor mouetur perpetuò citra uoluntatis imperium.* tie, sicuti & enā operibus. Perpetuò quippe mouetur cor, tum systole, tum diastole, idq; citra uoluntatis imperiū. At musculis nec similes motus sunt, nec sine uolūtate fieri unquam possent. At *Labiorum, oculorumq; motus.* labra oris, ex cute musculoq; concreta, absq; ossse mouentur. Similiter oculi, motum habent uoluntariū à musculis: nullum autē os cum eis mouetur. Praeterea & cutis quae in fronte & superciliis est, tum plurimae partes faciei, ossibus quiescentibus, motu uoluntario mouentur. Quòd si stomachus ipse, uel oesophagus, musculus etiam est, erit unq; musculus neque in tendonem desi- *Musculi nullum mouentes os.* nens, neq; os secum mouēs. At qui in ceruice uesicae suscipientis urinam, & qui in sede etiam est, quiq; in testes & penem descendunt musculi, nullum profectò secum os mouent: quare à praedictis musculis nullus prorsus nascitur tendo. Caeteri omnes musculi, quicūq; ossa mouent, in tendones omnino desinunt. Qui uerò aliud quippiam mouent, quàm os, ut musculi oculorū, linguae, testium, penis, pharyngis, atq; laryngis, horum quibusdam sunt tendones, quibusdā minimè. Musculi igitur oculorum, membraneis quibusdam, sed ualidis aponeurofibus, in duram &

neruosam tunicam adiacentem ragoidi, perueniunt. Penis autē & testium, nulla aponeurosi facta, carneis ipsorū particulis innascunt. Musculorum qui in pharynge & larynge sunt, quibusdam obscurę quędam aponeuroses, quibusdam omnino nō sunt. Mononis autem modus alibi alius existit. In lingua quidē motū omnē uidere *Linguae motus.* posis: sursum enim atq; deorsum, ante & retrò, sinistrorsum & dextrorsum circunferri uidetur: partim etiam quasi reflexa & propensa, nōnunquam circulariter undiq; circunducta. Sed in o- *Oculorum motus.* culis quatuor quidē sunt recti motus: sursum, deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum: duo autē alij circulares. Duo etiam musculorū circa tem- *Temporum musculi.* pora: firmantibus enim dentes, inuicem tenduntur, atq; curuantur: hiantibus uerò, laxantur & porriguntur. Ad haec, in magna illa brachij mo- *Brachij flexibus.* tione, dum musculus flectit cubitum, curuatur planè & in seipsum coit: dum extendit illud, laxatur & exporrigit. Eosdē motus & musculus ma- *Cubiti musculus.* gnus interna parte cubiti apparētes habet: contrahitur quidem in flectendis digitis, laxatur & exporrigitur, dum illi extenduntur. Sic etiam & alij musculi penè omnes qui in artubus sunt, duplices motus uidebuntur habere, si eos denudaueris cute. Sedis musculus propriū motū, quo- *Sedis musculus.* niam & figurā diuersam, possedit, cōtractis crumenis similem. Caeterū septum transuersum simi- *Septum transuersum.* le est tali cuipiam rei, nisi quòd non perforatum est. Accidit autē abdominis musculis, diuersum *Abdominis musculi.* ab ijs qui in artubus & facie locantur: Iti enim cùm tenduntur & ad principium retrahunt, curuantur: illi autem dum tenduntur, exporriguntur: curuantur uerò dum laxantur. Porrò mu- *Crurum musculi.* sculorum qui in cruribus, manibus, atq; temporibus sunt, nullus habet tertium alium motū diuersum ab extensione & contractione. Quare illi omnes hallucinantur, qui uniuscuiusque musculi multos esse motus affirmant, ignorantes aliam ab alio musculo gigni motionē. Vterque *Oculorū utrunque habere quatuor motus rectos, quia totidē musculos similiter rectos.* enim oculus, quatuor rectos obtinet motus, quia & rectos musculos quatuor. Habet etiam duas circulares motiones, quia duos circūuertentes musculos. Ergo ut actio una, sic illorū mu- *Musculorum singulis, ut unam actionē, sic unum esse natura motum tributū.* sculorū singulis, natura unicus motus inest, alius uerò per accidens. Siquidē operat quisq; trahēs ad seipsum particulam quae mouet: nō operatur autem, cùm in contrariū locū ab alio musculo simul cum mota particula abducitur. Ideoq; omnis pars quae mouetur, nō uno, sed uarijs uritur musculis, à quibus, ueluti à ualidis in contrariū distracta habenis, uicissim habet alterū ipsorū, nempe qui trahit, intensum, alterum qui trahitur, laxatum. Iam uerò si totos musculos atque tendones per transuersum abscindas, penitus dissolues motū subiectarū particularū. Sin autē inciderts solùm, utiq; tantū laedes, quantū incidi- *Motuū qui sibi succedunt inuicem, necesse est uno pereunte, perire alterum.* sti. Quòd si unusquisque musculorū contrariorū pereat, motio simul peribit. Necesse nanque est, motuum qui sibi inuicem succedunt, altero pereunte, & reliquum simul perire. Nam si is motus pereat, qui particulā est nanis extendere, flectetur quidem primū, manebit autē in hoc statu semper, quòd nō amplius extēdi posit, motu ex tensorio priuata. Quia eñ extēdi nō amplius po

rest, idcirco nec flecti quidem. Similiter si motū, qui natus est particulam flectere, exolui accidat, extendetur quidem primū, sed immobilis in posterum fiet, quū nō amplius ad flexionem uenire possit, qua præcedēte extensio sequitur. Itaq; abscisso eo qui intus est musculo, extēsa pars in hac figura perseuerabit: eo autem qui foris, flexa non extendetur amplius. Quòd si tuis illam extendas manibus, statim in pristinū statum redibit.

*Flexio ab internis, extensio ab externis fit tum musculis, tum tendonibus.*

Quippe flexio ab internis, extensio ab extrinsecis editur, tum musculis, tum tendonibus.

*Musculus transuersim sectus, in quā reuelletur partem.*

Ad hæc, si principium supernum musculi transuersim absciderís, totus ad caudam feretur. Si finem inferiorem, retrahetur ad caput. Si utrinq; absciderís, eum concurrentem ad medium inter ipsos fines uidebis: adeò omnis particula musculi cognatum habet motū in se, ipsam scilicet coitionē. At uerò, scirrho genito in interno, aut tendone aut musculo, pars flexa non amplius extenditur: in externo uerò, extensa non amplius flectitur: contrario modo quàm in uulneribus se habebat. Quæ autē in scirrhis, eadem in phlegmone, & in cicatricum duritie fieri cernuntur. Ergo tendi quidem sursum, & demitti manum, articuli qui in humero est, & musculorum ipsum mouentium: extendi autem & flecti, brachij ad ulnam: at uolui ad pronum, & ad supinum, brachij ad radium est actio. Quâ uerò manus tangit spinā, ea actio à quatuor articulis simul motis fit.

*Musculus omnis dū tenditur, trahit ad seipsum partem in quā inseritur.*

In uniuersum autem, unusquisq; dum tenditur musculus, trahit ad seipsum partē in quam inseritur. Qui enim in caput brachij inseruntur, sursum tendunt ipsum. Cubiti uerò os extendūt qui in cubito sunt, foris in ipsum ἀγκῶνα finientes. Radium ad pronū qui intus in cubito sunt, in ipsum extrinsecus terminantes. Porrò quisq; digitus ab internis tendonibus flectitur. Cæterùm neq; omnis motus manuū, actione fit musculorum: neq; omnis immobilitas quiete.

*Reclinatio quō fiat.*

*Decidentia fit præter uoluntatem.*

*Delatio manus, atque delapsus, quomodo differant.*

Nam cùm duo motus sint sibi inuicem proximi, sed qui dissimiliter fiunt, reclinatio scilicet ac decidentia, reclinatio quidem actione musculorū, atq; ob id uoluntariè, perficitur: decidentia præter uoluntatem accidit, nec musculo agente, sed potius quiescente indiget. Hac enim ratione, decidere & declinare differunt: eademq;, & deorsum ferri manum, atq; demitti. Deorsum enim fertur cessantibus omnibus musculis qui in ea sunt, & corporibus ab innata grauitate deorsum tractis. Demittitur autem, musculis qui sub ala sunt, ad seipsos trahentibus brachium. Tertius itaq; hic decidentiæ motus inuentus est musculorū, præter duos illos iam dictos: quo quidem etiamsi nec extendatur, nec contrahatur aliquis musculus, ad totius tamen membri motū mouetur, perinde ut ossa, aut aliquod inanime corpus.

*Contractio.*

*Extensio.*

Ex ipsis autem ueris musculi motibus, contractio quidem est tanquā instrumenti animæ actio: extensio autem tanq̃ instrumenti quidem, nō tamen actio, sed simpliciter motus.

*Motionis quartum genus.*

Est & quartum genus motionis, quo quidem agūt ualenter musculi, quamuis haud moueri uideantur: ut si manum sursum tensam esse fingamus, & in ea diu figura seruari: quia nanq; tunc musculi agunt, ideo eos moueri dicimus.

*Motuum quatuor differentiæ in musculis.*

Quatuor igitur omnino differentiæ motuum reperiūtur in musculis. Nam aut contrahuntur, aut extenduntur, aut transferuntur, aut tensi manent. Est autē eiusdem generis quarta differētia cum prima: ambæ enim actiones musculi sunt. Porrò qui musculorū corpus sic constitutum aiunt, ut suapte natura contrahi & flecti possit, sine adminiculo animalis potentiæ, hi quidē minimè probabilia pronunciant. Nam si uterq; musculus, quod secundum illos natus est facere, id semper ageret, nihil certè prohiberet, perpetuò corpus obnoxium esse tetano affectui,

*Tetanus quando fiat.*

qui tum sanè fit, dum inuitæ partes in contraria retrahunt ab oppositis musculis.

*Musculū absq; facultate animali non posse exquisitè contrahi.*

In exactam itaq; & perfectam flexionem nunq̃ corpus musculi ex seipso peruenire poterit, nisi à facultate animali adiutū: licet magis propriū sit corpori ipsius musculi cōtrahi, q̃ extendi.

*Ossium motionis ratio.*

Iam uerò cùm ossa inuicē coëant, ut aliquis articulus fiat, alterū quidem ipsorū est quod mouetur, alterum ueluti sedes quædam ei quod mouetur est subfirmatum, quomodo cernis cardines ostiorum se habere. Quare necessariò manenti quidem, cauitas, ei uerò quod mouetur, conuexitas adest.

*Glene, cotyle. Condylus.*

Vocatur autem cauitas glene & cotyle: sicuti conuexitas, caput, condylusq;. Verùm tantò cotyle quàm glene est profundior, quantò caput cōdylo est longius. Cùm uerò hoc modo bene se haberent quę mouenda erant, multò adhuc aptius artificiosiusq; natura cōiunxit eis, quæ motura erant.

*Musculorum insertionis ratio.*

Nam musculos quidem, instrumenta motuū produxit ex superiacentibus ossibus, in quibus sunt cotylæ. Inseruit autē in capita subiacentiū, quæ erāt mouenda: & per hæc extenta, capitibus sursum tractis, simul cum eis totum membrū sursum trahitur. Cùm autem alter ipsorum maius, alter uerò minus os esset moturus, magnitudinem musculorum qui moturi erant, creauit proportione parē moli mouendorū ossium. Quare alij quidem iure ex ipsis capitibus aut condylis superiacentiū ossium sunt exorti: alij uerò paulò his inferius iuxta cotylem aut glenam, sed non multū. Parui siquidem hoc pacto penitus fuissent, nec potuissent mouere subiectū os. Ergo nullus musculorum dictorū, extremam flexionē, aut summā extensionem partis efficere poterit, absq; animali impetu: quo quidem si priuētur musculi, mediā uidebis figurā ossiū inter se mutuò fieri.

*Media figura in motione artuū quādo seruetur.*

*Extensio quo musculo fiat.*

*Flexio interno fit musculo.*

Quòd si extremū incideris musculum, flecti membrū ultra mediam figurā uidebis. Pari modo si musculum internū incidas, extēdi particulam plus medio uidebis. Itaq; præualente musculo externo, extensionem: interno autem, flexionem fieri contingit. Quare ęquipollens ipsius corporis musculorum fit motus, quando neuter tonum animalem habet auxiliarem: non æquipollens uerò, cùm alter solus dominatur: ac proinde necessum est uincat cōtractio illius musculi, qui ab animali facultate adiuuetur. Porrò musculi, quantum ad structuram quidem ipsorū pertinet, perfectè contrahi possunt: ob ligamentum autem in caput ossis insertum, prohibentur quo minus extremè cōtrahantur, coguntur q; mediam seruare figuram, nisi fortè ab animali facultate moueantur. Ex dictis igitur constat, absciso

musculo

muſculo externo, ultra quidem mediã figuram ſubitò inflectu membrum, non tamen ad extremam: quandoquidem externus muſculus non poteſt penitus extendere ipſum, abſque animali impetu. His ſubſcribunt quæ ab Hippocrate de figuris ſunt tradita. Primum quidem, quòd flectentes penitus aut extendentes quãcunq; partem, dolemus. Secundum, quòd media iſtarum figura, minimũ dolorem affert. Tertium, ꝙ mutationẽ celerem in extremis figuris appetimus. Quartũ, quòd diutiſsimè mediam figurã ſeruamus, nullã mutationẽ cupientes. Quintũ, quòd hanc quoq; mutare aliquãdo deſideramus. Sextũ, quòd omnis figura moleſta, eſt ſummè imbecillis. Nam figurarũ exceſſus, meritò dolorẽ afferunt: nempe quum alter muſculorum agat, alter extendatur præter naturã. Media uerò iſtorum figura & ab actione & à nimia tenſione utroſq; inhibens, meritò iucundiſsima eſt. Quare & mutationem figurarum quidem quæ dolorificæ ſunt, celerem optamus: eius uerò quæ dolore caret, tardam: quippe & ipſam mutare aliquando deſideramus, quia in ea etiam tenſionẽ quandã muſculi ſuſtinent, minorẽ tamen quàm in omnibus alijs. Eam autem dolore carere dicimus, non quòd nullius penitus doloris ſit particeps, ſed ꝙ minimi, & eius fermè inſenſibilis, propter paucitatẽ. Atq; ipſam mutari tum cupimus, quum cõgregatus paulatim, ſenſibilis redditũ. Dum enim ſummè imbecilli fuerimus, ut in ſtomachicis & cardiacis ſyncopis, tunc nec breuem quidẽ tenſionẽ ferimus, nec mediã toleramus figurã: quo fit, ut quãuis impotẽtes ſimus ad motus, tamen alias aliò iactemus mẽbra, aliquã quidẽ cõſequi figurã dolore carentẽ optantes, ſed nihil tale prorſus inuenire potentes. Igitũ omnes muſculi, ex ſe quidem in extremã contractionem feſtinant, ſed non poſſunt hanc conſequi, quòd oppoſitos in contraria trahentes habeant, & cum illis grauitatem oſsium annexam.

*Extremam ar tuum figuram dolorificã eſſe.*

*Media figura dolore caret.*

*Mediam figurã ſeruamus diutiſsime.*

*Figura omnis moleſta, ſummè imbecillis eſt.*

*Figurarum extremarum celerem mutationẽ optamus, mediæ tardam.*

*Muſculi omnes in extremam cõtractionem feſtinant.*

## GALENI PERGAMENI
### *de motu muſculorum Lib. II.*

*Media figura artuum quæ requeratur.*

Porrò in media figura, quæ in partibus cernitur, neceſſe eſt duplicem conſtitutionem ineſſe muſculis: alteram, qua neuter oppoſitorum muſculorum agit, ſed ambo quieſcunt: alteram, in qua ſimiliter utriq; agunt: quæ actio tonica nominatur. Sic aũt etſi prope mediã figuram utrinq; conſtitueris membrũ, æquè utriſq; muſculis agere poteris. Quum autem ad aliquã ſuperantium figurarũ duxeris ipſum, alteri muſculi ſatis eſſe poſſunt actioni eiuſmodi. Quare media figura cum tali actione, neutra ſuperantiũ inferior eſt: unde nec ipſam ſimpliciter carere dolore dicamus, ſed eam quę in quiete fit. Media nanq; figura cum intenſione utrorunq; muſculorũ, æquè ac extremæ, dolorem affert. Quũ uerò in ipſa quiete media figura partim ſimpliciter eſt, partim nõ ſimpliciter: ſimpliciter quidẽ media omniũ membri ſuperantiũ figurarũ: non ſimpliciter autem, quæ alterius oppoſitionis ſolius eſt: quę quidem ſimpliciter media eſt, ea ſine fatigatione dũtaxat fuerit: de nulla tamẽ aliarũ exactè id dici poſsit. Huius autem ſermonis in manu conſtituamus exemplum. Etenim quum in ipſa extremæ figuræ ſint quatuor, prona, ſupina, ſumma extenſio, & flexio ſumma: atq; figura quidem ſupina manus ſit, quum eius concaua pars, ſurſum eſt, cõuexa autem deorſum: prona uerò huic cõtraria: ſicuti media ambarũ, quum intrinſecus quidem ſit concauum, extrinſecus autem conuexum: ac ſubiectus quidem eſt paruus digitus cęteris: os uerò cubiti, oſsi radij: quę figura media, poteſt quidem extenſa perfectè manu, poteſt etiam flexa conſtare: quemadmodum & alterius oppoſitionis media figura conſtare poteſt, quum ſupina eſt manus, & quum etiam eſt prona: certè quæ quidem ſimpliciter media figura eſt, omnium iſtarũ eſt media. Quæ autem non ſimpliciter media, unius eſt media utriuſuis oppoſitionum. Alia enim extenſionis atq; flexionis extremę, alia ſupinæ & pronę, media figura exiſtit. Media itaq; ſimpliciter ex cõcurſu ambarũ dictarum mediarũ figurarum conflatur. Aliæ uerò mediæ quatuor quidem erunt uniuerſæ, ſed nulla ipſarum ſimpliciter media totius mẽbri erit, ſed unius tantũ oppoſitionis. Aut enim extenſionis & cõtractionis ſolùm erit media, aut ſupinę & pronæ. At quum utraq; ipſarum ſit duplex, iuncta uiciſsim exceſsibus reliquæ oppoſitionis, ſic neceſſe eſt quatuor omnino fiant. In ſingulis autem ipſarum, aliud quidem commune eſt omnium, aliud uerò proprium cuiuſq;. Commune quidem, quòd omnino unum aliquod genus muſculorum agit: reliqua uerò tria tenduntur quidẽ per accidens, non autem agunt. Propriũ uerò cuiuſq; angularis quidem & pronæ eſt, ut agant ij quidẽ muſculi, qui intus conuertunt os radij, alij autẽ omnes quieſcentes tendantũ. Cæterùm angularis quidẽ, ſed ſupinę, eſt proprium, ut qui extra circunducunt, agant, reliqui uerò quieſcentes tendantur. Eodem aũt modo & in media inter pronam & ſupinam, ut cum ſumma quidem extenſione ſoli extendentes agant, eſt proprium: cum flexione uerò ſoli flectentes, quum cæteri omnes ocioſi quidem ſint, ſed tendantur. Rem autem accuratius examinemus in hunc modum. Brachium eſt pars totius manus maxima: cuius termini ſunt articuli duo, quorũ alter in flexura brachij, alter in humero cernitũ: eſtq; illi unicũ os rotundum & magnum. Altera pars totius manus, quam ulnam dicimus, brachio quidem iungitũ per cubiti articulum: carpo autem, per ipſum. Conſtatq; ulna ipſa duobus oſsibus: uno quidẽ, quod etiam dicitur ulna: altero uerò, quod radius. Inarticulantur autem ambo ad brachij inferiorem oram: ulna quidem ubi medius locus condylorum brachij eſt: radius uerò externum brachij ipſius cõdylum amplectitur, in glenem definens, atq; circum ipſum ueluti axem quendam, manus cõuerſiones regit: quare intrò quidem dum circumagitũ, prona figura manus: extrà uerò, ſupina ſequitur. Extendere autem & flectere manum, dearticulationis cubiti ad brachium eſt actio. Brachij enim ora inferior dilatata, nodis circunſcribitũ. Vlna uerò, proceſſus duos flexos faciens ſibi inuicem oppoſitos, me-

*Media figura quæ cum tenſione utrunſque ſit muſculi, affert dolorem.*

*Figura mediam dupliciter dicitur.*

*Figura manus quatuor extrema.*

*Figura manus ſimpliciter media, quæ ſit.*

*Figura non ſimpliciter media exiſtit quadruplex.*

*Angularis figura proprium.*

*Brachij deſcriptio.*

*Vlna.*

*Radius.*

diamq́ ipsorum cauitatem figura z literæ similem efficiens, hac cauitate amplectitur medium locum condylorum brachij. Quum igitur concauitas ulnę circunfertur circa concauitatē brachij, extendi atq; flecti accidit toti membro. Vt autem in neutrā partem inclinet, supercilia mediæ cauitatis, causæ sunt, coarctantes ulnæ apophyses. Quum igitur anterior apophysis, motus dux est, flectitur membrum: extenditur autem, quum posterior. Terminus uerò, flexionis quidem, ut anteriorem apophysin affirmet ad os brachij: extensionis uerò, ut posteriorem. Duo autem musculi in partibus anterioribus brachij, ác totidē in posterioribus orti sunt, ualidis ligamentis ulnæ inserti. Incipiunt enim maiores eorum à capite brachij: minores multò inferius: ferunturq́; omnes quatuor rectà ad ulnam: & inseruntur in hunc maximè locum, unde oriri incipiunt coronæ. Ab his igitur musculis ulnam attrahentibus, extensio, & flexio fit.

*Extensio, flexiò que brachij. à quibus musculis fiant.*

Quatuor autem alij, principia quidem habent ab ulna, ex utraq; parte flexuræ, quæ in gibbero est: duo quidem extrinsecus, duo uerò intrinsecus. Omnes tamen quum sint obliqui, ossi radij inseruntur: ad finem quidem ipsius inferiorem, magni: in medio uerò, parui: qui etiam ipsi dum tenduntur, ad principia simul attrahūt radium, & per hunc totam manum, pronam quidem interni, supinam externi efficiunt. Ex prædictis igitur facilè demonstrare licebit, in quatuor differentijs figurarum non simpliciter mediarum, unum quidem genus musculorum semper agere: omne autem aliud quiescere quidē ab actione, uerùm extendi: ut in angulari simul & prona figura, in qua musculi quidem interiores mouentes radium, operantur, exteriores autem otiosi extenduntur. Similiter & ulnæ musculi, & alij omnes in figura ea inuertunt, quantū tota manus discedit à figura secundū naturā. Nec secus in figuris alijs non simpliciter medijs existimandum. Ergo media simpliciter figura, præterquàm quòd nullum musculum habet, nec agentem, nec qui uiolenter moueatur, ne aliquid quidem eorū quæ in membris sunt distorquet: quare sola prorsus caret dolore.

*Figura exquisite media, sola prorsus caret dolore.*

Cæteræ uerò omnes, aliæ magis, aliæ minus inuersos habent musculos omnes, & tendones, & neruos, & prę terea etiam arterias & uenas, ac proinde dolorificæ sunt. In singulis autem ipsarum, quantum discedens ab extrema constitutione ducis membrum ad mediam, tanto minus dolorificam efficies figuram. Sola itaq; figura simpliciter media, musculos omnes perfectè quiescentes exhibet. Iam uerò ex dormientibus ij tantum musculos omnes perfectè quiescentes habent, qui ob ebrietatem, aut defatigationem, aut uirium infirmitatem, omnes corporis partes omnino exolutas habentes, in mediam eas figuram reducere, ipsis musculis permiserunt. Non tamen in extremis figuris ullam particulam quiuis potest habere, dum dormit. Quęcunq; autē in medio sunt inter extremas & mediam figuram, in his ut plurimum, somnum capimus.

*Somnus in quibus capiatur figuris.*

In quacunque enim talium constituens membrum, musculis circa ipsum tonicè agentibus * commiseris ipsius figuræ conseruationem, adeò illam tuent, ut sedentes quidā dormiuerint, & deambulantes nonnulli. Id quod mihi olim contigit, qui fermè stadium integrum dormiendo peregi.

*Dormiens Gal. integrū stadiū absoluit.*

Sunt qui paruum aliquod corpus flexis digitis etiam dormientes seruant, nec citra tonicam actionem uehementem. Ad hæc, inferior maxilla, non discedit à superiori, nisi aut ebrius, aut ualde ignauus, aut defessus sit is qui dormiat. Et ipse quoq; stertor, propter hæc fieri assolet, relaxata quidem inferiore maxilla, supino autem iacente homine.

*Stertor quomodo accidat.*

Itaque & supinum iacere, & hiare * cum stertore, aut exolutionis, aut ebrietatis, aut ignauiæ sunt signa. Ob idq́; Hippocrates utrunque damnat: decubitum autem in alterum latus commendat: sicuti & mediocrem hiatum.

*Decubitus supinus damnatur.*

*Decubitū in alterum latus cōmēdari ab Hippocrate.*

Extremæ igitur inferioris maxillæ figuræ sunt, tum quæ maximè hiantibus, tum quæ dentes inuicem firmantibus fit: quarum illa quidem à musculis qui in mento & collo sunt, deorsum trahentibus: hæc autem ab ijs qui intra maxillam ex palato oriuntur, & eis qui temporales uocantur, perficitur.

*Maxillæ inferioris figuræ extremæ, à quib. musculis fiant.*

Verùm mediocriter hiando, media figura fit, omnibus dictis musculis quiescentibus: ad quam morientibus maxilla inferior sponte sua meritò accedit: omnes enim tunc musculi sua actione priuantur.

*Maxillæ figura media morientibus accedit.*

Porrò meatuū excretoriorum finibus, ceu portis quibusdam, custodes præsunt præualidi musculi, qui ne in dormientibus quidē permittunt quicquā excerni, priusquàm ratio iusserit.

*Musculi excrementorum retētioni dicati.*

Contingit autē inuitis nobis aliquod excrementum excerni, aut resolutis his musculis, aut ratione deprauata, ut in phreneticis: aut etiam ratione & musculis grauatis, ut in ebrietatibus. Temeraria igiť sententia est, quæ asserit dormiētium animam quiescere: quandoquidē cessatio illa non quies perfecta, sed intermissio uigoris existit. Non enim sensus expertes penitus sunt dormientes, sed difficulter sentiētes: ac proinde actiones quæ in illis fiunt, nō omnes sunt naturales, sed ex eis multæ animales existunt, quum nimirum uariè transferant membra, necnon dormientes loquantur.

*Dormientes nō esse omnino sensus expertes.*

Ac respiratio ipsa, actio existens phrenōn & musculorum thoracis, motu etiam fit uoluntario, estq́; animæ, non naturę opus, nēpe iudicio subdita: quippe mouere musculos, animę officiū est.

*Respiratio est uoluntarius motus, opusq́; animæ.*

Etenim si quę fiunt, sedare potes quū uis, & quæ nō fiunt, facere, idq́; citius aut tardius, crebrius & rarius, hic motus est uolūtarius.

*Motus uoluntarius quis sit.*

At motus arterię & cordis, quandoquidem non subijcitur nostræ uoluntaris imperio, non animæ, sed esse opus naturæ dicitur.

*Motus arteriæ & cordis est naturalis.*

Respirationi itaq; etiam inter dormiendum dominatur uoluntas, etiamsi id non assequamur mente. Siquidem neque palpebrarum motui, neq; alijs multis actionibus animalibus animū adhibemus semper dum uigilamus. Quare quā causam in uigilantibus dixeris, quòd sæpe non animaduertant particulares actiones: hanc etiā & ad dormientes & grauius oppressos trāsferre licet. Multos enim homines interdum actiones quasdam egisse constat, quarū paulò pòst penitus sunt obliti, quòd intenti actionibus tota mente non fuerint. Pars quippe animæ imaginatrix, quæ

*Imaginatricem uim recordari.*

quę etiã & recordari uidet̃, si insignes impressiones rerum imaginatione conceperit, conseruat perpetuò eas: atq; id quidem est memoria tenere. Sin uerò obscuras & penitus superficiarias, non conseruat: & hoc est obliuisci. Ob idq; in uehementibus animi affectibus, nullius eorũ quæ egerint, in posterum meminerunt. Quid igitur miri est, in somnis obscurè agente anima, obscuras etiã imaginationes fieri, ideoq; neq; stabiles, quũ id etiam in uigilijs contingat? Quòd autem totum opus respirationis uoluntariè & spontè ab ipsa anima fiat, declarauit quidẽ id barbarus ille seruus, qui cohibita respiratione mortem sibi consciuit. Cæterùm uoluntariorum operum, alia quidẽ libera esse, alia uerò affectibus corporis inseruire uidentur. Priora itaq;, ut ire ad aliquem, & alloqui (uerbi gratia) perpetuò à nobis & absq; obstaculo fiunt: quare absolutè sunt libera. Posteriora uerò, ut egerere, mingereq;, non perpetuò, sed in tempore quodã & cum mensura: suntq; corporis affectuũ remedia. Atqui nonnulli tacuerunt quidem ultrò annum integrum: egestionem uerò uel urinam retinere non modò annis, sed nec diebus quidẽ paucis nemo potuit. Simile igit̃ & his est spirationis opus: imò multò magis urget, ac celeriorem necessitatem habet. Etenim periculum est, ne quis moriatur, nisi respirauerit. Quare non est quòd quispiam existimet, naturale esse opus respirationẽ, quòd usquequaq; retinere ipsam citra discrimẽ uitę nõ liceat. Sed iam quod deest sermoni de medijs figuris, deinceps absoluamus. Vt enim in manibus angularis figura, omnis prorsus doloris est expers: sic in cruribus illa dolore caret, quæ cõsistit inter mediã figuram, & extensionẽ extremã. Causa aũt cõsuetudo est. Plurimũ enim extensis cruribus utimur: multoq; magis laboramus in extremis flexionibus, q̃ extensionibus. Tantum igitur à media figura ad extensionẽ progressum est, quod perfectè caret dolore, quantum à diuturna consuetudine membrorum est coactum. Hæc igit̃ duo considerans in articulis uniuersis, naturam uidelicet & consuetudinem, inuenies medium & dolore carens. Videtur autem in idẽ conspirare ubiq; consuetudo cum natura: figura uerò dolore carens cum medio. Etenim in cruribus idem est quod dolore caret, & mediũ. In uniuersum igitur in omnibus articulis extremos motus cõsiderans, inuenies medium, & figuram doloris expertem. Vt enim in articulo ad gibberum, quod uocatur angulare: in articulo uerò ad genu, quod propius est extẽsioni: sic in spina quod propius est flexioni, in articulo uerò ad carpum, quod exquisitè rectũ est, doloris expers existit. Etenim non ut carpi, sic etiam spinæ rectum ipsum est medium, sed aliquantum curuũ. Quapropter recti magis laboramus particulis spinæ, quàm sedentes, aut iacentes. Opus enim est stantibus quidẽ, tensam esse: iacentibus uerò & sedentibus, nihil prohibet esse curuatam spinam. Porrò quicunq; musculi sine articulis sunt, etiam in his media constitutio sine dolore est: sicuti in ano se habet, uesica, & lingua. Nam & summè constringere, & maximè dilatare anum, dolorem inducit: ac sic de cæteris. Atque omnes homines quo tempore cessant ab actionibus necessarijs, mediam figuram & dolore carentem in omnibus partibus habent. Verùm in lingua quidem per coniugationem omnes musculi orti sunt supernè, infernè, & à dextris, & à sinistris: quare nihil miri si in contrarios motus particula deducat̃, à musculis oppositis. In musculo aũt ani & uesicę, necnõ diaphragmatis, aliter habet negotiũ. Nam quum singulis harum partiũ unicus tantùm sit rotundus, sine ullo opposito, musculus, in cõtrarios deduci motus hæ particulæ non æquè facilè possunt. At musculi qui est ad uesicam & anum, officiũ est, nõ excernere superflua alimẽti, sed retinere: nisi fortè per accidens, quum desierint agere. Cæterùm instrumenta excretionis, duplicia genere sunt. Eorum quippe alia animæ, alia naturę sunt. Atq; animæ quidem instrumenta semper motu uoluntario agunt: instrumenta uerò naturæ, citra ipsum. At phrenes quidem, & omnes musculi epigastrij, instrumenta animæ sunt. Intestinorum autem structura, unà cum uẽtriculo, ipsius naturę. Musculi itaq; epigastrij omnes, quum agentes tenduntur, premunt intrò naturæ instrumenta: hęc autem, si phrenes ipsis cedant, in illarum locum abeuntia, musculorum uiolentiam exoluũt. Sin autem resistãt, tunc ceu à duabus manibus pressa, extrinsecus à musculis, intrinsecus à phrenibus, anteriore quidem parte cartilagini pectoris, posteriore spinæ cohærentibus, ea quæ continentur in cauitatibus illorum, fortiter propelluntur: quo tempore musculus ani est ociosus. Cæterùm in egerendo quidem, superiores: in meiendo autem, inferiores magis tendũtur musculi. Simul autem cum ambobus extenduntur musculi seruientes respirationi: ut uidelicet occurrant uentriculo & intestinis, ab epigastrio ipso propulsatis ad regionẽ thoracis. Iam expirationis nullus musculus omnino est opifex: sed uidet̃ hoc ipsum opus, aut potius affectus thoracis, omnino esse similis decidentiæ illi à nobis expositæ. Efflatio autem est spiritus confertim emissus ab intercostalibus musculis: quod etiam thoracis opus, dictæ reclinationi, quadã proportione respõdet. Verùm quũ expirationi contraria sit inspiratio, efflationi uerò uehemẽs inspiratio, priorem quidem oppositionem solæ phrenes efficiunt: alteram uerò intercostales, cum musculis qui ad thoracem ex collo, scapulisq; proueniunt. Quum autem maxima quidẽ inspiratio per externos, maxima uerò expiratio per internos intercostales fiat, iustius utiq; quispiam musculos thoracis externos, ijs qui thoracis parte interna sunt, quàm phrenibus, oppositos esse dixerit. Porrò diaphragma ipsum, ubi agere desierit, laxiusq; fuerit, nunc quidem ipsius cõuexitas uersus spinã uergit, nunc uerò ad uentrẽ: multò tamen promptius uersus spinã fertur. Estq; in omnibus figuris hominis (una excepta prona) superius quidem diaphragma, inferior uerò spina: quare meritò ad eam uergit: tum quia grauat̃ quidẽ ab his quæ anteriori parte superiacent, tum quia retrò mollissimum & tenuissimum omniũ uiscerũ habet pulmonẽ. Duplex igit̃ quũ sit tensio omnibus mu-

*Memoria tenere, quod.* *Obliuisci, quid.* *Respiratione cohibita, seruum quendã sibi mortem consciuisse.* *Voluntaria opera duplicia.* *Tacuisse nõnullos annum integrum.* *Respirationis necessitas.* *Naturã consuetudinemq; considerans, inueniet mediam figurã dolore carentem.* *Doloris expertes figura.* *Spinæ figura media, nõ est recta.* *Musculi ani & uesicæ munus est non excernere, sed constringere.* *Excretionis instrumẽta duplicia.* *Phrenes.* *Intestina sunt naturalia instrumenta.* *Epigastrij musculorum opus.* *Expirationis nullum musculum esse opificẽ.* *Efflatio quid.* *Inspiratio expirationi contraria.* *Inspirationem maximam fieri per externos intercostales musculos, ut expirationem per internos.* *Tensio duplex musculis omnibus inest.*

sculis, una quidem, quum agentes in seipsos coeunt: altera uerò, quum à musculis oppositis extenduntur: priorem quidem phrenes, in inspirationibus non uiolentis habent: altera uerò fit, aliàs musculis uentris agentibus, aliàs intercostalibus, & his etiam solis. Verùm musculi costarum & uentris, quandiu quiescũt, conuexi perpetuò sunt: quum autem agunt, intrò cedũt, minusq; curui fiunt, contrà quàm cæteri omnes aliarum partium musculi.

## *GALENI PERGAMENI de Vteri dissectione, Liber Vnus.*

*Vterus inter uesicam & intestinum rectum.*



VTerus sub peritonæo, inter incumbentem uesicam, & rectum intestinnm, suam sedem sortitur. At uerò fœminarum uesica circa pubem sita est, collum breuius & laxius habens, quàm uesica uirilis, quod inter ossa pubis ad fœmineum pudendum extẽditur. Rectũ uerò intestinum ossi sacro, & quibusdam spinæ uertebris innititur: ac proinde spina circa id incuruatur. Magnitudo uteri nou æqualis omnibus est. Cæterùm magnitudine moderatus, superna quidẽ extremitate est propinquus umbilico, inferna aũt muliebri pudendo committitur. Estq; spatiũ ab illa extremitate suprema, usq; ad oram exteriorem pudendi, ut plurimum, quod moderatum est, undecim digitorum. Secundum latitudinẽ uerò, ad utrunq; latus per suos apices, siue cornua, extenditur. Ipsum autem muliebre pudendum circa externas partes pelliceam eminentiã adnatã habet, instar præputij uirilis. Corpus nteri, uesicæ simile est: à lateribus tamen habet papillares exortus, uersus lumbos nutãtes, qui apices & cornua appellantur. In mulieribus tamen minimè reperiuntur fœtus intra ipsa cornua, quemadmodum in cęteris animalibus numerosum partũ gestãtibus (multò enim minora sunt, quàm pro magnitudine fœtus) sed in reliqua tota uteri cauitate. Cõtingit aũt moderatæ magnitudinis uterus ipsa tenuia intestina: qui uerò excellenter est paruus, ea solùm cum quibus coaluit. Rursus maximus uterus, nẽpe qui iam fœtum gestat, latera implet, ac imum uentrẽ, & multa intestina contingit. Appendet aũt per fibrosas quasdã & tenues distantias intestino recto & uesicæ. Appendet itẽ ossi sacro per quędã ligamenta robusta, ac per similia etiã, ipsius spinę uertebris: cuius musculis magnis (qui memorabiles utrinq; faciunt exortus, & in utranq; uteri partẽ, & in uesicę collũ, & in sedẽ distribuuntur) connexus est. Laxa sunt autem hæc omnia ligamenta, & ob id uterus plurimũ moueri, & habitu suo transmutari potest. Sunt ligamenta alia & appendices quæ in ipsum uterum inseruntur, partim quidem eius corpus texentia: quorum pars nõ exigua sunt nerui ab spinali medulla orti: partim uerò incremẽti & nutrimẽti ipsius uteri, itemq; fœtus gratia, constructa: ut sunt arteriæ atque uenæ. Vesicæ autem & podici sic iuxta collum coalescit uterus, separari ut per excoriationem facilè ab ipsis possit. Coalescunt etiam ei testes & seminalia uasa: quemadmodum cum pudendo ipse circa extremitatem sui colli. Iam uerò à uena caua, & arteria magna illi incumbente, exoriuntur duæ uenæ, & duæ arteriæ, utrinq; sanè una, uena quidẽ à uena caua, arteria uerò ab arteria. Deinde altera quidem à dextris ad dextram, altera uerò à sinistris ad sinistram uteri partem delata, antequam in ipsum uterum inserantur, ramulos ad testes extendunt, posteaq; in uteri corpus se insinuant, atq; intertexunt ipsum. Hæc itaq; quatuor uasa, paulò inferius sunt sita, q̃ quę deferuntur sub renes: uenæ tamen multò sunt arterijs maiores. Aliæ præterea uenæ & arteriæ, ab utraq; uteri parte, circa collum ipsius inseruntur, ab ea quæ ad pudendum & sedem peruenit, manifestè distinctæ. Ipsum autem uteri corpus duæ constituunt tunicæ obuersim positæ, ad distensionem & contractionẽ aptissimæ: quarum externa quidem, neruosior, simplex, & una est: interna autem uenosior & duplex: cuius partes cõmittuntur quidem inter sese, non coalescunt tamen, nec prorsus uniuntur, sed se duntaxat contingunt, & à circumsita tunica continentur. Si igitur per excoriationẽ eas separare cõtendas, duo uidebuntur tibi uteri esse, sub una eademq; tunica siti. Hanc enim tunicam ueluti uterum in duas partes separare amplius non potes. Habet autem multas aspredines illa uenosa tunica, maximè circa fundũ. At neruosa quæ ipsam ambit, multò crassior quàm uesicæ tunica est, & ipsa multis uenis arterijsq; interstincta. Cæterùm collum uteri musculosum existens, ex carne natum est dura cartilaginosaq;: ac progressu temporis adeò cartilaginosum euadit, ut quæ sæpius pepererunt, aut iam aniculæ sint, his multùm durum & cartilaginosum existat. Habet autem in se foramen, per quod excernuntur menses, ac tum uiri semen excipitur, tum egreditur partus. Finit autem collum ipsum in muliebrem sinum non rectum, neq; rectà in omnibus: sed declinat in sinistram, & dextrã, sursumq; & deorsum. Quod autem ad anteriorem & posteriorem partem attinet, similiter se habet in omnibus. Consistentiam etiam uteri, pro ætatum atque affectuum ratione, contingit uariari. Quin secundum naturam, crassus quidem & magnns, ac tumidus apparet uterus, lunari purgatione prodeunte. Siccus autem & tenuis est, qui longissimè ab eo tẽpore abest. Crassior item prægnantis: crassissimus, eius quæ sæpe peperit. Rursus, eius quæ iam concepit, crassus est: eius uerò quæ partui est uicina, magnns simul & tenuis. At uerò testes fœminei à lateribus uteri siti sunt, singuli ab utraq; fundi parte, prope cornua: magnitudine multò minores quàm in maribus: figura item et corporis miscella omnino multùm differentes. Lati enim sunt fœminis, rotundi uerò & oblongi maribus: & glandulosi quidem illis, tenera uerò carne masculis. Complectitur autem utrumuis eorũ propria pellicula tenuis. At scrotum fœminei testes non habent: eis tamen & arteriæ & uenæ inseruntur, ex eis quæ ad uterum tendunt, in singulos singulæ progredientes. Verùm cõmista inter se hæc uasa priusquã inserantur testibus, instar cæsariei intorquentur, nõ secus quàm

*Collũ uesicæ fœmineæ.*
*Rectum intestinum.*
*Vteri moderati magnitudo.*
*Pudendi muliebris descriptio.*
*Cornua, siue apices uteri.*
*Vteri connexiones.*
*Vteri uasa.*
*Vterum constituunt duæ tunicæ.*
*Vteri collũ cartilagineũ.*
*Vterus prægnãtium crassior.*
*Testiũ fœmineorum situs.*
*Testium fœmineorum masculorumq; discrimen.*
*Testiculorum pellicula.*
*Testes fœminarum carere scroto.*
*Testium fœm. uasa.*

*Seminaria vaſa in fœminis.*

quàm in ipſis maribus. Cæterũ ſeminaria uaſa, quæ & ipſa continent ſemen, prope teſtes quidẽ ſunt ampla, ſenſilemq; poſsident cauitatem: anguſtiora uerò ac ueluti nõ caua redduntur, paulò longius inde progreſſa. Deinde rurſus iuxta cornua dilatantur, ubi ſanè in uterum inſeruntur.

*Prægnante muliere quæ primò gignantur.*
*Secunda deſcriptio.*

Porrò prægnante muliere, primò quidem intra uterum ſecunda producitur: dein tunicæ fœtum ambientes, ac demum fœtus. Secunda ipſa, uaſa multa ſunt, tum uenæ, tum arteriæ, ex propinquo inter ſe ſitæ: quarum ſpatia intermedia, membranis quibuſdam explentur. Ex tunicis autem ipſis, altera totum fœtum amplectitur, altera incumbit duplicata circa caput, clunes, ac pedes eius.

*Agnina mẽbrana.*
*Farciminalis.*
*Secunda connexio cum vtero.*

Ac uocatur quidem illa agnina, hæc autem farciminalis. Ambæ autem candidæ ſunt, ac tenues, ferè aranci telæ conſimiles. Adnaſcitur ſecunda utero in hunc modum. Vaſorum uteri oſcula, per quæ mulieri menſes purgantur, aperiuntur quando mulier eſt conceptura.

*Conceptionem fieri aut incipiẽtibus fluere menſibus, aut deſinẽtibus.*

Contingit autẽ hoc tempus, incipiẽtibus fluere menſtruis, aut deſinẽtibus. Aperiunt & reliquo omni purgationis tempore hæc uaſa, ſed tunc nõ concipit mulier: neq; enim in utero poteſt ſemẽ manere, quòd multitudine ſanguinis influẽtis eluatur. Quando uerò ceſſant menſes, & quũ incipiũt, reſerata ſunt uaſa, & purgatio ipſa nec multa, nec coaceruatim effunditur, ſed modica & paulatim, ceu ſanguineo humore exudante. Quare ob aſpredinem quidem, ſemen utero adhæret: ſufficiens autem alimentum habet, paucitatem ſanguinis in ipſum confluentis.

*Conceptio cur antequam fluere menſes incœperint fieri nequeat.*

Priuſquàm enim fluere cœperint menſes, mulier non concipiet, propterea quòd nutrimento priuatum ſit ſemen, & unde hæreat non habeat: læuis enim tunc uterus eſt, ob concluſionem uaſorum: quare defluit ſemen, & cũ tunica ipſius nõ unitur.

*Aſperum quàm læue, aptius ad concretionem.*
*Secundam iuxta uaſorũ oſcula tantùm ipſi vtero accreſcere.*

Aptius enim ad concretionem aſperum eſt, quàm læue. Ex quibus liquet, ſecundam iuxta uaſorũ oſcula tantùm ipſi utero accreſcere, & iuxta aliud nihil. Vas etenim quod in ſecũda naſcitur, principium habet extremitatem eius quod ſe in uterũ ingerit, adeò ut quis duo hæc poſsit eſſe unum dicere: unita enim ſunt iuxta oſcula, alterumq; tranſſumit ab altero, uena quidem ſanguinẽ à uena, arteria uerò ſpiritum ab arteria.

*Cotyledones, ſiue acetabula.*
*Vaſorum ſecundæ progreſſus.*

Iuxta hæc uaſa etiam cotyledones (quos acetabula uocant) habentur, uinculum firmum ſecundæ ad uterum exiſtentes. Itaque ipſius ſecundæ uaſa, unde dictum eſt, inde initium ſumentia, intertexunt ſecundam, mutuoq; miſcentur, & perinde ac uariæ radices arborum, quæ in unum coëunt ſtipitem, ſic ipſa mutuò inter ſe cõcreſcentia, in duos ceu truncos degenerant, uenoſa quidem in uenas, arterioſa uerò in arterias. Qui ſtipites utriq;, ex utraq; parte dextra & ſiniſtra, ad ipſum fœtũ circa umbilicum confluunt.

*Vmbilicus quid.*

Neq; enim aliud quicquam umbilicus eſt, quàm quatuor hæc uaſa, mediũ quendã & communem uragon, hoc eſt, urinæ ductorẽ, uel aquæ ductum, habentia. Hic uerò exiſtit principium membranæ farciminalis, perforatusq; eſt ad fundum ueſicæ ipſius fœtus amplo meatu, adeò ut ueſicæ unio fit ad tunicã farciminalẽ, per ipſum uragon in medio utriuſq; ſitum.

*Vragos.*

Humor autem non modicus in utraq; continetur membrana: flauus quidem in farciminali, albidior uerò in agnina, & copioſior: quandoquidem hæc altera maior eſt, utpote uniuerſum fœtum contegens.

*Agninam membranam contegere totum fœtum.*

## GALENI PERGAMENI de Semine, Liber primus.

N ſemen ſit tum materiale, tum efficiens generationis principium, ut Hippocrates quidem profeſſus eſt, an efficiens tantùm, ut Ariſtoteles autumat, nobis uenit conſiderandum. Quòd igitur ex animalibus brutis, quæ quidem retinent ſemen, omnia etiam concipiãt, minimè autẽ quæ excernunt illud poſt coitum, ipſe didici experimento: id quod etiam in mulieribus poſtea exploraui, quas quum hac de re percontatus eſſem, reſponderunt mihi, ſe quendam, circa uterum, motum percipere, ut qui ueluti uellatur, & paulatim in ſeipſum contrahatur, ubi ſemen concipiant.

*Bruta excernentia ſemẽ poſt coitum, non concipere.*

Quibus etiam & ſcripta medicorum ſubſcribunt, & quæ ipſe etiam expertus ſum, per reſectiones animalium prægnantium, quorum omnium uteri apparebant fœtibus obuoluti. Videntur enim uteri (ut Plato ait) uelut animal quoddam, prolis deſiderio affici, & ob id attrahere in ſeipſos ſemen, & circumcirca in rugas cõplicati continere, quemadmodum & hoc ipſum uiris aliquando euidenti ſenſu eſt perceptum, nimirum ad cucurbitulæ medicinalis ſimilitudinem attrahente utero ipſorum pudendũ.

*Vterũ prolis deſiderio affici, veluti animalia quædam.*

Maximè autem contingit hoc, ceſſantibus iam ipſis menſibus, quo præcipuè tẽpore uteri ſemen concipiunt.

*Semen quo præcipuo tẽpore cõcipiatur.*
*Ariſtotelem interpretatur Galenus.*

Porrò qui putant Ariſtotelẽ quidẽ uoluiſſe, ſemen maſculi coniectũ in uterum, principiũ motus menſtruo recremento imponere, ac mox excerni: quiq; id partem fieri fœtus ex Ariſtotelis ſententia exiſtimant, utriq; mentẽ illius uiri ignorarũt. Is quippe, ueluti ex ligno & fabro fit menſa, ſic ex menſtruo ſanguine, & motiuo principio uiri, fœtum conſtitui ait. Quapropter* nonnulla animalia, nec excernere geniturã affirmat, ſed diſtribuere tantùm in fœminam animalẽ caliditatem, eſſeq; talia ex inſectis quædam: ita ut fœmina quidem articulum in marem demittat, commorataq; in complexu per multum tempus, corpus quidem accipiat nullum, ſed ſolam facultatem formantem, & formam ipſam ſpecificantem. Iam uerò, quod ipſemet Ariſtoteles ait, inflari & diſſolui genituram in utero, alienum à ratione uidetur: quum nimirum conceptionis tempore, minores & minus inflati cernantur uteri.

*Ariſtotelis opinio improbatur*

Cæterùm, etiam ſi id concedamus, perſcrutabimur poſtea, utrum in ipſa amplitudine uteri, menſtruum quidem recrementum conſiſtat, ſemen autem aceruatim allabens, ipſum percutiat, atq; exhibito motus principio excernatur rurſus, per ipſius uteri collum: an potius eo tempore quo fœmina maſculo coit, ſemini obuiam menſtruus ſanguis feratur, ut ſuſcipiat eam, quam illo aſſequitur, facultatem. Vtrunq; tamen abſurdum. Nam ſi in uentre uteri aceruatũ, ac longo

tempore contineatur menstruum, non amplius utiq; sanguis hoc fuerit, sed grumus. Quandocunq; enim exciderit sanguis ex uasis in quodq; organum cauum in animali, statim fit grumus.

*Grumus quando fiat.*

Nec reperio quo pacto etiam semen sine sanguine excerni possit, cū quo conuenit & conspirat in idem iuxta amplitudinem uteri. Si uerò obuiam uenit semini sanguis, oportet sanè ipsorum congressum in uasorū osculis fieri. Verùm si hoc ita habet, unum in tot partes semen dicemus diuidi, quot sunt ipsa uasorū oscula, ut ad singula sua pars deueniat? (id quod seminis uiscositati aduersat, & altera moderāte substantia opus habet, quæ diuidat) aut cohærens sibi manere? quod longè conuenientius est ipsi substantiæ seminis: & tertia alia substantia non indiget, præterquam attractione uteri, & seminis eiectione. Quemadmodum enim uenter ubi cibos appetit, cum fundo suo ad gulam recurrit, qua nimirum uelut manu utitur: eodem modo uterus qualitatem seminis concupiscens, it obuiam, ac totus quidem ad pudendū accurrens, collo ipso, ueluti stomacho, ad similitudinē manus, utitur, intrudenti confertim semen.

*Vterum ad pudendum procurrere, vt eat obuiam semini.*

Itaq; si quando hic stomachus debilitetur, semen attrahere non potest. Quòd si etiā allabatur uasorū osculis semē, & rursus discedat, discutiaturq; in aërem, quod per Deos erit principiū fœtus? Primùm etenim inuenire causam oportet ipsius elapsus sanguinis, semini appropinquantis, ex singulis osculis uasorum uteri: deinde alteram, quæ totum in idem coaceruet: postea autem & causam membranæ totum hunc sanguinem forinsecus cooperientis: quæ quidē nō ex ratione tantùm, sed ex eo quod apparet, necessitatem habet. Apparet enim nobis orbiculatim ipsum conceptum continens statim post conceptionem primam. Nam & trium & quatuor à principio dierum sæpe excidit mulieribus genitura tenui contenta inuolucro: id quod ex resectione animalium licet deprehēdere. Videbis enim manifestè uterum quidem totum circum semen contractum, membranam uerò huic obuolutā: qualem quidē excreuit illa nequissima mulier, quam Hippocrates (ut ipsemet fatetur libro de fœtus natura) prudēs ac uolens coēgit facere abortum.

*Membranā obuolui semini in vtero.*

*Hippoc. coēgit quandā facere abortum, cōtra quàm in suo illo iureiurando est pollicitus.*

Cohærens nanque sibijpsi semen, quo tempore ab utero attrahitur, extenditur quidem & dilatatur, nempe omnibus uteri partibus æqualiter appetentibus ipsum. Propterea uerò quòd uiscosum & crassum est, calidis corporibus conuersatur, facilè in membranam coalescit, quæ iuxta uasorum ora ex ipso utero pendet, de cætero iu totū illi subtenta. Porrò uena, arteria, & neruus, prima & cōmunissima animalium organa, à quibus omnes partes reguntur, nō ex sanguine, ut Aristot. ait, sed ex semine generant: nimirū alba & exanguia quū sint.

*Semenq; præbere generationē venis, arterijs, & neruis, primis organis.*

Quòd si sanguinem transmutās natura, ex rubro faceret album, ex liquido crassum, uiscosum ex læui, ut ex eo rectè illa uasa cōpingi possent, laboraret utiq; frustra, studens huiusmodi parare sanguinem, quale à principio habet semen. Atqui natura ipsa nihil frustra molitur: cui quidem nullū maius operæpretiū accidere potest, quàm principium optimè cœptum, ut quod non solū medium totius, sed potētia etiam totum esse dicatur, uel testimonio Aristotelis.

*Naturam nihil frustra moliri.*

*Principium dicitur potētia esse totum.*

Absurdū itaq; fuerit dicere, statim in ipsis auspicijs frustra operari naturam: habentemq; album & crassum & uiscosum humorem, ad neruorum, uenarum, & arteriarum generationem, eijcere quidem hunc, ut Aristoteles putat, ex sanguine uerò alium similem gignere. Si nanq; exanguem esse horum trium organorum substantiā natura uult, siue crassam, siue extendi, & in fistulæ modum cauari, ac quamlongissimè progredi citra diuulsionem, ad hæc omnia certè nihil substantia seminis reperiri possit aut cōmodius, aut aptius.

*Seminis substantia quibus rebus aptissima.*

Est autem semen uitali spiritu plenum.

*Semē vitali spiritu est plenum.*

Quare maximè cōtrarius hic sermo naturę operibus est, si excerni quidē in aërem dissolutum, ipsum dicamus, retineri autem sanguinem menstruū, ceu benignissimum, quem ut alienum natura excernit singulis mensibus. Non enim est familiaris utero sanguis mēstruus, sed ipsum semen: & propterea susceptorium huius organum natura constituit uterum.

*Sanguinē menstruum non esse familiarem vtero.*

Quantum igitur ex semine uterum ipsum cōtingit, hoc fit statim mēbrana.

*Membrana ex qua seminis parte gignatur.*

Reliquum uerò totum, habuit quidem & ipsum insitas facultates: attractricem quidē familiarium, & *per quam retenturum, & altera turum, alimentumq; sibi facturum erat: expultricem deniq; alienorum & superfluorum.

*Semini inesse quatuor facultates naturales*

*Semen quas materias trahat ab vtero, & per quas uias.*

Habuit præterea & familiares materias quas attracturum erat ab utero, sanguinem uidelicet & spiritum, per oscula quibus connexū est. Et sanè hęc statim à principio per ambientē membranā nōdum duram factā, attraxit. Ad finem uerò, tantùm per foramina illius, ob attractricem perpetuam, obq; interuētum humorū, minimè coalescentia, sed adaperta magis, per quæ scilicet ferebantur materiæ. Solet autem alimentum non semper pari copia, sed iuxta proportionem augmenti illius quod alitur, aut exiguum, aut copiosum affluere. sanguis quidem ex uenis, spiritus uerò cum sanguine tenui, modico & calido, per arterias, utrunq; ad propriam suam rauitatem. Quiu & temporis progressu necessariū est hanc uiam in fistulæ modum cauari, ac uas fieri. Cæterùm quandoquidem impossibile erat, semen ad fundum uteri illapsum, ipsum totum illinire, utpote qui exortus utrinque ueluti cornua quædam haberet, hæc sanè fœmineo semine illeuit natura. In hæc siquidem cornua, singula ab utraque parte existentia, uas seminale se ingerit, ex fœminæ profectum testibus.

*Seminalia vasa fœminea, profecta à testibus, inserūtur in cornua matricis.*

Quando igitur simul sub idem tempus, cum mare semen fœmina emiserit, ipsum muliebre semen per utrunque eiectum cornu, delatumq; in medium uteri spatium, simul quidem oblinit uias, simulq; ad masculi semen perueniens, unà cum illo miscetur.

*Semē muliebre misceri virili in vtero.*

Sic ita per membranas ambo mutuò innectuntur, quas tunc in sua profectione ipsum muliebre semen produxit, ut totam genituram amplectens, hanc fœtui utilitatem præstaret, & ut ueluti alimentū quoddam, masculo semini fieret: tenuius enim est illo, & frigidius, familiarius uerò omni alio ad ipsius nutricationem.

*Seminis fœminei vsus.*

*Semen fœmineum tenuius frigidiusq; masculo.*

At uerò fines illi uasorū, per quos singulis men

mensibus superfluum sanguinis ex toto corpore in uterum deriuatur, existunt uera acetabula, siue cotyledones. Appellatur autem secunda, externa illa membrana, quam pertranseunt tum arteriæ, tum uenæ, materias ipsas ad fœtum ex utero deferentes. Altera autem membrana, quæ sursum ad cornua pertingit, farciminalis uocatur: quæ augescentibus liquidis excrementis in fœtu, ex ipsis suscipit alterum. Porrò ex spiritu & tenuissimo sanguine, qui unà cũ illo per arterias ad fœtum confluit, calidissimũ ex uisceribus ipsa natura constituit. Alter uerò sanguis crassus, speciem hepatis originalem producit: atq; hanc etiã pleræq; uenæ per secundam latæ perficiunt. At arteriæ ad aliud calidissimũ uiscus feruntur, quod ob excellentem caliditatẽ, moueri ueluti flamma quędã non cessat, sed semper uicissim distenditur & contrahitur. Et uenæ quidem arteriæq;, materias in hæc uiscera deducentes, ueluti radices ipsorum existunt. Quæ uerò protenduntur in totum fœtũ, tunicis similes sunt, in multos ramos distractis. Generatio aũt his est, ex substantia seminis in fistulæ modum cauata. Tertium uerò principium, à quo omnes producti sunt nerui, generationẽ ex solo semine habet. In permistione quippe ipsius ad semẽ muliebre, multæ bullæ sunt ruptæ, ex quibus intrò & ad profundũ spiritus seipsum seruare cupiẽs, concessit. Neq; enim ueluti uapor erat, sed per se mobile animalis principiũ, quemadmodum & cauitatem spiritus plenam, ex circunstante humore produxit semini. Quò autem neq; etiam inde promptè euacuaretur, firmam sibi domum fecit ex liquida seminis substantia, quæ ipsum ambit: id quod in ea crassius & durius erat, ad externum lineamentũ extrudens: quod uniq; ipsum progressu temporis calefactum & reficcatum, erat futurum os. Hoc in principio quidem facultas opifex, ac fingẽs animal operatur: nondum tamen apparet, præ paruitate. Quando uerò primùm apparere incipiũt, maxima sunt tria hæc ex uicino inter se sita, & se inuicem contingentia. Principium quidem neruorũ futurum, quod cerebrum appellamus, in altiori sede locatum: cor autem & hepar (quæ sese mutuò constringunt) ei subdita. Quæ principia tria, longius progressu temporis disparantur, & in totum, quod eis efformatur, animalis corpus transmittunt germina. Spinalem nanq; medullam cerebrum ueluti truncum quendam producit: cor uerò arteriam maximam, quam aortam Aristoteles uocat: hepar deniq; uenam cauam. Et sanè apparet statim à principio circa medullam spina ipsa firmata: circa cerebrum uerò, calua obducta: sicuti & iuxta cor thorax,* qui nõ solùm domus futurus erat in partu, sed primum & principalissimum respirationis organum. Hæc igitur aliquanto posterius fiunt. Ipsius autem fœtuũ generationis, quatuor in uniuersum sunt tempora. Primum, in quo seminis species uincit, & dominatur: quæ quidem constitutio, non fœtus, sed genitura uocatur. Vbi uerò expletus quidem sanguine fuerit fœtus, cor autem, cerebrũq; & hepar adhuc inarticulata sunt & informia, firmitudinem tamen & magnitudinem momentaneam iam habent, hoc tempus secundum erit. Tertiũ deinde est tempus, quando illa principia tria manifestè uidere licet, reliquarum uerò partium designationem per lineamenta, & quasi obscuriorem quandam adumbrationem. Quartum deniq; & postremum tempus hoc est, quũ fœtus omnibus artubus suis est integrè consummatus & absolutus: quo tempore non fœtus solùm, sed iam puer ab Hippocrate nominatur. Fœtus itaq; ueluti planta, omnem generationem & formationem à semine accipit, duplexq; principium motus & formationis statim ab ipso principio. Qualis enim est radicatio in plantis deorsum, talis est fœtibus insertio arteriarum & uenarum in uterum. Qualis uerò sursum uergens truncus in plantis, tales sunt in fœtibus à tribus principijs exortus. Etenim natura seminis non alijs uiribus producit plantam, alijs animal: sed quemadmodum plantæ semen terra indiget, ut nutriatur ex ipsa & augescat: sic nostrum indiget utero semẽ, ob causas easdem. Ad hæc, radices sibi generat planta, quibus trahat alimentum ex terra: ita chorion, hoc est, secunda, gignit uasa, fœtuũ radices. Producit quidem truncum à seipso semen plantæ, & ab illo alios & alios ramos, usq; ad extremas propagines: at non secus in fœtu uidere licet iuxta illa tria principia tres truncos natos, arteriam nempe aortam, uenam cauam, & spinalem medullam: qui in uarios ramos diuaricantur, usq; ad ultima germina. Quę triplex planta animal futura est, non reiecta illa, quam à principio habuit facultate uegetatrice, sed altera insuper acquisita. Ex loco autem in locũ ipsum transire oportet, ubi perfectum fuerit, ex uteroq; solutum: quod facere minimè posset, si frigidum ut arbores fieret, &, si organis ad ambulandum aptis careret. Quare duo principia acquisiuit, alterum organorum, quæ custoditura sunt ipsi naturalem caliditatẽ. alterum eorũ quæ subseruitura sunt omnibus ad quas concitatur actionibus. Sed his quidem posterius utetur. Principio autem plantatitio primò est usum: quod utiq; nõ ex sanguine, sed ex semine, arteriam, uenam, neruum, os & membranam produxit: & secundam quidem primùm ei forinsecus circundedit, ac simul cum ipsa farciminalem membranã condidit, tenuem quidem, angustamq; & infirmam, futuram tamen adiumento secundæ, in materierum attractione, suscepturamq; formati animalis urinam. Nam ad totum fœtum ambiendum, excipiendumq; uaporem defluentem ab illo, generata est tunica agnina, satis ampla & robusta. Reliquarum autem membranarum, quibus uarię partes teguntur, nulla in primis diebus necessariam habet generationem (neq; enim suffecisset ad ipsorum omnium opificium, substantia seminis) sed procedente tẽpore, dum quod antea erat semẽ, iam grandis factum est fœtus. Ad quarum generationem natura utitur geniture uiscositate: ex qua quidem quicquid crassius magisq; terreum, ac minus tractile est, ad ossium regionem delegat: quæ sanè arida & terrea, pinguitudinisq; expertia, sed obducta membranulis tenuibus, carneq; operta perfecit, ad id maximè usa

*Acetabula quæ. Cotyledones. Secunda quæ dicatur.*

*Farciminalis membrana fœtus suscipit lotium.*

*Cordis & hepatis generatio.*

*Cor moueri perpetuò.*

*Venarum, arteriarumq; generatio.*

*Cerebrum ex solo semine oriri.*

*Cranij productio.*

*Cerebrum in altiori locari sede.*

*Spinalem medullam oriri à cerebro.*

*Aortam oriri à corde.*

*Venam cauam oriri ab hepate.*

*Thorax primũ & principalissimum respirationis organum.*

*Tempora generationis fœtuũ, quatuor.*

*Genitura quod.*

*Fœtuũ ad plantas comparatio pulcherrima.*

*Animal dicitur triplex planta.*

*Principiũ plantatitiu, quæ ex semine gignat.*

*Secunda.*

*Farciminalis.*

*Agnina tunica.*

*Genitura uiscositas, quibus sit generandis idonea.*

*Ossium generatio.*

caloris ui: qua nimirū omnem glutinosam substantiam ab ossibus exugēs, ligamentis quibus inuicem copulantur, imposuit. Cæterùm ubi ipsis ossibus carnē superseruit, prius quàm membranis integeret, ibi minus aridum totum os factum est. Extendit autem à membranis circumossalibus, etiam carnibus ipsis gracilia opercula. Quin & neruum in unamquanq; ipsarum dispersit, ubi eos prius in fibras araneorum telis tenuiores dissoluit. Sed alias etiam fibras & similiter tenues ex ligamentis productas & carnibus implicatas inuexit, atq; ita rursus in unum & idem ambo coēgit fibrarum genera,

*Musculi constitutio.*

totum quidem organum in quo hæc fabricauit, musculum efficiendo: id uerò ubi fibræ cōgrediuntur,

*Tendo.*

tendinem.

*Ligamentum.*

Ligamentorum etiam non modicam partem in ipsos musculos indidit: ut neruorum,

*Visceribus uniuersis esse neruos inditos.*

non in hos solùm, sed & in uiscera omnia. Est & aliud fibrarum genus in uentre, intestinis, & utraq; uesica, adeoq; in utero & corde, generationem ex semine habens, quibus ueluti nexui cuipiam totum uisceris corpus circumcirca accreuit, ex sanguine ortum.

*Carnosa omnia esse ex sanguine orta.*

Omnia siquidem quæ carnosa specie prędita sunt, sunt ex sanguine condita.

*Membranosa omnia à semine orta.*

Membranosa uerò omnia, ex semine suum ortum sortiuntur. Ob id quæ ex sanguine generata sunt, si corrumpantur quandoq;, facilè regenerantur, ut quæ materiam generationis largam possideant.

*Genita ex sanguine regenerari posse.*

*Genita ex semine regenerari vix posse.*

Quæ uerò ex semine, aut neq; prorsus, aut ualde rarò, regigni possunt: quanquam efficiens ipsius causa perfectis animalibus insit. Quòd si quicquam eorum quæ ex semine ortum duxere, carne nudatū sit, caro quidem circumnascetur, simile uerò illi quod denudatum est, nullo modo amplius innasci potest: uel si Aristoteles moneat, singulorum inesse naturis, ut sibijpsis similia faciant. Etenim in id quod naturæ eius quod transmutatur propinquius est, facilis est trāsmutatio. Ac proinde sanguini facillimum est carnem fieri: difficillimum uerò * membranam, neruum, uenam, arteriam, tunicàmue. Primùm igitur unumquodq; eorum

*Nutritio uniuersis ex familiari illis portione sanguinis.*

quæ nutriri debent, familiarem sibi ex sanguine, ac similem succum trahit: qui postea dissolutus uaporis instar, his quæ ipsum attraxerunt, apponitur: ac tandem ab eis transmutatus, illis assimilatur. Non ergo uidetur, unamquanque primarū partium animalis à principio quidem ex semine natam esse, aliud autem esse ipsarum ultimum & familiarissimum alimentum. Procedunt porrò arteria & uena in utrunque testem non recta uia, sed flexuosa, multiformiq;, in qua

*Sanguinis in semen degeneratio*

quidem licet uidere sanguinem albescentē paulatim: postea uerò, ubi ipsum uas testem contingit, in eo planè seminis substantia iam perspicuè conspicitur.

*Vasis seminarijs inesse vim generatricem seminis.*

Est enim utriq; tum arteriæ tum uenæ, generatrix natura seminis. Verùm ex sanguine ipsum conficiunt, diutissimè in uertiginibus illis uersato.

*Semen ex sanguine gigni.*

Alteratur enim sanguis transiens in semen: quum omne alterās, in suam naturam ducat ipsum quod alteratur, quemadmodum etiam apparet. Album enim & crassum & uiscosum est semen, aptum ut ex eo arteriæ & uenæ nutriantur.

*Venas amputatas, regeneratasq; vidit Galenus.*

Cæterùm amputatas uenas, ac rursus generatas in magnis ulceribus uidimus: id quod assolet fieri conspirante in unum robustissima facultate cum materia seminaria copiosa.

*Arteriam, neruumue amputatum, cur regenerari non liceat.*

Arteriam uerò aut neruum nemo unquam uidit regeneratum, ob penuriam materiæ, quam & copiosam & ualidæ facultati iunctam, adeò crassorum uasorum requirit generatio. Verùm iuxta primam generationem ex semine, coaceruatus adhuc est humor, ex quo uasa ipsa formantur: opifex autem ipsius duplex est, tum facultas, quæ in ipso semine habetur, tum quæ in uteri uasis, quibus allapsum est. Quare nihil mirum, prima naturæ organa uelociter formari in fœtibus. Sed nec tribuere uasis illis flexuosis totam seminis generationē est ęquum, ut Aristoteles facit,

*Testes priuantur Aristotel. facultate gignendi semen.*

priuās testes facultate semen gignendi. Arteria itaq; & uena, à uasis quę circa spinā sunt progredientes, per ilia deorsum feruntur, donec perueniant ad uenam testicularem dictam,

*Testicularis vena.*

quæ iuxta caput testiculi incumbit, quod epididymis appellatur,

*Epididymis.*

ex qua fistulæ multę in testem perueniunt, seminario humore refertæ. Huic testiculari uenę, & arteria & uena adnascuntur, circa paulò antè relatam obuolutionem: cui & paruam quandam à seipsis distributionem largiuntur, priusquam inserantur testi.

*Seminalis meatus.*

Inde seminalis meatus genituram hauriens, ad pudendi exortum eam subuehit. Quousq; enim intra ilia sunt arteria ipsa & uena, peritonæo integuntur. Hinc uerò peritonęū, utrinq; momentaneo foramine

*Peritonæi perforatio.*

perforatū est, & meatus ab ipso maximus ad testes descendit. In quo & obuolutio uasorum gignitur, & uas seminale ex uena testiculari enascens, ad ilia ascendit: contingens quidem circa exortū ipsum testiculum, non tamen ex ipso generationē habens. Iam uerò iuxta utrunq; meatum arteriam & uenam descendentem reperias, ascendens aūt uas seminarium. Inde uerò rursus non amplius extra pubis ossa, sed per profundū & supra ipsa in decliue fertur, donec ad uesicæ perueniat collum, cui pudendum continenter

*Seminarij vasis insertio in pudendum.*

cohæret. Quia enim uas seminarium longissimum factum est, ob id tantam uiam circumcurrit. Contingit enim ita sanguinē in uasis morantem concoqui, & in grumos cogi, & uas seminale longissimum & uaricosum iuxta uesicæ collum existens, genituram quamlongissimè iaculari. Cæterū in quibus testes execti sunt, epididymide intacta, nihil patitur uas seminariū.

*Spadonibus omnem virilitatem perire.*

Deperit autem animalibus nō solùm emissio seminis (hoc enim ijs feliciter cederet, qui abstinere à uenereis percupiunt) sed & uirilitas & omnis masculina inclinatio. Sic etiā si animali fœminæ excindas testiculos, neq; libidine concitabitur, neque marem admittet, sed amittet fœmineam naturam.

*Scrofa castrata*

Quo nomine scrofæ castrantur, fiuntq; sic castratis masculis similes, atq; uberius alimentum accipiunt,

*Castratorum carnes suauiores existere.*

pinguioremq; & suauiorem carnem, quàm reliquæ scrofæ, habent, quemadmodum & mares maribus.

*Testium ablatio in fœminis periculosior, & quare.*

Non tamen similiter periculo uacans ablatio testiū ipsis fœminis est. A lateribus enim ab utraq; parte singuli adiacent, arteriam quidem & uenam, ueluti qui in masculis sunt, pampinoformiter sibi insertas habētes: uas uerò seminale ad utrunq; cornu finiens. Necessarium itaque est utrunq; latus diffindere, si

quis

quis excindere uelit: atq; in hoc sanè maius periculum est, quàm in maribus. Porrò quibus execti sunt testes, ij uirili robore destituuntur, perfrigeranturq́;, ceu uirium fomite: alteroq́; insiti caloris principio priuari, neq; ampla illis est uena, neq; floridus sanguis, neq; ualidè pulsant arteriæ, suntq́; glabri uniuersum corpus, neq; uenerea appetunt, aliud quippiam magis existentes, quàm animal. Quare hac parte testes etiam ipso corde sunt præstantiores, nempe qui præter hoc, quòd caliditatem ac robur animalibus exhibent, amplius etiam generi conseruando præsunt. Quam eorum facultatem insignem, haud scio quomodo neglexerint ueteres, conferant ne, an non conferant semini, disceptantes. Alteratur enim totum corpus per ipsos testes. Nec solùm insuauior est caro uictimarum non castratarũ, sed & qualitas ipsa carniũ simile quiddam testiculorum qualitati habet, graue nempe, & uirosum. Testes itaq; præsentia sua, tum calorem, tum robur, atqueadeo coëundi appetentiam ipsi animali conciliant. Cæterùm tertium hoc, neq; cor ipsum exhibere potest: quare illud quidem uiuendi tantùm, testes uerò bene uiuendi principium fuerint. Quanto autem melius est bene uiuere, quàm simpliciter & solùm uiuere: tãto in animalibus testes corde sunt præstantiores. At in senescentibus & debilibus, testes ipsi sunt laxi, contrà quàm in iuuenibus, fortibúsue. Nõnullis ex quadrupedibus substricti quidem sunt testes, ut suibus: uolucribus autem omnibus intra peritonæum prope spinam firmantur. Iam uerò unaquæq; animalis pars, humorẽ ad se loco alimenti influentẽ, in sui ipsius naturam permutat. * Est autem propria unicuiq; particulæ essentia haud quidem secundum humorum, qui in ipsis sunt, naturam, sed secundum corporum solidorum substantiam, à quibus contentorum humorum fit alteratio. Quod quidem si sic se habet, continetur autem serosus humor in testibus, ab huiusmodi utique ipsorum corpus nutritur. Vnaquæq; autem pars familiarissimum sibi alimentum conficit: quare testes semen etiam conficient. Sed operantur ipsum tum arteriæ, tum uenæ, quamuis paucum longo tempore: at testes non solùm multum, atq; id breui tempore, sed exactissimè elaboratum: syncerissima enim exactè est ipsis seminis qualitas: ac proinde omnibus animalis partibus quamcelerrimè illam cõmunicãt. Fortes si quidem facultates in naturam suam alterant totum corpus. Pauxillum quippe deleterij humoris, corpori animalis illapsum, totũ ipsum transmutat quambreuissimo tempore. Similiter auxiliaria medicamenta corpus uniuersum alterant, alteratione uenenosis contraria, non substantia ipsorum totũ corpus persoluente (quod utique impossibile esset tam breui tempore) sed qualitatis facta distributione. Quid igitur mirum est, ex testibus in totum corpus facultatem quandã distribui, qualis neruis quidem sensus & motus ex cerebro, arterijs uerò pulsandi facultas ex corde? Atq; ea quidem facultas in maribus, roboris & uirilitatis, in fœminis uerò effœminationis existit causa. Ob idq́; fœmineum animal exectis testibus, castrato masculo assimilatur: reliquæ uerò omnes partes easdem facultates in utrisq; habent. Trahunt itaq; serosum humorem testes, quem ipsis antè præparant uasorũ inuolutiones. Deinde ubi qualitatis ex ipso fructum ceperunt, eamq́; cæteris communicarunt partibus, id quod superfluum est, in meatus seminarios deponunt, hi uerò foras in coitu excernunt. Idcirco per immoderatam quidem uenerem, omnia spermatica organa, uacua & exhausta redduntur: turgentia uerò, ubi adest uitæ ratio castissima. Trahunt itaq; uiolenter semen ab ipsis uenis testiculi: uenæ rursus à suprapositis: atq; hæ rursus ab his quæ deinceps sunt sitæ: qui tractus non cessat, donec ad omnem corporis partẽ trãsumptio ipsa perueniat: quo fit ut totius animalis partes omnes proprio alimento priuentur, donec omnium fortissima expleatur. Neq; uerò solam serosam humiditatem ab omnibus animalis partibus sic auferri contingit, sed etiam uitalem spiritum. Quare mirum non est, immodico utentes coitu imbecilliores reddi: uidelicet à toto corpore, utroque humore syncerissimo ablato, accedenteq́; ad hæc uoluptate, quæ ipsa per se est sufficiens ut firmitudinem uitalem dissoluat, adeò ut iam quosdam ex nimia uoluptate constet animam exhalasse. Igitur omnes solidæ corporis partes ex semine generantur atq; nutriuntur. Quippe quæq; pars, ex qua primùm facta est substantia, ex eadẽ semper nutritur, quòd nutritio expletio sit substantiæ defluentis. Quapropter etiam nium generari licet, quæcunq; à principio ex sanguine sunt concreta: non generari autem (præterquàm alicubi uenam quandam, atque id rarò) quibus sua ex semine generatio à principio contingit. Vt autem de uasis seminarijs rursus aliquid dicam, sciendum est, ipsa esse plena semine, uel eo tempore quo animalia uenere non utuntur. id quod fieri potest trahentibus ipsis genituram à testibus, & ipsis testibus etiam ad illa eam relegantibus: idq́; per epididymidem maximam, per quam scilicet mediam, connectuntur ipsi glandulosi testiculi seminarijs uasis. Imò uerò si licet fateri quod uerum est, epididymis ipsa est principium & radix uasorum seminalium, quæ ex toto testiculo semen in seipsam haurit.

*Castratis quæ accidant.*
*Castrati sunt aliud quippiã magis, quàm animal.*
*Testes quo nomine præstant cordi.*
*Testes alterant uniuersum corpus.*
*Carnes non castratarum redolere quippiam graue & uirosum.*
*Testes quid præstent.*
*Cor uiuendi principium tantum.*
*Testes bene uiuendi principium.*
*Testium situs diuersi.*
*Essentiam cuiusq; particulæ dici secundum corporum solidorum substantiam.*
*Testium corpus nutriri ab humore seroso, quẽ continent.*
*Testes conficere semen.*
*Testes cur celerrimè toti corpori seminis qualitatem communicent.*
*Facultates fortes corpus in suam naturã mutare.*
*Execta fœmina, castrato masculo assimilatur.*
*Testes trahere humorem serosum.*
*Vitalem spiritum etiam rapi cum humore seroso à seminarijs organis.*
*Coitu immodico utẽtes, cur imbecilliores reddantur.*
*Voluptas uitalem firmitudinem potest dissoluere.*
*Solidas partes ex semine generari & nutriri.*
*Nutritio est expletio substantiæ defluentis.*
*Spermatica uasa esse semper referta semine.*
*Epididymis est radix seminalium uasorum.*

## GALENI PERGAMENI de Semine lib. II.

PORRÒ testes muliebres adiacent quidem utero, utrinque singuli, consimilem uasorum inuolutionẽ, ueluti ij qui in maribus sunt, suscipientes. Non procedunt tamen in eundem locum hæc uasa, propterea quòd neque foras, quemadmodum marem, sed in ipsos uteros oportebat fœminam emittere semen. Ideoq́; uelut seminali meatui obuiam euntes uteri, à lateribus prælongos exortus extendunt, per quos semen suscipiant. Maximè uerò plenum est uas seminale in animalibus uenerẽ appetentibus: sicuti uicissim uacuum à recenti coitu. Habet etiam idem aliquando non modicam co-

*Fœminas non emittere foras semen, sed in ipsos uteros.*

piam in ijs quæ ex longo tẽporis interuallo imprægnantur: in quarũ ſanè prælongis illis exortibus, quæ cornua appellantur, uidebis manifeſtè humorem ſeminariũ craſsiuſculum. Ad hunc enim locum farciminalis membrana peruenit, necnon genitura craſſa. Admirari autem ſubit etiam hic eos, qui dicunt uas ſeminale extra uterum habere adaperta oſcula, inſeriq́ in collum ueſicæ, eodem quo in maribus modo, ac proinde fœminarum ſemen effluere. Cuius opinionis fuit aſſertor Herophilus. Neuter ſiquidem ſeminalis meatus, in ullo aliquo *fœmineo animali in ipſum ueſicæ collum inſeritur: imò neq; in ipſius uteri collum: uerùm à lateralibus uteri partibus adnati, alter hinc, alter inde, ad ſummum perueniunt uterq; apicem, ſiue cornu, à ſua parte ſitum: ibidem intra uterum effundentes ſemen, quod grauidis aceruatur circa eum ipſum locum. In profuſionibus autem ſeminis quæ per ſomnum fiunt, primùm quidem in uterum ipſum illabitur, poſtea uerò foras uacuatur. Itaq; in fœminis, tum uaſa ſeminaria plena ſunt ſemine, tum etiã teſtes. Quòd ſi in utero ipſum muliebre ſemen cum uirili miſceatur, cogaturq́ & craſſeſcat, tunc formatio fœtus continget, ut pulchrè Hippocrates tradidit. Poteſt etiam natura, ex ſolo muliebri ſemine farciminalẽ membranam gignere. Poteſt & alimentum familiare & primum, ſubornare maſculo ſemini. Poſſe autem ex utriſq; miſtis unum fieri ſemen perfectũ, Hippocrates opinatus eſt. * Sed quæ obſecro poſsibilia eſſent, ſi hęc forẽt impoſsibilia? Quòd etiam fœmina ad uenerem incitetur, uel maximè poſsibile eſt. In eis ſiquidem ſeminarij meatus pleni ſemine, excernunt ipſum, citra ullum congreſſum cum maſculo: quin & ſeminis effuſiones per ſomuum ſimiliter ut mares patiuntur. Iam uerò quòd opificis opus ſit, ſimilem aut diſsimilem alterutri ex parentibus fœtum efficere, nemo ignorat. Pueros autẽ matri ſimiles, ob alimentum illis aſsimilari, ſunt qui contendant, idq́ producentes omnes alterationes, quę tum animalibus, tum plantis, ob alimentũ contingunt. Non intelligunt tamen, quòd nullam earum alterationum, quas dicunt, poſſunt ſpeciem alterantem oſtendere. Neq; omnino præterea quicquam immutat forma ex ſpecie animalis, ſiue plantæ: ſed ex ſeminibus omnia tale principium habent. Quinetiam ſimilitudo ipſa ex partium fit formatione, non ſecundum communem ſpeciem, ſed iuxta inſitas differentias ipſarum. Generantur autem omnia animalia ex ſemine & ſanguine menſtruo. Quandoquidem igitur fœtus utriſque parentibus aſsimilantur, commune habent principium, quod eos parentibus ipſis aſsimilat. Quippe fœtuũ ſimilitudo ad parentes, ſecundum principium contingit. Quòd ſi ſic res habeat, aut ex ſemine, aut ex menſtruo, ſimilitudo fœtuũ ad parentes oritur. Sed non ex menſtruo, quum ſubſtantia eius utrique parenti non ſit communis: à ſemine igitur proficiſcitur. Si uerò ex ſemine oriantur fœtuum ſimilitudines, neceſſarium utiq; fuerit fœminam ſemen emittere, quòd multi pueri matri ſimillimi appareant. Scrutemur autem nos iam, an

*Herophilus.*

*Seminales meatus in fœmminis apiri circa cornua, intra uterum, inibiq; ſuum ſemen effundere.*

*Fœtus formandi ratio.*

*Semen muliebre quid poſsit præstare.*

*Semen unum perfectum poſſe ex uirili & muliebri conſtari.*

*Pollutiones contingere fœminis uel abſq; mare.*

*Similitudinis liberorum ad parentes conſideratio.*

*Similitudo unde oriatur.*

*Animalia omnia gigni ex mẽſtruo, & ſemine.*

*Similitudinem oriri à ſemine.*

quæ tandem ſit cauſa, ob quam ſpecies animalis magis fiat ſecundum matrem: iuxta alterutrum parentem ipſa ſimilitudo: hoc tamen præmiſſo, quòd natura quidem corpus præparat animæ moribus & facultatibus aptũ, * ſed quod mores & facultates haber, ex temperamento ſecundum ſubſtantiam inſitos, unde etiam prima ipſorum eſt generatio. Contingit igitur ex his ſuppoſitis, tanquam fulcris, concludi, ſpecies animalium, ad ſubiectas generationi ſubſtannas, hoc eſt materias, conſequi: & eſſe ipſum animal, aut equum, aut bouem, aut hominẽ, iuxta ſubſtantiam ex qua factum eſt, & non ſecundum facultatem illius ſubſtantiæ motricem, formatricemq́. Cæterùm nec ſemen ipſum facultas ſolùm eſt, ſed & materia quædam: nec menſtruum materia ſolùm, ſed facultas. Vt enim ſemen ad materiale principium animalis maximè cõfert, ſic menſtruum ad potentiale conducit. Eſt autem ſemen ſanguis accuratè percoctus, à uaſis continentibus ipſum: unde ſanguis non ſolùm materia generandi ipſius fœtus fuerit, ſed & ſemen potentia. Quòd igitur ex materia ſimul & facultate unumquodque gignatur animal, omnibus in confeſſo eſt. Quòd uerò tum ſemen, tum menſtruum habeat utraq; principia, non tamen æqualibus uiribus prædita, ſed ſemen quidem effectiuum fortiſsimũ, materiale uerò modicæ molis: menſtruũ autem materiale quidem plurimum, potentiale uerò ſiue effectiuum, maximè debile, id etiam eſt confitendum. Si ergo materiale gignendi principium, iuxta quod ſpecies animalis abſoluitur, in ſolo menſtruo eſſet ſitum, fœtus utique exactè eiuſdem ſpeciei cum matre generaretur: quemadmodum etiam, ſi effectiuum ſolùm in ſemine eſſet, ſemper utiq; ſimilis foret patri. Quando uerò utrunq; ambo ipſa principia habet, ac prædominatur in menſtruo quidem materiæ copia, in ſemine autem facultatis, aut roboris: meritò (opinor) ſpeciem animalis à matre potius ipſe ſuſcipit fœtus, quàm à patre, etiamſi ipſius ſemen ad materiale principium conferat. Similitudinem uerò non magis iuxta matrem, quàm patrem, refert: quamuis quod ad robur quidem ſeminis attinet, fœtum patri magis aſsimilari oportebat. Verùm genitura muliebris etiam ad ualetudinem conferens, quum facultatem ex menſtruo per nouem menſes prodeuntẽ aſſumpſerit, tanto exuperat, quanto circa primum congreſſum exuperabatur. Propriũ enim muliebri ſemini eſt, ſuam ipſius ſubſtantiam ac facultatẽ magis quàm maſculini, augere, atq; corroborare. Non deſunt qui, ſi fœmina non ſolùm materiæ, ſed etiam facultatis principium ſit, ſuperuacaneos eſſe maſculos dicant. Quidam uerò gallinarum hac parte mentionem faciunt, quę ſubuentanea & fauonia appellata oua pariunt, citra mixturã maſculi. At Empedocles futuri fœtus partes diuulſas eſſe contendit, easq́ partim in maſculo, partim in muliebri ſemine contineri, atque inde etiam ipſius uenerei complexus appetentiam oriri animalibus, nimirum diuulſis partibus inter ſe uniri appetentibus. Quę opinio longè abſurdiſsima eſt, facileq́ redargui poteſt. Quæ uerò ſit

*Naturam præparare corpus animæ moribus aptum.*

*Morum generatio prima ex tẽperamento.*

*Species animalium ad ſubiectas generationis materias conſequi.*

*Semen eſſe facultatem atque materiã: menſtruum autem, materiam et facultatem.*

*Semen quid.*

*Sanguis eſt ſemen potentia.*

*Animal omne gigni ex materia ſimul & facultate.*

*Speciem animalis à matre potius ſuſcipit fœtus.*

*Oua ſubuentanea citra operã gallinaces oriuntur.*

*Empedoclis opinio refellitur.*

rò sit causa ob quam quũ ipsum fœmineum animal etiam semen emittat, masculum tamen sit generatum: aut cur generato masculo, etiam adhuc seruatum sit ipsum semen fœmineum, considerandum. Præstabilius enim erat ipsum fœmineum animal habere excrementũ conferens ad fœtus generationẽ. Quippe semen fœmineum, ex quo diximus gigni farciminalem membranam, proprium ac familiare alimentum masculo semini existit, quum sit illo tum humidius, tum frigidius, necnon magis tenue. Quare perperàm faciunt, qui frustra ipsum generatum esse pronunciant, impossibileq́ esse fœminam utraque coaceruare excrementa, contendunt. Melius siquidem eos modicè castigato sermone erat dicere, impossibile esse fœminam & sanguineum habere excrementũ, & etiam semen prolificum, ut cui frigidi temperamenti ratione, superfluus sanguis accumuletur: forti autem caliditate opus sit ad generationem seminis exactè elaborati & percocti. Est enim humidior atq; frigidior fœmina: calidior autem & siccior masculus. Vnde meritò alteri quidem deest quid, ad exactam seminis concoctionem: alteri uerò impossibile est sanguineum excrementum habere, præ caliditate & siccitate idipsum totum siccante. Ob id igitur & animalia quæ sicciore temperamento prędita sunt, oua generare solent citra conuersationem masculi. Deest tamen his quippiam ad perfectionem, si non assumant ex illo caliditatem. Itaq; possibile est animo concipere tale temperamentum corporis, quod * imperfectum animal generet absq; alterius miscella. Perfectum uerò in seipso id concipere, sanè difficile, & fortassis etiam impossibile est. Porrò tale debet esse generatiuum semen, ut statim simulatq; est diffusum, substantia ipsius partim in membranam abeat, partim in uas distendatur, partim deniq; pulset. Quod igitur in plantis est terra, hoc est in conceptibus mater, alimentum suggerens, donec totum animal perfectè absolutum fuerit. Et quemadmodum plantarum femini largus ex terra humor, sic animalium semini, materia in maternis uenis insitum alimentum existit. Dicere autẽ quis possit: Si iuxta prædominans semen similitudinem particularũ natorum ad parentes fieri cõtingit, omnes partes alteri parentũ necessariò futuras similes, cuiuscunq; tandem semen prædominabitur. id quod secus apparet. Cæterùm (ut discutiamus hæsitationem hanc) quum semen ipsum similarium partium existat, si fœmineum quidem in utero semini uirili misceatur, possibile sanè est ipsa circa effingendos fœtus inuicem prædominari, iuxta partes diuersas. Imò uerò, etiamsi dissimilarium partium ipsum semen existeret, posset tamen ex omni sui ipsius particula, pro eiaculationis modo alterata, omnes animalis partes efficere. Prædominatur autem iuxta mixtionem in aliquibus quidem partibus semen masculum, in aliquibus uerò fœmineum. At ubicunq; ipsum præpolleat, ea pars dominãti fit similis. Etenim in omni particula materiæ opifex simul adest, semenq́ semper mouet atq; concinnat seipsum. Nihil itaq; miri est, utriq; parenti natos assimilari circa diuersas partes. Num igitur etiam sic de genitalibus partibus eandem assignabimus causam? quòd ex ipsis hæc quidem masculina fiat, hæc autem prorsus fœminea? & quòd masculus toto corpore à fœmina in uniuerso animalium genere differat? Barbæ nanq;, & cristæ, & calcaria, dentesq́ exerti, necnon uniuersa cornua, ut in ceruis, masculorum sunt partes: secundum quas fœminæ maribus longè inferiores sunt. Differunt etiam ab illis secundũ alias. Arteriarum tamen omnium atq; uenarum numerus, formatio, & positio, eadem est, per totum masculorum & fœmineorum animalium corpus. Opinari autem, masculum animal, ubi præualuerit masculum semen, & fœmineũ iuxta fœminei seminis gigni excellentiam, satis probabile est: pugnat tamen cum hoc, quòd fœminæ sæpenumero simillimæ patri gignantur, & ex masculis non pauci matri. Quod igitur masculus aut fœmina generetur, mihi sanè uidetur causam ipsam tribus debere qualitatum actiuarum (quæ caliditas & frigiditas sunt) temperamento. Apparet siquidem masculus non solùm calidior fœmina, sed siccior etiam statim à principio esse: atq; ob id, quàm illa tempore breuiori ipsum formari traditur. Est autẽ siccius, quod citius accipit formam, quòd nimirum ea quæ præ maximo humore diffluunt, uix effingi, aut formari queant, nisi prius compagem firmã habuerint. Ad hęc amplas arterias, & uenas, & thoracem, & omnes partium cauitates habet quod est inflatũ, * quandoquidem hoc à spiritu exuberanti & calido effici maximè solet. Quare & arterias maiores, & fortius pulsantes habet, ac totum corpus concitatum & uegetum ad motum, aliaq́ id genus, quæ omnia non solùm in iam æditis, sed in his etiam quæ adhuc gestantur in utero, signa sunt caliditatis prædominantis. Idcirco in dextro utero ferè semper masculi gestari uidentur, sicuti in sinistro fœmellæ. Sic etiam testiculus dexter magis succulentus, quàm sinister existit: priusq́ in pubertatis tempore inflatus, generatores masculorum efficit: sinister uerò macrior, & posterius tumescere incipiens, fœminarum genitores ostendit. Si igitur dextræ partes sinistris sunt calidiores, fuerit utiq; hoc signum, masculum calidiorem existere, quem etiam esse sicciorẽ ostendimus. Quòd uerò ad calidum & siccum temperamentũ consequatur actionum robur, omnibus est in confesso. Cur autem eiusmodi temperamento præditus, extrà pendentes habeat testiculos, & iuxta ipsos pudendũ prælongũ, atq; ex nulla parte uterum: contrà uerò humidior frigidiorq́; fœtus, testiculos intus habeat reconditos, itemq́; uteros, atq; adeò totum pudendum intrinsecus, impręsentiarum uenit nobis considerandũ. Est enim proportio maxima inter genitalia masculi & fœminæ. Omnia siquidem genitalia membra tum masculus, tum fœmina habere eadẽ uidentur, positione tamen ac magnitudine differentia. Quin & uasa testes nutriẽtia, utriq; sexui ex ijsdẽ uenis & arterijs procedunt. Eandẽ etiã proportionem sortiuntur principia uasorũ nutrientiũ uterum, cum ijs quę sunt in scroto uiro-

*Semen fœmineũ masculino alimentum esse.*

*Fœminam esse frigidiorẽ et humidiorem masculo.*

*Animalia sicciorum temperamento solent oua gignere absq; commercio masculi.*

*Cõcipi aliquid perfectum animal absq; alterius miscella, perdifficile esse.*

*Semen prolificum, quale nã esse debeat.*

*Semen, similarium partium existere.*

*Natos posse esse similes utrique parenti secundu diuersas partes.*

*Masculorum & fœminarum discrimen.*

*Generatio masculi et fœminæ, tribuitur temperamẽto actiuarum qualitatu.*

*Quaius etes actiua caliditas & frigiditas.*

*Masculus tẽpore breuiori formatur quàm fœmina.*

*Siccius est, quod citius accipit formam.*

*Caloris prædominantis signa*

*Masculi in dextro utero, fœmina in sinistro gestantur.*

*Testiculus dexter masculos, sinister potius fœminas gignit.*

*Robur actionũ consequi ad calidum & siccũ temperamentũ.*

*Genitalia masculi et fœminæ proportione sibi correspondere.*

rum. Nec uerò neruorum principium utrisq; diuersum est, sed ab iisdem medullę spinalis regionibus in maribus fœminisq; procedit. Omnia ergo quæ genitales partes constituũt, in utroq; sexu existere apparet, in nullo q; penitus fœminã à masculo, aut masculum à fœmina, superari: sed uno solo differre, quòd alteræ partes intus, alterę foras existãt. Quare si animo uolutabis, quòd in formatione animalis, quod hæret utero, genitales partes primam delineationem, & quasi adumbrationem intra peritonæum accipiant, postea uerò emergant, sic utiq; masculi animalis generationem didiceris. Atq; in hunc sanè modũ natura circa unamquanq; genitaliũ partem omne extrinsecus lineamentum, uelun septum munitum effingit. Postquam uerò opificij speciem delineauit, aceruato spiritus impetu utens, simul & quod effictum est, propellit, & quod continet & ambit, simul perrumpit. Si uerò aliquando circa ultimum opus debilitetur, ipsum quod moliebatur imperfectum relinquit: quemadmodum profectò circa totum talparum genus apparet, quibus lineamenta quidem oculorum intus expressa sunt, uerùm foras emergere non potuerunt, natura debiliori effecta, quàm ut id efficere posset. Canes porrò, cæcos catulos parere præ festinatione, in prouerbio est. Satius tamen est ipsos recẽs editos catulos, imperfectos, quàm cæcos, dicere: utpote post paucissimos dies uisuros. Nihil igitur mirum est, quemadmodum talpæ oculos intus habent, quos natura extra producere non potuit, eodem modo & genitales partes fœminis intus effigiatas esse, & extrinsecus emergere non potuisse, propterea φ tota natura ipsarũ debilior, & imperfectior sit. Verùm tanto sanè fœmineorum animalium natura perfectior est quàm talparum, in quantum talpæ nullo cæcitatis commodo fruuntur. Non parum uerò ad generis propagationem fœmineum animal confert: nam & humidius & frigidius productum, recrementa secum connutritu rum erat, ad alimentum fœtibus ipsis idonea. Quum enim primi & recens fœtus compages liquidior fit & frigidior, tunc & principium formationis serius accipit, & finem adeò tardum & debilem, ut hæ partes foras emergere non possint. Et quum circa partes quæ postremum effigiantur, naturam delassari & debilitari contingat, absoluuntur etiã aliis imbecilliores. Expellitur autem semper excrementum superuacaneũ à fortioribus ad imbecilliores partes. Quia uerò omnium fœminearum particularum debilissimæ sunt genitales, ob id sanè in has superuacaneus sanguis peruenit, qui salubris quidem purgatio fit fœminis, priusquàm concipiant. Tempore uerò gestationis in utero, idonea materia in alimentum ipsis existit fœtibus. Manifestum igitur iam factum est, in calidiori & sicciori temperamento masculum generari: in frigidiore uerò & humidiore, fœminam. Speciem autem, siue animalis genus, hominem uidelicet, leonem, atq; equum, ad naturam materiæ, in animalis generationem subiectæ, consequi: quemadmodum sanè & formæ similitudinem ad utrunq; parentem, effigiantis ac formantis facultatis esse, quæ in semine continetur. Quare trium similitudinum, tria principia habebimus: similitudinem nempe generis animalis iuxta substantiam ex qua generatum est, fieri dicentes: formæ uerò, iuxta motum ex semine: ut eam quæ est, aut masculi, aut fœminæ, secundum utrorunq; principiorum temperamentum. Vtraq; autem principia appello menstruum & semen. Ac de his hactenus. Deinceps aliquid & de astitibus glandulosis: quos quidem qui semen & continere & generare existimant, hallucinantur. Cur enim, si & hi seminis uasa sint, animalibus quibus testes execti sunt, deperit penitus coëundi appetentia? Impossibile quippe est, organa seminis generandi uiribus prædita habere, ipsorum uerò usum non habere. Natura etenim, quæ neq; inutilem, neq; superuacaneã aliquam particulã fecit, insitas facultates omnium corporis organorũ, animalibus dedit, easq; nulla institutione edoctas, ad proprias actiones obeundas. Astites itaq; glandulosi ex testium castratione nihil perpessi, castratum animal ad uenereum consortiũ non excitant, ceu quiduis aliud potius existentes, quàm organum seminale, & alterius cuiusdam utilitatis gratia genin. Porrò duplicem omnium glandularum utilitatem esse, optimus Marinus tradidit. Aut enim fulciunt uasa sublimia, quæ findi solent, & diuulsionis periculum circa uehementiores motus sustinere: aut ob humorum generationem partes madefacere possunt, quæ humectatione uiscosa, & ex natura dispersa indigent, ne facilè resiccatæ, pigræ ad motum reddantur. Atq; in hoc secundum glandularum genus, quod uiscidorum humorum est productiuum, inferi arterias & uenas ait, & quasdam in uasorum mesenterij glandulas desinere: Duplex nanq; & harum glandularum genus esse, quòd & utilitas duplex existat: densas quidem & siccas, quæ uasa quæ findi solent, fulciunt: raras uerò & humectas, in quas uasa inseruntur. Si igitur & oris amplitudinẽ, & gulæ summum, & uniuersum intestinum certę quædam glandulæ humectant, nihil sanè mirum est etiam collo uesicæ simile quoddam auxilium præparatum esse, ne resiccatum aliquando, ægrè mobile fiat. Ac multò magis uerisimile est, huiusmodi auxilium ipsi uirili pudendo à natura præparatum fuisse, propterea quòd memorabilis magnitudinis in uiris hæ glandulæ existant. Periculum enim est, ne quum prælongum & nudum fit constructum pudendum, aliquando resiccatum obtorqueatur, & obstructus meatus eius cõniueat. In fœminis sanè ipsum uteri collum nec prælongum nec nudum est: sed intus sitũ, & ex ambientibus ipsum & circumsitis multam humectationem suscipit: imò ex ipsis menstruis etiam irrigatur. Poterit fortasis & natura uerita mordacitatem urinæ, hunc humorem ueluti linimentum huic pudendi meatui præparasse. Si autem in astitibus glandulosis generaretur semen, castrata animalia ipsum unq; excernere appeterent: atqui appetere non uidentur: palàm igitur est, quod neq; generatur: id quod incussum debet nobis seruari.

*Genitalia mascula à fœmineis hoc solum differre, quòd illa quidẽ foras promineãt, hæc autem intus existant.*

*Talparum oculos ob imbecillitatem naturæ, erumpere nõ potuisse.*

*Canes præ festinatione cæcos catulos edere.*

*Excrementa expelli semp à fortiorib. ad imbecilliores partes.*

*Menstruus sanguis idoneũ est alimentũ fœtib.*

*Masculum gigni in calidiori & sicciori temperamẽto: in frigidiori & humidiori fœminam.*

*Speciem animalis ad naturam materiæ subiectæ consequi.*

*Similitudo formæ ad parẽtes, unde oriatur.*

*Similitudinum trium, principia tria.*

*Astites glandulosi.*

*Naturam nihil fecisse superuacaneum.*

*Glandularum duplex utilitas.*

*Glandularum duplex genus.*

*Pudendum uirile.*

*Astites glandulosos constructos fuisse ad leniendũ humore pudendi arduitatẽ.*

*Semen non gigni in astitibus glandulosis.*

## GALENI PERGAMENI
## *de fœtuum formatione, lib. unus.*



On est unus limitatus ac certus terminus fœtibus manifestę formationis, aut motionis, aut partus. Cęterùm qui libellũ de natura fœtus cõscripsit, siue is Hippocrates, siue Polybus fuerit, geniturã quæ ubi sex diebus in utero mãsit, foras prolapsa est in quadã muliere, ait similem fuisse ouo crudo, cui adempta sit testa externa, & in cuius interna membrana pellucescat inclusus humor. At liquor ipse in ea genitura (ut autor ille recenset) ruber atq; rotundus erat: in membrana aũt ipsa fibræ quædã albę crassæq; uidebantur inesse, cũ cruore crasso & rubro obuolutæ, ac circa membranã foris etiã cruenta uestigia. Iuxta cuius mediũ, tenue quid eminebat, instar umbilici, per quod sanè extrà & intrà spiratio primùm fieri apparebat. Quin & membrana quędam geniturã ambiens cõplectensq;, tota ex illo protendebatur. In qua descriptione membrana geniturã complectẽs, ea erat quæ secunda appellatur. Albas uerò atq; crassas fibras, quas cum cruore crasso & rubro in se uidebatur habere, generationis uenarũ & arteriarũ lineamenta fuisse putandũ est. Cõstat enim membrana ea ex numerosis arterijs & uenis, coniunctis tenui & membranoso corpusculo. Principiũ aũt generationis horum uasorũ, ex arterijs & uenis uteri existit. Quarũ extrema, in internã uteri regionẽ oscula aperta habent, & per hæc uasa sola fœtibus ad imprægnatas communio existit. Ex nulla enim alia parte secunda perforata est, imò neq; contingit uterũ, prętterquàm iuxta hæc sola uasa. Reliquũ uerò spatiũ interiacens, subtendit quidem utero intrinsecus, at citra concretionẽ. Ipsa porrò secũdæ uasa, angustissima quidẽ principia habẽt, per quæ unita sunt osculis uasorum uteri. Secedentia aũt ab ipso, in idem inter se mutuò remeant, ueluti plantarũ uariæ ac tenues radices, in principiũ trunci coëuntes. Sic siquidem totus ille partialiũ uasorũ cõgressus in duas amplas arterias, ac totidẽ uenas absoluitur. In quarum medio, meatus quidam appellatus uragus, hoc est, ductor urinæ, gignitur, in fundum uesicæ ipsius fœtus perforatus. Cuius pori alterum osculum, ubi à quatuor uasis segregatur, paulatim dilatatur, tenuem membranã farcimini similem generans: quæ forinsecus alteri agninæ nominatæ membranæ, in qua fœtus continetur, prætenditur. Atque hæc quidem extra fœtum existunt. Partium uerò quæ ipsi fœtui sunt propriæ, prima omnium est cutis, ad tegendum corpus producta. Deinde consequenter sub ipsa, continuæ his quatuor uasis intra cutem partes, quarũ nullam prius possibile est generari, quàm omnia secundæ uasa, per quæ fœtui nutritio cõtingit, in prędicta quatuor sint cõgregata. Impossibile siquidem est, in fœtu aliquam generari particulã, citra substantiã sanguinis. *Non tamen quæ albæ & exangues sunt partes, gigni ipso ex sanguine possunt, ueluti generaĩ substantia hepatis. Celerrimã enim generationem hoc uiscus ex sanguine habet, utpote quod substantiã ipsi q̃similimã possidet. Reliquę partes omnes sanguineæ longiori tẽpore indigent, ut gignanĩ. At uenarũ, arteriarũ & membranarũ corpus omnino exangue quũ sit, meritò à semine primam habet generationem, nimirum prædito glutinosa substantia. Facta aũt prima uasorũ radicatione in osculis eorum quę in uterum tendunt, uerisimile est ipsorum opificem, uidelicet semen, alimentũ ipsis suppeditare, trahẽdo ex utero sanguinẽ: paulatimq; sic primũ genita dilatare, in longũ extendere, augereq;: & sensim in idem coagmentare tenuiora, ad ampliorũ generationẽ. Apparet aũt ex his quatuor uasis, *quę iuxta umbilicum & porũ qui ad uragũ est, coagmentanĩ, statim ubi cutẽ fœtus ipsius penetrarunt, alterũ par euestigiò uniri, atq; sic unam magnã uenã produci, eamq; inseri in hepar. Nec uerò existimandũ est, quòd præexistẽti hepati hæc inseraĩ uena, sed quòd huius ipsius uenę rursus diuaricatę & scissę, ubi introrsum penetrat, alteri quidem eius fissurę, iecoris substantia innascaĩ: alteri uerò, quæ mesenteriũ gignit, adiungatur uenter, splen, omentũ, & intestinorum uolumina, quum nihil horũ antea extiterit, sed ad fissuram uenarum cõcreta & congenita sint. Non tamen sic ipsæ arterię, ubi primùm permearunt cutim, statim aut adnascentẽ sibi aliam substantiã habent, aut in multas partes scinduntur, sed quamdiutissimè duæ permanent, & uesicam fœtus perreptant, ibiq; firmatæ, tum aliorsum, tum ad corporis profundũ feruntĩ, donec in os sacrũ perueniant. Iuxta quod duæ arteriæ apparent, quarum singulæ ab utraq; parte deferunĩ in crura, maxima nimirum quæ in spina est, & quę sinistro cordis uentriculo annexa cerniĩ, in ipsas diuaricata. Cordi porrò generãdo materiã, ex prægnante aut per arterias, aut per medium hepar suppeditari est necesse, idq; secundum uenam, quæ ex ipso sublimis fertur ad supernarũ huius uisceris partium generationem: id quod longũ tempus desiderat. At uerò in abortibus fœtuum supra triginta dies, propè inter se sita manifestè apparent tria hęc animalis membra, hepar, cor, & cerebrum: atque maius quidẽ utrisq; alijs hepar. Itaq; possibile est inuenire, quãdo cor principiũ suę formationis sortiaĩ. Quum igiĩ libros de semine scripsi, cor similiter ut hepar circa primos gestationis in utero dies, ueluti fundamentũ quoddã generationis dixi obtinere, ex usu ipsius, qui in perfectis animalib. maximè insignis existit, ad hãc ratiocinationẽ perductus. Vbi uerò reliquis omnib. tũ medicis, tum philosophis complacitũ esse reperi, fœtum usq; ad manifestã effigiationẽ similiter gubernari ut plantas, mihi probabilius est uisum, nullã generationis ipsius in principio utilitatẽ haberi, imò penitus hepate posterius ipsum formari: ex duob. his alterũ necessariũ iudicans, aut ex emergente ab hepate sanguine, unà cum hepatitide uena etiã cor ipsum gigni: aut per magnam arteriã, quæ non solùm spiritum, sed etiam sanguinẽ habet. Qui aũt in cõmentarijs de respirationis & pulsuũ usu à me conscriptis exercitati fuerint, cognoscent fœtũ in principio generationis, quandiu ab unica anima, hoc est, à natura regitur, neq; arteriarũ,

*Librũ de natura fœtus dubitatur fuisse Hippocratis.*

*Genitura recẽs concreta descriptio.*

*Secunda.*

*Secunda constitutio.*

*Fœtus per quæ uasa alligetur utero.*

*Secũda qua parte contingat uterum.*

*Secũda uasa in duas uenas & totidẽ arterias coire.*

*Vragus.*

*Farciminalem membranam oriri ab vrago.*

*Agnina mẽbrana fœtum obuoluit.*

*Cutis.*

*Partẽ nullã in fœtu gigni posse citra substantiam sanguinis.*

*Hepar celerrimè ex sanguine generari.*

*Partes à semine orta.*

*Naturaliũ membrorum ortus.*

*Arteriarum secunda in fœtum progressus.*

*Hepar uideri maius alijs uisceribus in prima generatione.*

*Palinodia Galeni.*

*Cor hepate posterius formari.*

*Cordis generatio.*

*Fœtũ, dum à sola natura regitur, nec arteriarum, nec cordis functione egere.*

*Fœtus comparatio ad stirpes.*

neq; pulsuū, neq; cordis functione necessariò egere, quemadmodū neq; plātas. Porrò quemadmodum ubi plantæ semen in terram moderatè calidā & humidā est coniectū, ex ipso statim duplex exortus uidet̃ nasci, alter infra terram, alter supra terrā, qui progressu tēporis & crassescunt, & in alios atq; alios exortus scindunt̃, quos nutriri & augeri in dies cōstat, ferreq; tandē fructū in extremitatibus suis, planta iam absoluta & perfecta: sic fœtus primo suæ formationis tēpore exiguum augmentū habet: quando uerò manifestè in articulos digeri incipit, uberius: quēadmodum maximū & uberrimū, ubi totus fuerit articulatus. Terminus igit̃ primi tēporis, in quo fœtus nondū corde habet opus, mihi uidetur is esse, in quo iam uniuersa fissura uenarum circa hepar est facta. Etenim ipsius magnę uenę, quā uidemus per umbilicum ferri, uniuersæ alię corporis uenę, tum partes, tū germina existūt:

*Vena porta duplex.*

altiore quidē porta (est enim duplex fœtibus) gratia generationis omniū, quæ circa hepar sunt, facta: inferiori uerò, causa productionis illarum, quæ in uentrem, splenem, omentum, intestinaq; disseminant̃.

*Vena caua unde orta.*

Completo aūt hepate, ex uenis quidem iuxta gibbū ipsius, ueluti ex radicibus quibusdā stipes, coaceruatur maxima totius corporis uena, quam cauam ob excellentiā nominãt.

*Vena caua diuisio.*

Cuius uenæ altera quidem pars infrà fert̃ iuxta spinam firmata, in renes ac lumborum regionē quædā germina emittens: altera sursum per mediū thoracē in collum tendit, primò quidē obiter in septū transuersum, postea in membranas succingentes thoracē, inq; tunicam cordi obuolutam, ac deinde in dextrum cordis uentriculū, inq; ipsum thoracem uarios faciens exortus.

*Spina supra septū unde gignatur.*

*Cor quo formetur tempore.*

*Ventris partes unde & quando gignantur.*

Ex quibus pars spinę & thoracis supra septū transuersum materiā generationis suscipiūt: quo tempore etiam cor ipsum format̃. Eodem uerò tempore uerisimile est etiam uenas ex inferiori porta in omnes partes circa uentrem fissas, his ipsis fieri causam generationis.

*Cordis uentriculi duo, quid & unde recipiant.*

Formato corde, in ipsum inseri potest prædictū par arteriarū, iam coactū in unā, quod in media spina firmatū cernimus, donec prope cor perueniat. Quum autē duo cordis uentriculi sint, in dextrum quidē sanguis ex hepate accedit calidus moderatè: in sinistrū uerò multò calidior, & tenuior eo, per dictā arteriā fert̃.

*Cor quādo pulset.*

Quare & uentriculos, & utrasq; materias iam habens cor, pulsabit utiq;, & arterias eodem suipsius motu mouebit, adeò ut nō amplius ueluti planta, sed quemadmodū aliquod animal, fœtus gubernari uideatur.

*Pulsus inest corporibus calidis. Exangue nullū esse manifestè calidum.*

Inest aūt pulsus corporibus calidis. Cæterùm ut nullū exangue animal est manifestè calidū, sic nec manifestè calidū, est exangue.

*Cor esse inditū animalibus, ueluti focus ignis.*

Cor itaq; est inditum animalibus, ueluti focus ignis: ex eo siquidē animalis corpus maiorem caliditatē acquirit ea, quæ insita est à natura uenis ac hepati, & sanguini in ipsis cōtento.

*Cor posterius hepate generari par erat.*

*Cerebrum posterius gigni ipso corde.*

*Fœtum in utero non indigere cerebro.*

Quemadmodum aūt cor posterius hepate generari, consentaneum rationi erat, ob idq; prægnātis utero est propinquius ipsum hepar locatū: sic cerebrū adhuc longius quàm cor ab utero locari expediebat, utpote quū etiā structura ipsius posterius sit producēda, propterea q; neq; indiget fœtus qui in utero gestat̃, cerebro, quū nec uoluntario motu aut actione, nec sensu ullo aut exteriori aut interno habeat opus. Posterius itaq; circa tertiū tēporis ordinē, tum cerebrū, tum omnia circa faciem sunt efformata, quo tēpore uniuersæ partes ad perfectionem suipsius structuræ peruenerūt.

*Caluariam post alia omnia ossa compingi.*

Manifestū est aūt, quòd capitis os posterius omnibus aliis ossibus congelat̃, confirmaturq;. & ob id iuxta sinciput adeò tenue & imbecille est, ut in recens editis puellis motū cerebri nō solùm tactu, sed uisu etiā deprehendamus.

*Infantibus inesse robustissimas naturales actiones. animales autē admodum imbecilles.*

Et iam quartū tēpus adest à primo conceptu, in quo partes iuxta motum posterius formatæ corroborant̃: quam ob rem sanè infantes actiones animæ nutritiuæ robustissimas possident. Secundam in illis sibi uēdicant sedē actiones profectæ à corde. Debilissimæ uerò sunt quę procedunt à cerebro, quū nec moueri, nec stare firmiter ualeant, tantū abest ut ratiocinari. Postremū omniū os capitis ipsis corroborat̃, & enascunt̃ dentes, & calua pilosa reddit̃. Postea uerò unà cū organis absolutæ animę facultates, actiones suas obeūt.

*Arteriæ & uenæ primæ omnium ex semine oriuntur.*

*Ratio, postrema omnium & fit, & absoluitur.*

*Ratio quando feliciter suo fungatur munere.*

Arterias igit̃ & uenas, necessum est primas omniū ex semine generatas esse. At circa facultates uitam nostram administrātes & gubernantes, ratio ipsa postrema omniū & fit, & absoluitur: quæ quidē feliciter dispensat res hominum, ubi uniuersa anima iuxta naturam habet: infeliciter uerò, quū præter naturā emota fuerit.

*Actiones corporis unde oriantur, dignotio.*

Iam uerò unde nam corporis actiones oriātur, facilè ex dignotionibus liquet. Prima igitur dignotio ex præcisis, aut laqueo interceptis arteriis & neruis est, in quibus partes quidē ex altera laquei parte, uident̃ proprias obire actiones, ex altera uerò eas prorsus amittere: ut si medulla spinalis (exēpli gratia) circa aliquē spinæ locū fuerit dissecta, nerui quidē, qui supra regionem spinæ, ipsi medullæ incumbentis, sauciatā oriunt̃, tum motū, tum sensum cōseruare uident̃: qui uerò infrà, omnes utrunq; amittunt.

*Cerebrum demittere motricem facultatem spinæ.*

Vnde liquet, eas facultates ipsi spinali medullę supernè ex cerebro influere. Similiter quū arteria quocūq; aliquo uinculo excepta, id quidē quod ex ipsa supra laqueū continuū cordi est, pulsare, ueluti antea, appareat, altera uerò pars infra laqueū statim pulsu priuet̃:

*Cor esse principium motus arteriis.*

*Substantia cerebri, neruorum, & spinalis medullæ, eadem.*

conspicuū sanè etiam hinc est, arteriis principiū motus ex corde esse. Ad hæc, medullæ quidem spinalis ac neruorū, per omnia eadē, quæ cerebri, substantia existit: quemadmodum & cōtinentium ipsa tegminum eadem etiam est cum inuolucris ambientibus cerebrū. Arteriarū uerò substantia, nihil, ne propè quidē, cordis habet: quēadmodū neq; uenarum, hepatis.

*Hepatitidis uenæ cōsideratio.*

De origine autē hepatitidis uenæ, dubitant sectoriæ artis periti. Rationabile autē est coniectare, principia uenarū in utero, similia esse extremitatibus radicum plantarum: stipiti uerò cuipiam, uenam per umbilicum in hepar procedentem assimilari: atque omnes deinde uenarum extremitates, quæ in animali uidentur, ramulis, & non radicibus, consimilem proportionē habere.

*Semē habere rationem opificis.*

*Generatio quibus prius, et quibus posterius accidat.*

Semen igit̃ opificis rationem habet, à quo uasa, per quæ sanguis è prægnante attrahitur ad uiscerum generationem, omnium prima generabūtur. Secunda autem ab his, hepar, & cor, ueluti fundamentum domus:

domus: quo tempore & alia quædã finguntur, tum his uicina, tum inter hæc & uterum sita. Quando uerò neque iuxta quantitatẽ, neque iuxta qualitatẽ, substantia partium permanet, nimirum defluxu ipsarum magno quotidie fiente, & qualitate item multiformiter uariãte, auxilio utique inter se mutuo opus habent, quo & euacua tum rursus expleatur, & quod uariatum est, corrigatur. Cor igitur postquam respiratione fuerit priuatũ, ipsum moueri cessat, & cum ipso totum animal perit. Priuatur autem respiratione, non solùm strangulatis, aut ob inflammationem partium circa asperæ arteriæ summum, obturato meatu respirationis, sed & neruis thoracem mouentibus malè affectis, quorum omniũ principiũ est medulla spinalis, ueluti cerebrũ illius. Quemadmodũ igitur cerebrũ cordi utile est, per neruos thoracem mouens, quo distẽto quidem inspiratio contingit, contracto autẽ expiratio: eodem modo cerebro cor usum aliquem præstat, necnõ his hepar. Cæterùm propter hepar generati sunt renes, & uesicæ duæ: quarum altera bilis susceptrix in ipsum uiscus adnata est: altera uerò, quæ lotium excipit, iuxta renes locatur. At fæculenta huius uisceris excrementa repurgat lien. Quòd uerò & uenter hepati alimentum præcoquat, & intestinorum obuolutio gratia distributionis sit facta, admodum est perspicuum. Porrò simul ut nata sunt animalia, ipsis particulis corporis suus usus adest. Apparet autem unumquodque animal illa corporis parte sese ad uindictam parare, quæ alias supereminet: ut uitulus quidẽ fronte impetere, priusquàm cornua innascantur: pullus equinus calcitrare, nondum solidis ungulis: id quod uidetur ostendere, animam utentem particulis, nosse ipsarum utilitatem, ut quæ ipsa illas cõstruxit, & nõ ab alio factis utatur. Vnum tamẽ solũ est, quod mihi uidetur artem opificis nostri manifestè indicare: quã ipsam artem si quis ingenuo & libero intueatur animo, impossibile est ut brutæ ac rationis experti fortunæ eam deferat. Quũ enim sint in corpore nostro musculi multò plures, quàm à quibus partes circa uoluntarias actiones mouentur, uniuscuiusque ipsorum & figuram decentẽ habet, & magnitudinem, & caput & finem, & positionem, & nerui, uenæque & arteriæ insitionem, ita ut pro magnitudine & loco insitionis, hæc ipsa quadrent. Atqui si trecentarum partium structuræ singulæ, decem habeant scopos, appareantque omnes partes ritè absolutæ, omnes utique scopi ter mille numero fient. Quũ autem æqualis etiã sit numerus musculorũ in sinistris partibus ad eos qui in dextris sunt, ueluti etiam arteriarum ad arterias, & uenarum ad uenas, ac denique neruorum ad neruos, utique ipsi ter mille scopi geminabuntur. Idem etiam in ossibus est, pluribus existentibus ducentis. Nam & in his, singulorum scopi plures quàm quadraginta fiunt: quos geminatos palã est plures futuros octonis millibus. Eadẽ ars & circa omnia uiscera existit, & omnino circa quancunque partẽ: ut si quis structuræ scopos numeret, in aliquot decies millenarios, numerus ipsorũ excrescat. Hos itaque scopos haudquaquam ip-

*Substantiam partium nõ permanere, sed fluere, atque mutari.*

*Cor priuatum spiratione moueri cessat.*

*Respiratio à quibus causis inhibeatur.*

*Nerui mouẽtes thoracem, à medulla spinali oriuntur.*

*Inspiratio expiratioque, quomodo fiant.*

*Hepatis gratia fuisse cõditos renes atque uesicas duas.*

*Lienis munus.*

*Venter hepati alimentum præcoquit.*

*Particulis singulis adesse suum usum, simulatque nata sunt animalia.*

*Anima construxit particulas.*

*Opificis artem quid indicet.*

*Ossa corporis plura ducentis.*

*Naturæ scopi circa corpus fingẽdum.*

se crediderim citra sapientissimum, eundemque potentissimum opificem factos esse. Quis uerò hic sit, pronunciare non audeo, præ consilij inopia obmutescens. Supremã enim uideo in formatione sapientiam & potestatẽ: neque animam in semine plantatitiam quidem ab Aristotele, appetitricem uerò à Platone, ab Stoicis denique appellatam naturam, fœtum ipsum formare existimo, quum nõ solùm non sit sapiens, sed & penitus bruta & rationis expers: neque rursus discedere ab hac opinione ualeo, propter natorum ad parentes similitudinem: apparet enim animam corpus formantem, ex parentibus in ipsum fœtum transfundi, ceu contentam in semine. A rationali uerò anima, quæ post partum per omnẽ uitã se ostendit, recedo, propterea quòd ante corporũ dissectionem non cognoscamus, neque partes corporũ, neque ipsarũ actiones. Itaque dubitare me, consilijque inopem esse fateor, de opifice fœtus causa, non secus quàm de substantia animæ, quum de his nullam opinionem scientificè demonstratã repererim. Hoc uerò ut possibile pronũciare potero, uidelicet uniuersum corpus, ubi iam efformatum est, per omnem uitam tribus principijs motuum gubernari atque regi: eo quod ex cerebro est, per neruos, & musculos: quod ex corde, per arterias: quod ex hepate, per uenas. Ex quibus autem principijs hæc fiant, hactenus nihil habeo quod pronunciare intrepidè possim.

*Conditoris magnifica commendatio.*

*Animam plantatitiã esse brutam, et rationis expertem.*

*Rationalis anima non format fœtum.*

*Galenus fatetur se dubitare de opifice fœtus causa, & de substantia animæ.*

*Principia motionũ tria nostrũ corpus regẽtia.*

## GALENI PERGAMENI de Septimestri partu, lib. vnus.



X seminis cõceptionibus (sine quarum obseruatione fieri minimè potest, ut idoneum pariendi tempus quis ritè inueniat) plerasque mulieres grauidas in medio temporis spatio, intra centum nonaginta dies, & ducentos, peperisse animaduerti: paucas tempestiuius, aut tardius: nullas planè celerius cẽtesimo & octogesimo secundo die cum dimidio, & quibusdam horis, uel post exactum quartum supra ducentesimum. Iurè igitur septimestris partus ædendi, primus terminus esse censetur dimidij anni tempus: quum nimirum tempestiuius nulla partum ædiderit, sed tardius omnes. Tempus autem id centesimo & octogesimo tertio die, minus quibusdam horis absoluitur. Atque ego unam semel mulierem reperi, quæ centesimo & octogesimoquarto die completo peperit. Diem impræsentia appello, interuallum uigintiquatuor horarum æquinoctialium. Sic enim & anni trecentis & sexaginta quinque diebus, & quarta insuper diei parte constare dicunt: tempus uerò menstruum, circiter uigintinouem cum dimidio. Nimirum mensem appellari spatium id, quod ab uno lunæ congressu cum sole, usque ad alium mox sequentem intercest, omnibus in confesso est. Si enim triginta diebus quilibet mensis constaret, nonimestres fœtus exactè usque ad ducentesimum septuagesimum diem utero gestarentur, quod nõ contingit. At annus dicitur tempus illud, quod

*Septimestris partus ædendi primum terminum.*

*Dies quid.*

*Annus quot diebus constet.*

*Menstruũ tempus.*

*Annus quod tẽpus dicatur. Signum quod. Hippocratis de septimestri fœtu sententia.*

ab uno signo solem in idem signum restituit. Signum autem ipsum impræsentiarum pro puncto capitur. Porrò Hippocrates, septem quidem menses septimestri fœtui constituit: ex quibus quinque esse integros ait, qui inter primum & septimum medij habentur: duos autem deficientes, nempe primum & septimum: at non ita deficientes, ut supra dimidium eis deficiat. Mensis enim dimidium, est dierum quatuordecim cum dimidio, & quarta adhuc diei parte: quamobrem primi mensis & septimi tempus, prædicto hoc erit maius spatio. Si igitur primi mensis tempus à conceptu uicesimum diem excedat, sitq; uerbi gratia dierum uigintitrium, quum sequentes quinq; menses centum & quadragintaseptem dies supra diei dimidium contineant, tempus sanè id, quod ex utrisq; conflabitur, dierum erit 170. cum dimidio. Septimester autem fœtus ab eo tempore, quindecim, ad minimum, actis diebus, in lucem produci poterit. Necesse quippe est, ut si sextum mensem partus debeat excedere, septimi plus quàm dimidium attingat. Quaratione omnes hi in uniuersum dies erunt 185. cum dimidia adhuc diei parte. At sicuti citius his præscriptis diebus septimester infans ædi non potest, ita neq; omnino tardius ducentis. Si enim centum & septuaginta diebus cum dimidio uigintinouem adijcias, omnes simul centum & nonagintanouem cum dimidio erunt. Fingamus rursus mulierem prioris mensis dies 28. gessisse utero: qui sanè dies si adijciantur quinq; subsequentium mensium diebus 147. cum dimidio, atque his insuper septimi mensis dies 29. accedant, uniuersum hoc tempus quatuor & ducentis diebus ac insuper dimidio cõstabit. Quia uerò in maximis distantijs primus & septimus extiterũt menses, infantem hunc non esse uitalẽ, Hippocrates profitetur.

*Mensis lunaris.*

Quod autem ad mensem lunarem pertinet, in minori etiam tempore quàm sit anni dimidium, fœnis septimester ędi posset: quod iam ostendam. Qua enim ratione necesse est ut septimester partus anni saltem dimidium attingat, ea nimirum ante centesimum & octogesimum secundum diem, & 15. horas, uel circiter, uitalis nullo pacto existet. Quatenus autem si dies ad menses lunares exactè computentur, prius etiam eo tempore liceat fœcundum partum existimare, nunc declaro. Fingamus enim primo mense mulierem sexdecim dies utero gestasse: post quinq; autem subsequentes menses, pariter sexdecim dies: quippe hac ratione tempus id omne 179. dies cum dimidio explebit. Verùm in minori interuallo quàm sit anni dimidium, septimestres fœtus uitales ædi negat Hippocrates. Atque idcirco tum primi, tum etiam septimi mensis plus quàm dimidiam partem fœtum attigisse est necesse, priusquàm ædatur in lucem.

LIBRI DE FOETVVM FORMATIONE FINIS.

# GALENI PERGAMENI de instrumento olfactus, Lib. Vnus.

*Olfactus de quibus dicatur.*



NOn modo perceptionem odorum, sed etiam facultatem cuius est odorem percipere, medici olfactum appellant. Secundum autem utrunq; significatum, unum est instrumentum * olfactus, quo facultas ea sibi sensibilia apprehendat. Porrò si ipsos nasi meatus aliquo odorato unguento repleueris, nunquam prius senties, quàm aërem inspiraueris: & ob id nonnullis uidetur nasum uiam esse olfactilium: id uerò corpus cuius est odores percipere, interius esse situm.

*Nasus est via olfactilium.*

Scire autem oportet, quòd quum nasus septum medium habeat, & duos hos omnibus patentes meatus, utraque nare alterum, supra mediam nasi regionem uterque eorum bipartitur, ita ut pars quidem altera, in interiores oris partes declinet, altera uerò rectà se ad cerebrum conferat.

*Nasi meatum utrũq; bipartiri.*

Nam sunt ibi duo quoque ipsius exortus oblongi, & caui, qui ex anterioribus cerebri uentriculis suam ducũt originem. Hi in eam caluariæ partem descendunt, unde exoritur nasus: ibidemq; ea ossa habent sedem, quę colatoria uocant.

*Cerebri exortus versus radicem nasi.*

*Colatoria ossa.*

Sed & crassior membrana, qua parte hæc ossa attingit, exilibus quibusdam foraminibus est pertusa. Vnde per eam primùm, dein per iam dicta ossa in meatus illos excolantur crassiora excrementa cerebri. Nam quæ similiora uapori sunt, per caluariæ suturas uacuantur.

*Nasi tunica.*

Extensa insuper est uniuersis illis nasi meatibus exanguis quædam tunica, crassior quàm sit membrana: atque ea quidem illi continens est, quæ ori, linguæ, gutturi, faucibus, asperæq; arterię, & gulæ substernitur. In hanc autem tunicam à cerebro nonnulli nerui inseruntur, parui quidem omnes, præter illos qui deferuntur in linguã.

*Linguæ nerui.*

*Lingua est gustus sensorium.*

Satis quippe crassi sunt hi, quum ea particula copiosiori etiã egeat sensu, utpote genita ut existet gustus sensorium. Ob hoc ipsum natura oculis impertita est neruos, eosq; longè crassiores illis, qui ad linguam attinent: & secundum hos, auribus, atque ori uentriculi, quod & ipsum sensu egebat quamplurimo.

*Sensuum instrumenta.*

Oculus itaque uisus est instrumentum: auris, auditus: lingua, gustus: appetentiæ uerò cibi & potus, uentriculus, & præsertim os eius.

*Tactilem facultatem esse crassissimã omniũ.*

*Tactilem facultatem esse per corpus dispersam.*

At uerò tactilem facultatem, quod ad cognitionem spectat, natura cęterarum crassissimam fecit: quam uni definito loco, sicuti alias omnes, minimè adscripsit, sed per corpus uniuersum dispersit: ac proinde plures illi neruos exiliores, durioresq;, & qui magna ex parte ab spinali medulla oriuntur, indidit. Eis uerò quas recensuimus particulis, utpote quibus ampliori sensu erat opus, maiores, & molliores, & omnes à cerebro prodeuntes, dedit.

*Visus instrumentum lucidum.*

*Auditus instrumentum aëreum.*

*Linguæ constructio.*

Iam igitur instrumentum uisus, ad quod solum pertinet luminis atque splendoris sensus, quammaximè effecit lucidũ: aëreum uerò auditus, cuius erat eos percipere sonos, qui cum aëre feruntur. Linguam præterea ex humidiori corporis specie construxit, ceu instrumentum futurum, quo succi omnes discernerentur.

*Olfactus sensile.*

*Olfactilium substantia.*

tur. At uerò sensile id quod sibi olfactus asciuit, inter aërem humoremq́, & ignem est medium. Nam id quod à singulis corporib. diffluit, ipsa est olfactilium substantia. Quum autem pro suorum sensilium similitudine, instrumentũ unumquodque à natura paratum sit (instrumentum quippe uisus, humidum ac pellucidum est, tactus uerò, terrestre & durum) sensorium sanè quo percipiantur odores, opus est ut uaporosum existat.

*Tactus instrumentum esse terrestre.*

*Odoratus sensoriũ vaporosum existere.*

Quare neq; os nasi, neq; item membrana illa cuius nuper mentionem fecimus, sensorium esse possit olfactus, quum & dura corpora sint: neque tantus eis insit aut talis neruus, quantum & qualem olfaciendi facultas postulat. Neruus etenim qui uisui inseruit, quamuis ad crystallinum tantùm peruenit corpus, eo longè maior est, qui defertur ad os uentriculi. Extrema & interior pars illius auditorij meatus, ubi situs auditus est, quanquàm breuissima sit, crassum tamen est neruum adepta. Nec lingua quoq; exiguorum neruorum, ex ijs qui à cerebro oriunt, esse uidetur particeps. Quamobrem haudquaquam uerisimile est, facultati olfaciendi tributum esse à natura tam exiguum sensorium, ut est ea nasi pellicula.

*Olfaciendi sensorium neq; esse nasi pelliculam neq; os ipsius.*

Nam quod pertinet ad os nasi, tantum abest ut sit odoratricis facultatis particeps, ut tactrice etiam careat. Sed ex hoc etiam, quòd eo tantùm tempore quo spiritum introducimus naribus, ipsos odores percipimus, planè constare uidetur, neque ossa, neque tunicam nasi, neque eam quæ palatum, guttur, ac fauces uestit, sicuti nec colatorium meatum, esse odoratus sensorium, sed aliquam aliam particulam interius sitam, atque in penitiore corporis sede delitescentem.

*Inspirationis modus.*

Porrò ubi pectus à musculis dilatatur, pulmones sequuntur ipsum: quos subinde externus aër per asperam arteriam, guttur, os, atque etiam nares, continuatione quadam, subsequitur. Potest autem cerebrum, quum inspiramus aërem, & ipsum sua actione, & suis etiam quibusdam quasi germinibus, pectus dilatans, aliquid in suos sinus attrahere. Fieri etiam potest, ut ipsum quod alia mouet, sibi quoque leuem aliquem motum, tum in seipsum, tum uerò ex se præstet. Coarctatur enim dum sese contrahit: quum uerò undique se dilatat, funditur: atque ita externus aër, ex continui ratione, illud, quũ se retrahit, subsequetur: sicuti etiam dum diffunditur, efflabitur.

*Olfaciendi sensum in anterioribus cerebri uentriculis situm esse.*

Quòd igitur olfaciendi sensus in anterioribus uentriculis cerebri situs sit, multis rationibus sum adductus ut credam. Primùm, quòd illos qui capitis grauedine, ob cerebrũ crassis uaporibus oppletũ, tenent, atq; inde obtusius olfaciunt, sternutamenta præcipuè iuuent: qualia ex nigella oleo intrita inspirantibus ægris, & capite resupino instillare naribus soleo, idq; prius ore aqua repleto.

*Nigellã oleo intritam & inspiratam, cõmode sternutamenta mouere ijs qui laborãt coryza.*

*Cerebrum incalescere contento spiritu.*

Ad hæc quum cerebrum contento spiritu repleat, incalescatq́, consentaneum rationi uidetur, expirationem ad ea quæ noxia sunt excutienda, inspirationem uerò ad refrigerium illi summè conducere.

*Odorem refrigerantium cõferre capiti exusto.*

Tertiò autem, quòd in eis quibus exustũ est, aut excalfactum caput, tum rosarum, tum aliorum refrigerantium odor, manifestè remedium calori adferat. Instrumentum itaq; olfactus, minimè in illa nasi pellicula, sed interius reconditum est: ita tamen, ut foraminum nonnulla eò perueniant, quæ neq; etiam perpetuò adaperta sunt, sed habent opercula quædã membranosa & tenuia.

*Olfaciẽdi ratio.*

His igitur* per inspirationes uiolentia spiritus reseratis, patet rei sensili aditus ad eam particulam, cui uis illam dignoscendi indita est. Quare nõ quemadmodum palpebrarũ motus pro nostro fit arbitratu, sic meatus illi opera nostra aperiunt, quum nullum habeant uoluntarium motum, imò nec naturalem, nec dilatentur etiam ab instrumentis quæ inspirationi deseruiunt, sed à solo per inspirationem insiliente aëre. Nisi autem per inspirationem cerebrum dilatetur, expellaturq́ ab eo antea contentus spiritus, fieri non potest, ut aër ad ipsum per dictos meatus irrumpat, quãuis sit is uehementissimè illatus: licet ipsius aëris occursum, tunica in quam ij meatus descendunt, facilè sentiat. Quare si secundũ nares meatus olfactorij consisterent, aperirentur utiq; in maximo aëris impulsu: quibus adapertis, subinde odoris sensus subsequeret. Non subsequit aũt, ergo nec secundũ nares meatus olfactorij consistunt. Ad hæc, si meatus ullos secundum nares ad odores percipiendos extruxisset natura, utiq; non obstruxisset illos: quemadmodum neq; eos qui in auribus sunt: quum longè præstet quencunq; sensum semper esse ad sua sensilia apprehendenda promptum, quàm solum eo tempore quo fit respiratio.

*Palpebrarum usus.*

Neque ob eam causam natura oculis operimenta palpebrarum apposuit, quòd melius non sit eos usquequaq; operari: sed quòd molles illi sint, ac proinde expositi, facilè possint à rebus extrinsecus occurrentibus lædi.

*Palpebras iuuare ad capessendum somnum.*

Iuuant etiam palpebræ ad capessendum somnum. Nemo siquidem in aëre lucido reclusis oculis potest dormire. Quare & illis animantibus, quibus nullæ sunt palpebræ, foueas quasdam natura indidit, quæ totos oculos, ubi somnus urgeret, quasi in cubiculo receptos, admitterent. Est enim id naturæ institutum, ut in suis functionibus perpetuò sensus uersentur: etsi rei cuiuspiam utilioris oblata occasione, interquiescere aliquantisper cogantur. Nequit autem animal dormiens, sensus integrè sentientes seruare. Nam quæ simul esse non possunt, ne Dij quidem omnes, etiam si uelint, coniungent.

*Aristotelis sentẽtia de olfactorijs meatibus cõfutatur.*

Quòd si eodem fuerint extructi modo ipsi olfactorij meatus, quo ait Aristoteles, erunt potius damno non leui, tantum abest ut allaturi sint nobis ullam utilitatem: nimirum nos per maius uitæ spatium sensu olfactus priuantes, quod in nullo alio factum fuisse unquã uidimus.

*Sternumẽta auxiliari grauedini.*

*Efflatio quid.*

Porrò sternutamenta, capitis grauedini auxilio sunt. Fiunt autẽ, quum maximas inspirationes progressas, quamcelerrimè efflatio subsequitur. At efflationem noco* cõfertim factam expirationẽ. Vnde si per sternutamenta nihil excernatur à cerebro, non solùm non leuant ipsa capitis grauitatem, sed magis etiam repletionem eius accumulant.

*Sternutatio prouocatur ad solẽ.*

Cæterùm ægrotis ad solem conuersis, prouocamus sternutationem: quia uaporosus in cerebro spiritus ab eo funditur. Exturbant porrò

*Sternutamentorum usus.* *Odores uehementiores caput replere.*

crassiores & lentos de cerebro mucos sternutamenta, eos unà cũ spiritu excusso explodentia. Quód aũt ab odoribus uehementioribus caput cõnnuó lædat, repleaturq;, atq; reddat grauius, ac nonnunq̃ excitetur deliriũ, id rectè argumento est, portionẽ aliquã substantiæ illorũ eò insilire: alioqui ex sola qualitatis communione nunquã ab affectibus adeó repentinis & ualidis caput arriperetur.

*Respiratio à cerebro qua de causa fiat.*

Si igitur respiratio uniuersa à cerebro ea de causa ædit, ut in corde seruet quidam caloris modus, cur sibi quoq; non administrabit id ipsum, quum suapte natura facillimè à rebus tam calefacientibus quàm refrigerantibus lædi possit? Aut cur natura congenitã quandã motionẽ cerebro nõ tribueret, qua inspirãdo se uẽtilaret atq; excitaret ad pulsum: expirãdo uerò pituitosa & mucosa excremẽta à se abigeret?

*Cerebrum inspirare, expirareq;*

## *GALENI PERGAMENI de oßibus, ad Tyrones, lib. vnus.*

X ossibus singula, qualia sint, & quam inuicem structurã habeant, nota esse medico debent, si rectè ea uel fracta, uel dimota sua sede, sit curaturus. Quare in omnibus quę ad medicinam pertinent, id quod secundum naturam est, tanquam scopum semper habere conuenit.

*Ossium natura & munus.*

Sunt autem ossa inter animantis partes durissima & aridissima, necnon terrestria maximè: quæ quidem ceu fundamenta quędam, totam molem corporis sustinent, atque stabiliunt.

*Ossium differentiæ.*

Eorum tamen quædam grandia & ampliter concaua, medullosaq; sunt: quædam parua, & solida, ac sine ulla medulla. Grandibus magna ex parte in extremo, aliorum ossium appendices adnascuntur: utputa, humero superius, cubito inferius, radio uerò ac femori, itemq; tibiæ ac suræ, infrà suprāq;. Maxilla inferior medullosa est, adnascentisq; appendicis expers. Sed ex eius extremis partibus, quæ infrà est, unitur per symphysin, hoc est, coalitum. Suprà in duos processus, in coronem uidelicet, quæ in acutum tendit, ac ceruicem tantùm, desinit. Porrò compactio humani corporis ossium, sceletos appellatur. Cæterùm alia per articulum, alia per symphysin ossa iunguntur. Articulus enim naturalis ossium est compositio: at symphysis, naturalis unio eorundem. Articuli differentiæ sunt duæ: diarthrosis, & synarthrosis. Dicitur quidem diarthrosis, ossium structura, quorum motus est euidens. Synarthrosis uerò ossium quoque compositio est, quæ obscurum inualidumq; habent motum. Diarthroseos est triplex species, Enarthrosis, Arthrodia, & Giglymos. Enarthrosis, quum excipiens cauum, admodum altum est, caputq; quod in id inseritur, oblongum. Arthrodia uerò, quæ cauum leniter & in superficie, & capitulum etiam depressum habet. Ex cauis capitula ipsa excipientibus, quod altius descendit, cotyle, hoc est, acetabulũ: quod in superficie situm est, Glene à nõnullis appellaś. Giglymus est, dum ossa sese inuicẽ ingredientia, coniunguntur: quemadmodũ uertebræ inter se, ac humerus cubitusq; alligantur. Synarthroseos quoq; triplex habetur species: Sutura, harmonia, & gomphosis.

*Sceletos. Articulus. Symphysis. Diarthrosis. Synarthrosis. Enarthrosis. Arthrodia. Cotyle, acetabulum. Glene. Giglymus.*

*Sutura.*

Sutura compositio quędam est, ad consutarum rerum similitudinẽ.

*Harmonia. Gomphosis.*

Harmonia uerò, ossium structura est per simplicem lineã. Gomphosis, quũ instar claui os ossi infigitur. Symphysis dupliciter differt. Nam alia inter se inuicem ossa, ut molliora: alia aliorum interuentu, ut duriora, coalescunt. Huius differentiæ ultimę, tres sunt species, Synchondrosis, Synneurosis, & Syssarcosis.

*Synchondrosis. Synneurosis. Syssarcosis.*

*Neruorum tres differentiæ.*

Quia uerò ipsa occasio se obtulit, nonnihil & de neruis dicamus, quorũ tres sunt species. Qui enim ex cerebro, & dorsi medulla oriunś, uoluntarij nerui: qui ex musculis, tendones: qui ab ossib. ligamẽta appellanś.

### DE CAPITIS OSSIBVS. CAP. I.

*Capitis ossium consideratio.*

OS capitis caluaria dicitur, estq; suturis distinctum: quarũ numerus posituraq;, pro capitis figura uariaś.

*Capitis naturalis figura.*

Naturalis capitis figura, ad oblongæ sphæræ similitudinẽ structa est: habetq; priorem & posteriorem partem prominentiorem.

*Capitis tres suturæ: labdoeides, coronalis, et media.*

Ac tali quidem capiti tres insunt suturæ: duæ quidem transuersæ, quarum altera in occipitio est labdoeides, ad similitudinem Λ literæ sic appellata: in sincipite altera, quæ coronalis uocatur: ac tertia, quæ à posterioris medio, per capitis longitudinẽ, ad mediam usq; anteriorem, extenditur. Harum suturarum figura H literæ præcipuè similis est.

*Caput fastigiatum dãnatur.*

At quæ figura fastigiato est uertice, ea quidem uituperatur. Atq; ubi in ipsa quidem posterior eminẽtia perit, sutura labdoeides aboleś. Si anterior non adsit, coronalis etiã sutura deperditur: fitq; utraq; remanentium suturarum figura T literæ similis. Harum autem utrinq; eminentia deperdita, geminæ quæ seruantur suturæ, ad rectos se inuicem angulos intersecantes, X literę similitudinẽ referũt. Nanq; altera quidẽ transuersa per medium potissimũ caput extenditur: altera à parte posteriori per longitudinẽ in priorem, uti in cæteris caluarijs omnibus, tendit.

*Suturam per capitis longitudinem semper seruari.*

Hæc quippe semper seruaś: reliquę cum totius capitis figura uariantes intercidunt.

*Lepidoeides suturæ.*

Duæ quoq; ab hac æquè distantes lineę super aures feruntur, duobus inter se ossibus, non per suturã, sed per appositionem, squamarum instar, cohærentibus: ob idq; lepidoeides uocantur.

*Suturæ capitis quinque præcipuæ.*

Quo fit, ut quinq; peculiares suturę sint capitis: Labdoeides, coronalis, & quæ rectà per longitudinem fertur, ac duæ illę ab hac æquè distantes, quas lepidoeides appellant.

*Sphenoeides os.*

Sunt & duæ aliæ communes superiori maxillæ, necnon ossi sphenoeidi, quod cunei similitudinẽ referat, appellato.

*Pterygoeides apophyses.*

Id autem os apophyses quasdam sortitur, quas ab alarũ similitudine pterygoeides uocant: eæq; utrinq; sunt concauę. Alia autẽ sutura capitis, quę ipsum à superiori maxilla diuidit, ex cauis temporis initiũ sumit: inde ad oculorũ sedes procedit, perq; eos medios tendens, iuxta mediũ superciliorũ sibijpsi iungitur.

*Ossa capitis sex.*

Sex itaq; in uniuersum sunt totius capitis ossa, idq; sphenoeide excepto. duo scilicet sincipitis: duo itẽ petrosa, unũquodq; uidelicet ad suam aurem: quintũ os occipitis: sextum deniq; frontis.

*Sincipitis ossa quadrilatera.* *Occipitis foramen maximũ.*

Sunt porrò sincipitis ossa quadrilatera: quæ uerò iuxta aures hærent, trium laterũ sunt. Os occipitis, maximum omnium quę sunt in capite, foramen iuxta pri

*Ossium capitis differentia.*

xta primam uertebram habet. Horum autẽ sex quę diximus, sincipitis ossa rarissima & infirmissima: occipitium densissimum, firmissimumq́; medium inter hæc ipsa, os frontis habetur. Reliqua utrinq; ad aures posita, multifariam se habent. Nanq; horum pars, quia petræ speciem refert, lithoeides uocatur: id os, protensis labdoeidis suturæ finibus terminatur. In eo styloeides (quia columnę est similis) processus inest, in eodemq́; cõtinetur auditorius meatus. Altera deinceps pars, iuxta eos exortus habetur, quorum unus mamillaris dicitur: alter ossis iugalis est. Præter hanc tertia quoque pars à temporibus occupatur.

*Columnaris processus.*

*Mamillaris exortus.*

DE OSSE IVGALI. CAP. II.

*Iugalis ossis consideratio.*

TEmporis musculo præpositum est os, quod transuersam in medio suturam haber: eiusq́; posterior pars omnis, cum capitis osse quod iuxta aurem habetur: anterior, cum parte supercilij extrema, ad paruum oculi angulum continuatur. Id os totum Zygoma, à nostris iugale appellatur.

*Zygoma.*

DE OSSIBVS SVPERIORIS MAXILLAE. CAP. III.

*Maxillæ superioris suturæ.*

DE suturis quę in maxilla superiori continentur, dicamus: quarum prima sub osse iugali exoritur, cuius pars posterius tendens, sub eiusdem ossis concauo definit, ibiq́; cum communi sphenoeidis ossis sutura committitur. Altera partim rectè, partim oblìquè sursum ad oculorum sedes procedens, per medium illorum ambitum inferiorem fertur. Mox ibi tripartitò scinditur. Altera enim pars, magnum prope angulum, exteriore in parte ad medium superciliorum procedit. Quæ deinceps huic succedit, per concauũ sub eodem angulo ad communem capitis suturam pertinet, eademq́; angulum ipsum comprehendit, & illi quoq; naturale foramentum subiectum, quod omnium quæ sunt in eo loco foraminum maximum est. Sub dictis duabus suturis, tertia pars antedictæ scissuræ, inferiorem in sede oculi ambitum inscendens, interius ad imũ tendit, ibiq́; communi capitis suturæ iungitur. Quare terna maxillæ ossa ab utraq; parte censentur. Quorum habetur maximum, quod iuxta iugale situm est. Deinceps situ & magnitudine os illud in oculo ipso habetur, quod neruos ad superiorem maxillam cõtinet. Minimum omniũ, iuxta magnum oculi angulum est locatum. His tribus ab utroq; latere os unum insigni magnitudine subiacet: cuius os mali, dentiumq́; omnium, exceptis incisorijs, alueoli, partes sunt. Hæc autem ossa discernuntur suturis quatuor. Adiacent uerò & his maximis ossibus duo alia exigua, quà scilicet nasi foramenta ad palatum tendunt.

*Maxillæ ossa terna.*

DE OSSIBVS NASI. CAP. IIII.

*Nasi ossium consideratio.*

NAsi quoq; ossa duo sunt, quę suturis à medio superciliorũ descendentibus discernuntur. His ossibus inferiore in parte cartilaginea tenuiaq; corpuscula (alas uocant) ab utroq; latere adnascuntur. Omisimus in maxillæ superioris extremo, os unũ, in quo dentiũ, qui secant, radices & alueoli continentur, id quod nonnulli simplex, nõnulli compositum esse tradunt: quemadmodum in superiori maxilla, alij quindecim, alij tantum ossa octo numerant.

DE DENTIBVS. CAP. V.

*Dentes in vtraque maxilla sedecim.*

*Incisorij dentes.*

*Canini dentes.*

*Maxillares dentes.*

DEntes in ossium numero habendi sunt, qui sexdecim in utraq; maxilla existunt. Eorum autem priores quaterni, quòd secent, τομεῖς appellati, nituntur radicibus singulis. Deinceps illis canini hærent utrinq;, quibus singulæ quoq; radices insunt. Vltra hos maxillares, quini ab utroq; latere: sed qui maxillæ superiori infiguntur, ternis: qui inferiori, binis radicibus maiori ex parte adhærescunt. Nonnullis aũt nõ utrinq; quini maxillares, sed quaterni seniúe oriunt. Eos non maxillares modò, sed molares etiam appellant, quòd ijs cibi atterantur. Caninis nomen inditũ est, quòd canum dentibus quamsimillimi existant. Omnes in suorum ossium cõcauis infiguntur. Ex ossibus dentes tantummodo mollium cerebri neruorũ participes sunt, ob idq́; euidentem sentiendi uim possident.

*Dentes tantùm recipere molles neruos à cerebro.*

DE OSSIBVS MAXILLAE INFERIORIS. CAP. VI.

*Maxillæ inferioris ossium consideratio.*

OSsis maxillæ inferioris, quod elixum in summa menti extremitate laxatur, pars quæ quasi capitulata est, duobus ceu cornibus terminatur: quorum alterũ in mucronem desinens, tendonem à temporis musculo descendentem recipit. Alterum capitis ossi sub eo exortu, quem maxillarem uocant, annectitur: ibiq́; in paruulum sinum rotundo quodam quasi tuberculo sese inserit.

DE SPINA. CAP. VII.

*Spinã constare ex vertebris.*

SPina ex uertebris quatuor & uiginti constat: quæ si plures pauciorésue sint, præter naturam sunt. Harum contextus omnis in ceruicem, dorsum, lumbos, & os sacrum diuiditur. Ceruix capiti annectitur. Huic dein dorsum, cui par inest quæ & pectori longitudo: quod subest reliquũ, lumbi appellantur: cuius pars ultima sacro latóue osse finitur. Septem in collo uertebrę, duodecim ad costas, ad lumbos quinq;.

DE VERTEBRIS COLLI. CAP. VIII.

*Colli vertebrarum cõstructio.*

EX uertebris colli, primæ quidem duæ inter se undiq; colligantur. Reliquarũ uerò quinq; anterior pars coalescit nexu constricta firmissimo: idq́; interuentu eius membranæ, quæ geminas spinalis medullæ tunicas ambit: qua ratione uertebræ omnes se habent, duabus primis exceptis, quæ ut capitis obsecundent motionibus, paulò laxius cohærent. Prima uertebra latissima & tenuissima est. Secunda angustior, ualidiorq́;: ac reliquæ deinceps eodem modo se habent. Quod enim spinę medulla in giguendis neruis consumitur, attenuaturq́; magis, eò inferiorum uertebrarum minuuntur foramina. Quum autem capitis duplex sit motus, atque alter annuendo, abnuendoq́; fiat, alter in latera: illum quidem uertebræ secundæ processus potissimum præstat, hunc uerò ipsius summæ uertebræ, & capitis transuersæ partes efficiunt. Posteriorem processum, quem spinam uocãt, omnes habent uertebræ, prima excepta, quæ duntaxat in parte anteriori exiguũ quendam processum exigit. In cęteris ceruicis uertebris, trãsuersi processus semper sunt perforati, septima eademq́;

*Vertebrarum foramina angustari paulatim.*

*Capitis duplex motus.*

*Vertebrarum processus.*

ultima excepta, cui interdũ etiã, sed raro, à lateribus foramina insunt. Hos ipsos processus solæ ceruicis uertebræ leniter quasi bipartitos gerunt, præter duas primas, in quibus simplices planè habẽtur: in sexta uerò duplices manifestè apparent, & cæterorum omnium maximi: sicut & ea ipsa maxima est: quorum internus, latus admodũ est. Pars cuiuslibet uertebræ anterior, qua inter se coalescunt, earum potißimum quæ in ceruice sunt, prima excepta, oblonga est. Neruis autem ab spinæ medulla orientibus, ac iuxta uertebrarum compages prodeuntibus, utraq; uertebra parem primæ quasi operam confert. In cæteris superior aut magna ex parte, aut omnino id præstat.

DE VERTEBRIS DORSI. CAP. IX.

*Dorsi vertebrarum considera-tio.*

THoracis uertebræ, quæ maiori ex parte sunt duodecim, omnes ad decimam usq; processus habent permagnos: tum eos qui sursum, deorsumq; uersum spectant, tum etiam transuersos, quibus costæ annectuntur.

DE LVMBORVM VERTEBRIS. CAP. X.

*Lumborum vertebrarum consideratio.*

LVmborum uertebræ quinq;, & omnium crassißimæ sunt: quibus sanè perangustum inest foramen, tenuisq; medulla. Earum autem processus spectat sursum: atq; ab ea tantùm uertebra, quæ præposita est, semper neruus erumpit. Habent singulæ lumborum uertebræ interiore in parte foramina nullo disposita ordine, in quæ se inserunt uenulæ, satis manifestæ & conspicuæ, cùm in cæteris uertebris, uel nullæ usquam, uel perexiguæ spectentur.

DE SACRO OSSE. CAP. XI.

*Sacri oßis consideratio.*

ID os uertebris, qua parte cum superiori alligatur, proportione respondet. Ipsius autẽ transuersi processus grandes patentesq; sunt, quibus in exteriore parte sinus inest quidam leniter cauus, in eumq; ilium ossa ingrediuntur. Id ipsum os ex tribus particulis constat, harumq; in extremitate os aliud quartum, quod coccyx nominatur, additum est. Nerui autem, qui à spinæ medulla per sacri oßis foramina prodeunt, iuxta suarum ueluti uertebrarum compages, sicuti per spinam totam, prosiliunt: non tamen ab utroq; latere, sed intrinsecus quidem, atq; extrinsecus: hiq; omnes tria constituunt paria.

*Os sacrũ ex tribus cõstare particulis.*

DE COCCYGE. CAP. XII.

*Coccygis oßis consideratio.*

AT coccyx ipsum ex tribus particulis constat, quæ plus cartilaginis, quàm latum os, habent. Iuxta earũ compages nerui posteriore ex parte prodeunt. Gemini priores ex ea oriuntur parte, qua coccyx latum os attingit. Insequens par inde ortum habet, ubi prima huius oßis pars cum secunda committitur. Duo alij inde egrediuntur, qua secunda eiusdem pars, cum tertia coniungitur. Iuxta tertiæ huius extremitatem, quod reliquũ est ex spinę medulla, simplex nulliq; associatum prosilit.

DE THORACIS OSSIBVS CAP. XIII.

*Thoracis oßium consideratio.*

*Costæ vtrinq; duodecim.*

*Pectoris ossa septem.*

OS pectoris, costæ, itemq; ex spina dorsi uertebræ, thoracis sunt ossa. Costæ ab utraq; parte duodecim, singulæ cum singulis uertebris connectuntur. Ossa pectoris per synarthrosin inuicem alligantur. Sunt autem numero septẽ, sicuti ueræ costæ, quæ cum eo alligantur. Nam quinq; inferiores costæ, quæ nothæ dicuntur, in cartilaginem parum firmam degenerant, & cum diaphragmate, non cum pectore conglutinantur. Imò pectoris oßi cartilago triangula adnascitur, quam ensiformem appellant. Costis omnibus nõ par longitudo est, sed supernæ infernæq; medijs breuiores sunt.

*Costæ veræ septem, mendosæ quinq;.*

*Cartilago ensiformis.*

DE SCAPVLIS. CAP. XIIII.

*Scapularum consideratio.*

SCapulæ post thoracem sunt sitæ, gibbæ quidem exteriore ex parte, intrinsecus autem simæ: ad hæc in ima basi tenues, oblongæq;, in summa uerò crassæ, paruæq; existunt. Os scapulæ maiori ex parte cartilagine, sed in imo uberius, contegitur, à spinaq; tenue inchoatur, & paulatim plenius efficitur, donec ad acromij locum peruenerit, ubi iugulo annectitur. Hanc enim compactionem, nonnulli acromion appellant. In ea parte, scapularum oßi processus quidam subest, quem scapulæ ceruicem nominant: isq; in acetabulum desinens, cum humeri capite colligatur.

*Acromion.*

DE IVGVLIS. CAP XV.

*Iugulorum consideratio.*

IVgula, hoc est, claues, ab utroque latere summæ pectoralis oßis extremitati annectuntur: eaq; fistulosa sunt, figuraq; & crassitie inæquabili. Pars nanq; eorum inferior, quæ pectoris oßi alligatur, crassior cæteris, rotundiorq; est. Huic succedens, longè gracilior. Quod reliquum est, totum rotundum, inæquabileq; est, quoad cum scapularum osse committitur, ubi quasi latiusculum est. Mediæ iuguli totius partes exterius gibbæ sunt, præsertim quæ ad scapulas tendunt.

DE HVMERO. CAP. XVI.

*Humeri consideratio.*

MAximum omnium os humeri (femore excepto) est, idq; utrinque suprà infràq; alligatur. Summa eius pars grandiusculum habet caput, paruæ quidem ceruici coagmentatum, adnatumq;. In eo iuxta anteriorem partem sinus quidam est, ceu alicui patulæ scissuræ similis, qui totum ipsum caput in duo quasi tubercula bifariam diuidit. Pars autem inferior, in tubercula desinit inæqualia: quorum ei quod extrinsecus situm est, capitulum radij annectitur. Cum eo uerò quod est in interiori parte, nullum os prorsus committitur. In ima humeri parte sinus persimilis est concauis trochlearum orbitis. Cubitus hunc circum mouetur. Vbi autem sinus hic desinit in extremis utrinque lateribus, duo præterea sunt sinus, quorum anterior posteriore est minor. Ii coronas cubiti, hoc est, acutos processus excipiũt: horumq; anteriorem, quum cubitus omnino flectitur, anterior sinus: quum tenditur, posterior posteriorem recipit. Cæteræ humeri partes gibbæ quidem anteriore atq; exteriore in parte: in posteriore atq; interiore, simæ sunt.

DE CVBITO. CAP. XVII.

*Cubiti consideratio.*

*Cubitus radio subest.*

*Cubiti processus duo.*

PArs omnis quæ inter humerum & carpum sita est, eiusdemq; etiam partis os grandius, cubitus appellatur. Is alteri subest oßi, quod radium nominant. Huiusq; pars extrema superior leniter caua, exterius humeri tuberculum recipit, eiq; alligatur. Cuius quidem cõnexionis

est

est munus, modò in pronũ, modò in supinum, totam manum adducere. Cubitus duos habet processus: quorum anterior minor est, alter uerò grandior: ab ijsque cubiti ipsius sinus sigmæ literæ similis comprehenditur. In hunc sinum, humeri orbita inseritur. Huius autem nexus, tendendi, curuandique totam manũ officium est. Radius suprà infraque ualidis ligamentis cubito illigatur: media inter se omnino dehiscunt. Vterque adnatam appendicem iuxta carpi habet partes: sed extrinsecus gibbam, intrinsecus autem cauam: cubitus quidem iuxta minimum digitum, radius uerò iuxta maximũ. In sinũ eiusmodi sese carpus insinuat, annectiturque. Inest autem cubito ex abundantia quadam, processus quem columnarem appellant, isque brachiali etiam nectitur. Ad hunc quidem nexum pertinet carpum in obliquum ducere: ad alterum uerò, in rectum, cuius opera summam manum extendimus, inflectimusque.

*Cubiti processus duo.*

*Colũnaris processus.*

DE CARPO. CAP. XVIII.

*Carpi consideratio.*

*Carpus constat ex ossibus octo.*

Prima pars palmę carpos dicitur, ex ossibus octo, duplici distinctis ordine, constans. Dura omnia, & paruula, nec medullosa, multiplicisque figuræ sunt. Cuncta nerueis cartilagineisque nexibus inter se per synarthrosin constructa, non cognata cernuntur: exteriore quidẽ in superficie, leniter gibba, sinuata intrinsecus. Pars carpi superior ex tribus ossibus constat, quæ in rotundam quasi formam constructa, cum cubito, radioque, & columnari processui annectuntur: hoc tamen excepto, quòd carpi os, quod minimum digitum respicit, exiguo lenique sinu, columnarẽ cubiti processum admittit. Ex his autem mediũ, ibi potissimũ sedem habet, ubi cubitus radiusque inter se copulantur. Tertium, quod bipartitum est, à radio comprehenditur. Pars carpi inferior, quatuor ipsius ossibus metacarpio alligatur. At quintum, ijs carpi partibus insidet, quæ iuxta cubiti processum columnarem sunt sitæ.

DE METACARPIO. CAP. XIX.

*Metacarpij consideratio.*

INter digitos & carpum ossa quæ palmam explent, metacarpium appellant: id quod per synarthrosin carpo, digitorum autem priori phalangi per diarthrosin alligatur. Pollicis tantummodo prius internodium, ex transuerso ipsi metacarpio est annexũ. Singuli autem digiti ex tribus ossibus constant, priori semper internodio in subsequentis sinum subeunte. Iureque dicendum est, pollicem ipsum ex triplici osse constructum esse: ac primum ipsius internodium, cum metacarpio minimè connumerandum. Vnde rectè dixerit quispiam, ex quatuor duntaxat metacarpium, ipsos autem digitos ex quindecim ossibus constitutos esse.

*Digitorum singulos ex ossibus tribus constare.*

*Metacarpium cõstare ex quatuor ossibus.*

DE OSSIBVS QVAE CVM SACRO *osse committuntur.* Cap. XX.

REctis ab utroque latere magnisque lati ossis processibus, duo quędam ossa apposita adstructaque sunt: quibus integris nullum nomen est inditum. Nam latæ ipsorum supernæ partes, ilium ossa: exteriores post femoris ingressum, inferioresque, coxendicũ: quæ inde in anteriora protensæ, tenuesque & foratæ, atque inter se in extremo cognatæ sunt, pectinis ossa appellantur. Vtrique coxendici prægrande acetabulum inest, cum femoris capite nexu ualidissimo copulatum, cognatumque.

OS FEMORIS. CAP XXI.

*Femoris consideratio.*

*Fœmoris os omnium aliorum maximum.*

OS fœmoris magnitudine cunctis animantis ossibus præstat: id suprà, coxendici: infrà, tibiæ alligatur. Superiori in parte rotundissimum caput habet, prolixæ quidem ceruici ad interiora inclinatæ adnatum. Infrà leniter patescens, in duo tubercula desinit, adeò quidem grandia, ut capita appellari possint: quæ sanè tibiæ annectuntur, non modò membranosis ligamentis, sed tribus quoque alijs ualidis, rotundisque: quorum unum ab exteriori totius connexionis parte, ab interiori alterum, à medio posterioris interiorisque, tertiũ porrigitur. Totius autẽ femoris forma, anteriori in parte exteriorique, gibba: in posteriori interiorique sima est. Sub huius ceruice sunt duo exigui processus (trochanteras uocant) quorum exteriorem, qui est maior, appellant natem.

*Trochanteres.*

DE TIBIA. CAP. XXII.

*Tibiæ consideratio.*

TOta pars cruris, quæ inter talum genuque posita est, eiusdemque etiam partis os grãdius tibia, appellatur. Hæc interiore in parte sita est, eique tantummodo femur ipsum annectitur. Os autem quod extrinsecus locatum est, sura nominatur: quæ crassitudini tibiæ admodum cedit, nec adeò protenditur, ut genu ipsum cõtingat, uerùm suprà infraque tibiæ per synarthrosin alligatur: media inter se penitus dehiscunt. Tibia, quæ femori copulatur, magna quidem adnata, coagmentataque appendice, duplicem in se sinum habente, capita femoris sese insinuantia recipit. Tibiæ quicquid anteriori in parte tenue & carnis est expers, Crea dicitur: imæ ab utroque latere tibiæ, suræque partes, malleoli nuncupantur. Hallucinantur autem qui eos talos appellant: nam sub his utrinque talus consistit, ac undequaque contegitur, ut ne eum tangere quidem possis. Malleoli uerò extremæ tibiæ suræque processuum partes sunt: gibbę quidem exteriore ex parte, intrinsecus cauæ.

*Sura.*

*Crea.*

*Malleoli non rectè uocantur tali.*

DE PATELLA. CAP. XXIII.

*Patella consideratio.*

QVa femur tibiæ annectitur, os extrinsecus cartilaginosum, rotundumque appositũ est: quod gibba subiectorum ossium aptis sinibus comprehendit: paulumque intumescẽs, quod inter femur, tibiamque spatium patet, complectitur. Id ipsum os patella & mola appellatur.

*Mola.*

DE PEDIS OSSIBVS. CAP. XXIIII.

*Pedis ossium consideratio.*

TAlus ab imis tibiæ suræque processibus comprehenditur. Eius pars quam *τὸ πρόσθιον* uocant, sursum uergit. Posteriores læuigatæ omnes, modiceque orbiculatæ sunt, & ad superiora potius spectant: anteriores rotundo quidem capite oblongæ ceruici adnato, cum osse connectuntur, quod scaphoeides dicitur. A dextro & sinistro latere, in duo extantia supercilia id desinens, sub tibiæ suræque cauis excipitur. Ipsius quoque pars interna læuorem ferè habet. Huic subest os pedis maximum, quod calcem uocant: idque ipsum & rotundas partes ex talo recipit, & geminos quos habet excessus, in sinum eius percommodè inserit. Pars uerò qua ingredimur, leni-

*Scaphoeides os.*

*Calx.*

ter rotunda & latiuscula est. Posterior quoq; rotunda est, eaq; tibiæ rectitudinem excedit admodum. Ex partibus eius anterioribus, quæ è regione magni digiti sita est, ipsius tali capiti subiacet, nec cum altero copulatur osse. At eius extremitas quæ minimo respondet digito, cum cyboide osse per synarthrosin nectitur. Cyboides autem à parte exteriore iuxta scaphoeides positum est. Verùm hoc, quà cum talo iungitur, sinuatum, cyboeides uerò gibbum existit. Tria deinceps ossa paruula inferiori scaphoeidis parti per synarthrosin copulantur: cum quibus etiā exteriore ex parte cyboeides pariter porrigitur. Post hæc quatuor ossa, prima pars pedis quam tarson uocant, finitur.

*Cyboides os. Scaphoeides.*

*Tarsos.*


DE PLANTAE OSSIBVS.


CAP. XXV.

PLanta inde inchoatur, quæ ex quinq; ossibus constructa est. Post hæc deinceps pedis digiti siti sunt, qui ex ternis internodijs omnes cōstant, pollice excepto, qui ex duplici tantùm conflatur. Horum dearticulationes membranosis: quę uerò in talo calceq; habentur, ualidioribus ligamentis coarctantur. Satis autem sint hæc tyronibus, prima de ossibus rudimenta addiscētibus.

*Planta pedis ex quinq; ossibus constat.*

LIBRI DE OSSIBVS FINIS.







## GALENI PERGAMENI de dissectione venarum & arteriarum, Liber vnus.

*Caua vena consideratio.*



Væ in uentrem intestinaq; deferuntur uenæ, ueluti radices arboris sunt. Ea uerò quam cauam appellant, quidam ceu truncus existit, omnium quę toto corpore sparguntur uenarum. Eadem ratione arteriæ, quarum origo omnium est cor, quæ quidem pulmones petunt, imaginem radicũ ostendunt. Quam autem Aristoteles aortam nominauit, ea caudicis in arbore proportionem subit. Igitur ab ea uena, quam iuxta caua iecoris, portas appellant, ceu ab uno principio prodentes, septem uenæ in regionem uentris descendunt. Quarum prima, breuis quidem illa, atq; interdum sola, interdum alijs associata minutulis, ad dodecadactylum intestinum descendit, carne quadam glandulosa, quam pancreon dicunt, suffulta. Secunda autem, exigua etiam, ad pyloron, imam uentris partem, assurgit, atq; in eam regionem uentriculi, quæ circa & ante pylorum est, disseminatur: idq; præter alios duos insignes ramos, qui à portæ uena orti, in uentriculum & lienem se expandunt. Tertia similiter, ex magna uena enascitur, quæ uersus sinistram descendens, extremum magnorum intestinorũ mesenterium, ad sedem usq; complectitur. Quarta post hanc uena, à dextris partibus ex eadem magna uena, uersus pylorum descendens, ad gibba uentriculi effertur. Quinta deinceps, ex eadem magna nascitur uena, in ipsius latere dextro, quæ coli mesenterium, numerosiori propagine uenarum inuadit. Sexta similiter orta, ad spatium peruenit, quod inter duo iam dicta mesenteria iacet. Id enim plurimas uenas habet, & in ieiunũ primùm, deinde in omne deinceps tenue intestinum fissura multiplici diuiditur. Postrema uerò eius uenæ pars, tum cæcum intestinum complectitur, tum quandam exiguam coli partem, qua ipsum cæco annectitur. Ad hunc sanè modum uenæ illius quæ à portis prodit, in intestina, splenẽ, & uentriculũ, digestio perficit. Quin etiã omnes omento intextæ uenæ, ab ijsdẽ ipsis uenis propagant. Igitur per omnes iam dictas uenas, cibus ad hepatis portas suggerit. Hinc uerò per uenas ad ipsius fibras pertinẽtes, in totũ iecur permanat. Indeq; rursum in alias assumit uenas, per gibbã quidẽ partẽ dispersas, cæterùm à maxima alia uena ortas, quã ob id cauã nominãt. Ab ea etiã alię propagant, quę in omnes corporis partes sanguinẽ riuãt. A iecore em̃ utrinq;

*Cor omniũ arteriarum origo.*

*Aortæ consideratio.*

*Mesaraicarum uenarum consideratio.*

*Pancreon.*

*Pylorus.*

*Omenti uenæ à mesaraicis oriuntur.*

*Distributionis alimenti consideratio.*

*Caue uenæ diuisio.*

prolapsa, sursum quidem per septum transuersum, ad cor attollitur: deorsum uerò in spinam dorsi contorquetur, atque inibi super magnam defertur arteriam. Iam uerò ab ea quæ sursum tendit, oriuntur primò quidem coniugatio ad septum transuersum: dein capillorum modo tenues permultę, in membranas intercipiẽtes thoracem, moxq; in pericardium tunicam. Post illas alia magnitudine insignis, in dextram cordis aurem fertur, atq; inde ad dextrum uentriculum.

*Arteriosa uena*

Ab hoc alia duplicẽ, ut arteriæ, tunicam habens, in pulmones progreditur.

*Coronalis uena*

Quinetiam alia quædam exigua per exteriorem cordis superficiem, in totũ eius uisceris corpus spargitur. Quũ autem cor ipsum præterijt uena caua, iamiam festinans ad iugulum, obiter quoddam sui germen diffundit in omnes thoracis partes, præter prima duo, interdum uerò etiam tria, costarum interualla. Deinde alias quasdam prætenues uenulas, ad membranas mittit thoracem intersepientes, necnon ad thymum uocatum.

*Thymus.*

*Iugulares uenæ*

Quum uerò prope iugulum peruenit, in duas diducitur partes: atq; ita obliquè in latus utraq; pars inclinata, à media paululũ regione diuertit. De quibus, dum ad sibi uicinam utræq; ascendunt clauiculã, in media latione, quæ ad thoracis anteriora perueniunt, radices sparguntur. Præter has, magnarũ uenarum multiplici se fissura scindentium cõiugatio, intercostalia superioris thoracis alit spatia, & quæ circa scapulas sunt loca, tum nonnullos etiam ex interioribus colli musculis. Ab his ipsis uenis etiam illæ nascuntur, quæ ubi ad sextam colli uertebram peruenerũt, in ipsa se foramenta insinuantes, ad caput usq; efferuntur. Quicquid aũt ex eis superest, ad axillas porrigitur: ac dein fissura multiplici, per manum excurrit totam intimis magni musculi partibus, in ipso brachio exporrecta. Ex eius autem propaginibus una, per interna hæc quoq; percurrens, circa brachium in orbem complicatur, posterioremq; ipsius regionem ita perreptat. Mox in exteriorẽ partem, eandemq; anteriorẽ, subit ad cutem, atq; illinc deorsum tendit, donec ad brachij cõmissuram perueniat. Postrema uerò eius pars, aliquando exteriorem brachij nodum excedit paululum: nonnunquã multò ulterius progreditur, sub cute secundum os cubiti deorsum tendens. At omne quod de magna uena reliquũ est, ad medium peruenit cubiti articulum, unà cũ uiciniori neruo ramos expandens ad intimas musculorum eius loci partes, usq; ad interius brachij caput, nihiloq; minus per profundum ad posteriores, anterioresq; musculos. Sedenim priusquàm in cubiti flexum ingrediatur, in uenas scinditur complures, è quibus multæ in superficie extant: omnium maxima profundius demergitur. Atq; magna ex parte una quidem uena, à magna propagatur, ad inferiora magis obliquè declinãs: ac subinde altera ex inferioribus cubiti partibus, multiplici sparsa sobole, ad carpũ peruenit: ac tertia deinceps, circa medium maximè cubitũ. Cæterùm earũ fines iuxta carpum miscentur.

*Cubiti uenarũ consideratio.*

Elatissimus autem simul & maximus ramus, qui ab ea uena de qua modò institutus est sermo, propagatur, in medium peruenit flexum, quà cubitus cum brachio coit: quò etiã obliquè confluit alterius uenæ, quę per brachij anteriora sub cute sita est, nõ exigua portio. Duæ enim hæ totius sunt manus uenæ: tum ea quæ per axillam in manum fertur, tum ea quę per clauiculam, quam humerariam appellant.

*Axillaris uena.*

*Humeraria uena.*

Verùm non semper idem harum uenarum positus, sicuti nec par crassitudo est. At secundũ naturam maximè est, ut utriusq; uenæ pars in interiorem cubiti flexum quadantenus deferatur: quæ partes posteaquàm coierint, uenam producunt, quæ omnium in cubito extantium fertur amplissima.

*Mediæ uenæ consideratio.*

Secundum hanc præcipua magnitudine humeraria est. Ea hinc profecta, quà cubitus cũ brachio coarctatur, perq; radiũ porrecta, ad extremi cubiti tuberculum, quod carpo adhæret, peruenit: atq; inde mox infimæ, eidemq; extimæ carpi ipsius parti distribuitur. At illa, quam ex confluxu duarum uenarum, omnium in superficie extantium maximam fieri dixi, ab interioribus cubiti partibus incipiens, primùm conscendit radium: deinde in extimam euadit partem: ubi in ramos scissa duos, altero ad radij extremum procedit, altero ad summum pertingit cubitum, quà & ipse cohæret carpo: atq; inibi uenam contingit, quam ab humeraria propagari retulimus. Iam uerò, quemadmodũ quæ in interiori cubiti parte sunt uenæ, ferè iuxta carpũ in multas exiles uenas, & inter se commixtas scinduntur, sic etiam, multoq; his magis uenæ quæ per exteriorem cubiti partem feruntur.

*Venarũ altius perreptantium cubitum consideratio.*

Porrò quæ altius per cubitum manumq; extremam uenæ immerguntur, à duabus magnis oriunt, hoc modo. Qua parte ab utraq; magna propagari quasdam ostendimus, quę ad flexum brachij tenderent, duo rami, ab utraq; singuli, in profundum procurrunt, ibiq; similiter mutuo complexu iunguntur. Ex quibus rursum aliæ duæ insignes uenæ exoriuntur, quę tandem suis germinibus musculos totius manus penetrant.

*Venarũ penetrantium interiora thoracis consideratio.*

Quæ autem ad interiorem thoracis regionem feruntur uenę, ad hunc constant modum. E medio duarum uenarum in quas cauam memorauimus findi, uena oritur, quæ ad dextram ossis pectoris tendit: ab sinistra autem cauæ parte, altera. Hæ igitur per totum feruntur thoracem, ossi pectoris subditæ, usq; ad radicem cartilaginis ensiformis: & ad singula obiter interualla costarum, ramulum ex se mittunt, quo coniunguntur extremis eius uenæ, quæ spatia intercostalia perreptat. Harum uenarum portio extra thoracem emergit, ad substratos illic reficiendos musculos. Quæ uerò ad mucronatam cartilaginem pertinent, tum in mammas assurgentes, tum in reliquũ pectus dispensatæ, deorsum procedunt, rectis subnixę musculis, in quos partem aliquam mittunt. Quà porrò clauiculę adiacent cauæ uenæ * partibus, in quas secari ipsam diximus, subiecta est uenæ radix maxima, utrinq; una. Quæ quidem confestim assurgens, bipartitò scinditur, duas ædens magnas uenas: quarum altera per anteriorem, auersamq; colli partem, ad interiora magis recedens effertur: altera in partẽ anteriorem deorsum quadantenus subsidens, mox sursum sublata, clauiculã ipsam

ample-

amplectitur, ad modò commemoratam uenam contendens extrinsecus. Et cōfluentibus, seseq́ cōmiscentibus, gignit in summo eminens iugularis utrinq; una. At non eodem semper aut modo aut loco miscentur. Duo autem hic huiusmodi uenarum solent esse coniugia: obliquum alterum, coëuntium ipsarum, & sese inuicem contingentium in cauo iuguli: alterum autem minimè coëuntium. Declinant enim quasi in extimā colli partem obliquę. Tres autem conspicuæ uenæ oriunt ab ea quæ circa claviculā contorquetur. Vna quidem quę humeraria dicit (quòd obliquè deflectat ad humerum) & sæpe eadem uisitur crassitudine, cum uena ad collum subeunte. Reliquæ duæ, radices utrinq; humeraria minores habent: quarum altera ad summum ascendit humerū, ac in proxima quæq; corpora transiens, ita occultatur: humilior altera, per profunda magis surreptans, secundū magnum musculū ab osse pectoris exporrecta, ad caput brachij peruenit. Cæterùm axillaris uena multò humerali est maior, & numerosiorem quàm illa in brachio sobolem habet prodeuntium ex se ramorum. Porrò quantum reliquū est de magnis illis uenis, in quas uena caua diducit sub claviculis rectà per collum, gulam habēs ante se positam, sursum effertur, producens interim uaria germina, sed ab ipsa colli superficie remota: quæ nimirum nutriūt musculos altius delitescentes. Nam uenæ ab extantibus in superficie iugularib. propagatæ, plurimæ & tenues sunt, quæ per totum ambitum colli, faciei, & capitis, uario plexu disseminantur. Quin & lingua magnas accipit ab intimis iugularibus uenas, posteaquàm ex per ramos cum extimis se coniunxerunt. Reliquū autem omne ex internis iugularibus ad cerebrum assurgens, in caluam excedit per extremam suturæ labdoidis partem. Coniunguntur autem uenarū omniū extrema circa ipsum caput, ipsiusq́ cum prima uertebra commissuram. At uerò earum uenarum quę in partes corporis inferiores sanguinem riuant, caua in lumbis sita, est origo. Hæc enim uena simulatq; è iecore primùm se exprompsit, priusquàm in lumbos cōsidat, elatior adhuc existens, parte quidē dextra, in dextri renis tunicam ac circumiecta corpora, uarios spargit ramulos. Sinistra autem, notabili magnitudine uenam, quæ & ipsa in ramos scissa, corporibus inibi existentibus distribuitur. Ac sæpenumero à caua ipsa ad renem proficiscente, propagines mittuntur, quæ in renis tunica intexūtur, ac uicinis in ambitum locis: eæq; nunc filorum araneæ similes sunt, nunc paruæ. Nam quæ à caua inseruntur in renes, facilè sunt omnium amplissimæ. Deinceps post has ad testes deferuntur uenæ. Ad sinistrū siquidem, ramus mittitur ab ea uena quæ in sinistrū perfertur renem. Quę aūt in dextrū testem inserit uena, ea quidem ab ipsa caua producitur. Quanquā hæc uena mihi semel obseruata est initia duo habere, sicuti ea etiam quæ in sinistrum testem se insinuat, persæpe. Hæ igitur uenæ ad testes deferunt, siue mas, siue fœmina animans fuerit. Habet quippe etiā fœmina, ad uteri latera testes multò minores & densiores, quàm uisuntur in maribus. Secundū eas uenas, de singulis uertebris ad ilia uenæ mittuntur, quarum postrema ad musculos qui abdomini prętenti sunt, attolluntur. Qui autem supra hos musculi extra thoracem iacent, alimentum accipiūt à uasis circa claviculas exilioribus: tum etiam ab ijs quæ per pectoris os ad mammas tendunt, sicuti etiam ab ijs quę sunt in spatijs intercostalibus. Quinetiam per singula foramenta spinæ, singulę uenæ in medullā ipsam à caua lumbos perreptāte inseruntur. Porrò in ultimis lumborum uertebris non amplius uidere est arteriam uenę subiectam, sed elatior quidem arteria supra uenam ceu prouehitur, uena autem per ipsas uertebras. Hac igitur parte & sese contingit utrunq; uas, & in duo membra diuaricatur, instar literæ Λ. utraq; autem cohærentium uasorum pars ad sibi subiectum crus obliquior descendit: prius tamen ipsorum uasorum quibusdam ramulis, ad alendas lumborum carnes, atq; interdum etiam ad eam peritonæi partem, quę ad lumbos spectat, reuulsis. Vtriusq; autem uenarum coniugationis extrema, ad exteriores lati ossis partes se promunt, inq; musculos eam regionem consternentes, distribuuntur. Deinde ad uteri partes inferiores, aliæ uenæ ferunt, quæ in ceruicem ipsam disseminantur, & quadam sui parte amplexantur testiculos, altera usq; ad uteri fundum pertinent: indeq; abæ subeunt uesicam: aliæ per pubis os ad exteriora cum eius neruo extendunt, atq; per inferiores illius regionis musculos disseminantur: aliæ per rectos ascendunt musculos, extremisq; coniunguntur uenarum, quæ per thoracem ad subcartilaginea descendunt. Ab eadem radice uenulæ utrinq; singulę in uterum perferuntur, per quas mammis cū utero maxima necessitudo existit. Insuper aliud extra musculos est coniugium earum, quæ ad utriusq; sexus pudenda pertinent. Ab his aūt statim alia est uena utrinq;, quæ ad internos femoris musculos tendit. Post has uerò aliæ ab inguinibus ortæ, uisuntur per iliū regionem ascendere. Aliæ etiam obscurę, à mammarū uenis deductæ, has quas nuper dixi, finibus suis contingunt. Reliqua magna uena in crus diuiditur, primam iuxta inguina emittens propaginem, quæ cum parua arteria in musculos anteriores spargitur: secundam utrinq; uenam, quæ ex internis partibus ad genu usq; subter cutem disseminat, ac alias nō paucas ad profundiores femorum partes. Cæterùm paulò altius quàm femur cū tibia articulo iungit, in tres partes diuiditur: quarum media, quæ maxima est, per ipsum deorsum ad poplitem fertur, atq; inde per profundum suræ procedens, non modicam in musculos eius sobolem ramorum spargit. Altera autem parte quæ in superficie eminet, per exteriorem partē alterius tibiæ ossis porrecta, ad pedis pertingit articulum. Tertia uerò quæ interior est, ad anteriorem tibiæ partem procedit, ac inde ad malleolum peruenit, ad ipsum tibiæ extremum, ut sanguinē mittat, quàm commodissima. Enimuerò à maxima quæ per profundum musculos distribuitur, duo cum arteria, extrema fiunt, quorum alterū quidem maius, à tibia fertur ad interiora: alterum uerò, per mediā duorū

*Iugularium uenarum consideratio.*

*Humeralis uena.*

*Axillaris uena humerali est maior.*

*Lingua unde uenas accipiat.*

*Caua uena lumborum, est origo uenarum quæ ad inferna descendunt.*

*Emulgentes uenæ amplissimæ.*

*Seminariū uasorum origo.*

*Testiculi fœminarum quales.*

*Abdominis uenæ.*

*Thoracis musculi externi à quibus uenis alantur.*

*Vteri uenæ.*

*Pudendorum uenæ.*

*Cruris uena.*

tibiæ ossium regionem, ad interiora pedis perducitur, ac propagini alterius uenę immiscetur, quā ab exterioribus tibiæ partibus per fibulā dixi descendere. Ita fit ut sint uenæ quatuor, quæ ad pedes descendunt: una quidē omniū extima, per gibbosum fibulæ extremum: altera per partes ipsius interiores: tertia per anteriorem tibiæ extremi regionem: & quarta, quę ex interioribus partibus extuberātes tibiæ processus complexa est. Hoc igitur tibi dissectionis uenarum principium esto. Deinceps de arterijs dicendū. Harū origo est sinister cordis uentriculus. Hinc autem in pulmones, gratia trahendi spiritus, deriuatur radicis instar, una tenuis simplicię tunica constans: tum altera etiam hac multò crassior, quæ ueluti truncus omnium arteriarum existit. Habet præterea cordis ipsius corpus circunfusas in ambitum arterias duas: alteram quidē maiorem, quæ maximam ipsius partem amplectitur: alteram ea maximè regione distributam, ubi tertium uentriculum esse existimauit Aristoteles, quum tamen nusquam is reperiatur. Has igitur arterias, simulatque maxima de corde se prompserit, ab ea produci uideas, ipsamq; mox in membra haudquaquam paria diduci. Et horum quidem, quod minus est, sursum ferri, ipsumq; confestim in partes rursum inæquales findi, ac subinde ipsarum maiorē, ad iugulum tendentem obliquam, de sinistra ad dextram thoracis partem porrigi, alteramq; oppositum habere situm. At uerò arteriæ pars maior, quæ ad iugulum tendit, ubi prope thymū peruenerit, primùm quidem ad sinistram iugularem emittit ramum: post illum, alterum ad dexteriorem. Deinde quicquid ipsius restat, ad scapulam axillamq; sinistram tendit. Quinetiam quædam ad pectoris os, alia ad primas thoracis costas, alia ad spinales musculos, alia denique per foramina sex primarum colli uertebrarum deducta, unà cum uena, ad spinalis medullæ membranas, descendit: alia ad summum humerum, scapulam, axillamq; dextram extenditur. Quæ quidem, sicuti & aliæ omnes, diuiduntur unà cum adiacentibus uenis: quemadmodum & quæ arteriæ carotides appellantur: ex quibus unà cum iugularijs internis, ascendit quædam arteria. At quæ in superficie extāt iugulares, eæ sine arterijs conspiciuntur. Omne autem quod ex carotidibus reliquum est, sursum rectâ procedens, in caluam penetrat, inibiq; plexū retiformem producit: deinde in duas rursus coiens arterias, subit cerebrum. Porrò arteriæ quæ à corde se promit, pars maior ad spinam deflectit, quintamq; thoracis uertebram ascendit: & inde per totam spinam, usq; ad latum os, descendit, primùm propaginem quandam tenuem emittens in eas thoracis partes, quibus pulmones adiacent. Extrema autem ipsius ad arteriam usq; ascendunt: deinde per singulas uertebras rami tum in spatia intercostalia, tum ad spinalem medullam exoriuntur. Vbi autē egressa est magna arteria thoracem, primò duas in septum transuersum arterias mittit: deinde in uentrē, lienē, ac iecur iniugem unam. Interdum ex una radice bifariam diducta, uentriculo quidem, & lieni, & hepati altera pars: altera intestinis distribuitur per duo mesenteria, tum id quod ad dextram situm habens, primarium est coli partium: tum id quod est omnium intestinorum medium. Nam tertium mesenterium, quod prope sedem pertingit, in sinistra situm, nullam inde assumit arteriam: sed de imis partibus in ipsum quædam inferitur, quæ propter renes à magna arteria iniugis & ipsa nascitur. Atqui inter hanc & modò commemoratas, duæ magnitudine præcipuę ad renes tendunt. Cum uenis etiam quæ ad ilia & testes feruntur, arteriæ etiam ad eundem procurrunt modum. Cæterùm arteriæ magnæ pars extrema, quum ad latera lumborum peruenerit, suprà positam uenam transcendit. Quod postea quàm factum fuerit, haud aliter quàm uena scissa, bipartitò arteria partem utranque in sibi subiectum crus mittit: à quarum utraque obiter singuli propagantur ramuli, qui conceptibus per umbilicum inseruntur: in perfectis autem animantibus, ipsi ad os latum excurrunt. At ipsa cruris utrinque arteria ad intimas distributa partes fertur cum magna uena. Nam ijs uenis quæ in cruribus, manibus, abdomine, dorso, & collo, per summam superficiem uisuntur, ne una quidem subest arteria. Sed enim arterias in solo capite iuxta cutem inueneris, tum eas quæ post aures, tum eas quæ ad utraque tempora extant. Porrò in conceptibus uenæ arteriæq; intexuntur, ab extremis uenarum osculis prodeuntes, quæ ad uterum pertinent. Quibus inter se coëuntibus, concurrentibusq; ijs, quæ ex coitu sunt factæ, arterijs & uenis, contingit ex ipsis fieri coniugium illud utrorunq; uasorum, quod inseritur in umbilicum. Arteriæ siquidem uesicā fœtus cōplexæ, ad arterias illas tendunt, quæ à magna per spinam porrecta mittuntur. Venæ autem, simulatque ex umbilico se proiecerint, coëuntes, unam magnam perficiunt quę ad concauum iecinoris tendit, haud procul ab ea uena, quæ ad portas est. Hæc igitur uena sine arteria est, ac post illam tota caua, donec ad spinam peruenerit. Sic nec septi transuersi uena, nec illa quæ alit thoracem, nec humeraria item, nec axillaris (præterquàm ubi altius coarctantur, ut in cubiti articulo) habet ullam arteriam adiunctam. Omnes siquidem quæ per cubiti superficiem expansæ sunt, carent arterijs, sicuti & quæ tum iugulo, tum collo in superficie spárguntur. Omnibus denique superficiarijs, aut quæ per dorsum, latera, totum thoracem, in inferioremq; uentrem sub summa cute expandun tur, nullam inuenias arteriam subditam. Quæ autem ab ijs quæ profundius absconduntur ortum habent, si quidem ex sublimi deorsum tendant, adiacentem habent arteriam. Si uerò ex uno subeuntes, supernè descendentibus uenis iungantur, sine arterijs ad glandia quædam euadunt. Sed ne illæ quidem uenæ cum arterijs coëunt, quæ in exteriores pudendi musculos inferuntur. Arteriæ autem sine uenis eæ sunt, quæ uesicam fœtus amplexantur in utero, propagóq; ea, quæ à magna arteria procedens, in conceptuum uenam arteriosam se insinuat, non substantia modò corporis, sed usu etiam & functione

*Pedū uenæ quatuor.*
*Arteriarum origo, sinister cordis uentriculus.*
*Arteria uenosa.*
*Aorta.*
*Tertium cordis uentriculum nusquam reperiri.*
*Arteriæ magnæ diuisio.*
*Carotides arteriæ.*
*Plexum retiformē produci ab arterijs carotidibus sub caluaria.*
*Iniugem arteriam mitti singulis viscerib. ind.*
*Mesenteriū triplex.*
*Arteriæ lumb. in crura diuaricatio.*
*Venæ quibus nulla subest arteria.*
*Arteriæ superficiales ubi cernātur.*
*Venarum arteriarumq; in conceptibus cōsideratio.*
*Venæ absq; arterijs quæ sint.*
*Venæ adiacentes arterias habentes.*
*Arteriæ absq; uenis.*

functione exiſtens arteria. In perfectis autem animalibus, ſine uenis arteriæ uiſuntur, primùm magnæ illæ quæ ex corde prodeunt: una quidē, quæ ad quintam uſq; thoracis uertebrā deſcendit: altera, quę prima omniū effertur ad iugulū. Poſt has ea etiam quæ ad ſcapulā & axillā ſiniſteriorem ſe inclinat. Iam arteria ſine uena eſt, ex carotide propago una, quæ ad textum retiformem aſcendit, quod etiā rete ſine uena eſt. Tum uerò, quæ ad ſeptum tranſuerſum, earum nulla cum uena iungitur priuſquàm in extrema inciderint uenarum, quæ à caua exoriuntur, quem admodum nec primæ illæ propagines: quæ ad iecur, & uentrem, & lienem, & inteſtina mittuntur. Nam ne illis quidem adiacent uenæ, priuſquàm incipiant coniungi.

*Retiformem plexū carere uenis.*

## GALENI PERGAMENI
### de neruorum diſſectione, lib. Vnus.

*Neruos eſſe opifices motus uoluntarij, atque ſenſus.*



Vòd nulla particularum animalis nec motum arbitrarium, nec ſenſum ſine neruo obtineat: quodq; ſi incidatur neruus, immobilis confeſtim, inſenſilisq; reddatur particula, inter omnes conſtat medicos. Quòd autem origo neruorum atq; ſpinalis medullæ ſit cerebrum, quodq; alij nerui ex cerebro, alij ex medulla ſpinali oriantur, iam demonſtrandum aggredior. Anteriores uentriculi cerebri in priorem procedentes partem, ſenſim leuiterq; in anguſtum coarctantur, donec ad principium pertingant naſi, ſeſe contingentes perpetuò, tenui tantùm membrana diſtincti. Horum autem ſinuum, ad partem utranque, unus dextra, & alter ſiniſtra, neruus eſt craſsitudine inſigni, & aliorum ferè omnium neruorum mollisſimus, ex ipſo quidem prodiens cerebro in oculos extra caluam, per foramē æquè patens ac latum, quanta eſt ipſius nerui craſsitudo. Videntū porrò nerui ipſi, ceu quædam oculorum radices. Vterque ſiquidem in ſibi aduerſum oculum ſeſe quamlatisſimè explicat, ipſumq; qui in oculo eſt, uitreum humorem, in orbem, ſphæræ modo, ambit, inibi etiam naturam cerebri retinens. Sed in ſolis his neruis, antequā in oculos inſerātur, ſenſibilis quidam meatus ineſt. Ac prima quidem hæc coniugatio eſt neruorum qui à cerebro oriuntur, longè aliarum omnium mollisſima. Altera poſt hanc eſt coniugatio in muſculos qui oculos mouent diſtributa, durior multò & tenuior ea quam nuper memorauimus. Huic, dum per caluam procedit, non etiam quum primùm naſcitur, adiacet coniugatio neruorum tertia. Sunt autē molliores iſti, tum ſecundæ, tum quartæ, atq; aliarum deinceps coniugationū neruis, multiq; circa primā ſtatim radicē apparent. Paulò ijs durior, neruorum ex cerebro prodeuntium quarta coniugatio, ſtatim poſt exortū, cum tertia miſcetur, ac perreptat primùm quidem craſſum inuolucrum cerebri, deinde etiam ipſum capiti obductum os: tum rurſus ad palatum recedit. At tertia coniugatio ubi ſecundam attingit, uariè ſcinditur, atque defiuit. Primùm igitur ſingulæ ipſius partes, per commune caluæ foramentum, ad inferiorem capitis partem deſcendunt. Intelligere autem conuenit, nullum neruum aut à cerebro, aut ab ſpinali medulla emitti non coniugatum: ſed ſemper alterum ad dextram, ad ſiniſtram alterum, eadem prorſus utrinque magnitudine, ſitum obtinere. Igitur pars exigua tertiæ coniugationis ſtatim quà maxilla iungitur, ante aures erumpit. Quod autem ueluti truncus eſt omnium indidem prodeuntium particularum, bipartitò ſcinditur primùm, deinde membrum utrunq; in multas rurſum partes: & alterum quidem tum in temporum ac ſuperioris maxillæ muſculos diſpenſatur, tum in gingiuas, dentes, & cutem, quæ faciei prætenditur: alterum uerò in radices dentium inferioris mandibulæ, gingiuasq; & labra inferiora, necnon linguæ tunicam diſſeminatur. Quamobrem coniugationem hanc nonnulli guſtatoriam appellant. At quarta coniugatio neruorum, à tertia recedens, ſeſe in palatum inſinuat. Eſt & quinta coniugatio, cuius nerui non prodeunt ex una radice, ſed ſibi inuicem ſunt uicini. Sub hac enim auditorius neruus, in priori magis parte ad auditorium meatum deſcendit, unà cum dura membrana, quæ indidem, unde neruus, emergit: cum qua in latitudinem ſeſe effundens, meatui leuiter obducitur. Alter uerò, ex parte aduerſa in alterum quoddam oſsis petriformis cæcum foramen inſeritur. Coit autem mox neruus hic cum eo qui progreditur foras, quà maxilla iungitur. Quod autem ex ipſis duobus conflatur, in latum muſculum ſcinditur, qui ſubiectus cuti, buccam ſiue maxillas mouet. Ad hunc itaque modum quinta digeritur coniugatio, quam duplicē eſſe conſtat. Sexta autem neruorum ex cerebro ortorum coniugatio, foramine uſa eſt, quod ad ſuturæ labdoeides extremitatem inferiorem interpatet. Principia autem ſtatim è cerebro prodeuntium trium neruorum obtinet: quæ ubi è calua emerſerint, multifariam cùm inter ſe commiſcentur, tum etiam cum adiacentibus alijs. Supereſt ſeptima neruorum cerebri coniugatio, cuius pars maxima in linguæ muſculos diſpenſatur. Exigua uerò quæpiam particula ad muſculos prouenit communes cartilaginis in gutture ſcutiformis, & inferiorum laterum eius, quæ appellatur labdoeides, atque in alios quoſdam non ſemper. Commiſcentur autem inter ſeſe nerui ad inferiora capitis tendentes, tum is qui à tertia coniugatione, tum is qui à duabus nouisſimè memoratis oritur. Ac ſanè neruorum qui à ſpinali medulla naſcuntur, prima ſecundaq; coniugatio ſæpius ſocietatem init cum hiſce neruis. Et tibi quidē perſæpe uidebitū, quod de altero in alterū traijcit, ceu uinculū aliquod duntaxat ambobus eſſe commune: id uerò alterum auget, alterum exiliorē reddit. Porrò ignorarunt uniuerſi anatomici, quomodo proprijs laryngis muſculis nerui è ſexta coniugatione diſtribuantur, terni utrinq; prodeuntes, ut ſex numero omnes ſint. Laryngis etenim muſculi, ab illo neruo quædam accipiunt germina, qui per foramen ad extremam labdoeidem futuram interpatens exoritur: qui ſi laqueo quidē intercipiatū,

*Cerebrū eſſe originem neruorū, & ſpinalis medullæ.*

*Ventriculi anteriores cerebri.*

*Neruorum opticorum conſideratio.*

*Neruis opticis ſolis, ſenſibiles ineſſe meatus.*

*Coniugatio prima neruorum.*

*Coniugatio ſecunda neruorū mollium.*

*Cōiugatio mollium neruorum tertia.*

*Coniugatio mollium neruorum quarta.*

*Neruos omnes coniugatos produci.*

*Coniugatio neruorum quinta.*

*Latus muſculus*

*Coniugatio mollium neruorum ſexta.*

*Cōiugatio mollium neruorum ſeptima.*

*Laryngis nerui omnes ſex.*

*Mutū animal quo neruo intercepto reddatur.*

statim mutum animal redditur. Aliorum porrò duorum, alter ad utrosq; faucium musculos, linguæq; radicem, pertingit: alter ad scapulę musculum, & ad eum qui latus est, aliosq; quosdam illius loci musculos.

## GALENI PERGAMENI de anatomicis administrationibus Liber I.

*Ossium substantia usus.*



Vod pali in tentorijs præstant, & in ædibus muri, id nimirum in animalibus ossium substāna: ad cuius imitationē cætera in animante solent effingi, formariq;. Idcirco & simia, inter uniuersa animantium genera, tum uisceribus, tum musculis, tum arterijs, & neruis (quandoquidē & ossium forma) homini simillima est. Quoniam igitur corporis forma ossibus similis est, quibus etiā natura aliarū partiū respondet, operæprecium fuerit in primis exactam humanorū ossium indipisci peritiā: eamq; haud quidē ex libris tantùm, sed oculata inquisitione uenari: id quod licebit tibi, si assiccata cadauera contempleris accuratissimè, aut etiam earum simiarum ossa, quæ homini quamsimillimæ existunt. Quanquam præstiterit in utroq; animali, & in simia & in homine, cognitionem ossium inuestigare, post quā mox ad concisionē musculorum est properandum. Deinde licebit quiduis discere primùm, siue arterias, siue uenas, siue neruos. Atq; in horū cōsectionibus uersanti, uiscerum & reliquorum omnium natura innotescet. Ac sanè positura ossium, seorsum nobis exposita est, sicuti & musculorum anatome. Quare si in illis commentarijs te exerceas priusquam ad hos accingaris, haud inutile fuerit. Quum autem per chirurgiam musculos ipsos propter abscessus altiores, incidere interdum cogamur, actionis ipsorum cognitio maximè ex usu est, ut tum perdiscere, tum prædicere possis, omnem abigendo calumniam, functionem in magnis uulneribus, ubi musculus totus transuersim dissectus fuerit, abolituram. Taceo qui musculorum actiones norit, eum chirurgum alios quidem musculos cautè, alios autem incisurum audacius. Præstat tamen pro fibrarum ductu, ipsorum diuisionem moliri. Nam incisiones transuersæ, quæ utique ad angulos rectos fiunt, actionem dissoluunt. Necesse autem est interim, partes quasdā uulneribus angustis altioribusq; cōfectas, adhuc amplius diuidere, alias ob alios usus: quo in opere, fibrarum positurę, musculorumq; actionum intelligentia, omnium maximè desideratur. Hanc qui ambit, ne pigeat ipsum uel proprijs manibus pellē auferre cadaueris. Nam octo statim musculos ignorarunt, qui ante me simias alijs excoriandas tradiderunt. Sunt uerò horū octo musculorum, duo ad buccarum motum à natura formati: alij autem duo, brachia lateribus adducentes. Porrò quatuor reliquos reperi, duos quidem sub illis glabris pelliculis, quæ uestiunt interna manuum: alios autem duos, sub illis quibus plantę pedum teguntur. Ad hæc uerò, quum simiæ cuipiā, quā in aqua extinxerā, detraxissem olim extremam cutem, inueni in illa etiam musculum tenuem & membranosum, costis omnibus incūbentem: qui habebat inferius principium, subter uniuersam ilium cutem expansum. Vt igitur exordiamur à manibus, singulis in singulis digitis ad extremū usq; extenduntur musculi fibras quasdam exiguas, & telæ araneæ persimiles, in ossa post articulorum iuncturas sita, immittentes. Similiter se habent hæc & in summo pede. Primùm itaq; totam cubiti atque digitorum cutem exteriorē detrahemus, ab ea solùm quæ manum intus cooperit, abstinentes. Dein, quæ in carpi articulo sunt, studiosè adimere oportet, si fortè quæpiam membrana ex detracta cute reliqua sit. Verùm huiusmodi auellendis, scalpellus acutior est commodus: quemadmodū musculis inuicem separandis, retusior. Iam uerò membranis adēptis, primoq; post ipsas, medij cubiti sub cute summa, musculo, uidebis ligamenta cōpagibus articulorū iniecta, posita in utraq; membri parte, foris & intrinsecus transuersa: quibus capita tendinū subiacent, interna parte digitos ipsos flectentiū, externa intendentiū. At ex utraque ligamentorū, quæ dixi, parte interna quidē, duo sunt musculi flectentes carpū, quorū hic recto tramite uersus paruū digitū, alter uersus indicē est porrectus: externa uerò, unus in cubito, qui carpum extendit, duo in radio, carpum utrique mouentes. Alter ipsorum etiam magni digiti motor est, quem duos esse potius quàm unū, existimandum. Cæterùm omnium à foris musculorum, de quibus uerba fecimus, capita, ligamina habent transuersim circundata. Iam alius quidam musculus desuper toti radio incumbit, nequaquā in tendinē alijs quos recensui similē cessans, sed inferius ipsius extremum, quo ad interiora conuertitur, paulò membranosius atque carnosius obtinet. Qui musculus quanquā mediam uidetur habere sedem, externis potius cubiti partibus, quàm internis, ascribendus uenit. Extat sub cute in superficie internæ partis manus, medius inter radium & cubitum musculus, qui in latum tendinem desinens, depili manus parti subnascitur, mediusq; interiorum musculorum apparet. Tendo autem eius paulò ante carpi nodum manifestè emergit: quare hinc probè ipsius dissectionem incœperis: nempe scalpello obtusiori tendonis caput in sublime eleuans, incidensq; ipsum sursum uersus ad cubiti iuncturam, ex qua originem duxit. Vbi autem transuersum ipsum incideris, partem inferiorem attolles, diuellesq; ipsam non modò à subiectis particulis, sed à cute etiam cui adhærèscit. Sic enim cognosces, quòd ex tali musculo is tendo ortus sit, quodq; internæ omnium digitorum parti tendatur. Post hunc tendinem dilatatum, uasa & nerui inibi distributi se ostendunt: quibus etiam membranę incumbunt, quę cum ipsis tollendæ sunt. Nam subsunt tendines qui digitos flectunt, à binis prodeuntes capitibus, illic maximè siti, ubi & ligamenti, & tendinis super illud dilatati caput, positum est. Horum autem subiectorum capitum, alterum quatuor producit tendines, digitis omnibus, præterquàm

*Simia cur sit quamsimillima homini.*

*Formā corporis esse ossibus similem.*

*Anatomica methodus.*

*Actionis musculorum cognitio maximè ex usu est.*

*Musculorum sectionem moliendā esse pro fibrarum ductu.*

*Transuersas musculorum sectiones actionē dissoluere.*

*Musculi octo à ueteribus ignorati.*

*Musculus costis uniuersis incūbens.*

*Musculi digitorum.*

*Dissecādi ordo.*

*Ligamenta.*

*Tendines.*

*Musculi carpū flectentes.*

*Volæ manus musculus.*

*Tendines mouētes digitos.*

terquam magno, iuxta secundi internodij principium insertos, à quibus secundus eorum articulus flectitur. Alterum quod huic subiacet tendinum caput in quinque discretum particulas, in extremam usq; digitorum aciem pertingens, inibi inseritur.

*Tendinum munimentum.*

Tendines autem uniuersos ualens aliquod munimentum, singulos priuatim ambit, multò sanè ipso tẽdine durius, atq; membranæ crassiori simile. Porrò si post caput in ramos scissum, tendines singulos unà cum prædicto inuolucro attrahas, flecti per eos, qui subiecti digitorum ossibus insident, primum ipsorum tertiumq; articulum cernes: hunc quidem, tanquam inibi tendine inserto: illum autem, per circumiacens ligamentum, quod ossibus adhæresc it.

*Pollicis motus unde.*

At pollici nihil neque ex sublimioribus illis tendinibus, neque ex communi eorum capite accedit, sed aliunde quidam tendo in tertium ipsius articulum exporrigitur, illumq; similiter illis mouet. Nam internodium secundum, per tunicam quæ ipsum tendinem ambit, mouetur. Cæterùm aliorum duorum musculorũ, qui carpum flectunt, consectionem, paulò supra articuli commissuram exordieris. Quippe secernens ipsos à circumiacentibus partibus, adusque superius inferiusq; extremum, tendines quidem inferioribus articuli partibus insinuari uidebis: capita autem ipsorum, cubiti atque brachij nodum adire. Vnus itaque tendinum in carpo iuxta parui digiti rectitudinem, ossi cartilagineo columnariue inhæresc it. Alter tendo statim ab articuli iunctura profundius mergitur, ut in carpi os aliquod putes eum inseri, quum inseratur tamen iuxta principium illius ossis, quod in metacarpio consistens, digito præponitur indici. Hi ergo quinque musculi totam interiorem cubiti occuparunt regionem, quibus adem ptis, apparebunt radij motores.

*Cubiti externorum musculorũ dissectio.*

At externorum dissectio sic administranda est. Sub cute, uasa neruiq; superficiarij extant: quibus cum membranis exemptis, quatuor ligamina transuersa clarè cõspicis: unum cubiti radijq; extremum constringens, alterum in cubito duntaxat priori subiacet: reliqua duo soli radio inhærent. Sed primum quidem ipsorum, recta linea incidendum est. Dein diuisas particulas, ad suam quanque radicem reuellere, aut penitus præcidere, oportet. Post hoc aũt, primum caput quatuor tendinum digitos, præter magnum, tendentium, in medio aliorum situm, hamo in altum attollere: mox id quod exiguos duos digitos ab alijs diducit in latera, in binos scissum tendines. Postea reliquum tertium, similẽ motum grandioribus tribus digitis suppeditans, similiter attollere expedit. Primum itaq; tendinum caput, sicuti & secundum, ex uno musculo prodit. Tertium bifariam tibi incidere licet. Nam quod duos digitos, indicem & mediũ mouet, caput ex uno procedere musculo deprehendes: quod uerò magnũ, ex altero. Atq; hac ratione quatuor musculi prædictis ligamentis suberunt. His succedit qui carpum, iuxta paruum digitũ, extendit tendine unico, metacarpij ossi, quod exiguo digito præponitur, inserto. Continet ipsum haud ualens ligamentum, quod ex solo cubiti tuberculo oritur. Prope magnum autem digitum, alterum hic quoq; ualidum ligamentum caput duorum cõstringit tendinum, quorum unus in os, quod ante magnum digitum in carpo collocatum est, conijcit: alter in ipsum magnum digitũ, statim à primi articuli iunctura, ingredit. Quos duos tendines è duobus musculis inuicem coẽuntes genitos dicere, haud inconueniẽs fuerit. Reliquus exteriorum cubiti musculorum, qui extendens carpum bifido tendine metacarpio se ante indicẽ mediumq; digitum inserit, caput tendinis in radio fixum, iuxta carpi iuncturã exigit.

*Musculorum in exteriori brachij nodo tria capita.*

Porrò in exteriore brachij nodo, tria musculorũ capita inuenies: eius sanè qui digitos quatuor extendit, elatissimum: qui iuxta paruum digitum, carpum reflectit, humillimum: mediũ uerò inter illa, quod digitos duos minores abducit à cæteris. Sub his interius in uno, duo trium digitorum musculi recondunt, qui ex toto osse cubiti inuicem coëuntes originem ducunt: qui quidem duobus digitis seruit maxima ex parte: qui uerò magni digiti est, prope superius extremum. Incumbit huic alius, carpi cohærens musculo, qui maioris digiti caput extollit. Idem uerò totã profunditatẽ regionis, quæ inter utrunq; os radij & cubiti habet, occupat. Cuius musculi dissectionem, quemadmodum & aliorum omnium, à carpo auspicari cõuenit. Sub eo autem, ubi ipsum à ligamine atque à cohærente musculo auulseris, occurret quidam alius obliquus, exilisq;, de cubito in radium perueniens. Prius tamen adoriere musculum prædicto adnatum, qui cubitum superiori ipsius extremo attingit leniter. Dein elatiorẽ hoc musculum incidere oportet, qui in metacarpium ante indicem & medium digitum bipartito tendine inseritur. Huius musculi finis superior, iuxta sublimem exterioris brachij nodi regionem, quadantenus iam quoque conscendit ad superpositam nodo brachij partem. Qui uerò & huic & radio supernè expansus, totam manum reddit supinã, ac simul cum alterius exortu suas etiã mittit propagines, is musculus secundum extremitatẽ sui in tenues membranas degenerans, seseq; in musculos brachij insinuans, incisionis cõfundit opus. Eius tamen caput ossi brachij alligari comperies, ubi huius musculos dissecueris. Exteriores itaq; cubiti musculi, talia quædã habent capita.

*Interiorũ cubiti musculorũ origines.*

Ex interioribus autem, qui quidem carpũ iuxta paruum inflectit digitũ, à nodo brachij interno incipit, attingitq; cubitũ: qui uerò iuxta magnũ, ex eodem nodo ducit originem. Cæterùm inter utrunque caput, exortus habetur musculi in manus cutem elabentis. Atq; hic rursus subsunt capita duorum musculorũ, qui digitos mouẽt, & mediam cubiti, radijq; totam regionem implent. Verùm omnibus quos recensui exemptis, radij peculiares musculi apparẽt, per quos supina pronaq; tota manus efficitur.

*Radij musculi peculiares sunt quatuor.*

Quatuor autẽ sunt uniuersi: duo ad primas radij partes, duo ad priora carpi extrema pertinent. Ex ijs qui ad carpum spectant, alterum ipsorum scito esse obliquũ, radium ac cubitum intercedentẽ: per ipsumq; nempe agentem extrorsum, fieri supinam manum. Alter uerò qui radium intrò cir

cũducit, eam efficit pronã. Reliqui duo musculi radium in superiori parte mouentes, & ipsi quodammodo inuicem opponuntur, obliquum situm habẽtes: unus ab interna parte situs, ex brachij nodo prodit, capitiq; flectentis carpum ad magnum digitum musculi adhæret: alter externus quidem est, sed hoc minor, atq; ideo transuersum magis fibrarũ sitũ obtinet. Constat aũt omnib. interiore tenso pronã manũ cõstitui, supinam exteriore. Addicti mihi iam sunt omnes musculi, qui cubitũ radiumq; in orbẽ ambiunt. Post quos tu summę manus exiguos aggredere.

*Manus extrema musculi.*

Etenim reperies exiles quosdã musculos, tendinibus tertium articulum digitorũ mouentibus adnatos. Quatuor autem ut tendines ipsi, ita & digitorũ musculi, hi sunt: parui nẽpe, annularis, medij, & indicis. At magnũ, alij mouẽt duo musculi: unus enim illũ longissimè ab omnibus digitis abducit, ex primo carpi osse profectus: alius, indicẽ uersus agit. Alius prętereа musculus paruũ digitũ à cæteris plurimũ remouet, ex primo ossiũ carpi, quod secundũ illum cõsistit, procedẽs. Hi igit septẽ musculi meritò anatomicos non latuerũt.* Aliorũ aũt singuli, ipsis quatuor tendinibus metacarpij in uno sinistquũ adhærescant, haud mirũ si non ita facilè conspiciant. Ex quibus bini ad priorẽ cuiusq; digiti articulũ intrinsecus perueniunt, ac ipsius latera iam quoq; attingunt: reliqui omnes ex carpi ac metacarpij ligamento iuxta ossiũ ferè commissurã pocesserunt. At pollicis musculi elatiorem his processum exigunt, & ipsi ex ligamento nati, non quidem ossium dictorum, sed quod musculorum maximorum bina capita, unde mouentur digiti, constringit. Porrò ligamen hoc ex carpi ossibus utrinq; prodit, nec cubiti extremum attingens, nec minimum ossium quæ in metacarpio habẽtur. His ablatis musculis, neq; in extrema manu, neque in cubito superest ullus alius secandus. Post quos ligamẽta scalpello acuto omnia sunt abscindenda.

*Digitorum musculi.*

*Ligamentorum triplex in corpore est usus.*

Quorum ligamentorum triplex in corpore est usus: ossa quippe cõnectũt: munimento sunt corporibus subditis: ac deniq; indumenta his ipsis tendinibus extrinsecus circundantur. Apparebit autem caput musculi qui radio incumbit, quum anteriorem musculum brachij detexeris. Cæterùm sectio ipsa prope uenam humerariã, quæ per totum fertur brachiũ, decliuis administretur, tota quæ inibi adhæret, cute ablata, & uniuersis musculorum membranis. Sectionem uerò quæ in superiori humeri parte facienda est, administrabis, fibrarum similitudinem dissimilitudinemq; obseruans.

*Humeralis musculus.*

Ex quibus etiam totam humeralis musculi circumscriptionem, ad unum cacumen peruenientẽ, cognosces: cuius processus tanquam triangularis, in brachium conijcitur. Qui musculus peculiaris est humeri articulo. Verùm solus ex mouentibus ipsum, necessariò nunc is aufert, ut anteriores musculi, brachij caput biceps appareat. Brachij interior musculus, duo habet suspensa capita: unum ad scapularum ceruicis supercilium, alterum ad processum anchoræ similem. Ligamen utriusq; capitis abundè trahens, est paulò minus toto rotundũ. Quapropter hæc duo capita ipsius, deorsum procuerẽtia, sequêris: quippe quæ in idẽ coẽunna, hunc musculũ generãt, qui alteri, sed minori musculo, subdito (à quo etiã cubitus flectit) iuxta cubiti articulũ insidet, radioq; ualido tendine adnascit, ac totũ flectit articulũ. At uerò ut duo musculi anteriores sunt qui cubiti articulũ flectunt, sic tres alij connexi inuicẽ, extendunt hunc ipsum.

*Musculorum totam manum extendentiũ principia duo.*

Vbi igit musculũ internis partibus brachij iniectũ sustuleris, duo principia musculorũ totã manũ extendentiũ cõsiderato: quorũ alterũ ab humili costa scapularũ nõ tota, sed ex dimidio ferè ipsius partis superioris prodit: alterũ uerò ex posteriori brachij regione, subter caput. Hęc iam procedẽtia, in brachio coẽũt: deinde per tendinẽ latũ, cubiti tuberculũ ingrediunt. Iam uerò si disiunctã utrãq; musculi partem attrahas, totam extendi manũ ab utroque uidebis, hoc discrimine inclinationis ad latus facto, quòd prior in exteriora, secundus introrsò obliquè deflectat. Cęterũ sub hoc, alius delitescit totus carnosus musculus, brachij os ambiens, qui secundo adunit adeò, ut particula ipsius esse planè putet. Quem si tendas musculũ, interim recta & indeclinabilis circa cubiti articulũ intensio fieri uidebit: nonnunquam introrsò paululũ emergere. Dicti itaq; mihi iam sunt, omnes totius manus musculi.

## GALENI PERGAMENI *de anatomicis administrationib. lib. II.*

*Anatomen ueteribus fuisse familiarissimam.*

Vòd ueteres nihil scripserint de cõsectionibus administrandis, uertendum illis uitio non est: quandoquidẽ erat eis tam frequẽs, tamq; in cõmuni usu ipsa anatome, ut domi apud parentes etiã ab ipsa pueritia, in illa omnes olim exercerent. Postea uerò tam præclaro illo exercitio intermisso, opus certè nobis fuit commentarijs, quæ anatomicã disciplinã, chirurgicę medendi rationi maximè necessariã, integrã cõseruarent. Quæ quidem quòd ab alijs hactenus nõ usqueadeò accuratè tradita sit, ob id nimirũ ad conscribendos hosce cõmentarios me accinxi. Ignorãtia quippe eorũ quæ per exquisitã anatomẽ inueniunt, in reb. quidẽ securis timidos, in periculosissimis aũt, maximè audaces quotidie reddit.

*Anatomes pars præcipua circa quæ uersetur.*

Totus autem anatomes utilissima pars, circa musculos, neruos, arterias, & uenas extremarum partiũ uersatur. Atq; ob id ipsum manuum & crurium anatomicas administrationes alijs præposui omnibus, quòd ad ea, quæ tũ usui hominum necessario, tum arti maximè conducant, ire primùm iuuenes operæpreciũ sit: deinde uerò, quòd eundẽ ita disciplinæ ordinem commentarij de usu particularum obseruem. Quum igit superiori libro, quo modo musculorũ qui in manibus sunt, sectio administrari debeat, tradiderim, hic simili modo & de cruribus uerba facere est animus. Ergo priusquàm exactè cognoscas musculos, dissecare neruos aut uasa, neq; ipse poteris, nec aliũ itẽ docere. Quare & hic cutis auferẽda est: attendendũq; diligẽter, ue in primo plantę exortu iuxta calcis initiũ unà cum cute tendinẽ subiectũ eo loco auellas: cuius explicati

explicati interuentu, cutis depilis rigidaq; membro subtensa est. Hac igitur cute intacta, oportet reliquam omnem adimere, ac ipsos femoris musculos omniū primos incidere: mox qualescūq; uelis. Ac facilè quidem secundum differentiā fibrarū musculus unusquisq; cognoscitur. Omniū itaq; primus tendo, paulatim in carnem uersus, sub cute summa apparebit, qui tibiæ infra genu innascitur. Superius aūt huius musculi initiū, carnoso exortu ex media maximè ilium ossis spina procedit. Cæterùm post neruosam huius musculi exilitatē, etiam alius quidam ex amussi tendo, ab osse pubis descendens, figuramq; teretē repręsentans, in anteriorē partē ossis tibię insertatur. Atq; hi duo numero musculi, in utroq; crure unus, sese mutuò iuxta primos exortus cōtingūt. Quibus sanè uel tuis manibus tractis uersus musculorū exortus, in animali extincto, tibia ipsa elatus simul & interius attollitur. Porrò tertia à duabus prædictis in tertio lati tendinis est, nominatę in anteriori tibię parte cōgua. Cuius exortus & caput inferiori exteriorīq; coxę ossis parti debet. Musculus itaq; hic ab externa coxæ parte descendens, obliquè in internā tibiæ partem infertatur. Necessum aūt est tibiam hac tractā ansa, retrorsum, sursumq; ferri, atq; * omnino in orbem conuolui. Quare nō simplex, sed compositus is motus erit. Sciendum uerò est, rectos musculos rectum motū ministrare perpetuò: sicuti obliquos obliquū. Hi ergo tres musculi, tibiæ tendinibus innascunt, quos auferre oportebit, si tibiā prius q̃ femur, dissecare instituas. Est & alius quartus musculus, qui ab extima ossis coxę parte procedens, in externā tibiæ regionē inseritur: solusq;, quantū ad loci rationē attinet, alijs tribus opponitur. Cuius quidē est munus, tibiam totā simplici motu in externam partem abducere. Iam post quatuor dictos musculos, quintus alius exsistit, ad inferius femoris caput, & musculi tibiæ principiū, à parte interna descendens, similiter à coxę osse ortus. Atqui si nunc exemeris omnes femoris musculos iam expositos, adhuc magni, tum in priore, tū in posteriore, internaq; uniuersa femoris parte restabunt: ex quibus anteriores prius dissecabis. Omnes aūt extendunt articulū genu: nō tamen uel situm eundē habent, uel etiā similia capita: quę quidē in totū quatuor exsistūt. Elatissimū quidem ex spina iliū ossis procedit, è directo musculi omniū primi dicti, idq; parte ipsius inferiore. Huic uerò succedit aliud multò maius priore & humilius, quod in extrema potius femoris regione, propter natis processum, eminet: à quo maximus anteriorū femoris musculorū exortus est. His aūt resectis, alia musculorum capita duo subiecta, manifestò in conspectum ueniunt: atq; eorū quidem alterum, primā grandioris in femore processus (Græci trochantera uocant) originem attingit, & præterea capitis femoris ceruicem: reliquum uerò huius, infra ex anteriori ossis femoris sede emergit. At quòd omnium musculorū qui genu articulum mouent, ualidissimā functionē obire creduntur hi, qui extendunt, cuiuis notum esse arbitror. Nam poplitis flexura, inter leues infirmasq; eius actiones refertur, Quamobrem natura nec

*Musculus unusquisq; cognoscitur secundū differentiam fibrarum.*

*Musculos rectos ministrare etiā rectos motus: obliquos autē, obliquos.*

*Musculi extendentes articulū genu.*

*Musculorū qui genu articulum mouēt, ualidissimam functionem obeunt qui extenduntur.*

*Poplitis flexurā ab unico musculo dispensari.*

magnis, nec multis musculis ipsam cōmisit, sed uni soli ex cōmemoratis, qui in caput interioris suræ musculi inseritur: quiq; non magis tibiā flectere quàm abducere ad internā regionem uidetur. Sed hunc cernere nō est, priusquā à tibia musculos ademeris surā constituentes. Femoris musculis præter magnū resectis, licebit tibi & coxæ articulū mouentes, necnon circa tibiā uniuersos deinceps incidere. Maximus igitur ille femoris musculus, rectis & posterioribus fibris suis coxę articulū flectit. Iis aūt quæ in lateribus ad pubis os perueniūt, obliquū ad interiora totius femoris motū administrari deprehendes. Hunc itaq; à toto pectinis osse resecans, abstineto ab eo qui in illius foramē inseritur: necnon ab alio humili musculo, quē in hisce animalibus semper liuidū uidimus, orientē ex inferioribus pectinis ossis partibus, à quo obliquus intrò motus coxę præstat. Præter hunc est & alius musculus ex superioribus lumborū, iliumq; ossis partibus ortus, atque descendēs. Quocirca solus lumborū musculus cōspicitur triplex. Quippe interna sui parte, per ualidū tendinē, in illam partē descendit, ubi pectinis os coxę cōmissum desinit. Externa aūt, altero tendine breuiore & tenuiore, iliū ossi insinuatur. Alia deniq; ipsius pars, quæ media inter neruea filamenta descendit, tendinē quendam producit exiguo trochanteri adhærentē: qui tendo manifestè intrò flectit femur, erigitq;. Profectus aūt ad exteriores musculos, uniuersos cōperis, qui femoris caput ambientes, in magnū trochantera immittuntur. Quorū primus sub cute summa positus est, ex tota iliū ossis spina rectā procedens: ac partim quidē carnosus, partim in membranā quandam degenerans. Incumbit hic musculus iis ossis iliū partibus, quæ magis eminent, & obliquè retrorsum spectant: cæterùm spinalium musculorū extremo cōnexus est. Vbi uerò hoc eius membraneum desinit, alius exortus carnulentus occurrit, è regione primi, qui ex iliū osse emergere dictus est. Auferēdus igit is obtusiori scalpello est, sed ita, ut deorsum uersus, fibras ipsas sequaris: similiterq; circumpositæ carnes circuncidendæ: sic enim femoris caput detegens, & bipartitū musculi finē inuenies. Musculus igitur hic, retrorsum abducendo, femur extēdit, per insertionem quæ è directo fit capitis, tum ex coccygis osse, tum ex coxarū osse enascētis, idq; femur ipsum paulùm in exteriora declinans. Verùm altero eius extremo dilatato, in latus magis femur sursum uergit. Ambobus aūt simul tensis, perfectissimā totius membri extensionem conspicies. Vbi hunc sustuleris musculum, alius ualens & omnino carnosus occurrit, qui ex tota propèmodum ilium ossis sede progrediens, uicinis etiā ossibus simul incumbit. Cuius tendo uerni magni trochanteris inseritur, adeòq; ulterius adhuc ad anteriora procedit. Caue aūt dum hunc musculū incidis, ne cū eo confundas quendam alium exiguū, qui ab externis inferniśq; lati ossis finibus ortus, femur retrorsum erigit, cū leui ad interiora deflexu. Porrò alius ibi musculus, cōlore liuido, delitescēs, grādi quoq; musculo subiacet, ex interiorib. simul & lateralibus lati ossis partibus ortus. Atq; hi sanè tres muscu

*Femoris motus obliquus ad interiora, à quibus musculis fiat.*

*Lumborum musculus solus conspicitur triplex.*

*Muſculi tres in magnũ trochantera inſerti.*

li in magnũ trochantera ingrediuntur. Ab his alij duo cõditi planè, introrſus femoris caput detorquẽt, per ualidos tendines in grandioris trochanteris ſinum inſerti: quorũ uterq; ex oſſe pubis procedit. Numeroſus aũt muſculorum exortus à foramine quod in pectinis oſſe eſt, ad uicina loca exporrigitur. Porrò exteriorẽ muſculũ facilè ab oſsibus ipſis diſſolues. At interiorem, ſi totũ uoles contemplari exquiſitè, oſsiũ pectinis cõmiſſuram, quæ cartilaginea eſt, ualenti prius ſcalpello dirimes. Nam oſsibus à ſe inuicẽ diſſolutis, muſculus innoteſcet. Cæterùm ambo hi muſculi femoris caput introrſus circumagunt: unus per totius articuli anteriora, alter per poſteriora. Ac talis quidem eſt muſculorũ coxę articulũ mouentiũ cõſectio. Iam uerò ademptis ijs, qui ex femore in tibiã deſcendũt, muſculis, duo muſculorũ capita in tibia conſpiciuntur manifeſtiſsimè, quæ ex poſteriori femoris regione, illa potiſsimũ, qua nodorum radix habetur, ducunt originẽ. Dein aũt poplitem pretergreſſa, eo in loco qui ſura dicitur, miſcentur inuicẽ, unum gignentes muſculũ: in quẽ etiam haud exigua capitis exterioris portio propagatur, quæ muſculus per ſe efficitur, in tendinem latum paulatim ceſſans, qui ſubhæreſcit pedi. Nec minus ex utroq; muſculi nuper in ſura geniti capite producitur tendo, qui memorato cõtiguus incumbit, poſteriori'q; calcis extremo inſerit, quod ad ſeipſum eſt trahere idoneus. His recitatis muſculis alij etiã cohærent, qui ex lateribus tibiæ internis exorti, omnes ad pedem infimũ porriguntur. At ubi tendines primũ generant, ibi ligamentũ ipſis extrinſecus eſt iniectũ, ex tibia ad calcem pertinens: quo recta linea diuiſo, ſi tendines deinde ſequaris, digitis ipſos inſertari comperies, amboſ'q; mouere primũ, ſecundum, atq; tertiũ articulum, ſi magnũ excipias digitũ. Nam ad ſecundum ac tertiũ, tendo qui ipſum mouet, porrigitur. Tertius uerò alius tendo tibiæ fini adhæreſcit: ei'q; innixus, ligamento iterũ peculiari conſtringitur: qui & ipſe pedẽ uniuerſum, ſicuti qui calcẽ ingrediuntur, retrorſum flectit. Verùm ipſius extremũ in primum tarſi os interius conijcitur. His ſingulatim receſis, diuertendũ eſt ad exteriores tibiæ muſculos, qui quantũ ſanè ad ſuperiores exortus attinet, tres exiſtunt: ſin autem tendines, motuum'q; differentiã ſpectes, plures.

*Tibiæ exteriores muſculi tres.*

Has itaq; membranas adimens, hic etiã ſub cute ligamentum ſitu obliquũ conſpicies, robuſtius longè, eo quod in manibus cernit. Oportet aũt & hoc incidere iuxta longitudinẽ membri: mox partes ad originẽ ſuam erigere, capitibus'q; tendinum ſubiectorũ detectis, hinc totorũ muſculorum confectionẽ auſpicari. Ac primũ ſanè contueberis muſculum uſq; ad ſuperius caput porrectum: cuius extremum ligamentis cõtinetur, & tarſo ante digitũ magnum innaſcitur, paulũ in interiorẽ atq; inferiorẽ pedis regionẽ excedens. Secundum dein muſculũ alium ſpectabis, huic adeò uicinũ, ut pars ipſius eſſe putetur. Verùm tendo eius in caput primi maioris digiti internodij inſinuatur. Huic aũt cohæret alius muſculus gracilis, medio inter tibiã fibulam'q; loco ſitus, qui totius pollicis latus ingreditur. Porrò poſt muſculos quos nominaui, tendinũ caput, ligamento ſubiectũ, contemplator. A quo deorſum uerſus incipiẽs, tendines quatuor, quaternos digitos extendentes, inuenies. Surſum uerò, muſculũ illum uidebis fibulæ aduſq; ſuperius caput adnatum: cuius extremũ, tarſum prope digitos maiores ingredit. Hi igitur muſculi in prioribus magis totius tibiæ partibus conſiſtunt: alij tres ab uno capite in exterioribus. Habent etiã & hi præpoſitũ ligamentum ex fibula ad calcẽ ipſam pertinens: quo ſoluto, tres neruoſas muſculorũ ſpectabis exilitates, quæ cognatas inuicẽ propagines obtinent. Quarum prima, quę ex ſupernis fibulæ partibus ad infimũ pedem pertingit, ex tenuibus ligamentis carni connexis efficitur. Secunda, ubi eius quę prius dicta eſt, caput deſinit: & ipſa non multũ poſt principium in tendinẽ rotundũ degenerat, gracilis tota exiſtẽs. Tertia uerò quę totum pedem efficit ſimũ, ex reliqua fibulæ parte procedit. Hæc itaq; pedẽ eleuat, ſimul & extrorſum declinat. At prior illa, quæ & in magnum deſcendit digitũ, introrſum ducit. Verùm utræq; ſimul tenſæ, indeclinabilẽ pedis eleuationem moliunt. Hoc modo etiã ex muſculis qui pedẽ retrorſum agunt, uterq; in latus ſenſim declinat: ambo aũt ſimul directè pedem ducunt retrorſum. Alius uerò incognitus muſculus in articulo poplitis deliteſcit, quẽ inuenies ablatis poſterioribus muſculis ad ſurã porrectis: cuius caput ſi tendas, tibia flectitur. In pede quatuor muſculorũ ſunt genera: tria quidẽ infra pedem, unũ ſupra, in aduerſa tarſi parte, quod duos cõplectitur muſculos, qui obliquos motus quatuor digitis ſubminiſtrãt. Qui ſub pede habentur, ſeptem & hi, cum ſeptenis qui in manu uiſuntur, conueniunt, ſingulos digitos in obliquum mouentes.

*Pedis muſculorũ genera quatuor*

Quorũ duo enati à tarſi oſsib. magnũ & paruũ pedis digitos plurimum ab alijs abducunt. Alij quatuor in inferioribus partibus parui ſunt muſculi, qui ex tendinib. digitos flectentibus, priuſquã exactè ſcindantur, procedũt: quorũ munus eſt, medium uniuſcuiuſq; digiti articulum flectere. Septimus muſculus is eſt, qui pollicem indici adducit. Duo alij muſculi ſubter pedem oſsibus adhæreſcunt, atq; cuiuſq; digiti primo præpoſiti articulo, leuiter ipſos flectunt, ſimul quidẽ pari actione functi, priuatim aũt uterq; in latus ſenſim declinans. Cõſectis his muſculis, nullus pręterea ex ijs reſtat, qui in toto crure cõſiſtunt. Cõſiderare aũt oportet omniũ articulorũ, quos detexeris, ligamẽta. Etenim coxarũ articulus utiũ in orbem ambiens poſsidet ligamentũ, quale articuli omnes ſortiuntur. Aliud aũt in imo reconditum, femoris caput coxæ ſinui connectit, ueluti neruus cartilagineus exiſtens.

*Coxarũ articulus ineſſe ligamentum duplex.*

At genu articulus unum ligamentũ habet in imo, ac præter id, alia duo in lateribus: unũ uidelicet internũ, atq; externũ alterũ. Quinetiã ab his alia cartilaginoſa ligamenta in ipſo genu cernuntur, utriq; tibię ſinui orbiculatim circundata. Ad hæc ſunt ligamenta nõnulla in pedibus, quæ nihil iuuant oſſiũ articulos, ſed in aliqua oſsis particula prouenĩetia, tendinũ capita firmãt & roborãt. Quę uerò ab oſſe in os perueniũt, ut quod à tibię extremo in calcẽ deſinit, aut quod fibulæ tibiã uertit, ea ſa-

*Genu articulus tria ligamenta ſortitur.*

ea ſanè unà tendines ſubiectos cõſtringunt, atq; oſſa ipſa committunt. Sunt quatuor ligamenta alia, quæ ueluti nerui quidam cartilaginei, talum ipſum ambientibus oſsibus colligant, eandem proportionem habentia cum iis, quæ coxę & genu articulum in imo coniungunt. Ita ſiquidem & in pede talo quatuor oſsibus confirmato, ligamen cartilagineum creatum eſt, extrinſecus ad fibulæ os, intus ad tibiam, inferius ad calcem: ſicuti in priori etiam parte ad os ſcaphoides. Atq; in uniuerſum omnia tarſi oſſa ualido ligamento in imis cõprehenduntur. Nunc uerò ſupereſt, ut de unguibus aliquid etiam dicamus.

*Vnguium conſideratio.*

Vngues igitũ oſsi, neruo, cuti, & carni adnaſcuntur: haudquaquam ex his ipſis eorum ſubſtantia conflatur, quod nonnulli putarunt. Nam ſingulæ partes ſimilares, ex materia quæ animanti ſubiecta eſt, tales à natura finguntur, quales ſunt. Neq; enim ex brachio cubitus, perinde ut neruus ex cerebro, oritur. Quippe non parum differunt, cohærere cuipiã, & ex illo oriri. Nam quod ex aliquo naſcitur, ceu propago quædam ſubſtantię illius à quo naſcitur, ſimilis ſpeciei eſſe oportet cũ origine ſua. Sic igitur nerui ex ſubſtantia cerebri propagantur. Vngues autem non exiſtunt extremi internodij digitorum ſoboles, ſed diuerſa eſſentiæ ſpecies eſt. Coniunxit autem natura illos extremis terminis digitorum, ualido ligamento: idq; ipſorum radici, extrinſecus quidem cutim apponens, intrinſecus autẽ carnem ſubdens. Cæterùm in radices ipſorum, non modò neruus, ſed arteria etiam & uena porrigitur, unde ſenſum, uitam, & alimentũ, ſicuti aliæ partes, accipiunt: quarum nulla ex trium horum uaſorum temperie aut coitu conflata eſt.

*Orta ab aliquo, ſimilis ſpeciei eſſe oportet cũ origine ſua.*

*Nerui ex ſubſtantia cerebri propagantur.*

*Vnguium radicis quæ inſita.*

## GALENI PERGAMENI de anatomicis adminiſtrationibus Liber III.

*Artuũ natura ex quibus conſtetur.*

Ota artuum natura cõſtat oſsibus, ligamentis, muſculis, arterijs, uenis, & neruis, communiq; omnium uelamento, cui nomẽ eſt cuti. Quorum cognitio exacta deſideratur, ad commodè curandos affectus. Quippe ob eorum ignorationem, contingit inter medendum medicos quamturpiſsimè hallucinari: quemadmodum illis methodicis accidit, qui inſenſibilibus cuiuſdam digitis fruſtra adhibebant omnẽ medendi rationẽ, tanquã in ipſis eſſet affectus: quem ægrum poſtea ipſe reſtitui medicamentis quæ digitis admouebantur, ad dorſi principiũ (nimirum ex caſu colliſum) iuxta radicem nerui qui in digitos priuatos ſenſu porrigebatur, trãſlatis. Cæterùm aduertendum eſt, non ex iiſdem neruis ſenſum & motum ſingulis digitis diſpenſari. Interdum ſiquidem ob inſcitiã chirurgi, ſenſus, interdum motus, ſicuti aliquando utraq; actio petit. Quamobrem operæprecium fuerit, quemadmodũ de muſculis fecimus, ſic etiam impræſentiarum nos, quo modo uaſorum, neruorumq; conſectionẽ adminiſtrare cõueniat, exponere, ab ipſa nimirũ tota manu auſpicatos, quæ ab humeri articulo incipit, nõ ſecus quàm ab articulo carpi ipſa manus extrema.

*Senſum & motum non ab iiſdem neruis diſpenſari ſingulis digitis.*

*Manus tota.*

*Manus extrema.*

In primis igitur cutim ipſam per ſe ſolã acutiore ſcalpello à ſubdita membrana, quã uenæ cutem nutrientes permeant, ſeparare oportet, ubi prius eius pilos abraſeris: promptius ſiquidem depilem, quam piloſam, incides. Detracta cute, uenas, neruosq; membranæ intextos expendas: nerui tamen in macilentis quàm in obeſis euidentius apparent: ſicuti & uenæ in iis qui ſanguine abundant. Semper autem radicem neruorum, atq; lationis modum, meminiſſe conator, ut ſi quando cogaris incidere, iuxta longitudinẽ ipſius lationis ſectionem ducas, à radicibus quamlongiſsimè abſcedẽs: hoc enim pacto, uel unũ, uel nullũ neruum interſecueris. Sin aũt tranſuerſum ſcalpellum admoueas, multos ſimul diuides.

*Sectio quo modo adminiſtrãda.*

*Neruorum brachij externorũ origines.*

Exteriorum igitur neruorum qui in brachio ſub cute ſumma uerſantur, hi quidem à neruo, qui muſculum, à litera Δ, quam imitatur, Deltoidem dictum, iuxta caput brachij intercurrit, ueluti à radice quadam oriuntur, atq; ex imo prodeuntes, pilorumq; modo prætenues, uario plexu, per ſumma brachij, paulò ultra cubitum diſſeminantur. Hi autem, qui illinc uſq; ad extremã manum procedunt, à maximo neruorum omnium pertinentiũ ad brachiũ, qui & poſteriores muſculos intertexit, & ad exteriorem membri regionem permeat, cubitiq; articulo inſeritur, propagantur. At uerò anterior cutis, neruulos accipit, ſuperiori quidẽ parte, ex primo ortu ſecundi nerui, inter eos qui de ſpinali medulla in brachium porriguntur: inferiore uerò, ante cubiti articulũ ex alio quopiã ſpinali. Sed internam, poſterioremq; brachij cutẽ uniuerſam, aduſq; ſcapularũ, quæ ibi ſunt extrema, alius quidam neruus interreptat, ex ſecundo intercoſtali interuallo per axillam, ſicuti & alij omnes, in brachium ipſum porrectus. Ac oportet eum qui clarè ipſos contueri uelit, muſculum paruũ anatomicis prætermiſſum, prius incidere. * Iam uerò glandibus etiã, membranis, uaſisq; ab axilla exemptis, amplæ magnitudinis per profundum exporriguntur nerui. Initiũ porrò ſectionis facies propter uenã humeralem, eumq; muſculũ qui inter brachij lacertos anteriores, duo quidẽ habet capita, nerueã uerò propaginẽ in radij principiũ immittit. Vbi igitũ duo huius muſculi capita in unũ coitura ſunt, primũ neruũ brachij os conſcendere inuenies: eodemq; in loco poſterior axillę muſculus magnus in brachiũ lato tendine inſeritũ: quò dein protendit etiam tendo maximi muſculorũ, qui mittuntũ à pectore: poſt huncq; rurſus tendo deltoidis muſculi, qui ſupernam humeri partem cõplectitur. Porrò quum in unũ coaluerint illius iam dicti muſculi capita, ſcinde ſeparaq; directa linea utriuſq; muſculi partẽ: nam iuxta eam neruus quoq; unus deorſum mittitur. Dũ hoc agis, alius quoq; neruus multò hoc inferior, in conſpectũ occurret, aſcenſum molitus in brachiũ. In horũ neruorum proceſſu, interim ab altero, interim ab utroq;, in caput minoris ex brachij anterioribus muſculi, propagines tranſmittuntũ. Deinde ſecundus neruus primo tantũ de ſe ramum impartit, quantum illic primi reliquũ fuiſſe apparet, Vnus aũt ex duobus neruus

conflatus, ad cubitũ, per mediũ ipsius articuli cubiti flexũ, porrigitur. Secundus neruus humiliorem situm habet, insidetq; ibidem brachij nodo, ubi planissimus est. Præter duos illos prædictos, tertius quidam maximusq; neruus insequitur, ferè prope secundum, profundius tamen, brachium ipsum ingrediens, unà cum grandibus uasis, arteria nempe, ac uena, quæ per axillam ad brachium etiam perueniunt. Qui neruus cũ ipsis uasis in magnos brachij musculos propagatur, à quibus extenditur articulus cubiti, atq; magnos sui ramos utrisq; ipsis transmittit, obliquus in externam partem emergens. Vbi uerò effertur paulò supra articulum cubiti, ibi pars quædam ipsius ad cutim elabitur, ut prius est dictum. Reliquum per cubiti musculos disseminatur. * Detectis porrò multis iam brachij partibus, reliquos duos neruos prope internã ipsius regionẽ, in qua etiã prædicti tres inserunt, conspicis paulò inferiores q̃ situs sit tertius neruus: quorum alter summa sub cute omnium primus apparet. Idem neruus in brachio ante cubiti cõmissurã in ramos propagari incipit, ferturq; per totum ipsius flexum, scissa iam numerosiore ramorum serie. Insuper quintus alius neruus restat, ex ijs qui de spinali medulla brachium adeunt. Hic per intimã ipsius regionem aliorum modo fertur, sed nulli brachij particulę aliquam sui portionem communicat. Iam uerò ad cubiti confectionẽ accedens, secreta cute à membranosa substantia, neruorum quidem primum principium uidebis eius esse, qui in narratione eorum qui in brachio sunt, quartus est dictus neruus. Quod principium internam cubiti regionem ferè totã occupans, inferiori uniuersæ, & exteriorum nõ paucis inseritur partibus. Quantacunq; uerò cubiti pars ad radium eminet, utrinq; tum exterius, tum interius, aliorum neruorũ processus exigit: interna ab omnium primo dicto, exterior à tertio neruo mutuatur. At fines magnorum neruorum, qui per nodum quo brachium cõmittitur cubito, ad cubitum ipsum feruntur, quinq; numero sunt. Sed horum unus in solam ipsius cutem spargitur. Ex alijs quatuor, primus in mediũ se articulum cubiti insinuans, ramum sui postea externis cubiti partibus usq; ad carpum ipsum transmittit. Secundus hoc humilior, super interiorẽ inferioremq; nodum brachij ingreditur: ac dein alium in eam partem dispergit, qua caput musculi bicorni tendine extendentis carpum, ascendit. Atq; huius quidem nerui propago una, totam summæ manus exterioris partem dimidiam amplectitur, sub cute extrema ad summos procurrens digitos: paruos sanè totos, medij autem dimidium: reliqua uerò soboles, musculo quatuor digitos extendenti, eiq; etiam qui duos paruos in obliquum agit, sicuti & illi qui carpum propter paruum extendit digitum, insertatur. Qui autem reliqui sunt alij duo nerui, internis omnibus cubiti & digitorum musculis distribuuntur. Quos incidens diligenter, assequêris neruos in ipsos disseminatos. Inuenties quippe ab utrisq; neruis processus, musculis qui digitos flectunt, & carpum, communicatos. Musculus aũt ne unus quidem in exteriore

*Neruorum magnorum in cubitum descendentium fines quinque numero.*

summæ manus regione, sicuti in interiore, habetur. Cæterùm una arteria, duę autem uenæ, propagantur in totam manum. Ex uenis igitur, illa quidẽ quæ in superficie extat, quæq; iuxta interius latus musculi Deltoidis excurrens, ad extremum ipsius proficiscit, humeraria uocatur: quæ quidem iuxta articulum cubiti, radij musculum oblongum conscendit, inibiq; in pares ferè tres ramos scinditur: quorum unus in altum demergitur, alter ad ipsius articuli flexum pertendit, unitus parte alterius uenæ, ex ijs quæ in totam manum excurrũt. Reliquus tertius ramus, paulatim in exteriorem cubiti regionem declinat, ibiq; in ramos diffinditur. At uena per axillam procurrens, quum humerali multò sit maior, simul cum huius loci arteria, quæ axillam perreptat, per totum brachium in ramos finditur. Ac prædicti nerui in singulos musculos æditi, utrorumq; uasorum, arteriæ dico & uenæ, propaginem sibi connatam habent. Quæ quum brachium perreptauerint, in totum cum maiori ex anterioribus musculis, parte interna delatæ, arteria quidem penitius ad cubiti musculos tendit: uena autem bifariam scissa, paulò ante articuli commissuram, altera parte in profundum dilabitur, ubi arteriam contingit, unaq; in ramos cum ipsa propagatur perpetuò: altera obliquè sub cutem producta cernitur. Huius igitur uenæ soboles prima, deorsum ad cubiti os, obliqua ferri uidetur: at ubi cubitũ superauerit, reliquam ipsius partẽ oberrat. Secunda propago aliquatenus elatius defertur, mox bipartitò diuiditur. Cuius pars demissior, uersus eam quæ ad os cubiti porrigi dicta est deferẽ. At elatior, obliquè paulatim tendit, longiusq; porrecta, interim ad eam uenã peruenit, quæ cum cubito porrigitur, quęq; ad extrema usq; ipsius pertingit cubiti. Iam uerò omnium quos retuli terminorum ora coëunt, & ex unoquoq; duorum coitu, uas unũ confluit, ita ut quot unita coierint, præ multitudine & paruitate ne quidẽ numerare queas. Cæterũ quod uas ex humeraria & magna uena cõflatur, in altiorẽ radij partem ascendit, ac dein per exteriorem ossis radij sedem binis ramis expanditur, ut duo hæc uasa Y literam repræsentent. Quippe alterũ uasorum directè ad magnũ extenditur digitum, alterũ uersus paruum declinat: in manu autem uterq; ramus uario modo diuaricatur. Illius tamen quæ uersus paruum digitum tendit, exigua quędam propago mediam digiti medij & annularis regionem ingreditur. Quam uenam nonnulli in sinistra manu secantes, sinentesq; sanguinẽ ex ea fluere quousq; ultrò sistatur, lienem ex tali uacuatione iuuari asserunt. Conspiciuntur autem facilius omnes id genus uenę, in calidiore cõstitutione aëris ambientis, ac præcipuè si mẽbro ipso tum demisso, tum loto, eas laqueo intercipias. Quũ igitur uniuersas uenas, quas in hominibus ante concisionem conspicis, in simia dissecta uidere liceat, consuluerim te prius in simia exerceri, ut si humani corporis dissecandi quãdoq; copiam sis nactus, promptè singulas partes detegas. Porrò ubi sanguinem mittere est animus, in ijs sanè qui totam manifestò uenam habent conspicuã, quamlongissi-

*Musculum nullum in exteriori manus extremæ regione haberi.*

*Humeraria uena.*

*Axillarem uenam esse longe humerali maiorem.*

*Venæ mediæ cõsideratio.*

*Vena inter annularem & medium digitum sita, in sinistra manu sectionẽ, opitulari lieni.*

*Venæ qua ratione cõspiciantur exactius.*

*Confectionem prius moliendã in simia.*

*Venas secantibus, quamlongissimè recedendum esse ab arterijs.*

gissimè recedendum est ab arteria. In quibus autem id solùm quod arteriæ incumbit, in tumorem attollitur, reliquum uerò totum, conspectũ effugit, nunquã uenam ipsam loco inflato secueris, sciens arteriam subditam, quæ lata & ualida est, ubi intumescit plurimum, simul secum extollere, atq; undequaq; circumtendere incumbentem uenam. Accidit enim inde, uenã in gibba arteriæ parte eleuatam, adeò penes regionem qua circuntenditur inaniri, ut scalpellus mediocriter iniectus, eam quidẽ subitò penetret, subiectã uerò arteriã conuulneret.

*Vena quæ secanda.*

Quare consilium est recedere ab hac, ad uicinarũ aliquam, maximè ex ijs, quę ad cubiti os deferunt. Sin autẽ ex his quoq; nulla cernatur, eam adibis quæ in flexu ex uenarum coitu facta, ad radij superiora peruenit. Si hæc occultatur, illam feries, quæ ab humeraria ad cubiti flexum porrigitur. Quòd si hæc non appareat, eam diuides quę ab ipsa in flexum deducitur. Si nec ipsa, illam quæ sursùm ad radium obliqua expanditur. Si nec illa se ostendit, uenã ab axilla ad cubiti flexum procurrentem incides: quæ accommodatissima est ijs qui partibus infra clauiculas sitis laborant: sicuti & humeraria ijs qui in superioribus.

*Axillaris vena sectionẽ, accommodatissimam esse ijs qui partibus infra clauiculas laborant.*

*Humeralis vena sectio conducit particulis supra clauiculas laborantibus.*

At cõmemoratæ, secundum tertiumq; ordinem post ipsas obtinẽt. Communis autem utriq; est, quæ ad radij superiora conscendit: quare tertium quoq; ordinem in ambabus manibus ei attribuimus. Atq; hactenus de superficiarijs usq; ad digitos totius cubiti uenis: quibus ademptis, uidere licebit tibi & profundiores, primò quidem mutuò coëuntes, mox ubi cõgressæ fuerint, iterũ in binos ramos dissolui: quorum demissior quidem, per os cubiti: elatior, per radium unà cum arterijs in musculos propagatur: atq; uterq; tandem in propagines uarias diffinditur, nonnullæ quarum paucis postea germinibus exteriorum uenarum miscentur.

*Arteriã vnam duntaxat profectam in manũ.*

Porrò arteria una duntaxat in manum proficiscitur, uicina uenæ quę ad illam permeat. Vtraq; autem thoracem elabitur cum nono pari neruorum à spinali descendentium medulla, & brachium illic ingrediuntur, quò tertius peruenit neruus. Inde omnibus brachij musculis processus notandos mittentes, decliues ad flexũ articuli, quò brachium iungitur cubito, excurrunt. At uena in brachij extremo in duas diuisa est soboles, quarum altera usq; ad cutem effertur, ut antea declaratum est. Quantum uerò ipsius per profundiora cum arteria deducitur, id tertiam humerariæ partem assumens, bifariam scinditur, & cum utraq; parte arteriæ, quę & ipsa bipartitò diuisa est, simul tum porrigitur, tum in uniuersos, usq; ad digitorũ initia, musculos ramorum serie dispensatur.

*Arteriam carpo tangi à nobis pulsum exploraturis.*

*Arteriam inter indicem & pollicem mediam, sensibiliter in macilentis mouere.*

*Manus cõuexa caret arterijs.*

Itaq; elatiorem arteriam quæ ad radij usq; os decurrit, prope commissuram carpi tangimus, pulsum exploraturi. Sensibilem etiam in macilentis motum arteria quoq; ædit, quæ mediam indicis & magni digiti regionẽ perreptat, originem ab hac ducens. Humilioris uerò motũ, haud facilè discernere possis. Iam uerò in extremis cõuexisq; manibus nullam reperire est arteriã, quòd ne musculum quidem unũ. At interna regio, quoniã multis septa est musculis, ideo multas quoq; arterias singulis ipsorum porrectas obtinet. Verùm uniuersas arterias internas carpi, unà cum uenis coniugibus spectabis, lato amputato tendine.

*Arterijs & venis pro ratione magnitudinis, virtus perpetuò inest: neruis autem nõ semper.*

Arterijs aũt ipsis & uenis, pro ratione magnitudinis uirtus inest, non item neruis omnibus: sed alicubi exiguus neruus haud exiguam obtinet potestatem, ut qui musculos motores magni digiti & indicis, intercurrunt: qui soli si seruentur in naturali habitu, cæteris abolitis, non utiq; mancus homo in totum euaserit. Rursus, si quatuor existant incolumes, musculus autem qui magnum flectit, uel tendit digitum, laborarit, omnia manus officia interibunt. Pariter enim musculorũ qui sibi inuicem sunt oppositi,* altero resoluto, utriusq; semper actio uitiat. At uerò iuxta principium femoris, separata prius cute à membrana subdita, quatuor radices neruorum in cutem excurrentium apparent, pares numero principijs grandium neruorum, qui in musculos disperguntur, unde scilicet processere.

*Neruorum radices quatuor, in cutim femoris dispersorum.*

Proinde una est, quæ ab anterioribus musculis deorsum uersus, in totam cutem ipsis uicinam fertur. Hàc alia interior per inguina longo angustoq; musculo uehitur. Tertia autẽ iuxta os quod coccyga Græci uocant, minus cõspicua cæteris. Quarta deniq; adhuc magis condita, in pectinis foramine delitescit. Cæterùm exiles superficiariosq; cutis neruos intuitus quum fueris, incidito omnes femoris musculos, quibus inuicẽ separatis, grandium neruorũ distributiones planè apparebunt.

*Neruorũ in musculos femoris dispersorum, initia quatuor.*

Sunt igitur tria neruorum initia magnitudine sibi inuicem coæqualia, quæ primùm exequar. Quartũ uerò aliud maximũ, bifidum ipsis succedit, quo de posterius agam. Itaq; ex tribus principijs unũ in anteriores musculos solos diffunditur: alterum simul cum magnis uasis porrigitur, ipsisq; uasis ramos telę araneorum modo prętenues, ut musculis cõtiguis, impartit. Quod restat tertium neruorum initium, amplum ossis pectinis foramen permeat, duosq; paruos musculos id amplexos, unum utrinq;, à foris alterũ, intrinsecus reliquum. Hęc iam tria principia intuitus, ad quartum duorum ramorum grandiũ, qui in crus deferuntur, mittuntq; ad extremos usq; digitos propagines quasdam, descendas. Euadet aũt & hoc conspicuum, musculis natum incisis, cum quibus incidantur etiam capita femoris musculorum, qui numero quatuor, ex coxendicis osse exoriuntur.

*Femoris musculi quatuor.*

Quippe grandes nerui illis subiecti apparẽt, qui foras ab interiore lati ossis parte cum neruulis tenuibus ex eo productis, emergunt. Verùm illi in omnes articuli iuncturæ musculos exteriores disseminantur: primùm ex uniuersis in ipsum superficiariũ, qui articulum retrorsum agit: mox in carnosum sub ipso magnũ: deinde in paruos infra hunc latentes. Nam grandes soli per femoris regionem postremam excurrentes, apparent: qui in uarios inde musculos disperguntur.

*Tibiæ nerui.*

Porrò in tibia etiam, duo soli grandes nerui, descendentes per femoris posteriorem sedem, sub unico lato musculo conspicui uisuntur, qui ad tibiæ principiũ excurrunt, atque ibidem primùm separantur inuicem: alter qui minor est, exterioribus ipsius musculis distribuendus: alter, puta maior, in-

terioribus. Sed externus tibiam ſubter fibulæ caput ingreditur: interior iuxta ſuræ initium profundius mergitur. Atq; huius nerui pars reliqua non mediocris in pedis inferiora porrigitur. Alterius autem tenuia extrema ſupremis tarſi partibus diſpenſantur. Portio quędam ipſius etiam ad neruum alterum peruenit, qui per ſurã, prope inferiores tibię partes defertur. Cæterùm infimam pedis ſedem neruus unus ſubit haud exiguus, ex altero grandium, quem in poſteriores tibiæ muſculos digeri commemorauimus, propagatus. At in ſupernam partem pedis, exiles neruili quatuor porriguntur, ab ijs quos recenſuimus, exorti. Ad hæc uerò, exigua quædam uena crus per os pectinis adit, modicã ipſius partem nutriens. Vna autẽ alia maxima uena in totum crus ab interiore parte per inguina diſſeminatur. Cuius ramus unus ſtatim in priorem, internamq; femoris regionem perfertur, multifariam ſumma ſub cute in ipſum diſtributus. Ab hoc, aliæ tenues propagines in cutem tres quatuórue diſſeminantur. Dein alius primo ſimilis ramus in femore prope muſculum anguſtũ cernitur, poſt eumq; aliæ duæ aut tres perpuſillæ. Ab his alia inſignis genu interius ſubit: quã ſequitur alia duas in partes diuaricata, cui ſuccedunt alię complures. Atq; hæ quidem ſubter cutem ſummã omnes conſiſtunt. In imo aliæ quædam ſic ſe habẽt. Prima enim poſt inguina anterioribus duobus muſculis diſpenſatur. Mox alia * penitius grandis ſatis intra maximum omnium muſculum, & ex anterioribus internũ porrigitur: à qua plures uenarum propagines in omnes propémodum femoris muſculos diſperguntur. Poſt has alia quæpiam deinceps in grandem ex anterioribus muſculum ingreditur, elatius ad externam femoris regionem emergens. Inſuper poſt illam alia notatu digna profundius in maximum muſculum eiq; uicinos inſeritur. Atq; poſt has, in ſuperficialiũ enumeratione prędicta, quæ ab intima genu parte aduſq; tibię extremum multiplici ramorum ſerie cutem ſubit. Iam uerò, præter alias quaſdã propagines, quæ interdum in tibia uiſuntur, etiã ipſi fibulæ bipartita uenæ ſoboles apponitur: quarum altera in ſuperficie externis partibus fibulæ ad malleolũ uſq;, ramorum ſeriem ſpargit: altera, per ima exteriorum muſculorum ducta, ramos communicans ſingulis, intra tibiam fibulamq; iuxta inferiorem huius finem peruadit, in imamq; pedis regionẽ diſſeminatur. Ab hac autem procedunt duæ aliæ uenæ, propè extuberantes tibiæ fibulæq; terminos, conſpicuę ſatis: quarum interior ſanè miſcetur ei, quæ iuxta genu deſcendens, intrinſecus ſupra ſuram tibiamq; totam ad malleolos eſt porrecta: at exterior ſocietatem init cum uenis ab illa exporrectis, quæ per exteriores fibulæ partes decliuis fertur. Verùm ab ijs quę ad tibiæ fibulæq; extrema inuicem coëunt, exiles quædam ad tarſum, digitosq; pedis excurrunt, maiores autem ipſis ad imas partes euadunt, ex quibus tota pedis regio inferior alimentum accipit. Nam poſterior pars, quę ad calcẽ habetur, à proximis intus, forisq;, ramos inuicẽ coëuntes ſuſcipit. Vena igitur per inguina excurrens, hunc in modũ propagatur. Quæ uerò pubis os perreptat, ſolis indidẽ partibus (qui tres muſculi ſunt) diſtribuitur, easq; nutrit. Porrò arteria maxima cruri per inguina inſeritur, eo nimirum loco, quo uena magna. Vtrunq; autem uas per interiora protendit femoris, arctiori ipſius muſculo incumbens. Ac uenæ quidẽ arterijs in muſculos inſertis cohærent: non tamen arteriæ ſuperficiarias uenas unà conſcendunt, uerùm altius ſemper per muſculos ingrediuntur. Id autem inde liquidò conſtat, quòd carnoſis nuſquã in crure pulſus appareat, niſi in tarſo rectè ad ſecundum digitum poſt maximum. Tangimus itaque ſubinde arteriam inibi ſitam, quum eam quę carpo ineſt, percipere non potuerimus. Arteria autem quæ per oſsis pubis foramen in femur peruenit, perinde ac uena, ijſdem tribus muſculis diſtribuitur.

*Pedis nerui.*

*Vena in cutim cruris diſſeminata.*

*Vena cruris interiora inuadentes.*

*Pedis inferior regio unde alimentũ accipiat*

*Arteria in crus diſtributio.*

*Arteriam tarſi tangendã eſſe ubi pulſus carpo occultatur.*

# GALENI PERGAMENI de anatomicis adminiſtrationibus Liber IIII.


Aud temerè in his commentarijs à manibus ſumpſi exordium, quòd nimirum has partes uidere in ſolis hominibus liceat. Neq; abſurdum fuit ſtatim de cruribus commentari nonnulla, quandoquidem beneficio eorũ, ſolus homo ad amuſsim rectus incedit. Nũc uerò de faciei & capitis partibus, opportunum uidetur dicere. Porrò duo muſculi tenues ſimul & lati in buccam & labra deſcendunt, à colli ſpina orti: unde membraneum, fibroſumq; ligamentum procedens, ſubſtantiã ipſorum conſtituit. Complures etiam fibræ ex ſcapularum ſpinę regionibus, quemadmodum & ex uniuerſa clauiculę ſede, in buccã terminãtur. Atq; oportet hoſce muſculos, quum uſus aliquis poſtulauerit, pro fibrarum natura incidere. Nam ſi experiantur magnam inciſionem tranſuerſam, buccas ad alterã partem reuellunt. At muſculoſa compages, quæ fronti ſubiecta eſt, & à qua ſupercilia attolluntur, & motus frontis perficiũ, ſuas fibras habet deorſum uerſus tendentes: quas tranſuerſim etiam chirurgi imperiti ſecantes, in cauſa ſunt, ut frontis cutis tota delabatur ad oculos. Iam uerò alij muſculi maſticatores dicti, expanſis inferioris maxillæ lateribus ſunt ſubiecti, qui uarijs totam ipſam modis circumagunt. Nam temporales muſculi, non circumagere, ſed dum mordemus, uel edimus aliquid, aut os claudimus, adducere maxillam ſunt nati. Etenim animalia omnia, præter crocodylum, inferiorẽ maxillam mouere, ſuperiori immobili, natura uoluit. Vniuerſi autem motus ipſius tres ſunt: unus in mandendo, alter in ore claudendo, tertius in aperiundo peragitur. Atq; ab his ſecernitur labrorum atq; buccarum motus, qui fiunt immota maxilla: ut quinq; ſint in ore functiones, quina uerò muſculorum genera. In ſimia igitur intra aquam extincta, ubi pilos abſtuleris, leuiſsimè cutem incidas ſcalpello acutiſsimo, rectam ducens lineã à mento uſq; ad pectus, iuxta ceruicis ipſius longitudinem: ſtatim ſiquidem ſub cute ſe oſtendet latus

*Manus repertæ in ſolis hominibus.*

*Homo ſolus ad amuſsim rectus incedit.*

*Labiorum muſculi unde.*

*Frontis muſculus habet fibras deorſum verſus tendentes.*

*Muſculi maſticatores.*

*Temporalium muſculorum vſus.*

*Maxillam inferiorẽ, ſuperiore immota, mouere animalia omnia, præter crocodylum.*

*Maxillæ inferioris tres motus.*

*Oris functiones muſculiq; quino genero ambiuntur.*

*Lati muſculi inueniendi ratio.*

tenuisq;

*Lati muſculi in uenuſtis ratio.*

tenuiſq; muſculus, unà cũ numeroſa ſerie neruorum, talem utrinq; ſitum habentium, qualẽ fibræ quibus adnaſcitur. Quippe omnes ad labra deſinunt, ex uarijs procedentes initijs. * Siquidem

*Lati muſculi fibræ à quibus initijs oriantur.*

ab uniuerſis colli uertebris incipiunt quædam, aliæ à ſcapulis, aliæ ab utraq; clauicula. Quæ igitur à ſcapulis ducunt originem, obliquè omnes per buccas in oris latera porriguntur: quæ à uertebris, tranſuerſæ magis: quæ uerò à clauiculis emergunt, propémodum rectæ ſunt. Hæc autem omnia quamcommodiſsimè diſcernuntur in ijs animalibus, quæ præ ſenio extenuata ſunt.

*Animalia quæ ſint aptiora anatome adminiſtrandæ.*

quare ad propoſitum opus talia ſunt deligenda: poſt quæ, recens nata præſtant magnis & pinguibus. Cognoſces autem exortus ſingulorum neruorũ, ſi ubi laqueo illos exceperis proximè ad ipſam maxillam, abſtuleriſq; omnes fibras utrinq; eis adiacentes, iam nudos ipſos reducas ad propria principia. Poſterius itaq; muſculi huius initiũ ex ſpina omnino procedit: inde ad occipitij oſsis baſim defertur, mox ſub aurem, deinde muſculum maſticatorium dictum totum aſcendit, oſsiq; ſuperioris maxillæ committitur. His igitur omnium primis ademptis muſculis, licebit uel occipitio, uel faciei adhærentes, oſtendas.

*Maxillã homo ſortitur breuiſsimam.*

Iam uerò ex omni animantium genere, homo breuiſsimam, pro totius nimirum corporis proportione, maxillam ſortitus eſt. Mox ſimia: dein lynces & ſatyri: poſtea cynocephali. Hæc autem omnia & collum ita prolixum, & clauiculas hominis modo poſsident. Ac quædam ipſorum magis inſiſtunt, quædam minus. Inſiſtunt igitur recta, gradiunturq;, alia peius, alia melius.

*Animalia duobus incedentia cruribus.*

At certè gradiuntur omnia binis innixã pedibus. Aliud autem nullum (quod ſcimus) animal, duobus cruribus incedit.

*Labiorum ſubſtantia.*
*Labiorũ motus.*

Labra itaque naturam ſingularem eximiamq; obtinent, adhæreſcuntq; oſsi maxillæ, tertiam quandam in ſe, eandemq; fungoſam ſubſtantiam ſortita, ita ut tota ipſorum natura, ex illa ipſa ſubſtantia, cute, & tribus lati muſculi terminis, conflata ſit. Proinde latiorum muſculorum beneficio, in latera ſecundum trãnſuerſas ipſorum fibras mouentur. Deorſum uerò, ſurſumq; uerſus, motum, tota ipſorum ſubſtantia ſuppeditat.

*Labiorũ nerui.*

Atque hos ob motus, neruos ipſis natura, tenuiſsimis foraminibus perforans maxillam, tranſmiſit.

*Dentium et gingiuarum nerui.*

Per quæ foramina elabuntur etiam reliquiæ neruorum, qui dentium ſedibus adhæreſcunt: à quibus gingiuæ, dentes, & etiam membranæ ambientes, ipſum ſenſum accipiũt. Trahuntur porrò deorſum labra, beneficio neruorum qui ex imo ſurſum uerſus feruntur. Contrahuntur autem ab extremis utrorunq; muſculorum, gracilium, & latorum, ipſis inſertis. Sicuti autem his nerui ab inferiore maxilla, ſic ſuperioribus labris, à ſuperiori ſubminiſtrantur.

*Nariũ muſculi quales.*
*Latum muſculũ inuenit Galenus.*

At uerò muſculos qui narium alas mouent, tales natura eſſe pronunciare palàm oportet, qualem & latum muſculũ, quem nos inuenimus. Hinc paulatim uſq; ad malas deſcendes, cutem à uicinis illarũ partibus auferens.

*Maſſeteres muſculi.*

Hoc enim confecto, bini muſculi maſſeteres dicti, ſinguli proprio ex capite in extrema inferioris maxillæ profecti, clarè cernentur: neruis ipſos intercurrẽtibus, qui ad buccas deſinunt, quiq; hamulis ad initium propriũ, quod poſt aures orit, ſunt reducẽdi, priuſquàm maſſeteras, hoc eſt, maſticatorios, incidas. Ex horũ muſculorũ capitibus, alterũ in malis, ut uocãt, alterũ iuxta os iugale conſiſtit.

*Oris muſculi.*
*Temporales muſculi.*

Poſt hos muſculos, eos qui intra maxillã in ore habent, adibis: tũ tẽporales ipſos. quæ tria muſculorũ paria maxillã mouent: tẽporales quidẽ, cũ interiorib. ſurſum cõuellentes: maſticatorij, in latera circũagentes.

*Os iugale.*

Oſſe iugali ablato, euidẽter totus muſculus tẽporalis conſpicit, dictorũq; ſimul triũ muſculorũ ſocietas: quorũ duo quidẽ ſimplices, maſticatorius autem duplex exiſtit.

*Maxilla inferior ex duobus oſſibus conſtat.*

At uerò inferior maxilla, ex duobus oſsibus circa infimam partem coëuntibus cõſtat: quæ diducenda ſunt, ut rectè oris partes cernantur. Porrò uniuerſa capitis cute ablata, delineamenta quædam muſculorum circa aures conſpicies, quæ in reliquis animantibus non delineamenta ſolùm, ſed perfectos etiam muſculos ſpectabis. Habetur enim unus in utroq; ſpinæ latere muſculus. Neuter tamen uſq; ad aurem procurrit, ſed tantum uterq; abeſt, quantũ ab occipitio ꝓcedit. Iam uerò ſcapulæ magnis agunt motibus, nec minus ipſis caput.

*Scapularũ muſculi & motus.*

Cæterùm muſculus ille duplex ceruicis, qui in ſcapulas ipſas inſeritur, non capitis, ſed ſcapularũ gratia eſt à natura cõditus, ut illas ad caput contrahat. Siquidem ſi tranſuerſim is in ceruice ſcindatur, confeſtim conuelluntur, deorſum uerſus, ſcapulæ: ſurſum autem non amplius moueri queunt, idq; capitis motu minimè reſoluto. Sunt tamen alij muſculi, qui caput agunt in latera. In illum autem ſcapularum muſculum, à cerebro quidem neruus deſcendit, quem ignorauit Lycus, perinde ut par illud muſculorum maxillas mouentium, quod intra os eſt ſitum. Secundum muſculorum par eſt, quod prædictis quibus ſubiectum eſt, longitudine reſpõdet. Nam ex eadẽ occipitij oſsis regione procedens, ſublimi ſcapularũ baſis angulo iniјcitur. Verùm latitudo ipſis æqualis non eſt, ſed multò minor. Hi etiam ſcapularum baſim ceu ad occiput (unde tranſuerſim oriunt) retrahũt. Priores uerò muſculi, non modò baſim, ſed totas ipſas ſurſum reuellunt. Vtriq; autem, à media occipiti oſsis regione incidendi ſunt.

*Capitis motus.*

Quibus ſublatis, alia pleraq; muſculorum coniugia comperies, quæ carnoſis anſulis caput ad poſteriora reflectũt, totius colli longitudini iniecta. Sunt & alij muſculi, ſic ab occipitij oſſe orti, ut obliquæ ipſorũ fibræ ad ſpinam ſint inclinatæ: à quibus caput in obliquum conuertitur. Ab utriſq; autem ipſis incumbentibus, de obliqua hac inclinatione, ad rectitudinem æqualem, quæ naturalis eſt figura, reducitur. Exordiens igitur tria horum muſculorum paria ab occipitij oſſe, cui inhæreſcunt, diſſecare, perges uſque ad extremum inferius. Quibus ablatis, circa articulum capitis alia quatuor exilium muſculorum paria cernũtur, quæ retrò habentur, abſq; paruis in articulo, iuxta latera primæ uertebræ, reconditis. Succedit aliud quartum par muſculorum obliquum, tertio obuerſim reſpondens. Hi muſculi primã ceruicis uertebram ſecundæ connectunt. Eorũ uerò extrema ad laterales primæ proceſſus, &

secundæ spinam, euadunt. Porrò tria hæc paria, nempe, primum ex omnibus quæ recensuimus, tertium, & quartũ, triangulũ æquis lateribus ribi constituere uidebuntur. Itaq; in reflexione capitis, occipitij os cum ipsis primæ uertebræ finibus innitiť, atq; secundã preterea contingit maximè: ipseq; extremus in renuendo capitis reflexus, hos ipsos terminos obtinet. Annuentibus rursus, in priora caput recedit, & super anteriorem primę uertebræ processum innitiť. Verũ extrema finibus laxa insident, à posterioribus partibus disiuncta: * alioqui primam caput uertebram ad anteriora transcenderet, & musculis & propria grauitate decussum, nisi in processu anteriori ipsius primę uertebræ, sic constituto à natura, accuratè innitens confirmaretur. Verùm hinc exiguam securitatẽ, maximam uerò inde, quà prima cum secunda committitur uertebra, natura molita est. Nam quũ particulam quandã turbini similẽ, rectã ex hac produxisset, inferiora anterioribus constabiliuit, primam uertebrã leuiter excauans, ubi maximè in anteriora processus ædit. Posteriorem quippe ipsius partem, secundæ uertebræ processus accliuis, extremum ingreditur, ligamentumq; ualidum è uertice ipsius ortum, capiti inseritur: item aliud quoddã transuersum ex ipsa prima uertebra profectum, secundę extremũ turbinatum ad amussim constringit. Obliqui autem musculi in latera caput conuertũt. Iam uerò qui torquent caput ad anteriora, ij musculi ad pectus & primas clauicularum partes protendunt, ex duplici orti principio, altero post aurẽ, altero in ipsismet auribus sito: quapropter duplici extremo etiam in prius nominatas particulas inseruntur, Quòd autem & pectus & clauiculas cum ipso thorace circumducunt, simul & sursum uersus ad capitis latera, aut caput ipsum in priora circumagunt, cuiuis uotũ esse existimo: sicuti & ipsos hoc pacto non posse mouere thoracem. Quare caput ab ipsis prorsum circumuerti necessum est. Nã qui musculi rectam posituram obtinent (ut qui ad scapulas & ceruicem porrigebantur) ij omnes simplici motui præsunt: qui uerò non rectam, composito. Quare musculi qui à regione aurium ad clauiculas & pectus descendunt, quũ obtineant situm non recto tramite, situi similẽ motum sortiuntur. His musculis amputatis, ad eos qui in scapulis habentur, digredi licet. Duo sanè iuxta spinam hærent, quos solos scapulas retrorsum agere dicimus. Alius tertius, à prima uertebra oritur, & in extremo scapularum iuxta summum humerum definit. Quartus gracilis, longusq;, ab osse initio laryngis præposito, quod hyoides dicitur, originem ducens, ipsas illi connectit. Sunt & alij duo musculi utrinque per spinam dorsi exporrecti, à quibus scapulæ spinam uersus tendi uidentur. Ab elatiore siquidem leuiter ad ceruicem inclinari: ab altero ad inferiores dorsi partes deduci: ab utrisque uerò simul tensis, totas scapulas retrorsum, nullam in partem inclinantes, deferri ad primas septem thoracis uertebras, ad quas protensi sunt, uidebis. Atq; hi sex musculi peculiares scapularum existunt, Alius autem humerorum articulo communis est, scapulas deorsum uersus detrahens: quo de suo tempore agetur. Musculis quos retuli ademptis, apparebit is, qui maxillam inferiorem aperit, incipiens à capitis osse petroso, sursum autem ad summas maxillas protendens: ut uterque musculus, & qui à dextris, & qui à sinistris pergit, eodem coëant, ac medio itinere, ipsorum pars in neruosa ligamenta degeneret. Quod par solum neruorum, tribus ori claudendo creatis natura opposuit.

*Capitis motionum securitas.*

*Capitis motus ad anteriora, à quibus oriatur musculis.*

*Scapularũ musculi sex.*

*Os hyoides.*

*Maxilla inferior à quo aperiatur musculo.*

## GALENI PERGAMENI
### *de anatomicis administrationibus liber V.*


Vte quæ pectus contegit à subditis liberata, musculum inibi spectabis in aliorum superficie extãtem, qui ex mammarum regione incipiens, sursum uersus ad humeri articulũ obliquus porrigitur. Ipsum itaque à subiectis partibus dirimens, hamo quidem primùm ipsius fibrarum finem eleuans, dein usque ad humeri articulum totum musculum separans, post hunc ad alium eo maiorem accedis, qui ad eundem nimirum articulum peruenit, ex toto pectoris osse oriens, mammęq; subiectus. Qui musculus bipartitus quodammodo est, fibris ipsius in similitudinem X literę, mutuò sibi incumbentibus: alijs ab humiliori ossis pectoris sede ad articuli eminentiorem porrectis, alijs ab elatiore ad demissiora inclinantibus, omnibus autem sese intersecãtibus inuicem. Porrò ipsa axillę cõcauitas à duobus gigniť musculis: uno certè quo de hic agimus, altero ad costas porrecto. Quæ igiť prædicti musculi fibræ ab elatiore pectoris ossis sede incipiunt, brachium thoraci adigunt, non deorsum reuellentes: nam ab humiľlioribus fibris, os brachij unà cum obductis ei carnibus ad thoracem adductum, deorsum leniter declinatur. Iam uerò alius his tertius succedit motus secundũ primi musculi functionem, quem à regionibus propter mammas oriri diximus. Ad hæc alius quartus, quo brachium ad thoracis costas expanditur. Post confectionem illius qui sese intersecat musculi, alius tertius nobis se ostendit musculus, qui ex pectoris osse ducit etiam originem, qua secunda, tertia, quarta, quinta, & sexta costa cum ipso coarctanť, eiusq; beneficio brachiũ elatius thoraci admoueť. Secundum hunc sequitur, qui iuxta eminentiorẽ scapularum costam, euidenter iam brachium attollit. Omnes autem illi dicti tres musculi, in tendines latos, brachio sese inserentes definũt. Postquàm igitur tres hosce musculos adusq; articuli iuncturam secueris, scapulæ à pectoris partibus separantur. Verùm duo adhuc musculi ab imo sursum procurrentes, ipsas ad thoracis latera continent: quorum alter quidem in superficie tenuis, ex membranis quibusdam gignitur ilium cuti connexis: alter uerò inter musculos, qui ab imo sursum feruntur, magnus, initiumq; sumens ex spinæ uertebris, prçcipuè quibus spuriæ costę coarctãtur, cum scapularum basi haud mediocre consortiũ obtinet. His uerò musculis

*Humeri musculi.*

*Axillæ cauitatẽ à duobus sterno musculis.*

*Brachij motus & musculi.*

*Musculi scapulas admouentes thoraci.*

usq;

usq; ad brachiũ cõsectis, *adhuc scapulæ unius grandis musculi, ipsarum partibus cõcauis subtiati, interuentu, costus: & osse clauiculæ intercedente, pectoris ossi connnẽtur. Primùm igitur à clauicularum osse musculum, superiorem humeri partem amplexantem, amputato: dein clauiculam à pectoris osse tollito, membranosa circa articulum ligamina intersecans, donec musculum ab interna infernaq; ipsius parte in primam costam obliquè insertum, euidenter conspicias. His ritè peractis, scapulisq; reuulsis, uasa axillam perreptantia, & neruos cum membranis præcidito. Porrò functio illius musculi qui scapularũ concaua ipsis costis cõnectit, est thoracẽ uniuersum reuellere. Sunt aũt alij duo musculi, in utraq; thoracis parte unus, hic uidelicet in anteriori regione, ille in posteriori, costas etiã reuellens: adeò ut tres hi musculi sint ipso thorace elatiores, prior scilicet, posterior, & medius. Quippe medius musculus est ille de quo nuper disserui, medio amborũ collocatus. Ac thorax solo hoc mediorum musculorum coniugio motus, abundè satis animanti subseruit. Altera priorum musculorum coniugatio ex secunda ceruicis uertebra incipit, sed ab omnibus alijs consequentibus orta, in quinq; thoracis costas per ualida ligamenta inseritur: quemadmodum & reliqua coniugatio musculorum subtilium, incipit quidem à spina extremarum trium colli uertebrarum, & primç simul dorsi, ac supernascitur tertiæ costæ, in quartam, quintam, sextam, & septimam insertata. Quòd si caput ipsius prehensum in se attraxeris, costas sursum conuelli, distendiq; thoracem, uidebis. Idem & in medio prioreq; molitus musculo, paria ipsorũ magnitudini interualla thoracis fieri conspicies. Hæ igitur tres sublimium thoracis musculorũ coniugationes, sunt respirationis opifices. Quarta deinde, quæ in primis costis consistit. Nam ad pristinam sedem eius attollens musculos, priorum sanè costarum ossa retrahi sursum uersus deprehendes: partem uerò thoracis quæ hic est, disiungi. Cæterùm alia duo musculorum paria, thorace detecto, iuxta longitudinem apparebunt: hoc quod carnosius est, spinæ omnibusq; illi adiacentibus costis: illud quod membranosius, pectoris ossi expansum. Huius musculi tendo, recto abdominis musculo cõtinuus est, omnibus costarũ terminis, qui ad pectus pertinẽt, incũbens. Etenim musculus hic in omni animãtium genere, ad primam usq; costam pertendit, ubi & carnosus uisitur, & tenui carni supernutrita tendini, latitudinẽ quandam accipit. Iam uerò alius musculus huic similem habet functionem, qui per spinam porrigitur, & cum thorace simul incipit, definitq;, orbiculata circunscriptione. Cæterũ finis ipsius inferior, spinæ cohçrescit musculo, obliquus, in posteriora uergẽs, ut tensus costas intrò contrahat, stringatq;. Superest aliud unũ musculorũ par extra thoracẽ bifidũ, quod in extremis costis, thoracis inibi finem deorsum uersus detrahit. Cuius quoq; caput, uni inter abdominis musculos admiscetur. Musculis omnibus quos percensui ablatis, situs fibrarum manifestè apparebit obliquus, si omnes musculos intercostales respicias. Examẽ autem ipsarum, à spinalibus auspicaberis musculis, & duo cuiusque fibræ extrema contuebere: altius propter spinales magis sitũ, demissius inde longius remotum: tanquam singulis fibris obliquè in priora, nõ recto tramite, deorsum uersus procurrẽtibus. Spinalibus prçterea exemptis, fibras quoq; similiter obliquas ibidem ipsis subiectas spectabis, nonnunquam cum costarum conuersione situm suum uariantes. Non enim ut unũquodq; costæ os à spina prodijt, ad pectoris os obliquum porrigitur, ab elanoribus animantis partibus ad humiliores inclinans: sed ubi prope os pectoris iam cartilago uice ossis creata cernitur, alium obtinet situm, priori cõtrarium, obliquè rursum, sed circularim quodammodo, ad pectus cui coarctatur, protendens. Similiter itaq; fibrç ex imo sursum obliquius prolatç, subcontrariam posituram recipiunt. Hoc etenim in costis omnibus cernitur, si spurias duntaxat exceperis, quarũ extrema, pectoris ossi non committuntur. Vniformis siquidem harum costarum ab initio adusq; finem latio existit. Definũt porrò ipsæ non in os pectoris, sed in cartilaginem quandam, quæ exortus septi transuersi existit. Ab externis itaq; partibus fibræ musculorũ intercostalium obliquum situm sortiuntur, quatenus dictum est. Quæ uerò in partibus internis habentur, contrario modo iuxta X literæ figuram exteriores secant. Conspicientur autem & hæ facilè, costis ipsis ad spinam reflexis. Vnus igitur adhuc thoracis musculus superest minimè cõtemnendus, nempe septum transuersum: cuius munus existimauit Plato, distinguere duntaxat animosam à concupiscibili animæ facultate: quum præter id etiam maximè sit ex usu ad respirandi functionem. Ligamenta complura tenuiaq; ex ossibus prodeuntia, quibus simplex circunducitur caro, hoc septum habet: cuius centrum, exiguus quidam circulus & membranosus existit. Verùm totam ipsius naturã manifestò prius contemplari nõ licet, quàm octo abdominis musculos dissecueris, ad quorum consectionem nunc diuertendũ est: quanquã tum ipsorum, tum uiscerum omniũ, quæ in imo uentre consistunt, primò omnium solitus eram consectionem moliri, ne uidelicet diutius asseruata computrescerent: dein uerò aliorum anatomen persequi. Nunc autem disciplinam prçdictis succedentẽ nõ deserẽs, costas à pectoris osse reuulsas, rursus ad pectoris os reducas oportet. Deinde quod ex abdominis cute adhuc reliquum est detrahas: sub ea siquidẽ, primi & maximi duo tibi musculi occurrẽt, obliqui, atq; alijs omnib. abdominis musculis superstrati, unus quidem à dextris partibus, alter à finistris porrectus: quorum musculorũ suprema, maximo thoracis musculo circa sextã costam cõmunicantur. Nec tamen à sexta costa duntaxat, sed ab alijs etiam spurijs, quæ in cartilaginem magnam degenerant, hæc prima abdominis musculorum coniugatio oritur, obliquis fibris ad uentris anteriora protendens. Cuius uterq; musculus tum ad ilium ossa, tum ad inguina cõtraria procedit, ac pubis ossi, per membraneũ, sed ualidũ tendinẽ,

*Costas reuellentes musculi.*

*Respirationis opifices musculi.*

*Fibræ musculorum thoracis externa quam lationem, quemq; situ sortiantur.*

*Costarũ spuriarum extrema ossi pectoris nõ cõmitti, sed desinere in cartilaginem.*

*Fibras musculorum thoracis internas habere lationem cõtrariam externarum lationi.*

*Septi transuersi consideratio.*

*Anatomen cur Galenus ordiri soleat ab inferiori uentri.*

*Abdominis musculorum consideratio.*

*Obliqui musculi abdominis.*

ante inguina ortum, inseritur. Hoc interdũ tendine relaxato (qui & peritonæum, & ea quæ ab ipso ambiuntur permeat) aliquod intestinum, aut omenti pars, propriam sedem egreditur, ac per ipsam laxitatem elabitur. Qui morbus cele, atque ramex dicitur.

*Cele. Ramex.*

Pars autem horum musculorum, quæ ad uentris anteriora porrigitur, in tendinem tenuissimum desinit, rectis extrinsecus musculis superpositum. Pari modo & secundæ coniugationis musculorum abdominis (qui obliquum fibrarũ situm primis contrariũ possident) tendo in membranam degenerans, anterioribus musculis insidet. Vterq; uerò horum ex ilium osse ducit carnosam originẽ. Hinc deinde obliquè sursum protẽsi, musculis trãsuersis insident: postea quatuor notharum costarũ finibus, carnosa intercedente substãtia, iniiciuntur. Tendo autem ipsorum tenuis, medius inter rectos musculos, & prædictorũ tendinem, pergit: uterq; ab ea regione ortus, quę circa externa rectorum musculorũ latera posita est.

*Recti musculi abdominis.*

Porrò ipsi recti musculi, qui tertiam coniugationem constituunt, tota substantia carnosi, à supernis deorsum uersus descendũt, atq; in pubis os carnis interuentu insertant: qua in parte exactè inuicẽ coẽunt. Nã elatior ipsorũ portio adiacet quidẽ, nõ aũt accuratè adunit. Quarta & ultima cõiugatio tũ ex recta iliũ ossis linea, tũ ex lateralibus uertebrarũ, qui in lumbis uisunt processibus, exorit.

*Transuersi abdominis musculi.*

Verùm nõ statim simulatq; uterq; enascit, efficit musculus: sed membranosum ligamẽ ualens ex commemoratis ossibus productum, deinde in processu fibris adauctum transuersis, in musculi figuram degenerat, partibusq; internis cuiusq; spuriæ costæ finium subhæresçit, necnon rectis miscetur musculis. Cuius tendo curiosè à peritonæo auellendus est, cui uel maximè adhæret.

*Peritonæũ araneorum telis simillimum.*

At peritonæum latis araneorum telis simillimum est, simplex & tenue insigniter. De octo igit in abdomine musculis, iuxta primam anatomicæ ipsorum administrationis speciem, quæ longè facilior & aptior est, abundè satis disputatum existimo.

*Abdominis musculorum quatuor coniugationes.*

Ita uerò & coniugationes ipsorum uoces licet: primam sanè maximorũ obliquorũq;, qui à sexta thoracis costa incipiunt: secundam, his subcontrariorum obliquorum: tertiam, rectorum: & quartam, transuersorum. Poteris etiam ab ipsis musculis anatomẽ auspicatus, ubi recta linea uniuersum abdomen in dextram & sinistram regionem distinxeris, ab eoq; ipsam cutem detraxeris, à rectis musculis separare primum superficiariũ maximi musculi tendinem: deinde secundum ab ipso, qui à secundo nascitur. Vbi uerò utrunque utriq; connexum ostenderis, rectorum musculorum confectionem aggredere, ac dein eorum, qui subditi sunt, semper fibrarum continuitatem usq; ad ipsum musculi caput sequutus. Sic enim totum opus tibi clarũ euadet, ut nihil confundatur. Atq; hactenus de præcordiorum musculis.

*Septum transuersum nasci ab spurijs costis. Septi transuersi partes.*

Intestinis exemptis, primum septi ex spurijs costis processum indicare expediet: dein quo modo spinæ inserat, patefacere: postea particulas ipsius distinguere. Etenim medium ipsarum est musculus, qui in tendinem latum omni ex parte à carnosis comprehensum desinit.

*Membranæ sublinentes thoracem.*

Ex utraq; autem ipsius parte, superiori puta & inferiore, tenuis membrana adhæresçit: quarum elatior, quæ duplex est, totum thoracis cauum sublinit, à dextra parte altera, à sinistra quoq; altera.

*Thoracis capacitatẽ esse in duas laxitates diuisam.*

Non enim una quædam est intra thoracem spaciosa laxitas sibi cõtinua, sed à prædictis membranis intercipitur, quæ recta linea ad pectoris longitudinem mutuò sibi cohærent, nisi quantum ea in parte abscedunt, qua cor situm est.

*Pericardium inuoluit cor.*

Hoc enim inter se medium capientes propria inclusum membrana, quæ pericardium dicitur, ita ad mucronatam usque cartilaginem porriguntur. Totam itaq; utranq; thoracis regionem internam, membranæ quædã succingunt, natura simplices, telæ araneorum persimiles. Basis ipsarum supernis septi partibus obiecta est: quemadmodum inferioribus alia quædam membrana similis huic, substrata, quæ peritonæi uertex iure optimo nuncupatur.

*Peritonæi uertex.*

Cæterùm hæc membrana sibi continua totam inferiorem septi transuersi regionem sublinit: ac ubi illud usus necessarij gratia foratũ est, ibi eis ipsis quæ permeant, circumhæret, simulq; expanditur.

*Septi foramina duo.*

Sunt enim duo foramina septi: alterũ grande, quà uertebris uia exhibetur, stomacho & magnæ arteriæ præparatum. Reliquum uerò minus, uenam cauam supernis animalis partibus sanguinem deriuantem, excipiens: quæ uena prius cæteris partibus dissecanti occurrit, ceu & in sublimi suspensa, & nihil ante se continens, musculis sublatis.

*Vena caua.*

Detectis quæ infra septum habentur, nihil mali fuerit membranam lumborum carnibus superstratã detrahere. Est autem hæc, peritonæum lumbis cohęrescens, quo auulso carnes ipsorũ clarè conspicies: singulos nempe utrinq; musculos exactos per spinæ longitudinem sibi mutuò connexos, desuperq; toti lumborum longitudini expansos.

*Lumborum musculi duo.*

Qui quidẽ quum prope os sacrum peruenerint, dirimuntur inuicem, internis ilium adhęrescentes: in quibus quidem musculis duo tẽdines reperiunt, quos anatomici neruosam musculorum propaginem nominant.

*Spinæ partes à quibus flectantur musculis.*

Prædictæ itaq; duæ lumborum carnis partes tensæ, deorsum flectunt tum eam partem spinæ, quæ per lumbos totos habetur, tum etiam quæ dorsi continua est. Pari modo musculi stomacho subditi superiorem spinæ partem inflectunt. Verùm lumborum carnes in seipsis caput obtinẽt tendinis, qui ad femoris trochãtera pertinet.

*Spinalium musculorum processus.*

Iam uerò post prędictos omnes musculos, spinaliũ totorũ processus diligẽter considera. Incipiũt etenim ex secunda ceruicis uertebra, singuli duo capita inuicem disiuncta obtinentes. Semper autem magis ac magis corpulenti euadunt, quãuis à tenuibus oriantur capitibus. Nã ex unaquaq; uertebra processus aliquis ipsis miscetur, ac inibi collum permeãtes, tum magnitudine, tum robore insignes sunt. Et primùm in colli extremo in idem coẽunt musculi, inibi utraque spinæ parte nati, hic dextra, ille sinistra, ut omnia amborum musculorum capita, quatuor numerentur.

*Spinalium musculorum capita quatuor.*

*Spinalium musculorum obliquæ fibræ.*

Fibræ autem ipsorum obliquæ sunt: quædã à spina ad priora inferioraq; decurrentes: nonnullæ contrà, ex lateralibus orientes processibus, quę retro, deorsumq; uergant. Quibus

bus diligentem adhibe curam, dum utroq; musculo dissecto, ad lumbos deueneris. Ibi siquidẽ musculi ex ligamẽto quodã membraneo, quod à locis spinę prodit, gignuntur, ex ima parte ad postremas thoracis costas sursum paulatim obliquè tendẽtes. Atq; hi musculi extremas costas detrahunt, ab anatomicisq; sunt prætermissi.

## GALENI PERGAMENI
### *de anatomicis administrationibus*
### *Liber VI.*

*Simiam homini simillimã esse*



Imia igit homini simillima est, præcipuè pedibus atq; manibus. Quã si conspexeris aliquando currentẽ figura erecta, statim ex longinquo eam similẽ homini deprehendes. Quemadmodum ergo præstat, simiarũ homini quàm fieri poterit simillimarũ dissecare artus, quum te in exemplo exercere studes: ita satius est in talis simiæ inopia etiam dissimiliũ aliquã capere: sicuti etiam si in totum simia desideret, cynocephalũ, uel satyrum, uel lyncem, summatimq; ea animantia, quibus artuũ extrema in digitos quinq; discreta sunt. His animantibus succedunt, ursus, leo, & quę serratos dentes sortiuntur. Ex actionibus autem quas obeunt, & figura particularum, quam singula animantia extrinsecus habere uident, nonnulla & de structura ipsorum tibi indicatio sumet. Nam quæ animalia similem actionẽ obeunt, similemq; figurã exteriorem repræsentant, ijs similis nimirũ & interna tota particularũ natura existit. Quippe natura cuiq; animanti corpus animi affectibus idoneũ condidit: atq; huius gratia simulatq; nata fuerunt, omnia particulis utuntur, tanquã à magistro edocta. Quare aliquod animal antea nõ uisum, intuitus, sępe equidẽ iudicaui, qualẽm nam sub cute structurã haberet, non aliunde eius cognitionem atq; peritiam indeptus, quàm ex firma persuasione, quòd singula animantia corporis structurã animi moribus facultatibusq; propriã haberent. Quinetiam uoce animantis audita, de illius instrumentis coniecturã aliquam sumere poteris. Sed de his alibi latius dicturi sumus. Nunc uerò de cibi instrumentis differere animus est. Quum igitur unus sit usus communis animantibus cunctis, cuius gratia alimento indigeant, reperies instrumenta in singulis ipsorum generibus triplicia. Quædam prima ratione à natura facta, ad concipiendũ alimentum, conficiendũq;, & in totũ corpus distribuendũ. Alia secunda ratione, quæ excrementorum sunt receptacula. Reliquas alias particulas tertia ratione extruxit, quę horum excretionibus subseruiunt. In quam itaq; particulam cibum animantia recipiunt, uentriculus nominatur. In hoc lenem quandam & primã subeunt mutationẽ ingesta, ac præparant iecinori, quod maximam cibi in ipsum permeantis alterationem molitur. Hinc uenæ confectũ ipsum, in totum corpus deriuãt. Vt autem ex iecinore purum, nulliusq; superflui particeps, alimentũ uniuerso corpori dispenset, natura instrumenta ad id accommoda cõdidit: idq; secunda ratione, nõ primaria, sicuti nuper commemoraui. Ex his instrumentis, alia quod subtile & leue in ipso habet, expurgant: ut bilis meatus, uesicaq; bilis exceptrix: alia quod terrestre est & graue, ut lien, & ima pars intestini recti: alia quod inter hæc duo consistit, aquosum, serosumq;, ut urinarij meatus, renes atq; uesica. Cæterùm ut pro arbitrio animantis superfluorũ excretio fieret, musculos natura terminis uasorum ea continentiũ affabricata est, qui tertia iam ratione inter cibi instrumenta habentur. Itaq; necessariò tria hæc instrumenrorum genera in omnibus animantibus ad alimenti distributionem natura condidit. Atq; hoc est commune & idem in uniuersis. Quoniã uerò nonnulla animalia ualidis aluntur cibis, quædam imbecillibus, eò natura respiciens, particulares uentris differentias est machinata. Quare si aliquando uideris animal tibi nunquã cõspectum, quod alimentum ligneũ & spinosum edat, magnũ huic & asperum noris esse constructum uentriculũ. Si aũt etiam superiores dentes non habeat, uentriculos et necessariò plures existere, ut in primũ statim pabulum ingerat: mox ex hoc ruminatis, ore conficiat, ac deinde in alium atq; item alium uentrem deglutiat, est iudicandũ. Contrà uerò quibus superior dentium acies concessa est, ea animalia nec ruminare possunt, nec uentres plures habẽt. Iam cornigeris magna ex parte supernos dentes abesse nouimus, ut quibus terrestre capitis partium recrementũ in cornua absumat. Itaque instrumenra quæ cibum conficiunt, tantam magnitudinẽ possident, talemq; formam, qualis alimento ingerendo requiritur. Omnes igitur uenas quæ per intestina, uentriculum, lienem, omentumq; (quod uelut congenitũ operculum, caloris gratia conditum est) intercurrũt, porrigi ad hepatis portas uidebis. Porrò musculos uniuersos inferioris uentris mucronata cartilagine usque ad pubis ossa diuidens, in corpus quoddam tenue, & latæ araneorum telæ simile incides, cui ob id nomen inditum est peritonęo, quod simplex & similare existens, prætendatur omnibus tum uisceribus, tum intestinis, tum uasis, cæterisq; alijs corporibus, quæ inter septum transuersum & crura habent. Ipsum aũt separare incipies inuento loco, ubi per se consistit, nulli musculorũ incumbentiũ adhærens: nempe nõ multò post regionẽ umbilici, ubi primũ à transuersis secernitur musculis, atq; solum relinquitur. Etenim quum grande sans animal fuerit, licebit facilè peritonæum sibi continuum & integrum ad costas spurias usq; seruare: ubi transuersis musculis desinentibus, alius excipit musculus, nempe septum transuersum. Siquidẽ huius quoq; substantia, musculus exactus: figura, circularis existit. Quod in medio ipsius habetur, totum neruosum est. Quod autẽ in orbem hoc ambit, uniuersum carnosum existit. Peritonęum itaq; carnosæ septi particulæ oboritur, à qua eodem modo detrahere ipsum conuenit, quo & à reliquis musculis auulsum fuerit. Studiosè autem incumbentibus operi, facilè liberatur, quousq; ad cauã uenam peruentũ sit, propter quam gibba hepatis septo transuerso adiacent, & connectuntur. Ab hoc cõnexu uersus sinistrã regio

*Animalia fœtibus apta, dum simia copia non datur.*

*Animalia qua similia dicãtur.*

*Naturam cuiq; animãti corpus animi affectibus congruũ fecisse.*

*Animalia omnia particulis utuntur simul ac nata sunt.*

*Cibi instrumenta triplicia.*

*Ventriculus cibis excipiendis conditus.*

*Iecur maximã cibi alterationẽ moliri, quem postea per uenas dispergit.*

*Vesica bilis exceptrix.*

*Lien.*

*Intestinũ rectũ*

*Renes. Vesica.*

*Ventris differentias pro differentia ciborum, esse à natura cõstructas.*

*Animalia carẽtia supernis dentibus, habere uẽtriculum geminum.*

*Cornigera cur magna ex parte supernis dentibus careant.*

*Omentum caloris fouendi gratia conditũ est.*

*Mesaraicas uenas omnes porrigi ad hepatis portas.*

*Peritonæũ prætendi omnibus nutritionis organis.*

*Septi transuersi substantia exactus musculus. figura. circularis existit.*

*Septi transuersi connexiones.*

nem, peritonæum humilius cum ore uentriculi coit, deinde toti capacitati craſsius ſeipſo factũ, obducit, ſic tamen ut non magno negotio poſſit ab illa ſeiungi. Quanto autem inibi craſsius eſt, tanto tenuius iecori obtenditur, omnesq; ipſius particulas, ceu tunica quędã peculiaris, contegit. Quod uerò adhæret uentriculo, germinibus uenarum, quæ in illum deſcendunt, inuolucrum, uallũ, firmamentumq; efficitur. At quemadmodum exiguæ grandium uaſorum propagines in uentriculum demergunt, ita in pronum, ceu ad umbilicũ, aliæ paruæ, magnarũ ſoboles, ex alto deferuntur, duabus peritonæi partibus comprehenſæ. Et hoc corpus ex duplici peritonæi, ceu plexu (intra quem continent uaſa) conflatum, dicitur tum omentum, tum epiploum.

*Omentũ quid. Epiploon.*

Oportet autem uenã utrobiq; gibbum uentriculi intercurrentẽ perſequi accuratiſsime. Siquidem per dextram animantis partem deducet te ad proceſſum, quo tenue inteſtinũ ex uentriculo oritur: altera parte ad lienis concaua, in ſiniſtra poſiti.

*Lienis poſitio.*

Cuius uiſceris gibba pars ad extrema notharum coſtarum conuerſa eſt, & quicquid his ad ſiniſtra ilia contiguum eſt. Concaua autem ad dextram partem inclinat, contra iecur & partes inibi ſita. Mittit itaque à ſe uena illa ramos quoſdam exiguos, partim in lienem, partim in omentũ. Noo ramen uas in lienem abſumit, ſed quod ex eo reſtat, unà cum arteriç ſibi iunctæ reliquo, deorſum uerſus, per ſiniſtra ilia pertendit, fitq; omento generationis principium, penes hanc partẽ. Eodem modo in dextris ilijs omenti portio deſcendit, cum illius loci uaſis, quæ in uentris gibbo ſeſe contingunt. Quapropter & hic illud, tanquam indicem ſequutus, adamuſſim ipſius originem, præter iam dictas, conſpicies. Portò inferior omenti portio, pauciores uenas & numero & magnitudine obtinet. Enaſcitur autẽ ex uentris ſimis, unde & uaſa habet, reliquias quaſdam ſimul ipſi deorſum uerſus abducentia.

*Omenti figura.*

Omnes autem hæ particulæ ſibi mutuò continuæ ſunt, corpusq; unum, nempe omentum, conſtituũt, idq; figura marſupij, quod orificiũ quidem ex uentriculo exortũ ſuperius & inferius obtinet: totũ uerò eius ſpatium, quatenus ex dictis cõſiſtit principijs, deorſum uerſus procedit. Adnaſcit aũt interdũ omentũ ipſum alicui fibrę iecinoris, lieni, atq; etiam colo. Sed qualenam ſit omentum, & unde oriatur, ſi ad prædictum modum confectionem moliaris, haud ægrè inuenies.

*Meſenterii ſubſtantia ex quibus conſtet.*

Quum aũt multæ ſint cooiugationes ex arteria, uena & neruo, in ſingulis orbibus inteſtinorũ: inſuper multa inter eas ſpatia, in quibus duplex peritonæũ habetur: ex his omnibus conſtare meſenterij ſubſtautiã, ipſi omento perſimilem, intelligito. Hoc ſiquidẽ corpus,

*Meſenterium. Lactes. Meſaræum.*

quod meſenterium, meſarçum, & lactes dicitur, medium inter inteſtina habet ſitũ, & omnes uenas ex iecore in ipſum deſcendentes, unà cum uicinis arterijs & uenis, in orbem complectitur, quemadmodum ipſa ioteſtina ſingula. Vbi igitur uaſis & inteſtinis obtenditur, ſimplex eſt: ubi uerò ipſis medium ioteriacet, nõ amplius indumenti uſum, ſed copulæ exhibet, nimirũ duplex quum ſit. Quòd ſi obeſum abundè animal fuerit, eatenus augeri meſenterij pinguitudinẽ accidit, ut interdum uaſa conſcendat. Quanquã in huiuſcemodi animantibus etiã alias pleraſq; peritonęi partes pinguedinẽ habere conſpicimus, pręcipuè in quibus non grandia uaſa habentur, & uiſcera longius abſunt: quippe à calore liqueſcit, à frigore conſeruatur: atq; ob id ſemper in neruoſis conſiſtit partibus, & ijs qui otioſam uitam agunt, abundat.

*Pinguitudinẽ à calore liqueſcere, conſeruari à frigore.*

Talis ſanè peritonæi, & eorum quæ ex eo gignuntur, natura eſt.

*Meſeraica uenæ.*

Porrò meſenterij arteriæ ac uenæ inuicem coëuntes, ceu in arboribus ipſis radices, ad principium unum omnes perueniunt. Iam uerò ea quæ intra peritonæum conſiſtunt, pręſtat ſingula per ſe, ex corpore exempta, inſpicere. Licebit etiã, poſt exempta inteſtina, glandulas meſenterij unà cũ uaſis, quæ ad ipſas perueniunt, ab illis orta, quæ ferebantur ad inteſtina, intueri.

*Ventriculo ſinguliſq; inteſtinorum duæ tunicæ inſunt. Veſica & uulua unica tunica ineſt. Fibræ uentris et inteſtinorum. Sanguine præditis quæ inſint.*

Ventriculo igitur, atque ſingulis inteſtinorũ, duæ tunicæ inſunt: unica autẽ tum ueſicæ, tum uuluæ. Habet aũt interior uentriculi tunica, fibras rectas, exterior orbiculares. At in teſtinis, pleræq; circulares inſunt fibræ, quibus pauculæ rectæ ſuperpoſitæ ſunt. Omnia igitur hæc cunctis animalibus ſanguine præditis inſunt: quibus omnibus etiam & iecur ineſt. Quæ uerò iecur habent, ijs & lien omnino eſt, & meatus qui bilem excipiant, etſi fellis ueſica nonnulla careant.

*Veſica fellis ſitus.*

Cuius ſitus idem ipſam ſortitis animalibus, ſub maxima fibrarum iecoris perpetuò eſt. Non tamen iecoris fibræ pares numero, uel genere, uel ſpecie, uel magnitudine, in animalibus cunctis habentur.

*Iecur magnum multifiduq; ineſſe guloſis & timidis.*

Guloſis enim & timidis ineſt magnum iecur, multifidumq;: *diuerſum autem, contrario modo affectis. At quibus magnum eſt, in plures maioresq; fibras, quàm hominibus, ſciſſum eſt: quanquã in hominibus uniuerſis, nec magnitudo, nec fibrarũ numerus ſimilis uiſatur.

*Iecur nonnullis hominum in ſiniſtra parte locatum.*

Occupat autem interdum paucis in hominibus partem ſiniſtrã iecur, ſicuti & in multis animalibus alijs.

*Inteſtinorũ natura, & ordo. Exortum inteſtinum. Dodecadactylon, ſiue ieiunũ. Tenue inteſtinũ, ſiue ileon.*

Inteſtinorum natura, quateous inteſtina ſunt, omniũ eadem habetur: magnitudine autem & numero anfractuũ euariat. Primum igitur inteſtinũ eſt, quod exortum, ſiue ἔκφυσιν uocant, pyloro continuũ. Ab hoc ſecundum, quod à duodecim digitorũ longitudine, dodecadactylon dicitur: ieiunum aũt, quòd cibo ſemper ſit uacuum. Tertium tenuius ioteſtinũ, eſt ſubſtaotia huic ſimile. Differt autem, quòd neq; reperiatur uacuum, nec tot uaſis ſcateat.

*Cæcum inteſtinum. Colon inteſtinũ. Rectũ inteſtinũ.*

Quartum eſt, quod cęcum appellant. Quintum, quod colon. Ab hoc in extremo rectum inteſtinum ad ſedem uſq; porrectum eſt.

*Lien in ſiniſtra parte locatus. Vena à liene in uentriculum.*

Sic & lien in ſiniſtra parte conſiſtit, concauo ipſius in dextram conuerſo. Atque uena quædam ex iecinore ad ipſum pertinet, cuius proceſſus io uentriculũ deriuat. Porrò iecur uenas ex meſenterio ad concauã ipſius partem perniuentes, excipit.

*Portæ uenæ.*

Vocant autem hunc locum, in quem omnes uenæ meſeraicę ſe colligũt, portas. Hic enim reperies maximũ uenæ os, in quam aliquo ſpecillo immiſſo, per ſingulas fibras leuiter ipſum propellẽs, ſubſtantiã incumbentẽ ſcalpello præcides, donec ad eam uenam, in qua latet ſpecillum, perueneris. Hac detecta, ſic ut ipſam nõ diſſecueris, carnẽ uiſceri circundatã uaſis inde procedentibus,

cedentibus intermediã adimito. Siquidē à portis in singulas fibras, quotquot fuerint, uenã unam grandē porrigi deprehendes, qua in exiles multas diffusa, sicuti & illis in alias, quantū uasa interiacet, totū uisceris carne repletū est, quam tuis met digitis eximere poteris, ut uasa ipsa nuda cernere liceat. Quod aūt in una tibi fibra conspectū fuerit, id comperies in omnibus. Quòd si exactè portarū regionem sequaris, spectabis etiam meatū ex bilis uesica, ad intestinorū productionis initiū peruenientē, non multò inferius, quàm pylorus habet. Qui meatus, quà huic inseritur, ramulum de se paulò supra pylorū emittit. Omnia itaq; hæc accuratè intuitus, deinde hepatis gibbã accedes, illã ipsius fibrã incidens, cuius concaua in parte uenas detexeris: quippe uenas similiter in gibba sine arterijs propagari cernes. Constat aūt uena ex una duntaxat tunica, sicuti arteria ex duabus. Sed iam ad renes ire tempestiuū uidetur, quorū dexter in omnibus animantibus elatior eminet, nonnunquã grandem iecoris fibram attingens. Porrò à spinæ uasis, arteria nēpe & uena, inserunt in eos haud exiguę magnitudinis uasa, simijs quidem singula utrinq;: alijs aūt quibusdã animalibus, bina. Insuper concaua in sese renes cōuersa obtinent: gibba uerò ad animantis latera aduersa. Euidenter aūt renis sinū cernes, corpore quodã membraneo circundatū: cui quidē haud procul à uasorū insertione, alterum quoddã corpus in utroq; rene adnascit, cōcauū & oblongū, quod à deferendo lotio, uretera, hoc est, urinariū meatū nominãt: qui una tantùm tunica cōstat, crassiori tamen q̃ quę inest uesicę. Hi igitur duo pori, substantia quidē uesicę similes, obliquè simul in eam inseruntur, in cuius regione interna, tale sortiuntur operculū, quale in columbarijs scyphones dicti. Est siquidē tam sapienter constructū, ut ab ijs solùm recludi possit, quę per meatū deferunt. Mox aūt deprehendes, quū meatus urinarios peritonæo (quo obuoluuntur) nudaueris, & arterias & uenas similiter suspensas, ad peritonæi foramina obliquas deduci. has quidē ut testes nutriant, illas ut generationi subseruiant. Superest aūt ut tertiã tibi instrumentorū differentiam cōmemorem, quæ nimirum musculi sunt, alij in abdomine, nō excrementis tantū egerēdis, sed ad efflationes quoq; & uoces ædendas, cōmodi: alij in sede ad stringendū, claudendūq; meatus extremū, accōmodati: à quibus etiã reuellitur sedes, si quãdo per deiectiones crebras prolapsa fuerit. Vbi igit pubis ossa, cartilaginis interuentu coëuntia, diduxeris, in exterioremq; partē utrūq; iliū os detorseris, conspicies sanè ligamentū quod tum ex lato osse, tum ex pectine orit, in unū musculi corpus degenerare, magni quidē, sed membranosi, latiq;, ad sedis utranq; partem producti. Eo igit tempore, quo animal aluū exonerat, octo abdominis musculi pariter cum septo, pro cōmuni omnium musculorū functione tenduntur: orbiculari musculo relaxato, qui circulatim sedē complectitur. Reliquo omni tempore circularis hic musculus constrictus, sedis os claudit. Similiter dum uesicæ termini musculum, ubi primùm ipsius ceruix oritur, detexeris, haud dissimilē eum esse ab illo sedis orbiculari comperies, tum functione, tum usu: quippe & hic, sicut ille, orificiū, cui præpositus est, constringit.

*Bilis meatus in exortum intestinorum descendens.*

*Hepatis gibba habere sine arterijs uenas.*

*Vena cōstat ex una tunica.*

*Arteria ex duabus tunicis constat.*

*Ren dexter elatior eminet.*

*Vasa in renes inserta à magna uena et arteria.*

*Renū uentres.*

*Vreteres pori una tantam tunica constant.*

*Vreterum uasorum intra uesicam opercula.*

*Vasa in testes delata.*

*Abdominis musculorum usus.*

*Sedis musculorum usus.*

*Colli uesicæ musculus per omnia similis est sedis musculo.*

## GALENI PERGAMENI de anatomicis administrationib. lib. VII.

Hoc libro quomodo spiritalium instrumentorū confectionē administres, explicare proposui. Pulmo igitur, cor, & thorax, principaliora spiritus instrumēta sunt. Mox arteriarum genus duplex: unū à sinistro cordis uentriculo in uniuersum corpus propagatū: alterum quod earum est arteriarū, quas asperas uocant. Quarū quidē in ceruice una maxima existit, quę frequenti ramorū serie pulmones adit. Cuius superiori extremo, ueluti caput quoddã, incumbit particula larynx dicta. Hęc itaq; uniuersa, primaria ratione natura condidit: quædã necessarij ad uitã ipsam usus gratia: quædã utilia, non tamen animantibus necessaria. Iam uerò aliã quandam cōstruxit particulã, quæ & substantiæ peritonæo similis compos est, & eundē usum omnibus spiritus instrumentis, ueluti illud cibi, exhibet. Est aūt particula hæc, ipsa costas succingēs membrana, quæ omnibus intra thoracem instrumentis obducitur, quemadmodū peritonæū uasis quæ infra septū habent. Ex ipsa aūt, membranæ thoracem intercipientes nascūtur. Atq; hac sola re, structura ipsius à peritonæo euariat, quòd uidelicet duplex omnino sit, nō una, quemadmodū illud. Porrò naturam ipsius accuratè perdisces, si os pectoris, ubi detectū prius fuerit, secundū longitudinem dissecueris, usq; ad cartilaginem ensiformem, ac dein utranq; pectoris partem leuiter in exteriora reduxeris, ita ut pericardium, q̃d ambit cor, minimè uulneretur. Quòd si id fieri nequeat, membranę tamē thoracē intersepientes, ab affectu immunes permaneant. Sic siquidem utraq; membrana, tam quæ dextras, q̃ quæ sinistras succingit costas, quæq; supernis partibus, ipsiq; pulmoni obducit, sibi continua apparebit. At cordis tunica peculiaris, pericardios nomine, diuersa ab utraq; harū existit, in medio ambarū sita, & utrinq; ab ipsis cōprehensa. Non tamen ipsi cordis corpori pericardios hæc tunica annexa est: * uerùm circa alias quidē omnes ipsius partes, haud parua quædã regio intermedia existit, motui cordis accōmodata: ad basim uerò eius, quę orbiculata est, prodeuntibus ab illo uasis, à quibus trahit ortū, connectitur. Porrò quemadmodū pulsans uiscus, omnes appellant cor, sic etiã pulsantia uasa, arterias nuncupãt. Cæteras igitur omnes arterias pulsantes, quotquot toto insunt corpore, sensu dignoscere, nullius est negotij: & omniū ipsarum cū maiore arteria continuitas, idem hoc indicat. Verùm in pulmone pulsantes, sensu admodum euidenter deprehendere nemo potest: inde tamen, quòd sinistro uentriculo sint continuæ, coniecturam aliquis fecerit. Etenim quod uas ex sinistro cordis uentriculo in pulmones defertur, tametsi corporis quidem substantia, sit uena, hoc est, uenæ tunica constet, usu tamen uenosa arteria uocatur,

*Spiritus instrumenta principaliora quæ.*

*Arteriarum genus duplex.*

*Aspera arteria.*

*Larynx.*

*Membrana costas succingens est duplex.*

*Pericardium ambire cor.*

*Pericardij situs.*

*Cor pulsans corpus.*

*Arteria uasa pulsantia.*

*Arteria uenosa fertur in pulmones à sinistro cordis uentriculo, una tunica cōstans.*

*Vena arteriosa duabus tunicis constans prodocitur ad pulmones ex dextro cordis specu.*

Quod uerò ex dextro procedit, tametsi duas sortiatur tunicas, perinde ut arteria, quia tamẽ non pulsat, appellatur uena, sed arteriosa. Optimum quippe fuerit, pulsu, atq; eius defectu ipsa uasa discernere. Verùm quum hoc sensibus nõ adeò clarè distingui queat, à communione quam cum utroque cordis uentriculo habent, indi nomen debet: appendix uerò, à corporea substantia. Cæterùm iuxta corpoream substantiã arteria quidem est illud uas, quod ex dextro cordis uentriculo oritur: uena autem, quod ex sinistro. Contrà, usus ratione, quod ex sinistro prodit, arteria

*Venas totius corporis constare ex unica tunica: arterias ex duabus.*

*Arteriæ tunicæ quales.*

est: quod ex dextro, uena. Totius igitur corporis uenæ, ex peculiari una tunica constant: arteriæ uerò, ex duabus: quarum exterior quidem, qualis uenæ tunica existit: interior autem, crassitie huius ferè quintupla, duriorq;, & trãsuersis fibris distincta: quæ interna superficie habet aliam, ceu cuticulã quandam araneorũ telæ persimilem. At exterior, quam etiam uenæ obtinẽt, rectis fibris, & quibusdã mediocriter obliquis, transuersis nullis, contexta est. Ex tribus itaq; uasis pulmonem intertexentibus, quod à sinistro

*Arteria uenosa.*

*Vena arteriosa.*

*Arteria aspera compositio.*

cordis uentriculo proficiscitur, nuncupetur arteria uenosa: quod à dextro, arteriosa uena: tertiũ, arteria aspera, ex cartilaginibus quæ imaginem C referunt, fabrefacta. Quæ cartilagines circulares, tum in grandi arteria, quæ in collo caudicis rationem obtinet: tum in paruis, quæ ab illa in pulmones insertæ sunt, in priori parte situm habent: in collo quidem, uicinæ œsophago: in pulmone autem, uenæ quam paulò antè uocauimus arteriosam. Porrò uasorum intercapedines, peculiari pulmonis substantia replentur. Licet autem pulmonem thorace exemptum, sicuti & cor ipsum, incidere, non tamen ita societatem ipsorum, quam cum membranis ineunt, cognoscere.

*Ossium thoracis consideratio.*

Iam uerò ossium thoracis naturam similiter speculabere, quæ euidenter quidem, corde animali exempto, in conspectũ prodit: quanquã & insito adhuc ipso, palàm cernatur. Præterea in tali administratione, præter iam commemoratum, hoc cõspicies, nempe cor, inter utraq; thoracis spacia medium, consistere.

*Cor inter utraque thoracis spatia medium consistere.*

*Spiritus receptaculum esse sinistrũ cordis uentriculum.*

Motus autem ipsius indicat, quasi in parte sinistra sit collocatum: idq; duplici de causa. Primùm, quia spiritus conceptaculum hic consistit: deinde, quia uertex eius ad hanc magis regionem inclinat.

*Costarum lationes.*

Porrò costæ singulæ deorsum uersus simul & prorsum obliquè feruntur, ex spina ducentes ortum. Nam duplicibus inibi articulis cum unaquaq; dorsi uertebra committuntur. Vbi uerò ad pectoris regionem perueniunt, cõtrario modo, sed obliquè etiam ad os illius attolluntur: ubi cartilago uice ossis genita, diuersam naturam obtinet, facileq; acuto simul & ualenti scalpello potest incidi. Rectam itaq; utraq; parte lineam deorsum uersus per totius thoracis regionem ducens, eam pectoris partem attollas, quam utrinq; ductæ lineæ diffiniunt: postea uerò diducas latera, robore maximo adhibito, ad reflectendas eas partes costarum, quæ uertebris uicinæ existunt. Sic enim omnes thoracis partes palàm intueri licebit, ac multò magis septo à costis abscisso: insuper hoc magis adhuc, si duabus costis diremptis inuicem, omnem carnem intermediam præcidas. Sic igitur & uenam cauã manifestè ad iugulum usq; recto tramite percurrentem cernes, & cordis processus, quos aures nominant, peculiarem naturæ sortientes substantiam, quę in alia nulla particula habeatur, quemadmodum profectò & cordis ipsius essentiam.

*Cordis aures.*

*Cordis substantiam permultũ differre à musculo.*

*Cordis motum esse nõ arbitrarium.*

*Musculorũ functio arbitrio animalis subseruit.*

*Actiones imitãtur proprietatẽ substantiæ.*

Quod autem corporea cordis substantia, permultum à musculo differat, ex illius sanè constat actione. Est enim cordis motus nõ arbitrarius, nec cessare, quoad animal uita fruitur, potest. Musculorum autem functio subinde quiescit, ac rursus excitatur, animantis arbitrio subseruiens. Actiones uerò imitãtur proprietatẽ substantiæ. Huius rei gratia, quæ quidem particulæ eandem speciem substantiæ possident, similiter operantur, etsi diuersis permultæ animantibus insint: quæ uerò non habent, diuersa harum est functio, quamuis unius animantis particulę existant. Quapropter nec musculi eandem cum corde functionem habent, quoniam neq; substantiam.

*Gustus differentia, differentes esculentorũ substantias arguit*

*Cor nec musculus est, nec eget neruis ad obeundas functiones.*

Etenim si quis cor & musculum quemlibet pariter coctum, utrunq; gustarit, haud mediocrem ipsorum gustu differentiam persentiet: id quod substantiarũ differentiæ maxima nota existit. Hallucinantur igitur qui cor musculum esse existimant, aut neruis id ad suam functionẽ egere: non intelligentes actionis ipsius excellentiã, ex sua uisceri substantia necessariò inesse. Cor siquidem thorace exemptũ, diu moueri uidetur: quare neruis ad eum motum non indiget. Qui si similem motum præstare possent, cur cæteræ partes cui nerui insunt, non similiter pulsare uidentur? Porrò omnes neruos utranq; facultatẽ habere, sensitricem nempe & motricem, ratio est.

*Neruis omnib. sentiendi & mouendi facultas insita.*

*Neruos molles ad sensum, duros esse ad motum aptiores.*

*Viscera unde neruos recipiãt.*

Verùm molles ad sensum aptiores, duri ad motũ existunt. Ab eadem tamen radice pluries discissa, apparent quidam nerui in musculos, alij in alias particulas inseri, quemadmodum & in tertia ipsorum coniugatione, & sexta nihilo minus, habere nouimus, à qua cor exilem quendam neruum accipit: unde etiam pulmo, iecur, uentriculus, & mesenterium insuper totum, unà cum intestinis, necnon uniuersi laryngis musculi, suas excipiunt propagines.

*Cor animosæ facultatis initiũ esse.*

*Cordis auricula.*

Iam uerò cordi, quod animosæ uirtutis initiũ est, ac ueluti fons quidam natiui caloris, aures quædam annexæ sunt, neruosiores ac magis cuticulares ipsa cordis substantia. Quę particulæ & colore nigriores sunt, & corpusculis cuticularibus manifestò similes, sinus cuiusdam ante cor efficiundi gratia: ob quam rem, ipsas natura & concauas & cuticulares condidit.

*Cordis auricularũ numerus.*

Duę uerò hæ sunt, in utroq; uasorum materiam inuehentium singulæ. In dextra quidem parte, qua uena in cordis sinum inseritur: in sinisteriori uerò, qua arteria uenosa. Has aures quũ aperueris, tum ipsum cordis corpus in conspectu erit, tum ex dictis orificijs utrunq;: deinde membranæ insertioni ipsorũ incumbentes, tres quidem in sinu dextro, duæ uerò in sinistro: quarũ structurę figura, similis telorũ cuspidi existit.

*Cordis auriculis incumbentium membranarũ numerus, & figura.*

Sed hęc quidem & corde thoraci exempto licet accuratè intueri, sicuti etiã reliqua duo orificia uasorum, quæ materias ex dextro quidem uentriculo in pulmonem educunt, ut uenæ arteriosæ:

arteriosæ: ex sinistro autem in totum animantis corpus, ut grandis arteriæ. In quibus iterum tres utrinq; membranas ad C. literæ similitudinem factas comperies, extra cor tendentes, uelu ti trisulcas intrò. Prius uerò quàm cor ex animante auferas, cauæ uenæ ramos considera: ad hæc glandium magnum, quod Græci thymum uocant: rursusq; cordis panniculi radicem. Insuper examina, quo modo à dextro sinu uena quędam ad spinam portendat, quintã dorsi conscendens uertebrã. Etenim quæ uenæ ipsum cor nutriunt, perpetuò in omnibus animantibus, ex illo etiam sinu prodeũt: ac uocant ea uasa, cor inuoluentia: quoniam bina numero totum ipsum perreptanr: quemadmodũ à læua parte duę arteriæ, maioris soboles, post primũ extra membranam processum, in ipsum cordis corpus perueniunt. Reperitur aũt os unũ in corde animaliũ omnium, quanquã non exactum, sed cartilaginis instar. Cæterùm quanto animãtis genus fuerit corporis mole uastius, tanto plus osseæ substantiæ cartilago illa sortiet. Quare in maximis, ubi plus osseæ substantiæ gignitur, conuenit ipsam tunc appellare cartilagineum os, minimè cartilaginem osseam: quale nimirũ os, ipse haud magno negocio reperi, in illius elephãti corde, qui Romæ nuper fuit iugulatus. Suspenduntur autem ex tali osse ipsæ membranarũ radices, uasorumq; arterialium processus, ibidem suspensi corroborantur: quem scopum sibi in illius generatione proposuit artificiosa natura. Cæterùm qui me administrantem non uidit, sed edoctus libris ad consectionem accedit, detecto quidem sinistro sinu, aperto autem in longũ toto aortæ processu, si studiosè radices aortæ & membranarum sequatur, ex facili os ipsum inueniet: siquidem huius radix, & uenæ arteriosæ, membranarumq; ipsarum, in osse cordis habentur. Quòd uerò Aristoteles ait, triplicem sinum inesse cordi, merum esse somnium uidetur. Toto corde nudato, uidebis sinisteriorem eius uentriculum ad summum patescere uerticem: dextrum inferius multò cessare, & circunscriptionem subinde propriam habere. Omne autem animal, uel elephante grandius, uel alauda minutius, quod aërem inspiret, similem cordis structurã obtinet, uel potius specie eandem. Similiter & pulmonis: cuius fibræ in omnibus animantibus, de quibus uerba fecimus, duæ quidem in dextra ipsius parte habentur, duæ uerò in sinistra: præter has in dextra thoracis parte, alia quædam quinta fibra exigua, ueluti alterutrius soboles, cernitur. Licet autem cor ipsum, adhuc uiuente animali, citra thoracis sinuum conuulneratione, detegere, si pectoris os à subiacentibus liberans, te confestim ad inuolucrũ ipsius cordis dissecandum conuertas, membranis quæ thoracem intersepiunt, minimè uulneratis. Quæ quidẽ si, ut dixi, corde detecto illæsæ permaneant, omnes ipsius cordis functiones incolumes in uiuo animali seruantur. Siquidẽ & respirare similiter, & clamare animal uides: ac si à uinculis ipsum liberes, currere, ut prius cõsueuit. Quòd si uulnus uinculis adhuc cõprimas, etiam cibum assumere, si esuriat, cõspicis: atq; si sitiat, bibere. Et quid oportet mirari, quũ Marylli Mimographi puer curatus sit, uiuatq; adhuc, etsi cor illi aliquãdo fuerit detectum? Vbi igitur cor citra thoracis perforationem detectũ est, uasorum exortum fune excipere minimè possis: cordis autem basim possis, uerùm animal statim cõmoritur. Porrò alterutra, uel utraq; capacitate thoracis forata, omnia quę respirationi subseruiunt, destruuntur. Antè uerò quàm perforata sit una uel altera pars thoracis, non licet ipsum pulmonem cernere, nisi fortè costa excisa, succingentem membranam conserues integram. Si uerò animus sit utranq; thoracis capacitatem scindere, duas lineas per costarum flexus ad animalis longitudinem ducito, quibus ossa reflexa dirimes. Deinde aliam transuersam lineam tertiam per mucronatam cartilaginem incides. Post hæc toto pectoris osse reflexo sursum, pericardioq; diuulso, ambos cordis sinus æquè pulsantes uidebis. Cæterùm euidentius adhuc quàm antea cernes arterias, aut uicissim, aut eodem tẽpore & numero per totum animal eleuari, submittiq;. Hæc igitur confestim ipso detecto innotescũt. Procedente tẽpore, breues utriusq; uentriculi motus, longis interuallis intercipiuntur. Iam dextri sinus eleuatio, peculiari ipsius natura perficitur. Huiusmodi autem spectabis potissimum, ubi ipsi uentriculi immobiles propè euaserint. Primùm etenim, utraq; ipsorum, quæ ad uerticem consistunt, moueri cessant: mox quę his proxima sunt: atq; hoc fit perpetuò, donec solę bases in motu uersantur. Quibus cessantibus, languidus breuisq; motus ex longis interuallis in cordis auribus cernitur. Enimuerò qui pollicentur se ostensuros arteriam sanguine uacuam, inania illi, & minimè probabilia pronunciant.

*Glandium. Thymon.*

*Venæ cor nutrientes, vnde exoriantur.*

*Arterias duas corpus cordis inuoluere.*

*Cordi inesse os vnum cartilagineum.*

*Cordis ossis vsus.*

*Cordis ossis inueniendi ratio.*

*Cordi nõ inesse tres sinus.*

*Cordis structuram inspirantibus aërem esse omnibus eandem.*

*Pulmonis structuram esse omnibus eandem.*

*Pulmonis fibrarum numerus.*

*Marylli puerũ curatum fuisse, cui detectũ cor uer at.*

*Cordis vtrunq; sinum pulsare.*

*Arterijs inesse sanguinem.*

## GALENI PERGAMENI
### *de anatomicis administrationibus*
### *Liber VIII.*

Horacem porrò nominant, quod à costis cõprehenditur. Sunt aũt hæ omnibus quę prius retuli animantibus, in duodenum numerũ exporrectæ. Rarissimè siquidem decima tertia costa uisitur: atq; hæc ita rara sunt, ut inter mille uix unũ tali costarũ numero inuenias. Elatior aũt thoracis finis, ipsæ claiculæ existunt: quemadmodũ demissior omni animantiũ generi, septũ transuersum, quod phrenas & diaphragma nominant. Sedes omnibus costis duplex: prior, pectoris os: posterior, uertebræ sunt, quæ totidẽ numero planè, quot & costæ habentur. Pectoris os, unũ quidem apparet, ob structuræ concinnitatem. Membranis aũt derasis, quòd & plura ossa sint, & numero totidem, quot cum eo costæ cõmittuntur, palàm innotescit. At uerò septem priores thoracis costæ, cum pectoris osse coarctantur. Octaua uerò ad radicem cartilaginis ensiformis consistit. Reliquę quatuor in thoracis latera desinunt, tantũ priori parte deficientes, quanto etiã alijs breuiores sunt. Minima inter ipsas est quæ postrema habetur. Omnes igitur retrò cũ dorsi uertebris coarctantur, idq; du

*Thorax dicitur quod à costis cõ tinetur.*

*Costarum duodenus numerus*

*Clauicula.*

*Septum transuersum.*

*Phrenes.*

*Diaphragma.*

*Costis omnibus duplex sedes.*

*Pectoris ossa tot quot costæ cum eo committuntur.*

*Costarum septem priores cũ pectoris osse coarctari.*

*Costas omnes uertebris dorsi alligari duplici nodo.*

plici nodo: altiori quidē, ad ipsum uertebræ corpus: humiliori, ad lateralem ipsarum processum decliuē. Hinc aūt in priorem, infernamq́ue regionem longius obliquæ procurrunt, & quum iam anterius fuerint, ab hac latione cessant: ubi naturam cartilagineā sortitæ, sursum ad pectoris os, cōtra priorē motum mouentur: quarū finis cartilago exquisita censetur. Ab huius aūt cartilaginis partibus intimis, septū trāsuersum oritur.

*Septi transuersi origo.*

Elatior, anteriorq́ue ipsius pars, cartilagini mucronatæ subnascitur: quemadmodū posterior atque demissior, ipsi spinę cohærescit. Verùm superior pectoris ossis finis cū prima semper costa committitur, necnon cū clauiculis, in quibus hæ nimitum habent̄. Cęterùm nō omnes musculi, qui thoraci quocunque modo cohærescunt, motus ipsius gratia sunt condin. Nam quidā à pectore & costarū spuriarū sedibus sursum tendentes, humeri subseruiūt articulo. Quidam ad abdomen descendentes, suos usus habēt, & thoracē paululum detrahūt. Quemadmodū qui costarū extremis àforis obiecti, iuxta pectoris os prorsum, & uertebras retrorsum, iuncturas cōstringūt, & thoracē leuiter comprimunt. Totū uerò ipsius motū manifestè gubernat inferius septū ipsum trāsuersum, dum intenditur, laxaturq́ue uicissim: dilatans, cōprimensq́ue indidem terminū, ac attrahens ab ima parte per mucronatā cartilaginē pectoris os: costas autem spurias sursum leuiter & prorsum.

*Respirationem (quæ putatur esse naturale opus) à solo septo transuerso suppeditari.*

*Septum transuersum est musculus.*

Iam uerò respirationē (quę naturale opus, nō animale putatur esse) septū transuersum duntaxat suppeditat. quod non modò substantia, sed usu quoque musculus est. Vt aūt ad intercostales musculos nos cōuertamus, eorū fibras superficiarias ab elatiore costa ad humiliorē leniter obliquè in anteriora pertinentes conspicies.

*Musculorum intercostalium fibræ.*

Paulatim uerò has dissecans in animali cōmortuo, tūc internas accedes situ his aduersas, ut ambo ad X literæ similitudinē habitum inter se exigant, quē usque ad cartilaginosas singularū costarum particulas conseruari uidebis, in illis aūt uariari. Etenim in his exteriores fibræ talem haud dubiè situm occupant, qualem interiorē sortitæ erant: contrà interiores, qualem possidebāt externæ. At in musculis costarum, quas nothas uocant, ad finē usque ipsorum, eadem fibrarū natura consistit: quoniā hæ nullo flexu incuruantur.

*Costarum singulis in propinquo esse arteriam, venam, & neruum.*

In ipsis porrò intercostalibus musculis, proximè ad ipsius costæ os, arteriā, uenam, & neruum, in ima cuiusque ipsorū parte cōperies: propius tamē ipsum neruū. Quare diligentiā adhibeas oportet, corporibus quæ fibris incidendis subiacent: nam hæc tria mutuò se uidentur cōtingere, nempe arteria, uena, atque neruus. Cęterùm medio inter summas altasq́ue fibras situ neruū cernes, si fibras ad amussim sequaris. Plures tamen superficiariæ fibræ ijs quę in alto habentur, esse apparebunt.

*Fibris utrorūque musculorū intercostalium dissectis perire vocem.*

*Suem magnum esse aptissimum ad spiritualiū organorū anatomen.*

Porrò animal amplissima uoce prędirum, aptissimū est ad cōsectiones, in quibus uox quædam læditur. Vtrisque igitur fibris dissectis, uocē simul & efflationē animalis perire, ipsa res persuadebit. Quare præstat in huiusmodi administratione suem magnū adhiberi. Valens enim ei membrana costas succingens inest, quā ne perseces, sedulò curandū est. Hac enim secta, dum thorax attollitur, nō parum aēris ambientis, in mediam thoracis pulmonisq́ue regionē trahit. Dum aūt submittitur, hoc ipsum rursum per uulnus egreditur. Notum uerò est, ex aēre qui per inspiranem attrahitur, tantum necessariò ob uulnus perire, quantū uidelicet in ipsum thoracem influit extrinsecus. Quanto aūt per os minus q̄ ad necessariū sibi usum inspirauerit animans, tanto etiam minus efflabit. Cæterùm quanto efflatio ipsa decreuerit, tanto uocem sequi breuiorē necesse est. Iam uerò in quocunque musculorū intercostalium, si incidatur costas succingens membrana, idq́ue linea notabili, animal semispirans protinus & semiuocale redditur.

*Spiratio et vox quando pereāt.*

Sin aūt in altera thoracis parte æquè secta fuerit, spiratio & uox abolетur. *Quemadmodū si in contractione thoracis uacui aēre, qui per uulnera elapsus est foras, plagas obturaueris ipsas, respirabit confestim animal, uocemq́ue emittet. Quòd aūt utrisque fibris sectis in omnibus musculis intercostalibus, non uox modò, sed efflatio quoque intereat, nostrum inuentum est: quemadmodum etiam, ubi solis neruis præter dorsi medullam sectis, inoffensæ quidem musculorum fibræ seruantur, actio autem deperditur. Licet uerò circa spinam dorsi neruos omnes, qui in musculos intercostales perueniunt, lino exceptos attollere, non tamen uinculo astringere. Clamat enim sic percussum animal: deinde subitò obmutescens, ob neruos lino constrictos, spectatores reddit attonitos.

*Mutum qua ratione subitò reddi possit animal.*

Nam miraculum esse uidetur, neruis exiguis in dorso laqueo interceptis, uocem perire. Complures tamen in huiusmodi indicationibus tibi subseruiant oportet, ut quàm celerrimè laquei omnibus neruis circumponantur. At magnitudo offensæ haud æqualis in totū omnibus intercostalibus obuenit: sed ijs qui costas spurias attingunt, tanto minor, quāto musculi earū elatioribus minutiores existūt: quanquā musculus qui ad primam pertinet costam, oblæsus, minimā etiam offensam adfert. Porrò in elatioribus costis, neruus ipsis porrectus altius inuenitur: recedens aūt paululum ad imam regionem, in humilioribus. Cauendum itaque est, ne quū fibras diuidis, neruum subditū lædas: cuius offensionē immobilitas musculorū intercostalium, cohibitio efflationis, atque abolitio uocis sequūtur.

*Mutum reddi animal, insigniter læsis neruis qui excurrunt propter arterias carotidas.*

Ad hęc, nerui propter arterias carotidas transcurrentes, si noxa aliqua momentanea afficiantur, animal reddunt mutū: non aūt ijs similiter, qui intercostalia excurrunt. Quippe raucus quidā strepitus in ijs relinquit̄, qualis in somno stertentibus fieri apparet. Hic strepitus musculis intercostalib. resolutis obliteratur.

*Intercostales musculi qua ratione resolui soleant.*

Resoluuntur aūt cōfestim, aut fibris ipsorū consectis, aut costis excisis, aut neruo ad radicē uitiato, aut tota spinali medulla propter dorsi initiū incisa: qua sectione potissimū raucus strepitus abolet̄, simulq́ue omnes inferiores particulæ, quę ad musculos intercostales, atque imū uentrem spectant, cū eisq́ue etiā & sedis musculi, pudendorum, uesicæ, & crurum, subitò resoluuntur. Verùm diaphragma, licet infra musculos intercostales habeatur, non resoluitur tamen, quòd uidelicet ipsius neruorum origo, tota sit elatior thorace. Neque etiam illi musculi sex, qui

*Diaphragmatis neruum vniuersam originē esse elatiorem thorace.*

*Septo transuerso vti animal solo, ad paruas respirationes.*

qui ex ceruice descendūt, attollentes supernam thoracis regionem, quicquā inde offenduntur: etenim & ui hos nerui deferuntur à medulla spinali ceruicis. Vtitur aūt animal septo transuerso solo in paruis respirationibus. Qū̄ uerò maioris respirationis usus ipsi oboritur, aut ob exercitia, aut febrim, aut uehementē aëris calorem, necessitas quidem est, functioni diaphragmatis etiam intercostales musculos subuenire. Sin autem magis usus respirandi increuerit, uel ipsis elatioribus musculis illam functionē obit. Commune autem hoc de omnibus musculis sciendū est, quòd siue neruos ipsorū læseris, siue amputaueris fibras omnes transuersas, totos statim musculos suo motu priuabis. Quare necessariū tibi admodum fuerit, principia neruorum, qui in ipsos distribuuntur, & fibrarū situm, pernoscere. Etenim costę cuiusq; os, iuxta inferiorem circunferentiam nudare oportet. Vbi autem iam apparuerit neruus, unà cum eo uenit inspicienda uena, & arteria, quæ in superficie magis quàm nerui extant, humilius tamen paulatim sitæ. Igitur ab elatiori parte iuxta costæ circunferentiam hamulo exiguo subdito, licebit tibi neruum excipere, citra adiacentia uasa, præcipuè citra ipsam arteriam: quoniam ea, uehementiori sanguinis profluuio, neruum obscurat. Si uerò ipsam quandoq; uulneres, scalpello statim prehenso, transuersam totam disseca: hæc nanq; communis est omnium uasorum sanguinem mittentium prohibitio. At spinalem medullam totam transuersim incides, nihil integrū ex ipsa relinquens: nisi fortè ex industria dimidium eius tantùm uelis resoluere. Iam uerò spinalis medulla, quum iuxta longitudinem deorsum uersus per medium ad rectam secatur lineam, nullum ex intercostalibus neruis resoluit: neq; eos qui lumbis uel cruribus insunt. Transuersim autem quum dimidia duntaxat pars eius diuisa fuerit, siue sinistra ea sit, siue dextra, omnes nerui, iuxta rectum incisæ partis tramitem, ordine resoluuntur. Quum itaq; semiuocale animal uoles reddere, in hunc secabis modum. Vbi autem mutū subitò, totam spinę medullam transuersam diuides. Quoniam uerò costis etiam excisis, tum efflatio, tum uox animalis offenditur, quemadmodū ob musculorum, neruorumq; sectionem: dum animal uocem edit, transuersam aliquam costam disseca, usq; ad succingentem membranam, ita tamen ut illam nec conuellas, nec uulneres. Vbi uerò costam à subdita membrana deraseris, facillimum erit partes eius diuisas, ad utrunq; terminū, nempe ad os pectoris atq; spinam, reflectere, ac sic læsionem deprehendere. At si musculi alterutra in parte, aut dextra, aut sinistra, resolutionē experti fuerint, dimidiata efflationis ac uocis portio aboletur. Sin autem alterutrius dimidiata, tum ambarum functionum pars quarta uitiabitur. Nam pro musculorum qui resoluuntur numero & magnitudine, semper noxa uoci succedit. Verùm fibris musculorū intercostalium sectis, uel excisis costarū ossibus, musculi quidā relinquuntur ex ijs, qui thoracē comprimunt, tum qui costarū extremis porriguntur, adeóq; eorū qui in imo uentre consistunt, primum atq; tertiū coniugium. Quum aūt thorax modicè ab his comprimatur, modica etiā efflatio gignitur, cui uox ipsa proportionatur. Ac sanè intercostales musculos, per neruos qui de spinali medulla ad ipsos pertinent, motu destitues, in quē dixi modū: diaphragma uerò, ubi huius neruorū principia similiter ut reliqua affeceris. Descendūt enim in thoracē hi nerui per ceruicis latera inter duas grandes colli uenas, deorsum uersus obliqui, musculis collo subditis inhærētes, tres quidē utraq; ex parte, qui plerunq; in suibus habent: in simijs uerò plurimùm duo. Tertius aūt raro in his uidet, ut in suibus quartus. Origo ipsorū omniū est ceruicis spinę medulla. Ex quartę siquidē & quintę uertebræ interuallo, prima coniugatio procedit: ex quintę & sextę spacio, secunda: ex regione post sextā uertebrā, tertia, quę etiā exigua admodum est: quemadmodū si quarta quandoq; accedat, eius quę post septimā uertebrā habetur coniugationis, propago perpusilla existit. Igitur omnibus ijs incisis, diaphragma motus fit expers. Pari modo si musculorum singulorū ex ceruice ad thoracem descendentiū, qui sex numero habentur, neruos affeceris, actionē uitias. Affectus aūt est duplex: uel dum secātur, uel dum intercipiuntur. Hoc itaq; in uniuersum de omnibus musculis intelligito, q̄ dissecto ipsorū capite, non amplius functionē obibunt. Quia uerò in quibusdam musculis capitum numerus ne deprehendi quidem potest, quū ex pluribus incipiat ossium processibus, tutius fuerit illic ipsos secare, ubi capita in idem primùm cōspirant. Atq; hoc quidē in anterioribus musculis factitare consueui, in quibus profunda sectione opus est, ut qui penitiorem sitū occupent, ubi capita ipsorū coierint. Nam in posterioribus expeditissima diuisio est, adeò ut uel unguibus possit administrari. At uerò si in regione media tertiæ quartæq; uertebræ, persecueris totam spinalem medullā, spiratione confestim totū animal destituitur, nō solùm thorace, uerumetiam infra sectionem toto corpore resoluto. Atqui perspicuum est, quòd si post secundam aut primam uertebram, aut in ipso spinalis medullæ principio sectionem ducas, repentè animal corrumpetur. Verùm si post sextā uertebram, medullā spinæ transuersam totam secueris, uniuersi quidem thoracis musculi statim motum amittent: solius autem diaphragmatis beneficio animans respirabit. At inferiores hac uertebra sectiones spinalis medullæ, permultis ipsius partibus thoracem moueri concedunt. Et quanto magis ad humiliores uertebras sectio ipsa inclinauerit, tanto plures thoracis musculos actionem obeuntes habebis. Non tamen sexta neruorum à cerebro coniugatio, respirationis muneri subministrare uidetur: quia ne uel particula quæpiam ipsius in ullum thoracis musculū propagatur. Quod uerò ad pulmonum situm spectat, costa excisa, atq; unà cum membrana quæ illam ambit, quæq; ὑπεζωκὼς uocatur, ablata, succingens costas simplex solaq; relinquitur, * quæ adeò transparentem per se inspectionem efficit, ut omnes facilè cernāt illos, pulmones dico, in uiuo animali esse thoraci coniunctos. At manifestior adhuc fit speculatio * per diaphragma

*Musculi qua ratione priuentur motu.*

*Medulla spinalis incisa transuersim, quid accidat.*

*Diaphragmatis nerui vnde proficiscantur.*

*Neruorum affectus duplex.*

*Musculi nō obibunt functionem, si capita eorum dissecentur.*

*Spinali medulla secta inter tertiā & quartam vertebrā, spiratione confestim destituo animal.*

*Sexta neruorum cōiugationis nullam particulam in aliquem thoracis musculum propagari.*

nudatum, ubi peritonæi uertex auellitur. Sic siquidem admodū conspicua diaphragmatis neruosa pars redditur, ut omnes palàm fateantur, pulmonem semper thoraci appositum esse, siue inspiret, siue etiam expiret animal. Cæterùm uel si etiam id suffocaueris, pulmonem à septo plurimum sriunctum uidebis: nec secus à thoracis lateribus: unde liquet colligere, spiritum in ipso contentum, in regionem eius & thoracis mediā uacuari. Omnino siquidem in animalibus quomodocunq; extinctis, pulmo à thorace distare uidetur: quod fieri non posset, nisi spiritus aliquid per substantiam pulmonis transfluens, in amplam thoracis capacitatem tranfiret: id quod certè Erasistrati opinioni aduersatur.

*Pulmo à thorace distare uidetur in animalibus quomodocunq; extinctis.*

## GALENI PERGAMENI
### de anatomicis administrationibus
### Liber IX.



Vonam pacto ea quę in cerebro & spinali medulla per consectionem apparent, optimè queas intueri, tum mortuo, tum uiuo adhuc animāte, hoc libro indicabimus. Quū aūt anatome quę in cadauere celebratur, cuiusq; particulę naturā & situm indicet, in uiuo aūt, interim functionē ostendat, interim aūt ad inuentionem huius, ratiocinationes exhibeat, manifestum utiq; est, mortui animantis consectionem præcedere eam oportere, quæ in uiuo administratur. Igit̄ ossibus caluariæ exemptis, membranam quæ cerebrū in orbem contegit, quæq; dura siue crassa appellatur, ad amussim inspicies, iuxta mediam ipsius longitudinē multò crassiorem seipsa apparentē. Pari modo sub sutura quæ à Græcorū literæ Λ similitudine appellat̄ labdoides, crassam ipsam membranā, duplici structam plexu, cerebrumq; aliquatenus ingredientem, cernes. Venæ porrò per ipsam utrinq; singulæ iuxta suturæ labdoidis latera excurrunt. Vbi uerò hæ in idem mutuò coiuerint, altissimus is ferè est locus, eorum qui in orbem circumiacent: quam regionem Herophilus uocat lenon, à torcularis similitudine. Non autem æqualis ab ea tum prior, tum posterior cerebri pars existit, sed anterior est multò maior. Verùm ad id quod elatissimum habetur, alter etiam crassæ membranę implexus accedit, necnon tertia quædam alia uena, præter duas prędictas, ad longitudinem porrigitur in anteriora excurrens. In superficie uerò, alius uenarum exiliū, quæ leno incumbunt, cōgressus est, iuxta illā partē, ubi sutura labdoides ossib. squāmatis connectit̄. Quapropter uenas has superficiarias prius secabis ad leni usq; summitatē. Dum aūt secas, primùm uacuabis, si grumus quispiā in ipsis coaluerit: deinde internā membranę superficiē intueberis, quomodo substantiæ speciē, etsi non tenuitatē, uenis habeat simillimā. Inde tenues uenas ab utraq; lenorum parte orientes spectabis, nonnullas quidē admodū graciles, quasdam uerò ampliores. Cernes aūt has quidē à parua leno, quæq; in superficie est, in propinquas cerebri particulas superficiarias disseminari: illas uerò ab altitudine magna, tum in posteriorē totā cerebri partem, quæ à nōnullis cerebellū, siue parencephalis dicitur, tum in priorē propagari regionē. Cerebello igitur uenæ se inserentes, & ab ijs quæ per suturæ labdoidis latera in lenum perueniunt, & ab ipso leno exactam uenæ tunicā habent. At in ipsum cerebrum, quod nonnulli anterius cerebrū uocant, per crassam membranam, mediam exactè sitam, secantemq; cerebrū in duas partes æquales, sanguis deriuat̄. Cæterùm & hinc uenæ frequentes omnino per totam longitudinem, in utranq; cerebri partem, sinistram & dextrā distribuuntur, omnes tamen exiguæ, duabus tantùm exceptis, una quidem ad lenum, in anteriora penitius procedente, ad totius capitis longitudinem, altera uerò multò maiore, neq; propinqua admodum leni regioni, neq; remota, sed in medio totius cerebri sita. Hæc uena in altū decliuis descendit, unde & multifariam propagatur. Spectabis igitur omnia hæc, priusquàm cerebrū aliqua ex parte diuiseris, in sola membrana crassa. Nudabis autem ipsam tribus in locis, quoniam & triplici plexu totum cerebrum secuit. Deinde iuxta sectiones tuis met digitis attolles seorsum partē ipsius sinistram, atq; seorsum dextrā, quibus contegebatur anterius cerebrū: seorsumq; similiter reliquam, qua nimirum posterius: omnesq; uenarum processus in tres totius cerebri partes disseminari conspicies, nōnullas quidem tam superficiarias, ut ipsarū rami in cōspectum prodeant: quasdam uerò altè penetrantes: omnemq; tenuem membranā, quam barbari piam matrem appellant, & quæ enumeratas uenas colligat, & cerebro extrinsecus circundat̄, cum uenis ipsis in uentriculum illius descendentem. Hæc itaq; secundam, qua inuoluitur fœtus utero, referēs, cerebro semper, etiam in profundo, cohæret: crassa uerò, ab illo plurimum distat. Vbi ea fueris intuitus, quæ cerebrum ambiunt, opportunum iam erit cerebrum consecare, anatomen ipsius exorsus à meninge illa tenui, bifariam anteriorem partem secante. Vnde absectis uel auulsis uenarum exortibus, à priori auspicatus termino, sursum tuis ipsius digitis illam attollito, donec ad grandem uenam perueneris, ex ea procedentē, quam in penitiora decliuem ferri retulimus: atq; hic rursus in altum sublatam alteri tenendam dabis: mox ipse iuxta longitudinem dissolues, utranq; cerebri partem à mutuo connexu leniter tuis secernens digitis, quousq; ad uenam in longum inibi porrectā ueneris, quam prius magnitudinis esse notandæ cōmemorauimus. Postquā uerò decliuem illam uenā, de qua facta est mentio, uideas, atq; ipsius usum simul inspiciēdo* cognoris, uenā ipsam à subiectis corporibus adimes, regionē interim quam detexeris diligenter inspiciens, quæ calli imaginem refert, ita ut naturalis quædam inibi concauitas esse uideatur, quæ ex circunstantibus partibus portionem alimenti non integrè elaborati recipit. Cæterùm leuiter auellere pergens, effigies etiam meatuum tenuium, qui ad medium usq; perueniunt uentriculum cerebri, inuenies. Notitiam porrò assequêris uentriculorum cerebri, callosam illam portionem conspicatus,

*Confectio animantis mortuí debet præcedere illā, quæ administratur in uiuo.*

*Membranarū cerebri consideratio.*

*Lenon.*

*Parencephalis.*

*Cerebro sanguis qua uia insinuat.*

*Meningem crassam secare tribus in locis cerebrum.*

*Meningem tenuiorē cum uenis penetrare ad uentriculos cerebri.*

*Meatus peruenientes ad medium uentriculum cerebri.*

spicatus, quæ manifestã adeò differentiã à dissectis cerebri particulis obtinet. Cernes autem in his etiam plexus, secundarum modo efformatos, cum quibus quidem ascendũt tum arteriæ, tum uenæ, atq; in uarios ramos disseminantur. Quare plexus hos inuiolatos seruare conaberis. In prima igitur utriusq; uentriculi confectione, plexuum dictorum, atqueadeò callosi corporis in cerebro aspectus, tibi index fuerit. Mox uerò corpus illud, quod dextrũ uentriculũ cerebri à sinistro dispescit, inspicito: quod eandẽ cũ toto cerebro substantiã possidet. Atq; hoc iam facilè abrumpitur, si uehementius extendatur. At si hinc quoq; totum ipsum simul cum unitis particulis auferas, & uentriculi euidentius, & uena decliuis circa corpus quoddam turbinatum discindi apparebit. Cuius uenæ propagines, tenuis quędam membrana, quemadmodum alias omnes uenas, connectit: quæ à membrana subtili, nec substantia, nec continuitate euariat. Atq; huius membranę interuentu, corpus illud turbinatum, cui uenæ incumbunt, absconditur: neq; fieri potest ut prius ipsum uideas, quàm membranas aliquatenus diuulseris. Quòd si à basi illius propter uerticẽ lineam rectam duxeris, ac postea utrinq; tunicam incisam detraxeris, facilè corpus ipsum detexeris. His peractis sic, iam licet antequã mediam turbinati & uentriculorũ sedem detexeris, utrasq; uenas considerare cum plexu ipso, circa turbinatum tendentes. Siquidem ubi corpus intermediũ detexeris, manifestò illinc ipsas prodire condisces. Contegitur autem ab illo corpore, præter iam dictos, quidam alius tertius uentriculus cerebri. Itaq; illis potissimum locis ipsum nudabis, per quæ uenæ, tanquã foramina quędã irrumpentes, priorib. uentriculis incidũt: nam media regio simul cum anterioribus patescit ad ipsa foramina. Vocatur porrò illud corpus ψαλλιδοειδὲς, ob fornicis similitudinem. Quòd si ipsum deseces, callus occurret tibi, ut in uentriculis anterioribus. Ad basim ipsius affirmatæ sunt uenæ, quæ concauitatem fornicis permeãt. Extrinsecus siquidem gibbũ habetur, intrinsecus autem cauum, quemadmodũ fastigiũ fornicis. Cæterùm si perpendas quomodo in animali uiuente omnes crassę membranæ partes, caluariæ adhæreant: cerebro autem soli, quæ ad ipsius implexus est: credes utiq; uerticem cameræ, siue fornicis, sursum uersus tensum seruari, uentriculum sub se magnum efficientem, Sic autem quum priores etiam uentriculi grandiores existant, totum septi caput in sublime simul cum continuis corporibus attolli necesse est. Ex quo igitur corpora quę superiacent sublimia & suspensa sunt, latam intus trium uentriculorum capacitatẽ efficiunt, quam in confectionibus perire necesse est, corporibus quę superstrata sunt delabẽtibus. Insuper meatus quidam maximus tertij huius uentriculi basi subiacet, qui ex prioribus superfluitates recipit, nec non ex* suprapositis partibus. Omnibus igitur quæ hic propositæ sunt particulis probè detectis, tertium uidebis uentriculũ, inter duos priores, & quartum posteriorẽ, mediũ. Etenim meatum cui pars turbinata insidet, ad mediũ uentriculum pertingentẽ cernes, ut foramina haud exigua duo uideantur, unum ad cerebellum, alterum ad medium uentriculum pertinens. At prædictus meatus, qui ex medio uentriculo ad posteriorem pertinet, inter carunculas quasdam, nates & testes cognominatas, quæ cerebri partes sunt, cõsistit, peculiari uelatus tunica, qualis nimirũ est tenuis membrana cerebri. Quinetiã alia particula cerebri tali meatui incumbit, eũq; contegit, quę ob similitudinem quam habet cũ uerme, excrescentia uermicularis uocat. Cuius duplex spectabis extremum: alterum in priori parte corpori turbinato exporrectum: alterum retro, ab elatiore cerebelli parte occultatum: quo quidem ad anteriora reflexo, nudari prorsus contingit quartum ultimumq; uentriculum cerebri.

*Ventriculus dexter atque sinister cerebri.*

*Ventriculus cerebri tertius.*

*ψαλλιδοειδὲς corpus.*

*Crassæ meningis partes omnes adhærescũt caluariæ, in animali uiuente.*

*Ventriculos anteriores cerebri esse grandiores.*

*Ventriculi cerebri tres.*

*Tertium uentriculum cerebri reperiri inter duos priores, & quartum posteriorem, mediũ.*

*Nates cerebri.*

*Vermicularis excrescentia cerebri.*

## GALENI PERGAMENI de Vsu partium corporis humani, liber I.



Corpora quæ nec undequaque propriam habent circunscriptionem, nec undequaque coniuncta sunt alijs, ea omnia particulæ uocitantur. Quod quidem si uerũ sit, multæ erunt animalium particulæ, aliæ sanè maiores, sicuti & aliæ minores, atque aliæ etiam omnino in aliam speciem indiuisibiles. Vtiles autem hæ omnes ipsi animæ sunt, quippe cuius organum corpus existit: & propterea multum differunt à seinuicem animalium particulę, quoniã & ipsæ animæ. Omnibus uerò aptum est corpus animę moribus & facultatibus. Equo siquidem fortibus ungulis & iuba est munitũ: etenim uelox, superbum, ac generosum est animal. Leoni autem, utpote animoso & feroci, dentibus & unguibus ualidum. At ceruo & lepori, animalibus timidis, uelox quidem est corpus, sed nudum omnino, & inerme. Timidis quippe, uelocitas: arma uerò audacibus expediebant. Neq; igitur timidũ aliquod armauit natura, neq; audax quidpiam nudum destituit. Homini autem (sapiens enim hoc animal est, & solum inter terrestria omnia diuinum) pro omnibus simul defensorijs armis, manus largita est, instrumentum ad omnes quidem artes pernecessarium: paci uerò, non minus quàm bello, idoneum. Non igitur indiguit cornu, aut ungula sibi innata, quum meliora illis arma, quandocunq; uolet, manibus possit accipere. Sed uelocior est homine leo. Quid hoc tandẽ est? Homo sanè equũ domuit sapientia & manibus, uelocius leone animal: quo utens, & subterfugit & leonem persequit. Quin & sedens ex alto, humilẽ illum percutit. Non igitur est nudus, neq; inermis, neq; facilis uulneratu, neq; calciamentorum expers homo, quum & thoracem ferreum, & multiplicem cùm armorum, tum etiam calceamentorũ atq; operimentorũ species, inter quæ sunt domus, turris, & murus, sua sibi parare possit industria. Si autem innatũ ei esset cornu in manibus, minimè posset eis uti ad earũ rerum omnium compositionẽ. Iisdem manibus homo uestem, rete, nassam, uelum, & sagenam

*Particula.*

*Animæ organũ existit corpus.*

*Moribus animæ esse aptum corpus, in omnib.*

*Equi natura.*

*Leonis natura.*

*Timidis expedire uelocitatem.*

*Audacibus expedire arma.*

*Homo sapiens animal, & solũ inter terrestria diuinum,*

*Manus homini tributas esse à natura, pro omnibus simul defensorijs armis.*

*Equus uelocior leone.*

*Hominis prærogatiua.*

contexuit. Quare nō solùm ijs quæ in terra sunt animalibus, sed eis etiam quę in mari & aëre, dominaţ. Ac talia quidem homini ad fortitudinē arma sunt manus. Attamen pacificum & politicum animal homo, manibus & leges scripsit, & aras, & simulachra Dijs erexit, & uniuersa artiū instrumenta construxit, commentariosq; etiam speculationis eorū scriptos reliquit. * Vt aūt sapientissimum omnium animalium est homo, sic manus sunt organa sapienti animali conuenientissima. Non enim quia manus habuit, propterea est sapientissimum: sed quia sapientissimum erat, propter hoc manus habuit. Non siquidem manus ipsæ hominem artes docuerunt, sed ratio. Manus quippe ipsæ sunt artium organa, sicuti lyra musici, & forceps fabri. Vt igitur lyra non docuit musicū, nec forceps fabrum, sed est uterq; ipsorum artifex, per eam, qua præditus est, rationem: agere autem nō potest ex arte absque organis: ita & unaquælibet anima, facultates quasdam à sua ipsius substantia obtinet. efficere autem ea quæ nata efficere, sine organis ne quaquam potest. Quòd autem corporis particulæ animam non impellant, aut timidam, aut strenuam, aut sapientem fieri, manifestè uidere licet, si animalia recens genita consideres, quæ quidem prius agere conantur, quàm perfectas habeant particulas. Etenim si oua tria acceperis, unum aquilæ, alterum anatis, reliquum serpentis, & calore modico foueris, animaliaq; genita rupto putamine excluseris, illa quidem alis uolare conantia, antè etiam quàm uolare possint, hoc autem reuolui uidebis, & serpere affectans, quamuis molle adhuc & inualidum fuerit. Omne siquidem animal suæ ipsius animæ facultates, ac in quos usus partes suæ maximè pollent, nullo doctore præsentit. Naturæ quippe animalium (ut ait Hippocrates) à nullo doctæ sunt. Quapropter cætera quidem animalia mihi natura magis quàm ratione artem aliquam exercere uidentur, ut tum formicę, tum apes. Homo autem sicuti corpus armis nudum, ita & animam artibus destitutam habet. Proinde pro corporis nuditate, manus: pro artium imperitia, rationem accepit: quibus fretus, corpus quidem armat, & omnibus modis tuetur: animam autem uniuersis artibus ornat. Vt enim si innata sibi aliqua haberet arma, illa ei sola semper adessent, ita & si aliquam artem natura sortitus esset reliquas sanè ignoraret. Pulchrè igitur Aristoteles, manum ueluti organum quoddā esse ante organa, dixit: quem ex nostris aliquis imitatus, rationem etiam, ueluti quandā artem esse ante alias artes, haud inuenustius asseuerauit. Homo igitur animaliū omnium solus, quum artem ante artes in anima habeat, nempe rationem, optimo sanè iure organum ante organa in corpore manum possedit. Cuius quidem constitutio, si aliter constructa fuisset quàm est, fuisset ne felicior ad actiones futura, considerandum. Porrò unum, primumq; caput organi apprehensorij optimè compositi est, si omnes figuras, atq; omnes eas magnitudines, quas mouere homo potest, probè apprehendit. Ad quod munus præstandū, multiformiter diuidi manū fuit melius.

*Manus esse organa sapienti animali conuenientissima.*

*Manus esse artium organa.*

*Animam habere facultates quasdam à sua ipsius substantia ortas, non posse tamen operari sine organis.*

*Particulæ non impellunt animam ad agendum.*

*Animalia præsentire sua animæ facultates absq; ullo doctore.*

*Animaliū natura à nullo sunt docta.*

*Animalia cætera natura potius quàm ratione nōnullas exercent artes.*

*Homo ut corpus nudum, sic animam artibus destitutam habet.*

*Manum esse organum ante organa.*

*Rationē esse artem ante alias artes.*

*Apprehensorij organi optimè constituti, primū caput quod.*

*Manus cur diuisa.*

Nam si indiuisa mansisset, cōtingeret tantummodo sibi æqualem corporis cuiusque admoti magnitudinem posset. At in multas partes diuisa, moles seipsa multò maiores facilè amplectitur, & minimas quasq; res exactè etiam uenatur, colligitq;. Quum autem eadē circum corpus sphæricum possit in orbem contrahi, rectum autem & cauum fideliter etiam amplecti, manifestè utique omnem comprehendit figuram: quæ nimirū omnis, ex tribus lineis constat, aut curua, aut caua, aut recta. Cæterùm quoniam corpora non pauca maiori mole sunt prædita, quàm quæ manu una comprehendi queat, adiutricem alteri, alteram natura æqualem manum adiunxit, ut ambæ ex oppositis partibus ea corpora complectentes, una manu maxima nihilo sint inferiores. Nec uerò ad firmiter comprehendendum sat erat manum esse diuisam, nisi etiam digitus unus, alijs quatuor oppositus fuisset, ut cum eis actionem ipsam absolueret: quum nimirum aut undiq; circulo, aut omnino ex duobus locis contrarijs integra fiat comprehensio. Quinetiam digitos ipsos tum molles, tum rotundos, tum unguibus iuxta summitatem munitos * esse expediebat, si ad omnem corporum magnitudinem & consistentiam firmiter comprehendendam erant futuri ex usu. Etenim qui immodicè prolixi sunt ungues, ac propterea mutuò sese supergrediuntur, rametsi ad excoriandum, aut radendum sint utiles, minuta tamen corpora ægrè apprehendere possunt. Qui uerò propter paruitatem ad fines usque digitorum non extenduntur, naturam carneam firmitate priuantes, eam ad apprehendendum admodum inualidam reddunt. Qui autem summitatibus digitorum ęquantur, ij omnium soli, utilitatem cuius gratia sunt conditi, perfectissimè complent. Pulchrè igitur monet Hippocrates (sententia cuius nobis est diuinum oraculum) particulas corporis uniuersas sibi inuicem consentire, hoc est, conspirare in ministerium unius operationis. Manifestum nanque est, manus apprehensionis gratia constructas esse. Quòd uerò omnes earum particulæ & tales & tantæ sint, ut in unam organi totius actionem conspirent, hoc nondum omnes cognoscunt. Porrò ipsa particularum constructio, earum actionibus iuncta, optimæ habitudinis, ueræq; pulchritudinis discernendæ regulam, mensuram, iudiciumq; præstat. Vera siquidem pulchritudo, aliud est nihil quàm constitutio optima, quæ actionibus exploratur: non albedine, non mollitie, uel id genus alijs, per quæ nec natiua, nec uera, sed fucata pulchritudo ostentat. Deinceps itaq; omnē manus fabricam persequamur: quæ tamē corporibus insunt obiter distinguentes. Insunt autē primū & maximè temperamenta: quippe quæ propriā particularū substantiam complent. Nam singulis id esse quod sunt, ob quatuor qualitatum primarū certam quandam temperiem contingit. Hæc igitur eis secundum substantiæ rationem insunt. Consequūtur autem necessariò odores, sapores, colores, durities, atque mollities. Alia uerò necessariò accidunt, ut positio, magnitudo, connexio, confirmatioq;.

*Manus omnem comprehendit figuram.*

*Figuram omnē constare ex linea curua, aut caua, aut recta.*

*Manus cur bina.*

*Pollex cur oppositus quatuor reliquis digitis.*

*Comprehensio integra quomodo fiat.*

*Vngues apti ad apprehendendū, debent summitatibus digitorum æquari.*

*Particulas uniuersas sibi inuicem consentire.*

*Manus apprehendendi gratia condita.*

*Pulchritudo uera, est constitutio optima, quæ actionibus exploratur.*

*Temperamenta complent particularū substantiam.*

*Essentiam singulis à temperie quatuor qualitatum primarū accedere.*

*Actio omnis magna ex parte à propria organi substantia procedit.*

matioq;. Cæterum maiori ex parte omnis actio à propria organi substantia procedit, licet interdum fiat propter aliquid consequentium, ut uisio propter colorem. Debet autem ipsa actio esse in proposita indagatione, principiū simul inquisitionis, & inuentorum examen. Quoniam igitur actio quidem manus est apprehensio, apprehendere autē nihil posset ipsa immobilis permanens, utique præcipua ipsi actionis pars ea erit, per quam mouebitur.

*Manus actio est apprehensio.*

*Motus uoluntarij omnes à musculis fiunt.*

Quum autem omnes uoluntarij motus, quales manui sunt, à musculis fiant, hi utique, primum motionis organum manui erunt: alia uerò uniuersa, hæc quidem, ut melius actio fieret: alia, ut sine quibus fieri non poterat: sicuti & alia, pro custodia omnium horum condita sunt.

*Vnguium genus gratia eius quod melius est, conditum.*

*Vngues cur mediocriter duri.*

Ac genus quidem unguium, gratia eius quod est melius, uidetur factum: quum absq; illis manus apprehendere possent, at non æquè feliciter. Eorum autem securitati natura prospiciens, mediocriter ipsos duros effecit, ut neq; utilitati, cuius gratia facti sunt, quicquam decederet, neque ipsi facilè paterentur. Omnes siquidem animalium particulas prominentes & nudas, ex tali substantia creauit, qualis neque quassari facilè propter mollitiē, nec rumpi propter siccitatem posset.

*Vngues rotundi facti securitatis gratia.*

*Figurarum sola rotunda pati tur ægrè.*

*Vngues cur sic augeantur.*

Etiam securitatis gratia rotundi constructi sunt ungues. Sola quippe figurarum rotunda ad uix patiendū exquisitè comparata est, ut quæ nullum expositum angulum frangi potentem habeat. Sed quoniam scalpendo, uel aliud quoduis unguibus agendo, exteri debebant nobis eorū extremitates, solas has animalis particulas ita construxit natura, ut sem per augeri possint, quamuis iam totum corpus augeri desierit.

*Vnguium augmentū in longum tantum.*

Augentur autem, pilorum instar, in longū tantùm, subnascentibus alijs semper unguibus nouis, & ueteres propellentibus.

*Ossium genus in digitis, gratia eius quod melius est.*

Ossium uerò genus in digitis, quòd & hoc ipsum gratia eius quod est melius, factum sit, hinc discas licet, quòd moueri quidem multiformiter inesset eis, uel sine ossibus, sicuti polypodibus: firmitatem autem in actionibus nunquam haberemus, carentes dura & obsistente particula: & quod inest propter morbum trementibus, id nobis inesset semper natura. Ad hæc, si sine ossibus facti essent digiti, illas actiones solas probè perficerent, in quibus eos circulo implicari oporteret, circa comprehensibile. Si autē unicum os haberent, illis actionibus solis rectè seruirēt, in quibus eis egeremus extensis.

*Digitorum singulis cur ex tribus ossibus constent.*

Qui a uerò nec sine ossibus, nec ex uno solo creati sunt, sed ex tribus inuicem per singulos connexis articulos unusquisq; est factus, ob id fanè ad omnem actionē promptissimè figurantur. Plerunque enim quum neque omnibus extensis, neque omnibus curuatis egeamus, aliquando quidem primum solum, uel secundum, uel tertium articulum: aliquando autem, uel primum simul & secundum, uel secundum & tertiū, uel primū simul & tertium extendentes aut flectentes, hoc modo sex figurarū uniuersales differentias exprimimus: particulares aūt secundum magis & minus, innumeras.

*Figurarum cuiusq; digiti sex uniuersales differentiæ circa ipsam apprehensionem.*

Est autē molita carnis generationem natura, nō quidem in externa digitorum regione, quòd illic esset futura oneri, sed sub internis partibus, ut quum eius consistentia sit mollis, & occursantibus cedat leuiter, ossium rectitudinem corrigat, quando est aliquid circulo comprehensura.

*Caro cur subtensa interna digitorum regioni, minimè autem externæ.*

Proinde in articulis quidem perpaucam, plurimam in partibus inter articulos medijs carnem produxit. At laterribus digitorū, tantū carnis adnasci fecit, quanta medium inibi spatium repletura erat. Hæc igitur tot & talia commoda, manus à carne obtinet: præterea etiam, ut fricet, & molliat, quæcunque moderatè mollibus instrumētis egent, qualia in omnibus artibus plurima existūt. Propriæ igitur hæ sunt carnis manus utilitates. Communis autem utilitas, quòd ueluti propugnaculum quoddam & tegmen sit, aduersus omnes tam frigidas, quàm calidas iniurias extrinsecas, calidam in se quandam humiditatē possidens, eaque utrique intemperantiæ resistens, ut balneū. Siquidem nihil inuenias quod ualido æstu occupatos præsentius refrigerare, aut rigentes frigore, promptius calefacere queat, quàm balneum.

*Balnei usus.*

Quum enim natura humidum sit, & moderatè calidum, humiditate quidem, natam ex calore siccitatem irrigat: caliditate uerò, ortam ex gelu frigiditatem persanat.

*Digitorum omnium actiones per tria ossa cōpleri.*

Quum igitur omniū digitorum actiones, per ossa tria compleantur, constat sanè quòd nec pauciora, nec plura tribus illa fieri expediebat: quandò si plura essent, minus firmam extensionē præstarent: sicuti si pauciora, tam diuersas particulares figuras digiti non haberent.

*Os postlocatum prælocato minus esse debere.*

Manifestum præterea est, postlocatum os minus esse debere, quàm prælocatum, à quo utique uehitur: & quòd in ualde paruum atq; rotundum desinere digitorum summitates oportuit, ossiū magnitudine decrescente paulatim, ad optimè apprehendendum.

*Digitorum ossa cur cōuexa quidem extrinsecus intus uerò nequaquam, sicutiq; in lateribus.*

Quòd autem unumquodq; os extrinsecus quidē exactè conuexum sit, intus uerò & in lateribus non exactè, id melioris gratia factū existimo. Internis siquidem partibus suis ipsi digiti molliunt & terunt, ac breuiter omnia accipiunt: quæ quidem deterius fierent, si ossa inibi conuexa fuissent. Externis uerò, quum nihil agant, reliquum fuit ut ad solam patiendi difficultatem exquisitè constructi essent. At in lateribus, ut nullum in medio spatium uacuum, dum adducuntur, relinquerent, hac parte eos minimè curuos fieri expediebat. Quare meritò magnus digitus supernam, sicuti & paruus infernā circumferentiā exactè cōuexam obtinet, quum ab hac parte neuter illorum aut ab aliquo custodiri, aut alteri adiungi debeat.

*Ossium structura in digitis.*

Sed neq; simpliciter, neq; à casu aut temerè, ex tribus ossibus unusquisq; digitorū est factus: sed ueluti ianuarum cardines, ita & articulorum unusquisq; eminentiam cauitati appositè immissam & æqualem sortitus est.

*Supercilia ambientia cauitates ossium quibus cohærent.*

Quas quidem cauitates ossiū, quasi supercilia eminentia circulo ambiunt, ad maximam firmitudinē articulorū, ne aliquando excidant.

*Motionis articulorum in digitis auxiliū duplex.*

Ad facilitatē autem motionis, atq; ossium securitatem, auxilium duplex excogitauit natura: unum quidem, cartilagine os utrunq; subungens, oblinensq;: alterum uerò, ipsis cartilaginibus humorem unctuosum & uiscosum, ueluti oleum quoddam, suffundens, per quem facilè mobilis, & attri-

tu cõtumax omnis articulatio osſiom eſt facta. Vt oerò longè adhuc tutius articulus omnis inconcuſſus cuſtodiretur, ligamenta quædam ex utroq; oſſe produxit, ab uno uidelicet in alterũ peruenientia: maxima quidem craſsiſsimaq;, ad præcipuos articulos continendos: minora uerò, ad minores. Cæterũ labia oſsiũ, extrinſecus quidem maiora ſunt, intrinſecus uerò minora, tum propter firmitudinẽ extenſionis, tum propter flexionis diuerſitatẽ. Sunt autem dura, denſa, medullæq; expertia digitorũ oſſa: quia nuda ſunt omnia, & propterea facilè patibilia. Nõ poteſt tamen rectè iouenıri utilitas partis, antequã eius actio noſcatur. Quòd igitur principiũ neruorum omnium cerebrum ſit, atq; ſpinalis medulla: & quòd ipſius rurſus ſpinalis medullæ cerebrum, arteriarũ uerò omniũ cor, ut hepar uenarum: & quòd nerui quidem à cerebro animalem uirtutem, arteriæ autem à corde pulſatilem, ſicuti uenæ ab hepate uegetatiuam accipiuot, demonſtratum alibi à nobis eſt. Erit itaq; uſus quẽ pręſtant nerui, facultates ſenſus & motus à principio in partes deducere. Arteriarum autem, cuſtodire* naturalem caliditatem, & nutrire animalem ſpiritum. Sanguinis autem generandi, ſimul & in omnes partes ferẽdi gratia, factæ ſunt uenæ. Quum igitur digitorũ oſſa ex ſe moueri motu uoluntario ooo poſſent, natura ex cubiti muſculis productos tendones, ſecundum rectitudinem digitorum deduxit, eosq; inſeruit in articulos ſingulos, hoc eſt, in caput ſecundi oſsis, quod nimirũ monendũ erat. Quorũ generatio tendonũ, ex neruis & ligamentis in moſculos diſperſis, rurſusq; inuicẽ coëuntibus, eſt. Sentiunt itaq; & mouentur motu uoluntario tendones, ratione neruorũ ex quibus conſtant: colligant autem muſculos oſsibus, ob ligamenta quæ in ſe recipiunt. At ligamentum ipſum album, exangue, & cõcauitatis expers quum ſit, neruus eſſe uidetur. Verùm non eſt natum ex cerebro, neq; ex ſpinali medulla, ſed ex oſsibus ad oſſa tranſit, neruoq; multò durius, ac penitus inſenſibile eſt, nec mouere quicquam poteſt. Oſſa igitur omnia quæ ſub locantur, circa prælocatum ſibiipſis os immotum manens, mota, extenduntur quidem, quando exterior trahit tendo: flectuntur, autẽ, quãdo interior. Ne uerò per longam uiam & nudam carne, facilè colliderentur tendones, membranis ueſtiuit illos natura, eosq; à muſculis uſque ad articulos, ut paterentur ægrius, exquiſitè rotundos creauit. Nam quà applicantur, ibi unuſquiſq; ipſorũ expanditur, ut facilius moueat, trahens apprehenſionibus pluribus. Sed quoniam quatuor motibus, unuſquiſq; digitorum moueri debebat, uno quidẽ, flexis, alio uerò extenſis, duobus item ad latera: quadrifariam illis applicãtur tendones, orti partim à cubiti muſculis, internis quidem flectentes, externis nerò extendentes, mooentibus autem ad latera, deducentes ad paruum digitum: partim à paruis in manum muſculis, qui reliquum ex obliquis motum, pollicem oerſus operantur. Atq; is ſanè maximus digitorũ, internum quidem habet unom tenoẽ tendonẽ, duos uerò externos, eosq; robuſtos admodum: at ex lateribus, parte

*Ligamenta articulorum in digitis.*
*Labia oſsiũ in digitis.*
*Digitorum oſſa qualia, & quare ſint talia.*
*Neruorum principium eſt cerebrum, & ſpinalis medulla.*
*Cor eſt omniũ arteriarũ principium.*
*Hepar eſt uenarũ omniũ principium.*
*Nerui deducunt facultatem ſenſus & motus.*
*Arteriarum munus.*
*Venarum uſus.*
*Tendones mouentes digitos procedere à cubiti muſculis.*
*Tendonũ generatio & uſus.*
*Ligamentũ ab oſſe tranſire in os, eſſeq; inſenſibile penitus, nec poſſe quicquam mouere.*
*Extenſio articuli fit ab externo tendone.*
*Flectuntur articuli ab interno tendone.*
*Tendones cur ueſtiti membranis atq; rotundi ſint.*
*Digitis quadrifariam mouendis, quadrifariã applicantur tendones.*
*Pollicis tendones & muſculi.*

quidem quæ eſt uerſus indicem, paruum & tenuem habet muſculũ: altera uerò parte, ubi manus aſſurgit, hoc multò maiorẽ. Reliqui omnes quatuor digiti, intus quidẽ duos tendones magnos, foris uerò unum ſortiuntur, alteri illorũ, ſcilicet minori, æqualem: tenuiorem autem hoc, eum qui ad latera exteriorũ partium peruenit: reliquũ uerò omnium tenuiſsimũ ad latera partium interiorum attinentem. Ac ſic quidem rectè natura, molem ipſorum tendonũ, actionis & utilitatis excellentiæ reſpondentem conſtruxit. Quum enim quatuor digitis flexis plurimas & uehementiſsimas actiones obeamus, nõ magnos tantùm ipſos tendones ioternos, ſed etiã doplices erat nobis opus habere. Contrà res habet in magno digiro. Ad nullã enim aliam actionem nobis flectendus eſt, niſi quando aliis iam curuatis illum deſuper iniicere oportet. Quia uerò primus eius articulus otioſus eſt, ad eum nullus interna parte tendo applicatur, ſed ad ſecundum & tertiom duntaxat eius articulum, unus exiguus peruenit. Porrò duo illi tendones qui extrioſecus apparent in magno digito, ſi ambo quidẽ tendant, digitũ tendunt exactè: ſi uerò alter eorum, partem alterã ſibi proximã ad latus trahit. Atq; actionem quidem tendonis ad indicem perducentis, muſculus paruus ſuſcipit, ad hoc ibi locatus. Contrariam uerò, magnus, qui in palmæ altiori parte, quam thenar oocant, conſiſtit. Atq; unuſquiſq; tendo ad ſuum caput trahere particulam natus eſt, quæ à ſeipſo mouet. Tendo igitur qui magnum flectit digitũ, ab ea deneruationis, quæ in carpo eſt, parte, ducit originem, à qua nimirum oritur etiam qui ad medium peruenit digitũ. Vectus enim ſuper hunc multo ſpatio, & colligatus mẽbranis fortibus, tum primùm decedens recedit ab eo, quum ad manus cauitatem acceſsit, modo perſimili iugorum habenis, quæ per aliquos annulos ſuper iugum locatę excedunt. Et quemadmodũ exteriorum tendonom illi quidem qui ad alios digitos pertinent, in ſuperficie locantur, ſubiacent uerò ipſis qui ad magnũ ſpectant, ſic è conuerſo, qui interni ad digiros quatuor perueniunt, per profunditatem manus feruntur: ſoperuehitur autem qui ad magnum defertur digitum. Semper enim natura, in profundo quidem id quod præcipuum eſt, in ſuperficie uerò id quod non eſt præcipuum, collocat. Porrò muſculorum deneruationes apparent duplices, quo maximè loco ipſum carpum flectimus, ſibi inuicem ſuperpoſitæ. maior quidem ea, quæ eſt in profundo: minor autem quæ in ſuperficie: idq; diuiſa planè ea quæ ſubiacet quidem, in quinq; tendooes: quæ uerò ſupergreditur, in quatuor: & omnibus ipſis rectà perlatis ad digitos, ſuperuehuntur quidem minores maioribus, membranis uerò fortibus quælibet quatuor cooiogationum per totam uiam munitur. Quando autem deſcenderint ad primos digitorum articulos, ibi quiſqoe ſubiacentium tendoonm diffuſus, capot primæ aciei flectit, per ambiens eum membranoſum ligamen. Reliquũ uerò omne in unaquaq; coniugatione fertur ulterius, ſecundum uiam à principio cœptã, rectà ad digitorũ extremitates. Vbi uerò

*Digitis non uniuerſi tendones.*
*Flectes illis digitis cur magni duplicesq; tendones ſint dati.*
*Pollicis tendones cur tales.*
*Thenar.*
*Natura prouidentia.*
*Muſculorum deneruationes duplices.*
*Tendonum in articulos digitorum inſertionis ratio.*

uerò ad secundos articulos peruenerunt, ibi rursus tendo superior bifariam diuisus, & utraque parte amplificata circa subiectum tendonem inuolutus, internis partibus capitis secundæ aciei inseritur. At ille qui subditus est, solus inde ad tertiam articulationem ascendens, ad caput tertij & ultimi ossis digitorum, etiam ipse implantatur. Flectitur quidem unusquisque qui iuxta ipsos est articulus à dictis tendonum implantationibus: extenditur autē ab externis carpi tendonibus. Sed tendones interim, qui per profundum feruntur, primū & tertiū articulum uniuscuiusq; quatuor digitorum mouent. Qui autem per superficiē, hoc est, exigui, ad unum, nempe mediū, implantant duntaxat. Quia uerò nulla caro ex seipsa sensum habet, & absurdū erat apprehensorium organum insensili tegi particula, non paruam neruorū portionem in carnes manuum natura disseminauit. Ex quibus sic factis musculis, produxit tendines, lateralibusq; uniuscuiusq; digiti partibus eos implantauit: dextræ quidē manus, his partibus quę uersus sinistram: sinistræ uerò, eis quæ uersus dextram sunt sitæ. Reliquos uerò tendones, qui ad lateralē uniuscuiusq; digiti partem perueniunt, à cubiti musculis generauit. Cæterùm oriuntur ipsi tendones ab eodē principio, quod iuxta carpū est, omnes: feruntur autem ad digitos secundum rectas lineas, æquales angulos ad caput ipsum efficientes. Quare principiū ipsum, summitates tendonum flecti ad seipsum cogit. Nam si cessantibus motibus ijs qui sunt ad latera, potius extenderis, uel flexeris digitos, extendente quidē te, distabūt: flectente aūt, in idem mutuò coibūt. Ad hæc, tensos eos coniungere possumus, si dextri quidē digitorū eum, qui est in lateribus, sinistrū tendonē, sinistri uerò, dextrū tendamus. Rursus plurimū à seinuicē abducemus, si ipsius quidem dextri, dextrum, sinistri uerò sinistrum similiter distenderimus. Si uerò neutro lateraliū tendonum agamus, sed externis tantùm, mediam prædictarum constitutionē habebunt digiti. Enimuero in unoquoq; articulo, unica quidem nobis figura est indolens, media uidelicet: aliæ uerò omnes utrinq; dolēt, sed magis quę longius à media recedit. Omnino aūt dolorificæ sunt extremæ figuræ, post quas nimirū nec flectere, nec extendere licet. Meritò igit inter omnes figuras ea est maximè dolorifica, quū dux quidem motionis musculus, extrema contractione, huic autem oppositus, perfecta extensione cruciatur. Figuram uerò mediam utrinq; circunstantes operantur, aut ambo musculi, aut alter omnino: potest tamen aliquando in ipsa neuter eorum operari. Cæterùm paruorū tendonum motus non poterit unquā magnis agentibus apparere. Nulla autem ex parte offendetur digitorum flexio aut extensio, etiamsi abscindantur laterales tendones: quorum is quidem imbecillior est, qui est interior: uterq; autē operatur tensis digitis, quiescit uerò flexis. Quum autem in utriusq; manus digitis articuli triginta habeant, quorū unusquisq; in locis quatuor implantationes tendonū habet, præter primū magni digiti articulum, qui secundū quidē latera, extrinsecusq; applicationes tendonū recipit, intus uerò nullam: erunt utiq; omnes applicationes ad digitos pertinentes centum & duodeuiginti. Porrò simiæ, utpote secundum animam animali ridiculo, ridiculū quoq; corpus natura tribuit: id quod maximè licet cernere in formatione pollicis, qui & paruus & ridiculus est, parūq; ab indice distans. Quòd aūt si pauciores digiti essent, multę actiones imperfectius absoluerentur: pluribus autē ad nullam rem indigeamus, id adeò perspicuū est, ut demonstrari non debeat. Quare pulchrè quidē natura quinq; in utraq; manu digitos fabrefecit. quę ut est ne quid deficiat solicita, ita nihil frustra operatur. Cur autem inæquales digiti omnes sunt facti, atq; medius omnium longissimus? Sanè quòd eorum summitates ad æqualitatem uenire melius erat, quum magnas aliquas moles in circuitu comprehendūt, & quū in seipsis humidum uel paruum corpus continere conantur: ad quod quidem inæqualitas digitorum utilitatem præstat manifestissimam.

*Carnem omnē esse ex se insensibilem.*

*Tendones digitorū unde omnes oriantur.*

*Figura indolens est in singulis articulis media.*

*Figuræ extremæ sunt dolorificæ.*

*Figura media qui fiat.*

*Tendonum lateralium consideratio.*

*Articuli omniū digitorum manuum, triginta numero.*

*Implantationes tendonū ad digitos, centum et duodeuiginti.*

*Simiarum ridicula anima ridiculum corpus tributum.*

*Naturam nihil frustra operari.*

*Digitorū inæqualitas ad quid conducat.*

## *GALENI PERGAMENI de Vsu partium lib. II.*

VNumquenque autem musculum, ex ijs qui radium & cubitum circulo comprehendunt, adeò adornauit natura, ut ne constructio quidem melior ulla possit excogitari. Porrò musculorum omnium cubiti & manus numerus, ad uiginti tres peruenit. Septem nanque parui sunt in manu: alij totidem magni totam interiorem regionē cubiti, ut reliqui nouem totam exteriorem occupauerūt. Parui itaque manus extremæ musculi, duces sunt alterius obliquorum motuum. Eorum autem qui sunt intra cubitum, duo quidem maximi, digitos flectunt: magnitudine autem his secundi, duo etiam numero, totum carpum: obliqui uerò duo, primùm quidem radium, cum eo autem & totam manum, ad pronam figuram circumagunt. Reliquus eorum septimus, qui minimus est eorum qui in longum extensi sunt, nullum digitum mouet, sed alterius utilitatis gratia factus est, quam procedente sermone enarrabo. Ex ijs uerò nouem musculis qui in cubiti externa parte consistunt, unus quidem digitos omnes, præterquàm magnum, extendit: duo autem alij eosdem quatuor digitos ad transuersum abducūt. At quartus alius musculus, solum magnum digitum mouet, altero motu externorum duorū, scilicet obliquiori: alius item unus reliquum magni digiti motum præstat, moderateq; carpum totum extendit. Fortiter autem hoc circa carpum efficiunt alij duo musculi: reliqui uerò duo conuertentes ad figuram supinam radium, cum eo & totam manum, ad eandem ducunt figuram. Cæterùm in tres magnas partes tota manus diuiditur: quarum una brachium, alia cubitus siue ulna, tertia appellatur* extrema manus. Sed de brachio quidem nunc sermo non est futurus. Cubitus dicitur totum membrum, quod est inter articulationem carpi & anconis medium. Ancon autē est pars illa cui innitimur, & quam etiā totius nomine appellant cubitum.

*Musculi cubiti et manus, uiginti tres.*

*Musculorū manus usus.*

*Musculorum cubiti usus.*

*Manus totius diuisio.*

*Brachium.*

*Cubitus.*

*Extrema manus.*

*Ancon.*

Cæterùm osſium cubiti, alterū quidem maius, cuius pars eſt ancon, ſpecialius uocaĩ cubitus, quod in media manus figura, osſi alteri, nempe *Radius.* radio, ſubiacet. Gibbi uerò proceſſus osſinm radij & cubiti, qui carpo inſeruñ, uocanĩ quidē & *Proceſſus cubiti.* id ipſum quod ſunt, proceſſus, & interdū capita, & tuberanda. *Digitorum ſingulis proprium adeſſe muſculū.* Vnicuiq; igitur digitorū proprius unus paruus muſculus ineſt: duo autē alij maximi in manu thenara generãt, per quos tum carnoſa pars manus alta, media uerò caua efficiĩ: tum digitorū uterq; maximus & minimus, plurimū abducuntur ab alijs. Qui aũt inter magnū & indicē cōſiſtit muſculus, eam partē replet, pollicemq; adducit ad indicē. Inſeruñ tamen in ipſum pollicē alij fortiores tēdones, à muſculis ulnę producti. Quare quū quatuor quidē ſint qui quatuor digitis inſunt, duo aũt circa magnum, alius uerò unus ad paruū digitū, rationabiliter *Manus muſculi ſeptem.* omnes manus muſculi ſeptē ſunt facti, à quorū ſingulis haud ab re unicus eſt tendo productus. Iam uerò duo illi muſculi, qui intra cubitū ſiti, ipſos digitos flectunt, mediã exquiſitè regionē obtinēt: quoniã & capita tendonū flectentiū digitos, ad mediã regionē peruenire erat melius. Vtrinq; uerò unus eſt flectēs carpū. Alij aũt duo intrinſecus in ulna conſiſtũt, eam ad obliquū ducentes. Reliquus extenſorū ſecundū longū muſculorū intra ulnã, tenuiſsimus omniū, in ſuperficie couſiſtit, à quo quidem unus tendo produ*Tangēdi uis in manu à quo per ficiatur tēdine.*ctus, ſub interna cute manus diſſeminaĩ, nullū quidem articulū mouens, ſed ipſam perficiens tangendi uim, quæ ad apprehenſoriam requiritur. Exteriorū uerò cubiti muſculorū, qui quidem extendit quatuor digitos, in ſuperficie ſub ipſa cute locatus eſt, mediã maximè totius membri regionem obtinens. Alij autem poſt eum, obliquè ad mediam deſcendētes regionem, tribus quidē maioribus digitis, duo: reliquis uerò minoribus, reliquas explantationes mittit. Reliquorum uerò trium, unus quidē qui in ulna eſt, carpum tendone ſimplici extendit: qui aũt ſunt in radio, alter quidem condylum eius tranſcendens, obliquus, in duoq; diuiſus, extendit ſimul carpum, & magnum digitum abducit ab alijs: reliquus autem extrinſecus, ad pronum circunducit extremam manum, atq; ipſum carpum extendit. Sunt & alij duo in ulna, ipſam circumuertentes: obliqui quidem, quoniam & motus quē efficiunt, obliquus eſt: peruenientes autem ad radij os, quoniam hic motus eſt actio dearticulationis huius osſis, quæ ad brachium conſiſtit. Apparent itaq; nouē quidē externi, ſeptem autē interni muſculi, ſi annumeres duplices illos muſculos, qui circumagunt obliqui ulnã. Nam qui manus gratia ſunt conditi, ſeptem quidem ex*Carpi motiones quot, & à quibus profecta tēdonibus.*terni, quinq; interni habentur. Quum autē quatuor ſint motus carpi, extenſio, flexio, ad pronum circunductio, & ad ſupinum: duo quidem tendones & muſculi ſunt duces flexionis, duo autem alij extenſionis. Hi uerò ipſi etiam conuerſiones laterales concinnant ad pronã figurã, ſimul adiuuante quippiã eo muſculo, qui in externa ulna locatus, deſinit in medium potiſsimū metacarpium, per tendonem duplicem. Flectentium igitur carpum tendonum, alter quidem ad eam quæ ſupra paruum digitum, alter autem ad eam quæ ſupra magnum eſt, regionem internã peruenit. Ad eundem uerò modum extendentium uterq;, hic quidem ſupra paruum, ille autem ſupra magnum digitum, ſuperna parte implantantur. Ac ſi utriq; ſanè tenſi fuerint, flectũt quidem interni, tendunt externi manum: tenſo uerò alterutro ipſorum, altero quidem qui ad magnum digitum, parte interna, altero autem qui ad paruum, parte externa eſt, ad pronū ſenſim quodammodo manus circunducetur: eo uerò qui ad paruum digitum, tenſo intrinſecus, uel eo qui ad magnum eſt, extrinſecus, ad ſupinum. Si uerò ſimul tenſi fuerint, & qui ad magnūdigitū intrinſecus eſt, & qui ad paruū extrinſecus, non amplius ſenſim, ſed quamplurimum ſic ad pronū circumagitur manus. Ita etiam & eo qui ad paruum digitum intrinſecus eſt, & ſimul eo, qui ad magnū extrinſecus, tenſo, admodum manus ſupina fit. Diſtinguere autem opor*Vlnæ quatuor motus.*tet carpi motus, à motibus totius ulnæ. Sunt enim & huic quatuor motus, proportione quatuor motibus reſpondentes, qui ab ijs, quæ ad brachiū ſunt, dearticulationibus fiunt. Etenim extenſam, & flexam, & circunductam ad pronū & ſupinum, uidebis totam ulnã, quieſcente manu. Sed extenſionē quidē & flexionē, ulnę dearticulatio, quæ eſt ad media brachij, efficit: circunductionē uerò ad latera, articulatio brachij ad externum eius caput. Ac duo quidem muſcu*Muſculi conuertentes radiū ad pronum, ſupinumq;.*li ad pronum circunducunt, duo autem ad ſupinum conuertunt radium: nam ſatius fuit duobus muſculis, quàm uni talem motum cōmittere. Eorum autem muſculorum, hic quidem in ſupernas partes quæ iuxta brachiū ſunt: ille in infernas, iuxta carpum inſeritur: fertur uerò ultrã amplius uterq;, neq; in ipſas ſolùm inſeruñ extremitates, propterea quòd carnoſis partibus immittuntur, antequam in tendones deſinant. Ab eis ſiquidem nullus tendo producitur, quū impoſsibile ſit ita propinquis ſibi osſibus, incipientem ab ulna muſculum, in neruoſam tenui*Tendonum generatio.*tatē mutatū, inſeri radio. Neruis quippe & ligamētis in carnes muſculi diſſeminatis, poſtea paulatim in idē aceruatis, generatio fit tendonibus: paulatim autem illud longiori eget uia, & maximè quando ex magno muſculo aceruatio fit. Verum autem eſſe id quod dicitur, oſtendit qui radio incumbit ſupernè muſculus, à quo ſolo inter quatuor prædictos muſculos, quòd minimus & longiſsimus ſit, membranoſus iuxta finē explantaĩ tendo, enatus à partibus radio internis, prope carpum. Collocauit autē natura, eos quidem, qui ad pronam figuram membrū circunducunt, ex internis partibus, omnium primos, ſecuritatis gratia, quum plurimas & maximè neceſſarias, & uehementiſsimas, in hac figura, actiones obeamus: eorum uerò qui ad ſupinū abducunt, alterum quidē occultauit in regione inter ulnam & radiū media, eum ab ulna in radium producens: alterū uerò impoſuit deſuper ipſi radio, longiſsimū faciendo hunc omnium, qui circa membrum hoc ſunt muſculorū. Peruenit itaq; eius ſuperior quidem extremitas ad externam brachij partem: inferior autem,

per

per quam mouet radium, in membranosum tendonem desinens, applicatur intrinsecis eius partibus, prope ipsam cum carpo articulationē. Porrò ubi quis uiderit, quando neruū aut tendonē aliquem prȩterferri opus est magnam ossis conuexitatē, unum horū trium fieri, aut cauari particulam, aut perforari, aut omnino circa basim eius, neruum inuolui, nusquam autem nudum, aut non munitum uehi per conuexitatem, intelliget omnino tunc quantam artem in securitate singularum partium ostendit natura. Ac tendones quidem ipsos trium externorum manus musculorum carpum mouentium, radix, & ulnæ cauata excipiunt. Mox autem & ligamentis latis, & fortibus, & duris, quæ ossa ipsa suscipientia producunt, induuntur omnes eius loci tendones, ut neq; ab incidentibus extrinsecus promptè patiantur, neq; à duritie ossium lædantur. Iam uerò imbecilliores quidē actiones, paruis cōmisit natura musculis: ad uehementiores autem, non magnos solùm, sed etiam binos fecit.

*Natura solicitudo circa particularum securitatem.*

Quod pertinet ad carpi compositionem, is concauus quidem intus, conuexus foris, octo ex ossibus constat, quæ unum putabis esse, nisi prorsus membranas abstuleris ea cooperientes. Habet aūt ad anteriorem sui finem, quatuor cauitates exiguas, quæ inarticulantur cum metacarpij ossibus, numero nimirum quaternis. Cartilago aūt non has modò, sed etiā eas quæ in ipso sunt carpo commissuras omnes oblinit: easq; foris cōprimunt membranȩ fortes, quæ sunt ligamenta simul ipsis articulis & operimentum, totis ossibus circumpositæ. Quatuor uerò metacarpij ossa sibi inuicē propinqua usq; ad digitos protenduntur. Distant tamen à se inuicem, nec sunt coniuncta, sicuti ossa carpi, quia plurimùm inuicem distantibus digitis debebant articulari. Sed & figura, conuexa foris quidem leuiter, intus uerò sima magis facta sunt, ut post ossa carpi locata, illorū speciem imitarentur. Tam igitur carpi, quàm metacarpij ossibus robur colligationū auxilio est, ut minus laxentur in manus uehementi extensione. Extendimus autem organa quȩ in carpo & metacarpio sunt, ut cauitatem quidem manus repleamus, complanemus autem conuexitatem. At concauam effecturi manum, prorsus cōtraria facimus, prius tenta flectentes. Quibus motibus minimè obsequerent carpi & metacarpij ossa, si essent omnia unum simplex. Iam uerò si inter digitos & ulnam unum simplex os esset, ubi semel confringeretur, mox totum præter naturā haberet, utiq; unum existens: id quod minimè accidere possit carpo, nec metacarpio, uel si aliquod eorum os confringatur. Quinetiā ut omnino nihil patiantur, melius fuit ex multis componi, & potissimū ita duris. Cedentia enim occursantibus ad suas articulationes, exoluunt ipsorum uiolentiam. Sagitta siquidem, tensa coria facilius quàm laxa penetrat. Ad hæc, multiformis figurarū uarietas, ad eam, quæ cōmunis est, patiendi difficultatē conducit incredibiliter. At uerò primus articulus pollicis, ossi carpi propinquo inarticulatur. Nam si alicui ossiū metacarpij cōmitteretur, parua utiq; esset ei distantia ab indice. Constat aūt metacarpium ex quatuor ossibus, quoniam quatuor tantùm digiti in ipsum articulari debebāt.

*Carpus ex octo ossibus constat.*

*Metacarpij ossa quaterna.*

*Carpi & metacarpij ossa cur plura.*

*Figurarum varietatem conferre ad patiendi difficultatem.*

*Metacarpium constat ex quatuor ossibus.*

Cæterùm quia in carpo multa fieri ossa fuit melius, componi uerò fines eorum cum ulna non similiter ut cum metacarpio, in duos ordines ea digessit natura. Quum igitur necessariò sint quatuor metacarpij ossa, adiaceat autem eis in uno ordine primū magni digiti os (quod sanè nonnulli propter hoc ipsum metacarpio attribuunt) & hic uniuersus ordo inarticuletur inferiori parti ipsius carpi, conuenienter ex quatuor quidem hæc pars, altera autem quæ ulnæ inarticulatur, ex tribus ossibus facta est. Quum itaque tres sint ordines inter ulnam & scissionem digitorū medij, qui quidem est ad ulnam, ex tribus ossibus quamarctissimè iunctis: qui uerò deinceps est, ex quatuor laxius compositis: tertius deniq; huic inarticulatus, ex quinq; compactus est, quorū unum quidem est magni digiti, alia uerò quatuor, metacarpij. Videbitur itaq; sic quidē carpus septē omnino constare ossibus, præter quæ est aliud prælongum, quod uehitur per internas eius partes, in quibus & inarticulatur ad tenuem ulnȩ processum. Quoniam igitur carpum oportebat inarticulari ulnæ, ac radij finibus, conuenienter horum os utrunq; epiphysim habuit, gibbam quidā & rotundam extrinsecus, concauā uerò intrinsecus: sed epiphysis quidem radij, undiq; labiū habet circumpositum, à quo exactè stringitur is terminus carpi, qui ad ulnam spectat: ulnæ autem epiphysis, nō amplius similiter, sed interna quidem sua pars, & quæ spectat ad radiū, est similis: alia uerò extremitas, quæ secundum longitudinem & rectitudinē totius membri extat, in rotundū caput finit, quo circundatur locatum ibi os carpi, cōcauitate leuiter profunda: ut duplex fit articulatio in carpo: altera quidem finium ipsius carpi ingredientium cōcauitatem inter epiphysim radij & ulnæ mediā: alia autem parua, ossis circumplectentis paruam apophysim ulnȩ. Atq; hȩc quidem gratia uersionis manus ad pronum & supinum facta est: propter aliā uerò magnam extenditur & flectitur carpi articulus. Ob hæc sanè, gibbositates factæ sunt finium ulnæ & radij. Quia tamē extrinsecus quidē magna erat altitudo ipsi extremitati ulnȩ, internȩ uerò partes imȩ & demissæ, propter apophysim eius paruā extrinsecus & infernè locatā, posuit hic natura, ueluti quoddam uallum, prælongum os, intrò nutans rectum, à quo ea quæ ibi sunt sita, muniuntur. Atq; hoc est os carpi octauum, de quo differre distuleram. Cuius finis quidē inferior, subtilis & cartilagineus est, ualidisq; quibusdā membranis alligatur circumiacentibus ossibus, atq; in ipsum tandē inseritur ille tendo, qui carpum flectit. Quinetiam aliam quandam ἐπίφυσιν ossis parui cartilaginosi natura creauit, per colligationes fortes copulati, partim huic nunc dicto ossis ipsius carpi, partim ei quod est post ipsum, articulato ad primam aciem magni digiti, ut & ibi cōtingat parte altera tendonem, à quo magnus digitus atq; carpus mouentur. Nam aliquis poterit hoc os numerare, sed non est numeratū ab anatomicis, sicuti nec aliquod eorum quæ σησαμοειδῆ uocantur, quæ multis manuum & pedum

*Carpi os octauum, quò uehatur.*

*Epiphysis radij et vlnæ, qua committuntur carpo.*

*Carpi articulatio duplex.*

*Carpi ossis octaui vsus.*

*Σησαμοειδῆ.*

articulis natura uelut auctariũ circumposuit, securitatis gratia. Iam uerò ex quatuor tendonibus extendentibus & flectentibus carpum, qui quidem extrorsum sunt, manifestè apparẽt obliqui, & perueniunt, hic quidẽ magis ad externas partes aciei, quæ est ante paruũ digitum: ille aũt ad internas aciei, quæ est ante magnũ. At interni, obliquiores quodammodo sunt, ut non solùm extendant, & flectant, sed etiam circunduceant manũ ad latera. Ad hęc positio ipsius radij, obliqua meritò fuit, quemadmodum ulnæ positio recta: hæc siquidẽ extensionibus & flexionibus, ille uerò cõuersionibus ad latera subseruit. Ob eam causam ad brachiũ utriusq; ossis dearticulatio, dissimilis fuit. Porrò superiorem extremitatem radij, ad caput brachij externum produxit natura: inferiorem ad magnũ extendens digitum, quòd uidelicet talis obliquitas multò paratior sit, ut motibus ad pronum obediat, qui ad plures ac magis necessarias actiones sunt utiles. Cur autem incumbit ulnę radius? quia hoc illa longior est, & plurimum articulationis ad brachium ipsa obtinet. Sed cur utriusq; partes, quę in medio quidem sunt, tenuiores: quæ in cubito autem & carpo, multò crassiores existunt? quia illas musculis locũ præbere oportebat, has crassescere per epiphyses. Cur ex ipsis finibus, ille quidem ulnæ, qui in cubito est, crassior: radij uerò, is qui ad carpum consistit? an quòd utriusq; est ad carpum dearticulatio? In ea uerò dearticulatione quæ est ad brachium, tantum superet ulna radium necesse est, quanto ulnæ dearticulatio cunctis manus actionibus cõmodior existit. Sunt sanè hoc loco quidam processus ipsius ulnæ duplices, gibberosi quidem foris, caui autem intus: unus ex posterioribus & infernis ipsius partibus, qui certè & maior est: alter ex anterioribus & supernis, multò minor priore. Conuersis autem ad seinuicem eorũ cõcauitatibus, una ex ambabus conficitur magna cauitas, similis literæ græcę* S. quos quidem exortus uocant κορώνας: atq; hæc ulnæ extremitas talem habet figuram. Brachij uerò extremitas hoc modo secundum laterales partes capitis epiphysin habet: hanc quidem foris, illam autẽ intus: quarum in medio cauitas quędam est, lęuis & rotunda, similis rotularum uocatis cauitatibus, circa quam ulnæ coronæ mouentur. Vbi autem ipsa definit, utrinq; βαθμίδες, hoc est, brachij cauitates consistunt, quas extendentibus totam manum, & flectentibus, ulnæ κορώναι ingrediuntur, suntq; hæ extremæ extensionis & flexionis terminus. Quæ dearticulatio tuta simul & accommoda actionibus facta est. Porrò brachij capitum, alterum quidem externum & minus, ob radij ad ipsum dearticulationem est factum: alterum uerò maius, quod intrò spectat, nullum os sibi cõiunctum habet, sed nodus prominens, uasa munit quę illac perreptãt, in ipsumq; annectuntur capita musculorum ulnæ internorũ, qui secundum rectitudinem eius sunt siti. Non solùm aũt radiũ & ulnam brachio, sed etiam radium ulnę ualidis ligamentis natura cõiunxit, ut omnia quamfirmissimè cohærerẽt. Os igitur brachij rationabiliter quidem extrinsecus magis est gibberosum: internis uerò partibus magis simũ, ut ad seinuicem conuerterentur manus, id quod longè erat melius. Talis etiam constructio brachia effecit aptiora, ad comprehendendũ cõuexa corpora, præparando simul locum uasis, quę ad rotas manus feruntur. Quum aũt ulna duobus prædita motibus esset, extensione & flexione, necessariũ erat interna quidẽ ipsius brachij parte flexionis ducem musculũ, externa uerò extensionis, locari, ut tum ipsam motionẽ ulnæ, tum brachio tegumentum præstarent. Ne autem regio illa quæ inter ipsos musculos media futura erat, superna nempe & inferna, omnino nuda relinqueretur, aut otiosa uestita carne, fortiores simul ac tutiores motus natura ædidit, duplicata multitudine musculorum. Ex utraq; siquidem parte duos obliquos musculos in ipso membro produxit, figura simili X græcæ literæ, sese mutuò secantes, prope dictas regiones: positione quorum tecto esse undiq; brachio contigit. Hoc aũt est dignũ admiratione, quòd binis obliquis motibus, unũ rectum cõficiunt, quemadmodũ carpum mouentes tendones. Atq; unus quidẽ musculorum flectentiũ ulnam, ortũ habet ab internis partibus loci, qui ad humerũ uergit: inde autem perfertur ad anteriores brachij partes: alter autem minor, explantationem quidem ab internis brachij partibus habens, intrò illinc paulatim sese conuertit. Maiori porrò musculo agente, manus tangit internas regiones articuli, ad humerum spectantis: minore uerò, externas ijs oppositas. Eodem modo & posteriores brachij musculos reperies factos, oppositum scilicet utrunq; utriq; internorũ, idq; pari seruata similitudine. Ambo nanq; inseruntur cubito, sed huius quidem maxima pars, ad internas cubiti regiones: illius autem, ad externas: & prioris quidem dictorum supernæ explantationes, in internis brachij magis: alterius autem, in posterioribus. Ergo musculi duo interni, secundum rectitudinem quidem exactè tendunt ulnã, si ambo tendantur. Sin autem alter quidem eorũ agat, alter uerò quiescat, parum à rectitudine uersus alterutram partem deflectunt. Eadem ratio est habenda in extensione quam moliuntur his oppositi musculi. Iam uerò laxiora & cauernosiora, magisq; concaua semper sunt ossa maiora cunctis minoribus, ne maximo grauẽt onere. Sed intra cauitates eorũ medulla reposita est, familiare ossibus nutrimentum. Enimuero in cubiti & carpi articulis, non crassa modò, sed etiam dura quædam ligamenta utidiq; contranitentia, & prohibentia, ne articulorum ossa plurimum à mutuo connexu resiliant, ac distent, sunt facta. Quapropter etsi sępe uiolenter moueri cogantur, minus tamen quàm in humeris, articulorum luxatio accidit. Non enim fieri potest, ut os aliquod suo articulo aberret, nisi plurimum à reliquis distet. Non autem omnes articulos natura firmos construxit: quoniam pugnam habebat necessariam uarietas motuum, cum securitate constructionis, nec poterant in idem cõuenire ambę. Sequitur enim illa quidem laxitatem dearticulationis, hæc autem stabilimentum, & omni ex parte constructionẽ. Quare cũ duo sint quæ stabilitatem

*Tendones extendentes atq; flectentes carpum.*
*Vlnæ positio recta.*
*Radij dearticulationes.*
*Radius cur ulnæ incumbat.*
*Radij & ulnæ, quod pertinet ad figuram & constitutionem, discrimina.*
*Coronæ.*
*Vlnæ extremitatis figura.*
*Brachij epiphyses.*
*Βαθμίδες brachij.*
*Brachij capita.*
*Brachij ossis figura.*
*Musculorum flectentium atque extendentium ulnam, quis situs.*
*Musculi obliqui in brachio.*
*Rectum motum fieri à musculis obliquis in brachio, dum obliquo simul motu mouentur.*
*Musculi ulnam flectentes unde oriantur.*
*Ossa maiora cur semper cauernosiora minoribus.*
*Medullam esse familiare ossibus nutrimentum.*
*Motuum uarietatem pugnare cum constructionis securitate.*

*Firmitudinē articulorum quæ efficiant.*
*Humerum carere exacta compositione, & fortitudine ligamentorum.*

tem articulorum efficiant, fortitudo uidelicet ligamentorum, & exacta compositio, utraq; quidem est in cubito & carpo, altera uerò in digito: in humero autem neutra exactè inuenitur.

# GALENI PERGAMENI de Vsu partium, lib. III.

*Manus solus animaliū homo habuit.*
*Homo solus inter pedestria bipes, erectusq;.*
*Naturam non posse miscere corpora plurimum differentia.*
*Centauros non recipit vnquā fuisse Galenus.*
*Lupam concipere ex cane.*
*Canem concipere ex lupo, et ex vulpe, necnō econuerso.*
*Equam aut nō recipere humanum semen, aut receptū corrumpere.*

MAnus homo omnium animalium solus habuit, organa animali sapienti conuenientia. Bipes uerò ipse solus inter pedestria factus, & erectus, quia manus habuit. Cur autem non habuit quatuor crura, & præterea etiam manus, sicut centaurus? Quoniam primò quidem impossibilis est ipsi naturæ, corporum adeò differentium mistio. Neq; enim si coitus quidam uenereus homini cum equa fiat, perficient matrices sperma. Quare quod de centauris fertur, omnino fabula est. Equa siquidē asini, & asina equi poterit sperma recipere, perficereq; ad animalis misti generationem. Ita & lupa masculi canis, canis uerò ipsa non lupi solùm, sed & uulpis, sicuti & uulpes canis. Equa autem humanum semen fortè ne receperit quidem in sinus matricis: longiori enim pudendo opus fuerat. Quòd si quando id suscipiat, corrumpet utiq; ipsum uel mox, uel nō multò pòst. Iam uerò si homini quatuor adessent crura, esset ineptissimus ad uniuersas humanas actiones, ac ne sedere quidē posset.

*Homo solus sedere potest.*

Etenim ut solus homo erectus stare, sic etiā solus sedere potest. At animalia cætera, quę destituta sunt manibus, oportuit hęc quidem anterioribus tibijs cibū admouere ori: alia uerò, inclinata sumere.

*Animalibus herbiuoris quæ insint.*
*Carniuoris quæ insint.*
*Timidis animalibus quæ adsint.*

Cęterū quę herbis uescūtur, alia quidem solidas, alia uerò bifidas habent ungulas: carniuora aūt, habitu feroci quū sint, nō solùm habent multifidos pedes, sed etiā curuos ungues, firmissimosq; sortiunt. Porrò quæcunq; omnino sunt timida, his neq; solida ungula, neq; cornu, uice propugnaculi, inest, sed ungula tantùm tenuis bifida: atq; hæc quidē inclinata pascuntur.

*Carniuora uti anterioribus pedibus vice manuum.*
*Exanguia animalia cur paruis & numerosis tibijs vtantur.*
*Iulus.*
*Scolopendra.*

Carniuora autem anterioribus pedibus pro manu utuntur, & ad retinendū animal quod uenata fuerint, & ad cibū ori afferendum. Quæcūq; uerò animalia exanguia, ea sanè frigidiori temperie sunt: quapropter imbecilliora omnino, & ad motus pigriora, paruis & multis utuntur tibijs. Quædam autem etiam ob id prælonga totis corporibus facta fuerunt, sicuti & iulus, & scolopendra, copiosę tibiarum productioni natura locum suppeditante. Omnibus sanguineis pedestribus, quę maximè hominibus assimilantur, quatuor sunt pedes tributi.

*Quadrupedibus quæ commoditas adsit ex illa corporis fabrica.*

Tutius siquidē erat ipsis, quatuor ambulare tibijs, quàm rectis stare super duabus. Nam sic ambulantibus, uti ambulant, partes uentris, quæ sunt offensis magis obnoxiæ, occultantur, & custodiuntur à superiacentibus: expositę autem sunt, quæ sunt patibiles minus. Erectis uerò accideret prorsus contrarium. Neq; enim manibus & ratione utentia, quemadmodum homo, opposituta erant uentri externum aliquod propugnaculum. E contrario aūt horum, homini melius fuit esse bipedi, ut qui ea uelocitate, quā ex tibiarum multitudine habent animantia cætera, neutiquam indigeret, & ad multa, nisi bipes fuisset, deterior futurus erat.

*Bipedes sunt aues.*
*Rectus est solus homo.*
*Spinam esse ceu quandam carinam corporis.*
*Crura in solis hominibus ad rectam lineam subtendi spinæ.*
*Quadrupeda cur nequeāt sedere.*

At bipedes quidem & aues sunt: rectus tamen solus animalium est homo. Soli enim ipsi secundū rectitudinem crurū spina est, ceu corporis quædam carina existens: ad quā crura ipsa, in auibus quidem, ut & quadrupedibus, angulum rectū efficiunt: solis aūt hominibus, instar rectæ lineæ extendunt. Quare eorum animaliū nullum unquā stare potest. Sed nec sedere, quòd ad sedendum oporteat crura coxis copulata, in femoris ad tibiā dearticulatione, retrorsum flecti, id quòd fieri in illis non potest, quum omnia nimirum antrorsum posteriorum crurum habeant flexiones, quemadmodum priorū retrorsum, contrà quàm in hominibus cernimus. In eis siquidem manus ad anticā cubiti partē flectuntur, quòd melius sit eas ad se cōuerti: crura aūt flexionem in genu retrorsum obtinēt, nam hoc solo modo pulchrè licet sedere.

*Figurari posse tripliciter animal, si rectam lineam efficiat spina cum cruribus.*

Vbi igitur unā rectam lineā efficit spina cum cruribus, ad tres differentias figurarū agi animal potest: quū si ipsam quidem spinā humi reclinauerit, supinum omnino fiat: si uentrē, pronum: si firmetur pedibus, tum exactè stet rectū. Si uerò aliquem angulum crura ad spinam fecerint, constat nullam earum figurarum exactè esse rectam.

*Homo solus & rectus stare, & sedere potest.*
*Actiones omnes manuarias fieri, aut stātibus aut sedentibus nobis.*

Solus igitur omnium animalium homo & rectus stare & sedere potest: etenim omnes manuum in opificijs actiones, duabus ijs egent figuris: hæc nanq; erecti, hæc sedentes conficimus manibus. Nemo autem aut pronus, aut supinus molitur quicquā.

*Οὐρανοσκόπος piscis perpetuò aspicit cœlum.*

At opinari ob id rectè stare hominem, ut promptè ad cœlum suspiciat, hominum est, qui nunquam uiderunt οὐρανοσκόπον piscem: hic nanq; uel inuitus semper cœlum aspicit: quū homo, nisi collum reflexerit, cœlum nunquam uidere possit: qui reflexus etiam asinis inest.

*Sursum aspicere, est mente naturam rerū considerare.*
*Crus ambulationis organū.*
*Pedum constructio valde opportuna.*

Id autem nō est sursum aspicere, quum quis supinū seipsum reclinarit oscitās, sed quando mente naturam rerum considerat. Postea igitur quàm ut manus apprehensionis, ita crus ambulationis erat futurū organum, præstitit nō rotundos & duros, sed oblongos, latos, molles, multifidosq; subijci ipsis cruribus pedes: quum uidelicet talis cōstructio, ad omnes locorū difficultates, & sicubi oporteat sublimes muros, aut arbores, aut petras scandere, maximè opportuna uideatur. Etenim equis & bobus, alijsq; id genus animalibus, quibus duri & uestiti sunt pedes, melius fuit quouis modo ad patiendi difficultatē eos cōparasse, ut quę nec manus, nec artes habeant:

*Pedes homini præstitit esse tum detectos, tum molles.*
*Ambulatio quomodo fiat.*

homini uerò (qui idoneū sibi calceamentū inuenire potuit, sæpe etiā nudis pedibus uti, opus habuit) pręstitit esse eos tum detectos, tum molles. Porrò ambulatio fit, altero quidem crure in terra firmato, altero autem circumlato. Sed firmari quidem, pedis: circumferri autem, totius cruris est actio. Necuerò ambulantibus tantùm, sed currentibus etiā, alter quidē pedum in terra firmus est, alter uerò simul cum toto crure profertur. Cæterùm mutare quidem loca, beneficio cruris quod mouetur cōtingit: quòd uerò non cadamus, hoc pes in terram fixus efficit.

*Stare posse homines duobus mutilis pedib. moueri autem non item.*

Iam stare quidem possunt, duobus mutilis pedibus homines, moueri autem non possunt. Vidi etenim quosdam, quorum digiti soli à niue mor

tificati exciderant: ſed hi quidem, neq; ſtando, neq; ambulando, neq; item currendo, in planis ſaltem & læuibus, uincebantur à ſanis, inutiles tamẽ & impotentes, ad peruadendum aliquem præcipitem locum. Quibus autem non ſolùm digiti, ſed quę ante digitos eſt, etiam planta computruit, fallax his greſſus eſt, etiam in planis locis. Si uerò tarſus etiam corruptus fuerit, non ſolùm hi non poſſunt ambulare tutò, ſed ne ſtare quidem conſtanter. Conſtat igitur hinc ad firmam ſtationem amplos & oblongos pedes eſſe appoſitos: quibus acceſsit multiplex illa fiſſura, necnon conſpicua in medio cauitas, ad ſecuritatem in gibboſis locis utraq; maximè cõgruens.

*Stationi firma amplos & oblongos pedes eſſe appoſitos.*

Humanus itaq; pes, quammaximè fieri poteſt, manum imitari uidetur. Quare ſi apprehenſoriũ organum manus fuit, fuerit utiq; & pes ipſe, alio quodam modo, huiuſmodi. Non autem habet oppoſitum alijs digitum magnum, ſed in uno deinceps ordine conſtitutos omnes: nam ſic ad firmitudinem expediebat. Iam uerò quod in humano pede ταρσὸς dicitur, carpi manus ſimilitudinem refert: metacarpij autem, πεδίον, hoc eſt planta: nam digiti in pede, digitis manus ſunt ſimiles. Hæ igitur tres partes pedis ſunt, quales & manus, digiti, tarſus & planta. Subiacens uerò ipſi tibiæ pars pedis, ex tribus oſsibus cõſtat, talo uidelicet, calcaneo, & nauiformi oſſe. Atq; ijs quidem ſolis, nulla eſt in manu particula quæ proportione reſpondeat, ſed ſunt ſimpliciter baſis ſolius inſtrumenta. Aliæ uerò omnes particulæ, baſis ſimul & apprehenſionis. Quæcunq; igitur pes, ut apprehenſorium inſtrumentũ, manui ſimilia eſt ſortitus, ea ad ſermonem de manu habitum, remittenda ſunt: quęcunq; uerò, ut ambulatorium, hic enarrare oportet.

*Pes hominis imitatur manum.*

*Pes etiã apprehenſoriũ organum.*

*Ταρσὸς æquiparatur carpo.*

*πεδίον, ſiue plãta, eſt quod metacarpio ſimile.*

*Talus.*

*Calcaneum.*

*Nauiforme os.*

*Baſis inſtrumenta.*

Quòd itaq; ex multis ac uarijs oſsibus conſtituti ſint, inuicem quidem multifariam dearticulatis, per membranoſa uerò ligamenta cõnexis, id ut apprehenſionis inſtrumentis, pedibus accidit. Quòd uerò & minores quàm manibus, digiti, ſimiliq; omnes ſerie poſiti eis inſint, hoc proprium eſt pedibus, tanquam firmationis organis.

*Pedum conſtructio.*

Tutioris autem apprehenſionis ambulationiſq; gratia, altiores & magis cauę factæ ſunt pedum partes internę, externis: quæ quidem ſi fuiſſent æquales uerſus crus eleuati pedis, alter ſemper pes inclinaret, ac ſic ambulãdo facilè euerteremur. Internæ aũt pedis cõcauitatis gratia, calcanei anterior pars, tenuior eſt & anguſtior, magiſq; recedere ad digitum paruum uidetur.

*Pedum partes internæ, cur altiores, & magis caua externis.*

Propterea aſtragalus, ſiue talus, intrò magis uergere apparet, licet eius partes poſtemæ, ad medium ſint calcaneum firmatæ. Quæ autem coniunguntur his oſſa, quod calcaneo quidem cohæret, cubiforme uocatum, ab externis partibus pedis firmum in terra ſtatuitur: quod uerò aſtragalo, ſcaphoides dictum, ſimiliter ipſi aſtralago ſublime eſt, & ſublatum à terra, interna regione pedis locatur. Pari autem modo tria tarſi oſſa huic coniuncta, & ipſa ſublimia apparent, & internis pedis partibus poſita ſunt: quibus externa parte firmum ac humile os cubiforme appoſitum eſt. Sed calcaneum quidem ad exteriora pedis maximum quidem eſt factum, quoniam ad perpendiculum ſubiaceet toti membro: læue autem partibus inferioribus, firmationis ſtabilis gratia: rotundum, ut non facilè pateretur.

*Aſtragalus.*

*Talus.*

*Cubiforme os.*

*Scaphoides.*

*Tarſi oſſa tria.*

*Calcaneũ ſubiacere ad perpendiculum toti cruri.*

Porrò aſtragalus altus, alto nauiformi coniungitur, fornici ſimilem perficiens figuram. His deinceps adiacent oſſa tarſi, tria quidem nauiformi coniuncta: quartum uerò calcaneo. Poſt hæc ſunt plantæ oſſa, terram poſt aſtragalum contingentia, & nauiforme, & continua huic tria oſſa tarſi. Deinde ſunt digiti, quorũ maximus eſt nõ amplius ex trium oſsium ordinibus, ut reliqui, conſtitutus, ſed ex duobus. Cęterùm oſsi quod magno digito prępoſitum eſt, duo uidentur ſubiecta eſſe inferiore parte, ueluti ſuſtentacula quædam, & ſtabilimenta. Ac planta quidem, proportione omninimo metacarpio reſpondet. Verùm in pede, ceu uno ordine omnibus iacentibus digitis, quantus eſt illorum numerus, tantus meritò eſt & oſsium plantæ, quæ præponuntur illis. Sed nec carpi quidem ad tarſum proportio conſtructionis obſcura exiſtit. Siquidem ex quatuor oſsibus tarſus conflatus eſt, ex duplicatis autẽ carpus, ceu ex duobus ordinibus cõſtans. Nam ex pluribus & minoribus componi particulis apprehenſorium inſtrumentũ erat expediens: ut ex maioribus, ſed paucioribus, ambulatoriũ. Anteriores igitur partes pedis adamuſsim perſimiles comprehenſorijs, ex æqualibus illis numero oſsibus conſtant. Poſteriores uerò, quũ inſtrumenta omnino ſint greſſus, nullã habent in manu proportione reſpondentẽ particulã. Reliqua pars media ambarum, qualis exiſtit tarſus, utriuſq; imitatur naturam.

*Aſtragalus coniungitur nauiformi oſſi.*

*Plantæ oſſa.*

*Pedis magnus digitus ex duobus tantùm articulis conſtat.*

*Planta proportione metacarpio reſpondet.*

*Tarſus proportione reſpondet carpo.*

Os itaq; quod ab externis ipſius partibus eſt locatũ, quod ſanè & cubiforme dicitur, inarticulatur cauitati calcanei, ad finẽ adiacenti. Reliqua uerò tria tres cubis nauiformis oſsis obequitant. Hoc autem ipſum rurſus circumambit caput aſtragali, qui iacet inter adnata tibiæ & fibulæ, supernè à lateribus, & præterea à tergo ab ipſis comprehenſus. Superiacet autem calcaneo duabus eminentijs, ibi in duabus cauitatibus eius firmatus.

*Cubiforme os.*

*Nauiforme os.*

*Aſtragalus.*

Atq; extendere quidem & flectere pedem, ſupernæ aſtragali dearticulationis eſt opus: ad latera uerò circumferre, opus eſt dearticulationis quę fit ad os nauiforme.

*Pedis motus à quib. dearticulationibus proficiſcantur.*

At pedem & crus firmari, ſicuti & ſuſtinere uniuerſum corpus, ad ipſum præcipuè calcaneum pertinet: quod os, ea de cauſa nõ ſolùm cætera oſſa, ſed ipſum etiã aſtragalum magnitudine ſuperat, cum quo etiã habet articulationes firmiſsimas. Vt autem firmius dearticularetur, in medio ipſius & tibiæ aſtragalus eſt locatus, cohærens illi ualidis ligamentis cartilagineis.

*Calcaneum eſſe maximũ os, firmiſsimeq; dearticulatum.*

Duræ porrò calcanei naturæ, dura cutis ſubducta eſt, ut occurreret uiolentis occurſibus.

*Calcanei cutis duriſsima.*

At cauitas pedis, triũ gratia conſtructa eſt, nempe internæ altitudinis, apprehenſionis, & leuitatis gratia.

*Pedis cauitas trium cõmodorum gratia efformata eſt.*

Ad hæc, in femore quidem eſt unicum os, quemadmodum & in brachio: duo autem in tibia ijs ſimilia, quæ in ulna cernuntur: quorum unum quidem uocatur tibia, alterum uerò fibula. Maximum omnium corporis oſsium femur meritò fuit. Primum nanque hoc, firmatum eſt cauitate, primumq; omnem corporis molem ſuperiacentem uehit: curuum quidem, priore & externa parte: reſimum

*Tibia. Fibula.*

*Femur eſſe omnium oſsiũ maximum.*

*Blæsi ad genu qui fiant.*

*Femoris partē supernam pro sede ischij cotylē fortiti.*

resimum uerò, partibus his contrarijs. Quibus enim femur fuerit natura rectius, quàm conuenit, blæsi fiunt omnino ad genu. Superiori ipsius femoris parti, ischij cotylem præparauit natura sedem. Eius autem collum, statim ex cotyle obliquum foras abscedit, ut relinquatur locus internis femoris uasis & musculis: postea autem intrò rursus reuertitur, uersus genu. Ad hæc, magis quidem sima retrorsum, antrorsum uerò magis, curua quum sit structura femoris, ad sessiones idonea existit.

*Femoris structura idonea ad sessiones existit.*

*Tibiæ structura.*

Quin & tibiam ipsam circa supernas partes magis curuam extrinsecus natura fabricata est, firmitudinis & uelocitatis ratione. Nam inferiores partes illius, quæ sunt ad malleolos, intrò sese reflectunt. Quemadmodū igitur singuli in manu digiti, à duplicibus quidem maximisq́ flectuntur tendonibus: ab alijs autem simplicibus minoribusq́ extenduntur: atq; ab alijs adhuc minoribus ad paruum digitū abducuntur: ac deniq; ab alijs illis minoribus reliquus motus internus ad pollicem obliquè agitur: ita dicamus etiā, & in unoquoq; pedum digito hos quatuor motus meritò inesse,

*Digitorum pedis motiones.*

quum à maximis quidē tendonibus digiti pedū flectantur, à minimis autem parte interna cōuertantur obliquè. Porrò media inter utrosq; est magnitudo extendentibus, & parte externa circumagentibus. Non tamen æquè magni sunt in pedibus flectentes, ac in manibus: quia nō itidem ut manus, pedem cōstituere oportebat instrumentum apprehensorium, sed basis fiemandæ organum. Quanto igitur pes manu est maior totus tota, tanto huius digiti, illius digitis, & tendones tendonibus sunt minores.

*Tendonum mouentiū digitos pedis, duo tantum genera producuntur à musculis tibiæ.*

Non ergo fuit æquum, quatuor genera tendonū mouentiū digitos pedū à musculis tibiæ produci, quēadmodū in manu à musculis ulnę: sed duo sola, nempe alterum, quod eorum extensionē efficeret: alterū, qnod flexionem primi & tertij eorum, qui sunt in quatuor digitis, articulorum. Motus itaque cuiq; articulo digitorū pedis molita est quatuor natura, & quinq; principia ipsorum, ut in manu: non tamen omnia ex locis proportione respondentibus prodeuntia. Tria siquidem ab ipsis pedibus motus principia oriuntur, duo uerò deferuntur ex tibia. Etenim in ipso qui ad plantam est loco, musculos obliquo motui interno præituros cōstituit: in reliqua uerò ipsius parte tota usq; ad calcaneū eos locauit, qui secundum articulum cuiusq; quatuor digitorum flectunt, magno digito excepto, qui à maioribus tendonibus germinationem insertam secundo suijpsius & tertio articulo habet, ut is qui est in manibus. Pariter & ex superioribus pedis partibus alios posuit musculos, motui externo obliquo inseruientes. Quare supernè quidem ex tibia, duo *principia motus descendūt: inferiore uerò parte prodeunt ex pedibus tria.

*Tendonum qui inseruntur pedibus implicationes.*

Tendones in pedes inserti, modo quodam simillimo neruis à spinali medulla colli in tota brachia productis, implicantur, cōmiscenturq́ inter se, ut offensionibus multò fortius resistant. Ob id ipsum nanq;, uel ubi magnitudo interualli magna fuerit, uel locus periculosus, ibi mistionē huiusmodi machinatur natura. Musculi aūt ualde parui, ab anatomicis nō animaduersi, primum articulū cuiusq; digiti flectūt, pariter in manibus, pedibusq́.

*Musculi parui in pede ab anatomicis ignorati.*

Iam uerò fines tibiæ, fibulæq́ simul inter se uniti & coniuncti, femori exactè in genu ipso adaptantur.

*Tibiæ inesse tredecim tendonū capita.*

In tibia porrò tredecim capita sunt tendonum, retrorsum quidem sex, antrorsum autem septem, mouentq́ pedem secundum omnes conuenientes eis motus.

*Pedi cōueniunt motus quatuor*

At conueniunt toti pedi absq; digitis, motus quatuor, ut carpo. Etenim à musculo tibiæ supertenso antrorsum, enascitur quidam tendo robustus, qui in duas partes diuisus, partibus circa magnū digitum pedis inserit. Ab eo uerò musculo qui fibulæ circumtenditur, prodiens tendo alius, ijs inditur partibus, quæ ante paruum digitum sunt. Qui duo si utrinq; tensi fuerint, attollunt, resimumq́ reddunt pedem uniuersum: altero uerò actionem obeunte, motus ad obliqua fiunt. Quinetiam ex posterioribus partibus, proportione eorum qui sunt in manu, opposuit natura duas musculorum germinationes, quæ contrarios dictis motus pedis efficiunt. Quarū minor à musculo, qui per profundum fertur, orta, in eum, qui est ante magnū digitū, locum infernè implantatur. Altera uerò maior est, conspicuus ille tendo, qui in calcaneū, fortissimum omnium pedis ossium, & principalissimum ambulationis instrumentum, retrorsum supernè inseritur: qui uel si solus aliquando patiatur, pes necessariò claudicat.

*Calcaneum fortissimum omnium pedis ossiū, & principalissimum ambulationis organū.*

*Tendo in calcaneū insertus, ex tribus alijs tendonibus cōstat.*

* Is tendo solus, ex tribus alijs in ipsum uenientibus, atq; à maximis musculis ortis, conflatur: ut si uel unus ipsorum, aut etiam duo afficiantur, reliqui, aut reliquus ipsam actionem obeat. Vbi enim hic tendo calcaneum ad seipsum trahit, sic membrū uniuersum obfirmat, ut si altero pede stare aliquando uelis, non possis facilè euerti, neque labefactari. Meminisse autem in uniuersum conuenit, obliquos quidem in membris musculos, obliquos motus præstare: rectos aūt exactam flexionem, aut extensionem moliri.

*Obliqui musculi obliquos motus præstant.*

*Recti musculi, exactam flexionem aut extensionem moliuntur.*

Quum igitur tres suræ musculi ipsum calcaneum moueant, & depilem pedis partem constituant: post illos autem, tres alij digitos flectant, & in pede conuenientem motionē ædant, iure optimo posterioris tibiæ partis sex omnino musculi fuerint, unusquisq; secundū rectitudinē particulæ quam est moturus, locatus.

*Tibia posterioris partis musculos sex inesse.*

*Tibiæ anterioris, musculi sex, aut septem.*

Quinetiam anteriores musculi tibiæ, sex aut septē censentur. Nempe unus, qui quatuor extendit digitos. Ex utraq; uerò ipsius parte, rursus alius unus, qui in triplicia tendonum capita desinit. Quibus tum ipsis, tum ipsorum utilitatibus, si quis intendat animum, ipsos sex, aut septem uniuersos statuet. Quòd autem unguibus pedes proportione respondeant manibus, quodq́ eis hoc ut apprehensorijs organis insit, uerbis nihil est opus.

*Cutis pedi qualis subdita.*

Cutē ipsam, nō laxā, aut subtilem, aut mollem, sed constrictam & mediocriter duram, sensilemq́, ut nō facilè pateretur, subdidit pedi sapientissimus ille conditor noster: cui commentarios hos ceu hymnos quosdam compono, in eo ueram esse pietatē existimans, non si taurorum ἑκατόμβας ei plurimas quispiam sacrificarit, & casias, aliaq́ sexcenta unguenta suffumigarit: sed si nouerim ipse primus, deinde exposuerim alijs, quænā sit ipsius sapien

*Commentarios hos Deo, ceu hymnos quosdā conscripsit Galenus.*

*Pietas uera quæ.*

tia, quæ uirtus, quæ prouidentia, quæ bonitas: ignoratio quorum, summa impietas est, non si à sacrificio abstineas. Quòd enim cultu cõuenienti exornarit omnia, nulliq́ bona inuiderit, id perfectissimæ bonitatis specimen esse statuo. Inuenisse autẽ quo pacto omnia adornarentur, summæ sapientiæ est: at effecisse omnia quæ uoluit, uirtutis est inuictæ. Ne igitur mireris, uniuersa cœlestia corpora summo esse artificio disposita: néue eorum ordo uel pulchritudo adeò te attonitum reddat, ut si inferiora hæc comparaueris, parua tibi esse uideantur, & omni ornatu carere: siquidem sapientiam, uirtutẽ, & prouidentiam, hîc quoq; inuenies. Nam tametsi ex sanguine menstruo & semine, immortale animal, aut impatibile, aut semper mobile, aut splendidum & pulchrum, æquè ac sol est, non potuerit constitui, in ipsa tamẽ uilitate materiæ, conditoris ars splendescit. Attonitum enim facit, idiotam quidem, materiæ: artificem autem, pulchritudo artificij. Etenim sol & luna, diuina quidem & cœlestia sunt corpora: nos autem terreæ statuæ: opificis tamen industria in utroq; æqualis. Paruam & abiectam esse partem animalis pedem, quis inficietur? magnum uerò & pulcherrimum omnium quę sunt in mundo esse solem, ne hoc quidem ignoramus. Neutrum tamen corpus commodius potuisset locari, q̃ est locatum. In mundo enim medium esse solem inter errantia sydera, infimum autem in animali pedem, necesse fuit. Maximum & pulcherrimũ rerum omnium esse mundum quis tandem negat? Sed & animal, ueluti paruũ quendã mundũ esse, aiunt ueteres naturæ periti: eandem nanq; in ambobus inuenies sapientiam creatoris. Quòd si solem quidem ostendere in corpore animalis non liceat, licebit certè oculum, organum lucidissimum, & quamsimillimum soli. Sed neq; oculo, nec cerebro deterius est pes cõstructus, si utraq; pars ad actiones cuius gratia fuit facta, se habeat optimè. Neq; cerebrum sine pede se probè haberet, neq; pes sine cerebro: eget enim, opinor, illud quidem uehiculo, hic autem sensu. Vehiculum enim cerebri est pes, ac totum corpus reliquum: sensum autem ipsis cerebrum præbet. Etenim illius tendonis triplicis qui ad calcaneũ descendit, superficialis portio ad inferiorem partem pedis prætergressa, cuti ad intrinsecum uestigium subducitur: profunditati autem pedis, quæ est sub cute, in qua etiam duo parui musculi sunt, distribuuntur parua germina eorum neruorum, qui à spinali medulla oriuntur. Per quæ organa pars pedis inferior facultatem sentiendi suscipit. Vt autem neq; admodum sensilis sit, neq; promptè patiatur, excessus utrosq; uitauit natura, mediam exactè fabricata infernam pedis cutem, inter mollem & duram. Porrò fibula extrinsecus tibiæ est attensa, tenue admodũ os, & multò minus quàm tibia. Atq; una quidem fibulę utilitas est, dearticulationis ad astragalum, à qua extenditur pes, atq; flectitur. Altera autẽ, quòd omnia uasa & musculos tibię custodiat ab iniurijs extrinsecis. Tertia utilitas est in externo femoris capite, quod tibia sustinet. Ad id enim loci adfirmata, firmitudini & securitati non parum confert.

*Impietas summa quæ sit.*
*Bonitatis diuinæ specimẽ perfectissimum.*
*Virtutis inuictæ opus.*
*Conditoris artẽ splendescere etiam in uilitate materiæ.*
*Idiotam reddit attonitum pulchritudo materiæ.*
*Artificem reddit stupidũ pulchritudo artificij.*
*Homines esse terreas statuas.*
*Solem esse pulcherrimum omnium quæ sunt in mundo.*
*Solem esse medium inter errantia sydera.*
*Mundũ esse maximum & pulcherrimum rerum omnium.*
*Animal esse uelut paruũ mũdum.*
*Oculum esse organum lucidissimũ, & quàm simillimũ soli.*
*Pes est uehiculum cerebri.*
*Cerebrum præbet corpori sensum.*
*Planta pedis unde facultatẽ sensitricem suscipiat.*
*Fibula extrinsecus tibiæ est attensa.*
*Fibulæ utilitates.*

Cæterùm quum tibiam portandi femoris gratia prestaret esse maiorem, ut autem ipsa moueretur facilè, minorem, essetq; necessarium alterum eligere, quum ambo simul conuenire nõ possent: ratio quidem fuit eligere quod utilius, alterum uerò non omnino negligere. Propterea igitur minorem fecit femore tibiam, non tamen usq; eo minorem, ut non posset iam tutò ipsum portare. Ad hęc, si absq; articulis fuisset constructum crus, nec extendi posset, nec flecti: in multas autem articulationes diuisum, lubricum ac fallax esset adeò, ut nunquam constanter uno crure stare possemus, quin confestim circumuerteremur, & caderemus. Quare ipsa prudens natura, tantum ex utroq; accepit, quantũ neq; motus facilitatẽ, neq; firmationis securitatem uitiaturũ erat. Iam uerò aduata ossis ipsius femoris, adeò congruentes in tibia cauitates sortiuntur, ut neq; laxus sit incessus ipsorum, neq; motu difficilis propter loci angustiã. Circumposita quoq; ligamenta continent articulationem, adeò ut flectentibus nobis aliquando, aut extendentibus plurimùm, femur à tibia non excidat. Patella quoq; uocata, os cartilaginosum, anteriores partes articulationis omnes coërcet, prohibens quidem & ipsum femur prolabi ad anteriora, atq; ne nos cadamus haud modicam præbens utilitatẽ. Quatuor enim quum sint regiones circa articulum genu, anterior, posterior, dextra, & sinistra: anteriori quidem, ceu magis fallaci, cæterisq; magis laboraturæ, apposuit patellam: externæ, quæ periculis magis obnoxia est, quàm interna, unum ligamentum rotundum, ualidumq;, simul cum fine lati cuiusdã musculi applicuit: internæ aliud indidit ligamentum. At posteriori, plus nimirum laboraturæ, quàm passuræ, neq; os neq; insigne ligamentum apposuit, præter lata illa & tenuia, quibus omnis articulus copulatur. Omnes porrò musculi in femore, senario numero ambiunt. Tres quidem maximi, qui in anteriori sunt femoris parte, rectà ad genu feruntur: quorũ unus quidem implantatur patellæ, duo autem reliqui, unum maximũ gignunt tendonem, qui dilatatus, inhæret etiã toti patellæ, constringens ipsam prorsus, & coniungens subiectis. Postea uerò, præteruectus articulum, inseritur anterioribus partibus tibiæ, ipsam, si tensus fuerit, attollens sursum, & totam extendens genu dearticulationẽ. Alij uerò duo musculi utraq; prædictorũ trium parte, hic quidem externus, ille autem internus, ad laterales tibię inseruntur partes, obliquæ motioni uterq; præfectus. Qui nanq; externus est, foras abducit: alter uerò, crus intrò adducit. Enascitur autẽ hic quidem, ex cõmissura ossium pubis: ille, ab extimis partibus coxæ. In medio inter hos spatio, aliæ tres sunt musculorum explantationes, ordine positæ, paruis motibus ipsum genu mouentes. Flectit enim genu, & ad interiora adducit tibiam is, qui est interiori continuus. Abducit aũt foras simul flectendo, is qui tangit externum. Reliquus uerò, qui & medius omnium est, in femoris caput internum insertus, flectit quidem totum quoq; femur, cum eo autem simul & tibiam attrahit. Qui superest aũt

nouem

*Tibiam esse minorem femore.*
*Aduata femoris.*
*Ligamenta femoris tibiam continentia.*
*Patellæ usus.*
*Genu regiones quatuor, quibus præsidijs fulciantur.*
*Femoris musculi sex.*

*Poplitis musculus flectit genu.*
*Ambulatio est prima actio cruris.*
*Ambulationi qui sint necessarij musculi.*

nouem musculorũ arnculationem ipsius genu mouentium, strictus & longus ex osse ilium ortus tollit sursum tibiã, in illa maximè figura crus totum statuẽs, in qua emollientes & subigentes sursum ferimus pedem ad inguen alterius cruris. Præter hos omnes, est paruus musculus poplitis, qui flectit genu. Porrò prima actio cruris, cuius gratia factũ est, ambulatio est: ad quã tribus illis magnis musculis ipsum crus extendentibus (quibus debetur robur totius ferè motus qui fit in genu) maximè nobis est opus, quũ nimirum toti cruri extensionem rectam suppeditent. Tribus autẽ his tres opposuit retrorsum natura, non ęquè robustos tamen, neq; in tendones, ut illi, ualidos desinentes, quum non sit æqualis dignitas extendentis genu motus, & flectentis.

*Motũ cruris ad latera, ex abundantia esse.*
*Femoris musculos descẽdere ad caput mouendæ tibiæ, articulatione præterita.*
*Particulas corporis esse à natura constructas cõgruentes animi moribus.*

At motus cruris ad latera, ex abundantia est. Descendunt aũt musculi femoris semper ad caput tibię, pręterita articulatione. Nam quẽadmodum qui per quosdam funiculos lignea simulachra mouẽt, ultra articulos ad caput membri mouendi, eos applicant, ita & natura multò prior quenq; articulum fabricata est. Ex dictis igitur constat liquidò, eandem cõuenientes animi moribus & potentijs uniuersas corporis particulas cunctis animalibus construxisse.

## GALENI PERGAMENI de Vsu partium lib. IIII.

*Ventriculũ esse ueluti prõptuarium commune omnium corporis particularũ.*
*Oesophagus.*
*Gula.*
*Stomachus.*
*Ventriculi munus.*

QVandoquidẽ nutriri necesse erat animalis particulas: ingressus uerò cibarijs in corpus, unus adest per os: communis sanè & maxima, primaq; omnium uia est, quæ ab ore ipso fert ad uentriculum, quasi ad promptuarium quoddam, omnium particularũ commune, in medio animali positũ. Cuius uiæ, nomen quidẽ propriũ, œsophagus, seu gula est: commune aũt, stomachus: at promptuarium ipsum, alimentum uniuersum excipiens, illud accuratè elaborat, quod in eo quidẽ reperit inutile, atq; recrementitium, infernè pellens: quod uerò benignum, utileq;, per uenas quæ tum ad ipsum uentriculũ, tum ad intestina perueniũt, distribuens.

*Vena à ventriculo cibum elaboratum suggerunt hepati.*
*Porta.*
*Venas præparare alimentũ eodem modo quo hepar.*
*Hepar inducere sanguini extremũ ornatũ.*
*Sanguificationis ad feruorem musti collatio.*

Porrò uenę alimentum ipsum, prius in uentriculo elaboratũ, & suscipiũt auidè, & ad aliquem cõ coctionis locũ communem totius animalis deferunt, quem nominamus hepar. Ingressus aũt in locũ hunc, multis angustis diuisum uijs, unus est, quem appellamus portas. Nec uerò solùm deducunt ex uentriculo nutrimentum uenę, sed attrahunt etiam illud ad hepar, pręparantq;, modo, quo ipsum, simillimo: quippe quæ natura sint illi similes, & primum germen ex illo ducant. Ipsum autem hepar, postquã id nutrimentum acceperit, à famulis iam præparatũ, obscuramq; sanguinis speciem referens, inducit ei postremũ ornatum, ad sanguinis exacti generationem. Ac uelim impræsentiarum intelligas, distributũ à uentriculo ad hepar chylum, à uisceris caliditate, ueluti uinum in dolio musteum, feruere, concoqui, alterariq; in sanguinis boni generationem: in ebullitione autem hac, ex ipsis excrementis, quod fæculentum quidem ac crassum est, subsidere: innatare uerò, quod tenue ac leue existit, & ueluti spumam quandam in superficie sanguinis fluitare.

*Vesicã fellis sanguinẽ repurgare à bile.*
*Lienem in sinistris locatũ eximere melancholicum succum à sanguine.*

Quorũ excrementorum, huic quidem quod flauum & leue est, excipiendo, natura ad hepar uesicam quandam apposuit: illi aũt, quod crassum & limosum existit, lienem in sinistris uentris partibus subdidit, & quendã ueluti stomachũ ex sima regione ipsius splenis productum, uenosum uas, ad portas extẽdit, ut nihilo minus hepar certè purgetur, quàm si prope ipsum esset splen locatus. Postquam igitur humor, qui in cauis hepatis ad animalis nutrimentũ paratur, prædicta duo excrementa deposuit, & ab innata caliditate coctionẽ exactam indeptus est, ruber iam & purus sursum ad gibbas hepatis partes ascendit.

*Vena caua diuaricatio.*

Excipit aũt ipsum illic una uena maxima, ex gibbis hepatis orta, quę ueluti aquæductus sanguine plenus, ad utranq; animalis partẽ fertur, superiorẽ simul & inferiorẽ, unde per totũ corpus, in ramos scissa uarios disseminatur.

*Serum esse uehiculũ sanguinis.*
*Aquam haudquaquam nutrire, deducere tamen alimentum per corpus.*
*Serum expurgant renes à sanguine.*

At in hac quoq; uena, multo adhuc humore tenui & aquoso, qui uehiculũ nutrimenti existit, plenus est sanguis. Eundẽ, quẽ ille, usum præstat animalibus aqua. Siquidẽ ex ea nutriri nulla particula potest: distribui uerò ex uentre, quod nutriturũ est, non poterat, nisi deductum fuisset à quopiã ita liquido. Has igitur tenues humiditates, postquã suo officio perfunctę fuerint expurgãt renes, instrumẽta concaua, stomachis alijs quidem trahentia, alijs aũt eas emittentia. Adiacẽt enim utrinq; ipsi uenę cauæ (quã paulò antè diximus maximã) paulũ sub hepate, ut quicquid in ipsam sanguinis assumatur, confestim purgetur, solusq; postea is purus eat per totũ corpus, pauca omnino ipsi aquosa humiditate permista.

*Vena caua insertatio in cordis ventriculũ dextrum.*
*Ventriculo inesse quatuor naturales potentias, seu facultates.*

Inseritur autẽ ipsius uenæ superior pars, ad cordis uentriculũ dextrũ, saltem in quibus is inest. Porrò uentriculo inest facultas quædã propriæ qualitatis attractrix: inest & quædã alia receptorum retentrix: & rursus alia excretrix superfluorum: sicuti & ante has omnes, alteratrix quædam, propter quam illis quoq; uentriculus eguit. Sed alijs quidẽ omnibus animalis particulis, quanquã easdem facultates habeant, non indidit natura sensum eorum quæ desunt: sed in plantarum modum nutriuntur hę, assiduè ex uenis alimentum haurientes.

*Ventriculo soli sensum indigentiæ cõtulisse naturam.*

Soli uerò uentriculo, & maximè eius partibus, ijs quæ ad orificiũ pertinent, sensum indigentię contulit, ad sumendum cibum animal excitantem. Quum enim totius corporis partes nutrimentum ex uenis à caua prognatis trahant, ipsa rursus caua ex uenis hepatis, hæ rursus ex ijs quæ sursum ad portas feruntur, illæ rursum ex uentriculo & intestinis: certè ubi nulla iam supersit amplius particula, à qua uentriculum capere oporteat, necessum est animalibus, extrinsecus ipsum replere: in eoq; differunt iam animalia à plantis.

*Animalia à plãtis quo differãt.*
*Plantis non inesse sensum eorũ quæ sibi desunt.*
*Animalibus adesse arbitrarium motum.*

Siquidem his, etsi quammaximè illas quatuor facultates, paulò antè memoratas, habere cõtigerit, eis tamen sensus eorũ, quæ sibi desunt, nõ inest. Non enim per os nutriendæ erãt, promptuariũ copiosi alimenti subiectã habentes terram, cui cohærentibus atq; unitis semper alimenta adfluũt. Ipsi uerò substantiæ animaliũ, præterquàm quod multum à terra differt, insuper etiam motus uolun-

tarius adest, & loci ex loco mutatio: unde impoßibile fuit ipsis, plantarum ritu, sugere humorem ex terra. Opus igit erat unumquodq; familiaribus sibi nutrimentis nutriri, eaq; id temporis edere, quo uentriculus indigentiam perciperet.

*Particulam nullam ex se habere sensum.*

At quum nulla animalis particula ex se sensum habeat, affluere uentriculo huiusmodi facultatẽ aliunde oportebat, uelutiper canales à principio sensifico.

*Neruorũ par unum dissеminari in uentriculum.*

Cuius rei gratia ad eum par neruorũ haud mediocre supernè defert, & disseminatur: contexitq; maximè quidem os eius, & partes ipsi continuas, & in reliquas usq; ad uentriculi fundum protenditur. Positus est autem uentriculus non statim post os, sed quem uocamus thoracem, & quæ in ipso sunt uiscera, præposuit natura, ut ille quidem in inferioribus partibus effluuia habeat superfluorum: hic autem per os attrahens, & rursus emittens aërem, uocis & respirationis fiat cõditor.

*Thoracem esse inter os & ventriculum.*

At uerò fundum uẽtriculi in dextra animalis parte cõsistit, quod iecur in regione similiter dextra superioriq; amplexatur, septum transuersum contingens.

*Fundum uentriculi cõsistere in dextra animalis parte, ibiq; foueri ab hepate.*

Lien autem sinistris ipsius uentriculi partibus inferioribusq; est protensus.

*Lienem sinistris subtendi ventriculi partibus.*

Ac meritò sanè rotundus simul & longus factus est ipse uentriculus: rotundus quidem, quòd hæc figura minimè omnium existens læsioni obnoxia, etiam capacißima sit.

*Ventriculus cur rotundus.*

*Figuræ rotundæ quæ insint.*

Omniũ siquidem figurarũ, æqualẽ in ambitu mensurã habentiũ, planarũ quidem, circulus: solidarũ autem sphæra, maximæ sunt.

*Figuræ omnium maxima.*

*Ventriculus cur oblongus.*

Oblongus autem, quoniã infernè quidẽ explantatio eius ad intestina est: supernè autem ad œsophagum ipse idem progredit: quà uerò incumbit uertebris, cõprimit: ob idq; ipsum uitiata est eius conuexitas.

*Ventriculi orificium superius, cur inferiore latius.*

Iam uerò superius orificiũ uentriculi est inferiore latius, quòd illud quidẽ moles duras, magnas, & integras aliquando transgluriat: hoc autem nihil exire permittat, non in chylum & læuorẽ conuersum.

*Gulam esse partem ventriculi.*

Atq; est quidem gula ipsa pars quædam prælonga uentriculi, intestinũ autem nequaquã. Quare tunicarũ natura, uentriculo quidem & gulæ adsimilis est, intestinis autem dissimilis.

*Tunicis ventriculi et gulæ quæ fibræ adsint.*

Interna nanq; tunica in uentriculo simul & gula, membranosior, uillos rectos supernè deorsum tendentes habet: externa uerò, & carnosior, transuersos, quales habent ambæ intestinorũ tunicę, idq; meritò.

*Intestinorũ ambas tunicas habere uillos trãsuersos.*

Siquidem uentriculus trahat ad seipsum per stomachũ cibum & potum, tanquam manibus, rectis his uillis oportet, propellat autem transuersis.

*Intestina nõ indigere facultate attractrice.*

Intestinis uerò (attractrice enim facultate non indigebant) soli ad propellendum idonei sunt facti uilli.

*Tunica ventriculi gulæ, & omnium quæ in ore consistũt, cur sit una cõtinua.*

Quinetiam continua est interna uentriculi, stomachi, & omnium quæ in ore consistunt, tunica, quum ad attractionem contentorum in ore ciborum, tum ut lingua deorsum trahatur cum musculis qui sunt ad tonsillas, à quorum omnium tensione, sublato larynge, & currente sursum ad epiglottida, obturatoq; ab ea, repentè ac simul humor influere in pulmonem prohibetur. Ac duriora quidem & densiora sunt interna horum, quàm intestinorũ: quia intestina sanè, ad distributionẽ; uentriculus uerò, & stomachus, & os, ad patiendi difficultatem sunt cõparata, ob magnitudinem, asperitatem, atq; duritiem eorum quæ transglutiunt.

*Intestina esse ad distributionem condita.*

Ob id ipsum tunica quę communis ori, stomacho, & uentriculo existit, rarior & mollior fit paulatim, usq; ad fundum uentriculi.

*Venarum meseraicarum distributio inæqualis.*

Neq; ob aliam rem quamplurimæ quidem ad singula intestina immittuntur uenæ: paucæ autem ad inferiora uentriculi, paucæ etiam ad eius oris partes: & omnino obscurę quędã ad œsophagũ: hic siquidem uia erat ciborũ tantũm: uentriculus uerò, coctionis organũ: ut intestinũ, distributionis.

*Ventriculũ cur amplexetur hepar.*

Ambit autem uentriculũ hepar, amplexaturq; quibusdam lobis ceu digitis, ut ille quidem ab hoc, cibaria uerò ab eo calefiant.

*Lien.*

*Spina.*

Habet etiam uentriculus ut ex sinistris longum lienem protensum, à quo sinistrę illius partes calfiunt, sic retrorsum spinam & spinales musculos: illam quidem ceu propugnaculum quoddam densum: hos autem ueluti substerniculum molle, à quibus eius calor fouetur.

*Omẽti natura.*

In reliqua uerò ipsius anteriori parte, calefactionis gratia, generauit natura omentum, corpus densum, simul & leue, ac præterea calidum: cuius argumento est, quòd facilè in flammam uertatur.

*Frigidum nihil promptè cõburi.*

Nihil siquidem frigidũ promptè comburitur.

*Omenti constitutio & usus.*

Id igitur corpus, ex duabus quidem tunicis densis atq; subtilibus, sibiipsis incumbentibus, quamplurimis uerò arterijs & uenis, pinguitudineq; non pauca conflatũ, per totum uentrem extendit, ut illius caliditatem foueat. Quare quibus pars huius, ob uulnera, adempta est, omnes infeliciter concoquunt, plurimisq; fomentis egent.

*Peritonæi constitutio & usus.*

Est & alia membrana peritonæos dicta, quæ uiscera omnia, quæ in regione uentris sub septo transuerso sunt, contegit, ab eisq; musculos incumbentes distinguit, citatq; excretionem aridorum excrementorum, ac breuiter impedimento est, quo minus facilè flatibus (quorum tamen pars ructu, pars crepitu uentris solet sæpe uacuari, sicuti & halituosior pars concoqui, ubi uiscera sunt ualentia) distendantur intestina & uentriculus, singulis priuatim firmum tegumentũ existens.

*Peritonæi connexio.*

Siquidem anterioribus ipsorum omnium partibus est prætensum: procedit autem illinc ad dextram & sinistrã *per ilia, usq; ad lumborũ uertebras: quo fit ut singulis intestinis ac uisceribus, præterea tum arterijs omnibus, uenis, & neruis circuntendatur. Quod uerò ad reliquas eius extremitates pertinet, superior quidem septo trãsuerso infernè adhærescit: inferior autem oßibus pubis, & pręterea ilium. Porrò instrumentorũ in illis duabus sitorũ partibus, quæ superiori quidem parte sunt (cuiusmodi est uentriculus atq; hepar) à peritonęi portione septo transuerso infernè adnata: quæ uerò inferiori (ut tum uesica tum intestina) ab ea quæ oßibus pubis hęret, uestiunt. Quod autem à septo transuerso adnascit ori uentriculi extrinsecus, unitur ijs quæ utrinq; à dorso ascendunt: estq; id principiũ generationis tertiæ tunicę uentriculi, extriusecus ipsum undiq; ambientis: quã sanè operimentũ quoddã ac propugnaculũ secundæ tunicę carnosę circumposuit natura, eaq; existente crassa pro ligamento unit, ad uentriculum totum cum corporibus quæ iuxta spinam sunt, colligandum.

*Ventriculi tertia tunica.*

*Omenti origo.*

At uerò omentum oritur ab eis peritonæi partibus, quæ à dorso utrinque ascendunt,

ascendũt, sibi inuicem occurrentes ad altissimã partẽ uentriculi. Quum enim ex illa dorsi regione produxisset natura uenas & arterias quam plurimas ab utroq; magno uase, simul produxit cum eis utrinq; peritonęi particulas, uniuscuiusq; prædictorum uasorum partem ad sese attinentem, circumuestientes & colligantes. Mediam autem inter uasa regionem contexunt peritonæi portiones, ueluti filamenta quædam, sibi inuicem incumbentes, ibiq; plurimum adipis congerũt, quod fouet simul uentrem, innngitiq; membranas, ac per inediam calore natiuo suggerit alimentum.

*Omenti pinguitudinis usus.*

Talis itaq; constitutio omenti, siue epiploi existit, quod quidem etiam spleni inseritur, corporiq; παγκρέας uocato.

*Epiploon.*
*Pancreas corpus.*

Pari modo exortui, qui fit in tenue intestinum, & mesenterio, & colo, & ipsius deniq; uentriculi simç parti alligatur. Est autem id, quod ueluti hepatis caro existit, primum sanguinis gignendi organũ, atque uenarum principium.

*Hepatis caro primum sanguificationis organum uenarumq; principium.*

Quare natura ipsius, sanguini esse uidet proxima. Etenim si hoc quidem agit caro hepatis, ut sibi chylũ assimilet: nihil autem contrarias, aut omnino multùm differentes qualitates potest recipere, nisi per media prius iter fecerit: medium utiq; utriusq; erit sanguis, tanto à hepatis relictus, quanto superat coctum in uentriculo chylum.

*Mutari in contraria nihil potest nisi per medium.*
*Sanguinem esse mediũ inter chylum & carnem hepatis.*

Caro itaq; hepatis, quæ ipsius corpus atque substantia est, primum sanguinis gignendi organum, & uenarum origo existit. Quapropter & uenis quæ ad uentriculum & uniuersa intestina pertinent, inest facultas quædã effectrix sanguinis, qua succum qui ex cibis distribuitur, in sanguinem mutare sunt aptæ, prius quàm is ad hepar perueniat.

*Venis inest facultas sanguifica.*

Poros uerò qui sunt in uesica bilem recipiente, perspicuum est gratia separandæ bilis cõstructos esse.

*Pori vesicæ fellis.*

Membrana autem exterior ueluti cutis quędam hepatis est.

*Hepatis tunica.*

Neruus in ipsum inseritur, ne omnino uiscus sit sensus expers: quemadmodũ certè & arteria distributa cum uenis, ut caloris natiui moderationem ipsi conseruet.

*Hepatis neruus.*
*Hepatis arteria.*

At uerò multas uenas illas quæ à uentriculo & intestinis omnibus ferunt sursum cibum ad hepar, quum semel uniuisset natura ad portas, rursus intra substantiam hepatis in quamplurimas angustissimasq; diuisit, ut diutius hærens ac morans alimentum in uiscere, in sanguinem perfectè transmutaret.

*Hepatis vena.*

Vbi enim diutius natura uoluit immorari materias, ibi transitum ipsis est molita difficilem.

*Mora materiæ ob diutinã moram esse naturam difficilem transitum.*

Venæ autem illæ quæ sunt in hepate, omniũ quæ sparguntur in totum corpus, longè tenuissimæ sunt, ceu nulli patiendi periculo expositæ (tutissimã enim habent sedem in uiscere) & melius ita sanguinem elaboraturæ.

*Venas quæ sunt in hepate, aliarum omniũ esse tenuissimas.*

At pori attrahentes ad se flauam bilem, post uenas alimentũ ex uentriculo sursum ferentes, priores locati sunt alijs uenis id excepturis, ut uidelicet sanguinem opportuna horum uasorũ positione purgatum, cõmodè uena caua suscipiat.

*Pororum bilem excipientium situs.*

Etenim his solis uenis quæ in simis hepatis sunt, subiecit natura arterias, haud ignara gibbis illius continuum esse motum ex septi transuersi uicinia.

*Venis quæ in simis hepatis sunt solis subdidisse arterias naturam.*

Iurè autem & paruę admodũ fuerunt, ut quę refrigerationẽ solum simis uisceris suppeditarẽt. Minimũ autem neruum hepati dedit natura, utpote neque ad motum, neque ad sensum futuro ex usu animali. quare eum aut non omnino in uiscus, aut non in totum inseruit.

*Hepati cur neruus exiguus datus.*

Eiusmodi siquidem facultatis hepar principiũ est, eæq; actiones sunt tum ipsi, tum eius uenis concreditæ, cuiusmodi & plantis insunt.

*Hepar cuius facultatis principium.*

Non licet autem rectè inuenire usum ullum cuiusuis particulæ, totius organi actione ignorata.

*Vsus partis inueniri nõ potest actione illius ignorata.*

Porrò hepar facultatis nutritoriç principiũ, copulari oportuit duobus principijs alijs, sicuti & illa sibi inuicem. Hepar siquidem, pecus quoddam (ut inquit Plato) est agreste, ipsumq; nutrire colligatum necesse est, si modò hominum genus sit duraturum.

*Hepar agreste est pecus.*

At ratio, quæ homo est, sedem in cerebro habens, ueluti famulam quandam atq; adiutricem irascentiam accersit, quæ sibi aduersus hoc pecus auxilio sit.

*Ratio (quæ est homo) in cerebro collocatur.*

Quo fit, ut ipsa principia tria, per processus, utputa, neruos, uenas, & arterias, coniuncta, cõditor noster sit machinatus, ut sibi uicissim obsequerentur.

*Principia animalis tria cur inter se sint coniuncta.*

Ad hæc uerò hepar, uentriculo, intestinisq; omnibus per uenas, & colligantem ipsa tunicã iunctum, proprio etiam tegmine membranoso, quod oritur à peritonæo, proximis corporibus colligat. Omnia siquidẽ tunica hac obuoluuntur. Magno præterea alio uinculo, septo transuerso: atque alijs quibusdam membranosis & paruis, costis nothis connexum est.

*Hepatis cum cæteris colligatio.*

Copulatur etiam & cordi hepar intercedente septo transuerso, utpote medio inter utrunq; uiscus. Quippe uena caua, septum transuersum permeans, ab hepate ad cor ascendit. Cuius uenæ indumentum crassum, tum uenam ipsam, tum totum uiscus, ad septum transuersum alligat.

*Septum transuersum intercedit cordi & hepati.*
*Vena caua indumentum.*

Quum autem uenæ ipsius eo in loco læsio, omnibus quæ in toto animali sunt uenis, esset futura communis (uulnerata enim ea, aut diuulsa, subitò uelox sequitur mors) haud ab re natura, in anterioribus quidem eius uenę iuxta dictam regionem partibus, ad maiorem securitatem, crassissimũ indumentum: in posterioribus autem tenuiorem, apposuit. Illæ enim his facilius læduntur.

Quia uerò septum transuersum non solùm à naturalibus distinguit uitalia, sed etiam organum nec minimũ respirationis existit, utrunq; uicinorum uiscerum, ne uidelicet illud comprimerent, quantũ fieri potuit abduxit cõditor noster.

*Septi transuersi usus.*

Porrò lien limosos & melancholicos succos in hepate genitos trahit per uenosum meatum: attractos autem, non protinus in uentriculum excernit, sed ipse prius per multum ocium conficit atque immutat, utens ad hanc actionem potissimum ipsis arterijs, quæ certè multæ & magnæ per totum uiscus feruntur: quarum assidua motione simul & innata caliditate, frangi & elaborari crassi illi succi possunt.

*Lienis usus.*
*Lienem elaborare melancholicos succos.*

Quicquid igitur eorum in succum huic uisceri maximè conuenientem translatum fuerit, alimentum spleni efficitur.

*Lienem nutriri succo melancholico, à se elaborato, atq; mutato reddito.*

Quod autem prorsus inutile elaborari non potest, hoc ad uentriculũ per alium uenosum stomachũ splen eructat.

*Lienem mittere quod elaborari non potest ad uicinum uentriculum.*

Est autem splenis corpus rarum admodum atq; laxum, spongię instar, sic ut crassos & melancholicos succos facilè trahat, excipiatq;. Cæterùm splenis caro, tametsi laxa sit, à pulmonis tamen carne magno spatio relinquitur. Laxissima siquidem ea est & le-

*Lienis substantia.*

*Pulmonis carnẽ laxissimam, nutriri ex purissimo sanguine.*

*Lienem nutriri tenuiori, quàm hepar, portione sanguinis.*

uissima, * parumq; abest quin alba, utpote ex spuma quadam ueluti coagulata. Nutritur enim ex purissimo sanguine, flauo, subtili, & spirituoso, tanquam delato à corde. Splenis autem corpus, quũ tanto rarius hepate sit, quanto est crassius pulmone, meritò ex tenuiori sanguinis parte nutritur. Consentiens quippe est ex arterijs quidem, tenuius: ex uenis autem crassius nutrimentum trãsumi, quum tunica arteriarũ quàm uenarum sit densior, & sanguis subtilior & uaporosior. Atq; ex tali præstitit laxam carnem nutriri, ueluti ex crassiori densam.

*Sanguis qui ad splenem attrahitur, crassior est illo qui consistit in hepate.*

Cæterùm qui attrahitur ad splenem sanguis, crassior est eo qui est in hepate. Quia tamen elaboratus ab arterijs quæ illic sunt, atque adeo uenis, multò densiorem tunicam habentibus, quàm quæ sunt in hepate, non affatim, neq; crassus, carni splenis, sed subtilis, & paulatim mittitur, ob id caro quidem huius uisceris rarior & leuior est, quàm hepatis, nõ tamen rubicundior aut flauior.

*Splenis caro rarior et leuior est illa, qua hepar constat.*

Nam melancholicus erat is, quem purgauit humor, à quo elaborato nutrita est.

*Hepar benigno & crasso nutritur sanguine.*

Hepar uerò benigno simul & crasso nutrit, tum propter subtilitatẽ tunicæ uenarum quæ sunt in hepate, tum propter magnitudinem foraminum. In summa igitur, hepar ex rubicũdo & crasso sanguine: splen ex subtili, sed nigro: pulmo ex elaborato ad unguem, flauo, subtili, spiritali, ac puro, alimentũ capit.

*Arterias contractione sua expellere excrementa splenis.*

Præstant etiam spleni maximum usum arteriæ, contractione sua illius expellentes excrementa fuliginosa. Vt enim pulmo refrigeratione uehementi, quam dilatatę arterię conciliant, sic splen insigni indiget purgatione, quæ contractis illis paratur.

*Lieni arterias multas esse, atq; magnas tributas.*

*Hepar cur paruis indiguit arterijs.*

Quare illi arteriæ multæ, & magnæ tributæ sunt. Hepar uerò nec tali egens purgatione, nec refrigerio magno, iure optimo paruis indiguit arterijs. Conuersa autem sunt ad hepar atq; uentriculũ, ipsius lienis sima, quæ quidem uenarum & arteriarũ immissiones, & quæ ad omentum pertinet, insertionem cõtinent.

*Alimentum coqui etiam in intestinis.*

*Sanguinem coqui in venis.*

Coquitur porrò alimentũ, & in ipso per intestina transitu: ut in uenis omnibus, sanguis: quum tamen neq; intestinorũ ullum coquendi alimenti, neq; uenę sanguinis gignẽdi gratia extiterint.

*Venis inesse sanguificandi vim.*

Quemadmodum igitur uenis (quũ eas instrumenta distributionis ipsa natura fecisset) facultatem sanguinis generatricẽ indidit, ne dum per illas ferretur, tempus ipsi alimento periret frustra: ad eundem opinor modũ & intestinis (substantia quorum haud multum à uentriculo differt) distributionis tantùm in uenas gratia institutis, facultas quædam concoctrix ciborum inest: quod fieri omnino non posset, nisi singulæ animalis particulæ uirtutem quandam haberent alteratricem.

*Intestinorũ substantia nõ multum à ventriculo differt.*

*Alteratricem vim inesse singulis animalis particulis.*

*Intestina cur variè inuoluta.*

Sunt autem conuoluta intestina plurimis cõuersionibus orbiculatis, ne alimentum ocyus elaberetur, inexplebilemq; uorandi semper necessitatem inducens, à philosophia & Musis nos reuocaret.

*Gulosa & inexplebilia esse, quibus vnicum intestinum est rectum.*

Nam quæ animalia à uentriculo intestinũ simplex & rectum usq; ad anum sortiuntur, insatiabilia omnia & gulosa sunt, plantarumq; modo cibo assiduè inhærent. Quæ circumuolutiones intestinorum quum innumerabilem uenarũ multitudinem ex hepate sibijpsis habeant insertam, omnem in uentriculo coctũ succũ sursum mittunt. Vnde fieri nequit, ut humor aliquis animali nutriendo idoneus, ab animali labatur, quando saltem naturaliter se habent corpora.

*Arterias descendentes in intestina.*

*Arterias continere naturaliter sanguinem.*

At uerò orificia arteriarũ, quæ in intestina se aperiũt, modicum etiam nutrimenti assumunt, quemadmodum plurimùm uenæ. Naturaliter quippe continetur sanguis & in arterijs.

*Attractionem fieri per villos rectos.*

*Expulsionem fieri villis transuersis.*

Porrò ut attractrices potentiæ, rectorum uillorũ motu, sic expultrices, transuersorũ actione constant. Quemadmodum igitur uentriculo utrosq; uillos sortito, duabus opus fuit tunicis, contrario inter se modo habentibus: ita & intestinũ quodq; unam speciem motus propultricem quum habeat, unam pariter tunicę speciem, in transuersos & circulares uillos dissolutã, obtinuit.

*Ventriculũ habere duas tunicas inter se differentes, ratione diuersorum villorum.*

Habet autem etsi similem, duplicem tamen tunicam, quodq; intestinum, partim ut facultas ipsorũ expultrix ualentior sit, partim ut ipsa instrumenta, ab iniurijs omnibus sint tutiora.

*Intestinorũ singulis inesse duplicem tunicam vtramque villis transuersis constantem.*

Nonnullis uerò intestinorum, præcipuè in animalibus ijs, quæ subtiles ipsorum tunicas possident, quidam uilli recti obtenduntur extrinsecus, ad transuersorum tutelam.

*Peritonæum esse originem tunicarum omnium viscerum sub septo transuerso.*

At quòd peritonæum ipsum (à quo tunicæ omnium uiscerum sub septo transuerso sumunt originẽ) hanc secundam uestiat tunicam intestinorũ, colligetq; omnia intestina, tum quæ ad spinam sunt corporibus, tum alijs, quodq; ab eo & septo transuerso, ueluti à duabus compressa manibus, supernè quidẽ unitis, infernè autem distantibus, excrementa explodant, liquidò constat.

*Vesica vsus.*

*Crassi intestini vsus.*

Ne autem assiduè egererent, meierent uè animalia, ut humidis quidem excrementis uesica subiacet, sic siccis intestinum, quod crassum dicimus: principium cuius cæcum intestinum existit. Vbi enim tenue intestinum desinit, illinc ad dextra quidem ilia, cæcum: ad sinistra autem colon emergit, per sinistra prius ilia sursum ductũ.

*Cæci intestini figura, & vsus.*

Porrò cæcum prorsus ueluti uenter quidam est crassus, excrementis recipiendis appositus, cui ad portionẽ colon respondet. Atq; plurimis sanè auibus propter actionis robur, cæcum intestinum est duplex. Nam si quid in transitu per tenue intestinum distributionem fefellerit, id omne, diuturna in cæco mora, planè exugit.

*Musculi retentioni excrementorum dicati.*

Vtrisque autem tam humidorum, quàm siccorum excrementorum effluuijs, musculi quidam incumbunt instar claustri cuiusdã, ne continenter aut intempestiuè excernantur. Siquidem uesicæ collum, musculosum existit: recti autem intestini ora inferior, à musculis in orbem circunfusis constringitur.

*Musculi sunt motus voluntarij instrumenta.*

*Venæ, intestinorum ventriculiq; nutritioni dicatæ.*

Musculi nanq; omnes quum sint motus uoluntarij instrumenta, non sinunt foras ferri excrementa, antequam ratio iusserit. At uerò ad perfectam intestinorum & uentriculi nutritionem, toti mesenterio & omento natura plures intexuit uenas, nutriendis illis dicatas, haud quaquã ab eis traijcientes ad hepar.

*Sanguinẽ regeri ad intestina et ventriculum per meseraicas venas, in longiori inedia.*

Quanquã reficiuntur etiam interdum ea, cremore illo quẽ ex cibis cõficiunt: necnõ in longiori inedia, per quas uenas prius distributio ad hepar facta est, per easdem rursus aliquando sanguis benignus ad eorũ nutritionem retrahitur.

*Meseraicas venas desinere in portam.*

Colligens ergo natura ut in arboribus exiguas radices, ita in animalibus uasa minora in maiora, & illa rursus in alia maiora, idq; semper agens usq; ad hepar

par

par ab intestinis, in unam omnia uenam coëgit, quę ad portas est sita: à qua etiam, uena quę tum ad uentriculũ, tum ad splenẽ fertur, enascit. Similiter & arterias omnes in unã magnã dorso incumbentẽ, pari modo cõtraxit. Ne autem uenæ ipsæ longo ductu perrumperent, à tunica colligante ac uestiente intestina, similem peritonæo membranã, hoc est, mesenterium, produxit, qua uasorũ singula induit. In spatijs uerò inter uasa inanibus, eandem hanc tunicam, sed iam duplicem, applicans, ad angulosq́ue uasorum, quæ in unum coëunt, carnosam quandam naturã, quas glandulas appellamus, apponens, quòd ea nimirũ regio iniurijs magis obnoxia sit, ualidissimum sic uinculum, præsidium, & munimentum ipsis uasis constituit, quod sanè totum mesenterium uocatur.

*Arterias omneis in dorsi arteriã confluere.*

*Mesenterij origo & usus.*

*Glandulæ mesenterij.*

## GALENI PERGAMENI de Vsu partium lib. V.

LOngè autem fuit satius, unam uenam portæ ab hepate ipso produci, ac deinde in uarias meseraicas discissam, quemadmodum dictum est, in nutritoria membra disseminari, quàm si statim à multis partibus hepatis multæ uenæ ortæ, in illa tandem deducerent: id quod maximè obesset, quum ipsarum uenarum, tum etiam integritati iecinoris. Vt uerò æqua quidem uenarum distributio esset omnibus nutritorijs organis, uas autem id descendens ab hepate, sedem haberet stabilem, inter uentriculum atque intestina ipsum oportuit* ductum, incumbere ea parte subiacentibus uertebris. Cum ipsis autem uenis per totum mesareũ arterias diuisit etiam natura, necnon neruum unũ. Quum igitur oporteret uenã, arteriã, neruũ, & quartũ cum eis bilis meatum, peruenire eò loci, sanè ad fulciendã & roborandam regionẽ illam, in qua primùm diuaricant & diuidunt prædicta uasa, utpote periculo expositã, glandulosum quoddã corpus, quod πάγκρεας appellatur, fabricata natura, substrauit simul illud, atque in orbem omnibus circumposuit, diuisionesq́ue omnino repleuit, ut nullum ipsorum facilè iam findatur, aut concussum possit labefactari. Quinetiam membranas fortes tum priuatis singulis uasis, tum cõmuniter ipsis omnibus circundedit, uestientes ac iungentes ea circunfusis omnibus instrumentis. Ad hæc autem peragenda capax spatiũ requirebat: quare primũ omniũ intestinũ, quod uentriculo coniunctũ est, exortusq́ue dicitur, natura quidem minimè in circumuolutiones reflexit. Quod autem hoc consequitur, circumuoluitur atque flectitur: uocaturq́ue ieiunum, quòd semper reperiatur inane, nec tantillum quidem in seipso alimenti contineat. Tertium autem est intestinum quod uocant tenue: quartum cæcum: quintum κῶλον: sextum denique rectum, in cuius fine sunt musculi, qui constringunt ac retinent excrementa. Porrò exortus ipse ex uentriculi fundo descendens, per dextram partem ad spinam deducitur, atque supra illam firmatur. At uerò inanitio ieiuni ex ijs est, quę nullum pręstant usum, sed alia necessariò sequuntur, quæ propter aliquam utilitatẽ sunt facta. Siquidem & quòd primum omnium intestinorum ieiunum, ipsum chylum excipiat, & quòd situm iuxta hepar sit, uasorum in sese multorũ orificia continens, & quòd etiam bilis meatus paulò suprà implantetur ad ipsum uentriculi exortũ: ob has inquam causas, inane semper ac uacuum cernitur. Nam præter cætera quæ citissimam ex ipso distributionem faciunt, etiam bilis ipsa nondum excrementis permista, sed syncera & pura in id intestinum confluens, sua mordacitate illius tunicas ad celerem excretionem excitat. Oportuit autem sic insinuari talem bilis meatum, quia breuior illi uia erat commodior, ceu eorum etiam futuro participi, quæ natura ad tutelam uasorum eò pertinentium construxerat: & quia talis etiam eius positio expediebat excepturis bilem omnibus instrumentis, in quibus necessariò ac naturaliter in dies maxima pituitosorum excrementorum copia colligitur: quam diuidere, incidere, comminuere, atque abstergere est opus. Meritò itaque natura excremenns id genus præsidium maximum est molita, acrem atque abstersorium hunc succum, quem omnino oportebat uacuari è corpore, non in intestinum aliquod ano proximum, sed in primum exortum demittens, ne quod inferiorum intestinorum, externo aliquando indigeret auxilio: quanquam certè ubi ex prauo corporis habitu, copiosius pituitosum excrementum colligitur, ileos, lienterias, tinesmosq́ue, omnium qui uentri contingunt morborum grauissimos, inducere solet. At uerò nullam bilis portionem in uentriculum immisit natura, quamuis & ipse non pauca gignat pituitosa excrementa: quia uitium quidem id adeò est exile, ut præsidio externo abundè corrigi possit: mala uerò quæ in uentriculum confluens bilis induceret, essent tanta, ut functiones ipsius funditus deturbarent. Flaua siquidem bilis, acrem, mordentem, atque omnia abradentem, obtinet facultatẽ. Cuius succi uomitum copiosiorem, morsus intestinorum, cardialgiæq́ue, solent semper præcedere. Ventriculum itaque, quàm ieiunum, sensu exactiori præditum, bilis in ipsum confluens, cogeret alimentum prius deorsum trudere, quàm planè concoctum esset. Siquidẽ uentriculi propria actio est cõcoctio: postulant autem quę concoquuntur, temporis diuturnitatem, quam sanè biliosus humor non patitur. Rectè igitur ueteres medici, uomitus à cibis in singulos menses repeti præcipiebant, alij quidem semel, alij uerò bis: omnes tamen ij, qualitates ipsas comedendorũ in eum usum acres & abstersorias deligere cõsulentes, ut pituita omnis è corpore purgaret. Nam quæ mordent & abstergũt cibaria, biliosa omnia sunt & cacochyma. Quòd autem bilis ab intestinis in corpus naturaliter sese habens non transumatur, ipsa indicat excrementorum uarietas. Siquidem in ictericis, comestorũ colorem referunt, bile uidelicet minimè deorsum subeunte, sed sursum in totũ corpus perlata. In sanis uerò, quòd humor eis biliosus in intestina cõfluat, flauo colore sunt tincta. At melancholicum excrementum in uentriculum excreuit natura, ceu nullam

*Arterias esse distributas cũ meseraicis uenis.*

*Πάγκρεας.*

*Intestinum primum carere spiris. Exortus.*

*Ieiunum intestinum semper reperiri inane.*

*Ileon, siue tenue intestinum.*

*Cæcum intestinum.*

*Κῶλον intestinum.*

*Rectũ intestinũ*

*Ieiuni inanitio unde.*

*Meatum bilis implantari in uentriculi exortum.*

*Bilis crassis excrementis excernendis aptissima.*

*Pituitosum excrementum collectũ copiosius, quæ inferat.*

*Bilis nullã portionem demisit natura in uentriculum.*

*Bilis flauæ facultas.*

*Bilis uomitum quæ præcedere soleant.*

*Ventriculi propria actio est cõctio.*

*Concoquenda egent tempore.*

*Vomitum qua ratione olim singulis mensibus ueteres prouocabant.*

*Mordentia & abstergentia cibaria, esse biliosa, cacochymaq́ue.*

*Ictericorũ excrementa cur referant colorẽ ciborum.*

*Excrementa sanorum, flaua.*

*Melancholicum excrementũ in uentriculum excreuit natura.*

*Atra bilis quali tas, facultasq;.* *Atra bilis iuuat actionem ventriculi.*

noxam illi allaturum. Acerba siquidem, acidaq; quum sit atra bilis, contrahere ipsum, constringereq;, non ut flaua, subuertere, est nata. Quare non modò non lędit, sed actionem ipsius etiam iuuat. Nam uentriculum intendit, contrahitq; in seipsum, ut cibos ad unguem circumplectat̃ retineatq;, quousq; fuerint percocti.

*Renes expurgãt lotium.* *Vesicam esse sub ditam renibus, veluti quandã cisternam.* *Vesica musculus.* *Vrinarij meatus.*

Porrò ad secernendam urinam, natura etiam renes prope hepar construxit: quibus ueluti quandam cisternam, ipsam uesicam subdidit, ad cuius finem musculum fabricata est, custodem, ne superflua intempestiuè effluerent. Renes autem ipsi uesicæ connectunt meatus quidam prælongi, ualidiq;, quos ὀυρητῆρας Græci, nos urinarios uocamus. Sic igitur urina ui renum segregatur à sanguine, & illinc per ureteras ad uesicã demittit̃, indeq; excernitur, quo tempore ratio iusserit.

*Arterias inseri in renes.* *Arteriæ sanguinem continent.*

Cæterùm quum arteriæ, pari magnitudine qua & ipsæ uenæ, inserantur etiam in renes, indicium certè est sanguinem similiter in eis contineri, qui uimirum purgari postulet. Atq; alter quidem renum superiorem, alter inferiorem positionem sortit̃. Nam quum serum trahendo, ita demum purgent sanguinem, certè si aduersum haberent situm, alter tractu suo in contrarium, alterius tractui moram adferret. Nunc autem uterq; agit liberè, solusq; attrahit, quum nihil sibi è regione habeat oppositũ.

*Ren dexter, est superior sinistro.* *Hepar in dextris locatã.*

Est itaq; dexter quidem ren, superior ac primus, sinister uerò inferior ac secundus: quia uiscus ipsum quod purgat̃, in dextris locatum erat, & plurima cauæ uenæ germina in dextram partem suis orificijs desinunt, ex gibba hepatis ad eam uenam sanguinẽ deriuantia.

*Trahens omne, expeditius ex directè opposito trahere.* *Vrinæ purgandæ cur natura duo instrumenta construxerit: singulis aliorũ excrementorũ, vnicum.*

Omne autem trahens, expeditius ex directè opposius attrahit. Sed neq; locus pariter uacuus in sinistris erat sinistro reni, ob splenem hepate inferius locatum. At uerò serosæ humiditati expurgandæ, natura duo instrumenta construxit: aliorum autem excrementorũ singulis, unicum tantùm: nam paucissimum quidem est melancholicum excrementum: copiosius autem ipso, biliosum: utroq; aquosius, multò cumulatius. Sed & crassissimum quidem melancholicũ: tenuissimum uerò serosum: atq; amborum medium, biliosum existit.

*Renum spissitudinis causa dua.*

Iam uerò ipsius renũ spissitudinis sunt causæ duæ: facilis scilicet huiusmodi humidi attractio, atq; ex ipso necessaria renum nutritio. Siquidem orificiorum angustia, stipatioq; in causa est, ut familiaris succus, syncerus, impermistusq; ad partes, quibus talia orificia insunt, trahatur.

*Renes vnà cum lotio attrahere bilem & sanguinem.*

Quanquam nec lien, nec renes, accommodatũ sibi duntaxat eliciunt succum: uerùm splen quidem, cum illo trahit etiam aliquid sanguinis: renum uerò uterq; sibi plurimum bilis conciliat: multum etiam tenuioris & humidioris sanguinis. At biliosi quidẽ excrementi, quicquid non admodum crassum fuerit, cum urinis permeat:

*Sanguinem aspergi renũ substantiæ.*

sanguis uerò, carni ipsi renum aspergitur, instar fæcis cuiusdam. Inde iam uaporis modo paulatim in totam ipsam dispergitur, adhærescitq;, atq; demum alimentum fit renibus. Ne igitur cum urinis, per aliquod foraminum quæ habentur in renibus, quemadmodum tenue biliosum, ita & sanguis elaberetur, densum esse eorum corpus præstiterat.

*Renes ad sui nutritionem nõ egere alijs vasis, præterquam emulgentibus.* *Vesica utraque cur ad suam nutritionem alia vasa, præter poros, desideret.*

Eis autem ad sui nutritionem tertio quopiam alio uase opus non fuit, præter duo magna, quorum alterum oritur ab arteria quę spinę incubat, alterũ à uena caua. Verùm utraq; bilis & urinæ uesica, purum atq; ab alijs secretum quum attrahant sibi familiare excrementũ, uasa alia, alimentũ sibi suppeditantia, iure optimo flagitarunt. Quum autem copiosius multò serosum excrementũ, quàm ipsum biliosum, esset, maiori certè receptaculo indiguit, cui ob id uenis, arterijs, & neruis, multò maioribus haud iniuria fuit opus.

*Vesica vtriusq; vasa, vnde exoriantur.*

Vesicæ igit̃ quæ urinam excipit, neruos à spinali medulla, qua parte situm latũ os est, inseruit natura: uenasq; & arterias, à propinquis ipsi uasis. Alteri uerò uesicæ, quæ ad iecur positionem habet, arteriam quidẽ & neruũ, ab ijs quæ in uiscus ipsum inserunt̃, deducens, paruũ utrunq; admodũ, ac uix conspicuum: at sensilem atq; conspicuã uenã ab ijs quę sunt ad portas, producens, hæc tria iuxta collũ eius infixit: unde usq; ad fundũ perueniunt.

*Vesica vrinaria sex vasa.*

Pari modo & in uesicã aliam maiorẽ, ad collũ ipsum uasa sex, utrinq; uidelicet tria inseruit: quę quidẽ tutelæ gratia membranis quibusdã tenuibus obuoluit, ac per easdẽ ita sibi mutuò coniunxit. Eorum autem in ipso statim primo ingressu diuisorum bifariã, pars quidem in totam uesicam disseminatur: pars uerò auersa fertur deorsum, secundum collum, exiguum quidem in fœminis, magnũ uerò in masculis, quòd hi particula quadã insigni, ad extremũ collum uesicæ sita, exuperabant, quæ dicitur coles.

*Coles.*

Alia itaque per ea uasa, quæ excrementa secernunt, nutriuntur, ut lien & renes: alia alijs quibus alerentur, eguerunt, ut ipsa uesica.

*Neruis exilibus quæ sint prædita.*

Habent autem & renes ipsi, neruum, quantum hepar, lien, & bilem excipiens uesica: quibus omnibus exiles omnino sunt nerui, in suis ipsorum tunicis conspicui extrinsecus, sentiendi gratia.

*Scopi naturæ propositi circa neruorum distributionem, sunt tres.*

Tres nauq; scopi naturę ipsi in neruorum distributione extiterunt: primus quidẽ, ut sensorijs instrumentis sensum impertiret: secuudus, ut motorijs motũ: tertius, ut omnibus alijs facultatem daret, qua sibi infesta dignoscerent.

*Nerui quibus gratia sensus tributi.*

Porrò sensus causa, linguæ, oculis, auribus, maximi sunt nerui tributi: necnon partibus manuum internis, atqueadeo ipsius orificio uentriculi. Sunt enim quodammodo & hæc sensoria.

*Tactũ fieri per volam manus exquisitissimũ.* *Famis sensus.*

Siquidẽ per manus ex tactu est dignotio certissima. Orificiũ autem uentriculi sensum habet alimenti deficientis ipsi animali, quæ fames nuncupatur. Secundo autem loco, in musculis, motus uoluntarij instrumentis, reperire est neruos maximos.

*Nerui ad percipienda infestantia.*

Ad discernenda uerò quæ dolorem adferunt, nutritorijs organis alijs quidẽ liberalius, alijs autem parcius, pro cuiusq; nimirũ constitutione neruos largita est natura. Nam si quibus afficiuntur iniurias, eas uou sentirent patticulę, animalia utiq; breuissimo euerterentur tempore, facilè ab acribus excrementis exesa. Ob id in siugulas circumuolutiones intestinorum, singuli disseminantur nerui, perinde ac uena, & arteria. In hepar aũt, neruus insertus est minimus, ut quod musculorũ ritu haudquaquã moueatur, neque ut intestina, sensu exquisitiore egeat: hæc quippe acrimonia retrimentorum exasperant̃:

*Dysenteria incipiens ab atra bile, letalis.*

unde dysenteria, si ab atra bile incœperit, letalis

est,

*Hepar à quatuor instrumentis purgari.*

est, ut inquit Hippocrates: hepar uerò à quatuor instrumentis purgatur, duobus quidem renibus, tertio autem splene, atqueadeò quarta ipsi inhærente uesica. Quæ instrumenta quatuor, quòd à proprijs excrementis nihil acceptura essent incommodi, sensum maiorem non postularunt.

*Trahi excrementa non posse ab organis absque necessitudine aliqua.*
*Nihil à familiaribus infestari.*

Neq; enim trahere huiusmodi excrementa potuissent, nisi qualitatis communitas quædam cum excrementis ipsis intercessisset. Nihil autẽ ab eo quod cognatum & familiare est, dolore aliquo afficitur. At maiori uesicæ, quæ lotij receptaculũ est, nisi lotiũ id, quod biliosius acriusq; est, repentè excernatur, magnas sępe noxas adferet.

*Vesica vrinaria ad maiorẽ sensum, plures & maiores neruos natura tribuit.*
*Vesica vrinaria tunica.*

Quare ut sensu prædita esset maiore, plures, & eos quidẽ maiores neruos, ipsi natura tribuit: sicuti & ualidiorẽ quàm alijs tunicã, quòd passim distendenda & euacuanda esset. Porrò tunicæ quæ prædictis omnibus instrumentis extrinsecus sunt circumiectæ, nonnullæ quidem tenuitate ipsa, omnes tamen simul figura existunt araneis similes: quandoquidem earum nulla in fibras instar internarum dissoluitur, quæ ipsorũ instrumentorum sunt propriæ.

*Tunica instrumentorũ interna & externa.*
*Fibrarum differentia & vsus.*

At internæ, quæ corpora ipsa particularum constituunt, in uentriculo quidem ac stomacho duæ, fibras quidem orbiculatas externa, expellendi uidelicet gratia, & obliquas interna, gratia attrahendi retinendiq;, habuerũt.

*Intestinis neq; attrahere, nec retinere necessum esse.*

Intestina autem (ut quibus nec attrahere, nec retinere necessum erat, sed cõtractis undiq; prorsum pellere) quum simplici egerẽt motu, simplices quoq; fibras sortita sunt.

*Vesica vtriusq; tunicam simplicem esse, sortitamq; omnem differentiam fibrarum.*
*Ventriculi tunicæ cuius gratia sit duplex.*

Cæterùm uesicarum tunicæ, rectos, & circulares, & obliquos possident uillos. Vna enim quũ sit utriusq; uesicæ tunica, ut omnes species motus consequeretur, omne genus fibrarum obtinuit. At uerò in uentriculo tunicæ duæ constructæ sunt, triplicis usus gratia: uariarum scilicet actionum, patiendi difficultatis, & crassitudinis. Quippe ad concoctionem ciborum, oportuit crassum esse atque carnosum uentriculum. Quę causa sanè est, cur quibus corpus uentriculi est gracile, ij deterius cõcoquant, quàm quibus corpulentum. Ergo utriq; uesicæ, durities aduersus iniurias data est, quæ tunicarum tenuitatem pensaret: coquendi uerò instrumẽtis, crassities, quæ mollitiem emendaret, ac cibos calore foueret suo, obtigit.

*Meatuum cum vesicis in quas inseruntur similitudo.*
*Vrinariorum meatuum insertio admirãda.*

Iam ut meatus bilis, eam suscipienti uesicæ, sic pori ureteres, substantia corporis, maiori uesicæ sunt similes. Et quemadmodum ille quidem in intestinum, ita hi obliquè intrò in laxiorẽ sinum uesicæ inserti, ueluti membranam quandam ab interna parte succidunt, quæ ab excrementorũ quidem intrò irrumpentium impetu euertitur, ac patesit: reliquo uerò tempore omni concidit, ac cõtrahitur, meatuiq; operculum tam exquisitum efficitur, ut non solùm humoribus, sed etiam flatibus, reditus omnis sit interclusus.

*Instrumenta alimenti principalissima.*
*Instrumenta alimẽti secunda.*
*Instrumenta alimenti tertia.*

Etenim prima & principalissima nutrimenti instrumenta sunt, quæ concoquunt, utileq; alimentum alijs transmittunt. Secunda uerò quæ purgant, quæ deducunt, & excrementum excipiunt. Tertia, quæ excernendis excrementis sunt destinata: quorum alia quidem effluuium intempestiuũ ipsorum cohibent, ut musculi sedem constituentes: alia uerò tempestiuum incitant, ut musculi epigastrij omnes.

*Sedis musculi tres.*

Eorum igitur qui sunt ad anum, unus quidem est sine pari, transuersus extremæ ipsius oræ circumfusus, ut rectum intestinum ad amussim ac fortiter claudat. Cuius musculi substantia est inter cutem ac musculum media. At reliqui duo musculi obliqui, utrinq; unus, supra ipsum rotundũ siti, sedem sursum reuellunt, ubi in conatibus ipsa magnis prolabitur.

*Octo abdominis musculi.*
*Recti abdominis musculi.*

Cæterùm octo abdominis musculorũ, recti quidem duo, sibijpsis simillimi, per medium omnem uentrem rectas fibras ferentes, ab ossibus pectoris ad pubis ossa extenduntur, ibiq; sese mutuò contingunt.

*Trãsuersi abdominis musculi.*
*Obliqui abdominis musculi.*

Alij uerò duo transuersi, & ipsi per omnia similes, uniuersum peritonæum circumtegentes, rectum cum antedictis efficiũt angulum. Reliqui quatuor sunt obliqui, super hos incedentes: quorum duo quidem, fibras ab hypochondrijs ad ilium ossa extensas habent: alij autem duo, hos in speciem X græcæ literæ intersecantes, ab ilibus ad hypochondriorum partes descendunt. Omnes tamẽ in rectos ac medios musculos desinunt, suis tenuitatibus nerueis, producẽtes semper æquales ac similes fibras.

*Excrementa alui à quibus exterminẽtur musculis.*

Ergo quum fibrarum positiones omnino sint quatuor, musculi quoq; utrinq; totidem meritò fuerunt, à quibus operantibus simul, alui excremẽta, ceu manibus quibusdam cõpressa, fortiter expelluntur, conferente ad id plurimum septo transuerso, musculo magno, & rotundo, qui spiritus instrumenta, à naturalibus membris distinguit.

*Septum transuersum distinguere spiritualia instrumenta à naturalibus mẽbris, existens respirationis organum.*

Siquidẽ his superior est omnibus: illis aũt subijcitur, existens etiam respirationis organũ. Hic musculus, ab ipsius pectoris ora inferiori (unde etiã capita musculorum rectorũ abdominis pendent) superioris exortus initium ducens, atq; hinc ad fines costarum notharũ utrinq; descendens, posteriori parte ac inferiore obliquus admodum fit. Sine hoc igitur musculo, aliorũ octo, qui in abdomine sunt, cõpressio, nõ magis ad inferiora, quàm ad superiora uentris excrementa propelleret. Eius aũt contractione illorũ compressioni accedente, necessum est retrimenta ipsa, ueluti duabus cõpressa manibus, applicatis quidẽ sibijpsis ad carpum, distantibus uerò infernè plurimũ, ita deorsum trudi, ut ne tantillum quidem ipsorum sursum ad stomachum remeet.

*Musculorum intercostalium vsus.*

Ne autem unicus existens hic musculus ab octo abdominis multis & magnis in thoracis sinum magnũ euerteretur, natura in subsidium eius, musculos intercostales construxit, qui thoracem ipsum contendere, atq; intrò contrahere possent.

*Laryngis musculi.*

Ne uerò inter comprimendum, efflationes contingerent, nimirum larynge aperto, musculos non paucos circumposuit laryngi, quorum alios quidem claudere ipsum, alios uerò aperire instituit.

*Abdominis musculorum varij vsus.*

Abutitur autẽ natura ipsis abdominis musculis (quos, ut propugnaculum subiectarũ partium existerent, excretionisq; instrumenra, construxit) tum ad magnæ efflationis ac uocis generationem, tum ad partũ ædendum, atqueadeò ad spiritus cohibitionem.

*Musculi ad collum vesicæ locati, vsus duplex.*

Porrò musculus qui extrinsecus in uesicæ collo consistit, priori quidem ratione, ubi constringitur, pellit quicquid in meatu continetur: posteriori autem, eum claudit: quanquam

*Vesicam claudi posse absq; musculo.*

uesica ipsa claudi etiã sine musculo posit, quum prçterquam quòd meatũ habet angustum, omnis etiam ei fibrarum species insit, ut uentriculo atq; matrici. At uerò, ne quid denuò à uesica sursum ad renes remeet, facit ipsorũ ureterum obliqua in uesicam insertio: ne uerò continua fiat urinæ excretio, præstat fibrarum ipsius uesicæ uarietas, sed obliquarum præcipuè.

*Vreterum obliquæ insertionis usus.*

*Fibræ quæ quibus actionibus seruiant.*

Quum enim omnes intendit, undiq; circum ea quç continet, uehementer astringitur, donec supra modum referta, grauetur pondere. Quum uerò excretioni accingitur, cæteras quidem fibras laxat, solas autem intendit transuersas. Quo tempore musculi quoq; suppetias ferunt: is quidem qui ad meatũ est urinarium, suum ipsius principium, quo uesicæ adnectitur, laxans: tensi uerò omnes abdominis musculi, ut intrò propellant uesicam, & comprimant: contractusq; postremò undiq; ille idem qui circum collum est, premensq; foras id lotij quod in meatum subierit, atq; ipsam deniq; excretionem accelerans.

*Colli vesicæ situs.*

Subest autem uesicç collum, ipsius pubis ossibus: subiacentq; ei infernè, rectum intestinum, os sacrum, atq; in fœminis collum similiter uteri: quo loco omni, secundum animalis longitudinem fertur deorsum, quousque extra ossa emicuerit. Inde aũt secundum peritonæũ fertur sursum, usq; ad uirgæ uirilis exortum: pòst, hinc rursus per ipsam uirgam, instar S. Romanæ literæ, obliquum. Sed in mulieribus unicam habet meatus hic in collo uesicæ flexionem: in uiris autem secunda, ueluti auctarium, accessit. Ne quid igitur in ipso subsisteret, musculus ille multis transuersis præditus fibris, circunfusus est, qui simul urinã à uesica ad pudendum usq; deducat.

## *GALENI PERGAMENI de Vsu partium lib. VI.*

*Thorax quid.*

QVod à costis utrinq; circumscribitur, pertinetq; anteriore quidẽ parte ad pectus, ac septũ transuersum, decumbit uerò posteriore ad spinã, hoc omne spatiũ medici appellant thoracem.

*Pisces esse omnes mutos, quòd careant pulmone.*

In cuius amplo sinu, piscibus quidem cor solum continetur: ob eamq; causam genus ipsorũ uniuersum est mutũ, quòd pulmone ad uocis generationẽ necessario instrumento carent.

*Pulmo vocis & respirationis est instrumentum.*

Nam omnibus, quæ aërẽ inspirant, animantibus, ac rursus ipsum ore expirãt, pulmo impleuit thoracis capacitatẽ, ut qui uocis simul ac respirationis instrumentũ existit. Cæterùm à thorace illi motus initiũ accedit.

*Respiratio, cordis causa est inuenta.*

Porrò usus respirationis in animalibus, cordis causa est inuentus, & quòd ipsum aëris substantiã requirat, & quòd simul etiã calore efferuescens, uti refrigerio desideret.

*Inspirationis usus.*

*Expirationis usus.*

Ac refrigerat ipsum inspiratio quidem, frigidam ei qualitatem affundens: expiratio uerò, quod in ipso feruet & quasi combustum & fuliginosum est, ex eo profligans.

*Cor dilatatum trahit.*

Atq; attrahit quidem dilatatum, inanitur uerò, contractum. Ipsum autem quod ceu inutile expirandum erat, materia uocis efficitur.

*Vocis materia.*

*Pulmonis usus.*

Trahit igitur cor aërem externum, non protinus per fauces: sed utriusq; medium pulmonem, quasi spiritus promptuarium quoddam statuit natura, qui ambabus simul actionibus seruire posset. Nam si cor dilatatum ex faucibus traheret, rursusq; astrictum in illas aërem emitteret, eundem esse concentum respirationis, & pulsus cordis, esset necesse: id quod certè nõ solum ad perfectè uiuendum, sed ad uiuendum etiam incommodaret.

*Respirationis et pulsus non seruari eundẽ concentum.*

Nam nec uerba diu continuare possemus, nec mergi in aquam, metu suffocationis, nec deniq; sine inspiratione fumum, aut puluerem, aut pestiferã aliquam aëris qualitatem percurrere. Vnde necessum esset, uel aërem pestilentẽ intempestiuè inspirare, uel omnino nihil inspirantes, suffocari confestim.

*Cor respirandi instrumentum.*

Quocirca natura cor ipsum, non tantummodo respirandi instrumentũ fecit, sed ipsi extrinsecus pulmonem ac thoracem circundedit, qui spiritum illi simul appararent, & uocem animanti efficerent.

*Cor trahere ex pulmone spiritum.*

Quum autem ex pulmone cor spiritum ducat, eumq; rursus in pulmonem reddat, licitum est nobis aliàs uoce uti, & quidem diutissimè: aliàs etiam nihil omnino spirare, corde nihil impedito. At uerò pulmonem quidem, ueluti subsultus cordis mollitudine sua excepturum, thoracem autem, tanquã septum præualidum tutelæ gratia, nõ cordi modò, sed pulmonibus circundedit natura.

*Thorax veluti murus est cordis & pulmonis positus.*

*Cor in thorace medio ad æquilibrium locat.*

Cor autem in medio omnino thoracis sinu, secundum omnes dimensiones ad æquilibrium consistit, loco quum ad securitatem aptissimo, tum ad æquabilem ex toto pulmone refrigerationem opportunissimo.

*Cordis ventriculi bini.*

Existimãt tamen id ad lçuam regionẽ situm, ob sinistri uentriculi pulsationem, quæ circa sinistram mammam sentitur. Verùm ad eius dextram, uentriculus etiam alius existit, ad uenam cauam atq; hepar conuersus.

*Thorax cur in duos ventres distinctus.*

Totus autem thorax secundum mediam sui longitudinem, à ualidis quibusdã membranis (quæ anteriori quidem parte, ossi pectoris: posteriore uerò, spinæ uertebris inseruntur) in duos uentres distinguitur: ut si fortè magno uulnere in alterutram eius partem accepto, respirationis munus eius partis perierit, reliquus uenter incolumis, dimidiũ saltem actionis retineat. Nam si uterque uenter confossus fuerit, uoce simul & respiratione planè destituetur animal. Ad hæc uerò, arteriæ quæ in ipso thorace sunt, & uenæ, & nerui, & œsophagus, ac deniq; totus pulmo colligantur toti thoraci, teguntur'q; omnia, hisce membranis obducta.

*Venæ cauæ securitas.*

Ne autem uena caua (quam necesse erat per medium septum transuersum sursum ad cor ascendere, atq; inde rursus ad nuncupatum iugulum) à respirationis organis, quæ in assiduo motu uersantur, quicquam collideretur, dictç etiam tunicæ præstant, quæ tum illam, tum germina illius, adiacentibus particulis colligant, ac totam tunicæ molem robustiorem efficiunt, ipsam uenam sursum ueluti manu ducentes. Auxilium autem eius uenæ partibus singulatim paratum, est triplex. Nam in medio quidem thorace, cor porrigit illi fortem productionẽ atq; neruosam, tanquam dextram quandam.

*Pulmonis quintus lobus cuius gratia cõditus.*

Parte uerò inferna quintus pulmonis lobus (qui in dextra parte consistit, quiq; propter eam duntaxat uenam, quç per dextrum latus ascendit, excogitatus est) sensim illi excauatus subijcitur. Superna deniq; maximum & mollissimum adena, quem uocant thymon,

*Thymos.*

thymon, ipsi natura subdidit. Porrò duo magni lobi in utraq; pulmonis parte existunt: quintus uerò ille paruus, in dextris, uenæ cauæ gratia, à transuerso septo usq; ad cordis aurem pertingit.

*Vena caua progressus ad superiora.*

Hinc autem altera quidem pars uenæ cauæ in ipsum cor inseritur: altera uerò, eademq; maior, rectà ad iugulum fertur, deducta quadantenus à productionibus cordis, deinceps adene, quem thymon uocant, inuecta. Id uerò naturæ est perpetuũ, ut quoties sublime uas aliquod diuidit, ibi mediam glandulam, diuisionẽ oppleturam, interferat.

*Glandulis ad quæ utatur natura.*

Sunt autem hoc in loco uenarum germina maximarum, ad scapulas, & brachia, & mammas pertinentium: quibus ad munimentum & firmitudinem, ex prædictis glandulis natura commoditatem maximam conciliauit.

*Oesophagi situs & usus.*

Cauæ autẽ uenæ, opposita ductus uia, œsophagus descendit, per quem ad uentriculum cibus ab ore delabitur. Ipse igitur spinæ uertebris iunctus & colligatus, totum ita permeat thoracem, quodammodo obliquè positus, tutissimamq; sedem sortitus, ut neque ipse spiritus instrumentis aliquod negocium facessat, neq; ab illis etiam quicquam lædatur. Per medias enim ad perpendiculum quatuor uertebras dorsi extensus, ubi ad quintam pertingit, deerrat quidem à recto cursu, digrediturq; ad dexteram, ut sedem præbeat meliorẽ, ac cedat instrumento magis præcipuo,

*Arteria magnæ progressus.*

maximæ omnium arteriæ: quæ ut firmitudinem nanciscatur, per uiam omnium breuissimam, à corde ad illum spinæ locum se recipit.

*Arteriam maximã oriri à sinistro cordis uentriculo.*

*Arteria magnæ inferiorem ramum esse superiore maiorem.*

Hanc enim ex sinistro cordis uentriculo exortam, in totum autem animantis corpus distribuendam, æquum fuit primùm quidem in duas partes impares diuidi, earumq; esse multò maiorem, quæ deorsum fertur, quòd totius animalis partes, quæ subijciuntur cordi, multò plures superioribus sint, ac maiores: deinde per optimam uertebrarũ partem ferri. Atq; inuehitur quidem ipsa arteria medijs uertebris: non tamen imperiosè admodum, nec superfluè stomachum deprimit, sed paululũ quidem & ipsa cedens, ipsum recipit & admittit socium uertebrarum sedis.

*Stomachi, sive œsophagi descensus.*

*Oesophagi implantatio in uẽtriculum.*

Ventriculi itaq; stomachus, quatuor quidem thoracis primis spondylis præteritis, propter reliquos octo, ad dexteram fertur. Cumprimùm uerò septum transuersum contigerit (quod est sanè ora inferior thoracis) membranis fortibus admodum sublimè elatus, supra magnam rursus arteriam transit in alteram partem: quo loco prætérlapsus septum transuersum, ori uentriculi inferitur: sublimis quidem, ne in asperiorum ciborum transitu arteriam comprimat: in læuam uerò declinans, quòd eo in loco satius fuit constitui os uentriculi.

*Oris uentriculi situs.*

Adde huc, quòd neruis, qui à cerebro in uentriculum iuxta stomachum deferuntur, obliqua uia multò tutior futura erat, quàm recta. *Molles enim quũ sint hi, & tenues, si longo interuallo secundum rectitudinem tenderentur, habentes uentriculum à seipsis suspensum, quẽ subinde impleri cibo oportebat, utiq; disrumperent facilè.

*Cor in medio consistens, à pulmonis lobis comprehendi.*

Cõstat igitur iam ex dictis, cor in medio thorace oportuisse locari, pulmonesq; ei undiq; circunfundi, suis lobis, ceu digitis quibusdã in orbem id cõplectentes: utriq; uerò extrinsecus circundatũ esse thoracem.

*Cordis figura.*

*Cordis uasa oriri ab illius basi aliarum partium principalissima.*

Est autem cor non rotundum, sed turbinatum, ex basi cuius, ceu parte aliarum omnium principalissima simul atq; tutissima, ipsa uasa exoriunt. Quæ uerò ex utraq; parte cõsequuntur ad inferiorem finem, quasi latera quædam, uentriculorum generationi sunt destinata.

*Cordis partes.*

At ipse finis inferior, processus quidam est fortis & densus, qui ueluti operculum uentriculorum, propugnaculumq; totius cordis existit. Atque hæc quidem cordis pars, si cum alijs eam conferas, longè abiectissima est.

*Vtilitas partiũ triplex.*

Etenim quum triplex sit partium utilitas: aut enim refertur ad uitã ipsam, aut ad commodiorem uitam, aut ad horum duorum conseruationem: quæ sanè ad uitam ipsam particulæ conferunt, eæ principes sunt habendæ:

*Particulæ principes quæ dicantur.*

reliquorum uerò duorum generum, à primi generis præstantia discedentium, eæ minus alijs discedere sunt putandæ, quibus hæ principes facilè compatiuntur.

*Cor esse caloris fontem.*

Quum igitur cor caloris natiui, quo animal regitur, quasi fons quidam ac domiciliũ sit, omnis eo modo ipsius pars princeps dicenda fuerit: at magis hæ, quarũ usus toti animali uitam conseruat: id quod faciũt duorũ uasorum orificia in sinistro ipsius uentriculo, quẽ medici spirituosum appellant.

*Sinister cordis uentriculus.*

*Sinistri cordis uentriculi orificia duo.*

Horũ enim duorum orificiorum, per minus quidem cor ijs, quæ in pulmone sunt, arterijs: per maius autem, omnibus quæ in toto animali habentur, continuũ est. Minus autem his præcipua sunt ea quæ in altero ipsius uentriculo, quem * sanguificum uocant, insunt. Sunt tamen quàm alia hæc quoq; præstantiora: quorum alterum quidem, sanguinem in ipsum cor intromittit: alterum autem, ex ipso in pulmonem deducit.

*Dextri cordis uentriculi orificia duo.*

Atq; ob magnitudinem duorum uasorum, cor ea parte fuit adeò magnum, & in media regione thoracis situm.

*Cordis caro qualis.*

Cor autem ipsum est caro dura, & ægrè patibilis, multiplicibus fibris conflata: quo nomine à musculo differt.

*Musculis inesse unum tantum fibrarũ genus.*

*Cor sortiri omnia fibrarũ genera.*

Musculis siquidem unũ tantùm inest fibrarum genus, rectarũ scilicet aut transuersarum. Vtrasq; autem cor, & præter illas, etiam obliquas sortitur, duritie, contentione, & patiendi difficultate plurimũ ab alijs omnibus differentes, ob actionis continuitatem, & uehementiam, in qua semper cor ipsum uersatur.

*Musculis singulis inesse singulos & simplices motus.*

*Fibrarũ actiones uariæ.*

Porrò singuli musculi, singulos habent ac simplices motus, ob idq; multiplici fibrarum uarietate nõ egent, quemadmodum cor, uentriculus, matrix, atq; uesica utraq;. Quippe horum singula, rectis quidem fibris attrahunt, excernunt transuersis, retinent autem simul omnibus cooperantibus. Quarum omnium actiones in corde ipso, uel iamiam ab animali auulso, ac pulsante adhuc, uel detecto per anteriorẽ regionem pectoris, contemplari licebit.

*Cordis dilatatio quando fiat.*

Nam quũ rectis quidem fibris contrahentibus se, reliquis aũt diductis & laxis, contractior sanè fuerit facta longitudo, laxior uerò uniuersa ipsius latitudo, hoc statu cor totũ uidebis dilatari.

*Cordis contractio quando fiat.*

*Cordis quies accidit, obliquis operantibus fibris.*

Contrà autem relaxantibus se ijs quæ sunt secundum longitudinẽ, contractis autem quæ sunt secundum latitudinem, eo casu rursus contrahi ipsum perspicies, ac deprimi. Medio porrò inter has motiones interuallo, exigua quædam quies intercedit, corde qui-

dem circa ea quę continet, undiq; ad unguē aſtrićto, fibris autem tunc agentibus omnibus, & earum maximè obliquis.

*Cordis contractionē quæ adiuuent, vel totā potius efficiāt.*

Adiuuant autem, imò totam ferè contractionem efficiunt, quæ in intimis ipſius cordis uentriculis nitidiſsima ligamēta tenduntur, deſinentia in illud, quod interiacet inter ipſos uentriculos, ſeptum. Ob eam igitur cauſam, tum fortia ligamenta, tum omne fibrarum genus cor habuit, ut facilè dilatetur, quando quod naturæ ſuæ eſt accommodatum, trahere appetit: aſtringatur uerò undiq;, quando ijs quæ traxerit, frui tempeſtiuum fuerit: contrahatur deniq;, quando ſuperfluis excernendis ſeſe accinxerit.

*Pulmo et dexter cordis ventriculus, quibus adſint.*

Iis ergo quæ aërem per fauces, nares, & os inſpirant, pulmo, & dexter cordis uentriculus ineſt. Reliquis uerò omnibus neq; pulmo eſt, neq; ad dextram cordis partem latitudo ulla.

*Pulmone intereunte, interire vocem, & dextrū cordis ventriculum.*

Duo enim hæc neceſſariò unà cū pulmone intereunt, animalis uox, & cordis dexter uentriculus.

*Dextrum cordis ventriculū gratia pulmonis: pulmones gratia vocis & reſpirationis cōditos eſſe.*

Nam dexter quidem uentriculus, gratia pulmonis eſt factus: pulmo uerò, reſpirationis ſimul & uocis eſt inſtrumentum.

*Piſces reſpirare per branchias.*

At utilitas uocis piſcibus rectè nulla eſt, ut qui in aqua degant: ſed nec reſpirare ipſis quidem licet per fauces, quomodo ne nobis quidem ipſis, ſi in eam mergamur: reſpirant tamē per branchias aēri & uapori peruias, conſtructio quarum ipſis uice pulmonis eſt.

*Piſces frigidiores eſſe, quàm vt magna refrigeratione cor ipſorū indigeat.*

Natura etiam frigidiores ſunt piſces, quàm ut ipſorū cor magna refrigeratione indigeat: utpote exiguo ſanguine præditi.

*Piſces aērem inſpirantes.*

Cęterùm quæ aquatilia multum ſanguinis poſsident, ut delphinus, uitulus, balæna, hæc omnia aērē inſpirant quodam incredibili modo, quem aliquando exponemus.

*Cordis cum pulmone commercium.*

Iam uerò pro eo ſpiritu quem cor à pulmone recipit, in illum per arterioſam uenam à ſuo dextro uentriculo etiam ſanguinem mittit, mutuam ei gratiam referens.

*Vaſorum tunicas in pulmone commutaſſe naturam.*

Commutauit autem in pulmone natura ipſorum uaſorum tunicas, uenam quidem faciens arterioſam, uenoſam autem arteriam. Siquidem in ſolo pulmone arteria quidem uenæ, uena autem arteriæ habuit tunicas. Etenim in toto animalis corpore ſatius fuit ſanguinem quidem, utpote craſſum & grauem, tenui ac rara: ſpiritum autem, nimirum tenuem & leuem, denſa & craſſa concludi tunica: ut uidelicet hic quidem facilè effluеret, ille autē æquè diſtribueretur. In pulmone autem diuerſa ratione conſtruxit uaſa natura.

*Pulmo ex ſe motus expers, mouetur ad motū thoracis.*

*Pulmonis vaſa cur natura alterarit.*

Quum enim pulmo ex ſe omnino motus expers, moueatur ad ipſius motum thoracis: ac uenas quidem ipſas, quòd ſint ueluti promptuarium cibi, non conueniat eo motu moueri, ſed pulmoni largiri puriſsimum ſanguinem: arterias autem, ceu receptacula ſpiritus, omnino neceſſum ſit, facilè quidem repleri, inſpirantibus nobis: celeriter uerò uacuari, expirantibus, & loquentibus: ob id ſanè cōmodum fuit, his quidē molle, illis uerò durū corpus efficere: ſiquidem has promptè obſequi utriuſq; thoracis actionibus, illas uerò prorſus nihil eis obedire, præſtiterat. Qua ex conſtructione contingit, ut quū pulmonis corpus leue ac rarum exiſtens, ſanguine uaporoſo & tenui nutriri indigeat (non autem, quomodo iecur, limoſo & craſſo) foueriq; exuberantiſsimo ſpiritu:

*Iecur nutriri ſanguine craſſo & limoſo.*

per anguſta quidem ora ipſius uenæ arterioſæ, quam tenuiſsimum ſanguinem: per laxa uerò uenoſæ arteriæ, copioſiſsimum recipiat ſpiritum. Quare nutriendi ratio pulmoni planè cōtraria eſt, ac cæteris omnibus partibus, quemadmodum & ſubſtantia corporis.

*Pulmoni cur maxima venæ inſint.*

Maximas autem uenas in eo natura conſtruxit, ut quantū propter tunicæ craſsitudinē iuſtæ nutritioni detrahitur, id magnitudine ipſarum expleatur. Arripit autem uiolenter pulmo dilatatione ſua, uel ex denſiſsimis inſtrumentis, etiā aliquid nutrimenti, quod uehementi calore ſuo in minimas partes comminuit.

*Venas arterioſas oriri à dextro cordis ſpecu.*

Porrò quum uenæ illæ arterioſæ, ob tunicarum diuerſitatem à caua oriri non poſſent, ſicuti neq; ipſarum adnata: reliquum fuit, ut à dextro cordis ſpecu orirentur, unde ſanguinem elaboratum à corde ad ipſos pulmones tranſuehunt.

*Venæ arterioſæ ori membranas quaſdā adiunctas.*

Enimuero ut à thoracis motu non uinceretur uena arterioſa, conſonū fuit illius ori membranas quaſdam adiunctas eſſe, quot, & quales nunc ſunt: ſine quarum præſidio, in contractione pulmonis, ille ſanguis ſemel ad ipſum miſſus, rurſus reflueret ad cor, nec liceret ſic arterijs & uenis ex ſe inuicem ſanguinem ſpiritumq; tranſumere per anaſtomoſes ac oſcillorum adapertiones, quæ lex in corpore uniuerſo obſeruatur. Nunc autem reditu ipſius ſanguinis, per os magnum uenę intercluſo, dum undiq; ipſa uena cōprimitur, deſtillat quippiam per exigua illa orificia in arterias. Quantò igitur thorax contendit uehementius, ſanguinē per contractionem uerſus cor exprimens, tantò membranæ exactius os ipſius uenæ claudunt.

*Venæ arterioſæ adnaſci membranas tres, intus foras vergentes.*

Quippe ab interiore parte extrà emergentes, totumq; orificiū in orbem ita obſidentes, ut ſi tenſæ omnes atq; erectæ ſimul fuerint, unius magnę totum orificiū obturantis ſpeciem referant, ab ijs quidem quæ ab internis extra erumpunt, euerſæ, & extrorſus ad tunicas ipſius uenæ decidentes, tranſitum ipſis, adaperto ac plurimùm diducto orificio, facilè dant. Quòd ſi quid extrinſecus intrò feratur, hoc ipſum cogit ita membranas in unū, ut ex eis quandam ueluti portam ad amuſsim clauſam cōſtituat.

*Vaſorum omnium profectorum à corde orificijs, quaſdam membranas eſſe inſitas.*

In omnibus itaq; uaſorū à corde proficiſcentiū orificijs membranæ aliæ alias aſcendentes exiſtūt, ut ea, ſi fuerint tenſæ, obſtruentes, materias remigrare prohibeant. Propriū autem ipſarum eſt, educentium quidem è corde materias, ne ampliùs ad ipſum remeent: inducentiū uerò, ne contrà ex ipſo effluant.

*Cordis orificia quatuor.*

Cæterùm quū ſint omnino orificia quatuor, bina in utroq; uentriculo: alterum quidem inducit, alterum uerò educit.

*Cordis ventriculum dextrū, fuiſſe gratia pulmonis factum.*

Quum igitur uena caua ſimul & arterioſa, in dextrum cordis uentriculum deſinant (qui pulmonis gratia fuit factus) per illam quidē trahitur ſanguis, per hanc autem emittitur.

*Pulmone carentia animalia, habere ſiniſtrum tantum cordis ventriculum.*

At uerò quæ animalia pulmone carent, ijs ſolus ille uentriculus ineſt, qui motum arterijs largitur. Nam ut uenę ab hepate, ita arteriæ à corde originem ducunt.

*Genera cauſarum quinq;.*

Porrò prima agendorum cauſa, ſcopus actionis exiſtit. Nam quum plura cauſarum ſint genera, primum quidem ac potiſsimum illud eſt, cuius cauſa aliquid fit: ſecundum uerò, à quo fit: tertium, ex quo: quartum, per quod: & quintū, ſi uis,* ſecundum quod. Quibus quidem utens opifex, ad optimam

mam speciē singula quæ fiunt, effingit: arterias quidem pulmonis, raras: uenas autē densas efficiens, propter eam quam diximus causam. Quorum uasorum efformationi, ceu materiam quandam subiecit humidi & sicci miscellam, usus calido & frigido inuicē temperans, tanquā instrumentis efficientibus circa ipsam materiam. Qua in mistione, partim quidem materiæ exiccari à calido constituit, partim autem frigido concrescere, atq; ex horum deniq; mistura, spiritū optimè temperatū gigni: quem postea flatu in latum extendens, diducensq; materiam, cauum uas ac prælongum effecit, copiosiorem quidem materiam affundens, cui melius erat esse crassiori: parciorem autē, cui tenuiori. Noster siquidem conditor in efformandis particulis, hunc perpetuò scopum sequitur, nempe ut quod melius est, semper eligat. Quum igit quatuor in corde sint orificia, tres quidem singulis alijs insunt membranę, duæ autem duntaxat arteriæ uenosæ. Oriuntur sanè omnes ex orificijs ipsis: unde profectæ, aliæ quidem intrò progrediuntur in cordis uentriculos, ad quos etiam ligamentis fortibus annectuntur: aliæ uerò foras uergunt, quà primùm utrunq; uas è corde emergit. Sunt itaq; in uena arteriosa, quæ alit pulmonem, membranæ tres intus foras spectantes, quas à figura literę σίγμα, sigmoides appellant. In ea autem uena quæ sanguinem introducit, tres quoq; foris intrò pertinentes insunt membranæ, sed quę multum crassitie, robore, ac magnitudine illas anteeant. Præterea etiam orificio illius maximæ arteriæ, quæ à sinistro uentriculo orta, principium est arteriarum omnium, tria quoq; membranarum σιγμοειδῶν intus foras uergentium adnata insunt. Reliquum uerò arteriæ uenosæ, quæ in pulmone distribuitur, orificium, duarum membranarum foris intrò pertinentiū, habet adnata. Corde igitur dilatato, omnia ipsius ligamenta pertensa, trahunt ad seipsa, & uelut resupināt membranas ad corpus cordis: membranas inquam uasorum inducentium materias. Quibus membranis reflexis, uasorum orificia patefiunt, ut facillimè possit cor materias ipsas attrahere, nimirum causis omnibus, à quibus celerrima fit materiarum attractio, eòdem aspirantibus. Nam quod suo loco transfertur, aut trahi ipsum oportet, aut mitti ab aliquo, aut deduci. Quæ omnia simul adsunt materijs, si cor dilatetur. Cor siquidem trahit: mittunt præpositæ ad aures cauitates, atq; ipsa uasa deducunt. Quorū omnium unum est motionis principiū, cordis ipsius dilatatio. At aures (quę sunt adnata quædam neruosa, & caua, ante orificia) laxæ quidē reliquo tempore sunt, & idcirco concauæ: quum uerò cor dilatatur, eodem quo membranæ modo tendunt, & contrahuntur, ob idq; materias ex seipsis expressas præmittunt cordi, spiritum nempe ad refrigerationem, sanguinem ad nutritionē illius. Etenim quia uasa quæ materiam cordi suppeditant, si dilatato eo tracta uiolentius fuissent, quū tenues ac molles habeant tunicas, facili negocio diuellerentur: ob id aurium concauitates extrinsecus ad orificia singula excogitauit natura, ut ex illis, ueluti ex promptuarijs quibusdam, cor ipsum traheret, citra ullum uasorum discrimen. Vtriusq; autem auris substantia tenuis facta est, & neruosa, ut & contrahantur facilius, & etiam tutiores sint ab iniurijs extrinsecis. At uerò membranarum ipsarum, eas quæ uasis adiacent materias introducentibus, tantò fortiores & maiores oportuit esse ijs, quæ inducentibus insunt, quantò maior in dilatando, quàm in contrahendo uis est. Vt aūt pauciores membranæ tribus, minus exactè ac tardius orificia uasorum clauderent: sic etiam si plures fuissent, imbecilliorem actionē ęderent. In solo tamen arteriæ uenosæ orificio, meritò sunt duarum tantùm membranarū adnata. Solius siquidem huius orificij intererat, ne ad amussim clauderetur, propterea quòd solū ipsum oportebat esse transitū à corde ad pulmones, excrementis fuliginosis, quæ in illo ob copiā innati caloris necessariò gignuntur: quanq̃ etiam & per reliqua trium uasorū orificia, aliquid retrò fertur & effluit. Nam quēadmodū in ipsa aspera arteria fieri non potest quo minus transglutientibus nobis exiguum quiddam humidum transcoletur, sic membranæ illæ non possunt adeò accuratè occludere illorū orificia uasorum, quin ultro citroq; aliquid sanguinis & spiritus permeet. Sunt enim omnia in omnibus, atque arteriæ quidem tenuem & purum & uaporosum continent sanguinem: uenæ autem paucum, eundemq; caliginosum aërem. Simili ratione per stomachum spiritus transglutientibus atq; inspirantibus nobis ad uentriculum permeat: nihilq; est syncerum in corpore, sed omnia commercium habent cum omnibus. Etenim ipsius cordis uentriculus pulsare quidem uterq; uidentur, non tamen pari mensura utriq; sanguis & spiritus adest. Copiosior quippe est, in dextro quidem sanguinis, in sinistro autem spiritus substantia: uacuatur tamen sanguis per uulneratas arterias, quem à uenis per communionem orificiorū exugunt: adapertio quorum hic etiam efficit, ut respirationis atq; pulsus utilitas, uenis communicetur. Porrò cordis sinistra pars admodū crassa est & dura, ut quæ uentriculi spirituosi tegumentū esset futura. Dextra uerò tenuis & mollis, simul quidem ut materijs utrobiq; esset consentaneus locus, simul autem ne cor in alterutram partem propenderet. Quare cor ipsum, in medio illius duræ tunicæ (quam περικάρδιον appellant) rectè firmitérque libratur. Quæ tunica ex capite ipsius amplissima exoriens, postea secundum figuram eius paulatim in mucronem contrahitur, ueluti uallum quoddam ac domicilium ei circumiecta, tantumq; inter seipsam & cor spatij circunscribens, quantum cordi dilatato suscipiendo erat satis. Est autem substantia ipsius tunicæ mediocriter crassa & robusta, ut neq; collidatur, neq; etiam pulmones lædat. Cæterùm quo tempore cor dilatat, membranarum radices trahens, aperit quidem orificia uasorum intromittentiū materias, claudit autem educentiū. In uniuersum autem leuiora omnia expeditius obsequunt trahentibus. Iam uerò quæ in corde apparent foramina, pertinentia potissimum ad medium ipsius septum, prædictę communionis gratia extiterunt, Est autem ani-

*Vasorum generatio.*

*Arteria venosa duas membranas inesse.*

*Σιγμοειδεῖς membranæ.*

*Venæ cavæ ducentis ad cor sanguinē, tres membranas esse intus foris, intrò pertinentes.*

*Arteriæ aortæ inesse membranas tres intus, foras vergentes.*

*Arteriæ venosæ adnasci membranas duas foris, intrò inclinantes.*

*Translationi materierū quid requiratur.*

*Aurium cordis utilitas.*

*Aurium cordis substantia.*

*Arteriæ venosæ orificio, cur duæ tantū membranæ adnascantur.*

*Omnia esse in omnibus.*

*Syncerum nihil in corpore.*

*Cordis ventriculus vterq; pulsare videtur.*

*Venis communicari pulsuum et respirationis vsum.*

*Cordis sinistra pars cur sit crassior & durior dextra.*

*Περικάρδιον.*

*Pericardij substantia.*

*Leuiora expeditius obsequuntur trahentib.*

*Septi cordis foramina.*

*Animalis spiritus est exhalatio benignissimi sanguinis.*

malis spiritus, exhalatio quædam benignissimi sanguinis. Quare meritò sanguis purus & tenuis cõtinetur in ipsis arterijs, utpote qui animali spiritui sit alimento futurus. Ob cuius tenuitatem spiritus, necnon propter motũ perpetuum, ualida & duplici tunica fuit ipsis arterijs opus.

*Arterijs cur tunica duplex.*

*Cordis uasa quæ maiora minoraq́.*

Ad hæc, quæ uena in cor infigitur, maior ea est, quæ ab eodem in pulmones inseritur, quum nimirum uehat sanguinem, qui per hanc defertur in illos, & qui in sinistrum cordis specum ad gignendos spiritus uitales transumitur. Ad eundem autem modum arteria etiam, quæ ex pulmone ad cor perducit spiritum, multò minor est magna arteria, quòd hæc quidem à dextro uentriculo aliquam sanguinis portionem assumat, omniumq́ arteriarum, quæ toto animali insunt, sit futurum principium.

*Cor egebat crassiori alimento, quàm sit spiritus.*

Quia uerò corpus ipsius cordis crassum erat ac densum, alimentoq́ egebat crassiori, ob id sanguinẽ ducit à uena caua, quo nutriatur, priusquàm ea ad cor immigret. Cor itaq́ pulmoni alimentũ præparat, sibi autem nequaquam.

*Similibus unũquodq; nutriri.*

Quum enim quale est unumquodq́, tali ipsum nutriri alimento oporteat, iure optimo cor quidem crasso, pulmo autem uaporoso sanguine indiguit.

*Cor à qua uena alatur.*

Quæ causa est, ut cor non alatur ex seipso, sed priusquàm uena caua dextro inseratur uentriculo, pars eius tanta, quãta cordi nutriendo erat satis, seiuncta circa cordis caput, extrinsecus obuoluatur, & in omnes ipsius partes disseminetur: cum qua etiã tanta arteriæ magnæ portio dispergitur, quanta ad prædictam uenam refrigerandam, conseruandumq́ probum temperamentũ caloris innati externarũ cordis partium, esse uidebatur sufficiens.

*Neruus nullus uidetur in cor distribui, neq; in hepar, renes, lienemq́.*

Nullus autem uidetur neruus in cor distribui, quemadmodum neque in hepar, renes, lienemq́. Solum nanq́ pericardium propagines tenuium neruorum recipit: à quibus diuisis, sensibiles alias ac manifestas in cordis ipsius tunicã etiam inseri, in maioribus saltẽ animalibus, constat.

*Cor nullam actionem animalem sortitur.*

Quemadmodum enim musculis omnibus, quòd actionis animalis instrumenta essent, magnis neruis fuit opus: ita & cordi nullam actionem animalem habenti, tantis neruis opus fuit, quantis prædictorum uiscerum singulis: addam etiam & pulmoni. Cõmuniter enim omnia hęc, ne sensu omnino carerent, neruos etiam habuerunt: priuatim autem inter ea hepar & cor, quòd illud quidem animæ appetitoriæ, hoc autem irascibilis esset principium.

*Hepar animæ appetitoriæ sedes.*

*Cor principiũ irascibilis facultatis.*

*Cordi quale os insit.*

*Cordis os ad quid utile.*

Ad hæc, in magnorum quidem animalium corde, os quoddam reperitur cartilagineũ: in exiguis uerò admodum, corpus ex cartilagine & neruo conflatum: quod quidem tum ad ligamentorum principia tutius colliganda, tum ad totius cordis firmitatem, est constitutum. Hæ igitur sunt in perfectis iam animalibus cordis particulæ.

*Fœtus in utero dispensatio.*

In ijs autẽ quæ adhuc formantur in utero, animaduertens natura pulmonem, qui neq́ absolutus est, neq́ motu prædictus, non eandem postulare dispensationem, atq́ is qui perfectus quum sit, mouetur etiam, unum quidem uas ualidum, crassum & densum, ad arteriam magnam: alterum uerò, imbecillum, & tenue, & rarum, ad uenam cauam anastomosi applicuit. Quum igitur arteriam magnam, ad crassum illud ac densum pulmonis uas, ad tenue uerò & rarum uenam cauam per anastomoses *aperuisset, pulmoni quidem utrasq́ materias iustè largita est, & cor nihilominus à pulmonis seruitute liberauit. Quocirca non oportet mirari, si quum in illis nec sanguinem, nec spiritum mittat pulmonibus cor: nec totius corporis arterijs suppeditet, ut in perfectis: ad solam propriam uitã quampaucissimo indiguerit spiritu, quem maximè etiam, ut opinor, ex ipsa magna arteria ducere poterat.

*Cor in utero accipere spiritum à magna arteria.*

Quinetiam licuit cordi per id orificium, cui soli tunicas duas foris intrò pertinentes diximus adhærescere, ex pulmone sanguinem ac spiritum sibi mista attrahere. Vas siquidem hoc in fœtibus ex caua quidem uena sanguinem per quandam memorandæ magnitudinis anastomosin recipit: quum sanguis aliàs in perfectis quidem, ex sanguineis: in fœtibus uerò, ex spirituosis instrumentis sumatur. Etenim si fœtu adhuc utero matris hærente, per ipsius matricẽ penetrando, arterias quæ in umbilico sunt, uinculo exceperis, quæ in secundis sunt arteriæ omnes, pulsu destituentur, quum tamen quæ ipsi embryo insunt, adhuc pulsent. Quòd si uenas etiam quæ sunt in umbilico laqueis complexus fueris, haudquaquam quæ in embryo sunt arterię amplius pulsauerint: quòd uidelicet uis illa quæ mouet secundarum arterias, à corde ipsius fœtus proficiscatur: à uenis autem per anastomoses arterię recipiant spiritum, à quo calor natiuus, saltem aliquantisper, seruari potest.

*Secundarum arterias moueri à corde fœtus delitescẽtis utero.*

*Arterias fœtus per anastomoses recipere à uenis spiritum.*

Fieri igitur potest in corde, ut ex uase sanguinem continente, commodum aliquod calori, qui in sinistro eius uentriculo est, accedat, cuius causa animalia & respirant, & pulsibus egent. Cor itaque non modò in perfectis animalibus, sed in fœtibus etiam, uim illam arterijs suppeditat, qua mouentur: nõ tamen ipsas ceu utres flatu replet aut inflat. Non siquidem ob id dilatantur quòd implentur arteriæ, sed quia dilatantur, implentur.

*Arteria implentur, quia dilatantur, non dilatantur quia implentur.*

Porrò natura, quemadmodum uenam illam quæ ab umbilico pertinet ad iecur, & arterias quæ sunt ad spinam, tandem exiccat, & ueluti funiculos quosdam tenues efficit: ad eundem modũ & prædictas, quæ ad cor pertinent, uasorum anastomoses, in animali iam nato abolet: quæ usui animalibus in lucem æditis futura non sunt, ea ne esse quidem permittens.

*Inutilia animalis natura ne esse quidem permittit.*

## GALENI PERGAMENI de Vsu partium lib. VII.

CAeterum quemadmodũ hepar, sic etiã pulmo, quã plurimis est uasis contextus: quorum interualla molli carne replentur. Vasorũ porrò ipsius proficiscunt̃, hoc quidẽ ex sinistro cordis uentriculo, illud aũt ex dextro: tertiũ deniq́ ex faucibus.

*Pulmonis uasa unde oriantur.*

Deinde illinc progressa diuiduntur in quatuor lobos pulmonis. In quintum aũt lobum (quum paruus sit, ac ueluti substerniculum uenæ cauę, in dextra thoracis regione) propagines quædam exiguæ, à uasis in lobum magnum illi propinquũ distributis, disseminantur.

*Pulmonis quintus lobus.*

Ambit autem lobos omnes extrinsecus tenuis quædam membrana, portiones quasdam

*Pulmonis tunica.*

eorum neruorũ, qui iuxta stomachum infernè ad uentriculum tendunt, accipiens. Porrò tertium illud uas, quod à faucibus in pulmonem

*Aspera arteria constructio. Bronchus.*

descendit, quodq́ aspera arteria, necnon bronchus dicitur, ex corpusculis quibusdam cartilagineis circularibusq́ conflatur, per totam longitudinem colli optimè inter se ordineq́ singulari compactis.

*Cartilaginum asperæ arteriæ figura.*

At uerò, qua parte contactura subiectum erat stomachũ huiuscemodi corpora, amplius cartilaginea non sunt, sed C Latinam literam referunt, ut uidelicet cibis qui deglutiunt cedant.

*Asperæ arteriæ tunica interna.*

Vestit autem intrinsecus ipsam arteriam asperam, eiusq́ partes omnes subungit, quædã tunica penitus circularis, densa simul & solida, fibras habens secundum longitudinem rectas: ac breuiter, continua illi, quæ ab ore in uentriculum ducit. Quare per hanc membranã dum animalia deglutiunt, cartilagines cum larynge ad ipsas fauces trahunt.

*Asperæ arteriæ tunica exterior.*

Extrinsecus etiam alia circunducit tunica, ueluti totius asperę arterię non uulgare indumentũ.

*Aspera arteria quarum actionum sit instrumentum.*

Per hanc igitur arteriã asperam, quę in omnes pulmonis partes est distributa cum uasis quę à corde proficiscunt, inspiratio & expiratio, uox & efflatio perficitur. Atq́ hoc solum in pulmone uas omnino uacuum est sanguine, quandiu animal secundum naturã se habet.

*Cartilago cur ad elidendã uocẽ sit instrumentum aptissimũ.*

Fuit autem instrumento uocis omnino cartilagine opus, quum molliora quàm pro ipsius natura præ imbecillitate aërem remissius percutiant: duriora autem, facilè ipsum euertant, sic ut fluere potius, quàm percuti aër ipse uideatur. At cartilago est simplex quædam particula, ut aliarum omnium durissima, sic osse duntaxat mollior, ob idq́ ad elidendam uocem instrumentum aptissimum.

*Asperæ arteriæ motus unde proficiscantur.*

Non est autem ex una simplici cartilagine & sola, constituta aspera arteria, sed membranosam quoq́ assumpsit substantiã, quæ circulares eius annulos colligat, ut per animalis inspirationes, expirationesq́, facilè possit tum dilatari, tum contrahi, atq́ etiam longior, & breuior reddi. Siquidẽ mutationes pulmonis in longitudinem ac breuitatẽ, à ligamentis cartilagines inter se connectentibus, tensis quidẽ per inspirationes, per expirationes autem laxis, atq́ in se concidentibus, proficiscuntur: incrementum uerò in latitudinem & concidentiam, ab ijs quæ interrupta annulorũ complent, gibbis quidem factis extrorsum per ipsas inspirationes, laxis aũt per expirationes, procedit.

*Cartilagines sunt instrumenta uocis.*

Ac proinde cartilagines ipsę, uocis sunt instrumẽta: quæ uerò eas ligamenta coniungunt, respirationis. At pars illa quæ cum faucibus asperã arteriã connectit, & quæ sursum nobis transglutientibus fertur, cuiq́ uocem aspera arteria præparat,

*Larynx primũ & principalissimũ instrumentum uocis. Palatum. Columella.*

larynx uocatur: qui totus cartilagineus existẽs, primum & principalissimum uocis est instrumentũ. Quanquam uocẽ ab ipso æditam, palatum, ueluti refractoriũ quoddam, & columella, tanquam plectrum, adaugent.

*Vocis materia expiratio est. Pisces carent aspera arteria et pulmone.*

Porrò ipsius uocis materia expiratio est, à thoracis musculis facta. Pulmonis itaq́ propria particula est hæc arteria, qua meritò pisces caruerũt, atq́ etiam pulmone, quòd ne uoce quidem egerent, utpote in aquis degentes. Erit igitur ipsa aspera arteria respirationis simul & uocis organum. Artificiosè autem natura cartilaginosam quidem partem arteriæ, ad anteriora colli: carnosam uerò,

*Asperæ arteriæ cartilaginum situs.*

quà stomachum contactura erat, ad posteriora conuertit, ne facilè afficeretur, stomachus quidem ab ipsa arteria, hæc autẽ rursus ab iniurijs extrinsecis.

*Deglutitionem respirationemq́ nunquam eodẽ tempore fieri.*

Quare quum alio quidem tempore respiratio, alio autẽ transglutitio fiat (nunquam enim simul contingunt) mutuis uicissim capacitatibus arteria stomachusq́ utunt: adeò ut tempore exiguo plurima, per utrosq́ meatus, feratur propria materia. Ob idq́ constructum est rotundum utrunq́ organum, ut per locum minimum plurima peruadat materia, utq́ utrunq́ ab iniurijs sit tutius.

*Asperæ arteriæ mẽbrana internæ usus.*

Enimuerò tunica illa (quam diximus) obtendit internæ parti ipsius asperę arterię, ut destillationes tum cibi tum potus, necnon fuliginosi spiritus, atq́ etiam humorum acrium (quorum omnium delapsus prohiberi interdũ non potest) excipiens, cartilagines eius tueatur.

*Cartilaginum asperæ arteriæ affectus sanatu difficillimos esse.*

Quarum quidem affectus aut insanabiles sunt, aut sanatu quamdifficillimi. At ipsius tunicæ incommoda facilè resarciuntur: nisi fortè aliquando à magna putredine, ipsius portio quædam erosa, cartilaginem penitus destituerit nudam.

*Asperæ arteriæ tunica interna cur tenuis, densa, & mediocriter sicca. Sicca quàm madida melius sonare.*

Cæterùm tenuis simul & densa facta est illa tunica, ut neq́ fistulæ capacitatẽ sua mole angustiorem redderet, nec facilè defluentes succos imbiberet, uocemq́ sic efficeret raucam. Melius enim sonant sicca quàm madida. Quia uerò si extremè sunt sicca, ijs quæ talia sunt moderatè, uocem deteriorẽ elidunt, ob id tunicã quæ cartilaginibus subest, natura mediocriter siccã effecit, utrunq́ excessum declinans. Verũ nec aspera arteria habet sanguinis copiam quo alatur, antequàm uenæ quædam à corde ipsi fuerint connexæ:

*Cor esse colligatũ pulmoni per læues arterias.*

neq́ ipsum cor fructum ullum ex respiratione percipit, priusquàm per alias arterias læues, quæ tenuem, purum, & uaporosum continent sanguinem, nec solius spiritus instrumenta sunt, coniunctum & colligatum huic fuerit.

*Arteriarum cordis in pulmonẽ oscula.*

Quarum læuium arteriarum oscula, à natura nihil agente temerè, eò commoderationis adducta sunt, ut uapori quidẽ ac spiritui sitit peruia: sanguini uerò, & crassis similiter substantijs, inuia.

*Tussis quando excitetur.*

Quòd si fortè aliquo tempore patula, naturalem cõmoderationẽ amiserint, portio aliqua sanguinis ex læuibus in asperas arterias effunditur, quem casum repentè tussis cõsequitur, & sanguinis per os profusio.

*Pulmonis caro qualis, & quem usum præstet.*

Ipsa porrò caro pulmonum non solùm diuisionem uasorũ longè tutissimã reddit, sed etiam quemadmodũ hepatis caro ad cibi, sic ad aëris coctionẽ ea fuit comparata: ob idq́ mollis, foraminulenta, & spirituosa existit. Non enim cõfertim nec repentè aër quẽ inspiramus, nutrimentum spiritus animalis euadit: sed paulatim eum immutari est necesse, diuturnioreq́ tempore spiritui innato familiarem qualitatẽ acquirere. Cuius alterationis pulmonis caro primum est instrumentum.

*Pulmonis carnẽ conficere spiritũ cordis. Plexus retiformis.*

Spiritus igitur qui trahitur ab asperis arterijs extrinsecus, primùm in pulmonis carne conficitur, dein autem in corde atq́ uniuersis arterijs, sed in eis pręcipuè, quæ in plexu retiformi consistunt: at ultimùm ac perfectissimè in uentriculis cerebri, ubi utiq́ efficit animalis. Cur autẽ nos ignorantes

*Spiritum animalē fieri in uētriculis cerebri.*
*Aſpera arteriæ ſitus inter venā & læuem arteriam.*

planè ſubſtantiam animæ, eum animalem uocemus, non eſt dicendi nunc locus. Fuit autē aſpera arteria in medio læuis & uenæ locata, quòd per mediam quidem læuem, reſpirationis utilitatem cordi exhibitura erat: à uena autem, neceſſariò debebat nutriri. Ad hæc, à dorſo quidē habet aſpera arteria uenam: ab anteriori autem parte, arteriam: quia longius à corde producere ipſam arteriā, quæ tenuē atq; imbecillā ſortitur tunicā, non erat tutum. Quare illam natura ſubitò à corde ortam, in pulmonem diſſeminauit. Alterum uerò uas quod fortius erat, abduxit longius.

*Venis arterioſis cur tunica dura tributa ſint.*

Facta eſt uenarum tunica dura, tum quòd eas comprimi facilè ac dilatari in reſpirationibus non oporteret (ut uidelicet ipſa thoracis capacitas ſpiritus inſtrumentis eſſet perpetuò patens: & ne ſanguis ad cor ex eis uiolenter recurreret) tum etiā quòd ſanguine uaporoſo & tenui quàm craſſo, pulmonē ali erat melius.

*Arterijs venoſis cur tunica rara inſint.*

Arteriarū contrà tunica eſt rara, ut liberalius pulmones foueāt ſuo tenuiſsimo ſanguine, cordiq́; trahenti ſpiritus, longè facilius cedant.

*Reſpirationis uſus.*

Quum itaq; uſus reſpirationis primus & maximus ſit, ut caloris ſymmetriā conſeruet: ſecundus autē, nec minor, ut nutriat animales ſpiritus, tum ad hęc, tum ad uocis generationē, pulmonē accommodauit natura.

*Arterias læues inſertas eſſe cordis ſiniſtro ventriculo.*
*Fuliginem cordis expelli in ſyſtole per læues, et per magnam arteriam.*
*Pulmo ad thoracis motū mouetur.*

Applicuit autem omnes arterias læues ſiniſtro cordis uentriculo, in quo caloris natiui eſt principiū, perennē illi refrigerationē hinc cōparans. At uerò quod fuliginoſum ac fumidū in ipſo corde eſt, in illius cōpreſſionibus per has ipſas læues arterias explodit, multoq́; adhuc magis per magnam arteriam ad alias. Pulmo igit̄ totam implens thoracis capacitatē, ad ipſiuſmet thoracis motus mouet̄. Cōſequutione aūt ad id quod uacuat̄, prius ſemper leue quàm graue, attrahentia inſtrumēta ſequit̄: quæ per ampla orificia multò facilius implent̄. At aſperarum arteriarū omnium unum eſt maximum os, pertinens ad pharyngem: lęuium autem aliud unum ad ſiniſtrum cordis uentriculū, ut uenarū etiam ad dextrum. Sed ex pharynge quidem, aër ſolus ad arterias aſperas: ex dextro uentriculo ſanguis ſolus ad uenas: ex ſiniſtro, mixtū quid ex ambobus peruenit.

*Pulmonis vaſa quo ordine proprijs materijs impleantur.*

Pulmone igitur dilatato, primò quidem externus aër aſperas arterias implebit: ſecundò autem, quod ex ſiniſtro cordis uentriculo effertur, læues: poſtremò deniq; ac tertiò horum omnium, ſanguis implebit uenas. Antè uerò quàm aſperæ arteriæ repleantur aëre, ad quoduis aliorum nihil tranſumitur. Fuerunt enim aſperæ arteriæ à natura inſtitutæ, ut pulmonem in maximam diſtenſionē agerent. Ac proinde in inſpirationibus aër externus in has ſolas neceſſariò ingreditur.

*Spiritum trahi a corde in diaſtole, expelli in ſyſtole.*
*Cordis motus à natura.*
*Thoracis motus ab anima.*
*Reſpirationem eſſe arbitrariā.*

At ſpiritus in cor ipſum attrahitur, dilatato eo: quemadmodum rurſus compreſſo, excernitur. At læues quidem arteriæ, cordis motibus: aſperæ uerò pulmonis, inſeruiunt. Verùm ut cordis motus à natura, ſic thoracis ab anima proficiſcit̄: melius ſiquidem fuit ipſam reſpirationē uoluntati inſeruire animalis. Iam pulmo neruis minimis prędítus, ut totus facilè dilatetur & comprimatur, in lobos diſſectus eſt, quibus tanquam quibuſdam digitis cor accuratè complectitur.

*Larynx ex tribus cartilaginibus conſtat, mouetur; à proprijs duodecim muſculis.*

Larynx porrò ex tribus magnis cartilaginibus conſtat. Mouetur autem à muſculis, propria quidem ſua compoſitione, duodecim: quatenus uerò commercium habet cum uicinis particulis, ab alijs octo.

*Scutiformis & prima cartilago laryngis, quā poſitionem habeat.*

Harum igitur laryngis cartilaginum, anterior eſt maxima, extrinſecus quidem conuexa, intus autem concaua, prælongo ſcuto perſimilis: quare ſcutiformis uocatur. Secunda uerò cartilago, quanto minor eſt prima, tanto maior quàm tertia eſt: internis partibus, quà conſiſtit ſtomachus, poſitionē habens. Cęterùm quantū maxima deficit à perfecta figura circuli, hoc ipſa perficit.

*Laryngis cartilago ſecunda.*

Etenim ubi deſinit ultima cartilago aſperæ arteriæ, ibi primùm quidem hæc ſecunda incipit, omnibus partibus totam illam contingens: hoc eſt, anteriore, poſteriore, & obliqua. Paulò uerò ſupra anteriores ipſius partes cartilago ſcutiformis incipit: ſecunda uidelicet retrorſum cedente. Articulantur autem & committuntur inter ſe partibus obliquis. Atq; etiam paulò ſuperius ligamenta quædam membranoſa & neruoſa, ex prima pertinent ad ſecundam. Verùm ubi minor quæ intus eſt, deſinit, duę quidem ſuperiacent paruæ conuexitates.

*Laryngis tertia cartilago arytænoides.*

Incipit autem illinc tertia cartilago, quam arytænoidem appellant ob formam uaſis, conuenientes ad amuſsim eminentijs illius cauitates habens, adeò ut commiſsio harum duarum cartilaginum, duplicem dearticulationem efficiat. Eſt autem ſtrictior, quàm inferna baſis, ſecunda cartilago: ob eámque cauſam totius laryngis ora infima, qua aſperam arteriam attingit, amplior eſt ſuperiori orificio, quod in pharynga deſinit. Atque etiam tertia cartilago in anguſtum ualde & ipſa deſinit. Conuerſa autem eſt huius quoq; cartilaginis cauitas ad meatum ſpiritus, ut ueluti fiſtula quædam fiat, quod ex tribus ijs eſt compoſitum.

*Ligulæ conſideratio.*

Parte uerò interna, in ipſo meatu laryngis, corpus quoddā incumbit membranoſum, adipoſum & glanduloſum, figuraq́; linguā fiſtulæ referens.

*Vocem primò in larynge formari.*
*Larynx cur non ex ſimplici cartilagine conſtet.*

Quòd igitur primū in larynge uox efficiatur, quodq́; dilatetur plurimùm, & cōprimatur ad unguem ſupernum eius orificiū, alibi demonſtrauimus: ob quas nimirū motiones neceſſum fuit laryngem nō ex ſimplici una, ſed ex pluribus ſimul cōmiſsis cartilaginibus confici, motumq́; ipſius non naturalem, ut arteriarum, ſed uoluntarium exiſtere, ad quem perficiendū muſculi inſtituti fuerunt.

*Laryngis cartilagines connectentes muſculi.*

In animalibus igitur magna uoce præditis, in quibus homo etiā annumeratur, quatuor ſunt muſculi, qui cum ſecunda, cartilaginem primam connectunt. Alij uerò quatuor in omnibus animalibus ſunt, qui ſecundā tertiæ: & alij duo, qui primam tertiæ cōmittunt. Deriuantur autē ex prima cartilagine ſcutiformi ad ſecundam, hoc pacto. Secundum finem inferiorem utriuſq; cartilaginum, ubi tracheam arteriā, & ſeinuicem tangunt, ex magna cartilagine perueniūt ad ſecundam, extrorſum quidem duo muſculi, introrſum aūt duo, utraq; parte externi externis, & interni internis omnino æquales. Hi igit̄ exactè coarctant, anguſtāq́; efficiunt oram laryngis infernam, primam cartilaginem ſecundæ ſimul applicantes. Alij uerò quatuor, qui ſecundam cum tertia iungunt,

finem

finem laryngis superiorem aperiunt. Quorum qui parte sunt posteriore, cartilaginem arytænoidem retrò flectunt: ad obliqua uerò plurimùm diducūt, qui situm ibi habent obliquum. Porrò reliqui duo, ijs quatuor actionem & positionem contrariam habentes, claudunt ad unguem os supernum laryngis, ad internam capacitatem, primam cartilaginem adducentes.

*Musculi decem cōmunes tribus laryngis cartilaginibus.*

Decem igitur dicti musculi, trium cartilaginum sunt cōmunes: alij uerò duo sunt in basi arytænoidis. Cæterùm alij sunt his multò maiores, soliq; scutiformis proprij: quorum duo quidem, ex inferioribus ossis hyoidis lateribus habent originē, indeq; secundū longitudinē omnē primæ cartilaginis producunt parte anteriore. Alij uerò duo, ab ipsa quidem cartilagine exorti, sed ad pectus tendentes, alijs duobus miscent. Reliqui duo transuersi musculi, ex obliquis scutiformis partibus enati, deinde in orbem stomachum cōplectentes, simul inter se coëunt.

*Laryngis cartilaginibus inesse duplices articulationes & motus.*

Quoniam igitur duplices genere oportebat ipsis cartilaginibus inesse articulationes & motus, alios quidem, qui eas dilatarent, & comprimerent: alios autem, qui clauderent & aperirent: ad priorum quidem motuum constitutionem, primæ ad secundam facta est articulatio: ad secundorum uerò, secundæ ad tertiam. At motus alio tertio genere præterea quū minimè egeret larynx, neque articulatione tertia, & proinde neq; particula quarta indiguit.

*Laryngis musculi decem.*

Illi igitur primi musculi decem, in larynge ipso cōsistunt, cum nullo adiacentium instrumentorū connexi.

*Laryngem alijs partibus colligātes musculi, octo numero.*

Alij uerò octo musculi, colligantes ipsum cum circunfusis corporibus, alterius motus sunt duces, quo nimirum totius spirationis meatus amplificat, constringiturq;. Quorū qui ab osse hyoide ad partes anteriores ac superiores pertinēt, cartilaginē primam trahentes, à posterioribus eam cartilaginibus abducunt, meatumq; amplificant. Musculi uerò obliqui, contrariam his actionem habentes, ac positionem, qui ex scutiformi cartilagine deorsum feruntur, partes cartilaginis inferiores contrahunt, trahuntq; infrà, cum hoc leniter asperam arteriam contrahentes, & constringentes. Reliqui autem, qui ex obliquis scutiformis partibus prodeunt, has partes primæ cartilaginis protrahunt, secundæq; applicant, quo meatus constringatur.

*Pharynx principalissimum instrumentum uocis.*

At pharynx, substantia & figura ab alijs corporis partibus differēs, principalissimum uocis est instrumentum, linguam alicuius fistulæ referens. Melius autem sit corpus hoc fistularum linguis minimè assimilare, sed eas huic potius: quandoquidē natura & prior tempore, & in operibus sapiens magis quàm ars ipsa existit.

*Natura est prior atque sapientior arte.*

*Ars imitatur naturæ opera.*

Quare si corpus hoc naturæ est opus, illud autem quod in fistulis est, artis inuentū, nimirū hoc ad illius imitationem ab aliquo sapienti uiro excogitatū fuerit, qui intelligere ac imitari naturę opera potuit. Cæterū quòd absq; lingua inutilis sit fistula, res ipsa indicat: sicuti etiā uocē fieri nō posse, nisi trāsitus sit angustior.

*Vox fieri nō potest, nisi transitus sit angustior.*

Etenim ad ędendā uocē, opus est motione spiritus, quę ab infernis repentè simul erumpat: necnon angustiori transitu, eoq; non simpliciter, sed qui paulatim quidē ex amplo adstrictius reddat, paulatim rursus ex strictiori amplificetur: id quod penitus efficit ipsius laryngis ligula, quam epiglottida uocant: quæ non modò ad uocem est necessaria, sed etiam ad cohibitionem spiritus.

*Epiglottis ad uocem et cohibitionē spiritus maximè necessaria.*

Nam particulæ ipsius tum dextræ, tum sinistræ, adeò in idem coëunt, ut sibijpsis incidant, claudantq; exactè meatū. In utraq; autem ipsius ligulæ parte dextra & sinistra, natura foramen unum, uel potius rimam ac fissuram quandā effecit, cui parte interna uentriculū etiā unū minimè paruum apposuit.

*Ligulæ fissura & uentriculus.*

Quare à dextris ac sinistris spiritus intrò præterfluens, nullam habet causam, cur aut rimam ipsam aperiat, aut etiam uentriculum oppleat. At quum pulsus ab internis quidē uiolenter spiritus fuerit, sed supernè, quo minus rectà feratur, inhibetur, ibi refractus, & facto ueluti uertigine, ad latera meatus conuertit, quibus magna ui incidens, membranas utriusq; fissuræ, ad subiectas usq; cauitates diducit: totam autem opplet ligulam, atque inflat, quam rem subsequitur necessariò exacta meatus ipsius obturatio.

*Epiglottidis corpus quale.*

Porrò corpus ipsius epiglottidos membranosum quidem existit, ut ne ab spiritu impletum, aut à motibus laryngis commotum, rumpatur. Humidum autem simul & uiscidum, & quodammodo pingue est, ut propria humiditate, eaq; non facilè dissolubili (qualis est unctuosa & uiscosa) madeat perpetuò: id quod maximè ad uocem desideratur.

*Voci necessariū esse madorē faucium.*

Vnde neque ij qui ex ardentissimis resiccati sunt febribus, nec qui per magnos æstus fecerunt iter, loqui prius possunt, quàm perfusus larynx eis fuerit. Quum igit musculi laryngē claudentes, qui ipsam quoq; ligulam comprehendunt, quiq; resistunt musculis uniuersis thoracem ipsum contrahentibus, ex media basis scutiformis emergant, rectà uerò protendant, tantum spatij parte posteriori atque obliqua circumscribentes, ut proxime tertiæ cartilaginis articulationē pertineant, necessariū fuit in partes eius inferiores aliquot neruos inseri.

*Musculis omnibus inseri neruum aut in ipsum caput, aut in partium aliquā quæ citra medium sunt.*

Siquidē musculis omnibus, aut in ipsum caput neruus insigitur, à cerebro, uel spinali medulla facultatem sensificam ac motricem ad ipsos perferens: aut omnino in partiū aliquam, quæ sub caput sunt, aut certè non infra mediū corpus, ad caudam uerò nunquā: alioqui principium ea esset musculi, nō finis.

*Musculi ad eam partem trahuntur diuisi, ad quam uergunt ipsorum fibræ.*

Omnibus autem commune est musculis, ut ad eam partē diuisi extendant, ad quā uergunt ipsorū fibræ. Necessariū est etiam, reliquis quoq; duabus neruorum coniugationibus, à quibus laryngis os cœferatur, ex parte inferna neruos immitti. Non tamen æquales magnitudine, aut æquè pollentes robore neruos postulant duo musculi aperientes laryngē, & alij duo qui eundē claudunt: hi siquidē omnibus thoracis musculis, in spiritus cohibitione obsistunt: illi autem per expirationes eisdē obsequiū præstant.

*Neruus omnis uel à cerebro vel ab spinali medulla oritur.*

At uerò quum satis constet neruū omnē manare uel à cerebro, uel à spinali medulla, cæteris quidem musculis omnibus, qui ad caput sunt & collum, motus est facilis. Siquidē in eos qui supernè feruntur deorsum, à cerebro neruus manifestè inseritur: in obliquos uerò, à spinali medulla colli, ex septima coniugatione, quòd & ipsa exortum habeat

obliquum. Videndum igitue est, unde nam sex illi prædicti musculi, qui recti, secundum laryngis longitudinẽ, à partibus inferioribus sursum tendunt, suos neruos sortiantur. Enimuerò à cerebro posteriori neruorum est eecta productio per totum collum deorsum, & utraq; asperæ arteriæ procedens: cui parua quædã alia se iungit. Ab hac productione eeliqui laryngis musculi (præter sex illos) atq; etiam eorũ nonnulli qui in collo sunt recti, distributiones accipiunt. Verùm quum sexta hæc neruorum coniugatio sit maxima, non parua etiam eius propago totum collum præterlapsa, decidit in thoracem: & primam quidem neruorũ coniugationẽ producit ad thoracẽ ipsum, & radicem costarũ pertinentem. Alias autem præter has multas, partim ad cor, partim ad pulmonem, ac stomachũ, partim deniq; ad omnia uiscera inferiora, delegat. Dum igitur nerui hi per thoracem deferuntur, propago quædam utrinq; enata, per eandem reuertitue uiam, qua prius prius descenderat, ceu cursum reciprocans. Siquidẽ ubi uterq; neruus usq; ad regionem cordis processit, sinister quidẽ longius progressus, circũ maximã arteriã, ueluti cieca rotulam aut metã quandã fortem atq; transuersam obuoluitur, potissimũ ea in parte, qua primùm à corde emergens, sese ad spinam inflectit. Dexter uerò, quum nullũ haberet in ea thoracis parte, per quam fertur, ascensum similem, circa illam arteriæ partem, quæ obliqua à corde sursum ad dextrã axillam fertur, obducitur. Sed quia flexio hæc erat multò deterior, quàm illa sinistra ad coe, utpote obliqua, partim multitudine productionum nerui in utranq; partem, ab eadem regione emissi, partim etiã ligamentorũ ui corroborauit ipsam natura, cuius opera non modò laudibus, sed sunt etiam hymnis maiora. Neruus itaq; uterq; (quatenus dictũ est) circunductus, sursum ad asperæ arteriæ caput recurrit, idem quidẽ iter conficiens, ac prius: nulli uerò amplius musculo, ne minimam quidem sui portionem distribuens, quòd nullum alium musculum principium motionis suæ ex partibus inferioribus necesse erat accipere. Dispergitur autem eorum uterq; in laryngis musculos sibi coeespondentes: qui dextra quidẽ est parte, in tres illi è directo positos: qui autem sinistra, in reliquos tres, ambò uerò in sex, à quibus aperiri & claudi larynga contingit. Conciliarunt autem sibi prædicti nerui, eobue non mediocre, ex itineris longitudine: quum in productionibus primis, nerui omnes sint molles, & cerebro ipsi adsimiles: progredientes uerò, magis magisq; seipsis duriores eua dant. Iam inter eespirandum, in meatum spiritus nõ potio modò, sed cibus etiã repentè incideret, nisi natura prouidè orificio laryngis epiglottida, ueluti operculũ, admouisset: rectam quidem alio tempore omni quo animal eespirat stantem: quum autem quiduis transglutit, laryngi ipsi assidentem. Siquidẽ ipsum quod transglutitur, ceu primùm ipsius radici incidens, pòst autem dorso inuectum, inclinari ipsam cogit, ac collabi, ut cuius substantia cartilago sit, eaq; prætenuis. Figura autem epiglottis rotunda est: at magnitudine, paulò maior orificio laryngis. Vergit porrò ad stomachum, positionemq; habet tertiæ cartilagini ἀρυταινοειδεῖ cõtrariam, utpote ex aduersa illi regione exorta. Verùm quemadmodum à cibarijs epiglottis in laryngis meatum compellitur, ita ab ijs quę euomunt, cartilago ἀρυταινοειδὴς. Spectat enim & illa in laryngis capacitatem: quo fit, ut eorum impetus quæ sursum à stomacho suggeruntur, doeso ipsius incidens, totam cartilaginem facilè in locum cedentem euertat. Nec tamen ita claudunt meatum laryngis huiusmodi cartilagines, ut nihil prorsus transfluere possit, sed ne multum, néue confertim. Siquidem exiguum quiddam potionis semper in asperam arteriam delabitur, non per mediam laxitatem iter suum faciens, sed in orbem secundum tunicas eius inunctum, quo nimirum madescit atq; fouetur pulmo. Quin & glandulę ipsę quę laryngi adiacent, laxiores & fungosiores quum sint, portionem eius humoris excipiũt, ut eo uidelicet partes omnes circunstantes perfundãt. Quòd aũt transglutientibus nobis cibos, œsophagus à larynge toto cartilaginoso minimè coarctetur, ob id fit, quia tunc commutatue positio eorum: quippe stomachi initium, ad asperam descendit arteriã, larynx uerò sursum ad fauces eecurrit. Poerò bona pars musculorum linguæ, necuon musculorum laryngis coniugatio anterior, alijq; nonnulli qui ad omoplatas feruntur, præterea eobustus alius geminus, qui ad os pectoris fertur, postremò alij duo musculi pertinẽtes ad genas, sicuti & eeliqui parui, qui sunt ad radices propaginũ, quos columnares appellãt, hi inquã omnes musculi, ab osse hyoide ob similitudinẽ υ literæ sic appellato, oriuntur. At musculi ultimò omnium dicti, & qui ante illos sunt, genę ipsius sunt proprij, quam mouent obliquis motibus sibi oppositis. Qui autem ab osse hyoide inseruntur linguæ, illius gratia extiterunt: quibus oppositus simul est is, qui duplex ad pectoris os descendit, ut deorsum hyoides detrahat, si fortè à superioribus musculis uiolentius sursum tendat: existens etiã cartilagini scutiformi propugnaculũ quoddã, quemadmodũ & ipsum hyoides. Huc adde, quòd id emusculus tracheã arteriã simul coërcet ac dirigit. Quinetiã & qui ad omoplatas feruntue musculi, tum laryngis, tum ossis hyoidis motum uersus collum efficiunt. Inuectũ igitur gibbis ipsius laryngis hoc os, à multis musculis oppositis sibi inuicem & ęquipollentibus communitue, atq; in medio firmatur. Verùm ad maiorem securitatem, non solùm duobus ipsius ossis lateribus applicuit natura ligamenta quædam robusta, sed etiam caetilaginosa quædã alia & rotunda producens, ea utriq; lateri inseruit. Connectit autem nihilominus per membranas quasdã, non modò ad laryngẽ & epiglottidem, uerumetiam ad stomachum, à quibus firmiter continet annexum capiti, his quidem osseum magis, alijs cartilagineũ, pro ratione musculorum qui ab eo exoriuntur. Quod pertinet ad thoracem, alibi demonstrauimus, multa esse illi motus principia: respirationemq; aliam omni carere ui, aliam uiolentam existere: atque utriq; proprios inesse musculos.

Porrò

*Laryngis musculi unde suos neruos recipiant.*

*Recurrentium neruorũ laryngis consideratio.*

*Naturæ opera esse longè hymnis maiora.*

*Neruos quo magis digrediũtur à cerebro, eo magis durescere.*

*Epiglottidis usus.*

*Epiglottidis substantia, magnitudo, situsq;.*

*Arytænoides cartilago.*

*Asperam in arteriã illabi semper nonnihil potionis.*

*Glandulæ adiacentes laryngi.*

*Laryngẽ recurrere ad fauces transglutientibus nobis.*

*Musculi ab osse hyoide producti.*

*Hyoides os existere propugnaculum cartilaginis scutiformis.*

*Hyoidis ossis ligamenta duplicia.*

*Respiratio duplex.*

*Musculorum intercostalium fibra quales inter se positione habeant.*

Porrò musculorum, qui inter costas sunt, fibræ, ab una costa ad aliam perueniunt, cum parua ad obliquū declinatione: quinetiam interuq; fibræ, externis situm contrarium habent: necnon illæ quæ ad os pectoris in partibus costarum cartilaginosis consistunt, contrariæ sunt ijs, quæ in osseis sunt, usq; ad uertebras.

*Septi transuersi substantia et tunicæ.*

Propria septi trāsuersi substantia, musculus est: tunicæ uerò ipsi duæ insunt: inferior quidem, peritonæi tunicæ summitas: superior aūt, basis tunicæ succingentis costas.

*Diaphragmatis usus.*

*Costæ mendosæ cur ad finē cartilagineæ.*

Confert aūt diaphragma, non solùm ad pellenda excrementa alui, sed etiam ad ipsam respirationē. At cartilago multa notharū costarum extremitatibus circunfusa est, quò tutiores sint ipsæ ab iniurijs extrinsecis, ac per eas subiecta corpora. Nā pulsata cartilago minimè cōminuit, aut frangit.

*Pectoris os.*

*Cartilago ensiformis.*

*Costarum, septem ueras esse, & quinq; mendosas.*

*Principia animalis tria.*

Iam uerò pectorale os (cuius ultima pars est cartilago ensiformis, oris uentriculi, septi transuersi, cordisq; similiter propugnaculum) ex septem ossibus constat, quòd septem in ipsum costæ ueræ inarticulatæ sint: nam reliquæ mendosæ sunt quinq;. Quum enim tria essent principia, quæ animal ipsum dispensant, os quidem immobile sine musculis primo principio circumiecit natura. Solos autem musculos tertio elargita est. At medio inter utrunq; posito, & ossa & musculos.

*Cerebrum non eguisse musculis ceu fontem arbitrarij motus.*

*Craniū immobile, propugnaculum cerebri.*

Cerebrum nanque in nullos usus indiguit musculis, ceu fons motus uoluntarij & principium. Quo fit, ut craniū immobile, quasi murus, ipsi sit circundatū. Quòd si hepati aut uentriculo septum eius generis aliquod circunfusum fuisset, ubi cibus & potus exciperetur? ubi fœtus moles reconderetur? Quæ deniq; excernerent superflua, si nullus illis præesset musculus?

*Thorax cur ex ossibus simul et musculis cōstet.*

At thorax motū penitus amisisset, si ex solis constaret ossibus. Sin uerò contrà ex solis musculis, inciderent hi pulmoni & cordi, nemine eos explodente. Vt igitur simul quidem spatium intus esset, simul autem totum instrumentum moueretur, musculi alternatim fuerunt ossibus interpositi.

*Lac esse recremētum utilis alimenti.*

*Lac, quibus animalib. colligi in pectore nequeat.*

Quod uerò ad mammas spectat, quum lac utilis alimenti superfluū sit, iure optimo quibus animantibus in cornua & alia id genus, in partibus superioribus copia superfluorum absumebatur, in his quidem ad thoracem non poterat aceruari aliud utile recrementum.

*Mammas inesse plures numerosam uno partu prolem ædentibus.*

Vnde ad uentrem eorum, ex thorace natura mammas deduxit: atq; illic numerosam quidem uno partu prolem ædentibus, multas: contrarijs autem binas tantùm apposuit.

*Mamma quib. in pectore duæ.*

Porrò quibus animalibus in partibus supernis superflui nihil absumit, his in pectora eas collocauit. Et si unū aut duo concipiant, duas: sin uerò plura, duas quidem in pectore, alias uerò inferius adhibet.

*Mammas tegumento esse cordi.*

*Lac gigni ex sanguine elaborato.*

*Mammarū uasa unde exoriātur.*

At in homine meritò mammæ pectori adhærent, ubi & cordi tegumēto esse possunt, utpote glandulosę existentes, crassitię indumentis persimiles, & multò melius quàm alibi, ex sanguine in uenis elaborato, copiam optimi lactis conficere. Siquidē ex uena caua, ubi iam prope claues peruenit, natura duas uenarū cōmemorabilium, ac duas item cum eis arteriarū propagines, quatuor simul eas infra per totū pectus deduxit: eoq; modo binas demū utriq; mamillæ inseruit, in tam longo isto itinere id molita, ut plurimū in uasis esset sanguis percoctus.

*Lactis elaborationi quæ conferant.*

Qui quū fertur sursum, per cor sanè iter facit: rursusq; deorsum tendens, occurrit: exagitaturq; semper quidem à motu thoracis, & in his eiusmodi uagationibus incalescit, parti perpetuo motu præditæ diu immoratus: quæ omnia simul ad perfectam ipsi coctionem conferunt.

*Mammæ quando hæreant ad pectus masculis.*

Porrò quibus animalibus mammæ in pectore sunt, seruantur & in masculis: quibus uerò in uētre solū insunt, non adhuc seruantur, nisi partus similitudinem corporis cum matre potius quàm cum patre obtineat.

*Fœminas omnes esse masculis frigidiores.*

In uniuersum autem constat, omnem fœminam esse masculo frigidiorem.

## GALENI PERGAMENI de Vsu partium lib. VIII.

*Collum fuisse factum gratia asperæ arteriæ.*

*Collum nasci, interireq; cum pulmone.*

AT collum fuit constitutū unius asperæ arteriæ gratia, uideturq; ob id semper unà cum pulmone interire. Quam obrem pisces omnes, quòd pulmonem non habeant, collo carent: contrà autē, quibus animalibus inest pulmo, ea & collo prædita sunt, & spiritū attrahunt in pulmonē per arteriā asperā, rursusq; eijciunt per eandē.

*Efflatio exstitit uocis materia.*

*Larynx est principalissimū instrumentum uocis.*

*Pharynx.*

*Ligula.*

Ad hæc efflatio, quæ uocis materia est, eiusdem arteriæ est actio, citra quam nec uox efficitur. Estq; primum & principalissimū uocis instrumentum (cui larynx nomen est) finis superior asperæ arteriæ, quam etiam pharynga nominant, quemadmodū & ligulā, quæ laryngi incumbit.

*Collo priuata sunt muta.*

Idcirco, si pulmoni aspera arteria est affinis, tantosq; animali usus præstat, eius sanè gratia collum formatum extitit: ob idq; priuata collo animalia, sunt muta. Etenim quum in thorace contineat pulmo, asperaq; arteria ex ipso emergens, ad os, magno interuallo semotū, necessariò pertineat, spatium sanè quod ori & thoraci interiacet, quum asperæ arteriæ sit transitus, eorum etiam extitit uia, quæ tum supernè deorsum, tum infernè sursum feruntur.

*Spinalē medullam muniri à uertebris.*

*Glandulas replere diuisiones uasorum.*

*Cutis operimentum commune.*

Ac supernè quidem feruntur deorsum nerui, stomachus, musculi, & spinalis medulla: infernè uerò sursum uenæ, arteriæ, atq; ipsa pharynx. At spinali medullæ munimento sunt circumpositæ uertebræ: uasorū uerò diuisiones glandulæ replent: membranæ item ac ligamenta quædam, muniunt simul prædicta & colligant. Quibus omnibus cutis commune operimentum existit.

*Colli longitudo in uarijs animalibus uaria.*

Animalia quæ alimentum sibi à terra ore suppeditant, collum habent longitudine cruribus simile. At homo, & quæ similia ei animalia sunt, quum propter pharyngē collū, & illam uocis & respirationis gratia possideat, magnitudinē etiam colli sortiuntur tantā, quanta pharyngi necessaria ad prædictas actiones erat.

*Colli uertebræ quibus partibus neruos largiantur.*

Ad hæc etiā, quū oporteret partes eas quæ ad humerum, brachiū, ulnam, extremā manū, ac deniq; septum transuersum spectant, à spinali medulla colli neruos accipere, horum neruorū gratia, in spatio inter caput atq; thoracē medio, alij generati sunt spondyli, ex quibus collum conflatur. Caput autem plurimis usum est propter cerebrum factum fuisse, ob eamq; causam sensus omnes in se continere, tanquam seruos quosdam & magni regis stipatores.

*Cancros carere capite.*

At cancris & alijs molli crusta in-

tectis, caput quidem non est: particula tamen quæ sensuum dux est, ac motus uoluntarij, omnino certè eis in thorace consistit, ubi omnia ipsis sensuũ instrumenta insunt. Itaq; quod in nobis est cerebrum, id in illis sanè animalibus erit pars ea, ad quam prędictorum quodq; refertur.

*Aristotelis opinio refellitur.*

Cęterùm existimare, caloris qui cordi inest refrigerandi gratia, cerebrum fuisse constructũ (qualis fuit sententia Aristotelis) omnino absurdum uidetur, nec absimile, ac si quis dicat, calcaneum cordis causa extitisse. Nam qui obsecro fieri potest, ut cor assidua respiratione aëris commodissimè refrigeratum (utpote refertum arterijs & uenis, quibus nulla est calidior in corpore animalis particula) à cerebro quod remotissimum est, crassissimisq; interceptum ossibus, ac semper ipso aëre calidius, aliquod refrigerium desideret? Etenim ubi cranium est fractum, id curamus præcipuè, ut quamcitissimè ossa fracta excidamus, ne uidelicet ipsum cerebrum occursu aëris refrigeretur: id quod certè esset malorum ultimum, illi cui fractum est caput. Atqui si aër cerebro esset calidior, haudquaquam refrigeraretur ab eo. Nunc autem uel si æstas fuerit, refrigeratur facilè, indigetq; etiam tum foueri citissimè, tanquam non solùm id non sit frigidum, sed ne citra molestiã quidem occursum substantiæ frigidæ toleret. Aut quomodo satis cordi refrigerando esse potest, cor autem non multò magis cerebrum supra se positum possit excalfacere, quum calor omnis feratur sublimè? Cur etiã, ad cor quidem obscura quædã apophysis ab ipso pertinet, sensuum uerò instrumenta à cerebro portionem immensam recipiunt? Etenim in utranq; aurem insignis neruus unà cum meningibus insertatur. In utrasq; etiam nares portio cerebri pertinet, multò maior ea, quę ad aures peruenit. Similiter in utrunq; oculum, unus quidẽ mollis neruus in radicem ipsius, unus autem durus, in musculos mouentes inseritur. Ad linguã uerò, nónne quatuor, duo quidem molles per palatum tendunt: duo autem duri, secus utranq; aurem feruntũ? In uniuersum autem omnia cum ipso cerebro communionem habent. Quod quidem quum longinqua quidem refrigeret, proxima autem non afficiat similiter, monstrũ quoddam esse mihi uidetur. Fieri autem non potest, ut particulæ alicuius utilitatẽ ritè exponamus, nisi tonus instrumenti actionem prius inueneri mus.

*Cerebrum semper esse calidius aëre.*

*Cranio fracto quid agendum præcipue.*

*Cerebri refrigerationem in cranij fractura, esse malorum ultimum.*

*Cerebrum facile ab aëre refrigerari.*

*Calor omnis sublimè fertur.*

*Cerebrum cordi exiguã, sensuum organis immensam neruorum apophysin mittere.*

*Aurium nerui.*

*Naribus demitti portionem cerebri.*

*Oculorũ nerui.*

*Linguæ nerui.*

*Cerebrũ est neruorum, sensusq; & motus uoluntarij principiũ.*

*Cor est arteriarum insitiq; caloris origo.*

Cerebrum igitur principium existit neruorum, sensusq; & uoluntarij motus. Cor autem, arteriarum atq; caloris insiti. Porrò etsi cerebrũ (quod ἐγκέφαλος, hoc est, in capite situm, dicitur) in animalibus capitis expertibus iuxta pectus collocatum cernatur, non ob id tamen aliud quippiam cerebro proportionale, dicemus illis inesse, sed idem ipsum, licet uetus nomen ei non conueniat. Siquidẽ quod sensus ac motus principium est, unum atq; idem est in omnibus animalibus, etiamsi in locis diuersis inueniantur. Quum igitur in animalibus capite destitutis, cerebrum atq; etiam os situr ad pectus, sicuti & aures & nares, manifestum utiq; est, propter nullam earum particularum caput conditum fuisse à natura. Cæterùm eisdem animalibus capite destitutis, ut cancris, balænis, scarabæisq;, oculi sublimes, ut qui duri & robusti futuri erãt, reconditi prælongis ceruicibus insunt, quòd illorum actio locum æditum postularet. Quæ causa etiã fuit, ut qui hostiũ aut prædonum longè infestas incursiones speculantur, muros aut turres altas, aut montes quosdam conscendant. Homini autem, cæterisq; animalibus ei similibus, totos oculos molles necessariò habituris, prælongis ceruicibus oculos imponere erat periculosius. Quum igitur neq; in imo constitui eos, è re ipsorũ esset, natura inuenit qua arte faceret ipsis particulam, quæ alta simul esset, & eos tueri satis posset: suprà quidem supercilia constituens: infrà uerò quas malas appellamus, attollens: internis præterea partibus nasum applicans: ut externis, ossis processum, quod iugale appellamus.

*Animalibus capite destitutis quales oculi insint.*

*Oculorum situs lõgè tutissimus.*

*Sensoria postulant neruũ mollem.*

*Sensorium dum sentit, patitur.*

*Mollia ad patiendũ aptiora.*

*Dura, ad agendum aptiora.*

*Sensorijs quæ uoluntariè mouentur, duplex neruorũ genus inesse.*

Iam uerò sensoria omnia neruum postulãt mollem: neruũ quidẽ, quia is sensuũ est instrumentum: mollem autem, quia sensorium, ut sentiat, pati & affici debet: uerùm quod molle est, ad patiendum: quod durum, ad agendum est aptius. Proinde sensoria quæ motu uoluntario aguntur, ut oculus ipse & lingua, duplex habuerunt neruorum genus, non unum duntaxat molle, perinde ac aures & nares. Quòd si quando alterum eorum læsum fuerit, ea facultas uitiabitur quam lęsus neruus præstabat. Videre nanq; sæpe est linguam, aliàs quidem ad motũ, aliàs aũt ad saporũ dignotionẽ, esse impeditam.

*Neruorum mollium, durorũq; ortus atq; progressus.*

*Linguæ nerui unde oriantur.*

Oriuntũ autem nerui molles, ex mollibus cerebri partibus: duri aũt, ex duris. Rursus illi quidẽ rectà ad sensoria, hi uerò per circuitũ tendunt. Neruorũ itaq; descendentium ad linguam, illi quidem ex inferioribus & anterioribus orti, statim infigun tur in ipsam: hi aũt ex posterioribus, obliquisq; emergentes, circum collum prius obuoluuntũ. Cæterùm molles quidem, in extimam linguę superficiem ad sapores dijudicandos, in musculos uerò ad motum duri disseminantũ.

*Oculorũ nerui.*

*Crystallinus humor, principalissimum uisus organum.*

Eadem porrò ratio est & in oculorum neruis: duri quippe in ipsorum musculos inseruntur: alij uerò in primum & principalissimum uisus instrumentum, humorem scilicet crystallinum. Quorum mollium neruorum nullus ultra sensoria progreditũ: alioqui facilè rumperentur progressi. Ob hanc igitur causam sensoria omnia prope cerebrum esse oportebat. Quod quidem si uerum est, constat utiq; cerebrum propter oculos in capite collocatum esse: reliqua autem sensoria omnia, propter cerebrũ.

*Cerebrum propter oculos in capite collocatur, propter cerebrũ autem sensoria reliqua.*

*Lingua usus.*

*Cerebrum neruis esse simillimũ, mollius tamen.*

*Cerebrum recipit sensus, imaginationesq; & intellectus complectitur.*

*Cerebri pars anterior est mollior mollib. posterior durior, duris neruis gignẽdis.*

Similiter etiam de ore liquet, quòd hoc quoq; adiacere capiti erat necesse: aut potius in se cõtinere linguã, ut quæ ad iudicandos sapores, concinnandum sermonem, ac denique ad masticandos & transglutiendos cibos, neutiquam alibi quàm in ore commodius collocari potuisset. Est autem cerebrum substantia quidẽ neruis simillimum (quorum ipsum principium erat futurũ) nisi quòd illis est mollius. Nam id etiam illi expediebat, ut quod sensus quidem omnes recipit, omnesq; imaginationes, & intellectus complectil. Quia uerò neruorũ oportebat duplicem esse materiã, duplex etiam cerebrum extitit, mollius quidẽ anterius, ad producendos molles: posterius autem durius, quod παρεγκέφαλον

φαλίδα nominant, ad duriorum neruorum generationem. Quum autem mollis cum duro non admodum conueniens futurus esset contactus, dictæ cerebri partes duplicata dura meninge, quæ cõplexura erat totum cerebrũ, dirimuntur, & per meatũ solum, qui sub capitis uertice est, & corpora meatum ipsum ambientia, coniunguntur. Ad hæc, ipsius anterioris cerebri, quę partes duram meningem contingunt, medijs duriores sunt, quum ad patiendi difficultatem, tum ad productionem durorum neruorũ: quales sunt qui oculos mouent: nam à medijs cõmodè molles oriuntur. At ex ea parte cerebri posteriori, mollis neruus penitus nullus producitur. Igitur nerui omnes cõsistentia cerebro sunt duriores, opticis tantùm exceptis, qui cerebro densiores quum sint, duriores eo non apparent, ceu soli ex cerebri substantia ueluti concreta, non tamen exiccata, constati. Qui soli etiam sensibiles quosdam poros in seipsis habere uidentur. Quũ igitur in capite quatuor sint instrumenta sensoria, quæ à cerebro sensus principiũ habent, etsi hac ratione similia appareant, inest tamen eis secundum speciem dissimilitudo, non modò in ipsis sentiendi facultatibus, uerumetiam in corporibus, per quæ facultates ipsæ feruntur. Quandoquidem facultatum alia odorum, alia saporum, alia sonorum, alia est colorum dijudicatrix. Viarum aũt, ea quidem quæ fert ab utroq; uentriculo ad nares, productio est prælonga, nihil ab ipsis uentriculis discrepans. Quæ uerò ad oculos ducit, uariat iam quodammodo & dissidet, non tamen planè certus est neruus. Quæ ad linguam descendit, perfectè quidem est neruus, sed mollis. Quæ deniq; ad aures, nec similiter quidem mollis, nec tamen certè est durus. Quinta uerò uiarum facultatis à cerebro descendentis, fortis simul ac durus est neruus, ad motus quidem, & ad ea quæ crassarum sunt partium sensu tactus dignoscenda, optimè accõmodatus: ad exquisitiorem aũt aliquam dignotionem, cuiusmodi alijs sensorijs inest, admodũ ineptus atq; impotens. Quandoquidem omnia hæc, ut sensus fiat, immutentur omnino est necesse. Immutatur autem non à quouis sensibili omne sensorium: sed splendidum quidem ac luminosum, à coloribus: aëreũ, à sonis: uaporosum, ab odoribus: atq; (ut in summa dicam) simile simili est notum & familiare. Igitur nullum sensoriũ, præterquã uisus, à coloribus immutabitur. Solus etiã uisus sensorium habet lucidum, & purum, splendidumq;, humorem uidelicet crystallinũ. At nullum præstaret usum ipsius sensorij alteratio, nisi eam imaginatio, ratiocinatio, & memoria (quæ ad principem animę pertinent facultatem) perciperent. Producit itaq; cerebrum ad humorem crystallinum quandam à sese portionem, ut affectus eius humoris agnoscat: quę productio sola meritò meatum habuit sensibilẽ, ut per eum, ad lucidum splendidumq; sensorium, maxima copia spiritus à principio ipso transmitteretur. Cæterùm ea ipsa productio, usq; ad uiam quidem quæ fert ad oculum,* mollis, rara, pura, & syncera extenditur: ubi uerò iam elapsura est cranio, securitatis gratia, durior & compactior efficitur. Quum autem in cauitates quæ superciliis subsunt inciderit, amplificatur plurimùm, pristinamq; naturam recipit, sic ut cerebrum esse uideatur. Postea uerò ad pupillã coalescit, eadem ipsa propago quæ oculis inest: ad quam nimirũ propaginem cornea tunica (cui humor crystallinus incumbit) tenuis, alba, & pura quum sit, facilè colorum externorum alterationem transmittit. Quia uerò etiam ad aures propaginẽ quandam à cerebro erat necessium descendere, excepturam occursurum sensibile (quod erat sonus & uox, aut repercussio aëris) os durum ac densum auribus oppositũ, flexibus obliquis instar labyrinthi natura ipsa pertudit, quò frigidi quidem aëris uires integras, flexuum uarietate, sensim exolueret: aliorum aũt corporum exiguorũ impetũ propulsaret. Igitur propter patiendi difficultatem ita constructi sunt auditorij meatus: necnõ uterq; auditorius neruus, durior effectus est, quàm ut ipsi actioni cõueniat. Linguę autem neruus (etsi quartũ hoc sensoriũ dixerimus esse) est mollior, & qualem esse oportebat: quia natura illi poterat oris tegumento ad maximã securitatẽ consulere. Auditorius uerò, ad patiendi difficultatẽ, potius quàm ad sentiendi promptitudinem, fuit comparatus. At solum sensoriũ olfactus intra craniũ consistit, nempe in ipsis uentriculis anterioribus cerebri, qui etiã uaporosum quendam spiritũ continent. Ad cuius quidẽ sensibile transmittendum liberè, & conseruandum, oportebat reperire uiam tantò rariorẽ atq; latiorem auditorio meatu, quantò sensibile huius, q̃ auditus, crassiorũ erat partium. Ferè enim, quantum aër partiũ tenuitate à luce relinquit, tantum uapor etiã ab aëre. Quum igitur cerebri uentriculi loco inferiori sint siti, ex partibusq; sibi propinquis necessariò etiam excrementa affluentia excipiant, ne melior quidem ulla uia excogitari ea potuit, quæ ampla simul atq; decliuis esset. Ac talis quidem est narium meatus, per quem intus foras excrementa excernuntur: foris autem intrò, penetrant sensibilia olfaciendi. Quarum utilitatum, altera ad uitam necessaria est, altera ad commodiorem uitam. Sunt tamen & alij canales duo, qui per palatum in os, totius cerebri excrementa eructant: qui duo soli purgando sufficiunt cerebro, quando animal omnino rectè habet. Quare propter odorum dignotionem potissimum, atq; hac adhuc antiquiorem, & necessariam ad uitam inspirationem in cerebrum, facta sunt illa in nares foramina. Ex abundanti uerò cerebri malè affecti excremẽta repurgant. Opposuit autem natura ipsi olfaciendi sensorio, os quoddam uariè pertusum, uelut spongiam quandam, simul ne aliud corpus durũ extrinsecus incidat, simul ne uiribus integris aër frigidus inspirantibus nobis rectà in cerebri irrumpat uentriculos. Qua ratione etiam, quæ sunt ante meningas ossa, ἠθμοειδῆ à cribri similitudine dicti, spongiarum instar admodum foraminulenta uident, meatibus tortuosis distincta. Quinetiam & dura meninx, quæ cerebrum contegit, similiter perforata est. Cæterùm non facilè per foramina illius expurgarentur pituitosa excrementa cerebri, nec sine magno negotio ipse

*Cerebri anteriora à posterioribus dirimi, intercedente dura meninge.*
*Oculorum motores nerui unde exoriantur.*
*Optici nerui soli cerebro nõ apparẽt duriores.*
*Optici nerui soli, sensibiles meatus sortiuntur.*
*Sensoria in capite quatuor.*
*Facultas sensitrix quadruplex.*
*Productionũ à cerebro ad sensoria discrimina.*
*Neruos duros & fortes præsse motui, conferreq; ad ea quæ crassarum sunt partium, tactu dijudicanda.*
*Sensorium non immutari à quouis sensibili.*
*Simile simili notum & familiare.*
*Visus sensorium quale.*
*Sensorij alterationem, ut fiat sensus ab imaginatione, ratiocinio, & memoria, debere percipi.*
*Visio quo modo fiat.*
*Opticorum neruorum progressus.*
*Cornea tunica qualis.*
*Auditus sensibile, sonus & uox.*
*Auditorij meatus utilitas.*
*Linguæ neruus.*
*Olfactus sensorium solum contineri in uentriculis cerebri.*
*Olfactus sensibile esse crassiorum partium, quàm sensibile auditus.*
*Narium meatus utilitas.*
*Palati foraminum usus.*
*Inspirationẽ in cerebrũ esse necessariam ad uitam.*
*Ossis colatorij usus.*
*Ἠθμοειδῆ ossa.*
*Meningem duram esse foraminulentam.*

uapor ascenderet, qui est sensibile olfactus, nisi utrunque opus inspiratione simul & expiratione, cerebri natura proueheret. Quare illapsu quidē inspirationis, quæ fit à cerebro, promouetur odorum dignotio: expirationis uerò impetu, superfluorum excretio: nempe uehementia spiritus, unà secum excrementa pertinacia trahente. At quę in meatu nimis impacta sunt, ea efflatione expurgantur. Ipsa uerò rursus odorū dignotio, non parum iuuat totam respirationem: non sinens uapores prauos, qui alioqui nos laterent, unà cum puro spiritu ingredi. Porrò unicum fæpe instrumentum multis actionibus sufficit: ut uidelicet tenuis meninx, quæ secundæ persimilis cerebrum stabilit ac tegit, uasaque ipsius omnia colligat. Sed in omnes etiam cerebri partes hæc membrana se insinuat, totum ipsum contexens, extendensque se usque ad uentriculorū capacitatem. Est tamen & tegumentū cerebri crassa meninx, aut potius propugnaculum quoddam, propulsandis oppressionibus cranij oppositū. Tenuis autem meninx, naturale operimentum eius existit. Nam crassa certè ab ipso est seiuncta, excidentibus autem uasis cohærens. Quòd si tenuem illam meningem non interposuisset natura, cerebri cum crassa meninge uicinitas non ua caret dolore. Sola autem si fuisset illa, adhæsisset haud citra noxam cranio. Quū igitur id natura dicendum sit medium, quod eadem proportione ab extremis distat, neutra uerò meninx ad portionem à cranio & cerebro distet, meritò certè, ne cerebrum aut eius operimentū quicquam afficeretur, prior quidem tenuis meninx, post ipsam autem, crassa locata est, quæ quantò osse est mollior, tantò tenui membrana est durior: quantò autem hac tenuis est mollior, tantò tenui cerebrum mollius etiam existit. Duobus itaque medijs & uinculis natura ipsa tutò inter cranium & cerebrum necessitudinē conciliauit. Quemadmodum igitur cerebrum tenuis meninx, sic illam crassa, atque hanc denique cranium ambit, & cōprehendit, eique per multa uincula annectitur: quæ quidem ab ipsa meninge, membranarū instar exorta, extenduntur singula uersus partem cranij sibi è directo correspondentem: inde per suturas progressa, sibi mutuò occurrunt, coaptantur, & coalescunt, cōmunemque ex seipsis omnibus pericranium procreant membranam, quæ cum cranio duram meningem connectit. Iam uerò duo anteriores uentriculi cerebri (qui cerebro spiritum animalem prius & conficiunt, & præparant) inspirationem, & expirationem, ipsamque efflationē efficiunt. Eos autem præstitit esse duos quàm unum, quòd esset infernus canalis duplex, & sensoriū omne, cerebrumque ipsum sit geminum. Prima tamen, maximeque communis geminorum instrumentorum utilitas est, ut si alterum eorum læsum fuerit, subseruiat reliquum. In Ionia siquidem uidimus quendā adolescentem uulnere in alterum anteriorū cerebri uentriculorum accepto, fuisse superstitē: qui ne momentum quidem temporis potuisset uiuere, si uulnus utrunque simul uiolasset. Itaque tutius est, in quibus licet, quod geminum est, quàm quod simplex. At in uno animali duas facere spinas

*Odorum dignotio promouetur ab inspirāte cerebro.*

*Excrementorū expulsio à cerebro expirāte iuuatur.*

*Odorum dignotio iuuat plurimum totam respirationem.*

*Instrumentum unicum pluribus actionibus sufficit.*

*Meningis tenuioris usus.*

*Crassa meningis usus.*

*Meningem tenuem inter cerebrum & crassam consistere: crassam, inter tenuem & cranium.*

*Medium natura quid sit.*

*Pericranium à crassa meninge ortum, cranio illam annectit.*

*Cerebri anteriores uentriculos inspirationem, expirationē, atque efflationem efficere.*

*Sensorium omne esse geminū.*

*Geminorum utilitas.*

*Cerebri altero uentriculo uulnerato, fuisse quendam seruatum.*

non licuit, quare nec duas spinales medullas: ac proinde nec duplex esse cerebri posteriores uentriculus poterat, quum ex ipso spinalis medulla oriatur. Sed quoniam nerui omnes qui sub capite in totum sparguntur corpus, aut ex posteriore cerebro, aut ex medulla spinali oriuntur, uentriculum hunc oportuit maximum esse, à uentriculisque anterioribus per meatum insignē, animalem spiritum antea in illis elaboratum, excipere: per quem nimirum meatum, procedentem ab extremitate communi anteriorum uentriculorum, quem nonnulli quartum uentriculum uocant, cum cerebro, hoc est, anteriori cerebri parte (quę postica maior est) parencephalis, hoc est, cerebellum cōmittitur. Pars autem cerebri quæ supra cōmunem illam cauitatem est sita, ueluti domus tectum, in sphæræ superficiem cōcauam circunducta, haud ab re appellatur καμάριον, & ψαλλιδοειδὲς, quòd testudinis aut fornicis instar sit fabrefacta. Quæ quidem partem omnem cerebri incumbentem, sine labore sustinet. Vndique enim sibi ipsi simillimum est, quod rotundū est, atque orbiculare: ob idque omniū figurarum ad patiendum est difficillimum, omniumque enam est capacissimū, earū quæ æqualem dimensionem sortiuntur. Est autem commodum id minimè contemnendū in organis uniuersis, quæ ad continendū substantias quasdam fuerunt comparata: id quod re ipsa constat, enā in illo meatu, qui à uentriculo, quem cameratum diximus, ducit ad parencephalida. Omnes etenim meatus corporis, quemadmodum & uniuersi uentriculi, secundum ipsorum mediū, omnino sphærici sunt, quòd sic capaciores existant, ac difficilius etiam patiantur. Quum autem uentriculos qui materiales magis substantias recipiunt, expediat esse maiores: minores uerò, qui materias maiorum uirium ac facultatis, hoc est, elaboratas magis & absolutas, continent: sanè uentriculus posterioris cerebri, minor meritò fuit anterioribus. Iam cerebellum ipsum minimè quidem ex magnis flexibus tenui meninge interceptis, ut cerebrum, sed ex multis quidem, & his admodum paruis, alioque modo structis, conflatur. Quia uerò nō in solis uentriculis, sed in toto cerebri corpore continetur multus animalis spiritus, existimandum est plurimum etiam in posteriori cerebro contineri, ut quod omniū qui in totum corpus distribuuntur neruorum principium futurū sit: mediaque illa interualla, quæ partes eius connectunt, spiritus esse uias. At intellectus sequitur non compositionis uarietatem, sed corporis cogitantis, intelligentisque, bonam temperiem. Neque enim bonitas ac perfectio intellectus multitudini spiritus animalis potius attribuenda uidetur, quàm qualitati. Ad principium aūt illius meatus qui uentriculos anteriores cū cerebello cōiungit, appositū est glandulosum corpus, à figura coni κωνάριον dictum: quod quidem cerebri pars nō existens, diuisionē illius magnę uenę explet ac firmat, à qua omnes ferè anteriorū uentriculorum plexus χοροειδεῖς constantur. Extenditur præterea secundum totum meatū inter ambas eminentias cerebri, quas γλουτία, hoc est, paruas nates, appellant, epiphysis quædam uermi similis,

*Ventriculus cerebri posterior omnium maximus, ab anterioribus, per insignem meatū, animalem spiritum recipit.*

*Parencephalis.*

*Καμάριον.*

*Figuram circularem esse difficillimam ad patiendum, capacissimamque.*

*Ventriculus cerebelli cur anterioribus minor.*

*Animalem spiritum contineri non in uentriculis modo, sed etiam in toto cerebro.*

*Intellectus temperiem sequitur.*

*Κωνάριον corpus.*

*Γλουτία.*

*Epiphysis uermi similis.*

similis, ex particulis quamplurimis, cõnexis per membranas tenues, composita: quæ quidem cerebri pars existens, altera parte sui, posteriori cerebri uentriculo annectitur. Inde aũt paulanm adaucta, ac secundũ meatum porrecta, ipsum totum planè obstruit. Cæterũ ubi contracta reflectitur, idq; transuersis flexibus, meatum totum in tantum aperit, in quantũ retrorsum cesserit. Etenim cùm sic in seipsam cõsidens rotundetur, quantum minuitur longitudo, tantum lantudo eius augetur. Quare constat ea sic paulò magis amplificata, in solas meatus partes, quæ ad latissim sunt, strictissimas, nequaquam ingredi posse fines ipsius inferiores. Semper autem tantum de meatu aperitur, quantum de illius conuexitate, in ipsum ingressura, minuitur. Quibus quidem mononibus hoc ipsum corpus transitui spirituum præest, dominaturq;. Alligatur autẽ eminentijs cerebri, ligamentis quibusdam, à quibus utrinq; constricta & coërcita, cõtinetur, ne diuagari possit: cuius quidem epiphysis cõstructione, alia nulla melior potuit excogitari. Nullam siquidem inuenias cõstructionis bonitatem ad actionis perfectionem, meliorem ea, quæ adeò exquisita existit, ut si uel tanillum immutes, tota confestim uitietur.

*Vermiculare corpus trãsitui spirituũ præest.*

## GALENI PERGAMENI
### de Vsu partium lib. IX.

QVum autem succi eius quod ad partẽ confluit, hoc quidem, ceu utile, assimiletur illi: hoc uerò, tanquam alienum, omnino excerni conueniat: certè ad hanc excretionẽ natura meatus opportunos desiderat. Quos nisi nacta fuerit, aceruatum ibi excrementum, primùm quidem instar oneris grauat, deinde prohibet quo minus succi benigni illuc confluant, illorũ uias præoccupans: quo fit ut membrũ nutriri nõ sinat: sed quemadmodũ animalia esurientia, lutum, aut aliud quiduis simile uorant, ita partes accõmodato sibi alimento carentes, cogantur aliquid uel ex ipsis prauis succis attrahere. Vnde postea in ipsis collecta excrementa, putrescunt tandem, ac sic acriora simul & calidiora reddita, inflammationes, erysipelata, herpetas, carbunculos, febres, innumerabilemq; aliorum morborũ turbam exuscitant. Quare magnam semper curam natura adhibuit, ut excernerentur superflua. Quæ cum genere sint duplicia (alia enim uaporosa & fumosa, naturaliter ad sublimia feruntur: alia autem aquosa & limosa, motu suo deorsum decumbũt) uacuandis quidem ijs quæ ad superna uolitant, meatus quosdam tenues in altũ duxit: decliues autẽ & amplos eis subdidit, quæ suo pondere delabuntur ad inferiora. Cæterùm decliues cerebri meatus, tum per palatum in os, tum per corpus nariũ, sensibilia excrementa eructant. At uaporosæ excretiones, præ tenuitate sensum nostrum effugiunt. Porrò in humidis quidem & mollibus corporis partibus, nulla est præscripta recta quædam tali excretioni uia, quũ humidum omne ac molle corpus, cedere quidem expeditè ijs quæ impetu concitatiore per ipsum feruntur: trãsmissis uerò his, rursus coire atq; coalescere soleat. At in duris corporibus, nisi uia quædam prius parata sit, transire per eam nihil potest. Idcirco in cranio, quod cerebri ceu galea quædam existit, cõspicuas ac sensiles uias natura uaporosis his fuliginosisq; excrementis aperuit: simul quidem ipsum cauernosum efficiens, simul & uarijs suturis coarnculatũ. Alioqui nec potuisset caput ipsum purgari, quod quidem quum à subiectis partibus omnia quæ sursum feruntur fuliginosa excremẽta excipiat, largiori eget euacuatione. Ossium autem quæ adaptantur ad suturæ generationem, utrunq; eminentiam habet & cauitatem, non una serie, sed situ alternantes, ut duarum serrarum sese inuicem ingredientium instar, mutuò inter se cohærescant, utroq; nimirum osse cauitanbus suis excipiente eminentias alterius. Quæ structura maximum ad securitatẽ & firmitudinẽ uidetur habere momentum, præter id, quòd etiam per suturas fit transpiratio. Non sunt autem foraminibus pertusa capitis ossa, sed intus cauernulas cõplures sortiuntur, quòd oporteret utrãq; eorum superficiem læuem & æqualem existere, ne uidelicet aspredine sua, quam utiq; foratæ obtinuissent, colliderẽt tum pericranium, tum ipsas meninges cerebri. Crassiora igitur fuliginosorum excrementorũ per suturas solas uacuantur: nam tenuioribus, uel cranium ipsum est peruiũ. Nec uerò ad transpiratum duntaxat, sed ad excidenna enam uasa tenuia suturis ipsis natura est abusa. Non est factum capitis os tenue simul & densum, sicuti neq; densum & crassum, sed rarum, cauernosum, & crassum, quòd sic neq; grauaturum esset, nec uiam in cerebrum breuem, uulnerantibus se, daturum. Meatuum porrò qui ad palatum descendunt, alter quidẽ profectus ex fundo medij uentriculi cerebri, fertur deorsum: reliquus uerò emergit à meatu qui cerebrum cerebello connectit. Fertur autem obliquus deorsum, uersus alterum. Quum uerò primùm simul in idem conuenerint, locus quidam cõmunis, constitutus à tenui meninge, utrosque excipit, cauus ac decliuis, ueluti quædam lacuna, cuius labrũ supernũ absolutus est circulus. Inde magis ac magis arctatus descẽdens in subiectũ adenẽ, manifestam cauitatem habentem, excrementaq; transcolantem, immittitur. Excipit autem hunc, os cribro simile in palatum desinens. Quum igitur locorum omnium quæ in toto sunt corpore, longè tutissimus sit, qui circa adenem prædictum uersatur, inter cerebrum & os palati consistens, meritò retiformis plexus, omnium quæ illic uisuntur maximè admiranda particula, inibi collocatus est, complectẽs quidem in orbem & ipsum adenem, pertingens autem retrò longissimè. Toti siquidem cerebri basi propémodum hic plexus subijcitur, ex maxima portione earum arteriarum quæ à corde sursum ad caput feruntur, contextus. Est autem non simplex rete, sed cuiusmodi uulgaria hæc piscatorum retia, si plura alia alijs cumulata superinijcias. Reliqua porrò arteriarum pars, quæ rectà ad caput ascendit, ubi cranium sunt prætergressæ, medio inter hoc & crassam meningem loco, primùm quidem diuiduntur in crebras, easq; admodum

*Partes destitutas familiari alimento explere succis uitiosis.*
*Excrementa putrescentia quæ mala inferant.*
*Excrementorũ duo genera.*
*Cerebri meatuum decliuiũ usus.*
*Excretiones uaporosas sensum effugere.*
*Corporum humidorum natura.*
*Cranio inesse meatus sensiles per quos fuliginosa excernantur.*
*Suturis cranij qualia ossa desiderentur.*
*Cerebri excrementa crassiora, per suturas expelli.*
*Cranium crassum, rarum, & cauernosum.*
*Cerebri meatuum ad palatum descensus.*
*Lacuna cerebri.*
*Aden subiectus cerebro.*
*Os colatorium.*
*Locus omnium tutissimus.*
*Retiformis plexus ubi locatus*
*Retiformis plexus ex plurimis arterijs contextus.*

tenues arterias: quarum aliæ in capitis anteriora, aliæ in posteriora, aliæ ad læuam, aliæ ad dextram feruntur, inter se mutuò cõplexæ. Postea uerò ex ipsis, ueluti radicibus in truncum suum coalescentibus, coniugatio alia arteriarũ enascitur, ei quę initio à corde sursum ferebatur, æquabilis: eoq; modo iam per crassæ meningis foramina subit ad cerebrũ. Etenim ubi natura uult exactè materiã conficere, diuturnã ei moram in coctionis instrumentis comparat: id quod licet planè uidere in flexibus illis uariciformibus, qui ad testiculos pertinẽt. Venę siquidẽ & arteriæ in primis flexuũ partibus sanguinem syncerũ continent, qui certè in ultimis flexibus ad ipsos testiculos, nõ amplius ruber est, sed iam quodãmodo albicat, exiguũ adhuc requirẽs ad substantiæ seminis generationẽ, quod ei à testiculis cõciliatur. At quanto spiritus animalis cerebri exactiorem semine concoctionem desiderabat, tanto plexus retiformis flexuosior uariciformi existit, ut in eo immoratus diutißimè, pro dignitate coquatur. Generatio aũt animalis spiritus, materiã propriam spiritũ habet uitalem. Quũ igitur anima ratiocinatrix resideat in cerebro, per quod quidem nos ipsi ratiocinamur, necessum fuit in eo contineri plurimũ animalem spiritũ, qualitatis proprietatẽ ex supipsius cõcoctione adeptũ. Quare totũ cerebrũ ijs arterijs multipliciter diuisis contextum est, multęq; ipsarum diuisiones, à basi in ipsius uentriculos desinũt, quemadmodum & uenarũ, ex eius uertice descendentium. Verùm ut hæ quidem in illos excernunt superflua, sic arterię largiter spiritum ipsum respirant. Fruitur autem uniuersum cerebri corpus, tum ipso uenarum sanguine, tum arteriarum spiritu. Siquidem partes omnes facultatem habent, propriam sibi materiam trahendi. Porrò in cæteris corporis partibus adeò propinquæ sunt semper uena & arteria, ut mutuò sese contingant, ac uena semper arteriæ incumbat. At in cerebro, quòd satius esset ex locis diuersis, aut potius omnino contrarijs, uasa in ipsum inseri, à corde sursum per collum uenæ atq; arteriæ ad ipsum usq; caput simul productæ, inde hæ quidem ad plexum retiformem, illę autem ad summum capitis uerticem diuerterunt, cõmunitæ crassa meninge, quæ quidem duplicata, uenas in seipsam mediam recepit: idq; uasis tutißimam præbens uiam, simulq; utraq; sui parte, altera quidem cerebrum, altera uerò cerebellum complectens: ac deniq; ex supipsius duplicatione hac, ualida ligamenta producẽs, quibus caluarię annectitur. Quia uerò ligamenta ea emergere per suturas erat necesse, natura illic suturam à specie Λ græcæ literæ labdoidem dictam, adhibuit. Postquam aũt facta hæc fuerunt, quamplurimis, in transitu sanguinis per crassam meningẽ, foraminibus factis, per ea uenas, alias quidem magnas, alias uerò paruas produxit: sursum quidem, ad cranij duplicationem, quæq; * ex ea oritur, pericraniũ membranam: infernè autem, ad subiectam tenuem meningem. Coëuntes autem in uertice capitis, quæ sanguinem deducunt meningis duplicationes, in locum quendam uacuum, quasi lacunam, quem torcular appellat Herophilus,

*Concoquendis exactè humoribus procurat natura mora diuturnitatem in vasis.*

*Variciformes testiculorũ flexus.*

*Animalis spiritus gignitur ex vitali.*

*Anima rationalis habet sedem in cerebro.*

*Arterias effundere animalem spiritum in ventriculos cerebri.*

*Partium singulis inesse facultatem propriã materiã trahendi.*

*Crassæ meningis vsus.*

*Labdoides sutura.*

*Torcular.*

ibiq; relinquentes bonam portionẽ sanguinis, inde ueluti ab arce quadam, omnibus subiectis partibus, quæ innumeræ sunt, riuos numerosissimos mittunt. Reliquũ uerò sanguinis, riuulus ex ipsius crassæ meningis confectus partibus, in regionem anteriorẽ deducit, à quo quidem medium accedente uentriculũ, magnæ exoriuntur uenę, quę in plexus tenuis meningis disseminantur: cum quibus etiã securitatis gratia aden semper glandulosus extenditur. Quod reliquũ est, rectà secundum longitudinem, ut initio cœperat, prorsum longißimè fertur, multas producens uenas, quę in totum cerebrũ disperguntur. Atq; huic quidem crassę meningis portioni, quę prædictum sanguinis riuum efficit, cerebrumq; in binas partes dispescit, aliam quoq; suturã natura addidit, quæ à uertice ad frontem rectà per caput medium fertur. Ipsius autem ad frontem pertinentis meningis, pars illa quæ meatui distinguenti anterius cerebrum à cerebello, necnõ epiphysi uermiculari incumbit, cũ sursum ad seipsam tendit propinqua corpora, impedit quo minus ab eis productio meatus premuntur. Pari modo & duplicatio illa quæ inest suturæ labdoidi, corpora posteriora incumbẽtia uentriculo, sursum trahit. Nec minus tertia & coronalis sutura, quę per medium anteriorum uentriculorum transuersa fertur, ab omni compreßione subiectos uentriculos liberat, incumbentia corpora in sublime reuellens. Igitur ex productionibus cerebri, maximæ quidẽ sunt quæ ad nares pertinent: quarũ parte utraq; pori sunt oculorum, iuxta quos sunt nerui, qui eorum musculos mouent. At poris opticis coëuntibus prius quàm ex crassa meninge excidant, * ac separatis rursus post eam, qua parte quidem uniuntur, est peluis, quam arteriæ utrinq; tangunt. Cæterùm lingua duplex quũ sit, quemadmodũ & reliqua omnia sensoria, partemq; omnem dextrã sinistrę habeat æqualem (quę ambæ tam molendi transgluttiendiq; cibi, quàm etiã loquendi gratia coaluerunt) meritò in utranq; eius partẽ, à posteriori basi ipsius cerebri, natura propriũ neruum deduxit. Quum aũt omnibus quoq; oris partibus ab ijsdẽ locis sensum gustatoriũ esset melius tribuere, & ad has etiã neruos illinc produxit, uicinitatis atq; situs ratiòne obseruata: quibus etiã adiunxit comitem, ipsam tenuem meningem, ut simul illos nutriret ac tegeret. Vt uerò crassa meninx has productiones admitteret, in modũ fistulæ dilatauit ipsam usq; ad ossa anteriora, quæ illic perforauit, & cum utraq; meninge, partem quidem ipsorum neruorum in ipsam linguam, partem in superiorem, partem in inferiorem maxillam infixit. Ante quorum distributionem, obiter quendam neruum utriq; productum musculo temporali inseruit, duriorem certè illis omnibus, quòd non ad gustum, sed destinatus ad motum esset. Verùm quòd nerui maxillę inferiori, necnon * lingue infixi, decliues ducantur, earum partiũ positio fecit. Qui autem in superiorẽ maxillam feruntur, eos natura uersus anteriora deducẽs, nõ per oculorũ foramina (sic enim offendisset mollißimos opticos neruos, propter quos totus factus est oculus, ut in quibus præcipua

*Sutura recta.*

*Coronalis sutura, per medium anteriorũ ventriculorum cerebri fertur trãsuersa.*

*Cerebri ea productiones sunt maxima, quæ ad nares pertinent.*

*Peluis iuxta cõgressum opticorum neruorum consistens.*

*Lingua duplex.*

*Lingua vtraq; pars à posteriori basi ipsius cerebri neruũ possidet.*

*Oris partes vnde neruos ad sapores dis cernendos recipiant.*

*Temporales musculi quales neruos sortiantur.*

*Maxillæ superioris nerui, qua parte in eam inserantur.*

*Oculus est factus propter opticos neruos.*

cipua pars consistat) sed per aliud tertium prælongum, nec usqueadeò rotundum, quod iuxta magnum oculi canthon est, per quod nerui oculorum musculis inseruntur, traiecit. Plura nanque fecisse foramina, firmitudini ossium non expediebat. Vbi igitur prædicti nerui ad oculorum cauitatem perueniunt, uterque eorum ad nuncupatum malum fertur, perforatis rursus illic, quæ sub oculis sunt, ossibus, transitumque ei præbentibus, ne contingens musculos, aut offendat illos, aut ab eis collidatur: ac sic denique in regionem sibi è directo correspondentē dispergitur. Ergo si exortus illos, qui ad nares feruntur, non numeremus, ceu à quibus nullæ neruorum productiones oriantur, Prima coniugatio erit, mollium neruorū qui ad oculos tendunt. Secunda, eorum qui oculorū musculos mouent. Tertia, de qua nuper differebamus, quæ illinc oritur, ubi pars cerebri anterior, cum posteriori connectitur. Quarta neruorū coniugatio, paulò posterius his est locata, magis quidem quàm priores à basi emergēs. Propagines aūt eius omnes sunt sibijpsis propinquæ. Ac cōmiscetur quidem statim neruis tertiæ coniugationis, cum quibus fertur longissimè: postea tamen seiungitur, totique palati tunicæ inseritur. Exigui porrò admodum sunt hi nerui, neruisque tertiæ coniugationis paulò duriores: quia tunica quę os uestit, durior est, non lingua modò, sed etiam alijs propémodum omnibus faciei partibus. Ob id etiā producuntur ex paulò duriori regione cerebri, quàm nerui tertię coniugationis. Quanto enim magis retrò progredimur, tanto seipso durius effectum cerebrū cernimus. Atque etiam partes quæ ad basim ipsius pertinēt, alijs duriores existunt. Quinta mollium neruorū coniugatio, productiones eas continet, quæ à lateribus capitis, uersus ossa lapidea extenduntur. Earum autem utraque diuiditur in ipso per ossa trāsitu, in duas partes: quarum maior quidem in meatū auditorium inseritur: minor uerò extra craniū in cæcum nuncupatum foramen, quod tamen cæcum non est, licet existimetur tale, ob suam flexuosam obliquitatem. Est & sexta alia neruorum coniugatio, à basi cerebri productorū, qui nondum etiam sunt duri: omnibus tamen prædictis tanto duriores sunt, quanto spinali medullæ propiores. Hæc enim durorum neruorum principium est, ideoque cerebro est multò durior: & quo magis deorsum progreditur, eo durior semper seipsa euadit. Descendunt autem hi nerui usque ad os latum, quæ spinæ extremitas est, in omnia ferè intestina & uiscera distributi, quòd nimirū ea, mollia quum sint, uoluntarioque motu priuata, molles neruos desiderent, ne omnino sensus maneant expertia. Ventriculo tamen præcipuè tales erant ex usu, ut cui adesse exactissimū sensum deficientis cibi, & potionis, maximè conuenιebat. Quare horum neruorū pars maxima in ipsum distributa uidetur, & potissimum in partes ori eius circumiacentes, quæ ob id sensu acutissimo præditę sunt, atque ijs qui uehementer esuriunt, contrahi & conuelli sentiuntur. Ne autem nerui hi, molles quū sint, per longum iter deducti, periclitarentur atque in discrimen uenirēt, membranis for-

*Prima copula mollium neruorum.*
*Secunda.*
*Tertia.*
*Quarta.*
*Oris tunica durior est omnibus ferè faciei partibus.*
*Cerebri quæ partes duriores sint.*
*Quinta molliū neruorum copula.*
*Cæcū foramen.*
*Sexta mollium neruorū copula*
*Spinalis medulla est origo durorum neruorū.*
*Os latum, spinæ extremitas.*
*Sexta copula neruos molles, in quas partes distribuantur.*
*Oris ventriculi partes, cur sensu acutissimo prædita.*

tibus ipsos obduxit natura, corporibusque propinquis connexuit, quæ multa descendentibus illis occurrunt. Quæ connexio plerunque illis etiam corporibus cōmodum adfert non contemnendum: quemadmodū & septimæ coniugationis neruis, quos quidem copulatos illis qui à sexta cōiugatione oriuntur, simulatque capitis osse excesserūt, membranis fortibus circundedit natura, ad unguemque undique cōmuniuit, utrisque cōmune hoc cōmodum machinata. Quippe nerui coniuncti, copulatique, quàm simplices, multò tutiores ab iniurijs existūt. Postea uerò quàm neruos septimæ coniugationis ab ipsis (ubi paululum erant unà cum illis progressi) seiungere ad linguā esset necesse, rursus eos cū arterijs carotidibus iunxit, per totumque cum illis collum traduxit, cōmunibus colligatos membranis. At in thorace, quū arteriæ ad sinistrum cordis uentriculum tenderent, rursus eos separauit, ac dextrū quidem in læuam, sinistrum autem in dextram uentriculi partem, utrunque obliquo ductu inseruit, id quod longè erat tutius, quàm si rectà descēdentes, postea in uentre diuisi fuissent. Porrò illinc nerui septimæ coniugationis oriuntur, ubi & cerebrum desinit, & spinali medullę est initiū, progressi quadantenus unà cum neruis sextæ coniugationis. Pòst autem ab ipsis seiuncti, parte quadam sui, eademque minima, rectos laryngis contexunt musculos: maiori uerò, in totam linguam disseminantur. *In uniuersum autem, ex neruis hi existūt primi, qui exquisitè sunt duri. Nam prædictorum omnium neruorū, nullus similiter durus est, ac hi nerui. Iam uerò in musculos oculorū, etsi prorsus minimos, magni tamen nerui inseruntur, quòd consistentia ij sint molliores, quàm motorijs conueniat. Vtrique etiā musculo temporali, tres infiguntur nerui: duo quidem à tertia coniugatione (de quibus loquuti sumus) tertius autem durior, de quo mox uerba faciemus. Musculi quoque genarum, narium, ac labiorum, ut mole, sic etiam duritia, mediocres neruorum productiones recipiunt. Quum enim per ossa longius ferantur, ex uiæ longitudine ipsis durities accedit. Nerui igitur qui linguam mouent, neque produci aliunde cōmodius potuissent, nec uia uti opportuniore, quàm qua nunc utuntur. Etenim sensifici nerui, simulatque inseruntur, amplificati, tunicā linguæ externam contexunt, subiectos musculos ne attingentes quidem. * Hi autem motorij, qui ad septimam coniugationē pertinent, tenues quidem, sed ualidi, atque in multas fibras soluti, omnes linguæ musculos texunt, idque meritò. Illis quippe sapores dijudicat, his autē lingua monetur: quas actiones duas nō poterat altero genere neruorū præstare. Quum igitur quinta illa (quam memorauimus) neruorum copula, ex obliquis capitis partibus in ossa lapidea emergens, à duobus foraminibus inæqualibus duplex facta excipiatur, eiusque grandior portio per foramen latius rectà ad aures feratur: minor uerò, in angustius, quod cæcum uocant, illapsa per foramen quoddam, quod iuxta aures est, penetret, uiamque omnis media inter huius nerui principium internum, atque finem externum, uariè instar labyrinthi tor-

*Septimæ coniugationis neruos, cum illis qui à sexta oriuntur, copulauit natura.*
*Arteriæ carotides.*
*Neruorum sextæ coniugationis in ventriculum obliqua implantatio.*
*Septima coniugationis nerui vnde exoriantur, & in quas partes disseminentur.*
*Septimæ copulæ nerui, sunt primi exquisitè duri.*
*Temporali musculo vtrique tres neruos insigi.*
*Linguæ nerui sensifici.*
*Linguæ motores musculi à septima oriuntur coniugatione.*

queatur, sanè per hunc labyrinthum, durum illum neruum produxit, qui maxima quidem sui parte latum buccarum aperit musculum: exigua uerò, quæ reliqua est, neruis à tertia coniugatione, ad temporales musculos pertinentibus, copulatur. Ad cuius quidem generationem & deductionem, os illud lapideũ fuit maximè & opportunum, & aptum. Duos porrò mihi neruos cõcipias, unum quidem omnium durissimum, alterũ contrà mollissimũ, ac deniq; tertium inter utrunq; medium ad æquilibrium. Qui igitur inter medium hunc sunt & durissimum, omnes simul duros: reliquos uerò alios, qui ab eodem medio sunt usq; ad mollissimũ, appelles molles. Ac duros quidem ad motũ esse optimè comparatos, ad sensum contrà ineptissimos, iudices. Rursus mollibus esse ad sensum aptitudinẽ exactiorem: sicuti imbecillitatẽ ad robur actionis. Neruorum igitur omnium durorũ principium est spinalis medulla: durissimorũ autem, eius finis inferior. Cerebrum uerò est omnium neruorum mollium origo: ut mollissimorum, quod in medio anteriorum eius partiũ consistit. At substantiæ mediorum neruorum principium ea regio est, quà cerebrũ & spinalis medulla iunguntur. Cæterùm mollium neruorum, alij quidem procedentes siccescunt, ob idq; motorij euadunt: alij uerò perpetuò propriam naturã retinent, ut qui ad uentriculũ deferuntur, quos sensificos semper manere oportebat. Rursus, neruorum tertiæ coniugationis, qui ad ossa quidem maxillæ inferioris * descendunt, magnosq; dentes * prætergrediuntur, ij exiccati, & duriores effecti, iuxtaq; dentes caninos elapsi, in labiorũ musculos disperguntur. Qui uerò per oculorum cauitates ad malarum ossa pertinẽt, adeò etiam duri sunt redditi in transitu, ut eos musculos moueant, qui in superiori maxilla, & in narium alis consistunt. At gingiuæ, dentesq; omnes, necnon tota cutis faciei, cum tunica narium interna, à tertia neruorum coniugatione recipiunt propagines, * sed molæ quidem cõspicuas & magnas, per eam uiam, quæ per genam deducitur: gingiuæ autem & reliqui dentes, tenues & uix conspicuas. Ab his uerò neruis, qui ex regione oculorum ad musculos temporales ascendunt, palpebræ, & quæ circa supercilia sunt omnia, & frons tota neruos recipit. A neruo autem qui ex cæcis foraminibus excidens, temporalibus obscuram mittit distributionem, feruntur quædam propagines ad glandulas & partes illas quæ iuxta aures sunt, atque adeò ad partes maxillarũ tenues. Maxima tamẽ eius nerui pars maxillarũ motum ad latera efficit per latum musculum, de quo postea dicendum est. Ipsa uerò cutis pilosa, sensus gratia duntaxat, propagines paucas & tenues, instar araneæ filorum, ex omnibus subiectis recepit partibus. At cutis frontis, quòd motus uoluntarij sit particeps, coëatq; cum subiecta illi musculosa natura, eodemq; cum illa motu moueatur, fibras neruorum conspicuas adepta est. Porrò labiorũ cutis adeò coalescit cum musculis, ut nec musculum, nec cutim uocare queas, quod ex utrisq; conflatum est: quæ constructio ad illorum exactam continuentiam & diductionem requirebatur.

*Lapideum os.*

*Neruorum mollities ac durities æstimanda methodus.*

*Neruos duros, ad motum: molles ad sensum esse optimè comparatos.*

*Cerebrum est neruorum omnium mollium origo.*

*Labiorum nerui unde.*

*Dentes omnes à tertia neruorũ coniugatione accipiunt propagines.*

*Gingiuæ.*

*Latus musculus.*

*Frontis cutis.*

Iam uerò per foramen illud quod cernitur in maiori oculi angulo, neruus haudquaquam exiguus ab oculorũ cauitate enatus, in internam narium membranã, atq; in palatum etiam (cuius tunica à crassa meninge prolapsa, per foramina oris & narium orta quum sit, ori ac narium membranæ est cõmunis) disseminatur. Porrò crassa meninx, tum suturis, tum fortissimis ligamentis, cum supernis cranij partibus atq; obliquis connectitur, ut minimè cerebrum comprimat. Partibus uerò anterioribus per exigua quædam ligamenta, atq; imbecilla cohæret: ubi nullam membranam producit, qualis partibus superioribus est pericranios tunica. Ad basim autem, ubi crassior est, paucis etiam illis & imbecillis ligamentis fuit opus, quum suopte nutu deorsum semper feratur. Cæterùm in eadem basi portionẽ quandam à se productam, retiformi plexui substrauit, ne scilicet à subiectis ossibus comprimeretur. Conflatur autẽ ex multis ossibus cranium, ut si quando confractum fuerit, rupturæ eius per totum non progrediantur. Verùm cùm caput uelut prælonga quædam sphæra sit, iurè una quidem sutura recta per medium ipsius à posterioribus ad anteriora est extensa: duæ autẽ transuersæ hanc excipiunt: quarum posterior quidem labdoïdes, anterior coronalis uocatur. Fitq; ex illis tribus suturis figura † ⌶ literę similis. In acutis tamẽ & turbinatis capitibus, non omnes eæ suturę cernuntur. Sunt autem in uniuersum tres capitum acutorum figuræ. Prima est, ubi caput anteriorem simul & posteriorem eminentiam amisit. Duæ uerò aliæ figuræ sunt, quarũ altera quidem in fronte, altera rursus in occipitio nullam eminentiã habet. At suturæ capitis rotundi & sphærici, X græcæ literæ sunt persimiles. Vbi caput in occipitio nullum habet tumorem, perit labdoïdes sutura, recta & coronali manente, ex quibus constat sutura instar literæ T. Similiter cùm frontis eminentia perierit, dispungitur coronalis, relictis recta & labdoïde, quæ literam ⊥ reuersam constituunt. At uerò quæ à media sutura æquidistant, & ad utranq; aurem constitutæ, secundum capitis longitudinem deferuntur, rectè squamosæ agglutinationes uocantur: quum non hic ut in suturis ossa sese mutuò ingrediantur, sed extenuata in subtiles quasdã squamas, ad maiorem firmitudinem earum partium, supra ossa descendentia applicentur. Ossium autem in temporibus compositiones atq; structuræ, sicuti & quæ in superiori maxilla cernuntur, suturæ mihi planè esse uidentur.

*Crassam meningem esse connexam cranio.*

*Retiformẽ plexum recipere productionem quandam à crassa meninge.*

*Cranium cur ex pluribus ossibus constet.*

*Suturæ cerebri.* † ⌶

*Capitum acutorum figuræ.*

*Squamosæ appositiones.*

## GALENI PERGAMENI
### de Vsu partium lib. X.

QVod autem in parte corporis anteriore, in quam mouemur, præstitit oculos collocari, eosq; geminos esse, nemini obscurum existimo. Cæterùm non insunt oculi posterioribus etiam capitis partibus, quia ab illis oriri nerui molles non poterant, quales in utrunq; mittuntur oculũ: ad quos quidem dum per ossa contendunt, densantur & compinguntur. Vbi

*Opticorum neruorum progressus.*

uerò

uerò ad illos peruenerint, amplificati denuò, in orbemq; humorē uitreum complexi, sese in crystallinum humorem inserunt, qui existit primū uidendi organum. id quod planè suffusiones ostendunt, quæ inter humorem crystallinū & corneam interiacentes, impediūt uisum, quoad deprimant. Humor autem crystallinus, qui albus est atq; splendens (hac enim sola ratione, à coloribus immutatur) ab humore uitreo nutritur, qui quanto crassior & candidior est sanguine, tātò à crystallino humore relinquitur humiditate & albedine. Hic enim albus est planissimè, ac mediocriter durus: uitreus uerò, humidus quidem est, instar uitri cuiusdam fusi: albus autem, albedine quadam adulterata. Quum igitur in neutro horum humorum sit uena, uerisimile est utrunq; per transumptionē nutriri: crystallinū quidem à uitreo, uitreum autem ab amplificata illa retiformiq; productione, quæ ipsum ambiens, duos usus præstat: primùm, ut crystallini alterationem persentiat: secundum, ut plurimis arterijs & uenis (quas ducit portio tenuis meningis) referta, uitreo humori alimentum adferat. Ipsa aūt productio choroidis tunicæ, non solùm corpus illud retiforme alit, sed quibusdā filamentis tenuibus à se productis etiam texit & colligat. Cæterùm ubi primùm neruus in oculum ipsum inseritur, natura ab eo utrasq; productiones membranarū abducens (quod nusquā in alijs neruis molita est) easq; crassas ac duras efficiens, duram quidē meningē ossibus alligauit, choroidem autem solam diuagari permisit. Quæ quidem tunc destituta suis uasis, ac paulò pòst à supernis omnibus locis, quamplurimas uasorum immissiones recipiens, reuertitur tandem, immensam quandā uasorū tenuium, sibiipsis propinquorū, copiam, ueluti ex foro adferens: cum quibus omnibus rursus in superiorē productionem inseritur. Vbi autem productio ipsius nerui in humorem crystallinum se inseruit (cuius nimirum gratia descenderat) neutiquam amplius progreditur: quandoquidē illic hærēs, affectuū illius uerax cerebro esse nuncius potest. Verumenimuerò quum ipsa insertio in medium crystallinū humorem (qui sphæricus est) undiq; facta sit, necessariò maximus in crystallino circulus describet, illū in duas partes diuideus. Omniū siquidē quæ rotundis corporibus connectuntur, ad maximum in ipsis circulum connexio est tutissima. Ad hunc igitur circulum consentaneum erat humorē uitreum motu ulteriore inhibere. Quocirca medius * in ipso uehitur crystallinus humor, quasi simisecta quæpiam sphæra in aqua. Ab altera etiā interna parte ipsius crystallini humoris, quæ illius ueluti hemisphæriū existit, firmitatis gratia * humores ipsos circulus unus maximus omnium coniunxit: qui quidem utrique terminus existens communis, ligamentū his ipsis efficit, & pręterea corpori retiformi, & quartò ipsi choroidi tunicæ: quæ etiam ut ægrius afficeretur, à crassæ meningis tunica, ut in cerebro, ita hic quoq; circumuestitur. Nam quū hęc ab ea in alijs omnibus partibus, pręterquàm in uasorum productionibus, distet, cum illa tamen in hoc memorato circulo

*Vitreus humor.*
*Crystallinus humor primum uidendi organū.*
*Suffusiones gigni inter crystallinū & corneā.*
*Crystallinū humorem nutriri à uitreo.*
*Crystallinus qualis.*
*Vitreus qualis.*
*Productionis cerebri in oculos, usus.*
*Productio choroidis tunicæ in oculos.*
*Opticum inseri in crystallinum*
*Productionem optici nerui esse veracē nunciū affectuum crystallini humoris, ad cerebrū.*
*Connexionem ad maximū circulum esse tutissimam omniū, quæ circa rotunda corpora fiūt.*
*Crystallinus uehitur in uitreo, ueluti sphæra semisecta in aqua.*
*Circulus coniungens humores oculi.*

iungitur. Quæ quidē quinta coniunctio, pręter illas quatuor in uno loco prædictas, subiectas partes munit, tegit, & roborat. Dura igitur meninx tutò choroidi est applicita: hæc uerò retiformi: retiformis deniq; uitreo & crystallino humoribus: illi quidem, per totum ipsum: huic autem per solam iridem. Itaque per corpora media humor uitreus illi tunicæ omnium extimæ, durissimæq; est unitus. Propè ad illum eundem circulū extrinsecus alia quædam tunica accedit, quæ se in duram illam membranā insinuans, sextam insertionē facit, ἀπονεύρωσις (hoc est, dissolutio neruea) musculorū oculos mouentium, existens. Septima autē præter has omnino est alia, scilicet periostij insertio, quæ totum sanè oculum cum ossibus colligat, simulq; mouentes ipsum musculos operit. Ac cernitur quidem membrana hæc, candida: desinit uerò in circulum cui aliæ omnes subiectæ sunt, ubi albū nigro coniungitur: qui locus tum iris, tum corona appellatur. Quòd si hæc dissecueris probè, circulos uidebis hic septem, sibiipsis deinceps mutuò insidentes, crassitie tamen & colore discrepātes: ut ne si uelis quidem, locum hunc aliter quàm irim appellare queas. Ac primum quidem circulū circa mediū crystallinū, uitreus humor facit. Secundum, retiformis membrana. Tertiū, choroides tunica. Quartus circulus est, qui illa simul comprehendit & colligat. Quintum ædit tunica orta ex crassa meninge. Sextū, quam diximus aponeurosim esse. Septimū deniq; circulum circumscribit tunica quæ à periostio deducit. Iam uerò ipsam meningem duriorē, quæ choroidem (ut dixi) complectitur, ad anteriorem crystallini humoris regionem ipsa natura producens, partem eius maximè mediam, longè tenuissimā ac densissimam fecit, cornibus extenuatis persimilem: unde ea ceratoeides, hoc est, corniformis uocatur, existens instrumēti uisorij fortissimū propugnaculum. Tenuis igitur, dura, & densa cùm esset facta huiuscemodi ceratoeides tunica, protinus utique erat futura splendida, ad splendoremq; transmittendū opportunissima, perinde ut cornua ad amussim polita & derasa. Quod summum artificium naturæ, ut cunctis admirari licet, sic imitari nemini. Quanquam multò facilius est inuenire aliquid, quod animaduersum non fuerat, in ijs quæ facta iam sunt, cauillariq;, quàm inculpata omnia à principio construere. Quia uerò periculum erat, ne ipsa tunica cornea laboraret alimenti penuria, aut durite sua humorem crystallinū collideret: aut deniq; immissam oculis supernè uisoriam facultatē (cuius substantia est splēdida) suo splendore discuteret, his incommodis omnibus natura præsidio unico occurrit, quod declarabimus postea. Quòd autem uehementi splendore oculi nostri offendant, docuerunt id quidē milites Xenophontis, qui per multā niuem iter facientes, uehementer læsi oculis fuerunt. Experti sunt etiam id illi miseri, qui ex obscurissimo carcere in splendidissimam domum, calceq; illitam, & læuigatam, à Dionysio tyranno repentè ducti subitò occæcabantur, minimè repentinum illum occursum splendidæ lucis ferentes. Quare meritò sanè pictores, quum

*Oculi humoribus quæ productiones incumbant.*
*Ἀπονεύρωσις musculorū mouentium oculos.*
*Periostij insertio.*
*Iris.*
*Circuli ad irim oculi, septē, quē seruent ordinē, & à quibus oriantur.*
*Ceratoeidē tunicam gigni à crassa meninge tenuiori reddita.*
*Naturæ artificium admirari, nō imitari possumus.*
*Oculi offendantur à uehementi splendore.*
*Xenophontis milites.*
*Dionysij tyranni inclementia.*

M

*Pictores fuscis et coeruleis coloribus recreare atque reficere visum.*

pingunt in corijs albis, à quibus uisus offendit, colores fuscos ac cœruleos opponunt, in quos subinde intuentes, recreant atq; reficiũt oculos.

*Ophthalmia laborantes offendit lux & coarguit.*

Similiter ophthalmia laborantes offendit lux & *redarguit: qui tamen fusca & cœrulea sine dolore intuentur. Percipere etiam clara nos à longinquo cupientes, ad supercilia manus obtendimus.

*Astra videri à nobis per defectus solis insignes: quæ etiam cernimus ex profundissimis puteis.*

Quare in magnis solis defectibus stellæ nobis apparent, quas cernimus etiã ex profundissimis puteis, potissimum quando non est sol in meridie. Quòd si solem ipsum explicatis oculis intueri uelis, illos celeriter perdes: quemadmodum contigit multis, qui post eclipsim solis, fixis oculis ipsum quum intuerentur, nosse affectum eius cupientes, prorsus sunt occæcati.

*Flammula sub ardenti sole marcescit, extinguiturq; prope maiorem flammã.*

Etenim si flammulam quandam exiguam in sole luculento constituas, marcescet: imò extinguitur etiam, si eam prope aliam maiorẽ flammam locaueris: quum minor lux à maiori uincatur semper, ac dissipetur.

*Choroidis tunicæ origo & colores.*

Ne igitur crystallini & uitrei humoris splendor, à splendore corneæ discuteretur, natura ipsam choroidem tunicam, à tenui meninge ortam, ex iride unà cum cornea promouens, multis partibus illam tum nigrã, tum fuscam, tum cœruleam, extrinsecus autem densam effecit,

*Choroidis tunicæ usus.*

quò uidelicet tres prędictos usus prę staret: nimirum corneam sibi uicinam alens, eandemq; ne humori crystallino incideret, prohibens: ac uisui deniq; affecto spectaculum medicamentosum existens.

*Palpebras cur claudamus, ubi splendor nos læsit.*

Quæ causa est, ut omnes natura duce, quum lucis splendore offendimur, palpebras repentè claudamus, properantes ad naturale remediũ. Cæterùm humida & mollis instar spongiæ quum sit, qua parte humorẽ crystallinũ cõtingit, ipsa choroides tunica impedimento est quo minus asperitas retiformis membranæ, aliqua ex parte illi noceat.

*Ragoides tunica.*

His omnibus admirabilior est tunicæ huius cœruleæ (quã ragoidem etiã, hoc est, uuiformẽ appellãt, idq; acino uuæ læuitatẽ eius externam, & asperitatẽ internam, haud perperàm comparantes) pupillã uersus, foramen.

*Choroidis tunicæ foramen.*

Ea siquidem in centro sui est pertusa: & quà hoc duntaxat foramen consistit, nulla tunica alia est inter corneam & crystallinũ media: sed ueluti pertenue admodum & candidum cornu,

*Splendorem oculi internũ, cum externo misceri.*

splendor internus cum externo cõmunicat, commiscetur q;.

*Albuginei humoris usus.*

Vt autem quà foramẽ, hoc est, cornea tunica neutiquam humorem crystallinum contingeret, portionem ipsius natura longius foras abduxit: simul autem humorem quendam syncerum & tenuem (cuiusmodi inest ouis) crystallino ipso obduxit: spirituq; aëreo & splendido, omnem pupillæ locum oppleuit. Id quod ex suffusorum compunctionibus disces.

*Suffusionũ purgandarũ ratio.*

Nam quum suffusiones omnes loco inter corneam & crystallinũ medio cõsistant, instrumentum quod deducturũ eam per externum angulum oculi immittitur, in orbem & quoquouersum circumactum, neutrum illorum corporum tangit, tanquã magna à se inuicẽ distent intercapedine.

*Oculo uno clauso, amplificari alterius pupillã.*

Porrò si alterũ oculorũ clauserimus, alterũ aperientes, amplificatã & dilatatam, ac ueluti inflatã pupillã cernemus, quòd illuc maior copia spiritus cõfluat.

*Mortuo animali cur sit laxa pupilla.*

At in mortuo animali, uel si humor tenuis euacuatus non sit, laxa tamen pupilla uidet, quòd nimirum spiritus quidẽ ipse leuior & tenuior existens, facilè ante anatomen euacuetur: humor autem adhuc remaneat, sensibilem euacuationem postulans.

*Phthisis oculi.*

Iis præterea qui maximè sunt ætate prouecti, ob spiritus supernè affluentis inopiam, adeò cornea tunica corrugatur, ut alij quidem prorsus nihil, alij uerò malè, ac uix adhuc uideant. Affectus aũt quẽ φθίσιν appellant, quiq; alteri oculorum *ut plurimum accidit, solius est imminutæ pupillæ, nihil cornea priuatim affecta.

*Spiritus oculi.*

Spiritus igitur ipse, lucidus omnino quũ sit, ad oculorum etiam actionem confert: humor uerò, præter dictum à nobis usum, hoc etiam præstat, ne crystallinus humor ac portio uuæ interna exiccetur.

*Γλαύκωσις.*

*Arachnoides tunica.*

Siquidem crystallini exiccatio γλαύκωσιν morbum inducit, à quo cæcitas uel maximè oritur. Propria ipsius crystallini humoris tunica, & quæ partem illius anteriorem uestit, araneis tenuibus est subtilior & albior: in qua quidem ipsius pupillæ imago, ueluti in speculo quodam conspicitur: quandoquidem leuis est hæc tunica & fulgens, supra omnia specula.

*Choroides tunicæ natura & usus.*

Quod uerò naturali huic crystallini operimento est proximum, uenosum, molle, nigrum, atq; pertusum est. Venosum quidem, quò corneã abunde nutriat. Molle autẽ, ne contactu suo humorem crystallinum affligeret. Nigrum, ut splendorem colligat, atq; ad pupillam transmittat. Pertusum deniq;, ut quem transmisit splendorem, foras emittat.

*Corneæ tunicæ usus.*

Quod autem omnium est extremum operimentum ac propugnaculum, tenue, album, ac durum est, quasi cornu. Tenue quidem & album, ut splendores promptè transmittat: durum, ut tutò conseruet.

*Crystallinus humor cur non sit factus omnino sphæricus.*

Porrò crystallinus humor nõ fuit factus omnino sphæricus, ut & circulos coalescentes in iride facilè admitteret, & per uiolentas plagas aut motus, minimè exturbaretur à uitreo.

*Connexiones in exquisitè rotundis esse fallaciores quàm in planioribus.*

Connexiones quippe ac sedes in absolutè rotundis, sunt fallaciores, quàm in planioribus. Quia uerò cornea tunica maximè exposita erat iniurijs extrinsecis, ob id illam natura, quamuis ex se robustissimã, palpebris, cilijs, circumiacentibus ossibus, atq; etiam cute muniuit.

*Ciliorum usus.*

At cilia quidẽ, quasi uallum quoddã pilorum propulsandis exiguis corporibus, ne facilè oculis apertis inciderent, primo loco constituit.

*Palpebrarum usus.*

Palpebras uerò ipsas, tanquam scuta quædã, ut simul coirẽt atq; complicarent, oculumq; clauderent, si quid fortè maiorũ corporũ in ipsum illaberetur, apposuit.

*Superciliorum usus.*

*Malæ.*

*Nasus.*

*Os iugale.*

Porrò aduersus maiorũ ad hoc moliũ incursus, supernè quidem supercilia locauit, infernè autẽ malas: ad maiorem angulum, nasum: ad minorem deniq;, productionẽ ossis iugalis. A quibus omnibus oculus in medio comprehenditur, atq; illæsus seruatur, cutis motu ad patiendi difficultatẽ non mediocriter conferente.

*Palpebrarũ constitutio.*

Quum igitur ex dura quidem omnino substãtia, sed quæ moueri facilè, & cum cornea uersari sine eius noxa posset, palpebras fieri esset consonũ, atq; etiam connecti ossibus: membranã quam περιόστεον uocant, à superciliorũ labijs natura abducens, in longitudinẽq; tantam producens, in quantã palpebras extendi oportebat, rursus eam per partes palpebrarũ infernas, internasúe reduxit, illamq; non ad

*Περιόστεον.*

principium

principium unde emersit, sed ad subiectos tali principio musculos, qui uniq; oculos mouent, applicuit: indeq; ad iridem usq; produxit, ubi ipsam in corneam tunicam insertauit. Spatium uero inter duas portiones periostij corporis medium, uiscosa atque unctuosa occuparunt, cum membranis quibusdam à musculis ipsis extensis: quo loco quas uocant ὑδατίδας gigni contingit. Ad portionē autem huius cōstructionis, palpebræ inferiores constant, à malarū periostio, quandantenus quidem extenso, reuertente autē rursus ad corneam. Qua parte uero hæc periostios remeare incipit, substantia quædam membrana durior adtensa est, quam τάρσον nomināt, constringens quidem & comprehendens quod conuexum efficitur ex eius duplicatione: sedem autem atq; extensionis rectitudinem palpebrarum pilis suppeditans, propter innatam sibi duritiem. Nam quemadmodū superciliorū pilos, utpote excepturos quod à fronte atque à capite defluit, sibiipsis incidere mutuò præstiterat, ita hos & rectos, & tensos, pariq; & conuenienti intervallo dispositos, necnon autrorsum uergentes, semper conseruari expediebat, ut quiduelrem, & animalcula uolitantia, ut minus illaberent oculis, essent prohibituri. At quū oculi non ex quauis positione uisibilia omnia cernere possiunt, sed illud duntaxat cernant, quod ipsi pupillæ est directum, ob id natura sic disposuit eos, ut possent plurimum circumagi: & cum ipsis totum collum ad motū habile fecit. Qua de causa etiā, non unū, sed geminos oculos cōdidit. Postquam igitur oculorum motus uoluntarij sunt quatuor: unus quidem quo sursum, alius autem quo deorsum, ac duo etiam quibus adducuntur ad latera: consentaneū fuit, & musculos qui motuum illorum duces essent, totidem esse numero: duos quidē à lateribus, nempe unum utrinq; consistentem: alios autem duos, quorum unus est infernus, alter supernus. *Dissoluti nanq; hi omnes in neruosa filamenta, circulum unum efficiunt lati tendonis, in iridem desinentis. Quū uerò oculū circumagi esset melius, natura duos alios musculos, positione obliquos effecit: singulos in singulis palpebris, uersus minorē angulum suprà atq; infrà extensos: quorum beneficio oculum, quoquouersus torquemus. Est & alius quidam musculus magnus circa eorū radicem: constringens quidē ac muniens nerui illius mollis immissionem, ne disrumpatur: oculum autē attollens sursum, ac deorsum cōtrahens, nonnihilq; etiam conuertens. Cæterùm quum partes omnes quæ motu uoluntario sunt præditę, duobus ut minimum egeant musculis sibiipsis oppositis, altero scilicet extendente, atq; flectente altero (nō potest enim ab uno utercq; motus præstari) superiores autē palpebræ motu uoluntario moueantur (inferiores quippe ne mouentur quidē) natura duos exiguos musculos singulis eorū applicuit, sub membrana quę cuti subiacet, atq; à neruosis tenuitatibus tarsi extenditur, delitescentes. Quorum sanè musculorū, alter quidem in maiori angulo apud nasum constitutus obliquè, ad tarsi partem dimidiā, quę illic est, pertingit: alter uerò totus & ipse obliquus, & ad minorem extensus angulum, ad reliquam tarsi partem dimidiam sibi propinquā prorumpit. Dum igitur prior musculus agit, quum caput eius ad maiorem angulum constet, partem palpebræ sibi continuam deorsum trahit. Dum uerò alter, reliquā sursum attollit: ut cuius caput ad superciliū spectet. Trahunt enim musculi uersus proprium principiū. Quòd si uterq; eodem tempore tendant, oculus nō magis erit apertus, quàm clausus: quā euersionem palpebrarū in morbis, Hippocrates ἐκτρόπιον nominat, illam dicens esse signum perniciosissimū. Fit autem affectus is utroq; musculorum conuulso, partemq; tarsi continuā ad seipsum trahente. Cæterùm si alter quidem musculus agat, altero prorsus cessante, aperiri & claudi totam contingit palpebram, quum pars altera tarsi, quæ mouetur, semper unà secum trahat & reliquam. Cuius causa est durities quam illi dedit natura, durū ipsum & cartilaginosum efficiens, in omniq; utriusq; musculi finem inserens. At palpebra inferior minor superiori est constructa: nam si maior fuisset, compli caretur, atq; in seipsam recideret, plurimaq; excrementa colligeret. Non indiget autem motu, quia pusilla & exigua est. Porrò ad utrunq; foramen, quod iuxta magnum angulū est, per quod oculorū excrementa expurgantur in nares, natura carunculam quandam ueluti opermentū apposuit, cuius beneficio contingit, ut excrementa oculorū minimè quidem uacuentur per angulos, ad proprios autem impellantur meatus. Cōfluunt siquidem per foramina illa, in ipsum os atq; in nares ab oculis excremēta. Vnde medicamenta ocularia, nō multò post inunctionem, alij quidem expuerunt, alij uerò emunxerunt. Quam obrem qui carunculam illam neruosam, quæ iuxta utrunq; angulum est, pharmacis acribus colliquarunt, aut resciderunt, ij chirurgi effluxū excrementis ea parte aperuerunt: quem affectum uocamus ῥοιάδα. Sunt in palpebris paulò extra maiorem angulum, tenuia quędam alia foramina, pertinentia usq; ad nasum: quæ quidem tenuem humorem dant uicissim, accipiuntq;, ad symmetriam naturalem seruandam, quæ motuum præstat agilitatem: ad quam similiter perficiendam, glandulæ etiam duæ in utroq; extiterunt oculo, altera infernis, altera supernis partibus hærens: quæ meanbus non obscuris, humidū in illos effundūt, perinde ut glandulæ, quæ linguæ radici adiunctæ, saliuam in os deriuant. Humectaudi etiam eos gratia, pinguitudo est oculis circunfusa. Iam ipsi nerui sensifici (quibus solis uiæ spiritus conspicuæ ac sensibiles insunt) ex diuersis quidem locis cerebri proficiscuntur: progressi uerò (essem enim in diuinissimū quidē instrumentū iniquus, impius aūt in conditorem ipsius, si hæc prędictis non adderem) sibi mutuò cohærent: ac postea rursus à seinuicem digrediuntur, & instar literę X separantur, idq; minimè cōmutati, aut interfecti à se inuicem, sed cohærentes primò, ac post uerò ad regionem propriam diducti, sic, ut ob aliud nihil cōuenisse uideanť, quàm ut meatus suos cōiungerent. Vt autē modū quo fit uisio percipias, intelligito circulum ab uno tantum oculorū cer

*[Marginal notes, left column:]*
*Ὑδατίδες* — *Τάρσος* — *Ciliorum productio & usus.* — *Oculos cernere tantum quæ pupillæ è directo opposita sunt: obidq; uolubiles esse.* — *Oculi quare gemini.* — *Oculorū uoluntarij motus sunt quatuor: totidemq; illos præficientes musculi.* — *Oculorum musculi obliqui.* — *Oculi musculus magnus.* — *Palpebras inferiores haudquaquam moueri. Palpebrarū superiorum musculi.*

*[Marginal notes, right column:]*
*Palpebrarum motus.* — *Musculi semper trahunt uersus proprium principium.* — *ἐκτρόπιον quo pacto fiat.* — *Palpebra inferior cur superiori minor, motûsq; expers.* — *Oculorū excrementa qua parte expurgentur in nares.* — *Ῥοιάς.* — *Glandularum oculorum usus.* — *Glandula linguæ adiacentes* — *Optici nerui soli inesse meatus sensibiles.* — *Opticorum neruorum conspiratio in unū, dubitatioq;.* — *Visionis modus.*

*Circulus quid.* *Centrum quid.*

ni. Est enim circulus figura quæ à medio undiq; distat æqualiter. Ab eius autem puncto medio (quod centrum dicitur) usq; ad pupillam uidentem id, rectam duci lineam existima, quemadmodum plures alias & similes duci à pupilla ad ipsam circunferentiã. At figurã quæ ab his omnibus rectis lineis circuli circũscribitur, conum nomina: cuius uerticẽ pupillã: basim esse circulũ tene. Lineam uerò rectam quæ à pupilla ad centrum circuli extensa est, totius figuræ axem appella.

*Conus.* *Axis.*

Dum autem intelligis conuexum & concauum, intelligis etiam amborum medium, uidelicet læue ac planum, cui nihil nec cauitatis, nec cõuexitatis inest: cuius superna pars, plana superficies existit.

*Laue, medium esse inter conuexum & concauum.*

Quemadmodum igitur si ex axe ipsius coni, qui à pupilla ad centrum circuli per aërem protenditur, milij granũ aliquod pendeat, conspectũ centri pupillæ eripiet, ita quoduis corpus, quod in medio uisus & rei uidendæ positũ fuerit, prohibiturũ est, quo minus id q̃d ante oculos est, amplius cernatur. Quandoquidem ut aliquid conspiciatur, opus est id careat omni caligine, nullumq; inter se & pupillam habeat impedimentũ. Siquidẽ per rectas lineas fit uisio: quę haud dubiè ipsius solis radijs excidentibus per angustum foramẽ, prorsumq; semper rectà & citra flexionem tendentibus, assimilatur.

*Visionẽ fieri per rectas lineas.* *Visionem solis radijs assimilari.*

Sciendũ autem est, unũquodq; corporũ quę uidentur, nec uideri solũ nec nudũ, sed quippiã circum ipsum etiam omnino cerni: quum uisiones quæ corpus id complectuntur, accidant interdum ijs, quæ ultra corpus uidendum sunt.

*Videri nihil solum, aut nudũ.*

Secundò etiam disce, corpus quod à solo dextro oculo cernitur, id si propius sit, in sinistris magis partibus esse putari: sin lõgius absit, magis quodammodo in dextris. Quod uerò à sinistro solo conspicitur, in dextris situm uidetur esse, si id est propinquius: magis autem in sinistris, si est remotius. Quod autem ab utroq;, in medio.

*Visus hallucinationes.*

Tertium præter hæc tibi discendum uenit, alterius oculorũ pupilla compressã, sursúmue aut deorsum adducta, apparere duplicia, quæ antea simplicia apparebant. Cęterùm si deorsum quidem fuerit pupilla detracta, humilius ad apparebit, quod intuebere: contrariũ autẽ, si sursum sublata fuerit. At dum pupillã ad maiorẽ aut minorẽ canthũ adducimus, facimus ut quod cernit, sinistrum magis, aut dextrum appareat, non tamen duplex. Est autẽ necesse axes conorũ uisoriorũ in uno eodemq; plano positionem habere, ne quod est unum, duplex appareat. Verùm prædicta axiomata tametsi rationibus philosophicis, mathematicisq; facillimè comprobari possint, quia tamen experientia ea omnia constant, breuitatis gratia ab illorũ accurata demonstratione supersedebo.

*Pupilla alterius oculorum compressa, apparere duplicia, quæ antea simplicia erant.*

Iam uerò q̀ pori illi optici intra cranium quidem iungantur, atq; in unum conspirent, postea autem diuaricent, utilitates duæ in causa extiterunt: quarum prima ac maxima necessaria est, ne quod extrà intuemur, appareat duplex. Secunda, ut si quando alter oculorũ sit clausus, aut omnino mutilus, in alterum, per illum porum communem, uniuersus spiritus confluat. Quippe facultate uisoria duplicata eo modo, longè acutior futurus est uisus. Quum igitur quæ uidentur, secundũ rectas lineas uideantur: ante humorem autem crystallinum, foramen uueæ sit situm, per quod cum suis obiectis erat habiturus commercium: perspicuum certè iam est, quòd figura exactè rotũda, paucioribus sui partibus, plana antẽ pluribus, cum suis obiectis communicabit. Quocirca diuinus ille architectus, rotundũ ipsum, sed paulò oblongius, crystallini corpus compegit, ut tutior ab ipsis iniurijs esset, ac simul pluribus sui partibus, species rerum uidendarum exciperet.

*Optici nerui cur intra cranium quidẽ iungãtur, postea autem diuaricentur.* *Crystallinus humor cur rotundus simul & oblõgus sit factus.*

## GALENI PERGAMENI de Vsu partium lib. XI.

Porrò musculi temporales, quum gratia inferioris maxillæ à natura sint constituti, secundum magnitudinem cuius, atq; in mordendo robur, suam magnitudinẽ atq; structurã contrahũt: meritò in animalibus quidẽ ijs, quæ serratos dentes sortiuntur, maximi simul & fortissimi habenť: quandoquidẽ nõ solùm magnã, sed ualidam etiam maxillam obtinent.

*Temporales musculi gratia inferioris maxillæ sunt conditi.*

Maximi autem, sed nec neruosi, nec in agendo præpotentes, in asinis, bubus, & suibus, ac breuiter in ijs omnibus, quibus magna quidem inferior maxilla inest, minimè tamen robusta ad mordendum.

*Temporales musculi quibus sint maximi.*

Homini uerò, ceu genam paruam habenti, dentesq; ad solum esum idoneos (non enim in morsu, hominis fortitudo consistit, nec dentibus domiturus est animantia cætera, sed ratione & manibus) musculus temporalis, haud iniuria, debilis simul & minimus extitit: nimirum ipsa natura non modò inueniente quæ oportet, sed ea etiã cuiq; pro dignitate tribuẽte: id quod diuinæ iustitiæ est propriũ.

*Hominis fortitudo non consistit in dentibus sed in ratione & manibus.* *Homini debilis & minimus temporalis musculus inest.* *Iustitia diuina quid proprium.*

Lynces etiã, sicuti & cebi, & simiæ, similiter habent musculos temporales exiles simul & imbecillos. Est autem simia homini quam simillima, illiusq; ueluti imitatio quædam ridicula: ut quæ rotundissimam habet faciẽ, dentes caninos paruos, latum pectus, claues longiores, minimèm hirsuta, quę recta etiã stat bellè, ut & gradiri sine errore, & currere celeriter possit.

*Simia est hominis imitatio ridicula.*

Iam uerò quę animalia prona ore cibum assumũt, ea ut collũ maius, sic prolixiorem habent inferiorem maxillam.

*Collum qua prolixiorẽ habeãt.*

Verumenimuero quũ inter omnes musculos, si temporales potissimum læsi fuerint, conuulsiones, febres, sopores, deliria, symptomataq; letalia inducant, utpote cerebro existentes proximi (neq; enim reperitur ipsis quicquam propinquius cerebro, sicuti neq; ullus musculus, qui per plures neruos ipsi cerebro hæreat) meritò natura eos propemodum totos, ne facilè afficerentur ab iniurijs extrinsecis, in capitis ossibus abdidit, ossa quidem ea quibus ipsi incubant, excauãs admodũ, exculpensq;: alia autẽ dura, ac præcipuè quæ illis præposita, ζυγώματα nominantur, rigida, & medullę expertia, in orbẽ quasi septũ quoddã eis circumijciens: ita ut exigua quædam eorum pars tantùm, ad finem frontis emineat.

*Temporales musculi læsi, quæ symptomata inducant.* *Temporalibus musculis nihil propinquius cerebro.* *Temporalium musculorum situs, securitasq;* *Ζυγώματα.*

Vterq; autẽ musculus temporalis in unum tendonem desinens, curuo maxillę inferioris acumini infigitur: qui si tensus fuerit, sursum eam trahit: ac sic os animalis claudiť. Sunt tamen alij duo musculi

*Os qua ratione claudatur.*

*Maxillæ inferioris musculi.*

sculi in inferiori maxilla, utrinq; unus, ambo uerò nuper dictis oppositi. Qui quidem ex posterioribus oriunt capitis partibus, quo loco sunt quos uocant columnares processus.

*Columnares processus.*

Maxillæ autem inferiori insiguntur statim post flexionem, ad eum usq; peruenientes locum, qui est ad mentum: unus utrinq; ex internis partibus adhærescens. Qui certè si tensi fuerint, os recludũt, quẽadmodum temporales claudũt.

*Os qua ratione aperiatur.*

*Maxillam inferiorem circumagentes musculi.*

Alij autem quidam duo musculi, ad mandibulæ in masticationibus circumactionẽ à natura fuerũt comparati, qui carnosam quoq; genarũ partẽ constituunt. Quorum utrunq; nonnulli non simplicẽ musculum, sed triplicẽ esse existimant, quòd tres ipsorum in maxillam sint insertiones, instar principiorum quorundam. Vterq; enim triangularis existit, habens uerticem iuxta uocatam malam, ubi neruosior est: atq; ex lateribus ipsis, hoc quidem ad zygomatis extremitatem hinc exporrectũ, illud autẽ uersus inferiorẽ mandibulã: tertium nanq;, ueluti basis quædam, prædicta latera partibus inferioris genæ coniungens, secundum longitudinem ipsius extenditur. Mouet autem ac circumagit maxillam, aliàs alijs fibris & insertionibus, ut motibus alijs alios uicissim excipientibus, multiplices fiant actiones in masticationibus.

*Masticatores musculi.*

*Temporales musculi inseruiunt etiam masticationi.*

Quare haud ineptè hi musculi masticatores uocant: tametsi ad musculos tẽporales hęc quoq; appellatio pertineat, quòd dentes inter se uehementer cõmittant, ut si quid inter eos fuerit, cõminuat. Cęterùm cibũ læuigari, atque in partes minimas redigi à molaribus, quasi à molis, masticatorum musculorum est actio:

*Linguam conferre plurimum ad ipsam masticationem.*

ad quam etiam lingua nõ minimum confert, in ore cibos assiduè uoluens, & transferens, quò pars ipsorũ omnis itidem conterat. Maximo etiam ad eam rem ei sunt auxilio fines buccarum inferiores, qui cutacei sunt, spectantq; ad labia,

*Buccarum fines inferiores.*

ad quos perueniũt tenues ac lati musculi, utraq; parte unus, toti collo circumiecti. Mouent enim ab his buccæ, cum labijs, etiam si gena immobilis omnino fuerit. Temporales porrò musculi, quiq; eis infrà oppositi sunt, os aperientes, omnibus alijs musculis hac ratione sunt dissimiles, quòd ex ipsis quidem temporalibus medijs, tendo ille nascatur, qui in coronem sublimem inferioris maxillæ inseritur: oppositorum autem illis musculorum partes, carnosæ in principio ac fine existentes, neruosę in medio cernant: quod in nullis alijs reperias musculis. Etenim quũ medium temporaliũ musculorũ, coronæ quæ motu indigebat, esset directum, tendonẽ iam hinc emergere fuit necesse. At quod pertinet ad os aperientes musculos, quum ab eo loco produci deberent, qui multis instrumentis refertus esset, eorum uterq; tendo excarnis circa tonsillas est factus. Quandoquidem si crassiores essent, penetrare præ locorum angustia non possent. Vbi uerò natura eos extra angustias deduxit, tunc iam paulatim ipsos carne circumuestiens, musculos rursus effecit.

*Ori mouendo, tria musculorũ genera destinata: aperientium nempe, claudẽtium, & circumagentium.*

Tria itaq; hæc musculorum genera, natura ad os mouendũ adhibuit: quorum alij quidẽ aperiũt, alij claudũt, alij uariè circumagũt. Suntq; claudentes quidẽ, maximi omniũ: aperientes autẽ, minimi: magnitudine uerò medij, qui mediam etiam positionẽ sortiuntur. Alij musculi duo ex internis genæ inferioris partibus, qua ipsa est maximè caua, situm habentes, sursum extensi uersus os capitis, musculis temporalibus adiutores sunt dati, ut qui etiam genã sursum trahere queant.

*Faciei musculos omnes recipere neruos à tertia coniugatione.*

Cæterùm neruorũ principiũ omnibus faciei musculis, alijsq; propèmodum omnibus ipsius partibus, tertia neruorum est coniugatio, qui à cerebro proficiscunt. Quorum sanè distributio tam recta, sicuti & aliorum omnium æquissima dispensatio, non fortunæ aut casui, sed arti ac prouidentię debetur.

*Dentes in vniuersum inesse triginta duos, in vtraque maxilla sexdecim.*

*Incisorij dentes.*

*Canini dentes.*

Quod uerò ad dentes pertinet, duos & triginta in uniuersum habemus, uno ordine, in utraq; maxilla sexdecim collocatos: parte quidem anteriore, quos incisores appellãt, acutos ac latos, qui morsu possunt incidere. Proximos autem ijs caninos, inferiori quidem basi latos, parte autem superna acutos: ut si quid propter duritiem ab incisorijs minus scindi potuit, id possint ipsi confringere. Hos maxillares sequuntur (quos etiam molares appellant) asperi & lati, duri ac magni: ut incisa ab incisorijs, ac fracta à caninis, læuigare planè ac terere queant.

*Molares dentes.*

*Dentium radices.*

Ad hæc inter eos, paruis quidem una, duæ autem aut tres maioribus, quatuor uerò maximis insunt radices. Quorum omnium si unumquiduis mente immutaueris, utilitatẽ repentè eorum cernes labefactatã. Pręterea ipsorũ molariũ dentium, medij quidem maximi sunt: qui autem utraq; ipsorum parte locantur, minores existunt:

*Molarium dentium magnitudines.*

quòd minimè congruũ uideatur, angustis quidem oris partibus magnos, amplis uerò dentes exiguos inseri. Quinetiam quum linguam ad radicem esse oporteret ampliorẽ, magnos illic dentes minimè locari præstiterat.

*Genarum processus.*

Habet autem utraq; gena tenues quosdam processus, quorum singuli cauitatibus suis, singulos dentes excipiũt, eosq; ualidis ligamentis adeò constringunt & continent, pręcipuè circa illorum radices, quibus etiã nerui inseruntur, ut non facilè concutiant.

*Dentes inferiores superioribus esse per omnia æquabiles.*

Porrò quòd inferni supernis dentibus omnino æquabiles sint, quodq; dextri sinistris, ac cauitates quidẽ cauitatibus, quodq; numerus utrorunq; sit idem dextris ac sinistris utriusq; maxillæ partibus, nónne id est etiam æquitatis cuiusdã specimen, artisq; potius quàm fortunæ opus? Ad hęc, quòd fortibus animalib. acuti multi dentes, ac fortes sint comparati, quemadmodum etiam ungues: nihil aũt in timidis sit huiusmodi, sed ut fragiles dẽtes, ita lati, molles atq; obtusi ungues, hoc est magis adhuc admirandũ.

*Fortibus animalibus inesse dentes fortes ac multos, quemadmodũ etiã vngues: timidis aũt contrarios.*

*Caninus dens homini vtrinq; vnicus inest, in vtraq; maxilla.*

Verùm quum leones, canes, & lupi, utrinq; multos habeant caninos dentes, homo certè unicum parte utraque caninum dentem produxit: cogitante nimirum natura, se animal ciuile atq; mansuetum effingere, cui robur ac uires essent ex sapientia, nõ ex corporis fortitudine.

*Hominis, animalis mansueti, vires comparari ex sapientia.*

*Incisores dentes esse plures duplo caninis.*

Quantũ igit ad frangendũ quippiam duriorum uidebatur necesse, id ipsum duo satis erant præstituri: proinde incisores plures numero duplo effecit, quòd ipsorũ utilitas latius patebat: & his adhuc plures molares, q̃ ipsorũ usus patêret latissimè. Horũ tamen dentium numerus definitus non est. sed qui longiores quidem habent genas, ijs quinq; insunt

*Molarium dentium numerum definitum non esse: ut plurimũ tamẽ haberi utroq; in latere quinq;.*

*Lingua diuisa serpentibus, cur coierit hominibus.*

*Linguã in omnem partẽ moueri liberè: esseq; geminam, ut sensoria reliqua.*

*Lingua arteria uena, atq; neruus.*

utrinq;: qui uerò minores, quatuor. Maxima tamen ex parte, sunt utroq; latere quinq;, inferiores superioribus semper magnitudine & numero æquales. Porrò lingua, quum animaliũ nonnullis, utputa serpentibus, sit diuisa, in homine partes eius coiuerunt, quòd tum ad sermonem, tum ad comestionẽ, id esset longè commodius. Mouetur autem in omnem partem, idq; liberè: quod requiritur ad perficiundas oris actiones liberas. Quòd si ipsa est gemina, quemadmodũ & reliqua instrumenta sensuum, non alienũ fuit utraq; ipsius parte numero ac magnitudine musculos esse æquabiles. Pari modo enim & duas habuit in seipsam insertas arterias, utrinq; uidelicet unam: duas itidem uenas, ac neruorũ coniugationes duas: unam quidem mollem, alteram uerò duram: atque illam sanè in extremam ipsius pelliculã distributam, hanc autem dispersam in musculos: quandoquidem illa coniugatione sapores discernere, hac motu uoluntario moueri ipsam oportebat. Porrò quòd sedis ac firmitudinis gratia, magna ac fortis ad basim fuit: celeris uerò motus causa, ad extremitatem tenuis: quodq; ab alijs quidẽ musculorũ sursum, ab alijs deorsum, ab alijs deniq; trahatur ad latera,

*Musculi uniuersi trahunt partes uersus propriũ principiũ.*

musculis uniuersis partes ipsas uersus propriũ principiũ trahentibus, mihi certè hęc quoq; cuiuspiam esse prouidentiæ uidentur. Sed ne ipsa fortè aliquãdo exiccata, ad motus tardior efficeretur, quemadmodum ad laryngem, sic natura illi

*Glandularum linguæ adiacentium usus.*

glandulas spongijs similes, unam utrinq; apposuit. A quibus meatus ducti per obliquas atq; inferiores partes, in eam humorem pituitosum eructant, nõ ipsam modò, sed omnia etiam quę infra illam, in eiusq; lateribus sunt, humectantes. Superiora siquidẽ à meatu descendente à cerebro perluunt. Iam illius ligamenti quod

*Linguæ uinculi inferni usus.*

partib. eius infernis inest, quodq; ipsam linguã, ueluti quoddam frænũ, coërcet & temperat, ne aut nimis conuellat à musculis, aut plus quàm par sit soluta diuaget, quis non admiret symmetriã, atq; commoderationẽ? Adeò enim mensurata est, & certa ipsius connexionis cõmoderatio, ut si uel tantillũ adieceris, aut ademeris, totius instrumenti actionẽ uitiaueris. Est uerò &

*Naturam sarcire errores & uitia eorum, qui nos procrearũt.*

hoc summè in natura admirandũ, quòd peccata & uitia eorũ qui nos procrearũt, ipsa sua industria resarciat. Ebrij siquidẽ cum ebrijs coëunt: & qui præ crapula, ubi terrarum sint, nesciunt, cum mulieribus ita affectis consuescunt. Quo

*Geniturę principium uitiari ob genitorũ intemperantiam.*

fit ut geniture principium, statim ea ratione uitiosum fit: postea uerò ob omnimodam intemperantiam illius quæ concepit mulieris, in utero longè deterius reddatur. Attamen aduersus tot errores natura obsistit, cosq; plerunque corrigit, sic ut partus mentis compos ædatur. Etenim quum uniuersi agricolæ primùm quidem, cuiusmodi terræ sua committant semina, diu multumq; prouideant: postea autem admodum etiam caueant, ne multo humore demersa

*Generationem primam negligenter tractari ab uniuersis hominibus.*

putrescãt, aut extabescant frigore, nullus sanè ex hominibus eam in serendo diligentiã adhibuit, neq; in eo quod conceptũ iam est, educãdo, sed quemadmodum in omni uita alijs rebus omnibus seipsos ducũt posteriores, alij quidẽ insatiabilibus uoluptatibus, abdominiq; inseruientes: alij diuitias, aut magistratus, aut deniq; potentiam ambientes: ad eundem modum & ipsam posthabuerunt primam generationem.

*Oris tunicã dijudicare sapores, quemadmodũ lingua dijudicat.*

Tunicam quę omnis oris partes subiungit, à cerebro etiam recipere neruorum molliũ momentaneã portionẽ, ut quo modo lingua ipsa sit etiã dijudicatrix saporũ, iam diximus.

*Uuam conferre ad uocis concinnitatem.*

*Gurgulionis siue columnellæ usus.*

At uerò uua, quã gurgulionẽ & columnellã uocant, ad magnitudinem atq; elegantiam uoci auxiliatur. A qua quidẽ aër ingrediens, inciditur prius, impetusq; ipsius uiolentia, & frigiditas frangitur. Vnde nonnulli quibus ad basim usq; illa fuit amputata, non modò deterius loquuti sunt, uerumetiã frigidiorem senserunt respirationẽ. Pleriq; eiusmodi, pulmone & thorace nimis refrigerato, perierũt.

*Gurgulionẽ nõ esse abscindendum radicitus.*

Ac proinde nunquã ita temerè abscindenda est, ut pars quædã basis nõ relinquat.

*Nariũ foramina, cur obliquè in os detorqueantur.*

Scripsimus autem prius & de foraminibus nariũ, quo pacto mirificè ea os quoddam excipit, uentriculis cerebri prælocatum: tum & de ipsorum in os perforatione, quæ est in palato. Quę quidem extitit, ne inspirationis initium sit secundum rectitudinem tracheæ arteriæ, sed quædam deflexio habeat, ac ueluti ambages, priusquàm spiritus ad arteriã perueniat. Proinde fit, ut spiritus quidem obiter per hunc flexum contemperatus, ulterius tandem feratur: hæreant autem corpuscula exigua, aut si quid fortè ad os usq; permearit, sistatur etiam circa palati columnam: sic nanque uuam ipsam appellant. Hinc fit, ut qui in multo puluere colluctati fuerint, hi paulò pòst emungant puluerem, expuantq;. At nisi prius quidem nasi pori rectà ad caput sursum ferrent, postea autem obliqui ad palatum reuerterent, uuamq; ibi sese excipientẽ haberent, quid obstaret quo minus in arteriã hæc omnia delaberentur? Nam id etiam accidet, si quis per os inspirarit, magna indigens inspiratione.

*Sanis ad respirandum ore nõ esse opus.*

Cæterùm ubi sani homines sunt, ore ad respirandum nihil est opus, nisi quis asthmate multo ac uehementi urgeatur. Quare nasus, primum ordine respirandi instrumentum est: os uerò, si nullus affectus infestet animal, nullo pacto respirandi instrumentum existit. Quum autem nudæ ac eminentes particulæ, quæq; externis iniurijs expositæ sunt, ex ea oporteret esse substantia conditas, quæ neq; contundi, neq; frangi facilè posset, meritò quidem aures ipsas natura cartilaginosas effecit.

*Aures cur sint cartilagineæ.*

Nam si duræ penitus ut ossa extitissent, facilè frangerentur: si molles ut carnes, contunderentur paruo negocio. Nunc uerò mediocriter molles quum sint, eoq; facilè incidentibus cedant, uim illorum exoluunt.

*Aures cur promineant.*

Cæterũ prominẽt aures, ut meatui auditorio operimentũ ac murus existant, simúlque & ipsæ aliquem sonum refundant.

*Hadrianus Romanus consul, quò audiret facilius manus cauas à posterioribus ad anteriora spectãtes obtendebat auribus.*

Quippe Hadrianus Romanus consul, quum haberet læsum auditum, manus cauas, quò audiret facilius, à posterioribus ad anteriora spectantes, auribus obtendebat. Aristoteles etiã dicebat, animalia grandes aures habentia, semper eas agitare, ac circumuertere ad sonos & uoces, usum partiũ à natura edocta.

*Aures hominib. cur immobiles.*

At in hominibus, quũ paruas eas esse oporteret, nihil aut certè parũ iuuare poterant si mobiles ac uer

satilęs

sanles fuissent: ac proinde immobiles sunt, aut obscurũ motum mouentur. Porrò quòd extrinsecus quidem conuexæ, intrinsecus autem cauæ extiterint, factum id propterea est, ne quid meatui incideret, néue ipsæ facilè afficerentur. Vtraq; autem est flexuosa, ut complicari, ac in seipsas replicari facilius posint. Iam uerò quemadmodum boni artifices, præter opus institutũ, artem suam ostentant, sic natura ex abundanti tum aures ipsas, tum omnia humana membra exornauit, ita ut primò quidem actionibus, utilitatibusq; partium incumberet: postea uerò cohonestaret illas, in eisq; uelut operis additamenta, ac ludicra quædam faceret, ut in ipsis nanum carnibus constat. Euidenter quippe partis ipsius turpitudinem, si nuda carnibus fuisset, simiam conspicatus agnosces. Obscurantur tamen ornamenta particularum, à splendore ipsius utilitatis. Pro nihilo siquidem ducitur oculi pulchritudo, sicuti & nasi, & labiorũ ornatus, quòd ipsorum utilitas ualde sit admiranda. Cæterùm partis actio, ut constructione ac generatione prior est, sic dignitate quàm ipsa utilitas est posterior. At uera pulchritudo, ad utilitatis successum, & bonitatem refertur: primusq; partium omnium constructionis scopus, utilitas est. At pili qui in mento oriuntur, non modò genas operiunt, uerumetiam decus mari, ornamentum, & seueritatem cõciliant. Malæ autem & nasus destituuntur pilis, pulchritudinis gratia. Etenim mulieri, totum corpus molle atq; depile, puerorum instar habenti, ipsius faciei glabrities plurimũ ad pulchritudinem addit. Nam quum mores non habeat æquè uenerandos ut masculus, nec forma quidẽ ei ueneranda opus erat. Semper quippe natura, moribus animæ, formam corporis aptam & congruentem effingit. Præterea quum ex humoribus ipsis halitus semper quidam sursum ad caput feratur, crassioribus excrementis illius, ad pilorum alimentũ præcipuè natura abutitur, pilorum inquam, ornatum & tegumentum capiti cõciliantium. In uiris autem, quantò hi mulieribus sunt calidiores, tantò hæc quoq; excrementa sunt plura: proinde duplicem ijs natura inuenit euacuationem, alteram ex capitis, alteram ex genarum pilis. Pilos nõ habet frons, quòd tegi posit à pilis capitis, quantum uolumus: quodq; si eos produxisset, tondere ipsam nobis assiduè fuisset necesse, ꝙ oculis nimirũ incumbat, propter quos etiam motu uoluntario mouetur. Motus siquidẽ cutis undiq; oculis circunfusę, ad oculos exactè aperiendos & concludendos, maximè opitulatur. Porrò quum pili capitis & maxillarum augeri ac minui plurimùm posint, secundum sexus, ætatis, temporum, & locorum naturam: qui superciliјs & palpebris insunt, eandem semper magnitudinem seruant: utpote quorum hi quidem, ne quod corporum exiguorum oculis patefactis incidat, ueluti uallum quoddam, ipsis appositi sint: hos autem instar muri cuiusdam, propulsare oporteat, ac primos omnia quæ à capite defluunt, excipere. Si igiť eos aut minores, aut rariores, aut longiores, aut densiores effeceris, tantundem eorũ utilitatẽ uitiaueris. Postea uerò quàm eiusmodi

*Aures cur intrinsecus quidẽ caua, extrinsecus autem conuexa.*

*Artificiu boni munus.*

*Nasiũ carnes.*

*Particularum ornamenta obscurari à splendore ipsius utilitatis.*

*Pulchritudo uera ad quid referatur.*

*Scopus primus constructionis particularũ, est utilitas.*

*Pilorum menti usus.*

*Mulieres glabra.*

*Mulieri nõ fuisse opus ueneranda facie, quandoquidem nec moribus uenerandis est prædita.*

*Moribus dari corporu formã congruentem.*

*Capillorum generatio.*

*Viris adesse euacuationem duplicem fuliginosorũ excrementorum.*

*Frons pilis nudata.*

*Pili palpebrarum atq; superciliorũ cur eandem magnitudinẽ semper tueantur.*

facere pilos constituit Deus, his quidem durum corpus subiecit, illis autem cutem duram, cartilagini per superiora connexam. Non enim sat erat, eos duntaxat uelle tales esse. Neq; enim si lapidem repentè uelit facere hominem, efficere id poterit. Atq; in hoc opinio nostra & Platonis à Mose dissidet. Omnia enim ipse Deum facere posse arbitratur, etiamsi ex cineribus equum aut bouem facere uelit. Nos autem non ita sentimus, sed confirmamus quædam naturam neutiquã facere posse, eaq; Deum ne aggredi quidem omnino: sed ex ijs quæ facere potest, quod melius est eligere. Etenim quum pilos in palpebris satius esset æquales semper esse magnitudine ac numero, non ipsum id quidem uoluisse affirmamus: illos autem mox factos fuisse (neq; enim id facere potuisset) sed cõtendimus potius eos, etiamsi millies uoluisset, nunquam tamen tales futuros, si ex cute molli producti fuissent: quum nec recti quidem stare possent, nisi in duro fixi essent. Vtraq; itaque attribuimus Deo: tum eius quod est melius, in ipsis opificijs electionem, tum etiam materiæ delectum. Quòd si substantiæ cuipiam molli & carnosæ pilos eos infixisset, non Mose modò, uerumetiam aliquo malo duce uideretur inertior, qui murum in palude, aut uallum iaceret. Nam quemadmodum herbę ac plantæ, quæ ex terra humida & pingui proueniunt, altissimè crescunt: quæ uerò ex petrosa, squallenteq;, paruæ ac duræ, nulliusq; incrementi permanent: ad eundem, opinor, modum & pili, qui ex humidis ac mollibus emergunt partibus, plurimi sunt incrementi, cuiusmodi apparent in capite, axillis, pudendisq;: qui uerò ex duris & aridis, exiles atq; incrementi nullius. Quocirca duplex ipsis origo existit, quemadmodum herbis ac plantis: alia quidem à conditoris prouidentia, alia uerò à loci natura. Ordo autem æqualitasq; ortus ipsorum, discrimen facit. Atq; à loci quidem natura oriuntur pili tum axillarum, tum aliorum membrorum, nullis certis lineis descripti (quemadmodum sunt ij, qui in palpebris sunt, superciliјs, & capite) sed inæquales habẽtes terminos, nulloq; proiecti ordine: quandoquidem à loci humore proueniunt, neq; sunt ipsius opificis opera. Quo fit ut calidis quidem naturis sint plurimi, frigidis autem nulli omnino, aut perpauci gignantur. Quorum autem opifex curã habet, ij in omnibus naturis insunt, calidis, frigidis, humidis, siccis, nisi quãdo prorsus fuerint intemperatæ, cuiusmodi est petrosa atq; arenosa terra. Nõ defluunt aũt palpebrarũ, aut superciliorum pili, nisi in magnis partiũ affectibus. Sed neq; à capite defluũt, nisi etiã in eius affectibus quidẽ, uerùm quàm prædictorũ, minoribus. Nam plantæ quæ in terra dura aridaq; proueniũt, ut generationem habent difficilem, multamq; prouidentiam requirunt, ita non facilè intereunt. Ad eundem uniq; modum & Aethiopum capita, paruos quidem, nulliusq; incrementi habent capillos, præ siccitate cutis: uerùm caluescunt ægrè. Quæ omnia quum opifex prouideret, in palpebris quidem & superciliјs satius esse ratus exiguos quidem & nullius incrementi pilos, uerùm stabiles, gignere, in cute dura &

*Mosaica sententia reluctatur Galenus.*

*Natura non esse possibilia omnia.*

*Deo quæ attribuat Galenus.*

*Pilorum origo duplex, quẽadmodũ herbis & plantis.*

*Pili orti à loci natura.*

*Pili naturis calidis plurimi, frigidis nulli, aut perpauci gignũtur.*

*Pilos à conditoris prouidentia ortos, singulis naturis inesse.*

*Alopecia quando accidat.*

*Aethiopes ob siccitatem cutis habẽt pilos paruos, et incrementi nullius, caluescunt tamen ægrè.*

*Palpebrarũ cutis cur dura cartilagineaq;*

cartilaginoſa radices eorũ, quaſi in lapidoſa quadam atq; argillacea terra, defixit. Iam uerò & circum pudenda pili quoq; neceſſariò proueniunt, (calida enim & humida ſunt hęc loca) operimentumq; ac ornamentũ eius loci partibus prębent, ut nates ano, atq; præputiũ pudendo.

*Pudendorum pili cuius gratia orti.*

*Frontis cutis.*

Frontis cutis cum muſculoſa quadã & tenui ſubſtantia, quę illi ſubdita eſt, unitur: ut partes manuũ internæ, & plantæ pedum, cũ tendone coaleſcunt.

*Cutis totius animalis.*

Tertia uerò præter has differentia cutis eſt, quæ in toto animali uidetur, ſubſtantię quidẽ ſubiectæ hæreſcens, non aũt coaleſcens cum illa.

*Labiorũ cutis.*

Quarta deinde eſt labiorũ, cui muſculi per totum miſcentur. Quòd aũt frons à ſubiectis quidem oſsibus per membranã perioſtiũ diſtincta ſit, ſolaq; ex duabus cutibus mobilibus conſtaus, ac breuiter tota in ſe laxa, ob id certè motu uoluntario mouetur.

*Perioſtion eſt membrana cranio adhæreſcẽs.*

*Labiorum ſubſtantia.*

Cæterùm labiorũ ſubſtantia, quam moueri etiam motu uoluntario oportebat, eiuſmodi extitit, ut eam, aut muſculũ pro cute, aut cutẽ muſculoſam meritò uoces.

*Labijs inſertorum muſculorũ principia quatuor.*

Quatuor aũt ſunt muſculorum ad labia peruenientiũ principia: perſpicua quidẽ antequàm cuti miſceantur: obſcura uerò, & quę à ſubſtantia illius ſeparari nõ poſſunt, ubi ſemel in unum coiuerunt. Quare totidem etiam erunt muſculi, utriq; ſcilicet duo: unus quidem, qui ad læuam: alter autem, qui ad dextram, ipſa circumagat. Capita autẽ ſunt appenſa, alijs quidem ſupernè, uerſus malas, ut qui motus obliquos utriq; labij parti eſſent præbituri. Inferiorum rurſus obliqua quoq; poſitio eſt, quoniã & obliqui ſunt motus. Ac per hos quidẽ quatuor muſculos opifex octo motus inſtituit: quatuor ſanè obliquos, in utroq; labio duos: ac totidem etiam rectos: duos quidem omnino rectos, quũ labia plurimum à ſe tum diſtant, tum etiam in ſe cõmittuntur.

*Labiorum motus rectos fieri à duob. obliquis.*

Nam quemadmodum in carpo & brachio oſtẽdimus ex obliquis motibus rectos fieri, ſic & in labijs accidit. Quare ſi muſculus ſolus utriuſuis labij agat, motus fit ad obliquum. Sin uerò tenſi utriq; fuerint, eo modo iam totũ ſimul labrũ ſurſum quidem à muſculis ſuperioribus trahitur: deorſum autem ab inferioribus. Atq; etiam tenſis fibris externis, labia foras deflectere: intrò autem cedere & complicari, ab infernis accidit: ut ſi duos hos motus, ijs qui planè ſunt recti, adnumeres, octo omnino labiorũ motus reperias.

*Labiorum motus in uniuerſum ſunt octo.*

*Lati muſculi origo.*

Vt autem maximi non ſolùm hi, ſed cum eis etiam illi qui in genis ſunt, motus efficerentur, muſculum latum ac tenuẽ natura extrinſecus ſubdidit, unum in parte utraq; uſq; ad colli ſpinam pertinentẽ, ex omnibusq; ferè colli partibus neruorum maximã uim recipientem. Qui muſculus ad ſermonem & maſticationem ualde confert.

*Naſi alarum utilitas.*

At uerò quum ad inſpirationes paulò maiores & ſubitas, item ad efflationes, naſi alæ non parum conducant, oportuit certè eas mobiles eſſe, idq; pro uoluntatis imperio. Cartilaginoſæ autẽ fuerunt, quòd ea ſubſtantia non facilè contundi nec rumpi poſsit.

*Naſi alarũ muſculi & nerui.*

Verùm muſculi in illas inſerti, ſubtus malas oriũtur exigui, iuxta principia muſculorum qui ad labia deſcendunt. Cum quibus quadantenus coniuncti muſculis, ſemper magis magisq; obliqui digrediuntur ad naſum, recipiuntq; à neruis qui per maxillam ſuperiorem feruntur, exiguas quaſdam propagines.

*Naſi tunica interna, in quem uſum facta.*

Interna autẽ ipſius naſi tunica fuit conſtructa, tum ut illum intus ſuccingeret, tum ut illi ſenſum tribueret: quandoquidem neque os eius, nec cartilago, ſenſum habere poterat.

*Oſsium ſtructura, cuius gratia.*

Porrò cõſtructio oſsium, aut motus gratia, aut perſpiratus, aut tranſitus cuiuſdam, aut partiũ diſcriminis, aut ſecuritatis, & patiendi difficultatis, extitit, ut liquet in ipſarum particularũ propoſitis nobis exemplis.

*Oſsibus medulloſis inſunt utrinq; capita.*

Vbi os medullam habet in ſe, eius finibus utrinque caput inſtar operculi cuiuſdam, ut plurimum uidemus adnaſci.

*Oſſa parua carere medulla.*

Nullum tamen paruum os habet medullam, quòd ſinum nullum habet cõmemorabilem, ſed cauernulas anguſtas & exiles. Nam ſi exiguũ & cauum fuiſſet, careret robore: quemadmodum ſi quoduis magnorum denſum fuiſſet ac ſine ſinu, grauiſsimum foret, ac geſtatu difficile. Omnibus autem imbecillioribus animãtibus oſſa ſunt laxiora & concaua magis: fortioribus uerò denſiora, magisq; compacta.

*Leonum oſſa omnia medulla expertia.*

Quin & leo, qui omnium eſt ferociſsimus, ac fortiſsimus, oſſa omnia medullæ experna habere creditur.

*Oſſa ſunt diſpenſata iuxta muſculorum imbecillitatem & robur.*

Natura quippe, muſculorũ imbecillitatem atq; robur intuita, ad ipſorum portionẽ, oſsium pondera effecit. Quum igitur ad propriam ſecuritatem, durities: ad animalis uerò motum leuitas oſsium requireretur, (nec adeſſe ſimul duo hæc eſſet facile) id oportebat eligere, quod erat cõmodius.

*Motum eſſe ex ſubſtantia animalium.*

Commodior porrò animalibus motus eſt, ut qui ſit ex ipſorum ſubſtantia. Non enim quatenus eſt animal, omnino ab iniurijs eſt tutum: at ex ſeipſo mouetur. In quibus tamẽ propter muſculorum robur, ac totius corporis fortitudinem, utrunq; comparare erat licitum, his omnibus denſa ac dura, inſtar lapidum quorundam, oſſa compegit, ut in leone.

*Oſſa humana qualia.*

Quia uerò homo non eſt æquè fortis ac leo, iure optimo, quę oſſa in eo ſunt maxima, ea non caua modò, uerumetiam laxa extiterunt, plena tamen medulla, quæ proprium alimentum eſt oſsibus.

*Oſsium nutrimentum, medulla.*

Nam quibus cauitas nulla ineſt, ijs oſsibus tale quid in eorum cauernulis continetur. At capitum proceſſus (quos Græci uocant ἐπιφύσεις) non protinus omnia quæ medullam habent ſortiuntur.

*Ἐπιφύσεις*

*Maxilla inferior nullum proceſſum ſortitur, tametſi medullam in ſeipſa cõtineat.*

Quandoquidem maxilla inferior medullæ quippiam in ſeipſa continet, at proceſſum nullum ſortitur, quum ſit denſior, quàm ut proceſſu indigeat, atque ita facilè poſsit medullam ſibi ſine ulla externa epiphyſi claudere. Cauſa aũt cur ſit hoc os brachio & femore denſius, eſt nuditas. Vbi uerò laxitas ſimul & cauitas adſunt oſsibus, eorum capitibus oſſa denſa ac dura, cartilaginis glutinoſę interuentu, adeò fuerunt accuratè appoſita, ut cõmiſsio eorum non facilè cerni queat, niſi oſſa ipſa concocta, aut exiccata fuerint.

*Maxilla ſuperior cur ſit deſtituta medulla.*

At ſuperior maxilla omnino medullæ fuit expers, quòd prorſus non moueretur, ob idq; illi neceſſaria non eſſet leuitas, quemadmodum inferiori. Quare ad ſolam patiendi difficultatẽ, ex oſsium multitudine fuit cõpacta. Nam quũ utilitates haberet diuerſas, ex diuerſis quoq; ſubſtantia oſsibus manifeſtè cõſtatur.

*Malarum oſſa craſsiſsima. Naſi oſſa tenuiſsima.*

Malarũ ſiquidem oſſa, craſsiſsima ſunt: naſi tenuiſsima: reliqua uerò duriſsima. Quum enim oſſa naſi, ſi læſa fuerint, minimam animali

adferant

adferant noxā, multūm ab alijs principalioribus duritie & crassitie uincuntur. Reperitur autem sutura una secundum longitudinem in utraque maxilla, quōd nimirū utraq; corpus sit geminū. Obscura tamē ea in densissimis ossib. est: cuiusmodi est occipitis, frontis, palati, & summæ maxillæ. Quum igitur ossa quæ ad uerticem capitis pertinent, nec plagis similiter essent obnoxia, ut ossa frontis & occipitij, necnon quę in lateribus sunt, euacuationesq; indigerent copiosa: hæc autem uulnera sæpenumero exceptura essent, uacuationemq; non postularent: natura rectè illa quidem rara simul & cauernosa, hæc uerò dura & densa cōstruxit. Palati autem os durum etiam ac densum extitit, q ad basim capitis sit: quodq; ab excrementis quæ per ipsum transfluunt, breui extabuisset, si fuisset laxum. Ossium porrò alis similium productio, ex ipso facta est, sedem simul atq; operimentū musculis oris à lateribus exhibitura. At ossa bregmatis (quę duo laxa sunt capiti desuper incumbentia, ac undique à duris ac densis ossibus circundata) parte quidem posteriore ab osse occipitij, anteriore uerò frontis, utrinq; uerò ab ossibus temporū, meritò lineis fuerunt distincta. Septimum est os palati, quod nonnulli superiori maxillæ, nonnulli capiti attribuunt. Reliqua omnia maxillæ superioris nouē sunt numero: duo nasi: tertium, cui hærent incisores dentes: utrinq; autem duo, quæ molares ac reliquos dentes excipiuut: supra quę alia duo sunt, quæ ad anteriorem zygomatis productionem, atq; internā oculorum cauitatem spectant. Reliqua duo sunt iuxta nasi in os meatus. Porrò articulorum inferioris maxillæ, alteri quidem, qui κορώνη dicitur, zygoma circumposuit natura, maximumq; musculi temporalis tendonem, à quo nimirum os clauditur: alteri uerò mamillares capitis productiones apposuit, ne quando in uiolentis motibus, à subiecta cauitate elabatur. Aperiunt autem os ipsum tum posterior articulus, qui est ad mamillares eas productiones: tum musculi articulum mouentes, oppositi temporalibus musculis.

*Maxillarum sutura.* *Verticis ossa cur rara simul & cauernosa. Frontis ossa cur dura simul & densa.* *Palati os cur durum & densum.* *Ossium alis similium vsus.* *Bregmatis ossa.* *Maxillæ superioris ossa nouem.* *Κορώνη. Zygoma.* *Mamillares productiones.* *Os à quibus aperiatur organis.*

## GALENI PERGAMENI de Vsu partium lib. XII.

SVnt autem partes collo & capiti cōmunes, per quas caput in omnē partem mouemus: id quod sine articulis, ligamentis, ac musculis agere nobis non licet. Porrò articulatio, ossium est cōpositio, propter motum uoluntariū comparata. Cæterūm quæ componuntur, pauciora duobus esse non possunt: oportetq; ut musculi ab uno osse producti, inserantur in alterū. Motus autem fieri non potest, nisi ossa articulentur simul, ac per musculos cōnectantur. At ligamenta, quū ossa in suis articulationibus exactè contineant ne excidant, ad rectè etiam mouendum conferunt: adeò quidem dura existentia, ut in motibus uehementioribus minimè disrumpantur: in tantū autem mollia, ratione cuiusdam humiditatis uiscidæ, quę articulis innutritur, ut tractus ossibus facilè & obsecundēt, & cedant. Quū igitur cartilagine, ligamento, & neruo, corporis machina indigeat: ac cartilago quidem sit durior, neruus autem mollior: medium uerò sit ligamentum: mirabitur sanè natura singulis utitur in omnibus animalis partibus, nunquam loco unius constituens alterum. At uerò cartilago subiungit quodammodo articulos: neruus, quantū habet mollitiei, tantundem & sensus habet. Verùm imbecillior est, quàm ut totos artus mouere & transferre queat. Ligamentū autem ualde colligare potest, nec impedit quo minus membra moueantur: motorium tamen instrumentum esse non potuit, quum nec sensum nec motū habeat, nec ex principio animal mouente, sed ex osse exoriatur. Conuenienter igitur, ubi membrum solo uinculo indiget, ibi solum est ligamentū: ubi uerò sensu solo, neruus: ubi motu uoluntario est opus, utrunq; ibi reperias: neruū quidem, qui missum à ratione imperium perferat, motusq; principium præbeat: ligamentum uerò, quod robur ad ea quæ à neruis mouentur gestanda suppeditet. Proinde mistum quoddam instrumentum motus ex ambobus, primùm quidem in tenues fibras solutis, postea uerò coalescentibus, intercapedinesq; medias mollicarne repletas habentibus, efficere oportuit, quod omnino neruo quidem durius, ligamento autem mollius existens, reliquarū etiam contrariarum affectionum quę illis insunt, medium locum teneret. Atq; hoc quidem instrumentum est tendo, qui ex ijsdem illis fibris inter se commistis conflatur. Tendo igitur primum instrumentum est motus. Musculus autem, ad constituendum ipsum fuit comparatus, carnisq; coagmentatæ & compositæ animali contra iniurias extrinsecas præbet utilitates. Porrò articulus capitis adeò magni est momēti animalibus, ut omnium solus, non dico luxationē magnam, sed ne deflexionē quidem, uel temporis momento ferre queat. Repentè siquidē respiratione ac uoce, motuq; simul & sensu, totum priuatur animal, ipsa nimirum neruorum radice affecta. Est enim principium omnium neruorum cerebrum, in ipsumq;, ueluti in aruum quoddam anima racioci natrix semen mittit: germen uerò inde, ueluti truncus quidam in arbore exurgens, medulla spinalis existit: à quo trunco per totam spinam extenso, deducti nerui quamplurimi, instar ramorum quorundā, in sexcentas propagines distribuuntur. Corpus autē uniuersum, per eos sumit primū quidem & maximè motum: dein uerò, sensum. Cæterùm articulus capitis tutissimā omnium coustructionem sortitur, quòd in seipso radicem neruorū omnium, partes inferiores mouentium, contineat. Accedit ei hæc securitas à ligamentorum crassitie, musculorum multitudine, & ossium exacta compositione. Fortissima enim ligamenta ossa ipsa connectunt: quorum unum maximum ac latum, in orbem totam articulationem complectitur. Alia autem sunt duo mediocriter, instar neruorū, rotunda: quorum alterum quidem, finem productionis prælongæ, uertebræ secundæ, cum capitis osse connectit: alterū uerò transuersum, ueluti angulum rectum efficiens, à partibus primi spondyli dextris, ad læuam pertingit. Octo autem musculi

*Articulatio quid.* *Componendis ossibus quæ requirantur.* *Motui quæ requirantur.* *Ligamentorum vsus et constitutio.* *Corporis machina qua desideret.* *Cartilaginis vsus.* *Neruus quantū mollitiei, tantundem sensus sortitur.* *Ligamentū nec sensum nec motum possidet: oritur autem ab osse.* *Tendonis generatio, ex ligamento et neruo. Tendo primum est instrumentum motus.* *Musculi vsus.* *Articuli capitis luxatio, quā inferat mala.* *Cerebrum esse omnium neruorum principiū.* *Spinalis medulla veluti truncus arboris.* *Neruos largiri corpori motum & sensum.* *Articuli capitis constructio & securitas.* *Capitis articulo octo incumbentes musculi.*

ex ipsis duntaxat partibus posterioribus, articulationi incumbũt, ipsam tegentes simul atq; mouentes. Quum igitur capitis totius motus duos genere esse oporteret: unũ quidẽ, dum deorsum inclinamus, ac sursum attollimus ipsum: alterũ uerò, dum ad latera circumagimus: nec ex duobus simplicibus motibus rectus unus illic effici posset, utrisque priuatim præstitit musculos atq; articulationes efficere. Quocirca dearticulationes ipsæ, duplices, musculorum autem mouentium ipsas, genera duplicia extiterunt, quatuor differentijs comprehensa. Alij enim caput attollunt, alij deprimunt: alij ad dextrã, alij ad læuam circumagunt. Igitur motuũ in utranq; partem gratia, primo spondylo natura duas cauitates indidit, alteram in sinistris, alterã in dextris, capitis cõuexitatibus, quæ ibidem sunt, prorsus æquales. Nam tametsi potuisset natura unum maximum processum, atq; rotundum undique, in primi spondyli maximam cauitatem inserens (quemadmodum in humeri articulo fecit) capiti omnes motuũ differentias præstare, quia tamen sine laxa articulatione & fallaci fieri id non poterat (ob quam nimirum omniũ maximè articulorum, luxationi humerus est obnoxius) maluit paucissimos capiti motus, eosq; tutò tribuere, quàm uarios simul, atq; periculosos. At uerò secundo spondylo utrinque unus dentiformis processus inest, accliuis atq; prælongus, qui robustissimo ligamento capiti connexus est. Atq; eius quidem beneficio caput attollitur, deprimiturq;, quemadmodum per articulos cum primo spondylo ad obliqua mouet. Quum aũt ex partibus anterioribus secundæ uertebræ, ille dentiformis processus exortus, iuueli deberet secundum supremam sui oram partibus primæ uertebræ anterioribus atque internis, meritò natura, uertebræ partem eam excauauit, dentemq; ipsum ibi indidit, ualidum ligamentum atq; transuersum extrinsecus ei circundãs, quod simul ipsum à spinali medulla abduceret (ne uidelicet illam collideret) simul autem ad primæ uertebræ cauitatem alligaret. Quinetiam supernis primæ uertebræ cauitatibus, quæ capitis eminentias excipiunt, aliæ quædam cauitates parte inferna consimiles subiacent, quæ eiusdem primæ uertebræ complectuntur conuexitates. Quarum beneficio neq; uertebræ secundæ cum capite connexio (cuius actio erat caput sursum attollere, deprimereq;) à prima quicquam habet negotij: neq; reliquus motus ad latera, propter articulationẽ cum prima, impeditur quicquã à secunda. Verùm quũ quatuor & uiginti totius spinæ sint uertebræ, quòd in nulla quidẽ alia eiusmodi ligamenta, qualia in prima, cernantur, neq; in hac etiam secundum aliam partẽ, quàm sit expediens, sint facta, nemo opinor audebit dicere id accidisse fortuitò. Musculi qui caput mouent sunt octo & uiginti, aut plures, ipsum in orbẽ circumuestientes: quorum alius aliam habet actionem. Sunt autem ipsorum, octo quidem partibus anterioribus, quatuordecim autem posterioribus, ex diametro sibijpsis oppositi. Alij uerò, utraq; parte duo, quorum hi quidem ex dextris, illi autem ex sinistris, oppositi & ipsi inter se, primùm

*Capitis totius duo motuum genera.*

*Spondylo primo duas cauitates inesse.*

*Humerus omnium maximè articulorũ cur luxationi est obnoxius.*

*Capitis motus sursum deorsumque, & in obliquũ, unde proficiscantur.*

*Dentiformis processus.*

*Vertebras spinæ totius esse uigintiquatuor.*

*Musculos caput ambiẽtes esse octo & uiginti.*

quidem & maximè collum ad seipsos trahunt, cum illo autem & totum caput: natura semper singulis motu præditis musculis opponente alios contrarij motus autores. Musculorũ caput attollentium & inclinantium, octo quidem, ijdemq; parui, retrò, circum articulum ipsum sunt siti: quibus maiores alij in toto collo extensi, per primas quidem fibras, solius capitis motibus inseruientes, eos obeunt, qui ad primam sunt atq; secundam uertebram: per proximas uerò, mouent quinq; reliquas colli uertebras. Cæterũ ex octo musculis, quos paruos esse diximus, quatuor sunt recti motus autores, qui ex osse occipitis exoriuntur, paulò suprà articulationem: inseruntur autem in secundi spondyli posteriorem processum, atq; in partem primi proximã. Reliquorum uerò quatuor, duo quidem, quo modo prædicti, ab osse occipitis nati, foras tamen obliqui digredientes, obliquis primi spondyli processibus inseruntur, motũ totius capitis obliquum præstantes. Reliqui autem duo, primum spondylum secundo coniungentes, obliqui, positionem habent duobus prædictis contrariam, ac motum oppositũ. Illi enim caput habentes obliquum, unà cum eo secundam uertebram ad primam adducunt: hi autem in rectum & naturalem statum, inclinatũ caput reducunt. At tres musculorum magnorum cõiugationes, eundem cum dorsalibus musculis habent motum, quem paulò pòst explicabo. Mouent autem per primas quidem fibras (quæ in primũ & secundum spondylum inseruntur) solum caput: per reliquas uerò, primum quidem reliquos colli spondylos: simul autem cum eis, caput retrorsum agunt. Obliqui tamen, sensim motus obliquos efficiunt. Anteriorum uerò, qui stomacho quidem subiacent, per primas fibras (quæ in primũ ac secundum spondylum defixæ sunt) caput duntaxat flectunt, ac simul obliquis fibris, ad obliqua deducunt: per quas musculorum etiam paruorum propriam habent circumscriptionẽ: per reliquas uerò collum flectentes, simul cum eo caput cogunt nutare. At reliqui sex, non rectum, ut hi, capitis nutum, sed sensim obliquũ efficiunt: cum quo etiam caput in anteriora conuertunt. Quatuor autem alij musculi robusti & magni, utraq; parte duo, dextra * & sinistra, locati, collum ad latera cum parua declinatione mouent: atq; antrorsum, anterior ipsorum coniugatio paululum inclinans, reliqua autem retrorsum: illa sanè ex perforata secundæ uertebræ apophysi productionem habet, hæc autem ex primæ obliqua eminentia nascitur. Fit autem omniũ musculorum actio pro fibrarum positionis modo, quas ut plurimum habent secundum sui longitudinem exporrectas: rarò autem obliquas, ut spinales musculi, qui qnidem recti secundum spinã extensi, fibras in obliquũ producunt. Securitas itaq; articulis capitis, ex ijs quæ diximus, accessit: motuum autem detrimentum, quod eam sequebatur, musculorũ multitudine, magnitudine ac situ uario natura ita pensauit, ut nullus capiti desit motus. Cæterùm omnium musculorum sunt minimi, posteriores, ut qui soli exactè articulationẽ comprehendũt. Aequè

*Musculorũ mouentium singulis, natura oppositos esse alios cõtrarij motus autores.*

*Capitis musculorum actiones uaria.*

*Musculorum actio fit pro fibrarũ positionis modo.*

*Musculis maiori ex parte inesse fibras secundum longitudinem exporrectas.*

Aeque autem opportunam cum his positionem habet prima portio musculorũ stomacho subiectorum, quæ ad flectendum caput est comparata. Verum quod ipsorum est reliquum, progrediturq́; usq; ad quintam thoracis uertebram, flexionẽ rectam efficit, nõ modò uertebris subditis, sed etiam cum eis uniuerso capiti. Postquã uerò ex musculis octo exiguis & posterioribus, qui caput ad obliqua inclinant, rectam quidem erectionem efficiunt, quum coniunctim ac bini agunt: obliquam autem, quando alter eorum solus agit: similiterq́; etiã qui maiores ipsis incumbunt, usq; ad collum extensi: ob idq́; necessum erat quosdam illis parte anteriori opponere musculos, obliquam flexionem ædentes: ideo musculi sex qui ad clauem & pectus perueniunt, fuerunt comparati qui caput possunt flectere, atq; etiam antrorsum circumagere. Pari modo, & musculorum quatuor qui collum flectunt ad latera, si unus solus egerit, ad illum inclinatur. Tota uerò anterior coniugatio, exiguum quiddam flectit antrorsum, nusquam præterea flectens ad latera: quemadmodum & quum posterior agit, paulatim quidem attollitur, in neutram partem se inclinans. Omnibus uerò quatuor simul agentibus, in nullam omnino partem propensum perstat. Quum autem nusquã alibi tantùm alterum os, alterum superet, quantùm capitis os primorum spondylorum ossa, quibus iungitur, magnitudine superat (præter enim inferiorem maxillam sedecim insunt capiti ossa) certè opus fuit multis ac robustissimis musculis, qui pendentes omnino à capite, insererentur, non omnes quidem in primas uertebras, sed illi tantùm quibus licitum esset. Erat id autem tantùm licitum ijs, qui motum rectum ad unguem suppeditant capiti, aut alicui eorum, qui ad obliquũ deflectunt. Meritò igitur nõ omnes qui caput mouent, in primos spondylos insiguntur musculi, sed parte quidẽ posteriore, parui soli: anteriore uerò, prima portio musculorũ stomacho subiectorum: à lateribus parui alij musculi, qui capiti uertebram primam coniungunt: ac proinde paruas uertebras nõ oportuit esse maiores.

*Capitis ossa sexdecim, præter inferiorẽ maxillam.*

At uerò spinam natura animalibus ueluti carinam quandam corporis ad uitam necessariam, nõ ex uno simplici osse molita, intus eius omnes uertebras excauauit: uiam hanc præparans opportunam portioni cerebri, quæ per ipsam erat descensura. Non cõstruxit autem eam simplicem (quanquã ad sedem tutam, & patiendi difficultatem, talis structura erat longè cõmodior) quòd multis ac uarijs motibus animal esset usurum, quibus spina ex unico formata osse, minimè obsecũdaret. Quare natura quidem rectè utrunq; scopum simul considerans, iudicansq́;, priorem quidem dignitate, actionem: post illam autem, securitatem: sicuti rursus, ad sanitatis diuturnitatem, securitatẽ esse quidem priorẽ, posteriorem autem actionẽ: utriusq; scopi, actionis scilicet & incolumitatis, in spinæ uertebris exquisitam fecit miscellam. Quòd autem necessum fuerit spinalem medullam ueluti fluuium quendam ex cerebro, tanquam fonte, manantem, locis omnibus quę præterit, neruum semper immittere, tanquam sensus ac motus riuulũ: lõgeq́; melius sic in uniuersas corporis partes transmitti eas facultates, quàm si nullius interuẽtu, à cerebro per tenuem aliquem neruum dispergerentur, neminem opinor latère. Ad hæc uerò, spina, quòd sit ueluti quædã carina, totiusq́; animalis stabilimentũ, ex duris ossibus est conflata. Quòd autem medullæ spinalis sit uia, ob id intus est caua. Quia uerò ipsi, & uisceribus instar muri est, ea de causa multis propugnaculis in orbem est cõmunita. At quia motus est instrumentum, ob id ex pluribus & paruis ossibus per articulos cõmissis inter sese constitit. Conflatur enim ex quatuor & uiginti ossibus, præter os latum, quod extremæ ipsi subiacet. Maximæ igitur partes spinæ sunt quatuor in uniuersum: collum, dorsum, lumbus, & sacrum os. Ex quibus collum quidem septem spondylis, dorsum duodecim, lumbi quinque, os deniq; sacrũ aut latum, quatuor ossibus constat. Iam uerò læso spondylo, motus simul & sensus omnium partium quæ illi subditæ sunt, læduntur. Quare, ut rectè monuit Hippocrates, si multi quidem spondyli ordine sese consequentes, emoti fuerint, malum id est. Sin uerò unus quiuis ex cæterorum harmonia & compage exierit, exitiosum: quòd illa quidem prima, spinalis medullæ sit circularis, hæc autem secunda, angularis peruersio, qua maximè ipsa medulla comprimitur, sustinere magnam simultaneamq; flexionem non potens. Quia igitur per magnos ac laxos articulos, multumq; dissitos, moueri spina sine molestia non poterat, melius fuit ex multis, paruis, singulis paulùm conferentibus, totam ipsam constari, ut secundum circuli circunferentiam, citra angularem medullæ peruersionẽ, tota flecti & moueri posset. Quũ itaq; necessum sit plures esse in spina spondylos, consentaneum etiam rationi fuerit, cuiq; ipsorum motum inesse proprium: id quod fieri non posset, si duo illi musculi à capite usq; ad os sacrum extensi, haberent fibras secundum longitudinẽ exporrectas, quæ nimirum omnes itidem traherent. Nunc uerò, quum obliquæ in quoq; spondylo fibræ fuerint, tum ad latera circumagere, tum flectere, atque erigere, nunc hanc, nunc illam spinæ partem possumus. Sed quum mouere ipsam spinam sigillatim possimus, poterimus & totam simul mouere, fibrisq́; musculorum omnibus simul agere. Quòd si fibras secundum spinę longitudinẽ tenderemus, simul quidem totam promptè moueremus, singulos tamen spondylos non item. Melior igitur habenda est constructio, quæ utrunq; simul probè præstare potest, necnon conuersiones ad latera, quàm quæ alterum tantùm. Quòd autem propter instrumentorum copiam, quæ locanda ibi omnino erant, primi spondyli magni esse non poterant, nõ obscurum existimo. Sicuti neq; etiam, quòd expediebat subiacentibus quidem semper superiores esse minores: siquidem quod gestatur, minus esse oportet eo quod gestat. Quę causa fuit, cur natura omnium spinæ ossium infimum, fecerit maximum, ipsum ueluti fundamentum quoddam, ossibus omnibus subdens. Secundũ magnitudinis locum habet spondylus illi secun-

*Spina, quæ corporis ueluti quædam carina est, constructio.*

*Spina cur ex pluribus sit compacta ossibus.*

*Dignitatẽ quidẽ actionis, primam esse: secundam autem securitatis.*

*Spinæ usus consistentia, & constructio.*

*Spina constat ex quatuor & uiginti ossibus.*

*Spinæ extremũ, os latum.*

*Spinæ maximæ partes quatuor: collum, dorsum, lumbi, & os sacrum.*

*Luxationum spinæ, quæ pessima.*

*Circularis peruersio.*

*Angularis peruersio spinæ.*

*Spondylorũ singulis fibras inesse obliquas.*

*Gestata ossa, minora esse debere ijs, à quibus gestantur.*

*Os latum, cur omnium spinæ ossium sit maximum.*

dus coniectus. Reliqui autem, quantum situ ad infimo discedunt, tantum & magnitudine distant. Veruntamen quum spinalis medulla transiens per primas uertebras, longè corpulentior existat, quàm ubi ulterius progreditur: consonū fuit rationi, eorum spondylorū latitudinem esse omnium maximam. Quòd si læues etiam debebant esse, ut omnibus alijs incumberent, perspicuum est, quòd eas tenues etiam esse par erat. In hoc tamen uidetur natura summè admiranda, quòd tantā à cerebro produxerit spinalem medullam, quanta maximè partibus omnibus infernis suffectura esset. Siquidem quū in neruos octo & quinquaginta spinalis medulla diuidenda esset, tantam ex cerebro produxit, ut distributioni in neruos planè esset æqualis, neq; in ipsa quicquam deficeret, nec redundaret. Cæterùm loca unde emergūt, adeò omni ex parte sunt tuta, ut neq; lædantur quicquā, nec in tot, ac eiusmodi spinæ motibus, afficiantur. Moles uerò cuiusquam est tanta, quantam pars recipiens postulat. At uia omnis quę est inter primam productionem, * & insertionem ipsius, mirabiliter ad cuiusque securitatem est comparata. Quum igitur spinalis medulla ueluti alterum quoddam cerebrum, partibus sub capite sitis futura esser: & spina ipsi uia simul indiuertibilis, necnon firmū præsidium, destinaretur: ob eam causam tum alia multa in spondylis est machinata, tum quam ἄκανθαν, hoc est, spinam uocant, ex medijs postremisq; eorum produxit partibus, quæ esset ueluti uallum quoddam ante spinam totam oppositum. Quantū aūt os ipsum, quod hîc spinā uocamus, uersus posteriores partes extenditur, tantum illi, tegumenti gratia, cartilaginis circunducitur. Huic autem rursus cartilagini ligamenta neruosa, crassa, lata, fortia, & mediocriter dura natura indidit, seruatura simul, ac totam spinam colligatura. Productionum autem spinæ, quæ quidem situm suprà habent, deorsum: quæ infrà, sursum spectant, ut ipsarum figuræ fornices aut testudines referant: quarum forma figurarum omnium ad patiendum est difficillima.

*Vertebrarum primarū cur latitudo sit omnium maxima.*

*Spinalem medullā distribui in neruos quinquaginta octo.*

*Ἄκανθαν*

Non debet autem esse mirum, si soli spondylo qui in medio est spinæ, productio posterior, quę acantham efficit, in neutrā partem inclinet: hoc est, neq; in collum, neq; in lumbos, sed omnino sit recta: quandoquidem non potuisset natura similem fornici totā spinam construere, nisi productiones omnes tam infernas, quàm supernas, in terminum quendam cōmunem rectum, ac nusquam inclinantē iunxisset, qui ueluti fornicis summitas quædam esset futurus. Iam uerò quum in thorace cor esset locatum, magnaq; arteria spinæ incumberet, natura longissimas fecit illic productiones, quæ spinam constituunt: in alijs autem partibus omnibus, quambreuissimas. Quemadmodum uerò productionē cuiusque spondyli parte posteriore, quæ spinam efficit, propugnaculi usum ostendebamus pręstare: ita & alię productiones trāsuersę spondylis sunt duæ, quæ simul quidem lateralibus ipsorum partibus simile præbent præsidium, simul etiam ueluti sedes quædam sunt, musculis spinę internis atq; externis subditæ. Prædictarum autem productionū fines, qnemadmodum & acanthæ totius, sunt ad mediam spinam conuersi. Cur autem crassæ sunt productiones laterales spondylorum thoracis, tenues autem in spondylis lumbi & magni ossis, in colli uerò spondylis crassæ & bifidæ? An quòd in thorace quidem, quum costæ non solùm eis essent inarticulatæ, uerumetiam per totum incumberenr, consentaneum fuit, firmas atque stabiles facere productiones? Lumbi aūt & ossis magni productionibus, quū uasa solùm ac musculi incumberēt, nihil erat robore opus? Quæ uerò sunt in collo, meritissimè extiterunt bifidæ & crassæ, ut quod securitatis, propter acantharum breuitatem eius spondylis deerat, id ex transuersis compensaretur? Porrò spondyli omnes, præter duos primos, partibus quidem anterioribus tutò inter se colligati, posteriori uerò articulati, firmitudinem simul sunt atq; ad motum facilitatem indepti. Atq; ob eam causam antrorsum quidem plurimū flecti possumus, retrorsum uerò non item: quemadmodum certè expediebat ad omnes humanas actiones. Siquidem facilè rumperentur multa & præstantia uasa, si extensa plurimū ac refracta, dum spinam totam retorqueremus, essent.

*Spondylus medius in tota spina, cur productionem posticam in neutrā inclinet partē.*

*Productiones spondylorum transuersæ.*

## GALENI PERGAMENI
### de Vsu partium lib. XIII.

QVum autem spondylorū locus posterior, in tres diuidatur partes: primam, quę exactè posterior est, quo loco sunt spinę: duas, quæ utraque huius parte sunt, quas productionum transuersarum radices terminant, meritò ex utroque harum duarum posteriori loco, inter se articulātur ipsi spondyli: quandoquidem aliunde id fieri nec licebat, nec erat expediens. Cæterum quum ipsorum spondylorum quisq; parte superna & inferna, ijs qui utrinq; è regione sunt, cōmittatur, meritò duæ quidem accliues, totidem autem decliues productiones eis extiterunt: hæ siquidem omnibus sunt cōmunes. Ex abundanti autem, ueluti cumulus, magnis spondylis aliæ duæ decliues insunt. Quum enim ex decliuibus prodnctionibus, accliuibus inuectis, spondyli articularentur, ad securitatem maiorem natura alteram decliuium totam articulationi subiecit, ligamentumq; ualidum ex ipsius fine productum, sub accliuem totam submisit. Verùm si prædictis tribus productionibus (quarum una est omnium maxima, quæ spinam constituit, ac duæ transuersæ) duas quidem accliues, quatuor autem decliues adiunxeris, nouem omnino ipsas reperies, quot sanè & quales in lumbi spondylis cernuntur: quemadmodum in collo undecim, præter mediā illam quæ antrorsum consistit. Porrò dorsi spondylis singulis, productiones septem extiterunt, tametsi non omnes formā habent similem, quòd spondylorum eius, nouem superni, productionem superiorem habeant maximam, transuersas uerò crassissimas, tum accliues ac decliues, crassas simul ac latas. Decimus autem qui hos sequitur, cætera quidem est similis, non tamen productionem posteriorem, ut illi, habet longam, decliuem

*Spondyli qua parte inarticulentur mutuò.*

*Productiones spondylorum quot habeantur.*

*Lumbi spondylorum productiones nouem.*

*Colli spondylorum productiones undecim.*

*Dorsi spondylis singulis septem productiones inesse.*

cliuem & tenuem: neq; etiam ipsas quatuor, per quas cum aliis utrinq; spondylis articulatur, habet similes: sed supernè quidem duæ, prælocatorum nouem spondylorum productionibus accliuibus: reliquæ uerò duę decliues, reliquis sunt decliuibus similes. Huic enim soli spondylorum omnium id est eximium, quòd utraque articulatione propinquo sibi spondylo utrique inuehitur. Reliquis uerò omnibus qui sub hoc decimo sunt locati, id inest, quòd accliues quidē productiones sint cauæ, decliues uerò conuexę. Ob id conuexis quidem, subiectis spondylis inuehuntur: accliuibus autem, superiores excipiunt. Qui uerò supra hunc in dorso sunt & collo, hi omnes recipiunt simul, ac decliuibus productionibus ambiunt accliues, quæ sensim fiunt conuexæ. Postremi autem duo dorsi spondyli, productiones duas reliquas decliues ex partib. infernis ad tutandos articulos summissas, atq; ab aliis seiunctas habent: qui soli spondylorū omnium obliquas utrinq; productiones, quas appellauimus transuersas, non possident: pro quibus decliues illas habuerunt. Per decimum igitur illū dorsi spondylū, qui immotus in medio manet, natura totā spinā in partes omnino ęquales diuisit, mole spondylorum æstimata, nō numero. At uerò superioribus ipso medio spondylis fecit productiones natura, cōuexas quidem accliues, cauas uerò sensim decliues: inferioribus autem contrà, cauas quidem effecit accliues, conuexas autem decliues. Quæ structura tum ad flectendam spinam, tum ad erigendam requirebatur. Est autem utriusq; figuræ terminus, ut quū flectimur, spondyli, quàm possunt longissimè, à seinuicem digrediantur, perinde ac si spina tum longior esse deberet. Quum uerò erigimur, contrà, ut cuncti coëant, ad medium spondylorum accedentes, ac si spinam expediat esse breuiorem. Quòd autem cauitates quæ circū ossium inter se dearticulatorū conuexitates utroq; uertunt, sint ad motus obliquos aptissimæ: quodq; motus ex duobus obliquis, parum à motu medio partem utroq; simul circū agentibus constitutus, necessariò unus rectus fiat: necnon quòd in spina satius fuerit, ex obliquis rectos efficere motus, ex dictis facilè constat. Porrò primus colli spondylus posteriorem productionem non habet, quòd recti musculi & breues, qui caput totum erigunt, omnem ipsius regionem occupent. Cui soli primo spondylo non insunt obliqua foramina, per quæ nerui à spinali medulla excidūt, & qualia omnibus aliis colli spondylis natura insculpsit, qua parte inter se coniunguntur, sic ut ex ambobus unum foramen instar semicirculi, neruo aptum, oriatur: ita enim non modò foramina ipsa, sed nerui etiam, qui per ea emergunt, sub productionum accliuium ac decliuium radicibus (ubi primū ipsorū spondylorū latera desinūt) sita, adeò communiunt undiq; ut alibi melius ea minimè collocari potuerint. In lumbis autem, si alteram productionū decliuium accuratius consideres, non ad ligamenti firmandi duntaxat usum reperies utilem, sed multò etiam magis, primę nerui productionis gratia comparatam. Siquidem

*Spinam totam esse diuisam in partes omnino æquales, per decimū spondylū.*

*Vertebras superiores decima, habere accliues quidem productiones, conuexas: decliues autem, concauas: inferiores autē decima, cōtrà.*

*Colli spondylū primum posteriore productione carere, foraminibusq; obliquis.*

exporrecta post neruū, murus reuera efficitur, & propugnaculum aduersus ea quę illi quoquo modo incident. Hanc igitur productionem in lumbi spondylis uideas magnam (quòd ipsi maximi sint) & duobus postremis thoracis similem. In aliis uerò spondylis decem, eandem utilitatem neruis præstant productiones laterales, quibus costarum ossa inueliuntur, atq; inarticulantur. Reliqui etiam, præter primū, colli spondyli, neruorū productiones ab utriusq; spōdyli finibus lateralibus prominentes, habēt à transuersis productionibus (quas bifidas esse diximus) tectas atq; stipatas. Etenim in lumbi spondylis, apertè neruus lateribus partium infernarum inuehitur. In spondylis autem dorsi, inuehitur etiam hic quidem fini superni spondyli euidenter, sic tamen ut infernum attingere spondylum uideatur. In colli uerò spondylis, quòd omniū minimi essent, uterq; spondylus æqualē portionem ad uiam nerui contulit. Quum autem spondyli singuli, primum constructionis scopum haberēt duplicem, sedem scilicet tutam spinæ totius, atq; etiam motum, aliorum quidē omnium qui sunt sub collo spondylorum usus in securitate est maior: superiorum uerò, in motione. At quia nec inferni spondyli, alii aliis incumbere tutò poterant sine lata basi, ac forti ligamento: nec superni moueri facilè, sine longo processu, aut ligamento laxiori, utrique spinæ parti natura congruente structura consuluit, prælongas quidē infernè, cauas uerò supernè colli uertebras faciens, nō modò ad motū facilem, sed ad tutum etiam obeundum: alias aūt omnes in planum, læuem, atq; undiq; æqualem, solidumq; circulum, terminans. Quæ ubi primus spōdylus crassissimus est, ibi ipsum prope supernas articulationes foraminibus pertudit tenuissimis, quibus omnibus rebus potuit, patiendi difficultatem tum ipsi spondylo, tum neruo producendo comparās. Cui spondylo crassities illa ob tutam perforationem fuit comparata, & ut parte quidem inferna, secundi spondyli conuexitates, superna uerò, capitis eminentias exciperet. Quæ enim ipsius spondyli partes maximè erant laboraturæ, has præter cæteras, satius fuit fortes efficere. Vtrunq; autem excidentium neruorū, in musculos ipsi primo spondylo incumbētes, natura distribuit. Verùm quū prima coniugatio sit tenuis, ob idq; ex ipsa portio capiti distribui nequeat, ex secunda coniugatione natura id effecit. Nam per supernos musculos neruus uterq; perlabitur, qui obliquus quidem primò in partem posteriorem ac superiorem tendit: obliquus autem rursus post hęc, prorsum ac sursum progressus, in caput totum demum dispergitur. Quod autem ex secunda ipsa coniugatione infrà supererat, in propinquos omnes musculos est distributum, à quibus primorum spondylorum motus, tum inter se, tum cum capite fiunt. Cæterum egreditur secunda hæc coniugatio, ab utraq; ipsius acanthæ parte, ex regione inter primum & secundum spondylū media. Tertia uerò neruorum, qui à spinali medulla oriunt, coniugatio, ex cōmuni foramine secundi & tertij spondyli emergit, musculisq;

*Colli utrunque spondylū, æqualem portionem ad uiam nerui conferre.*

*Natura industria circa formandas uertebras.*

*Prima coniugatio neruorum à spinali medulla ortorum.*

*Secunda.*

*Tertia.*

genas mouentibus, & illis qui collũ totum cum capite retrò erigunt, distribuitur. Pars uerò ipsius quę prorsum fertur, secundæ & quartę coniugationi miscetur.

*Quarta.*

Nam tertia & quarta coniugatio, neruos communibus colli & capitis musculis suppeditat, ac præterea musculis genas mouentibus, quemadmodum certè & partibus omnibus quæ sunt post aures.

*Quinta.*

Quinta coniugatio productionem habet, qua quartus spondylus cum quinto coniungit. Distribuitur autem quemadmodum & prædictæ. Pars tamen ipsius quædam retrò per profundum fertur in communes colli & capitis musculos: alia uerò pars antrorsum in musculos genas mouentes, & caput inclinātes: sicuti alia & tertia, in medio prædictarũ partium, sursum, uersus scapulę summitatem, fertur. Iuxta radicē autem neruorũ, pars eius utrinq; uicinarum coniugationum, sextæ uidelicet & quartę, miscetur: & qui neruus à quarta ad ipsam descendit tenuis, is manifestò cernitur parti eius misceri, qua maximam portionem ex eius loci spondylis, neruus diaphragmatis colligit, utrinq; unus, qui sub membranas thoracem sepientes fertur.

*Sexta.*

Sextæ post hanc coniugationis, sub quinto spondylo excidentis, mistio fit magna cum propinquis utriusq;, sed plurima eius pars ad sima scapularum extenditur. Auget autem quodammodo partibus anterioribus & diaphragmatis neruum, quemadmodum & alijs omnibus eius loci spondylis propagines quasdam exiguas mittit.

*Septima.*

Septimę coniugationis, quæ ex communi sexti & septimi spondyli oritur foramine, magna fit permistio cum proximis. Ea tamen partem sui maximam extendit ad brachium: quemadmodum certè & ab octaua coniugatione,

*Octaua.*

quę post septimũ spondylum oritur, maxima pars in ulnam peruenit.

*Nona.*

Sic à nona coniugatione, quæ post octauũ spondylum pręcedenti miscetur, pars non exigua ad manus extremas peruenit: qui nerui circa primum intercostale spatium minimum locum occupant, quòd primæ etiam costæ sint minimæ.

*Costæ primæ sunt minimæ.*

Ob idq; post septimum spondylum natura cœpit thoracem effingere, quòd ea coniugatione, quæ est post octauum spondylum, ad utraq; uti poterat, ad primum scilicet inter costas spatium & mãnum. Ad diaphragma etiam mirabiliter admodum neruos ex spinali medulla colli, & ad musculos intercostales ex singulis propinquis spondylis, deduxit.

*Septi transuersi figura, & situs.*

Est autem septi transuersi figura rotunda, situs uerò obliquus, partibusq; anterioribus ac superioribus ad pectus pertingit: inde retrò semper ad dorsum fertur, donec spinam contingat, cui adhæescit ad lumbum. Caput autem eius, ad quod annectuntur fibræ, & in quod ipsi nerui descendunt, in medio eius consistit. Quam obrem diaphragma solum, earum partium quæ sunt sub clauibus, neruos ab spinali medulla colli recipit, membranis thoracem dispescentibus, stabilitos: aliarum uerò inferiorum nulla. Melius siquidem fuit spinalem medullam thoracis, neruorũ propagines ex propinquo omnibus quæ illic sunt, suggerere. Ob eamq; causam à neruis qui singulis insunt spatijs intercostalibus, portio nõ exigua per musculos ad externa excidit.* Iuxta radices autem costarum, in instrumenta quæ sunt ad spinam, dispergitur. Pòst uerò, prope conuexa maximè singularum costarum, in corpora thoraci circũfusa, ueluti & prope pectus, partibus quæ illic sunt, disseminatur. Homini igitur, ac similibus, collum ex septem spondylis iurè est compactũ:

*Collum ex septē spondylis constat.*

quum eiusmodi magnitudo laryngi, primo instrumento uocis, conueniat, ex eoq; partes omnes, quas à spinali medulla colli præstiterat neruos recipere, recipiãt quod satis est.

*Larynx primũ instrumentũ est uocis.*

Quum aũt nec respiratio, nec uox possit sine thorace fieri, cuius præsidio indigent cor ipsum atq; pulmones, in illius certè structura hos quatuor scopos sibi natura proposuit, uocem scilicet, respirationem, ac tum cordis, tum pulmonis magnitudinem.

*Thoracem esse necessarium uoci atq; respirationi.*

*Scopi quos proposuit sibi natura thoracem fingens.*

Sequitur quippe ut arteriam asperam generatio pulmonis, sic magnitudinem huius, magnitudo thoracis. Quin & cor positionē & magnitudinem in thorace sibi congruentē sortitur. Nec minus thorax, qui quidem ex duodecim uertebris constat: quæ uerò has deinceps sequuntur quinq; spinæ uertebræ, eadem ratione sunt factæ, qua illæ quæ sunt in collo.

*Thorax ex duodecim uertebris constat.*

Nam quũ nerui qui à spinali medulla proficiscuntur, in spinales atq; hypochondrij musculos diuidantur, primas quidem productiones oportuit ad eas partes mitti: pòst autem, & ad crura: ac tum os sacrum oriri, quod simul quidem ueluti fundamentum quoddam spinæ futurum esset, simul autem ossa coxendicum atq; ilium incumbentia sibi, excepturum: sine quibus nec pubis ossa constare poterant, cruriũq; ad ischion dearticulatio omnino non fuisset.

*Ossis sacri usus.*

*Pubis ossa.*

Horum enim primorum gratia, tum autem uteri, uesicæ, atq; intestini recti os latum, siue sacrum molita est natura. Per cuius quidem foramen primum qui neruus excidit, ijs qui ad crus feruntur, miscetur. Proinde coniugationes quæ sunt sub diaphragmate, neruorum à spinali medulla proficiscentiũ, qui ad musculos prædictos & crura feruntur, quinque quidem spondylis eguerũt: sexta uerò quæ eas excipit cõiugatio, primis ossis magni foraminibus. Sunt autem & aliæ tres in eo cõiugationes, quæ in partes superiores distribuunt. Constat itaq; collum meritò ex septem spondylis compingi, thoracē ex duodecim, lumbum ex quinq;.

*Lumbi ex quinque spondylis cõstantur.*

Porrò os sacrum cum ultimo articulatum lumbi spondylo, ad finem cartilaginis habet quandam epiphysim, ut multò difficilius patiatur. At uerò ualidum ligamentum anteriores omnium spondylorũ partes ualidissimè colligans, desinit posteriore quidem parte in tunicam meningas spinalis medullæ ambientem: anteriore uerò, paulùm progressum, utraq; sui parte inseritur in cartilaginē, quæ spondylos iungit.

*Vertebrarum ligamentum.*

Cæterum spondyli omnes ab ea connexione, quam parte anteriore habent, retrò progressi, paulatim à se diducunt, locum omnem medium refertum habentes humiditate crassa & uiscosa, quæ ad motionis facilitatem conducit.

*Humiditas uertebrarum.*

Meninges autem uestientes spinalem medullam, cerebri inuolucra similitudine referunt, nisi quòd crassa medullæ spinalis meninx, undique tenuem tangit & cõprehendit. Sunt enim cõmunia spinali

medul-

*Spinali medullæ quæ sint communia cum cerebro, & quæ etiam utriq; propria.*

medullæ cum cerebro, quòd corporis substantia sit illi hæc similis, & neruorum etiam principium existat. Propria autem, ꝙ quũ cerebrũ pulset ac moueatur, quanquam osse immobili delitescens, ipsa tamen non moueatur, tametsi à mobilibus uertebris contineatur. Non ab re igitur duæ meninges ipsis similiter fuerunt datæ: altera quidem ad uasa quæ ipsis insunt, colliganda, totamq; eorum substantiam, quæ mollis est admodum, constringendam: altera uerò quæ tegat, & aduersus ossa circumfusa muniat. Ossa etiam ipsa extrinsecus sunt attributa, ueluti propugnaculũ atq; murus, contra iniurias extrinsecas. Priuatim uerò utriq;, quòd cerebrum quidem pulsabat, crassa meninx tantum ab eo discessit, quoad ipsi, dum dilataretur, suscipiendo esset satis. Quòd uerò spinalis medulla non pulsaret, crassa meninx cum tenui undiq; se coniunxit. Quòd etiam capitis ossibus conspicuus nullus motus inesset, spinalis autem medullæ ossibus uehemens, cerebro quidem nullum extra crassam meningem aliud operimentum fuit circundatum: spinali autem medullæ, tertia illa fortis atque neruosa tunica: cui etiã uiscidus ille humor est circunfusus, ne assiduo motu exiccetur. Singulis autem spinæ partibus ab adiacentibus uasis, per foramina quę neruos ipsos deducunt, propagines natura suppeditauit, unam singulis spondylis coniugationem tantę magnitudinis, ut in corpora omnia spondylo circumiacentia, diuidi planè queat. Sed quoniam coniugatio neruorum una ex singulis spondylis enascebatur, planum est, quòd ipsorum numerus, uenarum & arteriarum numero æqualis erat futurus. Cæterùm paruis quidem spondylis prædicta duo foramina satis esse possunt, per quæ intrò quidem uenæ & arteriæ, foras uerò nerui serantur. Magnis autem, non hæc modò, uerumetiam quæ uasis nutrituris seruirent, natura decenter est machinata. At uerò scapulas ipsas, primò quidem propter humeri articulationẽ, dein autem ex abundanti, propter partium thoracis, quæ illic sunt, custodiam, excogitauit natura. Thorax siquidem respirationis est instrumentum, non minus quàm pulmo: cor autem uitæ principium. Quia igitur thoracis partibus posterioribus non aderant nobis oculi, quibus prę uidere nocitura liceret: ne omnino negligerentur, natura regionem illam uallo quodam spondylorum, atq; productionum spinæ, muniuit, quibus sursum porrectis, primum quidem scapulas utrinq; applicuit, dein carnis copiam apposuit. Ad hæc leuiter superiorem spinæ finem adaugens, rectumq; illum attollens, atque ibi claui coniungens, ἀκρώμιον, quod uocant, effecit, tum humeri articulationi, tum brachij capiti, atque adeò scapulæ ipsi præsidium & firmamentum futurum. Quòd si inter os pectoris & spinæ finem, quæ ad scapulas est, connexa clauis non fuisset, nihil utique prohiberet, quo minus os latum scapularum, nusquam stabilitum, thoraci incideret, coarctaretq; ibi humeri articulum, multosq; motus brachij impediret. Non temerè autem natura in homine quidem, humeri articulum longissimè à thorace abduxit: in quadrupedibus uerò, proximè collocauit: quòd in illo quidem manus ad uarios usus seruientes, spatiosum locum desiderent: in brutis autem nequaquam, quòd in eis anteriores artus tantùm ambulationi subseruiant. Meritò itaq; homo, ne si uelit quidem ambulare quatuor artubus queat, quòd in ipso scapularum articuli longè sint à thorace abducti. Meritò etiã simia, ut in cæteris est hominis imitatio ridicula, ita & in artubus. Cæterùm quemadmodum simia, quòd animam habet ridiculam, corpus ob id habuit ridiculum: ita homo, quòd animã rationalem haberet, ob id etiam corpus solum inter ea quę sunt super terram, habuit diuinum. Porrò iuxta iugulum ipsum est clauis, conuexa quidem foris, intus uerò caua: quò uidelicet locum ijs instrumentis præbeat, quæ per illas partes feruntur. Vbi uerò à iugulo cœpit discedere, tantùm paulatim antrorsum redit, usque ad humeri summitatem, quantum finis particulæ ipsius clauis intumescentis, retrò secesserat. Colligat autem ibi ipsam spinæ, os paruum & cartilaginosum scapulæ. Quum autem manus tota ad multos ac uarios motus comparata esset, caput quidem brachij rotundum habere ipsam oportuit, cauitatem uerò ei subditam, nec magnopere profundam, nec in magna supercilia finientem. Qua quidem structura ad uarias motiones apta, quum constet humeri articulus, parũ abest quin assiduè brachij caput luxet, quippe quod cauitate adeò exigua uehat, ut pars ipsius magna extrà sit, nulloq; innixa sublimis pendeat. Cui discrimini occurrens natura, tria ligamenta ualida, os brachij cum scapulæ ceruice iungentia, præter commune omnium articulorum, rotundum est machinata: duos præterea scapulæ processus recuruos, qui articulũ muniunt, atq; ex utraq; horũ parte, musculos ipsum maximos constringentes. Quorum trium ligamentorum duo quidem prorsus sunt rotunda, tertium uerò leuiter latum. Enascitur autem, primum quidem ex fine apophyseos, quæ anchoram refert, internisq; brachij attenditur partibus. Alterum uerò, quod hoc est maius, ex ceruice scapulæ, qua parte supercilium cauitatis illius est altissimum: atq; hinc caput brachij sedem præbet firmissimam, sua lata fissura. Reliquum deniq; & tertium, ex eodem loco, quo secundum, oritur: obliquum autem sub eo inseritur & ipsum in primum capitis brachij initium, quo modo latum ligamentum, quod in orbem articulum totum complectitur. Quæ ligamenta duo, ad musculum brachio incumbentẽ perueniunt, quem roborant. *Munitur humeri articulus, à scapulæ etiam processibus superioribus, nempe ab illo qui est ad summitatem humeri (quẽ cornifor mem appellant) & ab externo, qui anchoræ est similis: necnon à maximis musculis tendonibusq;, qui totam mouent articulationem, constringitur undiq;: quorum musculorum fines ossi brachij infiguntur. Cæterùm ad pectus brachium adducit, leuiterq; trahit deorsum, is musculus qui iuxta mammas oritur, magnitudine mediocris. Alius autem cõtrà, ex æditis enatus pectoris partibus, adductionis sursum est

*Cerebrum pulsare.*

*Spinalem medullam nõ pulsare.*

*Spinalis medullæ tertia tunica.*

*Spinæ inserta uasa, quæ ma insferantur.*

*Spondylorũ singulos emittere unam neruorũ copulam.*

*Scapularũ usus*

*Thorax respirationis organũ. Cor uitæ principium.*

*Ἀκρώμιον.*

*Clauicularum usus.*

*Humeri articulus cur in homine quamlongissime à thorace abductus.*

*Simia est hominis imitatio ridicula.*

*Simia, quòd animam habeat ridiculam, corpus sortita est ridiculum.*

*Homini soli inter animalia terrestria, cur diuinũ corpus tributum.*

*Clauiculæ colligatio.*

*Humeri articulatio cur luxationi obnoxia.*

*Humeri ligamẽta tria.*

*Scapulæ processus recurui.*

*Brachij motus à quibus oriantur musculis.*

autor. Tertius pręter hos geminus, aut ex duobus coalescens, à toto pectoris osse exortus, æquabiliter ad illud totum brachiũ adducit, si uterq; tendat. Nam altero solùm agente, aut deorsum, aut sursum, modicè motus brachij inclinabit. Porrò musculus ille, qui à sublimi pectoris parte iuxta claues oritur, duo habet capita, internis quidem partibus epomidi insertus, externis autem adhærescens infernis scapulæ partibus. Ac solius musculi huius tensi actio, brachiũ extrorsum extendit: alterius uerò, qui ad clauẽ peruenit, uersus interiora conuertit. Tensis autem æquè fortiter ambobus capitibus, brachium rectam planè ac mediam extensionem assumit. Atque alij etiã duo musculi, utraq; spinę, quę est ad scapulam, parte, similem prædicto habent actionem. Octauus uerò alius ultra prædictos est musculus, qui ortus * à maxima parte inferioris, qui in scapula est, lateris, brachium extrorsum abducit, ijs qui sunt ad pectus, oppositus, qui brachiũ sursum attollunt. Duæ sunt post hanc musculorũ motiones, brachium extrorsum ac deorsum circumagentes: uerùm amplius quidem extrà abducit musculus, * qui ab inferiori ora lateris, quod in scapula est, proficiscitur. Nam qui scapulę partem simam complectitur, minus quidem extrà, sed deorsum magis brachium circũagit. Reliquus uerò alius unus est musculus, qui deprimit, ipsumq; retrò agit: cui prædictus musculus paruus succedit, qui efficit ne brachiũ dum deprimitur, ullam in partem inclinet. Contenta autem fuit hoc natura, tametsi omniũ minimo, propter naturalem manus ad inferiora impetum.

*Brachium attollentes & circũagentes musculos esse robustissimos omnium.*

At qui musculi brachium attollunt, actione indigent uehementiori, ob idq; tum ipsi, tum qui brachia circumagunt (est enim hic motus uiolentissimus omnium) in omnibus articulis robustissimi sunt, ac tendones maximè neruosos sortiuntur.

*Scapularũ motus à quibus proficiscantur musculis.*

Verùm scapulam deorsum trahit musculus, ex inferiori quidem thoracis spondylo enatus, inferioribus autem partibus scapulæ insertus. Trahit autem eam sursum musculus latus ac magnus, qui à spina enatus, sursum ad os occipitis peruenit. Trahit etiam sursum & musculus tenuis, qui ab ijsdem capitis ossibus ortus, ipsi ad spinæ basim inseritur. Retrò autem alij duo musculi abducunt ad totam animalis spinam: quorũ editior ipsam inflectit sursum, ad colli spondylos: reliquus autem abducit ad spondylos dorsi. Tensis uerò ambobus simul secundũ proprij situs rectitudinem, fertur ad * dorsum. Quum autem tensus est is musculus, qui ex laterali primi spondyli apophysi exoritur, scapulæq; finibus, qui sunt ad summitatem humeri, inseritur, maximè quidem ipsum humerum trahit: cum eo autem & scapulam totam, ad partes colli laterales, ut ad anteriores musculus tenuis, qui à labdoide oritur, conuertit. Quinetiã ex musculis qui è pectore ad eam sursum feruntur, qui est editior, non solùm mihi uidetur caput brachij trahere, sed etiam scapulam, ut qui ligamento articulationem totam continenti inseratur.

# GALENI PERGAMENI
## de Vsu partium lib. XIIII.

*Particularum tria genera.*

Qvum ipsarum animalis partium, nonnullæ quidem ad uiuendum sint necessariæ, ut cerebrum, cor, & hepar: aliæ ad uiuendum commodius, ut oculi, nares, & manus: atq; aliæ deniq; ad instaurationẽ generis, ut pudenda, testes, atq; matrices: de his quidem ultimis hoc libro agendum est, quandoquidem superiores illas iam explicuimus. Ergo natura, si fieri potuisset, maximè optasset suum opificium esse immortale. Quod quum per materiam minimè illi liceret, subsidium quod potuit ipsi ad immortalitatem est fabricata, sapientis cuiusdam urbis conditoris exemplo. Quanquam nulla ciuitas comperitur adeò floruisse, ut non ipsa exedens uetustas, memoriam conditoris deleuerit.

*Naturæ opificiũ perpetuum.*

Naturæ uerò opificium iam multis annorum millibus constitit, atq; stabit perpetuò. Nam mirabilem quandam rationẽ inuenit, qua in demortui animalis locum, nouum aliud sufficiat.

*Concipiendi instrumenta.*

*Generandi cupiditas uniuersis animãtibus insita.*

Omnibus siquidem animalibus natura concipiendi instrumenta congruentia tribuit: ipsisq; instrumentis eximiam quandam uim uoluptatis effectricem: animæ uerò ipsis usuræ, incredibilem utendi cupiditatem cõiunxit: à qua animalia incitata, stimulataq;, etiamsi rationis expertia, ætateq; tenera sint, prouident tamen non secus, ac si prudentissima essent, ut genus suum sit superstes.

*Matricum situs opportunissimus.*

Porrò in fœmineo sexu matrices uentri subiecit, qui locus est tum ad usum uenereorũ, tum ad recipiendum sperma, necnon ad incrementũ fœtus, & perfectũ enixum, opportunissimus.

*Matricis collũ.*

Etenim collum matricis, in pudendum muliebre desinit: quod quum animal concepit, adeò ad unguem clauditur, ut ne minimum quidem aut intus foras laxet, aut foris intrò recipiat. In coitu autem eousq; patet ac tenditur, ut semen per latam uiam progrediens, facilè in matricis sinũ perueniat. Plurimum etiam & in partu distenditur, sic ut totum embryon facilè ea uia expellatur.

*Matricis collum cur neruosum, ac mediocriter durum.*

Quare meritò à natura factum est neruosum simul ac mediocriter durũ, ut citra noxam plurimum contrahatur & dilatetur, dirigaturq; ad excipiendum semen. Nam si præ mollitie in seipsum concidens, plexus quosdam efficeret, ab ijs semen prohiberetur, quo minus ad sinus matricis perueniret celeriter, ac sic humor spiritusq; à se mutuò separarentur, quos tamen coire est necesse, hunc quidem ut motus principiũ, illum autem ut materiam ad fœtuum generationem appositam.

*Spiritũ esse motus principium in ipsa generatione.*

*Sanguis menstruus nõ est prima materia, gignendique animalis propria.*

Cæterùm sanguis menstruus neutiquam prima est materia, atq; gignendi animalis propria: sed quum seminis humiditas à calore insito * ducta, tunicis matricum inciderit, non secus ac pinguitudo facilè agglutinatur. Atq; inde uno temporis momento multa fiunt, eaq; admirabilia naturæ, circa animalis generationis principiũ, opera.

*Generationis ordo.*

Nam matrix ipsa quàm celerrimè undique semini adhæret: collum autem totum conniuet, & eius maximè orificium internum. Qui igitur humor matricis asperitates illinit, toti superficiei internæ sultensus, membrana tenuis efficitur. Interea autem spiritus

tus undiq; ad unguem retentus, non elabitur, sed motus naturales primus orditur. At uerò quo tempore nec semen intrò, nec fœtus extrà fertur, matricis collum in flexus & contorsiones concidit: quæ ne matricis regio perfrigeretur, plurimum habent momenti. Neq; enim alia ratione in menstruis purgationibus partubusq; mulieres refrigerantur, quàm quòd tunc matricis collum fit rectum, reseratumq;.

*Puerpera, aut quibus menses fluunt, cur facile refrigerentur.*

Porrò in animalibus numerosos fœtus gestantibus, natura fecit sinus matricis plures: in homine uerò, ac eiusmodi, quemadmodum corpus totū est geminum, ita & matricis sinus est duplex, alter quidem in dextris, alter uerò in sinistris locatus.

*Matricis plures sinus numerosos partus edentibus.*

*Matricis sinum esse homini duplicem.*

*Si quidem quæ ob corporis imbecillitatem, breuioris uitæ futura erant, aut etiā præda fortioribus, iis animalibus omnibus assidui interitus remedium excogitauit natura, fœcundam scilicet generationem: semper receptaculorū matricis numerum, æqualem numero mamillarum præscribens.

*Generationis fœcūditatē quibus natura concesserit.*

*Matricis receptaculorum numerum, mamillarum esse numero æqualem.*

Mammis autem lac tunc accedit, quo tempore iam absolutus est fœtus. Nam quum tenera adhuc sint atq; imbecilla recens nata animalia, nec possint solidos cibos conficere, alimentū ob id natura eis comparauit, perinde ac si utero adhuc gestarentur.

*Lac quo tempore accedat.*

*Lac cur genuerit natura.*

Quibus uerò animalibus propter corporis siccitatem superfluus humor subnutriri non poterat, ut uolucribus omnibus, iis natura præcipuum quendam amorē in ea quæ procrearunt, ingenerauit: quo impulsa, bellū pro pullis cum ferocibus animalibus, quæ antea declinabant, suscipiunt intrepidè, uictumq; illis conuenientem suppeditant.

*Amor in procreata.*

Vt igitur matrices duæ mulieribus in unum collum definentes sunt factæ, ita & ubera duo, utrunq; suæ matrici, instar ministri boni, subseruiens. Vnde Hippocrates ait: Si mulieri geminos gerenti, mammarū altera gracilescat, si dextra quidem, masculi: sin sinistra, fœminæ aborsum faciet. Siquidē mares in dextris, fœminę in sinistris maiori ex parte locantur.

*Vbera duo, ut matrices duæ, mulieribus insunt.*

*Aborsus quando accidat.*

*Mares in dextris, fœminas in sinistris matricis partibus, maiori ex parte locari.*

Etenim exiguæ, dum fœtus augentur, sunt mammæ, quo modo etiam matrices. Quum autem perfecti fuerint, & pariendi tempus institerit, simul cum matricibus, quod satis est intumescunt. Matricis itaq; partes sunt, sperma recipere, atque fœtum absoluere: mammarum uerò, quod iam natum est educare.

*Matricis munus.*

*Mammarū munus.*

Quòd si animalia attentius dissecueris, reperies in iis quidem quæ adhuc augentur, uesicas matricibus multò maiores: in perfectis autem, matrices uesicis. Vesica nanq; ad portionē omnium aliarum partium augetur, ut quæ omnibus ætatibus æqualiter seruiat: matrix uerò, nec dum augentur adhuc animalia, nec quum iam consenescunt, ritè actionem suam potest obire. Siquidem alimento benigno abundantiq; fœtibus opus est, cuiusmodi in solis florentibus abundare potest: quum in declinantibus quidē, alimentum non ritè coquatur: in iis autem quæ augentur, quamuis rectè concoctum sit, in nutrimentum & auctionem totum id absumatur. Est autem fœmina mare imperfectior, una quidem & prima ratione, quia frigidior. Siquidem in animalibus calidum est magis actiuū frigido.

*Fœmina mare imperfectior, quia frigidior.*

*Calidū esse magis actiuum frigido.*

Cæterùm omnes quæ uiris insunt partes, in mulieribus etiam reperias, eo discrepantes duntaxat, quòd in mulieribus quidem ipsæ intus sunt conditæ, in uiris autem extrà pendent, iuxta nuncupatum perinæum. Quòd si muliebres quidē partes euertas extrorsum, uiriles aūt intrò reuertas, replicesq;, inuenies omnes inter se similes: cuiusmodi & in talparum oculis sumere licet exemplum. Hæ enim uitreum & crystallinum humorem, & præterea tunicas his circundatas, nō minus habent, quàm animalia quæ utuntur oculis. At neq; eis aperti fuerunt oculi, nec foras prodierunt, sed imperfecti fuerunt relicti.

*Muliebres partes pudēda, uiri lib. esse similes, nisi quod sunt inuersa.*

*Talparum oculi inclusi, imperfectiq;.*

Sunt enim animaliū naturę uarię. Alia quippe non longè recesserunt à plantis, suntq; ea animalium omnium imperfectissima, sensu unico tactus prædita: ut ostreorum plurima. His recesserūt amplius, quibus gustus inest. his adhuc amplius, quæ odoratus instrumentum sortiuntur. Quibus adhuc multò magis, quę instrumento audiendi sunt prædita. At perfectis proxima sunt, quibus præter hæc omnia, adest uisus. Solis autem hominibus ratio inest, qua diuinius nihil mortali animali est concessum.

*Natura animalium uaria.*

*Animalia omnium imperfectissima.*

*Ratio inest soli homini, qua diuinius nihil animali mortali est concessum.*

Sicut igitur homo animal est perfectissimum omniū, sic tantò est fœmina imperfectior mare, quantò frigidior. Genitalia autem eius, formata intus fuerunt, dum ipsa utero adhuc gestaret. Quum enim extare & foras propulsari præ caloris imbecillitate non possent, ipsum quidem animal quod cōformabatur, imperfectius eo, quod undiq; est absolutum, reddiderunt: quam imperfectionem tamen consequuta est utilitas nō aspernanda, ad instaurandū humanum genus.

*Genitalia fœminea fuisse intus formata, quia in utero præ imbecillitate caloris foras propulsari haudquaquam potuerūt.*

Nam quum fœtus ipse materiam copiosam postulet, tam ad primam sui constitutionem, quàm ad omne incrementum, si calidissima quidem ipsa fœmina esset, utiq; discuteret talem materiā, nec sineret coaceruari eam: quemadmodum si impensè frigida, ne humorem quidem ipsum concoqueret. Frigidiorem igitur eam eousq; fieri satius fuit, quoad alimentum quod cōcoxisset & confecisset, discutere totum nō posset. Hæc itaque est frigiditatis fœmineæ utilitas, quam mox sequutura erat partium imperfectio, quum ipsæ præ caloris imbecillitate prorumpere foras non possent.

*Frigiditatis fœmineæ utilitas.*

Quod commodum ad instaurandum genus, est secundum ac maximum. Nam si extrà prodiissent, scrotum utiq; extitisset: quod quum intus iam delitescat, matricum substantia est factum instrumentum semini recipiendo, ac retinendo, fœtui præterea alendo, ac perficiendo, aptissimū. Statim autem & testiculos fœmina erat habitura minores, imperfectioresq;: ac sperma in ipsis, tum parcius, tum frigidius, humidiusq;. Sequuntur enim hæc quoq; necessariò caloris penuriā. Non igitur semen eiusmodi, generando animali satis esse poterat, licet in eam rem fuerit & ipsum utile.

*Testiculi fœminæ & semen qualia.*

Mas uerò quantò est calidior, tantò ipsius testiculi extiterūt maiores. Semen autē quod in ipsis gignitur, quum sit summè coctum, principium effectiuum est animalis. Ex uno itaq; principio, ab opifice sapienter inuento, iuxta quod fœmina mare fuit imperfectior, nata sunt omnia, quæ ad animalis generationem pertinent: tum quòd muliebres par-

*Testiculi masculini calidores fœmineis.*

*Semen masculi esse principium effectiuum animalis.*

tes intus reconditæ sint, quatenus dictum est: tum quòd uirile pudendum, extrà oblongum promineat, ad uenerem, atq; ad semen excernendum aptissimum, quodq; semen ipsum uirile sit multum, & crassum & calidum.

*Pudendum uirile quale.*

*Semen uirile quale.*

Quod quidem non alia quadam ratione ad maris, alia ad fœminæ procreationem mouetur (sic enim principiũ animalis non esset simplex, si motus omnino repugnãtes haberet) uerùm * quod imperfectius quidem mouetur semen, fit fœmina: quod perfectius autem, masculus.

*Semen quod imperfectius mouetur, fit fœmina: quod perfectius, masculus.*

Ipsum autem motum perfectum aut imperfectum, inæqualitati quæ in calido & frigido est, iurè tribueris, ad quod unum principium, particulares omnes reuocabis actiones. Iam ipsum fœmineum semen gignere per se fœtum non potest, sed maris semen omnino flagitat, cum quo oportet misceatur, ita ut utrunq; semen in unum motum conspiret.

*Semen utrunq; necessario miscendum esse ad fœtus generationem.*

Nam tametsi gallinæ citra gallinacei operam, oua subuentanea concipiant, ex illis tamen animalia excludere nequeunt: quandoquidem ut ea perficerentur, masculi caliditatem desiderabant.

*Oua subuentanea animalis excludẽdo inepta.*

Sed ne id quidẽ in gressilibus animalibus unquam potest contingere. Solum nanq; si quod animalis est genus temperatuea eousq; siccum, ut humoris frigidi redundantiam in fœmineo semine quadantenus possit absumere, id fœtũ eiusmodi, qualia in gallinis sunt ea oua, sine mare pótest efficere.

*Animalia absq; commercio maris, oua gignentia.*

At mulierem nemo unquam uidit sine uiro uel molam, uel eiusmodi quippiam concepisse.

*Molam absq; uiro concipi à muliere non posse.*

Quamobrem satius fuerit maris semen motus principium existimare. fœminæ uerò, ad animalis generationem aliquid etiã ipsi conferre.

*Semen masculi esse motus principium.*

Porrò uena caua, quà primùm adhuc ex hepate emergens, sublimis ad spinam flectit, dextrum habet renem, ad dextram sibi adiacentem: tum deinceps pauló infrà ad læuam, sinistrum.

*Vena caua.*

*Ren sinister dextro inferior.*

Producitur autem ex ipsa uas uenosum maximũ in utrunq; renem, sicuti & arteriosum, ex maxima arteria quæ dorso incumbit.

*Vasa emulgentia.*

Quoniam uerò genitalia organa his uasis subiacent, hinc iugũ uenarũ & arteriarũ ad ea proficisci erat necesse. Quocirca uasorum quæ ad ipsa feruntur, quæ ad dextram quidem matricem atq; ipsius testiculum progrediuntur, à magnis ipsis uasis, quæ sunt ad spinam, proficiscuntur, uena quidem à caua uena, arteria autem ab arteria magna: etsi earò à uasis quæ in dextrum procedunt renem, oriant, ubi dexter reu sinistro propinquus fuerit.

*Spermatica uasa dextra, oriri à magna dorsi uena & arteria, raro autem ab emulgentibus dextris.*

Quæ uerò ad sinistrum testiculum in masculis, aut ad matricem sinistrã in fœminis tendunt (sunt autem hæc etiam duo, arteria scilicet una, atq; alia uena) non amplius à magnis uasis, sed ab eis quæ in renes ferunt, emergunt.

*Spermatica uasa sinistra, à sinistris oriri emulgentibus.*

Ex quo intelligi potest, testiculum sinistrum in masculis, & matricem sinistrã in fœminis, sanguinem impurum adhuc, excrementosum, humidum, ac serosum recipere. Qua ex re accidit, ut ipsa quoq; recipientia instrumenta, tempeeamentum habeant diuersum.

*Testiculum sinistrum in uiris, & matricem sinistrã in fœminis, recipere impurissimũ sanguinem.*

Quemadmodum enim sanguis purus excrementoso est calidior, ita & partes dextrę quę ex ipso nutriuntur, sinistris sunt calidiores: id quod principiò etiã erãt, uel ratione hac, quòd secundũ hepatis rectitudinem locarentur. Quod quidẽ si uerum est, ac præterea masculus est calidior fœmina, probabile utiq; fuerit, partes quidẽ dextras, masculorum: sinistras autem, fœminarum esse generatrices.

*Partes matricis dextræ cur sint calidiores sinistris.*

*Dextras partes, masculorum: sinistras, fœminarum esse generatrices.*

Eôdem pertinent & quæ ab Hippocrate dicta sunt: Si dexter quidem testiculus attollatur, hoc est, si ualentior sit, masculum gignet: sin uerò sinister, fœminam. Cæterùm pars aliqua dicitur fortior aut imbecillior altera, bifariam: uno quidem modo, simpliciter: atq; ita cor hepate, arteriæ uenis, nerui carnibus, ac deniq; omnia dextra siuistris in omni animalium genere sunt fortiora: alio autem, secundũ huius indiuidui constitutionem.

*Fortius unum altero, bifariã dicitur.*

Leoni siquidẽ potest esse sinister testiculus fortior, si præcipuè in prima compactione, dextro aliquis affectus acciderit: quum nimirũ quælibet pars, morbida magis atq; imbecillior in omnem uitam reddatur, si quod uitium uel exiguum, in prima cõformatione contraxerit. Cuius uitij culpa, tum in primum maris cum fœmina coitum intempestiuũ, tum in grauidę uictus rationem sequentẽ, est referenda. Quum igitur duplex sit masculorũ generationis principium, in fœminis quidem dextra matrix, in masculis uerò dexter testiculus: consentaneum est masculum in dextra matrice, fœminã in sinistra maiori ex parte inueniri.

*Principium generationis masculorũ duplex.*

Fieri tamen potest, licet rarenter, ut sinistra matrix à calore seminis uicta, pro fœmina masculum in seipsa gigni permittat. Quemadmodum contingit etiam interdum, ut semen quod fœminã erat generaturum, calefactum à dextra matrice fœtum efficiat masculum: contrà, quod masculum erat geniturum, à sinistra refrigeratum, in contrarium mutetur. Ipsorum autem fœtuũ causa, existit principium uenarum, matrices ipsas nutrientium, ac mammas cum eis colligantium. Sola enim hęc instrumenta per uasa cõiungi expediebat, ut quando in matricibus augeretur fœtus, atq; conformaretur, illi soli uenę communes, ex utrisq; partibus alimentum affunderent: quando uerò in lucem æditus esset, mammis rursum totum alimentum suereperet.

*Venæ alentis matricẽ, mammasq; eam colligãtes, fœtus gratia constructa.*

Quæ causa est, cur eodẽ tempore menstrua bellè procedere nequeant, & fœmina ipsa lactare.

*Lactante fœmina, menses probè non fluere.*

Poerò ante conceptum in muliere ætate florente, quicquid sanguinis superflui colligitur, natura singulis mensibus per uenas ad uterum pertinentes excernit.

*Menstrua euacuatio.*

Quum autem iam conceperit, ex ijsdem uasis fœtus trahit alimentum copiosum. Quod uerò reliquum est, ad pectoris regionem suggerit. Itaq; meritò dixit Hippocrates, lac germanũ esse sanguini menstruo.

*Lac germanũ esse sanguini menstruo.*

Cæterùm quum fœtus imbecillior effectus, sufficiens alimentũ non trahit, ante tempus lacte intumescunt ubera: gracilescunt autem, quum matrices alimenti penuria laborant: quam constitutionem abortus sequitur.

*Abortus quam constitutionem sequatur.*

Iam uerò non ob id tantùm, quòd dij uoluerint genitalibus quidem uoluptatẽ maximam esse cum usu ueneroorũ coniunctam, florentibus aũt insanã quandã atq; immensam ueneris cupiditatẽ ingenitam, protinus uoluptas atq; cupiditas animalibus accesserũt: sed ex materia atq; instrumẽtis ad ea ipsa cõparatis, utraq; affectio exoritur.

*Venerea uoluptatis, appetentiaque causam, in materia & instrumentis cõsistere.*

Siquidem arteriæ & uenæ prædictæ, quæ ad partes genitales feruntur, matri-

cum

cum quidem fundum præteruehuntur: lateralibus uerò ipsarum partibus postea inuectæ, in duo diuaricantur. Tum autem pars alia illinc à lateribus ad fœminę testes secedit, qui & ipsi matricibus adiacent. Altera uerò in fundũ progressa, multipliciter tota in ipsum distribuitur. Committuntur autem hîc fines uasorum, quæ in sinistrũ sinũ matricis diuisa sunt, cum finibus eorũ, quæ in dextrum eiusdem sinum sunt distributa.

*Testium fœmineorum situs.*

Quo fit ut dextra etiam matrix assumat serosam humiditatem, quamuis exiguam. Siquidem nõ solùm auget in sinistris partibus frigiditatem ea ipsa humiditas, sed etiam cum spiritu iuncta, ubi incalescit, atq; euacuari postulat, acrimonia & mordacitate sua, omnium maximè potest partes ipsas excitare ad agendum, uoluptatemq́; incredibilem interim dum agunt, præbere, acrium humorum exemplo, qui delitescentes sub cute, maximum etiam pruritum inferunt, ac suo motu uoluptatem non exiguam inducunt. Sunt autem genitales particulæ longè, quàm cutis ipsa, sensibiliores, ac proinde maiori uoluptate afficiuntur.

*Serosam humiditatem quæ in matricem confluit, ubi incaluerit, partes excitare ad agendum, uoluptatemq; maximã conciliare.*

Semen igitur (cuius humiditas crassa, uiscosa, spumosa, ac uitali spiritu plena existit) quando in propriũ locum inciderit, principium fit animalis generationis. Quum autem in alienum, exiccatur & contabescit: nimirum expirante quidem repentè spiritu, considente autem humiditate uiscosa.

*Seminis substantia.*

Causa generationis fœminei seminis, est huiusmodi. Ex ijs uasis quæ ad matrices accedunt, pars illa quæ fertur deorsum, inuoluitur, modo persimili ijs uasis, quæ in testiculos masculorum perueniũt. Itaq; superiacens quidem uena, subiacens autem arteria, utraq; in flexus numerosos atque æquales torquetur: in quibus plexibus sanguis & spiritus qui ad testes descendunt, diutissimè cõcoquuntur.

*Semen fœmineũ quo pacto gignatur.*

Testes uerò quũ sint laxi, cauernosiq́, excipientes humorem qui in uasis cœptus erat concoqui, rursus cum & ipsi percoquũt: perfectius quidem ad fœtus procreationem, uiriles testes, maiores & calidiores quum sint, geniturãq́; magis elaboratam excipiant: imperfectius autem muliebres, utpote minores, & frigidiores, excipientesq́; humorem non usqueadeo concoctũ.

*Testes uiriles, quàm muliebres, cur semẽ exactius concoquant.*

Quum igitur omnes particulę alimentum sibijpsis assimilent, mirum esse non debet, si tunicæ uasorum albæ existentes, sanguinem in formam sibijpsis similem, propter longam moram, immutent.

*Partes omnes alimentũ sibijpsis assimilare.*

*Semen cur candidum.*

Quum autem marem quidem semen foras eiaculari, fœminam uerò in seipsam, oporteret: ob eam causam & uasa quæ à testibus semen exciperent, in maribus quidem ad pudendum exporrexit natura, & ad meatũ per quem etiam lotium emittitur, orificio adaptauit: in fœminis autem tum in ipsas matrices inseruit, tum constituit, ut in capacitatem internam semen excernerent.

*Fœmina in seipsam eiaculatur semen.*

*Meatuum excipientium à testiculis semẽ, implantationes.*

Ad hæc etiam, uirile uas spermaticũ, latum ac longum existens, quum iam prope pudendum accesserit, contrahit ueluti quosdam sinus: at muliebre, simul est angustum ac breue, quòd nec multũ, nec crassum semen deducturum, ut illud, esset. Ad excernenda ea quę continentur in uasis, ipsa partium genitalium ueluti conuulsio quædam, quę in coitu uenereo accidit, haud exiguum habet momentum. Nam quòd in morbo comitiali, & gonorrhœa, contrahantur uasa testiculorũ, ob id etiam coguntur semen ipsum exprimere.

*Conuulsio organorum spermaticorũ ad seminis excretionem conducit.*

Iam uerò muliebre semen, præterquàm quòd confert animalis generationi, etiam ad uoluptatem in coitu excitandam conducit. Est autem uirile semen membranarum atque uasorum omnium origo. Ipsum quippe * statim concoquitur, atq; inibi ex muliebri nutrit semine, tanquã id natura sit familiare magis quàm sanguis. Quicquid enim nutritur, à similibus augeri facilius potest.

*Semẽ uirile est membranarum & uasorum omnium origo.*

*Semen uirile à muliebri ali.*

Porrò qui humor in illis corporibus glandulosis gignitur, quæ utraq; parte colli uesicæ locata sunt, is in meatum urinarium effunditur: atq; in masculis quidem, unà cum semine in matricem delabitur: in fœminis autem, & foras, & in muliebre pudendum erumpit. Vtilitates autem eius in sexu utroq; sunt, quòd ad uenerem excitet, in coituq́; delectet, ac denique meatum urinarium madore suo perfundat, habilioremq́; ad urinæ transitum reddat.

*Humoris geniti in glandulosis corporib. utrinque adhærentibus collo uesicæ, usus.*

Cuius humoris uirtute etiam ipsi spadones uoluptate inter coëundum fruuntur. Effluit autem tunc fœminis, quum uehementer oblectantur in coitu. Quo tempore qui concumbunt, circa pudendum sibi eum effundi percipiunt.

*Spadones inter coëundũ qua ratione uoluptate fruantur.*

In masculis autem propria & pręcipua eius utilitas est, qualis seminis existit in fœminis. Sunt enim inter se specie simillima, muliebre semen, & humor qui glandulosis marium corporibus inest: quum & robur & calor masculorum, detentum in ijs partibus humorẽ ita concoquat, ut nihil ei ad fœminarum semen desit. Vnde & meatus qui ex ijs corporibus proficiscuntur, non dubitant nonnulli uasa spermatica nuncupare, & astites glandulosos: sicuti & uaricosos astites, eos qui à testiculis explantantur. At in fœminis ille humor, tenuis atq; crudus existit, ineptusq́; ad gignendum.

*Astites glandulosi.*

*Astites uaricosi*

Verumenimuerò quũ semen matricibus sit succus familiarissimus (cuius recipiendi gratia extiterunt) idq́; duplex habeatur, ad uirile quidem trahendum, matricis collum est destinatum: ad semen autem à proprijs trahendum testiculis, comparata ipsa cornua fuerunt: quæ propterea sursum ad ilia spectant, paulatimq́; arctata desinũt in angustissimos fines, testiculis qui è directo sunt, coniuncta.

*Semen esse succum matrici familiarissimum.*

*Collũ matricis.*

*Cornuum matricis usus, et situs.*

Quod autem eò pertingit uas, marium spermaticis uasis quadam proportione respondet. * Cui insunt etiã & musculosa corpora, quæ ad testiculos ipsos descendunt, qualia in masculis à musculis hypogastrij oriunt. Quum aũt ut testiculos, sic uasa spermatica, in maribus oporteret esse maiora, ac testes ipsi utrinq; pudendi radici adhærerent, longum quendam uiæ circuitũ ipsis uasis excogitauit natura: ea primò ducẽs sursum ad ilia: rursus autem per interna deducens, ad eum usq; locum unde pudendum enascitur, ubi semen erant eructatura. Quo loco multis flexibus ea contorquens, uaricosaq́; efficiens, plurimumq́; amplificans atq; dilatans undiq;, prouentui seminis sic præparauit quamplurima receptacula.

*Spermaticorũ uasorum situs & progressus in masculis.*

At fœminarum testiculi, quum parui penitus existentes, uasa etiam exigua producturi essent, loco, quẽ nunc possident, opportunissimo sunt locati: utraq; quidem matricis parte po

*Testiculorũ fœmineorum positio.*

siti: paulò autem supra cornua, abducti. Praeterea

*Meatus à peritonaeo descendentis usus.*

quo meatu descendente à peritonaeo, ueluti fistula quadam, nutrientia uiriles testes uasa deduxit natura, eodē est ad spermatici uasis ascensum abusa, cōmunem tribus uasorū generibus securitatem, unum hunc meatum inueniens. Illinc autem rursus deducens, coxendicū quidem ossibus, à lateribus: pubis uerò, ex anterioribus: osse deniq; lato, ex posterioribus, ipsum muniuit.

*Vesicae situs.*

Caeterùm uesica prima pubis ossibus subiacet. Post hanc autem, sunt matrices in foeminis.

*Matricem locari inter uesicā & intestinum rectum.*

Post matrices intestinum rectum, tanquam substerniculum molle. Quum autem masculorū uasa spermatica, tendi contrahiq; magis quàm foeminarum in ipso coitu oporteat, ob id ea etiam robustiori tunica constant.

*Genitaliū nerui, uenae, arteriaeq; quales.*

Porrò ad genitales particulas, nerui quidem mediocres, uenae uerò & arteriae maximae, duplicesq;, feruntur.

*Vasorum in testes implantationes.*

Siquidem alterum iugum earum, ex locis propinquis renibus in testiculos & matricis fundum (ut diximus) proficiscitur: alterum autem ex uasis, quae sunt ad os sacrum, seiunctum, infernis partibus insertatur, ubi primū in foeminis quidem matricis collum, in maribus autem uirga, exoritur. Quandoquidē ex hac copula, inferiores illae partes nutriuntur. Sed neruorum etiam iugum quoddā mediocre, ab illa ossis magni regione, simul cum uasis ipsis natura ad partes easdē deduxit.

*Scopi in neruis distribuendis tres.*

Quum enim tres sint scopi in neruis partibus singulis distribuendis: sensus quidē in instrumentis sensificis: motionis, in motorijs: dignotionis doloris in reliquis omnibus:

*Neruis paucissimis fuisse opus matricibus, & partib. quae ad marium testiculos pertinent.*

matricibus quidem totis, & partibus quae ad mariū testiculos pertinent, paucissimis opus fuit neruis, qui in ipsas distribuerentur, ut quae neq; ad sensum exactiorē, neq; ad motum aliquē uoluntarium inseruiāt, nec sint item excrementorū meatus.

*Virgae uirili, & collo matricis, cur plures nerui inserantur.*

At uirga maris, & collum matricis, caeteraq; quae ad pudendum spectant, quòd sensum absolutiorem postulent, uenereorū ratione, meritò sanè sunt plures neruos indepta.

*Matrix cur unica tunica constet.*

Constat autem matrix una duntaxat tunica, quòd sanguine puro atq; benigno alatur, nec periculum sit, ne exulceretur ab acribus succis, quemadmodū uentriculus & intestina,

*Intestinis cur duplex tunica insit.*

quibus nimirum ob id est tunica duplex tributa.

*Vesicae utrique unica tunica est data.*

Quinetiam uesicę utriq; unica tunica est data, dura tamen & robustissima, aegreq; patibilis, quum uidelicet ea instrumenta, ad excipienda tantùm excrementa sint destinata.

*Matricis tunicae cur insit omne genus fibrarum.*

Verùm genus omne fibrarum tunicae matricis est inditū, quò rectis quidem fibris ad sese trahere, transuersis excernere, retinere aūt simul omnibus possit. Quae uerò membrana intrinsecus circundata est matrici, utrunq; illius sinū in idem iungit.

*Matricis connexiones ad uicina corpora.*

Alligantur aūt matrices corporib. circumiacentibus per quaedam ligamenta ita soluta & laxa, ut tensioni quidem ipsarū & concidentiae facilè cedant & obsequantur, eas tamen minimè auelli aut deturbari permittant. Iam uerò quum collum quidem matricis, deorsum in pudendum inclinet, reliquā totam capacitatē in uentre esse sitam oportuit. Quia autem laxi admodum testes & carnosi & molles, cum spermaticis uasis, densis, duris, & fortibus, coalescere tutò non poterant, ob id natura, non in ipsos testes, sed in uocatam ἐπιδιδυμίδα, mediam amborum, spermaticum uas inseruit.

*Epididymides.*

Epididymides tamen in foeminarū testiculis maximè sunt obscurae: quia & testiculi earum, & etiam uasa spermatica, admodum sunt exigua: substantiae quorum inter se nō magno discrimine dissident.

*Testes marium humidiores sunt ac molliores foeminarum.*

Porrò marium testes humidiores sunt ac molliores foeminarum testibus, & uasa seminaria duriora.

## GALENI PERGAMENI
### de Vsu partium lib. XV.

QVum igitur duo facere animalia quę procrearent, esset melius, quàm unum, pulchrè mea quidem sententia, ipsarum particularum alias quidem ad recipiendum, alias autem ad excernendū semen, natura fecit accommodatas: quarum nulla aut perfectius constitui, aut melius usquam locari potuit. Ipsius autem transmutationis tam subitae, qua pudendū uirile in cōtrarias dispositiones mutatur, quum uenae in causa esse non possent (sanguinis enim substantia non potuisset tam celeriter aut repleri, aut uacuari, sed aër uel spiritus) nec arteriae etiam, ob perpetuam illam dilatationis & concidentiae necessitatem: nec nerui qui à cerebro aut spinali medulla oriuntur

*Neruis nō inesse cauitatem conspicuam.*

(nullam enim hi habent hi cauitatem conspicuam, nec dilatari aut contrahi naturaliter possunt) nec denique ligamenta, aut tendones, aut carnes, aut ossa, aut cartilagines:

*Erectionem depressionemq; pudendi uirilis, necessariam fuisse generationē illius neruosi corporis, quod à pubis ossibus nascitur.*

necessarium utique fuit illud corpus neruosum, quod à pubis ossibus nascitur, cauum simul & omni uacuum humore (id quod caeteris ligamentis nō contigit) ut uicissim tum intumesceret, tum mole deprimeretur. Quo pacto autem id corpus talem constructionē sit nactum, si nimis anxiè scruteris, conuinceris quidem non intelligere, neq; tuam imbecillitatem, nec tui facultatem creatoris. Oportuit autem ipsum ex medijs superioribusq; ossium, quae in pube sunt, partibus, exoriri. Nam sic plurimum ab ano erit ipsum pudendum dissitū, ad coitumq; locum opportuniorem habebit.

*Coniuge carentem particulā, requirere positionem mediā.*

Etenim quandocunq; pars aliqua caret coniuge, maiori ex parte positionē mediam requirit. Vbi uerò duarum partium coniugium adest, utraque pars aequabiliter uult à media recedere.

*Tensi pudendi causa.*

Porrò non solum ipsius coitus causa, per uenerem oportet esse exactè tensum pudendū, sed etiam quò meatu diducto ac directo, semet euibretur longissimè. Siquidem si concideret aut flecteretur ipse meatus, haereret semē.

*Generare qui nequeant.*

Quam ob rem quibus ob uinculum quod ad uirgae glandem habetur, meatus contortus est, ij generare non possunt. Foecundi autem redduntur, uinculo abscisso.

*Penis quando intendatur.*

Caeterùm extenditur penis, atq; in tumorem attollitur, dum spiritu neruus ille cauus repletur.

*Seminarij meatus positio.*

Iam uerò in partibus pudendi inferioribus, seminis meatus secundū longitudinē exporrectus, medius est constitutus.

*Pudendi neruus cauus.*

Incubat autem huic neruus cauus. Vtraq; uerò horum parte, musculi duo, quò meatus ceu à manibus quibusdā in utranque partem distractus, quammaximè dilatetur, toto pudendo stabili permanente.

*Pudendi musculi duo.*

At quum uesica etiam propè constituta esset, non erat opus

ad ex-

ad excernendum lotiū alium meatum cōstruere, sed feminis uti meatu.

*Colli vesicæ positio.*

Quare meritò collū uesicę totum peritonæum occupat, utpote sursum ab ano (cui incubabat primò) usq; ad pudendi exortum se extendens.

*Pudendi muliebris positio.*

In mulieribus autem, pudendum quidem ipsum ano incumbit: in finem autem eius superiorem, collum uesicæ desinit, unde lotium profunditur.

*Pudendi utriusq; epiphyses, cuius gratia constructæ.*

Quod uerò ad cutis epiphyses, quæ sunt in finibus utriusque pudendi, pertinet, in mulieribus quidem tum ornamenti gratia extiterunt, tum ne matrices refrigerarentur: uiris autem, præterquàm quòd ornamentū adferunt, carere ipsi omnino ijs non poterant. Cuiusmodi autem pharyngi uua est propugnaculum, tale est matricibus, quam nympham appellant.

*Nympha.*

At fœtui delitescenti in utero, tenuis quædam membrana, quam agninā uocant, undiq; est circumiecta, ipsius ueluti sudorem excipiens.

*Agnina membrana.*

Huic autē extrinsecus alia tenuior incumbit, farciminalis dicta, ad uesicā usq; fœtus pertusa, quæ usq; ad horam partus in seipsa lotium illius colligit.

*Farciminalis membrana.*

His rursus in orbem chorion, hoc est, secundæ, sunt circunfusæ, matricē totam intrinsecus subungentes, ut per eas medias fœtus matrici annectatur.

*Secundarum usus.*

*Vasa quæ intra matricem fœtus alendo gignuntur.*

In singulis porrò orificijs uasorum, quæ intrinsecus ad matricem pertinent, (per quę etiam sanguis menstruus in ipsam deferebatur) quo tēpore utero geritur, aliud uas gignitur, arteria quidem in arteriæ, uena uerò in uenæ orificio: ut sint ea quæ generantur, numero æqualia ijs orificijs, quæ intrò in matricē desinunt. Colligat autem ea inter se tenuis quidem, sed fortis membrana, quæ extrinsecus uasis omnibus circumhæret, partibus uerò matricis internis inseritur. Exiguū sanè est illorum uasorū quodq;, quum primùm à matrice exoriuntur, cuiusmodi sunt arboris radices extremæ, in terram defixæ. Ea tamen progressa paululum, per coniugationem coalescunt, ex duobusq; unum procreatur, rursusq; illorum singula cum singulis eiusdem generis coëunt, fitq; id perpetuò, donec parua omnia in duo magna coalescant, quæ ueluti stipites quidam, fœtui per umbilicū inserantur. Quatuor itaq; omnino sunt iam hic uasa, duę scilicet arteriæ, & uenę totidē, nullis diuersi generis inter se cōmistis, sed uenis semper cum uenis, arterijs cum arterijs in idem coëuntibus.

*Venam prætergressam umbilicu in sima hepatis insertari.*

*Arteriam prætergressam umbilicum, in lumboris arteriam inseri.*

Quòd autem uenæ ipsæ umbilicū prætergressæ, in partes hepatis simas, arteriæ uerò in partem arteriæ magnæ, quæ ad lumbos est, inserantur, quomodo non sit dignum admiratione? Siquidem uenas uidere est, statim ut umbilicū superarint, inter sese mutuò coire, unāq; effici, quę postea membranis fortibus cōuestita, uicinisq; corporibus colligata, rectà ad uiscus usq; progreditur. Oportebat enim ipsam prius ad uenarū principium in fœtu accedere, postea illinc in omnes partes distribui. Arterias autem expediebat & ipsas sanè in arteriarum principium, sinistrum uidelicet cordis uentriculum inseri. Verùm quum hic uentriculus à locis umbilici sit disitus quàm longissimè, nō erat tutum eas ueluti pendentes, tanto itinere sursum ducere. Quare gratia maioris securitatis, primò quidem ad propinquā uesicam produxit illas: dein uerò per totam ipsam (cui uinculis alligantur) tutò ad magnam usque arteriam, quæ à corde fuit exorta, deduxit.

*Vmbilici vasa quatuor.*

*Cōpax/e.*

*Vrinaculi usus.*

Quatuor itaq; sunt prædicta in umbilico uasa, duæ scilicet arteriæ, & totidem uenæ, in medio sui habentes ὀυραχὸν, hoc est, urinarium meatum, qui ex fundo uesicæ exortus, lotium in farciminalem membranam deriuat. Cæterùm superioribus ipsius meatus partibus, uenæ: inferioribus arteriæ adhærescunt. Per quæ uasa, ueluti per truncos quosdā, ex matrice trahit fœtus sanguinem & spiritū. Inter hæc uerò omnia, & uasa illa exigua, quæ in matricem feruntur, media est quædam ceu trunci radicatio, quam chorion appellant, existens prodigiosa multitudo uasorū, quæ à membrana tenui quidem, sed forti & duplici, amiciuntur, connectuntur, & colligantur.

*Chorion.*

*Humoris contenti in agnina mēbrana, usus.*

Est autem utilitas minimè cōtemnenda illius humoris, qui intra amiculum, hoc est, agninā continetur membranā. Fœtus siquidem in eo quasi innatans, sursum tollitur ac uehitur, ut minus sit grauis ijs uinculis, per quæ matrici cohærescit. Ad hæc etiam cùm partus instat, eo humore perfusus, facilius collo matricis elabitur.

*Acetabula.*

Veruntamen si acetabula, quæ sunt ad matricem perueniéntium orificia uasorum, mucore referta fuerint, nequeunt fœtum gestare. At uerò ut matricis capacitas tota fœtui cederet, ipsaq; grauida pondere premeretur minus, atq; in partu etiam facilè rumperetur, iurè natura membranas omnes, quæ ad fœtum spectant, efficiendo pertenues, ex mutua inter se connexione securitatem eis comparauit.

*Vrinæ excretio quo fiat modo.*

*Vrina fœtus cur per vesicæ colliū nō excernatur.*

Quum autem fiat excretio urinæ, dum uesica motu naturali circum humores quos in seipsa continet, undique tota contrahitur: adsit uerò infantulo delitescenti in utero ad ipsum collum uesicę urinarius meatus: quid potest in causa esse, cur per eum nihil lotij reddatur, sed totum sursum ad urinaculum dictum ascendat? In causa certè sunt, tum latitudo urinaculi, multis numeris maior ea quæ collo inest: tum rectitudo maxima eiusdem, quæ ad educendam urinā, colli obliquitate est præstantior. Taceo nullum musculū esse extrinsecus urinaculo appositum, qui effluxum excrementorum prohibeat, cuiusmodi reperitur ad collum uesicæ. At uerò maiori mensura, quàm pro aliarum partium portione, hepar in primo conformationis tempore excedit: excedit etiam non mediocriter usq; ad partum. Secundum ipsum, cerebrum, & cor, excellunt magis quàm pro aliarum ratione particularum.

*Hepar est venarum principiū.*

*Venarum usum fuisse necessarium cerebro & cordi gignendis.*

*Hepati ac venis nō fuisse usqueadeo opus arterijs aut neruis in prima generatione.*

*Pulmo cur in ijs qui gestātur utero, admodum ruber sit.*

Causa autem eius rei est, quòd hepar quidem uenarum principiū existit. Quia igitur fœtus dum formatur, atq; augescit in utero, magis eo usu indiget, quem uenæ præstant (ut qui diutissimè plantarū more regatur) principium harum mox à prima generatione natura robustissimum fecit. Cerebro quippe & cordi, & instrumentis quæ ab illis emergunt, utilitas quæ à uenis proficiscitur, necessaria erat, quòd ea sine sanguine, nec generari, nec augeri possint. Hepati uerò ac uenis, arteriarum quidem usus erat exiguus: neruorum autem nullus, antequàm absoluta essent. At cur pulmo in ijs qui geruntur utero, est ruber: nō aūt ut in perfectis animalibus, albicās? Quia tunc nutrit per uasa uni-

cam tunicã,& eam tenuem habentia,ad quę quidem ex uena caua fluit sanguis:in natis uerò,occæcatur quidem uasorum reseratio: aër autem copiosissimus tunc incidit, sanguisq; parcissimus,atq; idem tenuissimus. Quinetiam pulmo tunc motu perpetuo agitatur, animali nimirum tunc respirante. Quo fit ut sanguis à spiritu incisus,motuq; agitatus duplici, altero quem ex arterijs habet, altero quẽ ex toto pulmone acquirit,tenuior adhuc seipso & mollior,ac ueluti spumosus reddatur, pulmonisq; carnẽ sibi similem reddat. In fœtibus itaq; uena caua est in arteriã uenosam pertusa. Quum aũt id uas,nempe arteria uenosa, uenæ officiũ pulmoni præstaret, necessum fuit uas alterum in arteriæ usum accõmodari:quocirca natura id quoq; in magnam arteriam pertudit. Verùm quum hic uasa aliquantulum inter se distarent, aliud tertiũ uas exiguum, quod utrunq; coniungeret,effecit.In reliquis uerò duobus,quum hæc quoq; mutuò se contingerent, ueluti foramen quoddam utriq; cõmune aperuit: tum membranã quandam in eo, instar operculi,est machinata,quæ ad pulmonis uas facilè resupinaretur, quò sanguini à uena caua impetu affluenti cederet quidem: prohiberet autẽ, ne sanguis rursus in uenam cauam reuerteretur. Quod foramen, quamprimùm animans est in lucem emissum, aut certè non multò pòst,coalescente membranula, conglutinatur. Pari modo id uas,quod magnam arteriam uenæ,quę fertur ad pulmonem,connectit,quum aliæ omnes animalis particulæ augeantur, non modò non augetur, uerumetiã tenuius semper efficitur, adeò ut tẽpore procedente penitus tabescat,atq; exiccetur. Quòd igitur hæc omnia natura affabrefaciat, declarat singulorum usus. Inuenire autem facultatẽ qua talia efficiat, humani ingenij non est. Iam uerò quòd os matricis,quo tempore fœmina in utero gerit, adeò constrictum sit, ut ne specilli quidem cuspidem in matricis collum immittere queas:quum tempus autem pariendi appetit (nempe quum fœtus iam ita perfectus est, ut possit per os nutriri)adeò aperiatur & dilatetur,ut integrum animal reddat: quonam pacto id accidat, mirari quidem possumus, intelligere autem non item. Caput autem fœtus in ipso partu natura primũ collo matricis indidit, tum per id alijs ipsius partibus uiam muniuit, intelligẽs nimirum contrarias huic alias pariendi formas longè periculosissimas esse. Cæterùm hoc omnem admirationẽ superat, quòd natura animalia quæ in lucem æduntur,actiones omniũ partium docuerit,facultatem quandam sapientię ipsis à sese doctam ingenerans,qua instructa,subitò ad alimentum sibijpsis familiare festinant. At homini recens ædito proprium alimentũ est lac in mamillis contentum, ad quas suopte conatu mouetur. Producuntur autem postea dentes infantulo, ne is semper matri molestus sit. At quũ dentibus mandendi actio accedit, quæ & ipsa à nemine docta est, reliquæ deinceps actiones omnes sequuntur. Sed de musculis articulũ ischij mouentibus,pauca impræsentiarũ dicamus. Natura solis hominibus inter pedestria omnia,duo crura tribuit, quæ essent ambulationis organa.

*Venam cauam in fœtibus in arteriã venosam pertundi, atque hanc in magnã arteriam.*

*Facultatem inuenire, qua natura singula efficiat, humani ingenij nõ esse.*

*Caput fœtus in ipso partu primùm edi à matrice: huic autẽ cõtrarias alias pariẽdi formas, periculosissimas esse.*

*Animalia ædita in lucem, statim docta esse actiones omniũ particularum.*

*Lac esse alimentum proprium homini recẽs in lucem ædito.*

*Actiones reliquas sequi in iam ædito, pòst actionem mandendi.*

*Crura duo solis hominibus data esse inter pedestria omnia.*

Simiæ uerò quatuor, sed talia dedit, qualia adsunt infanti, nunc primũ eis uti conanti. Etenim quatuor artubus, quadrupedũ instar, graditur: & præterea anterioribus tanquam manibus utitur. At ubi homo increuit,non amplius anterioribus artubus,tanquam pedibus, utitur. Simia uerò perpetuò inter utraq; ambigit. Ad hæc, quos musculos natium ridiculos ac decurtatos simia sortitur,eosdẽ homo habet sitos bellissimè,tum ad decus partium necessariarum, tum ne anus contundatur sedendo. Quũ igitur articulum coxæ flecti quidem oporteret crure sublato,extendi uerò eodem depresso, in ijsq; actio eius præcipua constaret,musculos crus extendentes atq; flectentes, fecit natura tum maximos,tum plurimos: secundum illos, magnitudine ac numero, eos fecit qui crus circumagunt. Prima itaq; musculorum differentia est triplex,quarum singulæ in alias duas diuiduntur. Nam flectentes, extendentibus magnitudine & numero sunt minores: sicuti adducentes intrò, foras abducẽtibus. Porrò qui femur in orbem circumagunt, quodammodo sunt æquales. Est autem crurũ actio, ambulatio, cursus, & statio. Verùm ambulatio quidem & cursus, cruribus ipsis contrario inter se modo affectis: statio uerò, itidẽ habentibus, hoc est, fixis in terrã perficitur. Flectitur autem crus ad inguen,quum ipsum attollimus: extenditur,quũ id ad terram deprimimus. Summã uerò extensionem & statum ultimum habet,quum stamus. Proinde natura fortibus,multis, ac magnis musculis hanc actionem cõmisit. Primùm quidem ei, qui totũ articulum ex posterioribus partibus tegit. Pòst autem illi,qui ipsum excipit, quiq; ab osse ilium exortus, in altissimã magni trochanteris partẽ inseritur. Tertiò ei, qui post hunc ab externis & inferioribus ossis ilium emergẽs partibus, in primas internas magni trochanteris partes infigit. Quartò præter hos ei, qui ab osse lato profectus,inseritur omnibus posterioribus partibus, usq; ad summitatẽ,magno trochanteri. Sed primus omnium cõmemoratus, inclinabilem extensionẽ fortem efficit,dum femur duobus finibus sursum trahit. Nam si altero tantùm agat, paululum deducet ad latera. Secundus extendit simul,& femoris caput intrò retrahit. Reliquorũ uterq;, sursum quidem tendit paululum, sed alter quidem femur extrà circumagit, alter autem intrò paulò magis tendit, quàm sursum. Alius præter hos est quintus musculus,omniũ qui sunt in corpore,maximus,internis & posterioribus partibus usque ad genu, toti ossi femoris circumhærens. Cuius musculi posteriores fibræ, quæ à coxendice emanant, crus firmum stabiliunt,extendentes articulationem. Porrò qui prædictis quinq; musculis sunt oppositi, ipsamq; articulationem flectunt, illis sunt inferiores,tum numero,tum magnitudine. Quorum supernus est rectus, unicoq; tendone, ex duplici exortu,conflato,in summitatem parui trochanteris inseritur. Sed qui cum eo in ipsum quoq; trochanterẽ descendit, insertatur inferius. Musculus item alius,ex partibus anterioribus ossis pubis enatus, obliquus attenditur, similem actionẽ cum eo habens. Tum quartus, qui

*Infantes quatuor artub. quadrupedum instar gradiri.*

*Simiæ gressus.*

*Natium musculos esse simiæ ridiculos, & decurtatos, homini autem belle constructos.*

*Musculos crus extendentes atque flectentes fecit natura multos et maximos.*

*Crurum actiones quæ.*

*Ambulatio, cursus, statioq;, quo modo fiant.*

*Cruris flexio extensioq; quãdo accidant.*

*Musculi crus extendentes.*

*Musculus omnium maximus, quis nam sit.*

qui articulationem qnæ genu inest extendit per aponeurosin, quę patellam genn supergreditur. Verùm hic quidē per accidens femur flectit, utpote mouendæ tibię gratia productus: alij uerò tres, prima actione. Qui uerò intrò femur abducunt (sunt enim duo, à partibus ossis pubis anterioribus orti) nō modò crus intus trahere, sed flectere etiam mediocriter possunt. Cui etiam actioni inseruit tertius alius prælongus musculns, qui productus ex pubis ossis anterioribus partibns, in caput internū genu insertaē. Quam etiam actionē præstat, primi quem diximus musculi pars interna. Extrorsum aūt femur abducit, tum pars altera huius eiusdē musculi qui primus omnium fuit numeratus: tum etiam musculus ille, qui ab osse lato emergens, paulum circumagit femur. Reliqui autem alij sunt duo musculi, qui femur mouent, unus quidem ex internis, alter uerò ab externis ossis pubis partibus ortus: qui ambo circa articulum coxæ obuoluti coalescunt. Atque hi omnium prædictorum musculorum soli, uterq; uersus seipsum trahens, femur inuertit, ac circumagit. Nam quemadmodum ex superioribus quidem partibus oportet musculus is descendat, qui crus sursum trahit: eorum uerò qui ad latera mouent, intrinsecus quidem exoriri est necesse eos qui intrò crus abducunt, extrinsecus autem qui foras: sic etiam qui musculi femur torquent & circunducunt, ij in orbem conuoluantur est necessarium.

*Femur intrò abducētes musculi.*
*Femur extrorsum agentes musculi.*
*Femur circumagētes musculi.*

## GALENI PERGAMENI
## de Vsu partium lib. XVI.

Qvum autem cerebrum principium neruorum, cor arteriarum, ac deniq; hepar uenarum esset futurū, atq; hæc quidem instrumenta, æquissimè simul & tutissimè in singulas corporis partes distribui oporteret, satius existimauit natura, nec tot numero producere, qnot ipsæ existunt particulæ: nec prorsus multa, sed ubi maximū unum organum, ceu truncū, ab unoquoq; produxisset principio, tum demū ab eo progrediente, ueluti ramos quosdam dispertire in partes propinquas, secundum dignitatē cuiusq;: quemadmodum aquam potabilem, qui huius rei sunt periti, in totam urbem distribuūt. Meritò igitur uena caua, quę ex gibbis partibus hepatis sursum ac deorsum procedit, trunco bifido est similis, propterea quòd corporis nostri, alia quidem pars hepate est altior, alia uerò humilior. Ad eundem modum arteriā, quæ ex corde enascitur, cernes protinus imparibus sectionibus bifariam esse diuisam: altera maiore, quæ fertur deorsum, qudd ibi corpus sit maius: altera minore, altioribus corporis partibus distributa. Simile quippiam prædictis, à cerebro etiā producitur spinalis medulla, quæ partibus omnibus quæ sunt sub capite, neruos immittit. Nullus tamen neruus neq; in ossa, neq; in cartilagines, neq; in ligamēta, neq; in quasuis glandulas, quarū duplex natura existit, inseritur: quandoquidem superuacaneū erat illis motum uoluntarium, aut sensum tribuere. Nec uerò adeps quoque ulla in re neruos desiderat, quæ ex parte pinguiore sanguinis per tenues uenas affusa, partibus animantis membranosis, tenuibus atq; siccis, instar olei pinguis, adhæret, * ut eas uidelicet per diuturnas inedias, exercitationes uehementes, atque calores improbos, ocyssimè resiccatas, natiua sua pinguitudine humectet. Glandulæ uerò, quæ sunt ueluti stabilimentū diuisionis uasorum, nullis sanè ad id neruis indigent, quum nec sensum, nec motum uoluntarium ad id desiderent. Quæ autem ad succos animanti utiles fuerunt comparatæ, quemadmodum uenas & arterias nonnunquam perspicuas, ita & neruos habuerūt, unius sensus gratia. Siquidem ad uoluntarium motum obeundum, natura in animalibus unū genus instrumentorū construxit, quos musculos uocant. Proinde quanquam nerui omnes motū habeant & sensum, nulla tamen pars alia, quæ neruos recipit, motu uoluntario est prædita, sed sentit duntaxat: ut cutis, membranæ, tunicæ, arteria, uena, intestina, matrix, uesica, uentriculus, ac uiscera omnia, & glandularum species altera. Quòd uerò & sensuum organa, neruos ad sensum flagitabant, quid opus est cōmemorare? Cęterùm quibus sensu exactiori erat opus, ijs neruos molles natura tribuit: ut illis quæ motum uoluntarium postulabant, duros omnes: quibus autem utraq; actione erat opus, neruorum genus utrunq; inseruit: ad sensum quidem, neruū qui pateretur facilius, accōmodans: ad motum autem, qui ualentius ageret. At neruus mollis semper in ipsa sensoria inseritur: durus autem, in musculos qui ea mouent. Porrò inest mollis neruus uentriculo, hepati, intestinis omnibus, ac uisceribus, quemadmodum & ex ossibus omnibus, solis dentibus, tum quòd hi, ijs quæ sibi occurrūt, nudi sint expositi, tum quòd ipsos unà cum lingua sentire oporteret sapores atq; dijudicare, nō aliter quàm cæteras oris particulas. At uerò in cutem ipsam à subiectis partibus fibrę quædam neruorū perueniunt, quę simul ipsam cum subditis corporibus colligant, simul etiam ei sentiendi facultatē suppeditant. Soli autem oculi, propter utilitatis dignitatem, maiores & molliores, quàm ulla alia pars, sunt neruos sortiti, quòd uidelicet eorū sensus sit aliorum omniū certissimus. Quum igitur sensus quidem in patiendo sit: motus aūt quo nerui & musculi mouent, in agendo: optimo sanè in re ipsi quidem primo uidendi instrumento in oculo neruus mollis, mouentibus uerò ipsum musculis, durus insertus est. Ad eundem modum & linguæ ipsi natura duo neruorum genera tribuit: alterum quidem molle, quo sapores dijudicaret: alterum uerò durum, quo multiformiter moueretur. Ad aurem etiam utranque, neruum mollem induxit, aliosq; duros auribus ijs immiscuit, quæ habituræ motum aliquem erant. Mollium quoque neruorum nasus etiam fuit particeps, & dentes, & totum palatū: nam hæc quoq; sensu exactiori indigebant. Rursum nerui optici meatus habent sensibiles, per quos ad cerebri uentriculum pertingentes, ad oculos spiritus sensibilis defluit: quę etiā causa fuit, cur crassi extiterint. Etenim ubi uterq; anterior uentri-

*Cerebrum principium esse neruorum.*
*Cor esse arteriarum principiū.*
*Hepar esse uenarum originē.*
*Venam cauam esse trunco bifido similem.*
*Arteria magna diuaricatio.*
*Spinalis medulla uelati quidā neruorum truncus.*
*Neruis partes carentes.*
*Glandularum natura duplex.*
*Adeps quib. adhæreat.*
*Adipis usus.*
*Glandulæ stabiliunt diuisiones uasorum.*
*Glandula neruis prædita.*
*Musculi, uoluntarij sunt motus autores.*
*Musculos solos uoluntario motu esse praditos.*
*Neruos molles quibus tribuerit natura.*
*Neruos duri quibus tributi.*
*Neruus mollis semp in ipsa sensoria inseritur: ut durus, in musculos illa mouentes.*
*Dentibus cur inter ossa cætera, solis sit mollis neruus tributus.*
*Dentes dijudicare sapores.*
*Oculos sortitos maiores & molliores neruos, quàm ulla alia pars.*
*Oculorum sensum esse aliorū omnium certissimum.*
*Sensus in passione consistit.*
*Motus in actione versatur.*
*Lingua duo neruorum genera inesse.*
*Opticis neruis meatus inesse sensibiles.*

*Opticorum neruorum ortus.*

*Nerui duri quibus tribuantur partibus a spinali medulla.*

culus ad latera desinit, illinc optici nerui exoriuntur, ipseq; uentriculorũ ceu thalamus, propter illos neruos existit. Ob uehementiam aũt actionis, consistentiæ duritiem, atq; situm remotum, cæteris omnibus partibus, quæ sub facie consistunt, suggeruntur nerui duri à spinali medulla, præterquàm intestinis, uisceribus atq; instrumentis uocis. Quorum nõnulla quidem, ut cor atq; os uentriculi, cum cerebco colligari oportebat: alia uerò, q prope ipsum sita essent, soloq; sensu indigerẽt, neruos molles habuerunt.

*Vox principalissima est omnium animæ actionum.*

*Vox cogitationu mentis est nuncia.*

*Laryngis munus & compositio.*

*Laryngis musculorum situs & positiones.*

Porrò quòd uox principalissima sit omnium animæ actionum (nam cogitationum mentis est nuncia) oportuit eam quoq; fieri per instrumenta quæ neruos à cerebco assumerent. Quum igitur larynx sit primum & principalissimum instrumentum uocis, ex tribus quidem conflatum cartilaginibus, habens autem in medio sui epiglottidem, ac musculos circiter uiginti, ei ferè usui seruientes, quorum musculorum nõnulli transuersam magis quodammodo, alij obliquã habent positionem, alij deniq; rectam: sic tamen ut eorum quidam supernè orti, finibus suis inferni partes quasdam laryngis moueant: alij contrà, oriantur quidem infernè, ac superioribus finibus agant: æquum certè fuit, ijs qui supernè deorsum feruntur, neruum supernè immitti: eis uerò qui sursum ex inferioribus partibus, indidem esse neruorũ principium, quemadmodum obliquis atq; transuersis, etiam secundum positionis figuram. Ac supernè quidem deorsum feruntur, tum ij qui ab osse hyoide ad cartilaginem scutiformem perueniunt musculi, tum qui ab ambobus ad pectus pcoficiscuntur. Ab infernis autem partibus sursum se attollunt, qui arytænoidem cartilaginem mouent. Recti itaque sunt prorsus quatuor, duo ad obliquum inclinant. Quanquam leuiter etiam obliqui sunt, qui fines inferiores cartilaginis θυρεοειδοῦς, siue scutiformis, cum cartilagine, quę nomine caret, connectunt. Quin & ij musculi qui trium cartilaginum maximam connectunt stomacho, fibras transuersas, sed in obliquum spectantes, sortiuntur. Atq; his certè natura, à sexta coniugatione neruos immittit, quorum alter quidem ad uerticem cartilaginis θυρεοειδοῦς, intrò in ipsum laryngem pertinet, alter autem ad trãsuersos accedit musculos: à quo etiam ad musculos ad pectus porrectos, fines quidam perrumpunt. Duæ itaque sunt hæ coniugationes neruorum, ad positionem obliquam spectantium. Tertia uerò est alia eorum, qui ad musculos cartilaginem sursum tollentes perueniunt: quę quum alius principium postularet, nõ potuit à sexta coniugatione produci. Quare à cerebro per totum laryngem utraq; parte duo nerui recti extenduntur, unus ad lęuam, alter ad dextram. Quũ uerò tres supersint in larynge musculorũ coniugationes, maximè quidem necessariorum ad uocis generationem, rectam autem positionem habentiũ, ita ut capita sint infernè, fines autem ipsorum supernè, quibus necessum erat à cerebco per partes inferiores neruos ipsos immitti: natura ex sexta coniugatione, à qua oportuit cordi & uentriculo & hepati neruos etiam distribui, neruos quosdam carotidibus arterijs stabilitos, ad infernam thoracis partẽ deduxit.

*Recurrentium neruorũ ortus, progressus, et reditus.*

Vbi uerò peruenerunt illuc, unde germina arterię magnæ exoriuntur, quum aliquẽ ipsorum partem reuerti ad laryngem esset necesse, duo ab alijs atq; à seinuicem separati & diducti, sinister quidẽ paulò longius progressus, ad radicem maximæ arteriæ se inflexit, ueluti circa aliquam rotulam, atq; illinc denuò ad laryngem reuersus est. Dextrum autem dorso illius arteriæ impositum, quæ in dextra thoracis parte obliquam positionem tuetur, & à qua acclinis carotis oritur, circa eum angulum natura inflexit, qui fit in ipsius carotidis productione, ac rursus uersus laryngem produxit. Quia uerò talis inflexio erat lubrica, natura apophysim quandam à sexta coniugatione, ei tanquam manum porrexit. Quæ quidem cum magno neruo eum colligans, flexionẽ simul & reditum quamtutissimum illi effecit. Portio etiam neruorũ quædam à cerebro ad uiscera mittitur, exigua quidem ad partes cæteras, magna autem ad os uentriculi, quòd natura partẽ hanc fecerit instrumentũ appetitus ciborum, ad portam (ut sic dicam) situm, omnium organorum quæ ad alimenti dispensationem fuerunt comparata. Quare natura in id neruum quendam syncerum, & cum nullo duro mistum deduxit.

*Os uẽtriculi est instrumentum appetentiæ ciborum, ob idq; à cerebro neruũ syncerissimum recipit.*

Ex quo portionem exiguam in ipso transitu decidens, stomacho, pulmoni, & asperæ arteriæ illam communicauit. Ex eadem etiam coniugatione syncerum neruum cordi & hepati indidit. Ad alia uerò omnia quę sunt sub diaphragmate, intra peritonæũ, ab his quoq; neruis pars quædam accedit, non amplius syncera, sed ijs neruis qui à spinali medulla oriuntur, permista. Quare partes in quas deferuntur, robur quidem ac uires, ex spinalis medullæ: sensum autem cæteris exactiorem, à cerebri miscella recipiunt. Porrò ubi natura per longum iter neruum est ductura, aut motui musculi uehementi ministraturũ, ibi substantiam eius corpore crassiori quidem, cætera autem simili intercipit: beneficio cuius contingit neruo ipsi crassescere atq; corroborari. In primos autem eosdemq; latos scapularum musculos, qui ab occipitio oriuntur, ac desinunt in dorsum ossium scapularum (quod sursum trahunt) à cerebro magnus neruus inseritur, emergens unà cum alijs, quos diximus oriri à sexta coniugatione. Maximo enim neruo erat opus ijs musculis, nõ modò propter magnitudinem, uerumetiam propter actionis uehementiam, ut qui totam scapulam sursum trahant.

*Lati scapularũ musculi unde neruos recipiant.*

Post hos autem nerui commemorabiles, musculis à primo quidem spondylo ortis, in sublimem autem scapulæ partem insertis, à natura sunt dati. Primæ uerò productioni musculorum circumagentium caput, à neruis ad magnos musculos utriusque scapulæ pertinentibus, pcopago quædam inseritur: deinceps autem à colli spondylis, ut quodque principium ad seipsum trahens musculum uicatim motum efficiat. Quin & musculis duobus qui sunt ad tonsillas, & ijs qui ad imam partem hyoidis perueniunt, neruus à cerebro datur. Alia præterea neruorum tenuium coniugatio, quæ à sexta oritur, ad linguæ radicem

cem peruenit. Nullus autem alius à cerebro infra faciem descendit. At à secunda copula eorū qui à collo oriuntur, nerui ad caput ascendunt, duo quidem ex partibus posterioribus, duo autem à lateribus in cutem faciei distributi, atque aurem utranq;. Quum autem musculus latus, qui buccas & oris latera mouet, multa principia sortiatur, definatq; in buccas ipsas & labia, os aperiens ad latera, idcirco fibras omnes etiam à colli spondylis recipit, ad eas partes tendentes, & cum eis neruos transuersos, maximosq; & plurimos. Fibris uerò quæ in scapulas & clauim sursum ferunt, nerui minores insunt, qui etiā cum fibris procedūt. Quę uerò ipsius lati musculi partes ab radice auriū per buccas, super musculū mansorē natæ, neruis utunt per foramen excidentibus cæcum, positionē habent fibris, quæ ei parti insunt, similem, & principiū propinquius. Quemadmodum autem ad musculos colli nerui ab inferioribus partibus sursum ferunt, quód ij caput antrorsum moueant: ita & duobus musculis qui retró ad dorsum totam scapulam contrahunt, iuxta posticam apophysim, quam acantham uocant, neruorū principium est constitutū. Pari modo & reliquos scapularū neruos, & eos qui ad costas perueniunt, reperias secundū ipsas musculorū fibras dissemi natos. Nam ijs musculis qui sursum feruntur, ex partibus thoracis intercostalibus nerui excidentes distribuuntur. Qui uerò à collo deorsum ad thoracem descendunt, ijs spinalis medulla colli neruos demittit. Quum autem musculi qui ad epomida sunt, totum brachium sursum tollentes, ualidum neruum desiderarent, à regione inter quartum & quintum colli spondylum sita, ex ipsa spinali medulla duplicem neruum produxit, quem ad partem epomidos externam simul & superiorem extendit, ita profundum utrunq;, ut ne appareant quidem. Solet etenim securitatis gratia non solùm copulare neruos natura, sed etiā per interna deducere, quemadmodum arterias & uenas. Sic etiam nerui qui ad extremas manus perueniunt, per internam brachij partem, imi ad ulnam uehuntur, prope ulnæ articulationem prætereuntes. Deinde uterq; musculis internis ulnę occultatus ad carpum extenditur, ac sic tandem in digitos distribuitur. Tertium præter hos neruum ad externam ulnæ partem deduxit natura, musculo carnosissimo, qui illic est, usa uice ꝓpugnaculi. Maiores enim neruos meritó internis partibus manuum distribuit, quód manuum actiones omnes, per eas ni mirum obeat. Differunt autem nerui manuum à neruis crurum, itineris quo ferunt ratione, eó quód nerui omnes ad manus per internum brachiū accedunt: ad crura uerò, omnes, præter paucissimos, per partes femoris posteriores deorsum feruntur, à sacro osse, lumborumq; uertebris, propagati: in ipso autem eorum descensu ad poplitem, obiter distribuente neruum natura singulis musculis femoris, prout cuiusq; ratio postulat. A poplite autem, per suram, quæ tota est carnosa, alios quidem in externā tibiā, alios in internam duxit, alios per mediam ipsam porrexit, musculis qui illic sunt, ipsos distribuens.

*Latum musculū fibras omnes recipere à collo spōdylis.*

*Mufculi retró ad dorsum totā scapulam contrahentes unde recipiant neruos.*

*Epomidis musculi.*

*Nerui manuū & crurum, quo differant.*

Eos igitur qui per internam furam feruntur, ad talum ac tibiam occultans, ad inferiorem pedis partem deduxit: illos uerò qui per externā, ad talum & fibulam abdens, ad anteriora simul & superiora pedis porrexit. Nullum itaq; neruū nec ad curuaturam cubiti, nec ad genu & tibiā anteriorem reperias: sed ubiq; omnes, in profundo, inter ossium propugnacula, aut cartilaginum, aut ligamentorum, aut deniq; carnium, delitescentes. At uerò per magnum ossis pubis foramen, cum alijs uasis, nerui quædam propago penetrans, in internos eos femoris musculos, qui ab eodem osse pubis oriuntur, ad ipsorum capita inferitur, atq; ad ipsum usq; genu descendit. Ab illa eadem propagine, cutis tota quæ illic est, productiones recipit: quemadmodū certè & à foraminibus quæ sunt ad os latum, parui musculi qui iuxta os ipsum consistunt: tum qui ad anum, uesicam, atq; pudendum pertinēt: ad hæc etiam membranæ quæ illic sunt, nec secus matrix, & peritonæum, neruos sortiuntur. Semper quippe solet natura, neruos, uenas, arterias, à partibus propinquis immittere, modó nihil aliud prohibeat. Quum autem de neruis abundè dixerimus, tempestiuū iam est ad arteriarum atq; uenarum distributionem transire. Est igitur uas quoddam maximum, quod à sinistro cordis uentriculo, ueluti stipes enatum, in totum corpus distribuitur. Cæterùm ubi primùm à corde emergit, statim in duas partes diuiditur: quarum altera quæ maior est, ad spinā deflectitur, partibus omnibus inferioribus arterias dispensatura: altera uerò sursum ad caput fert, & ipsa omnibus quæ sunt supra cor, uasorū propagines præbitura. Porró pars illa quæ fertur deorsum, ad locum productioni suæ è directo oppositum, fertur: à quo nusquā declinans tramite, sed rectissima & cōpendiosissima uia progrediens, quintū thoracis spondylum conscendit: altera uerò pars statim post productionem primam, portionem quandā à se mittit sursum, ad sinistram scapulam & axillam: quæ pulmoni inuecta, & membranis fulta, sursum usq; ad primam cōstam producitur, nusquam diuisa. Illuc autem iam quandam à sese partem mittit ad prima intercostalia spatia, dein ad hypochondrion ac mammā mittit alteram, quæ toto pectori est subdita: tum tertiam ad spinalem medullam colli, quę per sex spondylorum foramina penetrat, mittitq; etiam obiter musculis propinquis propagines. Reliquum autem huius arteriæ, in totam manum sinistram, & scapulam distribuitur. Altera uerò maior pars totius arteriæ, maximæ mollissimæq; glandulæ præsidio firmata, ubi in dextrum brachium germen emisit, sursum ad iugulum tendit, quæ & ipsa celerrimè ossi medio pectoris iungitur. Per quam regionem uena caua & stomachus transeuntes, hic quidem spinæ spondylis adhæret, illa autem pectori subditur. Ex quo etiam arterijs positio cōparatur opportunissima: ut quum per collum diuisæ feruntur, arteriæ quidem in profundo sint, uenæ autem ipsis incumbant. Quum autem arteria magna trāsit per thoracis partes infernas, obiter mittit portionem maximā in eos qui illic sunt siti, mu-

*Arteriæ magnæ ortus, distributioq;.*

sculos intercostales: non exiguam tamen in musculos thoracis externos, quemadmodum & in septum transuersum. Sed nec uentriculum, nec lienem, nec hepar, nec intestina, nec renes, præstiterat arterias aliunde recipere, quàm ab hac sola maxima, quum primùm ad loca, quæ sub phrenibus sunt, peruenerit. *Productio tamen arteriæ, quæ in dextrum renem prorumpit, superiorem habet exortum, quàm ea quæ ad sinistrum tendit, quòd renum positio sit inæqualis.

*Renum positionē esse inæqualem.*

Arteriæ autem quę ad testiculos deferuntur, eas ordine consequuntur, quæ accedunt ad renes. Nam quæ à partibus sinistris proficiscit, omnino aliquid perpetuò ex ea quæ fertur ad renē assumit: quæ uerò à dextris procedit, semper quidem ab ipsa magna arteria exoritur: interdum autem assumit etiam aliquid ab ea quæ ad renem fertur.

*Lac & semē ex sanguine exactè cocto gignuntur.*

*Plexus uasorū circa testes & mammas, cuius gratia sit factus.*

Quum autem lac & semen ex sanguine exactè cocto gignant, quæ absoluta concoctio fieri citra moram sanguinis in uasis ipsis non potest: ob eam causam, non solùm à longinquo natura uenas & arterias ad testiculos atque mammas porrexit, sed præterea multipliciter eas, prius quàm insertaret, inuoluit: diuturnam, opinor, ex eo, cum uase ferente, consuetudinem ipsi materiæ comparans. Sed uenæ quidem in hoc solo loco inuoluuntur: arteriæ autem, etiam in retiformi plexu.

*Retiformis plexus.*

*Arteria nutriūt animalem spiritum cerebri.*

Nutriunt enim hæ spiritum animalem cerebri, qui certè multum ab alijs spiritibus distans, elaboratissimo alimento indiget. A magna item arteria, aliæ sunt, post prædictas apophyses, ad musculos epigastrij: aliæq; etiam minutorum uasorum propagines, in spinalem prorumpentes medullam. Quarum pars quidem non contemnenda, per commissuras spondylorum penetrat in dextros spinæ musculos, pars autem in sinistros disseminatur. Quæ germina sunt neruis qui ab ipsa spinali medulla oriuntur, numero æqualia, obducunturq; tenui meninge, quæ spinalem medullam ambit. Ob has igitur productiones crassitudo semper minuitur arteriæ.

*Arteria subiacet vena circa ultimum spinæ spondylum.*

Porrò ad ultimum spinæ spondylum arteriæ subiacet uena, quæ antea supra eam ferebatur. Postea uerò quàm peritonæum prætergressæ, in crura diuidendæ erant, rursus uenæ incubuerunt arterijs, quò tutior esset ipsarum per crura delatio. A quibus uasis trāseuntibus, uesica quidem exiguas, magnas uerò duplicesq; propagines acceperūt matrices, ut quæ non eas solas, sed fœtum in ipsis matricibus concipiendum, nutrituræ essent.

*Matricis vasa.*

Quæ igitur à regione renum in testiculos perueniunt, usq; ad matricum fundum disseminantur. Quæ uerò tum ad partes, quæ ad collum pertinent, tum ad eas quæ sunt infrà, post testiculos, perueniunt, à uasis quæ ad crura feruntur, productæ sunt, eodem loco, unde in masculis ad uirgam accedunt. Ex ijs autem locis rursum uasa uenosa sursum feruntur, quæ propter commerciū, cum ijs copulantur uasis, quæ deorsum à mammis descendunt. Ab ijsdem locis una coniugatio exiguorum uasorum, ad ea quæ ad pudendum pertinēt, accedit.

*Inguinum glandula quorsum producta fuerunt.*

Ad inguen autem natura magnas glandulas diuisionibus uasorum ueluti fulcimentum, & aduersus iniurias externas operimentū, indidit. Vbi igit arteria magna quæ ad supernas partes perreptat, ijs quæ in thorace sunt, distribuit propagines, q̄d ex ea reliquum est, una scilicet utrinque arteria, sursum ad caput fertur. Quorum productiones uasorum, omnes faciei & colli partes contexūt. Ex eis autem quæ in scapulas diuiduntur, dorsales musculi suas recipiunt propagines. Ab ijs etiam ipsis, quum primùm ad collum extra thoracem iam emicuerint, feruntur germina per foramina cuiusq; sex primarum uertebrarum, quę sunt ad latera, usque ad caput. Verùm qua parte neruis qui à spinali medulla proficiscuntur, exortus est, eadem certè ab arteria & uena, quædam exigua propago in spinalem medullam inseritur. Finis autem uasorum, quæ sursum ad caput usque feruntur, postquam egressus primum est spondylū, bifariam diuiditur: atq; altera quidem parte ad cerebrum posterius intrò fertur: reliqua uerò ad musculos articulo capitis circunfusos disseminatur, finibus uasorum quæ in tenui meninge sunt locata, seipsum coniungens. Nam musculos qui sunt in superficie, & cutem, uasorum propagines quæ in scapulis sunt, contexunt. Nusquam enim in corpore ullum reperias musculū, qui uena & arteria careat.

*Musculum nullum destitui arteria, nec uena.*

*Glandularum vsus.*

Iam uerò arterias quæ in axillis ad manus diuaricantur, ualidis quibusdam glandulis natura (ut non facilè rumperentur) iuxta diuisiones corroborauit.

*Carotidum arteriarum diuisio, processusq;.*

Est præterea iugum arteriarum carotidum, quod fertur sursum rectum ad caput, in profundissimis colli partibus abditum. Cuius quidem utraq; arteria quum diuidatur bifariam, & altera sanè pars retrorsum, altera uerò magis antrorsum uergat, rursum harum utraque in duas alias diuiditur. Deinde altera pars eius quam antrorsum tendere diximus, ad linguam accedit, & internos maxillæ inferioris musculos. Altera uerò magis quidem in superficie, quàm illa, est locata: magnis tamen & ipsa glandulis tecta, sursum ad interiora aurium, usque ad temporalem musculum, fertur: ibiq; diuiditur, atque à posterioribus sursum usque ad uerticem tollitur. Reliqua uerò arteriæ carotidos pars, quam retrò magis ferri dicebam, diuiditur & ipsa in duas partes maximas. Quarum minor, retrò magis ad basim cerebelli ascendit, magno ac prælongo ipsam excipiente foramine, quod est in fine suturæ labdoidis. Reliqua uerò, anterioribus partibus per foramen quod ossi lapideo inest, sursum fertur & ipsa, ad plexum retiformem, qui toti basi cerebri subiacet, & ex memoratis arterijs texitur.

*Retiformem plexum esse toti basi cerebri subditum.*

*Plexus χοροειδής.*

In cerebrū autem ipsum, arteriarum haud exiguum iugum ascendit, ex quo plexus χοροειδής, qui est in illius uentriculis, gignitur. Vt uerò summatim dicam, natura in facie & toto capite, arterias quidem quamplurimas cum arterijs, uenas autem cum uenis, tum à dextris ad sinistra, tum ex sinistris ad dextra, tum à posteriore parte ad anteriorem, & rursus ab *anteriore ad posteriorem, & ab externis intrò, & ab internis foras ducens, committit. Commiscentur autem arterię uenis, & uenæ arterijs, & utraq; hæc neruis, & his ambobus nerui, in toto animalis corpore.

*Complicari inter se omnia instrumēta in corpore.*

Etenim cuiusq;

*Sensu destitutas esse arterias & uenas.*

cuiusq; partis arteriæ & uenæ sunt omnino sensus expertes, siue illas frangere uelis, siue urere, siue incidere: id quod cognosces, neruis eiusdẽ partis uinculo exceptis. Inserunt autem ea uasa in partes sibi circumuicinas, tenues quasdã propagines: uenæ quidem numero interdũ quamplurimas, & magnitudine insignes: arteriæ autem, tum pauciores, tum mole inferiores: mittunt tamen & ipsæ. Causa huius est, quòd partes omnes alimento indigent, calidę, frigidæ, duræ, & molles.

*Alimento omnes partes indigere.*

Vt autem caloris natiui modus ad unguem seruetur, non amplius similiter omnes postulant. Nam partes naturali temperamento frigidæ, uel si ad ultimũ aliquando frigiditatis peruenerint, sustinent tamen & uiuunt, & rursus sine dolore, pristino calori restituũtur. Quare sine arterijs uenas quasdam reperire licebit: sed arteriam nullam sine sua cõiuge uena. Coniugem autem intelligo, quæ propter eundem usum extiterit.

*Arteriam nullã reperiri sine sua coniuge uena.*

Quum igitur nutriri corpora sit necesse, quòd ea uacuentur, alimentum sit æquale est necesse, copiæ substantię effluentis. Defluit aũt plurimũ à calidis, mollibusq; corporibus, & ijs quæ assiduè aut uehementer mouenť. minimum uerò à frigidis, atq; duris, & quæ moderatas obeunt actiones.

*Alimentum debet æquale esse copia materia effluentis.*

*Effluxum quæ corpora maiorem, & quæ minorem patiantur.*

Frigus enim corpora densat, cogit, constringitq;, ac prohibet substantiæ defluuium. Calor autem contrà, corpora rarefacit, liquat, tenuat, & digerit.

*Frigoris opera.*

*Caloris opera.*

Rursus, quod ad ipsam substantiam attinet, quæ durior quidem est & lapidea, permanens est, nec facilè dissipatur: quæ uerò humida & mollis, celeriter quidem à calore in halitus soluitur, eoq; citò exhalat, ac perit. Pulmoni igitur omnia insunt, quæ ad celerem uacuationem pertinent: nam & mollissimus, & calidissimus est, motuq; agitatur perpetuo.

*Pulmoni omnia inesse, quæ ad celerem vacuationẽ pertinent.*

Ossibus uerò insunt, ueluti ex diametro, cum eo pugnãtia: etenim frigida sunt & dura, bonamq; totius uitæ partem quiescunt: ob quas nimirum causas perdurat ipsorum substantia, neq; soluitur facilè.

*Ossium substantiam non solui facile.*

Ne igitur mireris, si ijs natura iustissima exiguas adeò tribuit uenas, ut ne clarè quidem cernantur: pulmoni uerò, uena maxima sit à corde implantata. Duas itaque partes inter se comparaui, quarum altera quidem plurimo, altera uerò paucissimo alimento indiget. In medio autem harum sunt reliquæ omnes, quarum aliæ quidem magis, aliæ uerò minus uacuantur, nutririq; postulant. Nusquam autem uena ab arteria relinquitur: sed ubi uas arteriosum uideris, ibi necessum est uenam etiam adesse: paucis tamen uenis in corpora, quæ ad cutim pertinent, sine arterijs diuisis.

*Venam nusquã ab arteria relinqui.*

Porrò quã uena caua primùm fertur sursum à gibbis hepatis, iam inde propagines magnas ad septum transuersum mittit. Vbi uerò ipsum cor attingit, ibi eam quæ octo costas utrinque alit, producit. Quemamdodum autem in cruribus, ita etiam in extremis & anterioribus brachij partibus, natura sine arterijs proprias disseminauit uenas per superficiem. Et quemadmodum ipsum brachiũ & crus uena una abundat, ita in ⁚perficie colli altera uena iugularis sine coniuge cernitur.

*Vena absq; arterijs.*

# GALENI PERGAMENI
## de Vsu partium lib. XVII.

At uerò partis actio, ab eiusdẽ usu differt: quòd actio quidem motus actiuus sit: usus uerò nihil aliud existat, quàm aptitudo ad utendum. Porrò dixi actionem esse motum actiuum, quòd plerique motus fiant patiendo, quos sanè passiuos nuncupãt: qui tum partibus quibusdam accidunt, quum ab alijs mouentur.

*Actio partis, est motus actiuus.*

*Vsus partis, est aptitudo ad utendum.*

*Motus passiuus qui.*

Atq; is motus sanè inest ossibus, quæ in brachijs & cruribus sunt, fitq; à musculis illa mouentibus. *Cęterùm si ad primũ mouens (quod est princeps animæ facultas) ipsos musculos cõpares, rationem instrumenti habebunt: si uerò ad id os quod mouent, non modò hanc, sed opificis etiam rationem sortientur. Idcirco prima utilitas animalibus ab actionibus ipsis accedit, secunda à partibus. Nullam siquidem partem propter seipsam habere cupimus. Superuacanea quippe esset, si actione esset orbata, & abscindenda potius, quàm optanda.

*Vtilitatem primam animalibus ab actione accedere, secundã à partibus.*

*Partẽ nullã propter seipsam habere cupimus.*

In omnibus autem animalium partibus, unà cum actione ipsarum, usus etiã adest coniunctus: quemadmodum, exempli gratia, uidere est in elephanti proboscide, qua parte, etsi aliquando ea mihi uisa fuerit ociosa, animal tamen ipsum, ceu manibus quam aptissimis, utitur: ac per eam etiam, persorata quũ sit, ueluti per nares quasdam respirat.

*Partium actioni semper etiã usum esse coniunctum.*

*Elephantũ uti proboscide tanquam manibus ac per eam respirare.*

Sunt igitur in uniuersum opera naturæ admiranda, quæ præter partium omnium æqualitatem, actiones etiam exhibuit, ac præterea statim ut fuit genitum animal, ipsum earum usum edocuit: ac breuiter, nõ solùm proportionẽ omniũ membrorũ extrinsecus, more statuariorũ, sed in profundo etiam seruauit. Siquidẽ Polycletus canonem illum suum tam celebrẽ affabrè faciens, naturã est imitatus, in quibus potuit eam imitari. Potuit autem in solis externis partibus, in quibus artem considerauit.

*Polycletum in canone suo illo celebri, fuisse imitatum naturam.*

Sunt itaq; opera naturæ digna quæ suspiciantur: cuius nimirum arte & industria, ex multis omnia ferè optimè fiunt: quum tamen à fortuna ipsa, ex innumeris contingat fortè fieri rectè unum tantùm, aut alterũ.

*Fortunam rarò quicquam rectè operari.*

Quis igitur ex ortu & structura animalium non statim concipit animo, mentem quandam esse, quæ uim habeat admirabilem, quæq; terras omnes peruadens, in omnes orbis partes extenditur? Vbiq; certè animalia procreari uideas, quæ constructionem habent dignam admiratione. Quanquam quænam uniuersi pars ignobilior est terra? Attamen mens quædam cerniť ad ipsam à corporibus superioribus peruenisse: quæ si quis contemplatus fuerit, statim substantiæ pulchritudinem admirabiť: primùm ac maximè solis: post ipsum, lunæ: deinde syderum: in quibus par est, quantò corporis substãtia eis est purior, tantò etiam mentẽ inhabitare, quàm in corporibus his terrestribus, & meliorẽ & perfectiorem.

*Terra infusam esse uim superiorum corporum.*

Quum enim in limo, in colluuie, in paludibus, in plantis deniq; ac fructibus putrescentibus, animalia gignantur, quæ mirificas conditoris uires ostendunt, quid de corporibus superioribus est putandum? Licet autem * ratiocinatricem quandam naturam, etiamnum uel in

*Mentem habitare in syderibus tantò meliorem et perfectiorem, quàm in corporib.hus terrestribus, quantò substantia illorũ est purior.*

*Ratiocinatricē naturam inesse hominibus.*

ipsis hominibus cernere, si Platonem, Aristotelem, Hipparchum, Archimedem, & complures alios cōtempleris accuratissimè. Si igitur in tanta colluuie (quo enim alio nomine quis appellet id quod ex carne, sanguine, pituita, ac bile utraque est conflatum?) mens gignatur adeò eximia & excellens, quantam eiusdem putandum est esse excellentiam, in sole, luna, alijsq; etiam syderibus? Mihi quidem dum hæc mecum uoluto, non exigua quædā mens talis, per ipsum etiam nos aërem ambientem, esse extensa uidetur. Fieri enim non potest, quum lucis ipsius Solis sit particeps, quin uim etiam ab ipso assumat. Quæ omnia qui exquisitè perpenderit, tum sapientiam opificis, tum humanæ mentis prærogatiuam intelliget: ac deniq; hoc opus de usu particularum, quod prius despiciebat, tanquā exiguum, perfectissimæ theologiæ uerum principium constituet, quę theologia multò est maior atq; præstantior tota medicina. Idcirco non soli medico, opus de usu partium est utile, sed multò certè magis philosopho, qui totius naturæ scientiam sibi cōparare studeat, *circa cuius indagationē nos consenescere oportet. Nec uerò in solo homine uidere est ipsam summā artem naturæ, sed quodcunq; animal dissecare uelis, parē in eo industriā opificis, & sapientiā reperies. Et quantò ipsum minus fuerit, tantò maiorem tibi excitabit admirationem. Quod declarant opifices, quum in corporibus paruis, aliquid magnū sculpunt: quemadmodū is, qui nuper in annulo exiguo Phaëtonta quatuor inuectum equis sculpsit, spectaculum certè incredibile. Quanquam horum nihil structuram cruris pulicis superabat. Quum igitur tanta opificis ars ueluti auctarium atq; parergon quoddam in tam abiectis animalibus elucescat, quantā eius uim ac sapientiam, in præstantiorib. inesse putabimus? Vnum igitur ex hoc opere ac maximū, non ut medicis, sed ut naturæ studiosis, hoc nobis accedit commodū, nempe facultatis (quæ inest conditori) cognitio. Secunda autē utilitas est, ad affectus partium, quæ intus in alto corpore delitescunt, cognoscendos: quā ad rem, actionis cognitio magnum habet momentum. Quandoquidem qui iam exploratū habet, quòd actio crurum est ambulatio, si quem uiderit qui ambulare nō possit, statim iudicat partem cruris aliquam esse affectam. Sed quemadmodum in actionibus, ita & in utilitatibus res se habet. Vt enim ambulatio tollitur, si nerui ac musculi qui cruribus insunt, affecti fuerint: ita tolletur, si os aliquod fuerit fractum, aut sua sede dimotum. Si uerò nescimus, quòd per ossa cruribus innitamur, haudquaquā scire possumus, quòd ossibus læsis animal etiam lædatur. Eoq; modo fit, ut ad cognoscendum quænā pars sit affecta, non minus conferat utilitatum quàm actionū cognitio. Eadem est ratio & de futurorum præcognitione. Nam qui affectus insunt cruribus incurabiles (ut luxationes quæ cum ulcere incidunt, aut peruersiones coxendicum) insanabilem in futurum tempus significāt ambulationis noxam. Tertia, præter prædictas, huius operis utilitas est aduersus sophistas, qui nobis nō cōcedunt crises morborum à natura fieri, quiq; ipsam ullam animantiū habere rationem pernegant. Iam uerò in partibus quibusdam scindendis, aut circuncidendis, aut abscindendis, quemadmodum & in eximendis sagittis, uel iaculis, qui partiū utilitates probè calluerit, præscribet quas nam audacter & securè, quás ue trepidè & cautè incidere oporteat. Hęc itaq; tot ac tanta huius, quod ad umbilicum iam perduximus, operis cōmoda, liber iste, uelut bonus quidam ἐπῳδὸς, explicat.

*Diuinam mentem esse extensam per aërem, arbitratur Galenus.*

*Opus de vsu partium esse cōstituendum perfectissimæ theologiæ verū principium, quæ longè medicina est maior.*

*Opus de vsu partium philosophis esse longe vtilissimum.*

*Commoda quæ opus hoc de vsu partium conciliet nobis.*

*Actionum cognitio plurimū confert ad cognoscendos affectus partiū, quæ in alto corpore delitescunt.*

*Vtilitatum non minus quàm actionum cognitio confert ad cognoscendam affectam sedem.*

*Luxationē cum vlcere esse incurabilem.*

*Crises morborū fieri à natura.*

*Vtilitatū partium cognitio, chirurgos facit intrepidos.*

GAL. LIBRORVM DE VSV PARTIVM FINIS.

# ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

VIRO, D. D. FERDINANDO, COGNOMENTO A MENdozza, literarum patrono, Andreas Lacuna, Sec. Doc. M. Miles Sancti Petri, S.



*Ommentarios Galeni de placitis Hippocratis & Platonis à me haud ita pridem elaboratos, atq; (vt ita dixerim) ad meliorem frugem redactos, multis de caussis adductus sum, tibi vt dicarem, Ferd. generosiss. Primum, quòd rationi esse consonum ducerem, vt aliquantulus ad se rediret mearum meditationū fructus, qui fouere indies illas atq; prouehere non desinis. Dein, quòd te conspicerē diuino quodam affectu præditū, sapientiæq; ardentissimo amore inflammatū, diu noctuq; ipsi philosophiæ incumbere, eiq; nauare haud instrenuā operam: ac proinde eorū philosophorum dogmata fore tibi non minus accepta, quàm tuis studijs apta, sperarem. Quocirca vt officiū meum obseruantiamq; erga T. Dignationē testarer, simulq; lucubrationibus meis conciliarē patronum optimū (qualem hac virulentissima ætate omnes ingenuæ artes & disciplinæ desiderant) non alia fieri posse ratione apud me existimaui, quàm si nominis tui præfatione illustratum, id ipsum laboris quod est, ederetur in lucem. Tuum igitur est, Vir clariss. hasce vigilias nostras neutiquam pœnitendas, vultu hilari in tuos sinus excipere, exceptasq; cōtra viros malè feriatos defendere: vt verè sis id quod diceris, Philanthropos, μισοπόνηρος, philalethes, φιλόσοφος. Vale. Venetijs,*

*XII. Cal. April.*

## *GALENI PERGAMENI de Hippocratis & Platonis placitis, lib. II.*

**Nam primus desideratur etiam in græco exemplari.**

*Animam delitescere in corde, quibus Chrysippus rationibus nitatur probare.*



Orrò Chrysippus his friuolis assumptionibus, animã rationalem delitescere in corde persuadere conatur, quòd dum animi sententiã exprimimus, atq; indicantes nosipsos, hanc uocem, Ego, proferimus, in priori syllaba, E, os & mentum inferius ueluti ad pectora deducamus: quodq; etiam manũ interdum admoueamus pectori, similiter indicantes nosipsos: ut cùm dicimus, mihi hoc conuenit. Cæterũ quòd etiam nasum similiter homines quandoq; attingunt, dicentes, mihi hoc da, tametsi in eo anima nõ resideat, omnino esse oblitus uidetur. Cur autem, dum cõcedimus aliquid annuentes capite, in quam partem ipsum flectimus, in illa principiũ animi esse potius ostẽdimus, quàm in ea quæ mouet? Etenim quæ primũ in nobis mouetur particula, dum annuimus, eam nimirũ probabilius est animę principiũ in se cõtinere, quàm aliarũ ullam, ad quã motu perfertur: ut interim illos homines non cõmemorem, qui capite renuunt, cùm assentiuntur. Oportebat itaq; ab ipsa rei substantia, quam tractabat, Chrysippũ orsum, tum per cõuenientes, tum per proprias assumptiones inuestigare. Nam quæ demõstrationes ab ea rei substantia recedũt, ut minimè scientificæ sunt, sic eas aut exercitatorias probabilésue, siue dialecticas, aut rhetoricas, aut deniq; sophisticas nominaueris. Ac traditum sanè à ueteribus de singulis est: de sophisticis quidem, in elenchis: de rhetoricis autẽ, in rhetoricis artibus: in topicis, de dialecticis: sicuti in libris de demõstratione (quæ dicuntur secunda analytica) de scientificis: in quibus omnibus, qui rectè demõstraturus est, sese oportet exerceat. Quia igitur propositum est nobis considerare, num animæ principatus in corde consistat, omnia quæ cordi insunt, & à quibus demonstrationes desumi possunt, dinumeremus. Cordi sanè insunt, situs, magnitudo, plexus, conformatio, dispositio, & motus. Situm autem est cor, thoracis quidem ratione, quodammodo mediũ magis: totius uerò animantis respectu, tantò superius medijs partibus eius, quantò ab umbilici regionibus (quæ ad amussim sunt mediæ) distat. Versus ipsam etiã arteriam asperam, per quam respiramus, ita quodammodo situm est, ut per medium pulmonẽ ei cõmittatur. Nam ex sinistro cordis uentriculo arteria quædam uenosa in pulmonũ fibras dissemi natur, ad cuius quidem numerosas propagines, fines asperæ arteriæ perueniunt, quæ & ipsa in totum uiscus simili distribuitur modo, quo arteria uenosa. Quinetiam iuxta pulmonem ita locatũ est cor, ut extrinsecus ab eo undique contegatur. Verùm neque ex situ, neque ex cõmunione cordis cum illis partibus, licet eius quod petimus scientificum ullum argumentum discere; quandoquidem nondum per ea colligitur, cor sensus motusq; uoluntarij principium esse: quẽadmodum neq; etiam quòd cor uocis opifex sit, qualis est quorundam sententia. Etenim uocis instrumentum & primum & peculiare, est summa pars gutturis, quã Græci larynga uocant. Si igitur infra ipsum asperã arteriam incideris, non amplius animal uociferari audies, etsi respirare ipsum sine impedimento, etiãnum uideas. Iam uerò thoracis musculos, unà cum ijs qui in abdomine sunt, quum animal uocem molitur ædere, uehementer extendi cõspicies, corde nullam nouam insuper actionem interim acquirente. Nõ itaq; iam spiritus qui ab imo sursum effertur, priusquàm ab ipso concinnetur larynge, uocis habet specimen, sed solius tantùm sibili. Icta autem à supremi asperæ arteriæ finis cartilaginibus, ueluti plectris quibusdam, efflatio hæc, uox efficitur. Cæterùm composita est summa gutturis regio, larynx dicta, ex tribus cartilaginibus, quas complures musculi mouent, tanquam motus uoluntarij instrumẽta. At musculi, ut ipsi moueantur, neruos à cerebro orientes requirunt. Ex quibus si aliquem fune interceperis, dissecueris ue, statim immobilem illum musculũ reddes, in quem inseritur neruus: immobile etiã animantis membrũ, quod prius à musculo mouebatur, quàm neruus esset incisus. Ac fit quidem ab alijs instrumentis, musculisq; & neruis, inspiratio libera, qualis sanis adest nullo forti motu agitatis: ab alijs autem uiolenta, quam efflationem appellare solemus: ad quam perficiendam uidebis omnes scapularũ particulas simul attolli. Est tamen proprium uocis instrumentum larynx, ac tum eius motores musculi, neruiq; à cerebro in musculos ipsos demissi: deinde lingua, quæ non uocis modò, sed loquelæ etiam instrumentum existit. At uerò pulmo, à thorace motus, distentus quidem, externum aërem, id quod est inspiratio, attrahit: contractus autem, eundem in asperam arteriam, atque in os ipsum, extrudit: quòd opus est expiratio. Atqui, si uox ab eo, qui in corde est spiritu, fieret, non aboleretur statim, neruis quibusdam uel in collo, uel in capite sectis: multoq; minus aut contuso aut uulnerato cerebro, aut spinali medulla dissecta: sed potius oblæso corde, id quod non accidit. Etenim si nudaueris cor, contuderisq; ipsum atque depresseris, nec uoce, nec spiratione, nec ulla prorsus uoluntaria actione impediri animal cernes. Quòd si minimè perforaueris concauitatem thoracis, licebit tibi etiam uniuersum ac semel cor ipsum eximere, illæsis uoluntarijs actionibus: id quod in nonnullis sacrificijs cõtingit, in quibus animantia cernuntur, corde iam aris imposito, non respirare tantùm, aut clamare fortiter, sed etiam fugere, quousque perfusione sanguinis cõmoriantur. Cerebrum autem ossibus si detexeris, aut quencunque ipsius sinum compresseris, nõ mutum duntaxat, ac protinus spirationis expers efficies, sed etiam omnino sensu, omnibusq; arbitrarijs actionibus animal ipsum priuabis. Porrò tauris, quibus spinalis medullæ origo iuxta primam uertebram dissecatur quotidie, simul cum sectione ipsa, motus, respiratio, & uox exoluuntur, illæso motu cordis & arteriarum: quòd ipsa

*Animæ sedem existimari debere particulam, quæ primò, dum annuimus, mouetur.*

*Assumptiones propriæ, substantialesq;.*

*Secunda analytica.*

*Cordi quæ insunt.*

*Cordis situs, positioq;.*

*Vmbilici regionem in toto corpore esse ad amussim mediã.*

*Aspera arteria.*

*Arteria venosa iungit cordi pulmonem.*

*Larynx est primum instrumẽtum uocis.*

*Thoracis musculi.*

*Abdominis musculi.*

*Vox qua ratione efficiatur.*

*Larynx ex tribus cartilaginibus constat.*

*Musculi motus volũtarij instrumenta.*

*Neruos productos à cerebro, largiri suis musculis motum.*

*Inspiratio libera.*

*Inspiratio violenta.*

*Lingua, uocis & loquelæ instrumentũ existit.*

*Inspiratio quid.*

*Expiratio quid*

*Corde nudato & contuso, nulla prorsus volũtaria actiõe impediri animal.*

*Corde iam aris imposito, animantia respirare, clamare, & fugere.*

*Cerebro detecto ossibus, aut compressis eius ventriculis, quæuã accidant.*

pulsandi uis, à cerebro non descendat. Vt enim pulsatio ipsa motus alterius generis est, sic etiam principiorum alterum non indiget altero. Quare neque respirationis, neque uocis, cor existit principium: tametsi propter illud maiori ex parte contingat fieri respirationem.

*Cor neq; respirationis, neq; vocis principium est.*

*Animæ sedem in corde esse, quibus argumentis probabant veteres.*

Argumenta autem Zenonis, Diogenis Babylonij, & Chrysippi, quibus freti, in corde rationalem animam habitare, ab eoq; emitti uocem contendunt, in hoc unum ferè conspirant omnia: Vnde uox ac sermo eliditur, illic necessum est fiat ratiocinatio, intelligentiaq;, & meditatio omnis, ibidemq; etiam mens delitescat. (Est enim sermo ueluti mentis nuncius, qui ex ea procedit: nec alia existit uocis origo, alia animę pars pręcipua) Atqui uox & sermo, qui uox articulata est, à pectore proficiscuntur, cùm per asperam emittantur arteriam, id quod nō fieret si à cerebro emitterentur. Mens igitur & omnes eius actiones, in pectore, ac præcipuè circa cor, non in capite, delitescunt. Quæ quidem argumentatio facilè redargui potest. Primò siquidem, dum situs obseruantes propinquitatem, aiunt, si ex cerebro sermo oriretur, non per asperam arteriam procederet, perperàm hallucinantur: cùm nimirū mens ipsa, aut uoluntas (siue eam in cerebro, siue in corde posueris) quælibet instrumenta, etiā longissimè sita, actutùm mouere possit, nihil ex interuallo, ad celeritatem, impedimenti recipiens.

*Mentem, vbicunq; ea sit, quælibet instrumenta, vel longissimè sita, subitò mouere posse.*

Vt enim nullum sensibile tempus est, interea dum particula uulneratur, & ipsum animal sentit: ita nec interim dum homo respirare aut loqui uult, atque ipsam actionem obit. Quare nihil prohibet, quò minus uoce per asperam arteriam emissa, cerebrum motus asperæ arteriæ sit causa. Falluntur etiam secundò, sermonem procedere ex mente dicentes. Sermo quippe, aut uox significatiua, à mente (quemadmodum uoluntaria omnia) nō tamen ex mente, sed ex summo gutture, quod larynx dicitur, proficiscatur.

*Sermo à mente, nō ex mente, sed ex summo gutture proficiscitur.*

Prius autem nondum uox, id quod effertur, existit: sed materia quædam uocis (quam efflationem aut sibilum uocamus) ex asperis arterijs profecta, quarum nulla cor attingit: id quod certè sensu manifestum cùm sit, fidem ex seipso facit. Ergo non dicemus, ut illi, unde sermo emittitur, illic etiam ratiocinationem fieri: sed, à qua parte sermo emittitur, secundum illam quoque, & in illa fieri ipsam ratiocinationem, quæ principis animæ est actio. Licet nanque pro mente, principem animæ partem dicere, sicuti & dominantem, imperantem, præsidentem, ratiocinantem, atque intelligentem.

*Ratiocinationē esse principis animæ actione.*

*Mentis nomenclatura.*

Iam uerò cùm tria uasorum genera, uenæ scilicet, arteriæ, & nerui, cerebro cor connectant: si primum quidem ea in superiori & inferiore ceruicis regione funiculis exceperis ualidis, ne sanguinis perfusio magna sequatur: dein autem, uinculorum medium secueris: uidebis planè, ipsis quidem neruis qui iuxta arterias consistunt incisis, statim obmutescere animal, illæsis alijs uniuersis actionibus: arterijs autem solis aut sectis, aut interceptis, minimè reddi animal mutum, priuari tamen pulsu omnes quæ supra uulnus aut uinculū sunt, eius particulas: ijs quæ infrà cōsistunt, semper eodē modo pulsantibus: uenis deniq; aut incisis aut interceptis, nullam manifestè aboleri functionē.

*Cor per quæ vasa cerebro connectatur.*

Vnde liquidò cōstat, neq; cor, ad pulsuum motū cerebro egere: neq; cerebrū corde, ut sentiat animal, operetursq; pro uoluntatis imperio. Porrò si intelligēdo, discendo, docēdóue, nullus insignis motus in corde apparet: in omnibus autē perturbationibus is manifestè innotescit (quod etiā Chrysippus confirmat) clarum utiq; euadit, ratiocinatricem animæ facultatem nō esse in corde: irrationalem autem, & affectibus obnoxiā, in ipso comprehendi.

*Cor ad pulsū motum nō eget cerebro.*

*Cerebrū nō eget corde, vt sentiat & moueatur animal.*

*Animā irrationalem, affectibusq; obnoxiā, in corde comprehendi.*

Cæterùm qui per cardialgiam cor dolere autumant, uocis æquiuocationem nō sentiunt, qua nimirum os uentriculi ueteres cor appellabant. Quæ pars cùm ab acribus humoribus irritatur, tali sensu tristitiæ afficitur: id quod maximè ijs contingere solet, qui impendiò diutius à cibo abstinuerunt, præcipuè post exercitationes uehementes. Nam exercitatis ualentius, in uentriculo flaua bilis colligitur, à qua morsi, cardialgia laborant.

*Os ventriculi veteres cor nominabant.*

*Os ventriculi quibus præcipuè irritetur.*

*Cardialgia.*

Ad hęc autem, etiam si concesserimus, cor primum omniū particularum formari, nō ob id tamen inferre oportebit, cor initium facultate existere, sed secūdum generationem. Quòd autem cor primum omnium particularum moueri incipiat, atque ultimum cesset, ostendit quidem, id motus initium esse, nō tamen omnis, sed solius qui in pulsibus est: qui genere à uoluntario differt, cuius cerebrum origo existit. Quòd si nobis obijciant, in corde copiam neruorum conspici: respondebimus, non neruos, sed neruosa quædam esse corpora in corde, quæ specie solùm neruis respondent, nō actione & usu. Dicunt præterea, in corde consistere nutritionis animalium originem, ac proinde in eo uim ratiocinatricem esse debere. Verùm in utroq; mentiuntur lemmate. Nam primum nutrimenti principium sunt os, stomachus, & uentriculus: alterum, meseraicæ uenæ, in quibus primis fit sanguis: tertium iecur ipsum: quartum post iecur, uena caua, in qua prima purus à recrementis sanguis relinquitur: ab hac enim, quemadmodum aliæ omnes animalis particulæ, cor alimentum recipit.

*Nutrimenti principia.*

*Meseraicas venas primū conficere sanguinē.*

*Cauam venam sugerere alimētum vniuerso corpori.*

Sed nec si cor nutritionis esse principium admitteremus, consequens esset, in qua parte id genus principium est, in eadem ratiocinatricem facultatem haberi. Præterea ubi aiunt, unde spiritus suggeritur, ibidem esse animæ principatum: cogimur id concedere, si quidem de animali spiritu intelligāt. Vbi uerò postea subdunt, ex corde spiritum suppeditari, uitalem quidem fatebimur, animalem autem nō item.

*Spiritus vitalis à corde nascitur.*

Quòd si neutrum horum spirituū intelligere se fateantur, sed naturalem, qui sicco humidoq; alimento proportione respondet, audient dicentem Hippocratem: Principium alimenti spiritus, os est, nasus, aspera arteria, pulmo, ac reliqua perspiratio: quibus sanè instrumentis initium motus à capite nos transmitti fatemur.

*Spiritus naturalis.*

*Principium alimenti spiritus.*

An uerò animæ substantia sit euaporatio siue ex alimento, siue ex spiritu, hac de re nihil ad præsens in dubium uertimus, ne per omnia Diogeni uideamur infesti esse, qui sanguinem esse animam, ut Empedocles & Critias, existimauit.

*Animam esse sanguinē quo putarunt.*

GA

# GALENI PERGAMENI de placitis Hippocratis & Platonis lib. III.

QVòd sanè necessariũ existat, non solùm medicis, sed philosophis etiam, nosse, quot genere sint, & quales secundum speciem singulæ, quamq; potissimũ animantis particulam occupent, facultates corpus nostrũ regentes, primo libro demonstratũ à nobis est. Secundo autem, de sumptionũ differentijs sermonem habui: quæ quidem in uniuersum sunt quatuor. Nõnullæ quippe ipsarum, ab ijs quæ particulæ insunt, iuxta problematis substantiam sumunt̃: aliæ uerò ab ijs sanè quæ insunt, non tamen secundũ id quod propositũ est, ac de quo quæstio habetur: aliæ ab externis testibus, ut rhetoricæ: aliȩ deniq; à principijs sophisticis, uocularũ ambiguitate & impostura obaematæ. De quibus cùm iam disseruerim (idq; illorum qui eis utuntur, exemplis propositis) operæpretium uidetur nunc in tertio hoc commentario, numerum & substantias facultatum docere, numerumq; etiam atq; discrimina eorum quæ illis accidunt. Satis autem mirari non possum, uidens Chrysippum, qui deberet ostendere, animam rationalem in corde domicilium habere (est enim hoc illius dogma) sese nimis anxiè torquentem, ut tum rationibus, tum innumeris poëtarum exemplis (quæ breuitatis gratia prætereo) irascibilem facultatem, perturbationibusq; obnoxiam, in thorace habitare demonstret: id quod iampridem est à ueteribus demonstratum: qui quidem feruorem innati caloris aliquem in corde per iracundiam oriri dicunt: cuius ratione accidit, ut tota facies infletur, corpus uniuersum rubescat, incalescatq;, & uehementer cor unà cum animantis arterijs subsiliat: quæ omnia pulchrè describit Plato in Timæo. Ad hæc uerò, cùm debuisset Chrysippus, quæ suam quidem sonent sententiam, ea tantùm testimonia poëtarum eligere: quæ euertunt autem, & labefaciunt, explodere: ille sanè ex æquo omnium meminit: imò uerò maximè præcipua, & quæ ipsi patrocinabantur, omisit. Qualia sunt illa:

*Sumptionũ differentiæ sunt quatuor.*

*Iracundiæ quæ superueniant.*

*Iuppiter exemit tunc ipsi ex pectore mentem.* &
*Consilium Neptune meum, hoc in pectore nosti.* &
*Non mihi stat talis sententia pectore.*

Hæc igitur testimonia sola, & similia alia, quæ rationalem uim in corde sitam esse portendunt, seligere conueniebat Chrysippum, si omnino testibus litem dirimere statuebat. Nam numerosa illa quæ adduxit, tametsi uera sint, eius tamen prorsus opinionem deijciunt, præsertim quæ iracundiȩ manifestò aduersantem faciũt rationem: ueluti & hæc sonant:

*Pectora sed feriens, ipsum cor increpat ira:*
*Suffer & hæc cor, nam grauiora aliquando tulisti.*

Hæc siquidem Vlyssem ad se dicentem introduxit Homerus, cùm ob ea quæ ab ancillis domi agi uideret, calor in corde ipsius efferuesceret: & animus, siue iracundia, ratione deuicta, ad intempestiuam mulierum punitionem, ipsum iam ui præcipitem actura esset. Nam quam eques ad equum, aut uenator etiam ad canem, rationem obtinet, hanc ratio ad animum, siue iracundiam. Etenim imperare in omnibus & præualere iustius est, id quod natura præcellit: equitem sanè equo, uenatorem autem cani, necnon iracundiæ rationem. At non semper accidit, ut tale coniugium, lege administretur naturæ. Verùm quemadmodum equus, nonnunquam refractarius & contumax, non pro decoro elatus, insessorem uirium imbecillitate, aut equestris scientiæ ignorantia uictum, simul secum rapit, trahitq; longius: sic iracundia effrenis, & ad præcipitem uindictam erumpens, rationem interdum imbecillam, ignarámue, unà secum solet præcipitare. Si igitur robur scientiamq; habeat, uincet nimirũ & ratio iram (quale exemplum in Vlysse proponitur) & auriga equum. Sin autem aut alterutro, aut utroque priuetur, periculum ibi est, ne id quod præstantius est, à deteriore uincatur: id quod certè in Medea contigit. In qua quidem, priusquàm filijs occidendis admoliret̃ impiatas manus, diu multumq; ratio reluctata cum iracundia est. Nouerat enim quàm impium facinus perpetraret. Cæterùm postea tandem à perturbatione deuicta, ipsi iracundiæ concessit, dicens:

*Vlyssis in ancillas excandescentia.*

*Rationẽ præesse animo, ut equo præesse uidetur eques.*

*Medea facinus.*

*Noui equidem cuiusmodi faciam mala,*
*Sed fortior iracundia consilijs meis.*

Nouit itaque magnitudinem malorum, quæ erat perpetratura, à ratione edocta. Verùm iracundiam longè fortiorem esse ratione ait, ac propterea se ab illa uiolenter ad scelus perpetrandum abduci. Vlysses autem contrà, ratione iracundiam coërcuit. Sæpe igitur in alio irascibilem animæ partem ratio adeò superat, ut ne pugna quidem unquam ipsis inter se oriatur, sed hæc dominetur, illa obtemperet: id quod sanè ijs adest, qui ad summum philosophiæ peruenerunt. Rursus iracundia subinde ita rationem uincit, ut imperet, ac ducat perpetuò: quemadmodum in multis barbaris, & pueris natura iracundis, necnon in ferarum non paucis, & hominibus belluinis uidere licet. Est quum ne alterum quidem usqueadeo ualens sit, ut statim alterum trahat: sed aduersantur inuicem, pugnantq;, & temporis spacio alterum uincit: ut in Vlysse quidem ratio, in Medea autem iracundia. Quas animæ aut partes aut facultates maximè inter se differentes, Chrysippus quum in unum confundat, carminum tamen Vlyssis & Medeæ meminit, qui euidenter ipsius opinionem subuertunt. Taceo etiam Chrysippum, qui leonibus iracundiam ademit, carmen illud Tyrtæi inter alia adducere, Leonis animum continens in pectore: quod leonibus maximam inesse iracundiam suadet. Et quum pronunciet, ideo nonnullos uocari excordes, quòd uniuersi homines animæ principatum in corde statuant: miror sanè quòd nõ intelligat, nullum stolidum aut imprudentẽ, excordem dici: sed illosquidem omnes, uacuos cerebro: meticulosos autẽ, excordes: sicuti & euisceratos eos, qui nullo affectu mouentur: omnibus nimirũ putantibus, in cerebro quidem rationẽ, in corde iracundiam consistere. At quia tertiũ quoq; uiscus iecur extitit, in quo appetitoria animæ uis consistat, huic etiam

*Medea iracundiam, superasse rationem.*

*Vlyssem coërcuisse iracundiam ratione.*

*Rationi semper iracundia obsecũdat, in ijs qui ad summũ philosophia peruenerunt.*

*Cerebro uacui. Excordes. Euiscerati.*

*Iecori inesse uim animæ appetitoriam.*

commoderationem quandam propriorum motuum ineſſe oportet, ſi homo in totum ornari anima debet. Quas quidem tres animę facultates Euripides in Medea uehementiſsimas eſſe deſcribens (appetitricẽ enim ardentiſsimus ille amor quo Iaſonem ardebat: iraſcibilem, immanis eius furor in liberos: rationalẽ deniq;, ſuadela qua ſe ipſam à tanto ſcelere dehortabatur, ſatis abundè declarant) eam magnis uiſceribus donatam fuiſſe ait.

*Medeam fuiſſe magnis donatã viſceribus, ait Euripides, quòd poſsideret tres illas animæ facultates vehementiſsimas.*

* Quanquam neq; Euripides, neque ullus alius poëta (quorum teſtimonia præter morem recitare, me Chryſippi garrulitas cogit) imò uerò neq; ipſe etiam Hippocrates, omnium medicorum calculo, præſtantiſsimus, quemadmodum neque Plato philoſophorum princeps (cuius nec opinionem ſectatores Chryſippi ſuperare unquam poterunt, nec imitari demonſtrationis ornatum) de propoſito placito fidem facere poſsit, citra demonſtrationem.

*Hippocratis Platonisq; encomia*

Chryſippus autem cùm nullius demonſtrationis meminerit, interim non erubeſcit Tyrtæum & Steſichorum teſtes nobis citare: quos ſi etiam uiuos aliquis interrogaret, an de horum dogmatũ ſcientia ambigerent, faterentur utique uoce una, nihil ſe ipſorum ſenſiſſe: ipſiq; potius à Chryſippo nonnihil diſcere, quàm de illis demonſtrare (ut arbitror) mallent. Ratiocinari igitur, & quæ dicuntur conſiderare, item pugnantiam, aut cõſequentiam rerum nouiſſe, rationalis facultatis (quæ cerebro ineſt) eſt opus. Ob cõuicia autem, aut minas, neque iraſci, neque excandeſcere, animoſæ (quæ cordi hæret) eſt proprium.

*Rationalis facultatis, quæ cerebro ineſt opera.*
*Iraſcibilis facultatis, quæ cordi ineſt, quid proprium.*

Etenim dum ea quæ in homine ſunt, conuenienter adminiſtrantur, cerebrũ quidem imperat: cor autem paret, & obſecundat. Diximus autem, neruorũ, quæ motus uoluntarij, atque ſenſus ſunt inſtrumenta, cerebrum originem eſſe: quemadmodũ arteriarum, cor: ad hæc etiam, contuſis aut uulneratis uentriculis cerebri, totum animal ſubitò euadere torpidum, illæſo motu cordis & arteriarum: ſicuti & ubi cor ſimiliter affectum fuerit, arteriarum motus offendi, citra ullam noxam uoluntarij motus, & ſenſus, quòd eorum principiorum neutrum cõmemoratas facultates alteri ſubminiſtraret.

*Cerebrum eſſe originem neruorum, quæ motus voluntarij & ſenſus ſunt inſtrumenta.*
*Cor eſſe arteriarum principiũ.*

Porrò patiente cerebro, promptè animal deſipit, motuq; & ſenſu priuatur. At corde affecto, ſyncope arripitur, interitq;, prædictorum nullo quicquam perpeſſo. Iam uerò Ariſtoteles, plures animæ facultates genere diuerſas eſſe concedit, etſi illas in uno corde conſtituat: Chryſippus autem neque eas omnes differre inter ſe profitetur, neq; alia quadam ui animal iraſci, alia concupiſcere, alia ratiocinari: cùm tamen uel teſtimonijs poëtarum, quos citat, aſſerere contraria cogatur.

*Cerebri affecti ſymptomata.*
*Cordis affecti ſymptomata.*
*Ariſtoteles plures animæ facultates diuerſas in vno corde conſtituit.*
*Chryſippo de partibus animæ opinio.*

Etenim in iecinore deliteſcere appetitoriam animæ facultatem, illic planè Homerus nos docet, ubi ait, uultures apud inferos Tityo iecur exedere, quòd concupijſſet conſtuprare Latonam: *partem nimirum illam plectentes, quæ illatæ contumeliæ fuerat ueluti origo & radix.

*Appetitoriã animam ineſſe iecinori.*
*Tityo apud inferos hepar exedi à vulturibus.*

Quod pertinet ad rationalem animæ facultatem, cùm ſentiret Chryſippus, fabulam de Minerua, quæ poſt deglutitam Metidem, ex Iouis capite orta eſſe putatur, ſuis ipſius dogmatis aduerſari, maximè illam detorquere conatur, hinc figmentum illud habuiſſe originem dicens, * quòd artes quidem uniuerſæ concipiantur & conſiſtant in corde: à ratione autem per caput, hoc eſt, per os (quæ capitis particula exiſtit) emittantur ſermone.

*Mineruam ex Iouis cerebro fuiſſe ortã, fingũt poetæ.*

Cæterùm (ut figmentum ſecus interpretemur) quemadmodum cordis corpus uirtute ſua diſtentum & contractum uiciſsim, proprias materias attrahit, expellitq;: pari modo cerebrum, ubi ſtatuerit ſpiritum animalem, in ſuis contentum uentriculis, particulæ cuipiam tranſmittere, motu ad id idoneo incitatum, diſtribuit ipſum. Hunc autem ſpiritum qui in uentriculis ipſius eſt, fortaſſis quidem paucum, etiam uenæ ad ipſos pertinentes generant: copioſiſsimum uerò & principaliſsimum arteriæ, plexum reticularem, qui ad cerebri baſim eſt, perreptantes, ſuppeditant, quæ à corde ſurſum feruntur.

*Cordis motus duplex.*
*Spiritum animalem contineri in ventriculis cerebri.*
*Cerebri motus.*
*Spiritum animalem partim à venis gigni, partim & præcipuè ab arterijs.*
*Retiformem plexum conſiſtere ad baſim cerebri.*

Quare ſi quis fabulam ueris uelit connectere, in partibus inferioribus prudentiam conceptam (hoc eſt, animalem ſpiritum) in capite natura perfici * dixerit, præſertim in uertice: quandoquidem in eo medius & principaliſsimus cerebri ſinus habetur. Verùm ſi ſcientificas demonſtrationes ſequutus, omiſiſſet Chryſippus fabulas, etymologias, reclinationes, declinationesq; capitis, manuum motiones, labiorumq; figuras, unà cum mulierculis, & alijs idiotis, utique ueritatem ipſe inueniſſet, nec nobis perijſſet tempus, oſtendentibus ipſum nihil ex ijs quæ adducit, iuuari.

*Ventriculum cerebri principaliſsimum, vertici ineſſe capitis.*

## GALENI PERGAMENI de placitis Hippocratis & Platonis lib. IIII.

At uerò ubi Chryſippus affectum definiens, eum eſſe ait irrationalem, & præter naturam animi motum, hoc eſt, reluctantem rationi: rectè ſanè ipſum qui in affectu eſt motũ, ab inanimis irrationabilibusq; diſtinxit. Mouetur ſiquidem lapis & lignum, ſic tamen ut nõ reluctentur rationi. Cuius enim neutiquam intereſt ut obtemperet, ſequaturq; rationem, hoc quomodo repugnare rationi poterit? Meritò itaq; id nõ uti ratione dicetur: ſicuti reluctari rationi, quod naturã quidem habet ſequendi, obtẽperandiq;, ſed interim præter ſui naturã, alio modo fertur. Vnde liquet, nec inanimato cuipiam, neq; irrationali animanti, affectũ innaſci poſſe animalem. Perdecenter etiam ab erroribus affectus ipſos diſtinguit. Quãdoquidem errores, praua ſunt iudicia, & ratio ueritatem mentita, implicitaq; errori. Affectus contrà, nullum quidem erratũ, neq; prætermiſſum in ratiocinatione: ſed eſt animi motus rationi inobediens. Nam qui ut patriam ſeruet, liberorũ uitã cõtemnit, uel iugulandos tradit, honeſti imaginatione id facit, ac ratiocinio uſus. Medea autem, quæ ſciebat qualia perpetraret flagitia, non errore, ut ille, ſed perturbatione ducta, trahebatur.

*Rationi reluctari, quæ ſint dicenda.*
*Affectũ animalem non poſſe innaſci inanimato alicui, ſicuti neq; irrationali animali.*
*Errores ſunt praua iudicia.*
*Affectus eſt motus animi, rationi inobediens.*

Quinetiam, ubi celeriter currentium, qui ne ſi ſiſtere quidem uelint, ſtatim id poſſunt, Chryſippus meminit, apertè illo exemplo aliam uim præter rationalem, nobis poſuit ob oculos, à qua affectiones ipſæ abſoluuntur. Etenim eorum qui per accliuia currunt, nulli adeſt ea difficultas ſiſten-

*Currentium per accliuia, decliuia, & plana, conſideratio.*

*Currentiū per acclivia, decliuia, & plana, consideratio.*

sistendi: sed ijs tantùm, qui per planam quandā aut decliuem feruntur uiam. Quippe composita inest ipsorum lationis causa: una, tanquam animalium, quæ animæ impetu mouentur: altera, tanquam inanimatorum corporum quæ corpore inclinant. Cæterùm qui in plana regione retrorsum corporis inclinationem inter currendum molitur, sistendi potens est, & sui iuris: qui uerò in anteriorem partem, utiq; ab illa impeditur. Qua de causa hoc pacto omnes currunt, ab

*Inclinationem corporis in anteriora, celeritati motus conferre.*

ipsa rei natura edocti, corporis inclinationem in anteriora, celeritati motus conferre. Quemadmodum igitur ijs, qui nihil à corporis pondere ad motus celeritatem iuuantur, in promptu est ut sistant: illis uerò qui ex duplici causa celeritatem generant, non amplius uoluntas est satis: eodem modo in animi impetu, quum ratiocinatio sola causam habuerit, promptum est propter ipsam cessare impetum: ubi uerò aut iracundia ei, aut cupiditas quædā accesserit, quæ sunt uires irrationales, & corporis grauitati persimiles, statim quidem neutiquam posse consistere, uerisimile est: etsi tēporis spatio fortè hoc quoque fiet, quemadmodum in currentibus. Nam quum ratiocinatio, & iracundia, mouere ipsum

*Impetum posse & à ratione, et ab iracūdia moueri.*

impetū possint, si quidem à sola ratione fiat, & compescere ipsum, & rursus excitare sola uoluntate licebit. Sin ab iracundia quadam & cupiditate, quum illæ cessauerint. Sin ab utrisque operantibus fiat, ratione simul, & facultate quadam irrationali: ratione quidē renitente, quod ualentius est, præcellet: simul autem concurrente, nunquam cessabit.

*Ratio quando concurrat affectus.*

Concurrit affectui ratio, quum quæ ille facit, etiam ratio opinatur: quemadmodum in intemperantibus & proteruis hominibus, qui summum bonum in uoluptatum fruitione collocant, ultro ratio ipsam cupiditatem sequitur.

*Ratio quando reluctetur affectus.*

At renitentem ac repugnare affectui rationem dico, quum homo non opinatur propositæ uoluptatis fruitionem, honestum aut bonum esse: trahitur autē quodammodo ad eam, propter ualentem appetitoriæ uirtutis motum.

*Continens qui dicatur.*

Verùm si ratio superauerit, talis homo tum sui, tum suorum affectuum continens, & est, & dicitur.

*Incontinēs qui vocetur.*

Sin autem cupiditas, contrariam huic appellationem sortitus, incontinens nominatur. Quum uerò à ratione sola ad suauium usum ducitur,

*Temperās qui.*

talis uocatur temperans, hoc consilio ea deligens, non ut fruatur, sed ut iuuetur:

*Proteruus qui.*

quemadmodum etiam proteruus, qui à sola cupiditate ducitur, ratione tanquam famulo quodam eam subsequente. Eiusmodi ergo causarum, impetus animi excitantium, complexui, attestatur etiam Chrysippi exemplum. Etenim aduersus accliue currētes, sola ui rationali ducuntur. Qui autem inuiti feruntur ad præcipitium, irrationali:

*Irrationalis animæ vis, corporis ponderi comparatur.*

quam sanè corporis esse pondus diximus: in decliue currentes, utrisq;: perinde ut qui in plano currunt, si prorsum tendant. Nam si renitantur retrorsum, current quidem alijs minus, sed ubi uoluerint, sistent. Quare nihil Chrysippus usq; ad definitionū expositionem ueteribus contrarium pronunciat. Maximè autem ab eis recedit, ac sibimet aduersatur, dum affectus esse iudicia existimat. In summa uerò, Chrysippus semper ueluti in unda fluctuat: nunc quidē sine omni ratione fieri dicens affectus, nunc ad solā rationalē pertinere animæ facultatē: ac proinde eos, iudicia quum sint, irrationabilibus animalibus non inesse. Oblitus autem esse uidetur interim, quòd à uitijs oppidoquàm decenter affectus ipsos distinxerit.

*Affectus distingui à vitijs.*

Ratio siquidem, etiam ex Chrysippi sententia, siue sana & uera, siue praua & mendax extiterit, is qui secundum ipsam mouetur, nunquam in affectum incidit. Quandoquidem secundū ueram, rectè & uenustè mouetur: secundum falsam, prauè & uitiosè. Vbi enim ratio dux est, aut uirtus sequitur, aut uitiū: affectus nunquam.

*Ratione duce, virtutē aut vitium sequi. affectum nunquā.*

*Voluptatē non esse in bonis ponendam.*

Itaq; putare uoluptatem bonum existere, quemadmodum Epicurus existimabat, peccās, uitiosa & falsa ratio est: omnesq; actiones & particulares animi motus, qui uoluptatem, tanquā finem respiciunt prauè, prauos sanè necessariò, & aberrantes facit, ac uitiosos: non tamen iam affectus quoque.

*Affectus proprium.*

Quippe proprium affectus hoc ipsum est, ut anima citra rationem moueatur: id quod pulchrè etiā scripsit Chrysippus.

*Nihil sine causa oritur.*

*Ratio non præest affectibus.*

*Affectus vnde proficiscantur.*

Quum aūt nihil sine causa oriatur, ratio uerò minimè præsit affectibus, iustum est iam nobis Chrysippus respondeat, quidnam affectus ipsos producat. Nos siquidē affirmamus, interim quidem ab irascibili, interim ab appetitoria animæ facultate illos ducere originem. At Chrysippus nulli firmiter hærens sententię, modò eos præter rationem oriri ait, modò secundum rationem, modò temerè atq; à casu procedere: quocirca reprehensionem ullo pacto effugere nequit. Nam si dicat affectuum insultus ab ipsa ratione oriri, discernere iam uitium ab affectu non potest. Si uerò rationem adimat, in motum quendam causæ expertem incidit: quum liceat illi ex facili ambas absurditates uitare, si cōfiteatur irrationales quasdam facultates in anima, affectuum ipsius causas existere.

*Facultates quasdam irrationales in anima, affectuum causas existere.*

Quanquā ubi ea quę nō rectè homines faciunt, partim quidem ad prauū iudiciū refert, partim ad infirmitatem animi, imbecillitatemq;: quemadmodū ubi rursus ijs quæ rectè administrant, rectum iudicium cum bono animi robore pręesse ait: illic sanè diuersam à ratiocinatrice uim quandā esse in animis hominum, causam talium affectuum fateri, uelit nolit, compellit. Siquidem ut iudiciū, facultatis rationalis est opus: ita firmitas, robur uirtusq;, facultatis est diuersæ à ratiocinatione.

*Scientiam habens, nulla in re potest hallucinari.*

Porrò ut scientiam habere (secundum quam, ex Platonis sententia, nemo ulla in re potest hallucinari) non est affectus: ita neque obliuio illius affectus dicenda est, sed inscitia potius, aut ignorantia. At si quis iracundia, aut uoluptate deceptus, ab ijs quæ inino statuerat recesserit, imbecillis quidem huic anima & infirma est: motus autem ipsius, est affectus dicendus:

*Menelai imbecillitas, mollitiesq; animi.*

ut constat in Menelao, qui quum Helenā occidere decreuisset, eamq; districto gladio inuasisset, propius accedens, ac mammas illius candidissimas conspicatus, attonitusq; ob pulchritudinē eius, propter infirmitatē imbecillitatemq; animi, nō solùm gladium abiecit, sed mulierem etiam est osculatus, eiq; seipsum mancipium obtulit, citra iudicium, citraq; rationem, impetu ad con-

ria ductus, eorũ quæ initio decreuerat. Quemadmodum igitur in Medea iracundia oppresit rationem, eamq; ad perpetrandum scelus pertraxit: sic animam Menelai ipsa decipiens cupiditas, reuocauit illam ab instituto. Quæ quidem exempla ab ipso Chrysippo adducta, maximè illi aduersantur, quum ex eis constet, tres facultates diuersas inesse hominibus: nec esse affectus ipsos iudicia, ut qui præter iudicium oriantur. Nec uerò à ueteri placito illa carmina abhorrent, quæ, ut suam opinionẽ tueatur, citat etiam de animantibus.

*Venus siquidem admonita laxat nihil,*
*Si nanq; cogas, amplius intendere appetit.*
*Admonitus autem amor, magis premit.*

Quibus postea subdit, affectus ipsos amantium declinare semper rationem, tanquam intempestiuum increpatorem. Reperies & alia innumera in libro de affectibus, ab eo prodita, pugnantia quidem ijs dogmatis, quæ ipse statuit: consentanea autem & manifestò apparentibus, & opinioni Platonis. Quum autem Chrysippus dixisset, tristitiam esse opinionem recentem præsentis mali: ab eo Posidonius exigit causam, cur mali quidem opinio, si recens sit, tristitiam inferat. inueterata autem, neutiquam, aut non perinde angat animum. Quam causam, quòd eam ignoraret Chrysippus, ipsemet Posidonius reddens, ait, omne immodicum & peregrinum subitò irruens, animum permutare: usitatum uerò & consuetũ, inueteratumq;, aut minimè affectus mouere, aut parum admodum. Quare domesticũ & familiare sibi facere dicit, rebus non præsentibus, tanquã præsentibus uti. Ac proinde sapientes complures, etiamsi existiment se in maximis bonis, aut etiam malis uersari, esse tamen ab affectu omni immunissimos. Quocirca dictum Anaxagoræ assumpsit, qui quidem, quũ aliquis filium mortuum ei renunciasset, admodum constanter respondit, Noui me mortalem genuisse. In hunc sensum etiam Euripides Theseum introduxit loquentem:

*Tristitia quid.*

*Tristitiã cur inferat opinio recẽs præsentis mali: inueterata autem, nequaquam, aut non perinde.*

*Immodicum omne irruens subitò, permutat animum. cõsuetum uerò, nõ usque adeo.*

*Immunes ab affectu esse, qui non præsentib. tãquam præsentibus rebus utuntur.*

*Anaxagoræ dictum heroicum.*

*A sapiente aliquo perdoctus ego,!*
*In curas animum & calamitates indidi.*
*Atq; exulem me proposui à patria mea ad mortes*
*Immaturas, & uias malas alias:*
*Vt si quid paterer ex ijs quæ putaueram*
*Aliquando, animum non morderent recentia.*

Eôdem pertinent & illa:

*Si hic primus esset malorum dies mihi,*
*Et non diu uexarer in laboribus,*
*Forsan renuerer, ut pullus iugo recens*
*Subditus, excutiens frænum susceptum nuper.*
*At nunc malis obdurui, & occallui.*
*Hæc interim emollescent longo tempore,*
*Malum pubescit nunc.*

Tempore itaq; affectus cessant, etiamsi opinio eorum & iudicia permaneant. Vt enim pars animæ obnoxia affectibus, peculiaria quædam concupiscit appetibilia: ita etiam ipsis, quum acciduntur, repletur & saturatur, atque in hoc suum ipsius motum sistit, qui animalis impetui præerat. Nihil autem tam clarũ est, quàm uires quasdam in nostris animis inesse natura cõcupiscentes, hanc uoluptatis, illam dominij & uictoriæ.

*Affectus sedari tempore, etiamsi opinio ipsorũ permaneat.*

*Affectus quomodo cõpescantur.*

Iam uerò sunt qui nolentes plorant, lachrymas cohibere impotentes. Sunt contrà, qui plorare cupientes, protinus cessant, ob motiones affectibus subditas, uehementer ita inhærentes, ut non euincantur à uoluntate. aut ita omnino cessantes, ut ab ipsis excitari nequeant. Quorum causas inuestigantes, inueniemus quo pacto ratio cum affectu pugnet, atque ab eo differat, simulq; seruabimus animæ facultates. Consuetudines itaque & tempus, ad affectuum motus plurimum posse uidentur. Consuetudine quippe mollescit animæ irrationabilitas, in quocunque educetur. Tempore autẽ affectus conquiescunt, repletis irrationabilibus potentijs animæ, ijs quę antea desiderabant. At rationales cognitiones, iudicia, & summatim scientię omnes, & artes, neq; difficiles ad dissolutionem fieri apparent propter solum tempus nudum (quemadmodum consuetudines secundum affectum) neq; transponi & cessare, sicuti tristitia, aliaq; affectus id genus.

*Consuetudine mollescit animæ irrationabilitas.*

*Tempore affectus conquiescunt.*

## GALENI PERGAMENI
### *de placitis Hippocratis & Platonis lib. V.*

QVum igitur sectatores Chrysippi ostenderint, * quemadmodũ ipsi quidem existimant, uniuersos affectus in corde consistere: ut autem ueritas habet, solos eos, qui circa irascibilem facultatem uersantur: ac dein assumpserint, ubicunq; animi affectiones sint, ibidem quoque ratiocinatricem ipsius facultatem haberi: ita demum concludunt, in corde ratiocinatricem existere. Nos uerò, quòd inde iracundia nascatur, unà cum ipsis fatemur: quòd autem in loco eodem delitescant uis irascibilis & ratiocinatrix, non item: neq; quòd unius opera facultatis existant. Porrò affectum animi, motionem quandam esse præter naturam, rationis expertem, quę ciuilium animis non innascatur, nõ ueteres tantùm, sed Chrysippus quoque fatetur. Est autem inter animi constitutionem, & eam quæ corpori inest, quædam similitudo & proportio. Quare Posidonium laudo, quòd prauorum animas, quum extra affectus constiterint, sanis corporibus similiter se habere prædicat: non probo autem, quòd eiusmodi constitutionem morbum nominet. Oportebat nanque, si rectè sapientium animas uellet assimilare, dicere, * eas similes esse corporibus ijs, quæ ab affectibus sunt immunia. At prouidorum, bono habitu præditis. Mediocrium uerò uirorum, sanis sine bona habitudine. Vulgariũ & iniquorum, ijs qui uel ex occasione leuissima in morbos incidunt. Irascentium deniq;, aut furibundorum, aut lugentium, amantiúmue, aut obsessorũ aliquo affectu, ijs quæ iam ægrotant. Siquidem quocunque tempore uel dormiunt, uel ad aliud mentem lii transferunt, extra affectum feruntur. Paulò pòst ubi ipsorum meminerint, in constitutionem perueniunt febrium insultibus similem. Quemadmodum autem sanitas corporis, est cõmoderatio simplicissimarum eius particularum, quæ iam elementa nocamus:

*Chrysippi sectatorũ discursus.*

*Affectus quid.*

*Animi constitutionem corporis constitutioni esse similem.*

*Animarũ cum corporibus comparationes diuersæ.*

*Sanitas corporis quæ.*

*Sanitas animi.* *Morbus animi.*

mus: eodem modo etiã erit animi sanitas, commoderatio quædam simplicium particularũ ipsius. Quinetiam morbus animi similiter immoderatio quædam est, & discordia ipsarum harum particularum inter se, quarum cõmoderatio erat animi sanitas.

*Animæ partes sunt, irascibilis, rationalis, & appetitoria.*

Sunt autem hæ particulæ iuxta Platonis sententiam, irascibilis, rationalis, & præter has etiam appetitoria. Etenim concordes inuicem, & in nullo dissidentes hæ tres, sanitatem animi efficiunt: discordes autem & contendentes, morbum.

*Chrysippi error duplex.*

Vbi autem Chrysippus ait, animæ partes esse, per quas ratio in ea consistit; intelligens animam, notionum & præsumptionum quandam collectionem existere, dupliciter errat. Primùm enim non animi, sed rationis has dicendum erat esse particulas.

*Anima et ratio non sunt idem, quum ratio in anima cõtineatur.*

Quippe non idem est anima & ratio, quum hæc in ea contineatur. Quòd si hoc etiam aliquis irreprehensum permiserit, certè notiones & præsumptiones, non particulas animæ, sed actiones animæ dicere oportet.

*Nihil ex proprijs constat actionibus.*

Nihil autem ex proprijs functionibus constat. Ad hæc etiam Chrysippus sanitatem animæ & pulchritudinẽ in unum atq; idem confundit.

*Pulchritudo corporis in particularum commoderatione consistit.*

Porrò corporis pulchritudo, in particularum cõmoderatione (qualis in Polycleti regula cernitur) secundum omnes medicos philosophosq;, cõsistit.

*Sanitas est elementorum commoderatio.*

Sanitas uerò, elementorum, quæcunq; illa sint, inter se est cõmoderatio.

*Pulchritudo animæ, ad decentes eius motus refertur: ut turpitudo, ad immodicos & efferatos eosdem.*

Cæterum animæ pulchritudo, ad moderatos ac decentes ipsius animæ motus (qualis est Platonis sententia) refertur: ad immodicos autem & efferatos, turpitudo eiusdem. Siquidem in cõmoderatione motionum particularium, pulchritudo actionum est cognita: sicuti turpitudo in immoderatione.

*Anima nostra constat ex particulis omnino inter se differentibus.*

Quòd autem anima nostra composita ex particulis diuersi generis, & substantia & sede inter se differẽtibus sit, quodq; innumeras uires sortiatur, Hippocratis est atq; Platonis placitũ. Quare neq; in una particula animæ, neq; in una ipsius facultate, tum iudicia, tum etiam affectus fient, ut Chrysippus existimauit.

*Pueris uehementiores, pluresq; affectus, quàm adultis, oriri.*

Iam uerò pueris multò plures & uehementiores quàm adultis oboriuntur affectus: quum à nullo docti magistro, sed naturali ductu illi omnes ad uoluptates flectantur, auersentur autem labores. Videmus enim ipsos & irascentes, & calcitrantes, & mordentes, & præualere cupientes, ut nõnulla animantia, nullo præmio proposito, præter ipsam uictoriam. Neq; uerò à ratione impetus eorum coërceri dicere possis, ut qui rationem necdum habeant: neq; quòd non innumeris affectibus implicentur. At ubi processerint, quoniam ad honestum, naturalem quandam propensionem habent, & erubescunt peccantes, & iustitiam, aliasq; uirtutes amplectuntur, facientes plurima secundũ earum notiones: etsi prius, quum essent parui, ex affectu uiuerent, nullamq; præceptorum ex ratione curam haberent.

*Animæ constitutiones ex diuersis corporis temperamẽtis nasci: iracũdiora esse animalia quæ lati pectoris, & calidiora existunt.*

Cæterùm animæ constitutiones, ex diuersis corporis temperamentis oriuntur: quum uideamus animalium, quæ lati pectoris & calidiora sunt, omnia fortiri naturam iracundiorẽ: ut timidiorem, quæ latis coxis, & frigidiora.

*Regionum uarietas, discrimẽ in morib. facit.*

Ac secundum uarietatem regionum, haud parum etiam moribus homines ad timorem & audaciam, uel uoluptatis laborisq; studium, differũt. Quare, mea sententia, curatio animi affectuum, in nonnullis quidem prompta & facilis est, eò quòd neq; affectuum motus ipsis insint ualidi, neque ratiocinatrix pars, imbecillis natura & imprudẽs, sed propter inscitiam prauasq; cõsuetudines, id genus hominum uiuere ex affectu cogantur. Nõnullis uerò difficilis, quum motus affectuũ, qui ex corporis constitutione necessariò obueniunt, magni & uehementes exstiterint: ratiocinatrix autem facultas imbecillis, imprudensq;. Hunc quippe ueri scientiam indipisci oportet, ac affectuum motus retundere, probis institutionibus assuescentem.

*Hominem ab initio, quo pacto secundũ uirtutem formare atq; instituere oporteat.*

Sic itaq; & ab initio hominem ad optimum conformare oportet, ante omnia quidem, ipsorum seminum, dein uictus quo grauida utetur, ac præterea cibi, potus, exercitiorum, atqueadeo quietis & somni ratione habita. Oportet autẽ (ut inquit Plato) pueros iam æditos, ita educari & institui, ut reddant partem animi affectibus opportunam & irrationalem, motibus cõmoderatã, ac rationis iussis audientem.

*Pueris rationẽ ipsam esse imbecillam: ualentẽ autem euadere, circa quartumdecimum annũ.*

In pueritia tamen exiguam & imbecillam * hanc ipsam rationem esse uerisimile est: magnam uerò & ualentem euadere, circa quartumdecimum ætatis annum: quandò iam dominari & imperare ipsam conuenit, tanquam aurigam quendam pari connatorum equorum, nempe cupiditati, iracundiæq;, dum non ualentes nimium sunt, neq; imbecillæ, nec pigræ, nec effrenes, nec contumaces omnino, aut indecoræ, aut contumeliosæ, sed in omne promptæ, tum sequi, tum obsecundare rationi. Huius autem institutionem, uirtutemq;, scientiam esse oportet rerum naturæ: quemadmodũ aurigæ, speculationum artis aurigandi.

*Scientiam non innasci irrationalibus animæ facultatibus.*

Nam in irrationabilibus animæ uiribus, scientiæ non solent innasci, sicuti neq; equis: sed his sanè propria uirtus, ex consuetudine quadam irrationali proficiscitur, aurigis autem ex disciplina rationali.

*Irrationalium animæ partiũ, irrationales uirtutes esse: rationalẽ aũt, solius ratiocinatricis.*

Quemadmodum igitur irrationalium animæ partiũ necesse est irrationales quoq; uirtutes esse, ita rationalem, solius ratiocinatricis. Quapropter meritò illarum uirtutes, facultates dicendæ sunt: solius autem ratiocinatricis, scientia.

*Viuere qui ex affectu, & qui secundum rationem dicatur.*

Quum itaque in nobis alia potior sit animæ pars, alia deterior: qui potiorem sequitur, consentaneam naturæ uitam dicetur agere: qui deteriorem, repugnantem. Hic enim ex affectu, ille secundum rationem, uiuit.

*Propensiones quibus mouemur natura, sunt tres.*

Quum igitur hæ tres propensiones nobis natura insint: ad uoluptatem sanè, propter appetitoriam: ad uictoriam uerò, propter irrascibilem: ad honestũ deniq;, propter ratiocinatricem animæ facultatem: Epicurus quidem infimæ animæ partis tantùm proportionem conspexit: Chrysippus autem, optimæ, quum dixerit peculiariter nos affici erga solum honestum. At uniuersas tres proprietates perspicere solis ueteribus philosophis licuit. Porrò qui ex affectu uiuit, hic irrationalem & attonitam animæ partem: qui uerò sine affectu, rationalem atq; diuinam sequitur.

*Affectuum causa cognita, plurimum ad remedij inuentionem confert.*

Quare affectuum causa cognita, plurimum ad remedij inuentionem confert. Idcirco Damon musicus quum esset apud tibicinam Phrygium modulantem, ebrijs quibusdam

adolescentibus, & insana quędā peragentibus, Doricū canere iussit: illi uerò statim à motu insulso cessarunt: non quòd opiniones raciocinatricis facultatis docerentur à cantionibus tibicinæ, sed quòd affectibus obnoxia pars animæ, quū esset irrationalis, excitaretur, mitigareturq; motibus irrationabilibus. Siquidē irrationali, ab irrationabilibus & cōmodum & noxa obuenit: rationali uerò, à scientia bonaq; disciplina. Verùm pars animę affectibus obnoxia, temporis spatio partim repletur proprijs cupiditatibus, partim diuturnis laborat motibus. Quapropter amborum nomine ea conquiescente, & mediocriter mota, superior esse ratio iam potest: quemadmodum & equo effreni insessorem uiolenter excutiente, deinde laborāte simul cursu, & præterea saturato ijs quæ concupiuit, rursus auriga superior euadit. At Chrysippus neq; diuersam animę partem affectibus deditam, à rationali arbitratur: & affectus tollit à brutis animantibus, quum tamen libidine & iracundia regantur. Posidonius autem rectius, quæ animantia ægrè mouentur, & stirpium modo adhærescunt petris, ea cupiditate sola gubernari pronunciat. Reliqua uerò bruta uniuersa, utrisq; facultatibus uti, & appetitoria, & irascibili. Hominem autem solum, tribus: quippe rationale principium, hunc sumere. Quòd igitur pars animæ appetitoria, diuersa sit à raciocinatrice, hinc colligere licet, quòd pueri dum sumus, instar brutorum animalium promptè ad repletionem ferimur, neq; an id conducat, aut obsit, considerantes. Aetate uerò & ratione prouecti, sæpe ne bibimus quidem omnino, ubi persuasum habuerimus, ex potu noxam subsecuturā: sæpe minus quàm appetimus, si & hic copia obfutura est. Interim aquam bibimus, uinum concupiscentes. Rationis autem expertes homines, similiter infantibus atq; feris, neq; tempus expectant, neq; quantitatē, qualitatémue corporis inspicere sustinent. Quòd ergo nec feræ, nec infantes, ratione utantur, etiam apud Chrysippum in confesso est. At quòd ui alia præter rationē ad fruendum ijs quæ concupiscunt, alliciantur, modò ait, modò negat. Etenim irrationalis in nobis facultas, ad singula quæ desiderantur, requirentem allicit: ratio retrahit, & inopportunā cōmotionem continet, ac pugna frequenter utrisq; ualida inter se oboritur, euidenter indicans duplicem esse in nobis naturam facultatū inuicem dissidentium. Si enim una esset sola, quemadmodum in pueris, nihil sanè prohiberet intempestiuè nos frui appetibilibus. Quemadmodum etiam si sola esset ratio, nullum esset negocium, sitientem non bibere, aut esurientem non esse: neq; continens, neq; sobrius, qui non bibit, nominaretur: sicuti nec qui non uadit, nisi uelit. Sitientis itaq;, nolentis autem bibere, anima, una quidem facultate, aut parte, potum concupiscit: altera uerò, fugit, & auersatur. Vni enim & eidem arripere aliquid fugereq;, non licet. At uerò rationi iracundia, ut subseruiat & auxilietur illi, perinde ac uenatori canis, contra tertiam animæ speciem, à natura tributa est. Quare ubi ultro sequitur ratio appetentiam, consequitur & iracundia rationem. Vbi autem aduersatur illi, atq; renititur, iracundia à ratione stat, atq; illi fert opem, præcipuè cùm ratio ipsa ab aliquo uel intus, uel extrinsecus se affici iniuria, & ui compelli, autumat. Siquidem autumare se iniuria affici, rationalis est facultatis: eam autem ulcisci, animosæ proprium existit. Quum igitur appetitoria facultas, immoderatè ad aliquid irruens, inuitam rationem eò secum attraxerit, irascibilis contra illam rationi suppetias fert. At ubi à nullo affici iniuria putatur ratio, minimè sanè iracundia efferuescit, etsi quāmaximè tunc corpus iustè puniatur ab aliquo, uel algere, uel famescere, uel sitire coactum. Vnde liquet, iracundiam naturali statu præditam, opiniones rationis sequi. Fieri tamen quandoq; potest, ut hæc quoq; prauè affecta, immorigera rationi moueatur. Quòd autē iracundia à ratione diuersa sit, hinc docet Plato, quòd pueri, perinde ut ferę maximè iracundi existentes, ratione careant. Eodem siquidem modo irascuntur pueri, quo & ætate prouecti: hoc interiecto discrimine, quòd hi sanè in multis, ratione continent iracundiam, quemadmodū generosum canem, ferocius proximos insilientem aliquis pastor: in pueris autem, nihil eiusmodi accidit, quemadmodum neq; in bestijs: quòd in * illis quidem, nondum, in his autē nunquam, ratio impetus animi inhibeat.

*Bruta, libidine & iracūdia regi.*

*Animalia quæ à quib. animæ facultatibus dispensentur.*

*Animæ partem appetitoriā, diuersam à raciocinatrice existere.*

*Naturam facultatū nobis inesse duplicem.*

*Iracundiam esse à natura tributam rationi contrà cupiditatem, ceu uenatori canem.*

*Iracundia se naturaliter habēs opinionem rationis sequitur.*

*Pueros carere ratione.*

## GALENI PERGAMENI de placitis Hippocratis & Platonis lib. VI.

Est autem actio, motus quidam efficiēs, hoc est, qui ex se existit: affectus uerò, motus in altero, ab altero, ut necessariò sępe in unum subiectum cum affectu actio conueniat. Nam à secante facta diuisio in eo quod secatur, una & eadem res quum sit, secantis quidem actio: eius autem quod secatur, affectus est. Ira sanè & iracundia, actio quidem est irascibilis animæ: affectus autem, reliquarum ipsius duarum partium, & præterea totius nostri corporis, quum ab iracundia uiolenter ad actiones ducitur. Atque hoc unum est significatum utriusque nominis. Alterum autem, si actionem quidem, motum quendam naturalem intelligamus: idq; primaria ratione: affectum autem, præter naturam. Etenim primaria ratione illa fieri à natura dicimus, quæ ueluti scopos natura amplectitur: nec ex aliqua consequentia, alia necessariò sequitur. Vt autem res magis innotescat exemplis, cordis motus, * qui in pulsibus quidem fit, actio dicitur: qui uerò in palpitationibus, affectus: pro secunda huius dictionis (affectus) significatione. Atq; ita non omnis pulsus est actio, sed is tantùm, qui naturalis existit. Iracundia igitur & omnes animi affectus, actiones quędam sunt, secundum primum significatum. Quatenus autem effrenes & immoderati existūt, neq; secundum naturā, affectus esse dicentur, ex significatione secunda. Qualis enim res in arteriarum motu magnus est pulsus, talis in irascibilis animæ motu, iracūdia. Qualis rursus paruus pulsus, talis timiditas. Porrò iracundiam ipsam frequenter alia

duo

*Actio quid.*

*Affectus quid.*

*Iracundiam esse actionem & affectum, secundum uarias animæ partes.*

*Actionis affectusq; duplex significatum.*

*Primaria ratione, quæ fieri à natura dicantur.*

duo sequuntur: sæpe uerò cõcupiscentiam, tanq̃ abstracta, compulsaq; iugalium equorũ instar, quorum alrer ualentius impellens, alterũ secum trahit, unà cum auriga & curru. Tũc enim in effreni equo motus, actio & affectus eius dicetur: priori quidem significato, actio (motus enim ex seipso est) secundo autem, nõ actio, cùm sit motus ei præter naturam, sed iam affectus. Aurigæ uerò motus, ne secundum alterũ quidem significatum actio est, sed secundum utrunq; affectus: cùm neq; ex seipso, neq; secundum naturã ei adsit motus. Iam uerò facultates illas tres corpus nostrũ regentes, rationalem, irascibilem, & appetitoriã, tum species, tum partes animæ rectè aliquis nominarit. Quarũ appetitoriã quidem, belluæ uariç, multicipitiq; : irascibilem autem, leoni: homini deniq; rationalem Plato interdum comparat. Quãuis idem in Phædro, priores quidem illas equinam quandam formã referre ait: aurigam uerò, tertiam. Quamobrem Plato locis eas esse distinctas, & substantijs permultũ uariare arbitratus, meritò illas tum species, tum partes appellat. Aristoteles autem & Posidonius, facultates eas esse unius substantiç ex corde proficiscentis, affirmant. At Chrysippus, tanq̃ ad unam substantiam, ita & ad unam facultatem ratiocinatricem diducit tum iracundiam, tum ipsam cõcupiscentiam. Porrò in stirpibus solam speciem appetitoriam habitare, professus est Plato: in dijs autem ratiocinatricẽ. Irascibilem uerò in hominibus creatam esse ait, rationali animæ auxiliatricem, tanq̃ canem quendam, cõtra multicipitem illam & agrestem ferã, cupiditatẽ. Plato item nos docuit, quòd quæcunq; fuerit species, hæc, pars nominari etiam possit: nõ tamen quælibet pars, statim species erit. Cùm igiť ex ijs quæ superius à nobis sunt tradita, cõstet iam ratiocinatricem quidem animæ partem, fontemq; uoluntariarũ actionũ consistere in cerebro: in corde autẽ tum irascibilem, tum pulsificam facultatẽ (etenim si fune intercipiantur, aut dissecentur nerui, particulæ quidem continuæ cerebro, principij sui retinere facultates apparent: quæ uerò infra funẽ habentur, statim & sensum perdunt, & motum: quemadmodũ etiam arteriæ, quç quidem cordi cõtinuæ sunt, originis suæ perpetuò functiones obeunt: quæ uerò uinculo interueniente, illius cõmercio priuantur, prorsus nõ pulsant. ac præterea affectus animi qui ex iracũdia & motu accidunt, cor palàm immutare à sua actione uidentur) reliquũ est ut appetitoriã delitescere in hepate, similiter ostendamus. Quippe hoc uiscere læso, etsi nõ subitò afficianť reliquæ partes, quemadmodum per aliorũ læsiones, temporis tamen processu animal nutrimenti inopia elanguescit, atq; in pallidum colorẽ mutať. Eiusmodi nanq; facultatis initiũ est iecur, qualis & stirpibus inest. Ad cuius demonstrationẽ, optimũ prius fuerit considerare, quo modo stirpes gignanť. Proiecto in terram semine qualicunq;, si squalida illa fuerit, ac sicca, nihil amplius ad stirpis generationem ipsum semen molietur, cùm nimirũ omnem eius madorem ad se ipsa terra alliciat. Vbi uerò mediocriter humida est, molle redditur semen, intumescitq; iuxta ambiens ipsum operculum: quod utiq; rumpitur quidem primũ, madore seminis in aërem conuerso: deinde protenditur iuxta rupturam germen quoddam tenue, & utrobiq; molle: ac superior seminis portio ceu ad aërem, inferior in terrã uergit. Atq; hæc quidem continuò uidentur augescere, ac semper ferri in quæ ab initio inclinabant. Processu temporis, si arboris cuiusdã magnæ sit semen, pars quç in aërem fertur, caudex ipsius euadit: quç in imũ terræ declinat, radix: & utraq; portio uarijs scissuris diuaricatur, si multifidæ arboris ipsum semen extiterit. Vnum itaq; principium generationis & incrementi omnibus stirpis partibus est locus ille, unde sursum quidem caudex, initium uerò radicis nasciť: ac apparet uelut ex loco quodam, uirtus dispensans arborem, illinc procedere. Quale autẽ est animantibus os, tale stirpibus extremũ radicationis uideť, osculis pluribus ex terra alimentũ trahentibus, fabricatum. In hunc igitur arboris modum licet magnã arteriam cernere, quæ caudicis instar ex corde procedens diuaricatur, altera quidem parte minore ad caput perreptans, altera uerò maiore per spinã sese detorquens: à quibus propagines omniũ corporis arteriarũ oriuntur. Cõtemplare rursus alterã arteriam ex ipso cordis sinu profectam, quç in pulmones, nõ secus ac radicis pars in terram, diffunditur. Quemadmodũ enim ex terra per radices totũ alimentũ trahit arbos, ita ex pulmone cor per dictam arteriã haurit. Quare arteria quæ ueluti caudex apparet, maxima est omniũ quæ in toto animali habentur: quæ in pulmonẽ inseritur, omniũ maxima est, quç inibi existunt: ipsum uerò cor, medium ambarũ est, & origo facultatum eas gubernantiũ. Constat nanq; maiora minorum semper esse principia, sicuti & fontem, riuorum in quos dispensať: quãuis nõnulli eò ueniũt absurditatis, ut principiò ea quç post ipsum sunt, esse maiora existiment, decepti ob flumina, quæ exigua planè cùm prope fontes existãt, progressu augentur. Non uident tamen id sic accidere, quòd in se alios decursus aquarũ exceperint. Quippe nullum flumen ex uno procedens fonte, minus caput obtinet ijs quæ subsequuntur. Esset autẽ summa impudentia, aliud uiscus à corde statuere arteriarũ principium, cùm hoc solũ uiscus animalis corpore exemptũ, diutissimè naturalem functionẽ retineat, ceu initium motus tum sibi, tum ijs quæ ab ipso proficiscuntur, arterijs. Hæ autẽ ab eo segregatæ, aut funibus interceptæ, aut diuisæ sectionibus, unà cum affectu ipso, motum etiam amittunt. Porrò uenæ quæ à iecore ad uentrem pertinent, similes sunt radicibus. Nam ut arboribus terra, sic est animãtibus uenter. Cæterũ uena caua truncus quidam existens, atq; à gibbis partibus hepatis orta, in superiorem & inferiorem corporis regionem excurrit. Cuius latissima portio est, quæ infra iecur descendit: minus autem lata, quæ sursum per septũ transuersum adit: his uerò duabus minor, quæ in cor inseritur: quanq̃ si esset cor uenæ cauæ, sicuti arteriæ magnç, principiũ, maxima esset (opinor) portio uenæ ei cõtinua. Est itaq; tum uenarum, tum sanguinis, tum nutriẽtis facultatis initium hepar: q̃d uiscus in uniuersas corporis par

*Animæ partiũ singulas, quibus animalibus cõpararit Plato.*

*Aristotelis & Posidonij sententia de speciebus animæ.*

*Stirpibus inesse solam appetitoriam uim, ait Plato.*

*Species omnino posse uocari pars: nõ tamen omnis pars, species statim erit.*

*Ratiocinatrix facultas cõsistit in cerebro.*

*Neruo secto, partes supra sectionem, uicinas cerebro, solas retinere motum & sensum.*

*Irascibilem facultatem cõsistere in corde.*

*Iecur esse eiusdem facultatis initium, qualis stirpibus inest.*

*Stirpes qua ratione gignãtur.*

*Arteria magna ortus, diuaricatioq;.*

*Arteria uenosa.*

*Cor haurire spiritum à pulmone per arteriam uenosam.*

*Maiora minorũ semper esse principia.*

*Venter animalibus est, quod arboribus terra.*

*Vena caua (quæ ab hepate nascitur) diuisio, processusq;.*

*Hepar esse tum uenarum, tum sanguinis, tum nutrientis facultatis initium.*

*Hepatis recrementa, expurgantia organa.*

tes benignum alimentum distribuit. Quòd autē sanguis perficiatur in hepate, argumēto sunt recrementorum purgatoria instrumenta, quæ natura illi fabricata est, renes uidelicet, lien, ac receptrix bilis uesica. Nam quartū aliud alimenti excrementū, uel materiæ qualiscunq; à calore mutatæ, ne cogitare quidem licet. At in corde, neq; aliud quoddam purgans instrumentum natura fecit, neq; alium machinata est humorē. Similis tanq; sanguis est, & qui in dextro cordis sinu, & qui in omnibus uenis per totum animal cōtinetur: quemadmodū & qui in arterijs habetur, ei respondet, qui in sinu sinistro existit. Maximā facit fidem, iecur nullū humorē præparare ipsi cordi, ad particularum nutricationē (quemadmodum nōnulli putabāt) sed ipsum uniuersam eius speciem absoluere, *quòd cùm una sit uena quæ ex iecore in cor procedit, alia nulla feratur ex altera ipsius cordis parte, quæ elaboratum humorem in totum corpus deducat: etsi alia quidem arteria inferat, alia educat spiritū. Videtur quippe natura non eisdem uti uasis, & ad semielaboratas materias, & ad omnino confectas: imò ne eisdem quidem uijs. Taceo complura animalia, dextro cordis sinu carere. Vnde existimari nō potest, cauam uenam ex hoc oriri uentriculo, cùm in permultis animaliū generibus, iecur quidem existat, & caua uena: sinus autem dexter nequaquam. Etenim quæ non respirant ex aëre animalia, ea neque pulmonem habent, neque cordis uentriculum dextrum: qui sanè simul cum pulmone perit, & generatur. Igitur quemadmodū arteria magna ex corde, sic semper uena caua ex iecinoris gibbo oritur, uel si dexter cordis sinus non adsit. Quæ quidem ubi septum transuersum subter cor penetrauerit, in duos magnos ramos diuaricatur. Quinetiam ex cauis hepatis, altera uena (quam portas, aut portis uicinam appellant) producta, in partes uentris uarias demittit propagines. Quarum omnium cùm nulla cordi cōtinua sit, meritò dictum est, uenarū omnium esse radicationem hepar, arteriarum cor: sicuti & arboris, partem illam, quam occupauit semen proiectum. At Pelops uenarū principium cerebrum esse existimans, cōsectionem ipsarum à iecore est auspicatus: affirmans hoc uiscus, ad disciplinam fieri initium sermoni: cùm tamē initium à natura cōstitutum, etiam disciplinam cogat à seipso fieri. Quare inquirendum non est aliud rei naturæ principium, aliud ipsius disciplinæ. Iam uerò, cùm in corde reperiantur tantùm quatuor ora uasorum: duo in sinistro uentriculo, quorum unum quidem ex pulmone spiritum introducit, alterum educit à corde in uniuersas arterias: atq; in dextro similiter duo, quorum alterum sanguinem uehit in pulmones, alterum in dextrū sinum cordis introducit ab hepate: habeatq; hoc orificium quartum, tres quasdam in se membranas foris intrò uergentes, quæ ad orificium id concidentes, impedimento sunt, quò minus contracto corde, sanguis semel in cor ingressus, reuertatur rursus ad uenā cauam: nec reperiatur quintū aliud ab his orificium, quo sanguinem ex iecore ad ipsum cor peruenientē, in totū corpus transmittat: sanè liquidò cōstat, cor neq; esse initium sanguinis totū corpus nutrientis opifex, neq; instrumentū ipsius. Quàm uerò necessaria sit animantiū uitæ, ipsa sanguificatio, hinc discas licet, quòd cùm possimus uiuere, etiā si cibos uenter nō coterat (interdum enim succos tantū, aut ipsum lac propinamus) necessariò moriendum sit nobis, sanguinis generatione pereunte. Quòd autem ipsæ uenæ non procedant à corde, uel in ipsa in utero fœtuum conformatione, facilè perspicere est. Omnes siquidē secundarum uenæ, quæ utero conceptum annectunt, propagines sunt unius uenæ maximæ, prodeuntis ab hepate. Siquidē ostensum est, maxima uasa uicinorum esse principia. Quarum uenarū extrema, ueluti radicata in utero, sanguinē ex eo ad iecur, tanquam totius stirpis principiū, sursum uidentur transmittere. Vena itaq; procedens ex iecore, uenarū omniū quæ secundas perreptant, initium existit: sicuti & arteriarum, arteria quæ à corde trahit ortum. Etenim hæc quoq; omnib. quæ in secundis sunt, propriam facultatem suppeditat, non illæ huic. Quippe ex semine infantibus prouenit initium facultatum eos gubernantium, nō ex utero. Porrò si fune interceperis, aut tuismet digitis umbilici arterias compresseris: omnes quæ in secundis habentur, statim pulsu destitutas uidebis: cuius contrarium cerneres, si motus initiū ipsis præstaret uterus. In quod igitur omnes desinunt secundarum uenæ, inde necessariò procedunt. Atqui (ut manifestè ex consectionibus liquet) uniuersæ in unam coëunt uenam ex iecore enatam: sicuti & arteriæ omnes, in duas magnas degenerant, quæ cōscendentes uesicam, atq; in decliue pergentes, in illas terminātur arterias, quæ à magna lumborum arteria ortæ, in crura fœtus feruntur. Quare multò magis hepar uenarum principium dicendum est, quàm cor arteriarum. Sed neq; illud te oportet lateat, quòd omnino pulsarent uenæ, si ex corde originem ducerent. Pulsat nanq; totum ipsius cordis corpus, sublatum, contractumq; ex seipso: quam quidem eandem uim à se ortis elargitur arterijs. Quòd si cor operimētis nudaueris, dextri ipsius uentriculi pulsum euidenter contuebere. Nec te latebit etiam, ei uas insertū, quod cauæ uenæ est propago, similiter arterijs pulsare: quāuis etiam pulsatio minimè cōmunicetur cæteris quæ per uniuersum corpus feruntur uenis: ut motus arteriæ magnæ. At uerò non quia implentur arteriæ, ob id dilatantur: sed quia dilatantur, implentur. Vt igitur denuò sermonem repetam, si requiris exordiū primæ generationis uenarū, id iecur est: si materiæ dispensationis, qua uniuersum corpus nutritur, & uirtutis, aliud nullū uiscus reperias, quod aptius initiū censeatur. Ad hæc uerò, si id quod mutatur, in similem speciem cum eo quod mutat, peruenit, iecoris ipsius carne nihil ad sanguinis generationem reperiri possit accōmodatius. Nam sanguis si incrassatus fuerit, tum colore, tum consistentia, exacta iecoris caro efficiet. Ac proinde si humor qui ex uentriculo in iecur distribuitur, fieri sanguis debeat, necessum est ut ipsius à propria hepatis substantia fiat mutatio: quandoquidem ipsæ uenarum tunicæ, ex sua ipsarum natura generare sanguinem nequeunt,

Non

*Vasis nō ijsdem uti naturā ad semielaboratas materias, & ad omnino cōfectas.*

*Animalia non respirātia ex aëre, neq; pulmonē habere, neq; cordis uentriculum dextrū, qui cum pulmone perit, & generatur.*

*Vena caua diuaricatio.*

*Vena porta.*

*Venarum radicatio est hepar.*

*Cor est radicatio arteriarum.*

*Initium à natura constitutum, cogit disciplinā à seipso fieri.*

*Cordi inesse quatuor tātum ora vasorum.*

*Cor neq; esse initium opifex sanguinis, neq; instrumentum ipsius.*

*Viuere licere nobis, etiam si venter cibos nō coterat: pereunte autē sanguificatione, non item.*

*Secundarū tam arterias, quàm uenas, à vena caua, & maxima arteria produci.*

*Vmbilici arterijs vinculo interceptis, omnes quæ in secundis habentur, destitui pulsu.*

*Vterū non præstare motus initium secundarū arterijs.*

*Hepar cur magis principiū venarum dicendū sit, quàm cor arteriarum.*

*Cordis ventriculum dextrū pulsare, necnō venā illi à iecore insertam.*

*Arteriæ nō dilatantur quia implentur: sed ob id implentur, quia dilatātur.*

*Caro hepatis.*

*Sanguinem fieri à propria hepatis carnis substātia.*

*Venarū tunicas ex sua ipsarum natura nō posse sanguinem gignere.*

*Venarũ nutritio rubr.*

Non enim rubrum illum humorē, sed album & uiscosum reddere idoneæ sunt, unde & generatio ipsis est, & incrementum, & nutritio.

*Ventriculũ sui ipsius tantũ gratia cibos coquere.*

Porrò uentriculus circa cibos sui tantũ ipsius gratia cõtractus, peculiarem sibi ex ipsis humorem sugit: quo quidem ubi fuerit expletus, superfluum totum ad ieiunum intestinum propellit. Inde rursus iecur trahit ipsum, atq; elaborat. Sicut autem uentris reliquũ iecinori fit idoneũ, ita huius rursus ipsius superfluũ, ijs quę post iecur habent omnibus, cũ neq; iecur ipsum, eorũ causa alimentũ permutet.

*Iecur nullius partis gratia alimentũ permutat.*
*Distributio alimenti.*

Quemadmodum igitur iecur per uenas ex uentriculo & intestinis alimentum attraxit, quod sibi ipsi, hoc est, suæ carni assimilat, ita quæ post illud constitutæ sunt partes, per alias ad se uenas alliciunt, deinde rursus aliæ, donec in omnem animantis particulam alimentum sit distributũ: ac præparat semper pręcoquitq; unaquæq; particula ei quę sequitur, secundum distributionis continuitatem.

*Instrumentaria partes.*

Singulæ autem animalis instrumentariæ partes cùm ex alijs simplicioribus cõstent, omnino peculiari quadam eiusmodi substantia sunt præditæ, quali nõ aliud totius animantis corpus. Arteriæ uerò, nerui, atq; uenæ, instrumentis inserũtur cõmunis usus gratia:

*Vasorum actionẽ neutiquã immutari ratione corporum quibus inserta sunt.*

quorum actio neutiquã ex corporis loco immutatur, sed ubicunq; sint, semper illũ usum cõmunem præstant. Quinetiam proprium cuiusq; corporis, sine his ipsis existit: ac proinde actionem propriã, eximieq; diuersam ab alijs, singula possident, propter proprietatem substantiæ.

*Singulis inesse propriam actionẽ, propter proprietatem substantia.*
*Iecur est ueluti sanguis quidam concretus.*

Nihil itaq; mirum est, iecoris proprium corpus secundum ipsius naturã esse gignendo sanguini aptissimum, ut quod rubertimũ sit, tanquã sanguis, & solum hoc, quòd coagulatum sit, ab eo differens.

*Grumi generatio.*

Grumi siquidem coagulatio, ab ambiente fit, extinguente quidem calorē ipsius: denigrante autem substantiã, propter refrigerationē. At non ita etiam in hepate accidit, sed ab insita caliditate, quæ exornet id magis, quàm corrumpat. Alteratur enim utroq; modo sanguis, siue grumus euaserit, siue iecoris caro. Verùm alteratio in grumum, uia ad corruptionē est: in iecoris autem substantiam, actio naturæ. Cor etiam rubei coloris est particeps, at nõ quantũ iecur: quippe hoc uiscus, corde est humidius, eoq; rubrius, molliusq;: cor autem siccius, calidiusq; iecore existit.

*Cor est siccius atq; calidius hepate.*

Ita enim futurũ est simul durius, & duplici motu, arterijs similiter, agitabitur: ut eiusmodi agitatione, conseruetur caloris natiui symmetria.

*Sanguinis humidi & rubri, prima in iecore generatio consistit.*
*Sanguinis flaui spiritalisq;, prima in sinistro cordis sinu est origo: ubi anima irascibilis habitat.*

Igitur sanguinis humidi & rubei, prima in iecore generatio consistit. Riui autē uenæ eam in totum corpus distribuunt. At sanguinis flaui, tenuis, subtilis, spirituosi, calidissimiq;, & qui rapidè per omnia membra fertur, ut inquit Plato, prima in sinistro cordis sinu est origo: ideoq; irascibilis anima ibidem habitare ostenditur. Sanguinem autē hunc arteriæ in uniuersum corpus dispensant: quas uetustissimi medicorum similiter appellarũt uenas: etsi ab alijs, quod quidem uas pulsat, arteria: ꝙd autem pulsus est expers, uena cõmuniter appelletur.

*Arteria.*
*Vena.*
*Arteria cubiti citatior motus quid indicet.*

Porrò cùm motus arterię quæ cubitum, ac præsertim sinistrũm, excurrit, ex generatione est citatus, & magnus, ualidusq;, robustam in corde uim irascibilem intuit: calorem uerò in eo uigentem, & feruidum, quem nominare furiosum iracundumq; mos est. Eam autem arteriam appellans uenam Hippocrates, ait:

*Hippocrates.*

Cui celeriter uena in cubito pulsat, is furiosus & iracundus erit: cui autem lentè, torpidus. Quòd autem in iecore collocàrit Plato eam animæ partem, quæ esculenta potulentaq; expetit, illic maximè significare uidetur, ubi ait: Verùm eam animi partem, quæ cibum potumq;, & reliqua omnino quibus corpus indiget concupiscit, media regione inter septum transuersum, & umbilici terminum collocarunt: quoddam quasi præsepe ad totius corporis alimoniã fabricati, ac ibidem illam animi uim, ceu feram agrestem illigarunt: quam sanè corpus suum alere necessarium est, si mortalium genus aliquandiu sit permansurum.

*Appetitoriã animam Plato in hepate collocat.*

Et pauló post: Quod, inquit, Deus perpendens, hanc ipsius iecoris speciem constituit, &c. Nihil autem refert, uenarũ principium dicas iecur, aut sanguinis, aut appetitoriæ animæ: familiarius tamen est medico, de corporis instrumentis: philosopho, de animæ facultatibus disciplinam instituere: id quod facit Hippocrates, dicens: Venarum radicatio, iecur, arteriarum cor est.

*Venarum radicatio hepar.*
*Cor radicatio arteriarum.*
*Platonis de corde sententia.*

Etenim de corde Plato sic disserit: Cor, & uenarum, & sanguinis, qui per omnes partes uehementer circunfertur, fontem, in domicilium munitum constituerũt: ut cùm iracundiæ uehementia ferueret, ratione hortãte, si quid iniquè in eis fiat extrinsecus, uel etiam ab internis cupiditatibus, statim per omnes angustos meatus, quicquid sensus est particeps in corpore, iussa minasq; sentiens, fiat morigerũ, & undequaq; obsequatur, præstantissimũq; in ipsis omnibus principatum gerere sinat.

*Iracundia quibus sit excitãda.*

At Hippocrates, dum prauo colori corporis, gracilitatiq; in habitu perfrigerato medetur, iracundiam dicit studiosè excitandam esse, tum coloris recipiendi gratia, tum effusionis humorũ.

*Iracundia quid.*

Iracundiam porrò esse definiũt philosophi, caloris efferuescentiã in corde.

*Homerus.*

Quòd autē uel testimonio Homeri possimus cõfirmare appetitoriam uim in hepate delitescere, facilè cognoscent ij, qui apud illum Tityi fabulã legent: cui nimirum finxit à uulturibus hepar exedi, quòd Latonam cõpellasset stupri. Quemadmodum nũc factitare solent, qui peccantes famulos puniũt: eorũ sanè qui fugitiui sunt, crura exurentes, scarificantes, atq; ferientes: eorũ qui sunt in furto deprehensi, manus: gulosorũ, uentrem: garriennũ, linguam: summatim uerò eas plectentes particulas, quibus illi prauas obeunt actiones.

*Particulas eas plecti solere, quibus quis prauas obit actiones.*

## GALENI PERGAMENI
### de placitis Hippocratis & Platonis lib. VII.

QVemadmodum autem affectus ab ipsa tolluntur anima, si sit sola ratiocinatrix facultas, nulla neq; appetitoria, neq; irascibili, præter eam, existente: sic & uirtutes omnes, præter prudentiam, exterminantur. Quia uerò (ut prius est demonstratũ) alia uis ratiocinatrix, alia irascibilis, alia denique appetitoria existit, una quædam in singulis earum existit uirtus: quan-

*Anima facultatibus singulis, unam uirtutem inesse.*

*Vnū esse, quod præstantissimū est.*
*Ratiocinatricis animæ virtus, prudentia.*
*Irascibilis animæ virtus, virilitas.*
*Appetitoriæ animæ virtus, est temperantia.*
*Iustitia nascitur ex symmetria mutua triū animæ particularum.*
*Habitus quæ virtutes dicātur.*
*Scientia compos dicitur sola ratiocinatrix pars animæ.*
*Platonis de virtute sententia.*

doquidem quod præstantissimum est in singulis, unum tantùm existit: sicuti & perfectio una, quam uirtutem uocamus. Eam igitur quæ in ratiocinatrice est, sapientiam, aut prudentiam, aut scientiam appellare licebit: eam quæ in irascibili rursus habetur, fortitudinem, aut uirilitatem: sicuti & eam quæ in appetitoria oritur, appellare poteris temperantiam. Ex quarum quidem animæ trium particularum mutua cōmoderatione, ac uenustate decente, quarta uirtus iustitia nascitur: ac proinde meritò totam animam dixeris iustam. Cæterùm uirtutes ipsæ in partibus animæ irrationabilibus, habitus quidam sunt, & facultates solummodo. In rationali autem, non habitus modò, sed etiā scientia, aut uirtus. Sola enim hæc animæ pars, scientiæ compos est: aliæ autē, facultates sanè quasdam, habitúsue, aut meliores, aut peiores comparare possunt: scientiæ autem fieri participes, nō item, quatenus neq; etiā rationis. At Plato sciētias omnes rectè, mea quidem sententia, unam esse uirtutem ait, cognitionem uidelicet bonorum atq; malorum: hoc est, eligibilium, & eorum quę declinari debent. Cùm autem in omnibus uitæ actionibus, deligamus id quod uidetur bonū: quod autem apparet malum, uitemus: habeamusq; natura impetus hos ad horum utrunq: philosophia, quæ uerè bonū malūq; docet, à peccatis immunes reddit. Ostendimus igitur dispensationem animalis in lucem æditi, à tribus administrari principijs: uno in capite collocato, cuius opera per se quidem, imaginatio, memoria, intellectio, cogitatioq;: in relatione autem ad aliud, sensum partibus animalis sensibilibus impartiri, motumq; arbitrarium ijs quæ mouentur: secundo autem in corde consistente, cuius opera per se quidem, robur est animi, firmitudoq; in ijs, quæcunq; ipsa ratio iusserit: atq; etiam inuictus animus: secundum affectum autem, ueluti feruor natiui caloris, anima tunc eum qui iniuriā inferre est uisus, punire desiderante: at relatione ad aliud, initium esse particularis caloris, singulis corporis partibus: sicuti pulsatilis motus, arterijs. Tertiæ ultimæq; uirtutis in hepate collocatæ opera sunt, quæ ad animalis nutritionem spectant omnia: necnon suauium fruitio: per quam uehementius, quàm par sit, mota, intemperantiam atq; libidinem gignit. Demonstrato autem quòd neruorum principiū in capite delitescat, simul etiam cognoscitur neruos ipsos non à cerebri dura meninge, quemadmodum aliquando opinatus est Erasistratus, sed ab eius medulla oriri: etsi primò quidem, tenuis membranæ processu, secundò autem crassioris, sint inuoluti. Porrò exciso capitis osse, uiuēte adhuc animali, & crassiori detecta membrana, si utrobiq; medio rectitudinis, quà cerebro hæc plexu duplici incumbit, per hamulos eleuatam, aut solam ipsam incideris, aut totam excideris, neq; insensile, neq; immobile ipsum euadet animal: quemadmodum nec si obtegentem ipsius partem totum posterius cerebrum, * aut solam incideris, aut excideris: * imò uerò ne si cerebrū ab ipsis quomodocunq; excindas, sic quoq; animās motus aut sensus expers reddetur, prius quàm ad aliquem uentriculorū ipsius, talis sectio perueniat.

*Philosophia reddit à peccatis immunes.*
*Principia tria dispēsantia animal.*
*Rōnalis principij opera.*
*Irascibilis principij opera.*
*Appetitorij principij opera.*
*Neruos nō à dura meninge cerebri, sed à medulla illius exortos.*
*Cerebro exciso, animās non priuari motu, nec sensu, priusquā ad aliquem uentriculorum ipsa sectio peruenerit.*

Maximè autem uentriculus posterior offendit animal: deinde medius: minorē uerò anteriorum uterq; noxam adfert. Cùm igitur coniunctis uentriculis cerebri (diuisio quorū abstulerat motum & sensum) paulò pòst rursus sentiat ac moueatur animal, dicendum est in ipsius quidem cerebri corpore animam habitare: primū autem eius organum, tum ad uniuersos animantis sensus, tum ad motus uoluntarios, esse animalem spiritum: qui quidem si animę substantia esset (quod aliquis posset existimare) simul cum eo, dum euacuatur, periret anima: cuius contrarium contingit. Nam euacuatus, donec recolligatur, sensu, motuq;, non uita destituit animal. Meritò igitur generatur hic spiritus * iuxta uentriculos cerebri, atq; ideo illinc desinit arteriarū uenarumq; nō exigua copia, ex qua sunt plexus choroides formati. Nam ex arterijs conscendentibus caput, ac postea sese ad cerebri basim torquentibus, conficitur plexus reticularis, in quo elaboratur ipse animalis spiritus. Etenim arteriarum spiritus, uitalis & est, & dicitur: * sicuti & animalis, qui consistit in cerebro: non tanquā animæ substantia is sit, sed ueluti primarium ipsius organum, habitantis in cerebro, qualiscunq; illa substantia existat. Quemadmodū autem uitalis spiritus in arterijs & corde gignitur, ex inspiratione & humorum uapore, ita animalis ex uitali accuratius elaborato ducit originē: ad quā quidem elaborationē retiformis ille plexus fuit fabrefactus. Nam si exactè semen ipsum & lac natura elaborare desiderās, fecit ut diutius ea in coctionis instrumentis immorarent: ac propterea semini quidē anfractū quendam ante testiculos præparauit, lacti uerò longitudinē uasorum ad mammas tendentiū: meritò etiam ad conficiendum animalem spiritum ex uitali, ueluti labyrinthum uarium, prædictum illum plexum construxit. At uerò cùm nerui ipsi ex cerebro & membranis id ambientibus contrahantur, per eam ipsorum partem quæ ex cerebro oritur, sensus omnibus membris atq; motus suppeditat. Quæ autē utriusq; membranæ propago est, eundem neruis usum præbet, quem cerebro illæ exhibebāt. Quare uel si ambas exemeris, nihil læditur particula, in quam neruus inserebatur: quemadmodum neq; si ipsi cerebro exteriores membranas abstuleris, in præsenti quicquam offendes, etsi processu temporis aliquid sequi possit incommodi. Quòd autem ad facultatem, quæ à cerebro descendit, spectat, nō licet nobis promptè affirmare, an quemadmodum ex solari splendore qualitas quædam profecta, in omnem aēris ambientis partem disseminatur, ipsa Solis substantia in loco suo permanente: sic etiam ex cerebro uirtus quædam mēbris per neruos influat: an potius substantia spiritus usq; ad sensibiles mobilesq; particulas proficiscatur: aut aliqua ex parte in neruos incidens, ita ipsos immutet, ut alteratio eorum in mobilia membra distribuatur: cuiusmodi quippiā fieri in sensu uisorio contingit. Siquidem per opticos neruos, qui ab anterioribus uentriculis cerebri (qua parte uersus medium uentriculum in obliquum & angustū se contrahunt) oriuntur, & manifestè cōcaui sunt, splen-

*Cerebri uētriculi quatuor.*
*Animam habitare in ipso cerebri corpore, primum autem illius instrumentum esse animalem spiritum.*
*Animalis spiritus non est substantia animæ.*
*Choroidis plexus.*
*Retiformis plexus.*
*Spiritus uitalis.*
*Spiritus animalis.*
*Seminis et lactis elaboratio.*
*Sensus & motus mēbris qua uia suppeditatur.*
*Cerebro nudato à mēbranis, animal nihil offendi.*
*Facultas à cerebro descendens per neruos, sit ne corporea, an incorporea, Galenus ambigit.*
*Opticorum neruorum exortus.*

ſplendidus ſpiritus ad oculos fertur: id ꝗd ipſa ſtructura docet: & prętерea quòd uno quidē oculo clauſo, dilateſcat alterius pupilla: aperto autē, ſtatim rurſus in naturalem magnitudinē redeat.

*Oculo uno clauſo, dilatari alterius pupillam.*

Cæterùm quòd inanitionis repletionisq́ celeritas, non humoris cuiuſdam influentis, ſed ſolius ſpiritalis ſubſtantiæ ſit opus, haud negocioſum eſt cōtueri. Quoniā uerò in idem utriq́ meatus perueniūt, uериſimile eſt cōmunem regionem ex utriſq́ meatibus ſpiritū recipientem, dum alter oculus clauditur, alteri totū ipſum tranſmittere.

*Opticorum nervorum in unum locum cōfluxus.*

Quare ſi ijs qui ſuffuſione laborant, dilatetur pupillę foramen, clauſo altero oculo, incolumis uis uiſoria ſeruatur: ſin autē hoc eis non eueniat, peribit omnino: ac proinde licet probè ſuffuſio curata ſit, ipſi non cernent. Alijs uerò quibuſdam accidit, ut non uideant, uel citra ſuffuſionem, ob uiſoriorū obſtructionem meatuum.

*Suffuſione laborantes, quinam cernere poſſint.*

Verūenimuero minimè quidem arbitror neruis omnibus ineſſe meatus, ſed ijs tantùm qui corpulentiores exiſtunt: quemadmodū eſt proceſſus ille ſpinalis medullæ, cui porus ita ſenſilis ineſt ut uiſorijs neruis, ad uehementiorem uirtutis diſtributionem. At uerò quod ab omnibus uocatur diſtributio uirtutis, alterationis quędam eſt impartitio: qualis etiam in aëre à ſolari ſplendore accidit.

*Neruis omnibus non ineſſe meatus.*

*Spinalis medullæ exortus ineſſe porum ſenſibilem.*

*Diſtributio virtutis quid.*

Sic utiq́ conſentaneum eſt, etiam ſpiritū qui in oculos proficiſcitur, primo illapſu uniri cum aëre ambiente, & ſimul ipſum in ſuam ipſius naturam inalterare, non tamen extendi plurimū. * Corpus ſiquidem quod uidetur, aut mittens de ſe aliquid ad nos, cum illo etiam propriam indicat dignotionem: aut ſi ipſum nihil mittit, expectat aliquā à nobis ad ſe uenire facultatem ſenſificam. Vtrum igitur ipſorū ſit neruis, hoc iudicabitur modo.

*Viſionem fieri extrà mittendo.*

Per pupillæ foramen fit uiſio, quod quidem ſi expectaret portionem aliquam, aut facultatem, aut imaginem, aut qualitatē corporū extrinſecus ſubiectorū, ad ſe proficiſci, nūquam eius quod uidetur, magnitudinem cognoſceremus: ut montis, exempli gratia, maximi: alioqui tanta imago eius oculis noſtris incideret, *quātus eſt ipſe mons: quod omnino ratione caret: quemadmodum & ſi quis dicat, eam una temporis occaſione, ad ſingulos uidentes, etiam ſi fuerint mille, permeare poſſe: cùm uiſorius etiam ſpiritus nequeat fluore ſuo tantū extendi, ut toto corpori quod uidetur, circumfundatur.

*Viſio fit per pupillæ foramen.*

Relinquitur itaq́ adhuc, aërem ambientem tale nobis inſtrumentū fieri, quo tēpore uidemus, quale in corpore neruus perpetuò exiſtit. Eiuſmodi autem quippiam accidere uidetur ambienti nos aëri, ab excidente ſpiritu, cuiuſmodi etiam ab ſplendore ſolis. Ille ſiquidem ſupernū aëris extremum attingens, in totum uirtutem cōmunicat.

*Aër ambiens talе nobis inſtrumentū inter videndū efficitur, quale exiſtit neruus in corpore.*

Viſus autem per neruos uiſorios exiliens, cùm ſubſtantiā habeat ſpiritalem, ubi in ambientē incidit, primo incurſu alterationem efficiens, * ac ſe quamlongiſsimè extendens, illuminat quod illi continuū eſt, nempe quod ambit corpus, ſic ut in momento temporis alterationē in totū ipſum tranſmittat. Apparet autē ſimilis quidā affectus utriq́ accidere, & neruo, & ambienti aëri. Nam quemadmodū ſi interponatur aliquod ſolidum corpus in medio ſubſequētis aëris, ſtatim uidemus eius ſplendorē perire, ceu qui dum immutatur euadat lucidus, nō autē quòd permutatus fuerit (ſic enim lumen perpetuò ſeruaret, uel ſi ablatū id quod illuminat eſſet) ita & neruo ſecto, quantū ſectio à cōntinuitate cerebri ſeparauerit, tantū is inſenſibilis ſtatim reddetur.

*Viſio qua fiat ratione.*

*Neruus quando reddatur inſenſilis.*

Sed in arterijs etiam eadem natura, quæ in neruis, cernit. Diſſectæ ſiquidem, interceptæ ue funiculo, non pulſant, deſtitutæ, non ut Eraſiſtratus putat, eo quod à corde mittitur, ſed facultate illa quam tunicæ ipſarū, corpori cordis cōtinuæ, influentē ab eo ſemper obtinent.

*Arteria quando non pulſent.*

*Arteriarum tunicis influere pulſificam vim à corde.*

Cōmune igitur omniū eſt ſenſus facultatū, quæ à cerebro originem ducūt, per neruos uſq́ ad propria inſtrumenta deferri.

*Animales facultates deſcendere per neruos à cerebro, vſque ad propria inſtrumenta.*

Item quòd neruus ſubſtantia cerebro eſt ſimilis, niſi quòd quantū, ne eſſet ad patiendū facilior, ſtatim condenſatus eſt, tantū à cerebri natura receſsit. Quantū igitur ſinguli nerui propriè dicti ſenſorij, à cerebri natura recedunt, tantū etiā ab ipſius facultate. Vocantur autē propriè ſenſorij nerui, qui inſtrumētis immittunt ſenſorijs, molliores alijs, qui particulas mouent: idq́ meritò.

*Nerui ſenſorij ſunt molliores ijs, qui mouent particulas.*

Senſus quippe non fit, abſq́ hoc quòd quoquo modo afficiātur nerui: motus autē, in agendo ſolùm actionē obtinet: ac proinde nō ab re ſenſorius mollior, durior autē motorius neruus eſt factus.

*Senſum abſque nerui affectu nō fieri.*

*Motus in actione conſiſtit.*

At motorij omnes, ſunt ſenſus tactus participes, quoniā huius ſenſibile craſsior eſt partiū.

*Nerui motores omnes ſenſu tactus ſunt prædi ti.*

Porrò uiſorius neruus, omniū neruorum maximus, inter cerebrū & oculū totus medius conſiſtit: interiorē quidem ſui partē, molliorē habēs, externā uerò duriorē, ut & facilè per ipſum multa ex cerebro ſpiritalis ſubſtantia in oculi regionem perueniat, & etiam ægrè afficiatur. Quantò aūt oculi primū ſenſibile exactius eſt, & tenuius, quàm ſenſoriorū aliorū, tantò etiam oculus magis quàm illa, cerebri naturæ eſt particeps.

*Optici nerui ſitus, & conſiſtentia, & conſtructio.*

Quare cùm ſub tunicis oculorū duo cōtineantur humores orbiculares, unus qui uitrum, alter qui refert cryſtallum, ubi primū uiſificus neruus exteriorem oculi tunicam permeat, ſpiritus quidem per eius porum illapſus, humoribus illis miſcetur, ut ſubſtantia eorū fiat tota ſenſibilis: ipſius autem nerui ſubſtantia ſoluta, dilatataq́, amplectitur uitreum humorem, in maximum cryſtalloidis circulum deſinens.

*Oculi fabrica.*

*Vitreus humor.*

*Cryſtallinus humor.*

At plexus quē efficiūt fibræ ipſius nerui optici dilatati, uocatur tunica amphibleſtroides, ac ſi dicas reticularis: quam ſi uelis rurſus in unū cogere, coaceruareq́, cerebrū tibi eſſe apparebit.

*Amphibleſtroides tunica.*

Ac meritò ſanè ſic cōſtructus is neruus fuit, inſtrumento uſurus aëre circumfluo. Tale autē inſtrumentū neruo fit aër, ad propriam ſenſibilium explorationem, quale exiſtit ipſi cerebro neruus. Proinde quam cerebrum rationem habet ad neruum, talem habet ad aërem oculus. At propriū uiſus ſenſibile (quod primū antea appellaui) colorum eſt genus. Illud ſiquidem primū, & per ſe, & ſolus inter alios ſentit, quemadmodū guſtus * ſapores: quanq̃ & coloratum corpus ſimul cum eo cognoſcit, perinde ut guſtus * id quod ſapores edit.

*Colorum genus eſſe proprium viſus ſenſibile.*

*Guſtus ſapores percipit.*

Cæterū ut guſtus atq́ alij ſenſus fiāt, opus eſt ut ad animantis corpus ipſum perueniat ſenſibile. Viſus autē per mediū aërem ad coloratū extendit, unde ipſe ſolus unà cum colore illius quod uidet, cognoſcit

*Viſus qua percipiat.*

& magnitudinem, & figuram, & situm, & interuallum, id quod sensibus alijs non licet, nisi per accidens nõnunq̃ tactui. Si igitur uisus solus percipit sensile quod ipsum mouet per medium aërem, nõ ceu per baculum quendam, sed particulam cõsimilem specie, & cognatã ipsi, ac soli hoc illi eximium est datum, simul quòd per reflexum uidet, meritò opus habuit spiritu desuper influẽte pellucido, qui ambienti aëri incidens (qualis est Platonis, Empedoclisq; sententia) & ueluti cõuerberans ipsum, sibi illum assimilaret. Visus igitur necessariò dicetur esse instrumentũ pellucidum, splendidumq;: auditus, aëreũ: olfactus, uaporosum: gustus, liquidum: tactus deniq; terreũ. Neq; enim aliter consistere possent, ut quæ ex similibus alterationem requirant. Sed enim instrumentũ olfactus, minimè in nariũ meatibus, sed in extremitatibus anteriorum cerebri uentriculorum consistit: in quas uriq; nariũ meatus perueniunt. Cæterũ cõmunis quædam facultas (de qua etiã disseruit Plato) ex cerebro per neruos in singula sensoria perueniens, alterationes quæ in ipsis sunt, persentiscit. Porrò quemadmodum tactilis sensus instrumenta per renixum, sic gustatorij per humiditatem & succos in sensus cognitionem perueniunt. Vnde si inarefacta uehementer sit lingua, corrumpitur ipsa saporũ dignotio. At obstructis narium meatibus, odorũ sensus labefactat: nõ secus quàm auditorius, si aures obstructæ fuerint. Eiusmodi obstructionib. respondet oculorũ suffusio, in qua sic obstruitur solaris luminis meatus, qui in tunica rhagoide habet, ut proprium uisus instrumentum non amplius cum aëre, qui totum extrinsecus oculum ambit, iungatur. At sensus ipse neutiquam est alteratio, sed alterationis dignotio. Quare dispositio in qua corpora excedentia naturæ modum consistunt, & sensus ipsius, inuicẽ differũt. Quippe id genus dispositiones labores uocans Hippocrates, ait: Qui laborãtes aliqua parte corporis, plerunq; laborem nõ sentiunt, ijs mens ægrotat. Patiuntur porrò singula exiguas mutationes ex finitimis genere. Idcirco uisus instrumentũ, quoniam coloribus discernendis idoneũ ipsum esse expediebat, splendidum creatũ est, quòd sola huiusmodi corpora à colorib. alterari soleãt: quemadmodũ iudicat etiam aër ambiens, qui cùm maximè purus est, tunc à coloribus alterat. Vt enim à Solis splendore solùm contactus aër, totus ei confertim assimilatur, sic protinus à colore mutatur. Neruus itaq;, cerebri pars existit, ueluti germen arboris. * Pars autẽ in quam inseritur, uirtutem ipsius totã in sese excipiens, omnino redditur habilis, ut discernat ea quæ seipsam cõtingunt. Persimile quid etiam in aëre nobis circunfluo accidit. Nam illuminatus à sole, tale iàm est nobis uisus instrumentũ, quale ex cerebro proficiscens spiritus. At si de animę substantia aliquid pronunciare oporteat, alterutrũ necessariò dicemus: aut hanc esse ueluti lucidũ æthereumq; corpus: aut prorsus incorpoream substantiã, cuius primũ uehiculum hoc ipsum corpus lucidũ sit, per totũ cerebrũ means, & cõtinuitate quadam spiritũ uisificum, etiam splendidum reddens: intercessu cuius, cum reliquis corporibus cõmunionem ipsa anima habet. Alteratur itaq; sensus instrumentum: dignotio autem ipsius alterationis, fit ex una facultate omnibus sensorijs cõmuni, quæ à principio influit. Cæterùm initiũ ipsorum, siue cõmunem sensum, siue principes sensorium nuncupare uoles, nihil interest. Atq; hoc prior disputatio iudicauit esse cerebrum, à quo omnes particulæ sensum & motũ obtinent, descendentibus alijs neruis in sensuum instrumenta, ut sensilia dignoscantur: alijs mouentibus ea quæ moueri desiderant. Etenim à cerebro oritur & ipsa spinalis medulla, à qua nerui sexaginta procedũt. Quæ sanè ut cerebrum, duas etiam sortitur membranas: quas si quando iuxta singulos neruos ademeris, nulla pars offendetur, in quam neruus demissus fuerit, cùm uidelicet membranæ ipsæ, tegmina tantùm sint & cerebri & spinalis medullæ: sensus autem & motus uis, in medulla, quam comprehendũt, existat. Quòd si nerui partem medullarẽ secueris, statim membrum in quod neruus deferebatur, sensus motusq; omnino expers reddetur. Quòd autem spinalis medulla à cerebro suscipiat facultatum originẽ, hinc licet perpendere, quòd secta ipsa quacunq; in parte, quæ regio supra sectionem habetur, conseruet incolumis: ijs quæ infra eam sunt, destitutis motu simul & sensu.

*Platonis de uisione sententia.*
*Sensoriorum instrumentorũ singula, qualia esse dicantur.*
*Olfactorij instrumenti sedes.*
*Tactus & gustus, quibus intercedentib. fiãt*
*Suffusioni quæ accidant.*
*Sensus est nõ alteratio, sed alterationis dignotio.*
*Hippocrates. Mens quibus ægrotet.*
*Pati modicè singula, à finitimis genere.*
*Visus instrumẽtum cur splendidum.*
*Aër purus à colore mutatur.*
*Aër quale uisus instrumentũ sit nobis.*
*Anima substantia quæ sit.*
*Sensus instrumentũ alterari dum sentimus.*
*Sensoriorum initium esse cõmunem sensum.*
*Cerebrum esse principes sensorium.*
*Neruos sexaginta oriri à spinali medulla.*
*Spinalis medullæ membrana.*
*Spinali medulla secta, quid accidat.*

## GALENI PERGAMENI de Hippocratis & Platonis placitis lib. VIII.

Diximus igitur animę principatum id esse, quod sensui ac uoluntario præest motui. Voluntario enim dico, nam cordis & arteriarum motus, non pro arbitrio nostro perficitur: sicuti nec tertium motionis genus, quod circa alimenti dispensationem uersatur. Iam uerò, ubi principium neruorum est, ibi animæ principatus existit. Atqui principium neruorum in cerebro est: illic igitur animæ principatus est nobis statuendus. Omnes porrò animantium particulæ, neruorum compotes sunt: hæ manifestò ex cerebro descendentium in ipsas, illæ per mediam spinæ medullam. At iecur uirtutis uegetatricis, quemadmodum & uenarum, origo existit: nec reperitur alia in animante particula, cui omnes uenæ connatæ sint. Si enim uena caua oriretur ex dextro cordis uentriculo, quod nonnulli existimant, omnino hęc, ut arteria, bifariam scissa, altera parte sui ad iugulum, altera ad iecur ferretur. Quod quum non appareat, clarum est, neq; ex corde ipsam originem ducere. Quòd autem cor tum arteriarum, tum irascibilis animę principium existat, abundè à nobis est demonstratum. Deinceps uerò de naturalibus elementis, secundum Hippocratis & Platonis doctrinã, similiter disseramus. Elementum est minima illius quod constituit portio. Quare ex ijs quæ ad aliquid sunt, uox hæc elementum dicitur: quemadmodum etiam pars. Vt igitur sermonis nostri quatuor & uiginti sunt elementa, eodem modo omnium generabilium & corruptibilium corporum, terra, aër, aqua, & ignis, minimæ particulæ existunt. At minimum dicitur, quod neutiquam sectionem

*Animæ principatus quid.*
*Cordis & arteriarum motum, uoluntariũ nõ esse.*
*Animæ principatum cerebro*
*Partes omnes corporis, esse neruorum cõpotes.*
*Iecur esse uirtutis uegetatricis, & uenarum originem.*
*Cor esse arteriarum principiũ, atque irascibilis animæ facultatis.*
*Elementũ est minima illius quod cõstituit portio.*
*Elementa omnium generabilium & corruptibilium quæ.*
*Minimum quid dicatur.*

sectionem admittit. Quum autem nullum corpus tam paruum sit, quod secundum magnitudinem per sectionem reddi minus non possit, certè quæ in diuersam aliam speciem amplius diuidi nequeunt, ea corpora & minima, & insectilia, & elementa uocamus. Etenim pro cõfesso habetur, in unoquoq; rerũ genere reperiri indiuiduã quandam speciem talem, qualis est in naturalibus corporibus terra, aqua, aër, & ignis. Hæc enim elementa naturalium rerum, Hippocratem sequutus, Plato in Timæo statuens, sic differit: Quum enim ex terra, igni, aqua, & aëre compactum sit corpus, horum præter naturam excessus, defectusq;, & ex loco proprio in alienum translatio, seditiones ac morbos procreãt. Quæ quidem elementa postea in materiam atque figuram diuidit. Quòd igitur excessus defectusq; bonam temperiem corrumpat, in qua consistit primorum corporum sanitas, omnibus est perspicuum: item & quod translatio: si consideremus, quomodo simulatq; thoracis & asperæ arteriæ instrumentis sanguis, aut alius quidam humor concidit, inculpata ipsorum sanitas aboletur. Cur autem humectet aqua, urat ignis, ac reliqua etiam unde suas uires sortiantur, inquirere (quod anxiè indagauit Plato) ad morborum curationes nihil conducit. Sufficit siquidem sanitatem conseruaturo, curaturoq; morbos, scire, propter bonam temperiem calidi, frigidi, humidi, & sicci, sanitatẽ adesse animantibus: ob malas autẽ horũ intemperantias procreari morbos. Ex elementis itaq; mutuò inter se atq; sæpius mutatis, tum Plato, tum Hippocrates aiunt, nostra cõstari corpora. Etenim ex quatuor elementis & stirpium generatio est, & ex ipsis tum fructus, tum semina. Alimentum uerò hæc omnia, ouibus, suibus, capris, bubus, alijsq; animantibus quæ herbas, aut arborum fructus, aut surculos, aut radices comedunt: hominibus hæc eadem animalia alimento sunt: atq; hinc ipsis generatur sanguis, pituita, & bilis utraq;. Est autem sanguis ceu generationis nostræ materia, ex quatuor humoribus cõstans: ex quo quidem in utero primã conformationẽ accipimus, ac postea particulis efformatis, artuũ confirmationẽ, incrementũ, & absolutionem, æditi in lucem recipimus: ac primũ sanè ex lacte nutrimur, à sanguine qui in uenis est generationem ducente: deinde solidioribus alimentis, unde rursus sanguis, pituita, bilis flaua & atra proueniunt. Quæ omnia Hippocrates primus omniũ definiens, morbos primorũ corporũ ex intemperie fieri dicebat. Porrò prima corpora appello similares particulas, quæ in diuersi generis alias minimè diuidunt, & ex quibus instrumentariæ cõstant. Prima itaq; generatio nostri, ex sanguine, qui ex alimento quod intra corpus assumitur fit, est, & ex semine. Ex his primariæ particulæ generant, cartilago, os, neruus, membrana, ligamentũ, aliaq; eiusmodi. Ex his rursus instrumentariæ, oculus, lingua, caput, uiscera, & artus: ex quibus tandẽ uniuersum corpus conflatur. Sunt autem elementa in corporibus, non actu, sed facultate: hoc est, quatuor nobis humores insunt, ex illis, alimentorũ interuentu, procreati: sanguis uidelicet, pituita, bilisq; tum flaua, tum atra. Igni siquidem flaua bilis respondet: atra, terræ: pituita, aquæ. Ideoq; calida & sicca ipsa flaua bilis existit, quẽadmodũ ignis: atra, frigida & sicca, consimiliter terræ: pituita uerò frigida & humida, quemadmodũ aqua. At solum aëreum elementũ in animantiũ corporibus, propinquum suæ ipsius naturæ uidetur, & in respirationibus & in pulsibus. Moderata ex omnibus quatuor elementis temperies, exactum produxit sanguinem. Sanum igitur maximè est corpus (ut Hippocrates nobis est autor) cùm mediocriter & uirtute & copia hæc inter se habuerint. Dolet autẽ, cùm aliquid horum minus aut maius fuerit, aut dum ab alijs semotum, in alienam sedem trãscurrit. Etenim hi quatuor humores, ad quamcunq; particulam transfluant, in ea morbos efficiunt: erysipelata & herpetas, flaua bilis: cancros, atra: œdemata, pituita. At sanguis cùm in pulmone, & spacio inter pulmonem & costas medio, ex proprijs instrumentis effusus constiterit, putrescens tempore, tabem efficit. In uentre etiam, & per magna uulnera in grumũ coalescens, extrema pericula inducit. Terrã uerò nullibi per se uidere est solam in corpore coaceruatam: quemadmodũ neq; ignem etiã per se solũ, neq; aquam elementũ. Porrò Hippocrates multò accuratius quàm Plato, demõstrauit quatuor esse in corpore humores, & lege & natura distinctos: uidelicet sanguinẽ, pituitam, bilem flauam, & atram: illorum simul opinionem conuellens, qui unum tantũ humorem elementum hominis constituebant. Cùm igitur astruxisset quatuor humores inesse nobis secundum naturam, eosq; ut quantitate excedentes, sic qualitate alteratos, morborum autores fieri: postea ostendit, hyeme quidem redundare pituitam, uere sanguinem, æstate flauam bilem, autumno denique nigram. Cæterũ de anni temporibus disserens, uirtute etiam, de ætatibus, regionibusq; disseruit: cùm nimirum aliàs semper iubeat cum anni tempore, regionẽ & ætatem considerari. Ex regionibus, temperata quidẽ, ueri respõdet: calida æstati: inæqualis calore & frigiditate, sed frigore & siccitate redundans, autumno: humida deniq; et frigida, hyemi. Hæc itaq; ubi docuit Hippocrates, & præterea quòd contraria contrariorum remedia existunt, artis methodi elementa tradidit. Postea uerò, traditis ijs quæ ad aphorismos pertinent, de exuperantibus in unoquoq; anni tempore & ætate, morbis, uelut syllabas his adiunxit. At uerò Plato, aëris quidem excessui, quotidianas: aquæ autẽ exuberantiæ, febres tertianas tribuens, hallucinatus est. Primũ quidem, quòd in cõmunia omniũ corporũ, nõ in sanguineorũ animantium elementa, febrium circuitu remeantium, causam retulit: deinde, quoniam ad ueram earum febrium causam, ne propè quidem accessit. Apparet enim euidenter, in quotidianis pituitosus superare humor, qui humidus est & frigidus: in tertianis flaua bilis, quæ sicca & calida existit. Gignuntur tamen acutissimæ & ardentissimæ febres à flaua bile: atque ex genere ardentium febrium ipsa quoq; tertiana existit. Etenim de ipsius flauæ bilis natura, sic Plato scribit: Quæ autẽ corporis partes incendi dicunt, à bilis æstu

*Indiuiduam speciem reperiri in singulis rerũ generibus.*

*Platonis de elementis sententia.*

*Sanitatem primorum corporũ in bona temperie consistere.*

*Medico quid sufficiat.*

*Sanguinem ex quatuor constare humoribus.*

*Lac gigni ex sanguine.*

*Morbos similarium particularum in intemperie consistere.*

*Prima corpora quæ.*

*Generatio prima unde.*

*Partes primariæ quæ.*

*Partes instrumentariæ.*

*Quatuor humores qui.*

*Humorũ singuli, quales nam sint, quibusq; elementis proportione respõdeãt.*

*Sanguinem productum fuisse à moderata quatuor elemẽtorũ temperie.*

*Sanũ esse quando dicatur corpus.*

*Dolor quando accidat.*

*Morbi ob humorum affluxum.*

*Sanguinem putrescentẽ in uentre, aut in grumum coactum, extrema pericula inducere.*

*Humorũ qui in quib. redudent temporibus.*

*Regionum cum temporibus comparatio.*

*Contraria contrariorum remedia existere.*

*Platonis duplex error circa febrium substantias.*

*Quotidianas febres oriri à pituitoso humore.*

*Tertianas febres à flaua bile produci.*

*Tertianam febrem ex genere ardentium existere.*

& flamma omnes infeſtantur: & poſt hæc deinceps. Quæ quũ reſpirat extrinſecus, omnigenas tuberculorũ ſpecies feruens emittit: intus autem cohibita, igneos, plurimosq; morbos procreat. Verùm dum Hippocrates tradit, ſemper inſitum calidum, omnium naturæ operum eſſe quammaximè cauſam, Plato non calidum dicit, ſed ignem: quum tamen ſi ab igne ciborum cõcoctio fieret, necnon diſtributio, ſanguificatio, & nutritio, melius utiq; in acutè febrientibus hæc perfici uiderentur.

*Calorem inſitũ conſiſtere in pituita & in ſanguine, mixtumq; temperatè eſſe, ex caliditate at frigiditate.*

At inſitus calor temperatus exiſtens, ſubſtantia quidem in ſanguine & pituita conſiſtit: qualitate autem, mixtus eſt temperatè, ex caliditate atq; frigiditate. Tutius igitur dixit Hippocrates, qui creſcunt, plurimum habent calidi innati, atq; illud: Vẽtres hyeme & uere natura calidisſimi ſunt: & hic etiã calore inſito intelligens. Falſus etiam eſt Plato, dum attractionem pulmonis inter reſpirandum è medio tollit, inſpirationemq; ipſam ſucceſsione ad id quod uacuatur, nempe ſuccedente uno ſpiritu atq; ſubingrediẽte per cutis poros, in locum alterius, qui expulſus eſt, neceſſariò fieri contendit.

*Reſpiratio quomodo fiat.*

Quippe nerui ab ſpinali medulla orti, arbitrarium motum muſculis thoracis largiuntur: à quibus eleuatus quidem, externum aërem per fances & aſperam arteriam, in pulmonẽ attrahit: cõtractus autem, per eadem expellit.

*Pulſum fieri à corde & arterijs.*

*Dilatationis arteriarũ triplex uſus.*

Pulſus autem à corde & arterijs fit: atque in eleuatione quidem, per arteria cum ora in cutem pertinentia, externus aër intra corpus attrahitur, triplicis uſus gratia: refrigerij, euentilationis, & ſpiritus animalis generationis: in contractione uerò, arteriæ explodunt quicquid fuliginoſum fumoſũmue in ipſis procreatum eſt.

*Platonis opinio de inſpiratione & reſpiratione cõuellitur.*

*Inſpirationem eſſe uoluntariã actionem.*

Sermo itaque Platonis coarguitur: primò quidem, quòd inſpirationem affectum ſu peruenientem, non actionem uoluntariam conſtituat: cùm tamen in noſtro ſitum ſit arbitratu, citius, tardius, minus, magis, & frequentius inſpirare, quemadmodum expirare. Secundò autem, quia poſt arteriacum contractionem, oporteret ſtatim inſpirationem fieri: ſicuti & poſt expirationem, protinus arteriarum eleuationem. Cæterùm licet nobis longiori tempore reſpirationem cohibere, nec ob id tamen deſinunt moueri arteriæ cum corde. Quinetiam eleuantur nõnunquam hæ inſpirantibus nobis: ſicuti & expirantibus contrahuntur: & in unius reſpirationis tempore, ſepties, aut octies, cor cum arterijs attollitur, deprimiturq;. At qui Platonem credunt fuiſſe adeò imperitum & rudem, ut cùm dixerit, ſpiritum potumq; pulmones ipſos excipere, exiſtimarit potum omnem in pulmones deferri, ij ſanè manifeſtè falluntur:

*Potionis partem aliquam in pulmonẽ ſemper defluere, per ipſam arteriam aſperam.*

quandoquidem non fuit talis eius uiri ſententia, ſed nonnihil ex ipſa potione, per fauces, pérque aſperam arteriam in ſubditum pulmonem defluere, non per mediam inſtrumenti laxitatem delatum, ſed circa tunicam, ceu lenimentũ quoddam, aëris modo deſcendens: id quod uerisſimum eſt, atque rationi cõſonum. Quòd ſi aliquis accepta, dum ſtat, copioſa aqua intra os, dein ſupinus decumbat, eiuſmodi percipiet defluxũ, ſi aperuerit modicè gutturis orificium.

*Tuſsis unde irritari ſoleat.*

Verùm cumulata potio & copioſa, tantaq; ut ſpiritus uias intercipiat, animal ad tuſsim irritat: modica autẽ, nec omnino ſenſum ſui, cùm per arteriam delabitur, exhibet. Ad hæc, ſi ſitibundo animali coloratam aquam propines, ac dein ſtatim iugulatũ id diſſeces, pulmonem eius ſimiliter coloratũ inuenies. Liquet itaq; manifeſtè, aliquid ex potione ipſos pulmones allabi.

## GALENI PERGAMENI de placitis Hippocratis & Platonis lib. IX.

*Facultatem diſcernendi rerũ ſimilitudines plurimi fecerunt ueteres.*

*Veritatis inueniendæ methodus.*

CVm autem facultatem diſcernendi rerum ſimilitudines plurimi fecerint tum Hippocrates, tum etiam Plato, atq; ad diſcretionem huiuſmodi neceſſaria ſit ueritatis cognitio, equidem ueritatem eorum quæ inquiris inuenturum te affirmo, ſi primum initium uiæ quæ ad ea ducit, cognoueris: à qua aberrans, in permagnam uerborum captionem, errorémque decides.

*Principium eſt totius operis maximum.*

Eſt autem principium, dimidium, & (ut Plato ait) totius operis maximum. Si igitur nullum nobis inſit naturale iudicij inſtrumentum, neq; artificioſum, nihil poterimus inuenire. At cùm naturalia & cõmunia omnes habeamus, inueniremus etiam aliquod artificioſum.

*Iudicij naturalia inſtrumẽta, quæ cunctis cõmunia adſunt.*

Quæ autem ſunt illa naturalia iudicij inſtrumenta, quæ nobis cõmunia adſunt? Oculi ſecundum naturam habentes, qui uiſibilia conſpiciunt: aures naturali modo diſpoſitæ, quæ audibilia percipiunt: lingua ſaporum dijudicatrix: nares odorum: & tota cutis tactuum. Ad hæc intellectus, uel notio, uel mens, uel ratio, qua conſequentiam repugnantiamq; internoſcimus: atque alia præterea quæ his incidunt, in quibus eſt diuiſio, & compoſitio, ſimilitudo, & diſsimilitudo.

*Senſibilium iudex eſt ſenſus.*

*Intellectus eſt intelligibiliũ iudex.*

*Natura rerum quo pacto inueniatur.*

Vt enim ſenſibilium iudex eſt ſenſus, ita & intelligibilium alia quædam facultas, quam ut quiſque appellare uoluerit, illi permittimus. Rectè itaq; dixit Hippocrates, rerum naturam inueniri, ſi à maximis quidem uſu, facillimis autem cognitu, inceperimus. Etenim natura ambo nobis hæc dedit, & ipſa iudicij inſtrumenta, & quòd ipſis à nullo docti præceptore credamus.

*Iudicia fieri per inſtrumẽta ſenſuum, & facultates inſtrumentis utentes.*

Ea igitur quibus iudicamus, & inſtrumenta ſenſuum ſunt, & facultates inſtrumentis utentes. At fides ipſorum, citra diſciplinam, & natura, non hominibus tantùm, ſed alijs etiam animantibus ineſt. Quum igitur appareant artium opera uitæ hominum conducibilia, utique naturalibus iudicijs fidem accommodantes homines, de ipſis iudicium fecerunt:

*Feliciores qua ratione ſimus ueteribus.*

ac nos illis eò feliciores ſumus, quòd quæ illi longo tempore, laboreq; improbo adinuenere utilia, ipſi breui condiſcimus tempore, futuri etiam præſtantiores prioribus, ſi pari ac illi ſtudio, ſimilium diſsimiliumq; dignotioni indefeſſe inſiſtamus, idq; ſemper auſpicantes à facillimis cognitu.

*Platonem tres animæ facultates, tribus reipublicæ partibus comparaſſe.*

Enimuero Plato, cũ prius nos in ciuitate exercuiſſet, iudicaſſetq; aliã populi partem dominari, aliam propugnare, tertiam aliam opificem eſſe in ea: digreſſus tandem ad animam, etiam in ea oſtendit aliam partem eſſe quæ dominetur, cùm bene habet: alterã quæ ipſi miniſtret, quemadmodũ in urbibus miniſtrare militaris conſueuit: ac reliquam deniq; tertiam,

tertiā, quam alendi corporis gratia opifices nostri apposuerunt: etsi discernendi similitudines imperiti, unam esse omnes sentiant, nō tres com memoratas particulas. Similiter etiam Plato in Phædro nos docet, ne unam quidem in se dubitationem habere, quæ naturalibus iudicij instrumentis manifestò subdunt: in cæteris uerò ambiguitatem fieri. Laborandum autem est in una quaque artis exercitatione circa materias, quarum actiones, uitæ utiles, expetimus. Atqui uno mulierum proposito exemplo in quinto de Repub. lib. nos Plato exercuit, quo modo inuenire discernereq́ possimus, in quo similia naturis, & in quo dissimilia, quę conferunt, existant. Ait enim

*Mulierem omniū studiorū natura compotem esse.*

illic, mulierem omniū studiorum natura compotem esse: ac proinde non esse præter naturam, si uxores custodum musicen, gymnasticenq́ exerceant: in omnibus tamen fœminā uiro imbecil-

*Fœminas uiris imbecilliores existere.*

liorē existere. Mulieres porrò uiris similes sunt, quatenus hæ rationalia animalia existūt, hoc est, scientiæ capacia. Quatenus autem uirorū genus est fortius, & ad omne opus & disciplinam præ-

*Fœminas uiris longè deteriores existere.*

stantius, mulieres autem imbecilliores, deteriores q́, dissimiles in hoc fuerunt. Differunt præterea à nobis mulieres, quatenus hæ quidem sunt fœminæ, eóq́ ad concipiendum idoneæ. Mulieri-

*Mulierū similitudo, dissimilitudoq́; ad uiros.*

bus siquidem certæ quædam corporis particulæ insunt, quibus masculi carēt. Quare uerè aliquis dixerit, in aliquo mulieres uiris respondere structura simili, in aliquo ab illis differre. Hippocra-

*Faciem ægri inspiciendam esse*

tes autem faciem ægri nos inspicere iubet, utrū similis sit, an dissimilis sanis: præsertim an ipse sibi respondeat. Est quādo elapsum articulū sano Hippoc. cōparat, collatione in ipso affecto homine facta: nam deceptio plerunq́ accidit, si alienis articulis ipsum conferas. Consueuerunt autem Græci similia nonnunquam uocare quæ idem aliquid obtinēt. Ad hęc, exempla secundū idem,

*Plato.*

in ijs quæ conferuntur, Plato nos facere iussit:

*Diuisoriā, compositoriamq́; speculationē, maximè necessariā esse ad artis constitutionem.*

qui quidem in Philebo & Phædro, diuisoriam compositoriamq́ speculationē maximè necessariam esse ad artium constitutionem ostendit: in qua sanè duplici modo exerceri nos uoluit, à primo quidem & generalissimo descendētes, ad ea quę non amplius diuidi queunt, per differentias in medio consistentes: quibus & diffinitiones specierum constitui, in Sophista & Politico commonstrarat. Contrà uerò, à specialissimis, quæ multa sunt, ad primum genus, per compositionē ascendentes. Viam nanq; esse utriusq; unam, sed iter duplex, ab altero primorum, ad alterum uicissim eunti. Nequit autem rationalis artiū constitutio fieri, nisi in diuisione & cōpositione exer-

*Speculatio circa medicorum dissidia, quid profit.*

citatio accesserit. Porrò speculationem circa medicorum dissidia, magnam uim obtinere, nō ægris tantū ad sanitatem recuperandam, sed ualentibus etiam, ad tuendam eandem, autor est nobis Hippocrates. Mirari autē licet, cur artem medici pertractantes, in qua ea quæ offeruntur remedia, usu possunt dijudicare, utrū prosint, an noceant, maximè cōtraria de ijs quę prosunt aut nocent, intrepidè pronunciarint. Siquidē in philosophia nō sedatas esse plurimas dissensiones, nihil miri est, cùm res experientia iudicari perinde nequeat, ut ea de quibus medici digladiant.

Cæterū hinc nascit hæc controuersia, quòd medicis quidem illis qui experientia sola artē constituerūt, illud solum usum est utile, quod forte fortuna ipsis frequenter profuisse apparuit: neq; etiā ad contrariā uictus rationē transire audent, ut illam quoq; experiantur, nimirū ueriti successum improsperū. Solus autē qui naturā ægrotan-

*Experiri tutò quæ possit medicus.*

tis nouit, & morbi dispositionē, & uim auxilij q̃d adhibebitur, præterea tempus quo utendū ipso est, audere posset, usus auxilio iam ratione explorato, spem confirmare experientia. Quare hic solus inueniet dissidij causam, & distinctiones, qui bus animum adhibens, ad id quod ægrotanti cō ducit, perueniet. Aliorū uerò nullus hoc ipsum cognoscet. Nam qui cognitis per experientiam adhærent, immorātur q́, illa sola assumunt, causantes naturam, aut artem, aut eiusmodi aliquid causam offensæ extitisse: id quod etiam in opere de fracturis ostendit luculenter Hippocrates,

*Hippocrates.*

qui de uino, mulsa, melle, aqua, oxymelite, ptisana, & balneis, distinctiones conscripsit, accusans eos, qui in omnibus laborantibus grauiter, uel iubent, uel prohibēt, singulis cōmemoratis uti. Nam interroganti an unū febrienti sit exhibendum, respōderi debet, quòd huic alicui dandum est. Idem uerò hoc de uoluptate Plato factitasse

*Voluptatū eas nobis sequendas ait Plato, quæ ab honestis rebus proficiscuntur, fugiēdas autem, quæ à turpibus.*

uidetur, quasdam ipsarum, nempe ab honestis rebus profectas, appetere nos præcipiens: quasdā uerò fugere, quales sunt quę ad neutrē spectant: quæ autem nihil ab his secretum obtinent, illas neq; fugere, neq; persequi. Inueniuntur porrò genera uoluptatum differentiæ ex methodo diuisoria: quare quæ huius uia inueniuntur, affinia & communia sunt ijs, quæ ex similis cognitione intelligi solent. At uoluptates habent similitudi-

*Voluptates habent similitudinem quidem inter se inuicē, cōmunionē autē, secūdum genus.*

nem quidem inter se inuicem: cōmunitatem autem secundum genus. Elegantissimè itaque omnium Hippocrates atq; Plato tractarūt eas duas speculationes, dico illam quę discretione similiū & dissimilium constat, & eam quæ uia iuxta diuisionem generum usq; ad indiuiduα tendit, ac rursus à particularibus ad primum genus per differentias intercedentes reditum reciprocum facit. In uniuersum autem, rei de qua disputatur in pri-

*Rei de qua disputatur, in primis oportet habere substantiā cognitam.*

mis oportet habere substantiam cognitā. Nam qui nouit, non simplicem unam animæ in nobis speciem esse, sicuti in stirpibus appetitoriam, in dijs rationalem, sed in homine ambas cōsistere,

*Animam nostram esse triplicem.*

& tertiam præterea irascibilem, nouit cum hoc etiam uirtutum numerū, uim, & possessionem: quemadmodum qui naturalem corporis nostri

*Bonus habitus similariū & dissimilarium particularum, in quo consistat.*

structuram habet perspectam, atque in similaribus quidem, secundum elementorum cōmoderationem: in instrumentarijs autem, ex similarium quantitate & qualitate, item uniuscuiusq; conformatione & situ, didicerit naturalem habitum effici, is morborū curationis cuique conue-

*Cognitionē similium & dissimilium sufficere ad methodicā cuiuslibet artis cōstitutionē.*

nientis, & præseruationis copiam habebit. Meritò igit̃ nōnulli exactam similiū & dissimiliū cognitionē sufficere ad methodicā cuiuslibet artis constitutionē existimant. Siquidē etiam ad iudicandum de ijs quæ in ambiguo sunt, dux hæc est

*Quæstiones inutiles humanis actionibus, quænam sint.*

abundè faciēs. Speculari porrò, num hic mūdus generatus sit, an ingenitus: sicuti etiam, an genitus ipsius deus aliqs opifex fuerit: an deus nullus

quidem, ſed cauſa quædam irrationalis & inartificioſa, fortuitò ipſum adeò pulchrum effecerit: an etiã Deus præſit mundi ſtructuræ, ſapientiſsimus ſimul & potentiſſimus: huiuſcemodi inquã quæſtiones nihil conferunt ad honeſtè rem familiarem adminiſtrandã, aut ciuitatis negocijs cõmodè conſulendum, aut deniq; ad morales uirtutes ac ciuiles adipiſcendas. Cæterũ non ſicuti mundus genitúſne an non genitus ſit, quærere inutile eſt, ita etiã de prouidentia & de dijs. Nam quòd ſit aliquid homine pręſtantius, uirtute & ſapientia in mundo, omnibus nobis inueſtigare præſtat: nõ tamen quales dij ſint ſubſtantia, utrũ incorporei omnino, an corporei exiſtãt, neceſſarium eſt cõſiderare. Sunt autẽ multa falſa, quam ſimillima ueris: imò etiam ipſa ſophiſmata, ex ſimilitudine quam cum ueris ſermonibus habẽt, cõſtituuntur. Sed internoſcere ea, & inuicem diſcernere poſſunt, in illa materia, circa quam ars uerſatur, exercitati, & prædiri naturali induſtria: quam oportebat potiſsimũ in puerili ætate, à cuiuſq; ciuitatis ſenioribus prudentiſsimis iudicari, ac dein unumquenq; artem ſuæ naturæ congruam doceri: quandoquidem permultos uidemus hodie artes rationales exercentes, qui ne ea ſanè quæ ipſi dicũt, aſſequunt. Cùm igitur quod in omnibus rectè fit, omnes ad artem referant: quod autem in uno aut duobus, non ad artem, ſed ad fortunam: meritò ex noſtri ſtructura corporis, licet admirari ſummam artem, ęquitatem, & uim naturæ, quæ nos cõſtruxit. Conſtat ſiquidem corpus noſtrum ex oſsibus pluribus q̃ ducentis. Ad ſingula uerò oſſa peruenit nutriẽs uena, ſicuti ad muſculos: cum hac, etiam arteria, & nerui: paria'q; ad amuſsim ſunt & omnino ſimilia in dextra animantis parte ſita, ijs quæ in altera ſunt, os oſsi, muſculus muſculo, uena uenæ, arteria arteriæ, ac neruus neruo: idq; exceptis uiſceribus, atq; nõnullis particulis, quæ habere propriam deſcriptionẽ uidentur. Duplices itaq; noſtri corporis partes, omnino inter ſe ſunt ſimiles, & magnitudine, & conformatione, ſicuti & conſiſtentia, quam uoco iuxta mollitiem duritiemq; differentiam. Quemadmodum igitur de humanis affectibus iudicium facimus, ex naui ſumma arte cõſtructa cognoſcentes peritiam artificis, ita etiam de diuinis facere conuenit, corporiſq; noſtri opificem admirari, quicunq; tandem is deorum exiſtat, etiam ſi eum non uideamus. Vocat autẽ ipſum naturam cõmuni nomine Hippocrates, cuius miniſtrũ medicũ eſſe ait. Plato etiam, Deum cauſam quæ nos conſtruxit, mundi opificem pronunciauit, qui ſuis filijs iuſſerit humanum genus compingere, à ſe quidem accepta ſubſtantia immortalis animæ: in ea autẽ appoſito eo quod generatur. Cæterũ quę de animi ſubſtãna & de dijs à diuiniſsimo Platone traduntur, probabilia tantũ & uerisimilia cùm ſint, quomodo poſsim de ipſis audacter pronunciare, non uideo. Contrà autem, quòd plures animæ ſint ſpecies, quodq; ſede triplici collocatę: & quòd diuina ex ipſis ſit, qua ratiocinamur: reliquę autẽ duæ affectibus obnoxiæ: hęc qua iraſcimur, illa qua corporis uoluptates expetimus: quinetiã quòd alia in cerebro, alia in corde, alia in iecinore deliteſcat, me ſcientificas habere demonſtrationes affirmo. Iuſtum tamen eſt admirari Platonem, qui non ſolùm methodos cõpendioſe expoſuerit, ſed etiam nos exercuerit in ſingulis. Sunt enim tria capita. Primum, quod diuiſione & compoſitione conſtat: ſecundum, quod ſequentium, & pugnantium cognitione: tertium deniq;, rerũ inter ſe mutatione, in maioris & minoris, æqualis & ſimilis ratione. Itaq; ſcopi ſecundum quos ſingula rectè aliquis aggrediatur, omnino pauci ſunt: * ſecundum autem ipſos exercitatio, non parum temporis poſtulat: id quod Plato quarto de Repub. oſtendit, ubi conatur animam noſtram nõ ſimplicem, neq; uniformem ſubſtantia, ſed ex tribus partibus cõpoſitam demonſtrare, quæ ſingulæ propriam habent ſpeciem, non unam autem uim, ſed plures. Vnum enim appellat, quodcunq; ſubiectum cùm ſit, peculiarem obtinet ſubſtantiam, aut accidens. Porrò ſubſtantia dicitur, quæ nõ poteſt contraria circa idem eodem tempore pariter facere ac pati. At uerò hæc uox diuiſio dicitur propriè, cùm totum aliquod cõtinuum, in particulas ſcinditur. Sed metaphoricè dicitur, cùm in differẽtias, aut ſpecies diuiditur: ut tertio modo, cùm uox diuiditur in ſignificata.

*Sophiſmata cõſtitui ex ſimilitudine quã cum ueris ſermonib. habent.*

*Sophiſmata à quibus poſsint diſcerni.*

*Indolem & naturam cuiuſque explorãdam in puerili ætate eſſe: ac dein unũquenq; artẽ natura ſua aptã, docendum.*

*Arti quæ tribuãtur.*

*Fortunæ quæ tribuantur.*

*Naturæ cõmendatio.*

*Oſſa plura ducentis ineſſe humano corpori.*

*Dextras partes ſiniſtris eſſe numero pares.*

*Conſiſtentia quid.*

*Deum uocat naturã Hippocrates, illius autem miniſtrum, medicum.*

*Platonis opinio de Deo.*

*Animæ ſpecies, ſedes, & differentia.*

*Scopi ſecundum quos ſingula rectè quis aggrediatur.*

*Vnum quid.*

*Subſtantia quid.*

*Diuiſio quid.*

EPITOMES GALENI OPERVM

*ſectionis primæ finis.*

# EPITOMES OMNIVM GALENI
## OPERVM SECTIO SECVNDA.

### SANCTISSIMO D. N. P. III. P. M. ANDREAS LACVNA SECOBIENSIS, MILES S. PETRI, S. P. D.



Vi vt Medicam artem exterminent, eamq; non esse ex vsu mortalibus persuadeant, summum diem ita hominibus esse à Deo præfinitum contendunt, vt non modò non produci, sed ne quidem ante illam metã vllo pacto vita intercipi queat, ij, Beatiss. Pater, præterquàm quòd falsa & inania loquuntur, omnem ferè humanam prouidentiam è medio tollunt. Quocirca tametsi sycophantæ id genus, infestissimi sint Medicinæ ipsius hostes, eamq; assiduis saucient vulneribus, eius tamen sunt ope & præsidio curandi, cùm grauissimo laborent animi morbo, correptiq; phrenitide, aut alia quauis animi alienatione, talia insanire cogantur. Infixit autem hanc opinionem complurium mentibus, quod legitur apud prophetam Iob, Deũ constituisse terminos homini, qui præteriri non possent: id quod sanè est verissimũ. Deus quippe & natura nõ hominibus tantùm, sed etiam animantibus vniuersis (sub quibus comprehendo stirpes) constituerunt ceu quendam suæ durationis atq; periodi apicem, ad quem singula peruenire possent, si omnes occasiones effugerent, quæ interitũ præcocem accersunt. Cùm autem hic vitæ cursus in singulis animalibus, ab insito vitaliq; humore proficiscatur, portionem cuius in prima generatione nõ omnia fuerũt parem sortita, meritò, mea quidem sententia, illa durabiliora erunt, quibus eius copia largior obtigerit: vitæ verò breuioris, quibus humor is insit parcior. Quemadmodũ igitur si cõseruemus oleũ purissimũ, semper illi inardebit flammula, quandiu oleũ ipsum durauerit: extinguetur autem, ipso oleo absumpto: pari etiam ratione, si humorẽ natiui caloris fomitẽ, immunẽ ab omni corruptela tueamur, nõ defungemur vita, donec ipse prorsus nos deserat: quod vbi acciderit, produci amplius dies nostri nõ possunt: ac proinde is erit verè vltimus vitæ terminus, quem nimirũ transgredi nulla homo industria, aut ratione potest. Quòd si quispiam Dei donum ac beneficium contemnens, aut vitam exosam habens, prius quàm ad finem sibi designatum adueniet, det seipsum præcipitem, disrumpátue crapula & vino: præuidit quidem huic talem Deus exitum, non præfiniuit autẽ, cùm ipsum suo in consilio atque imperio voluntatis reliquerit. Est itaq; singulis iam sua extrema dies, ad quam vtiq; peruenire, vsi optima victus ratione, possint, à Parcis ipsis præfixa: quam quidem vt præterire nemini ab illis est datum, sic etiam vt eam consequantur, solis contingit illis, qui præceptis Medicorũ audientes, & temperantissimè viuunt, & fouere vapidum illum humorẽ, vitæ autorẽ, omnibus modis conantur: ad quam rem plurimum confert cum exquisitissimo victu, exercitijsq; modicis, etiam regio vel admodum temperata, vel ad frigus magis quàm ad calorem declinans. Pro varijs siquidem ipsius cœli constitutionibus, constat hominum temperamenta, adeoq; ætates ipsas variari. Aethiopes quippe (id quod tradit ex Asclepiade Galenus libro de philosophica historia) circa tricesimum annum senescunt, quòd sub ardentissimo sole, eorũ calor genuinus quàm citissimè vnà cum subiecto humore euanescat. Angli verò Daniq;, ob contrariam causam, ad vicesimum supra centesimum annum, nisi propria pereant intemperantia, solent vitam ipsam protrahere. At Hispani, vt situ sunt medij inter hos, sic vitam illis quidem longiorem, his autem longè breuiorem sortiuntur. Inter omnes porrò temperies atq; constitutiones ambientis, quas mihi experiri contigit, nullam hactenus adeò propitiam reperi tum hominibus, tum fructibus vniuersis, atq; est hæc qua perfruuntur Veneti: apud quos, fructus quidem ipsi quamdiutissimè incorrupti & succulenti seruantur: homines autem, vegeti, floridiq;, raro nisi extremo senio absumuntur. Id quod sanè est in causa, vt Venetijs passim tot senes, tamq; reuerendi, cernantur. Romæ verò contrà, perpauci inueniuntur veri atq; genuini ciues sexagenarij. Quòd si qui exteri illuc ætate ingrauescentes confluãt, intercipiũtur breui: quod certè argumentũ efficacissimũ est, te, Beatissime Pater, singulari modestia & temperantia tua, peruicisse malignitatẽ syderis: quippe qui sensibus vniuersis integris, absolutissimisq;, tam venerandam canitiem indeptus atq; assecutus fueris: ad quam quidem nobis feliciter cõseruandam, producẽdamq; in multa annorũ curricula, quæcunq; de tuenda valetudine Galenus Pergamenus conscripsit, ea omnia nuper instigatione Excellentissimi viri Ioan. Aquilerij, tui medici longè vigilãtissimi, à me et castigata, et in enchiridion coacta, dicare Tuæ Beatitudini statui: sperãs fore, vt hoc erga T.S. officiũ meũ pijs omnib. quã gratissimũ esset, ac præcipuè illustriss. et reuerendiss. D. D. Frãcisco à Bouadilla et Mendozza, Cardinali Cauriensi, Patronoq; meo singulari: qui

*Beatitudinis Tuæ amantiſsimus, nihil tam habet in votis, quàm vt eam diu CHRISTVS ſeruet ſuperſtitem. Quare vnicè T.S. oro, Beatiſsime Pater, vt quemadmodum ſuperioribus diebus periochen illam de victus & exercitij ratione à nobis oblatam, vultu hilari ſuſcepiſti, ſic ſalutares hos commentarios, quos offerimus denuò, ſuſcipias: exiguos quidem, ſed ea imbutos eruditione & doctrina, quæ poßit mirè tuum oblectare animum, teq́ manu placidiſsima ducere ad extremum illud ſenectutis faſtigium, quod omnes cupimus, quodq́ prius quàm aſſequaris, tibi longum adhuc iter eſt conficiundum: cùm non dubitem quin, ſi Galeni inſtitutu & documentis vſus, pro ſolita etiam ſapientia tua, conſtantiaq́, & animi magnitudine inſuperabili, fauſta omnia & aduerſa, breuiterq́ vniuerſas humanarum rerum viciſsitudines, eodem animo tuleris, adhuc ſis victurus nobis diutiſsimè. Quod quidem Eccleſiæ ſuæ largiri dignetur Deus Opt. Max. Vale. Venetijs, ex ædibus illuſtriſsimi D. D. Ioannis Furtadi à Mendozza, in hac Repub. Cæſarei Oratoris longè digniſsimi, quarto Idus Aprilis, M. D. XLVIII.*

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, D. D. NICOLAO VINCEIO, EPISCOPO BALNEOREgienſi, ac S. D. N. P. III. Datario uigilantiſsimo, ſapientiſsimoq́, dirigitur liber de ſanitate tuenda, ad Pontificem maximum.

*I liber, & quam fers, domino impartire ſalutem,*
*Viuat vt admonitu tempora longa tuo.*
*Sis licet exiguus, tecum ſed Neſtoris annos,*
*Multaq́ conciſo corpore ſecla geris.*
*Verùm ne nimium timidus videare, vel audax*
*Materiæ pecces vtilitate tuæ:*
*Scis cui magnarum Paulus molimina rerum,*
*Eius vt arbitrio ſtentq́, cadantq́, dedit:*
*Qui ſacras diſpenſat opes, qui ne quid ab vllo*
*Tentetur contra iusq́, piumq́, cauet:*
*Huic vni te crede liber: ſi duxerit intrò,*
*Et patrocinio iuuerit ille ſuo,*
*Res tunc facta tibi fuerit, nihil amplius optes.*
*Sed propera ad ſacros oſcula ferre pedes.*

# GALENI PERGAMENI AD THRASYBVlum, num ratio tuendæ sanitatis, ad medicinalem artem, an ad exercitatoriam spectet, liber vnus.

*Initium inuentionis optimum quod sit.*
*Rationalem cõtemplationẽ per necessariam ad inuentionẽ esse.*



IN omni cõtemplatione optimũ inuentionis initium est, prius exactè cognoscere quidnam sit id de quo disputetur. Qui autem rationalem cõtemplationem satis diligenter tractarit, is quodlibet sanè quæsitum æquè discutere poterit: sine qua quidem commentarios euoluere, nihil aliud est, quàm oleũ & operam ludere. Cùm igitur in controuersiam uertatur, num ars sanitatis tuendæ ad medicinalem artem spectet, an ad exercitatoriam: qui medicinã esse curatricem ægrorũ, & sanorum conseruatricem, definiunt, ij certè medicinæ partem, salubrem esse confirmant. Qui uerò medicinam laborantiũ tantùm curam habere aiunt, ab ea sanitatis cõseruatricem abstrahunt. Ita & exercitatoriam si quispiam sanitatis seruatricem statuat, quæsitum pro comperto habuerit: quemadmodum & qui solum boni habitus eam opificem tradat, diuerso modo & ille ambiguum pro certo assumet. Nunquid igitur sic medicinam definire præstiterit, eam esse cuius finis est sanitas? Gymnasticam uerò, cuius finis est bonus habitus? At sic etiam gymnasticæ salubrem, tanquam nihil sit dubium, detrahemus: medicinæ autem adhuc obscurũ attribuemus. quæcunque enim definitiones constituuntur à fine, non exiguas ambiguitates pariunt. At qui salubrium scientiam medicinam esse affirmauerit, is etiam nimis audacter salubre, tanquã medicinæ partẽ, accepisse uidebitur. Non deerunt siquidem contrariæ factionis nõnulli, qui ægrotabilium tantùm scientiam esse medicinã contendant: hi tamen primũ ignorant, contrariorũ omniũ unam esse scientiã: & quicunq; ægrotabilia norit, hunc & salubria non latêre necesse esse. Dein uerò nesciunt, quòd & salubre dicimus signũ, quod ægroto adueniens, futuram sanitatem portendit: necnon causam salubrem, quæ sanitatis est procreatrix: sicut & salubre corpus, quod est sanitate præditum: quorum omniũ medicus scientiam habet. Periculum autem fuerit, ne si unam transeamus, septem circa humanũ corpus artes constituamus: primam & manifestissimã, & penè solam controuersia carentem, eam scilicet quæ expellit morbos: duas alias, unam à sanitate secundùm affectionẽ, & lubrica, ad eam quæ est in habitu, ducentem: alteram, in ea conseruantẽ: duas item alias circa bonum simpliciter habitum, effectricem unam, alteram quæ cõseruat: præter has etiam duas alias, circa bonum habitum Athletarum uersantes, qui non simpliciter bonus est, sed cum adiectione, atq; periculosus. Ab his autẽ septem, alias possemus etiam numerare artes, cuiusmodi est & comptiua, quæ corpori pulchritudinem quandam adulterinã conciliat, uitiosa & adulatrix existens. Huic eterum est cõtraria, quæ circa legitimã, ueramq; pulchritudinẽ (quę in uegeto colore, carnis moderata copia, membrorumq; congrua coagmentatione consistit) uersatur. Porrò sanitas & bonus habitus nõ idem nobis significãt: cùm sanitas quidem, salubrẽ quandam affectionẽ: bonus autem habitus, non affectionem simpliciter, sed fixam & permanentem significet, quam nimirum omnes desideramus.

*Medicinam esse curatricẽ ægrotum, & sanorũ conseruatricem.*
*Exercitatoria.*
*Definitiones cõstitutas à fine, nõ exiguas ambiguitates parere.*
*Contrariorum unam esse scientiam.*
*Salubre signũ.*
*Causa salubris.*
*Salubre corpus.*
*Athletarum habitus periculosus.*
*Comptiua ars uitiosa & adulatrix existit.*
*Pulchritudo uera in quibus cõsistat.*
*Sanitas quid.*
*Bonus habitus quid.*

Cùm autem omnes actiuæ artes proponant sibi quod in materia circa quam uersantur, est ualde optimũ, ac maximè duraturum: earumq; finis sit unus, nempe ipsius propositi consecutio: utique manifestum euadit, artis circa corpus nostrum uersantis, finem etiam unum, ut propositũ unũ, existere, siue id quispiam integritatem, siue bonũ habitum, siue sanitatem, siue naturalem corporis structuram, siue naturalem actionẽ, aut affectionem nominare uoluerit. Vt enim corpus humanũ una res est, sic huius quoq; una perfectio habetur, quam & præsentem custodire, & absentem reuocare, alicuius artis officium est. Quare nec multa corporis bona ponenda sunt, neque ipsius boni, quod est, aliam opificem, aliam conseruatricem artẽ statuere oportet. Ita uerò cùm unum sit corporis bonũ primariè ac propriè dictum, utputa sanitas, ad quod cętera referuntur, ut actio integra, pulchritudoq;, certè nõ per alia exquisitè sanescet corpus, per alia robustum atq; pulchrum euadet: unde una circa corpus esse ars concluditur. Quemadmodum igitur animi, sic etiam corporis bona multipliciter dici solent: unũ quidem ratione primaria, ut sanitas: aliud, tanquã fructus illius, ut actio: tertium denique necessariò consequens, ut uidelicet pulchritudo: nec licet alicui horum prodesse, aut obesse, quin omnibus tribus aut prosis, aut noceas. Ars itaq; in primis efficere sanitatẽ uidetur, quam necesse est actio naturalis pulchritudoq; sequat. Quod enim primũ artifex cùm fecerit, acquiescit, id eius planè finis existit: at naturali affectione per quam agimus (hoc est, sanitate) restituta, cõquiescit: finis igitur medicinæ sanitas est, quam cùm induxit, nihil circa actionem pulchritudinémue laborat, ut quę uel inuito artifice sanitatẽ sequantur. Sed neque in ulla materia ars una finis effectio, altera conseruatrix habetur. Qui autem sanitatem propria ratione tuetur, circa illa, iudicio meo, uersatur, quibus, uelimus nolimus, corpus nostrũ utitur: qualia sunt, ipse nos ambiens aër, somnus, uigilia, quies, motus, ac deniq; cibus & potus. Hæc siquidem quæ per se lædendi iuuandiq; potestatem habent, sanitatis custos speculatur, id semper ante oculos habens, ut in corpore exactè sano, ualidoq;, nihil nouare audeat: cùm uerò aliquantulum moderationẽ transierit, continuò quod deficit, priusquã latius id malum serpat, resarciat. Siue enim plenitudine, siue inanitione laboret corpus, utrũq; uitium ars una uno modo emendat, quod deficit nimium instaurans. Cæterũ in quanto, nõ in quali, correctionis differentia uersatur. Atqui secũdum quantũ in his quæ fiunt differentia, ad unam artem pertinet: quòd si alterius artis esse debeat, oportet prorsus qualitate etiam differat. Porrò cùm multæ ac uariæ sint medendi rationes, quarum aliæ ferro,

*Artium omniũ scopus.*
*Artis cuiusq; finis, est consequutio scopi.*
*Artis medicæ finis.*
*Perfectio humani corporis, una tantum existit.*
*Vnicam esse artem, quæ circa humanum corpus versatur.*
*Bona animi & corporis multipliciter dici.*
*Sanitatẽ actio naturalis, pulchritudoq; consequitur.*
*Finis artis quod sit.*
*Medicinæ finis est sanitas.*
*Res expendenda à medico.*
*Nouandum nihil in sanis corporibus.*
*Medendi rationes uariæ.*

*Artes distinguendas non esse, per actiones singulas.*

*Scopus cõmunis medentium omniũ, est sanitas.*

*Artes omnes in subiecta substãtia bono versari*

*Medicinæ unius variæ species, siue partes sunt, omnesad sanitatem tendentes.*

*Artes esse distinguẽdas scopis.*

aliæ igni, aliæ medicamentis, aliæ uictus ratione curantur, hallucinantur sanè qui per singulas actiones, artes esse distinguendas putant. Nam quis adeò fatuus atq; stupidus est, ut à medicina modò propositas actiones deducat, atq; aliam quampiã artẽ pro unaquaq; ipsarũ statuat? Etenim ob cõmune propositũ, quæ sanitas est, omnes qui quocũq; modo medent̃, medici uocitantur: sed propter actiones, aut materiæ, aut membri diuersitatẽ, hic manuarius, ille medicamentarius, alter ocularius, & est, & dicitur: manuarius ab actione, medicamentarius à materia, sicuti ocularius à membro: & cùm omnes sanitatis gratia operentur (artes enim omnes in subiectæ substantiæ bono uersantur, atq; illi operam nauant) sequunt̃ operationis modos diuersos. Erit itaq; medicina unica, sed ipsius uariæ species ac partes, omnes ad eundem scopũ tendentes, ad sanitatẽ uidelicet. Ac proinde nõ multitudine agentium, sed propositis exploratis, artes sunt distinguendę. Siquidem singularia innumera sunt, sed generale quoddam opus omnibus est cõmune. Nam & corpori aliquid ut superuacuum detrahens, aut aliquid quod deficiat adijciens, unum uterq; opus pręstat, corpori naturalem modum, hoc est, sanitatẽ cõparans: proinde uerò & calefaciens, & refrigerans, sicuti & madefaciẽs & siccans. Non est autem unius artis, opus facere: alterius, uitiatũ corrigere: sed eiusdem. Quòd si non eiusdẽ, at certè medicina nihil q̃d prius nõ esset, procreat, sed arti laceras ac tritas uestes sarcienti oppidoq̃ similis est: sanitatisq; conseruatio, parũ labefactata corrigit, minimè existẽs diuersum genus à curatiuo. Est porrò id artis finis, q̃d quiescẽte artifice, demõstrare ualemus, ut sanitas: qua ratione effectiuę artes ab actiuis, quarũ finis ipsa actio est, tantũ dissentiũt. Nam quamprimũ actiuæ ab agendo desierint, finis quoq; unà desijt. Nihil siquidem in saltatoria præter ipsam actionem ostendere posimus, ut in fabrili grabatum, in ędificatoria domũ, sanitatẽ in medicina. Quare nec sanitatem custodire, aut uitiatam emendare, aut prorsus amissam recuperare, finis est: sed omnia hęc actiones sunt, finis autem est sanitas. Sed neq; ex materijs ipsis artes dijudicãdæ sunt: quandoquidem materiã unam constat pluribus artibus subijci (ut lignum, exempli gratia, nauiũ artifici, carpentario, machinarumq; structori) sicuti & unam eandemq; artem, permultis uti materijs. Quippe medicæ arti, una cùm sit, infinitæ materiæ subsunt: corpus nempe sanitatem suscipiens, cibi, ac potus, & medicamenta omnia, sicuti & uocata diætemata. Hæc igitur materiæ sunt causarum uim obtinentes: corpus autẽ, tanquam id ex quo finis, aut in quo. Itaq; ad finem properare omni ex parte, ab eoq; artes iudicare, præcipit ratio. Propter hunc enim & cõmunibus actionibus, & proprijs præceptis atq; principijs differunt: nam hæc & secundum artiũ fines curantur: & cuiusq; artis constitutio à fine (quæ regula omnium artis præceptorum existit) sumit initium. Igitur unum tantũ cùm sit humani corporis bonum, sicuti & aliarum omnium substantiarum, atque una similiter ars, quæ circa illud uersatur, huius artis iam omnes particulas spe-

*Medicinam artis laceras vestes sarciẽtis, esse similem.*

*Finis artis quid sit.*

*Artes effectiuæ ab actiuis, quo differant.*

*Sanitas est medicinæ finis.*

*Artes nõ esse ex materijs dijudicandas.*

*Medicinæ infinitas materias subijci.*

*Artes iudicandas ex fine esse.*

*Artis cuiusq; constitutio, à fine sumit initium.*

culemur: cuius quidem finis cùm nõ in sola contemplatione sit situs, sicuti Arithmeticę, Astronomiæ, ac Physicæ: nec simul cum actione ipsa desinat, quod cõtingit in saltatoria: manifestũ utiq; est, neq; inter actiuas, neq; cõtemplatiuas, sed inter effectiuas aut acquisitiuas, quales sunt quæ ex parte uitiatum corrigunt, eam esse connumerandam: sic ut natura quidem & corpus fabricetur, & ipsum imbecillum confirmet: eius autẽ ministra sit ars, quę impræsentiarũ inuestigatur. Appelletur igitur correctiua: quæ quidem aut multùm subitò corrigit, aut pauxillum. Etenim quæ ipsius pars multùm semel corrigit, eam medicatiuam aut curatiuam dicamus: cuius sanè, quemadmodũ quantitatis, differentia permagna existit: quæ uerò pauxillum, conseruatiuam. Atque hæc quidem insignibus differentijs tripartitò distingui uidetur. Aut enim exactè ualentem accipiens, in hoc ipsum gradu conseruat, diciturq; euectice, hoc est, boni habitus conseruatrix: aut eos qui iam euaserũt morbum, ac secundũ habitudinem sani existunt, reficit, appellaturq; analepticè, hoc est, instauratrix: tiam quę inter utranq; pars collocatur, uersaturq; circa corpora in habitu, non in bono habitu, sana, ea conseruatiua simul & salubris nuncupatur. Tres igitur hæ partes cõseruatiuæ, analeptice, salubris, & euectice, sunt quidem omnes sub ea medicinæ parte, quæ exigua tollit uitia: inter se autem ratione maioris minorisq; dissentiunt. Minora enim castigat euectice: paulò his maiora salubris: adhuc maiora analeptice. Quidam uerò & quartã his particulam prophylacticen, hoc est, præseruatricem addunt, facultatem ei habentem oppositam, quę à morbo reficit liberatos. Curatiua igitur, magna uitia: euectice autem atq; salubris, parua tollit: in medio uerò harum interstitio analeptice & prophylactice positæ sunt, si ad salubrem atque euecticen comparentur, haud exigua uitia emendantes: si ad curatiuam, non magna. Quocirca non immeritò neutrę appellari possunt. Ergo ut totum sermonem repetam, circa corpus humanum unam quãdam artem cõstituo, eiusq; duas has esse partes, efficientem unam, corrigentẽ alteram: ambasq; hasce prius natura inesse, sed ipsarum alteri, emendatrici scilicet, humanam artem opitulari. quæ & ipsa bipartitò diuiditur, in curatricem partem, seu medicatricem, atq; in alteram conseruatricem, quæ & salubris uocatur. Huius rursus tres partes sunt, analeptice, euectice, ac toti generi cognominis, salubris. Cùm autem omnis quæstio sub definitionem cadat, sanè si quid tum medicina, tum gymnastica sit, didicerimus, nec amplius difficile fuerit inuenire ad utram ipsarum salubris referatur. Cùm ergo una tantùm ars circa corpus uersetur, poterit qui uolet, medicinam eam appellare: sin hoc nõ placet, exercitatoriam. Sin id quoq; displiceat, totam artem nomine carere dicens, unam eius partem, medicinam, alteram exercitatoriam appellet. Si neq; id probas, salubrem quandam artem curatiuæ ex diuerso distinctam, eiusq; partes diæteticen, gymnasticenq; dicito. Singula enim nomina si interpretabere, ita uniuersum quod quærebas indeptus fueris. Quòd autẽ ut artẽ corpora

malè

*Medicinam esse inter factiuas artes connumerandam.*

*Medicinam esse ministram naturæ.*

*Medicatrix medicinæ pars.*

*Cõseruatrix medicinæ pars, triplex.*

*Euectice.*

*Analeptica.*

*Salubris.*

*Prophylactice.*

*Correctrici artis parti, humanam artem opitulari.*

*Quæstionem omnem sub definitionẽ cadere.*

malè affecta curantem, iatricen, hoc est, medicinam, sic artificem etiam ipsum, Medicum appellet Homerus, perinde atque alij Græci, uerba illius indicant ubi ait:

*Vir medicus multis alijs tibi dignior esto,*
*Dira uenena trahens, & pharmaca mitia fundens,*
*Multa salubria miscens, & letalia multa:*
**Vnicus existens, ritè tamen omnia callens.*

Præcipuas porrò medicinæ partes esse pharmaceuticen, chirurgicen, & diæteticen, nemo ferè inficiatur. At gymnasticæ artis nomen, Homeri seculo nondum repertum erat. Nam paulò ante Platonis tempora gymnastarum ars exorta est: quo etiam tempore Athletarū exercitatio emersit: quorū quidem bonus habitus ut uituperandus est, sic etiam ipsos instruens gymnastica, cōtumelia nō caret. Eum autem habitum bonū laudamus, qui & tutissimus est, & ad obeundas naturales actiones maximè idoneus: cuius materię effectiuæ simul & conseruatiuæ, duæ sunt, & salubris uocata uictus ratio, & exercitatio. Nam cùm quatuor sint genere omnes materiæ, à quib. nostrum alteratur corpus, manuaria functio, medicatio, exercitium, ac uictus ratio: una quidem est ægrotis inutilis, duæ uerò secundum naturam se habentibus. Aeger quippe in multis medicamina, manuum operam, uictusq; rationem postulans, nulla ex parte exercitatione eget: exquisitè autē sanus, corpus exerceat, & certa quadam uictus ratione utatur necesse est, sed medicamenta, aut manus ministeriū, non postulat. Salubris igitur artis cōstat partem quandam esse gymnasticam. Siquidem enam Plato in Gorgia, aliam gymnasticā esse ait, ut artis corpus regentis partem: atque aliam qua utuntur Athletæ: quam nimirum ceu omnium flagitiosissimam criminatur plurimis modis: huius quidem finem, uiriū esse incrementum, quo aduersarios prosternant: illius autem, usum ad naturales actiones, confirmans. Cùm igitur in quadam moderatione sanitas sita sit, Athletarum autem gymnastica intemperiem excessumq; moliatur, multā ac solidam carnem procreans, sanguinisq; copiam quamtenacissimi adaugens: haud difficile inuentu fuerit, artem hanc omnibus naturalibus animalibusq; actionibus prorsus inutilem esse (crassus enim uenter subtilem mentem nō parit) atq; obnoxiam periculis. Quare Athletarum nōnulli repentè obmutuerunt: alij sensum motumq; amiserunt, ac penitus attoniti facti sunt, mole illa præter naturam, ac multitudine, insitum extinguente calorem, liberumq; spiritui transitum intercludente. Quicunq; autem ex ipsis mitiora mala patiuntur, rupto uase sanguinem uomunt, aut expuunt. Cæterùm legitimæ gymnasticæ autores sunt, Hippocrates, Diocles, Praxagoras, Philotimus, Erasistratus, atq; Herophilus, & quicunque alij totam artem ad corpus pertinentem optimè didicerunt: quorū sanè dogmatis congruit illud Platonis: Vna cùm sit corporis curatio, duas eius partes appello, unam gymnasticen, alterā curatricem. Licebit etiam in ipsa arte corporis præside, si quis inuenire partes eius desiderat, ægros curantē, medicatiuā: sanis cōsulentem, salubrem appellare. Vel melius sic ut diximus antea: Ars

*Iatrice.*
*Medicinæ quæ sint partes præcipuæ.*
*Gymnastarum ars quando fuerit exorta.*
*Athletarum habitum esse vituperandum.*
*Bonus habitus qui laudandus.*
*Materiæ alterātes corpus, sunt quatuor in vniuersum.*
*Aegri exercitio non egent.*
*Sanus exquisitè, quæ necessaria.*
*Salubris artis partē esse gymnasticen.*
*Sanitat̄ in moderatione consistere.*
*Athletarum gymnastica intemperiem excessumq; molitur.*
*Ventrē crassum subtilem mentē non genere.*
*Athletas esse morbis obnoxios.*
*Gymnastica legitimæ autores.*

corporis curam habens emendatrix cùm sit, qua parte magna uitia corrigit, medicatrix dicetur: qua uerò exiguas noxas tollit, uocabitur conseruatrix. Quinetiam aptius à materijs has partes, morbidam unam, salubrem alteram appellaueris: quæ ut antè à nobis est dictum, in refectricē, salubrem secundùm habitum, & euecticen, siue boni habitus effectricem, diducitur. Nam dictarum partiū singulis propria materia subijcitur: primæ quidem, secundum habitudinē siue affectionem ualens corpus: secundæ, secundum habitum: tertiæ deniq; bono habitu prędirum. Etenim corpus secundum affectionē sanum appello, quod iam extra morbum cùm sit, leui tamen noxa pulsatum, facilè in morbum relabitur: imbecillum etiam ad actiones existens. Secundum habitum autem, quod iam periculis obnoxium non est, absolutū tamen actionū robur nondum est cōsecutum. At bono habitu præditum, quod extra omne uersat̄ periculum, ac prę se fert etiam insigne quoddam omniū actionum robur. De sanitate enam similiter iudicandum. Sanitas nanque secundum habitum, inter sanitatem secundum affectionem & bonum habitū, actionibus media est. Nam sanitas in affectione, debiles actiones producit: bonus habitus firmiores. Sanitas autem in habitu, nondum quidem firmas, non amplius tamen debiles. Quòd si secundum auxiliorū materias artem hanc salutarem, cōseruatricemq; distribuas, in quatuor partes secabit̄. Vna siquidem in assumptis, altera in ijs quæ fiūt, tertia in his quæ euacuantur, quarta in forinsecus occursantibus, prorsus uersari uidebitur: per hæc enim sanitas custoditur. Pars igitur quæ in his quæ assumūtur uersatur, ciborū potionumq; ad sanitatis custodiam pertinentium est scientia. Quæ uerò in ijs quæ euacuantur, excrementorū omnium est exploratrix. Quæ exterius incidentium est, aërem, aquam, oleum, & cętera id genus speculatur. At quarta pars artis quæ superest, in ijs quæ aguntur posita, studijs exercitationibusq; cōtinetur. Insomnietas nanq;, uigilia, somnus, uenus, ira, lauatio, ex hoc genere sunt. Cæterùm singulorū enumeratorū salubrium quantitas, qualitas, & occasio, dignoscenda est. Minima igitur salubris artis pars est de exercitationibus scientia: rectius enim puto gymnastica ars appellabitur, quæ omnium exercitiorū facultatis cognitio est. Nam quæ ad palæstram solū pertinent, cognoscere, perquàm exiguum est, omnibusq; mortalibus minimè utile. Vnde tibi iam intueri licet, non modò salubris artis quota sit portio gymnastica, sed etiam gymnasticæ minimam esse particulam luctandi studiū, & huic cognatum Athletarum exercitium, affectionis cuiusdam non naturalis effectiuū. Idcirco eos malè sentire cōstat, qui in diuidenda tota arte, gymnasticam medicatiuæ opponunt: illa nanq; à materia, hęc à generali cōmuniq; actione appellationem habet. Similiter etiā quisquis per diuisionē, medicatiuo conseruatiuum opponit, cognatorū oppositionem facit. Porrò cùm uniuersæ artes mechanicæ mutua ope indigeant, perfectioribusq; materias ex quibus finē suum consequantur, suppeditent: instrumentaq; optima, per quæ

*Correctrix art.*
*Medicatrix.*
*Conseruatrix.*
*Corpus secundum affectionē sanum, quodnā esse dicatur.*
*Corpus sanū secundū habitū.*
*Corpus bono habitu præditum.*
*Sanitatem tripliciter dici.*
*Cōseruatricem artem, secūdum auxiliorum materias esse quadruplicem.*
*Exercitatoriam esse minimā artis salubris partem.*
*Artes omnes mechanicas, mutua ope indigere.*

*Artem medicã præsidere vniuersis mechanicis artibus.*

illas adornent, conficiant: eis omnibus, ceu quædam architectonica, ars corporis curatiua, quæ una est, præsidet. Siquidem ædificatoriæ, ut tales quasdam ædes extruat, præcipit: calceariæ, ut calceum: panifici, ut panem: culinariæ, ut obsoniũ: alijsq; singulis, ut quæq; apta est, imperat.

*Salubris medicinæ pars.*

*Gymnastice.*

*Pædotriba.*

*Gymnasta.*

Sed huiusce artis corpus nostrum curantis, salubris appellata pars est, cuius quadripartitũ diuisæ, partis unius gymnastica particula existit. Cauendum tamẽ est ne pædotribam, aut palæstræ præfectũ, cum gymnaste confundamus. Nam qui luctas omnes & frictionũ sigillatim omnes actiones ritè obire ualet, iste panifici & coquo proportione respondet, facere quidem panem & obsonia scientibus, minimè tamen quid in ipsis optimum sit, quid nõ optimũ, intelligentibus: quámue facultatẽ ipsorũ unumquodq; ad sanitatẽ habeat, nõ dignoscentibus.

*Panifex.*

*Coquus.*

*Pædotribam esse ministrũ gymnastica.*

Vt igitur miles artis imperatoriȩ, sic pædotriba gymnasticȩ minister est. Vocant tamen nõ solùm pædotribas eos qui exercent athletas, sed etiã gymnastas.* Quare gymnastica duabus artibus maximè separatis inseruit: quemadmodũ culinaria, quæ salutare obsonium medico salubriq; concinnat: gustui uerò iucundum, ac uoluptuosum, nõ amplius id arti cuipiam, sed adulationi potius cuidam, finẽ sibi nõ sanitatem, sed uoluptatem cõstituenti.

*Gymnasticam duabus artibus inseruire diuersis.*

*Luctatoria.*

Similiter & luctatoria, id quod ad sanitatem bonũ est, salubribus & gymnasticis dictis cõciliat. Quod autem ad affectionem athleticam pertinet, illi uitiosæ parti comparat, quæ se gymnasticam uocat, cùm tamen prostratoria potius, aut cabalice appellari mereatur.

*Cabalice.*

*Luctatoriam artem vitæ robur prosternere.*

Verùm omnis bene instituta respublica hoc genus artis odit ac detestatur, ut quæ omne uitæ robur prosternat, haud in bonã affectionem traducens corpora.

*Curatiuam artis partẽ primò omniũ fuisse institutam.*

*Medicina.*

*Medicus.*

Iam uerò cùm prima totius artis pars curatiua, quòd sic expediret maximè, constituta sit: deinde per multũ ociũ conseruatiua salubrisq; uocata, ei adiecta fuerit: totam artem à pręcipua magis parte medicinam denominari cõtingit, sicuti & medicũ illius professorem. Idcirco non ab re nunc quispiam interrogatus, cuiúsnam artis pars sit illa facultas, quȩ tuendæ sanitatis notitiam tradit, medicinæ respondere poterit, latius fuso & amplificato uocabulo, neq; adhuc partem, sed integram humani corporis artem significante.

*Medicina præcipua partes.*

Cuius sanè duas maximas partes esse curatricem & salubrem, sicuti & huius salubris, gymnasticam membrum existere constat.

## GALENI PERGAMENI
### *de exercitatione paruæ sphæræ libellus.*

*Exercitationũ vtilissima sunt, quæ exercentes corpus, oblectãt animum.*



ILlæ mihi sanè uidentur utilissimæ omnium exercitationum, quæ non corpus solùm exercere, uerumetiã animũ oblectare possunt. Vnde & sapientes, & naturæ humanæ illos probè fuisse peritos iudico, quicũq; uenationes, & alias animalium capturas, primi omnium adinuenerũt, laborem qui in illis est, uoluptate, oblectatione, laudisq; cupiditate lenientes & temperantes.

*Animi affectus ad pellendos & cõciliandos morbos quantã vim habeant.*

Adeò enim potentes sunt, quæ in id genus exercitijs contingunt motiones animi, ut multi morbis sæpe liberati ex delectatione fuerint: multi rursus ex nimia cõturbatione, in morbos inciderint. Nullus est autem corporis affectus tantus, ut uehementior animæ affectionibus esse posit. Quamobrem diligentior istarũ, quàm corporis pasionũ habenda ratio est, tum alijs de causis, tum quia corpore longè præstantior est anima.

*Animi affectuũ quàm corporis, cur maior babẽda cura.*

*Parua sphæra exercitium alijs longè antecellere.*

Cæterùm alijs omnibus paruæ sphærȩ exercitium multis nominibus antecellit. Primò siquidem cùm cæteræ exercitationes maximum apparatum, hominemq; ociosæ admodum uitæ requirant, huic certè una tantùm pila, eaq; perexigua est opus, quam uel pauperrimus quisque comparare sibi facilè poterit: neq; is qui ea se exercet, cogitur reliqua negociorum relinquere. Quid igitur eo esse posit cõmodius, quod omni fortunæ, omni item negocio cõuenit?

*Parua sphæra exercitiũ, omni fortunæ, omniq; negocio cõuenit: ex æquo itẽ omnes corporis partes exercet, potestq; intendi et remitti.*

Iam uerò quæ ex æquo exercere partes corporis uniuersas, seseq; nunc in summam uehementiam intendere, nunc in summam facilitatem remittere posit, aliarum, præter hanc paruæ pilæ, nullam quidem exercitationem inuenies, quæ modò celerrima, modò tardissima, iam uehementissima, rursusq; leuissima, utcunque sanè uolueris, corpusq; toleret, fieri assolet: hac enim membra simul omnia, si commodùm tibi uideatur, aut alia præ alijs, si id magis placet, studiosius exercere potes. Vbi enim inuicem sibi oppositi, alter alteri pilã ipsam præripiunt, in ea certè cõcertatione caput quidẽ ceruixq;, colli permotionibus exercetur: latera autem, pectus, & uenter, faciei subleuationibus, depressionibus, obnixibus, cæterisq; id genus prehensionibus, uehementer laborant: ualideq; tum lumbi tendunt, tum etiam crura firmantur. Hæc itaq; una exercitatio omnes corporis partes quamfidelissimè exercet. Siquidem progredientibus, alij nerui musculiq;: alij item subeuntibus, plus agitantur: quemadmodum etiam alij illis qui in obliquũ se transferũt, & quotquot uno modo crura ipsa commouent. Quinetiam eorum membra qui transuersi feruntur, mouentur planè inæqualiter, sicuti & illorũ qui impariter currunt. Sed quemadmodum cruribus, ita & brachijs exercitatio hæc, cuiq; æquã portionem largitur: quandoquidem pilam excipere in omni figura studẽt. Accidit autẽ, ut dum necesse habent uarijs subinde modis se transmouere, alijs musculis alij fortius tendantur: hiq; in uices omnes laborent, æqualiter quiete partita, alijs requiescentibus dum fatigãtur reliqui: sicq; uicissim & laborent cuncti, & requiescãt, nec sint ociosi omnes, nec laborent omnes.

*Parua pila ludum, etiam exercere oculos.*

Quod porrò etiã uisum exerceat, patebit, si reputemus quàm diligenter pila sit oculis obseruanda, ut statim quò dilapsura sit, præsentiatur, ne in illius apprehensione aberrare necesse sit. Vnde etiã animus intentus atq; solicitus redditur.

*Solicitudinẽ exercitatiõi ęt gloriæ cupiditati coniunctam, in voluptatẽ abire.*

Et licet sola solicitudo macerare nos extenuareq; soleat, exercitationi tamen & gloriæ cupiditati cõiuncta, in uoluptatem abit, plurimumq; & ad corporis sanitatem, & ad animi prudentiam confert.

*Parua pila exercitium, exercere ad res maximas corpus simul & animum.*

Quòd autem & ad res maximas, adeoq; eas, quas subire præstareq; imperatores, urbiũ reginæ leges præcipiunt, animum & corpus exerceat, demonstratu nõ est difficile. Quandoquidem & aggredi in

di in tempore, & insidiando latère, & occasionem præbitam momento arripere, & aut ui, aut improuiso astu, quæ hostium sunt occupare, occupataq; tueri, bonorum imperatorum sunt opera.

*Ducem oportere esse cautum subdolumq;.*

Etenim egregiè cautum, subdolumq; esse ducem oportet. At quotquot in palæstris dimicãt, corporis obesitatem, potius quàm uirtutis exercitationem, consequuntur. Vnde multi ad tantam peruenere crassitiem, ut uix etiam respirare possent.

*Athletarum genus inutile.*

Et sanè genus hoc hominū uel ad bella gerenda, uel ad regia uel ciuilia obeunda munera, minimè ualent: ac suibus propémodū potius, quàm his, rem quampiam quis possit cõmittere. Sed cursum fortasse, & cætera exercitia, quæcunq; gracile reddunt corpus, laudaturū me suspicaberis. At hoc nõ ita se habet.

*Nimium omne est vitiosum.*

Nimium enim quod est, reprehendo semper: omnemq; qua exerceri uelimus artem, esse moderatã uolo: quæ si modum excedat, iam bona esse desinit. Qua ratione ipse neq; cursus cõmendo, ut qui nimium extenuent corporis habitum, ac ne tantillum uirilis habeant exercitationis.

*Cursum extenuare nimium corporis habitū.*

*Victoriā non fugiendo, sed stando, pugnandoq; parari.*

Non enim celeriter fugiendo, sed fortiter stando, pugnandoq; paratur uictoria. Iam si ad sanitatem respicias, quatenus per cursum inęqualiter exercentur membra, eatenus ualetudo læditur. Necessariò nanq; fit, ut alia defatigentur, alia autē sint omnino ociosa. Horum uerò neutrum bonum, sed utrunq; & morborū seminariū est, & uires in primis debilitat. Quapropter eam potissimum exercitationē probo, quæ & corpus conseruare ualidum, & membra retinere integra, compositaq;, & animū præterea uegetum, alacremq; reddere est potis. Quæ quidem facultas, in ea quæ parua pila fit exercitatione, reperitur.

*Parua sphæra exercitiorum omnium placidissimum esse.*

Quòd autem placidissima sit, hinc discas licet, quòd pueris, senibus, atque à morbo cõualescentibus, hoc etiã nomine, alijs omnibus exercitatio hæc esse præstantior uideatur.

*Vnctionem ex oleo mollem, debere pilæ exercitium præcedere.*

Quippe facilius nullū est exercitium, si præmissa molli ex oleo unctione, eo leniter, adeoq; moderatè utaris, ut ipsius qualitas minimè à quantitate obscuretur. Illud siquidem omnium lenissimū est, q̃d laxatis requieturisq; utile in primis, potentissimumq; ad debilitatas uires reuocandas existit, iunioribus iuxtà senioribusq; cõducens maximè.

*Parua sphæra exercitium omnis vacare periculo.*

Inter alia eius quæ recensui cõmoda, neq; hoc esse prætermittendū uidetur, quòd maximè omnium extra pericula sit, quæ frequenter adeò in reliquas cadunt exercitationes.

*Exercitationes reliqua quorum malorum causa esse soleant.*

Celeres enim cursus, iam multos rupto uase præcipuo perdiderūt. Quemadmodū & uoces magnæ, uehementesq; & confertim emissæ, maximorū nõ paucis malorū causa extiterūt. Sic equitationes etiam concitatæ, sæpe renes ruperunt, & pectori frequẽter nocuerūt: poris quoq; nõnunq̃ spermaticis: ut ea interim prætereã incõmoda, quæ ab ipsis equis existere solent, ita ut multi equites sellis excussi subitò sint exanimati. Similes ijs saltus, discus, & quæcũq; nimis inflectunt corpus exercitia sunt. Nam de illis qui ad palæstram proficiscũtur, quid attinet dicere, cùm eos uideas aut claudos, aut distortos, aut fractos, aut aliqua omnino parte mutilatos redire?

*Paruæ pilæ exercitij securitas.*

Quamobrem cùm præter reliqua cõmoda, paruæ huic pilæ exercitio adsit etiam securitas, nimirum aliarum omnium utilissima hæc exercitatio meritò censenda est.

## GALENI PERGAMENI de alimentorum facultatibus, liber primus.



Acultates alimentorū meritò præstantissimorū medicorū plurimi diligenter peruestigarunt, quòd alijs quidē præsidijs minimè omni tempore utamur, sine alimento autem, ne uiuere quidem, nec secunda nec aduersa ualetudine liceat.

*Viuere absque alimento non licet.*

*Demõstratio omnis aut à sensu proficiscitur, aut ab euidenti notione.*

Porrò cùm demonstrationum duo genere sint principia (aut enim à sensu, aut à notione euidenti, demõstratio omnis ac fides proficiscitur) nos de ijsdem facultatibus conscripturi, satius esse duximus ab experientia auspicari, eoq; maximè, quòd bona pars medicorū, hac sola uires alimentorum esse pronunciarint inuentas: inter quos præcipuè Diocles, experientia sola, facultates alimentorum nobis noias esse arbitratur, non ex indicationibus, quæ tum à temperamento, tum à saporibus desumũtur.

*Diocles.*

*Experiētia quæ cognoscantur.*

Quòd uerò experientia, ut alia pleraq;, ita & qui cibi facilè concoquantur, aut secus, quæq; stomachū iuuent, aut offendant, aluumq; laxent, aut sistant, nos doceat, nemo sanæ mentis ignorat. Cæterū in ijs ipsis plerîq; falluntur, qui citra limitationē faciunt de rebus periculum.

*Biliosum fortitos ventriculū, cibos corruptu difficiles, quàm faciles, multò melius cõcoquere.*

Etenim quibus flauæ bilis copia in uentriculo, uel ob prauã quampiam temperiem, uel ob peculiarem constructionem colligitur, ij cibos corruptu difficiles, melius quàm faciles, concoquunt: quandò quæ facilè concoquuntur, facilè item alterantur, & corrumpuntur: contrà quæ concoctu sunt difficilia, nõ facilè quoq; tum alterantur, tum corrumpuntur. Hæc itaq; si in multum calorem inciderint, coquuntur magis, quàm si moderato occurrerint.

*Bubulā, quàm saxatiles pisces, cur nõnulli multò facilius conficiant.*

Atq; hac profectò ratione accidit, ut nõnulli bubulam facilius quàm saxatiles pisces conficiant. Lens autē quibusdam aluum mouet magis quàm inhibeat: melicratum uerò magis sistit quàm laxet, ob naturam ex pugnantibus cõpositam facultatibus. Nam solidum cuiusq; corpus tardè permeat, aluumq; sistit: humor uerò, ad excretionē stimulat.

*Lentis & brassicæ decoctum, aluum subducere, ipsas autem substantias, sistere.*

Quare lentis aut brassicæ decoctū, aluū subducit: ipsa uerò corpora, inhibet. Siquidem brassica bis cocta, sunt qui ad uentris cohibitionē utantur.

*Elixa omnia deponere in aqua nõnihil propriæ substantiæ, et vicissim sibi aliquid ab illa accipere.*

Omnibus enim quæ in humore coquuntur usu uenit, ut quiddam ab eius facultate in se deriuent, ac de sua uicissim portionem aliquam ipsi impartiantur. Quare si aut lentem, aut brassicam, aut aliquem marinorum piscium, quibus testa pro cute est, decoxeris, ac postea decoctum ipsum oleo, garo, piperéq; conditum, propinaueris cuipiam, uidebis planè potione quidem aluum dilui, esu autē solidi corporis constipari: sicuti & tormina & inflationes oriri, si unà cum ipsorū iure, solidū etiam corpus sumatur.

*Tormina fieri, eduliorum contrarijs facultatibus inter se pugnantibus.*

Sic nanq; pugna quædã inter utrũq; fit, cùm solidum quidem corpus hæreat subinde, succus autem ad excretionem properet. At cùm nõnullis quidem uenter ad egerendum sit natura propensus, alijs autem difficilis, utriq; pro sua natura symptomatis quæ ab huiusmodi cibis fiunt,

*Pituitosi humoris quadruplex differentia.*

*Biliosi humoris discrimina.*

afficiuntur, quum uenter alius succi, alius solidi corporis facultati opituletur. Interdum etiam pituitosum in uentre humorem, interdum biliosum aceruari contingit. Atque ipsius pituitosi, alius quidem est acidus, alius salsus, alius dulcis, alius denique sensibilis qualitatis expers. Rursus alius est liquidus, alius crassus, alius uiscidus, alius dissipatu difficilis. Humoris etiam biliosi, alius est flauus, alius pallidus: in quorum utroq; maximũ est, pro maioris minorisq; ratione, discrimen. Singuli igitur memorati humores, cùm aut ad alui excretionem, aut eiusdem cohibitionem plurimum habeant momenti, postquàm in ęgra ciborum memoratorum corpora cum suis succis in uentrem peruenerint, ijs quidem qui eiusdem secum sunt facultatis, ferunt suppetias.

*Alimentorũ celer tardusq; descensus, à quib. proficisci occasionibus possit.*

*Olera quæ ob lentorem descendunt facile.*

Alimenta ergo citi tardiue transitus esse comperiuntur, aliàs ob naturalem nostrã ab initio constitutionem, aliàs ob uentris dispositionẽ acquisititiam, nõnunquam ob peculiarem esculentorum ac potulentorum substantiam. Siquidem atriplex, blitum, malua, cucurbita, quia sunt lenta & perhumida, alijs quæ talia non sunt, celerius subsidunt, in ijs potissimum, qui sumptis illis, leuiter in pauimento obambulant. Eodem in genere aliquis ponere possit, mora, dulcia cerasia, & ex uuis quæ dulcia simul sunt atq; crassa. Pepones quoque & melopepones, quòd humidi sint ac lenti, uentri sunt subducendo idonei, facultatemq; mediocriter abstergẽdi habẽt, ideoq; inter ea quæ urinam mouent, connumerantur.

*Fructus subducendæ aluo idonei.*

*Peponibus, melopeponibúsque uim inesse diureticam.*

Ex numero etiam humidorum atq; aquosorum corporum sunt & illa quæ præcoccia, & Persica uocant: & omnino quæ nullam gustantibus aut olfacientibus qualitatẽ repræsentant. Quæ quidem si uenter sit ad dejciendum procliuis, non ægrè subsident: sin minus, hærent & ipsa sublimia, medium quodammodò inter aluum sistentia, & prorirantia, locum sortita. At melicratum, in quibus celeriter distribui anticipat, nihil aluo ad excretionem confert: quinimò cibis secum commistis, ad distributionem præit. Quòd si distribui celeriter non anteuertat, excretionem, non secus ac flaua bilis, sua acrimonia & mordacitate proritat. Atque horum cibariorum potionumq; genus, duntaxat mordicatione sua uentris partes ad expulsionẽ exuscitat.

*Melicratũ quãdo excretionem excitet.*

*Aliment. medicamentosa.*

Alia autem sunt, quæ uentrem subducunt, quòd facultates in se medicamentosas habeant commistas: ac proinde horum substantia ex cibo pharmacoq; conflatur. Porrò quæ medij temperamenti sunt, nullaq; uincenti qualitate prædita, ea solùm sunt alimenta, non etiam medicamenta, quum nullam aliam dispositionẽm in animantis corpore ingenerent, sed quale animalis, quod nutritur, corpus assumpserant, tale prorsus conseruent.

*Alimenta tantum.*

*Temperata corpora, tẽperatu alimẽtu seruanda esse.*

*Intemperata corpora, reducẽda ad mediocritat m/. ut. per alimẽta quæ cõtrariam illis intẽperiẽ sortiũtur*

Cæterùm si hominis quidem corpus medij planè temperamenti sit, per alimenta medij temperamenti eo in statu seruabitur. Sin autem frigidius, calidiúsue, aut siccius, aut humidius id fuerit, medij temperamenti cibum & potum perperàm exhibueris. Quippe huiuscemodi corpus, quatenus ab exactè media constitutione recessit, eatenus in diuersum statum traducatur oportet; idq; per præsentis intemperantiæ contraria, in eodem gradu adhibita. Quare ad præsentem speculationẽ summè necessarium esse uidetur, hominum pariter ac ciborum temperamenta considerasse, ut cognoscamus quænam quibus sint adhibenda.

*Temperamenta hominum & ciborum esse consideranda.*

*Mel calidis & siccis naturis esse aduersissimũ, humidis autem & frigidis, maximè ex usu.*

Etenim mel, uerbi gratia, calidis & siccis naturis est aduersissimum: frigidis uerò ac humidis utilissimum, siue ea temperies sit eis naturalis, siue accesserit propter ætatem, siue propter regionem, aut anni tempus, aut uitæ conditionem.

*Alimentorũ secundas qualitates etiã esse explorandas.*

*Saporum cõmercium quod uideat.*

Neque uerò satis est principalissimam cuiusque cibi temperiem nouisse, sed qualitates etiam quæ hanc sequuntur, callere oportet: quarum multæ quidem in saporibus, quædam in odoribus uidentur consistere: quandoquidem cibi ipsi eandem cum ijs medicamentis obtinent facultatem, quibus cum sapore conueniunt. Cæterùm in commentarijs de medicamentis causam explicuimus, quamobrem astringentia quædam non eadem cum alijs astringentibus agant, ut aloë, æs ustum, atramentum sutorium, flos æris, squammaq;, & chalcitis. Siquidem quòd in quoque istorum, astringenti facultati alia quæpiam sit mista, euenit ut opera quæ sigillatim edunt, sint diuersa, perinde ac si mâlo cydonio scammoniam intus infeueris: quod interdum utique facimus, partes mali quę circum semen sunt, exculpentes, deinde cauitatem scammonio replentes, ac postea luto* circumlinentes, assantesq;, atque ita mâlum mandendum dantes. Quod nanq; hunc in modum præparatum est, absque stomachi subuersione aluum subducit.

*Cydonij mâli cum scammonio præparatio, ad soluendũ aluũ.*

*Astringẽtis qualitatis opera.*

Quare minimè dubitandum est, quin saporum facultates, actionem suam quam à natura habent, efficiant. Porrò in quo qualitas inest astringens, ipsa quantum in seipsa est, uicina corpora cogit, constringit, refrigerat. Idem tamen corpus nonnunquam alias sui partes calefacientes, alias refrigerantes habere potest.

*Edulium soluẽda aluo, quomodo ex beta et lente paretur.*

Nos autem ex beta & lente cum sale & garo interdum edulium paramus, alui soluendæ gratia. Sin minus uelis subducere, ubi lentem excorticatam bis coxeris (nempe aqua priore effusa) ac dein portiunculam gari atque salis indideris, tantum aceti injcito, quantum gustum minimè offendat. Ita enim pharmacum iucundissimum utilissimumq; reddideris, & cibum non paucis eorum qui diuturna cõflictantur diarrhœa.

*Affectuũ cognitio existit remediorũ materia.*

*Libros esse monumenta quædam eruditorum.*

*Artifex nemo ex libris euasit.*

*Doctrina illa est optima, quæ uiua voce explicatur.*

Cæterùm affectuum cognitio, existit remediorum materia, non autem remedia ipsa: de quorum facultatibus differere in hisce commentarijs est animus: quanquam libri solent esse monumenta quædam eruditorum, non rudium & indoctorum perfecta doctrina. Neq; enim quisquam ex libro nauclerus, aut artifex alterius artis euasit. Ac proinde rectè illud uulgò dici uidetur, optimam esse doctrinam, quæ uiua uoce traditur.

## De Tritico.

*Tritici differentiæ.*

PLVRIMVM exigua mole habet redditq; alimenti id triticum, quod densum est, dentibusq; uix diuidi potest. Quod huic contrarium existit, magna mole exiguum alimentum largitur. Est autem quod densum est, laxo longè grauius & põderosius, coloreq; magis flauescens. Porrò furfu-

*Furfuracei panes & parum alere, & ventrem multis excrementis implere, ob idq́; subduci facilè.*

*Furfur nōnihil facultatis deterioris sortiri.*

*Panes qui tardissimè deijciantur.*

furfuracei panes parum quidem alunt, uentrem uerò multis excrementis implent, ob eamq́; causam facilè etiam descendunt. Ad hæc, quòd furfur nonnihil facultatis deterioriæ sortiatur, meritò intestinis exasperatis, celeris eorum fit deiectio. Iis autem cōtrarij sunt panes purissimi, plurimum ponderis exigua mole habentes: qui omnium tardissimè deijciūtur: quare copiosiori fermento egent quàm furfuracei, subactioneq́; longiori: nec statim post ipsam assari postulāt. Iidem assationem diuturniorem, quàm furfuracei, requirunt. Est autem & alia panum species inter hos planè media, quos αὐτοπύρους & συγκομιστούς, hoc est, miscellancos ex farina & furfure, appellant.

*Miscellanei panes.*

*Siligineus panis plurimū alimēti præstat.*

*Similaceus panis ut nutriat.*

*Furfuraceus panis omnium minimum nutrit.*

*Panes concoctu facillimi.*

At uerò purissimus panis apud Romanos, siligineus dicitur: quemadmodum qui huic est proximus, similaceus. Inter panes igitur siligineus plurimum alimenti præstat: post ipsum similaceus: tertio loco medius, qui & miscellaneus dicitur: post hunc, sordidorum est quartum genus: in quibus furfuraceus postremus est, minimumq́; omniū nutrit, sed omniū maximè per aluum * descendit. Concoctu autem sunt inter panes facillimi, qui plurimū sunt fermentati, probeq́; subacti, quiq́; in clibano igne moderato fuerint assati.

*Panis athletæ commodus.*

*Panis seni aptus*

*Panes azymos esse nemini commodos.*

*Azymo panis usu, qui aliquid casei receperit, promptè omnes lædi.*

*Alexādrini fossores, camelinis vescuntur carnibus.*

Iam ex panibus is athletæ quidem est cōmodus, qui neq; est bellissimè assatus, neque multum fermenti recepit: priuato autem & seni, qui in clibano probè coctus cùm sit, habet etiam fermenti multū. At qui omnino caret fermento, prorsus nemini est cōmodus. Quòd si casei etiā aliquid illi addatur (sic enim rustici apud nos festis diebus panes quos uocant azymos conficere solent) eius usu promptè omnes læduntur, etiam si fortissimo sint corporis habitu: cuiusmodi sunt messorum ac fossorum robustissimi, qui in Alexandria, asinina & camelina uescuntur carne, ob idq́; grauissimis cruditatis morbis tentantur, atq; ante senectam intereunt.

*Somnos profundiores plurimū conferre ad coctionem.*

*Athletarū crassam plenāq; victus rationē, ijs qui non exercentur esse periculosam.*

*Puris à crudo humore discernendi ratio.*

*Panis coquendi forma qua præstantiores habeantur.*

*Panes subcinerītij, pessimi.*

Quòd autem eorum pleriq;, qui se confecerunt laboribus, minus à prauis cibis lædantur, in causa est, quòd ijs somni sint profundiores: quæ res ad coctiones multum ipsis adfert momenti. Athletæ uerò alimentis utuntur crassi & uiscidi succi, & quæ per exercitia improba, nō facilè aut computrescant, aut in uapores soluantur. Quibus cibis si priuatus aliquis, aut ab exercitijs alienus uti uoluerit, celerrimè in plenitudinis morbum incidet, copiam crudi & crassi succi coaceruans: qualis est ille humor qui in urinis subsidet, puri quandoque assimilis: nisi quòd pus & graucolens est, & leutum, crudus uerò succus non item. Inter panes rursus, optimi sunt clibanitæ: his proximi, qui assantur in furno minori. At qui super craticulam, aut cineres calidos, aut foci pauimentū, ceu in clibano, assantur, praui omnes sunt, ut qui se inæqualiter habeant. Omnium autem pessimi sunt, quantū ad modum assandi pertinet, quos eò subcinerītios nuncupant, quòd cineribus tecti assentur.

De Placenta, quam τηγανίτην appellant.

*τηγανίτης aluū sistit, & crudorū humorum est generatrix.*

Qvae placenta ex farina triticea læuigata sufficienti aquæ portione, atque oleo intra sartaginem fricta, conficitur, appellaturq́; τηγανίτης ab Atticis, ea quidem cohibet uentrem, & crudorum succorum est generatrix. Quapropter & à quibusdam mellis quippiam ei admiscetur. Sunt qui & salem marinum misceant.

De Itriorum compositione.

*Itriorum cōpositiones, & noxa.*

Dvplex autem est Itriorum species: præstantior quidem, quam rhyemata: deterior, quā lachana appellant. Quæ sanè ex his ac similagine componuntur, crassi sunt succi, & tardè subsident, iecorisq́; obstruunt meatus: ad hæc lienis imbecillitatem augent, calculosq́; in renibus gignunt. Quòd si cocta bellè fuerint, atque mutata in sanguinem, admodum nutrient. Quæ uerò cum melle parantur, mistam possident facultatem. Quanquam in ijs qui obstructionis principium habent, aut inflammatione, aut scirrho sunt aliquo obsessi, nihil minus quàm illa nocent: nonnunq̄ etiam grauius.

*Panis saluberrimus homini nec iuueni, nec exercitiis dedito, qualis nam esse debeat.*

Vt autem de pane sermonem repetam, is saluberrimus est homini neq; iuueni, neq; exercitationibus dedito, qui tum salis, tum fermenti habet plurimum, maximeq́; fuerit, antequàm assetur, subactus. Modus autem fermenti & salis sit is, qui gustui sensum tristem non inferat.

De Pane loto.

*Panis lotus nutrit minus, omniumq́; minimè obstruit.*

*Panis loti substantia.*

*Pultem ex lacte & farina, hepatis obstructiones & renum calculos gignere.*

Qvi panis abluendi rationem excogitarūt, minoris sanè alimenti cibum, sed qui ab obstructionis noxa absit, quoad licet, longissimè, inuenerunt. Siquidem panis hic, succum crassum & lentum habet minimum, ut qui ex terrestri aëreus sit factus. Cæterū id edulium quod ex multa triticea farina lacti permista constat, tametsi boni succi & multi alimenti sit, ex ijs tamen est, quæ ob assiduum usum, hepatis obstructiones, & calculos renū procreant: ad hoc etiam conferente renum temperamento acri simul & igneo.

De Alica, siue Chondro.

*Alica.*

*Chondri usus quibus debet esse suspectus.*

Alica ex genere est tritici, & ualenter nutrit, succumq́; lentum habet. Proinde huius usum multum uitare conuenit, idq́; potissimum quibus iecur facilè obstruitur, aut renes calculis gignendis sunt prompti. Quòd autem ad sorbitiones alicæ pertinet, oportet succum eius (qui sanè magnam cōcoctionem desiderat) tum multæ aquæ admixtum super carbones coquere, plurimum mouendo, quoad exactè percoctus fuerit: tum uerò salis quippiā etiam inijcere, oleūq́; in principio, si placeat.

*Alicæ sorbitio quibus sit propinanda.*

Quòd si quando sani ob uehementem uentris mordicationem, aut biliosi humoris & multi transitum, sorbitione eguerint, ijs alicam plurimum coctam, donec extabuerit, ac dein colatam propina.

De Tritico elixo.

*Tritici elixi incōmoda.*

*Alui facilitas in cruditatibus unicum est remedium.*

Elixvm triticum uentrem, ceu pondus maximum, premit, nauseam ciborum inducit, flatus generat, dolorem capitis, caliginemq́; oculorum conciliat, ac deniq; immodicè sistit aluum: cuius facilitas, unicum in cruditatibus est remedium. Nutrit tamen ualidè corpus: & robur insigne ijs, qui ipso usi fuerint, comparat.

De Amylo, hoc est, farina citra molam ex tritico facta.

*Amyli facultas.*

Amylvm ex tritico fit, partes exasperatas læuigandi uim obtinens: lotisq́; panibus similem facultatem sortitus. Nam ut illi, minus

*Panes calfacere.*

quàm panes non loti, corpori alimentū præbet: & non calefacit, cùm cæteri panes calefaciant.

### De Hordeo.

*Hordeum refrigerat.* *Hordeū quomodo à tritico differat.*

HORDEVM, quoquomodo ipso utaris, uim quandam habere refrigerandi cernitur: qua quidem ratione à tritico differt, necnon quòd triticum sanè crassum & lentum humorem gignat, hordeum autem, & tenuem, & detersorium nōnihil. Cæterū polenta quæ ex frixo hordeo conficitur, siccare conspicuè cernitur: quum tamen ipsa ptisana humectet, ubi plurimum intumuerit coctione longa, tandemq; in chylum degenerauerit. Acetum autem tunc ei admiscetur, cùm planè intumuerit: cùm uerò cocta fuerit exactè, sub edendi tempus salem tenuem iniicere oportet. Oleum etiam, si in principio statim inieceris, coctioni nihil nocueris. Porrò hordeum ex quo conficienda est ptisana, aliquandiu in aqua præmacerandum est, postea uerò in mortarium coniectum, usque eò terendum est re aliqua aspera, dum is qui in superficie est cortex, abiectus sit. Quòd si non quicquid est paleaceum deciderit, elixa ptisana magis quidem deterget, nullam autem aliam noxam accipiet. Sic præparatæ ipsius ptisanæ lentor, læuis, continuus, blandus, lubricus, & moderatè humidus est: sitimq; arcet, ad abluendumq; idoneus, nec astrictionem habet, nec tormina gignit, nec deniq; in uentre exturgescit, cùm intumuerit inter coquendum, quantum intumescere poterat.

*Ptisana humectat.* *Ptisanæ conficiendæ ratio.* *Ptisanam deterget magis, ubi ex hordeo non planè decorticato cōfecta fuerit.* *Ptisana magnifica cōmēdatio.*

### De panibus hordeaceis.

*Hordeacei panes nutriūt multò minus triticeis, magisq; subducuntur per aluum.* *Hordeū laudatissimū quale.* *Rugosa semina, deteriora esse.* *Seminib. quando utendum.* *Semina quadiu fuerint reposita, eo vires habeant imbecilliores.*

HORDEACEI panes (quorum similes sunt differētiæ illis quas de triticeis tradidimus) multò minus triticeis alunt, magisq; subducuntur per aluum, & potissimum si facti ex peiori hordeo fuerint. Laudatissimū autem est hordeum quod candidum, ubi pinsitum est, apparet, nonnihilq; habet densitatis & pōderis. Porrò quod totum plenum est, & circunscriptionem externam habet tensam, melius eo est, quod gracile est & rugosum: id quod seminum omnium tibi sit indicium cōmune. Cæterùm non debes uti seminibus statim post collectionem, sed ubi ea in locis reposueris, diu ab eis abstinere, quò interea pars quidem humoris superflui exhalet, pars autem etiam coquatur. Defluit enim à plantis, fructibus, & seminibus, postquàm collecta & reposita fuerint, primū quidem quicquid in ipsis aquosum est, ac tenue: pòst autem, & nonnihil humidi naturalis. Quare quæ diutissimè fuerunt reposita, uires habent imbecilliores. Verū huius terminus sit, cùm ab ipsis diuisis puluis quidam tenuis excidit.

### De Polenta.

*Polenta epota cum vino austero, ventrem siccare.* *Polenta quibus plurimū alimēti largiatur.*

EX RECENTI hordeo mediocriter frixo laudatissima fit polenta. Quum autem polenta omnis quæ rectè est facta, boni sit odoris, ea est suaueolentissima, quæ ex optimo ac recenti hordeo, & quod aristam non admodum habeat siccam, confecta est. Quæ quidem si cum uino austero fuerit epota, uentrem desiccat. In uniuersum autem, priuatis quidem & in ocio degentibus, plurimum alimenti largitur: iis uerò qui quoquomodo exercentur, minus quàm quòd sit satis.

### De Maza.

AT maza (quæ ex polenta frixa conficitur) tantùm in alendo corpore, à panibus hordeaceis, quantùm hi à triticeis, relinquitur. Quippe cùm hordeum initio suapte natura furfurem haberet nō paucum, uel ex se ad concoctionem ineptum, frixum iam, cum ipsum habebit tum sicciorem, tum fractu & comminutu difficiliorem: sicuti & cremorem illum ex quo corpus alimentū sumebat, similiter aridiorem. Quo fit ut maza panibus hordeaceis, ægrius coquatur, magisq; uentriculum flatu impleat: in quo etiam si diutius manserit, turbationem excitat. Citius autem subducitur, si cōmista diutius, atque subacta fuerit. Quòd si mel quoq; addatur, citius etiam ob id uentrem excitabit ad excretionem. Porrò ptisana detersoria & incisoria est: quod in cute nostra indicat, ipsius sordes eluens. Iam si paulò pòst, quàm ipsam cuipiam sorbendam dederis, uomere ipsum compuleris, pituitam quæ in uentriculo continebatur, deterget, & omnia uomitu simul cum ea eiicier.

*Maza ægrius coquitur panibus hordeaceis, flatuq; magis ventriculū implet.* *Ptisana facultas.*

### De Zea, Typha, & Olyra.

*Spelta.* *Zea media inter hordeum & triticum.* *Olyra.* *Typha.* *Tragus quomodo præparetur.*

ZEA (quam uulgò speltam uocāt) nutrit quidem hordeo ualentius, at impotentius tritico: ac proinde mediam inter triticum & hordeum naturam possidet. Olyra eiusdem cum Zea est generis. Quæ quidem si bona sit, panes ex ea confecti, post triticeos saltem sunt præstantissimi. Secundi ab his sunt qui ex typha parantur. Ex nobilissima autem olyra, ut decet, excorticata, sunt qui nominatū tragum conficiant: quo plerique utuntur, primū in aqua coquentes, deinde ea effusa infundentes sapam, aut uinū dulce, aut mulsum, quibus postea superiniiciunt & pineas nuces aqua præmaceratas, donec plurimū intumuerint. Quod uerò ad colorem natiuū pertinet, in hordeo quidem & olyra est albus, in tritico & zea subflauus. At typha flauior tritico existit. In uniuersum autē, quæ semina parua mole multā reddunt substantiam, eamq; crassam & uiscidam, optimi succi sunt, ac multi alimenti: nō tamen facilè per aluum secedunt. Quæ uerò his sunt contraria, mollem quidem ac laxam habent substantiam: partes autem ipsorum furfureæ, citius quidem subducuntur, sed alunt minus. In iis ipsis, quæ graueolentia sunt, & gustum quendam habent iniucundum, perspicuum est quòd omnia & praui sunt succi, & difficilia concoctu.

*Semina optimi succi & multi alimēti sunt, quæ parua mole multā reddūt substantiam.* *Semina praui succi quæ.*

### De Auena, quæ Bromus dicitur.

*Bromus.* *Auena est admodum calida.*

AVENA, iumentorū, non hominū, est alimentum, nisi eos extrema fames illa nutriri compellat. Est autem admodum calida, minusq; nutrit quàm typha: & panis inde confectus, insuauis existit, non tamen aluum aut sistit, aut proritat, sed, quod ad id saltem pertinet, medium locum obtinet.

### De Milio & Panico.

*Panicum.* *Milium ad omnia est panico præstantius.*

PANIS qui ex milio fit & panico, exigui est alimenti, & frigidus: ac præter id, tum præaridus, tum friabilis, cùm nihil in sese habeat nec lentoris, nec pinguitudinis. Quare aluum humentem desiccat. Porrò milium ad omnia est panico præstantius, suauiusq; editur: ad hæc cōcoquitur facilè, uentrem minus sistit, ac magis nutrit.

De

## DE LEGVMINIBVS, HOC EST, SEMINIBVS CEREALIBVS, EX quibus panis non fit: ac primùm de Oryza.

*Oryza omnes ad sistendam aluum utuntur.*

ORyza omnes ad sistendam aluum utũtur: q̃d semen difficilius quàm alica concoquitur, ac minus alit, illa insuauior existens.

### De Lentibus.

*Lentis substantia. Lentis succus.*

SVBSTANTIA lentis crassa, terrea, austera & astringens existit. Succus autem qualitatẽ astringenti contrariam posside t. Quare decoctũ ipsarum sale, garo, aut oleo etiam conditum, aluum deijcit. Cæterũ lens bis cocta supprimit alui profluuia: stomachum, intestina, & totum denique uentrẽ corroborat. Lens porrò decorticata magis nutrit quàm quæ cortice spoliata nõ est: succum tamen crassum & prauum gignit, nec sic alui profluuia desiccat. Iure igitur qui largius hoc edulio utuntur, elephantiasim & cancros incurrunt: ijsq; tantùm qui laborant cachexia, utiliter talis cibus præbetur. Qui quidem integrũ & inculpatũ uisum hebetat, ipsum immoderatè exiccans: ei uerò qui contrario modo se habet, confert: retinetq; muliebria profluuia. Cùm autem ptisana, in eo saltem, contrariam ipsi facultatem possideat, ex amborum mistione præstantissimũ edulium conficitur, idq; minori portione ipsius ptisanæ iniecta, necnon satureia, aut pulegio addito. In summa uerò, lens aduersat ijs, qui crasso melancholicoq; succo redundant. Cæterũ in ipsa uictus ratione, temporum ratio est habenda, sicuti & regionum, & anni temporum. Etenim autumno melancholicis ac siccantibus cibis abstinere, hyeme autem uti oportet: quemadmodum æstate humectantibus simul & refrigerantibus. At uere, quòd medij temperamenti sit, mediæ facultatis cibi sunt dandi.

*Lens bis cocta uentrem fluentem supprimit, corroboratq;.*

*Lens, si quis ea largius utatur, elephantiasim & cancros induit.*

*Lens uisum inculpatũ hebetat.*

*Lens ptisanæ immista, optimum edulium euadit.*

*Lens aduersatur ijs qui crasso melancholicoq; redundant succo.*

*Temporibus singulis quales cibi conueniant.*

*Ver, medij temperamenti existere.*

### De Fabis.

*Fabaceus cibus est flatulentus.*

*Flatum à cibis dimunt per calfacientia et tenuantia.*

*Fabarum substantia.*

*Fabacea farina lentes faciei exterit.*

*Legumina omnia frixa redduntur concoctu difficiliora.*

CIBVS qui ex fabis conficitur flatulentus est, etiam si coquatur diutissimè: id quod sentientes nonnulli, cepas ipsis adijciunt: cùm quicquid flatulentum cibarijs inest, corrigatur per calefacientia & tenuantia. Habent autem fabæ substantiam non densam nec grauem, sed fungosam ac leuem, quæ uim quandam detergendi possidet. Quare fabacea farina mulieres faciem deungũt: tollit enim lentes quæ in facie apparẽt: ob quam sanè facultatem, uentrem non cunctanter fabæ ipsæ permeant. Porrò si frixæ fuerint, sicuti & legumina omnia, flatum quidem deponunt, sed concoctu sunt difficillimæ, tardèq; prætereunt, & crassi succi alimentũ exhibent. Quæ fabæ si uirides quidem collectæ sunt, postea uerò assiccatæ, ut minus nutriũt, sic deijciuntur promptius.

### De Faba Aegyptia.

FABA Aegyptia ut magnitudine, sic insita humiditate, quàm nostra, est longè superior, magisq; etiam excrementitia.

### De Pisis.

*Pisa ægrius deijciuntur quàm faba.*

PISA tota substantia cum fabis sunt consimilia, eodemq; modo sumuntur: non sunt tamen flatulenta usqueadeo, nec sortiuntur uim detergendi, ideoq; magis in aluo morantur.

### De Ciceribus.

*Cicer prouocat uenerem.*

*Cicera nigra, calculos renum frangunt.*

CICER edulium est non minus flatulentum quàm faba: sed ualentius nutrit illa. Ad uenerem autem incitat, creditumq; etiam est semen gignere. Abstergit præterea cicer magis quàm faba: sic ut nigra & exigua cicera manifestè calculos renum, uel hærentes, cõminuant. Satius tamen est succum ipsorum in aqua coctum ebibere.

### De Lupinis.

*Lupinus est concoctu difficilis, crassumq; succũ producit.*

*Lupinus alimẽtum copiosum, perdurabileque largitur.*

ELIXVS lupinus, ac deinde maceratus in aqua dulci, donec omnẽ insuauitatem exuerit, sic demum manditur cum garo & oxygaro, uel solùm cum sale mediocri conditus. Lupini porrò substantia, dura & terrestris existit: quocirca ipse concoctu difficilis sit, succumq; crassum gignat, est necessarium. Ex quo nõ probè in uenis confecto, crudus propriè appellatus succus colligitur. Quare lupinus ipse tardè ac difficulter descendit. In uniuersum autem, ut ea quæ humidiora sunt consistentia, exiguum corpori dant alimentum, & quod celeriter in halitus digeratur, sic dura & terrestria (è quorum numero lupinus existit) perdurabile, copiosum, & quod ægrè absumatur, largiuntur.

### De Fœnogræco, quod τῆλις dicitur.

*τῆλις.*

*Fœnum græcum calfacit, lenit, atq; dolorẽ mitigat, facultatem etiam possidens abstergentem.*

*Fœnigræci succum auxiliari diuturnis thoracis affectibus.*

INTER manifestè calefacientia hoc semen censetur, eundemq; hominibus in cibo usum præstat, quem lupini. Præsumitur autem ipsum cum garo, alui subducendæ gratia. Caput, si sumatur copiosius, ferit. Succus elixi fœnigræci sumptus ex melle, ad omnes prauos humores, qui in intestinis habentur, subducendos est commodus: suo quidem lentore, leniens: calore autem, dolorem mitigans. Quòd autem abstersoriæ qualitatis quoq; sit particeps, intestina etiam ad excretionẽ instigat. Sed parcius mel ei est miscendum, ne mordacitas ipsa exuperet. In diuturnis uerò thoracis citra febrim affectibus, pingues cum eo quidem palmulas elixare oportet: ubi autẽ succum ipsum expressum copioso melli miscueris, ac rursum super carbones ad mediocrem crassitiem coxeris, tum demum longè ante cibum eo uti præstat.

### De Phaselis & Eruiala.

*Phaselorũ & eruiala facultas.*

HAEC quoque semina homines, quo modo & fœnumgræcũ, prius in aqua, quoad radicem produxerint, macerãtes, uentris subducendi gratia mandunt ante alios cibos, garo intingentes. Succum autem, cùm coctus est, atque in corpus distributus, habent copiosioris alimenti, quàm fœnumgræcum. Inter ea tamen quæ succum bonum ac prauum generant, inter concoctu facilia & difficilia, tardè & celeriter transeuntia, flatulenta & flatus expertia, multũ ac parum nutrientia, medium sibi uendicant locum.

### De Cicercula.

*Cicerculæ uis.*

SVCCVM habet phaselis & eruialis facultate quodammodo similem, sed cõsistentia crassiorem: ob eamq; ipsam causam, plus aliquantulo, quàm illa, nutrit.

### De Aracis.

*Aracorum facultas.*

SEMEN hoc & usu & facultate semini cicerculæ est simile, nisi quòd durius est, ægriusq; elixatur, ac proinde in uentre difficilius concoquitur.

### De Dolichis, siue Smilace hortensi.

*Dolichus, siue smilax hortẽsis.*

QVEMADMODVM frumẽtacea semina spicis, ita memorata legumina siliquis cõtinentur, similiterq; ipsos dolichos siliquæ continent: qui quidem minus sunt flatulenti quàm pisa, necnõ affluentius nutriunt, ac celerius etiam descendunt. Cæterùm integros ipsos atq; etiamnum uirides unà cum suis siliquis, ex oleo & garo, ut plurimum homines mandunt. Nonnulli etiam uinum adijciunt. Sed eos, nisi prius reficcentur, non repotiunt, propter copiosiorem humiditatem, cuius occasione solent corrumpi. In summa uerò, dolichus uidetur species esse illius plantæ, quam hodie phaseolum appellant.

*Dolichus uidetur esse species phaseoli.*

### De Orobo siue Eruo.

*Eruum.*
*Orobus praui est succi.*
*Orobi expurgãt pectus.*
*Orobi duplices.*

ERVVM insuauissimum est, & praui succi: quare homines ab eo, nisi in summa fame, abstinent. Vtimur autem orobis ipsis cum melle, ceu medicamentis humores crassos thoracis pulmonisq; expurgãtibus. Porrò inter orobos, albi minus sunt medicamentosi ijs, qui ad flauitiem, aut pallorem recedunt. Bis cocti, insuauitatem, ac simul detergendi incidendiq; uim amittunt, ac sic citra insignẽ amarorẽ desiccandi uim possident.

### De Sesamo & Erysimo.

SASAMI semen pingue est, ideoq; repositum, celerrimè fit oleosum. Quamobrem eos qui ipso uescuntur, celeriter implet, stomachumq; subuertit, ut pinguia omnia, ac tardè concoquitur, pingueq; corpori alimentum præbet. Est autem crassi succi: ideoq; non properè peruadit. Cæterùm ipso solo nõ usqueadeo uescuntur, sed cum melle coacto in placentulas. Panibus etiam inspergitur. Erysimum sesamo quodammodo esse affine uidetur, sed eo omnino deterius. Vtrunque tamen temperie est calidum, quamobrem sitim excitant.

*Sesamũ subuertit stomachum.*
*Sesamum crassi est succi.*
*Sesamum cum melle in placentulas cogitur.*
*Erysimum.*
*Sesamũ calfacit*

### De Papaueris semine.

*Papaueris semẽ commodè permiscetur panibus.*
*Papaueris facultates insignes.*

SATIVI papaueris semen, panibus utiliter ceu condimentum inspergitur: est tamen album nigro præstantius. Refrigerandi autem possidet facultatem, ideoq; somniferum est. Quòd si sumptum liberalius fuerit, soporem etiam inducit, atq; coquitur ægrè. Inhibet præterea quæ ex pulmone ac thorace tussi expuuntur. Confert uerò ijs qui catarrhis fluxu tenui à capite defluentibus infestantur: corpori autem multùm cõmemorabile alimentum præstat.

### De Lini semine, quod Linospermon uocant.

*Linospermon.*
*Lini semen modicè vrinam mouet.*

STOMACHO noxium est, & coctu difficile, exiguumq; alimentum corpori exhibet: modicam tamen mouendæ urinæ possidet facultatẽ: quæ magis apparet, cùm frixum sumitur. Tunc autem magis quoq; aluum sistit.

### De Ormino, uulgò Gallitricho appellato.

*Orminum.*
*Gallitrichum.*

PARVM in seipso habet alimẽti, ut q̃d mediæ inter erysimum & cuminum naturæ existat.

### De Cannabis semine.

*Cannabis semẽ calidum est, caputq; ferit.*

HOC semen concoctu est difficile, stomachoq; & capiti nocet, ac breuiter prauum succum producit. Multùm autem calefacit, ideoq; sumptum paulò largius, caput ferit, uaporem suũ ad ipsum mittens, calidum simul & medicamentosum.

### De Viticis, siue Agni casti semine.

*Vitex.*

ID SEMEN etiam per se frixum manditur, crediturq; appetitus inhibere uenereos. Alimentum autem corpori præbet exiguũ, idq; siccans refrigeransq;. Flatus autem ualde dissipat: quorum omnium occasione, ijs qui à uenere puros se seruare conantur, est accommodum.

*Agni casti semẽ flatus discutit, quo nomine arcet venerem.*

### De Aphace & Vicia.

*Aphace.*
*Vicia.*

HAEC legumina non insuauia modò, sed concoctu etiã sunt difficilia, aluumq; inhibent: quare alimentum haud boni succi, sed crassum, atq; ad humorem melancholicum gignendum, idoneum exhibent.

### De seminibus alienigenis, quæ in quoq; genere permista reperiuntur.

*Lolium.*
*Aegilops.*
*Aracum.*
*Securinum.*
*Aparine.*
*Melampyrum.*

IN tritico quidem frequens lolium reperitur: in hordeis etiam, sed paucum. Quam autem ægilopem uocant, ea in hordeis frequens inuenitur: sicuti in lente atacum, & securinum, & planta illa, quam aparinem dicunt, quæ ipsam lentem strangulat. Melampyrum autem nuncupatum ex tritici quoque mutatione gignitur, sed prauitate quamplurimum à lolio relinquitur. Non igitur oportet nos in purgandis seminibus, quæ ad esum comparantur, esse negligentes: persuasos, etiam si noxam quæ quotidie fit, ob exiguitatem sensu non percipimus, quod tamen longo tempore ex ipsa aceruatur, tandem erupturum.

*Semina quibus vescimur, esse diligenter purganda.*

## GALENI PERGAMENI
## *de alimentorum facultate, liber secundus.*

*Fructuum semina.*

OMnia edulia, quæ primo libro fuerunt commemorata, plantarum erant semina, exiguum quiddam à fructibus discrepantia: nũc uerò de fructibus agere instituo, in quorum uisceribus reperiuntur & alia semina, quæ ab ipsis fructibus maximè dissident: cuiusmodi sunt quæ in ficubus, uuarum acinis, piris, ac denique alijs plantarum fructibus, ut cucurbitis, peponibus & melopeponibus, licet cernere semina. Cæterùm in fabis, lupinis, dolichis, lente, & alijs id genus seminibus, quæ siliquis obuoluuntur, quod quidem ex siliqua semineq; est cõpositum, ipse fructus existit. Plurima tamen substantiæ pars in seminibus inest. Porrò aliorum propèmodum omnium, quæ primo memorauimus libro, semen duntaxat manditur: solius autem dolichi, dum adhuc uirescit, fructus integer editur. Vnde ueterum nonnullos arbitror sub phaseolorum nomine dolichos comprehendisse.

*Dolichos edi simul cũ siliquis.*

### De fructibus fugacibus, quos Græci ὡραῖα nuncupant.

*Hora quod tempus anni dicatur.*

HORAM anni, Græci id tempus appellant, in cuius medio caniculam exoriri cõtingit. Tempus autem id dierum est quadraginta: quo tempore omnes horarij (quos uocant) fructus, consistunt, ut cucurbitæ, mora, pepones, melopepones, persica, & consimilia. Vocant autem ipsos horarios, quò eos ab ijs qui ad reponendũ idonei sunt, distinguant. Corrumpunt siquidem facilè, nec probè asseruari queũt, quemadmodum

*Horarios fructus corrũpi facilè, ægreq; asseruari posse.*

cerealia

*Cucurbitæ quomodo reponantur in hyemem.*

cerealia omnia. Nonnulli tamen è cucurbitis semen uacuantes, dein earum uelut carnē siccantes, in hyemem reponunt. Porrò quæ corpus habent cōpactum, ea ut permanentē, sic solidam, terream, multiq; nutrimenti substantiam possident. Quę uerò cōsistentia sunt humida, corrumpuntur, exiguumq; habent alimentū, & quod excernatur facilè, potissimū cùm nitrosum quippiam ipsis inest, ac detergendi facultas. Talia sanè deterioris succi esse perhibemus ijs, quæ nullam saporis qualitatem habent sensibilem, quo modo aqua optima nullam habet. Hæc igitur omnia, & ijs multò magis quæ ante exactam maturitatem mandimus, flatulenta quidem sunt, uerùm subducuntur celerius: quemadmodū etiam quæ succum habent tenuem, citius distribuūtur. Sunt autem omnia hæc praui succi, solusq; is utiliter ipsis utetur, qui æstu uehementiore, & longiore itinere sese confecerit: tunc enim iuuant, corporis squalorem humectantia: & si frigida sumantur, moderatè refrigerantia. Etenim humectandi quidem semper habent facultatem: refrigerandi uerò nequaquam, si calida, sic ut dixi affectis, fuerint comesta.

*Aqua optima nullam gustus qualitatem ostendit.*

## De Cucurbita.

CRVDA quidem insuauis est, concoctuq; difficillima: stomachū lædit, nisi uomitione reddatur. Hanc igitur & alia fugaciū pleraq;, aut postq̃ elixa fuerint, aut statim certè, aut in sartagine frixa, aut assa, omnes homines esse consueuerunt. Siquidem cucurbita elixa, prorsus insipida est: quocirca multos apparandi modos admittit, ut quæ in medio omnis excessus consistat, ob idq; ad quemuis excessum ex æquo duci queat: ac proinde illis quibus mista fuerit, assimilaŧ. Iam uerò cucurbita, quantum in se est, humidum frigidumq;, & ob id exiguum corpori alimentum præbet: facilè tamen descendit. Sed neq; coquitur ægrè, si modò prius corrupta non fuerit: id quod interdum ei, ut alijs omnibus humidis, simulac fugacibus accidit, si diutius in uentriculo hæreat. Assa autem uel frixa in sartagine, quamplurimum quidem de propria humiditate deponit. Cæterùm ob aqueam sibi qualitatem innatam, meritò gaudet origano.

*Cucurbita quū sit insipida, multos apparandi modos admittit, condimentisq; illis quibus mista fuerit, assimilatur, humidū tamen frigidumq; alimentum largitur.*

*Fugaces fructus corrumpi, si diu in uētriculo hæserint.*

## De Peponibus.

VNIVERSA Peponum natura frigidior est, cum humiditate copiosa. Habent autē uim quandam abstergendi, cuius beneficio urinam cient, & deorsum expeditius quàm cucurbita, melopeponesq;, permeant. Semen autē potentius quàm ipsorum uelun caro, deterget: adeò ut aduersus renes calculo infestatos conueniat. Succum tamen in corpore gignit uitiosum, idq; potissimū, cùm concoctum probè nō fuerit: quo casu choleræ morbo obnoxios consueuit efficere. Quinetiam priusquàm corruptum fuerit, ad uomitum quoq; est idoneū, pręcipuè si largius sumaŧ.

*Peponum facultas. Vrinam cient.*

*Peponum semen comminuit calculos renum.*

*Vomitum prouocat.*

## De Melopeponibus.

MELOPEPONES minus quàm pepones sunt humidi, nec adeò praui sunt succi. Minus item urinas mouent, tardiusq; deorsum descendunt. Ad uomitum præterea excitandum, non tantum, quantum pepones, habent momenti, nec adeò celeriter in uentriculo corrumpuntur, etsi in iuuando eo, autumnalibus fructibus longè sint inferiores.

*Melopeponum facultas.*

## De Cucumeribus.

VRINAM quidem & ipsi, quomodo pepones, cient, minus tamen quàm illi, quia ipsorum substantia minus humida est, ideoq; non facilè, ut illi, in uentriculo corrumpuntur. Inuenias autem qui ipsos concoquant, ob naturæ cum eis familiaritatem. Siquidem à totius substantiæ proprietate, suus cuiq; animantium generi cibus est familiaris: ut coturnicibus quidem elleborus, sturnis autem cicuta. Cæterùm quibus biliosus humor, aut omnino prauum excrementū quoduis, in uentriculo sæpe congeritur, in ijs quæ natura concoctu facilia sunt, celeriter corrumpuntur. Quòd si quispiam eorum aliquid, quæ cæteris concoctu sunt difficilia, concoxerit, succus tamen qui ex eo in corpus distribuetur, eandem semper retinebit naturam. Quare omnibus praui succi edulijs censeo abstinendum, etiamsi ea quibusdam esse concoctu facilia uideantur.

*Cucumeres mouent urinam.*

*Coturnices uescuntur ellebora. Sturni aluntur cicuta.*

*Bile redundantem uentriculū, corrūpere cibos cōcoctu faciles.*

## De fructibus qui ab arboribus colliguntur.

EX fructibus quibus uescuntur homines, humidi quidem, tenue humidumq; corpori alimentum præbent: quod ob id per corpus celeriter permeat, excerniturq; tum per cutim, tum per urinas. Consistentia autem solidi, ut alimentum copiosius exhibent, sic etiam ad permeandum tardius.

## De Ficubus.

FICVS quanquam prauitatem non potuerunt omnino effugere, facilè tamen totum corpus peruadunt. Nam & abstergendi quoque insignem obtinent facultatem: quo fit, ut post ipsarum esum, nephritici arenulas multas excernant. Nutriunt præterea uberius cæteris autumnalibus fructibus: flatibus tamen hæ quoque implent. At quæ ficus prorsus iam maturuerūt, propémodum nihil omnino lædunt, quomodo nec caricæ, quæ multiplicem quidem præstāt utilitatem: si quis tamen largius eas esitauerit, offendetur ab ipsis, quandoquidem sanguinē non admodum probum gignunt. Quo fit ut ex ipsarum esu pediculorum multitudo proueniat. Habent etiam tenuandi facultatem, & incidendi, qua uentrem quoq; ad excretionem irritant, renesq; expurgant. Cæterùm iecori, lieniq; inflammatione obsessis sunt noxię: quemadmodum & ficus, cōmuni omnium dulcium ciborum ac potuum ratione. Obstructis tamen illis, aut scirrho affectis, ipsę ex sese nihil cōmodant, nec officiūt: sed medicamentis incidentibus, extenuantibus, & abstergentibus mistæ, nō mediocriter iuuant, tum caricæ tum ficus.

*Ficus pellūt arenulas, facultate extergendi præditæ, flatibus tamen implent.*

*Caricas uberius sumptas, pediculorum multitudinem gignere.*

*Caricas, ficusq; aduersari inflā matis uisceribus cōmuni omniū dulciū ratione.*

## De Vuis.

FICVS & uua quemadmodum inter autumnales fructus principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimumq; praui succi habent: laxam tamen carnē ac præhumidam gignunt, ob idq; celeriter flaccescentē. Verùm uuæ minus alunt quàm ficus, maximūq; id ipsis inest cōmodum, quòd descendant uelociter. Quocirca si quādo hæserint, grauiter lædūt, quum id minimè maturis ficubus insit. Etenim

*Vuæ minus alūt quàm ficus, descenduntq; celeriter.*

*Acinorum substantia ex quibus constet.*

*Acinorum seminis astringere, nihilq; mutari in corpore.*

acinorum substantia, composita est ex carne, humore, seminibus, atq; ambiente pellicula. Cæterùm substantia seminis sicca est, & quodammodo astringens, omniaq; intestina peruadit, nihil, quod sensu queat deprehendi, à se mutata: non secus ac in ficubus κεγχραμίδες. Exiguam etiam & tegumentũ acini recipit in uentriculo mutationem. Quare si sola acinorũ caro cum succo sit transglutita, magis aluus laxabitur. Laxatur autem impensius, cùm solus ipse succus expressus

*Mustũ nõnihil ventrẽ flatibus replet, ni pertrãseat velociter.*

(uulgò mustũ appellant) fuerit epotus: qui uentrem, ni pertranseat uelociter, nonnihil flatibus implet. Ex hoc sanè alimenti nõnihil corpori accedit: copiosius tamen ex carnea substantia. Ergo quibus uuis exiguus est succus, eæ magis nutriunt.

*Vuæ quæ nutriãt magis, & quæ deijciantur promptius.*

Quibus uerò uberior, minus quidem nutriunt, sed promptius deijciuntur. Vocãt autem

*Vuæ generosæ quæ sint.*

uuas huiusmodi generosas, quæ humidam quidem substantiam habent exiguam, solidiorẽ autem nõ paucam.

*Vuas asseruandi, industria diuersa.*

Quas quidem reponentes, eas in mustum conijciunt, aut impletas eis nouas ollas, sic in uinaceis, hoc est, in uuarum reliquijs, recondunt, ut ne minimam quidem habeant respirationem.

*Vuarum asseruatarum discrimina.*

Atq; huiuscemodi sanè uuæ, uentriculum dissolutum corroborantes, hominibus appetentiam restituunt, nõ tamen per aluũ descendunt. Quòd si sumãtur largius, feriunt caput: minus tamen quàm quę in musto condunt. At pensilis, nihil prorsus caput lædit: uentrem autẽ nec sistit, nec ad deiectionẽ irritat. Porrò uuæ in musto, aut in ollis reconditæ, aliarum omniũ facillimè concoquuntur.

*Vuæ dulces quã vim possideant.*

Cùm autem nõ sit parua differentia inter uuas, quæ sanè dulces existuut, calidiorem possident succũ, ob idq; siticulosæ sunt,

*Vuæ austeræ.*

*Acidæ.*

*Acerbæ.*

*Vinosæ.*

atq; aluum subducunt: austeræ uerò, acidæ, acerbæq;, frigidiorem: ac proinde nõ excretioni modò, sed coctioni, distributioni, & nutritioni sunt noxiæ. At qualitatis expertes, quas uinosas appellant, locum inter calidum & frigidum, mediũ obtinent.

*Mustum dulcissimum, subducere aluũ maximè.*

Maximè autem subducit aluum, ipsum mustum dulcissimũ. Quod uerò ab uuis austeris aut acidis est expressum, ad omnia pessimũ est.

*Lora cõpositio.*

Solent præterea coniectis in parua dolia uinaceis, tantũ aquæ superaffundere, quoad omnia permadeant. Quod ubi satis factum uidetur, in dolij fundo foramen aperiunt, ut dilutũ (quam nos appellamus loram) effluat: id quod postea pro uino bibunt. Capitis tamen dolorem affert, nisi quis dilutiorem loram ipsam ebibat: quamuis ocyus per urinas excernitur.

*Lora qua ratione vinosior reddatur.*

Cęterũ dilutum id multò uinosius efficiẽ, si uinaceus ad uer, aut æstatem, repositus fuerit.

De Vuis passis.

*Vuarum passarum discrimina & facultates.*

VVAE passæ cum alijs uuis eandem habent rationem, quam caricæ cum ficubus. Cæterũ ut dulces temperamento sunt calidiore, ita austeræ frigidiore: quę quidem stomachum roborant, & uentrem constipant, & his multò magis, acerbę: inter quas mediam quodammodo constitutionem dulces obtinent. His enim ut uis quædam semper inest contemperandi, ita & mediocriter detergẽdi: unde exiguas mordicationes, quæ os uentriculi infestant, obtundunt.

*Passarum quæ præstantiores habeantur.*

Inter passas autem præstantiores sunt, quæ tum pingues sunt, tum cuticulam habent tenuem. Quæ quidem si inueteratæ sint, aqua præmaceratæ, purgatæq; à seminibus, multò præstantiores reddũtur.

*Passulas reperiri seminũ in Cilicia crescere.*

*Vuas non maturescere in regionibus frigidis.*

In Cilicia tamen crescunt nõnullæ solidæ, minutulæq;, nullum semen prorsus habentes. Porrò in regionibus frigidis, ne uuæ quidem ipsæ exquisitè maturari queunt, nedum passarũ quæpiam: ob idq; resinam uinis immittunt, ne acescant celeriter.

*Passarum quale & quantum corpori alimentũ largiantur.*

Alimentũ ex passis tale qualitate in corpus distribuetur, qualis ipsarum natura fuerit: quantitate uerò, copiosius ex pinguib. dulcibusq;: parcius ex austeris & macris.

*Passæ valentius nutriunt quàm vuæ.*

Quòd si pinguium dulciumq; repurgatarũ parem molem cum pari uuarum mole contuleris, passas ualentius nutrire deprehendes.

De Sycaminis, quæ & mora appellantur.

*Diamoron ori gratum.*

*Mora debere alios cibos præcedere.*

MORA (quorum succum recipit medicamen diamoron, ori gratum) celerrimè pertranseunt, cibisq; alijs præeunt, si in uentriculum purũ inciderint, & sumpta in primis epulis fuerint. Quòd si post alios cibos sumantur, aut prauum succum in uentriculo offenderint, celerrimè computrescũt cum alijs cibis, ut in cucurbitis accidit.

*Cibos qui tardè quidẽ permeãt, posteriores sumẽdos esse, qui celeriter antè priores.*

Quare ut posteriores ij cibi sumendi sunt, qui tardè permeant: sic omniũ primi, qui celeriter quidem permeant: corrumpuntur tamen, si in uentriculo cõmorentur diutius.

*Moris vtendum esse, dum ventriculus æstuat.*

Tempus uerò utendi ut peponibus, ita & moris est, cùm corpus. uentriculi squalore æstuat: quo tempore necesse quodammodo est hepar quoq; idem accidere.

*Mora immatura resiccata ad alui profluuia conueniunt.*

Porrò moris, cùm nõ admodum maturuerint, qualitas quędam astringens inest, sicuti & immaturioribus acida: unde nõnulli ijs resiccatis, ad diuturna alui profluuia utuntur.

*Mororum maturorum vires.*

Matura autem, si corrupta non fuerint, omnino quidem humectant: non tamen omnino refrigerant, nisi sumpta frigida fuerint. Alimentũ uerò corpori præbent minimum, quomodo pepones: nõ tamen ut ij, uomitum excitant, neq; stomachum lædunt.

De Cerasijs.

*Cerasiorum species & facultates.*

EX cerasijs quędam sunt moris similia, cuiusmodi sunt quæ nullam habent astrictionem: alia ruborum fructui, ut quæ euidentius astringunt. Quædam autem sunt quæ uel ualentius astringunt. Proinde memoratæ cuiusq; speciei facultatem, ex ijs quæ de moris & rubi fructibus dicimus, potes colligere.

De Rubi fructibus quos βάτινα uocant.

*Batina.*

MAGIS astringũt quàm mora: quòd si quis largius ipsis uescatur, capitis dolorẽ sentiet. Alij stomacho anguntur. Proinde ut mora, sic fructũ hunc, priusquàm edatur, maximè abluere oportet.

*Rubi fructuum vires & facultates.*

Cohibet autem uentrem: atq; medicamenta omnia quæ ex mororũ succo paranẽ, si ex hoc rubi fructu fiant, facultatẽ habebunt efficaciorem.

De fructibus Canirubi, κυνόβατον appellant.

*Cynobaton.*

*Canirubi fructuum facultas.*

MVLTO magis q̃ ruborũ fructus astringũt, ac uentrẽ cohibent: parũq; alimenti suggerunt.

De Iuniperi fructibus.

*Iuniperi fructus facultas.*

FRVCTVS iuniperi, acris admodũ est, cum exigua dulcedine, & minori præterea astrictiõe. Habet autem & aromaticũ quiddam: unde constat, quòd calefacit.

*Aroma omne calidum.*

Omne enim aroma calidum. Hepar autem & renes purgat: succos crassos & lentos tenuat: unde medicamentis salubribus admiscetur. Cæterùm alimentũ præbet exiguũ.

At

At largius sumptus mordet stomachũ, caput calfacit: ob idq; ipsum nonnunquã replet infestatq; doloribus: uentremq; nec proritat, nec cohibet: urinas tamen mediocriter uacuat.

De fructibus Cedri.

*Cedri baccarũ facultas.*

FRVCTVS cedri, fructui iuniperi est similis, nisi quòd eo est durior, siccior, exilior & acrior, nihil, ut ille, aromaticũ habens. Quare nisi quis ipsum aqua præmacerauerit, nullum corpori alimentum præstat. Valde autem stomachum mordicat, capitisq; dolorẽ infert, nisi quis ipsum parcissimè sumpserit.

*Strobilus. Nux pinea.*

De Nuce pinea, siue Strobilo.

SVCCI boni est & crassi, multumq; nutrit, nõ tamen facilè coquitur.

De fructu Myrti.

*Myrti fructus cum astrictione est acris.*

NVTRIT tenuiter, astringitq; ualenter, atque ob id aluum sistit. Cæterũ astrictioni habet quandam acrimoniam admistam.

De Persicis.

*Persica cur non sint post alios cibos mandenda.*

CORRVMPITVR horũ tum succus, tum caro: prauaq; omnino sunt. Quare nõ sunt post alios cibos mandenda (alioqui corrumpunt, in superficie natantia) sed in primis mensis, ut cætera quæ & mali sunt succi, & subduci facilè queũt.

De Armeniacis & præcoccibus.

*Armeniaca.*

HAEC quoq; ex genere sunt persicorum, bonitate nõnihil ea superantia. Neq; enim in uentriculo corrumpuntur ut illa, neq; etiam acescunt: uulgò autem suauiora apparent, unde etiam stomacho sunt gratiora. Præcoccia tamen Armeniacis præstant. Porrò uentriculus, quæ deorsum quidem uergunt, ex molestantibus, ea per aluum expellit. Quæ uerò supernatant, per uomitus eijcit.

*Præcoccia.*
*Ventriculus quo pellat exundantia excrementa.*

De Mâlis.

*Mâlorum differentiæ atq; facultates diuersæ.*

MALA quidem quæ astringunt, succum habent frigidũ atq; terreum. Quæ uerò acida apparent, frigidum simul atq; tenuium partium. Mediæ autem temperaturæ sunt dulcia, quæ tamen ad calidius uergunt: ut ea quæ omnis sunt qualitatis expertia, & ueluti aquosa, ad frigidius inclinant. Porrò hæc tria saporum nomina, astringens, austerum, acerbum, qualitatem quidem unam significant. Acerba tamen ualentius austeris astringunt. Austeris igitur potius uterìs, cùm uentriculus, uel propter calidam intemperiem, uel multam humiditatem, est imbecillus: acerbis autem, cùm duo hæc aucta admodũ fuerint: acidis, quando succum crassum, qui non magnopere frigidus sit, suspicaberis esse in ipso collectum. Quandoquidem succus frigidus, non acida, sed acria postulat. Vtraq; certè & acida & acria, succos crassos incidunt: sed hæc quidem cum calefactione, illa cum refrigeratione id præstant. Iam uerò astringentia quidem alui deiectiones perpetuò cohibent, acida autem cùm succum crassum in uentre offenderint, incidunt ipsum, atq; deorsum trudunt, ob idq; deiectiones humectant. Quòd si purum uentrẽ inuenerint, ipsum magis sistunt. At succus dulcis, cùm purus & per se fuerit, distribuitur celerius: si uerò acrimoniã aut crassitiem sortiatur, citius subducitur. Est & aliud succi genus, non pomis modò, sed cæteris omnibus, aqueum & qualitatis expers, quod in medio memoratarum facultatum, quemadmodum aqua ipsa, consistit. Optima poma (quæ colligi ante maturitatem non debent) sæpe in morbis maximũ præsidium afferunt, uel cataplasmatis modo cum farina admota, uel in calidis cineribus mediocriter assa, uel in aquæ bullientis uapore percocta. Cæterùm post cibum statim dare ipsa conuenit ijs, qui deiecta sunt appetentia, tardeq; concoquunt, aut uomitu, diarrhœa, & dysenteria infestantur. Sed in hunc usum acerba sunt commodissima.

*Austeris mâlis quando est utendum.*
*Acerbis mâlis quando uti expediat.*
*Acidorum mâlorum usus quando utilis.*
*Acria cum calore incidunt, acida cum refrigeratione.*
*Mâlorum astringentium atque acidorum discrimen.*
*Mâla quãdo & quibus offerri debeant.*
*Mâla acerba quibus sint commodissima.*

Qui fiat ut poma aut pira astringentia, uentrem quibusdam laxent.

*Astringentia si quidem sumantur post fluida, deiectionem accelerant. si verò lubricis præsumantur, aluum constringunt.*

VBI post ea quæ fluida & lubrica sunt, astringentia sumunt, in ijs potissimũ qui stomachum imbecillum sortiuntur, deiectionẽ ipsam accelerant, uentriculũ roborantia, & ad expellendum deorsum, quæ in sese continet, incitantia. Quòd si prima omniũ astringentia ingerantur, ac dein quæ pinguiora & magis fluida existunt, os quidem subuertetur uẽtriculi, aluus autẽ ipsa firmabitur: id quod in Prota Rhetore, usu & experientia exploraui. Quãobrem ubi pallida bilis, aut alius quispiã humor uentriculũ turbat, si is qui sic est affectus, aliquod astringentiũ gustarit, repentè deorsum succum infestantem excernet.

De Cydonijs & Struthomelis.

*Cydoniorũ struthiomelorũq; succum, diu cum melle asseruari, firmareq; exoluti ventriculi fortitudinem.*
*Diacytonite vulgò appellatum.*

HIS pomis eximium quiddam, quod in alijs non inuenitur, inest. Nam præterquàm quòd astrictionẽ possident copiosiorem, succus etiam eorũ diu permanet, si quis ipsum cum melle coctum asseruet: cùm aliorum succus si reponatur, acescat, ob exuberantem humiditatem. Quocirca ad exoluti uentriculi robur uti succo illorum solemus, ita ut monui, confecto. Sed ex carne ipsorum & melle placentæ quædam parantur prodigiosæ perennitatis. Nos uerò medicamini quod ex eorum succo & melle conficitur, nonnihil piperis albi, zingiberis, atq; aceti miscemus.

De Piris & Punicis.

*Pirorum usus, qualis mâlorum.*
*Punicorum mâlorum succũ cardialgia esse utilem.*
*Pira quomodo exiccari debeãt.*

QVAE de mâlorũ differentijs diximus, si ad pira punicaq; transtuleris, nihil erit quod nos de ipsis dicere oporteat. Pirorũ igitur usus, pomorum usui est similis. Punica uerò, cætera quidem sunt similia: in eo tamen discrepant, quòd nunquam cum hordei farina assentur, neq; in aqua aut uaporibus elixentur. Succum autem habent piris & pomis tum copiosiorem, tum gustu suauiorem, interdumq; etiam utiliorẽ: utputa dum cardialgia, hoc est, mordicatio oris uentriculi, infestat. Cùm autem minimi nutrimenti sint punica, nunquam ipsis ceu alimento, sed tantùm ut medicamẽto egemus. At pira aliquantulum nutriunt. Quibus quidem in tenues orbes dissectis, & exiccatis, ac postea tandem elixis, hyeme & uere, uice ciborum utuntur.

De Mespilis & Sorbis.

*Mespila. Sorba.*

AMBO enim astringunt, uerũ mespila multò ualentius quàm sorba: proinde uentri fluenti cibus est cõmodissimus: sorba tamen in cibo ipsis sunt suauiora. Quamuis neutro ipsorũ ut nutrimento, sed tantùm ut medicamento, egemus.

De Palmæ fructu, quem phœnicem, dactylum, & palmulam uocant.

*Phœnix. Dactylus. Palmula.*

PALMVLARVM aliæ quidẽ sunt siccæ, astrin

*Palmulæ ægyptiæ.* *καρυῶται.*

gentesq́; ut Aegyptiæ: aliæ molles, humidæ, & dulces, ut quæ καρυῶται appellantur. Reliquæ omnes palmæ inter hæc duo genera uidentur mediæ. Omnes autẽ difficiles concoctu sunt, capitiśq; dolorem conciliant, si largius sumant. Porrò succus qui ab ipsis in corpus digeritur, crassus omnino est: habet etiam & lentoris quippiã, cùm palma ipsa pinguis fuerit. Cùm autẽ dulcedo tali succo permista sit, celerrimè quidem hepar ab ipsa obstruitur. Læditur autem uel maximè à palmularũ esu,* uel inflammatum, uel scirrho affectum. Post hepar etiam lien & obstruitur, & læditur. Quòd autem dulces palmæ succum calidiorem possideant, sicuti & astringentes, magis frigidum: quodq; uirides, flatus gignant, nec in regioinbus non admodum calidis possint maturescere exactè, perspicuum est.

*Palmularũ esu quamcelerrimè hepar obstrui.*

*Palmulas nõ maturescere nisi in regionibus admodum calidis.*

De Oliuis.

*Oliuas parũ nutrimẽti largiri.*

EXIGVVM quidem & ipsæ corpori alimentum præbent, potissimumq; caducæ. Edunt autem homines has quidem cum pane, maiori ex parte: sine illo uerò, quas halmadas & colymbadas uocant, idq; garo perfusas, & ante alios cibos, uentris subducendi gratia. Porrò quemadmodum caducę, pinguitudinis habent plurimũ, ita hæ succum astringentem: proinde stomachũ roborant, & appetentiam excitant. In uniuersum autem, quod suauius est, facilius ijs quæ ex ęquo sunt salubria, concoquitur.

*Oliuas halmadas & colymbadas, edi ante alios cibos, uẽtris subducendi gratia.*

*Suauiorem cibum, ijs qui ex æquo sunt salubres, facilius cõcoqui.*

De Nucibus.

*Nuces Ponticæ. Auellanæ.*

NVCES corpori alimentũ præbent exiguum: copiosius tamen Ponticæ nuncupatæ, quas auellanas appellant, quòd substantia ipsarum coactior sit, minusq; oleosa quàm regiarũ, hoc est, cõmunium. Habet tamen & astringentis facultatis exiguũ ipsa nux regia, quæ procedente marcescit tempore, tota ipsius substantia, in cibum pinguem transmutata. Coquitur autẽ hæc nux facilius quàm Pontica, stomachoq; est gratior, & multò magis quando manditur cum caricis. Hominem à pharmacis letalibus nihil magnopere lęsum iri, si utrasq; has ante alios cibos cum ruta sumpserit, proditũ est. Liquet præterea, quòd humida quidem apta ad deiectionem est, sicca uerò minus. Plerique autem uentris subducendi gratia, cum garo etiã ipsam præsumunt: in quem usum uiridis est accõmodatior, utpote minus astringẽs. Quin & siccarũ quoq;, si in aqua fuerint præmaceratæ, facultas, uiridibus est assimilis.

*Regiæ nuces astringunt nonnihil.*

*Nucem regiam, si cum carica & ruta sumatur, fieri alexipharmacum.*

*Nucem regiã uiridem, esse aptã uentri soluẽdo.*

De Amygdalis.

*Amygdalarum facultas.*

SOLA in amygdalis tenuandi facultas ac detergendi præpollet, qua tum uiscera purgant, tum humores è pulmonibus ac thorace, sputis expectorant: sed potentius quæ amaræ sunt. Sunt autem omnes oleosæ & pinguis qualitatis participes, minus tamen quàm nuces: quare tardius illis oleosæ fieri cernuntur. Cæterùm nec uentri subducendo conferunt, nec corpus multùm nutriunt.

*Amygdalas amaras dulcibus potentiores existere.*

*Amygdala non multũ nutriunt.*

De Pistacijs, uulgò fisticis appellatis.

*Pistacia. Fistici.*

QVALITATEM obtinent aromaticam, subamaram, & subastringentem. Quare parum quidem nutriunt, uerùm ad hepar roborandum, & succos in ipsius uijs infarctos purgandos, conducunt.

De Prunis.

*Prunorũ uires.*

HIC fructus minimũ quidem nutrit, sed uentrem mediocriter humectat, atq; refrigerat, ipsumq; tum humiditate sua, tum lentore, subducit. Siccatus porrò esse esui potest, ut ficus. Damascena pruna perhibent præstãtissima omniũ. Secũdæ tribuunt partes ijs quæ in Hispania proueniũt. Maximè illa omniũ probantur, quæ cum mediocri astrictione, magna simul sunt, & laxa. Cocta in melicrato, in quo plusculũ sit mellis, ad modũ aluũ dejciũt, etiã si quis sola ipsa sumpserit, & multò magis, si postea melicratum biberit. Confert etiã ad subducendam aluũ, post sumpta ipsa, uinũ dulce exhibere, temporisq; aliquid interponere, non autẽ statim pòst prandere: quod in omnibus solutiuis sit præceptum cõmune.

*Damascena pruna.*

*Pruna Hispanica.*

*Pruna cocta in melicrato, aluũ subducere.*

*Solutiuũ quodcunque ubi aliquis sumpserit, non statim illo prandendum esse.*

De fructu quem Serica appellant.

*Serica.*

EXIGVI quidem est alimenti, & cõcoctu difficilis, nec iuuat quicquam stomachum.

De Ceratijs, hoc est, siliquis. Algarrobas Hispani uocant.

*Ceratia. Siliqua.*

EDVLIVM lignosum est, ob idq; praui succi, & concoctu difficile existens, nõ dejcitur facilè.

De Cappare.

TENVIVM quidem est partiũ, ac proinde minimũ alimenti exhibet. Vtimur autẽ fructu huius plantæ magis ut medicamento, quàm ut alimento. Sale enim conspersus ad nos importat, propterea quòd putrescit, si reponat solus. Vbi igitur salsuginem deposuerit elota, collapsam appetendi uim excitat, pituitam uentris detergit, atq; subducit, purgatq; tum lienis, tum hepatis obstructiones. Vti autem ad eas res oportet ante alios omnes cibos ex oxymelite, uel oxelæo. Huius etiam plantę, uirides ac teneros surculos, nõ aliter quàm terebinthi, mandunt, in aceto simul & muria, aut solo aceto condientes.

*Capparis facultates insignes.*

*Cappare utendum in primis epulis esse, idq́; ex oxymelite, uel oxelæo.*

De Sycomoris.

*Sycomora.*

PLANTA est paruæ ficui albæ persimilis: cuius fructus exiguæ est dulcedinis particeps, in mororum atque ficuum medio consistens, unde nomen contraxit.

De Persea planta, quæ à Persica diuersa existit.

*Persea fructus.*

HVIVS arboris fructũ apud Persas adeò esse noxium fertur, ut perimat: esculentum autẽ euadere, in Aegyptum translatum.

De Citrio, quod etiam mâlum Medicum uocant.

*Mâlum medicũ.*

TRES huius fructus partes existunt: acida, quæ in medio ipsius sita est: præterea quæ ueluti fructus est caro: & tertia, quæ ut tegumentũ extrinsecus circundatur, suaueolens & aromatica existens. Atq; hæc sanè concoctu difficilis est, utpote dura & callosa: quanq̃ ut medicamentũ exhibita, cõcoctioni auxiliatur. Partem autem ipsius mâli acidam, in acetum imbecillum conjciunt, quò ipsum longè acrius reddant. Cæterùm pars inter dictas media, quæ neque aridam neque acrem qualitatem sortitur, propter duritiem etiã concoctu est difficilis: quare ipsam omnes cum garo & aceto edunt.

*Citrium ex quibus cõstetur partibus.*

*Citrij cortex cõcoctioni auxiliatur.*

*Acetum imbecillum, cum citrij acore fit acrius.*

De fructibus plantarum agrestium, inter quos sunt quercuum glandes.

*Plantæ agrestes quæ sint.*

*Glandes quercinæ.*

PLANTAE illæ uocant agrestes, quę citra man

gonij

gonij industriam proueniunt, ut fagus, quercus, ilex, cornus, comarus, rubus, canirubus, acherdus, pirus, atq; agriococcymelus, cuius fructus appellatur in Italia unedo, stomachoq; nocet, & capitis dolorem conciliat: estq; acerbus cum exigua quadam dulcedine. Porrò glandes æquè nutriunt, ac frumentaceorum eduliorum pleraq;. Alimentum autem quod ex eis sumitur, tardi est transitus, & crassi succi: ob idq; sunt concoctu difficiles. Cæterùm Comari fructus, μιμαίκυλα appellatus, glande querna ad omnia est deterior: quemadmodum hæc glande, quam uocant castaneam.

*Vnedonem conciliare dolorem capitis.*

*Comari fructus*

*Castanea.*

De alimento quod à plantis ipsis agrestibus sumitur.

NON modò plantarum semina & fructus, sed etiam integras ipsas sæpenumero mandimus: idq; aut urgente necessitate, aut etiam suauitatis gratia. Siquidem palmæ uerticem edimus, necnon tenellas spinas, aut elixas, aut crudas, uel si ad id fame adacti non simus. Cæterùm omnia id genus & parcissimè nutriunt, & praui succi sunt productiua. Quædam etiam ex ipsis, noxam uentriculo adferunt, pręter spinas, quæ nũc primum è terra emerserint.

*Palma uertex est uescus.*

*Spinæ recentes.*

De Lactuca.

HOC olus succi est, quàm alia omnia, laudabilioris. Nam quum reliqua omnia sanguinem gignant paucissimum, ac praui succi, lactuca nõ multum quidem generat: id tamen nec mali succi est, neq; omniuo laudabilis. Porrò dum essem iuuenis, uentriculusq; mihi infestaretur bili, lactuca, quò ipsum refrigerarem, utebar: quum uerò ad ætatem declinantem perueni, hoc ipsum olus fuit mihi contra uigilias auxilio, quæ senibus esse annexæ uidentur. Habet itaque lactuca succum quidem frigidum atq; humidum, minimè tamen prauum. Quare nec concoctioni resistit, nec perinde ut reliqua olera, uentrem cohibet: sicuti neque etiam proritat.

*Olera omnia gignere paucissimum sanguinẽ, prauiq; succi, excepta lactuca.*

*Lactucam refrigerare, & somniferam esse.*

*Vigilias esse cognatas senibus.*

De Seri, siue Intybo.

INTYBI facultatem habent lactucis similem: suauitate tamen & cæteris quæ lactucis insunt, ab eis relinquuntur.

*Seris.*

*Intybus.*

De Malua.

DISSIDENT agrestis malua & satiua, quòd hæc quidem humiditate, illa siccitate exuperet. Vtraq; autem calorem habet moderatum & tepidum, facileq; subducitur, non modò propter humiditatẽ, uerumetiam propter lentorem, præsertim si cum oleo & garo, copiosa ipsa ingeratur. Nutrit tamen mediocriter.

*Malua utriusq; facultates.*

De Beta.

SVCCVS betæ abstergendi uim adeò manifestam sortitur, ut uentrem ad excernendum excitet, atq; stomachum mordicet, præsertim quibus sensu exactiori est præditus. Ob idq; edulium id est stomacho noxium, si largiùs sumatur. Corpori autem ab ipsa, ut ab alijs oleribus, paucum alimentum accedit. Verùm obstructũ hepar magis quàm malua aperit, præcipuè si cum sinapi, aut saltem cum aceto mandatur. Lienosis item eodẽ modo sumpta, utile medicamentum existit.

*Beta succum insignis extergendi facultate esse præditum.*

De Brassica.

BRASSICAE quidem succus purgatricẽ possidet facultatem, estq; non probus, ut lactuca, sed prauus graueolensq;: at corpus, cõmuni siccantium ratione, magis sistit quàm laxat. Quare dum humentem aluum resiccare est consilium, brassica ipsa discocta in secunda aqua donec extabescat, utimur. Quippe nihil quod accuratè coquitur, propriũ succum seruare omnino potest: sed necesse quidem est ut totũ abijciat, si coctum diutius fuerit. Quin & lenticulã diximus eodem quo brassicam modo, oportere parari, ut quæ utrunq; possit efficere, uentris subductionẽ scilicet, & cohibitionem. Cæterũ nihil ex ijs quæ bis coquũtur, aërem frigidum, aut frigidam aquam attingat, alioqui non extabescet: sed oportet calidam in promptu habere, ut cùm ex priori extraxeris, protinus in illam conijcias. Lens itaque & brassica, æquali inter se mensura siccant, ob idq; uisum hebetant. At lens quidem, non exiguum corpori alimentum præstat, idq; crassum, & melancholicum. brassica uerò paucum habet alimentum, uerùm quàm lens humidius.

*Brassica succus quidem purgat, corpus autẽ magis sistit, quàm laxat.*

*Brassica discocta.*

*Lenticulam aluum soluere, sisterq;.*

*Lens brassicaq; uisum hebetant*

De Atriplice & Blito.

HAEC sunt alijs oleribus aquosiora, necnon qualitatis expertia magis quàm cucurbita, aut saltem non minus, cùm cocta uidelicet fuerint. Quo fit, ut non ex solo oleo & garo ipsa maudant, sed acetum etiam inijciant: alioqui sunt stomacho noxia. Corpori porrò alimentũ præstant exiguum, nonnihilq; ad deiectionem inclinant.

*Atriplex.*

*Blitum.*

De Portulaca.

NVTRIMENTVM exiguum exhibet, idq; humidum, frigidum, atque lentum. Quo sanè lentore suo mordicationis experte, stuporem dentium persanat.

*Portulacam sanare stuporem dentium.*

De Lapatho, quod licet appellare betam agrestem.

NON gustu modò, sed uiribus etiam betæ hortensi est persimile. Quia tamen beta lapatho est suauior, idcirco nemo est, qui ipsa non libentius uescatur.

*Lapathum.*

De Oxylapatho, siue Rumice, siue Lapatho acido.

MVLIERES rusticæ laborantes pica, necnon pueri quidam gulosi, oxylapathum crudum interdum mandunt: quod quidem olus nõ nutrit multò magis quàm lapathum.

*Oxylapathum.*

*Rumex.*

*Lapathum acidum.*

De Solano, siue Solatro, siue Morella.

RARO ipso utimur ut alimento: ut medicamento autem, assiduè. Efficax enim est in ijs, in quibus astrictionis refrigerantis usus incidit. Minimi autem est nutrimenti.

*Solanum.*

*Morella.*

*Morella astringit, refrigeratq;.*

De plantis spinosis.

PLARIQVA rusticorũ plantis huiuscemodi è terra nuper emersis, priusquàm ipsarũ folia desinant in spinas, uescuntur, non crudis modò, sed in aqua etiam elixis: crudas quidem aceto & garo intingentes, coctis uerò præter hæc affundentes oleum. Mediocriter enim iuuant uentriculũ.

*Planta spinosa.*

De Cinnara, quam Romani Caccopham, Galli Artichao uocant.

PRAVI succi est edulium, maximè cùm plusculum obduruerit. Tunc siquidem ex ea succus melancholicus: ex ipsius autem succo, tenuis ac biliosissimus gignitur. Quare longè satius fuerit ipsam elixam, aut frixam mandere.

*Cinnaram prauam esse. uecu.*

*Apium. Petroselinum. Sion. Smyrnium.*

De Apio, Hipposelino, Sio, & Smyrnio.

HAEC omnia urinas cient: inter quæ apiũ est usitatissimũ, & suaue, atq; stomacho gratum. Petroselinum autem, & Sion, insuauiora. Smyrniũ uerò non est inusitatum. Siquidem Romæ maxima copia manditur, acriusq; multò est quàm apium, necnõ calidius: præterea aromaticũ etiam nonnihil possidet. Proinde urinas ualentius prouocat quàm apium, quamq; Hipposelinum & Sion, mensesq; mulieribus mouet. Cæterũ Hipposelinum ipsum & Sion, cocta mandunt, cùm utrunq; ipsorum crudum sit insuaue. Nam tametsi nos utilitatem quæ ex cibis prouenit spectemus, non uoluptatem, quia tamen cibi insuauitas magna ex parte causa est, quo minus ipsum nonnulli conficiant, ob id nimirum satius fuerit cibos condire interdum mediocriter: non uti co qui faciunt, cõdimenta quorum plus interdum concoctioni obsunt, quàm prosint.

*Smyrnij haberi magnũ prouentum Romæ.*

*Hipposelinum.*

*Cibi insuauitas magna ex parte in causa est, quò minus nonnulli ipsum cõficiant.*

*Condimenta eo quorum plus interdum obsunt, quàm prosint.*

De Eruca.

HOC olus manifestissimè calfacit, semenq; gignere creditur, & coëundi excitare appetitum. Capiti etiam dolorem infert, præsertim si quis ip so solo uescatur.

*Erucæ facultas creditur spermatica.*

De Acalyphe, siue Vrtica.

TENVIVM est uirium & partium: unde nemo ipsa ut alimẽto utitur, nisi fame extrema prematur. Vtilis autem est, ut obsonium, ac medicamentum quod aluum deijcit.

*Acalyphe.*

*Vrtica aluum deijcit.*

De Scandice, Gingidio, quod Chærefolium uocant.

GINGIDIVM nõ aliter q̃ scandix manditur apud nos, stomachumq; admodum iuuat, collapsamq; illius appetentiam, si cum aceto sumatur, excitat, siue elixum siue crudum mandere uelis. Elixationẽ tamen diuturniorem nõ tolerat. Est porrò non tam alimentũ, quàm medicamentũ, astrictionẽ & amarorẽ nõ mediocrem sortitum.

*Gingidium. Scandix.*

De Ocymo, quod uulgò Basilicon uocant.

HOC olus uentriculo existit noxium, prauiq; succi, & concoctu difficile.

*Ocymum. Basilicon.*

De Fœniculo.

ASSIDVE utuntur anetho quidem in condimentis, fœniculo autem etiam in obsonijs. Nam apud nos sanè reponunt ipsum, eodẽ modo quo pyrethrum & terebinthum, adeò ut in totum annum sit utile.

*Fœniculũ olim etiam in totum annum reponebatur.*

De Asparagis.

OMNES propémodum Græci, teneros caules, quo tempore ad fructus ac seminis productionẽ augescunt, asparagos cõmuniter uocant. Brassicę igitur germen, minus q̃ brassica ipsa siccat: tametsi aliorũ olerum caulis temperatura sit utplurimum q̃ folia siccior: ut atriplicis, lactucæ, bliti, betæ, maluęq;. At radiculæ asparagus, sicuti & rapæ, sinapi, cardami, pyrethri, & omniũ propemodum acrium & calidorũ, humidior existit. Bulbus autem, apium, sion, eruca, ocymum, oxylapathum, lapathum, & omnes oleracei generis herbę, antequàm semen effundant, eiusmodi caulem quendam producunt, qui post semen effusum siccatur, fitq; ad cibum hominibus utilis. Hæc autẽ omnia aquę incocta mandunt cum oleo & garo, pauco aceto adiecto. Alimentũ tamen paucum dant corpori, neq; id boni succi,

*Asparagos communiter dici omnes teneros caules, quo tempore ad seminis productionem augescunt.*

*Asparagi diuersorum olerum.*

De alio genere asparagorum.

QVI asparagi in oxymyrsine, chamędaphne, oxyacantha, & bryonia proueniũt, ac tum is qui regius, tum qui ἕλειος uocaẽ, omnes inquam hi stomachũ iuuant, urinasq; cient, ac parũ nutriũt.

*Asparagi iuuãtes uẽtriculum, quinam sint.*

De germinibus.

ARBORVM ac fruticum germina, olerum asparagis proportione respondent. Quæ quidem omnia aquæ incocta mandũtur, præter insuauia quædam ac medicamentosa. Quibus etiã urgente fame, homines uesci coguntur. Omniũ tamen præstantissima sunt, terebinthi, uiticis, uitis, iunci, rubi, & canirubi germina.

*Arborum & fruticum germina.*

De discrimine quod partibus plantarum esculentarum inest.

NON est autẽ Mnesitheus audiendus, ubi ait, radices omnes concoctu difficiles esse, longeq; ipsis folijs crudiores. Radiculæ siquidem, radicem habent caule ipso, ac folijs acriorem: similiter cepa, ampeloprasum, porrũ, & allium. Quòd si betæ quoq;, & maluæ, & rapæ radicẽ cõparare ad folia uolueris, plus uiriũ in ea deprehendes: quemadmodũ & in altheæ, quæ agrestis quædã esse malua uideẽ. Nam radix ipsius, ut & betæ, cũ tumores multos pituitosos discutiat (id quod folia præstare nequeũt) planè facultatẽ suam indicat. Etenim q̃d in radicibus id genus probè cõfectum nõ fuerit, in folia & caulem ipsa natura excernit: ut facere uideẽ etiam in ceruis, totius substantiæ excremẽta, ad gignenda cornua, minimè necessaria transmittens. Tutius itaq; est, gustantẽ prius atq; olfacientem, singulas plantarũ partes ipsas per se explorare: pòst autem experiri mandentem: quandoquidem olfactus & gustus, omne ipsius plantæ temperamentum ostendunt.

*Mnesitheus.*

*Radices caule et folijs acriores et potentiores, quæ sint.*

*Radicẽ altheæ, & betæ, discutere pituitosos humores, quod nõ datur folijs eandem.*

*Ceruis totius substãtiæ excremẽta ad gignenda cornua trãsmitti.*

*Plantarum temperamentũ ostẽdi ab olfactu & gustu.*

De Rapa siue Buniade.

DVRA quidem est, minimeq; esculenta, nisi coquatur. In aqua autẽ cocta, nõ nutrit minus congeneribus alijs. Succũ autẽ in corpus distribuit, mediocri crassiorẽ, coctionemq; diuturniorẽ desiderat: atq; illa unicè cõmendatur, quę bis cocta fuerit. Quòd si crudior sumatur, cõcoctu difficilior, & flatulenta redditur, stomachoq; noxia.

*Rapa. Bunias.*

De Aro.

MANDITVR & huius plantæ radix eodẽ modo quo rapæ. Cæterũ dum ipsam coquis, priore aqua effusa, in aliam calidam, eam conijcere conuenit. Quæ autẽ acrior & medicamentosior existit (qualis in nõnullis regionib. crescit) ad eliciẽdos tussi crassos pulmonis succos est præferẽda.

*Aron.*

De Dracontio.

HVIVS quoq; radicẽ bis térue elixantes, quoad medicamentosum omne posuerit, nõnunquã exhibemus mandendam: quemadmodũ & ari, quando humores crassi & lenti, qui in thorace ac pulmonibus habentur, ui maiori indigent. In uniuersum autẽ, acria quidem & amara si edanẽ, corpus parcius nutriunt: insipida autẽ, & ijs adhuc magis dulcia, multũ: & multò magis, si compactam adhuc habeant substantiam.

*Dracontij usus.*

*Nutrire corpus quæ parcius, & quæ uberius possint.*

De Asphodelo.

RADIX asphodeli & magnitudine, & figura, & amarore, scillæ radici quodãmodo est similis: facultatemq; habet tenuandi, atq; aperiendi. Si tamen, ut lupini, paretur, maximam sui amaroris

*Asphodeli radicis uires.*

partem

partem deponit: scillæ autem qualitas difficillimè eluitur.

### De Bulbis.

*Bulborum vis.*

BVLBVS quoq; eiusdem cum prędictis est generis: manditur enim ipsius radix sine folijs: Vere autem, interdum & asparagus. Facultatem habet in se amarã & austeram, eamq; insignem: unde etiam stomachum exolutum, ad appetentiam quodammodo excitat. Cæterũ si bulbi elixi bis fuerint, magis quidem nutrient: uerùm cùm amarorem omnem iam deposuerint, aduersabuntur ijs, quę sputo sunt ejcienda. Quidam ex ipsorum esu liberaliore, semen sibi inauctum, seq; ad uenerem alacriores manifestè senserunt. Alimentum porrò daut mali succi, nisi probè coquant.

### De Pastinaca, Dauco, & Caro.

*Pastinaca.*

HORVM quoq; radices manduntur: minus tamen quàm rapæ & arum Cyrenaicũ nutriunt. Calefaciunt autẽ insigniter, aromaticumq; nonnihil ostentant: conficiendi tamen difficultas ijs inest. Vrinam porrò cient: & si quis eis copiosius utatur, mediocriter uitiosum succum producũt.

*Carus.* Cari tamen radix melioris est succi, quàm pastinacæ. Sunt qui pastinacam agrestem appellent

*Daucus.* daucum: qui urinas quidem mouer potentius, sed medicamentosior existit.

### De Tuberibus.

*Tubera.*

HAEC quoq; radicibus aut bulbis annumeranda sunt, ut quę nullam qualitatem habent insignem: crassum autem alimentum largiuntur.

### De Fungis.

*Fungi. Boleti.*

EX fungis quidem boleti, si bellè in aqua fuerint elixi, propè accedunt ad insipidos cibos. Alimentum autem ex ipsis est pituitosum, frigidum, prauiq; succi. Omnium tamen ij minimum noxij existunt. Secundi autem post hos, sunt amanitæ. Reliquos uerò omnes tutius est ne attingere quidem: multi enim ex ipsorum esu interierunt. Cæterùm oxymeli per se, & cum hyssopo & origano, quibus nitri spuma fuerit inspersa, si propinetur, auxiliatur ijs qui ex fungorum esu habent pessimè.

*Amanitæ. Fungorum esum esse periculosum. Fungorũ noxa qua opituletur.*

### De Radicula.

RADIX eius ex ijs est quibus assiduè uescimur: estq; obsonium magis quàm alimentum: nimirum quæ & ipsa cum manifesta calefactione attenuandi facultatem sortitur: nam qualitas acris in ipsa superat. Sed caulis eius elixus magis nutrit quàm cruda radicula: paucissimum tamen & ipse alimentum præstat. Mirari autem subit eos medicos & idiotas, qui non sine multorum incommodo, post cœnam crudas eas esitandas tradunt.

*Radiculæ facultates. Radiculas crudas perperàm esitari post cœnã.*

### De Cepis, Allijs, Porris, & Ampeloprasis.

CORPVS calefaciunt, & qui in ipso sunt humores crassos attenuant, lentosq; incidunt. Si cocta autem bis terue fuerint, acrimoniam quidem deponunt, tenuant tamen adhuc, & alimentum corpori dant paucissimum: quod certè priusquàm elixa essent, omnino non dabant. Cæterùm allium quidem mandunt non ut obsonium, sed ut salubre medicamentum, quod digerendi, & obstructiones aperiendi haber facultatem: quòd si elixum parum fuerit, uires quidem imbecilliores, succi autem prauitatem non amplius retinet: quemadmodũ nec porra, nec cepæ, quum elixa bis fuerint. Ampeloprasa uerò tantùm à porris dissident, quantùm in alijs omnibus congeneribus agrestia à domesticis. Abstinendum autem ab assiduo usu omniũ acrium est, præcipuè natura biliosis. Solis enim qui uel succum pituitosum, uel crudum & crassum ac lentum aceruarint, eiusmodi cibi expediunt.

*Allium esitari ut medicamẽtũ. Allium elixum, imbecillius quidem, benignius tamen reddi. Porra. Cepa. Ampeloprasa. Acres cibi quib. tantum conueniant.*

## GALENI PERGAMENI de alimentis lib. III.

### De alimento quod à gressilibus animalibus sumitur.



PArtes animalium omnes non eadem facultate sunt præditæ: sed carnes quidem, cùm probè elixæ fuerint, optimum gignũt sanguinem, & potissimum, si ex animalium boni succi fuerint, cuiusmodi est suum genus: nam partes neruosæ, iusto sunt pituitosiores. Omniũ itaq; ciborum, suum caro potentissimè nutrit. At bubula, alimentum quidem & ipsa corpori suggerit non mediocre, nec dissipatu facilè: sanguinem tamen gignit, quàm conueniat, crassiorem. Quòd si quis naturali temperamento melancholicus magis fuerit, affectu aliquo melancholico prehendetur, si largius ea uescatur. Affectus melancholici sunt, cancer, elephas, scabies, lepra, febris quartana, & quæ peculiari nomine melancholia nominatur. Lien autem quibusdam à tali succo intumuit: quam rem cachexia & hydropes sunt consecuti. Cæterùm quantũ carnes bubulæ totius suæ substantiæ crassitie suillam superant, tantò suillę bubulas lentore antecedunt. Vt autem ijs iuuenibus qui bono sunt corporis habitu, sues ætate florentes magis ǭ porcelli congruunt, sic uituli perfectis bobus, hœdiq; capris, sunt præferendi, utpote quorũ carnes multò facilius atq; præstannus coquantur. Porrò capra temperamento minus quàm bos est sicca: si tamen sui & homini comparetur, multũ superat. Suillæ autẽ carnis similitudinẽ cum humana ex eo poteris intelligere, quòd nonnulli carnes humanas pro suillis exhibitas ab hospitibus improbis, sine ulla in gustu uel olfactu suspicione comederint. Meritò igitur porcelli alimentũ nobis præbent tantò magnis suibus excrementosius, quantò ipsis sunt humidiores: ac meritò etiã minus nutriunt. Nam alimentum humidius ut distribuitur, ita etiam discutitur longè celerius. At agni carnem habent humidissimã, pituitosamq;: ouiũ uerò excrementosior est, ac deterioris succi. Caprarum quoq; caro, pręter succũ uitiusum, acrimoniam etiam sortitur. Hircorum autẽ, tum ad coquendum, tum ad succum bonum gignendum, est deterrima. Hanc sequitur arietum, pòst taurorum. Porrò in ijs omnibus carnes castratorum sunt præstantiores: quemadmodũ senũ pessimæ. Ad hęc caro leporum, sanguinẽ quidem gignit crassiorem, sed melioris succi, quàm bubula ouillaq;. Ceruina autem nõ minus ijs succum uitiosum generat, & concoctu difficilem. His agrestium asinorum bene habitorum, ac iuuenũ, caro ęst propinqua. Sunt tamen qui asinorum

*Carnes elixas optimum gignere sanguinem. Neruosas partes iusto pituitosiores existere. Suilla caro omnium potentissime nutrit. Bubulam gignere melancholicum sanguinẽ. Melancholici affectus qui sint. Iuuenibus ætate florentibus, suillas, uitulinas, atque hœdinas carnes congruere. Capræ temperamentum. Suillas carnes esse humanis simillimas. Porcelli quale alimentum exhibeant. Alimentũ humidius distribui discutiq; celerius. Agnina carnes. Ouilla. Caprilla. Hircina. Arietina. Taurina. Castratorum carnes sunt præstantiores, ut senum pessima. Leporina. Ceruina. Asinina.*

*Equinæ carnes. Cameline. Vrsina. Leonina. Pardorum. Vulpina.*

domesticorum, ubi senuerint, carnes mandunt, quæ pessimi succi sunt, concoctuq; difficillimæ, atq; stomachũ lædũt, etiã insuaues inter edendũ: quemadmodũ equorũ & camelorũ carnes, quibus & ipsis homines animo & corpore asinini camelini q; uescunt. Sunt qui & ursis, & ijs adhuc deterioribus, leonibus ac pardis uescãtur, semel aut bis elixantes. Vulpiũ autem carnibus autumno apud nos uenatores uescuntur: tunc siquidem uuarũ usu pinguescunt. Porrò animalia omnia, quibus alimenta propria affatim suppetunt, longè seipsis in cibo præstantiora euadunt: quẽadmodum deteriora fiunt, quibus ea minus adsunt. Cæterùm quę assantes homines mandunt, aut in sartagine frigentes, ea corpori siccius dant alimentum: quæ uerò in aqua præcoquunt, humidius: quæ in patinis cõdiuntur, inter hæc media sunt: quanquam & illa ipsa pro modo condituræ inter se multũ discrepant. Siquidem quæ uinum aut garum habent copiosum, ea sunt alijs quæ ipsa non habent, sicciora. Rursus quæ exiguam quidem illorũ portionem, aut sapæ etiam ampliorem habent, aut in simplici & plebeio, alboq; appellato iure elixa sunt, ea prędictis longè sunt humidiora. Quæ autẽ in sola aqua coquuntur, ijs quoq; adhuc humidiora existũt. Maximũ præterea in præparatione discrimen accidit, pro eorum quæ inijciuntur potentia: ut cùm omnia siccant quidem, sed alia magis, alia minus. Sunt porrò hęc ex seminibus quidem, anethũ, apium, carum, libysticum, cuminũ. ex plantis, porrũ, cepa, anethum, satureia, thymum, pulegium, mentha odorata, origanũ, & alia id genus pertinentia ad obsonatricem commentationem.

*Assa frixáue siccius quàm elixa, dant alimẽtum corpori.*

*Garum.*

*Album ius.*

*Cõdimentorum genera varia.*

De limacibus.

*Limaces.*

LIMACES Græci omnes quotidie mandunt, carnem quidem duram habentes, eoq; cõcoctu difficilem, sed quæ confecta potentissimè nutriat. Succus autem ipsis inest qui uentrem subducit: quemadmodum & ijs, quibus testa pro cute est. Quapropter quidam oleo, garo, uinoq; ipsos cõdientes, eo iusculo ad aluum deijciendam utuntur. Huius porrò animalis caro bis terq; elixa, conditaq; aluum sistit, alimentumq; dat corpori minimè contemnendum.

*Limacũ succus subducit aluum.*

*Limacis caro bis cocta, aluũ sistit.*

De animalium pedestrium partibus excarnibus.

EXTREMAE corporis partes, ut pinguedinis, ita substantiæ carnosæ habent minimũ. Neruosa enim, hoc est, ligamentosa, & cutacea natura in ipsis præpollet: nõ tamen tales hi nerui, cuiusue sunt, quales in reliquo corpore: nam in excarnibus magis exercitatoria sunt, eoq; magis lenta. Quare meritò quidem corpus minus alunt: ob lentorẽ tamen facilius deijciunt per aluum. Meliores autẽ sunt pedes suum quàm rostrũ: quemadmodum hoc auribus est præstantius. Porcellorum pedes ptisanæ elixæ iniecti, illam meliorẽ efficiunt, ipsi etiam meliores redditi: quare sic in ore & uentriculo melius elaborant. Quantò autem aliorum animalium carnes alimenti bonitate suilla sunt inferiores, tantò illorum partes excarnes partibus suũ excarnibus sunt deteriores.

*Extrema membra minus alũt, sed deijciuntur promptius.*

*Porcellorũ pedes concocti in ptisanam, meliorem reddunt.*

De animalium pedestrium lingua.

*Lingua caro.*

PECVLIARIS quædam huic parti substantia inest: carnem enim habet fungosiorẽ, ac sanguineam magis: eam tamen haudquaquam solam, sed cum musculis, glãdulis, uenis, arterijs, & neruis (quæ illi communia sunt) exemptam, solent coquere & mandere.

De Glandulis.

QVANTVM lingua à carnis substantia, tantùm glandulæ à linguæ substantia recesserunt. Porrò glandulas quæ iuxta linguam consistunt, ad saliuam generandam comparauit natura: ad conficiendum autem lac, mamillares: ob idq; post fœtum cõceptum laxescunt, atque lacte replentur. Omnibus autem glandulis illud cõmune inest, ut suaues in cibo, friabilesq; appareant. Cęterùm mamillares, cùm imbutæ sunt lacte, de ipsius etiam dulcedine aliquid præ se ferunt. Alimentum autem quod ex ijs probè quidem in uentriculo cõcoctis prouenit, propè sanè ad carnium alimentum accedit. Quòd si minus quàm par est sint confectæ, succum crudum aut pituitosum generant: humidiores quidem pituitosum, duriores uerò crudum.

*Glandularũ linguæ, & mammarum usus.*

*Glandulas omnes esse in cibo suaues.*

De testibus.

TESTES autem, cùm ex genere sint glandularum, non perinde tamen sunt laudabilis succi ut mamillares: sed habent uirosum quiddam, seminis, quod in se generant, naturam referentes, ceu renes urinæ. Animalium gressilium testes, concoctu sunt longè difficiliores. Nam testes gallinaceorũ altilium & suauissimi sunt, & laudabile corpori alimentũ præbent. Renes admodũ praui sunt succi, & concoctu difficiles, ut adultiorũ animalium testes. Iuniorũ quippe sunt præstantiores. Porrò taurorum, hircorum & arietum, insuaues sunt & mali succi, concoctuq; difficiles. Sues quidem apud nos execant, quòd uidelicet castratorum caro suauior sit, & alimenti plenioris, concoctuq; facilior: boues autem, ut multò melius eis ad agriculturam utantur, cùm non facilè tauri domentur. Capræ autem & oues, propter utrunq; usum castrantur. Cæterùm omnes memoratorum animalium testes, concoctioni resistunt, ac mali sunt succi: nutriunt tamen, si bellè conficiantur. Quantò autem suum caro alijs præstantior est, tantò horum quoque testes, aliorum animantium testibus sunt meliores. Soli autem gallorum gallinaceorum undequaque sunt præstantissimi, & potissimum eorum qui saginati fuerint.

*Testes esse ex genere glandularum.*

*Testes gallinaceorum præstãt corpori alimentum laudabile.*

*Renes praui sunt succi.*

*Testes arietinos mali esse succi.*

*Castratorũ carnes suauiores, et succulẽtiores existere.*

*Suillam carnem esse cæteris præstantiorem.*

*Gallorũ testes.*

De cerebro.

CEREBRVM omne cibus est pituitosior, crassiq; succi, & tardè permeans, atq; ad coctionem difficilis: nec minimũ lędit uẽtriculũ. Excitat præterea nauseã, omninoq; uomitioni est accõmodatius, si concinnatũ cum incidẽtibus & calefacientibus fuerit. Si tamen rectè concoqui possit, alimentum corpori præstabit nõ contemnendum.

*Cerebrum nauseam excitat.*

*Cerebrum quale alimentũ præstet.*

De ossium medulla.

HAEC cerebro est dulcior, iucundior & pinguior, nauseamq; prouocat, si liberalius sumatur: nutrit tamen & ipsa, si conficiatur probè.

*Medulla ossiũ.*

De spinali medulla.

SPINALIS medulla (quæ perperàm medulla appellatur) cerebro cõtinua, eiusdemq; cum eo naturæ existit: nisi quòd ipso multò est durior, potissimum

tiſsimū in infernis ſpinæ finibus. Quantū enim à cerebro abſcedit, tantùm magis dureſcit. Pinguitudinis præterea habet minimum, quo fit, ut nauſeam non prouocet: ac ſi probè conficiatur, non exiguum corpori alimentum ſuggerit.

De pinguedine & adipe.

*Pinguedo. Adeps.*

PINGVEDO, humida quæpiā res eſt, oleo longa uetuſtate incraſſato aſsimilis: adeps uerò pinguitudine multò eſt ſiccior, ideoq; fuſus concreſcit facilè. Pauci utraq; eſt nutrimēti, potiusq; carnium nos alentium ſunt cōdimenta, q̃ alimenta.

De pedeſtrium animalium uiſceribus.

*Iecur quale nutrimentum exhibeat.*

*Lien ſanguinē melancholicum gignit.*

*Pulmo.*

*Cor.*

OMNIVM quidē animaliū iecur craſsi eſt ſucci, ac ad coquendū difficile, tardeiq; permeat. Omnium autē eſt præſtantiſsimū, nō modò ad uoluptatem, ſed ad alia omnia, quod ex caricarū eſu optimè præparatū fuerit. At lien guſtu eſt ſuauiſſimus: in eo tamen reperit perſpicua quædā acerbitas. Meritò etiā praui ſucci eſſe creditur, ut qui ſanguinē melancholicū gignat. Vtroq; uerò tantò pulmo facilius coquit, quantò eſt rarior. Multò tamen quod ad nutriendum attinet, eſt hepati inferior. Pituitoſius autem eſt alimentū quod exhibet. Cor ſubſtantia quidem caro eſt fibroſa ac dura, ideoq; concoctu difficile: & tardè permeat. Si tamen probè conficiatur, alimentū corpori dat ut non paucum, ita nec mali ſucci.

De quadrupedum animalium uentriculo, utero, & inteſtinis.

*Interanea quale alimentū præbeant.*

DVRIORES carnibus ſunt hæ partes: ob id, etiam ſi ritè conficiantur, ſuccum tamen gignūt non planè ſanguineum, ſed frigidiorem, atq; crudiorem. Proinde multùm temporis poſtulant, priuſquàm ſatis confici queant.

De agreſtium ac domeſticorum animalium differentia.

*Agreſtium animalium carnes, ualētius nutriunt, & ſuccū gignunt meliorē.*

DOMESTICA animalia, temperie humidiora ſunt q̃ agreſtia, tum ob aëris in quo degunt, humiditatē, tum ob uitæ ignauiā. Caro eorū quę in montibus degūt, ob cōtrarias cauſas eſt durior, nulliusq; prorſus pinguedinis, aut paucisſimæ particeps. Ob idq; pluribus diebus q̃ domeſticorum, imputris ſeruat: alimentūq; exhibet minus excrementitiū, eo quod à domeſticis ſumitur: ac proinde & nutrit ualentius, & ſuccum gignit meliorem.

De lacte.

*Lactis differentia.*

LAC boum craſsiſsimū ac pinguiſsimū eſt: liquidiſsimū ac minimè pingue, camelorū: mox equarum: deinde aſinarū: mediæ autem conſiſtentiæ eſt caprarū: hoc craſsius, ouium. Secundùm autem anni tempora, lac poſt partū eſt liquidiſsimum. Temporis uerò progreſſu, magis ſemper ac magis craſſeſcit. At media æſtate, ipſum etiam in ſuæ naturæ medio conſiſtit. Poſt id autē tempus, ſenſim iam craſſeſcit, quoad penitus deficiat: ſed Vere, ut liquidiſsimum, ita copioſiſsimū eſt. Porrò liquidiſsimum lac, ſerum: craſsiſsimū, caſeum habet plurimum. Meritò igitur liquidius quidem lac, magis: craſsius autem, minus aluum ſubducit. Quinetiam lac quod ignitos lapillos, aut orbiculos ferreos extinxerit, & uentrem ſiſtit, & ijs auxiliatur, quibus uenter acrium excrementorū morſu infeſtatur. Facilè tamen ſic paratum lac in uentriculo cogitur: ob idq; mel illi, & ſalem, adijcimus: ſicuti & aquam etiam, quæ ſeri acrimoniam corrigit. Conſtat ſiquidem lac omnino ex contrarijs ſubſtantijs, ſero ſcilicet, caſeo, & pinguitudine, ex qua butyrum conflatur: quo in frigidis pleriſq; regionibus, pro oleo utuntur. Cuius pinguis ſucci aſinimū lac habet minimū.* Quocirca rarò alicui in uentriculo cogitur, ſi ſtatim ut mammis excidit, calidum fuerit epotum. Quòd ſi ſal & mel adijciantur, fieri nō poteſt, ut ipſum in uentriculo coaguletur. Eandem ob cauſam magis per aluū deijcitur, ut quod ſerū multum habeat, à quo lac omne facultatē accipit deijciendi, uti à caſeoſa ſubſtantia ſiſtendi. Quare plurimo ſero ad deijciendam aluum uſi ſunt ueteres. Cui quidem tantùm mellis optimi & ſalis eſt adijciendū, quantū ſuaue citra ſtomachi euerſionem ſentietur. Porrò inter omnia quæ mandimus, lac optimū, optimi ſucci eſt. Nam quod uitioſum exiſtit, prauo ſucco utentium corpora replet. Quòd ſi capræ, aut alterius animalis, ſcammoniū tithymalúmue depaſti, lac cibi loco quis ſumpſerit, omnino aluus ei fluet. Lac igitur quod ſeri habet plurimū, etiamſi ſemper eo utaris, nihil penitus periculi adferet. Quod uerò huiuſmodi humiditatē habet exiguam, caſeoſam autē craſsitiem multam, eos quidem offendet, qui calculis generandis ſunt prompti: iecurq; obſtruet ijs, qui hoc affectu facilè prehendi poſſunt. Thoracis autē ac pulmonis partibus lac omne eſt utile: capiti uerò, niſi quis ipſum habeat admodum firmum, non eſt accōmodum: ut neq; hypochondrijs, quæ leui de cauſa inflantur: plurimis ſiquidem in uentriculo in flatus uertitur. Si uerò cum aliquo eorum cibariorum, quæ craſsi ſunt ſucci, diutius elixum fuerit, flatuoſam quidem naturam deponit, ſed iecur magis obſtruit, & promptius calculos in renibus gignit. Illud igitur lac boni ſucci & multi alimenti exiſtit, quod ex contrarijs ſubſtantijs & facultatibus conſtat, ſubducendi ſcilicet, ac ſiſtendi, obſtruendi ac tenuandi. Nocet autem ipſius uſus aſsiduus tum dentibus, tum gingiuis: has quippe humidas, dentes putrefactioni reddit obnoxios. Cæterùm occurres huic malo, ſi aut diluto, aut meraco uino, cui nōnihil mellis permiſtum ſit, aut primò quidem melicrato, dein uerò aſtringente uino, ſumpto lacte, os ipſum collueris.

*Lac quod lapillos ignitos extinxerit, aluū ſiſtentem ſiſtere.*

*Lac ex quibus ſubſtantijs conſtet.*

*Lac aſininū rarò alicui in uentre cogi.*

*Lac aſininū habere plurimum ſubſtantiæ ſeroſæ.*

*Sero utebantur ueteres ad deijciendam aluū.*

*Lac optimū optimi eſt ſucci.*

*Lac nimis ſeroſum, obeſſe non poteſt.*

*Lac admodum caſeoſum quibus noceat.*

*Lac omne eſſe utile pectori.*

*Lac quibus noceat.*

*Lac optimum quale.*

*Lac nocet dentibus gingiuisq;.*

*Lactis noxam quæ corrigant.*

De oxygalacte, hoc eſt, acido lacte.

*Oxygala quibus cōueniat, aut minimè.*

DENTES qui ſecundum naturam habent, nihil offendit: eos autē lædit, qui iuſtò frigidiores exiſtūt. Iam uerò uentriculus quauis de cauſa frigidior, oxygala non bellè cōcoquit: temperatus uerò, quamuis ægrè, conficit tamen id aliquando. Contrà, uentriculi calidiores, præterq̃ quòd nihil ab huiuſcemodi edulijs læduntur, aliquo etiam fruuntur cōmodo. Pro diuerſa autem uentriculorum natura accidit, ut lac ipſum interdum aceſcat. Siquidem caloris inopia, in acorem: eiuſdem exceſſus, in nidorem & fumum uertit. Porrò oxygala etſi in uentriculo non coquatur, nunquam tamen in nidorem conuertitur, potiſsimum ſi in feruentiſsimum ac bilioſiſsimū uentriculū incidat. Eſt autē natura tum frigidū, tum craſsi ſucci: quare nō facilè à modicæ naturę corpore concoctionē ſuſcipit. Quinenā cōſentaneum eſt crudū ſuccū à cibis huiuſmodi gigni,

*Lac quibus modis scindatur.*

Non ab re autem eduliū hoc calidissimis est uentriculis utile: quemadmodum frigidioribus aduersissimū. At partes ipsius lactis, citra coagulū, etiam scissio, quam uocant, discernit, cùm lacti abundè calido oxymel frigidū instillamus. Idem etiam mulso efficimus. Interdum citra ullam liquoris instillationē, uase frigidissimā aquam habente, in lac demisso, ipsum scindimus. Præterea sine coagulo id lac, quod post editum fœtū emulsum fuerit, cōcrescit protinus, si super cineres calidos parūper calefiat. Nutrit autē uberius ex lacte id quod concretū est: parcius uerò, quod serosum existit. Cæterùm quod lac à partu concrescens, nihil recipit mellis, concoctu quidē est difficilius, atq; succi crassioris: præterea per aluum tardius secedit, corpus tamen abundè nutrit.

*Lactis partes quæ magis, & quæ minus alāt.*

De Caseo.

*Caseus inueteratus calculum gignit.*
*Calculi à quib. causis gignātur.*

DVM caseus cōficitur, assumit ab iniecto coagulo acrimoniam quandam, humiditatemq́; omnem deponit, & potissimū si inueterauerit: tunc enim quàm prius, longè acrior euadit, ac manifestè calidior, atq; ardentior redditur: ob idq́; ipsum, siticulosior, & difficilior concoctu, & peioris succi efficitur: ac proinde calculis est generandis. Vbi enim succorū crassities cum ardenti calore iungitur, illic calculi generātur. Itaq; caseus id genus, omniū ad omnia est pessimus. Deinceps autem malus quidem, sed prædicto minus putandus est, qui neq; est uetus, neq; acris. Omnium autem caseorum recentium, præstantissimus is habetur, qui à nostris incolis oxygalactinus dicitur, suauissimus quidem in cibo, stomacho autē minimè noxius, alijsq́; omnibus caseis cōcoctu transituq; facilior: succum habens nō nitiosum, neq; usqueadeo crassum. Præstātissimus etiam est is, quē Romani βαδὺ appellant. In uniuersum autē, mollior caseus duriore est præstantior: rarus uerò ac laxus, denso admodum, & cōpacto. Iam uerò cùm glutinosus ualde, & is qui ad asperitatē usq; est friabilis, sint uitiosi, præstantior est qui inter hos duos est medius. Quod autem ad gustū pertinet, is omniū est præstantissimus, qui nullā uehementē obtinet qualitatē, sed dulcem habet supra alias parum emiuentē. Rursus etiā, cuius qualitas paulatim marcescit, præstantior: cuius contrà perdurat, non bonus.

*Oxygalactinū caseum esse omnium caseorum optimum.*
*βαδὺς caseus.*
*Caseorum qui praferendi.*

De pedestrium animalium sanguine.

*Sanguis omnis est concoctu difficilis.*

SANGVIS omnis concoctu est difficilis, præcipuè crassus & melancholicus, qualis bobus & apris inest. Leporinus autem, caprinusq́;, ut suauissimi celebrantur.

De alimento quod à uolucribus animalibus sumitur.

*Suilla carne nihil nutrire copiosius.*
*Volucrium carnes quæ facilius, et quæ ægrius concoquantur.*
*Phasianorum caro.*

AVIVM omniū uolatilium genus paucissimum præstat alimentū, si ad genus gressiliū conferatur: potissimū si ad suillam, qua nō aliud inuenias, quod copiosioris sit nutrimenti. Volucrium tamen caro concoctu facilior est, præcipuè perdicis, attagenis, columbę, galli gallinacei & gallinæ. Turdorum uerò & merularū, minutorumq; passerculorū caro, quàm prędictorum, est durior. His autē ipsis, turturis, palumbi, anatisq́; caro etiam durior existit. At phasianorum caro, quod ad concoctionem & nutrimentū attinet, carni gallinarū est similis: uoluptate tamen in edendo eam superat. His durior est pauonum caro, & fibrosior, & difficilior concoctu. In uniuersum autem, augescentium caro multò est præstantior, quàm inclinantium ætate: media uerò est inter utranq;, florentium. Praua autem admodum est nouellorū, sed diuersa ratione ac senum. Siquidem horum caro, dura est & sicca, ac neruosa, ideoq; concoctu difficilis, & nutrimenti exigui: contrà animalium nuperrimè æditorū corpora, mucosa sunt ac humida, eoq; excrementis plena: facilius tamen per aluum descendunt. Secundum etiam præparationis modos, & locos in quibus ipsa animalia uiuunt, non mediocris eorum est differentia.

*Pauonum caro.*
*Carnis differentia secundū ætates.*

De anseribus & struthocamelis.

*Anserum caro.*
*Struthocamelorum caro.*
*Gruina caro.*
*Tardarū caro.*

CARO horum excrementitia existit, multoq; difficilior concoctu, quàm prædictorum uolucrium. Ipsorum tamen alæ, non sunt cæterorum alis deteriores: quandoquidem in multis, alarū substantia fibrosa est & dura. Quarundam autē caro, tota est eiusmodi, cuiusmodi gruum: quas tamen & ipsas mandunt, plurimis antè diebus macerantes & mortificantes. Intet grues & anseres, caro tardarum est media.

De differentia quæ est in partibus animalium uolucrium.

*Anserinum uentriculū esse suauissimum.*
*Anserinū hepar unicè commendatur.*
*Alæ anserinæ, gallinaceæq;.*
*Testes gallorū.*
*Cerebrū auiū.*

NON manduntur intestina uolucrium: uentriculi autem & uesci sunt, & nutriunt. Quidam autem ipsorum ualde etiam sunt iucundi, ceu anserum: secundum quos, sunt altilium gallinarum. Ad hæc anserum quibus lac in alimentis miscetur, iecur est iucundissimū, atq; potenter nutrit: & cùm sit optimi succi, deijcitur facilè, probeq; in uentre concoquitur. Ad hæc alæ anserum, & ijs adhuc magis gallinarum, minimo negocio coquuntur. Pedes autem paulò minus omniū, cibo sunt inepti. Cæterùm iuniorum & probè nutritorum caro, gracilium carni atq; antiosorum præstat. Gallorum testes, præcipuè altilium, præstantissimi sunt, & multò magis, si cibus ipsorū, quo sunt nutriti, seroso lacte fuerit imbutus. Porrò uolucria, exiguum quidem habent cerebrū: ipsum tamen tantò pedestrium cerebro præstantius est, quantò durius. Ac montana sanè, quàm palustria, cerebrum habent præstantius.

De Ouis.

*Ouorum differentia.*
*Oua tremula.*
*Oua sorbilia.*
*Oua cocta.*
*Oua assa in cineribus.*
*Oua frixa.*
*Oua suffocata parandi modus*

GALLINARVM & phasianorum oua, omnibus sunt præstantiora: deteriora autem anserum & struthocamelorum. Porrò quæ oua dicuntur tremula, ad nutriendum omniū sunt præstantissima. Sorbilia autem, minus quidem nutriunt, sed subducuntur facilius, & pharyngis asperitates læuigant. Cocta uerò, & ad coquendum sunt difficilia, & tardi transitus, corporiq; crassius alimentum largiuntur. His autē tardius permeant, & crassioris sunt succi, quæ in calidis assantur cineribus. Quæ uerò in sartagine sunt inspissata, pessimum habent modis omnibus alimentum. Porrò quæ suffocata appellant, sunt elixis atque assis meliora. parantur autem ad hunc modum: Vbi enim ipsa oleo & garo, & pauco uini cōspersa fuerint, uas quo cōtinentur, cacabo aquam calidam habenti indunt. Deinde ubi ipsum totum supernè obturarint, ignem substruūt, quoad oua mediocrem consistentiam sortiantur.

De

### De uolucrium animalium sanguine.

*Sanguis gallinaceus. Columbinus. Leporinus. Sanguis omnis excrementitius.*

GALLINARVM & columbarū sanguine nōnulli uescuntur, maximè altiliū: qui suum sanguine haudquaq̄ inferior est, neq; * suauitate, neq; concoctionis facilitate. Plurimū tamen à leporino relinquitur. Cæterùm sanguis omnis concoctu est difficilis & excrementitius.

### De nutrimento quod ab aquatilibus animalibus sumitur: & primùm de Mugile.

*Mugilum caro.*

MVGILES ex squamatorum piscium sunt genere. Verùm eorū caro, qui in aquis limosis, sordidis & stagnantibus degunt, excrementitia admodum atq; mucosa existit. Optima autē eorum est, qui in puro mari uiuunt, præcipuè cùm uentorum procellis ipsum mare agitatur, atque ad Boream spectat. Nam in quieto, nullisq; agitato fluctibus, tantò piscium caro deterior fit, quantò minus exercitatur. Eorum autem qui in fluuijs gignuntur, præstantiores sunt, qui in ijs gignuntur, in quibus aqua rapidè fluit, & copiosa. Qui uerò in stagnantibus, nō laudabiles. Præterea penes alimenta ipsa pisces meliores peioresue euadūt. Etenim qui in fluminibus urbem magnam præterfluentibus, hominum stercoribus, & prauis id genus escis uictitant, omniū deterrimi sunt. Porrò qui mugil in mari gignitur, is à mari longissimè abscedens, aduerso flumine natat, numerosasq; ac paruas spinas non habet. Qui uerò à fluuijs stagnisq; ingreditur mare, huiusmodi spinarū est plenus. Nam omniū ferè pisciū caro, qui in stagnis aut fluminibus crescunt, tenuibus spinis plena inuenitur, quas nullus marinorū habet. Pauci autem fluuialiū mare ingrediuntur: at marini omnes, fluuijs gaudent. Mugilis præstantioris caro est iucundior & acrior, necnon expers pinguedinis. Nam pingues, & soluti saporis, & uitiosi sunt succi. Quapropter eos cum origano præparant. Hic piscis unus eorum est, qui conditi sale asseruantur.

*Piscium carnis differentia, pro diuersitate locorum in quib. degunt, & alimentorū quibus vescuntur.*

*Piscīū qui multis tenuibusq; spinis abundēt, & qui minimè.*

*Marinos pisces omnes gaudere fluuijs.*

*Mugil conditus sale asseruatur.*

### De Lupo seu Laurace.

*Lupus. Laurax.*

HVNC piscem natum in aquis dulcibus non uidimus, sed è mari in flumina aut stagna, ipsum ascendisse cōspeximus. ideoq; paruus rarò, quēadmodum mugil sæpe, inuenitur. Alimentū sanè quod tum ex hoc, tum ex alijs piscibus prouenit, sanguinem gignit cōsistentia tenuiorem, quàm quod ex pedestribus animalibus sumitur: adeò ut nō affluenter nutriat, & discutiatur celerius.

### De Mullo seu Trigla.

*Trigla. Mulli caro.*

HIC quoq; pelagicis piscibus annumeratur: habetq; aliorum fermè omniū carnem durissimā, & ualde friabilem. Ac nutrit sanè cùm probè confectus fuerit, copiosius omnibus alijs piscibus, quòd durior & crassiorum partium existat, habeatq; substantiam alendo corpori accōmodatam. Quare mulli caro iucunda est: quæ quidem licet aliorum carne sit durior, mandi tamen quotidie potest, propterea quòd friabilis est, & pinguedinis expers, cū quadā acrimonia. Nam pinguia & lenta cibaria statim ut sumpta fuerint, celeriter implent, & appetentiā euertūt. Mulli etiā hepar propter uoluptatē à gulosis summopere expetit. Optimi autē mulli fiūt, ut alij etiā omnes pisces, cùm propter mare purū, tum uel maximè propter alimenta.

*Pinguia cibaria appetentiā euertere.*

*Mulli hepar.*

### De piscibus saxatilibus.

*Saxatiles pisces unde dicantur.*

SCARVM, merulam, turdum, iuliam, fucam, percam, à petrosis promōtorijs maris, in quibus comperiunt uersari, saxatiles appellantur. Inter eos autē scarus excellere suauitate creditur. Secundùm hunc, merulæ, ac turdi. Tertio loco iuliæ, fucæ, ac percæ. Porrò alimentū quod ex eis sumitur, nō modò concoctu est facilè, sed hominum etiā corporibus saluberrimū, ut quod sanguinem medium consistentia generet.

*Saxatiles pisces præbere alimentum saluberrimum corpori.*

### De Gobione.

*Gobiorum caro.*

GOBIO littoralis est piscis, ex numero etiā eorum, qui parui perpetuò manent. Præstantissimus autē omniū ad uoluptatē, coctionē, distributionem, ac deniq; succi bonitatem is est, qui in arenosis littoribus, aut saxosis promōtorijs degit. Cæterū gobiorum caro, ut carne saxatilium est durior, ita mollior quàm mullorū. Ipsa igitur pro portione, uescentium corpus nutrit.

### De piscibus molli carne præditis.

*Scarus.*

SCARVS itaque primas inter pisces saxatiles obtinet: quibus omnibus caro inest quàm alijs piscibus mollior & friabilior. Sunt qui carnis tantùm duritie à saxatilibus dissident, cuiusmodi sunt pelagici propèmodum omnes: nisi si qui ipsorum prauo alimento propriam carnem corrumpant, ut mulli, qui cancellos, animalia flauo colore, minimis cancris similia, mandunt. Porrò saxatiles pisces, nec loca, nec alimenta mutant, nec dulcibus aquis utuntur: ob eamq; causam omnes perpetuò sunt inculpati. At aselli dicti, si probo alimento utantur, & mari puro, carnis bonitate contendent cum saxatilibus. Qui uerò prauo alimento utuntur, aut in aquis mistis, aut uitiosis uersantur, carnis quidem non abijciunt mollitiem, sed pinguitudinem atq; lentorē contrahunt. Quare neque suaues persistunt, sed alimentum excrementitiū reddunt. In uniuersum autem, pessimi pisces gignuntur in eorum fluuiorum ostijs, quæ purgamenta cuiuspiam ciuitatis magnæ recipiūt. Idcirco in eiusmodi fluuiorum ostijs (qualis est Romam præterfluens Tyberis) muræna pessima gignitur: eoq; in ea urbe omniū ferè marinorū piscium ea minimo uenditur, cùm tamē meliores sint eius fluminis pisces, priusquā is ad urbem perueniat. Quin & alius etiam est fluuius, trecētis & quinquaginta stadijs ab urbe in Tyberim profluens, Nar appellatus, qui pisces habet longè Tyberinis meliores. Similes autem quodammodo inter se sunt, passer & solea: non tamen omnino eiusdem sunt speciei. Solea nanq; mollior est, & cibo suauior, atque in totum præstantior quàm passer. Quin & lacerti medij quodāmodo sunt inter pisces carnis mollis & duræ. Nullus tamen memoratorū piscium, aceto, aut sinapi, aut origano indiget: ueluti pingues, lenti, atq; duri. Quidam etiam frixis ijs in sartagine aluntur. alij assant, aut in patinis condiunt, ut rhombos, & citharos. Optimè autē omnium condimentum ex albo iure concoquitur, quod in hunc modū paratur. Copiosam aquam primùm iniice: dein olei quod satis sit affundito, cum pauco anethi, & porri. Vbi uerò pisces semicocti fuerint, salis tantùm aspergito, quoad totum ius salsum nōdum appareat. Hæc

*Molli. Cancelli.*

*Pisces pessimi vbi locorū gignātur.*

*Tyberis.*

*Murænam Romæ omnium ferè marinorū piscium minimo vendi.*

*Nār flumen producere pisces longe Tyberinis meliores.*

*Passer. Solea. Lacerti.*

*Albo iuris condimentum*

ſiquidem præparatio uel ægrotis ipſis eſt cõmoda. Quibus autem inculpata ſanitas eſt, ijs piſcium in ſartagine frixorum, ſecundo loco ſuper craticula aſſorum, præparatio eſt conueniens. Hæc tamen, oleum garumq́ cum pauco uino ex poſcit. At frixis, plus uini, garíq́ addere expedit, minimè uerò olei. Quòd ſi cui id ſubuertat ſtomachum, paratum habeat acetum, modicum in ſe gari, piperísq́ continens. Omnium autem memoratorum piſcium alimentum, hominibus ocioſis, ſenibus, imbecillibus, & ægrotis eſt accõmodatiſsimum. Qui uerò corpus exercent, cibos firmiores poſtulant.

De piſcibus duræ carnis.

*Piſces duræ carnis qui ſint.*

DRACONES quidem, libellæ, cuculi, ſcorpius, trachurus, mullus, cernua, glaucus, conger, pager, hiamya, & aquila, inter duræ carnis piſces annumerantur: nonnullæq́ muſtelorum ſpecies. Nam celeber ille qui apud Romanos galexia dicitur, in eorum numero, qui dura carne conſtant, habetur. At canis ad cetaceorum genus refertur, ut qui carnem duram habeat, atque excrementitiam. Quapropter ipſo in partes ſecto & ſalito, ueſcuntur uulgares homines. Ingrati enim ſaporis eſt, ac mucoſius: ideóq́ cum ſinapi & oxelæo, atq́ id genus acribus condimentis eum mandunt. Ex hoc item genere ſunt balenæ, delphini, & phocæ: ad quos proximè magni thunni accedunt: quanquã nõ æquè ſunt ut prædicti, iucundi. Inſuaues enim ſunt hi, præſertim recentes: nam ſalſi euadũt meliores. Thunnorũ autẽ caro, qui & ætate & corporis mole ſunt minores, nõ perinde dura eſt, ideóq́ hi facilius etiã coquũtur: & ijs adhuc magis pelamides, quæ ſale cõditæ, laudatiſsimis ſalſamentis nõ cedunt. Poſt ſardas autẽ & pelamides, myli qui ex Ponto afferuntur, præcipuè cõmendantur. Poſt ipſos ſunt graculi. Porrò duræ carnis piſces, ægrius quàm molles concoquunt. Siquidem quæ molliora ſunt, facilius alterantur, quòd facilius patiãtur. Durior etiã cibus craſsiorẽ habet ſubſtantiã, ut mollior tenuiorẽ: ac proinde ille ſuccũ craſsiorẽ gignit.

*Galexia.*
*Canis piſcis.*
*Balenæ.*
*Delphinus.*
*Phoca.*
*Thunnos ſalſos euadere meliores recentibus.*
*Sardæ. Myli.*
*Pelamides.*
*Graculi.*
*Molliora facilius alterãtur.*

An dura omnia per decoctionem ſalſos ſuccos gignant, ut Praxagoras & Philotimus exiſtimarunt.

*Decoctum omnium, quandiu coquitur, ſemper ſalſius euadere.*

EQVIDEM omniũ decoctũ, quandiu coquitur, ſalſius ſemper euadere, pòſt autem, amarum, deprehendo. Nam corpus ipſum ſolidum quod in aqua elixatur, qualitates quæ initio ſibi inerant, in ea deponit, ſic ut qualitatis expers euadat. Clarius autem huiuſce rei ueritatem intelliges, ſi quando quod elixas, in aliam aquã tranſfuſum, ſecũdò & tertiò recoquas. Inuenies quippe id quod decoquitur, propriã amiſiſſe qualitatem, ſiue ſalſam, ſiue acrem, ſiue etiam acerbam: aquam autem, eam in ſe recepiſſe. Si uerò ſuccos ipſos ſolos concoxeris, primũ quidem ſalſiores, poſtea autẽ amari etiam fient. Siquidem uel ipſa aqua optima diutius cocta, ſalſam qualitatẽ tandem aſſumit. Quamobrem, quod ad ſuccos attinet, Praxagoram ac Philotimũ rectè ſenſiſſe, nobis eſt concedendum: quod uerò ad ſolida corpora pertinet, non item.

*Omnia quæ decoquuntur, propriam qualitatem amittere. aquam autem, illam in ſe recipere.*
*Praxagoras. Philotimus.*

De animalibus quibus teſta pro cute eſt.

OMNIBVS id genus piſcibus cõmune eſt, ut ſalſum in carne ſuccum contineant, qui aluum ſubducit: quod ſeorſum cuiq́ magis minúſue ineſt, pro qualitatis & quantitatis ratione. Siquidem oſtrea, inter alia teſtacea, carnẽ habent molliſsimam: paruæ autem hiatulæ, uertebræ, ungues, purpuræ, buccinæ, omniaq́ eiuſmodi, duram. Non ab re igitur oſtrea quidem, aluum ualentius ſubducunt, corpus autem imbecillius alunt. Duriora uerò, difficilius quidem coquunt, ſed firmioris ſunt nutrimẽti. Verũ hęc quidẽ omnia elixant. Oſtrea uerò etiã citra elixationẽ mãduntur. Sunt qui ea in ſartagine frigant. Quemadmodum autẽ ex ipſis teſtaceis, quæ dura ſunt, carnem habent concoctu difficiliorem, ſic etiam quæ corrumpatur ægrè. Quare ipſa bis térue cocta, eis exhibemus, quibus ob prauos ſuccos cibi in uentriculo corrumpuntur: gignitur tamen ex ipſis ſuccus crudus plurimus, ut ex ijs quæ molli ſunt carne, pituita.

*Teſtaceorũ ſuccum aluum ſubducere.*
*Oſtrea.*
*Oſtrea edi etiã cruda.*
*Teſtacea duræ carnis quibus conferant.*

De Cruſtatis.

*Cruſtata.*

ASTACI, paguri, cancri, locuſtæ, carides, gammari, atque id genus alia, tenui teſta concluduntur, duritieq́ ſunt teſtaceis ſimilia: ſed ſalſi humoris minus quàm illa continent, quanquam eum habent ſatis multum. Dura in totum carne conſtant: ideóq́ & concoctu ſunt difficilia, & firmi alimenti, quum ſcilicet in aqua potulenta percocta fuerint. Horum quoq́ caro, ut oſtreorum, ubi percocta, ut dictum eſt, in aqua ſuccum ſalſum reliquerit, aluum ſiſtit: ægrè etiam corrumpuntur, non ſecus ac teſtacea, quæ duram carnem poſsident.

De mollibus.

*Molli cute intecta.*

MOLLIA uocantur, quæ neq́ ſquamas, neq́ aſperã cutem, aut teſtaceam habent, ſed mollem: ut polypi, ſepiæ, lolligines, & his conſimilia: quæ omnia mollia tangenti apparent, duræ tamen ſunt carnis, & difficilia cõcoctu, exiguumq́ in ſe ſuccum ſalſum continent. Cæterũ ſi concoquantur, alimentum exhibebunt non paucum corpori: ſucci tamen crudi plurimum gignent.

De Cartilagineis.

*Cartilaginea.*
*Torpedo.*
*Paſtinaca.*
*Raia.*

HORVM animalium cutis eſt aſpera, ac noctu ſplendicans. Inter ea autem torpedo & paſtinaca carnem habent mollem atq́ iucundam, ceu mediocriter per uentrem ſubeuntem, nec concoctu difficilem. Nutriunt item mediocriter. Raia autem, leuiraia, ſquatina, omniáq́ huiuſmodi, duriora ſunt, & concoctu difficiliora, alimentíq́ copioſioris, quàm torpedo & paſtinaca.

De Cetaceis animalibus.

*Cetacea.*

OMNIA eiuſmodi duram & praui ſucci, excrementitiamq́ habent carnem.

De Echinis marinis.

*Echinus marinus.*

EX mulſo eduntur hi & garo, alui ſubducendæ gratia: parãturq́ in patinis, ouis, pipere, melléq́ iniectis. Imbecillis ſunt alimenti, ac medij inter ea quæ humores extenuant & denſant.

De Melle.

*Mel.*
*Manna uulgò appellata ortus.*
*Mel roſcidum.*
*Mel aëreum.*

MEL oritur in folijs plantarum, eiuſdem cum rore generis. Porrò in monte Libano quotannis perſæpe coria ſuper terram extendũt, ac dein arbores excutientes, quod ab eis defluit, excipiunt, & ollas ac fictilia melle implent: uocantq́ id mel roſcidum, & aëreum. Proinde conſtat

materiam

materiam ex qua mel gignitur, rori esse congenerem. Videtur autem & ex plantis, in quarum foliis colligitur, boni maliue quidpiam ipsi accedere. Ideoq; landatissimũ in locis mel gignitur, in quibus thymus, & aliæ quædam herbæ & frutices temperamento calido & sicco, affatim proueniunt. Tenuiorũ enim est partium id mel: ideoq; in calidis corporibus promptè in bilem conuertitur. Frigidis uerò est accõmodatissimum. Cùm autem tenuium sit partium, acrimoniç quiddam habeat etiam necesse est, qua aluum ad excretionem proritet. Quam quidem adimentes per iniectionem aquæ, atque coctionem, ipsum reddemus ad distributionem atq; concoctionem accõmodatius. At melicratum quod paulisper aut nihil omnino concoctum fuerit, prius deijcitur, quàm concoqui, & in corpus distribui, & nutrire possit. Præterea mel nõ planè coctum, in uentriculo & intestinis flatus quosdam gignit: contrà quod in decoctione spumam omnẽ abiecerit, flatus est expers, & urinam mouet. Quòd si quis citra aquæ admistionẽ mel solum delingat, nutriet quidem infirmius, sed aluũ prõptius deijciet. Largius uerò sumptũ, uentrẽ superiorẽ cõcitare ad uomitũ solet. Coctum autẽ sine aqua, neq; uomitũ similiter mouet, neq; aluũ subducit: uerũ distribuitur & nutrit magis: urinã autẽ minus eo quod cum aqua coctum est, mouet. Senibus itaq; mel cõmodissimum est: ętate autem florentibus & calidis, in bilem uertitur.

*Mel laudatissimum vbi gignatur.*

*Mel quibus facile in bilem vertatur, & quibus sit maximè ex vsu.*

*Mellis acrimonia quomodo corrigatur.*

*Melicratum.*

*Mel crudum.*

*Mel coctum, vrinam mouet.*

*Mel Largius sumptum, vomitum prouocat.*

*Mel senibus cõmodissimum, ætate florentibus in bilem vertitur.*

## De Vino.

SI MODO quicquid alit, cibus est, uinũ etiam in genere ciborum est collocandum. Cæterũ uinorum omninm, rubra simul & crassa, sanguini generando sunt accõmodatissima, ceu quæ minima mutatione indigeant, ut fiant sanguis. Post ipsa sunt nigra, crassaq; & dulcia: tum quæ colore quidem rubra sunt & nigra, cõsistentia autem crassa, unà cum qualitate astringente. His autem minus sua uatura alunt, quæ alba sunt, simul & crassa, & acerba. Omnium autem minimum nutriunt, quæ colore quidem sunt alba, consistentia autem tenuia, & aquis hydromeliti faciendo appositis, similia quodãmodo. Dulcia uerò conficiuntur in uentriculo, & distribuuntur facilius, quàm austera, ut quæ facultate sunt calidiora. Quia autem sunt admodum crassa, tardius quidem perficiuntur, atq; distribuuntur. Si tamen in uentriculum adeò robustum incidant, ut confici rectè ab eo possint, alimentum copiosius corpori dabunt. Constat præterea, quòd quemadmodum hæc corpori alendo tenuioribus sunt præstantiora, ita ad urinam ciendam sunt deteriora.

*Vinorum differentiæ.*

*Vina rubra simul & crassa, sanguini gignẽdo esse accomodatissima.*

*Vina alba & tenuia, minimum omniũ nutrire.*

*Vina dulcia.*

## De cibis sale conditis.

ANIMALIVM corpora, quorũ carnes simul duræ sunt & excrementitiæ, sunt ad saliendum accõmoda. Quæ uerò aut admodũ mollem, aut ualde siccum, & minimè excrementosum habent corporis habitum, sunt ad saliendum inepta. Salis nanq; facultas, humores superfluos tenuat, et digerit, corporaq; cogit atq; condensat: cùm nitri spuma, & laxum aphronitrũ, tenuare quidem & discutere possint, cogere uerò & condensare non possint. Suum igitur obesorum & ætate florentiũ carnes, ad saliendum sunt congruentissimæ, ut quæ ab utroq; extremo absint. Quemadmodũ enim corpora sicca salita, corijs euadunt similia: sic cõtrà, quæ immodica humiditate diffluunt, salis cõmercio tabescũt. Ob eam causam neq; pisces mollis carnis, & excremẽtis uacui, ut saxatiles & aselli, ad saliendum sunt apti. Graculi uerò, pelamides, myli, sardæ, & sardenæ, quæq; *ωμοτάριχα* uocant, & salsamenta, ad saliendum appositi sunt. Mulli uerò, quòd dura eorũ sit caro, & ab excrementis pura, non sunt ad saliendum accõmodi. Ex his autem perspicuũ est, ea esse cõcoctu admodũ difficilia, quæ sale cõdita, dura & neruosa euadunt, ac ueluti coriacea. Quæ uerò cõtrà habent, tenuia quidem ipsa reddunt, mansa autẽ humores crassos & glutinosos attenuãt. At præstantissima omniũ quæ mihi licuit experientia cognoscere, sunt quæ à ueteribus medicis Sardica salsamenta appellantur.

*Condiura quæ animalia sint apta, & quæ inepta.*

*Sal humores superfluos digerit.*

*Nitri spuma.*

*Aphronitrum.*

*Suum carnes.*

*Pisces apti ad saliendum.*

*Sardica salsamenta.*

## De medijs edulijs.

IN SINGVLIS differentijs, quas alimentis inesse diximus, quædam sunt media. Animalibus autem naturalem temperiem atq; inculpatam seruantibus, similia suis naturis cibaria conueniunt: ijs uerò quæ prauam temperiem, aut ab initio sunt sortita, aut pòst acquisiuerunt, nõ similium sibijpsis esus, sed contrariorum est utilis. Itaq; singulæ naturæ suum proprium mediũ habebunt, idq; secundum ætatum, uitæ cõditionum, institutionum, & regionum, in quibus iandiu habitant, differentias.

*Animalibus temperiem naturalem seruãtibus, similia naturis suis cibaria congruunt: contraria verò, ijs quæ prauam temperaturam sortiũtur.*

# GALENI PERGAMENI de euchymia & cacochymia, liber vnus.



ANnonæ caritas assidua, quæ non paucos abhinc annos multas nationes Romano imperio subditas afflixit, coẽgitq; uesci alimentis pessimi nutrimenti, ac promde uarios, & maximè perniciosos morbos induxit, planè significauit, quantam uitiosi succi ad gignendos morbos uim habeant. Etenim ab ijs alimur, quę naturæ nostræ sunt familiaria: quæ uerò illi aduersantur, nos in perniciem deducunt. Cæterùm qui haustu letalium uenenorum pereunt, facilè secerni ab ijs possunt, qui ab aliqua corporis affectione extinguuntur. Neque etiam quispiam inficias ibit, ob humorem quem uenenata animantia in ictam particulam infligunt, uel illam celeriter uita priuari, uel in putredinem labi, uel doloribus uehementissimis, aut phlegmone urgeri: necnon scorpionem ieiuni hominis sputo bis térue aspersum, protinus interire. Nam sicuti naturæ quædam cum alijs quoque naturis conueniunt, sic altera quoque aduersatur alteri, eámque corrumpit. Porrò quandiu ipse patris consilium sequutus, ab usu immodico fructuum, quos horarios uocant, abstinui, obseruauiq; ab illo traditam optimam uictus rationem, tandiu immunis ab omni intemperie perstiti. Quoties autem eius præcepta negligẽs, unà cum coætaneis meis ultra modũ fructibus illis me impleui, semper in morbos incidi, qui sanguinis missionem

*Succos vitiosos adgignẽdos morbos maximam vim habere.*

*Nutriri nos ab ijs quæ naturæ nostræ sunt familiaria.*

*Scorpionẽ hominis ieiuni sputo cõspersũ, perimi.*

*Galenus quãdiu ab omni intemperie immunis perstiterit.*

*Galeni pater in omni disciplinarum genere fuit versatus.*

desiderarent. Erat enim pater meus geometriæ, architecturæ, astronomiæ, arithmeticæ, logisticesq; studijs excellens, maximeq; omnibus quibus erat notus, ob ipsius iustitiam, modestiam, bonitatemq;, ut quiuis ex philosophis alius, admirationi.

*Cibi admodum exquisitis non egere qui possunt exercere ante cibum.*

Cæterū qui potest exerceri ante cibū, is haud sanè admodum exquisitos cibos desiderat: cui uerò negocia & occupationes impedimēto sunt, non modò huic probato innoxioq; uictu, sed salubribus quoq; medicamētis est opus. In primis igitur ijs qui quietè ac pro animi sententia uitam traducunt, eam uictus rationē describam, ex qua gigni sanguis optimus possit. Dein enitendum est, ut quædam his etiam præcepta tradantur, qui turbulentam uitam, atq; negocijs deditam agunt.

*Panis optimus quis sit.*

Cibi itaq; succi probati sunt, ex frumentaceorū genere panes purissimi probeq; confecti, adhibita prius maceratione atque fermentatione debita, necnon sale iniecto. Arcocti in clibano præstant: post quos furnaceis secūdæ debentur partes.

*Alica.*
*Suilla caro.*

Alica uerò, sicuti & suilla caro, si exactè in uentriculo concoquantur, in sanguinemq; à iecinore cōuertantur, probatissimos gignunt humores: aliquid tamen glutinosi in se habent, ob idq; in ijs iecur obstruunt, & renes, quibus hæc à natura astrictos meatus sortiūtur, ac proinde distributionē impediunt. Horū quoque usus uberior, in supradictis particulis uel grauitatem, uel dolorem nōnunquā facit. Quin etiā in uenis quæ per caua iecinoris, aut per mesaræon feruntur, redundans humor periculū adfert, ne uel putredinē contrahat, uel ex ipsæ particulæ in quibus cōgeritur, afficiantur phlegmone.

*Crudos humores necessario debere aut concoqui, aut computrescere.*

Quippe necesse est crudos crassosq; humores, uel concoqui, uertiq; in sanguinem, uel computrescere: non secus ac quæ calidis in locis diutius manent. Quamobrem inuenta medicamenta salubria sunt, quæ tenuandi uim possidēt, quę obstructionibus liberant. Quanquā horum frequentior usus, uel serosum, uel biliosum, uel melancholicum procedente tempore sanguinē reddit. Quandoquidem id genus medicamenta, nō solùm incidunt & tenuant, sed etiam immodicè calefaciunt: ob idq; & solida membra exiccant,

*Calculorum generatio.*

& crassum humorē reddunt, quo in renibus asso, gignuntur calculi.

*Exercitium ante cibum mediocre.*

Optima itaq; corporis constitutio, quæ tēperatissima est, meatus, per quos humor fertur, patentiores habet: quam quidem talem conseruat ante cibos exercitiū mediocre.

*Tragus.*

Tragus ex frumentacei generis alimentis, eiusdem cum alica naturæ est: ægrius tamen concoquitur. Propè etiam natura ouorū atq; uires accedunt. Iam uerò quæ glutinosos crassosq; humores gignunt, si in hepate conuertantur in sanguinem probum, potentissimè nutriunt.

*Cibi consistentes in mediocritate, omnium cōmendatissimi sunt.*

Cæterùm qui cibi in omnis excessus mediocritate cōsistunt, ij omniū cōmendatissimi sunt. Eius generis panes optimi habentur: præterea gallinarum gallinaceorumq; carnes, necnon phasianorum, perdicum, attagenarū, columbarū, merularum, turdorum, turturumq;, & omniū passerculorū. Pisces item saxatiles, pelagici, littorales, gobij, murenæ, buglossi, aselli, & simpliciter pisces omnes, qui neq; insuaue, neq; mali odoris, neq; glutinosum quicq̄ gustu repræsentant. Verùm ad sanitatem tuendam, si ante cibum corpora moderatè exerceantur, mirum in modum prodest: at contrà, quies & ocium diuturnū, ijs maximo nocumento est.

*Exercitium ante prandium mediocre, cōfert ad sanitatem tuendam.*

*Motionis post cibum incommoda.*

Qualiscunq; autem post cibum motus, alimentū ex uentre crudum in diuersas corporis partes distribuit.

*Panis vitiosus.*

Porrò panis qui nec fermenti, nec salis quod sat est continet, neq; probè maceratus nec coctus est, is glutinosum succum producit.

*Caseorum differentia.*

Caseus omnis, crassi: uetus, mali succi est: recens uerò, succi prauitate caret: qui quidem ex melle sumptus, aluum subducit.

*Lactis substantia triplex.*
*Lactis differentia.*
*Lac caprillum.*

Lac autē cùm ex triplici, dissimiliq; substantia constet, nempe serosa, crassa, & pingui: camelinū, asininūq; lac, serosi humoris plus habet: plus crassi & caseosi, ouillum: plus pinguitudinis bubulum. At lac caprillū, inter cætera lactis genera moderatè se habet, ob idq; in corporibus nostris mediū etiam præstat effectum.

*Lac serosum.*

Etenim lac quod serosum & tenue est, minus nutrit, sed aluū magis deijcit:

*Lac crassum.*

contrà crassius, minus aluum subducit, cæterū magis nutrit.

*Lac caprillum absq; melle sumptum, periculosum.*

At lac caprillum, sine melle sumptum, periculosum existit, quòd nimirū in uentriculo concrescens strangulet:

*Sanguis in grumos coactus grauissima symptomata inducit.*

quemadmodū ubi sanguis in grumos cōcretus, aut in uulnus aliquod, aut in uentrem, aut in aliquod intestinorū defluxerit, grauissima symptomata inducit.

*Lac statim ubi est mulctum, hauriendum.*

Lac itaq;, statim ubi est emulctum, hauriatur. Cui quidem ne in uentre concrescat, mellis, aquæ, & salis aliqui solent nōnihil miscere.

*Serum lactis aluum subducit.*

At quod ex lactis cōcretione defluit serum, aluum egregiè mouet.

*Placentarū natura.*

Quæ ex lacte & caseo placenta conficitur, itriaq; etiam, quæ ex lacte & similagine constant, crassi succi alimoniam præstant.

*Cochlea.*
*Oua.*

Cochleæ crassi succi censentur: itemq; oua, quæ uel elixa, uel tosta, penitus sint densata. Frixa uerò, mali succi, fumosæq; in uentriculo cocturæ existunt, secum etiam corrumpentes admistos cibos.

*Oua tremula*

Mediocriter uerò cocta, quæ ideo appellant tremula, ad coctionem, digestionem, nutritionem, boniq; succi generationem,

*Oua sorbilia.*

sicuti & quæ sorbilia dicimus, ad lenie̅das gutturis asperitates, idonea sunt.

*Pisces molles.*

In aquatilibus uerò, quæ mollia dicuntur, uidelicet lolligines, sepiæ, polypi, aliaq; id genus, crasso & tenaci sunt succo:

*Cetacei pisces*

necnon ex piscibus, quæ cetacei generis habētur, cuiusmodi sunt thynni. Sed pelamides ex his magis ad mediocritatē tenduut.

*Testacea.*

Ostreæ item, buccinæ, purpuræ, crassi admodū succi sunt: ac omnia breuiter, quæ dura testa integuntur, necnon chamæ, patellæ, pectines, pinnæ, & alia id genus. Quorum omniū succum scire debes, nō secus ac serum lactis, aluum deijcere: at solidiores ipsarum partes, serius ob crassitiem cōcoqui, crudumq; & crassum, & frigidum humorem gignere: quales uires in brassica & lente etiam uidere licet. Quorum tamen succus, nō glutinosus, sed nitrosus, & deijciendo aluo efficax est:

*Dracunculus.*
*Aron.*
*Bulbi.*

sicuti dracunculi acerrimus, & amarissimus. Vtrunq; etiam aron præstat, sed minus efficaciter. Bulbi austero amaroq; sunt succo: ex quibus lotis coctisq; sæpius, quicqd superest, crassi succi habetur.

*Fungi.*
*Boleti.*

Sed fungi inter huius generis cibos, frigidissimo, tenacissimo, & crasso succo redundant: à boletis tantùm neminē interijsse memoriæ proditum est. Sed hi ubi concoqui nequiuerunt, in nōnullis choleram excitarūt. Alij omnes

nes

*Tuber.* nea fungi periculosissimi sunt. Tuber, leniter crassi, non mali succi est: cuius generis amylũ habetur. *Nux pinea.* Itidem nux pinea se habet. *Iecur. Renes.* In his quę crassi succi censentur, iecur, renes, & testes annumerandi sunt. Verùm iecur mali succi non est: renes *Testes gallinacei.* testesq; nõ boni, testibus gallinaceorũ exceptis. *Lien.* Lien ex cæteris animalibus, satis uitiosi est succi, melancholicusq;: minus uerò nocet suillus. *Cor.* Cordis substantia durior ac magis fibrosa est, quàm quæ in alijs habetur uisceribus: quare ipsum nõnulli inter musculos collocant. *Musculi.* Sed musculorũ uerorum capita, neruosiora quoquomodo cætera carne sunt, in eaq; ex ossibus ligamenta orta disseminantur. *Tendones.* In fine autẽ musculi tendones oriuntur: eamq́; ob causam extremæ utrinq; musculorũ partes neruosiores: sicuti & mediæ carnosæ sunt, & uberrimè nutriũt. Porrò totus musculus proprijs quibusdam lineamentis circunscriptus, seiunctusq; ab alijs partibus cernitur, obitq; functionẽ unam, quæ est ex motibus uoluntarijs. *Extrema partes.* Extremæ animaliũ partes, ligamentosæ existunt, corporiq; alimentũ lentum & glutinosum præbent. *Rostra.* Partes etiã quæ penes labia pedestrium sunt, lentum, sed non crassum humorẽ gignnnt, coquunturq; cõmodè: *Alæ volucrium.* itemq; & uolatilium alæ, cõmuni quadã cum corporibns se exercentibus ratione. Nam hæc omnia excrementis carent: quæ uerò in ocio degunt, excrementosa sunt. *Suilla cutis.* Suilla cutis præpinguis, ubi probè fuerit elixa, glutinosum, sed non satis quidem crassum succum præstat: nec ueluti extremæ partes, concoctionẽ admittit: nec bonũ succum, sed excrementosiorem producit. *Cerebrum.* Cerebrũ quoq; pars crassi succi est, *Spinalis medulla.* & quæ dorso medulla excipitur. *Glandula.* Sunt glandulæ eiusdem naturę, sed mediocriter: necnon iuuenũ uictimarũ testes. *Partiũ natura pro differentia ætatum.* In uniuersum autem, partes seniorum, duræ, siccæ, & cõcoctu difficiles sunt: sicuti & iuniorum, humidæ, mollesq;, atq; idcirco faciliores concoctu: his tamen exceptis, quæ ubi in lucem æditæ sunt, protinus in cibo sumunt. Sunt enim id genus omnes mucosæ. *Mammarum glandula.* Quę in mammis glandulæ habentur, si lac in sese contineant, crassi sunt succi edulia. Quòd si animal ex quo sumuntur, boni habitus fuerit, abundè nutriũt, & bonũ succũ efficiunt. Etenim lac probatissimi succi habetur. *Lac sanare pulmonis ulcera.* Quare nonnulli pulmonis ulcere affectos, potione tantũ lactis curari putãt, antea scilicet quàm idipsum ulcus uastius atq; callosum fiat. *Lac muliebre nobis esse familiarissimum.* Sed præ cęteris lac muliebre, tanq̃ naturæ eiusdem, nobisq; familiarissimum, cõmendatur cùm ab alijs medicis, tum uel maximè ab Herodoto & Euriphone, qui quidem ubera ab ita affectis sugenda esse pronunciant. Lac siquidem, simulatq; est emulctum, nõnihil natiuæ bonitatis amittit. Scire autẽ oportet, lac ex ijs animantibus quidem, quæ boni habitus fuerint, boni esse succi: ex ijs autẽ quæ deprauato, nõ secus ac sanguis qui in illis habet, cacochymũ existere. *Glandes querna. Palmarum fructus.* Inter crassi succi cibos annumeratur utraq; balanorũ species, querna uidelicet, ac fructus etiam palmarũ. *Castanea.* Ex his autẽ quas quercus ferunt, gratæ sunt castaneæ & suaues: quæ quidem & cõcoquunt cõmodius, & prauũ succũ nõ gignunt: eæ enim assæ uel elixæ manduntur. At quæ figura oblonga sunt, & similes palmulis, suibus sunt certè nutriẽdis, haud item hominibus congruæ. *Ilignæ glandes.* Ilignæ uerò glandes duræ sunt & acerbæ, ægreq; concoctionẽ admittunt, atq; crassum succũ largiuntur: ac proinde uitandæ sunt. Est autem in austeris quidem remissa astringendi qualitas, in acerbis autẽ intensa. Sed quantò ilignæ glandes ualentiore astringendi potestate cæteras superant, tantò hac in re ab ipsis glandibus superantur castaneæ: *Castanea.* à quarum tamen usu uberiori cauendum, quòd & crassi sint succi, ægreq; coquantur, ac tum aluum astringere, tum excitare inflationes possint. *Phœnices facile iecur obstruunt.* Porrò palmarũ fructus dulcis sunt succi, crassiq;, & astringentem facultatẽ habentis: quare facilè iecur obstruit. *Dulces cibi, quæ mala inducãt.* Siquidem dulces cibi, crassiq; succi, iecinoris ac lienis obstructiones faciunt: inchoãtemq; in uisceribus phlegmonẽ augent: necnon inflationes, scirrhosa uitia, adeoq; abscessuũ generationes proritãt. Nostris autẽ corporibus alimentum accõmodatissimũ est, quod ex ijs rebus cõficitur, quæ nec crassi, nec tenacis sunt succi: hæc siquidem moderatæ consistentiæ sanguinem gignunt. Quod uerò tenue admodum est, parum nutrit. *Friabiles cibi.* In his quoq; uitium est cibis, qui omnino friabiles sunt, ut qui paucissimum in se habeant lentorem. *Panicum. Milium.* Panis quippe ex panico, milióue confectus, dum estur, arenidum quiddam, uel quasi cinerem sapit: nisi ei aliquid indideris pinguitudinis. Quare ad bonam ualetudinẽ ij cibi cõmodissimi sunt, qui mediam quandam naturã inter ea quæ diximus obtinent. *Semina præstantiora quæ sint.* Cæterũ quæ ex seminibus, aut omnino ex fructibus intumescunt, ueteremq; protinus siccitatem atq; duritiem deponunt, mollioraq́; & humidiora redduntur, præstantiora existunt: deteriora uerò, quę pristinam duritiem retinent, atq; etiam minimè tument. *Ptisana quæ præstantior.* Quod uerò ad ptisanam pertinet, quæ celeriter quidem turget, probatissima est: quæ autẽ post multũ temporis intumuit parum, uitiosa. *Triticum.* Porrò quod præstantius est triticũ, plus quidem: quod deterius, minus farinæ reddit. *Fructus ad reponendũ aptiores.* Ii autem fructus cõmodè, iudicio meo, asseruantur, qui priusquã marcescant, siccantur. *Cucurbita.* Nonnulli cucurbitas in tenues offas dissectas, arescere sinunt. *Fungi.* At fungi cùm siccari nequeant, uitium in se habere maximum indicant. *Fructus qui siccari nõ possunt.* Paucissimos tamen fructus reperias, qui siccari nõ possint, præter pepones, melopepones, Armeniaca, Persica, & quæ à Romanis pręcoccia appellantur. *Ficus.* Ficus etiã siccatæ durant, *Cucumeres.* & cucumeres ut cucurbitæ similiter reponuntur. Qui cibi ilicò in tumorem crescunt, interim dum in aqua coquuntur, ij & cõficiuntur aptius, & ad bonos humores gignendos sunt præstantiores. Nihil autem in cibarijs omnibns ad boni succi generationẽ tam pertinet, quàm si probè in uentriculo concoquant: *Concoctio triplex.* hæc siquidem & secundam, quæ in iecore & uenis fit, & tertiã, quæ in particulis quæ nutriuntur, perficitur, facilius concoctionem admittunt. *Nutritio quomodo fiat.* Fit enim nutritio, alimento secundum qualitatẽ mutato, & particulis quæ nutriuntur assimilato. *Præcocta melius transmutari quàm cruda.* Cæterũ præparata præcoctaq;, cõmodius transmutantur, q̃ cruda, cùm ad inuicem cõcoctiones succedant. *Concoctionis organa.* Cunctis igitur corporis partibus iecur alimentum præparat, illi uentriculus, huic os, ori ars

S

obsonatrix, quæ uarijs modis concinnat cibos: quibus deniq; omnibus gubernatrix natura fructiferas plantas disponit. *Interanea animalium.* At uentriculi, uuluæ, intestinaq; animaliũ, quò duriori substantia ꝗ caro constant, eò etiam cõcoctu difficiliora, nec adeò boni succi sunt, nec tam apta ad nutriendũ. *Caudæ.* Sed caudę sunt his quoq; duriores: reliqua uerò in ipsis, quæ ad concoctionem & nutritionẽ spectant, duritiei proportione respondent: hoc tamen excepto, quòd motionis causa minimè excrementis redundant. *Colla uolucriũ.* Cum his uolatilium colla, similitudinem quandam habent. Ventriculi pedestriũ & uolatiliũ, maximè inter se differunt. Nanq; ex uolatilibus crassus durusq; est, & concoctu difficilis: at si coquatur, uberrimè nutrit. *Ventriculi gallinacei anserinique. Anserinæ carnes* Gallinæ & anseris præstantissimus est. Cæteræ uerò anserinæ partes, alis exceptis, sunt duræ, & excrementosæ, nec facilè concoctionem admittunt. *Struthocamelorum partes.* Struthocamelorũ membra omnia, dura, excrementitia, & cõcoctu sunt difficilia. *Aures.* Auriũ cartilago & sicca est, & minimè nutrit: earum cutis exterior tenuis aridaq;: ægrè item concoquitur, & parcissimè nutrit. *Oculi.* Oculi à paucis eduntur: cõstant enim ex substantia dissimili. Cæterũ eorum musculi tantùm facillimè concoquuntur. Ex animantibus quorũ natura est ad gignendos bonos humores aptissima, *Sues.* sues mediocris iam ætatis habentur. *Porcelli.* Caro ex porcellis paruulis, excrementis scatet. *Suilla caro.* Itaq; ex pedestribus animalibus suilla caro cibus probatissimus est: *Hœdina. Vitulina.* deinde hœdina, mox uitulina. *Agnina.* Agnina uerò, humida, tum lentorem, mucoremq; in se habere censetur. A cæteris pedestris generis, meo iudicio, abstineat, quisquis boni succi generationi animũ curamq; intendit. *Ptisana.* Ptisana probè ex optimo hordeo confecta, inter cibaria omnia prorsus omni noxa caret: nutrit tamen quàm panis minus. *Fœnogræcum.* Fœnogræcum nõ boni succi est, si quis eo liberalius utatur. Ptisanam uerò, etsi quotidie ad satietatẽ sumpseris, nõ idcirco boni succi generationẽ impedias. Idẽ quoq; *Fabæ inflationes gignunt.* de fabis dicerem, cùm nec mali sint succi, nec ob uim illam detergendi, quam habent, obstructiones faciant, nisi inflationes parerẽt. *Pisa.* At pisum extergendi quidẽ uim nõ æquè habet, ac faba: sed inflatione caret. *Lentes.* Lentes & uitiosi succi, & melancholici sunt. *Ochri. Dolichi.* Ochri præterea & dolichi his quæ diximus deteriores, *Cicercula.* & cicerculis meliores habẽtur. *Olyra.* Post hordeum olyra annumeranda est: *Typhe.* post hãc typhe. *Panicum.* A panico prorsus abstineas. *Milium.* Huic milium consimilis est generis, sed minus malũ. *Cicer.* Cicer egregiè nutrit, sed nec boni succi est, & inflat nõ minus ꝗ faba, semenq; auget, ac ueneris desiderium. *Lupinus.* Lupinus nõ mali, sed crassi succi est, propterea q; nutrit egregiè. Fructus quos arbores ferunt, omnes ferè mali sunt succi, *Castanea.* castaneis tamẽ exceptis, quæ si in uentriculo concoquantur, efficaciter nutriũt: atq; eæ crassi quidem, nunꝗ autem sunt mali succi. *Horæi fructus si corrumpãtur in uẽtre, similes letalibus uenenis redduntur.* Cæterùm qui fructus horæi appellantur, humorem uitiosum gignunt: quòd si fortè in uentriculo corrumpantur, similes letalibus uenenis redduntur. *Ficus. Vuæ.* At ficus & uuæ cæteris autumnalibus fructibus sunt præstantiores. Quippe maturæ ficus ferè innoxiæ sunt: uuæ deinde, & eæ quidem appensæ. *Caricæ quando pediculos gignant.* Verùm caricæ, si diutius immorentur in corpore, mali sunt succi, & pediculorum copiam producunt. Cum nucibus autem sumptæ, cibi præstantissimi sunt, cum amygdalisq; similiter: sed cum his obstructiones aperiunt, nõ tamen ita bonum succum præstant, nutriuntq;, ut cùm miscentur cum nucibus. *Caricas cum ruta nucibusq; præsumptas, aduersari uenenis.* Sunt qui caricas cum ruta nucibusq; præsumptas, uenenis uniuersis aduersari fateantur. Reliqui arborum fructus mali succi sunt, ijq; potissimum, quos syluestres plantæ & frutices ferunt. *Fructus quibus ut medicamentis utimur.* Sed mâlis, piris, punicisq;, & mespilis, non alimentorũ, sed medicamentorum loco utimur, ad uẽtriculi firmitudinẽ. *Cucumeres. Pepones. Melopepones.* Inter fructus quoq;, cucumeres, pepones, melopeponesq; connumerantur: quorum nullus boni succi est. Quòd si celeriter perfici, digeriq; nõ possint, in succum ferè letalibus uenenis similem conuertuntur. *Cucurbita.* Cucurbita duntaxat ex huiuscemodi fructibus damnanda nõ est. Si tamen in uentriculo corrumpatur, ipsa etiam malum succum producit. *Mora.* Mora itidem, si perficiantur citò, & priusquàm corrumpantur trãsierint, innoxia sunt: nisi ijs quispiam liberalius utatur. *Oleracea omnia cacochyma.* Ex oleraceis nihil est quod bonũ succum præstet. Lactuca tamen in ijs quæ boni maliq; succi sunt, mediocriter se habet. *Olerum uariæ species.* Post illam malua habetur. Post hanc portulaca, atriplex, blitũ, rumex. Sed lactuca agrestis, chondrilla, scandix, gingidium, seris, cichorium, aliaq; ex oleraceis agrestibus omnia, succum uitiosissimũ gignunt. *Radices olerum acrimoniam habentium.* Radices olerum in se acrimoniam habentiũ, ut allij, cepæ, porri, raphani, & pastinacæ syluestris, malum succũ producunt. Sed ari, cariq; radix, & rapi, in ijs quæ boni prauiq; succi sunt, media habetur. *Aues. Pisces.* Aues piscesq; ferè omnes, boni succi censentur, exceptis lacustribus, palustribus, & qui in immundis fluminibus atq; turbidis degunt. Minus enim hæ natationibus sese exercẽt, uitiatoq; aẽre, & prauo uictus genere utuntur. Quæ uerò in meliores aquas se transferũt, adhuc animalia ea ijs deteriora sunt, quæ puro ex mari uictitãt. Omnia siquidem propemodũ animãtia, quæ in ea maris parte uersantur, quæ dulci aquæ se nõ immiscet, innoxia sunt: ut pelagica, & saxatilia, *Pelagici pisces. Saxatiles.* quæ tum ad bonos humores gignendos, tum ad gustus ipsius uoluptatẽ, cæteris multò sunt pręstantiora. Horum itaq; frequens usus, tutissimus est. *Pisces duplici ex aqua uiuentes.* Nõnulla præterea sunt quæ duplici ex humore uiuũt, tum marino, tum dulci: ut lupi, capitones, cancri, gobij, murænæ, anguillæ. *Pisces puro ex mari uictum capientes.* Sed quæ puro ex mari uictũ petũt, ea & boni odoris sunt, & gustui suauia: pinguedinis autẽ aut nihil omnino, uel paucissimũ in se cõtinent: diutiusq; à putredine illæsa durant (quibus signis discernuntur ab alijs) præsertim si niue obducantur. Ad hunc enim modum quæ duriori sunt carne, præstantiores euadunt. *Muræna.* Murænæ igitur ex aquis impuris, pessimæ. *Anguillæ nunquam boni sunt succi.* Anguillæ nunꝗ boni sunt succi, uel si in puro humore uersentur, nedum in eo qui purgamenta urbium recipit. Secundũ quoq; locorũ pasturas, pisces & meliores & deteriores fiunt: id ꝙd odore & gustu explorabis facilè. Cæterùm neq; auxiliorũ, neq; exactam salubrium ciborũ notitiam consequetur is, qui illorũ uires accuratissimè norit, nisi corporũ quoq; atq; particularũ naturas, quorũ causa cibi expetuntur, agnoscat. *Corporum differentia.* Ex his enim nonnulla sunt densa, & quæ spirare non possunt:

possunt: laxa nõnulla, & quæ inaniuntur facilè: eamq; ob causam humidiore illa alimẽto egent, hęc sicciore. Alia item glutinosius, alia tenacius, alia parcius, alia uberius alimentũ desiderant. Similiter, quibus sanguis est admodũ melancholicus, humidi calidiq; cibi sunt dandi: quibus uerò biliosior, frigidi & humidi. Verùm ubi pituitosus existit, cibis tunc opus est qui calefaciendi siccandiq; uires obtineant. Qui probo sanguine abundant, alendi sunt parcius ijs cibis, qui naturam mediam sortiantur, sic ut neq; aliqua primarum qualitatum excellant, nec crassi aut tenues, nec lenti aut aridi, aut deniq; friabiles sint. Porrò ariditas, in duris ualdeq; siccis rebus. friabilitas autem, in mollibus, medijsq; inter humida & sicca inuenitur. Cõmune tamen utriq; est, ut tenaci lentore careat omnino. Ex uinis quæ aquosa tenuiaq; sunt, urinas mouent, & paucissimi sunt nutrimenti: crassa uerò, ut Theræum & Scybelites, quæ absolutæ dulcedinis sunt, nõ leuiter quidem nutriunt. Cilicium uinum, austerũ simul & dulce existit. Quæ Aegis & Perperinæ proueniunt, medium inter dulcem & exquisitè astringentem qualitatem, saporem reddunt: nigraq; hęc omnia sunt. Nulla enim uina inuenies crassa pariter & dulcia, quæ nigra non sint. Alba uina haudquaquã dulcia sunt, sed alia austera & crassa, alia aquosa & tenuia. Ex flauis autem, rutilisq;, nonnulla mediocriter dulcia sunt, sicuti Hippodamantiũ, Faustianum, Falernum: nõnulla omnino dulcedine carent. Sunt autem his rubra crassiora, & ex rubris, quæ proxima colore ipso nigris sunt. Nutriunt autẽ hæc omnia crassitudinis proportione: eamq; ob causam, qui indigent refectione, ut dulce uinũ potent, suadendi sunt: ac tum præcipuè, cùm horum iecur, lien, & renes, uino penitus carent. Verùm cui crassus succus per uenas redundat, tenuis substantiæ uinum: cui frigidus, acre & uetustum: cui non frigidus, quod neq; acre neq; uetustum sit, accommodatum est. Ad bonos autẽ humores gignendos, odoratũ præstantius: sed tamen caput tentat. Tenue, ciendæ urinæ magis idoneum, capiti nullam infert noxam. Vitanda quæ crassa simul, maliq; odoris, gustuiq; ingrata & austera sunt. Ex uinis probatissimi succi Falernũ habeť, potissimũq; id quod dulcius. Ad alui fluxiones sistendas, austeris utimur uinis: quę ad nullos alios usus accõmodare solemus. Cæterũ in ipsorum uinorũ exhibitione, non minus regionum, temporũ, exercitiorumq;, quàm affectuũ, & temperaturarũ hominũ, ratio est habenda, sic ut moderata conseruemus similibus, immoderata corrigamus contrarijs. Temperaturis igitur frigidioribus, rutilum dulceq; uinũ, utpote calidum, accõmodatũ est. Contrariũ uerò, temperamentis atq; dispositionibus calidis: quòd illud calefaciat impensè, capitisq; dolores, & febres facilè inferat, neruosq; nonnunq̃ lædat. Quòd autẽ crassa uina dulciaq; deijciant aluum, nemini obscurum est. Mustum etenim, licet coquatur ęgrè, crassumq; succum & inflationes gignat, aluum tamen subducit: id quod si interdum efficere nequeat, mirum in modum nocet. Vitanda ergo quę nimis uetusta sunt, nimisue recentia. Nanq; illa præter modum, hæc nullatenus, quandiu recentia fuerint, calfaciunt: quæ tantùm abest ut aliquem usum cibis concoquendis afferant, ut etiam ipsamet conficiantur ægerrimè. Præterea nec cõmodè per aluum transeunt, nec digeruntur, nec urinas mouent, nec sanguinis confectioni nutritioniq; idonea sunt. Sępe etiam, ut aqua, in uentre suspensa remanẽt: ut si paulò amplius ex ijs hauseris, facillimè coacescant. Sed ex recentibus uinis genus illud duntaxat tutò bibitur, quod tenuis substantiæ est: sicuti ex Italicis, Cauchianum, Albanum, & ex Sabinis Thuscisq; nõnulla. Aminæũ quoq; quod in eo colle nascitur qui Neapoli imminet, citò ut bibatur idoneum redditur: quale apud nos in Asia est Tibinũ, Arsinium, & Titacazenum. Quæ sanè tenuia, candida, & aquosa existunt, ideoq; oligophora uocantur. Et quemadmodũ rutila uina, cùm calida potestate sint, replent protinus caput, sic illa, nempe tenuia, & aquosa, leniterq; astringentia, non modò capiti innoxia sunt, sed etiam leues eos capitis dolores nõnunquam tollunt, qui ab humoribus in uentriculo collectis proficiscuntur. Quin & aquæ potio, uitium præcipuè in se habentis, nonnullis capitis dolores infert: nam & ipsa corrũpitur, & naturale robur exoluit. Quo fit, ut ubi uentriculum inualidum reddidit, in cauas eius partes ex reliquo corpore sanies quædam biliosa defluere consueuerit, more eorum quos premit inedia. Quibus sanè offensis, noxisq;, dictum uinũ, sui temperamẽti ratione, hominem actutùm liberat: pauloq; pòst, ubi firmarit uentricũlũ, quæ illi noxia sunt, ad partes infernas defert. His ergo qui calido admodũ temperamento sunt, aquæ potus longè accõmodatior est uino: quod utiq; si interdũ propinare expediat, sit quidem tenue, leniterq; austerũ. Ex uinis itaq; quod uetustissimũ est, adeò ab albo & austero, necnõ recente & crasso distinguitur, ut illud quidem efficacissimè calefaciat, sensibilem hoc refrigerandi facultatem obtineat. Dulcissimum autẽ acerrimumq; mel, eximiæ æstimationis est. Verũ cuiuslibet generis mel calefaciendi uires sortitur, sumptumq; à calidis corporibus facilè in bilem uertitur. Idcirco pituitosis admodum naturis, ætateq; & senio confectis, utiliter datur: frigidis quoq; morbis accõmodatissimũ est. Acetũ mulsum, hoc est, oxymel, sanitatis tuẽdæ gratia ætatibus naturisq; omnibus utilissimum est: siquidẽ obstructiones omnes discutit, astrictosq; meatus ita aperit, ut nulla in parte crassi glutinosiq; succi adhærescant. Quare medicamenta salubria, tenuandi omnia in se potestatem habẽt, tutioraq; ad ualetudinẽ tuendam censeri, quàm quæ crassiores humores gignũt: sed bonã habitudinẽ, roburq; efficere nequeũt. Vitanda autẽ penitus quæ uitiosi sunt succi, præterquàm æstate, cùm languentium corporũ siccitati & calori occurrendum est. His enim hoc ipso tempore, mâla, pruna, cerasa, moraq; idonea sunt: item cucumeres, pepones, melopeponesq;: sed parcius his uti cõuenit. Dantur quoq; præcoccia, persica, & quæ à Romanis milce dicitur, refrigerata tamen: necnon spuma lactis, atq; etiã cibaria ex lacte confecta. Ficus item frigidę,

*Naturas diuersas, diuersa esse alendas uictus ratione.*

*Ariditas in quibus adsit.*

*Friabilitas in quibus.*

*Vina alba & tenuia, mouere urinas.*

*Vinorum differentia.*

*Vinum omne crassum & dulce, esse nigrum.*

*Vinum dulce quibus sit propinandum.*

*Vinum odoratũ caput tentat.*

*Vinũ tenue mouet urinas.*

*Moderata esse conseruanda similibus, immoderata corrigenda contrarijs.*

*Mustum deijcere aluum.*

*Vina uetusta calfacere impensius, recẽtia nullatenus.*

*Vinorum recentium noxa.*

*Aminæum uinum.*

*Aquæ potio quæ mala inferat.*

*Aquæ potus quibus conueniat.*

*Mel omne calfacit, atq; in corporibus calidis bilescit facilè.*

*Mel quibus conueniat.*

*Oxymel ætatib. & naturis esse omnibus utile.*

*Cibi æstate admittendi.*

*Aestuantibus victus ratio conueniens.*

& cucurbitæ, ita affectis accommodæ sunt. Prudens tamen uir, ad refrigerandos æstus ex balneis rediēs, epota prius aqua, mox uino mediocriter aquoso, ijsq; per uomitum redditis, lactucam edat, quæ innoxia est, simulq; uires habet refrigerandi. Sumat postea suillos pedes bene decoctos, ex aceto & garo: itemq; alas gallinæ uel anseris, & eiusdem etiam uentriculum, necnon pisces nonnullos frixos, ex ijs qui molli sunt carne. Danda item ex oleribus quæ mali succi non sunt, sicuti malua cucurbitaq;. Vinum postea, ubi frigida aqua dilutum sit, potet. Mihi sæpius similes æstus & calores perpesso, ptisanæ cremor bene refrigeratus fuit sans. Sunt qui niue refrigerentur. Sed hæc illis præcepta traduntur, qui assiduis occupationibus impediuntur: qui uerò huiusmodi sunt soluti negocijs, si exercitatione uti solent, quamrarissimè frigido potu indigent.

*Exercitatos quamrarissimè frigido potu egere.*

*Niuis vsum esse periculosum.*

Qui minimè exercitantur, summa æstate cùm uehementi calore urgentur, aquam fontanam bibant, ab usuq; niuis abstineant. Hæc siquidem, quamuis protinus nullam corporibus iuuenum læsionem sensibilem inferat, sensim tamen, occulteq; crescente uitio, cùm iam ætas progressu temporis inclinarit, articulos, uiscera, neruosq; ijs morbis uexat, qui uel difficulter admodum, uel omnino tolli nō possunt: nimirū semper imbecilliori particula, facilè quancunq; excipiente læsionem. Quòd autem uitiosi humores morbos gignant, cruditas assidua maximè in causa est.

*Cruditas quæ sit alijs deterior.*

Ea autem cruditas deterior est alijs, quam uitiosi succi cibaria effecerūt.

*Affectus à tenui fluxione orti.*

Quæ cùm duplici modo se habeant, si tenuem quidem succum reddant, acutos morbos cum maleficis quoq; febribus inuehunt: succorumq; uitio in unam duntaxat particulam decumbente, tunc erysipelata, herpetes, aliæq; affectiones calidæ oriuntur.

*Affectus à crassa fluxione.*

Si uerò crassum succum efficiant, articulorum & renum uitia, podagræ, anhelationes, tum lienis iecinorisq; scirrhosi affectus gignuntur. At quibus malus corporis humor melancholicus fuerit, affectus melancholici orientur. Sed ex humoribus mixtis, mixtæ affectiones proueniunt.

## GALENI PERGAMENI de attenuante victus ratione liber vnus.

*Tenuans victus ratio quibus affectibus cōferat.*



CVm uictus ratio attenuans plerisq; diuturnis morbis, ut arthritidi, dyspnœæ, tumoribus lienis & hepatis, necnon morbo comitiali incipienti, adeò conferat, ut sola ea, sine ullo alio medicamento, sublati sępe ij fuerint, operæprecium uidetur aliquid & de ipsa perscribere. Vocant autem eam attenuantem, quemadmodum incrassantem, quæ illi contraria existit: pro eo humore scilicet, quem utraque in nostris corporibus gignit.

*Olfactus. Gustus.*

Etenim olfactus & gustus, mentem nostram ad omnes eiusmodi cibos discernendos, satis abundè instruunt.

*Acria quæ dicantur.*

Quippe quæ sensus nostros pungunt & mordicant, ea omnia constat esse acria, & quæ succos crassos tenuare queāt. Quæ etiā, si largius æquo sumpta fuerint, uentriculū mordicant, ciborumq; nauseam magnam inducunt, & halitus acres emittūt.

*Acria largius sumpta, quæ mala inferant.*

Plurima autem eorū urinas & sudores graueolentes & acres promouent: alia autem diuellunt, erodunt atq; pertundunt.

*Acria quibus vtilia.*

Cæterū corpora in quibus humores frigidi, crassi & lenti redundant, huiusmodi cibor**ū** usu maiori ex parte iuuantur.

*Tenuantia medicamenta.*

Nemo igitur est qui allium, cepam, nasturtium, porrum, & sinapi, in genere ignoret esse tenuantium: post illa autem, smyrniū, pyrethrum, origanum, calaminthen, sisymbrium, pulegium, satureiam, thymū: quæ omnia uiridia quidem manduntur: exiccata uerò, iam non amplius sunt cibi, sed medicamenta.

*Sicca esse valentiora viridibus.*

In summa, omne quod siccum est, uiridi ualentius existit. Eorū uerò quæ sicca non sunt, maturiora minus maturis: & quę in montibus & locis siccis proueniunt, ijs quæ in campestribus, planis, hortis, & paludibus crescunt, sunt fortiora.

*Mōtana esse valentiora campestribus.*

Prædictis autem ordine proxima est capparis, & terebinthi fructus: his autem eruca, sium, apium, petroselinum, orminū, raphanis, brassica, & beta. Malua uerò & blitū, & atriplex, tametsi ijs specie sint proxima, facultatibus tamen dissident: aquea enim sunt, minimūq; acris facultatis sortiunt: quomodo cucurbitæ, citrulli, melones, melopepones, & pruna: humida siquidē sunt hæc omnia, necnō frigida, & pituitosa, potissimū si cruda & non elixa mandantur. Omnia igitur tenera & increscentia, facultatibus moderata existunt. Quo fit ut pleraque medicamenta, dum oriuntur & adolescunt, non secus ac cibi mandantur: ut silphij, sinapis, pyrethri, & iringij stolones, quæ omnia ubi cōmaturuerunt, magnam habent uim incidendi. Tenuant uerò admodum, dum oriuntur, atque adolescunt. Pari modo & urtica, priusquàm exiccetur est esculenta: præterea fœniculus, ruta, coriandrum, anethum, eiusdem cum illis sunt speciei, euidenterq; etiam calfaciunt. At uerò agrestia olera, inter ea quæ diximus, naturam mediam sortiuntur.

*Acria habere facultatē tenuandi.*

Si quid igitur olfactui, aut gustui, aut utriq; simul, acre, mordicans & calidum apparebit, scito facultatem id habere tenuandi, atq; incidendi. Ad hæc, si quid olfactui bonū odorem inferens, aromatis speciem repræsentet, id quoq; uiribus calidum esse oportet: sed non æquè ac mordicantia & rodentia, & insigniter calfacientia. Incidunt præterea & quæ saporem habent nitrosum, aut salsum: quor**ū** plurima etiā aluum deijciunt, nec minus ijs amara, facultate tenuandi sunt prædita.

*Tenuandi facultatem aceto intendi atq; melle, remitti autem oleo.*

Incidendi autē in illis facultas, aceto & melle intendit, oleo uerò minuitur. Mixacanthus portò, mediæ quodammodo est facultatis: ab eo autem elij & chamædaphne utrinq; nō multùm differunt. Stomacho autem minus prædictis cōmodant uitis albæ, & uiticis, & spinæ asparagi: omnium autem maximè austeri atq; astringentes, quales sunt uitis, ac rubi. Spinæ uerò asparagus aluum deijcit. Iuuat etiā uentriculū, facultatisq; est mediocris, & palmæ germen.

*Palmæ germen.*

Qui asparagi amaroris quippiā pręferunt, quātò amariores, tantò ijs sunt304 204 sicciores, & incidentes magis.

*Semina esse facultate suæ plātæ similia.*

Semina sunt facultate suæ plantæ similia: nisi quòd illis prorsus licciora sunt, magisq; ad calorē propensa, eoq; magis tenuantia.

Non

Non omnia tamen sunt uesca, ut nec herbæ ipsę. Est itaq; papaueris semen herba ipsa præstātius, adeò ut tanq̃ innoxiũ panibus ipsum & placentis permisceant. Refrigerare tamen & ipsum palàm ex hoc intelliges, quòd caput grauat, & soporiferũ est, sed nõ perinde ac succus ipsius. Soporiferũ est & lactucæ semen: quãdoquidem & olus ipsum frigidũ est & humidũ. Ab his igitur frigidis humidisq; seminibus ei est cauendum, qui tenuante uictus ratione uti uolet. Sesami semen, succum crassum ac lentum in corpore gignit: apij uerò, petroselini, cumini, carui, anisi, libystici, sinapi, ameos, dauci, seseleos, & omnium denique odoratorũ & acriũ, euidenterq; calfacientium semen, tenuanti diæta utentibus cõgruit. Cæterũ rutæ semen uehementissimã tenuandi uim possidet. Pari modo & lini & cannabis semina: quæ etiã & caput tentant. Quibus tunc præcipuè utendũ est, dum sanguinẽ per urinas purgare uolumus. Cerealia omnia generaliter appellantur legumina. Quæ uerò manu leguntur, speciatim dicũtur chedropa: sicuti & frumenta, quæ falce putantur. Triticũ igitur firmissimi est alimenti: succumq; crassum admodum gignit ac lentũ. Quare illo simpliciter elixo nõ est uescendum: nam cõcoctioni renititur, & crassum succũ producit. Sola autẽ ea præparatio est probanda, quæ fermento constat, sale, & clibano. Paulò deterior quæ minori furno. Triticum quod graue est & densum, ac in profundo flauum, copiosissimi alimenti est, crassiq; succi ac lenti. Contrà quod leue est, & rarum, & album, minus nutrit, succumq; gignit crassum minus, ac lentũ. Similago autẽ & alica, multũ alunt, crassiq; sunt succi, ac lenti. Verũ similaginem quidem nõ conuenit eos attingere, qui extenuante uictu utũtur. Alica uerò possunt uesci moderatè, tum sola aquæ incocta, tum uerò cum mulso, aut uino dulci, flauoq; ac tenui, quodq; uiribus Falerno sit proximum. Licebit etiã miscere tum betas tritas, tum anethi nõnihil, uel porri, uel pulegij, uel calaminthes, uel hyssopi, uel piperis. Ptisana autem ipsa per se nõnihil absterget, ut hyssopo nõ magnopere egeat. Mel ptisanæ immiscere opus nõ est, nisi quis ea quæ in thorace ac pulmonibus continentur, studeat expectorare. In hepatis uerò ac lienis affectibus ipsum admiscere nõ conuenit. Hordeacei panes, quouis illi modo parentur, exigui alimenti sunt, succumq; crassum, ac flatus minimũ generant. Polenta uerò, similiter ac panes, nutrit: nisi quòd siccat magis, propterea quòd frixa existit. At farina est utrisq; humidior, excremẽtosaq; magis ac flatulenta, & potissimũ si cum lacte coquatur. Ex typha porrò & auena, panes similiter cõficiuntur, qui & ægrè coquuntur, & succum reddunt nõ probum. Inter hæc & triticum, olyra medium locum sortitur: nimirũ tantò deterior tritico, quantò his melior existit. Quod uerò ad zeam pertinet, non arbitror esse aliud frumenti genus, ab olyra & typha diuersum: sed existimo, id quod nos appellamus typham, à ueteribus zeam appellari. Quod semen ubi à cortice spoliatum fuerit, tritico, hordeo, & olyra, longè tenuius atq; exilius existit. Flauum prętetea est, ut triticũ: nõ autẽ album, ut hordeũ,

*Papaueris semen tanquam innoxium, panib. & placentis misceri: soporiferu tamen existere.* *Lactuca semen soporiferũ esse.* *Semina tenuandi vim possidentia.* *Ruta semen.* *Cerealia.* *Chedropa.* *Frumenta.* *Triticum.* *Tritico elixo cur nõ sit utendum.* *Panis optimi cõpositio.* *Tritici differentia.* *Similago.* *Alica.* *Ptisana.* *Mel quando miscendu ptisana.* *Mel incommodum hepatis & lienis affectib.* *Hordeacei panes.* *Polenta.* *Farina.* *Typha.* *Auena.* *Olyra.* *Zeam & typhã esse idem frumẽti genus.*

Fabæ minus quidem quàm hordeũ tergẽt: uerũ sunt concoctu difficiles, atq; admodum flatulentæ. Fabis pisa ad omnia sunt præstantiora. Eruilæ uerò, & dolichi, & phaseoli, multò fabis sunt deteriores. Lentes autẽ tametsi succum crassum gignant, non omnino tamen sunt aspernandæ. Lupini similes sunt lentibus, nisi quòd multum siccant. Cicer cibus est flatulentus, & concoctu difficilis, atq; excrementitius: ad mouendas tamen urinas cõmodùm. Eruũ boum magis q̃ hominum est alimentũ: incidendi tamen facultate insignitur. Vnde & ex eo medicamentũ paratur, quod in ijs quæ in thorace hærent expectorandis, nulli est secundũ. Fœnogræcũ nõ incõmodè alui dejciendæ gratia, ante alios cibos sumitur. Cum melle quoq; eius succũ exhibent, ut qui calfaciendi ac detergendi uim habeat. Quòd tamẽ caput tentet, usus eius multus cauendus est. Pruna Damascena hydromelite incocta, præmandunt ij, quibus extenuante uictus ratione est utendum. Verũ his magis aluũ dejciunt, quæ ex Iberia exportantẽ. Ventrẽ pręterea subducũt echini marini, & concharũ omniũ atq; annosorũ gallinaceorũ iuscula. Panicũ & miliũ praui sunt succi, flatulenta, & difficilia cõcoctu. Nam alui fluorem impensè siccant. Hortenses lobi cibo adaptantur: crassi tamẽ, pituitosiq; sunt succi. Ex frumentaceis cibis solũ hordeũ, tenuanti uictui est innoxiũ. Secundũ hoc sunt panes clibanitæ, qui ex tritico fiunt. A reliquis abstinendũ censeo. Ex piscibus saxatilibus, montanisq; auiculis, multũ copiosumq; potes alimentũ ad tenuantẽ uictum accõmodare. Animalia siquidem quæ in stagnis ac locis aquosis & campestribus degunt, humidiora sunt, atq; excremẽtitia: quæ uerò in montibus uiuũt, omnia sunt tum sicciora, tum calidiora tẽperie: eorũq; caro minimũ pituitosa ac uiscida existit. Quare animalia omnia in montib. nata, multò ijs quæ in locis oriuntẽ planis, sunt præstantiora. Mandẽdæ etiã sunt aues eæ, quę in turribus uineisq; agũt uitã. Quare columbæ turricolæ domesticis sunt meliores: tum etiã pari modo & apri, suibus domesticis: atq; ut in summa dicam, omnia quæ exercentẽ, ijs quæ sunt ociosa: & quę cibis siccioribus, ijs quę humidiorib. utuntẽ: & quæ purũ ac tenuẽ aërem inspirant, ijs quæ cõtrariũ, ad tenuem uictũ sunt præferẽda. Etenim suũ domesticorũ caro omniũ aliorum ciborũ firmissimè nutrit: plurimũ tamen habet lentoris. Quòd si is qui talẽ uictũ requirit, sese multũ exerceat, licebit ei & auribus, & rostris, & pedibus suillis uesci: uentre præterea, & matrice, si modò ea elixa bellè fuerint. Qui autẽ uitã in maiori ocio degunt, abundè eis fuerit montanis auibus uesci, & piscibus saxatilibus, ac breuiter omnib. quæ carnẽ habent simul mollem atq; friabilem. Nam ab ijs quę aut durã habent, aut lentã, omnino abstinendum est, nisi aliorũ penuria nos aliquãdo talia esse cõpellat. Porrò anguilla, & mollium pisciũ pars maxima, tametsi carnẽ mollem sortiantur, quòd tamen succo lento ac pituitoso redundent, ijs qui uictu tenuante uti uolũt, plurimũ noxia est. Hirci autẽ & boues, carnẽ quidẽ habent satis friabilem, nocẽt tamen propter duritiem, & in alterando difficultatem. At sola car-

*Faba.* *Pisa.* *Eruila.* *Dolichi.* *Phaseoli.* *Lentes.* *Lupini.* *Cicer.* *Eruum.* *Fœnogræcum.* *Pruna Damascena.* *Pruna Iberica.* *Echini marini.* *Panicum.* *Milium.* *Lobi hortenses.* *Hordeum.* *Saxatiles pisces.* *Montanæ auiculæ.* *Mõtana animalia cãpestribus, omnia esse calidiora & sicciora, atque ob id præstantiora.* *Columbas turricolas, domesticis præstantiores esse.* *Apri sunt meliores suibus domesticis.* *Tenui uictui quæ animalia cõducãt magis.* *Suillæ carnes.* *Anguilla uictui tenui aduersatur.* *Hircinæ carnes.* *Bubula.*

*Torpedo. Turtur piscis. Arietes.*

tilagineorum torpedo & turtur laudantur: possisq; nonnunq̃ in saxatiliū penuria ijs uti. Ex terrestribus uerò animalibus, hirci & arietes, & genus omne ouiū caprarūq;, non usquequaq; sunt alimēti laudabilis.

*Hædina carnes. Agnina. Equina. Asinina. Pardorū carnes. Vrsina. Leonina. Ceruina. Leporina.*

Solis autē hœdis innoxiè utēris. Agnorum esus propter insignem est humiditatem fugiendus. Equorum & asinorū esum, hominibus asininis: ut pardorum, & ursorū, & leonum, hominibus tantùm feris permitto. Proximi sunt asinis cerui, eoq; ab eorū esu abstinendum. Caro autem leporū, ad aliam uictus rationem siccantē est, nō ad propositā, cōmoda: sanguinē enim uehementer crassum producit.

*Sanguine in cibo utendum nō esse, sicuti neque uisceribus.*

Sanguis omniū animaliū in cibo est uitādus, & multò adhuc magis in tenuante diæta. Pari modo à uisceribus est abstinendū: sunt enim excrementitia, difficiliaq; concoctu, necnon crassi succi.

*Canina carnes. Vulpina carnes.*

Canum & uulpium carnem equidem nunq̃ gustaui: sunt tamen ea animalia sicco temperamento. Vt autem suum extremis partibus uesci aliquando cōcessimus, ita & uti gallinarū alis permittimus: testes tamen & uiscera tenuanti uictui non competunt.

*Testes gallinacei tenui uictui nō congruunt.*

At corporum gallinarū esum, si quis exerceatur, nō uero: & potissimū earum, quæ in montibus enutritæ fuerint. Qui uerò nō exercetur, mandendæ ei erunt modicè, non modò gallinæ, sed columbæ etiam ac turtures.

*Perdices nō esse mandendas recentes, priusquā unum diem suspensæ fuerint. Palumbes.*

Cæterùm nec recens turtur, nec perdix mandenda est, nec alia omnia, quæ carnē habent moderatè siccam: sed ubi unum diem ad summum suspenderis, ita demū edas licet. Porrò palumbes, præterquàm quòd carnem habet columbis, perdicibus, turturibusq; duriorē, etiam concoctu difficilem, excrementitiamq; sortitur.

*Perdices turturesq; asseruatas unum diem, meliores reddi.*

Perdices uerò ac turtures nec durissimas habēt carnes, nec concoctu difficiles, nec prauo succo refertas: sed ipsarum durities, si mortuæ uno die asseruētur, facilè uincitur, fiuntq; omnino friabiles, atq; inculpatæ. Alimentū autem dant corpori laudabile, sanguinemq; minimè uiscidum generant, & crassi ac tenuis medium. Proinde quibus salubris cibus curæ est, eos, ut arbitror, uti his conuenit.

*Olerum omniū radices excrementitia sunt. Rapa. Bulbi. Fungi.*

Olerū omniū radices excrementitiæ sunt, & concoctu difficiles: aduersissimæ autē sunt rapæ. His paulò minus aduersi sunt bulbi. Omniū pessimi fungi existunt. Itaq; eorum omniū quæ gustu nullum morsum, nec acrimoniam, nec calorem referunt, radices suspectas habere oportet. Quid iam olera memorem, quorū nō solùm radices, sed etiā germina, stipitesq; ac folia, succum gignunt admodū pituitosum? Solæ itaque radices acres & calidæ sunt gustandæ, ut allia, cepæ, & radiculæ, eæq; pro pharmacis potius q̃ pro alimentis habendæ.

*Radices gustandæ ad tenuē uictus rationem, quæ sint. Fructus tenui uictus rationi apti.*

Quod uerò ad fructus pertinet, rei propositę minus sunt noxij, qui uentrem lubricant: ut mora, pruna, cerasia, & ficus. Deteriores autem sunt qui tardè permeant, maximè si cōsistentia sint duri: à quibus prorsus est temperandū. Mandendi autem qui ad reponendum sunt apti, qualia sunt pira, cydonia, & pleraq; uuarum genera. in quibus molliora potius quàm duriora mandenda sunt. Nemo tamen ullo horum ad sanitatē utitur: quemadmodū neq; pomis, nec persicis, nec Armeniacis, quæ latinis præcoccia appellant; & ijs multò adhuc minus, sericis, quæ uocant, & myrtis, & alijs eiusmodi. Pari modo nec mespilis, nec sorbis: quibus tamē rectè quis ad alia utetur. Summatim uerò quæ uehementer sunt austera, & pontica, huic sunt uictus rationi aduersa. Soli autem uentris fluxui, aut uentriculo stomachóue imbecillis, cōferunt.

*Tenui uictus rationi quæ sint aduersa.*

Porrò inter ea quæ in hyemem seruari possunt, caricæ ac nuces tum ad id sunt accōmodatissimæ, tum etiā nihilominus ad tenuem uictus rationem. Pistacia præterea, & amaræ amygdalæ, haudquaq̃ sunt improbandæ. His duriores sunt nuces ponticæ, nullamq; abstergendi ex uisceribus excrementa uim possident.

*Caricæ. Nuces. Pistacia. Amygdalæ. Nuces Ponticæ.*

Castaneæ uerò, siue elixentur, siue assentur, siue etiam frigantur, semper sunt prauæ: & multò magis, si crudæ mandantur. Oliuæ, quod quidem ad propositam diætam attinet, medium quodammodo sunt edulium.

*Castaneæ crassum generāt succum. Oliua.*

Quæ uuæ in uinaceis conduntur, uentriculi quidem imbecillitati conferunt, præsenti autem scopo nō item: & his adhuc minus, quæ in uinis seruant. Vuæ passæ si astringentes nō sint, tumentibus lieni & hepati nō cōducūt: thoracis autē ac pulmonis affectibus auxiliant.

*Vua. Vuas passas si astringentes nō sint, non conducere lieni & hepati tumescentibus, sed prodesse thoracis affectibus.*

Noxia etiam sunt mâla punica, si fuerint pontica: imbecillū tamē uentriculū iuuant. In summa uerò, duri omnes ac pontici fructus, sunt praui: reliquis autē moderatè uti poteris. Quòd si quis existat, qui in uarijs sui partibus sapores habeat diuersos (mâli enim citrij cortex est acris, acida autē pars intima: at caro, tum pituitosa, tum crassi succi) partes quidem acidæ & acres sumendæ, ab alijs autē est temperandum.

*Punica mâla. Citrium mâlū ex quibus constet partibus.*

Quæ in aceto & muria condunt, ea tantū à pristinis uiribus esse immutata putanda sunt, quantū à cōditura alterata fuerint. Quamobrem cùm acetum & muria palàm ex eorum numero sint, quæ incidunt, tenuantq;: certè pisces aridi exuccíq;, qui in illis cōditi fuerint, humores crassos ac lentos attenuabunt uehemēter. Eligendi tamen sunt, qui natura carnē mollem sortiunt: fugiendi uerò cetacei, & eis adhuc magis ipsa cete. Pręterea suilla exucca tutò adhiberi poterit: quæ utiq; alioqui esset uitanda, ut quæ succū crassum ac lentū generet.

*Aceti facultas. Muriæ facultas.*

Mel nō modò est ciborū omniū dulcissimū, sed succū etiā cōsistentia tenuissimū gignit. At uina quæ admodū dulcia existūt, omnia crassum sanguinē gignūt: nigra nanq; hæc sunt, & cōsistentia crassa: & ijs adhuc magis sapa, quod est mustum plurimū coctū. Porrò ficus exactè maturę, nec succos euidenter cōdensant, nec tenuāt. Alię uerò omnes hoc genere sunt inferiores.

*Mel. Vina dulcia. Sapa est mustū plurimū coctū. Ficus exactè matura.*

Quæ uina clara sunt & pellucida, coloreq; pallida & flaua, ea fortè minimū dulcia inuenias. Pręterea nullum albū dulce cōperies: quemadmodū nec flauum quoduis admodū dulce existit. Quæ uerò crassa sunt, nigraq; simul & dulcia, crasso sanguine uenas refercīūt. At alba simul atq; tenuia, humores crassos incidūt, & sanguinē per renes expurgāt. Quæ autē inter hæc cōsistentia sunt media, ut sunt flaua simul ac dulcia, & splēdida, ea uina neq; ut crassa sanguinē crassum generāt, neq; ut alba per urinas secedūt. Cęterū Ariusiū uinū, Lesbiū, Falernū, & Tmolites, unicè cōmendant: quæ quidē sanguinē bonū & cōsistentia mediocrem gignūt. At quæ odorata sunt, & cæteris ualidiora

*Vinum aliquod album non reperiri dulce. Vina crassa, nigraq; & dulcia. Vina alba & tenuia, sanguinē per renes expurgant.*

*Vina odorata caput tentant.*

lidiora, meritò caput tentant: quocirca uitanda ijs sunt, qui cephalæa, aut hemicrania, aut cephalalgia, aut morbo comitiali, aut deniq; mania laborāt. Affectus uerò omnes thoracis ac pulmonis, qui diuturni sunt, & sine febre infestant, à uinis huiusmodi iuuant mirū in modū, & potissimū qui humoris per sputa expectoratione purgantur. Siquidem quæ uina sunt crassa & dulcia, propterea quòd humiditatē possident crassam, & ob id perdurantē, in thoracis ac pulmonū affectibus, si cum tenuantibus medicamentis sumantur, multū adferent cōmodi. Verū nec acerbam, nec austeram, nec omnino astringentē uim eis inesse oportet: sed ad melleam magis, odore, gustu, & facultate, spectare ipsa expediet: ac tale sanè est quod Tmolites dicitur. Porrò uina Pontica multū implent, ac tardè permeant, ambasq; excretiones morantur: tum eam quæ fit per sedem, tum etiam quę per uesicam: hærentq; in hypochondrijs diutissimè, & facilè acescunt, nauseamq; prouocant. Soli autem uentri fluenti cōferunt, idq; si moderatè sumantur.

*Vina crassa simul & dulcia, cur prosint morbis thoracis.*

*Vina pontica.*

## *GALENI PERGAMENI de cognoscendis curandisq; animi affectibus, liber Vnus.*

*Peccata à falsa opinione nasci.*

*Affectus unde proficiscantur.*

*Error cōmunis hominum.*

Eccata quidem hominū à falsa opinione proficiscunt: affectus autē, siue perturbationes, à ui quadam rationis experte, quæ minimè rationi obtemperat. Etenim cernimus cunctos homines existimare seipsos aut esse omnino sine peccato, aut paucis exiguisq; rebus rectā rationē offendere: cùm ab alijs fortè omniū flagitiosissimi habeant. Quicunq; igitur alijs permiserūt, ut de seipsis ferrent sententiā, ac iudicarent qualés nam essent, eos in paucissimis aberrare solitos animaduerti. At quicūq; seipsos optimos existimarūt, nec alijs iudiciū suiipsorū facere permiserūt, hos contrà, & in maximis rebus, & in plurimis offendētes cōspexi. Quamobrem meritò cōmendatur illud præceptū Pythiū, quo iubetur unusquisq; seipsum cognoscere. Is tamē solus qui sapientissimus est, perfectè seipsum cognoscere poterit: reliquorum autē omniū, perfectè quidem nullus, alius autē alio, & magis & minus. Quod enim in uita uniuersa & in artibus omnibus cernimus, ut magnas quidem atq; insignes rerū eminentias differentiasq;, unusquisq; facilè possit discernere: exiguas autē ac tenues, hi duntaxat qui & prudentes sint, & ipsarū artiū periti: idem quoq; in peccatis affectibusq; solet usu uenire. Siquidem perturbationes maximas uniuersi facilè deprehendūt: mediocres aūt & leues & quæ etiā correctionē desiderant (tametsi eas uitare, propterea quòd paruæ existūt, magis sit arduū) nō item omnes agnoscunt. Quisquis igitur uelit honestus atq; probus euadere, is cogitabit necessū esse, ut plurima à se peccata sua ignorentur. Nam cùm duplicē manticam (ut ille Aesopus aiebat) è collo suspensam geramus, unā quidem ante pectus alienorū, alterā uerò à tergo, nostrorū criminū plenā: aliena sanè spectamus semper, propria autē cernere nunq̃ possumus.

*Pythium præceptum.*

*Sapientissimum solū seipsum perfectè posse cognoscere.*

*Perturbationes maximas facilè deprehēdi ab omnibus, leuiores tem nequaquā.*

*Duplicem nos manticam è collo suspensam gerere.*

*Peccata aliena, quàm nostra, clarius perspici à nobis.*

Etenim quicquid amat, ut inquit Plato, cæcū est erga eam rem, quam amat. Ac proinde si nostrū quiuis seipsum omnium maximè diligit, unusquisq; nostrùm erga seipsum maximè cæcutiat est necessarium. Quomodo igitur propria mala inspiciet, aut se peccantem intelliget? Si ante omnia se ab affectibus liberarit: quādoquidem par est ab ijs nos detentos, semper falsa opinari. Sūt autem animi affectus, quæ omnes nouimus, excandescētia, ira, timor, mœror, inuidia, uehemēs cupiditas, ac deniq; alicuius rei excellens amor, aut odium. Quare probè dictum est illud, mensuram esse optimā: tanq̃ nil rectè fieri possit sine illa. Quomodo igitur quis ista unquā eijciet, nisi prius ea se habere cognorit? At uerò ut quis cognoscat, fieri nō potest ob philautiam. Si igitur ratio tibi hæc nō permittit, ut de teipso iudices: at saltē ùt de alio, quē neq; ames neq; oderis, iudicium feras, tibi non adimit potestatem. Cùm ergo audieris in urbe quempiā à multis laudari, quòd nullis hominibus aduletur: tunc ipse, ubi ad illum propius accesseris, num sit talis, qualis utiq; perhibet, huiuscemodi periculū fac. Primū, si uideas ab eo frequentari ædes magnatum, ac principum, nō existimes illum fore ueridicum. Obsequia quippe istiusmodi, mendacium sequi cōsueuit. Deinde, siue id genus hominū salutantem, siue illis seipsum comitem exhibentem, cōuiuijs'ue illorum ac cœnis ingerentē conspicias, non solùm nō ueracem, sed omnis etiam nequitiæ alumnum illum talem esse ne dubites: quippe qui aut pecuniarum, aut principatus, aut gloriæ, aut honoris cupiditate trahatur. Quem uerò nec salutare, nec comitari id genus hominū, nec cum ualde potentibus cœnitare, sed frugi ac temperato uictu uti solitum indies magisq; cōpereris, sperauerisq; tibi uera dicturum, conare hunc quoq; profundius altiusq; cognoscere, ut scias cuiusmodi tandem sit uita: quā cognitionē ex longiori cum eo consuetudine comparabis. Quòd si talem offenderis, qualē ipsum fore sperasti, seuoca aliquando hominē, rogaq;, ut si quē tibi ex illis animi affectibus turbulentis inhærere notauerit, continuò admoneat, teq; illi maximam habiturū gratiam, existimaturumq; te ab ipso magis seruatū, quàm si corpore ægrotantē sanasset. Quod si ille recipiat se facturū, cùm primùm aliquo tali uitio te laborantē inspexerit, ac deinde longo temporis interuallo interiecto, nihil dixerit, accusa hominē, rogaq; iterū aliquantò blandius q̃ prius, ut quicquid talium perturbationū in te residere animaduerterit, ilicò tibi significet. Qui si tibi respondeat, propterea se nihil tibi dixisse, quòd tali tēpore nihil in te istiusmodi deprehenderit, ne ob id quidem cōtinuò illi fidem adhibeas: néue existimes te repentè omnino euasisse inculpabilem, sed duorum alterum in causa esse, aut negligentiorē amicū fuisse, aut illum redarguendi uerecundia impeditū, tacuisse, aut etiam nolle tibi in odiū uenire: cùm haud ignarus sit, omnibus (ut ita dicam) hominibus hūc morē esse, ut eos oderint, qui uera loquant. Aut si nihil horū est, scito hominē propterea tacere, quòd nolit tibi prodesse: aut ob aliud quippiam, nempe q nō sibi obseruāda putauerit, quę

*Amans omne, esse cæcum erga eam rem, quam amat.*

*Quisq; seipsum omniū maximè diligit.*

*Affectus animi qui.*

*Mensuram esse optimam.*

*Philautia.*

*Veracem esse non posse, qui magnatum ædes frequentant.*

*Methodus cognoscendi mores alienos.*

à te perperàm agitentur: id quod certè non probo. Est autē sapiēs omnino à peccato immunis: ac proinde philosophi, non hominē, sed Deo similem sapientē esse dixerunt. At tu repentè Deo similis nunq̃ effici poteris. Cæterū si ei qui te reprehenderit gratias egeris, pòst autē diligenter tecum expenderis, uerè ne te ille, an falsò increpauerit, ex ea re senties te magnā percipere utilitatem. Si uerò idem assiduè egeris, tibiq; animus sit ad meliorē frugem te moresq; tuos componere, facilè absolutus euaseris.

*Sapiens est omnino à peccato immunis.*

*Sapiens Deo similis.*

Cæterū hæc sit tibi exercitatio præcipua, ut calumnias & contumelias æquo animo feras: quod ubi feceris, atq; sedatus fueris, habuerisq; tuas perturbationes perspectas, tum aggreditor respōdere calumniatoribus: quorū auditis rationibus, q̃mitissimè cum eis lites tuas cōponas: atq; ita rem omnē agas, ac si pędagogis mox sis redditurus rationē.

*Cōtumelias esse æquo ferēdas animo.*

Porrò si quis sit uel apprimè potens, uel opulentus, qui uelit in uirū egregiū euadere, habereq; admonitores liberos, necessum est illā maiestatē relinquat, his præsertim temporibus, in quibus nullus adest Diogenes, qui uel opulentissimo Principi, uel alicui Monarchæ sit ipsam ueritatē dicturus. Iis autē monitoribus duntaxat credendum est, qui & inculpatissimè uixerint, & ætate prouecti sunt.

*Temporum suorum deplorat infelicitatem Galenus.*

Cùm aūt nullus sine peccatis, aut sine affectib. uiuat, uel si optima quis natura sit præditus, sed necessum sit unūquenq; labi & errare in aliquibus, eoq; etiam magis, quò iunior quispiā fuerit, hauddubiè quisq; nostrū exercitatione per totā indiget uitā, ut uir perfectus reddatur. Nec tamen deterreri quempiam oportet, quò minus seipsum conet meliorē facere, etiā si iam factus sexagenarius, sentiat sibi animū uitio immedicabili deformatū. Nam tametsi nobis cōpertū sit, animū nos nō posse sapientis consequi (id quod fortè liceret etiā, si à teneris illū excoleremus) at saltem ne totū illum omnino deformē geramus, ut Thersites corpus, sedulò nobis curandum est. Etenim si supremā quispiā animi excellentiā assequi haudquaq̃ possit, at certè post supremos illos sapientes, in secundis, aut tertijs, aut quartis ut collocet, id facere longiori tempore atq; assidua exercitatione poterit.

*Exercitationem per totam vitā requiri, vt quis vir perfectus reddatur.*

Primò igitur satis erit, si neq; in deos maledicta iactabis, neq; calcibus feries, aut dentibus aggredieris lapides, neq; efferato uultu intueberis, sed intra teipsum cōtuebis, atq; occultabis iracundiā. Nam ab ira prorsus liberari simulac quis uelit, nō cōtinuò quis potest: cōprimere autē illius perturbationis intēperantiā, atq; insolentiā potest. Quod remediū si sępius quis usurpauerit, agnoscet tandem adeò seipsum minus q̃ antea propēsum ad iram, ut ne ob magnas quidem causas irasci possit.

*Iracundiam si non vinci, at certè posse reprimi à nobis.*

Porrò seruū à me unq̃ mea manu uerberatū fuisse, nō memini: id quod etiā pater meus perpetuò cauit, qui cōplures amicos increpare solitus erat, quòd ferociter sæuirent in famulos. Id igitur q̃d in nobis est iracundię ac furoris, ratione coërcere atq; erudire oportet: erudietur autē exercitatione improba. Turpe enim est quempiam multos annos cōtinenter laborare, exercerìq;, ut uel medicus, uel grāmaticus fiat: ut autē in uirū bonū euadat, in tanto curriculo tēporis nunq̃ sibi quicquam laboris assumere.

*Galeni in seruos benignitas.*

Ergo nec tuis ipsius manibus seruum cædas, nec quandiu iratus fueris, alij ut id faciat imperes, sed in posterum differas. Postquàm enim furor refrigeratus fuerit, prudentius, temperatiusq; dispicies, quot uerberib. famulus plectendus sit dignus:* nisi fortè melius esse uideatur, initio statim concessa uenia, negociū ipsum transigere, & ubi lorum afferri iusseris, tum uerbis duntaxat corrigere, minitariq;, te non amplius condonaturū, si rursus ille idem scelus patrarit.

*Furore refrigerato prudētius multò vindictā sumi.*

Præstat itaq; te facere omnia quæ facis, ubi impetus ille animi deferbuerit: quo tempore iam ratione opitulante, punitionis modum sis inuecturus: cùm nimirum impetus irascentis nihil ab insania, uel à furore differat. Quamobrem à ueteribus haud immeritò animi affectus hæc quinq; appellata fuerunt: mœror uidelicet, ira, excandescentia, cupiditas, metusq;.

*Irascentis impetum nihil ab insania differre.*

*Affectus animi quinq;.*

Singulis itaq; diebus atq; horis habere hanc in promptu opinionem oportet, quòd præstet quidem unumquenq; sese exhibere dignum, qui egregius ac frugi ab omnibus appelletur: hoc autem fieri nō posse ut contingat nobis, nisi eum, qui singula errata indicet, censorē admonitoremq; habuerimus: quem sanè ipsum nostrorū peccatorum iudicem, & seruatorem nostrum, & amicum maximū existimare conuenit. Qui quidem & si tibi uisus fuerit aliquādo falsa crimina obijcere, ne ob id quidem irasci oportet: & quòd multò melius quàm tu, ille singula peccata tua perspicere possit: & quòd licet falsum quandoq; tibi crimen obijciat, in eo tamen tibi sit utilis, quòd te ad eorum quæ agis diligentiorem obseruationem excitet. Curabis autem perpetuò, ut q̃ dignus sis, quantiq; faciendus, à teipso, non ab alio, accipias: habensq; in memoria semper, quanta sit eorum qui irascuntur, deformitas animi, quantaq; rursus uenustas eorum qui sine ira uiuunt.

*Iracundorum deformitas animi.*

Omnibus accusandi teipsum potestatem facias, gratiamq; habeas nō adulantibus, sed obiurgantibus potius. Pateant autem semper domicilij tui fores, ut liceat notis ac familiaribus omni tempore ingredi: cùm sic affecto, atq; omnia ritè facienti, uerendum tibi non sit, ne ab ingredientibus aliquo magno scelere implicitus deprehendaris. Volo itaq; ut nō modò alios omnes, sed teipsum in primis etiam uerearis, illiq; auscultes qui dixit: Omniū autem maximè tuipsius te pudeat. Quod sanè si feceris, poteris quandoq; expertem illam rationis uim, qua excandescimus, quasi feram quandam reprimere, mansuefacereq;.

*Quisq; nō alios modò, sed seipsū etiam debet vereri.*

Vt autem longè turpissimum est, hominem iracundia percitum intemperanter aliquid agere, sic etiam ob amorem, uiniq; & crapulæ cupiditatem: quæ omnia facultatis appetitoriæ sunt affectus & opera, ob quæ homo non iam equo uel cani, disciplinæ capacibus, euadit similis, ueluti ob illa priora, sed uel petulanti apro, uel hirco, uel cuipiam agresti belluæ, quæ mansuefieri non possit. Quocirca libido hæc perduci ad obedientiam non potest, quemadmodum illa poterat: castigari autē quodammodo potest, si rebus potiri ac frui prohibeatur, quarum appetens est. Nam si potiatur, crescit, maiorq; ac uehementior fit. Sin castiget,

*Appetitoriæ facultatis affectus & opera.*

*Libido nos reddit similes belluis agrestibus.*

*Libido qua ratione castigari queat.*

tenuis

tenuis atq; imbecilla redditur, ac sic imbecillitate coacta, nõ ultrò, ipsam rationẽ sequitur, uelu ti quoddam mancipiũ. Duplex itaq; in nobis est animi uis expers rationis: una, cuius & citò excandescere & irasci est officiũ: altera, quæ ad id quod ipsi iucundum, suaueq; uisum sit, præceps fertur, anteq̃ utile ne sit atq; honestum, an noxiũ & turpe, cognorit. Hanc igitur, quæ uehementissima est, cohibere actutum oportet, priusquã ubi incrementũ acceperit, uiribus inuictã inexpugnabilemq; se exhibeat: tunc enim uel si uolueris, non poteris illam cõpescere, (q̃d audiui olim quendam amantẽ) uelle te quidem desinere, at nõ posse. Quippe ut nõnulla corporis uitia propter magnitudinẽ insanabilia sunt: sic uis illa, cuius est temerè cõcupiscere, plerunq; amore accendit insanabili, nõ corporum modò quæ sunt formosa, aut rerũ quæ pertineãt ad uenerem, sed etiã crapulæ & uinolentiæ, itemq; obscœnitatũ quæ præter naturam patrantur. Quæ igitur de ira & excandescentia uincenda dixi, eadem puta de alijs affectibus me dixisse. Quę omnia tibi sæpius reuocãda in memoriã sunt. quòd si nõ possis tam crebrò, at saltẽ matutinis horis, semper anteq̃ aliquid eorũ quę acturus es aggrediaris, & uespertinis anteq̃ cubitũ eas. Ego siquidem cõsueui admonitiones has, primũ quidem bis legere singulis diebus, pòst uerò etiam ore enunciare. Neq; autẽ sat esse putes ab ira dun taxat liberũ te conseruare, nisi etiã ab omni edacitate, uinolentia, nequitia, curiositate, & inuidia, te purũ integrumq; cõserues. Nam nec propter sitim decet, sorbentiũ instar, totum calicem exhaurire: nec propter famem in conspectu omniũ, insatiabiliter ipsum uentrẽ explere: sed danda opera est, ut omnibus una cœnatibus, minus obsonij assumamus, & à cibis gulam nimiũ irritantibus abstineamus: moderatè interim uescẽtes ijs, quæ salubria habent. Progressu uerò temporis, ne respicere quidem te ad conuiuantes uelim * (magnũ quippe nõ fuerit, si in cibo & potu illis continentior esse uidearis) uerũm, si hoc honore te afficere decreuisti, cura sedulò, ut continentius uiuas hodie q̃ heri. Quod si feceris, sentiens hauddubiè te indies ab ijs, quæ dixi, multò minori negocio abstinere: maximaq; perfundẽris lætitia, si quando uerus modestiæ, temperantiæq; amator extiteris. Sic enim gaudet, quicũq; in ea re promouet, cuius amore flagrat. Hanc enim si ingrediamur uiã, nõ satis esse putabimus, si plusquàm dissoluti homines consecuti simus modestiæ, probitatis, & continentiæ: sed primũ quidem eos qui hisce student uirtutibus, superare conabimur (est enim hæc concertatio atq; æmulatio pulcherrima) pòst uerò, etiã nosipsos: idq; memores semper pulcherrimorũ dictorũ, quorũ uel hoc in primis est unum: Delige optimum uitæ genus, quod reddet consuetudo iucundum. Quemadmodum igitur cùm te aduersus iracundiã exercere iubebam, tum argumento uti poteras, te aliquid profecisse, quòd nõ amplius te excandescentem cerneres: ita in ijs quæ ad modestiam pertinent, hoc indicio intelliges quantũ profeceris, quòd nec cupiditate quidem suauissimarũ rerum tangaris. Cæterùm ad modestiam una est uia per cõtinentiam. Hòc siquidem modestus superat continentẽ, quòd ille ne cupit quidẽ amplius titillantes palatũ cibos. Laboriosa tamẽ ab initio uia hæc est & aspera, quẽadmodum cæteræ omnes honestorũ studiorũ exercitationes. Verùm si pro malitia cupis habere uirtutẽ, ac pro uoluptatibus corporis, tranquillitatem animi: per continentiã, ratione duce, ad modestiam cõtendas oportet. At uerò & cõtentionis, & gloriæ, & principatus appetitio, animi planè est affectus, licet illis iam dictis minor. De inuidia autẽ quid attinet dicere, cùm omniũ sit uitiorum fœdissimũ? Est enim inuidia, dolor ex alienis bonis conceptus. Sic itaq; id genus affectus omnes sunt dispungendi, ut ne radicẽ quidem eorũ ullam in nostris animis relinquamus. Nam ex ijs quæ sic relinquunt, solet rursus aliquid pullulare, dum idipsum à nequitia & prauitate irrigatur. Porrò natura in puerili ętate ad uitam perficiendam, in cunctis plurimũ potest: secundo autẽ loco, studia, exercitationesq; disciplinarũ. Cæterũ ipsa puerorũ ingenia plurimũ inter se differunt, cùm alia magis, alia minus uirtutes ipsas sectentur: omnia tamen sunt uel maximẽ ad affectus propensa. Verùm educatio puerorum, similis quodãmodo est sedulitati, qua in plantis alendis utimur. Siquidẽ, uel si optimus sis plantarũ sator & cultor, nunq̃ tamen efficies, ut rubus uuam producat, quòd natura illius talem à principio perfectionem capere nequeat. Rursus uites, quę, quod ad ipsas pertinet, fructũ ferre paratæ sunt, si neglexeris, reliquerisq; soli naturæ curandas, aut multò deteriorẽ, aut planè nullum edere fructum animaduertes. Mihi autẽ ingenti quadam felicitate cõtigit, ut patrem ab omni iracundia alienum, iustissimũ, frugalissimum, humanissimumq; habuerim: at matrẽ usq; adeò iracundã, ut interdũ etiam morderet ancillas, semperq; & uociferaretur, & cum patre contenderet, idq; longè quidem odiosius, q̃ Xantippe illa cum Socrate. Inter omnia porrò admonebat me pater, ut à nulla secta cognomen sumerem: sed illas perpetuò artes ediscerẽ, per quas iustitiam, modestiam, animi magnitudinẽ, atq; prudentiam consequerer. Laudant autem (dicebat mihi) uirtutes has cũcti, tametsi sibijpsis sint conscij, nullam se harũ habere: dantq; operã pro uirili, ut alijs appareant fortes, modesti, iusti, & prudentes. Vt uerè autẽ mœroris sint atq; tristitiæ expertes, uel si minimè tales esse uideanĩ, id magno studio cõtendunt. Quare etiã huic à me rei in primis studendum esse, cui omnes mortales student, præq; omnibus alijs uirtutibus, unũ hoc quærendum suadebat. Quæ documenta paterna in hanc usq; diem retinens, nec ullius sectę nomenclaturæ me addixi, neq; ob ullam fortunæ uicissitudinẽ sui perturbatus animo. Quippe assuefecit me pater gloriam & honorem contemnere, atque unam tantùm, eamq; nudam ueritatem suscipere. Suadebat etiam, ne ob ullam pecuniæ iacturã mœrore afficerer, quandiu quę reliqua essent, ad curandum corpus sufficerent. Hunc enim primũ finem illis quæ possiderent, statuebat, non esurire, non algere, nõ sitim pati: quòd si cui plura suppeterẽt, quàm horum usus

*Animi vis expers rationis est duplex.*

*Concupiscibilis facultatis immoderatio.*

*Edendum esse sobriè & salubriter.*

*Continentius uiuendũ esse hodie quàm heri.*

*Gaudent qui in ea re promouentur, cuius amore flagrant.*

*Concertatio pulcherrima quæ dicatur.*

*Consuetudine reddi iucundũ optimũ vitæ genus.*

*Viam ad modestiã esse vnam, per continentiã.*

*Modestus qua in re continentem superet.*

*Via quæ ad virtutem ducit est laboriosa.*

*Inuidia est omnium vitiorum fœdissimum.*

*Inuidia est dolor ex alienis bonis cõceptus.*

*Natura in puerili etate quantã vim habeat ad mores formãdos.*

*Exercitia disciplinarum plurimũ posse ad virtutes adipiscendas.*

*Puerilia ingenia omnia esse ad affectus propensa.*

*Puerorũ educationem esse similem culturæ plãtarum.*

*Galenus paternas laudes lõgis tubys decantat.*

*Galeni mater iracunda.*

*Galeni constantia.*

*Diuitiarum primus finis quis sit.*

postulat, ijs sanè ad eas res agendas, quæ honestæ essent, esse utendũ censebat. Nec me latet (aiebat ille) te fortunarũ plus duplo quàm ipse habeam, possidere, in nostraq́ hac ciuitate nõ mediocri honore esse praeditũ: usqueadeo ut quænam mœroris tibi causa futura sit, nullã uideam, præter inexplebilem ac summã quandam cupiditatem. Comparabat autem insatiabilem illam habendi libidinẽ, uoracitati uentriculi, qua plus quàm satis sit, ciborum ingeritur. Etenim cibo, ut dicebat, nulla alia causa egemus, nisi ut alamus corpus. Nutrit uerò corpus, si bene concoctus fuerit: bene autem coquetur, si modicus. Nam si immodicus fuerit, concoctionẽ nõ experietur, sed usus ipsius corrumpetur. Siquidem aut deiectus per inferiora, profusionẽ alui excitabit: aut distributus per uniuersum corporis habitum, malum intra uenas humorẽ gignet. Quę igitur in corpore didicisti, ad animũ licet transferas: cuius inexhausta cupiditas, plura perpetuò expetit, q̃ ipse usus postulet, unicaq́; omnis mœroris atq; tristitiæ est causa. Ea nanq; accensi nõnulli, qui præsentiũ rerum inexplebiles sunt, nunq̃ concupiscere desinũt, sed si duplum quippiam habeant, triplũ ilicò student acquirere. Triplum nacti, quadruplum appetere incipiũt. Qui quidem nunq̃ sibi proponunt eos, qui pauciora possident: sed illos tantùm, qui plura: quos etiã superare conãtur. Quanq̃ certè multò satius est ciuem in eo cæteris antecellere, quòd ijs quæ nunc habeat, sit omnino cõtentus: id quod certè (dicebat pater) in tua manu est. Contrà, diuitijs præstare, nõ uirtutis, sed fortunæ munus existit, quę plerunq; seruos atq; libertos facit longè ditiores nobis, qui & generosi, & nobiles appellamur. Quòd si tu (quo in nostra repub. reperiũtur pauci ditiores) quantũ optas aliquando assequaris, hoc est, ut plus uniuersis possideas ciuibus, ne sic quidẽ satis sis habiturus: sed ilicò circunspicies, num quis in alia ciuitate sit ditior: quem quidem si superaueris, tibi obsecundante fortuna, ad alias progredieris nationes, & ijs q̃s apud illas opulentos offenderis, fieri opulẽtior cõtendes. Quare nunq̃ tu sanè omnibus ditior, sed propter immensas cupiditates, semper futurus es pauper. Quòd si ipso usu rerũ metieris id quod modulo tuo respõdeat, iam teipsum unũ ex diuitibus numeraueris: aut saltẽ ex ijs, qui eo quod opus est abundent. erisq́; quatenus ad rationẽ pecuniarũ spectat, beatus, cùm earũ causa minimè futurus sis tristis. Si uerò etiã illã, quę ad honores appetendos pertinet, insatiabilitatẽ exploseris, hac quoq; parte iucundè ac sine molestia uitam ipsam traduces. Sin autem tibi non satis fuerit honorari ab ijs, qui tua consuetudine utantur, sed uelis ab omnibus omnino qui sunt in ciuitate laudari, etiam ab illis scilicet à quibus ignoraris prorsus: fortasse primũ quidem ab ijs ipsis cognosci uoles: tum autẽ, ubi cognitus fueris, suspici. At illud quidem, uelle cognosci ab omnibus, ab immensa quadam proficiscit gloriæ cupiditate: hoc autẽ quod est, uelle honorari & suspici, ab inani planè & stulta ambitione. Quocirca tibi necesse erit, ut nũc pecunijs quærendis inuigilanti, sic tunc ad gloriæ honorisq́; studiũ cupidinẽ intẽdenti, ob illos qui cùm plures sint, te neq; cognoscent, neq; honorabunt, maiori q̃ nunc tristitia & dolore affici. Si igitur in his semper nos exercuerimus, iam exploratũ habentes, insatiabilitatem uitium esse animi pessimũ, fundamentumq́; omniũ cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, honorum, principatus, & cõtentionis, haud dubiè citra omnem molestiam uiuemus. Qui enim sua sorte contentus fuerit, is omni mœrore ac tristitia carebit. Quis autem nolit omnẽ ætatem citra mœrorem transigere? aut quis nõ hoc omnibus præposuerit *mobilibus, imò uerò sceleratis diuitijs? Ille igitur hæc & alia multa mihi & alijs quamuerissimè pronunciabat. Turpe siquidem est libertatem eam, quæ humanis legibus accepta refertur, maximi facere: eam autem quæ & uerè, & natura ipsa est libertas, non omni studio uenari, sed inhonestis, impuris, atq; tytannicis dominis inseruire, lucris uidelicet, minutissimisq́; quibusque pecuniarijs rationibus, ac principatus, glorię, honorisq́; ambitiosis cupiditatibus. Quorũ sanè omniũ matrẽ ego haud dubitauerim dicere, inexplebilem habendi libidinem. Quis igitur talem in animo pestem habẽs, possit unquã aut honestus, aut probus euadere? aut cur nõ mille sit mortibus dignus, qui nõ toto animo talem turpitudinẽ oderit? Porrò autẽ hanc ipsam multò magis & odisse & fugere debent adolescentes, qui se saluos esse uelint. Nam si fortè initio assueuerunt pecuniam insatiabiliter cupere, fieri iam certè non poterit, ut cùm ad annum peruenerint quadragesimũ, seipsos recuperent. Cęterùm tametsi difficile atq; arduum uideatur, adolescentes ipsos in principio sese liberare ab affectibus, progressu tamen temporis omnia faciliora reddentur. Quò enim maius rationalis nostri animi pars in huiuscemodi exercitationibus ac studijs incrementũ acceperit, eò perfectiorem obedientiã habebit. Nam cùm ea quæ maxima sunt, ratio nondum exercitata peruicerit, minimè dubium est, quin ubi duplicem excellentiam indepta spacio temporis fuerit, sit multò facilius superatura: quippe ex eo quòd iam sese exercuerit, euaserit multò generosior quàm antea: proindeq́; sic abundè sufficiet exterminandis affectibus, iam etiam imbecillioribus redditis.

*Galeni opulentia.*

*Inexplebilẽ habendi libidinem comparari insatiabilitati uentriculi.*

*Cupiditatẽ esse unicã omnium mœrorum atq; tristitiæ causam.*

*Diuitijs præstare, non uirtutis, sed fortunæ munus existit.*

*Galeni genus clarum.*

*Velle cognosci ab omnibus, unde proficiscatur.*

*Velle honorari ab omnib. à stulta ambitiõe procedit.*

*Insatiabilitas est fundamentũ omnium cupiditatum.*

*Contentus sua sorte qui fuerit, is omni carebit tristitia.*

*Adolescentes si fortè initio assueuerint pecuniam insatiabiliter cupere, fieri nõ posse, ut cùm ad annũ peruenerint quadragesimum, seipsos recuperent.*

*Rationẽ per experientiam indies reddi generosiorem.*

## GALENI PERGAMENI
### de consuetudine liber unus.


Vod consuetudinis ratio ad inuentionem eorum quæ sanitati conducunt, magnam sibi uendicarit facultatem, non modò Hippocrates, sed Erasistratus etiã professus est: quã quidem negligentes medici, interdum ægros q̃ miserrimè iugularunt: ut in Ario Peripatetico factitatum fuisse uidetur, qui cùm gracilis natura esset, & os uentriculi frigidissimum sortiretur, ita ut uel ex leuissima refrigeratione singultu statim corriperetur, ob idq́; nunquã fuisset ausus aquam gustare, tandẽ febri occupatus, à medicisq́; præter consuetudinem coactus potu frigidæ uti, subitò fuit quidem exanimatus. Alijs uerò

*Arius Peripateticus fuit inscitia medicorũ extinctus.*

uerò contrà, nisi audacter potus is propinet, periculum sanè est, ne extinguant celerrimè. Sunt enim quibusdã aliqua peculiaria ex propria natura, aliudq; alimentum alij corpori accõmodatur. Ob idq; animalia ipsa absq; ulla disciplina, sed tracta à natura, ad ea pabula accedunt, quæ sibi magis sunt familiaria: iumẽta nimirũ ad herbas, fœnum, paleas, & hordeum: ad carnes uerò, tum leones, tum lupi.

*Animalia naturaliter ad ea pabula accedere, quæ illis magis sunt familiaria.*

Vt autem nõ parua in animantibus iuxta uaria genera propriorũ alimentorum reperitur differentia, sic in eodem etiam genere multa intersunt atq; magna discrimina. Nam multa sunt quæ uinum (exempli gratia) ne gustare quidem possint, quod tamẽ ab alijs plurimum sine ulla modestia bibitur: ac de cæteris quidem pari iudicio. Solẽt quippe homines alia alijs auidius mandere, pro suæ naturæ ratione, quòd uidelicet talia ipsis faciliora concoctu uideantur: cõtrà uerò quæ gustui sunt ingrata, fugere & fastidire, tanq̃ ea quæ ab ipsis concoqui nequeant. Est igitur hic cõsuetudo ipsa signum naturalis cuiusdã proprietatis. Sed quòd ea nõnunq̃ sit etiam illius causa, hinc liquidò constat, quòd aliquibus rerũ quarundam usus inter initia ingratus & noxius cùm sit, ubi paulatim assueuerint, iam ea illis neq; amplius ingrata, neq; noxia reddunt.

*Consuetudo est signum naturalis cuiusdam proprietatis, atque etiam interdũ causa.*

Nam ut unumquodq; eorũ quæ uel comedunt, uel bibuntur, alteratur secũdum qualitatem: ita & ipsum quoq;, id à quo alterat, quoquomodo afficit. Quòd autem similitudo quædã sit inter ea quæ alunt, & illa quæ aluntur, tum semina, tum plantæ, euidenti argumẽto esse possunt, quæ ita sæpissimè alterant & transmutantur, ut quæ in uno loco soleant esse exitiosa, ad aliũ translata, maximè cõferentia reddantur.

*Nutrimentũ ut alteratur, sic etiam quoquomodo alterat id quod nutritur.*

*Similitudinem esse inter ea quæ alunt, & illa quæ aluntur.*

Iam uerò ut corpus cibo & potu immutatur, sic etiã ijs quæ extrinsecus occurrunt nobis, quæq; nõ minus cõsuetudini inseruiunt. Primũ igitur à refrigerantib. rebus cutis ipsa colligit: dein cæteræ partes quæ illi proximæ sunt, donec ad profundiores alteratio ipsa perueniat: idq; primò & per se. Nam per accidens, calor in alto collectus corpore, cute densata præ frigore, increscit. At uerò sicut causa refrigerans eiusmodi alterationes inuehit, sic calefaciens, istis contrarias.

*Calor internus ex accidenti crescit, cute refrigerata.*

Cæterùm ab una & eadem causa sæpe contraria fiunt. Sol siquidẽ inter initia, dum nos calfacit, fundit humores, cutem lenit, carnemq; reddit molliorẽ. Si quis tamen æstiuo tempore pluribus diebus nudus sub eo sit diuersatus, illi tum cutis, tum caro, dura aridaq; reddetur: id quod nõ est caloris solius, sed siccitatis etiam illi annexæ opus.

*Contraria persæpe oriri ab una eademq; causa.*

Porrò balnea dulcium aquarum calefaciunt nos & humectant, quòd calori habeant humorem cõiunctum. Quare necessum est nos nouisse, aliam quidem esse rationẽ caloris humidi, aliam uerò sicci.

*Balnea dulcia calfaciũt nos & humectant.*

Cæterũ corpus rarũ & molle facilè ab extrinsecis iniurijs afficitur: durum autẽ multò facilius eas tolerat, ægerrimeq; ab illis labefactari: ad quã etiam patiendi facilitatẽ & dyspathiam, consuetudo nõ exiguam uim obtinet.

*Corpus rarum. Corpus durum.*

*Cõsuetudo ad dyspathiã haud exiguã uim obtinet.*

Quod uerò ad exercitia pertinet, exercitatæ particulæ fortiores pariter & solidiores reddunt, ac proinde motiones suas obire ac ferre, q̃ cęterę, longè facilius possunt: quæ, quòd exercitio caruerint, molles atq; languidæ existunt.

*Exercitatas particulas reddi fortiores & solidiores.*

Eòdem etiã animi exercitationes spectant, quibus exerceri solemus: primũ quidem grãmaticis rudimentis, dum sumus pueri: mox rhetoricis, geometricis, arithmeticis, logicisq; theorematis. Cùm enim facultates illæ, quæ ad animi principem uim spectãt, ad omnes artes pernecessariæ sint, quarũ altera quidem cognoscimus quid consequens, quidue repugnans est, altera uerò memores sumus: à prima sanè id habemus, ut sapientiores simus: à secunda autẽ, ut magis memores.

*Exercitatio in artium liberalium studijs.*

*Intellectus.*

*Memoria.*

Eam tamen naturam hæ facultates habent, ut exercitatione uires indipiscant & crescant: ocio autẽ languescãt, ac minuantur: id quod disertissimè explicuit Plato in Timæo, secutus Hippocratem, qui usum robur addere, ocium uerò dissoluere prouũciauit.

*Animæ facultates exercitatione uires indipiscuntur, & crescunt: ocio languescunt, & minuuntur.*

Verùm ipsis exercitationibus, sicuti & cibo, & potui, uigilijsq; & ueneri, mensura congrua adhibenda est, quæ rem ipsam neq; ultrà quàm par sit, protrahat, neq; etiam de illa adimat: quia excessus dissoluunt uires: defectus uerò tantũ de utilitate detrahunt, quantùm ipsi à recta mensura deficiũt. Facultates itaq; nostræ robur sibi cõparant, si moderatis congruentibusq; exercitijs foueantur.

*Exercitia debere esse modica.*

*Excessus dissoluunt uires.*

Atq; hæ quidem sunt consuetudinũ differentiæ, à ui materierum in quibus illæ consistunt, & à quibus fiunt, desumptæ. At uacuationes non debentur corporibus ob consuetudinẽ aliquam, quemadmodum Erasistratus existimauit: sed ob causam quæ illas postulat. Sunt siquidem qui ex malo uictu, sunt qui ex praua corporis affectione sanguinẽ plurimũ, aut uitiosos humores aggregent: quos plurimum iuuare solet, cùm aut à natura, aut à medico, quod redundat, antequàm in morbũ labantur, detrahitur: quo remedio toties utuntur, quoties aut morbum præsentem uident, aut eum aduentare præsentiunt: adeò ut talis medendi ratio in consuetudinem illis esse uersa uideatur.

*Vacuationes fieri ob causas, quæ illas postulant.*

## GALENI PERGAMENI de tuenda sanitate liber primus.



Vm una sit ars, quæ circa humanũ corpus uersatur, eius primæ ac maximæ partes sunt duæ: quarum altera sanitatis tuendæ, altera morbi profligandi facultas est. Ac sunt quidem officia earum contraria: illi quippe tueri, huic immutare statum corporis, est propositũ.

*Medicinæ primæ ac maximæ partes sunt duæ.*

*Medicinæ partium officia contraria.*

Quoniam autẽ & dignitate & tempore sanitas morbũ præcedit, utiq; & nos, quemadmodũ hęc seruanda sit, prius tractare conueniet: pòst autẽ, quo pacto cõmodissimè sit abigendus morbus. Vtriusq; facultatis inueniẽdæ cõmunis ratio est, ut quidnam ea corporis affectio sit, quæ sanitas dicitur, liquidò cõstet: quandoquidem nec præsentẽ seruare, nec amissam restituere, si eam penitus ignores, licet.

*Sanitas morbo, dignitate & tẽpore est prior.*

At similariũ partiũ sanitas, calidi, frigidi, humidi, & sicci symmetria est. Instrumentaliũ uerò, ex similariũ ipsarũ cõpositione, numero, magnitudine, & figura cõstat. Quare quisquis hæc cõmodè tueri posit, is optimus sanitatis custos fuerit. Tuebitur hęc, qui modos

*Sanitas similarium partium quid sit.*

*Sanitas partiũ instrumentaliũ in quibus consistat.*

omnes quibus uitiantur, cõpertos prius habuerit.

*Lædentia corrũpentiaq; corpus, genere duplicia existere.*

Sanè quæ corpus nostrũ lædũt corrũpuntq;, ea sunt genere duplicia: altera nobiscũ congenita, & quæ euitare nequeas, quæq; ex ipsis generationis principijs oriuntur: altera, quæ & declinare possis, & orta à nobis nõ sunt, sed aliunde perueniunt: quæ tamen nõ minus q̃ illa corpus nostrũ conficiũt.

*Primordia nostræ generationẽ esse sanguinem, & genitale semen illum tanquam materiã, hoc opificis rationem obtinẽs.*

Etenim sanguis, semenq; genitale, generationis nostræ primordia sunt: ille, ceu materies quædam apta: hoc opificis rationẽ obtinens. Constat horũ utrunq; ex ijsdem genere elementis, nempe calido, frigido, humido, & sicco. Cæterũ in semine plus est igneæ substãtiæ, & aëreæ: in sanguine aqueę, terreæq;: quanq̃ præpollet in hoc quoq; calidum frigido, & humidũ sicco.

*Semen esse ipso sanguine siccius*

Semen itaq; sanguine siccius est, etsi sit ipsum quoq; humidum atq; fluxile. Quare nobis utrinq; ex humida substãtia genituræ origo proficiscitur. Hanc autẽ siccari oportuit ad generationem siccarũ particularũ, elemento nempe facultate siccandi prædito confluente illuc liberalius.

*Siccãtia elementa sunt ignis & terra.*

*Ignis maiorẽ copiam confluxisse ad utrunque nostra generationis principiũ*

Siccat autẽ tum ignis, tum terra. Ex illo tamen ad utrunq; principiũ maior cõfluxit copia, ut scilicet tum siccaret abundè, tum calore suo ad motiones agilitatem præstaret. Ab hoc siquidẽ primũ cogitur atq; concrescit fœtus. Mox siccior redditus, ueluti lineamenta quædam cuiusq; membri obtinet. Vlterius uerò siccescens, exactam uniuscuiusq; speciẽ ostendit: ac tandem in lucem editus, magnitudine augetur, sicciorq; & ualentior usq; ad summum incrementũ efficitur. Quo tempore uniuersa membra, non solùm robusta & integra sunt, sed uires suas etiam summas sortiunt. In eo uerò quod sequitur tempore, omnibus iam partibus supra iustum siccescentibus, nõ solùm cuiusq; officiũ minus probè administratur, sed etiã corpus ipsum macilentius, gracilius, atq; rugosius redditur, artusq; omnes inualidi, atq; ad motus suos pigri & inconstantes cernunt.

*Senij accurata descriptio.*

Quæ affectio appellatur seniũ, ipsi marcori plantarũ, prouenienti ob siccitatis excessum, quadam proportione respondens.

*Corruptela interitusq; duplicem inesse nobis necessitatem.*

Vna igitur hæc est omni genito corpori corruptelæ, interitusq; connata necessitas. Altera autẽ, quæ pręcipuè in ipsis animalibus cernitur, totius substantiæ fluor, quẽ insitus calor excitat. Hæc itaq; incõmoda, nullum quod genitũ sit corpus effugere potest. Reliqua quæ hæc sequunt, & quę ad uictus rationẽ pertinent, prouidentia consilioq; certè potest. Neq; enim his aliunde origo est, q̃ ex ipsis iam dictis incõmodis corrigendis atq; sarciendis.

*Animalium corpora in perpetuo fluore uersari.*

Nam cùm tota moles animalium in perpetuo fluore sit, ni similis altera substãtia pro ea quæ defluxit, restituta fuerit, euaporabit certè, dissipabiturq; uniuersa.

*Animantibus uniuersis esse insitas quasdã uires, deficientis ac desiderati appetentes.*

Idcirco natura non modò animalibus, sed stirpibus etiam, insitas quasdam uires, deficientis ac desiderati semper appetentes, statim ab initio indidit. Cibo igitur, quicquid siccioris substantiæ effluxit, restituimus: potione, quicquid humidioris. Ita uerò & aëreæ, igneæq; substantiæ modum, respiratu, arteriarumq; pulsu tuemur. Necesse autẽ est, ex his omnibus colligi excrementorũ prouentũ, cùm nimirũ ijs quæ effluxerunt, prorsus similia non sint, sed uarias mutationes alterationesq; priusquàm assimilentur, postulent.

*Excrementis pellendis uaria organa diuersis facultatibus prædita instituisse naturam.*

Cùm igitur esse, bibereq;, necessaria animantibus sint, has autem res generatio excrementorum sequatur, natura non solùm eis excernendis instituit organa, uerumetiam organis ipsis facultates inseruit, quibus incitata, quædam ad se trahunt, quædam alijs transmittunt, quædam omnino explodunt ipsa excrementa. Porrò hæc, quò semper mundum corpus ipsum seruetur, nec obstrui aliquatenus, nec ad proprias functiones imbecilla esse oportet.

*Salubris uictus geminus scopus.*

Atq; ita geminũ iam scopũ salubris uictus sermo noster exposuit: alterũ eius quod exhaustum est reficiendi, alterũ excrementa expellendi. Nam tertius, qui huc spectat, ne animal pręproperè senescat, duos iam dictos necessariò comitatur.

*Corpus ex se duplici ratione cõsumi.*

Ex se itaq; duplici ratione consumit corpus: & quòd uel ętatis cursu, uel assiduo fluore ad interitum tendat: & quòd etiam excrementorum copia obruatur.

*Aërem ambientem esse ueluti cognatũ corpori*

Eorum uerò quæ extrinsecus incidunt, unum certè est, quod ab eo separari nõ potest, sed perpetuò illi ueluti cognatum adhæret, aër ipse ambiens. Alia nec necessariò, et incertis temporibus nobis accedunt. Aër igitur circunfusus nos lædit, calidos immodicè, uel frigidos, uel humidos, uel siccos efficiens. Hæc, quòd cõtundant, diuellant, uulnerẽt, articulũq; aliquem sua sede dimoueant.

*Sanitas similarium corporum quid.*

Est autem sanitas, haud quidem absolutè ipsorũ elementorũ, sed duntaxat partium similariũ temperamentũ cõmoderatum.

*Sanitas instrumentorũ in quibus consistat.*

Quemadmodũ & instrumentaliũ sanitas, in figura, numero, magnitudine, & compositione similarium consistit.

*Sanitatis habitus discernitur ex functionibus secundum naturam obitis.*

Porrò habitũ sanitatis discernimus, ex functionibus secundum naturam obitis: in ipsaq; latitudine sanitatis, sanitas quædã optima, consummataq; existit: quædam ueluti recedens ab hac, nec ita planè absoluta, quæ & ipsa suam etiam nec paruam latitudinem habet.

*Sanitati inesse latitudinẽ amplam.*

*Sanitas est symmetria.*

*Symmetriam omnẽ duplici dici ratione.*

Nam cùm sanitas symmetria quædam existat, symmetria autem omnis duplici ratione dicatur: aut enim ueluti summa & perfecta, aut tanquã à perfectione hac deficiens paululum: utiq; & sanitatis symmetria similiter duplex erit, hæc quidẽ absoluta & optima, illa paulò recedens ab hac, nõ tamen eatenus, ut animali sit grauis. Quemadmodũ igitur corpus aliud magis, aliud minus album cernitur: ita quod sanum dicimus, magis minusq; tale esse mihi uidetur: id quod ex mutatione ætatum atq; actionũ diuersitate licet planè colligere. Siquidem cùm ipsæ actiònes quæ debitæ respondent temperaturæ, corporisq; constitutioni (quæ sanitas est) sint uariæ: necessariũ profectò est, ut temperaturas atq; constitutiones hominũ, sic sanitates etiã uarias & diuersas existere, secundũ maioris minorisq; rationẽ.

*Sanitates hominum esse diuersas.*

Non itaq; absoluta illa tantùm, quæ insectilis est, simul est & dicitur sanitas, sed etiã quæ ab hac deficit, & in qua nec doloribus cruciamur, nec uitæ actionibus impedimur.

*Imbecillitas functionũ, nisi præter naturam sit nõ est indicium morbi.*

Sed nec functionũ imbecillitas, morbi statim est nota, nisi adijcias, quæ præter naturam cuiusq; sit.

*Sanitas quid.*

*Morbus est affectus præter naturã, impediens actionem.*

Nam ut sanitas est naturalis affectio actionem perficiens, sic morbus affectio præter naturam, impediens actionem. Quare nõ omnis affectus secundum naturam, cõtinuò etiam sanitas erit. Siquidem Aegyptiorum nigritia, licet naturalis

affectus

affectus ſit, nõ tamen dicitur ſanitas, cùm ea minimè in colore conſiſtat. Neq; ſi præter naturam aliquis affectus ſe habeat, protinus morbus eſt: alioquin morbus eſſet nigredo ex inſolatu contracta. Permagnam itaq; haberi ſanitatis latitudinem cõſtat, nec eam in nobis omnibus æqualiter prorſus ineſſe. Iudicabimus autẽ ipſam eucraſiam & dyſcraſiam, in quibus ſanitas & morbus conſiſtunt, unius ſenſus opera: is ſiquidem ad omnia uitæ munia ubique nobis eſt iudex. Quare actionis uitium, non antè pronunciabimus morbum, quàm ad ſenſibilem peruenerit magnitudinem. Porrò actiones ipſæ, cõſtitutiones corporis neceſſariò ſequunt, eam quæ proba eſt, inculpatæ probæq;: quæ contrà eſt, culpabiles ac uitioſæ. Ac proinde nihil refert impræſentiarũ, ſi quis in genere functionũ, aut conſtitutionũ, ſanitatẽ & morbũ collocet: modò intelligat, in naturali cõſtitutione corporis illa maximè ſeruanda eſſe, quorũ beneficio obeuntur functiones: & quòd ſimilariũ quidem partiũ eucraſia, inſtrumentalium autẽ forma, poſitura, numerus, & magnitudo, cauſæ exiſtunt functionum: quodq; hæc omnia ſpectentur in latitudine quadam. At uerò diuerſitatem eucraſiæ in corporibus ſanis, ex ætatibus ad amuſsim cognoſces, cùm nimirũ ad omnes uolũtarias actiones adoleſcentiũ ætas q̃aptiſsima ſit, ineptior autẽ infantium & ſenũ, propterea quòd humor in illis, in his ſiccitas frigiditasq; nimis abundet. Quanq̃ certè in functionib. naturalibus, infantium ætas cæteris omnibus antecellit. Neq; tamẽ eò ſecius omnib. per omnes ætates licet eſſe ſanis. Et quẽadmodũ in ætatibus ſeſe habet, ita etiã in naturis eorũ immenſam eſſe differentiã temperamẽtorum inuenies. Quibuſcũq; igitur corporibus multò ſupra iuſtũ calidis, frigidis, humidis, aut ſiccis eſſe cõtigit, ijs planè optima temperies nõ eſt. In quibus autem ab eo quod abſolutiſsimè temperatũ eſt, diuerſitas quædam intelligit, minor tamen q̃ quę ſenſu diſcerni poſsit, hæc certè pro abſolutiſsimis accipimus: ita ut ſanitatis, quã in latitudine cõtemplamur, hęc quidem medij temperamenti ſit, nec ulli uitio obnoxia, q̃d ſaltem ſenſu percipiatur: hæc ceu intemperata, uitioq; expoſita. Quocirca illi quã inculpatã diximus, exacta abſolutaq; debetur cuſtodia: alteri quę uitio nõ caret, haud ita exacta. Quippe intemperies quæ intra ſanitatis conſiſtunt terminos, ita corrigere oportet, ut per contraria reducantur ad moderatius temperamentũ. Sicuti igitur nec nimis gracile corpus probamus, nec q̃d ualde eſt obeſum: ita nec temperamenta eorũ, à quibus uidelicet habitudines id genus oriunt, planè laudabimus, tametſi utrunq; maximè ſanũ eſſe cõſpicimus. Sed quæ in medio horũ habitudinis ſunt, εὔσαρκοι Græcis dictæ, ſicuti ipſæ debitam partiũ cõuenientiam, ſpeciemq; inculpatam habent: ita id totũ cõuenientis laudabilisq; temperamenti beneficio acceptũ ferunt. Cæterùm ne tales quidem corporũ habitus abſoluta exactaq; temperie dixeris tẽperatos, quòd nunquam eodem in ſtatu permaneant: licet ſecundũ ſenſum, & quatenus ad uſum ſit ſatis, nõ inculpabiles modò, ſed etiã optimos eos eſſe cenſueris.

*Senſu indicandam eſſe eucraſiam & dyſcraſiam.*

*Actiones ſequũtur conſtitutiones corporum.*

*Functionũ cauſæ quæ exiſtant.*

*Adoleſcentes eſſe quamaptiſsimos ad omnes voluntarias actiones.*

*Infantium ætas habet naturales functiões vehemẽtiores multò, quàm reliquæ ætates.*

*Sanitas eſt duplex: vna temperatiſsima, altera veluti vitio expoſita.*

*Sanitas inculpabilis conſeruanda eſt. quæ vitio non caret, reducenda per cõtraria eſt ad moderatius temperamentum.*

*Euſarcoi.*

Eſt autem optima corporis cõſtitutio, ſi ſubſtantiam eius ſpectes, & quæ optimo temperamento ſit, & quæ figuram partiũ, omnemq; tum numerum, tum magnitudinẽ, tum omniũ earũ inter ſe contexturam, ad functiones egregiè comparatam habet. Si uerò indicia notasq; reſpicias, cuius corpus carnis mediocritatẽ præfert, atq; ſecundum ſingulas partes, in medio exceſſuum omniũ libratur, pulcherrimũ ſimul & cõmoderatum exiſtens. Huius ergo ſortis homo, ſi ſtatim ubi editus eſt in lucẽ, arti ſanitatis tuendæ educandus tradatur, erit utiq; fortunatiſsimus. Sic nanq; ad animi quoq; affectus nonnihil lucrifaciet, ipſa nimirũ recta uictus ratione mores quoque probos reddente. Ergo recens is natus infantulus, cuius corporis conſtitutio omni nota uacat, primũ quidem faſcijs deligetur, ſed corpori prius toti ſale modicè inſperſo, quò cutis eius denſior ſolidiorq; ijs quæ intus ſunt partibus reddat, ut reſiſtat facilè iniurijs extrinſecis. Vbi uerò inuolutus iam fuerit, lacte pro alimento utatur, & balneis ſalubriũ aquarũ. Vniuerſam nanq; uictus rationẽ, humidam ſibi adhiberi poſtulat, ut qui cæteris ætatibus temperamento ſit humidiore. Id quod ſentiẽs Hippocrates, ait, humidam omnẽ uictus rationẽ febricitantibus eſſe utilem, præcipuè uerò puellis, & ijs qui tali refici uictu ſunt aſſueti: ubi à morbo quidem contrarij adhibendi indicationẽ accipit: ab ætate & conſuetudine ſimiliũ. Quæ enim corpora ſecundum naturã ſe habent, ijs cuſtodiri ſuum habitũ decet: quę aliquo morbo premuntur, ijs contrà, alterari & ad contrarium trahi habitũ expedit. Ac ſeruatur quidem ſimilibus unumquodq;, alteratur contrarijs. Si itaq; nulla præter naturam humiditas ſubſit, pro naturæ ratione alendi, ac dulcium aquarũ balneis humectandi ſunt puelli. Nam ſulphureæ, bituminoſæ, aluminoſæq; aquæ, planè omnes ſiccant. Cùm igitur ſanguine in utero ali nos conſtet, ex ſanguine autem exiguam in mamillis mutationẽ perpeſſo gignatur lac, erit utiq; lac maternũ non modò alimentum conſuetũ, ſed etiam maximè propriũ cunctis infantibus, ac præcipuè optimè temperato: quippe cuius maternũ non corpus modò totum, ſed etiam lac, à uitio eſſe alienũ non ſit abſimile. Tribus autẽ remedijs nutrices ipſo uſu edoctæ mulcere ſolent infantes, dum aut offendunt, aut plorant: nempe ipſa papilla ori indita, motu mediocri, necnon uocis modulatione. Quibus non ſolùm eos mitigant, ſed etiam ſomnũ conciliant: uel hoc ipſo teſtificante natura, ad muſicen eos & exercitia ſuopte eſſe ingenio propẽſos. Adeò quiſquis his artibus probè uti ſciet, is corpus & animam optimè inſtituet. Nutricibus porrò triplex infantibus excogitata dimotio eſt: in cunis, in pendentibus lectulis, in ſuis ipſarum ulnis: totidemq; in uniuerſum notant etiam prima exercitationum genera. Quippe aut à nobiſipſis mouemur, aut ab alijs, aut medicamento. Horum tamen tertia ſpecies, ad ſanos nequaq̃ pertinet. Sed qui ab altero præſtatur motus, nauigando, equitando, uehendo, atq; in cunis, lectulis, & ulnis obitur. Recens tamẽ nati puelli, tam ualentẽ motũ, quàm eſt qui uehiculis, nauigijs, equiſue

*Optima corporis cõſtitutio quæ dicatur.*

*Mores redd. probos à recta victus ratione.*

*Infantulũ educandi ratio.*

*Infantulo, prius quàm inuoluatur, ſalẽ eſſe inſpergendum.*

*Lac.*

*Balnea.*

*Humida victus ratio quibus cõueniat.*

*Corpora ſecundum naturã ſe habẽtia, ſeruanda eſſe. alteranda, quæ aliquo morbo premuntur*

*Similibus ſingula conſeruari.*

*Alteratio fit per contraria.*

*Aquæ ſiccantes quæ.*

*Sanguine in vtero alimur.*

*Lac fit ex ſanguine.*

*Lac familiare alimentum infantulo.*

*Infantes mulcendi ratio triplex.*

*Infantes natura propenſos eſſe ad muſicem, atq; exercitia.*

*Infantibus motionem triplicẽ excogitarũt nutrices.*

*Exercitiorũ prima genera tria.*

præstatur, adhuc non desiderant. At qui iam tertium aut quartū annū agunt, his uehiculo, nauigioq́ modicè agitari licet. Septennes uerò, iam equitare assuescunt. Ac per se tum primū pueris moueri licet, cùm iam repere cœperunt, magisq́ etiam cùm ingredi.

*Puelli cur non sint immaturè cogendi ad motum.*

*Natura nostra cū exercitijs habetur magna necessitudo.*

Immaturè autem cogendi omnino nō sunt, ne pondere crura eorum uitientur. Sanè uel hac ætate facilè declaratur, quanta sit naturæ nostræ cum exercitijs societas: cùm pueros, nec si cōcluseris loco aliquo, prohibeas quo minus discurrāt, ac pullorum uitulorumq́ modo lasciuiant. Quippe sua cuiq; animanti natura satis est ad proprias conuenientesq́ excitandas appetitiones, quibus sanitatem tueatur.

*Puelli optimo præditi corporis habitu, animi quoq; mores inculpatos sortiuntur.*

Iam uerò qui optimo corporis habitu præditi sunt infantes, his animi quoq; mores citra uitiū esse par est. Qui enim sunt ad iram magis procliues, aut animo planè demisso, * aut intelligentes magis, aut stupidi, aut appetentes ultra modum, hos parum idoneo temperamento esse ijs partibus, quibus prædictorum singula administrant, necesse est. Infantis autē quem absolutum inculpatumq́ proponimus, ut nullum ex animi moribus corrigere, sic eosdem seruare ne quo uitientur, oportet.

*Seruari quidq; ijsdē generibus, à quibus corrumpitur.*

*Mores animi quæ corrumpere soleant.*

Seruāt uerò quidq; ijsdem planè generib. quibus corrumpit. Corrumpunt animi mores praua cōsuetudine cuiusq; horū, cibi, potionis, exercitationis, uidendi, audiēdi, totius deniq; musices. Quare peritū horum omniū esse eum medicū oportet, qui sanitatis tuendæ curā suscipiet. Etenim iracūdia, fletus, ira, cura immodica, & multę super his uigiliæ, febres accendūt, ac grauissimis ægritudinibus initia præbent: uelut è diuerso, cogitationis mentisq́ segnitiæ, ac animus omnino deses, decoloratos, atq; ex atrophia graciles, ob naturalis caloris imbecillitatē, reddunt.

*Caloris naturalis custodiendi ratio.*

*Motus vehementes quorum malorum existant causa.*

*Motus admodū languidus quid efficiat.*

Hunc enim calorē, præter cætera intra sanitatis fines custodire oportet. Custoditur autem cùm corporis, tum animi exercitijs modicis. Siquidē qui motus nimis modū excesserint, biliosum animās reddūt: si intra modum nimis subsistunt, frigidū & pituitosum efficiūt. Quinetiam priorē habitudinē febres, & qui calidiores affectus sunt: posteriorē iecinoris & uiscerū obstructiones, comitiales morbi, apoplexię, in summa destillationū fluxionumq́ morbi plerūq; excipiunt. Et nos ægros quotannis nō paucos persanauimus, solis animi motibus ad debitū modum reuocatis.

*Infantes ne incidant in vehemētes animi motus, curandum.*

Itaq; infantes qui optimū sortiti sunt temperamentū, nō leui cura egent, ne quos animi motus immodicos incurrant. Quippe loquelæ adhuc expertes, ploratu, clamore, iracundia, & inordinato sui motu, dolorē indicant. Nostrum igitur officiū est, cōiectantes quid optent, assiduè id suppeditare, priusq̄ auctus dolor, in nimiū atq; inordinatū motū unà cum corpore etiā animū rapiat.

*Infantes quibus de causis plorēt.*

*Immodico nullum animal delectatur.*

*Medium semper expeti, consistereq́ in relatione ad aliud.*

Siquidē dentientes, aut ab externo quopiam offensi, aut aluū exonerare, aut meiere, aut esse, bibereúe cupientes, aut multitudinem stratorū, uinculaq́ arctiora nō tolerātes, aut deniq; diuturnā quietem pertæsi, perinde ac discrucian plorant, enormiterq́ mouent. Nullū enim animal ullo immodico delectatur, sed semper medium modum expetit. At medius ipse modus non unus omnibus est, sed ex corū sempet est numero, quæ in collatione ad aliud spectantur. Eum igitur qui curam infantis educandi suscipiet, acrem mediocritatis, cōuenientisq́ coniectorem esse oportet. Hæc autem omnia, usq; in tertium à natali annum, circa puerū peragenda censeo:

*Nutricis victus rationem quamdiligentissimè cōsulendum esse.*

*Sanguis optimus à quibus gignatur.*

in primisq́ de nutrice ipsa nō minimam habendam esse curam, quid edat, quid bibat, quo pacto in somno, uenere, & exercitatione se habeat, ut uidelicet lac eius egregiè sit temperatū, quale certè erit, si sanguis eius quàm optimus sit. Sanguis porrò fit optimus, à modica exercitatione, & cibis tum boni succi, tum iusto tempore modoq́ assumptis: pręterea potione tempestiua, modicéq; assumpta.

*Venere interdicendum nutricibus, quòd ab ea citentur menses, & lac odoris gratiam amittat.*

*Nutricem grauidam esse ineptā lactando infantulo.*

A uenere omnino abstinendam esse, quæcunq; lac præbebit, moneo. Nam & menses uiri consuetudine prouocantur, & lac odoris gratiam in deterius mutat. Quinetiam aliquæ concipiunt in utero, quo alienius à puello adhuc lactente nihil est: cùm quicquid sanguinis optimum est, absumatur in fœtū. Quare ubi mater concepit, uel aliquo morbo est affecta, alia nutrix est inuenienda: cuius lac gustu, odoratu, uisuq́ explorandum est diligenter.

*Lactis optimi nota.*

*Lactis vitiosi nota.*

Siquidem quod optimum est, id gustanti, olfacientiq́ planè suaue, intuenti candidum, æquabile, ac medium liquidi crassiq́ apparebit. Quod uinosum est, è diuerso aut crassum & caseosum, aut liquidum & serosum, ac liuidum, tum consistentia ipsa, coloreq́ inæquabile nobis uidebitur. Idem gustantibus amarorem, aut salsedinem, aut qualitatem quampiam extraneam exhibebit. Tale uerò nec olfacienti suaue erit. Atq; lactis probi improbiq́ hæc sunt indicia.

*Infantulum primò quidem solo lacte nutriendū esse, postea verò assuefaciendum solidioribus cibis.*

*Infantis corpus fricandum oleo dulci esse, idq́; post longissimū somnum.*

*Pueris maiorib. duplex fricandi & lauandi tempus.*

Puellum autem ipsum primò quidem solo lacte nutrire: at ubi primores dentes emiserit, eum solidiori quodammodo iam cibo assuefacere cōuenit. Corpus autem infantis confricare oportet oleo dulci, idq́ posteaquàm uniuersum lac accuratè concoctū fuerit: alioqui alimento crudo uniuersum corpus replebit. Quare post longissimum somnū fricandi occasio captanda est. Maiorum tamen puerorū, qui parêre plagis & minis norūt, ijs duplex tum fricandi, tum lauandi temporis occasio est. Prior ac cōmodior, cùm à matutino somno surrexerint, deinde luserint, ac iam cibum petant. Quòd si qua occupatione, qui puellum alit, auocetur, modico pane præbito, ludere permittat quantùm uelit. Dein cùm rursus cibum petierit, tum fricet, lauetq́.

*Puero post cibū quem balneum exceperit cur statim nō sit bibendum.*

*Balneū cibus in optimo habitu puero sequatur.*

Minimè tamen bibere ei permittendum post cibum est, quem balneum excipit: quando ita præcipitatior eorum quæ uentriculus cōtinet, distributio in corpus fiet, id quod in corporibus prorsus sanis cauendum est. Præstiterit autē semper, ut in nobis proposito puello, balneum cibus sequatur. Nam quibus utilius est ante balneum cibum dedisse, horū planè improbandæ habitudines sunt.

*Germanorū agrestes mores Galenus damnat.*

*Infantuli olim apud Germanos quamprimū orant editi in lucem, demergebātur in frigidam.*

Cæterū nec Germanis, nec hominib. id genus alijs agrestibus, hęc documēta prodimus, nō magis q̄ apris & ursis, sed Gręcis, & ijs qui eorum æmulant studia. Nam quis obsecro nostrū tulerit, modò editū in lucem infantulum, atq; ab utero calentem, ad flumen deferri, ibiq́ (sicuti fieri apud Germanos aiunt) ceu candens ferrum, in frigidum humorē submergi, ut & roboretur corpus,

corpus, & periculum de uigore illius ſumat. Præſtat itaque nec adeò denſare cutem, ut corporis tranſpiratũ prohibeat: nec rarefacere ita, ut facilè à qualibet extrinſecus incidenti occaſione lædatur. Corpus autẽ propoſiti nobis puelli, medium exceſſus omnis exiſtit.

*Cutis quatenus ſit denſanda.*

At uerò cùm mitti iam is in ludum eſt habilis, non neceſſe erit aſsiduis præterea balneis uti, ſed interim cùm luctari condiſcit, mediocriter inibi ante cibum exerceri ſat erit, ac balneo plerunq; abſtinere.

*Puero iam habili ad ludos reddito, quæ peragenda.*

Vinũ ſanè quàm diutiſsimè qui ea natura puer eſt, ne guſtare quidem ſuaſerim, quòd humectet nimis, & calfaciat corpus, caputq; halitu repleat. Quare nec iam adultis uinũ, niſi modicè ſumptũ, eſt utile: quòd uidelicet ad iram & libidinem præcipites facit, & partem animæ rationalem, hebetem atq; turbidam reddit. quanq̃ his ipſis ad bilis excrementa uel mitiganda uel expellenda, eſt ſanè nõ inutile: non minimè uerò ad eam ſiccitatem, quæ in ſolidis partibus aut ex immodicis laboribus, aut ex proprio temperamento prouenit.

*Pueris optimè temperatis cur interdicendũ ſit vino.*

*Vinum cur ne adultis quidem, niſi modicè propinandum ſit.*

*Vinum ad quid utile.*

Iam puellis potio frigidæ, ac præcipuè à cibo & per calores, non incõmoda eſt. Aqua tamen fontana & recens alijs eſt præferenda. Quæ autẽ omnium optima eſt, ea penitus nõ guſtui modò, uerumetiam olfactui, omnis qualitatis expers uidebitur: eritq; iucunda guſtui, & celeriter pertranſibit præcordia. Porrò quę aqua ex petra cõtra ſeptentrionẽ fluit, ſolemq; auerſum habet, ægrè quidem concoquit, ac tardi tranſitus eſt, tardeq; incaleſcit, atq; refrigeratur. Cuius ad orientem ſolem erumpit fons, quæq; per terram puram colatur, eadem caleſit ac refrigeratur ocyſsimè, omniq; ætati utiliſsima eſt.

*Puellis potio frigida à cibo eſt commoda.*

*Aqua optima, omnis qualitatis eſt expers.*

*Aquarum differentia.*

Idem de aëre etiã eſt iudicandum: quem optimum, hoc eſt, puriſſimum, in pulmones trahere, omnibus iuxtà ſalubre eſt. Nam impurus aër, omni ætati aduerſatur. At uerò quæ ex calore, frigore, ſiccitate, humiditateq; diuerſitas aëris contingit, nõ perinde ſe ad omnes homines habet: ſed corporibus quæ optimo temperamento ſunt, etiam optimè temperatus aër eſt ſaluberrimus. In quibus uerò aliqua exuperans qualitas dominatur, ijs utiliſſimus aër eſt, qui ei qualitati pari gradu aduerſatur.

*Aëris differentia.*

*Aëris qualitatẽ temperatis quidem naturis, tẽperatam: intemperatis autẽ contrariam requiri.*

Porrò ubi puer iam eſt ſecundũ ſeptenniũ ingreſſus, calidum eſt, eodem gradu quo prius, illi temperamentũ: humidũ uerò nõ eodem, quandoquidem omne animans ab ipſo ſtatim ortu, ſiccius indies efficitur. Cui igitur optimi ſtatus corpus contingit, is ad quartumdecimũ uſq; annum iam traditam uictus rationẽ obſeruet, modo ſemper exercitij ſeruato. Lauetur autẽ calida potius q̃ gelida, ut qui nondũ hanc citra noxam pertulerit: adhibeatq; illi educatio optima, quæ probis conſuetudinibus, & grauibus diſciplinis paratur. A ſecundo autem ſeptennio uſq; ad expletum tertium, licebit tibi ad robuſtiſsimũ corporis habitum prouehere hominẽ, aut inſtruere ijs animi dotibus quæ ad ſcientiã, ſapientiãq; pertinent. Non eſt tamen eadem utrobiq; uictus ratio. Atq; hac maximè ętate perfici abſoluiq; cõuenit, quæ ſpectant ad mores.

*Pueri ſecundum ſeptennium ingreſsi, temperamentum.*

*Educatio optima probis cõſuetudinib. et grauibus diſciplinis paratur.*

*Pueri mores per ſecundos eſſe tertio ſeptennio.*

Vt aliquis autẽ in longiſsimũ prolata uita, etiam bona ualetudine perpetuò utatur, is liber oportet ſit ab omni negocio publico, nimirũ ſibi uiuens duntaxat, ſolisq; indulgens corpuſculo. Etenim immortale fieri quod genitum eſt, planè nõ poteſt: ut uerò in longum perduret tempus, id maximè fieri poteſt. Nam qui optimũ ſortitus eſt corporis habitum, ſi ab omnibus quæ ad publicum in uita ſpectant, ſecedat, ſibiq; tantũ uacet, nec morbo ullo quoad fieri poterit unquam tentabitur, neq; ante longiſsimũ uitæ tempus morte occupabitur.

*Victuri diu & ſalubriter debẽt eſſe à negocijs immunes, ſoliq; indulgere corpuſculo.*

Cæterùm cùm huic tali edendum, bibendumq; ſit, ad reparanda quæ ex corpore effluũt, neceſſe utiq; eſt, excernendorũ habeat rationẽ. In primis igitur excrementum à ſyncero ſeparatur, & paulatim impellitur per omnia inteſtina, uſque ad rectum uocatũ: ad cuius exitum muſculi quidam inſerti ſunt, qui ipſum, ne immaturè effluat, coërcent. Poſtea uerò quàm plurimũ cõgeſtum iam graue animali fuerit, tum foras agi ſinũt, ad celeritatem emiſsionis etiam abdominis muſculis unà cum tranſuerſo ſepto adiuuantibus.

*Excremẽti à ſyncera ſubſtantia ſecretio, quomodo fiat.*

*Muſculi expulſioni excrementorum ſeruiẽtes.*

Iecinoris excrementorũ aliud eſt, quale quod florem in uino appellãt: aliud, quale quod fæx dicitur. Attrahitur alterum à ueſicula quæ iecinori ſubditur, alterũ à liene. In his collecta excernuntur, alterum in priorem inteſtini tenuioris partem, alterum in uentriculum, ab hiſq; per omnia inteſtina permeant. Quod autẽ in uenis & arterijs excrementũ aceruatur, eiuſmodi planè eſt, quale in lacte concreto ſerum. Hoc renes à ſanguine ſecernentes, ad ueſicam tranſmittunt. Cuius collo tranſuerſus etiam muſculus ineſt: quo arctato ſupprimitur, laxato emittitur lotiũ, ad id conferentibus etiam abdominis muſculis.

*Bilis flaua in exortum inteſtinũ excernitur.*

*Atra bilis à liene in uentriculum mittitur.*

*Vrinam ſecerni à ſanguine, per renesq; in veſicam demitti.*

*Colli veſicæ muſculus.*

Reliquũ excrementorũ genus in ſingulis animalis naſcitur partibus, ex ipſo unde aluntur ſucco. Huic excremento nullus certus à natura præſcriptus meatus eſt: expellitur tamen partim per ipſa molliora corpora, ac partim per ſudorẽ, partim per latentem tranſpiratũ diſcutitur. Sed in hoc perflatu inſenſibili, etiã craſsioris excrementi nõnihil excernitur, à quo tum pili, tum ipſius cutis ſordes gignuntur.

*Excremẽta quæ in ſingulis gignuntur partibus, excernendis, nõ fuiſſe aliquẽ certum meatũ à natura præſcriptum.*

*Pilorum generatio.*

Cùm igitur eijci omnia excrementa hæc oporteat, expedit arbitror primũ nouiſſe, quibus maximè cauſis remorentur: dein rationem iniri, qua nec in ipſas incidatur: ac ſi quando inciditur, q̃primùm error corrigatur. Atque ne incidatur quidem, hinc licet aſſequamur, utique ſi excreta abundè ſint, nec ne, compertũ habuerimus. Porrò ijs quæ in uentre continentur excremẽtis mora cõtingit, aut ipſius cibi potioniſue culpa, aut ipſius uentriculi unà cum inteſtinis. Et cibi quidem potioniſq; uitio, aut propter qualitatem eorum, aut quantitatẽ, aut propter ordinẽ, utendiq; modum. Et propter qualitatem quidem, ſi acerba, auſtera, aut ſiccę naturę fuerint: propter quantitatem, ſi iuſto plura aut pauciora ſint aſſumpta. Ordinis culpa, ſi quę ſicca, aſtringentiáue ſunt, primò: quæ humida, pinguia & dulcia, ſecundo exhibeantur loco. Modi uſus ratione, ſi cùm bis fuit edendum, totum ſemel ſumpſerit. Quæ uentris aut inteſtinorũ uitium ſequitur excrementorũ mora, uel ob naturalem eorũ affectum accidit, uel certè acquiſititiũ. Ac quæ quidem naturæ eorũ uitio cauſæ proueniunt, ex prauis corporis habitibus aliqui ſunt. Recentiũ autẽ uentris affectionũ acquiſititiam,

*Excrementa alui ſupprimi quibus de cauſis poſſunt.*

*Affectionum uētris acquisititiarum, differentiæ octo.*

octo sunt differentiæ: quatuor nempe simplices intemperies, totidemq́ cōpositæ: à quibus maximè inualescentibus, inualida potest reddi expultrix facultas cùm uentris, tum omnium intestinorū.

*Intēperies uentris à quibus gignantur.*

Creantur porrò eiusmodi intemperies, aut à cibo & potione, quibus uis insit medicinalis: aut à uitio aëris ambientis, aut à lauacro, aut ab unctione, aut deniq; ab alia re, quæ extrinsecus uentri adhærescens, eum alterandi uim possidet. His igitur de causis excrementum uentris supprimitur.

*Flaua bilis retineri quibus de causis posset.*

At flauæ bilis excrementum moratur, aut propter attrahentis expellentisue facultatis infirmitatem, aut propter uasorum quibus deducitur atq; excernitur angustiam. Porrò infirmitas tum uesiculæ totius quæ subijcitur hepati, tum eorū meatuū qui ab ea in iecur subeūt, tum eorum quibus in intestinum euomitur bilis, ex recenti prouenire potest intemperātia.

*Angustia uasorum unde excori ri posset.*

Angustia uerò uasorum, aut phlegmonis uitio fit, aut propter scirrhos, aut obstructionē, aut circumiacentiū partiū innixū, aut oscillorū cōniuentiā. Iam ipsa proximarū partium cōpressio, aut propter immodicam copiam eorum quæ in se cōtinent, aut propter phlegmonē aut scirrhium accidit. Aequè & oscillorum conniuentiæ, aut propter horum quicq̄, aut siccitatem.

*Astringentia siccare.*

Siccitatē conciliant & quę ualenter astringunt, & quæ partim calfaciunt & siccant.

*Atra bilis quando sistatur.*

Ad eundem modū atræ bilis excrementū aliquādo sistetur, si lien quidem proportione respōdeat bilem excipienti uesicæ: uena uerò quæ à porta iecoris in ipsum inserit, uasis illis quæ excrementū biliosum attrahunt: atq; ea deniq; uena quę ex liene in uentriculū fertur, proportione etiam respōdeat meatui illi qui excernit bilem.

*Excrementū singulis particulis insitum, à quib. supprimi possit.*

At excrementū quod per singulas cōgeritur animalis particulas, & copia sui, & crassitudine, & præterea lentore remoratur. Ad hæc, ob imbecillitatē caloris, transitusq; angustiam.

*Meatus latentes quibus partibus sint tributi, ad excernenda excrementa.*

Sunt tamē partes quæ præter latētes meatus, alios quosdam patentes atq; conspicuos obtinent, ut cerebrū, & oculus: idq; aut ob principatum particulæ, aut propter actionē exquisitius obeundam, aut propter continentiū corporum spissitudinē.

*Cerebrum animæ domicilium plurimis canalibus expurgatur.*

Est nanq; cerebrū rationalis animæ ceu domiciliū: quod cùm osse solido undiq; septum sit, plurimis maximisq; canalibus expurgatur: primū per nares & palatum, secundò per utranq; aurem, tertiò per caluæ cōmissuras. Nec absimile est etiam aliquid ab eo cōfluere ad oculos.

*Oculi qua parte expurgentur.*

Oculus uerò ipse per euidētes meatus ejcit quicquid in eo excremēti gignitur, idq; iuxta nares & genas.

*Retentionis excrementorū causis, contraria ab his sunt adhibēda.*

Illud autem cōmune omniū excrementorū sit documentum, ut retentionis causæ, contrariā semper causam admoueas. Vt, exempli gratia, si ex comestorum paucitate & siccitate restricta aluus fit, plura & humidiora exhibebis: ac sic de cæteris. Obstructa quippe sunt aperienda. intemperata reducenda per cōtraria ad naturalē temperiē: sicuti & quæ crassa & uiscida sunt, incidenda, tenuatoria uictus ratione, ac præcipuè exercitijs,

*Exercitia quantò præstent cibis & medicamentis tenuantibus.*

quę tam cibis q̄ medicamentis tenuantibus tantò præstant, quantò satius est nullo corporis nostri habitus incōmodo exigi quæ redundāt, q̄ pariter & carne liquāda, & solidis extenuandis. In his autē tribus primis generib. cōsistit sanitatis tuendæ studiū, æquè ac medendi methodus: nempe corporibus, causis, & signis.

*Sanitatis tuendæ studium, methodūq; medendi, consistere in corporibus, causis, & signis.*

Corporib. quidē, ijs quæ & sana iam sunt, & eo statu seruari debēt. Signis uerò, corporū accidentibus, ex quibus ipsa corpora dignoscunt. Causę sunt, ex quibus custodia sanitatis perficit. Harū materiā quatuor generib. iuniorū probatissimi sunt cōplexi: admouendis, educendis, faciendis, extrinsecus incidentib.

*Causarū medicinalium quatuor genera.*

*Alterari corpus quotupliciter possit.*

Satius tamē fortasse fuerit, admouēdis, educendis, faciendis, & incidentibus, alterari immutariq; corpus dicere.

*Mutationem fieri aut in qualitate, aut in quātitate.*

Mutationē uerò aut in qualitate fieri, aut in quantitate. In qualitate, dum aut incalescit, aut refrigeratur, aut siccescit, aut humectū reddit. In quantitate, dum alitur aut nutritur.

*Inanitio duplex.*

Iam inanitionem ipsam duplicē quoq; esse, alteram excrementorum, alterā naturalis substantiæ nostræ, assiduè defluentis, quæ nutritioni ex aduerso opponit.

*Alimentum triplex, secundum Hippocratem.*

Porrò alimentū est secundum Hippocratem, triplex. Aliud enim est nutriens, aliud ueluti nutriens, aliud quod nutriturum est. Quarū differentiarum primæ, ipsius substantiæ fluorem opponas rectè. Secundæ autem, tum hæmorrhagiam, tum omnem sanguinis inanitionem. Tertiæ deniq; lienteriam & uomitum. Iamq; in hoc loco primum cōmentarium claudamus.

## GALENI. PERGAMENI de sanitate tuenda lib. II.

PRoponatur nobis in hoc cōmentario saluberrimæ naturæ puer, qui iam tertiū ætatis suæ septenniū ingreditur: cuius corpus effingere quoad fieri potest q̄ optimè, propositum sit. Cùm autem ut corporum ipsorum numerosa diuersitas est, ita uitæ rationum quibus uiuimus, sint species diuersæ: fieri nequit sanè, ut in qualibet proposita uita absolutè optimam corporis nostri curam exhibeas, sed eam tantùm quę cuiq; optima sit. Quare omnibus ijs qui aut seruitute, aut etiā impediti negocijs, corpori curando uacare nequeunt, optimam prorsus corporis curam scripsisse, superuacaneum fuerit. Iis autem qui omni modo liberam uitam degunt, præcepisse fas est, quemadmodum uicturi sint feliciterq; & diutissimè.

*Inculpatissimū quod in omni genere est, præponi cæteris ceu regula debet.*

Porrò quod simplex inculpatumq; in omni genere est, id cæteris omnibus ceu regula quædā præponi postulat. Ac simplex inculpatumq; in corporibus quidem est, q̄d optimo est habitu: in uitæ generibus, quod omnino liberū est. Primū igitur hoc libro duo hæc coniuncta tractemus. Itaq; in optimæ notæ puero, qui tertiū septenniū ingressus est, ac uni corporis curæ uacat, labor cibum præcedat, sintq; mediocria omnia, labor scilicet, cibus, potio, somnus, & uenus, quemadmodum rectè monuit Hippocrates.

*Labor cibum præcedat.*

*Mediocria debere esse omnia.*

*Venus, quæ somnum debet excipere, à florentibus tantùm est exercenda.*

Quanq̄ certè uenus, quæ somnum debet excipere, tantū florentiū est, utiq; quo tempore etiam eius est usus. Quæ autē hanc uel præcedunt, uel sequuntur ætates, aut planè semen non effundunt, aut certè infœcundum, aut malè fœcundum. Porrò laboris ipsa appellatio, idem mihi significare uidet, cum cōmuni exercitationis appellatione. At nō quiuis motus exercitatio uidet, sed tantū qui uehemētior est.

*Motus uehementior tantùm, dicitur exercitatio.*

Quoniā

autem

autem eorum quę ad aliquid dicuntur, est quod uehementius dicitur, fieri potest, ut idem motus alteri sit exercitatio, alteri non sit. Terminus igitur uehemētiæ esto alteratio respirationis: quando in quibus nulla fit respirationis mutatio, hos nondum exercitationes uocamus. Sunt autem exercitationum duplicia cōmoda: hæc quidem ad excrementorum inanitionem, illa ad solidarum partium bonam habitudinē conferentia. Nam quoniam uehementior motus exercitatio est, instrumentorum duritiem, genuini caloris augmentum, & spiritus ualentiorem motum necessariò inducit. At ex instrumentorū duritia sequitur ad labores robur & renitentia: ex calore, distributio ualidior, immutatio expeditior, nutritio absolutior, omniumq́ corporū fusio, ob quam solida mollescunt, humida tenuantur, exigui meatus laxiores fiunt. Sed ex ualentiori spiritus impetu, & purgari hos omnes meatus necesse est, & excrementa expelli. Quoniam autem exercitatio digestionem in corpus adiuuat, non debet, cùm administrabitur, aut cruditas, aut multitudo succorum, uel in uentre, uel in uasis consistere. Quoniā uerò & exiguos meatus expurgat, & excrementa expellit, utilius est ante cibum eam administrare. Siquidem quę impura corpora sunt, atq; ab excrementis parum purgata, hæc quò magis nutries, magis lædes. Quare tunc ad exercitationem cōmodissimum tempus est, cùm hesternus cibus duplici concoctione iam prorsus confectus fuerit, & ea quæ in uentriculo, & ea quæ in uasis sanguinis agitur, ac iam denuò cibandi tempus instet. Quòd si prius aut posterius exercitatione utare, aut crudis humoribus hominē impleueris, aut pallidæ bilis prouentum auxeris. Atq; huiusce temporis nota, color est urinæ. Quæ enim aquæ speciem præfert, crudum adhuc in uenis esse indicat succū eum, qui à uentre submittitur. Quæ uerò rufa, biliosaq; est, iamdudum concoctum esse huiusmodi succum. Quæ modicè pallet, peractæ modò secundæ concoctionis est signum. Cùm nanq; bili infecta urina nondum est, aquæ speciem alboremq; præfert: cùm uerò plus iusto eius bilis acceperit, rufa cernitur. Ergo cùm mediocriter est rufa, mediocriterue pallens, tum est exercitatio adeūda: sed expulsis prius excrementis, quæ uel in uesica, uel in inferioribus intestinis cōtinentur, ac partibus solidis molli frictione sensim concalfactis, crassisq; tenuatis humoribus, necnon reclusis perexiguis meatibus, ne uel excremētis repleatur uniuersus corporis habitus, uel rumpat aliqua pars ex solidis, uel prædicti obturentur meatus. Oporteri itaq;, ubi linteolo suauiter perfricando sic calfeceris totū corpus, ut floridus quidam rubor per totā eius cutem fundatur, oleo tandem ipsum subigere: id quod nunq̄ tentandū est, priusquàm incalescat cutis, & laxentur eius meatus. Vnctio autē ipsa fieri nudis manibus debet, ac mediū, inter mollem & durū, modū seruantibus: iufricandumq́ prima cōtrectatione blandius, inde sensim paulò fortius, donec caro manifestè citra cōtusionē premat, adeoq; uniuersum corpus legitimè compactum esse uideat. Haudquaq̄ tamē tam ualida

*Exercitationis terminus sit alteratio respirationis.*

*Exercitationis duplicia cõmoda.*

*Caloris opera.*

*Exercitari, si adsit cruditas, aut humorū plenitudo, cur homo non debeat.*

*Exercitatio cur ante cibum administranda.*

*Impura corpora quo magis nutries, eò magis lædes.*

*Exercitationi cōmodissimum tempus.*

*Vrinæ color tempus exercitijs aptum indicat.*

*Vrina alba indicat cruditatē.*

*Vrina rufa quid indicet.*

*Vrina modicè pallida quid indicet.*

*Exercitium esse adeūdum prius aluo et vesica solutis, necnō solidis partib. molli frictione concalfactis.*

*Oleo post frictionem mēbra subigenda esse.*

*Vnctio.*

*Frictio qualis nā esse debeat.*

frictione diu utendum, sed semel aut bis in quaque parte, ne eius pueri corpus duretur, exiccetúrue, quod seruare in medio temperamento est animus. At procedente tempore, ubi iam adolescit, tum duriore frictione utemur, ac præterea frigida ab exercitando lauatione. In præparatoria uerò illa ante exercendū frictione, quæ huc spectat, ut corpus molliat, mollis duræq; mediā qualitatem dominari oportet, ac pro eiusdem qualitatis ratione, compleri singula. Variæ autē q̄maximè ex manuum iniectu circumactuq; frictiones esse debebunt, quò uniuersæ musculorū fibræ, omni ex parte fricētur, nec supernè modò deorsum, aut infernè sursum adhibitæ, sed etiam tum in subrectum, tum in obliquū, tum in transuersum, tum in subtransuersum. Quas quidem differētias frictionū, discere ex hac figura licebit

*Frictionibus varijs utendum.*




Dura porrò frictione ligari corpus, molli solui, multa extenuari, mediocri crassescere, autor est nobis Hippocrates. Quę differentiæ quatuor ex quadruplici omnis frictionis tum uirtute, tum usu oriuntur. Quòd si medias quoq; harū annumeres, sex in uniuersum differētiæ existent. Iam uerò mollem frictionem necessariò cōsequitur ut corpora emolliat: sicuti duram, ut impingat induretq; illa. Si igitur dura ligandi, mollis soluendi uim habet: quæ supra modum soluta corpora sunt, ea duriter planè fricanda sunt: contrà, quæ cōstricta sunt, molliter. Quæ modicè se habent, manifestū est ea nec molliter nec duriter, sed mediocriter esse fricanda. Sicuti uerò in ijs differentijs quæ in qualitate spectantur, non solùm dura mollisq; consistunt, sed etiam media, ita & in ijs quæ ex quantitate ducuntur non solùm multa, & pauca, sed etiam media internoscitur. Cur autem in ijs differentijs quæ ex qualitate trahuntur, omiserit mediam Hippocrates: in ijs uerò quę ex quantitate, exiguam, iam dicam. Cùm enim ex contrarietatibus, aliæ quidem in frictionum genere (ut dura & mollis, multa & pauca) aliæ in affectuum qui ab ijs proueniunt, necessariò consistant, ut colligatio & solutio, gracilitas & crassitudo: ac prior quidem affectuum contrarietas, ex priori frictionis contrarietate nascatur: secunda autem non item (euenit enim in hac, ut gracilitas proueniat ex multa, carnis incrementū ex mediocri frictione: quandoquidem pauca augendæ carni non sufficit, sed exci-

*Frictionū diuersarū varij vsus.*

*Frictiones mediæ.*

*Cōtrarietatum alia in frictionum genere, alia in affectibus qui ab ijs proueniunt cōsistunt.*

*Frictionũ utiles differẽtias ex dissoluerit Hippocrates, secũdum affectuũ contrarietates.*

tando calori modico, id quod alijs cõmune est omnibus) ob id nimirum secundum affectuum contrarietates, ceu longè utiliores ijs, quæ in frictionibus spectantur, ipsarum frictionũ distinxit utiles differentias Hippocrates. Meminit itaque duræ, mollis, multę, & mediocris frictionis, subticens cæteras, quòd ab his corpus in cõtrarias affectiones ducatur: quodq́ unà cum ipsis protinus se promant, tum media earum opera, tum ea quæ per coniugationem faciunt. Media, cùm neq; ligare corpus, nec soluere, nec carnem augere, nec minuere studemus. Quæ per coniugationem, cùm, uerbi gratia, pariter colligare, & carnem addere. Quis enim nõ uideat, cùm duram carnem adijcere corpori uolumus, frictionem durã unà cum mediocri modo petendam esse? ueluti cùm mollem addere studemus, frictionem mollem & quantitate mediocrem adhibendam? & per alias coniugationes ad portionem? Particulares porrò frictionũ coniugationes, sunt nouẽ in uniuersum. Quippe si tres quæ à qualitate frictionum sumuntur differentiæ, tribus quę à quantitate ducuntur iunxeris, nouem coniugationes effeceris, ut per subiectam formulam constat.

*Frictionum particulares coniugationes nouem.*

| Qualitas. | Quantitas. |
|---|---|
| Dura. | Pauca. Multa. Mediocris. |
| Mollis. | Pauca. Multa. Mediocris. |
| Mediocris. | Pauca. Multa. Mediocris. |

*Frictionũ genera omnia dici respectu, collatione que.*

*Puero habitudinis optimæ qualis frictio conueniat.*

Meminisse autem oportet, hæc omnia frictionum genera respectu collationeq́ dici: quandò quæ huic dura est, alteri mollis fuerit. ac sic intelligendum de cæteris. Igitur optimę habitudinis nobis propositum puerum, cuius uolumus pristinam mediocritatem seruari, neq; duriter, neq; molliter, neq; multis frictionibus, neq; quantitate mediocribus, sed paucis, & qualitate mediocribus, infricabimus. nihil ultrà moliri, q̃ ut ad exercitandum corpus ipsius præparemus: ac rursus, cùm iam satis exercitatum sit, apotherapia curemus. In traditione autẽ harũ differentiarũ, Hippocrates usus est doctrina quæ per rerũ elementa instituitur, ceu alijs omnibus utiliori: quippe quæ & sub cõpendium rem omnẽ cogit, & memoriæ affigit, & reminiscentiæ facilè suggerit, ac omnium quæ singulatim agentur, rectum usum promptè suppeditat, ceu ad pauca & certa elementa referens. Quis enim non facilè membratim frictionũ differentias, usum, ac uires inueniat, si intelligat illam senis sententiã, quę docet, constringere quidem frictionẽ duram, soluere mollem, minuere multam, augere mediocrem posse? Ex horum nanq; notitia ac memoria, primùm sanè quæ omissæ in uerborũ cõtextu sunt, differentias inuenias: mox omnibus inter se cõplicatis, nouem illas cõiugationes efficias, quas paulò suprà descripsimus. Sed iam de affectuũ nominibus nõnihil dicendũ est. Ac duri quidem & mollis uocabulũ, quidnã significet, planè constat: rari autẽ & densi, nõ usqueadeo. Est enĩ propriè rarũ, q̃d meatus magnos per totũ obtinet: sicuti è diuerso densum, q̃d eosdẽ paruos. Tametsi per metaphorã, de laxo coactoq́ hęc ipsa uocabula dici audias. Qua ratione & aërem & ignẽ aliquãdo raros dicimus, aquã & terrã dẽsas, quę tamen & unita sunt, & ex similaribus natura partibus constant, nec ullos eiusmodi meatus obtinẽt. Oportet autẽ nõ nominũ inspicere numerum, sed affectuũ genera duplicia in totũ existimare: alterũ quod in similarib. obseruat̃, de quo molle durúmue dicitur: alterũ q̃d in instrumentalibus, meatuũ ratione, consistit, q̃d densum, uel rarum uocat̃. Hi nanq; corporũ ipsorũ proprij affectus existunt. Cæterũ ad institutũ redeundo, frictio ipsa interdũ per se corporibus nostris cõmodũ aliquod affert: interdum ijs quæ cõmodum afferunt, subministrat. Efficit autẽ frictio, rara densando, & mollia durando: atq; hæc quidẽ omnino dura esse postulat: præterea dura molliendo, densaq; laxando: quæ contrà sit mollis oportet. Pari modo & quæ carnis augendæ minuẽdæ'ue causa suscepta est, utraq; per se utile aliquid corpori præstat. Quæ tamen ad exercendũ corpora præparat, item quæ post exercitationẽ adhibet̃, hæ exercitationib, subseruiũt: illa modicè calfaciẽdo tenues meatus recludẽs, & simul excremẽta carnis fluxilia reddens, & solidas emolliẽs particulas: altera, quam apotherapeuticen, hoc est, recuratricẽ appellãt, cum plusculo oleo administrata, simul sua pinguitudine humectat, & solidas emollit particulas, & quæ in corporis meatibus cõtinentur, discutit. Sed pręparatoria illa frictio in optimi status natura calfaciẽdi corporis causa suscepta, fiat mollis primũ: mox uerò exercitationẽ aggressuro, dura. Quòd si quid erroris contingat, id potius ad durum atq; densum deflectat, q̃ ad laxum & molle. Nam transpirandi defectũ, exercitio sarcire licebit: alterius uerò affectionis uitiũ, quod est ad externas iniurias opportunitas, neq; aliàs corrigi facilè potest, facitq; ut nõ excrementũ modò, uerumetiam corporis nutrimentũ euaporetur. In ijs autẽ frictionibus quę à quãtitate ducunt̃, in proposita natura & ætate, si quid delinquit̃, uersus id q̃d minus est id esto, cùm augendi eiusmodi corpus, haudquaq̃ siccandi, nobis studiũ sit. At uerò ipsa frictionũ mensura, secundũ temperaturã aëris qui corpus fricandum ambiet, secundumq; anni aut diei tempus, atque adeo constitutionẽ regionis, debet uariari. Cæterũ dum proposui hominẽ eo corporis statu de quo queri nõ posset, obiter etiam regionẽ ipsius potestate nimirum definiui: cùm nec optimo temperamẽto, nec irreprehensibili omnino membrorũ modulo, corpus ullũ in ijs regionibus quæ à temperamenti modo recesserunt, gigni possit. Quippe sicci, graciles, & ueluti torrefacti, in æstuosis tractibus homines fiunt. Rursus frigidioris plagæ incolæ, inæquali temperamento uisuntur, ut in quibus externa frigeant, interiora impensè caleant. Itaque apud Gallos, Scythas, Aegyptios, Arabas, ne per somnium quidem usquã est uidisse id corpus, quod ueluti

*Doctrinam quæ per rerum elemẽta instituitur, esse alijs omnibus utiliorem.*

*Frictionẽ durã cõstringere: mollem, soluere: multã, minuere: mediocrem augere posse.*

*Rarum quid.*

*Densum quid.*

*Elementa carere prorsus meatibus.*

*Affectuũ duplicia genera.*

*Frictio dura.*

*Frictio mollis.*

*Frictiones exercitationib. subseruientes.*

*Apotherapeuticæ frictio quem usum præstet.*

*Frictio preparatoria qualiter administranda sit.*

*Frictionum mensura iuxta quæ sit varianda.*

*Corpus optimè constitutũ in regionibus intemperatis gigni nõ posse.*

*Regiones intemperata qualia producãt corpora.*

ueluti Polycleti regula existit. Cui in nostro situ, non pauca similia uideas. Siquidem nostræ regionis, quæ in latitudinẽ non paruam extenditur, id quod iu medio habetur, optimè sanè temperatum est, cuiusmodi patria est Hippocratis. Eiusmodi igitur locum cùm corpori proposito dederis, anni quoq; tempus, ueris mediũ ipsum dabis: ex die autem, meridiem. Eadem exigit ratio, ut ne domus quidem in qua exercendus est, ipso præsertim die calidior frigidiórue sit, quàm publicus totius urbis aër: qui hyeme quidem calidior, æstate autem frigidior, uel arte parandus est, quò exacta temperie corpus, frictionis tempore fruatur.

*Hippocratis patriam esse temperatissimam.*
*Ver.*
*Meridies.*
*Domus exercendo puero, qualis nam esse debeat*

Sunt autem rubor & tumor in aëris temperie & corporis statu temperato, mediæ frictionis notæ. Veluti enim si calidam iufundas, primũ quidem corpus intumescit: si largius infundas decumbit: ita frictio quoq; attollit quidem primùm, postea contrahit, ac molem deponit. His ergo qui carnis augendæ causa fricantur, tunc planè finienda frictio est, cùm corpus & intumuit, & ad summũ ferè tumorem peruenit. Qui autem ad exercitandum iam præparantur, his minimè id tempus expectandũ, sed longè prius desistendum à frictione est, potissimũ cùm optimi temperamenti sunt, & ætate adhuc pueri.

*Frictionis mediæ indicia sunt rubor & tumor.*
*Frictionis terminus, dum carnis augendæ gratia præstatur, fit ingens tumor.*

Præparatoriæ uerò frictionis est finis, ut solidæ partes mollianẽ, humidæ soluantur, corporis exigui meatus laxẽtur. Porrò expedit neque paulò animosiorem esse, qui exercitatur, ut lassis iam uiribus etiã exerceri aueat, quod contingit ijs qui sunt calidiori temperamento: neq; item ignauũ, qui integris adhuc uiribus, laborẽ tamen detrectet, quod solent ij qui aut laborãt plethora, uel frigidum temperamentũ sortiuntur.

*Frictionis præparatoriæ finis.*

Porrò natura optima, quæ hîc est nobis proposita, frictionis, exercitationisq;, ac tum cibi, tum somni mensuras apertè indicat. Hæc tunc primũ quodlibet horum respuit, cùm eius ultrà non eget. Quare ipsius quidem naturæ ad singula quæ agi debent promptitudo & alacritas, ei qui tali præficitur corpori, fuerit index mensuræ. Quippe sanũ corpus ipsum, sibijpsi omnia inuenit proprio naturæ suæ impetu directum: maximè si in ijs quæ ad animum pertinent, rectè sit educatũ. Nam multi in malis moribus à pueris educati cùm sint, in desidiaq; & intemperantia uiuentes, bonitatẽ naturæ corrumpunt. Sicuti contrà nonnulli uitiosam corporis naturã sortiti, temperantia uitæ, & tempestiuis exercitijs, naturæ uitia cõmutarunt in melius.

*Natura optima omniũ exhibendorũ mensuras indicat.*
*Sanum corpus ipsum sibi suapte natura omnia cõgruentia inuenit.*
*Naturam bonã qui corrumpãt, & qui in meliorem, eam quæ uitiosa est cõmutẽt*

Genera exercitiorum sunt, lucta, pancratiũ, pugillatus, cursus, & alia id genus: quorũ nõnulla tantũ sunt exercitia, ut illa ipsa quæ modò diximus: nõnulla uerò exercitia simul & opera, ut cùm aliquis, exempli gratia, fodit, aut remigat, aliúdue quippiam exercet, in usum mortaliũ. Atq; horũ etiam plerisq; est, quando ueluti pro exercitatione tantũ utare. Triplex autẽ ipsorũ in uniuersum est usus: cùm interim operis tantũ gratia usurpentur: interim meditationis, sed quę ad usum futuri sit operis: interim pro exercitatione tantũ. At nullum exercitium, ut exercitium, aut perpetuum diem obitur, aut alio tempore quàm ante cibũ. Seruari uerò tum modum exercitationũ in his oportet, tum uocatam apotherapiam.

*Exercitiorum genera.*
*Exercitiorum triplex usus.*
*Exercitium nullum alio tempore, quàm ante cibum administrari.*

Quòd si etiam idonea frictione usus, ad ea quis accedat, iam omnes exercitationis numeros impleuerit. Ac genera quidẽ exercitationũ sunt ea quæ diximus: qualitas uerò seu differentia, uelocitas, tarditasq; mouendi sunt: pręterea quòd aliud robustum, aliud imbecillum est: ad hæc, uehementia & lenitas. Vtendi uerò rationes sunt huiusmodi. Nam aut perpetuus motus est, aut intercisus: & si perpetuus, æquabilis, aut inæquabilis. Sin intercisus, aut certo ordine, aut citra ordinẽ. Hæ igitur utendi rationes ab ipso negocio capiunẽ. Quæ uerò ab ijs quæ extrinsecus sunt posita ducuntur, eiusmodi sunt, quòd aut sub dio exercitatio fit, aut sub tecto, aut in mixta umbra, aut calenti loco, aut frigido, aut tẽperato, aut sicco, aut humido, aut medio, aut cũ puluere exiguo multoq;, aut cũ exiguo aut exuberanti oleo, aut etiã sine utroq;.

*Exercitationũ qualitas.*
*Exercitijs utendi rationes.*

Omniũ autẽ exercitationũ cõmune est illud, quòd earũ auxilio, animalibus ex ipsorum corporibus, insiti caloris augmentũ excitatur. Is tamen proprius exercitationũ effectus nõ est, si modò & iratis, & perturbatis, & pudore affectis naturalis etiam calor augetur. Quanquã ira, nõ augmentũ, sed ueluti feruor est caloris in corde.

*Exercitationũ omnium quid sit commune.*
*Calor in quib. augeatur perturbationibus.*
*Ira est ueluti feruor caloris in corde.*

Iam uerò ex exercitijs ipsis, aliam partem aliud alio magis fatigat: quædam lentè motis fiunt, quædam ocyssimè agitatis, quædam robore & nixu adhibitis, quædam sine his: ad hæc, quædã cum robore pariter & celeritate, quædã lãguidè. Fodere ergo, robusta exercitatio est. Similiter, & quatuor simul equos habenis coërcere, impensè robusta exercitatio est, nõ tamen celeris. Ad hęc sublatio maximi oneris, inambulatioq; accliuis, huius quoq; generis sunt. Pręterea si quis per funem manibus apprehensum scandat, aut ex eo arrepto sublimis pẽdeat, ac diu ipsum teneat, robustũ is, ualidumq; laborẽ exercet, citra tamẽ celeritatẽ. Ita uerò & si quis manibus in pugnũ reductis, ijsdẽ prolatis, uel in altũ sublatis, diutissimè in habitu eodem consistat. Quòd si adhibitũ quempiam deducere sibi manus iubeat, nec tamen ipse remittat, uel impensius hic tum musculos omẽs, tum neruos ad robur cõpacat, ut quorum maximè propria sunt omnia id genus exercitia. Iam si cuipiam iusseris ut te uiolenter detrahat, inflectatq;, dum toto erectus es corpore, nõ leuem ad membrorum robur exercitationem obieris. Robur autẽ partiũ & exercet & firmat, qui aut quẽ complectitur mediũ, absoluere sese iubeat, aut ipse se à cõplectente soluat. Ita etiã & si quis antagonistam suum à latere aggressus, ilibus apprehensum, ceu aliquod onus sublatũ, uicissim proferat, reducatq;. Aequè uerò qui pectoribus ex aduerso innixi, magno se conatu retrudunt inuicẽ. Etiã qui à ceruicibus pendentes deorsum trahunt, ad robur præparant.

*Exercitiorũ diuersa genera.*
*Exercitia robusta absq; celeritate.*
*Exercitia musculorũ maximè propria, quæ.*

Cæterũ talia omnia exerceri citra palęstrã aut copiosum puluerem queunt, quocunq; cõculcato loco, erectis atq; stantibus. Quæ uerò luctantes inter se moliunẽ, cùm robori augendo student, hæc aut puluerem altum, aut palæstram desiderant. Sunt infinitæ aliæ in palæstra exercitationes id genus robustę, quarũ omniũ peritiã usumq; pędotriba callet, sic ipse à gymnaste diuersus, ut à medico

*Exercitiorũ quænam citra puluerem, & quæ minimè, possint administrari.*
*Pædotribam differre à gymnaste, ut differt à medico coquus,*

*Exercitia quæ celeritate absq; robore peraguntur.*

coquus. Peragũtur autem celeritate, citra robur & uiolentiam, cursus, umbratilis armorum contentio, necnon quæ summis manibus fit concertatio, tum quæ per corycum & pilam exercitatio à distantibus & currentibus administrat̃. Huius generis est & quod ἐκπλεθρίζειν Græci dicunt, & quod πιτυλίζειν, necnon celeris uolutatio & circuitio in palæstra. Potest & solis cruribus, manibúsue, idq; erectus, ac uno loco consistens, celeriter exerceri.

*ἐκπλεθρίζειν*
*πιτυλίζειν*

*Exercitatio uehemens ex robusta celeriq; composita est.*

Porrò exercitatio uehemẽs, ex robusta celeriq; cõposita est. Non in postremis uerò uehementes hæ sunt, fodere, discũ mittere, saltare, idq; sine intermissiõe: similiter, graue quoduis telum iaculari, cõtinuatis sibi q̃maximè iactibus: aut graui armatura tectũ, celeriter agitari. Sed qui aliquo taliũ exercent̃, intermittere paululum solent. Quæ uerò remissiores exercitationes sunt, eæ sine interposita quiete magis fiunt.

*Exercitia crurum.*
*Manuum.*
*Lumborum.*

Cæterũ incessus, cursusq;, crurũ exercitationes sunt: acrochirismi & sciamachiæ, brachiorum ac manuũ proprię. Lumborũ autẽ, assiduè se in omnes partes torquere inclinareq;, idq; aut põdus aliquod è terra tollentẽ, aut assiduè in manibus sustinentẽ.

*Exercitationes thoracis sunt respirationes & voces.*
*Volũtariæ actiones, quarũ partium sint propria.*

Thoracis uerò & pulmonis, maximæ respirationes, proprię exercitationes sunt. Maxima aũt uox præter iam dicta, uocis quoq; instrumenta omnia permouet. Porrò uolũtariæ actiones, musculorũ, neruorũ, atq; tendonũ sunt omnes propriæ: cum ipsis tamẽ unà mouent̃ ex accidenti & cæteræ animalis partes, si motus ipse celerius & uehementius edatur.

*Motuum naturaliũ species diuersa.*
*Facultatibus naturalibus quatuor gubernari omnes partes.*
*Motus cordis arteriarũq; intermittitur nũquã.*
*Pulsus à quibus causis mutẽtur.*

Reliquorũ autem motuum qui uel naturales sunt, uel pro animi eduntur affectibus, alij cordis & arteriarum, alij uenarum & iecinoris actiones sunt: atq; horum quidem primũ & maximè: secũdo loco, reliquarũ omniũ partiũ: quandoquidẽ quatuor naturalibus facultatibus omnes gubernant̃. Ac arteriarũ quidẽ cordisq; motus nunq̃ sanè omnino intermittit̃. Cæterũ magnitudine, paruitate, uelocitate, tarditate, & uehementia, uariè intendit̃ atq; remittitur. Vna igitur mutandi pulsus causa est, naturalis caloris auctio, diminutioq;: atq; hæc quidem pro anni tempore, nutrimẽto, potione, balneo, frictione, somno, uigilia, itemq; animi affectibus, & uolũtarijs actionib. incidit. Altera causa est, secundũ quantitatẽ animalis spiritus alteratio, quæ pro motus uoluntarij differentijs uariatur. Tertia, quæ ex firmitate, infirmitateq; naturalis uirtutis accipitur, pro substantiæ ipsius cordis & arteriarũ bono contrarióue temperamento accidens. Quarta deniq; est, quę ex instrumenti ipsius malo affectu æstimat̃.

*Venarũ opus à quib. causis uariari possit.*

At uenarũ opus, unà cum alijs instrumentis, quæcunq; natura ad alimenti dispensationẽ excogitauit, pro cibo potioneq;, tum uerò pro distributionis in corpus, & cõcoctionis, & nutricationis ratione uariat̃. Huius uerò mutationis, arterię quoq; participes sunt.

*Motuum qui actiones nõ sunt, differentia triplex.*

Qui uerò motus actiones nõ sunt, horũ triplex intelligit̃ differentia. Alij nanq; animantib. ex seipsis insunt, ut q̃s antea cõmemorauimus. Alij extrinsecus adueniunt, ut nauigatio. Alios medicamenta proritant. Nõnulli tamen motus planè sunt mixti, ut equitatio: qua quidẽ qui exercetur, simul & agit & agitatur.

*Equitatione cõcuti viscera.*

Concutit̃ autẽ præcipuè secundũ uiscera. Quæ quidẽ ubi quispiam fricare uoluerit, statuatur is qui fricat, à tergo, ac modò in dextrã, modò in sinistrã, manus inijciat.

*Viscera fricandi ratio.*
*Viscera quæ concutiant.*
*Spiritus cohibitio, est musculorum thoracis abdominisq; exercitatio*
*Motuum diuersorum effectus diuersi.*

Sanè cõcutiunt nõnihil ea quę sub septo uiscera sunt, & maximæ tum respirationes, tum uoces, pariq; modo efflatus. Iam ipsa spiritus cohibitio, exercitatio quædam musculorũ est, non minus certè eorũ qui in abdomine, q̃ qui in thorace insunt. In summa uerò, ualidi & ocyssimi motus, gracile, musculosum, durũ, compactum, atq; uegetũ corpus efficiũt. At remissi, tardi, & languidi, diuersam omnino affectionẽ inducũt.

*Pædotribam esse ministrum gymnastæ.*

Pædotriba igitur, quicquid in palæstra motuum gerit̃, accuratè pernouit: quid quisq; motus efficere queat, ignorat: cùm hoc ipsum ad gymnastam solum spectet, cuius pędotriba minister est, indicans nimirũ illi omnẽ actionũ exercitiorũq; materiã. Ergo gymnastes propositi nobis adolescentis, omniũ quidem exercitationũ uires cùm sciat, deligit illi ex omni genere quod moderatũ mediumq; inter utrunq; excessum est: quãdò nõ alterare, sed planè seruare optimũ corporis statũ conuenit.

*Mediocritatẽ in omnibus eligendam, ad conseruãdum optimũ corporis habitũ.*

Ac proinde ex omni genere mediocritas adhibenda est, frictione, exercitatione, balneo, cibo, somno, ita ut neq; durior illi, densiórue, nec mollior aut rarior corporis habitudo reddatur: hæc quippe ab extrinsecus imminentibus facilè offenditur: illa corporis inhibet auctum. Exuat autẽ se puer ipse propositus, ubi in lotio iam perfecta cõcoctio cernit̃. Mox frictionis ratio huc spectet, ut membra mollianẽ.

*Puer quousq; exerceri debeat.*

Post hæc exercitetur, dum & corpus intumescit, & color illi floridus apparet, & motus prõptè, æquabiliter, & cõcinnè edit. Inter hæc uerò sudorem cum calido uapore mixtũ cernes.

*Exercitatio quãdo inhibẽda sit.*
*Exercitatũ corpus quando lauandum sit.*

Inhibenda uerò exercitatio tum primũ est, cùm aliquod horũ fuerit mutatũ. Nec tamẽ protinus lauandũ eius est corpus, sed ubi summus exercitationis uigor remissus atq; sedatus fuerit. Quòd si ilia uelit cohibito anhelitu implere, perfundi oleo, atq; apotherapia uti deinceps debebit: de qua in sequẽti libro dicemus.

*Lauacrum quale esse debeat exercitatis.*

Lauacrũ autẽ ipsum omnino medio temperamẽto eligendũ est, ad propositã ætatem atq; naturã. Cui ne puluere quidẽ est opus, si domus in qua exercitabit̃, optimè constituta sit. Quę si fuerit calidior, tum puluere utendum. At eo si utetur, omnino erit lauandũ. Sin nõ utetur, liceat & illotũ dimittere, præsertim hyeme.

## GALENI PERGAMENI
## de sanitate tuenda lib. III.

*Apotherapia duplex.*
*Apotherapia quid.*
*Apotherapia duplex vsus.*
*Apotherapiæ proprius scopus.*

Est autem apotherapia duplex. Vna quidem ceu exercitationis species: altera uerò ceu pars, de qua impræsentiarũ agendũ est. Omnis igitur exercitationis probè peractæ postrema pars, apotherapia dicit̃: quæ duplici consilio suscipit̃, & ut excrementa expurget, & ut corpus à lassitudine tutum reddat. Proprius tamẽ apotherapiæ scopus est, ut lassitudinẽ quæ succedere immodico exercitio solet, submoueat, atque prohibeat. Cæterũ optimè constituto, à nobisq; proposito puero, cum eoq; alijs, qui tuendæ tantùm bonæ ualetudinis gratia exercentur, etsi rarò lassitudo succedat, quemadmodum superuenire solet athletis, cæterisq; etiã qui corpus opere ex necessitate fatigant: eis tamen apotherapia est ex

est ex usu, si nõ lassitudinis nomine (à qua etiam nos securiores reddet) at certè excrementa purgandi gratia. Qualis autẽ apotherapia sit adhibenda, ipsa finiũ, ad quos tendimus, demonstrabit natura. Cùm igitur & excrementa digeri, & quæ tensa ex exercitatione sunt, molliri expediat, duræ certæ frictiones fugiendæ sunt, nec his minus à lentis cauendũ arbitror.

*Exercitatum corpus qualẽ ab apotherapia frictionẽ expetat.*

Nam postq̃ à se corpus nõ amplius dimouet, periculũ est ne frigescat ac densescat, dum nulla ope externa calfit: quare nõ solũ celeriter, sed adhibitis plurium manibus, largioriq; oleo circũfuso, fricandũ est.

*Olei commoda.*

Oleũ quippe ad uelocitatẽ frictionis cõducit, remittit tensa, simulq; mulcet ac mollit mẽbra defatigata. Sed nimiũ mollis frictio etiã uitãda est, ut quæ neq; altius penetret, neq; ea quæ in angustis meatibus hærent, discutiat: cuius profectò causa, tum ipsam fricãdarũ partiũ tensionẽ, tum spiritus cohibitionẽ iniungimus.

*Frictio media inter mollem & duram adhibenda.*

Media igitur frictio, quæ ab utriusq; distat incõmodo, eligenda est.

*Spiritus cohibitio quid cõferat.*

Nõ exigua autẽ apotherapiæ portio spiritus cohibitio uidet: cum qua si leuiter cõtrahantur abdominis musculi, partes quæ in uentre cõsistunt, quicquid excrementi est in ipsis, exprimunt. Si uerò feriari planè patiaris abdominis musculos, nullius earũ partium excrementa uacuabis. Quæ tamẽ in thorace & pulmonibus delitescũt, ea deorsum trãsferes. Expedit autẽ huc transferaui potius, q̃ in illis maneant, tantò profectò magis, quantò etiã eorũ quæ in uentre, q̃ quæ in pulmonib. & pectore cõtinentur, promptior exitus patet: hæc etiam uel euomunt facilè, uel deijciunt: illa cum conatu & ui eijciunt per tusses.

*Musculis abdominis unà cum septo transuerso intensis, quid accidat.*

Verũ si quis perinde ut septum transuersum, ita abdominis quoq; musculos anhelitus cohibitione intendat, exquisitius planè expurgabit ea quæ sub septo sunt uiscera: nõ transferet tamen quicq̃ à spiritus instrumentis, ad ea quæ nutrimento sunt delegata, sed totũ in ipso thorace pulmonibusq; excrementũ manebit.

*Spiritus cohibitiones quæ non probandæ.*

Quare cohibitionẽ anhelitus id genus impræsentiarũ nõ probo: multoq; minus, si quis omnino nõ distento septo, ualidè ac uehemẽter musculos abdominis contrahat: quandò ita necesse est uenas omnes, partesq; quæ circa collũ sunt, flatu ac sanguine impleri: excremẽta uerò sursum atq; ad caput, nõ deorsum & ad uentrẽ ferri, ut in tibicinibus, acutamq; & maximã uocẽ edentibus indies uidere licet.

*Efflatus quomodo fiant.*

Est autẽ om̃e huiusmodi opus, mixtũ ex maxima expiratione, & ex cohibitione spiritus: nimirũ in efflatibus cõfertim factis, maximo expiratu edito, idq; cum ualidissima musculorũ tum qui costis insident, tum qui in abdomine sunt, tensione.

*Spiritus cohibitio quomodo fiat.*

At in spiritus cohibitione, eadem utrorũq; musculorũ facta tensione, nullo tamen spiritu elabi permisso. In ijs qui tibia sonant, aut acutã uocẽ edunt, musculis pari modo tensis: spiritu tamẽ nec penitus cohibito, nec toto simul emisso, sed mediã rationẽ seruãte.

*Pharyngem esse causam tum efflationis, tum cohibiti spiritus, atque adeo ipsius uociferationis.*

Causa autẽ harum actionũ triũ est pharynx, qui in totius quidem spiritus simul cõpulsi efflatu, latissimè se expandit: in spiritus cohibitione, prorsus clauditur: in ijs qui tibia sonãt, aut uoce acuta simul & magna utunt, mediũ quendã habitũ seruat.

*Spiritus cohibitio, quæ ad apotherapiã est utilis, quo fiat modo.*

Cæterũ cohibitio spiritus, quæ ad apotherapiã est utilis, attollit ea quæ ad uentrẽ spectãt, idq; tensis thoracis musculis, & remissis qui sunt in septo & abdomine: ita nanq; deorsum excremẽta ferent. Secundo autẽ loco habenda est, quæ mediocriter eos qui in abdomine sunt musculos tendit, quò uidelicet ea quæ sub septo sunt uiscera, apotherapiæ fructũ sentiant.

*Fasciarum circumactus quorsum, & quotuplices fiant.*

Atq; his ipsis de causis fasciarum circumactus fiant, quas fricãtes ipsi dum à tergo fricandorũ cõsistunt, circa totũ uentrẽ adhibent. Aliàs uerò cùm à frõte se collocarint, ceruicibus circa dorsum circũuolutiones efficiunt, duabus manibus circũducentes. Alias præterea costis, spinæ, & pectori accõmodant, idq; cõuerso pariter cum his quodãmodo eo qui fricatur. Circa lumbos uerò similis fasciarũ circumiectio fiet, tendente se ad singulas eo qui fricatur, nõ tamen cum omnibus pariter se reuertente: cùm neque cõtinuos motus, nec uehemẽtes ei cõtingere ex apotherapia, sicuti ex præparatoria, conueniat: sed certè aliquos, & quibus ex interuallo frictiones sint interpositæ. Hac enim uel maximè ratione, & calorem qui exercitando est adauctus seruauerit, & simul excrementa proprijs ipsius tum tensionibus, tum motibus eiecerit.

*Spiritus cohibitio cui operi conferat.*

Ad quod sanè opus cohibitio spiritus cõducere nõ parum mihi uidetur. Quippe exilia instrumentorum foramina, uehementiori spiritus inflatu uideas etiam expurgãtes opifices: extruduntur siquidem quæ antè occurrũt: attrahuntur quæ ad latus sunt posita, impetu ipsius spiritus utraque acta.

*Materiæ impetus, cõtrarios edere affectus posse.*

Cùm autẽ uehementissimi materiæ impetus, diuersis tẽporibus actionibus, cõtrarios edere effectus possint: obstruere quidem, cùm crassum & multũ fuerit, quod confertim ac præceps agitur: purgare uerò, cùm exiguũ tenueq; est, nec præproperè, nec uiolenter cogitur simul uniuersum expelli:

*Spiritus cohibitionem interponendã esse exercitio uehementi.*

rectè mea quidem sententia illi faciunt gymnastæ, qui inter ipsam uehementem exercitationẽ interponunt cohibitionẽ spiritus, necnon frictionẽ quæ apotherapiæ debetur, simul hominẽ recreantes, paulatimq; ipsius cutis expurgantes meatus. Nobis autem proposito iuueni, cùm mediocri exercitio atq; etiam uictus ratione utatur, non est opus interpositione id genus, quam ob contrarias causas athletæ postulant. Ac de apotherapia quidem abundè nobis est dictum.

*Aquam dulcem calfactã, pro intensione ac remissione caloris quẽ suscipit, uarias facultates sortiri.*

Nunc de balneis agere tempestiuum uidetur, ac primũ quidem de aquis dulcibus calefactis. Earũ igitur, si media temperie sint, uis calida & humida est: sin tepidiores, humida & frigida. Quòd si iusto calidiores reddantur, calida quidẽ, sed nõ perinde humida. Quippe horrere corpora, contrahiq; exiles eorũ meatus cogunt, ita ut neq; madescere ab extrinsecus accedente humore possint, nec excremẽti quod intus latet, quicquam emittere.

*Aqua modicè calfacta, per se humectant semper & calfaciunt: ex accidenti e uires alias sortita.*

Cæterùm ab ijs incipiendum, quæ medium temperamentũ obtinent, quæ per se semper calfaciunt & humectant, licet interdum ex accidenti aut per halitum digerant humores, aut superuacua fluxione corporis particulas impleant, aut molliant, aut cõcoquant, aut uires firment, aut soluant: ad hæc siquidem quantitas quoq; earum nõ minimũ confert. Huius autẽ balnei iuueni à nobis descripto perexiguus est usus, ut qui omnia iam ex

mediocri exercitatione, & dicta apotherapia fit consequutus. Nihilo secius tamen si probè balneum adhibeas, ipsum quoq; apotherapiæ pars aliqua fit. Siquidem duras tensasq; partes emollit: excrementũ, liquamentũq;, si q̃d intus ad cutim hæret, euocat. Verũ neutrius horũ eget talis adolescẽtulus: quare elui sibi in balneo sudorẽ & puluerẽ, si quando hoc utilẽ, magis postulat, q̃ calefieri. Ergo transire tantũ ad soliũ usq;, nõ in balneo morari is debet. Sed nec immorari huic in piscina est opus: imò lotus quatenus dictum est, festinet cõfestim ad mediocriter frigidam. Siquidem optimũ corpus quoad augescit, frigida lauandum nõ est, ne eius incrementũ moretur. Vbi uerò iam abundè est auctum, tum frigidæ quoq; assuefaciendum, ut quæ & illud roboret, & cutem duram atq; densam efficiat. Tempus autẽ ad id percõmodum, est æstatis initium, ut ante hyemẽ, toto interposito tempore, cõsuetudo minimè spernenda inducatur. Esto præterea dies, quo auspicabimur, q̃maximè tranquillus, & quoad id tempus feret, calidissimus: cuius etiam calidissima pars eligenda est: sicuti & gymnasteriũ mediocriter temperatum. Qui uerò frigida utetur, in quarti maximè septẽnij medio consistat, pristinã salubritatẽ ad unguem seruãs: sitq; is cùm animo hilari, tum minimè abiecto: ac primùm quidem linteis durioribus fricetur, q̃ antea, uehementius: dein oleo prout assueuit fricetur: ac postmodũ exercitetẽ exercitationib. multitudine paribus, sed citatiorib. q̃ antea. Ab his in frigidã, eamq; nec tepidam, nec glacialem, totus simul insiliat: altera nanq; repercussum caloris non facit: altera ferit insuetos, atq; impense refrigerat. Quanq̃ hac procedẽte tempore utet, si necessitas exigat. Exeunti uerò ab aqua fricari oleo, idq; à pluribus, expedit, quoad cutis ipsa incalescat. Post hęc cibũ plusq̃ cõsuetũ, potionẽ intra consuetudinẽ, capiat: quę ultro ipsę facturus est, modò sint omnia ritè peracta. Nam à frigida lauatione & plus appetũt, & melius cõcoquunt, ac minus sitiũt, ueniũtq; ad exerciationes postri die planè meliori habitu: corporis quidẽ mole, pari ei quæ antè, cæterũ cõpacta & musculosiore, ac uegetiore: cute uerò duriore ac densiore. In hoc ergo secundo præterea die, similiter omnia sunt peragenda, etiã tertio & quarto. Postea uerò procedente tempore, ad eundem modũ frigidam iterum ingredi iubebimus, uidelicet post eam quę priori ingressui successit frictionẽ: uerũ tertiò eam ingredi, minimè laudo. Nam & secundò id fecisse est abundè, præsertim cùm pro arbitrio nostro remorari ac detinere illic hominẽ liceat. Cæterũ si egressus frigidam, coloratior ex frictione citò reddatur, id mediocriter moratũ fuisse indicat. Sin & tardius ei calor redeat, & decolor diutius maneat, plus æquo moratum docet. quàre ex notis quæ in cute sunt, disces moræ mensuram. Quia uerò fieri nõ potest, quin iuuenis exercitationibus deditus, aut suipsius, aut etiã gymnastę errore aliquãdo in lassitudinẽ incidat, nõnihil de ipsa dicendum est. Porrò lassitudinis in uniuersum octo sunt differentiæ: quatuor simplices, totidemq; cõpositæ. Nam quòd incendi tendiq; corpus uideat, & quòd mouentise, uel ulceris, uel phlegmonis sensus oboriatur, affectiones nõ sunt, sed symptomata. Simpliciũ igitur lassitudinis differentiarũ, prima est ulcerosa: quæ oritur ab excrementorũ copia tenuiũ simul & acriũ, adeò pungentiũ ac ueluti uulnerantium tum cutem, tum carnẽ inter exercitandum, ut etiã horror ac ceu cõcussio uniuersi corporis interim oboriatẽ. Secunda est lassitudo tensiua, citra ullum ulceris sensum. Accidit nanq; in uehemẽti tensione, omnes musculorũ fibras tendi, eas tamen in primis lassari, quę per longitudinem tensionis porrigunt: quippe ubi tensæ fuerunt immoderatius, tendi adhuc uidentẽ, etiam si nulla iam tensione urgeant. Tertia differentia dicitur cõcussoria, qua nimirũ ceu contusas aut phlegmone obsessas partes sentimus: eaq; tum solet maximè incidere, cùm musculi nimiũ excalfacti attraxerũt quippiã ex circunfusis sibi excrementis. Quòd si etiã tum tendonibus, tum neruis idem affectus incidat, ὀστεόκοπον, quasi ossiũ laborem, ob penitiorem sensum, eum uocant. At differentia quarta, quæ impropriè dicitur lassitudo, tum incidit, cùm musculi supra iustum siccantur, sic ut squalens contractumq; corpus uideatur, atq; ad motũ quodammodo pigrũ, citra tamen ullum nũc descriptorũ symptomatũ. Harum autẽ quatuor differentiarũ singulis, sua remedia sunt. Cæterũ lassitudo ulcerosa, maximè in ea incidit corpora, quæ & mali succi sunt, & excrementis abundant. Succedit uerò recentibus cruditatib. cùm aut exercitantẽ immoderatius, aut in sole sunt morati. Nihil tamen obstat, quo minus in corpore boni succi & citra cruditatem proueniat, uniq; ob exercitationis excessum. Remediũ autẽ huius est redundantis euaporatio, quæ fiet frictione tum multa, tum molli, cum oleo adhibita, à quo omnis astringendi uis absit: quod genus maximè Sabinũ est. Aduersissimũ uerò huic affectioni est, q̃d ὀμφάκινον ex Hispania & Iberia portatur: quodq; etiã fit circa Aulonẽ. Vtendum itaq; est dulcissimo oleo & copioso, primo quidem die, quò suspecta lassitudo omnino nõ sit futura. Secundo uerò, ut si qua incidit, discutiatur. Discutit porrò eam apotherapia, in qua scilicet motus adhibeas quantitate mediocres, qualitate tardiores: idq; cum frequenti interposita his quiete, qua uniq; fricare hominem oportet, pluribus cõtrectantibus, quò nec frigescat pars ulla, & excrementa ocyssimè digerantẽ. Porrò frictionũ plus adhibebitur ijs, qui in cute & sub cute excrementorũ collectam uim habẽt: motuũ uerò, quos ipsimet edant, in altera lassitudine, in qua plus est in ipsis congestum musculis. At lassitudo tensiua, pro remedio relaxationem postulat: ea nanq; tensioni contraria est, quemadmodum & duritati mollities. Hac antẽ lassitudine affecti, relaxabuntur pauca molliq; ex oleo dulci egelidoq; frictione: tum intermissione omnino, aut quiete, aut lauatione medij temperamẽti, atq; in calida pluscula mora: quòd si bis terue laueris, plus proderis. Hi uerò & post balneum ungi desiderant, priusquàm uestiantẽ. Quinetiam postero die, cùm è cubili surgunt, ungi his expedit: nũquam tamen oleo extremè frigido, nec dura frictione. Tertia lassitudo, quæ ex ue-

*Balnei moderatè calentis usus.*

*Frigida lauandum nõ est optimũ corpus, quãdiu augescit.*

*Frigida lauationis usus.*

*Frigida lauationi tẽpus, & gymnasteriũ aptũ.*

*Frigida lauatione usurus, mediũ quarti septennij attingat.*

*Aqua glacialis ferit insuetos atque impẽse refrigerat.*

*Frigida lauationis commoda.*

*Mensurã moræ futura in frigida balneo, ex notis quæ in cute visuntur sumi.*

*Lassitudinis differentia in uniuersũ sunt octo.*

*Lassitudo ulcerosa unde proficiscatur.*

*Lassitudo tensiua quando accidat.*

*Lassitudo concussoria qualis, & quando sentiatur.*

*ὀστεόκοπος.*

*Lassitudo squalida.*

*Lassitudo ulcerosa quæ potissimũ corpora infestet.*

*Lassitudinis ulcerosæ remedia.*

*Oleum Sabinũ.*

*Lassitudine affectis ulcerosa quibus motibus ac frictionibus sint tractandi.*

*Lassitudinis tensiuæ curatio.*

ex uehementissimis nascitur motibus, atq; eos maximè inuadit, qui exercitationibus assueti nõ sunt, uacuationẽ superuacanei, extenti requiem, & inflammationis refrigerationẽ desiderat. Ergo & oleum copiosum & tepidum cum frictione mollissima, & longissima in medij temperamenti aquis mora, huiusmodi lassitudines corrigit. Quòd si paulò tepidior aqua sit, præstiterit. Ad eundem modũ & multa quies, & unctio assidua, breuiterq; omnia quæ id quod lassatum est, quiete, lenimentoq; recreant, ac quod superuacuum est per habitũ digerant. Differẽtia autẽ quarta, quæ gracilitatem tantũ, atq; ariditatem inducit, primo quidem die nihil diuersum postulat ab ijs quæ iam dicta sunt, præter calidiorem aquam, quæ sensim contrahat, calefaciat, & roboret cutem. Secundo die apotherapiæ exercitationem, quæ tum motu, tum frictione, & pauca, & mollis, & tarda sit. Præterea soliũ similiter calidum: uerũ protinus insiliant in frigidam, quò uidelicet ipsis robur in cute unà cum calore constet: nam & minus sic difflabunt, & facilè in carnem & cutẽ nutrimentũ resument. Postulat autẽ id corpus nutriri simul & madefieri, id quod simul utrunq; præstat humidum nutrimentũ. Cæterùm lassitudo ulcerosa post legitimã apotherapiam consuetum nutrimentũ desiderat, aut etiam parcius, præterea humidius. At quę tensionem lassitudo præfert, ea etiam magis quàm ulcerosa, parcè nutriri postulat. Quæ uerò phlegmones sensum affert, ea supra reliquas omnes, tum humidissimũ, tum minimũ, tum uerò quod refrigerans quippiam habeat, requirit. Boni succi tamen nutrimentũ omnes qui lassitudine grauantur, iuxtà postulant. Cauendus tamen in ulcerosa & ea quæ phlegmones sensum exhibet, glutinosus cibus est, ceu qui excrementorũ digestionem moretur. At in tensionis lassitudine, etiam exhibendum eiusmodi nutrimentũ est, sed minuto eius modo. Lassitudo autẽ interdũ lassitudine soluitur, cùm uidelicet hesternis exercitationibus, pares postridie adhibendas uidet expediens. Sicuti & lassitudinis interdũ medela est quies, partim in ijs quæ ex congestis excrementis lassitudines consistunt. partim in ijs quæ tensionis & phlegmones emphasim præbent: parcius tamẽ nutriendi sunt in hac lassitudine quæ phlegmones sensum præfert: in ulcerosa uerò, pro cõsuetudine, ubi rectè apotherapia sunt usi. Sicuti & uberius cibandũ, in ementita illa quarta lassitudinis differẽtia. Simili ratione, & medij temperamẽti aquis lauandũ in ijs tantũ differentijs lassitudinis est, quæ ex redundantia superuacuorũ sunt natæ. Porrò humidũ nutrimentũ siccitati medetur: ipsum tamẽ nec remediũ nec cautio lassitudinũ est. Sed cùm mẽbra ficciora sunt facta, nulla tamen nec tensio subest, nec tenue acreq; excrementũ, nec phlegmonæ affectus similis, reficere nutrimẽto humectante expedit, quæ exhausto humore sunt siccata: alioqui gracilius & aridius q̃ fuerat, postero die cernetur corpus. Porrigitur autem interdum minus q̃ pro cõsuetudine, aut propterea quòd pari opus nõ est, aut quòd cõcoqui id nõ possit. Iam uerò, in eo quidem affectu qui ex neruosarum partiũ tensione cõsistit, calidiori q̃ ex cõsuetudine lauari nõ conuenit: simili ratione neq; in ijs quos excremẽta excitarũt. In gracilitate autẽ quæ citra hæc cõsistit, expedit calidiore aqua, quàm quæ mediocriter se habeat, lauari. Siquidem sic affectorum refectio, in appositione eius quod est detractũ, cõsistit: id quod nequit accidere cuti existente laxa. Cogere ergo hãc prius, astringereq; atq; densare oportet, si qua plenioris nutrimẽti expectanda est utilitas. Sanè cogit, clauditq; tum frigida, tum feruens aqua. Verũ à frigidæ usu lædi hominẽ metus est, utpote qui iam ex multa exercitatione & laxior, & uacuus est redditus. Ex feruenti, ut noxa certè nulla, ita secura in cute densitas paritur, ipso qui in ea derelinquitur calore nonnihil conferente. Vnde nec immorari in frigida nimiũ debet qui ita est lauatus, ut quæ feruentis lauationis cõmoda frustretur. Cæterũ his duntaxat corporibus quæ bona habitudine sunt, quarta illa impropria lassitudinis differentia incidit: cuiusmodi sunt athletarũ qui bene sunt nutriti, necnon propositi nũc in disputatione iuuenis. Sunt itaq; tres propriæ ac simplices lassitudinis differentiæ, illæ primæ de quibus iam egimus. Post has ex binis copulatis aliæ fiunt tres. Ab ijs uerò septima est, ubi in unũ coëunt tres notæ. Remedij uerò cõmune in omnibus complicatis cõsilium est, ut ei quod superat, sis intentus: nec tamen quod reliquum est, planè contemnas: proprium uerò, ab ijs membrorum affectibus accipiendum est. Sicuti uerò lassitudines ipsæ numero tres, si inuicẽ illas cõiungas, quatuor cõiugationes efficiunt: ita sanè si his quartũ affectũ addas, multò plures existent. Quod dicimus, ex descriptiõe licet clarius intelligas. In ea primũ locũ ulcerosus habeto. Secundũ, in quo tensio est molesta. Tertium, qui phlegmonæ similis est. Quartum, in quo corpus gracilius est redditum. Ex his igitur, aut primus cum secundo cõiungetur, aut cum tertio, aut cum quarto: aut rursus, secundus cum tertio, uel quarto: aut deniq; tertius cum quarto: ita nimirum ut ex binis cõiunctis affectibus, sex in uniuersum complexiones oriantur. Rursus, cùm tres unà miscueris, quatuor aliæ fiunt. Nam aut primum iunxeris cum secundo & tertio, aut cum secundo & quarto, aut cum tertio & quarto: aut rursus secundum cum tertio & quarto. Postrema omnium complexionum erit, ubi quatuor simul coierint, ita ut undecim numero in totum fiant. Erant uerò & simplices quatuor: efficiuntur itaq; in uniuersum quindecim.

Simplices affectus.

Vlcerosus A. Tensionis B. In quo phlegmones sensus est, C. Gracilitatis, D.

Compositi.

A B. A C. A D. B C. B D. C D. A B C.
A B D. A C D. B C D. A B C D.

Quòd si præterea occlusæ cutis aut aliorũ symptomatum differẽtias, tum secum, tum cum his quindecim complicueris, innumeras alias cõplexiones inueneris. Vnusquisq; igitur horum affectuum, si quidem per se consistat, simplex remedium exiget. Sin alteri sit coniunctus, illi præcipua medendi ratio adhibenda est, qui dignitate

*Lassitudinis quæ sensantur media.*

*Lassitudinis aridæ remedia.*

*Victus ratio singulis lassitudinum generibus congruens.*

*Lassitudo interdum lassitudine soluitur.*

*Lassitudo in quibus soluenda sit quiete.*

*Calidiore aqua quàm quæ mediocriter se habeat, in quo sit affectu utendum.*

*Cutim cogi clauditq; ab aqua tũ frigida, tum feruente.*

*Frigida lauatio ubi periculosior sit, quàm quæ administratur per calidam.*

*Lassitudinis tres alias differẽtias oriri ex trib. primis, dum bina inter se copulantur: ac septimã denique dum in unum simul omnes tres coeunt.*

*Complicatorũ affectuũ illi esse intẽti debemus, qui superat: interim non negligentes alterum.*

*Lassitudinũ coniugationes quindecim.*

*Affectus simplices, simplex remedium postulant.*

& uiribus antecellit. Ac dignitate quidem & uiribus maior lassitudo est, quæ phlegmones sensum præfert, quàm excrementosa. Est affectus iam dictis proximus, & ipsa meatuum cutis angustia, quæ obstructis illis aut densatis cõtingit.

*Obstructio unde oriatur.*
*Densitas unde.*

Ac obstructio quidem ex lentis crassisq; excrementis oritur: densitas, tum ab ijs quæ astringunt, tum quæ refrigerant. Verùm obstrui propositi nobis corporis cutis, si ad præscriptam rationem ritè agatur, non potest: densari certè aliquãdo potest, tum ex ualido frigore, tum aluminoso balneo. Fieri autẽ potest, ut & post balneũ, sudorémue, prius laxata cute, auræ flatus incidens, obstructionẽ quampiam densationemq; efficiat. Cui remedium est calfactio: ac proinde ualentiore exercitatione, ac balneo calidiore utendum. Magis autẽ ad rem pertinebit, si in prima domo pinguiter oleo aliquo antiquo, relaxanteq; (quale Sabinum est) uolutetur. Mora uerò in frigido solio diuturna ne fit, sed neq; aqua frigida. Inducendi autẽ, ungantur aliquo, quod mediocriter calefaciat.

*Olea calida & relaxantia.*

Oleis quidem, ex ijs quæ in Aegypto habentur, cicino & raphanino: in reliquo orbe, dulci, tenui, ac modicè antiquo.

*Vnguenta relaxantia.*

Vnguentis uerò, susino, gleucino, irino, amaricino, & cõmagino. Ex quibus sanè gleucinũ, prorsus acopum est, ac relaxans. Paulò hoc calidius, magisq; relaxans, susinum est. Irinum uerò & amaricinum, & cõmaginum, etiã susino calefacere potentiora, ijs affectibus qui propriè frigiditates dicuntur, sunt idonea.

*Anethinum unguentum esse aptum cuti densæ laxandæ.*

Cutis tamen densitati sanandæ, etiam anethinũ est satis, maximè si ex uiridi anetho fiat. Facit & ad tales affectus acopũ quod ex abietis semine conficitur.

*Affectus uarij si in unum conspirent, quid agendum.*

In uniuersum autem, cùm in idem uarij affectus coierint, hi, si unam medendi rationem indicent, utiq; intendi magis eam rationem conueniet, quàm si singuli seorsum consisterent. Sin cõtrarij sint, is qui uincit affectus prius est corrigendus, ita tamen ne reliquum omnino negligas. At qui uel propter ætatem, uel etiam alia ratione imbecilles, concubuere, in his uirium infirmitas necesse est superet. Qui uerò firmiores & iuuenes, ueluti qui nunc est propositus, horum habitus corporis in raritatem magis, quàm uires in imbecillitatem, mutatur. Itaq; etiam corriguntur hi per ea quæ cogunt & contrahunt, qualis præparatoria existit.

*Venereo ex usu imbecilliores redditi, aut exoluti, aut refrigerati, qua ratione corrigi debeant.*

Quòd si etiam ex uenere, & refrigeratio sentiatur, tum præcipuè præparatoria exercitatione est utendum: quandoquidem ea nõ solùm calorẽ excitat, sed habitũ etiam cogit, atq; constringit. Si uerò anni tempus nõ dissuadeat, neq; à frigido balneo abstinendum censeo. Sit autem cibus & humidior, & parcior, medioq; temperamento, uel calidiore.

*Venus reddit corpus laxius, frigidius, imbecillius & siccius.*

Nam cùm corpus à uenere & laxius, & frigidius, & imbecillius, & siccius sit redditum, debent planè quæ densent, & calefaciant, & uires reparent, adhiberi, atq; ad hæc studium omne impendi.

*Apotherapia quãdo sit utilis.*
*Exercendũ non esse si subsit cruditas.*

Post uigiliam autem uel tristitiã, uel ambas, quæ apotherapia dicitur exercitatio idonea est, si tamẽ cruditas absit. Nam si qua subsit, omnino exercitandũ nõ est. Cùm autẽ à uigilijs & tristitia graciles magisq; aridi, ac minus dicto audientes planè cernantur, siccius existimandũ est his redditũ esse corpus. Quare tales affectus, partim molli frictione ex multo oleo, partim tẽperato balneo sanantur: partim tarda & modica agitatione, quæq; subinde interponat quietẽ.

*Siccitates à uigilijs & animi affectibus ortæ, quomodo corrigendæ.*

Is uerò apotherapeutici exercitij erat modus. Ad eundem modum eæ quæ ab ira, uel potionis penuria siccitates fiunt, corrigendæ sunt. Cõtraria prorsus à iam dictis ratione humiditates emendare conueniet, quacunq; ex occasione proueniant: quippe studium in his ad siccationẽ dirigitur.

*Humiditatũ curationes diuersæ, secundum uarietatem causarũ.*

Cæterũ si ex longiori desidia, & humectantis alimenti immodico intempestiuoq; usu, cõtracta humiditas est, longiori remedio est opus: sin ex liberaliori potione quæ pridie sit hausta, citra ullum capitis, aut oris uentriculi affectum constiterit, eam uel unico die persanare licebit, si sicca frictione largius, & exercitatione ueloci, & parciori potione, & sicciori cibo utêre. Porrò si lassitudinis sensus ullus à somno appareat in proposito iuuene, atq; is siccior iusto cernatur, ungendus dulci oleo est: fricandusq; ut omnino parcissimè, ita neq; duriter, nec molliter est, idq; matutino tempore.

*Cutis densa quomodo relaxãda.*

Quòd si etiam cutis densitatem corrigere studes, utiq; ei quæ ex duris tum frictione, tum contrectatione, præterea uehementi exercitatione orta est, mollis frictio cum copioso, & dulci oleo medetur. Quæ uerò cõtracta ex frigore est, eam primũ frictione sicca ac celeri, deinde cum oleo adhibito calefaciẽtes, naturæ suæ restituemus.

*Laxitas cutis qua ratione sananda.*

Laxitatẽ uerò, quæ frequens balneum, & mollem frictionem, & ueneris usum consecuta est, paucula frictione, primùm quidem sicca, deinde cum oleo quopiam eorum quæ astringant sanaueris. Humiditatem quę nimię potioni successit, sicca frictio cum linteo administrata, uel cum manica, interdũ etiam solis manibus, corrigit.

*Frictio uespertina quibus utilis.*

At uespertina frictio ijs utilis est, quos uel lassitudo ualida premit, uel siccitas malè habet, uel atrophia macerat.

*Prandiũ quando esse debet minus.*

Igitur in natura proposita, cùm ualida lassitudo, uel immodica siccitas corpus afficit, prandium minus esto: tum ab eo ad cœnam longius interponatur tempus. Præterea plurimũ quiescat: modicùm tamen inambulet, quò cibus per erectã agitationem concussus subsidat. Vtilius etiam fit, si & aluũ exonerare possit. His etenim probè peractis, securus oleo dulci frices, idq; uentre prorsus intacto. Quòd si in musculis ei uicinis uel lassitudinis sensus aliquis, uel siccitas appareat maior, ungi debebunt mediocriter, & blandè, & suspensa manu.

## GALENI PERGAMENI
## *de sanitate tuenda lib. IIII.*

NVnc autem primò de morbosis symptomatis disserere est animus, prout citra exercitationem incidunt. Secundo loco de illis quæ similitudinem quandam cum his habent. Ac quæ immodicas quidem exercitationes lassitudo excipit, sanorũ symptoma est: quæ uerò sine his cõsistit, morbosum. Itaq; & ab Hippocrate cõmodissimè dictum esse uidetur, lassitudines spontè natas nunciare morbos.

*Lassitudines spõtè natæ morbos pronũciant.*

Atq; ulcerosus quidẽ sensus symptoma lassitudinis est: Causa uerò unde ea nascitur, affectus lassitudinis

nis est. Huius rursus ipsius causa bifariam scinditur. Aut enim intra ipsum animalis continetur corpus, diciturq; antecedens internaq;: aut omnino nō inest, ac procatarctica nominaṫ, siue primitiua, siue etiā externa.

*Causa antecedens quæ dicatur.*

*Causa procatarctica quæ.*

Itaq; tria in uniuersum genera sunt, de quibus habendus sermo est: ipsius lassitudinis symptoma: affectus unde hoc oritur, & affectus ipsius causa. Cuiusq; igitur horum species quædam differentes sunt. Causarū, externa & interna: affectus, is qui ulceris, & qui tensionis, & qui phlegmones sensum inuehit: symptomatis uerò, ipsi tres sensus. Qui igitur ulceris sensum facit, is affectus motis quidem grauem excitat sensum, ceu corpus ulcereṫ: idq; uel circa cutim tantū, utiq; cùm est moderatior: uel circa subiectam illi carnē, cùm est ualentior: uel circa utrāq;, cùm adhuc est atrocior.

*Vlcerosus sensus triplex.*

Atq; sensus ipse est symptoma. Affectio uerò ex qua id nascitur, acrimonia est tenuis & calidi humoris, qui corpus erodit & pungit.

*Vlcerosus sensus unde proueniat.*

Oritur hæc aliquando ex immodico motu, aliquando ex uitioso succo. Ac tales lassitudines, spōtaneas appellat Hippocrates. Tensiuæ lassitudinis genus plethoricis solet superuenire.

*Lassitudo tensiua solet superuenire plethoricis.*

At tertium lassitudinis genus, quod phlegmones sensum affert, ex ambobus oritur, tum nimia boni succi abundāna, tum prędicto uitioso succo.

*Lassitudo phlegmonosa unde contrahatur.*

Solus autem rodens & acris succus lassitudinē ulcerosam inducit, idq;dum à uenis ad carnes atq; cutē transferṫ. Qui uerò ex abundantia nasci hanc lassitudinem putant, falluntur: nam neq; ex ea copia quam plethorā dicimus, neq; ex ea quæ uires prægrauat, ulceris sensus procedit, sed grauitas, uel ad motiones segnitia, uel uitia quædā in pulsibus.

*Lassitudinē ulcerosam ex abundantia nō nasci.*

Porrò ubi erodentib. succis corpus ipsum scater, minimus quidē motus, lassitudinis duntaxat sensum inducit: uehementior, rigorē excitat: medius inter utrunq;, horrorē parit. Potest enim tum horror, tum rigor, à calida causa excitari.

*Horror unde. Rigor.*

Impelliṫ autē ipse acris humor, interdū à sensibili corpore, q̄d repellendi alieni uim posśidet: interdum à uehementiori motione, id quod tum ab exercitādo, tum frictione, tum balneo cōquirit. Quòd si calida & putria excrementa sint, ubi uehementius moueṅ, nō horrorē modò rigorémue, sed etiā febrim accendunt.

*Febris quando accendatur.*

At quæ frigida sunt, & ex partibus tenuibus cōstant, ea horrorē quidem rigoremq; inducūt, nō tamen febrē. Porrò uim quandam utriusq; congestam esse oportet, si hæc fuerint. Oportet igitur excrementū, siue calidum id sit, siue frigidum, ipsum aut expellas, aut certè alteres. Cæterùm quod prorsus alienū est, id ægrè alterari à natura potest: ac proinde educere id q̄primùm tentandum est: æquè certè ut quæ in uentre corrupta prorsus sunt, ea uel uomitione, uel deiectione expelli profectò est optimū. Non tamen perinde promptū est in carne, atq; alijs corporibus imbibitū uitiosum succum educere. Cōmunes igitur scopos, quibus quis omnium excrementorū uitijs medeatur, iam diximus uacuationē & alterationem esse: proprios uerò utriusq; generis adijciamus.

*Excrementorum uitijs quæ occurrit, uacuationē & alterationē scopos cōmunes habet.*

Neq; enim una tantùm ratione educendum alterandúmue est: sed explorata quæ ei quod affligit, magis accōmodata sit, ei est insistendum. Ea autem ex cuiusque contrario debet administrari. Quoniam igitur lassitudo ulcerosa, uitio acrium excrementorum oritur, ante omnia considerandum est, in solidis ne tantùm corporibus, an intra uenarū sinus, malus succus cōtineatur. De ijs uerò quæ intra uenas sunt, nullum planè nec manifestum, nec euidens signum habemus, præter solam urinam.

*Vrinam solā indicare naturam humorū delitescentiū in uenis.*

Conijcere tamen licebit ex natura, cōsuetudineq;, ac breuiter ex uniuersa uictus & exercitij ratione, corporis ea lassitudine affecti, qualis ipsius mali succi sit modus. Nec minus profectò ex uniuersis affectibus curis, quibus aliquando tentari est solitum: ac deniq; ex euacuationibus aut retentis, aut intermissis. Vbi igitur omnino exiguus, & ad cutim tantū collectus ipse uitiosus est humor, mediocrius remedium postulat: ualentius autem, si multus & in profundo. Porrò si à uobis ille boni succi antea propositus iuuenis, nunc necessitate quapiam urgente, longi temporis iter confecerit, in quo praua uictus & exercitij ratione usus fuerit, nihil tamē in modo assumptorū deliquerit, ac proinde neq; in cruditatem inciderit, talis certè multū mali succi congessisse non potuit: quare sola apotherapia curatur, huc omni reuocato consilio, ut excrementa quæ circa cutem sunt, educantur, propterea quòd affectus in hac una consistit.

*Apotherapia sola quādo sit lassitudinis ulcerosa sufficiens remedium.*

Quòd si præter alia etiam in cruditates inciderit, sentiatq; uō cute tenus modò, uerū in alto corpore ulcerationis sensum, sic ut totum id malis succis refertum suspicêre, huic nec exercitationē, neq; ullum omnino iniungemus motum, sed quiescere ac dormire iussum, in abstinentia totum diem exigere cogemus.

*Lassitudinis ulcerosa, cōiuncta cruditati, curatio.*

Dein uesperi pinguiter uncto, & temperato balneo mediocriter lauato, pro cibo dabimus sorbitionē aliquam boni succi, sed planè q̄minimā.

*Balneorū usus in cruditatib.*

Nec tamē à uino eum abstinebimus: concoquit enim id semicrudos humores, tum sudorem, urinamq; promouet, ac somnū conciliat.

*Vini opera.*

Quod igitur mali succi iam planè corruptū est, nec concoqui potest, in sudore, urinaq; expellatur: quod semicoctum adhuc est, concoquatur, atq; utile reddatur. Id autem quies & somnus optimè præstant.

*Corrupta uacuanda esse.*

*Cruda esse coquenda.*

*Cruda cōcoqui à quiete & somno.*

Si ergo his peractis malū cōstiterit, ad consuetudinem rursus reducendus homo est. Sin in posterum etiam diem duret, de ualentiore iam remedio est cogitandū: maximè si per noctem uel lassitudo magis q̄ antea, uel fastidium infestet, uel peruigilet, uel somnos turbatos, & imaginationib. inquietos habeat. His siquidem, si uires nō dissuadent, aut sanguis mittendus est, aut purgatio exhibenda. Nam si uires imbecilliores dehortanṫ, sanguis mittendus nō est, sed deiectione mediocri utendum.

*Sanguis quando mittendus.*

*Deiectione quādo est utendum.*

At cōstante robore uiriū, si lassitudo adhuc infestet, ac uitiosus quidem humor qui ipsam gignit, cum sanguinis copia cōsistat, uena tundenda est, aut aliquid quod tantundem ualeat agendū. Sanè tantundem potest, hæmorrhoidū, menstruorumq; prouocatio, quibus suppressa sunt. Quibus autē horū est nihil, malleolorū incisio cum scalpello.

*Malleolorum incisio quādo molienda.*

Post hęc aluus eo medicamēto deijcienda est, q̄d malo succo maximè accōmodatū sit. Quòd si uitiosi tantū succi citra sanguinis copiam subsint, purgatio petenda est, quæ infestanti excremēto

*Cacochymiæ notæ unde sumendæ sint.*

sit etiam cõmoda. Hinc autẽ mali succi notæ sumentur. Qui in ocio degunt, hi pituitosum succum solent accumulare. Quos multus labor exercet, hi biliosum, uel melancholicũ, illum æstate, hunc autumno gignunt. Quantò autem diuturniores labores fuerint, tantò sunt ad atram generandam bilem magis procliues. Præterea

*Humores crassiores gigni per labores qui cum sudore obeuntur: tenuiores autem in illis, qui absque sudore fiũt.*

qui cum multo sudore obeuntur, hi crassius excrementũ faciunt: qui sine sudore peragunt, magis tenue: ueluti qui hyeme, & frigido aëris statu colliguntur. Ad hæc etiam, nõ solùm urinæ multitudo & qualitas, sed ipsius etiam sudoris considerãda est. Cuius in eo qualitatis dignotio nõ modò ex gustu & olfactu, sed ex colore etiã facilis est. Pallidus quippe cernitur sudor, pro eiusmodi bilis ratione. Sępe tamẽ post ualidissimos labores & uehementẽ æstũ, planè flauus conspicitur: aliquando medius, atq; ex ambobus mixtus. Ad eundẽ modũ & ipse bilis humor se habet. Qualiscunq; uerò is in corpore habetur, tale necesse est eius appareat serum.

*Sudorem esse notam succorũ qui in uniuerso corpore abundant.*

*Vrina indicat tantũ qui continentur in uasis.*

Ac sudor quidem succorũ qui in uniuerso corpore abundãt, nota est: urina eorũ tantũ qui uasis cõtinentur. Itaq; tum consistentiam, tum colorẽ urinæ, necnon quæ in ea pendent, aut sidunt, perpendere oportet, ut quæ ostendant qualis nam sanguis sit qui in uasis habetur. Quandò si is biliosus sit, serum quoq; eius biliosum esse necesse est. Simili modo pituitosum, si pituitosus.

*Vrina aquosa & tenuis quid indicet.*

At ubi crudus planè is est, utiq; tenuis aquosáq; urina cernitur, nihil nec quod sidat, nec quod pendeat in se habens. Vbi autem concoctus, hæc in urina apparent, desuperq; tenues quædã nubeculæ.

*Turbulenta urina quid indicet*

Quòd si turbida sit, qualis ueterinorum uisitur, crudis succis refertas uenas indicat, non tamen cessare naturã, sed eos ualenter concoquere. Si uerò celeris separatio crassi à liquido in ea cernit, sitq; quod subsidet album, læue, & æquale, iamiam superaturã ipsos omnes succos naturã indicat.

*Vrinæ permutationis species uariæ.*

Sin cùm emingit, pura sit, protinus uerò turbetur, iam crudi succi concoctionẽ aggredi naturã docet. At si interposito tempore turbetur, nõ protinus, sed pòst aggressuram insinuat. Similiter si protinus separatio fiat, & id quod subsidet, sit album, læue, & æquale, superiorem longè naturã succis quos concoquit, indicat. Sin bonum sit quod subsidet, sed longiori tempore colligatur, etiam naturam temporis spacio superaturã succos declarat. Si uerò uel omnino nulla separatio, uel id quod subsidet malum sit, imbecillitas naturæ significatur, egetq; ope aliqua ad succos percoquendos.

*Sudor quid indicet.*

Sicuti uerò urina succorũ qui in uasis sunt constitutionẽ prodit: ita sudor, & alia quæ per uniuersum animalis habitũ conspiciuntur, eorum qui illic sunt affectus demonstrant. Quippe superantibus in eo calidis succis, insolitus caloris sensus percipitur: frigoris uerò, cùm frigidi dominantur. Iam albiores, pituita dominante: pallidiores, bili abundãte, cernunt.

*Color à succo proficiscitur, nõ à solidis animalis partibus.*

*Succi à quibus causis intrò pellantur.*

Siquidem color à succo prouenit, nõ à solidis animalis partibus, utiq; cùm se succi in altum non recepeŕũt. Accidit uerò id illis propter frigora, rigores, uel animi affectus: ueluti timorẽ, uel ingentem tristitiam, uel incipientẽ uerecundiam: quorum si adsit nullum, nunquam se in altum recipiunt succi. Aequè neq; in cutem uiolentius irruentes, hanc adurent unquam, nisi animus aliquo modo affectus sit, aut æstu immodico animal extrinsecus obsessum.

*Color corporis quando sit exquisita nota eorũ, qui subsunt, humorum.*

Ergo si neq; ambientis uiolentia, neq; ullus animi affectus subsit, certissima succi animalis cognitio ex colore datur. Quare si ad rubicũdius q̃ pro natura mutatũ sit corpus, sanguinis abundantiã subesse significat: si ad nigrius, nigram superesse bilem ostendit.

*Color plumbeus quid indicet.*

Porrò color plumbeus, quiq; mixtus ex albo & liuido est, crudos & pituitosos dominari succos indicãt, minus tamẽ humidos q̃ sit pituita cõmuniter dicta: cui si adsit lentor, uitreus succus dicitur à Praxagora.

*Vitreus succus.*

Generaliter igiť eiusmodi succi omnes albi crudiq; sunt: nomenclaturã uerò alius aliam sortitur. Ipsorũ autem & biliosorũ sanguis in medio est: hi siquidem ex eo supra iustũ percocto fiunt: illi autem, ex nondum perfecto. Ac singulorũ quidem uariæ sunt differẽtiæ.

*Sanguis mittendus quando in lassitudine sit.*

Cæterùm in corpore lassitudine affecto, ubi paululum uel citra sanguinem restitum, uel ultrà processum est succis, audacter mittẽdus est sanguis: ubi plus, consideratius agendum: ubi plurimũ, in hoc nullus omnino mittendus. Inspicere uerò & quantitatem cõueniet: ut, uerbi gratia, si bonus sanguis exiguus sit, reliquus uerò succus plurimus, utiq; in his abstinendũ à detractione sanguinis est. Sin is quidem exiguus, sanguis uerò copiosus, audacter incidenda uena est. Dein deijcere aluũ oportet, ratione habita de abundantis succi copia & specie.

*Aluum esse largius uacuandã ijs qui per lassitudinem ulcerosam detrahi sibi sanguinẽ nolunt.*

Quòd si quis detrahi sibi sanguinẽ nolit, huic deijcienda largius est aluus: aut si id quoq; suspectũ habeat, alia ratione educendum est superuacuum. Iam uerò, si in uenoso uasorũ genere copia semicrudorum humorũ subsit, in reliquo autem corpore multitudo hom mordaciũ, cùm duo hi nobis scopi sint, nempe semicoctorũ percoctio, atq; acriũ & mordacium eductio, abstinere eos cõuenit ab omni ualido motu, quos lassitudo secuta fuerit. Blandè tamen unctos atq; oleo perfrictos, perquàm suaui lauare balneo expedit: inde in ocio abstinẽtiaq; habere, atq; etiã somno, si id fieri possit.

*Somnum à balneo concoquere, ac malos succos discutere.*

*Balneum conducere ad somnũ.*

Nihil enim ęquè cõcoquit, aut malos succos discutit, ut somnus à balneo. Conducit autem ad somnum non in postremis etiam & balneum ipsum. Quòd si secunda die & tertia, similiter grauatum sentiamus hominem, iterum atq; iterum utemur eadem medendi ratione. Sitq; ubi somnus & causa & signum speratæ utilitatis percõmodum: sicuti è diuerso, non posse à balneo dormire, nec causa, nec signũ est cõmodum. Sed ex somno uigilijsq; plerunq; redundantis succi indicia sumuntur.

*Frigidos quidẽ succos, soporem: calidos autẽ, uigilias giguere.*

Frigidi nanq; succi, * soporem & longiores somnos inducunt: calidi & mordaces, uigilias.

*Cruditati quæ sorbitio cõmoda*

Sicuti autem in primo, ita in secundo die, ex simplici cremore ptisanæ, aut ex alica, cui pauxillum aceti ad incidendum permistum sit, si cruditatis suspicio subsit, sorbitionem minimam eis exhibebimus.

*Abstinentia omnimoda inducit nauseã, ac prauum succum accumulat.*

Quippe ut largior nutritio nocet, sic abstinentia omnimoda, nauseã inducit, uentriculum lædit, resoluit uires, ac prauũ succum accumulat. At boni quidem succi est alica.

*Alicæ lentor corrigendus aceto oportere.*

Cæterùm nisi lentor ipsius corrigatur, adiectus aceti & porri modico, non solùm obstruet,

sed

sed etiam nutriet plenius, q̃ propositis fit ex usu. Hac itaq; ex causa ptisanę cremor in hoc casu tutior est, ut qui tum modicè nutriat, tum facilè per angusta permeet, dissecetq; & dissoluat quicquid in crudis habet succis. Horũ ipsorũ gratia & mulsa his idonea est, & oxymeli, & apomeli, & piper, & zingiber, atq; omnia breuiter, quæ citra uitiosi generationem succi, humorem crassum dissecant, soluuntq;. Frugum itaq; maximè apta est ptisana: olerum, sola lactuca: piscium, qui dicuntur saxatiles: panis, qui in clibano coctus, & fermentatus, & modicè purus est: aues monticolæ: potio, oxymeli, mulsa, uinum tenue, & albũ. Quæ uerò urinam cient, hoc casu non probo: maximè quæ præualentia ex his sunt, & sanguinem calefaciunt, & liquant. Quippe quod concoquendum probè est, huic tanta uexatio non conuenit. Hæc itaq; omnia secũdo die ita facienda sunt, atq; etiam tertio, quartoq;. Quòd si tum lassitudinis sensus leuetur, tum cætera pro naturæ ordine appareant, fricare quidem liberalius, exercere uerò parcè hominem audebis. His ita peractis, si nullus lassitudinis sensus pręterea superfit, ad consuetas statim exercitationes reduces ipsum. Sin quicquam appareat priorum aut symptomatum, aut notarum, rursus tu quoque in id intentus, mutare tentabis ea quæ particulatim non rectè habent. At si in eodem lassato corpore, reliqua eadem habeantur, sanguis autem bonus exiguus sit, crudiq; humores plurimi, huic nec sanguis mittendus, nec alui deiectio, aut exercitatio, aut omnino motus, aut balneum adhibendum: sed seruandus in omni quiete is est, dandaq; ipsi cibus, potio, medicamentaq; sunt singula eius generis, quæ attenuent, dissecent, & cõficiant succorum crassitudinem, idq; citra manifestũ calorem. Ergo nutries hos maximè oxymelite, aliquando etiam ptisanæ & mulsi exiguo quopiam. Sustinent enim hi uictũ, si modò alij ulli, tenuem, ipsa nimirum crudorum humorum copia, quos paulatim concoquunt, ad corporis alimentum abutentes. Quoniam autem præcordia istiusmodi omnibus turgida inflataq; sunt, & facilè quicquid assumpserint, in flatum uertitur, non inutile fuerit & longi piperis, aut albi, aut nigri aliquid cum cibo dare. Sed album quidem supra reliqua duo genera aluum roborat. Nigrum id eligendum est, quod præcellit pondere. Vtilius tamẽ fit & Diospolitico medicamento uti, cuius duplex est cõpositio. Nam aliàs ex paribus omnibus, cumino, pipere, ruta, nitroq; id cõficitur: ac potest sic magis uentrem soluere: aliàs cum reliquorũ pari pondere miscet̃ nitri dimidiũ. Præstiterit autẽ cuminũ esse quod Aethiopicũ uocant, piper uerò uel longum uel album. Macerabitur cuminũ in aceto maximè acri: dein cõtinuò id tunditur, aut etiam prius modicè frigitur in uase fictili, q̃d coctum in camino q̃optimè fit. Sunto uerò & rutæ folia modicè exiccata. Sumitur & per se medicamentum hoc, & cum ptisanæ cremore, & ante & post cibum. Porrò ad eum usum maximè cõmendatur, quod mel optimum, optimeq; despumatum admixtum habet. Appositum sanè remedium sic affectis est, & quod ex tribus piperibus constat, utiq; cùm non admodum medicamentosum sit, atq; ex uarijs confectum, quale est illud quo utimur in ijs fluxionibus quæ à capite descendunt ad pectus. Expedit autem præparatum habere utrunq; ad manũ. Simplex igitur illud, quo ad cruditatẽ quæ in primis est uenis utimur, huiusmodi est: Ad cuiusq; trium piperũ drachmas quinquaginta, abundè addunt̃ anisi, & thymi, & zingiberis, singulorũ drachmæ octo. Hoc magis simplex est, à quo detractũ sit zingiber. Alterũ uerò est, quod ex ijsdem conficitur: uerũ ad cuiusq; triũ piperũ drachmas quinquaginta, reliquorũ cuiusq; sexdecim drachmarũ inijcitur pondus. Debet autẽ, si haberi potest, anisum Cretense esse. Thymũ aut Atticum, aut ex editis locis & siccis: cuius quicquid lignosum est circuncisio, coma ipsa unà cum floribus inijciet̃. Esto uerò & piper, quod longũ quidem est, integrum, minimeq; foratũ: æquè uerò & zingiber. Quod autẽ piperis qualitatẽ retinet, ac nec maceratum resoluitur, nec etiam pertusum est, piper id longum ut maximè idoneum est, sic minimè fuerit adulterinũ. Nigrum uerò nec exile, nec rugosum, nec crassi corticis esto, sed maximum plenissimumq;: quæ duæ notæ album etiã piper cõmendant. Deinde omnibus simul tusis, & per tenue cribrũ transmissis, mel optimũ, curioseq; despumatũ miscetur: id quod debet esse odoratũ, flauum, acerrimũ, dulcissimumq;, atq; crassitudine quadam mediocri, & quæ suam cõtinuitatẽ tueatur. Hoc igitur medicamen & ante cibum, & pòst, & euntibus cubitum rectè datur, cochlearij pleni mensura: atque huius quidem, ut paruis parui, & maximis maximi, ita medijs ad portionẽ: præterea etiam zingiber, quod ex barbaris affertur, aceto maceratum. Est id uirentis herbæ radix, à collectu statim in acetũ iniecta. Extinguitur enim eiusmodi medicamentorum calor circa ipsas primas uenas: neq; in totum perfertur corpus, ueluti aliorũ quorũdam, cuiusmodi est quod diacalaminthen appellant. Idcirco etiam oxymeli his utilissimũ est, cuius talis est cõpositio. Cùm melli optimo super carbones spumam abstuleris, cõijcies in ipsum aceti tantùm, unde gustanti nec acidum nimis, nec dulce uidebitur, ac denuò super prunas coques, quoad planè unitæ amborum qualitates sint. Hinc ab igni depones, cumq; uti uoles, aquam ei miscebis, ita nimirũ temperans ut uinũ. Quò autem pluribus id cõueniat, uni aceti parti, mellis à quo detracta spuma sit, duplum est miscendum. Pro uniuscuiusque tum gustu aut natura, plus aut aceti, aut mellis nos adijcere conuenit, id esse sumentis naturæ conuenientissimũ oxymeli ratos, quod illi utiq; iucundissimũ est. Cum aqua uerò ita facies oxymeli. Quadruplũ optimæ aquæ miscebis melli: dein coques modico igni, donec spumare desinat. Ac malũ quidẽ mel multã egerit spumã: quò etiam diutius cõcoqui debebit. Optimũ uerò ut breuissimo coquitur tempore, ita minimũ spumæ euomit. Pòst uerò dimidio aceti adiecto, rursus coquendũ, donec qualitatum omnino fit unitas, nec acetum crudum sentiatur. Conficitur sanè oxymeli, etiam tribus statim à principio mixtis, ad hunc modũ.

*Ptisanæ cremor cruditatibus cõmodissimus.*

*Cruditatib. qui cibo potusq; conueniant.*

*Diuretica præualentia, nõ esse cruditatis utilia.*

*Lassato corpori, cui sanguis quidem bonus exiguus sit, crudi uerò humores plurimi, quæ medendi ratio adhibẽda.*

*Crudis succis referto cur tenuissimum uictus rationẽ perferant.*

*Piper cum cibo exhibẽdum per cruditates esse.*

*Diospolitici medicamenti compositio duplex, utraq; cruditatibus apta.*

*Diatrion pepereõ simplex, cruditatib. esse medicamen appositissimum.*

*Diatrion pepereon simplicis cõpositio.*

*Piper longum quale sit eligendum.*

*Piperis nigri, albiq; electio.*

*Mellis optimi notæ.*

*Diatrion peperon quo offerẽdus modus.*

*Zingiber quid.*

*Piperatorum calorem circa primas uenas extingui.*

*Oxymelitos cõpositio.*

*Oxymelitos aquatis faciendi modus.*

*Mel uitiosum multum spumæ egerit: optimum uerò, minimũ, breuissimoq; coquitur tempore.*

Aceti uni parti, additur mellis duplum, & aquæ quadruplū: atq; hæc ad tertiam uel etiam quartam partem coquuntur, spuma interim detenta. Quòd si ualentius id facere studes, tantundē inijcies aceti, quantùm mellis.

*Apomeli refrigerat.*

Apomeli optimum aqua conficitur, bibiturq; tota æstate refrigerantis uice. Potest uerò cui id libet, & ad quam proposuimus affectionem eo cōmodè uti, potissimum ubi coacuit: id quod sæpe contingit ei, aliàs magis, aliàs minus, utpote ex aqua confecto non pluuia, sicut mulsa, sed qualibet.

*Mulsam ex pluuia aqua cōfici.*

Quanquam potest qui uolet, & ex aqua pluuia id conficere, ipseq; si pluuiam aquā probarem, id suaderem: uerùm neq; ipsam probo, & nihilo est deterius si acescit, potissimū ad ea quæ nunc sunt proposita.

*Pluuiam aquā non probat Galenus.*

Quinimò mediocriter etiam acet, q̄d non omnino incuriose est confectum. Sanè cura conficiendi in eo est, ut nec fauus admodum sit uitiosus, coquaturq; bene in fontana aqua, quæ & pura sit, & dulcis.

*Apomelitis compositio.*

Oportet enim expresso à fauis melle, eatenus in aqua coquere, quoad nulla inde spuma existat. Ergo tum hac utendum potione est, tum uerò è uinis ijs quę leuiter acescunt. Nutriendū præterea cibis est, qui citra calorem extenuent, cuiusmodi capparis est, si ex oxymelite uel oleo sumat. Quòd si crudos iam succos satis attenuatos speras, uinū dabis quod & substantia sit tenue, & colore fuluū albúmue: hoc enim ad succi bonitatem, & concoctionem facit: illud urinā mouet.

*Vina quæ acescunt leuiter, esse cruditatibus commoda.*

*Capparis ex oxymelite facit ad cruditates.*

Sunt uerò in Italia, prioria generis Falernum, & Surrentinum: posterioris, Sabinum & Albanum, & Adrianum. In Asia uerò, prioris generis Lesbium, & Ariusium. Secundi Titacazenum, & Arsyinum. At crassa & nigra uina sunt reijcienda.

*Vinorum genera uaria.*

*Vina cruditati aduersantia.*

Quòd si lua adhibitis melius habere se senserit, etiā lauare tum hominem debebis, ungereq;, ac molliter fricare. Vt uerò primū in urina hypostasis cernit, tum frictiones augere, tum ad cōsuetas exercitationes paulatim reducere. Hoc tēpore unguentis ijs quoq; utendum, quæ per halitū euocent. Vomitu autē minimè in affectibus id genus utaris, ne succi reuellantur intrò mordaces, qui uidelicet carni inhærent.

*Vomitu cur non utendū per cruditates lasitudini copulatas.*

Quemadmodum autem exercitatio, frictio, balneū, fomenta calida, unctio calefaciens, iracundiaq;, humores ab alto reuocant, ita quæ refrigerant astringuntq; cutim, ad hæc tristitia, horrorq; à quacūq; causa calida frigidaue procedens, necnon omnia quæ introrsum impetū faciunt, ea inquā à cute ipsa motū humorū ad interna cōcitant.

*Humores reuocantia ab alto.*

*Humores intrò pellentia.*

Hæc itaq; omnia deuitanda tum sunt, cùm idem homo pariter & lasitudinē sentit, & uenas habet crudis succis refertas. Nam nec qui extrà sunt, rectè intrò reuocant: nec qui intus, foras. Imò qui foris sunt, leuiter educendi per halitū sunt. Ergo quibus intus crudi succi copia est, & foris lasitudinis sensus, ijs hyssopum in mulso coquens, nō statim nec primo die, sed in sequentibus dabis: uomitu uerò abstinebis, nisi ubi crudos citra lasitudinē succos euacuare contendis.

*Vomitu quādo utendum.*

At uerò si unà cum sensu ulceroso, etiā crudorū copia aut à calore, aut ab immodico motu in corporis habitū sit transmissa, quæ quidē iam nō in uenis, sed in solidis animalis partibus hæreat, tūc sanè ea exhibenda sunt, quę uel ad cutim usq; suum calorē transfundant: fricandumq; largiter oleo quod relaxādi uim habeat, ac potissimū manè, cùm surgunt à somno.

*Vlceroso præsente sensu, crudisq; humoribus ab alto in corporis habitum distributis, quæ utendum sit ratione medendi.*

Nam ea frictio concoquit crudum succū, simulq; corpoream molem animātis nutrit. Quiescendū uerò diu post hæc est. Cedet autē negociū felicius, si homo exiguū cibū pridie sumpserit, nec aliud à cœna biberit, quàm tenue uinū, fuluumq;. Post ipsam autem quietem diuturnam, modicè inambulandum est: ac dein tum denuò multa frictione, tum balneo modicè calido, & alimentis quæ boni sint succi, utendū. Quinetiam medicamen etia diacalaminthen audacter dabis: cuius talis est compositio: Accipe calaminthes, pulegij, petroselini, seseleos, cuiusq; uncias ij. seminis apij, cacuminum thymi, singulorum unc. iij. Libystici, unc. xvi. piperis unc. xlviij. Hæc omnia ubi electissima fuerint, simul tundenda cribrandaq; sunt tenui cribro.

*Diacalaminthes confectio.*

Tenuia quippe medicamenta in totum corporis habitū maximè digeruntur: ueluti è diuerso, crassiora in uentre hærent. Idcirco Diospoliticon medicamen crassius facere soleo, quoties deijcere aluum per id studeo.

*Tenuia facilè digeri.*

*Crassiora in uētre hærere.*

*Purgantia medicamina debēt crassiora relinqui.*

Miscendum his ita præparatis mel optimū est, curiose despumatum. Porrò usus eius erit post matutinam frictionem, ante exercitationem & balneum: potestq; etiam cum aliquo cibo mixtum assumi. Post cibum autem nunquā nec hoc medicamen, nec aliud ullum quod ad distributionem uehementiorem facit, sumendum est.

*Distributioni cōferens medicamē nullum statim à cibo dandum.*

Licet & sine admixto melle siccum medicamentū reponere, eoq; salis uice uti. Ad ipsorū autem concoctionem ciborū, præstat sanè aut medicamen diatrion pipereon simplex, aut ipsum piper potioni inspersum, aut etiam q̄d ex succo mali cydonij cōstat medicamentum porrigere.

*Cōcoctioni ciborum quæ conferant.*

Verùm ad ea quæ nunc agimus, optimum omnium est, quod constat ex calaminthe. Nam crassa lentaq; attenuat, & per halitum educit, & urinas mouet, & muliebria prouocat, estq; iucundissimū gustui.

*Diacalaminthes medicamenti usus.*

Vbi igitur circiter duos uel tres primos dies ita pręparatus homo est, exercitationib. cōsuetis tradat, animaduersis prius uniuersis quas iam diximus notis. Nam si omnia cōmodè se habere uidentur, plenè exercitandus est. Sin minus, etiam ante mediocritatem desistet, prius dicta uictus & medendi ratione tractandus, donec postridie circa exercitia omnibus ex sententia se habentibus, ad consuetum uictum reuocari iam postulet. Quia uerò & acopo q̄d ex abiete fit, uti expedit ijs qui in carne & tota corporis mole succos congesserunt, qui aut concoqui desiderent, aut per halitum digeri, apponamus eius compositionem.

*Acopi ex abiete cōpositio contra omnē lasitudinem ualens.*

Igitur abietis pulcherrimum semen, quale circa Septembrem colligitur, conijcere oportet in oleum, quolibet anni tempore, ubi prius contusum fuerit. Postea uerò q̄ spacium dierū ad minimū quadraginta in ipso oleo relaxante (quale Sabinum uidetur esse) maduerit, ipse liquor est percolandus. Conijcietur autē in quinq; & uiginti olei heminas, eius seminis modius Italicus. Excolato oleo, quatuor ceræ libras adiungito: resinæ uerò abietinæ tertiā unius libræ partē: inijcies etiam & pineæ resinæ tantundem. Quòd si harū copia nō sit, earū loco

tere-

terebinthina utendum. Coques autẽ cõmodius hæc in uase duplici, aut certè igni lento. Medicamentum enim hoc aptissimũ ad omnẽ lassitudinem est. Vtile etiam est & quod ex populi floribus fit. Est autẽ id tale: Ex illis enim adhuc cõniuentibus mediocriterq́ cõtritis, modius Italicus in quindecim aut uiginti libras Sabini olei aut alterius similis, immittit, quotidieq́ sub sole feruido simul totũ id dimouebitur, si id fieri liceat. Itaq; post binos aut ternos menses potes flore expresso habere oleum, quod sine ulla mordicatione, nihilo minus quàm abietinũ, per halitum digerat. Cui tantundẽ ceræ & resinæ licebit addere, quantùm illi esse adijciendum diximus. Si quãdo uerò humidũ id quod exprimit, crassius uidebitur, sat fuerit uel quintã partem ceræ adijci. Sunt qui in duplici uase eleganter id medicamentũ conficiant. Qui uerò celerius id præparare cogitur, hunc necesse est aquæ uiniue quartã aut quintã partem, ne torreatur, inijcere. Atq; ad ea quidem de quibus nunc agit, utilior aqua est: uinum uerò ad articulares affectus. Ergo & hæc medicamenta succos quicunq; nõ crassi nec lenti in carne cuteq́ resident, euaporant: necnõ q̃d ex chamæmelo fit oleum, tum ipsum solum, tum ceræ quarta, resinæ duodecima parte immixta. Potest etiam & anethinum oleum, aut per se, aut cum cera & resina, similiter discutere in halitum. Præparetur autem in duplici uase, fiatq́ ex anetho uiridi, maturoq́. Iam sampsychinũ oleum, hyeme, & regione frigida, ac tempestate simili, idoneum medicamentum est. Simili ratione rosmaris herba, aut betæ albæ radix, aut agrestis cucumeris, aut altheæ, aut uitis albæ, efficaciter etiam discutit, ubi suas uires in oleo similis facultatis quæq; ipsarum dimiserit. Quòd si eorum singulis, uel ceram solam, uel cum ea resinam inieceris, non solùm pulcherrimũ, sed etiam quod in loco bene hæreat unguentum facies. Abundè autẽ omnino erit, si ceræ quartam partẽ, resinæ duodecimã addas. Si uerò abietinam simul & pineam resinam inijcias, aut cum his etiã terebinthinam, aut si hæ desint, humidã pini resinã, aut resinam quæ in fictilibus est, aut etiam quam frixam appellant, sic quoq; medicamentum feceris, quod euaporandi uim habet. Porrò ubi præter ulcerosum sensum, etiam copia humorũ crudorum in toto corpore abundat, concoquenda quidem ipsa cruditas primarum uenarum est, concoquendaq; simul & discutienda quæ extremas obsidet corporis partes: semper ipsius curationis studio in id propenso, quod affligere magis uidetur. Nam si pari noxa ipsi infestent affectus, respectu æquali curãdi sunt: sed ita tamen, ut inter initia potiores medendi partes ei præstentur, qui in primis uenis consistit: in fine uerò, ei qui in carne. Medio inter hæc tempore, ambæ rationes æquabiliter miscebunt. At lassitudo tensiua, cùm citra exercitationem incidit, abundantiam indicat, quæ solidas animalis partes distendit. Vbi igitur sanguinis redundantia grauat, optimũ est uel uenam tundere, uel scarificare malleolum. Ex ijs autem quæ in ulceroso affectu retulimus, ubi uitioso succo miscetur, licet ratiocinari & de alio quouis, cùm solus constiterit. Iam uerò lassitudo quæ phlegmones sensum infert, si quidem spontè oriatur, subitò accendit uehementissimam febrem, nisi missione sanguinis malo prius sit occursum. Itaq; nec cũctari, nec parũ detrahere conuenit, sed (nisi quid obstet) ad animi usq; defectum. Optimum uerò fuerit, bis eodem die, si fieri possit, detrahere: ac primùm quidem ita mittere expedit, ut animi defectum homo non adeat: secundò uerò, ne defectus quidem ipse est formidandus. Quippe, qui priore detractione resolutus est, secundam sustinere haud poterit: in hac uerò si quid tale homini incidit, facilè reuocabitur. Qui uerò sic affecti sanguinem non miserint, hi si euaserint, utiq; fortunæ beneficio id acceptum ferent. Aestimare autem diligenter oportet, qui sanguinem sunt missuri, in thoracè ne, dorso, & lumbis tensio, pulsansq́ dolor figatur: an in capite potius & collo. His nanq; affectis, humeralem uenam diuides, maximè si repletum caput & calidum sentiunt: illis uerò internam. Si uerò omnino æqualiter lassitudo occupat corpus, ambarum mediam. Ac si ab incisa quidem uena febrire cœperint, alterius est artis, nempe curatiuæ, his prospicere. Sin autẽ tum non febricitent, primo die post incisam uenam, aut ptisanæ cremorem, aut sorbitionẽ ex alica solùm dabis. Secundo uerò etiã lauare licet cum copioso oleo, nutrire autẽ moderatissimè, lactucæ, uel cucurbitæ, uel ptisanæ aliquid offerens. Est & alica nõ inutilis. Si cucurbitæ copia nõ sit, malua, betaq́, & lapatho, & atriplice utendum. Quòd si carnẽ quoq; gustare uelit, saxatiles pisces, uel oniscos in albo iure (quod anetho, sale, oleo, & porri exiguo in aquam coniectis conficitur) bene elixos dabis. Vino autẽ utiliter etiam ipso secundo die parcet. Tertio uerò, si quidem aquæ potionem facilè toleret, tunc quoq; uino abstinebit: si non ferat, potissimum quidem apomeli dabis. Hoc si non sit, album & tenue uinum offeres, aliaq́ pro ratione exhibebis, quæ ut boni sint succi, ita minimè calefaciant. Cauendum tamen uel maximè est, ne properè & multũ, sed sensim, & paulatim renutrias. Alioqui minimè ipse uentriculus poterit tantam ciborũ colluuiem pro dignitate concoquere, ac proinde plurimũ crudi succi rapietur in uniuersum corporis habitum. Venter quippe sua ipsius causa nutrimentũ suscipit, ut eo nimirũ fruatur. Vbi autem expletus fuerit, quod reliquũ ciborũ est, exprimit, pessumq́ ceu onus alienum deijcit, uidelicet ad ipsa intestina. Ab his uerò rursus ad uenas suggeritur, à quibus tandem in uniuersas animalis partes disseminatur: ubi alimentũ ipsum nactum iam concoctionem tertiam, alendo corpori assimilatur. Vnde multi exinanito corporis habitu, nisi reficiantur lentè, plurimum excrementorum in toto eo congerunt, atq; ex ijs nõ leuiter ægrotant. Quoniam autem per lassitudinẽ quæ phlegmonem repræsentat, uis calidi sanguinis congesta in corporis mole est, uenæ autem sectio succos è uasis emittit, utile est post priorem detractionem tantisper intermittere, dum aliquid eorum qui in corpore sunt humores, remigrare possit ad uenas. Quod tamen quoniam cõmittendum

*Medicaminis quod ex populi floribus fit, compositio.*

*Succos carni cutiq; hærẽtes, euaporantia.*

*Chamæmelinũ oleum*

*Anethinũ oleũ.*

*Sampsychinum oleum.*

*Discutientia efficaciter quæ.*

*Resinarũ species uaria.*

*Vlceroso sensui si sit coniuncta cruditas, tam in primis uenis, quam in externo consistens corporis habitu, quid agendum.*

*Lassitudinis tensiuæ spõtaneæq; curatio.*

*Lassitudinis quæ phlegmones sensum infert, curatio, per sanguinis missionẽ usque ad animi deliquium, administratur.*

*Sãguinis missio quando sit eodẽ die repetenda.*

*Humeralis uena quãdo secanda.*

*Interna uena in quibus tundenda.*

*Media quando aperienda uena*

*Lassitudinis phlegmonosæ uictus ratio conueniens.*

*Albi iuris compositio.*

*Ventriculus sua ipsius causa nutrimentum suscipit.*

*Nutritionis modus.*

*Sanguinis detractione prima & secunda cur interponendum sit tempus.*

*Sanguinis detractio cur iteranda sit.*

non est ut in ijs maneat, utpote ex dimidio corruptum, idcirco detractionem sanguinis etiam secundo die iteramus: aliquando uerò & in tertio, ubi uidelicet & reuellere, & ex alijs in alia transferre usum est conducere.

## GALENI PERGAMENI
### de sanitate tuenda lib. V.

*Hominū natura diuersa.*

*Ars sanitatis tuēda quid præstet.*

CVm hominū naturæ fiat numerosæ, diuersam uictus & exercitij ratione postulant, quæ ex arte quæ ualetudinē tuetur petenda est. Huius enim beneficio cōtingit, ut qui ab ipso ortu imbecillum corpus nō sunt sortiti, sensibus illæsis, ab omniq; prorsus morbo & dolore alieni, ad summam senectutem perueniant. Ego uerò, tametsi nec salubrem corporis statū ab ortu ipso sim nactus, nec uitam planè liberā egerim, hac tamen ipsa arte usus, post octauum & uicesimū annum ne minimo quidem laboraui morbo, nisi fortè diaria febri, ob lassitudinē aliquando contracta: cùm alioqui liceat nō modò hanc, sed bubonē etiam effugere, si quis liberam uitam sit nactus, uacetq; ab utroq; genere excrementorū, & eo quod in quātitate, & eo q̄d in qualitate cōsistit. Ergo corpus optimè constitutū, ad sui custodiam, tum in exercitationibus, tum in porulentis & esculentis, necnon in somno, uigilijs, balneis, atq; uniuersis animi actionibus, medium utriusq; excessus, idq; in qualitate, quantitate, & facultate, postulat. Quòd si in aliquo sit erratū, corrigendus error est, per contrarij excessus usurpationē. Vt autē corrigendo nō erres, primū corporis affectus ad unguem scire oportet. Deinde omniū eorū quæ priore die facta uideris, meminisse. Nam affectus quidē, q̄d delictū sit, docebunt: recordatio eorū quæ pridie sunt acta, quantū tibi à consuetis sit recedendum, insinuat. Imò uerò id quod peccatū est, memoria factorū ostendet: & prout corrigetur, ex præsentium collatione docebit. Vt, exempli gratia, si mollius quàm prius postridie corpus uideatur, primū quidem frictionū meminisse conueniet, an molles, & cū pinguitudine & balneis leuiter tepidis sint adhibitæ. Ab his reuocari ad memoriā debebit, an exercitationes tardæ & exiguæ præcesserint. Dein, an potio uberior fuerit. Mox, an cibos plures, aut natura humidiores acceperit. Postremū, an multùm dormierit.

*Galenū uixisse sanissimum.*

*Corpus optimè constitutum, ad custodiā sui desiderare omniū excessuū mediū.*

*Excessum corrigendum esse per contrarij excessus usurpationē.*

*Affectuū cognitio quid moneat. Recordatio præteritorum quid conferat.*

*Humidus affectus à molli quo differat.*

Proximus molli corporis affectui, est humidus: hoc differens, quòd mollis ipsorū corporū propria qualitas est: humidus, qui in eo continentur, humorum. Discernunt hi tactu: nam humidus affectus cū madore cutis est: mollis sine hoc: quanq̄ est profectò & molle corpus humidum suis ipsius partibus: non tamen cum mollitie necessariò cōiunctus est humidus affectus. Potest namq; durata caro esse, & tamen mador sudórue è corpore emitti.

*Siccus immodicè affectus quid indicet.*

Ac siccus quidē immodicè affectus, habitū statim durum efficit: indicat autē, aut cibi potionisue penuriam, aut uigilias, aut uitæ solicitudinem, aut multam frictionem, aut deniq; exercitationem immodicam. Hæc itaq; considerans, corrigere quotidie errorem poteris, priusquàm is inauctus, curatu difficilior euadat. Semper autem memineris, excessum omnem contrario excessu emendandum esse.

*Excessus omnis contrario est corrigendus excessu.*

*Medicinæ usus.*

Cui præcepto si corporū dignoscendorū peritiam adieceris, & singulorū remediorū facultates adiunxeris, uniuersæ iam artis quæ corpori hominis tuendo dicata est, peritus fueris: cuius ope licet præsentem sanitatē tueri, & amissam recuperare. Atq; optimum quidem corpus cuiusmodi sit, dictum iam est. Quod ab huius perfectione defecit, scire licet tribus id de causis defecisse: aut quòd statim in utero, uitioso statu fuit: aut quòd qualibet de causa in nō naturalem affectum pòst concessit: aut ætatis ratione.

*Deficere ab optima constitutione, tribus de causis contingit.*

*Senium siccū & frigidum, humectantibus simul & calfacientib. corrigendū esse.*

Omnia uerò corrigenda per contrarium excessum sunt. Nam senium, frigidum & siccum cùm sit, per ea quæ calefaciunt & humectant, corrigitur. Talia sunt balneum dulcis & calidæ aquæ, uini potio: præterea ex cibis quicūq; humectare calefacereq; sunt nati. Quod pertinet ad exercitationem, frictionem, atq; omnem motum (qui cibum debet præcedere) scire licet poëtam ex parte uerum dixisse:

*Vt lauit, sumpsitq; cibum, det membra sopori.*
*Namq; hæc iusta seni.*

Postulat autem senum, non secus quàm iuuenū, corpus, dimoueri aliquando. Imò corporū quæ in florenti ætate sunt, nō desunt quæ quietem requirant. Senum uerò nemo quietem ex toto postulat: sed neq; exercitiū uehemēs. Ceu enim uentulo quodam excitari, accendiq; calor eorū desiderat: uehementiori autē motu deijcitur.

*Senū nemo quietem ex toto postulat: sed neq; exercitium uehemens.*

*Senum corpora plurimum iuuari pingui frictione, post somnum matutinum adhibita.*

*Frictionis matutinæ post somnū adhibitæ utilitas.*

Cùm igitur senum omne corpus sit frigidum, nec potens alimentū ad sese trahere, atq; id probè conficere, ex eoq; nutriri, plurimū frictione pingui adhibita post somnū matutinū iuuatur: quippe quæ uitale robur excitet, ac modicè calefaciat, efficiatq; ut sit distributio nutrimēti facilior, atq; nutritio promptior. Quare multos etiam laborantes atrophia, eiusmodi frictione adhibita, facilè paucis diebus carne impleuimus.

*Senibus qualis esse debeat exercitatio.*

Frictio itaque ex oleo administrata manè, ueluti exercitatio quædā sit senibus. Post hanc inambulatio, gestatioq;, ex senis uiribus cōiectatæ. Etenim exercitatio acuta corpus tenuat: cōtraria crassius reddit: multa corpus siccat: mediocris obesum præstat.

*Exercitationis forma, quæ senibus utiles sunt, unde sint coniectandæ.*

Verū exercitationis formæ quæ senibus utiles alienę'ue sint, tum ex corporis totius affectu, cōsuetudineq;, tum uitijs ipsis quæ infestant, intelligentur. Ex totius corporis affectu: nam optimi status corpus, sicuti in iuuētute ad uehementissimos quosq; labores maximè idoneū est, ita in senecta se habet ad omnes mediocres. Quod uerò à mediocritate recedit corpus, ad plerasq; id exercitationū ineptū est. Quippe uitiosæ figuræ thorax, in ijs quę per uocem administrant offenditur. Per ambulationē gracilia crura læduntur: de cæterisq; pari iudicio censendum.

*Membra infeliciter ab initio formata, fieri exercitando imbecillia.*

Quicquid autem ex his parum ritè ab initio cōditum est, id exercitando imbecillū redditur. Senibus uerò quæ præcipua ad sanitatem exercitia sunt, hæc per ualētiores corporis partes sunt obeunda.

*Consuetudinis exercitiorum esse habendam rationem.*

Sed habenda consuetudinis in primis est ratio. Nam quæ consueta sunt, ut minimè lassantia quos exercent, etiā delectāt: sicuti è diuerso, quę insueta sunt, tum displicent, tum uerò lassant. Porrò quibus operibus arte opus est, ea ne attin

gere

*Senes consuetis laborib. sunt exercendi.*

gere quidem senes debebunt. Senes igitur consuetis laboribus exercendi sunt, sed tamen uehementia eorũ remissa. Tertiũ quò dirigit qui exercitationis formã præscribit, ab affectioue sumitur. Nam quos comitiales morbi, uertigines, grauis ophthalmia, uel auriũ dolores ex leui occasione malè habent, ijs inclinato capite, dorsóue, aut humi uolutatis, exercitari non expedit: sed tum ambulatiõe sæpe, tum cursu mediocri, tum gestatione in uehiculis citra fatigationẽ uti. Simili modo quibus aut in fauces, aut in partes eas quæ circa collum aut totũ caput consistunt, fluxiones procumbunt, minimè quæ caput impleat exercitationẽ sustinent:

*Exerceri qui superiorib. & qui inferius partib. debeant.*

sed sunt his omnibus quæ per crura geruntur utilia: sicuti è diuerso, qui imbecillis sunt cruribus, his superiorib. partibus exercitari est satius. At quorũ mediæ crurum brachiorumq; partes opportunæ offensionibus sunt, ijs quoduis exercitationũ genus idoneum fuerit, modò ne reliquarũ considerationũ ulla prohibeat. Quæ tamen circa thoracem partes sunt, magis inferiorũ exercitatione iuuantur: quæ circa uesicã & renes, superiorũ. Lien, uentriculus, iecur, & intestina, ut in medio superiorum & inferiorũ sunt, ita se ad exercitationes habent.

*Infirmæ partes dum laborant, non sunt fricandæ.*

Frictiones tamen partibus infirmis, quo tempore laborant, admouere nõ conuenit. Vbi sanæ sunt, conuenit uel magis quàm alijs, & potissimũ siccas.

*Frictio prohibet dolores per circuitum venientes, si duas vel tres horas ante accessionem adhibita sit.*

Quinetiam qui certa periodo redeunt quibusdam partibus dolores, hi ne fiant, nõ exigua ex eiusmodi frictione cautio est, præcipueq; si duas uel tres horas ante accessionem adhibita sit: firmantur enim eæ partes, & cõsuetas fluxiones minus admittũt. Atq; hæc quidem omnibus ætatibus cõmunia existunt. Non exercitari uerò imbecillis partibus, solis senibus suadeo: ex cæteris, quantò quisque remotior à senio fuerit, tantò illi magis exercitari pars debet.

*Crura gracilia picanda esse, & cursu exercẽda.*

Cæterùm si crura gracilia sortiatur, ea sanè picari, modiceq; fricari, & cursu uti potius quàm alio exercitio conducet. Si igitur nec lassitudo, nec calor præter modum sentiatur, augeri ambulationem & cursum oportet, necnon alternis diebus picari. Sin aliquid eorum cernitur, crura sursum habita in lecto collocare cõueniet, & copiam exercitationis minuere, atque infernè sursum uti frictione. Vbi uerò, his obitis, consecuta fuerint naturalem habitum crura, ad eum quem cœpisti remediorũ usum redibis: adhibitis & rotundis frictionibus, quæ durarum ac mollium sunt mediæ. Aliquando etiam & pingui puluere prius inspersis cruribus, oleũ infundes, & mox fricabis.

*Brachia gracilia & picanda, & omni modo exercenda.*

Si cui uerò crassiora quidem crura sunt, brachia uerò cubitiq; gracilia, huic omnia quæ per manus fiunt exercitia, sunt petenda: fugienda uerò quæ cruribus obeuntur. Frictiones tamen & picationes simili modo fiant.

*Gestatione in quibus vtendũ.*

Porrò qui imbecilliores sunt, hos gestatione potius quàm inambulatione dimouebis: ualidiores utroq; genere exercitabis, agesq; ad secũdam frictionem utrosq;, sed semper imbecilliorẽ citius. Nam ubi imbecillæ sunt uires, crebra exiguaq; frictione utendum: ubi ualidæ, rara multaq;.

*Senibus eadem quæ cõualescentibus expedit victus ratio.*

Scire autẽ licet, senilis statum corporis, quoniam ex leui momento in morbum incidit, simili ratione ijs qui ex morbo cõualescunt, in uictu esse curandum.

*Senes crebrius et parcius cibandos esse.*

Tutius ergo est imbecillo seni exiguum dare ter die, sicuti Antiochus medicus solitus est se cibare, qui circa tertiam uel ad summũ quartam horam, panẽ cum attico melle sumebat. Post sextã autem, iam exercitatus & lotus, prandebat mediocriter, primũ ijs sumptis quę aluum deijciũt: post hæc maximè piscibus, uel quos saxatiles uocant, uel qui in alto mari degunt. Rursus in cœna à piscium usu abstinuit: sumpsit autem aut far cum mulso, aut auẽ ex iure simplici:

*Antiochus qua vsus victus ratione, sensibus & membris omnib. integris ad extremum durarit.*

qua quidem uictus ratione sensibus & membris omnibus integris ad extremũ durauit.

*Vinum vt pueris est aduersissimum, ita quam aptissimum senibus.*

Sciendum autem est, ut pueris uinũ est aduersissimũ, ita esse quamaptissimũ senibus. Esto autẽ id ex his quæ calidioris naturæ existunt, qualia sunt in Græcia quidem Ariusium, & Lesbium, & Mysiũ: ex Italicis uerò Falernũ & Surrentinũ. Proxima his sunt in Italia quidem Tiburtinum & Signinum, ambo uetera: quãdò nouella diu fluitant in uentre. Secundo ab his loco sunt Adrianum & Sabinum, & Albanum, & Gabrianum, & Triphilinũ: præterea omnia Aminæa quæ in Italia nascuntur, & circa Neapolim & in Tuscia.

*Senibus qualia vina sint cõmoda.*

Ergo de his modicę antiquitatis bibendum senibus est, utiq; quibus ualentius caput non est. Quibus autem est, his & Falernum, & Surrentinũ, & Ariusium, & Lesbiũ, & Mysium, & Tmolites, idonea sunt. Huc autem dirigi omne consilium debet, ut uinum ipsum sit substantia tenuissimũ, atq; fuluo colore: quanq̃ pallidum cõmodum etiã existit.

*Vinũ flauũ calidissimũ esse, album vero minime calidum.*

Calidissimũ autem uinum, si colorẽ spectes, est flauum: minimè uerò calidum, album. Quæ media inter hæc sunt, prout alterutri magis accedunt, ita uim eius exhibent.

*Vinũ quæ cõmoda præstet senibus.*

Vnũ igitur illud maximũ senibus cõmodum ex uino accedit, quòd omnia eorum membra calefacit: alterum, quòd per urinas serum sanguinis expurgat. Quæ omnia præstat tenue simul & flauũ uinũ. Quæ uerò ex pallidis aut flauis uinis substantiæ pinguis sunt, hæc & sanguinẽ augent, & corpus nutriũt: quo fit ut ea utilia senibus interdum sint, utiq; quo tempore nec serosam humiditatem in uenis habent, & ali liberalius desiderant.

*Vina incõmoda senibus.*

Cæterùm quæ diu in uentre morantur, ut crassa simul & astringentia uina, eorum sanè nullum aptum est seni. Si quis ergo senum dulci uino uti à balneo uelit, ubi manè comederit, huic optimum Faustianum Falernum fuerit, aut aliquod illi simile. Possunt etiam uinis ijs uti senes, quæ melle condiuntur: maximè ubi suspicio est gignendi calculi in renibus, aut podagræ, articularisue morbi impetus futuri.

*Senes à quibus cibis cauere debeant.*

Verùm quia obstructio à cibis crassum atq; lentum succum gignentibus, difficilior curatu est ea quæ à uinis procedit, ideo cauendum senibus est à mulso alicæ, aut casei, aut ouorum, aut cochlearum, aut bulborũ, aut lentis, aut suillę carnis esu: multoq; magis ne anguillarum, aut ostrearum, aut cartilagineorum, aut thynnorum, aut cetariorum usum frequentent.

*Carnes omni ætati inutiles, sunt ceruina, caprina, & bubula.*

Sed neq; ex carnibus ceruina, caprináue, aut bubula est utilis, nõ modò senibus, sed neq; ulli ætati. Ouilla uerò iuuenibus quidem nõ malus est cibus. Senibus tamẽ, nec ea est cõmoda: atq; hac etiã multò minus agnina. Hœdina uerò senibus nõ

incõmoda est: præterea aues ex quæ extra paludes ac flumina, stagnaq; degunt. Salita autem omnia meliora recentibus sunt. Ergo ante omnia cauendum ab obstruentibus est. Quòd si res cogat aliquando copiosius ijs uti, protinus sumendum medicamen Diacalammthes est, aut etiam diatrion pepereon: aut piper album & redactum in pollinem, cum ipsis cibis ac potione est miscendum. Sed & cepas esitare tunc expediet, alliumq;, si huic assueuerint. Quòd si post obstruentes cibos, ea quę obstructiones aperiãt dederis, atq; ab ijs ipsis soluta aluus sit, utilissimè postridie theriacen propinaueris, sicuti & Ambrosiam, & Athanasiã. Iam illud patère arbitror, panẽ quoq; his exhibendũ, qui nec salem, nec fermentũ, nec subactionẽ, nec iustam coctionem desideret: nõ autẽ aut similaginem, aut quę ex ea fiũt bellaria, cùm nimirũ uiscera obstruãt. Quippe nisi placentis quæ ex butyro & similagine fiunt, mel affatim admixtũ esset, nullus cibus omnibus hominibus, nedum senibus, magis aduersus esset. Panis itaq; quò purior fuerit, eò magis seni aduersatur. Siquidem nisi multũ fermenti & salis receperit, diligentissimeq; sit coctus, obstructiones in iecinore, liene, & renibus facit: maximè quibus in his uisceribus uasorũ exitus angustiores natura sunt: pro quorũ sanè diuersitate contingit etiam, ut alij citra noxam diu lacte nutriantur, alij grauitatẽ in pręcordijs ac maximũ pondus, dum utunt illo, persentiant. Noui autem quendam, cui ex lactis usu dentes omnes perierunt: id quod ea de causa contigit multis alijs. Porrò lactis cõmoda sunt, uentris moderata deiectio, succi bonitas & nutritio: pascuis ipsis quoq; animaliũ, quorum lacte sumus usuri, nõ parum ad hæc conferentibus. Nam si scammonia, aut tithymalorũ quopiã uescantur, constat in lacte etiam laxandi uires inesse. Quare animaliũ quorũ ueluti optimi succi lacte sis usurus, neq; aeria, neq; acuta, neq; admodum austera nutrimenta esse debent. Animal autem ipsum sit ætate florens oportet, habituq; inculpato corporis. Satiusq; fuerit alterum capram, alterũ asinam esse, earũq; lacte uicibus uti. Quippe asinæ lac tenue serosumq; est: capræ, mediocris substantiæ existit. Itaq; hoc nutriet magis, illud omnino tutius est. Nam & si quando solum cum pane sumitur, tum citius subducitur, tum minimè est flatulentũ: sed neq; in uentre cogitur, potissimũ si prius salis aliquid & mellis immiseris. Lac tamẽ nõ omnibus exhibendum est, sed ijs solis, qui id probè concoquant, nec ullum ex eo symptoma in dextra præcordiorũ parte sentiant. Vina autẽ quæ calidiora sunt, & quæ ipsas urinas mouent, ea magis conducunt senibus. Cùm autem senile corpus, quantùm ad ipsas partes attinet, frigidum siccumq; sit: facilè autem serosis & pituitosis excrementis, ob uirium infirmitatem, impleatur, hæc quidem purganda sunt, solidæ autẽ partes calefaciẽdæ simul & humectandæ. Iam quòd moderato motu & somno senes indigeant, satis magna documenta sunt, quò uictus eorum consilium dirigi debeat. Quare si quando propter pituitam aut obstructiones cogimur aliquid ex ijs quæ incidant ac dissecent petere, reuertendũ

*Senib. salita esse meliora recentibus.*

*Senes quibus uti debeãt præsidijs ne in obstructiones incidant.*

*Panis qualis exhibendus senib.*

*Bellaria esse abigenda à senibus*

*Melle corrigo prauitatem placentularum.*

*Panis quo purior fuerit, eò magis seni aduersatur.*

*Lac esse aduersissimum dentibus.*

*Lactis cõmoda.*

*Pascua animalium conferre plurimum ad bonitatẽ lactis, maximè.*

*Asininum lac quale.*

*Caprillum lac.*

*Lac asininum minimè in uentre cogitur.*

*Lac quibus sit exhibendum.*

*Vina senibus quæ conducant.*

*Senile corpus, partibus quidẽ solidis esse siccũ & frigidum. colligere tamen in se pituitosa & serosa excrementa, quæ sunt purganda.*

sine mora ad humectantẽ uictum est: atq; alica ex melle, cui aceti aliquid mistum sit, aut ex mulso, uinóue Falerno exhibenda, aut lacte utendũ, aut ptisana bene cocta, quę piperis pollinem acceperit. Ita uerò & maturi fici, præ cæteris autumnalibus fructibus eligendi sunt, sicuti hyeme caricæ. Panis autẽ præparatus sic uti diximus exhibeatur. Sed urinas quotidie moueri cõuenit, nõ per pharmaca, sed apio, & melle, uinisq; ad id facientibus: necnon aluum soluere, potissimum oleo ante cibum absorpto, atq; oleribus ex oleo garoq; ante cibum assumptis. Quin & ficis, prunis, alijsq; id genus quę æstate autũnoq; uigent, soluit nõnullis aluus. Hyeme uerò tum caricis, tum Damascenis prunis, aut elixis, aut in mulso cui plusculum insit Attici mellis, maceratis. Longè autem ad deijciendam aluũ Damascenis Hispana præstant. Oliuas etiam ex muria præsumere aliquando licet. Aloën uerò (quod multos senum, quibus siccus uẽter est, facere uideo) haudquaquam sumi suaserim, nisi maior aliqua necessitas urgeat. Quòd si biduo astrictus uenter tertio die nõ soluitur, sat eo tempore fuerit mercurialem herbam, & marinam brassicam, & cnicum in ptisana, dedisse. Similiter & terebinthi resinam, nucis ponticæ magnitudine: aliquando duarum triúmue. Quippe non modò aluum soluere citra noxam potest, sed etiã uiscera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonesq; abstergere. †Vicatim autem prædicta exhibere oportet, tum uerò id medicamentũ quod ex caricarum cnicisq;, à pelliculis exutorum tusorumq;, pari mensura constat. Sumere uerò cõuenit duarum triúmue caricarum magnitudinis modum. Cæterũ nullum eorum quæ dicta sunt exhiberi admodum copiose debebit. Siquidem nonnulli in præsens gaudent, si copiosius desederint: uerùm quantò magis sunt uacuati, tantò his uenter sequentibus diebus magis astringitur. Quo fit ut ipse, si qui sunt quibus in diuturnis morbis uenter sistitur (contingit enim id post longum morbum in conualescentia) ijs aluum ducam non acribus per inferna infusis, sed tantũ oleo: id quod sanis similiter utile est. Omnis porrò affectionis corporalis prouidentia, in duobus cõsistit: tiem pe propria eius internoscenda essentia, & materiæ præsidiorum uiribus. Vt statim in proposito nunc senio, qui scienter pernouit senectutem esse siccum & frigidum corporis temperamentum, annorum multitudinis ratione proueniẽs, si quidem quæ humectent pariter & calfaciant præsidiorum materias norit, is idoneus senum medicus fuerit. Quadruplex uerò materiæ genus cùm sit, quæ sumuntur, quæ geruntur, quæ educuntur, quæ foris admouent: utiq; ex singulis eligere oportet, quæ calefacere humectareq; possint. Quod autẽ ad exercitia pertinet, ut iuuenibus ea mutare quę nocent, tentandum est, etiã si à pueris his maximè insueuerint: sic utilius est senibus consueto opere exercitari, uel si modicè noxium sit. Sicuti uerò senum ipsorum inter se non parua differentia est, ita & eorum qui natura sicciore frigidioreq; sunt, si ad mediocrem statum compares, non paruum intemperiei discrimen inuenias. Atq; humectare quidem hos cale-

*Senibus uictus humectans congruit.*

*Ficos maturos congruere senib.*

*Senibus urina et aluus quibus medicamentis atq; cibis mouenda.*

*Damascena pruna.*

*Oliuæ.*

*Aloes usum improbat Galenus in senibus.*

*Ventrem soluentia tuta.*

*Terebinthinam soluere aluũ abstergereq; uiscera.*

*† [illegible]*

*Medicamen ex caricis & cnico, aluo soluenda cõmodum.*

*Ventrem tantò magis astringi sequenti tempore, quò magis fuerit uacuatus.*

*Clysmos ex solo oleo ad deijciendam aluum commodissimos esse.*

*Affectuũ corporis prouidentia in propria eius internoscẽda essentia, & uirib. præsidiorum cõsistit.*

*Senium quid.*

*Materia remediorum quadruplex genus.*

*Senibus deligenda quæ humectent, & calfaciant.*

*Senes exercendi consueto opere, uel si modicè noxium sit.*

calefacereq; cõueniet: audacius tamen eos, qui per ætatem maiori exercitio ferundo sunt. Conducit autem ad certiorẽ affectuũ notitiam, cùm ætatis consuetudinisq;, tum causarum quas procatarcticas uocant, consideratio.

*Affectu cognito, facilè inueniri remedia.*

*Contraria contrarijs auxilia esse.*

Qui uerò affectum exactè norit, facilè adinueniet remedia, cùm contraria contrarijs auxilio sint. Malè itaq; affecto corpori, semper contraria: optimè se habenti, uiribus similia exhibeantur.

*Sana esse conseruanda similibus.*

*Intemperies quæ intra sanitatis fines consistunt, per ociũ quidem contraria postulant: per labores autem, similia.*

Quinetiam intemperies ipsas, quæcunq; adhuc intra sanitatis fines subsistunt, si corrigere studebis, contraria quodammodo uictus ratione curabis: quod tamen per multum fit ocium. Nam si in negocio sint, similibus utêris, potissimum cùm ira fuerint corpora assueta. Atq; hactenus malè affecto corpori contraria exhibebimus, quoad pristinum statum sit consecutum.

*Similibus maiori ex parte morbis tentamur.*

Cæterùm ea uictus ratio quę intemperies corrigit, longius plerunq; procedit, propterea quòd similibus maiori ex parte morbis tentamur.

*Intemperatum quoduis facilius ad propriã naturã redit, quã ad temperamentum optimum.*

Facilius itaq; quicquid intemperatũ est, ad propriam naturã redit, quàm ad optimũ temperamentũ accedat. Quippe id cùm in medio omnis intemperantiæ sit, quisquis conueniente naturæ suæ morbo laborat, ab eo longius abest: qui dissimili, minus.

*Assuetudines mutandas non esse.*

Ergo nec assuetudines ipsæ, tametsi paruæ sint, displicentibus adhuc sibi corporibus, sunt mutandæ. Cùm autem cõtrarij inter se multorũ hominum corporis status sint, certè mirandum non est, nõnullos utilitatem ex contrarijs percipere.

*Speciem vitæ vnam, non posse omnibus accõmodari.*

Ac proinde sicuti fieri non potest, ut unum calopodium ad omnes homines sutor accõmodet, ita nec medicus unam omnibus uitæ speciẽ quæ conducat, potest accõmodare. Nonnullos siquidem noui, qui si triduo se ab exercitatione abstinerent, protinus ægrotabant: alios in perpetua quiete degentes, tamen secundam tueri ualetudinem: atq; horum ipsorũ alios minimè lauare: alios nisi lauissent, ilicò febricitare: sicuti Premigenem Mitylenæum, cui nimirum ob excrementa fumida sub cute collecta cohibitaq;, febris excitabatur.

*Balneũ quibus sit vtilissimum.*

Quare naturis eiusmodi balneum est utilissimũ, nõ modò quòd fumidum euocet, sed etiam quòd humectet, idq; dulci humore.

*Ratio inuenit.*

*Experiẽtia fidẽ inuentorũ comprobat.*

Facillimè igitur id q̃d quæritur, ratiocinatio inuenit: fidem uerò eius experientia cõprobat.

*Labor in quib. debeat cibos præcedere.*

Porrò ubi Hippocrates ait, labores debere ipsos cibos præcedere: illic agit de ordine exercitationis & cibi, nequaquam illud affirmans, quòd omnibus hominibus hæc ambo cõducant, sed quòd ijs quibus exercitari expedit, præcedere exercitatio ipsos cibos debeat: cùm nimirũ in lib. de morbis uulgò grassantibus, calidis naturis quiescendũ esse suadeat, hoc est, à uehemẽti motione cauendum:

*Calidis naturis quiescẽdum esse.*

*Desidia neminẽ iuuit vnquam.*

quandoquidem ex ipsa in totũ desidia, nemo unquã adiutus est.

*Balneũ quibus salubre.*

Quibus itaq; mordax calor à natura est, adeò ut fumida gignat excrementa, ijs balneũ salubre est, tum motus qui exiguus & lentus sit: multus autem & celer, aduersissimus est. Quare istis nõ semel modò, uerumetiam bis lauari die conducit, potissimũ æstate. Esse quoq; boni succi nutrimentũ, in quo nihil sit acre.

*Calore mordaci præditis quæ aduersentur.*

In sole autẽ uersari, & irasci, & multũ cogitare, his inimica sunt.

*Naturis frigidis ac humidis, quæ cõueniant.*

Qui diuersæ ab his naturæ sunt (hi autẽ sunt frigido & humido temperamento) ualentiores motus desiderãt, ac uictũ in quo superet quod tenuem succũ faciat. Hi uerò, nec si in sole exercites, lædunt: nec etiam si balneo abstineant.

*Senescẽtia celeriter corpora quæ.*

Porrò senescũt celeriter, quæ corpora frigida & sicca sunt. At humidum & calidũ temperamentũ est fluxionũ uitijs obnoxiũ.

*Intemperatæ naturæ dũ sunt in ocio, corrigendæ contrarijs: vt seruãdæ similibus, dum sibi vacare nõ possunt.*

Iam uerò om̃es intemperatas naturas corrigere quidem contrarijs oportet, dum planè in ocio sunt: seruare autẽ similibus, dum per negocia uacare sibi nõ possunt. Cæterũ plus laborandũ est propter humiditatẽ corporis: præceleri motu non utendũ, propter calorẽ. Ad hæc, cùm ex segniore uitæ ratione ad exercitationes & balnea se transferũt, ilicò fluxionũ tentantur morbis, nisi prius sint uacuati, quàm exercitationes adeant:

*Sanguinis detractione, aut purgatione, quibus usui prospiciendum sit ineunte vere.*

quare anteuertere per ueris initiũ sanguinis detractione oportet, aut per incisam uenã, aut scarificatis malleolis. Quòd si ita inaniri recusent, purgandi medicamento sunt, non simplicis facultatis, sed quod trahere flauam bilem, & pituitam, & serosa excrementa possit.

*Vinũ frigidis & siccis naturis esse vtilissimum.*

Vinum autem frigidis & siccis naturis utilissimũ esse prius dictum est: circuncidendũ uerò ijs est, qui summè calidi propter intemperiẽ existunt.

*Vinum mediocre, mediocri naturæ dandum.*

Nam qui media temperie sunt, utiq; plurimus ijs fuerit naturalis calor: ac tali quidem naturæ mediocre dandum est uinum, sicuti ipsa quoq; mediocris est.

*Calidi temperamenti differẽtia triplex.*

Sed cùm triplex genere sit calidi temperamenti differentia: una, in qua reliqua cõtrarietas (nempe quæ in humido & sicco cõsistit) mediam temperiem seruat: altera, in qua siccitas subsultat: & tertia, in qua unà cum calido etiã redundat humidum:

*Calido temperamento absq; excessu humoris et siccitatis, quantum vini offerendum sit.*

ei quidem quam primo loco diximus, tantùm albi, tenuis, atque diluti uini offeremus, quantũ ipsa à summa intemperie recessit. Reliquarũ autẽ differentiarũ neutri, cùm summæ caliditates existant. At quod calidissimum uinum est, id frigidissimis intemperantijs est utile: reliquis autem quod portione respondet. Hæc uerò dicta mihi de ijs sunt, qui mediam senectutis ætatem agunt.

## GALENI PERGAMENI
### de sanitate tuenda lib. VI.

CVm autem anterioribus quinq; libris, quo pacto quis eum qui optimo corporis sit statu, ab omniq; ciuili negocio immunis, propriæ tantũ ualetudini indulget, à prima ineunte ætate ad ultimam usq; senectutem in sanitate custodiat, iam abundè docuerimus: nunc sanè ad eos ueniemus, quibus per negocia esse, bibere, atque exerceri debito tempore haud licet: præterea ad eos, qui statim ab ortu sunt ualetudinarium corporis statum sortiti.

*Vitiosos status corporũ esse duplices genere.*

Vitiosi autem corporũ status, genere duplices sunt. Alij siquidem uniuersas similares particulas similiter habent intẽperatas: alij uerò dissimiliter, inæqualiterq;. Quinetiam instrumentaliũ partium compositione, quædam æqualiter, quædam inæqualiter conditæ sunt. At primũ quidem dicam hic quoq;, qui status corporum sint maximè ualetudinarij: sicuti & prius, qui maximè sanus esset, ostendi.

*Vnum vbiq; esse, quod optimũ est.*

Verũ is unicus erat. Etenim in omnium rerum genere, quod optimum est, id unum est.

*Vitiosa esse plurima.*

Vitiosa uerò plurima sunt. Eorum autē quæ per omnes partes similem habent intemperantiam, maximè improbanda sunt, quæ ualidas habent ipsas intemperantias, ac potissimum frigidas simul & siccas. At eorū quibus inæqualiter se habent corporis partes, illa quidem maximè morbis patent, quorū principes maximè partes contrarijs temperamētis affectæ sunt. Minus obnoxiæ ualetudini sunt, quibus ignobiliores partes ita se habent. Afficiūtur autem interdum partes per consensum aliarum, atq; consortij lege. Primùm ergo de ijs uerba faciā, qui æquali sunt intemperie, idq; ab ijs qui præcalidi sunt, auspicatus.

*Intemperiem unam per se diu durare nō posse.*

Dictū autē alibi à nobis est, nō posse diu intemperiem unā solam per se durare: quādò ipsa sibijpsi alteram ex necessitate asciscit.

*Temperiem optimam soli adolescētiæ accedere.*

Sciendum etiam est, temperiem optimā corpori in adolescentia accedere: reliquas autē ætates, hac deteriores existere: necnō corporales quidem actiones, præcipuas adesse pueris: animales autem, ei ætati, quę à pueritia ad remissionē usq; succedit.

*Actiones corporeas adesse præcipuas pueris, ut animales, prouectioribus, usque ad declinationem.*

*Aetates circumscribi numero annorū nō posse.*

Nec tamen est has ætates annorū numero circūscribere, nisi fortè in latitudine quadam. Pubescere quippe incipiunt aliqui, ubi expleuerunt quartumdecimū annum. Quidam uno pòst anno, aut etiam amplius. Initium præterea remissionis nōnulli habent statim à trigesimo anno: nonnulli post quintū & trigesimū.

*Robur imminui omnibus post uigentem ætatem.*

Ac robur quidem omnibus minuitur, post ipsam summi uigoris ætatem: nō tamen hi sanitatem amittunt, tametsi minus hanc quàm antea laudabilem habeant.

*Sanitatis latitudo est ampla.*

Nam cùm latitudo sanitatis sit ampla, nō solùm usque ad initium senectutis, uerumetiam in ipsa senectute tota (quæ quibusdam naturalis esse morbus uidetur) sani dicuntur homines, sanitate senectuti congruente: quæ tamen, sanitas absolutè non est, cùm actiones in senibus nō sint perinde ualidæ & firmæ, ut in ijs qui ætate florescunt.

*Sanitas senum non est sanitas absolutè.*

Quare horum sanitas, propter ipsam actionum uirtutem integra est, & de qua queri non possit: senum sanitas, querimonijs nō uacat. Quamuis enim omnes actiones habet, nullam tamē ualidam possidet.

*Corpora ab initio pessimè constituta, non peruenire ad senectam: aut aliquo semper morbo teneri.*

Porrò corpora quæ à prima statim genitura pronum ad morbos statum sortita sunt, ea sanè ad senectutem nunquā perueniunt: aut si quando peruenerint, uno saltem diutino morbo penitus laborant. Qui autē salubrem uiuendi rationem ignorant, credibile etiam est, hos citius quàm pro naturæ ratione interire.

Sed iam ad illos conuertamus sermonem, qui æqualiter per omnes partes, calidius sunt sortiti temperamentū: cæterùm in humiditate & siccitate se habent modicè.

*Calidiori absq; excessu humiditatis aut siccitatis temperamento quæ adsint.*

Ac talis quidē corporis natura, ab initio statim magis apparet sana, quàm quæ in utraq; oppositione est uitiosa. Citius quippe edet dentes, & citius articulatam uocem, ingredieturq; citius, & singulis annis ad portionem increscet. Postea uerò q̃ adolescentiæ annos compleuerit, exinde ad remissionem usq; manifestè apparebit calidior, ita ut tum morbis, tum symptomatis quę à bile oriuntur, facilè sit obnoxia. Multus nanq; calor dum humorem absumit, siccius reddit temperamentum. At cùm florens iam ætas item calida sit, nimirum composita eorum temperies, calida simul & sicca erit.

*Bilem abundare in calidis & siccis temperamentis.*

In talibus autem temperamentis, bilis abundare tum pallida, tum flaua solet. Sunt uerò, qui hac natura sunt, ad ætatem usque adolescentiæ, similiter educandi ijs, qui optimæ sunt naturæ.

*Bilis purgatio quomodo sit molienda.*

Si igitur bilis ipsa uentrem superiorem petat, per uomitum expellenda est, post exercitationes aqua tepida propinata: nam uino tunc utendum nō est, nisi difficulter uomant ex aqua. Quippe eiusmodi quædam naturæ sunt, quibus utiq; uinum dulce, ubi aquam præbiberint, est concedendū. Præterea etiam magis, ubi temperamentum eorum ab initio calidius sicciusq; fuit, uomitio petenda est.

*Calido & sicco temperamēto præditi, tardis mollibusq; exercitijs sunt exercendi.*

Quin & exercitari his utilius est, non acutis exercitationibus & præuegetis, sed potius tardis, & mollibus. Sunt enim om̃es qui hoc statu sunt, graciliores. Acutæ autem exercitationes extenuant: lentæ implent corpus. Sunt uerò ex ijs qui impensè calido temperamento sunt, & qui exercitari prorsus nō debeant: sed abundè his satisfaciāt inambulatio, balneū, & mollis ex oleo frictio.

*Macilenti quali uictus ratione pinguescere soleant.*

Quos etiam iuuat à cibis balneum, nisi in dextra præcordiorū parte dolorem, tensionémue aut grauitatem sentiant. Etenim quidam eorum incredibile est, quàm etiam obesi sint redditi ex tali uictus ratione. Antiquū autem uinum inimicū ijs est: album uerò & tenue, idoneum. At si quando eorū quæ dixi aliquod circa dextra præcordia sentiatur, ilicò dandum aliquid est eorū quæ iecur obstructū liberent, abstinendūq; ab ijs cibis, qui crassum efficiūt succum: idq; donec affectus sese remiserit.

*Obstructioni uiscerum opitulari absinthium, anisum, amaras amygdalas, & medicamen diacalaminthes.*

Vtile sanè fuerit & liquorē in quo macerata sit absinthij coma, offerre: præterea q̃d tum ex ea, tum ex aniso & amaris amygdalis cōficitur: quod etiam bibere ex oxymelite præstat in eo tempore, quod inter surgendum à somno, lauandumq; interuenit. Non inutile est & medicamentum diacalaminthes, ex oxymelite: cuius tamen assiduum usum cauere oportet in biliosis temperamentis. Porrò alimēti species, si quis horum temperamentū uertere in melius studet, cōtraria esse intemperantiæ debet.

*Occupati negocijs, non debent temperamentum mutare.*

Cæterū qui uersatur in rebus ciuilibus, & multis negocijs distringitur, huic tutius est, ut nec tentet suum temperamentum mutare, sed similia sibi nutrimenta assumat.

*Nutritio fit, cùm nutriēs cibus alendo corpori assimilatur.*

Nutritio siquidem fit, cùm is qui nutrit cibus, corpori quod alit, assimilatur. Citius autem assimilantur sicca siccis, & humida humidis. Quibus uerò æquale temperamentū est, ijs quātò iucundius fuerit quod edunt, tantò utiq; fit magis nutriens. At qui inæqualē temperiem sortiti sunt, ijs diuersum est, quod assumptu iucundum est, ab eo quod cuiq; est particulæ idoneum.

*Cōueniens cuiq; dupliciter dici: aut secūdùm qualitates, aut secūdùm totam substantiam.*

Duplex autē est, idipsum quod cuiq; cōueniens dicit. Aliud quippe secundū simplices qualitates, aliud secundū totam substantiā esse cōueniens dicitur. Atq; illo quidem utimur, dum aut mutare intemperiem per ociū uolumus, aut seruare, propter negocia. Hoc autē quod tota substantia maximè idoneū est, sola experiētia discernitur, habetq; uim non uulgarem, ad mutationē alimentorum in substantiā animalis nutriendi, totius substantiæ conuenientia.

*Temperamenta esse seruanda similibus, ut alteranda cōtrarijs.*

Fiunt autem & qualitatibus cōuenientiæ, utiq; si seruare temperamentum studes: humidis naturis humectante

cibo

cibo maximè quadrante: siccis uerò eo qui siccet: sin alterare placet, contrarijs.

*Calidis, frigidisue intemperantijs, cur semper contraria exhibenda.*

In eo uerò qui est in calido frigidóue ad intemperãtiam lapsu, contraria dare semper expedit: cùm efficaciores quàm quæ ex siccitate & humiditate consistunt, eiusmodi intemperies sint, facileq; similibus nutrimentis in morbosam intemperantiã abeant. At si siccius quoduis membrũ efficias, nihil manifestè lædes. Pari modo nec si humidiori suam serues humiditatem. Euidenti uerò argumento tibi ætates sint. Quę enim à prima genitura, adolescentiam usq; habentur, humidissima ijs caro est.

*Seniles partes esse admodum siccas, licet mediæ capacitates superflua humiditate redundent.*

At senili ætati, tum caro, tum cæteræ partes admodum siccæ sunt, licet mediæ capacitates superflua humiditate impleantur. Corpus itaq; iusto calidius, si quidem in prima constitutione medium siccitatis humiditatisq; habitum obtinuerit, omnino id in incrementi statu siccius efficitur: idq; tum magis, tum celerius, si etiam natura erat siccius. Sed & senescet idem citius, quantò utiq; ad summum incrementum peruenit citius.

*Calido & sicco temperamẽto qualis victus ratio conueniat.*

Hi ergo in præcipui uigoris ætate potissimum humidam uictus rationem postulant: quę humectantibus cibis & balneis, tum exercitationum, quæ præualidæ & multæ sint, abstinentia, perficitur. Prodest his & frigidæ potio.

*Venus siccis temperamentis inimicissima est.*

At Venus siccis temperamentis inimicissima est. Vitandæ quãmaximè his sunt exustiones, & lassitudines, & solicitudines, & uigiliæ, & motus omnis celer.

*Iracundia vis.*

Iracundia uerò, cùm biliosas naturas maximè accendat, acutas febres parit. Eatenus autẽ intendere, remitteréue speciem uictus oportet, quatenus supra naturalem habitum aucta diminutáue sunt temperamenti elementa. Ac mutatur quidem temperamentũ contraria uictus ratione: custoditur simili.

*Calidiores humidioresq; natura in puerili ætate, fluxionum, putredinisq; morbis tentantur.*

Sanè calidiores humidioresq; naturæ in puerili ætate, fluxionum, putredinis, & redundantiæ morbis tentantur maximè. Quo magis & pluribus exercitationibus, & exacta uentris concoctione indigent. Itaque & ante cibũ bis terq; hi si lauent, & calidis sponte ortis utantur, maximum inde cõmodum sentient. Quippe huc dirigitur in his consilium, ut ipsas animalis particulas seruemus humidas. Quæ res omnis temperamenti cõmunis est, si modò contraria ratio omnium animantiũ corpora citius ad senectutem perducit, ipsaq; est, cuius culpa omne genitũ corpus mortale sit.

*Corruptionis necessitas vnde accidat nobis.*

Nam cùm non liceat corpori effugere progressum ad siccitatem, idcirco senescere nobis, corrumpiq; est necesse. Erit tamen id maximè diuturnum, quicquid erit minimè siccatum.

*Longæuos maximè esse, qui maximè existũt humidi.*

Ac proinde qui maximè humidi sunt, ij maximè sunt longæui, & sanitate, ubi corpus ad robur peruenit, plus cæteris fruuntur: & reliquis qui parem ætatem agunt, ualentiores ad extremum usque senium persistunt.

*Humidum tẽperamẽtũ in principio deterius esse, postea verò reliquis melius euadere.*

Nam tametsi humidũ temperamentum in principio deterius sit, tempore tamen reliquis præstantius euadit. Quo magis qui tuendæ huius corporis sanitati præficitur, excretioni omnium recrementorum oportet maximam operam nauet, tum balneis ante cibũ plurimis, tum exercitatione, tum apophlegmanismis & purgationibus: sed ante omnia cibis boni succi, necnon uini potione, quod urinas promoueat.

*Frigidorum temperamentorum differentia tres.*

At frigidorũ temperamentorũ tres summæ differentiæ existunt. Nam aut modicè se habent in altera oppositiõe: aut altera qualitas in his exuperat, utique uel siccitas, uel humiditas.

*Sicca temperies cur pessima existat.*

Pessima tamen meritò sicca tẽperatura est: quippe quòd temporis spacio senescentibus accidit, id ijs statim à principio contingit.

*Sicco frigidóque temperamento præditi, qua ratione calfaciendi simul & humectandi.*

Ergo istos humectare calefacereq; oportebit: quod fiet exercitatione modica, & nutrimento humectante, & calido: præterea calidi uini potione, & somno liberaliore: illud interim prouidentibus nobis, ut quotidie excrementa omnia expellantur.

*Venus aduersatur temperamẽtis siccis & frigidis.*

Venerem autem aduersissimam esse temperamentis siccis, iam diximus. Quare aduersari eam ijs qui præter siccitatem sunt quoq; frigidi, etiam uerisimile est.

*Venus quib. innoxia.*

Nam innoxia venus ijs tantùm est, qui calidi sunt & humidi, tum uerò qui genitura naturaliter abundant. Malum uerò & illud frigidum temperamentũ est, quod cum humiditate coniungitur: maximeq; est id fluxionũ morbis obiectum.

*Humido & frigido temperamento, qua sit occurrendũ victus ratione.*

Succurritur huic & balnei abstinentia, & exercitio, & tenuiori uictu, & unctionibus quæ modicè calefaciant. At qui frigidi natura sunt, cæterùm in sicci humidiq; temperatura se modicè habent, minus ij uel ad sanitatẽ, uel ad corporis robur sunt inepti, quàm qui sunt in illis intemperati. Horum igitur excitare, firmareq; calorem expedit: in humiditatis uerò siccitatisq; specie, tota uictus ratio sit media. Nunc autem de ijs dicamus, quibus corporis status est inculpatus, uiuunt tamen uitam seruilem, aut negocijs implicitam: sed ita, ut ad extremum diei liberè possint sibi uacare.

*Salubris corporis constitutio, vt sanitas, etiã latitudinem habet.*

Salubris & inculpatus corporis status, in latitudine intelligi debet, sicuti & ipsa sanitas. Cùm autem ad extremum diei dico, distinguendum est: circáne solstitium æstiuum, hybernũ'ue, an circa æquinoctia, dies ipsa sit æstimanda.

*Dies maximi & minimi quot sint horarũ Romæ, & in magna Alexãdria.*

Romæ siquidem maximi dies ac noctes paulò maiores quindecim æquinoctialibus horis sunt: cõtrà minimi, paulò intra nouẽ. In magna uerò Alexandria, maximus dies quatuordecim horarũ est, minimus decẽ. Ergo qui in breuissimis diebus & longissimis noctibus à ministerio sole occidente redit, huic fricari per ocium, & lauari, & modicè dormire licet. Nemo autem tam infelici est sorte, qui in maximis, & etiam in minimis diebus, non possit aliquid mediocriter agere. Cæterũ qui exercitationi nõ assueuerunt, sed citra frictionẽ protinus perfusi oleo cõsueuerũt lauari, satis per se transpirabiles, ita ut neq; assiduè, nec longo tempore ægrotẽt, ij ad aliã consuetudinẽ transferendi nõ sunt: sicuti neq; ulli alij, nisi qui iam longo tempore ægrotant. Aegrotare autem solent, aut redundantia, aut succi uitio. At si quidẽ redundantię uitijs ægrotent, succi ad cõuenientem modum sunt reuocandi. Sin succorum uitio, ad meliorem frugem ij reducanẽ oportet.

*Redundantiæ morbi quãdo soleant oriri.*

Vbi igitur q̃d exhalat à corpore, minus est ijs quæ accepit, redundantiæ oriri morbi solẽt. Quare prospiciendũ est, ut eorum quæ eduntur & bibunẽ, respectu eorũ quæ expelluntur, seruetur conueniens mediocritas. Seruabitur sanè is modus, si ponderetur à nobis in utrisq; quantitas. Detrahimus porrò de nutrimenti uel quantitate, uel qualitate, uel etiam

utraq;. Ac quemadmodũ de quãtitate dematur, notum eſt. De qualitate demitur, cùm unius maximè alentis cibi loco, alius exigui nutrimẽti apponitur. Qui igitur celeriter notabilem abundantiam aceruant, ijs de utraq;: qui nõ celeriter, aut nõ notabilem, ijs de altera demptum eſſe ſat fuerit, utra uidelicet homo ipſe potius uoluerit.

*Nutrimenti quãdo minuenda quãtitas, aut mutãda qualitas, aut utrunq; faciendum ſit.*

Qui uerò uitioſos congerunt ſuccos, ij non perinde ut qui redundantiam cogunt, uni tantùm rei ſunt intenti: quandoquidem neq; unica eſt uitioſi ſucci ſpecies. Cuiq; tamen horum ab ijs cibis potionibusq; abſtinendum eſt, qui eum quẽ ipſi congeſſerunt uitioſum ſuccũ facilè gignant. Ac ſanè omnibus his cõmune auxiliũ eſt alui deiectio, ſicuti & ueneris cõueniens mediocritas.

*Alui deiectio quibus ſit auxilium cõmune.*

Nam quibus inculpata corporis conſtitutio eſt, nõ debent ij, ueluti ſiccis ſuprà præceptum eſt, à uenere omnino abſtinere. An uerò ſemel in die, an bis, ſit ijs qui eiuſmodi uitã agunt, comediſſe ex uſu, cùm ex corporis ipſorũ natura, tum ex cõſuetudine, atque adeo tolerantia ad ipſius cõſuetudinis mutationẽ, indicationes petendæ ſunt. Et eorũ quidem quibus bilioſus uenter eſt, primi ſemper ciborũ ac potionũ ſint, qui aluũ deijciãt. Nempe ex uinis dulcia, & quæ mollire uentrem poſsint. Ex cibis olera cũ oleo & garo.

*Nutrimẽta uentrem ſoluentia, quib. ante alios cibos ſint ingerenda.*

Vitanda uerò ex uinis ſunt auſtera: ex cibis, qui aſtringũt: niſi ſi firmandi oris uentris gratia, poſt totã comeſtionem exhibeantur. Siquidem aſtringentiũ uſus, in ijs qui imbecillius os uentris obtinent, nõ ſolùm aluum non cõprimit, ſed etiam ad deijciendam illam conducit.

*Aſtringentium uſus in ijs qui os uentriculi imbecillum poſsidẽt, ad aluum deijciendã conducit.*

Quicũq; uerò palæſtræ exercitijs ante balneum ſunt uſi, priuſquàm diſtrictæ negocijs uitæ ſe addicerent, ijs ut ab ipſis abſtinuiſſe eſt incõmodiſsimum, ita ut ſimiliter utantur, præter incõmodum etiam fieri non poteſt. Ergo apotherapia iſtis utendum cenſeo: & ſimul de ſuillæ carnis modo nõnihil demendũ.

*Apotherapia uſus quibus conueniat.*

Quibus autẽ ante balneũ aliquid eſitaſſe eſt melius, ſi quidem in die (gratia exempli) tredecim horarum æquinoctialium, circa horam decimã curaturi ſint corpus, ij hora quarta ſolum panẽ aſſumãt, id quod ipſe ſum ſolitus facere. Modus autem eius ſit is, qui decima hora poſsit eſſe cõcoctus. Sed nec poſt aſſumptũ ipſum bibendum eſt. Eorum porrò qui repleti cibo ſe exercent, nõnullis caput repletur uaporibus, & in iecinore aut põderis, aut diſtentionis, aut utriuſq; ſenſus percipitur.

*Exercitia poſt crapulam, quæ mala ſoleãt producere.*

Si igitur caput repletũ ſit, ſuccurrendum ambulationibus eſt, ſed potiſsimũ ante cibum. Nihil tamen uetat quin & poſt cibũ. Cæterùm has q̃maximè lentas eſſe oportet, illas his celeriores.

*Capiti pleno ſuccurrendũ ambulationibus.*

Si iecur obſtructum ſit, ijs quæ in uijs eius liærentia expediant. At quæ obſtructos hepatis meatus aperiunt, eadem tarditati concoctionis conducunt. Horum optima ſunt oxymeli, & diatrion pepereon, quod nihil nõ familiare receperit: ad hæc extenuatorius uictus.

*Obſtructionis remedia etiam ad cõcoctionem facere.*

*Oxymeli.*

*Diatrion pepereon.*

Vbi uerò corruptio ciborũ in uentre accidit, quibus id quod corrumpitur, per aluum deſcendit, ijs maximum id compendiũ ad ſanitatem eſt. Quibus autem nõ deſcendit, ij prouocandi ijs ſunt, quæ deijciunt leuiter: cuiuſmodi ſunt dioſpoliticon, utiq; cùm pari cum reliquis pondere nitrum immixtum habet: & quod ex ficis & cnico componitur, aliaq; quæ ex cnico uel epithymo conficiuntur.

*Deijcere aluum leuiter Dioſpoliticum medicamen, & quæ ex ficu, & cnico, & epithymo cõſtãt.*

Porrò ijs qui ſic ſunt affecti, etiam uomitus ante cibum ex uini dulcis potione conducit: necnon alui ſubductio, ex conuenienti interuallo, medicamine dialoës (quod amarum uocant) exhibito.

*Vomitus ante cibum quibus conducat.*

*Dialoës.*

Nam ſi longo tempore uitioſum ſuccum augeri ſinas, grauis quiſpiam ipſis incidet morbus. Conſulendum uerò his eſt, ne quid fumidum, aut malè olens, aut facilè corruptibile nutrimentum accipiant, ſed qui boni ſucci ſunt potius eligant. Ars quippe quæ ſanitatẽ tuetur, ijs qui ſibi paruerint, firmiſsimam ſanitatẽ promittit: qui uerò aut uoluptate, aut ambitione uicti, parere recuſant, ijs perinde eſt, ac ſi omnino nõ eſſet.

*Ars ſanitatis tuendæ, ijs qui ſibi paruerint, firmiſsimam ſanitatẽ promittit.*

Iam uerò, ijs qui nimis graciles ſunt (ſolet enim accidere nõnullis gracilitas ob frigidã & ſiccam intemperantiam: nonnullis propter digerentis in corpus, uel nutrientis, uel ambarum facultatũ naturalem imbecillitatẽ) illitio ex pice cõducit maximè. Dein unguentum illud q̃d dropax dicit. Prodeſt tamẽ ſi ante balneũ manu mediocriter molli corpus perfrices, quoad luborẽ contrahat: deinde dura frictione, non multa, cutem cogens, denſam eam duramq; efficias.

*Gracilitas unde.*

*Gracilitatis remedia.*

Ab his, ſi mediocri exercitatione uſum, ac lotum, citra longam tamen in ſolio moram, hominẽ abſtergas, moxq; ungas oleo exiguo, & cibum offeras. Quippe ſtudium in his eſt, ubi bonum ſanguinẽ in corporis molem attraxeris, ut tum nutricem uim firmes, tum ne quod attractũ eſt exhalet, proſpicias. Ac firmatur quidem nutriendi uis excitato in carnibus calore. Non exhalabit qui in has ſanguis attractus eſt, ſi oleo unxeris: utpote quod emplaſtici medicamẽti uim habet.

*Nutriendi uis qua ratione firmetur.*

*Olei inunctio prohibet exhalationẽ ſuccorũ.*

Quòd ſi ætas non reclamet, etiam ſi frigida lauatione unà cum prædictis utatur, magno fruetur cõmodo. Contrà uerò in ijs qui immodicè ſunt obeſi, minuenda digeſtio eſt, augenda uerò corporis exhalatio. Minuetur porrò digeſtio, aſsidua uentris deiectione. Corporis autem exhalatio inaugebitur celeri exercitatione. cuius generis curſus eſt: præterea unguentis ijs quæ euaporandi uim habent, fricando q̃plurimũ. Frictio tamen ipſa eſſe mollis debet, ac quę laxum corpus efficiat. Qua ratione præpinguẽ quendam paruo tempore ad mediocritatẽ carnis reduxi.

*Obeſis eſſe cibò digeſtionem minuendã, augendam autem exhalationem.*

*Exhalationem molientia.*

Sed & alias quæ totum occupant corpus intemperantias, ſimili methodo corrigere conuenit: primùm, eorum quæ agi expediet, inuento ſcopo: mox materijs quæ ipſa præſtare queant. At iam ad inæquales corporis ſtatus accingor. Sanè inæquales ſtatus trifariam fiunt, prout compoſitio corporis noſtri eſt triplex. Vna ex primis elementis, ex quibus conſtant ſimilares particulæ. Secunda ex ijs ipſis ſimilaribus, ex quibus inſtrumentalium compoſitio conſiſtit. Tertia ab his, compoſitio totius corporis ex ipſis inſtrumentalibus.

*Inæquales ſtatus trifariam fieri.*

*Conſtitutio corporis triplex.*

Ac facillima quidem, tum ad diſcernendum, tum ad curandum, tertia eſt: difficilior ſecunda: maximè lubrica eſt prima. Cõmodius ergo à tertia incipitur. Quare exordiamur diſputationem à capite, quod intemperatæ naturæ ſit, adeò ut multa excremẽta gignat, unde lædi ſubiecta membra cõtingat, in quodcũq; excrementa decubuerint. Ac promptiſsimè quidem in os

& nares

*Capitis excrementa in quas partes ſoleãt decumbere.*

*Larynx inſtrumentum eſt uocis: qui ſi recipiat fluxionem, illam poteſt adimere.*

& nares excrementa impetũ faciũt. Decidunt uerò & in oculos: nõnullis etiam in aures. Sed excrementi in os decurſum, tum gula excipit, tum aſpera arteria, cuius ſumma pars ori coniuncta, quæ larynx dicit̃, inſtrumentũ eſt uocis. Ergo is larynx ab ijs quæ capite decidunt madefactus, principiò quidem raucã uocem facit: procedente uerò tempore paruam. Si uerò longius etiam procedit malum, totam adimit: quippe cum larynge, arteria quoq; ipſa unà humectat̃. Quòd ſi acris fluxio ſit, nõ ſolùm ad uocem ineptę prædictæ partes fiunt, ſed etiam grauiſsima eis eroſio accedit, qua & pulmo ſimul exulceratur, qui morbus tabes dicitur.

*Tabes unde gignatur.*

*Calida in uentriculum fluxio quid moliatur.*

*Frigida in uentriculum fluxio quid faciat.*

At ſi in gulam & uentrem feratur fluxio, quæ quidem frigida eſt, in frigidã intemperiem corpora mutat. quæ calida, in calidam. Hæc uerò etiam ſpacio exulcerat. Verũ inter initia appetentiã & concoctionẽ proſternit. At frigida quidem fluxio tarditatem concoctionis & cruditatẽ, & acidos ructus creat. Quòd ſi etiam corrupta ſit, alimentũ quoq; uertit in corruptelam. Si uerò inferius ſe noxa recipiat, & ieiunum, & colon inteſtinũ affligit, tangitq; uaſa quæ in meſenterio ſunt, per quæ fit in iecur cibi digeſtio. Ac nõnullos quidem faſtidium ciborũ excipit: alios appetentia canina, aut etiam uitioſi cibi cupiditas, qualis eſt citta affectus in grauidis.

*Citta.*

Nec latet uuam quoq;, & pariſthmia, & parulides, & antiades, & eroſiones dentium, & ulcera, & in ore putredines, hanc ſaniem quæ à capite in ipſa decidit, cõſequi.

*Capiti proſpiciendũ eſſe, priuſquàm ad curandos morbos à defluxu humorum ex ipſo ortos, nos cõuertamus.*

Satius autem in his omnibus eſt, ipſum mali ceu fontem prius tollere, caput firmando, quàm ad eorũ curationẽ nos conuertamus. Aut ſi id præ magnitudine naturalis intemperantiæ non licet, ſaltem illi proſpicere, ab ipſa ſcilicet uitij ſpecie, prouidentiæ indicatione ſemper accepta.

*Capiti laborante intemperie calida, frequenti balneo dulcis aquæ medendum eſſe.*

Quibus igitur ex calida intemperie caput malè habet, hos frequenti balneo dulcis aquæ fouere expedit. Calidarum autem quæ ſponte naſcuntur, noxius his uſus eſt. Siquidẽ quę ex ijs ſulfureæ bituminoſæ' ue ſunt, eæ propterea quòd calefaciunt, inimiciſsimæ calido naturaliter capiti ſunt: aluminoſę uerò, quoniam anguſtos meatus claudũt. Solis autem ijs ſpontè natis quæ dulces ſunt (ſi tamẽ ipſis utendum ſit) uti citra noxam poterunt. Nam quòd utile etiã aliquid ipſæ præſtare poſsint, hoc dicere nõ perinde tutũ eſt: quãdò nec calidæ fortaſſe forent, ſi omnis calefacientis medicamẽtoſæ uirtutis eſſent expertes.

*Caput uehemẽter æſtuans, roſaceo recreandũ eſſe.*

Quibus uerò caput uehementer calidum æſtuanſq; eſt, ijs præſtat æſtatis tempore roſaceo perungi, q̃d ex roſis in oleum omphacinũ ſalis expers iniectis, componit̃.

*Arteria quando ſecanda in capite.*

Sũt capita quæ propter arteriarũ temperamentũ in uertigines & capitis dolores incidunt. in quibus etiam incidere arterias ſolemus. Sed hoc genus propoſitæ artis limites egreditur. Quæ autẽ ex nimis acuto neruorũ ſenſu (qui à capite orti, inter alia os etiã uentriculi texunt) frequenter dolent, his ſanè mederi, propoſitæ artis officiũ eſt. Potius tamẽ conſiliũ eſt id agere, quò minus hęc ullo modo incidant, curando ne aut bilioſus humor in uentrem prorſus confluat, aut q̃ celerrimè inde expellat̃.

*Bilem non confluere in uentriculum, ſi cibũ citius exhibeas.*

Atq; ut ne prorſus quidem cõfluat conſulueris, ſi citius cibum exhibeas. Vbi enim totius corporis bilioſius temperamentum eſt, necnon imbecillus uenter, niſi is corroboret̃ cibo, defluunt in eum quas corpus accumulat ſuperfluæ ſanies: ex quarũ uapore dolores capitis, ſuffuſiones, atq; morbi comitiales gignunt̃.

*Ventriculũ imbecillũ, niſi corroboretur cibo, recipere totius excrementa corporis.*

Horum itaq; omniũ uniuerſa uictus ratio ad frigidius potius, humidiuſq; mutanda eſt. Quod autem in uentrẽ cõfluit, id uomitione ac uentris ſolutione expellendũ. Stomachus uerò cibis quidem quotidie priuſquã bilem cõtrahat firmandus. Purgetur etiã medicamẽtis ex maiori interuallo, abſinthij coma, & compoſitione ex aloẽ, quã picram nominant: quippe hæc quod altius in tunicas bilioſi uentris ſe recipit, expurgat: abſinthio parũ id præſtare ualente, ut cui uis inſit tantũ detergendi aſtringendiq;, ac talis, quæ ſordes tunicarũ uentris detergeat: nõ ſi quid altius in eo imbibitũ eſt, foras extrahat expellatq;, ſicut aloẽ.

*Picram ex aloë expurgare humores altius imbibitos in ipſius uentriculi tunicis.*

*Abſinthij uires.*

*Vnctiones roborantes uentriculum.*

Quæ uerò poſt hanc uentri extrinſecus admouent̃ unctiones, eæ modicè aſtringentes ſunto: ut melinũ, maſtichinũ, & nardinũ. Ac æſtate quidẽ potius melinũ, hyeme nardinũ, vere maſtichinũ ſumendũ. Eſt autẽ opulentis mulierib. & quod præſtantius nardino unguentũ ſit, nempe foliatũ: præterea quæ ſpicata uocantur, quæ uentrem & roborare poſſunt, & calefacere.

*Foliata unguenta.*

*Spicata unguenta.*

Si uerò nõ modò caput calidam ſaniẽ tranſmittit uentri, ſed etiam uenter ipſe calidam intemperiẽ habeat, utiq; refrigerante tum potione, tum cibo, ſemper uti cõueniet: atq; eam qualitatem in his pro temporũ anni ratione intendere uariè, ac remittere: nuſquã tamen ad contrariã peruenire.

*Frigida intemperantia capitis & uẽtriculi quomodo ſuccurrendum.*

Ad eundẽ modũ ſi utraq; pars ſit frigida intemperie affecta, illis calefacientibus eſt utendũ: uariè tamẽ ea pro ratione temporũ intendenda remittẽdaq; ſunt. Porrò difficilis cõnexio eſt, quoties uel in calidum uentrẽ frigida & pituitoſa ſanies defluit, uel in frigidũ calida. Atq; harũ duarũ alteram ſemper expertus ſum magis ad curandũ rebellem: nempe in qua frigidi pituitoſiq; ſucci in calidũ decidunt uentrẽ.

*Status uentriculi peſsimus qui.*

Peſsimus uerò is ſtatus eſt, ſi præter id, homo etiam ea natura ſit, ut neq; aluum facilè ſolubilem habeat, nec uomere ex facili poſsit.

*Diatrion pepereon, piperq; ex aqua ſuccurrere uentriculo frigido in quẽ pituita deſcẽdit à capite: abſinthiũ autẽ illi eſſe aduerſiſsimũ: neq; aloën valde utilem.*

Si uerò pituitoſus ſuccus à capite in frigidum natura uentrem decurrat, facilè his ſuccurrit̃, ſi manè aliquid medicaminis diatrion pepereon ſumpſerint. Sed & piper ſolum, præcipuè quod album eſt, cõminutũ, atq; aquæ immixtum, bibere ijs licet. At potio abſinthij his aduerſiſsima eſt, ut quæ pituitoſum ſuccũ ipſorum uentri affigat. Sed neq; aloë ualde his conducit, cùm ei bilioſi trahendi humoris facultas ſit: eoq; excogitata ſalubriter eſt cõpoſitio quam picram dicunt, quæ acrimonia caloreq; eorum quę in ſe habet, craſſos & lentos ſuccos diſſecat, ac deterget. Verùm aſsiduè uti hoc medicamento nõ licet, ſicuti diatrion pepereõ, aut diacalaminthes. In totũ ergo ad aloẽs drachmas centũ, reliquorum cuiuſq; conijciuntur ſex drachmæ, quæ ipſa quoq; ſex ſunt.

*Picræ uſus, atq; compoſitiones diuerſæ.*

Atq; hæc eſt picra quã Romę omnes præparãt. Ego uerò etiã alias duas cõpono: atq; in altera, eorũ quæ calefaciũt, plus: in altera, minus cõijcio. Vtrũq; autẽ fiet, ſi aloẽs ſolius põderi nunc præſcripto, aut addamus, aut detrahamus uiginti drachmas. Cæterũ ſi cinnamomi co

pia nõ ſit, ponendũ pro eo eſt optimæ caſiæ duplum. At in quibus quidem uenter aut frigidus eſt, aut etiã temperatus, ad frigus tamen propenſior, ijs aptũ dioſpoliticon eſt: q̃d dupliciter conſici aſſueuit: ijs nempe qui aluo ſunt aſtricta, nitro, quod Berenicariũ uocãt, cum cumino, ruta, & pipere, pari põdere admixto: ijs uerò qui ſunt ſoluta, dimidio.

*Dioſpolitici compoſitio duplex.*

*Ventriculi intẽperie calida coeunte cum capitis frigida, quod agendum.*

Grauis autẽ nec facilè tractabilis cõplexio eſt uentris, qui intemperanter calidus ſit, cum frigido capite: quippe os uentris ab ijs quę calorẽ accendũt, offendit. Ergo in ijs qui ſic ſunt affecti, id agendum, ut pituitã diſſeces, detergeasq́; ijs quæ minimè calefaciũt, quod genus oxymeli eſſe nouimus.

*Oxymeli.*

Iam lubrica atq; ad curationẽ difficilis cõnexio eſt, ubi tales partiũ affectus coierint, in quibus os uentris imbecillũ ac nauſeoſum eſt, ſiſtitur autem uenter. Iis igitur cõuenit primo loco olera cũ oleo & garo, aliaq; quæ uentrẽ mollire ſolent, ſumere. Poſt iuſtũ autem cibi modum, aliquid eorũ quæ ſtomachum roborent, accipere. Ea ſunt mãla, & pira, & punica. Ipſe autẽ qui affligitur, omnibus ſeorſum uſu exploratis, quod minimè noxium, iucundiſſimumq́; inuenerit, eo in quantitate mediocri utatur. Atq; in totum magis qui ita ſunt affecti deijciunt, ſi quid aſtringens poſt cibũ ſumpſerint, q̃ ſi eo caruerint. Siquidẽ eorũ uſu roboratus uentriculus, natãtes ſuccos pellit ad inteſtina, quos ea etiam cõtinuata expulſione propellunt. quẽadmodũ è cõuerſo, ubi humor aliquis mordax, ad expulſionẽ ſui circa ſedem nos irritat, quẽ tamen cohibere propter ciuilia negocia coacti, neque ab his expediti eum expellimus, ſignum eſt illum ipſum humorẽ, conuerſione facta, ab inteſtinis pulſum eſſe uerſus ſuperna, unde ſæpenumero capitis dolore tentamur.

*Ore ventriculi nauſeabũdo exiſtente, cũ aſtrictiõe alui, quod agendum.*

*Renes ſi gignãt calculos, totum autẽ corpus ſit gracile, qua vtẽdum victus ratione.*

At ubi renes calculos aut tophos gignũt, totusuerò habitus gracilis eſt (quæ inæqualis cõnexio cæteris malignitate nõ cedit) hi medicamenta & uictũ quæ extenuare poſſint, requirũt: ea tamen gracili corpori inimiciſsima ſunt. Cæterũ cùm interrogaret me quiſpiam, qni ob tales renum affectus, ſicciſsimi uictus ratione uſus, in maximã ſiccitatem inciderat, quo utiq; uictu, citra renum noxam, mederi quis poſſet ſiccitati illi ſuæ, ptiſanæ cremorem excogitaui, & piſces tum ſaxatiles, tum qui in alto mari degunt. Simili ratione & ex uolatilibus quæcunq; ſimilem carnẽ habent. Porrò multæ ex mõtanis uolucribus tali ſunt temperamento. Quas nanq; in urbibus cõcluſas humido nutrimento impinguant caupones, aduerſiſsimæ his ſunt. Optima uerò ſic affectis caro eſt, ut ex auibus, perdicum: proxima attagenarum, & ſturnorum, & merularũ, & turdorum. Quòd ſi montanarũ auium copia nõ eſt, de ijs quæ in agro uictitãt, & gregalibus columbis, paſſeribusq́;, qui in turribus nidificant, ſumere licebit. Sunto autem in editis locis huiuſcemodi turres. Ita nanq; & gallinis, & gallinaceis qui in corte alunt, uti licet. Ex lactibus autem, ſolum aſininũ eſt concedendũ, propterea quòd cæteris omnibus eſt tenuius. Ac breuiter, media inter extenuantẽ impinguantemq́; ſit eorũ uictus ratio. At ſi obeſus ſit quẽ calculus infeſtat, audacter huic tenuẽ uictum iniungito. Eadem & ijs qui articulorũ uitijs laborant, conuenire præcepta cenſebis.

*Lac aſininum ſolum eſſe vtile renibus calculoſis, cũ totius corporis ſiccitate.*

Scire tamen licet, podagrica antidota multũ diſtare à nephriticis, nõ tantũ quòd craſſos glutinoſosq́; ſuccos attenuent, ſed quòd etiã calefaciãt & ſiccent. Nam calculoſis, quæ ualde calefaciũt, dare nullo modo cõuenit.

*Podagrica remedia differre à nephriticis.*

*Calculoſis nullo modo dãda valde calfacientia.*

Iam uerò partes quæ læſæ ſunt ob defluxionem à capite, nõ omnes corroborandæ ueniũt, ſed eæ tantùm, quarum permagnus eſt uſus: ut oculus, atq; auris. Idcirco decidentibus in has partes excrementis à capite, deriuatio per uicinas partes molienda eſt, ac ad naſum potiſsimũ trahenda, quæ in illa decumbũt, idq́; per ea quę ſternutamenta mouent, atq; eius obſtructiones aperiunt. Si ad naſum nõ ſequuntur, in os ipſum apophlegmatiſmis ſunt deducenda.

*Deriuatio per vicinas partes molienda eſt.*

*Collyrium ſiccũ ex phrygio lapide, oculis robur addere.*

Oculis uerò ipſis robur adijcies, ſi ſicco collyrio, quod ex Phrygio lapide conſtat, utare: ac ſic palpebris ſpecillo inducas, ne oculi mẽbranam intus cõtingas. Ita nanq; mulieres quotidie faciunt, cùm ſtibio oculis gratiam cõciliant. Ad aurium uerò robur adhibeas uel glauciũ ſolum ſuper cote tritum cum aceto, ac mox tepidũ: aut collyrium quod diaglaucium uocatur, aut diarhodon, aut crocodes, aut nardinum, aut quod *Di ἐῶν* dicit, aut deniq; foliata & ſpicata unguenta.

*Auribus auxiliantia remedia.*

Cæterũ ubi ſatis firmatæ ſunt, ita ut nihil iam in has confluat, aſsiduè aliquid inſtillandum eſt optimi unguenti nardini. Porrò auriũ ulceri, Andronis medicamento, ſimilibusq́; medeberis. Interim tamen auertere materiam ad naſum & os oportet. Vt autem ex ijs quæ à capite defluunt, læduntur nõnulla eorũ quæ illi ſubiecta ſunt, ſic ex iecinore & renibus, & liene, in alias partes quæ ipſis ſunt imbecilliores, morbi incidunt: nimirum ſemper ipſo excremento à fortiori ad imbecilliorem partem demiſſo, donec ad imbecillimam omniũ deuentum ſit. Atq; ad hunc modũ, quorũ nulla ſui cura eſt, alius alia parte aſsiduè uexatur. Qui uerò nihil colligũt ſuperuacui, nec qualitate, nec quantitate, his manent imbecillæ partes ſemper in tuto.

*Excremẽta ſemper à fortioribus ad imbecilliores partes defluere.*

Iam quod redundat, aut per totum colligitur corpus, diciturq́; affectus plethora: aut in parte aliqua principe, ſed quæ alioqui natura ſit imbecillior.

*Plethora quid.*

Ante omnia tamen eſt definiendũ, propriò ne affectu laboret membrum, an propter aliud, quod prius ipſo ſit affectum. Sed extrinſecus etiã imbecillæ parti noxa poteſt accidere: plurimũ tamen ex uitioſa uictus ratione. Attẽdere itaq; magnitudini naturalis infirmitatis membri cõueniet, ac tenuiorem quidem uictum quàm antea, exhibere homini: tum idoneam exercitationẽ iniungere, cauendo ne quid ab externis cauſis noxę incidat. Poſtea ſi ab his neq; ipſe gracilis fiat, neq; imbecilla eius pars affligatur, inſiſtendum eidem uictus rationi eſt. Sin autẽ aut omnibus membris fiat gracilis, aut malè afficiatur quod uitioſo eſt habitu, mutare talem uictus rationẽ debebis: utiq; ſi affligitur, aut uictum hominis in tenuiorem mutabis, aut certo anni tempore purgatione uteris. Ac alijs quidem una quotannis purgatio uere incipiẽte ſatisfacit: alijs altera quoq; poſt hanc, autũno eſt opus. At ſi ſanguinis quidem abundantiam corpus accumulauit, mittendus is eſt. Sin uitioſum ſuccũ, uacuãdus proprio ad id medicamẽto fuerit. Quòd

*Picatione quando utendum.*

rit. Quòd si ex tenui uictu pars afflicta leuatur, sed corpus emaciatur, picatione utendũ. Porrò status corporis eorũ etiã est pessimus, qui genitale semen copiosum calidũq; gignũt, quod eos ad expulsionẽ sui proritat: post quã & uentris os illis resoluit, & ipsi toto corpore nõ solùm relaxantur, imbecilliq; fiunt, sed etiam sicci, graciles, pallidi, cauisq; oculis conspiciunt. Quòd si propterea quòd ex concubitu sic uexantur, ab hoc se retrahant, nõ modò capitis molestiam, sed stomachi offensionẽ, fastidiaq; sentiunt, nec ex continentia magnopere iuuantur. Accidunt enim ipsis per nocturnas imagines nõ minora incommoda iis, quæ à cõcubitu senserunt. Somere igitur ij debent non cibos modò, uerumetiam medicamenta quæ semen extinguant: tum uerò exercitationibus uti, quæ supernas tantùm partes exerceant: ac deniq; à balneo lumbos totos ungere unctione aliqua refrigerante, qualis ex omphacino oleo, & rosaceo, & melino conficitur.

*Semen calidũ copiosumq; gignentibus, adeo ut ipsos ad expulsionẽ sui proritet, qualis uictus ac medendi ratio conueniat.*

Ipsis autem oleis, ne defluant, ceram adijcere poteris. Vbi uerò ceratum id in mortario subegeris, cum eo succum aliquem refrigerantem miscebis accuratissimè: uidelicet semperuiui, aut solani, aut umbilici Veneris, aut psyllij, aut polygoni, aut tribuli, aut portulacæ, aut lactucæ. Portulaca tamen succũ suum nõ remittit, nisi dum in mortario tunditur, affusum sit humoris quippiã tenuis aquosæq; substantiæ, qualis uuæ immaturæ est, & rosarum.

*Semen cohibentia.*

Quinetiam lini semen si in aqua coquas, refrigerantem cremorẽ efficit. Ego uerò cùm è plebe cuidam consulerem, ut plumbi laminam renibus superponeret, quò nocturnis careret Veneris imaginibus, tali præsidio adiutus postea mihi erit gratias. Alter autem qui plumbi duritiam non tulit, ex dictarum herbarum, cum eisq; mollium amerinæ & rutæ foliorum appositione, necnon ex assiduo esu seminis ipsius amerinæ, singulare præsidiom sensit.

*Lini semen in aqua coctum, refrigerantem cremorem efficere.*

*Plumbeã laminam lumbis harentẽ, facere contra Veneris nocturnas imagines.*

At quæcũq; ex papauere mandragoràue unctiones fiunt, omnino fugiendæ sunt. Sed neque ut prædictis, ita his quoq; substratis utendum est, cùm in uigore cõsistunt. Quin rosas experiri cuidam suasi, sensitq; ex iis substratis lenamen citra ullam renũ noxam. Alios autẽ, qui ubi cibis boni succi modicè se impleuerunt in cœna, postea concubuere dormientes, postero die cùm satis dormierint, ac surrexerint, iubeo linteo fricari, quoad rubor per cutem appareat: mox aliqua ex oleo frictione modicè uti: tum exiguo interposito tempore panis aliquid fermentati & in clibano cocti, & puri, ex uino mixto, illis gustandum portigo: atq; ita ad cõsuetum opus dimitto, magnam hinc utilitatem expertos. Non dissimilem roborandi per cibum stomachi rationẽ, & grammatico cuidam, quẽ assiduè morbus comitialis urgebat, suasi: ac mirificè contulit. Maximè uerò in fiduciam ueni hominis iuuandi, ubi didici tum spasmos incidere, cùm diutius à cibo abstinuisset, magisq; si dolor interim, iráue interuenisset. Quinetiam habitũ eius intuebar gracilem: sciscitantiq; mihi de hac ipsa re, stomachum assiduè bili urgeri est fassus. Nõnulli itaq; immodicę veneris usu lædunt. Alij citra noxã usu eius ad seniũ usq; sufficiũt. Verũ hæc ambo genera rara.

*Vnctiones ex papauere mandragoràue fugiẽda.*

Totum uerò quod in medio est, id cum maioria minorisq; discrimine, ad magnũ hominũ numerum se extendit. Ac de his hactenus. Huic autem cõmentario iam colophonẽ imponam, ubi medicamen illud descripsero, quod ex mâlorũ succo conficitur, tum ad appetendi uim excitandam, tum ad iuuandam facultatẽ coctricem, roburq; cõciliandum uentriculo, maximè conferens. Accipies igitur succi mâlorũ cotoncorum, quę dulciora maioraq; sint, sextarios Romanos duos, quibus mellis optimi tantũdem miscebis, aceti sextariũ unum & semissem. Hæc cùm super prunas modicè coxeris, & spumã detraxeris, immittes zingiberis uncias tres, piperis albi unc. ij. Dein rursus in simili igni recoques, donec mellis crassitudo consistat. Qua utiq; crassitudine, stomachica medicamẽta parari solent. Hoc porrò pharmacũ, etiam iis quibus inualidum iecur est, salutare in primis existit. Illud uerò latêre nõ debet, ieiunis id maximè dandum esse, mediocris cochlearis modo. Quanquã nec si à cibo fit sumptum, quicquam lædit. Cõmodè quoq; dabitur, etiam si prius pransus quispiam, ante cœnam id sumpserit. Maximè tamen tempestiuè id duabus horis aut tribus ante cibum obtuleris. Quòd si id astringere magis uoles, ex succo acerborum cotoncorũ conficies ipsum. Licebit autẽ piperis zingiberisq; portioni addere, sicuti etiã detrahere, atque omnino nihil illorum miscere, prout is qui tali est medicamine usurus, aut calidum biliosumq; uentrem sortitur: aot contrà, frigidum atq; refertũ pituita: aut deniq; in medio constitutum temperamento.

*Medicaminis ex cydoniorum succo & usus, & cõpositio.*

## GALENI PERGAMENI

### de Vsu respirationis, lib. unus.



Inimè sanè uulgarem esse respirationis usum, hinc liquet, quòd ea priuati, ne momentum quidem possimus uiuere. Ex quo manifestũ est, respirationẽ ipsam, ad nullam particularem actionẽ, sed ad solam uitam * conferre. Cùm igitur actio animæ, uita fit, quæ plurimũ à respiratione iuuatur: tandiu certè utilitatis modum nos ignorare oportet, quandiu animæ substantiam (quæ nobis incognita est) ignorauerimus. Coarguitur autẽ facilè Erasistrati opinio, dicentis, impossibile esse ut cor ex pulmone aërem transumat, circa respirationis cohibitionem. Nam si millies quis inspirationem faciat, plurimumq; undique premat thoracem, & nihil rursus expirer, apparebit certè nihilominus in ipso cor pulsans, hoc est, tum attrahens, tum expellens: suffocatur tamen interim homo, idq; ed magis & citius, quò plus inspirauerit: quòd nimirum tunc non substantia, sed qualitate spiritus, cor opus habeat. Quare huius suffocationis medela, unica expiratio existit: quæ quidem si confertim & cum magno strepitu fiat, ualidè compresso thorace, & reserato asperæ arteriæ orificio, efflatio appellatur. Si igitur ipsum cor substantia tantùm egeret spiritus (quod nimirum Erasistratus existimabat) magis utique ex penuria ipsius, quàm ex abundãntia oborirent

*Respiratiõe priuati, ne momentum quidẽ possumus uiuere.*

*Vita est actio animæ.*

*Animæ substantia est nobis incognita.*

*Suffocatiõis medela, expiratio.*

*Efflatio quid.*

læſiones, id quod minimè apparet, cùm tūc præcipuè affligatur, dum maximè illius copia redundat. Similiter confutatur illorum etiam opinio, qui ſolius nutricationis ipſius animalis ſpiritus gratia, nos reſpirare contendunt, cùm ſuffocatio, reſpiratione cohibita, non propter inopiam nutrimenti animalis ſpiritus accidat. Adeſt ſiquidem largus tunc in pulmone ſpiritus: longiusq; requiritur tempus ad hoc, ut animal propter inopiam nutriētis ſpiritus pereat. Etenim ſubſtantia animæ, etiam ſi non una ſit, per omnē tamen uitam, ad multum tempus durat. Ergo ſi nō ob ſubſtantiæ, relinquitur quòd ob qualitatis penuriam, animalia in reſpirationis cohibitione extinguantur. Quæ igitur iſta qualitas ſit, inquirendum uenit. Porrò quandoquidem ubi amplior quàm ſecūdum naturam caliditas in locis circa cor & thoracem fuerit collecta, ſtatim, & amplius ſolito, reſpirare appetimus: uideri unq; poſſit refrigerationis gratia, reſpiratio fieri. Rurſus, ſi perfrigeratis iiſdem organis (quemadmodum in magna fame, & ubi quis in magno frigore ſit uerſatus, contingit) non ſolùm non refrigerare eam, quæ in nobis eſt, caliditatem oportet, ſed etiam calfacere, refrigerationis gratia reſpiratio minimè fieri apparet. Nōnulli tamen huic obiectioni occurrentes, inſitum calorem ſemper egere refrigeratione contendunt: uerùm cùm auctus is ſit, ampliori: pauciori uerò, cùm imbecillior eſt redditus. Hanc autem controuerſiam diluemus, flammę exemplo propoſito: quę quidem (ut animalia) aëre priuata extinguitur: quemadmodum indicant cucurbitæ medicinales, undique circumpoſitæ. Nec uerò tantùm ſi quis cauum quid circumponat flammis, ſed in balneis etiam, & Solis ardoribus, & frigoribus excellentibus, & uehementer uentilatæ, & materiæ multitudine obrutæ, ſicuti & inopia alimenti, ſimiliter extingui uidentur. Augentur autem ac roborantur à moderato frigore, & ſi moderatè uentiles, & cō moderato alimēto nutritæ. Omnes autem flammæ duplici moueri motu uidentur: altero à materia ex qua accenduntur, per quem maximè ſurſum feruntur, & undequaque diſperguntur: altero huic contrario, ad ſui ipſarum principium, ac ueluti radices uergente, per quem conſidunt & contrahuntur. Etenim ſi facis q̄maximè ſupernam extremitatem accenderis, confeſtim ad infernam perueniet ignis. Siquidem cùm omnis flamma celerrimè corrumpatur, ob id neceſſarium eſt, uelociſsimam eius eſſe generationē. Atqui generatio uniuſcuiuſq; flammæ, eſt ex ſubiecta materia accēdi. Corrumpi igitur omnem flammam eſt neceſſariū, ſi aut materia, aut altero motu priuetur. Quippe ex contrariis motibus, quorum alter alterum mutuò excipit & conſequitur, alterum ſine altero conſeruari impoſsibile eſt. Ob id igitur, moderatè frigido ambiente aëre omnis flamma opus habet. Qui enim excellenter calidus eſt, motum alterum ipſius immodicè extrà extendendo, frigidus uerò alterum immoderatè intrà protrudendo, extinguit. Vterq; autem *modicè uentilatus, flammam materiæ applicat, ut frigidus aër temperatè: ſupra modum uerò moueri, flammā diſpergit, ueluti etiā calidus uehemēter ambiens. At uerò moderatio, omniū cōſeruatrix flammarum exiſtit. Eodem igitur modo caliditas animantibus inſita, materiam unde accenditur, ſanguinem habet: necnon à natura inſitum principium motus in utranq; partem, ita ut altero priuata, etiam reliquo ex neceſsitate deſtituatur: & ob idipſum, ſiue à reſpiratione prohibeas, ſiue à ſanguine, ſtatim corrumpitur: nam & lucernæ flammā tolles ſuffocando, aut omnino oleo priuando. Simile itaq; ponito cor funiculo, oleo ſanguinē, alicui organo cauo pulmonē: nam circunſitus eſt cordi forinſecus, ad cucurbitæ ſimilitudinem. Verùm quo tempore expirat animal, aſsimilaueris porus ipſum cucurbitæ foratæ: ubi uerò reſpiratio cohibetur, imperforatæ & undiq; occluſæ. Quemadmodū itaq; cucurbita perforata intra ſe non poteſt flammam extinguere, reſpirantem per ipſum foramen: quæ uerò è ueſtigio eſt concluſa, eam per ſuffocationem extinguit: ad eundem modum pulmo arctus & denſus, qualis eſt in reſpiratione cohibita, extinguit: perforatus autem & rarus (talis enim exiſtit circa reſpirationem) inſitam caliditatem cōſeruat. Iam expiratio ipſa, ad euacuandum id quod ueluti fuligo ſanguinis eſt, mirè conducit. Fauilla quippe, & fumus, & fuligo, & omnis eiuſmodi uſtæ materiæ ſuperfluitas, nō ſecus quàm aqua, conſueuit ignem extinguere. Ex omnibus itaq; ſunt recipiendi ii, qui dicunt, inſiti caloris gratia reſpirare animalia. Nam & moderatè illum tum uentilari, tum refrigerari expedit: motumq; aliquem præfici fuliginoſo excremento, quod naſcitur ex uſtione ſanguinis, explodendo. Itaque ex uentilatione principii caloris inſiti, & ex moderata refrigeratione, & ex eius quod in ipſo ueluti fumoſum eſt, defluxione, unum coaceruatē caput & ſumma, conſeruatio uidelicet naturalis caloris. Quare in balneis diutius uerſantes exoluimur, ac tandem morimur: idq; non ob euacuatum ex toto corpore ſpiritū, ſed quòd perſpiratio tam quæ per uniuerſum corpus, quàm quæ per os fit, offendatur, calidum ſpiritū attrahens. Nam cùm torpedini talis uis inſit, ut uel per infixum ipſi tridentem piſcatores maximè ſtupefaciat: certè mirum eſſe nō debet, ſi aër etiam ambiens, ſuam nobis, qualiſcunque illa ſit, qualitatem cōmunicet. Porrò per uehementes exercitationes, perq; ardentiſsimas febres, amplius & frequentius reſpirare ſolemus: minus autem & rarius, ubi loci circa cor & pulmonem refrigerati ſunt. Valde nanque & crebrò uentilare paruam caliditatem non conuenit. Siquidem maior flamma ampliori aëre, minor pauciori habet opus: omnis tamen flamma eo indiget, ac proinde & calor omnis aliquam uentilationem deſiderat. Iam uerò pueri, q̄ puberes, plus & crebrius reſpirant, ob id fortè quòd plurimū habēt calidi innati (neceſſariò enim ſequiē ad magnitudinem caliditatis, magnitudo & frequentia reſpirationis) aut quòd eorum ſpiritus, ſi quidem à reſpiratione nutritur, ampliorem aërem deſideret: quem dum conficiunt, plurimū fuliginis procreant. Vbi enim amplius alimentū elaboratur, ibi amplior ſuperfluitas gignitē. At ſenibus, cùm

*Animæ ſubſtantiam ad multū tempus durare.*

*Suffocari animalia ob qualitatis penuriam, dum reſpiratio cohibetur.*

*Flammæ quot modis extingui poſſint.*

*Flamma à quibus augeantur.*

*Flammarū motus duplex.*

*Motuum ſe inuicem conſequentium, alterum ſine altero ſeruari non eſt poſsibile.*

*Flammam omnē egere moderatè frigido aëre.*

*Caliditatis animantium materia eſt ſanguis.*

*Pulmonem eſſe medicæ cucurbitulæ ſimilem.*

*Expirationem conferre ad ſanguinis expellendam fuliginem.*

*Reſpirationem fieri tuendi caloris inſiti gratia.*

*Balnea diutina cur nos exoluāt, mortiq; tradāt.*

*Torpedinis uires.*

*Reſpiratio magna & parua quādo accidat.*

*Calor omnis eget uentulo.*

*Pueri quàm puberes, cur plus et crebrius reſpirent.*

*Senibus respiratio est perexigua & rara.*

cùm pueris adolescentibusq́; frigidiores existãt, respiratio adest minor, & rara. In calidis prætere a regionibus & naturis, semper editur respiratio maior, & densior: frigidis uerò, minor, & rarior.

*Respiratio parua frequésq́; in quibus dispositionibus adsit.*

Parum etiam & frequenter respirant, qui cibum acceperunt & potum, ob septi transuersi coarctationem: sic & prægnantes. In aqua etiam inter cutem, & in hepatis, uentrisq́; & splenis inflammationibus, similiter respirant eadem de causa. Iam uerò quandoquidem ubi uentriculi animalis spiritus iuxta cerebrum uulnerantur, statim immobiles ac sensus expertes nos red-

*Spiritũ animalem esse aut substantiã animæ, aut primum ipsius instrumentum.*

dunt: oportet utiq; omnino hunc ipsum spiritum, aut substantiam animæ existere, aut primũ ipsius instrumentum. Qui sanè spiritus cùm necessariò nutriri debeat, certè rationi est consonum, partim ab aëre per inspirationem attra-

*Spiritus animalis vnde nutriatur.*

ĉto, partim à sanguinis euaporatione, illi nutritionem accedere. Nam si arteriæ carotides circa collum uinculis constringantur, nihil offenditur animal, quod pertinet ad respirationem, nec non ad motum & sensum. Vnde liquet cerebrũ spiritu per eas à corde allato, non ualde habere opus. Reliquum itaq; est, aut euaporationem ex sanguine ipsi sufficientem existere, aut per nares inspirationem. Atqui nec euaporationem largam contingere uerisimile est, si arteriæ laqueo

*Spiritũ animalem præcipuè nutriri ex inspiratione quæ fit per nares.*

excipiantur: quare necessum est ex inspiratione per nares potissimam alimenti partem animali spiritui accedere: id quod sensit Hippocrates dicens: Principiũ alimenti spiritus, os, nares, guttur, pulmo, & cætera respiratio. Ex omnibus enim his nutritur nullatenus impeditis. At si q̃d ex ijs impediatur, per reliqua tamen ei alimen-

*Caliditatem moderatã vniuerso corpori esse maximè necessariam.*

tum suggeritur. Est itaq; maximè & utilis & necessaria animalibus moderata caliditas, præsertim animali spiritui, & principalissimis organis, imò uerò etiam uniuerso corpori. Iure igitur principium naturalis caliditatis, ipsum uidelicet cor, respiratione in tantũ egens habemus, quantùm etiam ipsi moderata caliditate indige-

*Caliditas absq; respiratione salua esse non potest.*

mus. Siquidem citra respirationem impossibile est saluam esse caliditatem: proinde totum corpus est transpirabile. Cæterùm respiratio moderata omnibus alijs membris per arterias contin-

*Respirationis organa.*

git. Cerebro uerò & cordi duo præcipua adiacent respirationis organa: illi nares, huic pulmo. Verùm ut moueatur pulmo, thorace opus habuit. Quòd si etiam sanguinis euaporatione ad nutricationem animalis spiritus indiget, id quod credibile est, maximum habuerint sanè animalia & hoc à moderata caliditate commo-

*Delirium in æstuosis febribus cur accidat.*

dum. * Etenim ubi sanguis melancholicus aut etiam biliosus est, in uitiosos uapores soluitur: atq; alter ad atram bilem, alter ad animi alienationem perducit: proptereaq́; in æstuosis febribus ægri ipsi delirant. Confert moderata caliditas ad uniuscuiusque membri conseruandam

*Actionẽ membri promptissimè à calore immodico lædi.*

*Constitutio mẽbri in quo consistat.*

propriam constitutionem, actionemq́; similiter: quæ à nulla re promptius læditur, quàm à calore immodico: quemadmodum & constitutio ipsa, quæ in debita temperatura quatuor qualitatum consistit. Atq; in alijs quidem organis actionum offensa parui momenti est. In his uerò quæ ad uitam pertinent, magni refert. Postremò in his quæ nõ solũ ad uitã cõducunt, sed ad alia etiam rationem principij habent, maximi. Talia autem sunt cor & cerebrum: quorũ constitutionis læsio uitæ damnũ infert. Nequit autem constitutio ipsorum aliter breui offendi, quàm per caliditatem immoderatam. Nec ob aliam causam in spiritus cohibitionibus defungimur uita, quàm ob immoderatam caliditatem. Prima

*Respirationis prima vtilitas.*

itaq; respirationis utilitas, per inspirationem & expirationem completur: alteram nimirũ refrigerantem & uentilantem, alteram expellentem

*Respirationis secunda vtilitas.*

fuliginosa. Secunda uerò, quæ est nutritio animalis spiritus, per inspirationem duntaxat accidit. Quòd uerò cùm cor à pulmone aërem partim quidem ad se attrahat, partim uicinis arte-

*Expiratus aër cur sit par inspirato.*

rijs transmittat, ipse aër qui expiratur nihilo parcior appareat eo, qui per inspirationẽ attractus est, in causa esse uidetur, quòd uapor quidam omnino expiratur, par copia portioni spiritus in cor & arterias transumptæ.

## GALENI PERGAMENI

### *de causis respirationis lib. vnus.*



Vi respirationis causam efficientẽ deprehenderit, is demũ solus tum offensionis differentiam, tum curandi modum cognoscet. Cæterũ cùm tres sint in genere respiratio-

*Respirationis causas esse in genere tres.*

nis causæ, facultas uoluntaria, instrumenta uoluntati seruientia, & ad hæc utilitas ipsa, ob quã

*Vtilitatem respirationis, inter causas illius obtinere principẽ locum.*

etiam prioribus causis opus habemus: utilitas sanè principem inter respirationis causas locum obtinet, utpote quæ innati caloris cõmoderationem conseruat, & animalis spiritus substan-

*Voluntas.*

tiam alit. Voluntas uerò disponit, & ueluti ad rhythmum coaptat respiratorias actiones. Ve-

*Instrumentorũ respirationis species multiplices.*

rùm instrumentorum species multifida & multiformis existit. Quædam enim ad uecturam spiritus destinata sunt, quædam aërem susceptant,

*Aer est materia respirationis.*

quædam ea quę mouentur mouent. Principium itaque est aër, qui per os & nares attrahitur, materia existens utilitatis respirandi, bifariam par-

*Aëris portionem vnã ad cerebrũ, aliã ad pulmones illabi.*

titus: cuius altera quidem & minor pars, ad cerebrum per nares suggeritur: altera uerò maior, per asperam arteriam ad pulmones illabitur. At-

*Arteria aspera vsus.*

qui arteria ipsa organum uocis, uia est etiam respirationis.

*Pulmonis vsus.*

Pulmo autem, ueluti profundus uentriculus, destinatus spiritui est: cuius dilatatio-

*Thoracis vsus.*

nem & cõtractionem thorax gubernat, qui musculis mouetur, & ossibus inarticulatur: præte-

*Septum transuersum.*

rea septum transuersum, respirationis similiter organũ. Circulare enim id est, in centro quidem

*Intercostales musculi duo & viginti.*

neruosum, circũcirca uerò carnosum. * Sic etiã in medijs costarũ regionibus duo & uiginti mu-

*Musculi abdominis octo.*

sculi numerantur, * præter duos alios primarum costarum, & totidem extremarũ. Vltra hos,

*Musculorum inseruientium respirationi, dinumeratio.*

tres alij ex collo utrinque prouenientes: deinde qui iuxta spinam porrecti, & cum ipsis, qui circa * abdomen consistunt, octo. Ac tot sanè sunt

*Musculorũ thoracis actiões particulares.*

musculi inseruientes respirationi. Actiones autẽ singulatim, eorum quidem qui in septo transuerso sunt, ut respirationẽ inuiolentam operen-

*Musculi intercostales duplices.*

tur: eorũ uerò qui iuxta costas cõsistunt, ut thoracem exactè dilatent, & cõtrahant. Qui cùm du

plices sint, externi expirationem, interni inspirationem perficiunt. Et primorũ quidem duorum actio est, ut supernam tantũ thoracis partem dilatent: infernorũ uerò, ut infernam eius partem constringant. Qui ex collo descendunt, retrahũt simul & dilatant sublimes thoracis partes. Ex rectis etiam * iuxta ipsum collum musculis, hi qui ad clauiculas extenduntur, fines cartilaginum quæ illic sunt, contrahunt: quemadmodũ etiam ij, qui ad costarũ in spina radices pertinent. Musculi demum * abdominis, firmitudo existentes septi transuersi, thoracis contractionem adiuuant. Cùm itaq; duo genera respirationum sint, nempe facilis & uiolenta, habeatq; utraq; ipsarũ inspirationem & expirationẽ, fit ut in totũ quatuor sint respirationis partes. Cæterùm singulis his quatuor partibus, propria quædam instrumentorũ natura inest. Quippe facili inspirationi septum transuersum subseruit: uiolentæ * tum sima scapularum pars, tum interni musculi intercostales. At facili expirationi * musculi famulantur abdominis: uiolentæ autem, * externi musculi intercostales. Atq; hoc quidem modo res musculorũ se habet. Porrò nerui duo qui ad septũ pertingunt, ex cõnexione inter quartum & quintum colli uertibulũ procedentes, in ipsam septi neruosam partem se inserunt. Qui uerò à spina dispergunt in musculos intercostales, transuersim progrediunt ad pectus. At qui in alios musculos respirationis opifices feruntur nerui, ferè omnes ex spinali medulla oriunt. Voluntas igitur similis equiti existit, qui habenarum motu equos ipsos impellit. Habenis autem sunt nerui similes, quemadmodum equis musculi. Sic uerò & utilitas extremũ est respirationis uotum, perinde ac uictoria artis aurigandi.

*Musculi abdominis.*

*Respirationis partes sunt quatuor.*

*Spirationi facili uiolẽtæq;, quæ organa inseruiant.*

*Septi transuersi nerui.*

*Musculorum inspirationi inseruientium nerui.*

*Volũtas est equiti similis.*

*Nerui habenis sunt similes.*

*Musculi sunt similes equis.*

## *GALENI PERGAMENI*
### *de difficultate respirationis liber primus.*



Vod respirandi difficultas respirationis quædam sit læsio, nomen apertè indicat. Cùm igitur id quod secundum naturam habet, unum atq; idem sibiq; semper simile existat, ueluti regula quędam: uarium autem atque dissimile multiplicíq; errore inuolutum, ac proinde & infinitum numero, & arte incomprehensibile, quod præter naturã: impossibile certè est, huius immensitatẽ certis terminis comprehendere, citra cognitionem eius quod habet secundum naturam. Cùm itaq; unum sit hoc, & animali cõmodum, palàm est etiam id moderatum existere. Quare immoderatũ fuerit, quod præter naturam habet. Cùm igitur immoderatum omne duplex sit genere (aut enim deest quid ab eo quod secundum naturam habet, aut excedit) tot sanè in seipso particulares differentias sortietur, quot possibile est rem ipsam suscipere, circa moderati excessus defectusq;. Suscipit autem simplex duplices: compositum uerò ex pluribus, duplicatas, iuxta numerum eorum ex quibus conflatur. At uerò, cùm duæ quidem sint primæ & principalissimæ totius respirationis partes, inspiratio uidelicet, & expiratio: duæ uerò aliæ per accidens, nimirum quæ interueniũt cessationes: in quatuor sanè his uniuersa consideratio de respirandi difficultate consistit. Quare oportebit omnino unam ex prædictis, aut plures, aut simul omnes uitiari, aut corrumpi, ut respirandi difficultati sit locus. Fuerit autem optimum, simplicem appellare respirandi difficultatem, quæ unam tantùm respirationis partem occupat: compositam uerò, qua plures læduntur. At cùm posterius sit semper compositum simplicibus, à simplicibus auspicabimur respirandi difficultatibus. Quandoquidem igitur ex ijs quas diximus partibus, duo motus sunt, inspiratio uidelicet, expiratioq;: duæ uerò hos cessationes distinguunt: ac generatio quidem motibus composita est, cessationibus uerò simplex: manifestum utiq; fuerit, immoderationes illorum, plures: cessationum uerò, binas tantùm produci. Hæ nanq; simplices existentes, iuxta temporis quantitatem solùm differentias sortiuntur: motus uerò nõ solùm iuxta hanc, sed iuxta quantitatem etiam spacij localis, per quod instrumenta respirationis mouentur. Itaq; duplices erunt immoderationes ipsorũ, quemadmodum & cessationũ, utræq; iuxta temporis quantitatem diductæ, secũdum quas aut ueloces aut * tardi motus dicuntur: duæ uerò adhuc aliæ, iuxta quantitatem distensionis instrumentorũ distinctæ, quarum nimirũ ratione, aut * magni, aut parui appellantur. Siquidem inseparabilia sunt ab omni circa locũ motione, tum tempus, tum spacium, per quod id quod agitur motu, mouetur. Quemadmodum autem motui propria sunt uelocitas atq; tarditas: ita & quantitati cessationũ, raritas & densitas. Præterea cùm & ipsa respiratio ex contrarijs motibus per cessationes distinctis cõposita sit, densam ipsam reddet breuitas cessationũ, raram uerò longitudo. Atq; hæ sanè uniuersæ sunt simplices respirandi difficultates. Cùm itaq; respiratio ex duobus contrarijs motibus constet, inspiratione uidelicet, & expiratione: necnon ex cessationibus binis: offensiones uniq; circa motus contingent, in uelocitatẽ & tarditatem, magnitudinemq; & paruitatẽ: circa cessationes uerò, in raritatem & densitatem: nec præter has, simplicem aliam difficultatis respirandi differentiam reperias. Porrò cùm unũquodq; ab ijsdem peius aut melius reddatur, per quæ omnino produci solet: certè si sciuerimus à quibus causis respiratio producitur, sciemus etiam & respirandi difficultatis causas. Igitur animalis facultas thoracem mouet, cum quo simul pulmo mouetur: ad distentionẽ cuius sequitur inspiratio, sicuti ad contractionem ipsa expiratio. Etenim principalissima respirationis utilitas, est conseruatio caloris insiti, animalisq; spiritus nutricatio. Si ergo & facultas, & usus, & unumquodq; organorũ optimè habuerint, iuxta naturæ legem animal respirabit: sin uerò ex eis fuerit quicq̃ uitiatũ, iuxta illud etiam respirationem impediri est necesse. Inquirendũ igit iam, quęnam causæ esse possint respirationis celeris. Enimuero si illud est uerum, eandem utilitatem à respiratione quidem, ei qui circa cor est calori: à pulsi-

*Dyspnœa est respirationis læsio.*

*Vnum esse quod secundum naturam est.*

*Variũ esse quod præter naturã existit.*

*Immoderatũ omne esse duplex.*

*Respirationis partes præcipuæ duæ.*

*Dyspnœa simplex quæ sit dicenda, & quæ præterea composita.*

*Inseparabilia ab omni latione esse, tempus, & spacium per quod mobile corpus mouetur.*

*Motui propria.*

*Cessationũ quãtitati propria.*

*Respiratio constat ex contrarijs motibus intermissione distinctis.*

*Respirationis utilitas principalissima est cõseruatio caloris insiti, animalisq; spiritus nutricatio.*

*Vsum eũdem esse respirationis & pulsus.*

*Pulsus velox vnde oriatur.*

*Respirationis velocis possunt esse eadem causa, quæ pulsus veloci.*

à pulsibus uerò, ei qui per totũ animal est dispersus, contingere: ac uelox quidem pulsus, sicuti & omtus motus, ab utilitate urgente, facultate integra, & promptis organis perficiatur (quæ quidẽ à nobis alibi sunt demonstrata) eædem certè esse posint causæ uelocis respirationis. Posibile tamen est utilitate sufficienter urgente, etiam si facultas moderatè debilior sit, quandoq; motum fieri uelocem. Si uerò magis debilitetur, nõ amplius posibile est uelocem actionẽ fieri, sed pro ueloci densam. Omnis autem densitatis actionum una causa asignaẽ, prioris uidelicet actionis defectus: siquidem illa urgente, coguntur se stinare expeditius.* Porrò sermo à nobis habitus in cõmentarijs de pulsibus, respirationi uidetur fuisse cõmunis. Primũ quidem, nam de omni motu illic disseruimus in uniuersum. Deinde, quia parum abest, quin omnis respiratio pulsui proportione respondeat. Quippe similiter ut ille, est composita ex contrarijs motibus per cessationes distinctis: atque eiusdem utilitatis gratia contingit. Præterea ex partibus eius, inspiratio quidem consimilis existens pulsus dilatationi, insitam caliditatẽ refrigerat: expiratio uerò, ueluti contractio pulsuum, fumidum sanguinis excrementũ excernit. Quin & ad nutritionẽ animalis spiritus ambas actiones conferre: & ex cessationibus, eam quidem quæ post dilatationẽ fit, breuiorem esse: quæ uerò contractionem sequitur, longiorẽ: ambobus cõmunia existunt. Eundem autem causarũ concursum magnitudo respirationis, quem uelocitas, postulat: nempe utilitatem urgentem, facultatis robur, & promptitudinem organorũ. At tarditas paruitasq;, non omnino opus habent cõtrarijs omnibus simul, sed unum ex ipsis prorsus adesse oportet: plura non est necesse. Quemadmodũ igitur si parum sit aucta caliditas, perspicuè maior, nõ tamen uelocior: sin autem plurimũ, & maxima & uelox & densa inspiratio redditur: eodem modo ubi caliditas secundum naturam imminuta fuerit, alijs causis immotis manentibus, necesse est paruam, tardam, & raram inspirationẽ fieri: sed paulò tamen quàm secundum naturam minorem, multò uerò tardiorem, plurimũ autem rariorẽ. Robusta enim existente facultate, non est posibile multò minorẽ fieri dilatationem. Sed si quæ ad utilitatem pertinent, admodum exoluantur, plurimam cessationẽ fieri uerisimile est: non tamen propterea omnino tardè moueri, modò facultas robusta sit. Porrò quæ in aucto calore, eædem & in animali spiritu ad nutritionem urgente, species erunt respirationis difficultatis, eius uidelicet quæ circa * inspirationes consistit. * Quemadmodũ etiã immoderatio fuliginis easdem respirãdi difficultates circa expirationẽ efficiet, quæ circa respirationẽ relatæ sunt. Veloces quippe erũt, & magnę & dẽsæ, ubi multa eiusmodi superfluitas collecta fuerit: tardæ autẽ & paruæ & raræ, circa affectiones contrarias.* An igitẽ sic ratio poscit, reluctatur autẽ aliquid eorũ quæ euidẽter apparẽt? Ego sanè omnia hæc circa ætates, regiones, uniuersas cõstitutiones aëris ambientis, exercitia deniq; & morbos, maximè consentientia reperio. Vbi eñ abundat caliditas, ueloces, magnas, & densas uidere est inspirationes fieri: ubi rursus frigiditas, contrarias, nempe tardas, paruas, & raras. At uerò quibus animalis spiritus euacuatur, & ob id cita renutritione habent opus, hi nõ solùm ualde, sed & citò & densè inspirant: quibus nihil uacuatur, hi contrariã illis habent inspirationis speciem. Si uerò ambo concurrant, & caloris augmentũ, & spiritus consumptio, hi omniũ maximam, & uelocisimam, & densissimam inspirationẽ sortiuntur: & maximè si ambo fuerint aucta uehementer: quemadmodum ubi ambo fuerint admodum imminuta, minimæ, tardisimæ, & rarisimæ fiunt inspirationes. Ipsa etiam expirationis species, si quidem multæ fumosæ superfluitates collectæ sint, maxima, uelocisima, & densissima erit. Si uerò paucisimæ penitus fuerint superfluitates, minima, tardisima, rarisimaq;. Etenim ex ætatibus omnes quæ in augmento sunt, magnam, uelocem, & densam facere inspirationem cernimus: quæ uerò decrescunt, raram, paruam, & tardam, propterea quòd illis caliditas amplior, his longè minor existit. & illis quidem animalis spiritus substantiam cum corpore coaugeri est necesse, his uerò cõtabescere. Iam uerò cùm in ætatibus quidem crescentibus, ob insiti caloris robur, atqueadeo ob ipsum augmentũ, maxima humorũ copia absumatur: in decrescentibus autẽ, quantùm necesse est ad ipsam uitam duntaxat, utpote quæ neq; augescunt amplius, & iam sunt perfrigeratæ: meritò sanè illis uelox, magna & densa: his uice uersa, per omnia cõtraria editur expiratio. Quemadmodũ uerò secundum ætates, ita & iuxta tempora, & regiones, & omnes ambientis constitutiones, tum pulsus cum respirationibus, tum respirationes cum pulsibus proportionem habent: in calidis quidem ad magnitudinẽ, uelocitatẽ, & densitatem, mutatæ: in frigidis uerò, cõtrario modo. Quinetiã in exercitijs improbis (quòd in eis augeatur quidem caliditas, absumatur autẽ animalis spiritus) ualde, uelociter, & densè respirare solemus: quiescentes uerò, parũ, tardè, rareq;: quandoquidem sic marcescit caliditas, spiritus autẽ neq; in totũ, aut omnino modicè absumitur. Ex balneis etiã, calida quidem, uelocem, magnã, & densam faciũt respirationẽ: frigida uerò, contrariã. Porrò in somnis, magnitudine & uelocitate motus, expiratio inspirationẽ excellit: quandò ciborũ cõsumptiones & concoctiones maximè tum perficiunẽ. Vnde uerisimile est, coaceruari in illis plurimũ fuliginosi excrementi. At per affectus febriles, maximè ubi circa aliquod respirationis organũ, aut circa cor, maxima caloris copia est collecta, omnis respiratio magna, uelox, & densa redditẽ. In quib. uerò perfrigeratus est calor, cõtraria prorsus. Atq; his etiam, ut in alijs omĩbus, pulsus & respiratio proportionẽ habere uidenẽ. Neutrũ nanq; ipsorũ in totũ perire est posibile, quãdiu uixerit animal: etsi interdũ ob paruitatẽ nõnullis perijsse putentur. Hoc autẽ discrimen est inter respirationẽ & pulsum: quòd illã quidẽ, cùm sit animale opus, uolũtas posit coërcere, ac proinde in uarias species mutare, uel si utilitas bona sit, & facultas integra, & organa respiratiõis ad operãdũ prõptis

*Densitatis actionum causa vna est prioris actionis defectus.*

*Respiratio ferè omnis pulsui proportione respondet.*

*Inspirationis vsus.*

*Expirationis vsus.*

*Quietẽ quæ post dilatationẽ fit, breuiorem. quæ post compressionem, longiorem esse in respiratione & in pulsibus.*

*Respirationis magnitudo eundem causarum concursum quẽ velocitas postulat.*

*Facultate robusta existente, dilatationem thoracis non posse multò minorem fieri.*

*Fuliginis immoderatio, quas respirandi difficultates inducat.*

*Inspirationes ob caloris excessum, quales.*

*Inspirationes ob immodicum frigus, quales.*

*Inspirationes ab exhausto spiritu.*

*Expirationis species pro causarũ differentijs variantur.*

*Augescentiũ & decrescentiũ inspirationes.*

*Exercitijs improbis augeri quidẽ caliditatem, spiritum autem animalem absumi.*

*Balnea qualem reddant respirationem.*

*Expiratio in dormientib. cur magnitudine et velocitate ipsã inspirationẽ excedat.*

*Febrientium respiratio qualis.*

*Perfrigeratorũ pulsus.*

*Vita manente, nec pulsum, nec respirationẽ omnino perire posse.*

*Respiratio est voluntarium opus.*

*Pulsus est naturalis actio.*

sima: pulsus autẽ, utpote existẽs opus uitale, nec supprimi, nec uariari posit, quandiu tres illæ causæ iticulpabiles cõspirarint in unum. Ob idq́ circa inflammatas partes dolor uehemens ob arteriarum motũ oritur, quòd in nostra manu nõ sit motum facere magnitudine minorẽ, aut uelocitate tardiorem.

*Respiratio inflãmati thoracis.*

Thorax itaq; unum ex respirationis orgatiis, quãdoquidem respiratio motus uolutitarius existit, ad similitudinẽ crurum mouebitur. Quamobrem si sit inflãmatus, & ad motum cogatur, tardius multò q̃ oportebit, dilatabitur, ac proinde cum respiratione difficili, animal in discrimen suffocationis perducet. Cæterũ ne suffocet, densiores actiones edit, nõ amplius tantùm cessans, quantũ solebat cùm secundum tiaturam haberet. Quamobrem tunc est tiecesse totam respirationẽ fieri paruam, tardam, & densam, multoq́ sanè minorem, q̃ par est, nõ autem ita multò tardiorem. Dolor quippe nõ adeò grauiter uexat thoracem, ob motus uelocitatem, sicuti ob magnitudinem dilatationis. Quòd si solus dolor tlioracis particulas affligat, manente calore cordis intra naturæ terminos, tunc motus tlioracis manifestè tardior reddetur. Si uerò ardor quidam in ipso corde oboriatur, uelocitas quidem minimè exoluitur, aufertur autẽ hic etiam multũ de magnitudine, pro qua densitas generat, ob urgentẽ utilitatẽ. At quæ ob solum

*Dyspnœa ob solũ ardorem producta, qualis.*

ardorem cotingit dyspnœa, ea magnũ & uelocem & densum spiritum efficit. Ob idq́ magnitudine tantùm & uelocitate, ab ea quæ propter dolorem solùm orta est, distinguitur. Quæ uerò ex ambabus causis coëuntibus generatur, ab ea quidem quæ ob ardorem fit, sola paruitate differt: ab ea autem quæ propter dolorẽ, sola uelocitate. Cæterùm difficultas respirandi ob perfrigerationem naturalis caloris, paruum, tardum, & rarum spiritũ reddit: cùm aliarum nulli simul tarditas & raritas accidat. At quantũ in defectibus & excesibus caliditatis, ipsa respirationis species à rlıythmo naturæ excedit, tantũ etiam cum pulsibus cõmuniter & eodem modo liabet. Differt autem ab illis, in eis quæ ob dolorificos organorũ affectus accidunt. Nam reliquæ affectiones instrumentorũ, quæ citra dolorem per obturationes, aut durities, aut compresiones, aut omnino coarctationes quasdam fiunt, consimiles uariationes in utrisq; actionibus, animalibus & uitalibus faciũt. Quippe in id genus affectibus, paruus & uelox, & densus spiritus redditur circa pulsus & respirationes, necnon inæqualis, quæ uel præcipua earum affectionũ est nota.

*Spiritus inæqualitas, quarũ affectionum sit nota.*

Ac paruus quidem tunc spiritus agitur, propterea quòd ob angustiã susceptoriorũ instrumentorum, paucior q̃ oportet attrahitur: densus autem, quia nõ expletur uotũ utilitatis: atq; ob eandem causam densus. Vt autem quæ respiratorijs instrumentis sunt propria cõmemorem, tumores præter naturam, qui circa uentrẽ, hepar, splenem, colon, hisq́ coniunctas partes consistunt, ob septi transuersi coarctationem, paruum & uelocem & densum faciũt spiritum.

*Tumores præter naturam coarctantes septum trãsuersum, paruum, uelocem, et densum faciunt spiritum.*

Iuxta eundem modum & aqua inter cutem laborantibus, & gerentibus uterum, & ijs qui se supra modum cibo expleuerutit, & qui prominentẽ uentrẽ habent, huiusmodi fit respirationis species. In orthopnœa etiam (quæ erecta ceruice spiratio est, fitq́ collectis uiscidis & crassis humoribus circa asperas pulmonis arterias) & similiter ubi circa pulmonẽ aliquid indurat, aut tuberculum gignitur premens atq; coarctans ipsam arteriam asperam, paruus, densus, ueloxq́ spiritus reddit. Ad eundem modũ si in thorace tuberculũ tale cõstiterit, paruus & deosus & uelox spiritus generabitur: occupante nimirũ tumore præter naturam, pulmonis regionẽ, in quã dilatatus extendebatur.

*Orthopnœa quid sit, & unde gignatur.*

* Perinde autẽ est, ad hoc ut compressus pulmo nõ posit sufficientẽ aërẽ attraliere, siue thorax totus angustus reddat in affectu quouis, siue media regio occupet à quibusdam præter naturam corpusculis, siue ipse etiã pulmo induret, aut obturet, aut intumescat, ueluti in peripneumonicis uitijs cõtingit. Vna enim in ijs omnib. cõiuncta est causa, ob quã parua itispiratio redditur, coarctatio uidelicet asperæ arteriæ. Cæterùm paruitatem inspirarionis densitas & uelocitas sequitur, si facultas robusta fuerit.

*Inspirationũ paruitatẽ densitas & uelocitas sequitur, si facultas robusta fuerit.*

At cùm iuxta pulmotiẽ affectus ipse cotisistit, q̃uis thorax distendi plurimũ posit, parũ tamen inspirãt: ita etiam ubi intermediç ipsorũ organorũ regiones fuerint occupatæ. Vbi uerò totus thorax aut fœtibus, aut aliter paruus & atigustus reddit, tunc distentionẽ paruam efficiens, pulmoni causa est uelocis inspirationis: quemadmodũ & septum transuersum, quãdo ab aliqua mole iuxta infernam regionẽ opprimitur. Porrò suppuratorum affectio, q̃uis sæpe ex pleuritide oriatur, his proximè relatis annumerabitur, quæ uidelicet iuxta pulmonẽ coarctarionẽ citra dolorem faciendo, paruã reddunt inspirationẽ.

*Empyema reddit paruam inspirationem.*

* Quo modo igitur hæc respiratoriorũ organorũ uitia citra dolorẽ consistentia, ab ijs quæ cum dolore fiunt distinguentur, si & paruus & densus utrisq; similiter spiritus redditur? Motus uelocitate. In affectib. siquidẽ dolorificis modicè respirant & dense, tiõ tamen uelociter, nisi fortè etiã febris adsit. Qua præsente, licet iuxta paruitatẽ & uelocitatẽ respirent similiter, tamen densitudine distinguuntur: quippe non modicè densatur ipsis spiritus: id q̊d tiõ euenit illis, qui ob solam coarctationẽ instrumentorũ difficulter respirant.

*Motus uelocitas distinguit affectus dolorificos organorum respirationis, ab ijs qui citra dolorem insistant.*

Quin & expiratio febrientibus maior simulq́ calidior est: quod nõ cõtingit ijs, qui ob coarctationẽ parum & dense expirant.

*Expiratio febrientibus qualis.*

Verùm in doloribus organorũ respirationis, minimè quidem ob affectionẽ ipsam, sed ob actionis facultatẽ, quæ animalis existit, spiritus paruus & densus reddit.

*Spiritus paruus & densus, quibus superueniat affectibus.*

At species difficultatis respirandi, quç ad coarctationẽ pulmonis cõsequitur, nihil opus habet facultate ad sui generatiotiem. Perspicuũ igitur est, quòd amplius in magnis tlioracis motibus dolore uexant partes quæ in uentre cõsistunt, minus uerò in paruis: et ob id paruus & densus erit spiritus, nõ solùm in pleuriticis, sed & quibus stomachum, aut uentrem, aut hepar, aut splenem, aut peritonæũ, aut intestina, aut præcordiorũ musculos, dolorifica affectio infestat: cùm tiimirum ea omnia partim appensa sitit, partim agnata respiratorijs organis, atq; ad eorum motũ moueatitur, ac proinde offendatitur in respirationibus. Quare illis etiã

non

*Respiratorijs organis prouidentiam inesse, qua cauent, ne grauius dolore affligatur animal.*
*Pulmo ferè est insensilis.*
*Spiritus paruus & densus, doloris existit signū.*

non uulgaris prouidentia inest, ut * ne grauius dolore affligatur animal. Quod uerò ad pulmonem spectat, parū abest quin omnino sensus sit expers. Itaq; licebit pronunciare iam nobis in uniuersum, paruum & densum spiritum signū esse doloris, nō modò respiratoriarū particularū, sed etiam aliarum omniū, quę cum respirationis organis cōmouentur. Igitur naturales facultates omnes, semper necessarijs sibi operibus uacant, & nunquam torpent, aut negligentes sunt: quæ uerò sub uoluntatis potestatem cadunt, eæ sæpe, ubi uoluntas ipsa circa alias actiones detenta fuerit, negligentius perficiūtur. Quare qui animi alienatione laborant, animalium actionum obliuiscuntur: quas omnes, ut longo interposito tempore faciūt, sic confertim & magnas.

*Alienati mente obliuiscūtur animalium actionum, quas postea cōfertim & magnas obeūt.*

Cæterū si quis minus quàm oportet bibat, non ad dies tantùm, sed ad integros menses durare posit: sin uerò minus q̃ par sit respiret, nec minimam diei partem durare queat. Proinde respirationis utilitas nō expleta in ijs qui cōmoti sunt mente, solicitè ad actiones excitat: quibus sanè maximis, totū illud recuperat, quo per cessationis tempus fuit defraudata. Atq; ita nō rarus modò, sed magnus alienatorū mente spiritus redditur, tantoq; quàm cōuenit maior, quantò uidelicet rarior: contrà quàm in potu contingit: multò enim rarius, paulò uerò plus bibunt.

*Alienati mēte, cur rarū & maximum spiritū reddant.*

Porrò ubi secundum naturā se habent organa, quantitas spiritus semper est ipsorum distentionibus similis: nō autē cùm præter naturā fuerint disposita: nam possibile aliquando est plurimū distendi thoracē, uerū ob coarctationē pulmonis, aut ob aliam causam, parum inspirari aëris externi. Nequaq̃ igitur ad affectionū omniū spiritalium instrumentorū proportionē, sed solùm asperarū arteriarū, inspirationes fiunt. Sufficit autem ad dignoscenda omnia hæc, inspicere quantus aër inspiretur, & quantus per expirationem reddatur.* Etenim cōtractiones thoracis citra abdominis musculorū concitationem, nunquā magnam possunt facere expirationē. Quæ uerò illorū etiam impulsu fiunt, quæq; efflationes existunt, magnitudinis sunt opifices.

*Spiritus quantitas distentioni organorum spiritalium semper proportione respondet, quādiu pro naturæ modo se habent.*

Vt autem ad compositas respirandi difficultates ueniamus, cùm aliqua sit magna inspiratio, & aliqua uelox, sintq; contrariæ his parua & tarda, necessum est quatuor fieri omnes inspirandi compositas difficultates: magnam uidelicet & tardam, magnā & uelocem, paruam & tardam, paruam & uelocem: totidemq; similiter expirationis. In cessationibus uerò impossibile est cōpositam respirandi difficultatis speciem fieri, cùm una tantùm in eis oppositio habeatur, iuxta raritatem & densitatem consistens.

*Inspirandi compositæ difficultates sunt numero quatuor: totidemq; similiter expirandi.*

At uerò ipsis motibus mutuò inter se collatis, inspiratione dico cum expiratione, species quædam erunt consonantiæ totius respirationis. Possibile est enim inspirationem fieri magnā, expirationem autem paruam: aut uice uersa, paruam inspirationē, & expirationem magnam: aut utrasq; paruas, aut utrasq; magnas: sic & ueloces, aut tardas utrasq;: aut alteram uelocem, alteram tardam.

*Inspirationis cū expiratione collatio.*

Quin & inæqualis est aliqua respiratio, quemadmodū & pulsus, tum circa motuū cōiugationes, tum circa motū unū. Similiter & ordinata & inordinata fieri respiratio potest, perinde ac pulsus. Et sanè quot differentiæ inæqualium pulsuum, tum circa unū motū, tum circa plures consistentiū existunt, tot etiam reperiuntur respirationum. Etenim si inspiratio aut expiratio uarietur, siue ex tarditate in uelocitatē, siue ex uelocitate in tarditatē motu transeunte, cōpositam siue inæqualem ipsam actionē dicemus. Similiter si cessatio aliqua interceperit, secueritue alterum motum, siue inspirationem, siue expirationē, compositam etiam esse dicemus tunc eam quæ interrupta est, utra tandem ea existat.

*Respirationem dari inæqualē.*

*Respiratio ordinata, inordinataq;.*

Aliquando autem, licet rarò, est uisum in uno eodemq; homine simul intercipi utranq;, nimirum à collecta in arterijs asperis tanta humorum colluuie, quæ suffocare animal posset, ob pleuritidē perniciosam, aut peripneumoniam, aut deniq; suppurationē non expurgatam. Quemadmodum etiam ob arteriarum læuium obturationes compressionesq;, interdum pulsuū inæqualitas gignitur. Ob facultatis præterea imbecillitatem, quæ una uice nō potest ipsam actionem perficere, ut in pulsu, sic etiam in respiratione, est quando inæqualitas cernitur: hoc tamē interiecto discrimine, quòd ad ipsam sanè respirationem, quandoquidem actio animalis existit, plurimùm ipsa uoluntas confert: nihil autem ad pulsuum motus, quòd ij à facultate uitali proficiscātur.

*Respirationis inæqualitas unde soleat accidere.*

Vbi igitur uoluntas nihil ad actionem cōducit, ut in pulsuū inæqualitate, eadem prænotio affectionis est in uniuersis hominibus. Vbi uerò aut totum, aut plurimū confert, ut in ipsa respiratione, ibi amplius mores ægri expendere oportet.

*Mores ægri quādo expendendi.*

Sed quemadmodū differentia facultatum efficientium actiones, tum circa pulsus, tum circa respirationes, differētes prænotiones facit: sic etiam circa ipsam organorū naturā, quædam iudicationis alteratio erit. Pulsus enim per læues arterias, respiratio uerò tum per asperas, tum per musculosum genus perficitur. Primò siquidem animalis facultas mouet musculos ad respirationis generationē: hi thoracem: qui tandem pulmones cōmouet, quorū pars asperæ arteriæ existunt, in quas aër qui inspiratur, illabitur.

*Pulsus per læues arterias fit.*
*Respiratio fit per asperas arterias, et musculos*

Quemadmodū igitur harum coarctationes totam respirationē sæpe inæqualem reddunt, sic & musculorum aberrantes motus & inordinati. Atq; illarum quidem, ut receptaculorum spiritus: horum uerò, ut organorū motionis est noxa. Cæterùm coarctationis in arterijs asperis, tumores præter naturam declarauerim reos. Porrò affectiones simul & aberrantes motus musculorum existunt, conuulsiones, concussiones, atq; tremores, ob quos nimirum respiratio inæqualis reddetur.

*Musculorū affectiones & aberrantes motus.*

Omniū itaq; respirationis inæqualitatum, aut asperarum arteriarum coarctatio, aut thoracis musculorū aberrans motus, aut facultatis ipsam efficientis debilitas, in causa est.

*Respirationis inæqualitatis causa.*

Musculorū igitur genus proprium & priuatim destinatum respirationibus est, præter pulsuum rationē. Præterea facultatis quidem respiratoriæ arbitriū, uoluntati permissum est: uitalis autē facultas, nullū dominū superiorē agnoscit, sed prorsus libera existit. *Quin etiā eximiū quid ad inæqualitatis generationē

*Respiratio est arbitrio subdita.*
*Vitalis facultas est libera.*

respiratio habebit, prꝑter pulsuum rationẽ: dum uidelicet partim quidem à sola proficiscitur facultate animali, partim uerò à complexu ipsius cum doloribus.

*Delirantium respiratio qualis.*

Porrò in delirijs superat quidẽ raritas & magnitudo: apparet autẽ quædam inæqualitas, & ordinis perturbatio, tum iuxta plures respirationes, tum iuxta unam solam: quòd nimirũ * spectra & phantasmata aliquãdo plus, aliquando minus, rationem à naturalibus operibus reuocent.

*Dolores organorum respirationis, reddunt actionem ipsam inæqualẽ inordinatamq́.*

In doloribus etiam instrumentorũ cõtingit totam respirationẽ inæqualem & inordinatã reddi, cùm neq; in illis etiam expleaẽ utilitas iuxta actiones singulas: quippe nec uelociter, nec dense, nec amplius thoracẽ distendere possunt. Omnia enim hæc ipsis molesta sunt, & præsertim magnitudo: deinde uelocitas: postremò autẽ densitas. Dolentibus nanq; minus molestum est per longius tempus, q̃ per breuius moueri. Cæterũ dum ob ipsorũ motuũ imminutiones, parũ abest quin animal suffocetur, uoluntas tunc cogitur ad aliquod tempus maiorẽ facere respirationẽ, & multò uelociorẽ, & priore densiorẽ. At cùm in eiusmodi actionibus utilitas quidem expleatur, animal uerò affligaẽ doloribus

*Vtilitatem explentia exacerbare dolores.*

(omnia siquidem quæ utilitatem explenr, exacerbant dolores) uoluntas rursus à magnitudine & uelocitate & densitate detrahit aliquando plus, aliquando minus: utpote quę cõsilij inops, nec sistere actionẽ posſit, ob suffocationis periculũ, nec reperire aliquã doloris medelam: quare modò ad hoc, modò ad illud transit. Vnde tum inęqualitas circa singulas & omnes deinceps respirationes, tum multiformis illa ordinis perturbatio oritur.

*Parilitatis corruptio, cuius sit causa.*

Siquidẽ ex corruptione parilitatis, inæqualitatũ omniũ, itemq; ordinis perturbationũ generatio cõstat.

*Aequalitas quid.*
*Ordo quid.*

Parilitas quippe cõtinua, æqualitas est: parilitas uerò iuxta circuitus, est ordo. Ob idq; ubi paritas cõtinua corrũpitur, gignit inæqualitas: ubi uerò iuxta circuitus reuertens, ordinis perturbatio introducitur. Cæterũ q̃uis multa inæqualitas & ordinis perturbatio in eiusmodi affectionibus incidat, superat tamen id genus respirandi difficultatis, q̃d iuxta paruitatẽ & densitatẽ cõsistit.

*Respirationis dolentia organa, qualis consequatur spiritus.*

Quare rectè uidetur dictũ, quòd ad om̃ia dolore afflicta organa, quæ cõmouentur circa respirationes, paruus & densus spiritus consequaẽ:

*Delirantiũ spiritus magnus simul & rarus.*

& iuxta eandem rationẽ in delirijs magnũ fieri & rarum spiritũ, idq; inæqualiter: nunq̃ autẽ paruũ & densum.

*Inspirationis magna & velocis causa.*

Igitur inspiratio magna simul & uelox, ob utilitatẽ urgentem, prompta organa, & integram, aut certè parũ remissam, gignit facultatẽ. At magna simul & tarda, solis mente motis cõtingit, atq; his non semper. Conspicua autẽ etiam hic est ex prædictis, causæ cõsideratio: quemadmodũ etiã, cùm paruã habent inspirationẽ & tardam ij, quibus calor insitus est nimis perfrigeratus.

*Inspiratio parua simul & velox.*

Quæ restat adhuc cõiugatio quarta, paruitas erat cum uelocitate: fitq; penitus in nulla affectione simplici, quemadmodũ neq; magna simul & tarda, quam aliquando alienatis mente accidere diximus: sequitur tamen utplurimũ, ubi simul dolor & utilitatis incrementũ concurrũt. Ad eundẽ cum prædictis modũ etiam in cõiugationibus circa expirationem perscrutari ipsas affectiones oportet. Nam & in his, aut facultatem, aut aliquod organum læsum, aut caloris modum alteratũ deprehendimus.

*Expirationis magnæ & velocis causa.*

Si igitur quis fumosa caliditate in corporibus redundante, expirationem magnam simulq; uelocem fieri dicat, nõ utiq; errarit. Manifestum est autẽ quòd & facultatẽ integram tunc esse oportet, & ex organis nullum uitiatũ.

*Expiratio magna simul et tarda, in delirantibus accidit.*

Similiter autẽ magnã simul & tardam in quibusdam delirantibus fieri, eodẽ modo quo inspirationẽ, contigit.

*Expiratio parua simul & tarda, quibus.*

Sic paruã simul & tardam fieri ijs, quibus nullum fumosum recrementũ fuerit collectum.

*Expiratio parua simul & velox, quibus.*

Sicuti tum paruam, tum uelocem illis, qui cùm recrementũ fuliginosum collegerint, dolẽt etiam aliqua parte earum quæ circa respirationem mouenẽ.

*Dissonantium motuum respirationis causa.*

Ad dissonantias autẽ deueniendo motuũ respirationis, si tardior quidem & minor quàm secundũ naturã sit inspiratio, expiratio autem & uelocior & maior, dicemus sanè imminutum esse calorẽ secundũ naturã, auctum uerò excrementũ fumosum. Si cõtrà, inspiratio quidem sit magna & uelox, expiratio autẽ parua simul & tarda, auctũ naturalem calorẽ dicemus, nullũq; inesse recrementũ fumosum.

*Respirandi simplices quidẽ difficultates, nil certi indicant: coniugatæ autẽ, ad iudicium minimè fallax perducunt.*

Porrò simplices respirandi difficultates, plurium affectionũ cõmunes existunt: ob idq; nil certi indicant. Coniugatæ autem alijs, ad iudicium minimè fallax perducunt. Magnitudo siquidem * inspirationis, ipsa per se respirandi quędam difficultas est simplex, uerùm nullius certæ cognitionis est signũ. Nam & urgente utilitate, & læsa fieri mente assolet. At si cum densitate consistat, utilitatem urgentem: si uerò cum raritate, deliriũ indicat. Similiter & cùm per seipsam paruitas nil certi sit, aut dolere afflictam particulam aliquã, aut exolutam utilitatem ostendit. at densitati iuncta, dolorem: sicuti raritati, utilitatis exolutionẽ portendit. Per se etiam nec rara quidem, nec densa firmi quicquam ostendunt. At densa simul & magna, utilitatis augmentum indicat: densa uerò simul & parua, organi alicuius quod inter respirandum mouetur, dolorem. Rara similiter, si cum magnitudine quidem coëat, deliria: si uerò cum paruitate, perfrigerationes ostẽdit.

*Respirandi difficultatum compositarum, quæ sint utilissimæ coniugationes.*

Atq; ob id sanè omnium compositarũ respirandi difficultatum hæ quatuor ultimæ coniugationes sunt utilissimæ. Fiunt autẽ, differentijs actionũ iuxta magnitudinem & paruitatẽ, ad cessationũ differentias permistis.

*Cessationum circa respirationem est oppositio una, penes raritatem & densitatem.*

Cæterũ ex cessationũ oppositione (quæ unica tantũ est penes raritatem & densitatem) alijs differentijs permista, quatuor etiam oriuntur coniugationes. Prima quidem est densa & uelox: secunda, densa simul & tarda: tertia, rara & uelox. quarta deniq; rara simul & tarda. Nullum tamen certæ cognitionis signum simpliciter & necessariò exhibent, quemadmodũ priores quatuor: quare his ad prænotiones neutiq̃ indigemus, cùm nimirũ si q̃d significẽt, id iam distinctũ per priores illas habeamus.

*Respiratoria animalisq́; facultatis extrema refrigerata, propria signa quæ sint.*

Porrò si q̃s ægrotantis facultatis respiratorię, omnisq; facultatis animalis, præcipuè refrigeratæ, propria signa cupiet habere, is alarũ nasi motũ habebit, & omniũ musculorũ, q̃ circa scapulas sunt, actionẽ, & cõfertim factã cõcidẽtiã thoracis.

*Nasi alæ quãdo spiritus ductum adiuuent.*

Quãdo em̃ hic debilius q̃ expediat mouet, circa respirationes quidẽ, spiritus ductũ nasi alæ adiuuãt: circa expirationes

autem

*Cōcidentia thoracis & eiusdē demissiōis discrimen.*

*Septum transuersum.*

*Efflatus fieri ab intercostalibus musculis.*

*Respirationum duplex cessatio.*

autē, thorax confertim delabitur, nō autem paulatim demittitur. Etenim cōcidentia differt à demissione: quòd illa quidem, facultate ægrotante fiat: hæc autem, integra & ualente eadem. Etenim septum transuersum thoracis tensionē adiuuat, solumq́; illam per expirationes resoluit, nōnihil etiam opitulantibus intercostalibus musculis, per quorum actiones ipsi fiunt efflatus. Cùm autē duplex existat cessatio in respirationibus, una ante inspirationē, altera ante expirationem: uter sanè motus offendatur, cessationē præcedentem, ab eo quod secundum naturam habet, immutat.

*Respirationis motionum offensio duplex.*

*Cessatiōes inter respirandū breues & longæ, à quibus causis proficiscantur.*

Duplici igitur existente in motibus offensione, ac duplici item in cessationibus: utilitatis quidē defectus, diuturni temporis semper cessationes efficiunt: redundantiæ uerò, breuioris. Itaq; abundantia caloris secundum naturam, reddens inspirationē magnā, statim etiam præcedentē ipsam cessationem, breuis temporis efficit. Abundantia uerò caloris præter naturā, fuliginosiq́;, ut expirationem magnam, sic etiam cessationem præcedentē reddit breuiorē. Quare magnus & densus penitus fit spiritus, ubi caliditatis genus redundat. Sic etiam si sublata utilitas fit, ob caloris uidelicet imminutionem, ubi quidem naturalis calor imminutus paruam reddit inspirationem, etiam longa cessatio præcedit. Vbi uerò calor præter naturam deperditus fuerit, parua quidem expiratio, longa uerò ante ipsam cessatio accidit. Sæpenumero uerò calor præter naturam est auctus, imminuto calore secundum naturam. Atq; ita cessatio ante expirationem * breuis temporis redditur: altera uerò ante inspirationem * longioris.

*Respirationis utrius motus ab usu impulsus præcedentē cessationem cōtrahit.*

Vtrum enim ex motibus ipsa urgebit utilitas, is præcedentē cessationem cunctari non permittit.

## GALENI PERGAMENI
### de difficultate respirationis liber secundus.

*Desipientiæ proprium symptoma est respiratio magna simul & rara.*

PRoprium itaq; desipientiæ symptoma est, magnam & raram, hoc est, per longū tempus, respirationē facere: uidenturq́; ambæ hæ, ueluti obliuiosæ actionis affectus esse. Nam immoderatam facere spiritus attractionem, rursumq́; immodicā quietem, eius est, qui nec quando desinere ab actione oporteat, nouit, nec quando rursus incipere: sed in utrisque mensuram egreditur, ob conuenientis ignorationem.

*Desipientes cur obliuiosi reddātur.*

Cùm igitur respiratio animale opus sit, desipientes autem habeant oblæsam rationem, obliuiosiores tum circa actiones, tum circa ipsarum interstitia fiunt. Quamobrem & actiones & quietes in multo facientes tempore, hoc modo magnitudinem & raritatem circa totam respirationem efficiūt: id quod Hippocrates cùm in alijs locis, tum etiam in prænotionibus, sensisse uidetur, ubi ait: Spiritus magnus & per multum tempus, desipientiam significat.

*Spiratio magna simul & rara, non est inseparabilis à delirio.*

Quo sanè oraculo, magnum & rarum spiritum desipientiæ signum esse contendit: non tamen necessum esse, ut is qui delirat, magnam simul & raram faciat inspirationem. Nec enim inseparabilem magnum & rarum spiritū, sed proprium esse delirij diximus.

*Proprium omne non statim est etiam inseparabile.*

Quicquid autem proprium existit, haud continuò est etiam inseparabile. Esse quippe geometram, propriū hominis est, nō autem inseparabile, quemadmodū rationale, existit. Licet itaque discere ex doctrina Hippocratis, omnibus quidem delirijs magnū & rarum spiritū iuxta propriam ipsorum rationē comitem esse: nō autem delirijs omnibus, sed illis tantū, qui nō per aliam quandam affectionē delirio maiorē, habent respirationem aliter alteratam. Hippocrates siquidem aliquando magnū & rarum spiritū fieri delirijs nouit, aliquando uerò ipsius cōtrarium: interdum in eodem homine utrunq; uicissim incidere.

*Suspirantes ex luctu, cur post longum tempus inspirationē magnam efficiant.*

Porrò qui in mœrore & luctu suspirant, duplici de causa post longum tempus inspirationem magnā efficiunt: tum quòd circa curam, ob quam tristantur, conuersi, per multas ex ordinē actiones respirarint minus & rarius, ob idq́; tandem cogātur uno actu totam semel explere atq; reparare iacturā: tum amplius etiā, propterea quòd per mœrores, & spiritus & calor intus moueat, qui quidem homini facessens negociū, eum ad maiorē expirationē compellit. At in affectionibus delirantiū, necessitas quidem magnæ respirationis à prima quidem causa, est persimilis: à secunda uerò nō item, cùm nō intrò magis quàm extrà his calor moueat, nisi alia fortè quædam accessio fiat. Differunt autem & febris ratione delirij ab ijs, qui aliàs aliquo mœrore cruciantur.

*Respiratio delirantium simul & dolentiū qualis.*

Igitur reuocatis in memoriam quæ in primo libro sunt tradita, si à solo delirio peruertatur respirationis cōcinnitas, omnino erit spiritus magnus simul & rarus. Si uerò à solo dolore, paruus & densus. At si conspirent ambo, & dolor * præcelluerit uehemēter, obscura omnino alteratio ex delirio erit. Sin autē moderatus fuerit dolor, aut plus quidem à dolore, minus uerò à delirio respirationē alterari cōtinget, aut uice uersa, aut æqualiter iuxta utrunq;. Sic etiā si cum alia quapiam affectione deliriū complexū sit, respirationis speciem interdū aliam efficiet, prout superat, aut superatur, aut æqua potentia est præditum: aut nunc quidem (si ita cōtingat) superat, rursus alio morbi tempore superabitur.

*Phlegmone quid.*

*Spiritus paruus & densus quas comitetur dispositiones.*

At uerò in peripneumonicis, pleuriticis, & in angina, ac breuiter in omnibus quibus aliquid circa thoracem, aut pulmonem, aut etiam in uentre inferiore sit phlegmone (hoc est, tumore dolente, duro & calido) obsessum, paruus omnino & densus spiritus sequitur: qualis etiā hydropicos, & eos qui se aut potu aut cibis expleuerūt intemperantius, necnō prægnantes, uentre prominulo præditos, anhelosos, purulentos, atq; eos denique quibus dorsi spina contorta est, comitatur.

*Pleuritidis symptomata sunt, febris ardēs, assiduus dolor, tussis, ac difficilis respiratio, parua nempe simul & densa.*

*Splen est uiscus minimè obnoxium dolori.*

*Septum transuersum est principalissimum respirationis organum.*

Verùm Hippocrates de his quidem respirandi difficultatibus, quæ sunt uel idiotis notissimæ, nihil memoriæ prodidit. Porrò in pleuritide quatuor mala semper se ostendūt symptomata: uidelicet febris ardens, assiduus dolor, tussis, ac difficilis respiratio, parua simul & densa existens. Dolor quippe, nō secus quàm perfrigeratio, paruā solet facere respirationē: uerùm dolor quidē, cum densitate. perfrigeratio autē, cum raritate. Cùm autem splen sit uiscus minimè obnoxiū dolori, nec septum transuersum, primū & principalissimū

respirationis organum, ipsius tumor cõprimat, nisi maximus sit, & caput illius occupet, haud quidem sufficiens est ut respirandi difficultatem ex delirio inductam superet, spiritũ paruum & densum reddens. Quandoquidem opus est dolorem ipsum consistere circa aliquam partẽ, quę iuxta respirationem mouetur: aut aliquod ex organis respiratorijs coarctari, ut paruus & densus spiritus fiat.

## *GALENI PERGAMENI de difficultate respirationis liber tertius.*

*Respirationis difficilis quatuor cõiugationes.*

REctè autem Hippocrates rationaliq; diuisione usus, sexto populariũ morborum libro duas oppositiones difficilis respirationis inter se complicans, eam scilicet quæ secundum magnitudinẽ & paruitatẽ est, illi quæ secundum raritatem & densitatẽ, quatuor in uniuersum fecit cõiugationes: unam uidelicet, magnã & raram: secundam, paruam & raram: tertiam, magnã simul & densam: quartã, paruam & densam. Quibus etiam adiecit ibidem, & reliquas duas cõiugationes, quæ ex collatione inspirationis cum expiratione oriuntur: utputa magnam inspirationẽ & expirationẽ paruam. Inspirationem exiguam, & magnã expirationẽ. Duæ siquidem oppositiones inter se complicatæ, quatuor coniugationes efficiũt. Porrò qui methodicè uelit diuidere, in primis expendat oportet, qualis naturæ existat, quod diuidendũ uenit. Quòd si simplex esse uideatur, quæ iuxta substãtiæ ipsius rationẽ sunt, quot sint, & quæ, ac qualia, considerandum. Si uerò compositũ, utranq;, aut singulas eius partes diuidere expedit: totum autẽ, ex modo compositionis. Igitur dictio Hippocratis ita habet: Spiritus parui densi, magni rari, parui rari, magni densi, extra magnus intra paruus, intra magnus extra paruus, alius extendens, alius urgens, dupla intra reuocatio ueluti super inspirantibus, calidus, frigidus. Quòd itaq; ex spiritus intrà & extrà meatu, totius respirationis actio composita sit, quodq; altera eius pars inspiratio, altera expiratio appelletur, ignorat nemo. Quòd uerò nullius alterius rei, q̃ motus, propria sint uelocitas atq; tarditas, iam est à nobis expositũ. Cæterũ magnitudo & paruitas, ut motui propria sunt, sic omnino inseparabilia existunt ab eo, quod per localem distantiã fertur: ob idq; iuxta utranq; respirationis partem duæ differentes oppositiones erunt: altera iuxta uelocitatem ac tarditatẽ, altera iuxta magnitudinẽ & paruitatem. Est autem & alia oppositio iuxta densitatem & raritatem consistens: quæ quidem nõ tanq̃ motui, sed tanquã alicui rei ex ipsis distantijs conflatæ, inest respirationi. Quare in his tribus oppositionũ generibus omnes respirationis differentias esse necesse est. In uelocitate quidem & tarditate, propterea quòd hæc propria, & ab omni motu inseparabilia sint. In magnitudine & paruitate, quòd per distantiam * organa respirationis moueantur. Densitas autem & raritas (quæ tertia oppositio est) neutrius propria rum ac primarũ respirationis partiũ proprium

*Methodicè diuisuris quæ sint cõsideranda.*

*Respirationis differentias omnes in tribus oppositionibus cõprehendi.*

aut inseparabile existit, uerùm totius respirationis pars sit per accidens: quãdoquidem ex duobus contrarijs motibus quiete distinctis cõstat. Hæc itaq; sunt primæ differentiæ totius respirationis. Cæterùm cùm respiratio res sit, quæ & facere aliquid, & pati possit, aliud utiq; fuerit differentiarum genus in ipsa, utraq; uidelicet parte æqualiter inæqualitérue perfecta: aliudq; rursus ipsius totius ut compositæ, partibus inter se mutuò collatis. Hæc cùm ita habeant, sciendum primas quatuor differẽtias difficilis respirationis, in proposita Hippocratis dictione assignatas, totius respirationis esse, cùm ad neutrã eius partem raritas densitásue pertineat. Similiter etiam sequentes duas: nam & in ijs duæ totius respirationis partes mutuò inter se conferuntur. Quæ uerò deinceps aliæ duæ sequuntur, ubi ait: Alius extendens, alius urgens (quibus tardus & uelox pulsus significatur) eas sanè alterius ipsius respirationis partis proprias, maximeq; substantiales, putandũ est. Tarditas nanq; & uelocitas ab omni motu inseparabilia sunt. Quod postea deinceps habetur, Dupla intrò reuocatio, ueluti super inspirantibus, inęqualem inspirationẽ ostendit. Inquirẽda est autẽ eadem oppositio & in expiratione, quam ego omissam puto à transcribentibus, potius quàm ab ipso Hippocrate. Addidit præterea & optimè differẽtijs prædictis, calidum frigidumq; spiritũ. Quanq̃ certè in Prænotionũ libro, horum trium, densi, & magni, & frigidi tantùm spiritus meminit, tali dictione utens: Spiritus densus existens, dolorẽ, aut caloris efferuescentiam in locis supra septũ transuersum significat. Magnus autẽ & per multum tempus, desipientiam ostendit. Frigidus uerò ex naribus & ore prodiens, ualde iam perniciosus est. Reliquas autem differentias subticuit, tum propter breuitatẽ ueteribus familiarissimã, tum propter altitudinẽ animi, quæ ipsimet erat genuina Hippocrati. Demonstratũ enim à nobis est, q̃ grauis sit semper hic uir, ut qui ea quæ alijs medicis nota sunt, prætereat, ueluti quę à nemine eorum qui artẽ ingenuè exercent, ignorari queant: quæ uerò talibus sunt ignota, omnia diligenter, simulq; perspicuè exponat. Meritò itaq; differentias densitatis, ut quæ medicis esse ignotæ non possint, una summa comprehensas exposuit, dicens: Spiritus densus, dolorem, aut maximũ incendium significat, in locis supra septum transuersum: tanq̃ sanè possimus nos intelligere, q; cum paruitate quidem, dolorem significet: cum magnitudine uerò, incendiũ inexpugnabile partium supra diaphragma, quòd immodicæ caliditates partiũ quę infra id sunt, respirationẽ in magnitudinem & densitatem augere nõ possint. In pleuritide itaq; & peripneumonijs, anginisq; & orthopnœis, densus fit ac paruus spiritus. * Imò uerò etiam si pleuritis nõ adsit, solus autem dolor costas infestet, spiritus densus & paruus redditur. In uniuersum autẽ, siue tumor quis sit premens coarctansq; quodcunq; respiratoriũ organum, siue dolor circa quamcunq; partem, sic appropinquantẽ respiratorijs organis, ut ipsis motis simul moueatur, densus ac paruus ipse spiritus erit. At calore maximo in respiratorijs organis coa-

*Respirationis totius quanã sint differentia.*

*Spiritus frigidus ore & naribus prodiens, ad modũ perniciosus est.*

*Breuitatem fuisse veteribus familiarissimam.*

*Hippocratis grauitas.*

*Spiritus densus quid significet.*

*Spiritus paruus & densus in quibus affectibus accidat.*

*Spiritus denſus ſimul et magnus quãdo redditur*

nis coaceruato, ſpiritus denſus ſimul & magnus agetur: id quod indies in omnibus exurentibus febribus eſt conſpicuũ. Quare ignorandum nõ eſt Hippocratem, denſum quidem & paruũ, dolori: ſpiritũ autem denſum & magnũ, incendio caliditatis tribuiſſe. Quemadmodũ enim dolentibus cruribus, progredi multũ non poſſumus, eodem modo ubi aliquod organũ ex ijs quæ inter reſpirandum mouentur, doluerit, parum reſpirare cogimur, & citius deſiſtere cupimus: quo ſic citius à dolore immunes reddamur. Cæterũ quantò citius quàm oportuit, motus reſpirationis cohibetur, tantò ipſum animal defectuoſius eſt inſpiratione recreatũ. Quemadmodum igitur ſi quis pauciores cibos, quàm ſit ex uſu, accipiat, hic ſtatim aliorũ ciborũ opus habebit: ſic ſi quis minus quàm expediens ſit, inſpirauerit, is citius inſpiratione indigebit: qua ex occaſione ſpiritũ denſari cõtingit: id quod etiam ſentiens Hippocrates in libro de Victus ratione in acutis morbis, ait: Sputũ intrà retentum, prohibet quidem ſpiritũ intrò ferri, cogitq; eum citò expirari. Porrò iuxta copiam eius quæ inſpiratur, ſubſtantiæ, oportet magnitudinẽ ipſius reſpirationis metiri. Reliquit autem Hippocrates exemplum difficilis reſpirationis ortæ à dolore, quòd multis locis iam ipſe dixerit, actiones organorũ à dolore impediri, quodq; illius cognitio oppidò facilis ſit. Nec uerò tantũ à dolore & retento ſpiritu, oriri denſitas reſpirationis poteſt, ſed uel maximẽ etiã ab incendio febrilis caliditatis: cuius quidem eſt multũ denſum'q; ſpiritum reddere. Magnus ſpiritus, quantitate circa ſingulas iudicatur reſpirationes: multum uerò, poſsibile eſt aliquando ex multis paruis coaceruari: ut uidere eſt in pleuriticis, qui cùm magnũ quidem ſpiritũ ſemel ducere ob dolorẽ nõ poſſint, quamuis aëre largiori ob febrim opus habeant, continuitate tamen actionis, æqualẽ multitudinem ſpiritus magnis reſpirationibus colligunt. Quod enim paucæ magnæ, hoc multę paruæ præſtant. Similiter in peripneumonicis multo eſt opus ſpiritu, uerùm ob coarctationẽ locorum parum inſpiratur: quare denſitas iacturam paruæ inſpirationis reſtaurat. Quòd autẽ in orthopnœis paruus & denſus ob coarctationem fiat ſpiritus, haud ſcio an quiſquam ignoret. Cæterùm omnes qui ob talem coarctationẽ ſufficienter inſpirare nõ poſſunt, ſtertoroſam faciũt reſpirationem, & in ſuffocationis diſcrimen ueniunt, ſi decumbant: ob id tum totum thoracẽ, tum collum, eos rectũ habere oportet, cùm non paruum auxiliũ ipſis ex huiuſmodi figura accedat. Quippe ampliora ſimulq; longiora ſic fiunt omnia reſpirationis organa, partim quidem per rectam figuram in directam extenta, partim uerò minus in ſeſe cõcidere prohibita. Iam uerò relicta etiam parua ſimul & rara reſpiratione, Hippocrates frigidæ meminit, quòd nimirũ nõ alia ſit parua ſimul & rara, alia uerò frigida. Nam cùm magna & denſa ex immoderato calore collecto in organis reſpiratorijs gignatur, neceſſariò certè parua & rara (quæ illius contraria exiſtit) his ipſis organis perfrigeratis orietur. Siquidem calida reſpiratio, cuius ſimiliter meminit,

*Organorũ reſpirationis dolente aliquo, cur paruum, ſed crebrũ agamus ſpiritũ.*

*Febrilis caliditas multum denſumq; ſpiritum reddit.*

*Peripneumonicorum ſpiritus eſt paruus & denſus.*

*Orthopnœarum qualis cernitur ſpiritus.*

*Orthopnœa laborantes cur iuuet ſpiratio recta.*

*Reſpirationem paruam et rarã oriri ab organis reſpirationis refrigeratis.*

eadem eſt cum denſa & magna, ſub qua uidelicet cõprehenditur. Etenim ſpiritus frigidus, omnino paruus & rarus eſt: denſum autẽ & magnũ *indicare incendiũ organorũ reſpirationis, minimè ſanè quis dixerit, niſi & ipſe etiam effletur calidus. Solam uerò frigidam expirationẽ dixit eſſe pernicioſam Hippocrates, mortisq; nunciã, quòd perfrigerari reſpiratorijs organis planè ſit pernicioſum, cùm nimirũ inter ea ſit cor ſitum, inſiti caloris fons & principium. At uehemens illorum caliditas, aut dolor, aut deſipientia, nõ omnino ſunt pernicioſa, licet nõ ſint extra periculum. Nam ſi facilis reſpiratio ualde magnã uim ad ſalutem habere putanda eſt, in omnibus acutis morbis, qui cum febribus ſunt, & intra quadraginta dies iudicantur (quale documentũ nobis reliquit Hippocrates) utiq; reſpirationes difficiles minimè uacabunt periculo. Verùm quæ iam morientibus accidunt, ut uidelicet ipſa expiratio frigida, ea nullũ magnũ momentũ in prænotionibus habent. Eſt enim bonorũ medicorũ opus, non quæ iam idiotis apparent, præſagire, ſed quę & ipſos latent, & cùm nihil mali æger habere putetur, cernuntur. At frigidæ ſpirationis Hippocrates meminit, ut omnes reſpirandi difficultates complecteretur, & quòd etiam magnæ ſimul & denſæ ipſa oppoſita exiſteret. Porrò in Prænotionũ libro nihil de inæquali reſpirationis difficultate ſcripſit nobis Hippocrates, quandoquidem propoſitũ illi erat in prænotionibus ſolum ea quæ uerè acutorum morborũ propria ſunt, recenſere: quæ uerò diuturnis propria eſſent relinquere. Quare rationabiliter etiam illic inæqualem reſpirationis difficultatem, ex alio morborũ genere, conuulſorio uidelicet, procedentem, omiſit. Acuti autẽ ſunt morbi, qui omnino cum febribus cõtinentibus fiunt: ut pleuritis, peripneumonia, phrenitis, ac febris æſtuans. Nec meminit in prænotionibus de ijs reſpirandi difficultatibus, in quibus aut ſola inſpiratio, aut ſola expiratio eſt magna: ſicuti nec uelocis, nec tardæ reſpirationis: quòd ad quinq; iam dictas difficilis reſpirationis differentias hæ omnes reduci poſſint. Iam uerò expiratio rara ſimul & magna (id quod etiam docuit Hippocrates) continuarũ oſcitationũ & ſignum & cauſa medicatoria exiſtit. Nam cùm oſcitatio continua fiat ob uaporoſum quendam craſſum'q; ſpiritũ in genere muſculorũ contentum, certè expiratio quæ rara eſt & magna, erit quidem ſignũ, ut affectionis in contrariũ mutatæ: cauſa uerò medicatoria, quòd contrariorũ ſint cõtraria remedia. Etenim per talem expirationẽ ſpiritus diutius cohibitus, qua ratione ſingultus ſanat, uidelicet aliena euacuando, eadem etiam mederi oſcitationibus poterit. Quemadmodũ autẽ ipſa detentio ſpiritus ſuperflua excernere poteſt, ſic reſpiratio continua, uentilare ſimul poteſt & excalfacere perfrigerata: exiſtens eorum & ſignũ, & cauſa ſalubris. Iuxta hanc igitur rationẽ etiam in ſecundo Morborũ populariũ conſuluit Hippocrates, ut ijs qui perfrigerati eſſent, excandeſcentiam induceremus, & reuocandi coloris, & ſanguinis in uaſa ſubter cuticulam colligendi gratia: tanq; ſanè innatũ calorẽ excitare queat excandeſcentia.

*Expiratio frigida quur mortis nuncia.*

*Cor eſt inſiti caloris fons et principium.*

*Spiratio facilis, ad ſalutem magnam vim obtinet.*

*Medici optimi munus quod ſit.*

*Acuti morbi ſunt, qui omnino cum febribus cõtinentib. fiũt.*

*Expiratio rara ſimul & magna continuarũ oſcitationis ſignum atq; medela exiſtit.*

*Oſcitationis cõtinua cauſa.*

*Contrariorum ſunt cõtraria remedia.*

*Spiritus diu cohibitus, ſanat ſingultus.*

*Reſpiratio continua ventilare ſimul poteſt & excalfacere refrigerata.*

*Refrigerati cur ſint excitãdi ad iram.*

*Excandeſcentia innatũ calorem reuocat, & denſiorem reddit reſpirationem.*

quæ quidem quòd densiorē etiam omnino reddat respirationē, nemo ignorat. Vtemur itaque ipsa in refrigeratis, decoloratis, gracilibusq́;, nō tamen perpetuò, sed ex interuallis, & opportunis temporibus, ne uidelicet facultatē ualde lædamus. Verūenimuero quod Hippocrates ait, spiritū frigidum ex naribus & ore prodeuntem, ualde perniciosum existere, id in morbis acutis intelligendum est. In alijs autem morbis, qui citra febrem consistunt, sæpe frigiditas totum animalis habitū apprehendit: & accidit quidem neque his extrà periculum, nō tamen penitus perniciosa. Ex his enim est strangulatio uteri, omnesq́; spiritus interceptiones, quæ mulieribus quidem assiduè, uiduis pręsertim, accidunt: rarò autē aliquando & uiris. In huiusmodi enim omnibus affectionibus, pręmultitudine materiæ frigidæ, innatus calor opprimit, ad similitudinem flammæ, quę suffocatꝰ multis humidis lignis obruta. Quare etiā accendere quandoq; possibile est hanc, ubi materiam exuperauerit. Aliquando tamen consumpta materia, necessariò etiam & ipsa extinguit:* quare in ijs qui per acutos morbos sic expirant, nulla spes salutis relinquitur.

*Spiritus frigidus ore & naribus effluens, in acutis tantùm morbis est perniciosus admodū.*

Quòd autē in spiritus interceptionibus nō omnino respiratio perierit, licet minimus rarissimusq́; spiritus per illas trahatur, hinc cognosces manifestissimè, quòd si aut pilū, aut tenuissimā lanā, ægri prætendas naribus, illam moueri percipies. Atq; in affectibus sanè id genus omnib. spiritus densus, causa simulq́; signū salubre existit: quemadmodū continuarū oscitationū, expiratio rara simul & magna. At uerò anhelosa respiratio, quæ & densum spiritum facit, & thoracem nimis distendit, oritur aliquādo quidem in affectibus multa inspiratione indigentibus. Fit tamen interdū à cursu, aut ab alio quouis exercitio improbo. Eiusmodi etiam spiritus accidit in omnibus ardentibus febribus: & quando obturatio, aut compressio, aut coarctatio, instrumenta respirationis infestat. In uniuersum autē, quādo aut tumor, aut dolor quispiā, in partibus iuxta ilia constiterit, paruus & densus necessariò spiritus ducitur. Porrò spiritū impense densatū, anhelationē cōsueuit uocare Hippocrates: quēadmodū & sublimem eum, qui paruus simul & densus fuerit, qualis in anginis percipitur. At obscurum spiritū ait esse tabescentibus malū, sicuti & nō parientibus. Etenim nō pariētes mulieres (sunt autē hæ omnino quæ nō probè purgantꝰ) maximè à spiritus interceptionib. apprehenduntur: perinde ut illæ, quæ diu sunt orbatæ suis uiris. Quare spiritus qui conspicui & insignes non sunt, eos obscuros nominat. Ac sermo de respiratione difficili suum iam hic finem sortiatur.

*Respirationem non omnino perijsse per interceptiones spirituū qua ratione cognosci possit.*

*Anhelosa respiratio unde proficiscatur.*

*Spiritus paruus & densus quando ducatur.*

*Anhelatio. Sublimis spiritus.*

*Spiritus obscurus, quibus sit malus.*

*Spiritus interceptiōe steriles ac uiduas frequentissime corripi.*

## *GALENI PERGAMENI* *de pulsuum usu, lib. unus.*


On esse eundem usum pulsus & respirationis, cōtrà quàm medici existimāt, certè rationibus his quispiā cōtendere possit. Primū: nam respirationem si cui adimas, illicò mortē afferes. At pulsu si complures particulas priues, nō magnopere lædes. Quippe si uel arterias quę per inguina descendūt ad crura, uel quæ per alas feruntꝰ ad manus, laqueo cōplecti uelis, uniuersas quidem, quæ in ijs artubus sunt, arterias pulsu priuabis: nō tamē artubus ipsis aut motū adimes uoluntariū, aut sensum. At si neruos funiculo religes, immotas prorsus, insensibilesq́; extēplò reddes particulas. Debebāt igitur & arterię, ubi similiter neruis essent affectæ, quod singulis membris antea cōtulissent utile, id ipsum protinus præstare desistere. Ad hæc si ipsas quæ in collo sunt arterias uinculo exceperis, nullā euidentem noxā animali attuleris: tametsi cor cum cerebro, princeps scilicet instrumentū actionū uitalium, cum principe animaliū, cōnectant. Si igitur cùm sint læsæ arteriæ, nihil tamen officiunt, cōstat utiq; & cùm ualentes sunt, nihil eas cōferre.* At si obijciamus illi qui arteriarum usum sic negligit, nos maximè pręsagire ex pulsu: id minime quidem fieri ut ex causis id genus, quæ plurimùm habeāt momenti, sed ut ex opportunis signis, responsum dabit: ut si quis mortē ex incuruis unguibus nigricantibusq́; coniectet. Cor siquidem princeps uiscus existere, ex quo omnes arteriæ oriuntꝰ: ac proinde eas eundem cum illo motū seruare, offendiq́; similiter, atq; ita nō exiguę rei indices esse posse. At maior medicorū atq; philosophorū pars, inde eundem utriusq; motus esse usum existimant, quòd uterq; similes ijsdem ex causis mutationes accipiat. Nam & qui exercitantꝰ, & qui in balneo lauātur, & qui aliter quouis modo excalfiunt, eorū nō modò respirationem celeriorē frequentioremq́; ac maiorē cōtueri licet, sed pulsus etiam pari modo mutatos. Pręterea qui algent, aliterùe quolibet modo perfrigerati sunt, horum sicuti respiratio rarior, tardior, ac minor uisitur, ita & pulsus. Similiter qui urentibus prehensi sunt febribus, ut maximè ij & celerrimè densissimeq́; respirant, sic etiam maximè, densissimè, & uelocissimè, ijs pulsant arteriæ. Quòd si ab immodica repletione pulsus sentiuntꝰ maiores, respirationes minores, ne id quidem sermonē hunc reddat ambiguum. Quippe minorē tam respiratū quàm pulsum idcirco habent, quòd angustus transuerso eorum septo superfit locus. Cęterū quantò minorē, tantò hunc & crebriorē habent: scilicet respirandi paruitatem, assiduitatis eius ope pensantes. Ideoq́; tantundem minor simul & frequētior respiratio potest, quantū maior simul atq; infrequentior. Dicimus autem hoc loco rariorē pulsum eum qui comestioni succedit, non utiq; cum eo qui comestionem præcedit comparantes (quippe quo est frequentior) sed ad respirationis speciem referentes. Igitur si respiratio pari cum pulsu modo, ijsdem ex causis mutatur, non tamen parem noxam, cùm perit, affert, licebit utique hinc etiam colligere opposita: nempe tum ambos motus à naturā eiusdem usus gratia esse datos, tum nō eiusdem: id quod est impossibile. Itaque nobis inuestigandum est, qua parte altera rationum claudicet, ipso respirationis usu pro norma nobis proposito. Qui quidem duplex existit: nēmpe alter qui maior est, insiti caloris custodia: alter qui minor, animalis spiritus nutricatio: in quorum utroque ex attracto per nares spiritu

*Pulsus & respirationis non esse eundē usum, quibus suaderi posset rationib.*

*Pulsu priuatas particulas, non magnopere lædi.*

*Neruis' unc interceptis, partes in quas ferebantur destitui motu simul & sensu.*

*Præsagiū ex pulsibus sumi.*

*Cor esse arteriarum originem.*

*Pulsuum & respirationis unde colligamus esse unum eundemq́; usum.*

*Respiratio & pulsus ijsdem ex causis mutationes similes recipiunt.*

*Repletiones immodicæ reddunt pulsus quidem maiores, respirationes autem minores atq; crebriores.*

*Respirationis usus est duplex: unus insiti caloris custodia, alter animalis spiritus nutricatio*

*Cerebrum frui respiratione per nares.*

accedere cerebro utilitatem dicimus. Id quod uideri posñit in causa, ut carotidibus arterijs (quæ sanguine calido & halituoso plenæ, cùm perreptant ad cerebrum, antequàm duram eius membranam transierint,

*Retiformem plexũ fieri à carotidibus ad basim cerebri conuolutu.*

iuxta ipsius cerebri basim multis ac uarijs plexibus inuolutæ, admirãdum quoddam rete conficiunt: ut quemadmodum in uasorum testium reuolutionibus semen, atq; in uoluminibus intestinorum chylus, ita in eo sanguis ille diutius hærens, perfectissimè elaboretur, adsitq; simul animali qui in cerebro est spiritui, alimentum copiosum) uinculo exceptis, per diem integrum animal sine noxa perduret. Quanquam certè si cogatur tale animal currere, diu quidem id facit probè, postea uerò fatiscit, atq; elanguescit:

*Spiritum animalem exhauriri per violentas motiones.*

cùm nimirum ille animalis spiritus, quo pleni sunt uentriculi cerebri, assiduè nutriri postulet, absumaturq; per uoluntarias, præcipueq; uiolentas, motiones. Cæterùm si animal quiescat, quãuis cõmercium cum corde sit interceptum cerebro, satisfacere tamen ei diu textus ille reticularis potest, ceu animali spiritu in motum uoluntarium minimè tum consumpto. Mirum autem esse nõ debet, si alicuius partis haud omniuo pereat caliditas, etiam si arteriæ illius uinculo constringantur.

*Corpus vniuersum esse sibi cõspirabile & fluxile.*

Nam cùm totum corpus sit sibi conspirabile & fluxile, certè si non per arterias, at per alia, & præcipuè per uenas, propter eum qui est de una in alteram transitum, in omnẽ particulam deferetur à corde caloris aliquid. Nec uero simile est, aut infiti caloris principium pati, aut aliquod eorum quę ab illo calorem accipiũt. Id siquidem semper feruere est opus, ut quod tum cæteris pulsandi uim præstet, tum ea calfaciat: his autem ad salutẽ est satis, si nõ omnino sint frigida. Nec mirari præterea debemus, si principium ipsum, ubi respiratione priuatur, plus quàm cætera noxæ contrahit:

*Flammã extingui ilicò sub cucurbitis medicinalibus.*

quippe sub cucurbitulis medicinalibus flamma ilicò extinguitur. Iam uerò si cor nudatũ refrigeres, celerrimè perit animal: sin calidũ serues, patitur nihil. Quòd si corde refrigerato, ac propterea animali iam mortuo, in alterutrũ uentriculorum eius, & præcipuè in sinistrum, inseras digitum, magnũ inibi calorem deprehẽdes, longeq; maiorem quàm in alijs sit partibus, dummodo pro naturæ modo se habeant. Siquidem ut par hæc caloris portio cordi est minima, sic reliquis partibus omnino est magna. Proinde ubi quod pro naturæ modo est, non seruatur, cordis quidem calor, qui ueluti flamma est, perit: reliquorũ calor longo tempore durat.

*Respiratio sola, cordis calorem tuetur.*

*Caloris custodia reliquis post cor partib. duplex.*

Porrò illi sola respiratio calorem tuetur. Alijs autem partibus duplex eius custodia est: pulsus uidelicet, qui ueluti quędam est respiratio: & quod ex abundantiore naturæ gratia accedit, q̃d à corde cõfluit.

*Calorem à corde membris etiã demitti per venas.*

Quòd autẽ nõ solùm per arterias, sed etiam per uenas confluat à corde calor, hinc colligere licet, quòd quibus eæ uinculo exceptę fuerunt, ob uulnera, partes in quas ferebantur, fuerint perfrigeratæ.

*Respirationis et pulsus est vsus idem.*

*Pulsus est datus caloris seruandi gratia.*

Cùm igitur nihil iam aduersari uideaẽ, quo minus unus respirationis & pulsuum usus, finisq; sit, facilè promptumq; collectu arbitror, caloris in quaq; parte custodiendi gratia pulsum conditum esse: atq; ita, quod ex respiratione uni præstatur cordi, id ex pulsu calori illi qui in toto est animali, accedere: cõmunem uerò utriusq; esse, & animalis spiritus nutritionem: magis tamen arteriarũ propriam.

*Animalis spiritus nutritionem esse munus commune respirationis & pulsus.*

Quoniam igitur in ijs quæ de respirationis usu tradidimus, nobis monstratum est, natiuũ calorẽ per inspirationẽ quidem refrigerari: per expirationẽ autem purgari, fumido scilicet excremẽto excusso: ambas uerò actiones ad eius custodiam conferre aliquid utile:

*Calorem innatum refrigerari per inspirationẽ, purgari aũt per expirationẽ.*

patet arbitror, quòd in pulsu etiam idem dicendũ erit: nempe in diastole arteriæ, substantiã quampiam attrahi: in systole, q̃d ex humorũ deustione in toto animali contractum est, ueluti fumida superfluitas, expelli.

*Diastole arteriarum substantiã spiritus attrahi, systole expelli fuliginem.*

Verùm quemadmodũ & fauces, & pulmones, & uniuersum pectus, dum recipiunt spiritũ dilatantur: itidem arterias, quo trahunt tempore, dilatari oportet, non quo spiritum reddunt, ut existimauit Archigenes.

*Arteria dilatantur dum trahũt spiritum.*

Quin & quies illa quæ arteriarum contractioni succedit, cùm multò maior sit ea quæ dilatationẽ sequitur, sicuti quæ inspirationẽ præcedit, ea quæ superuenit illi: ostendit sanè, etiam secundũ hoc esse quandam similitudinem inter ipsam respirationem & pulsum.

*Pulsuũ & respirationis similitudo.*

Cuiusmodi enim instrumentis spiritus res inspiratio est, eiusmodi arterijs dilatatio existit. Et cuiusmodi est illis emissio spiritus, eiusmodi est arterijs contractio. Cuius quidem duplicis & compositi arteriarũ motus, quẽ nominamus pulsum, autor & origo est cor.

*Cor est principium compositi arteriarum motus.*

*Pulsificam facultatẽ à corde influere arterijs, per ipsarum tunicarũ substantias.*

Cæterùm cùm uis illa, unde cor contrahitur dilataturq;, in omnes arterias per tunicas earũ influẽs, eas cogat aperiatq;, quemadmodũ ipsum cor: utiq; sicut illud dum dilatatur, ea quæ osculis suis appropinquant, trahit: cùm contrahitur, expellit: sic & arteriæ, cùm se aperiunt, ad se undiq; trahunt, cùm contrahuntur, in omnem partem expellunt, uidelicet per uniuersos meatus, quibus in intestina, uentriculum, uniuersam cutim, atqueadeo in uenas se aperiũt. Quippe si animali alicui, ex ijs quibus arteriæ sunt amplæ, magnas multasq; arterias quis uulneret, uniuersum per eas sanguinẽ euacuarit.

*Arteria trahũt, dum dilatãtur, expellunt cũ cõtrahuntur.*

*Arterias trahere à venis, & in illas pellere per communia orificia.*

Sunt itaq; arterijs & uenis cõmunia oscula, per quæ quidem, dum dilatantur arteriæ, ex uenis trahũt: in eas, dum cõtrahuntur, regerũt. Sicuti nimirũ per ora quæ in cutem finiunẽ, quicquid halituosum fumidúmue excrementũ habẽt, excernũt: recipiũt autẽ ex aëre ambiente, nõ exiguam in se portionem, per aliaq; spiramenta similiter.

*Arterias parum cordi suggerere.*

At à corde quidem accipiũt plus: reddũt autẽ ei minus, propter membranas illas, quæ in earũ superna nascuntur parte: quanq̃ certè aliquid impertiunẽ.

*Sanguinem cõtineri in arterijs.*

*Arteriæ nõ quia implentur dilatantur, sed quia dilatantur implentur.*

Iam uerò cùm sanguis in arterijs, etiã rectè se habente animali, contineaẽ: manifestũ est non ideo dilatari arterias, quòd spiritu profectò à corde impleanẽ: sed potius ob id impleri, quòd dilatentur. Quippe si essent sanguine uacuę, fieri fortassę posset, ut exiguo tempore, quod à corde confluit, ad fines earũ perueniret: sanguinẽ uerò in se habentibus, fieri omnino nequit, ut motus celeritas cum ea dilatatione cõsentiat, quæ ex ijs à corde implendis proueniat.

*Arteria seipsas mouent, eadem qua cor facultate.*

Arteriæ itaq; seipsas mouẽt, uicissim se attollẽtes summittẽtesq;: idq; eadẽ qua cor ui: quã scilicet ab ipso corde ortã, per tunicas earũ transmitti diximus. Est enim ut

*Respirationem esse opus animalis potentiæ: pulsum, vitalis.*

respirationis uis animalis, quæ à cerebro proficiscitur, sic pulsuum uitalis facultas, quæ à corde emanat, effectrix. Porrò uenæ, animali uita iam functo, simulac uacuæ sunt sanguine, prorsus in seipsas sidunt, ita ut superna earũ tunicæ pars, cõmittatur cum inferiore: at arteriæ, partibus dissidentibus nunq̃ nõ conspiciunt: quod sanè propter alteram earũ tunicam, quæ dura est, euenit.

*Diastolem esse etiam arteriarum actionem.*

Quòd autẽ nõ modò systole, sed diastole sit etiã actio arteriarum, contrà q̃ nõnulli arbitrantur, admodum perspicuũ uidetur: cùm nimirũ ipsa diastole sub uirium robore magna fit: sicuti è diuerso parua, sub facultate imbecilla.

*Expiratio est actiõis remissio*

Ad hæc, si quemadmodũ expiratio, sic diastole actionis esset remissio, utique nec intensio in ea, nec remissio, sicuti nec in spiritus emissione, perciperent: nec omnino robur & uehemẽtia ictus, quæ percipiuntur. Diastole itaq; mihi ex genere actionũ uidetur. Deinceps considerandum, an sicuti expiratio remissio actionis thoracis est, ac tanquã cessatio quędam: efflatio uerò actio, atq; idcirco intensionem & remissionẽ admittens, quod expiratio non facit:

*Systolem naturalem esse relaxationẽ actiõn.*

sic systole in pulsibus relaxatio sit arteriarũ operis, aliaq; huic annexa inueniat, quæ efflationi respõdeat, actio. Ac mihi id quoque uidet esse uerissimũ. Etenim rationabile est, ubi ex humorũ deustione collectus fuliginosus uapor plurimus fuerit, tum animal efflatũ appetere. Contrà cùm uel ob succi temperiẽ, uel caloris mediocritatẽ, nihil talis excrementi colligit, tum expirationẽ duntaxat.

*Systolem reperiri, quæ efflatiõi proportione respondeat.*

In arterijs quoq;, ubi tale excrementũ redundat, similem efflatui systolem edi. Reliquas, cùm id quod ex ipsis uacuat, halitui q̃ fumo est similius.

*Ingurgitatorũ cibo diastole & systole qualis.*

*Calorẽ per somnum ad interna conuerti.*

Quãobrem ijs qui se ingurgitarũt cibo, per somnũ fit remissior quidem diastole, systole autẽ intensior: quippe tunc intrò magis q̃ foras naturali calore se conferente: eoq; etiã circa uiscera & uentrem, qui succos & cibos cõcoquit, iam plurimo collecto, necessum est excrementũ, quoniã id quoq; copiosius gignit, naturalem uacuationẽ desideret. Proinde expiratio quidẽ maior, & plerũq; cum efflatione perficitur: cõtractio autẽ arteriæ, illi proportione respõdens.

*Pueris expiratio & systole excellunt.*

*Senibus systole tardior.*

Similiter ambæ & in pueris excellunt, quòd sit in eis uehemens propter incrementũ concoctio. Contrà senum ætas tardiorẽ & minorẽ uidet habere systolen, utpote minus necessariã, cùm & imbecilliter cõcoquant, & minimè succos cõficiant.

*Pulsus à quibus mutari possit.*

Ad proportionẽ horũ omniũ, tum anni tempus, tum regio, tum omnis uno uerbo circũdantis nos aëris ad frigus & calorem mutatio, pulsus alterare uident. Pari modo & animi affectus omẽs, & uitæ fortes, & morbi, arteriarũ motum introrsus extrorsùs ue promouent. Qui uerò inquiunt, arterias nõ agendo aliquid, celerius interiusq; descendere: sed propter tunicarũ mollitiem, ubi à diastole dimittuntur, & ulterius & celerius, q̃ duras, in seipsas recidere: facilè redargui possunt.

*Molles tunicæ quando sint agiliores ad motum & quando tardiores duris.*

Quippe faciliores ad motus erũt molles tunicæ, cùm scilicet facultates ipsæ aliquid per eas moliunt, utpote sic magis eis obsequentes. Dum uerò postq̃ ab ijs sunt motæ, rursum permittunt ad statum propriũ redire, tum uniq; durę, q̃ molles, ob impetũ, robur & firmitudinẽ suæ constitutionis, reuertunt multò celerius: quemadmodũ grandiores arbores, quæ ut cum renixu trahuntur, sic dimissæ, reflectuntur celerrimè.

*Pulsuum usus.*

Diximus igitur, & quòd pulsus naturalis qui per totum corpus diffunditur, caloris gratia sit conditus: & quòd dilatata arteria, is calor refrigeretur, contracta rursus purgetur: & quòd motus hi, spiritus motibus omnimo sint similes: & q; animali spiritui cõducant: & q; una re tantũ, respiratio & pulsus dissideãt, nẽpe quòd illa ab animali facultate, hic à uitali oriat.

*Respiratio & pulsus quomodo differant.*

## GALENI PERGAMENI introductio in pulsus.



Niuersæ arteriæ pulsum habent nõ modò sibi inter se, uerumetiã cordi ipsi persimilẽ, adeò ut ex una ipsarũ possis de reliquis iudiciũ facere: nõ tamen motũ omniũ ęquabiliter sentias, sed earũ quidem quæ partibus excarnibus insunt, clarius: quæ uerò in carnosis, obscurius: quæ autẽ carne multa integuntur, aut intra ossa sunt, aut alijs corporibus subiacẽt, earũ motum sensu haudquaq̃ deprehenderis, nisi fortè extabuerit animal.

*Pulsum habent cor & omnes arteriæ similem.*

*Pulsum non æqualiter percipi in arterijs omnibus.*

Nam sic motus arteriæ quæ spinę incumbit, tangentibus epigastriũ plerũq; deprehendi solet. Porrò quę in temporibus sunt, tarsis pedũ, & interna parte carporũ, eæ perpetuo motu sẽnsibili præditæ sunt.

*Arteria sensibilem pulsum adentes.*

Verũ neq; expeditius, neq; honestius, nec si usum spectes, maiori commodo aliam attigeris, si eas quæ in carpis sunt prætericris, & quòd maximè perspicuæ & expositæ sint, & secundum rectitudinem sitæ.

*Carporum arterias esse omniũ aptissimas, vt tangantur.*

### De quantitate dilatationis.

*Arteria in omnem dimensionem extẽditur.*

*Dimensiões corporum esse tres.*

Tibi autẽ tangenti, arteria sentietur in omnẽ dimensionẽ extendi. At dimensiones corporum omniũ sunt tres: in longũ scilicet, latum, & profundum. Cæterũ cùm animal secundum naturã habet, cõperies arteriam moderatè admodũ dilatari: cùm autem cõtrà præter naturam habet, interdum secundum quamuis dimensionẽ partim minuitur, partim exuperat. quo casu memoria tenere oportet, cuiusmodi pulsus naturalis extiterat. Tum si is qui est præter naturã, auctus latitudine inueniatur, latũ: sin longitudine, longum: si profunditate, altum appellare.

*Pulsuũ, qui natura modum egressi sunt, dignoscendorũ ratio.*

Ad portionem & ijs contrarios, qui uidelicet naturali sunt minores, angustum, breuem, atq; humilem uocitabis. Pulsuũ uerò secundum omnẽ dimensionem in statum præter naturã traductorũ, qui undiq; est diminutus, paruus: qui auctus undiq; est, magnus nuncupatur. Atq; hæ pulsus sunt in dilatationis quantitate differentiæ.

### De motus qualitate.

*Pulsus celeritas quid.*

*Tarditas.*

Propriæ motus differentiæ sunt, celeritas & tarditas: quarum illa quidem, motus quidam est concitatus, hæc autem exolutus: quas ita demũ dijudicabimus, si eas ad motum naturalem comparauerimus.

*Languidus pulsus.*

*Vehemens.*

In occursus porrò qualitate, languor ac uehementia consistunt.

*Pulsus duritiem atq; mollitiem, ad tunicas arteriarum referri.*

Cæterũ durities atq; mollities, tunicæ ipsius arteriæ sunt qualitates: minimè autem propriam pulsus differentiam cõstituunt, licet cum eo percipiantur. Tres igitur has differentias pulsuũ, & præterea quartam illam quæ in magnitudine erat & paruitate, in percussione arteriæ reperies.

De

### De tempore quietis.

*Pulsum dici frequentẽ, rarum, & moderatum, pro ratiõe quietis intercedentis systolem & diastolem.*

Quintã autẽ aliam numerabis, quæ est in intermissione, quæ inter percussiones intercedit. Voco enim percussiones, cùm arteria tactui nostro occurrit: intermissionẽ autem, quietem quę inter duas percussiones intercedit: secundum quam, frequẽs, rarus, atq; inter utrunq; medius pulsus iudicatur: quo in medio pulsus secũdum naturam consistunt. Porrò omnes ij temporis etiam quantitate dijudicantᷓ. Nam frequens dicitur, cùm quietis tempus breue fuerit: rarus, cùm diuturnum. Non fuerit autem alienum, si tyronibus contractio arteriæ ponatur esse insensibilis.

### De æqualitate atq; inæqualitate.

*Aequalitas pulsus quomodo indicãda veniat.*

Aequalitas autem & inæqualitas in dictis omnibus differentijs inueniuntur. Nam ubi in illis ordine se consequentibus est æqualitas ac similitudo, æqualitatem tunc uocitamus. Verbi gratia, si pulsuum ordine subsequentium magnitudo fuerit æquabilis, ibi tum pulsum in magnitudine æqualem dicere possumus: sin in celeritate, celeritate æqualem. Ad eundem etiam modum in uehementia, frequentia, & languore. Inæqualitas porrò, æquabilitatis est labes, in quauis pulsuum differentia ipsa accidat.

*Inæqualitas pulsuum quid.*

### De pulsu ordinato inordinatoq;.

Nonnunq̃ autẽ & post certam quandã percussionũ numero præfinitarũ seriem, pulsibus æqualibus inęqualis unus intercidit, idq; multis modis. Nam tres æquales, quartus inæqualis subsequitur, seruaturq; id deinceps uno tenore: aut quatuor, quintus: pari modo & in omni alio numero. In quibus certè omnibus æqualitas nõ seruatur, ob eamq; causam pulsus fit inæqualis. Quia uerò certa quædam series seruatᷓ, ob id ordinatus uocatur. Quæ certa periodos si minimè seruaretur, pulsus is dicereᷓ etiam inordinatus.

*Pulsus ordinatus, inordinatusq; quomodo discernendus.*

### De inæqualitate quæ in uno pulsu accidit.

*Inæqualitas in vno pulsu quando accidat.*

Accidit autẽ & in uno pulsu inæqualitas, tum partibus arteriæ situ & motu inter se dissidentibus, tum cuiusq; pulsus motu sibijpsi non consentiente. Inæqualitas igitur in partium situ accidit, cùm arteria ipsa à propria sede traducitur. In motu autem, cùm arteriæ uelocius aut tardius, tempestiuius aut serius, uehementius aut languidius, tempore diuturniore aut breuiore, assiduè aut penitus nihil, mouentur. At in singulis pulsus partibus est inæqualitas, cùm pulsus est intercisus, repetitus. Præterea cùm motu celeritatem eandem, aut uehementiam, aut languorẽ, aut magnitudinem, aut paruitatem non seruat. Sunt igitur hæ simplices inæqualitates.

*Inæqualitates simplices pulsuũ.*

### De pulsuum inæqualitate composita.

*Inæqualitates cõpositæ pulsuũ.*

Compositæ autẽ fuerint, quatenus licuerit alteram alteri, ac singulas singulis, aut unam pluribus, aut plures pluribus copulari. Quarũ nõnullæ quidem adeptæ sunt propriam appellationẽ: quemadmodũ pulsus uermicans, formicans, & hecticus. Vermicans quidem, cùm arteria uelut reptantẽ uermem, atq; fluctus instar subsilientẽ nobis repræsentat, nõ autẽ tota ipsa uno tempore dilatatur. Cęterũ si cum exigua dilatatione id accidat, uermicans: sin cum magna, fluctuosus simpliciter appellatᷓ. Perspicuũ autẽ est, q uermicans pulsus, languidus est & frequens. Qui uerò languidus summè fuerit, frequens ac paruus, is formicans cognominabitᷓ: qui tametsi celeritatẽ prę se ferat, nõ tamẽ est reuera celer. Hecticus uerò, quo modo febris, ita pulsus quoq; nuncupatᷓ, quòd nihil magnopere immuteᷓ, sed perpetuò sui similis, cohærẽs, ac nunq̃ solutus permaneat, utpote toto corporis habitu in febribus eiusmodi ac pulsibus, in statũ morbosum mutato.

*Vermicans pulsus quando accidat.*

*Fluctuosus pulsus.*

*Formicans pulsus quis dicatur.*

*Formicans pulsus non est celer.*

*Hecticus pulsus*

Vt igitur quę sunt dicta, denuò in memoriã reuocem: Pulsus magnus est, qui fit cùm arteria multũ in longũ, latũ, & profundũ diduciᷓ. Lõgus, cùm in longitudinẽ tantũ. Latus, cùm in latitudinẽ. Altus, cùm in profunditatẽ. Pulsus autẽ uehemens est, qui ualidè tactũ percutit. Mollis, in quo arteriæ tunica blãda est ac tenera. Celer, qui fit dum arteria exiguo tempore dilataᷓ. Frequens, cùm paruo interposito repetit. Aequalis, qui serie cõtinua sibi est æqualis. Ordinatus, qui singulis periodis est æqualis. Qui uerò in una percussione est inęqualis, in una percussione dicitur inæqualis. Pulsus omnibus his cõtrarij, satis sunt perspicui. Liquet pręterea, quòd aliorũ contrariorũ omniũ unus est medius: æqualis uerò & inæqualis, nullus est medius: sicuti nec ordinati, & inordinati: quodq; illorũ quidem omniũ medij ipsi sunt secundũ naturã, in his uerò solus ęqualis & ordinatus.

*Pulsus magnus.*
*Longus.*
*Latus.*
*Altus.*
*Vehemens.*
*Mollis.*
*Celer.*
*Frequens.*
*Aequalis.*
*Ordinatus.*

*Pulsus inter æqualem & inæqualẽ nullus est medius: sicuti neque inter ordinatum & inordinatum.*

### De causis pulsuum.

*Pulsuum mutationis differentia triplex.*

Cùm ab omni causa pulsus mutari soleant, triplicem & generalissimã mutationis ipsorũ differentiam statuo. Ac prima quidem mutatio, naturalis existit: secunda nõ naturalis, q̃uis nondum præter naturã: tertia deniq; præter naturã. Verũ omnes hæ mutationes, differentias naturales sequuntur. Arterię siquidem, alij aliter natura mouentur. Proinde primas eas illi esse exploratas oportet, qui uelit dignoscere, à qua causa, & quatenus pulsum ipsum mutatũ esse cõtigerit. Proprium autẽ cuiusq; pulsum experientia certò didicerit: ob idq; arteriã tangere sæpe cõuenit, potissimũ quidẽ perfectè sani, ac dum ab omni uehementi motu quiescit: pòst autẽ, & in ipsis affectibus. At cùm fieri nequeat ut pulsus omniũ experientia explorentᷓ, certè artifex plurimũ poterit, si eorum quæ multis passim similiter insunt, scientiam sibi cõpararit. Nam cõmunio quædã naturę uiris inter se est, quemadmodũ etiam mulieribus: quam qui probè calluerit, à recto aberrare non poterit. Ac uiri sanè in uniuersum mulieribus pulsum habent maiorem multò, uehementioremq;: cæterùm tardiorem paulò, ac longè rariorem. Qui natura sunt calidiores, ij quidem pulsum habent maiorem & celeriorem, ac longè frequentiorẽ, non multò tamen uehementiorem. Qui autẽ natura sunt graciliores, maiorem quidem, ac longè rariorem, uerùm nõ multò uehementiorem. Mutatur uerò pulsus, & per ætates. Puero recens in lucem ædito, pulsus frequentior est, sicuti seni rarior. Qui uerò ætate sunt inter hos media, ijs pulsus ad portionẽ respondent, prout scilicet propius ad pueri aut senis ætatẽ accesserint. Pari modo puero quidem celerrimus est, seni uerò tardissimus: mediũ mediæ ætates sortiuntur. Cæterùm inter ætates,

*Pulsum cuiusq; proprium experientia cognosci*

*Pulsus virorum.*

*Pulsus calidiorũ*

*Pulsus graciliorum.*

*Pulsus infantulo.*

*Pulsus senis.*

*Pulsus florentiũ.*

maximus florentiũ est pulsus: minimus autẽ senum: medius inter ipsos puerorũ, est paulò maior. Præterea florentium quidem uehementissimus, senum autem languidus, puerorum denique medius.

*Pulsuũ differentiæ secundum diuersa tempora.*

Sed per anni tempora pulsus etiam mutantur. Siquidem vere medio, pulsus sunt maximi & uehementissimi, celeritate uerò ac frequẽtia, moderati. Pariter etiam & autũno medio se habent. At progrediente vere, magnitudo quidem ac uehementia ipsius minuuntur: augetur autẽ celeritas & frequentia: ac tandem ubi æstas aduenerit, fiũt languidi, parui, celeres, ac frequẽtes. Autũno uerò progrediente, omnia minuuntur, magnitudo, uehemẽtia, celeritas, & frequentia: ut cùm hyems accesserit, iam sint pulsus in paruitatem, languorem, tarditatem, ac raritatẽ mutati. Porrò ut veris initium, autumni exitui: ita ueris exitus, autumni initio respondet. Tum quemadmodum æstatis initium, æstatis exitui: sic hyemis initium, hyemis exitui respõdet. Proinde quæ ab æstate media, hyemeque media, in utranque partem distant, itidem æqualiter pulsum immutant. At æstas media, partim hyemi mediæ est similis, partim dissimilis. In utraque enim pulsus sunt parui, ac languidi: æstate tamen sunt celeres, ac frequentes: hyeme uerò tardi, ac rari. Non tamen sunt parui pariter hyeme atque æstate, sed æstate minus: nec pariter hyeme atque æstate languent, sed minus hyeme. Mutantur & per

*Pulsuũ differentia pro diuersitate regionum.*

regiones pulsus, perque alias constitutiones aëris ambientis. In calidis quippe, tales reddunt pulsus, quales æstate media: in ualde frigidis, quales hyeme media: in temperatis, quales vere medio: quæ uerò inter has sunt mediæ, ad portionem se habent.

*Pulsus gerentiũ utero.*

Mulieribus utero gerẽtibus, pulsus sunt maiores, frequentiores, ac celeriores: cætera uerò modũ suum naturalem retinent.

*Pulsus dormientium.*

Somnus etiã permutat pulsus. Nam principio quidem minorem ipsum, tardiorem, rariorem, & languidiorẽ efficit: procedente uerò tempore, tarditatem intendit, & raritatem, idque præcipuè post cibum. Maior autem fit tunc & uehementior. Quòd si diuturnior is fuerit, rursum in languorem mutatur ac paruitatẽ: tarditatem autẽ & raritatẽ retinet.

*Pulsus expergefactorum à somno*

Qui à somno sunt exciti, protinus quidẽ iis pulsus sunt magni, uehementes, celeres, frequentes, & turbati quodammodo: uerùm nõ ita multò pòst, reuertuntur ad mediocritatẽ. Quod uerò ad status corporis acquisititios pertinet, non aliter ii, quàm naturales, pulsus immutant. Quandoquidem qui natura erat gracilis, factus postea quadratus (quẽ Græci εὔσαρκον uocant) pulsum habet ei, qui talis natura est, similem: de cæterisque pari iudicio.

*Pulsum mutari ab acquisititiis habitibus & temperamentis, perinde ac à naturalibus.*

Corporis quoque temperamenta acquisititia, haud secus quàm naturalia, pulsus immutant.

*Pulsuũ differentia pro exercitiorum diuersitate*

Inter causas autẽ non naturales, incipientes quidem exercitationes, quousque ad mediocritatem peruenerint, pulsus uehementiores efficiunt, magnos, celeres, ac frequentes. Si quis uerò multũ ac supra uires laboret, paruos, languidos, celeres, ac frequentissimos. Sin modũ plurimùm excesserit, adeò ut uires sint exolutæ magnopere, paruos admodum, languidos, tardos, ac raros pulsus habebit. Quòd si ad uirium progrediat dissolutionẽ, pulsus habebit uirium dissolutarum proprios.

*Pulsuũ differentia pro balneorum diuersitate*

Balneorũ quæ moderatè calida sunt, magnos, celeres, frequentes ac uehemẽtes: quæ uerò immodicè, paruos ac languidos, præterea celeres & frequẽtes pulsus efficiũt. Quòd si ibi nõ cessetur, paruos & tardos, raros, & languidos. Quæ autẽ frigida sunt, repentè quidem paruos ac tardos, raros & rariores pulsus reddunt: pòst autẽ aut stuporẽ, aut robur inducent. Quòd si refrigerarint, stuporemque induxerint, paruos ac languidos, tardos & raros: sin calorem conciliarint & robur, magnos quidem ac uehementes, celeritate tamen ac frequentia moderatos efficiẽt.

*Pulsuum differentiæ pro modo cibi assumpti.*

Copiosior cibus, quàm ut uinci possit, pulsus inæquales uixtà & inordinatos efficit: moderatus autẽ, magnos, uehementes, celeres, atque frequentes: parcior, quàm sit ex usu, minorem & breuiorẽ pulsus mutationẽ efficiet.

*Vinũ qualiter pulsum immutet.*

Vinũ, cæterà quidem, ciborũ instar, pulsus immutat: in eo tamen differt, quòd repentè immutet, quodque mutatio quæ ab eo proficiscit, citius desinat, quàm quæ à cibis prouenit: ac denique quòd celeritatẽ magis augeat & magnitudinẽ, quàm uehementiam & frequentiã.

*Aqua quomodo pulsus immutet.*

Aqua omniũ quæ sumunt, mutationẽ minimã efficit: mutat tamen & ipsa ad portionẽ ciborũ. Reliqua uerò omnia, quantũ possunt aut alere, aut calfacere, aut refrigerare, tantũ arteriarum motũ immutant.

*Immodica omnia esse præter naturam.*

At aëris cõstitutiones, ac ciborũ copia tanta, ut uires opprimat: præterea exercitationes, balnea, & somni, ubi modũ excedunt, omnia sunt præter naturã. Nam causæ quas naturales & nõ naturales diximus, quantitatis excessu cedunt in causas præter naturã. Causarũ uerò quæ nõ quantitate modò, uerumetiã genere sunt præter naturã, numerus est infinitus.

*Causarũ præter naturam differentia.*

Porrò causarũ omniũ præter naturã, aliæ quidem uires uitales ueluti soluunt & dissipant: aliæ autẽ ueluti premũt & grauãt.

*Vitalem facultatem soluentia*

Ac soluũt quidẽ, alimenti inopia, morborũ malignitas, eorumque aut diuturnitas, aut uehementia: præterea affectus animi immodici, necnõ uacuationes immoderatæ.

*Vitalem facultatem quæ opprimant.*

Opprimũt autẽ, tum ipsa materiæ copia, tum instrumentorũ affectus: inflãmationes uidelicet, scirrhi, tumorum moles, abscessus, & corruptiones uariæ.

*Pulsus facultatis solutæ.*

*Pulsus facultatis oppressæ.*

Solutæ itaque uires, paruũ, languidũ, ac ualde frequentẽ pulsum efficiũt: pressæ uerò, pulsus mutant, cùm in reliquam omnẽ inæqualitatẽ, & ordinis cõfusionẽ, tum in eam quæ in uehementia spectat, & magnitudine: nam inæqualitates hæ, oppressarũ uiriũ maximè propriæ existunt. Quinetiã in eiusmodi affectibus, motus quidam funditus pereũt, aut intercidunt. Cæterũ qui intercidunt, minorẽ: qui pereunt, maiorem læsionem indicãt.

*Pulsus facultatis solutæ ob alimenti inopiã.*

Solutarũ igitur ob alimenti inopiã uiriũ, pulsus uertuntur principiò quidem, in languorem, paruitatẽ, celeritatẽ, ac frequentiam: ad mediũ autẽ, in languorem, paruitatẽ, tarditatẽ, & raritatẽ: postremò in paruitatem summã, languorem, frequentiam, & ementitam celeritatis imaginem: qui pulsus est, quem formicantẽ appellant.

*Formicans pulsus.*

*Vermicans pulsus.*

Vermicãs autem pulsus, fit quoque & ipse uiribus iam dissolutis, sed aliquantũ adhuc resistentibus: in eoque à formicante discrepat, quòd nõ itidem in summũ languorem ac paruitatẽ redactus sit, tum quòd perspicuam habeat in uno ictu inæqualitatem, quæ fit, dum partes moueri tempe-

tempestiuius aut serius incipiũt: unde tardus est minus q̃ paruus. nonnunq̃ autẽ nihil penitus habet tarditatis, ob idq́; ipsum, minimè malignus existit.

*Pulsuum differẽtia secundum diuersas syncopas.*

At quæ à febribus exitialibus atq; acutis oriuntur syncopæ, pulsum uermicantem nõ habent: qualis utiq; reliquas uirium solutiones utplurimũ comitatur, ac eas præcipuè, quæ sine febribus accidunt: aut certè cum exiguis admodũ. Ob eam utiq; causam syncopas quidem cardiacas, formicantes: choleras uerò morbos, ac fluxus uentris uehementes, hæmorrhagias, fluxus muliebres, reliquosq́; affectus qui corpus inaniunt celeriter, utplurimũ uermicãtes: cùm autẽ extremũ affli̇ctant, formicantes sequunť.

*Iracundorũ pulsus.* *Voluptas quomodo immutet pulsum.* *Mœstorum pulsus.* *Metuentiũ pulsus.*

Iam uerò ab ira pulsus fit altus, magnus, uehemens, celer ac frequens. A uoluptate autẽ, magnus, ac rarus, nõ tamen uehementia diuersus. A mœstitia, paruus, tardus, languidus, atq; rarus. A metu recenti quidem ac uehementi, celer, turbulentus, inordinatus, atq; inæqualis: inueterato autẽ, pulsui à mœstitia est similis. In omnibus porrò his, si diu perseuerarint, aut uehementes admodum fuerint, tales pulsus fiunt, quales consequuntur solutas uires. Dolor autem qui pulsus immutat, aut quia uehemens, aut quia in partibus principalibus est, id facit: quemadmodũ inflammatio.

*Pulsuum differẽtia pro varietate dolorum.*

Cùm igitur adhuc paruus est, atq; in ipso ortu, maiorem, uehementiorẽ, celeriorem ac frequentiorem pulsum efficit: auctus autẽ, uehemensq́; admodũ factus, ut iam robori uitali noxam inferat, minorem, languidiorem, celerem ac frequentẽ. Qui uerò uires iam dissoluit, pulsus mutat in languorem, paruitatem, & falsam celeritatis imaginem, immensamq́; frequentiam.

*Pulsus inflammationum omnium serratilis.*

Inflammationum pulsus, cõmunis quidem omnium, quasi serratilis est: ut pars quidem arteriæ alia quidem dilatari uideatur, alia autẽ minimè, quæ uidelicet durior sentitur. Habet autẽ pulsus hic & turbationis nonnihil: præterea celer quidem est ac frequens, magnus uerò non semper. Proprius cuiusq;, incipientis quidem, maior est naturali, uehementior, celerior, frequentiorq́;. At in ea quæ adhuc increscit, omnia hæc fiunt auctiora, pulsusq́; iam palàm est durior & turbulentior. Cùm uerò ad uigorem peruenerit, euidentior quidem est, durior, ac turbulentior, sed minor quàm antea: non tamen languidior, nisi morbus uires exuperarit, quo casu frequentior & celer redditur. Quòd si diu admodũ perseueret, rituq́; scirrhosorũ durescat, pulsus tenuitas ac durities prædictis accedet. Hæc itaq; illi phlegmoni accidũt, quæ totius animalis pulsum immutat. Eius uerò quę animal totũ nõ turbat pulsus, in parte saltem inflãmatione accensa, est cuiusmodi esse illum in toto corpore diximus.

*Pulsuum differẽtia pro inflãmationum, & partium inflammatarũ naturæ diuersis.*

Intenditur autẽ ac remittitur prædictorũ quodq;, aut pro inflammationis qualitate, aut pro ipsius instrumẽti phlegmone obsessi natura. Nam quę partes magis sunt neruosæ, ex duriores, serratilesq́; magis, ac minores pulsus efficiũt: quę uerò sunt uenosæ magis atq; arteriosæ, cõtrarios. His autẽ ipsis maior est in partibus magis arteriosis, ibidemq́; facilè inæqualis & inordinatus efficiť. At præter ipsius pulsus differentiã, quibus septũ transuersum est inflammatũ, celeriter ij conuelluntur: suffocanť autẽ quibus pulmones.

*Septo transuerso inflammato, quàm celerrimè cõuulsiones oriri: ut suffocationes pulmone phlegmone obsesso.*

Syncope prehenduntť, quibus os uentriculi. Atrophia laborãt, quibus hepar. Non cõcoquunt, quibus uẽtriculus. Vrinæ supprimunť, quibus renes experiunť inflammationẽ. Ad hęc partes sensu exactiori præditæ, pulsus, propter dolores, immutant: hebetiori autẽ, duntaxat propter affectũ.

*Pleuriticorum pulsus.*

Itaq; pulsus pleuriticorũ celer ac frequens est, nõ tamẽ magnus admodũ. Est præterea nõ languidus quidem, nõ tamen, quod ad affectũ spectat, uehemens. Porrò quantitas frequentiæ in pulsu excedit consuetũ modũ pleuritidi, cùm pleuritis ipsa in peripneumoniã transit, aut etiã minatur syncopen. Infra modũ autẽ subsistit, cùm in cataphoram, aut neruorũ læsionem desinit.

*Serratilis inæqualitas pleuriticorum.*

Eodem modo & inæqualitas illa serratilis, quæ pleuriticis maximè est propria, remittit quidem, si pleuritis sit mollis, ac facilè concoquať: intendiť autem, si ea sit exitialis: indicatq́; ipsam esse coctu difficilẽ.

*Pleuritidũ differentia.*

Tales autẽ pleuritides, si simul adsit imbecillitas uiriũ, periculũ præsens minanť. Sin uirium robur nõ desit, signũ est eas concoctas iam esse, aut in empyema translatas, aut in tabidum marcorem degenerasse. Cæterùm si pleuritis concoquatur, sensim deponit pulsus omnem mutationem præter naturã. Cùm uerò transit in empyema, fiunt pulsus empyematum proprij. Pari modo & marcoris proprij eis accidunt, qui tabidos marcores sunt incursuri.

*Purulentorum pulsus, est qualis vigentiũ inflammationum.*

Talis autẽ est purulentorum nuper ordientiũ pulsus, qualis uigentis inflãmationis: hæc siquidem ipsarũ est suppurationum principiũ. Nonnunq̃ autem est inæqualis & inordinatus: omnibus tamen est hecticus. Cùm uerò iam pus instat, cętera quidem est similis, nisi quòd magis æqualis. Postquã autẽ est ruptum, languidior, latior, tardior ac rarior.

*Marcescentium pulsus.*

Marcescentium pulsus nõ simpliciter, neq; secundum unam speciem, mutať. Qui nanq; unà cum phlegmone nõdum soluta paulatim emarcuerũt, pulsus habent languidos, celeriores, frequentes ualde, atq; cum depressione in angustum redactos: quos utiq; myuros uocant.

*Myuri pulsus.* *Pulsus hecticus omnium marcescentium communis.*

Porrò marcescentibus omnibus cõmunis est pulsus hecticus: dein autẽ in diastoles magnitudine myuron imitans inæqualitas: postremò uerò ea quæ in frequẽtia consistit: quę omnibus etiam perpetuò inest, qui in marasmum inciderunt propter inflammationes: aut quibus propter cardiacos affectus, uel syncopas stomachicas, periculũ præsens imminet: quiq; uno epoto periculũ quidẽ pręceps effugerũt, nihilominus tamen tempore procedente marcuerũt.

*Phthisicorum pulsus.* *Peripneumonicorum pulsus.*

Phthisicorum pulsus, paruus, languidus, mollis & celer est, hecticusq; mediocriter. Peripneumonicorũ uerò, magnus, aliquantulum fluctuosus, languidus, mollis, non aliter quàm lethargicorũ: nisi quòd inæqualitate superat, tum ea quæ in una percussione cõsistit, tum ea quam systematicam uocant.

*Peripneumonicis quæ adsint.*

Cùm autẽ peripneumonici omnes aut febri acuta infestenť, aut soporis grauis nõnihil habeãt, utrumuis præualuerit horũ, secũdum illud frequentiæ quantitas maximè depreliendiť. Nam si in peripneumonia sit inflãmatior febris, pulsus erit admodũ frequẽs: sin sopor paulò magis polleat, infrequentior.

*Lethargicorũ pulsus.*

Lethargicorũ pulsus, cùm sit magnitudine,

languore, & mollitie, peripneumonicorũ pulsui cõsimilis, eodem tamen est tardior, languidior, minus inæqualis, magisq; deficiens q̃ intercidens. Porrò cõfusio ordinis utplurimũ inæqualitates sequit: nam inæqualem pulsum raro quidem ordinatũ reperias. Cæterũ minores noxæ, inæquales & ordinatos: maiores uerò, inæquales & inordinatos efficiunt. Phreniticorum pulsus est paruus: rarissimè autem magnus fuit uisus, roburq; mediocre habere. Durus præterea est, ac neruosus & frequens, & ualde celer. Videas autem licet & speciem inæqualitatis in situ, in eo nonnunq̃ uehementer accidere. Quin & tibi sæpe uidebitur tota arteria suo ipsius loco relicto, sursum deorsumq; ferri turbulentissimè: cuius magna frequentia eminentẽ minatur syncopen. Est & alius quidam nomine carens affectus, ex phrenitidis & lethargi generibus mistus: quo detenti, bonam quidem temporis partem oculos claudunt, suntq; somnolenti ac stertunt: pòst autem oculis incõniuentibus atq; immotis intuentur diutissimè, nõ aliter q̃ catochi: tum si quis eos interroget, inuitosq; ad colloquium trahat, tardi erunt ad respondendũ, difficilesq;: plerunq; autẽ turbulenter effutiunt, quicquid primũ in buccam uenerit. Atq; eius sanè affectus pulsus sunt frequentes & celeres, quo modo phreniticorum, sed minus. Pari modo & roboris habent minus quàm illi, uerùm lati sunt, atq; parui, nec dum extrà mouent, quicq̃ habent cõfertim ac simul intercisum: sed alia ratione ue luti intrò properantes suffugiũt, systolem quidẽ accelerantes, suffurantes autem diastolem. Non tamen, ne in hac quidem sunt phreniticis similes, cùm nõ habeant nescio quid intercisum. Catochôn, hoc est, detentorũ pulsus, cætera quidem similes sunt lethargicis, magnitudine, tarditate, ac raritate: quemadmodũ & totus affectus à lethargo specie nõ multũ discrepat. Catochôn tamen pulsus imbecilli non sunt, nec molles, sed in his uel multùm dissident: quemadmodũ certè & quòd lethargicis totus habitus sit solutus, ac tumens, catochis uerò cõstrictus, coactusq;. Præterea detentorũ pulsus æqualis est: inæqualis autem lethargicorũ. In conuulsis, ipsum quidem corpus arteriæ coactum esse uidetur, compactumq; undiq;, nõ tanquam à quoquam compressum, aut arctatum: nec rigidum planè, ut in febribus, & maximè in earũ accessionibus: nec propter duritiem dilatatu difficile, quod temporis longinquitate accidere solet, præsertim si uitia quædam, aut uiscerũ affectus adfuerint: sed nõ aliter quàm si corpus neruosum cauũ, ut intestinum, ab utroq; fine fuerit extensum. Talis est motus inæqualis arteriæ, quæ instar funis, sursum & deorsum traducitur. Nec enim ullum est diastoles aut systoles signum, sed confusioni potius simile quippiã hic accidit. Apparet autẽ uehemens esse ac magnus conuulsorũ pulsus: is uerò nec languidus est, nec paruus: nõ tamen adeò uehemens aut magnus uti uidetur. Percussio enim multis imponit, quæ propter tensionẽ quidem, robusta: propter turbationẽ autem, exilire apparet. Vnde aliàs quidẽ altior, aliàs quasi strepitum quendam asperũ ad tactum nostrũ uideť

*Inæqualis pulsus, qui ordinatus sit, reperitur raro.*

*Phreniticorum pulsus.*

*Catalepticorum signa, & pulsus.*

*Catochôn, hoc est, detentorum, pulsus.*

*Conuulsorum pulsus.*

*Percussionem arteria multis imponere.*

efficere. Quem pulsum, qui fuerit exercitatus, facilè deprehendet, cùm nulli sit alteri similis. Paralyseos pulsus paruus est, languidusq; & tardus: nonnullis tamen rarus: sicuti alijs frequens quidem, uerùm penè deficiens inordinatè. Epilepticorũ autẽ & apoplecticorũ pulsus, sunt similes: quocirca quæ de epilepticis memorabunť, eadem & de apoplecticis dicta fuisse est putandũ, nisi quòd omnia sunt in his intensiora. Porrò quandiu mediocriter natura ipso affectu turbatur, tantisper nullam mutationẽ in pulsu est reperire cõmemorabilem: sed solũ ueluti tensa in utranq; partẽ uidetur arteria, quemadmodum in conuulsis. Vbi uerò inualuerit affectus, ita ut opprimat uires, inęqualitatẽ quandam ac tensionẽ fortẽ asciscit, longiorq; fit pulsus, languidior & rarior. Quòd si affectus ipsas uires deiecerit, pulsus efficiet languidos, frequentes ac celeres. Angina laborantium pulsus, tensionem quandam habet cõuulsioni assimilem: magnus tamen est, ac fluctuosus, quo modo peripneumonicorum. Atq; utrumuis in eo præualuerit insigniter, secundum illud est trãsmutatio expectanda. Nam si pulsus peripneumonicorũ similis præpollet, in peripneumoniam: sin cõuulsionis, in conuulsionẽ, angina terminabitur. Cæterũ qui ex ipsa nimis anguntť, ijs pulsus fit paruus & rarus: expirantiũ autẽ, iam frequens & inæqualis. OrthopnϾ acutę pulsus est inæqualis, inordinatus, & penè deficiens: cùm autẽ mediocriter est maligna, frequens: cùm ad extremũ urget, tardus ac deficiens: cùm hominem iam è medio tollit, frequens ac languidus. Suffocationis à matrice ortæ pulsus, est cõuulsoriè extensus, ac rarus: eius autẽ quæ est exitialis, frequens, languidus, inordinatus, & penè deficiens. Os uentriculi affectum, si quidem infestet inflãmatione, eam facit mutationẽ duntaxat, cuiusmodi in inflãmatione corporis neruosi fieri iam diximus. At morsus illius, uomitus, nausea, singultus, appetitus priuatio, atq; dissolutiones, præterq̃ quòd pulsum paruũ efficiũt & languidũ, ipsum etiã nimia frequentẽ reddũt, & quibusdã moderatè celeriorem. Cõpressio autẽ sola, citra ea omnia, rarum, tardũ, paruũ, obscurũ. Pręterea quibus fames est magna, pulsus est eiusmodi. Qui uerò affectus in frequentiã ipsum pulsum permutãt, si diutius perseuerarint, aut uehementius afflixerint, ij pulsum uermicantẽ efficiẽt. Qui in raritatẽ, præterq̃ quòd memoratas differentias intendunt, talem præterea quãdã pulsus speciẽ in ea inæqualitate, quæ in uno pulsu accidit, efficiũt, ut corpus arteriæ in multas partes cõminutũ esse uideať. Hydropum pulsus, ascitæ quidẽ, longus, frequens, & subdurus cum quadã tensione est: tympanitæ autẽ longior, nõ imbecillus, celerior, frequens, subdurus, cum quadã tensione. Eius uerò qui in toto nasciť corporis habitu (quem Græci ἀνάσαρκα nominant) fluctuosus, latior, ac mollis. Elephantiasi laborantiũ pulsus paruus, imbecillus, tardus, & frequẽs. Ictericorũ pulsus sine febri, minor, frequentior, durior, non languidus, neq; celer. Eorum qui sumpserunt helleborũ, paulò quidem anteq̃ uomant, latus, rarus, languidior: cùm autem uomunt ac diuelluntť, inæqualis, & inordina-

*Paralyticorum pulsus.*

*Epilepticorum apoplecticorũq; pulsus sunt similes.*

*Epilepticorum pulsus.*

*Angina laborãtium pulsus.*

*Orthopnœa acuta pulsus.*

*Suffocationis producta ab utero, pulsus.*

*Pulsuum differentia diuersa, pro uarijs oris uentriculi affectibus.*

*Hydropicorum pulsus.*

*Hydropis trina species.*

*Elephanticorum pulsus.*

*Ictericorum pulsus.*

*Pulsus eorũ qui sumpserunt helleborum.*

inordinatus : cùm meliusculè iam habent, ordinatus quidem, sed adhuc inęqualis, minus tamē quàm prius. Cùm autē sanescūt iam, & penè ad statū naturalem redierūt, æqualis & maior ꝙ antea, uehementiorq́ꝫ. Qui uerò ex ijs syncope corripiuntur, conuelluntur, atqꝫ singultiunt, ijs pulsus paruus & languidus, inordinatus, celerior, atqꝫ admodū frequens. Qui ex eis suffocantur, paruus, languidus, inordinatus, inæqualis, nō tamē frequēs, neqꝫ celer, sed subtardus magis. Præ se fert autem & fluctuosum quiddam & latum, & nōnunquam exiguam quandam arteriæ tensionē.

## GALENI PERGAMENI
### *de differentijs pulsuum, liber primus.*

Prima genera pulsuum.

*Arteriæ corpus quale.*

Vandoquidem arteriæ corpus est cauum, longū & circunductile, habetq́ꝫ perpetuū geminū motum ex contrarijs constitutū partibus (aut enim in seipsam undiqꝫ cōsidet, aut in omnē partē distenditur: qui duplex motus uocatur pulsus) in utroqꝫ ei gemina quies accidat necesse est: altera à distentione, priusquā contrahatur: altera à cōtractione, priusquā distendatur. Quas quidem binas quietes experientiū tactus cognoscit, nec minus demonstrat ratio. Nam prius contrariū motum natura, ꝙ priorē sedauerit, non exorditur. Atqui sedari, subsistere est, & in quiete esse. Sic motibus intercedit quies. Exprimit ergo necessitas, quoddam esse tempus proprium utriusqꝫ motus : aliquod etiam intermissionum, & harum item utriusqꝫ proprium. Iam quia tres arteria dimensiones, ut reliqua omnia corpora, obtinet, longitudinem, latitudinē, profunditatē: non potest in singulis dimensionibus nō fieri quantitas aliqua distentionis & contractionis. Pręterea contentionē quandam necessariò habet, ut aut ægrè, aut languidè, aut prōptè, ualenterq́ꝫ operetur. Est etiam ipsa arteriæ tunica aut mollis aut dura : necnon intercapedo interna, aut uacua quodammodo, aut plena. Atqꝫ hæc omnia aliquando æqualia, aliquando inæqualia sunt. Temporis item distentionis aliqua proportio est cum tempore contractionis. Aliā in uno pulsu differentiam constituas præter has nullam: sed sunt omnes quæ in unum pulsum incidunt differentiæ generales, quas retulimus. Quibus duæ accedunt aliæ, quas collectiuas appellant. Ex his in plurium pulsuum mutua contentione, æqualitatem & inæqualitatem, ordinē & eius perturbationem æstimamus.

*Pulsus quid.*
*Pulsus inest quies gemina.*
*Motum contrarium non exordiri naturā prius, quàm priorē sedauerit.*
*Arteriam sortiri tres dimēsiones, perinde ut reliqua corpora.*
*Quātitas distentionis & contractionis.*
*Arterijs contentionem inesse.*
*Arterijs cōsistentia inest & cauitas.*
*Proportio unius motionis pulsus, ad alteram.*
*Differentiæ in unū pulsum incedentes, quæ sint.*

Differentiæ cuiusqꝫ generis pulsuum.

At motum ipsum pulsus, aut moderatū & naturalem esse, aut tardiorem, aut celeriorē, oportet: quæ tres pulsuum circa motū differentiæ existunt. Fit igitur pulsus celer, ubi modico tempore ipsa arteria mouetur: tardus, cùm multò: moderatus, ubi mediocri. Differentiæ pulsuū in distentionis quantitate, si quidem in singulis concipiantur dimensionibus, nouem numero sunt, in unaquaqꝫ trium dimensionū tres. In longitudine arteriæ, qui moderatus in ea est, & qui hunc excellit, uel eo est inferior. Vocatur qui excellit, longus: qui inferior est, breuis. In latitudine, moderatus, & alij immoderati duo : nempe latus, qui moderatum excellit: huic contrarius, angustus. Itidem in dimensione profunditatis arteriæ, unus moderatus est, alius altus, & alius humilis. Hæ pulsuum sunt in una dimensione acceptorum differentiæ. At differentiæ pulsuum in trinis simul dimensionibus, sunt septem & uiginti. Perspicies has manifestè in tabella. Vnus enim erit longus simul & latus, altusq́ꝫ, qui omnibus pręponatur: alius longus, latus, & profunditate moderata, scribaturq́ꝫ secundus: alius longus, latus, humilis, qui sit ordine tertius : similiq́ꝫ reliqui omnes cognoscentur uia & ratione, ut duæ primæ dimensiones maneāt immotæ, trifariam ultima uariet, hoc pacto. Quartus longus, moderata latitudine, & altus. Quintus longus, moderata latitudine, simulq́ꝫ moderata profunditate. Sextus longus, latitudine moderata, humilis. Deinde alij tres, prima dimensione longum seruante, secunda angustum, tertia trifariā uariante. In his nouem, una dimēsio permanet, longitudinis longæ : aliæ omnino cōmutantur. Mox alteri nouem, dimensione longitudinis in mediocritate seruata, uariantibus reliquis. Ad hæc nouem alij, ubi longitudinis breuis dimensio fit, & aliæ immutentur.

*Pulsuū differentiæ circa motū, sunt tres.*
*Celer pulsus.*
*Tardus.*
*Moderatus.*
*Differentiæ pulsuum in distentione, secundum singulas dimensiones sumptorū, sunt nouem.*
*Longus pulsus.*
*Breuis.*
*Latus.*
*Angustus.*
*Altus.*
*Humilis.*
*Pulsuum differētiæ in trinis simul dimēsionibus acceptorū, sunt septem & uiginti.*

TABELLA.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1 | Longus | latus | altus | magnus. |
| 2 | Longus | latus | moderatus | |
| 3 | Longus | latus | humilis | |
| 4 | Longus | moderatus | altus | |
| 5 | Longus | moderatus | moderatus | gracilis. |
| 6 | Longus | moderatus | humilis. | gracilis. |
| 7 | Longus | angustus | altus | |
| 8 | Longus | angustus | moderatus | gracilis. |
| 9 | Longus | angustus | humilis | gracilis. |
| 10 | Moderatus | latus | altus | turgidus |
| 11 | Moderatus | latus | moderatus | |
| 12 | Moderatus | latus | humilis. | |
| 13 | Moderatus | moderatus | altus | |
| 14 | Moderatus | moderatus | moderatus | medius |
| 15 | Moderatus | moderatus | humilis. | |
| 16 | Moderatus | angustus | altus | |
| 17 | Moderatus | angustus | moderatus | |
| 18 | Moderatus | angustus | humilis | gracilis. |
| 19 | Breuis | latus | altus | turgidus |
| 20 | Breuis | latus | moderatus | turgidus |
| 21 | Breuis | latus | humilis. | |
| 22 | Breuis | moderatus | altus | turgidus |
| 23 | Breuis | moderatus | moderatus | turgidus |
| 24 | Breuis | moderatus | humilis. | |
| 25 | Breuis | angustus | altus | |
| 26 | Breuis | angustus | moderatus | |
| 27 | Breuis | angustus | humilis | paruus. |

*Pulsus magnus. Paruus.*

Atq; inter* uigintiseptẽ hos pulsus qui ex ternis dimensionibus constant, primus quidem ab omnibus magnus dicitur, ultimus autẽ paruus. Reliqui uerò proprio nomine carẽt. Neq; enim qui graciles dicunt & turgidi, certũ unum significant, sed multis simul generatim tribuuntur. Nam in quibus longitudinis dimensio duabus reliquis præstat, omnes hos tenues & graciles uocant: in quibus duæ reliquæ ab hac, tum crassos, tum turgidos. At moderatũ dimensionibus pulsum, mediũ inter magnũ & paruũ nominãt.

*Gracilis. Turgidus.*

De differentijs reliquorum generum pulsuum.

*Pulsus uehemens. Languidus.*

Tertij generis pulsuũ, quod in cõtentione cõsistit, tres differentiæ existũt. Vnus quippe est ualidus cõtentione, qui uehemens uocat: alter imbecillus, qui languidus: & tertius inter utrunq;, qui medius dicit. Quarti etiã generis, quod circa arteriæ corpus uersatur, totidem sunt differentiæ: durus uidelicet, mollis, & medius. Similiter quinti generis, quod arteriæ ueluti infusionẽ declarat, sunt differẽtiæ tres: plenus, uacuus, & inter utrunq; medium tenens. Quæ quidem differentiæ quinq;, cum æqualitatibus & inæqualitatibus suis, in uno arteriæ motu consistunt.

*Durus. Mollis. Plenus. Vacuus.*

De differentijs pulsuum quæ in tempore intermissionis consistunt.

Qui contractionẽ pulsuum percipere se fatentur, tarditatẽ quidem & celeritatem in distentionis contractionisq; tempore collocant: crebritatem uerò & raritatem, in quiete utraq;: at rhythmum, in distentionis tempore, unà cum tempore insequẽtis eam quietis, ad tempus collato cõtractionis, simul & excipientis eam quietis. Porrò quietem quam uocant superam, quæ secundum distentionem contractionẽ præcedit, quanta sit, tactu queas ad unguem assequi: inferã nõ item planè, quòd utrinq; sibi asciscat partes, ad initium, contractionis extremitatem: ad finem, principium distentionis.

*Quietẽ pulsuũ supernã, quãta sit, tactu posse discerni: infernam autem, nõ item planè.*

De differentijs quietis & rhythmi.

*Pulsuũ differentia secundũ quietẽ arteriæ, sunt tres: rarus, creber, & medius.*

Itaq; in genere quietis arteriæ, tres pulsuum differentiæ consistunt, rarus, creber, & medius. At uerò cùm omnis pulsus aliquo rhythmo cõstet, erit uniq; arhythmo pulsui eurhythmus contrarius: eurhythmus autem, genus commune utriusq;. Cæterùm pulsus eurhythmus indiuisus & unus manet. Arhythmi tres differentiæ sunt: pararhythmus, heterorhythmus, ecrhythmus. Etenim cuique ætati suus est naturalis pulsus. Qui ex ijs igitur rhythmum seruat, uocatur eurhythmus: qui labefactat, arhythmus. Atque labefactans ipse, interim uicinæ ætatis rhythmũ mutuat, qui pararhythmus: interim cuiusuis alterius, qui heterorhythmus dicit: sicuti qui rhythmum prorsus nullius ætatis retinet, ecrhythmus. Easdem differentias & in naturis, anniq; temporibus, necnon regionibus, ac breuiter in omnibus, statuere oportet. Iam uerò inter omnes rhythmos, hi quidem pari proportione, illi impari constant. Pari, ubi distentionis tẽpus æquet tempus contractionis. Impari, si alteruter eorũ excedat: id quod modò certis, modò incertis fit excessibus. Certis bifariam: aut* multiplici proportione, aut ut numeri ad numerũ. Ac proportio quidem multiplex, aut dupla est, aut tripla, aut quadrupla, aut insequentiũ aliqua. Vt numeri ad numerum, ubi quot est distentio temporũ, totidem fuerit cõtractio. Incertis, in uniuersum tripliciter. Nam aut distentionis est tempus incertum, aut contractionis, aut utrunq;.

*Eurhythmus pulsus. Arhythmus pulsus. Eurhythmus pulsus cur dictus. Arhythmus pulsus est triplex.*

*Rhythmorũ differentia multiplices.*

De æqualitate, inæqualitate, ordine, & ordinis perturbatione.

*Aequalitatẽ inæqualitatẽq; in uno pulsu & in pluribus fieri: ordinem confusionemq;, in pluribus tantum.*

Porrò æqualitas & inæqualitas tum in uno pulsu fiunt, tum in pluribus. Ordo & perturbatio ordinis, in pluribus duntaxat. Ergo (ut à facilioribus cognitu ordiamur) quæ in pluribus pulsibus æqualitas inæqualitasq; cernunt, quas collectiuas uocitant, in contentione omniũ differentiarum æstimantur primi pulsus cum reliquorum differentijs. Nam pares si omnino maneant, æqualis absolutè is pulsus uocatur: sin omnino impares, absolutè inæqualis. Quòd si in una uel pluribus pares existant, & in una uel pluribus impares: quatenus pares sunt, hactenus dicetur æqualis pulsus: quatenus impares, hactenus inæqualis. Nam pulsus absolutè æqualis, nec magnitudinem, nec uelocitatẽ, nec aliud habet impar quicquã. At uerò ordinatus & inordinatus pulsus, diuisa inæqualitate in paritatẽ circuituũ, & in absolutã imparitatẽ, in utroq; membro gignuntur: in circuituũ paritate, ordinatus: in absoluta imparitate, inordinatus. Sint itaque omnes unius pulsus differentiæ, insequentium differẽtijs omni in genere pares. Absolutè æqualis talis pulsus dicetur. Contrà omnes sint omnibus impares: erit ille absolutè inæqualis. Quòd si aliqua uel aliquæ pares existant, & aliqua uel aliquæ impares: in aliqua pulsus uel aliquibus æqualis erit, in aliqua uel aliquibus inæqualis. Qui enim absolutè est æqualis, aut una, aut pluribus differentijs, nõ admittit sectionẽ. Qui autem absolutè inæqualis est, hunc per unam aut plures species secantes, circuituũ paritate & imparitate ordinatũ reperiemus & inordinatũ, uel absolutè, uel pluribus in differentijs, uel una. Cæterùm qui absolutè ordinatus est, pares sortitur circuitus omnes. Qui circulatim ordinatus est, nõ omnes æquales, sed certos. E diuerso inordinatus absolutè, nec habet deinceps omnes pares circuitus, nec certos. Circulatim uerò inordinatus, ambo hæc nõ habet, alterũ habet. Ita utriusq; medius fit, ordinati & inordinati: atque illud utriusq; commune habet, hoc non habet.

*Pulsus absolutè æqualis. Pulsus absolutè inæqualis.*

*Pulsus ordinatus in circuituũ paritate cõsistit. Pulsus inordinatus in absoluta consistit circuituum imparitate.*

*Pulsus absolutè æqualis non admittit sectionẽ.*

*Pulsus absolutè ordinatus, pares sortitur circuitus omnes. Pulsus inordinatus simpliciter. Pulsus circulatim inordinatus.*

De collectiuæ inæqualitatis differentijs: ac primò de æqualibus inæqualitatib.

Collectiuæ inæqualitates, quæ in aceruo plurium pulsuum consistunt, primam habent differentiam, qua interim æqualiter, interim inæqualiter fiunt. Quippe inæquales pulsus, sicuti & cætera ferè omnia, pristinam naturam mutantia, quatenus æquam semper mutationem recipiunt, æqualiter dicuntur mutari. Quæ uerò parem mutationem minimè asciscunt, ea inæqualiter inæqualia uocantur. Vbi igitur primo pulsu secundus est paulò minor, & tertius tantò secundo, & quartus similiter tertio, ac sic deinceps: tales sanè pulsus μύουροι, quasi imminutos, à turbinatis figuris sumpto nomine, appellãt. Iam qui ex ipsis perpetuò diminuunt, nec minui desistũt, deniq;

*Aequaliter mutari quæ dicantur. Inæqualiter inæqualia quæ nominentur.*

*Pulsus myuri.*

*Deficiẽtes myuri pulsus. Myurorũ pulsuũ differentiæ multiplices. Pulsus imminuti reciproci.*

deniq; ad quietem omnino recidunt, motuq; deficiuntur, quos uocant deficientes μύουροι. At qui desinunt, duplici sunt differẽtia. Quidam enim in quã primùm paruitate minui destiterũt, hanc constantissimè seruant. Alij autem rursus augentur, quos immmutos reciprocos uocant. Quorum quidem ipsorum nonnulli ad parem reuertunt pristinæ magnitudinẽ, alij ad minorem: alij ijsdem excessibus quibus fuerant prius imminuti, rursus augent. Sunt qui minoribus accessionibus, maioribúsue utantur.

De inæqualium inæqualitatum differentijs.

*Inæqualium inæqualitatũ differentiæ.*

Inæqualium inæqualitatum quædam nullam prorsus æqualitatem retinent: aliquæ retinent ad tres usq;, uel quatuor, uel quinq; pulsus, sed postea amittunt: in quorũ inest utrisq; uel ordo, uel perturbatio ordinis: ordo, si circuitus seruent aliquos pares: perturbatio ordinis, si & hos quoq; uiolent. Atq; hi quidem ex ipsis & motibus deficiunt, ut illi qui æqualiter agitantur. Cæterùm ut illos decurtatos deficientes, sic hos inæquales deficientes uocamus. Porrò intercurrens pulsus ex sola inęqualitate crebritatis nascitur: intermittens uerò, ex inæqualitate raritatis & paruitatis, alio atq; alio utrobiq; modo, constat. In raritatis inæqualitate, quòd quies sit producta lõgissimè: in paruitate, quòd minima fuerit distentio. Vel potius, ex pulsuũ paruitatibus deficientes cõstant: intermittẽtes, ex raritatibus.

*Decurtati deficientes pulsus. Inæquales deficientes pulsus. Intercurrẽs pulsus. Intermittẽs pulsus.*

De inæqualitatis unius pulsus differentijs.

*Inæqualitatis motus in uno pulsu differẽtiæ.*

At inæqualitatis motus in uno pulsu, duæ primæ differentiæ constituendæ sunt. Quarũ una, in una arteriæ parte gignitur: in pluribus altera. Earum autẽ utraq; potest iterum in plures distribui. Auspicabimur tamen ab ea, quæ circa unam arteriæ partem uersatur, licet distinctis temporibus: quòd nimirũ inæqualitas illa sæpe inueniatur in pulsibus, multaq; denotare consueuerit. Tres igitur illius sunt differentiæ primæ: cùm uidelicet quies interpellat motum particulæ: aut cùm ille continuus apparet, non paris tamen uelocitatis: aut cùm interdũ recurrit. In prima autem, ubi à quiete motus interpellatur, pulsuũ nouem differentiæ inueniuntur.

Primæ differentiæ inæqualitatis motus, membra.

*Pulsus differentia una in parte inæqualiter inæqualium.*

Sit prior motus celer: alter uerò, aut celer, aut tardus, aut moderatus: iam hinc tres differentiæ oriunt. Rursus alteræ tres, ubi prior manet tardus, & trifariam secundus uariat. Aliæ item tres, si permaneat moderatus primus, uarietur autẽ tribus secundus modis. At uerò inter nõ intermittentes distentionẽ inæquales motu pulsus, quidam uelociter motum exordientes, tarditate finiunt: alij contrà, tardi sunt initio, celeresq; semper magis ac magis euadunt: idq; horum utriq; habent aut æqualiter, aut inæqualiter. Illorum ergo qui motum æqualiter minuunt, uel augent, quidam ab extrema tarditate ad moderatum motum perueniunt: quidam à moderato motu ad ultimam tarditatem: alij à prima celeritate ad moderatum motum: sicuti & alij ab hoc ad extremam celeritatẽ. Sunt præterea qui utrinq; à moderato motu paululum deflectunt, hiq; bifariam: modò enim celeriores, modò tardiores fiunt, ut sex sint cunctæ eorum differentiæ, tametsi plures excogitari possint. In solis autem inæqualibus pulsibus qui inæqualiter uariant, interdum (licet rarò) accidit motus ex tardissimo uelocissimus, sicuti & ex uelocissimo tardissimus redditur.

Differentiæ pulsuum una in parte inæqualiter inæqualium.

Eorum uerò pulsuũ qui inæquales cùm sint, inæquali in mutatione uersantur, interim duæ planè, interim tres motus differentię cernuntur. Nos quartum aliquando, sed obscurè animaduertimus. Vbi igitur motus arteriæ duas sensibiles differentias efficit, sex erunt formæ concursuum: ubi autem tres, quatuor & uiginti. Quòd autem cùm in utroq; disparium motuum insint tres pulsus, uelox, tardus, & moderatus, ex concursibus eorum nõ nouem dicamus, sed sex differẽtias prodire, hac ratione intelliges, si noris, qui eundẽ bis deinceps pulsum ponat nulla intercedente quiete fieri, unum eum totum æqualem pulsum effecturum. Itaq; de nouem cõmissuris tres detrahuntur, in quibus non inæqualis iam pulsus, sed æqualis reddit, uel celer, uel tardus, uel moderatus: id quod ex tabella euadet apertum. Nam secundus in ea, & quartus, & nonus, sunt æquales: celer secundus, tardus quartus, nonus moderatus.

TABELLA.

| | | |
|---|---|---|
| 1 | Celer | tardus |
| 2 | Celer | celer |
| 3 | Celer | moderatus |
| 4 | Tardus | tardus |
| 5 | Tardus | celer |
| 6 | Tardus | moderatus |
| 7 | Moderatus | tardus |
| 8 | Moderatus | celer |
| 9 | Moderatus | moderatus. |

Eadem ratione si tribus positis inter se disparibus motibus, in singulis ijs ternos pulsus commutatos cõmittas, uigintiseptem numero formæ erunt. Ex quibus tres necesse est in æqualitatem recidãt: estq; id etiã ipsum ex tabella planũ.

TABELLA.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1 | Celer | celer | tardus |
| 2 | Celer | celer | celer |
| 3 | Celer | celer | moderatus |
| 4 | Celer | tardus | tardus |
| 5 | Celer | tardus | celer |
| 6 | Celer | tardus | moderatus |
| 7 | Celer | moderatus | tardus |
| 8 | Celer | moderatus | celer |
| 9 | Celer | moderatus | moderatus. |
| 10 | Tardus | celer | tardus |
| 11 | Tardus | celer | celer |
| 12 | Tardus | celer | moderatus |
| 13 | Tardus | tardus | tardus |
| 14 | Tardus | tardus | celer |
| 15 | Tardus | tardus | moderatus |
| 16 | Tardus | moderatus | tardus |
| 17 | Tardus | moderatus | celer |
| 18 | Tardus | moderatus | moderatus. |

| | | | |
|---|---|---|---|
| 19 | Moderatus | celer | tardus |
| 20 | Moderatus | celer | celer |
| 21 | Moderatus | celer | moderatus |
| 22 | Moderatus | tardus | tardus |
| 23 | Moderatus | tardus | celer |
| 24 | Moderatus | tardus | moderatus |
| 25 | Moderatus | moderatus | tardus |
| 26 | Moderatus | moderatus | celer |
| 27 | Moderatus | moderatus | moderatus. |

Itaque tres in his ſunt æquales, ſecundus in tabella, & tertiuſdecimus, & uigeſimuſſeptimus. Celer enim ſecundus eſt: tardus tertiuſdecimus: medius ultimus. Et iam alij duodecim pulſus, in primam tabellam tranſeunt. Nam primo primæ tabellæ, duo fient ſimiles, primus nempe & quartus ſecundæ tabellæ, hic tarditatis plus, ille celeritatis habẽs. Et tertio, tertius & nonus, ille plus obtinens celeritatis, hic mediocritatis. Quinto undecimus & quartuſdecimus, ille maiori celeritate, hic tarditate prędítus. Sexto decimuſquintus, atq; decimuſoctauus, hic plus habẽs mediocritatis, ille tarditatis. Septimo uigeſimuſſecundus, & uigeſimuſquintus: hic mediocritate, ille tarditate excellens. Reliqui de ſecunda tabella duo, uigeſimus, & uigeſimuſſextus, octauo ſunt primæ tabellæ ſimiles, hic mediocritate præſtãs, ille celeritate. At duodecim ſecundæ tabellæ reliquos, qui prorſus ſunt inæquales, nihil cum illis prioris tabellæ conſentire, clariſsimũ eſt: in quibus ſanè ipſa eſt aſcripta inæqualitas, non quòd alij illi duodecim qui cõueniunt cum prima tabella inęquales nõ ſint, ſed quòd in ternis hi differentijs motuũ aperta inæqualitate ſint prædití, cùm in binis differentijs eam habeãt alij. Sunt autẽ, ſi ordine à primo numeres, quintus, ſextus ſeptimus, octauus, decimus, duodecimus, decimuſſextus, decimuſſeptimus, decimuſnonus, uigeſimuſprimus, uigeſimuſtertius, uigeſimuſquartus.

De tertia differentia pulſuum in una parte inæqualium.

*Dicrotum pulſum, ſiue ferientem iterum, non duos, ſed unum tantum pulſum exiſtere.*

Qui repetentem pulſum, ſiue ferientem iterũ (quem Archigenes dicrotum uocat) duos eſſe pulſus exiſtimant, hallucinantur. Nam qui in una diſtentione intermittũt, quanq̃ iterũ feriant, non ob id tamen eos dixeris duos pulſus exiſtere. Quemadmodum enim dum malleo ad incudem ex longo interuallo prior ualideq́; pulſans incutitur ictus, illi ſecundus minor accedit, ueluti reſultante haud ita multùm ab incude malleo, recidenteq́; in eam languidius & breuiori interuallo, ſic dicrotæ pulſatioues in una dilatatione inæquales oriuntur. Arteria ſiquidem in occurſu quaſi repellitur, moxq́; redit. Cuius delapſum à * primæ diſtentionis fine nulla dirimit manifeſta quies, qualis animaduertitur inter ſyſtolem & diaſtolem, ſed ſimulatq; attolli deſtitit, ipſa arteria recedit, atq; pauliſper uibrata, mox occurrit iterum: id quod etiam ui tractis ramis deindeq́; dimiſsis accidit. Atq; ubi cum ui maiori tales pulſus contingunt, ipſius arteriæ partes uno eodemq́; tempore, hæ quidem attolli, decidere illæ uidentur. Sic itaq; cùm gignant dicroti, differentiæ corũ in illis omnibus quæ retulimus generibus erunt, plenitudinis, duritiei, magnitudinis, uehementiæ, celeritatis, & his contrariorum, tam in ipſo primo motu, quàm in reditu ab ipſorum diſceſſu. Nam magnus poteſt eſſe & non magnus, ſicuti & æqualis & inæqualis: ac ſic de cæteris differentijs, quarũ ſanè cõmutationes, multas ſpecies cõſtituunt dicrotorũ pulſuũ: quorũ hæ quidem in una diſtentione ſunt differentię, inęqualitate occupãte unã partẽ dũtaxat.

*Dicrota pulſationes quomodo fiant in una dilatatione inæquales.*

*Dicrotorum differentia in quibus cõſiſtant generibus.*

De inæqualitate diuerſarum partium in una diſtentione.

*Inæqualitatis pulſuum, quæ ſecundum diuerſas arteriæ partes fit, differentiæ*

Inæqualitatis quæ ſecundum diuerſas fit partes, primæ differentiæ ſunt duæ, iuxta quas aut continuus eſt motus, aut interciſus. Reliquæ ex harum diuiſione gignuntur. Nam cõtinuus, aut eſt æqualis, aut inæqualis. Si æqualis, aut remittatur celeritas, aut increſcat à primo, ſex modis, neceſſe eſt, ut paulò antè expoſuimus. Inæqualis ſunt differentiæ plures, pro pulſus magnitudine longa, uel breui, uel moderata. Nanque duobus digitis ſi motus occurrat, ſex differẽtiæ exiſtent: ſi tribus, quatuor & uiginti: ſi quatuor, ſeptuagintaocto. Nam cùm eorum quæ tres differentias habent, cõiugationes exiſtant uigintiſeptẽ, ſi quartũ illis accedat, cui tres differentiæ inſint, unam & octoginta numero eſſe ratio poſtulat. Quibus ſi tres quæ creant æquales pulſus, eripias, reliqui quidem erunt ſeptuagintaocto.

De differentijs motus interrupti.

*Interrupti motus in pulſu, differentiæ quatuor.*

Interrupti motus primæ differentiæ ſunt quatuor, quarum ſingularũ complures. At quatuor in hunc modum. Aut primus & tertius digitus motum ſentiunt, non ſecundus autẽ & quartus: aut primus & tertius & quartus, nõ autẽ ſecundus: aut primus, ſecũdus, & quartus, minimè uerò tertius: aut primus deniq; & quartus, ſecũdus & tertius neqnaq̃. Vbi igitur primus & tertius duntaxat ſentiunt, nouenæ pulſuum in ſingulis generibus differentiæ fiunt: ubi uerò primus & tertius, & quartus, uigenæ ſeptenæ. Totidẽ cùm primus, ſecundus, & quartus: at cùm primus & quartus, nouenæ. Atq; hæc quidem eſt iam inæqualitatis diuiſio, quæ diuerſis in partibus fit. Cõmiſcentur porrò uarijs modis ambæ inter ſe primæ differentiæ, ut non iam diuerſas tantùm partes, uerumetiam ſingulas teneat inęqualitas.

De inæqualitate quantitatis diſtentionis in diuerſis arteriæ partibus.

*Inæqualitas quantitatis dilatationis, diuerſas arteriæ partes occupans.*

At uerò inæqualitas quantitatis diſtentionis diuerſas quidem arteriæ partes occupans, cùm animaduertiſ crebrò, tum percipitur facillimè, & interrupta, & continua, æqualiter & inæqualiter. In una uerò arteriæ parte nõ recipit huius generis inæqualitatem unus pulſus, quòd prius quàm finem motus attingat, magnitudo minimè deprehendi poſsit. Siquidem magnitudinis & paruitatis differentiam, niſi iam moueri arteria deſtiterit, neutiquam cognoſcere poſsis.

Inæqualitatis uitalis contentionis differentiæ.

*Inæqualitatis uitalis contentionis differentia.*

Inæqualitas uerò contentionis uitalis, eandem diſtributionem ac inæqualitas motus habet. Nam aut eandem partem, aut diſtinctas tenet. Eandem tribus modis: aut interrupto motu, aut perpetuo, aut dicroto. Diſtinctas bifariã, uel cõtinuo motu, uel interciſo. Singulorũ præterea

terea horũ generũ totidem ſunt ſingulares differentiæ, quot mptus. Quin & cõmiſceri etiam poſitas una in parte inæqualitates neceſſe eſt, ut illas quæ in diuerſis fiunt.

De inæqualitate corporis arteriæ.

*Inæqualitas corporis arteriæ, eſſe in una parte non poteſt, in diuerſis poteſt, modis duobus.*

Sed inæqualitas corporis arteriæ, ex qua pulſus aut mollis aut durus redditur, in una quidẽ nõ poteſt parte fieri: in diuerſis fieri duobus modis uidetur (non aliter ac inæqualitas motus & contentionis) ut aut coutinuus motus ſit, aut intercisſus. Quo fit ut differẽtiæ huius generis ſint eædem, atq; prædictæ illorum. Verùm arteriæ pars una non poteſt initio eſſe diſtentionis, mollis, dura in fine: aut contrà primò dura, in exitu mollis. Quare hactenus quidem ab hoc pulſus genere dutitiei & mollitudinis, duo genera diſsident priora, motus & contentionis.

De inæqualitate ab infuſa materia in cauitatem arteriæ.

*Inæqualitas pulſus ab infuſa materia.*

Pulſuum genus quod efficit infuſa materia, in quo quidem pulſus plenus & uacuus eſt, eaſdem habet quæſtiones ac ſuperius quod quantitate diſtentionis conſtabat. Videbiẽ nanq; hic quoq; obtinere diuerſas partes poſſe in uno pulſu inæqualitas: unam autem eandemq; non poſſe. Porrò quia euidentius in arteriæ ſede febris calor qui ſit, quàm ſi aliam tangas partem, cognoſcitur, ideo probabatur quibuſdam, inter alia hoc etiam genus pulſuum annumerari, quo caloris qualitatem pernoſcimus. Cuius quidem generis æqualitas & inæqualitas in una diſtentione uerſanẽ. Ac inæqualitatis erunt differentiæ, prima, tum quæ diuerſas partes, tum quæ ſingulas tenet. Quas iterũ ſi prædictis rationibus ſeces, alteræ particulares plures naſcentur.

De inæqualitate à ſede arteriæ.

*Inæqualitas unius pulſus à ſede arteriæ profecta.*

Eſt & aliud genus diuerſum inæqualitatis in uno pulſu, quod à ſede arteriæ proficiſcitur: ubi pars quidẽ eius dextrorſum, pars ſiniſtrorſum, pars ſurſum, pars deorſum deflectitur: id quod accidit aut in duobus locis, aut pluribus.

De pulſu undoſo & uermiculante.

*Vndoſus pulſus quomodo fiat.*

Aliud item inæqualitatis unius pulſus genus eſt, quod uocatur undoſum. Ad cuius ſanè generationem minimè uidetur arteria in ea inæqualitate ſimul diſtendi uniuerſa: ſed primò prima eius pars, deinde ſecunda, mox tertia, & ſic conſequenter: idq; cum eleuatione quadam undoſa, altera unda ſemper priorem excipiente. Prioris ſiquidem partis arteriæ dilatationem, ſecundæ conſequiẽ, ut interueniat pars à motu libera nulla: uerùm propémodũ quieti ſimilis eſt finis undarum. At non reperias tamen ullam partẽ prorſus quieſcentẽ. A uermiculante porrò hic pulſus magnitudine differt. Neque enim eos qualitas, ſed quantitas ſeparat. Vtriq; tamen, omnibusq; eorum ſpeciebus aliquid ineſt cõmune, ſicuti & aliquid propriũ. cõmune, unde nomen uterque inuenit, undoſo quidem, exurgere quaſi undas in arteria alteram ab altera: uermiculanti uerò, eſſe uermis greſſui conſimilem. Differentiæ autem eorum hoc modo ſpeciatim fiunt. Quibuſdam enim rectà fertur unda: quibuſdam in obliquum deflectit. Quidam etiam breui longitudine, altitudinem inſignem ſortiuntur. Sunt contrà, qui longiores altitudinem humilem: aliqui lati ſunt, nonnulli anguſti, alij etiam pari celeritate præditi, alij ſecus. Et cõtentionis hæc etiam unda plus, illa habet minus: interim ſimul eſt iſtarum differentiarum inæqualitas. Habent autem utriq; hi, tum undoſi, tum uermiculãtes pulſus, ut tales ſint, à ſola diſtentionis inæqualitate ipſius quantitatis. Vna enim hæc inæqualitas, adiuncto ſibi, ut partium motus alter anteuertat, alter cunctetur, huiuſcemodi pulſus gignit.

*Vermiculantem pulſum ab undoſo non qualitas, ſed quantitas ſola diſtinguit.*

*Vndoſo & uermicanti pulſui, quæ communia & quæ propria inſint.*

De pulſu formicante.

*Vndoſo pulſui ſuccedit uermicans.*

*Vermicanti pulſui ſuccedit formicans.*

*Formicãs pulſus eſt omnium minimus, nõ tamẽ eſt celer.*

Iam uerò ut undoſo pulſui ſuccedit uermiculans imminuto, ita formicans uermiculanti, ubi multis amiſsis motibus, in unũ eundemq; prorſus paruũ deſiuerit. Quare inæqualitas eius præ exiguitate nos fugit. Eſt porrò hic pulſus paruus (quo nec alius eſt minor) languidiſsimusq; & creberrimus: nõ tamen (ut quibuſdam uiſus eſt) celer.

De uibrato & conuulſo pulſu.

*Conuulſiui pulſus.*

*Vibrati pulſus.*

Superſunt autem uibrati & conuulſiui, qui hactenus quidem ſunt inter ſe ſimiles, quòd unum locum arteria non teneat, ſed ſurſum deorſumq; agitetur, naturali ſeſe deſerta. Diſtant tamen uel hoc ipſo, quòd non adeò is affectus in conuulſiuos cadat: in uibratos magnopere, admodumq; perſpicuè: ac præterea, quatenus ex terminis utriſq; retrahi, contendiq; & conuelli conuulſiui uidentur. Vibrati omni iſto uacant. Ad hæc magna frequenter eſt dilatatio uibratis, at conuulſiuis parua. Et partes arteriæ quædã ſuperiora petere, quædam demitti uno eodemq; tempore apertè in uibratis cernuntur: cõuulſiuis uerò id perpaucis & obſcurè accidit. Breuiter ſentias ueluti fidem quandam intenſam in cõuulſiuo pulſu, quæ illi res cum nullo alio conuenit. In uibratis nihil ſimile animaduertas. Maximè enim iaculis motum eorum, quæ magna ui emiſſa, celeri impetu uibrantur, aſsimiles. Omnes autem hoſce pulſus qui præter quinq; illa prima genera in una diſtentione inæquales ſunt, horũ duorum acceſsio conſtituit, quę ſunt, genus inæqualitatis in arteriæ ſede, & cùm maturius aut ſerius motum partes auſpicantur.

De pulſu caprizante.

*Caprizans pulſus quando gignatur.*

Pulſus etiam caprizans inter inæquales in uno pulſu refertur: eſtq; etiam compoſitus, expers tamen inæqualitatis utriuſque, quæ primis quinque generibus adiuncta erat. Verùm ubi motum arteria interpellat quapiam in parte, tum potiſsimùm generatur, licet nõ ſemper, ſed ubi motus à quiete alter celerior primo & uehementior oritur.

De inæqualitate crebritatis, raritatis & rhythmi, in diuerſis pulſibus: quã collectiuam inæqualitatem appellant.

*Collectiua inæqualitas.*

*Inæqualitas in crebritate, raritateq;, ſecũdum diuerſos pulſus.*

*Rhythmus quãdo æqualis, & quando inæqualis dicatur.*

Vbi omnia ordine æqua ictuum ſunt interualla per omnes pulſus, ęqualem dictitant haud ab re tunc pulſum eſſe: ubi uerò partim maiora, partim minora, inæqualem in crebritate, raritateq;. Rhythmũ iam etiam eodem modo ex proportione temporis ictus ad interualli tempus cõſtantem, cùm deinceps maneat eadem, æqualem eum eſſe aiunt: quemadmodũ inæqualem, ubi talis proportio uariatur.

### De inæqualitate crebritatis, raritatis, rhythmiq;, in uno pulsu.

*Inæqualitas crebritatis, raritatis & rhythmi, in uno pulsu cõtingens examinatur.*

Partes arteriæ aut omnes unà motum exordiuntur, aut hæ quidem maturius, illç autem tardius. Si * igitur moueri omnes simul cœperint, postea autẽ motæ, minus æquis temporibus dilatationem alteram aggrediantur, duorũ generum in uno pulsu inæqualitas erit: quòd uidelicet illa sit quidem cognita, ubi primũ secunda distentio cœpit, in secunda tamen ipsa minimè cõtineatur: sicuti neq; ipse * rhythmus, nec genus crebritatis & raritatis, cùm & hæc ipsa fiant in uno pulsu, *quamuis ut cognoscantur, omnino secundum desiderent: quandoquidem ante huius initium, prioris nequit finis cognosci: quo incognito, nec crebritatem, nec raritatẽ, nec rhythmum ualeas cognoscere. At uerò tempus partis quæ * præ cæteris prima motu deficitur, minimum est: maximum eius quæ ultima: proportione autem media, in quantũ aut à prima, aut à postrema absint. Contrà ac tempora motus, quietum tempora, longiora sunt illis quæ primæ à motu desistunt: in illis quæ postremæ, breuiora. Quare tempus motus quem habuit pars, quæ prima moueri desijt, minimum, cum maximo tempore quietis eiusdem comparatur. Et ultimæ tempus, quod maximum erat omniũ motus temporũ, ad minimũ confertur quietis eiusdem partis. Atq; ita rhythmus in singulis cõmutatur, quatenus proportio temporis motus ad quietis tempus non eadem in omnibus manet.

*Rhythmi inæqualitas quomodo fiat.*

Si itaq; dilatatio quidem prior, in omnibus simul partibus auspicetur motum, sed non pari in omnibus tempore: secunda autẽ deinde & ipsa motum incipiat, non tamen simul omnium partium, sed prius quidem eius quæ prior quieuerat, secundò autem illius quæ secunda, atque ita deinceps: inæqualitas quidem ita rhythmi fiet, crebritatis & raritatis nõ item. Nam quies cùm in omnibus æqua sit, differentiam in crebritate & raritate efficit nullam: nõ respõdet tamen motus tempus, tẽpori quietis. Siquidem motionis tempus nõ erat omnib. par: quietis erat, ac proinde nõ idem omnibus rhythmus erit. Quòd si cùm moueri arteriæ simul omnes partes cœperunt, non item simul omnes alteram distentionem ordiantur, nec priorem terminauerint simul, sed ne quies quidem in omnibus çqua sit, binas in eo necesse est differentias esse. Nam crebritatis & raritatis in alterutra differentia inæqualitas fit, at non rhythmi tamen necessariò. Possunt quippe omniũ partiũ tempora motus, quietum temporibus respondere. Et si hoc, erit quidem rhythmus æqualis. Sin autem eadem in omnibus partibus proportio nõ constet, simul perdet rhythmus. Iam uerò ubi unà omnes partes moueri cœperint, motæq; æquo sint tempore, si * secundæ dilatationis nõ idem omnes initium partes ordiantur, sed quædam maturius, quædam incœperint serius, non erit iam rhythmus æqualis, nec crebritatis raritatisq; differentia. Hanc enim impares quietes inæqualem efficiunt: rhythmum uerò, proportionum cõmutatio. Ac tot sunt inæqualitatis utriusq; uno in pulsu generis differentiæ, cùm omnes unà partes arteriæ distendi cœperint. At ubi hæc primò, illa secundò distendi cœperit, si omnes simul quieuerint, ac dein distentionẽ unà alteram auspicatæ sint, necessariò inæqualitas in altero tantũ genere fiet rhythmi. Quòd si alteram distentionẽ arteria iuxtà orsa sit, ac priorem, ut in utraq; distentione eadem pars prior altera pari interuallo incipiat, idq; fit in omnibus partibus cõstans: atq; illæ etiã simul priorẽ distentionẽ absoluerint, * necessariò utiq; in utroq; genere inæqualitas erit. Nam omne tempus quod est ex motu & interuallo conflatũ, omnibus est æquabile arteriæ particulis. Sed motuũ proportiones, quòd totũ tempus in æquas partes nõ distribuatur, nõ respondent proportionibus quietũ. Quare simul inæqualis rhythmus necessariò erit singularum partiũ: & quatenus tempora intermissionũ differunt, etiã crebritatis raritatisq; cõiungi cum ijs inæqualitatẽ est necessariũ. Si uerò altera distentio, perinde ac prior fecerat, initium motus partium sit orsa, non sit autem prioris distentionis finis omnibus idem, duæ differentiæ orientur. Potest enim & longè quidem quiescere prius, quæ prius motum est auspicata: potest etiam posterius. * Si igitur tantò quieuerit prius, quantò cœpit, fiet ita æqualis in utroque genere pulsus. Sin multò prius atq; est auspicata quieuerit, duorum generũ inçqualem pulsum efficiet. At si quç prior cœpit desistat posterior, duorũ generũ omnino inæqualitatẽ creabit: si uidelicet aut multò tardius, aut paulò, quieuerit. At uerò si nec prioris distentionis initiũ ex omnibus simul partib. fiat, neq; secundæ, est cùm rhythmus possit esse inæqualis, necnõ crebritatis & raritatis genus. Verùm si sic motuũ tempora temporibus quietum respondeant, rhythmus æqualis erit. Si uerò tempora sola paria fuerint intermissionum, æqualitas erit in altero genere. Sed hæc infrequẽtia sunt: inæqualitates uerò permultæ. Nam omnes possũt simul partes à motu cessare, & nõ simul. Et cũ nõ cessant simul, hæ prius, illæ posterius: iam etiã uel longè prius, uel longè tardius.

## GALENI PERGAMENI *de differentijs pulsuũ lib. II.*

NOn eundem usum hic liber pollicetur, ac primus: sed quam ueratrum rationem habet, uel scammoniũ cum pane, & carnib. eandem quæ nunc dicemus, cum superioribus habent. Nutrire enim mentes illa sanas, hæc resecare prauas sentẽtias ualent, ut morbos quosdam. In primis autem mihi cum sophistis est bellum circa usurpanda nomina. Illi quippe ipsas res negligentes, barbaras quasdam uoces, undique citra delectum contractas, Græcorum cõmiscent nominibus: neq; ijs sanè integris, legitimisue, sed corruptissimis: atq; ita nobis aures obtundunt, qui perpetuò sumus soliciti, ut nominibus quãpurissimis sensum interpretemur: ut clarissimè quis mentem suam possit significare, ita sermone uti eum optimè, existimantes. Ad hæc uerò, illi priusquàm homonymiam distinxerint, singula definire conantur: unde necessum est eos quamturpissimè hallucinari. Neq; enim nominũ sunt, sed rerũ definitiones. Proinde

*Sophista res ipsas negligunt, de nominibus anxij & soliciti.*

*Definitiones sunt rerũ, nõ nominum.*

quando

*Definitiones ipsas tot debere esse, quot res.*

quando ab uno nomine res indicantur multæ, tot definitiones, quot res, necessariò desiderantur. Vbi uerò unius rei plura nomina habentur, una tantùm definitione est opus. Porrò ubi Archigenes etiam de octo qualitatibus pulsuum temerariam illam suam nobis sententiã protulit, debuisset aliquam addere, si non firmam demonstrationẽ, at certè rationem ualidam: ut ne quis initio statim, ueluti in Mosis & Christi scholam impingens, leges audiret nulla stabilitas demonstratione. Olim etenim homo duarum linguarum peritus, ostendebatur digito, omnibusq́ erat admirationi. At sophistæ hodie nos multas ediscere uolunt, cęterùm barbarissimas: cùm tamen præstaret ipsos doceri unam græcam adeò ornatam & cultam, præterea cõmunem omnibus, ac plenã humanitatis. Qua quidem si imbutus fueris, neutiquam ut illi fateberis, omnia prima genera pulsuum, qualitates existere. Siquidem inter differentias ipsorũ referri tum magnũ, tum paruum, tum medium cõstat: necnon longum, breuem, latum, angustum, atq; alios deniq; aliter nominatos: quorũ quidem omnium unum esse cõmune genus cõsistens in qualitate, nemo sanæ mentis fateatur. Quippe ipsius magni pulsus & parui, nõ qualitatem, sed aut quantitatem, aut ad aliquid, aut cõiunctam cum ad aliquid quantitatem, esse genus, rationi consentaneum uidetur. Neq; enim sumus nescij, multis generibus esse cõmune Ad aliquid. Siquidem albius & nigrius sunt in coloris genere. Atqui color qualitas est. Iam superius & inferius etiam in genere Vbi: maturius item & tardius, in genere Quãdo. In alijs etiam pluribus generalibus prædicamentis, uersatur Ad aliquid. Proinde mirum non est, si in prædicamento quantitatis illi adsit etiam locus. Quare optimè sanè ualeas moderatum pulsum, qui desideratur, often dere, si exquisitè moderatũ cognoris. Cæterũ in maiori pulsu, qui uidelicet moderatũ excellit, fas fuerit cõstituere quinq; aut sex differentias. Etenim illum qui omnes superet, maximũ appellabimus. Qui medius est inter maximũ & mediũ, simpliciter magnum. Iam interponendi huic & illi utrinq; bini alteri: unus paulò maior moderato, alter qui magno paulùm cõcedit. Alius item qui magnum superet: sicuti & alius qui sit proximus maximo. Dicimus itaq; maximum & paruum pulsum, sub prędicamento Ad aliquid esse, & quantitatem significare: inesse q; utrique magnitudinem, ut magno magnam, ita paruo pusillam. At longus dicitur, qui longitudine excedit medium. latus, qui latitudine: altus, qui profunditate: quorum intelligitur nullus in tribus dimensionibus arteriæ, citra quas nulla magnitudo constiterit. Siquidem quantitas unius* extensionis, non magnitudo, sed longitudo est: ex qua nõnullos longos & breues dicimus, nõ magnos uel paruos. Nec uerò ita lineam unq̃ appellamus, sed aut longam, aut breuem. Verùm corpora quæ trinam dimensionẽ sortiuntur, ea magna & parua appellamus. Proinde pulsus qui ab una dimensione cognominantur, à magnitudinis quidem genere reijciũtur: sub eo autem qui secundum quantitatẽ est, cõtinentur. Vbi igitur

*Christi doctrinam impiè subsannat Galenus*

*Græcam linguã vnicè commendat Galenus.*

*Ad aliquid, esse commune multis generibus.*

*Pulsus maioris dicti, constitui quinq; aut sex differentias.*

*Maximus pulsus.*

*Magnus simpliciter pulsus.*

*Pulsus magnus & paruus, sub prædicamẽto ad aliquid est, & quantitatem significat.*

*Longus pulsus.*

*Latus.*

*Altus.*

*Magnitudo nulla costare potest absq; dimensionibus tribus.*

*Quantitatem vnius extensionis, non esse magnitudinem.*

à proportione tres illæ dimensiones discedunt, atq; aliqua uel aliquæ illarũ minuuntur, uel superant, quatuor & uiginti pulsuũ differentiæ nascuntur: quas nos, quò uigintiseptem esse obtinentiũ tres dimensiones pulsuũ differentias ostenderemus, cum prædictis tribus in tabella proposuimus. Quibus omnibus unum cõmune genus, quantitatẽ scilicet distentionis arteriæ, in uenimus. Quòd si liceat etiã contractionẽ tactu discernere, & in hac quoq; reperient totidẽ differentiæ. Enimuero qui nullũ aiunt longũ se simpliciter pulsum posse animo cõprehendere, cùm omnino is aliqua sit præditus latitudine & profunditate, mihi rudes primarũ disciplinarũ uidentur: quandoquidem nec magnũ etiam sic concipere possent, quòd uidelicet is simplex non detur, nisi simul celer uel tardus, uel uehemens, uel languidus, uel particeps sit aliarũ differentiarũ. Etenim quæ sine alijs esse nõ possunt, nõne mera fatuitas est, ne cognitioni quidem repræsentari citra illa profiteri? Porrò ex unica dimensione pulsus, multa nos cognoscere possumus. Nã ut certã rem demõstrare magnus pulsus potest, ita etiam altus solus, non simul cum ipso conceptis alijs dimensionibus animo. At uerò pulsus binarum dimensionum, nec ad uiam & rationẽ quicquam faciunt eorum, qui trinis simul dimensionibus intelliguntur, & à diuidendi sunt methodo abducti. Porrò ubi ex omnibus differentijs uolumus intelligere compositũ ipsum, tunc ars iubet, ut propositæ rei totam perspiciamus naturam. Eam itaq; nos in simplices differentias resoluimus, quòd absq; eo, compositum exactè intelligi nequeat. Nisi uerò totam rei naturam in unum complecti, neq; in una differentia & simplici consistere ualeas, nulla erit ars, nulla uia uel ratio, nulla deniq; utilitas. Quamobrem nos primùm pulsuum uniuersam naturam diduximus in differentias, quæ ipsam constituunt: atq; hanc quantitatem distentionis uocauimus, illam qualitatis ictus, aliam qualitatis tunicæ, aliasq; ordine cõmemoratas. Deinde in his rursus simplices notiones inuestigauimus: ut quam habet rationem differentia quantitatis distẽtionis ad totam pulsuum ex omnibus cõflatam naturam, ita inueniatur aliud, ad hanc ipsam se similiter habens. Sunt autem differentiæ omnes uniuscuiusq; dimensionis, aliarum omnibus copulandæ: ut in unaquaq; binarum dimensionum copulatione existant nouem differentiæ, omnes uigintiseptem. Adscribam unam, postea de reliquis etiam licebit discere.

*Pulsuum differẽtiæ vigintiseptẽ.*

*Compositum nõ posse intelligi absq; ipsius resolutione in simplices differẽtias*

| | | |
|---|---|---|
| 1 | Longus | latus |
| 2 | Longus | moderatus |
| 3 | Longus | angustus |
| 4 | Latus | moderatus |
| 5 | Moderatus | moderatus |
| 6 | Angustus | moderatus |
| 7 | Breuis | latus |
| 8 | Breuis | moderatus |
| 9 | Breuis | angustus. |

In hac ergo tabella tres longitudinis differentias cõplicantes cum tribus latitudinis, nouẽ ef-

ficimus differentias. Altera erit eodem modo tabella, cum tribus longitudinis differentijs, coniunctas profunditatis tres habens. Tertia prætera, in qua profunditatis tribus, copulabuntur tres latitudinis. Erunt itaq; omnes differentiæ uigintiseptem, cùm singulæ tabellæ nouem contineant. Cæterùm hos omnes pulsus, qui concipiuntur bini, ob dictas causas omisimus: tradidimus autem eos, qui singulis dimensionibus intelliguntur, numero nouem: atque eos qui trinis simul, quos in tabella descripsimus, uigintiseptem: quorum omniũ fecimus cõmune genus quantitatẽ distentionis. Porrò excessus pulsuũ atq; defectus, qui una dimensione intelligunt, à principio diuidere poteris: ut iu magno nobis est demonstratũ. Nam moderati soli singulis generibus indiuisibiles sunt: alij autem, plures diuisiones recipiunt, ac sua quidem natura infinitas. Quod enim genus maiorẽ & minorẽ excessum & defectum obtinet, infinitas necesse est differentias sortiatur, non tamen secundum sensum. Ergo esse quoddam genus pulsuũ qui in quantitate distentionis consistunt, satis ostensum est. At quandoquidẽ celer quidam est, & tardus, & moderatus, in arteriæ motu pulsus: atq; horum cõmune genus qualitas est motus: num aliquod inuenire cõmune genus ualeamus qualitatis & quantitatis, nobis est attendendũ. Quod si nequeamus, in prima referemus genera, tum quantitatẽ distentionis, tum qualitatẽ motus. Cùm aũt qualitas motus differat à qualitate corporis ipsius arteriæ, certè qualitatis prædicamentũ cõmune erit utriq; generi: tamen genus haud item ambæ qualitates ullum cõmune obtineut. Nam per homonymiã utraq; affectio qualitas dicit. Neq; enim eadem est in ambabus qualitas, sicuti in albo & nigro, atq; frigido & calido. Genus autem pulsuũ in quantitate distentionis, à genere motus, corporisq; arteriæ, planẽ distat: quãtitas siquidem à qualitate dissidet: atq; idcirco etiã à genere contentionis, necnon à rhythmo, & à genere ordinis & perturbationis illius, sicuti & æqualitatis inæqualitatisq;. Quæ quidem prædicamento Ad aliquid attribuuntur omnia. Proinde superest, ut illud cõparemus cum genere crebritatis & raritatis: nam hoc constituere uidetur quantitas temporis quietis. Sed sub idem sic rursus prædicamentũ reducentur: genus amborum tamen non erit idem. Nam genere toto quantitas dimensionis corporis, à quãtitate abest temporis. Ac nullum sanè esse, apertũ est, in pulsibus genus alius, quantitatis genere distentionis. Verùm differentiæ ipsæ interdum quidem atq; cõmuniter accipiunt, tum pro generibus, tum pro speciebus: peculiarius autem pro illis quæ in diuisionibus reperiuntur, quę nec species sunt, nec genera. Differentiæ tamen nomen potest omnibus assignari qualitatibus, quantitatibus, relationibus, & uno uerbo, uniuersis. Nam ab eo quòd differat unum ab altero, nomen differentiæ factũ est & conceptum. Differunt autẽ quædam statim primis generibus prædicamentorũ, ut homo, album, bicubitale, dextrũ. Nam unum illorum est substantia, alterum qualitas, aliud quantitas, aliud Ad aliquid. Quædam subiectis generibus sub his: ut album & triangulare. Color enim, illius est genus: huius figura. Hæc rursus ambo prædicamento subiecta sunt Qualitatis. Itaq; albo primũ prædicamentum cum triangulari conuenit: est enim utrunq; qualitas: cæterũm generis sunt diuersi, hoc figurarũ, illud colorum. Alia iam specie differunt, cùm non differant genere: ut album & flauũ. Similiter alia differunt numero: ut, gratia exempli, album ab hoc albo, peculiari quadam differentia dissidet, sed eidem speciei subditum est, albo: prǽterea utriusque idem genus est color, & cõmune prædicamentũ Qualitas. Atq; ita sanè quodlibet à quouis, alterum ab altero prorsus aliquatenus differt. Quandò igitur differentia à differendo appellata est, & inuenta: differre autem tum indiuidua, tum species, tum genera inueniũtur subalterna, & semel omnia quæ aliquo modo sunt: differentiaq; rebus omnibus inest, nõ autẽ qualitas: malè utiq; Archigenes prima genera differentiarum pulsuũ, qualitates uocauit: nos autẽ rectè, atq; ordine, cùm hæc, tum alia omnia, differentias. Quare etiam uniuerso operi titulũ fecimus, de differentijs pulsuum.

*Moderati pulsus soli singulis generibus indiuisibiles sunt.*

*Differentias interdũ accipi pro generibus speciebusq;.*

*Differentiæ nomen quibus possit accõmodari.*

*Differentiæ nomen unde sit dictum.*

*Pulsuũ differentiarũ genera prima, Archigenes perperàm qualitates uocauit.*

## GALENI PERGAMENI de differentijs pulsuũ lib. III.

SI amor sapientiæ atq; honesti singulis iuxtà placeret (ut ait tragicus) nulla foret mortalibus contentio ambigua. Nunc quia non uidetur omnibus idem nec honestum, nec sapiens esse, neq; etiam uerum, necessariò controuersia nascitur. Cæterùm qui in dubia opinione uersatur, quòd non assequatur scientiam, ei condonandum fuerit. At qui de nominibus digladiantur, nec ullum hic faciunt finem aut modum, mi nimè mihi uenia digni uidentur. Nam rerũ cùm sit ea obscuritas, ut si uel in triplum hæc uita nostra prorogaretur, ne tum quidem exactè cognoscere omnia possemus (qua ratioue adductus Hippocrates, uitam ait esse breuem, & artem longam) quo modo, qui in ijs quæ ab re sunt tempus conterit, absurditatis impudẽtiæq; notam abijciet? Etenim de nominibus laborare, est prorsus operam ludere: res autem ipsas expendere, artes locupletare. Perinde siquidem est si uocemus ipsum pulsum Dionem: dicamus autem illum dignosci exactè, si comprimamus arteriam, nec leuiter attingamus: necnon pulsum proficisci à robore facultatis uitalis, esseq; signũ salubre in morbis: & præterea quales indicationes soleat promittere. Porrò ipsius robur ictus, in tactus impulsu, repulsu, subuersioneq; positum esse, omnibus in professo est: at à qua causa fiat, controuersum existit: unusquisque siquidem propriam opinionem tuetur. Citius autem Mosis asseclæ & Christi sua deserant dogmata, quàm qui sectis addicti & consecrati sunt, tum medici, tum philosophi. Itaque inter pulsus est quidam, qui tactum ipsum subuertit: id est, ualde & cum renixu quodam pulsat. Dignoscitur autem is, ubi plurimùm insigimus digitos, non leniter palpamus. Causa eius existit, facultatis robur pulsus efficientis. Proinde si de medicis uocabulis primò omnis nostra potestas sit instituendis,

*Cõtrouersia unde nascatur.*

*Vita breuis. Ars longa.*

*Pulsum proficisci à robore facultatis uitalis.*

*Robur ipsius arteriarum ictus, in quonam positum sit.*

*Christianorum constantiã summã Galenus expremit.*

*Pulsus contentus.*

tuendis, contentum eum pulsum, non uehementem uocemus. Nunc quia à pluribus iamprìdem uehemens est uocitatus, nomen nihil mutamus: tametsi non sumus nescij, uehementiæ nomen actioni semper tribui, contentæ simulatq; citatæ.

*Vacuum nihil in orbe dari.*
*Pulsus vacuus, quomodo intelligendus sit.*

Iam uerò dum uacuum pulsum appellant, cùm nihil omnino uacuum in orbe detur, bifariam illum interpretabimur. Nam aut arteriam sic intelligemus uacuam, ut quæ aërem tantùm contineat: & quanquam sit plurimùm inflata & distenta, uacua tamen sit appellanda, ut inflatus culeus uacuus dicitur uino: aut ita illam uacuā esse dicemus ut utres ipsos, quādo aëre expulso, eorum tunicæ considunt. Ac prima sanè significatione erit pulsus talis, qualem Erasistratus natura cum semper asserit esse: altera nihil à paruo differet. Itaq; necessum uidetur, ut aut paruum pulsum, aut aëreum, uocemus uacuum: itemq; contrarios ijs plenos, magnum scilicet, atq; eum qui humidam speciem refert.

*Plenum aut vacuum vas præcipuè dici infusæ substantiæ ratione.*
*Metaphorā esse ablegandam ab artificiosa doctrina.*
*Similare corpus nullum esse plenum aut vacuū.*

Præcipuè tamen infusæ substantiæ ratione appellare licebit plenum aut uacuum uas: ratione autem tunicarum arteriæ, aliter: quas rectius sanè duras & molles, non plenas uel uacuas appelles: cùm similare corpus (nisi per metaphoram, quæ à disciplina artificiosa ableganda est) quod uacuum uocetur uel plenum, sit nullum.

*Dura quæ sint.*
*Mollia quæ.*

Quādoquidem autem omnia corpora, ex terra, aqua, igne, & aëre conflata sunt: in quibus exuperat quidem uel terrestre elementum, uel aqueum à gelu concretum, non possunt ea nō dura esse: in quibus uerò igneum, uel aereum, uel humidum elementū excellit, non concretum, necessum est ea mollia existant. Præterea si prædita foraminibus sint, uel meatibus, si superior ibi sit terrestris substantia, uel aquosa concreta, facit necessariò ad totius duritiem corporis: sin subtilis uel humida, sed non concreta, ad mollitiem.

*Tactus est index duri, mollisq;.*
*Mollia esse quæ cedunt tactui.*
*Dura esse quæ nostrā repellunt cutem.*

Est autem in nobis tactus iudex corporis duri mollisq;. Quem quidem dum applicamus obiectis, quæ ostendimus illum admittere, & quasi subeunti cedere, mollia appellamus. Contrà, quæ uim afferunt cuti nostræ, & protrudunt, si hæc cedens urgentia intus excipiat, dura illa uocamus. At si omnino cedat & deijciatur ab urgente, id quod concidit, imbecillius omnes: quod deijcit, ualidius appellant.

*Aristoteles præfertur Platoni.*

Porrò Aristoteles elimatius quàm Plato non id quod cedit, appellat molle: sed ei addit, modò, quod in seipsum: modò, quod loco non dimouetur. Quòd si simul utrunq; addamus, ut in secundo libro de Generatione & interitu Aristoteles fecit, ac molle dicamus esse, quod in seipsum cedit, nec migrat aliò, adhuc definiemus apertius: utrūq; siquidē soli accidit molli.

*Molle esse quod in seipsum cedit nec migrat aliò.*

Nam cedere quidem, cōmune symptoma est mollis, & imbecilli: at in seipsum, solius est mollis: ut nō in seipsum, imbecilli tantùm. Præterea, ut in uicinum locum migratio, propriū infirmi est: ita nō demigrare, unius mollis.

*Durities est qualitas tactilis.*
*Qualitates tactiles quænam sint.*

Iam uerò, ut tangibile est corpus durum, sic durities est qualitas tactilis. Siquidem qualitates tactiles sunt, calor, frigus, humiditas, siccitas, grauitas, leuitas, durities, mollities, lentor, friabilitas, asperitas, læuor, crassities atq; tenuitas. Quę omnes exprimi tangibiles qualitates possunt, & corpora non secus ijs prædita.

*Tactilium corporum septem oppositiones.*

Quippe horum pariter septem sunt oppositæ coniugationes, & nomina quatuordecim. Prima est oppositio calidi & frigidi. Secunda, sicci & humidi. Tertia, grauis & leuis. Quarta duri & mollis. Quinta, lenti & friabilis. Sexta, asperi & læuis. Septima, crassi atq; tenuis.

*Durum corpus simpliciter.*

Durum igitur corpus, quod sic propriè & primariè appellatur, renititur, & nihil tangēti cedit. Quia uerò multa corpori duro accidunt, unumquodq; eorū metaphoras nobis suppeditat: inter quas sanè ut repudiamus obscuras & tectas, sic probamus illas, quæ apertam illustremq; similitudinē præ se ferunt.

*Metaphoræ quænam sint recipienda.*

Vt, dum legem duram & iudicē dicunt, qui à uenia danda sunt omnino alieni. Corpus itaq; arteriæ, uel durum, uel molle primò & præcipuè est dicendum.

*Pulsum dici durum aut mollē ex accidenti.*

At pulsus eius statū denuncians, non propriè, nec primò, sed per accidens uenit durus aut mollis uocandus.

## GALENI PERGAMENI
## de differentijs pulsuū lib. IIII.

At uerò, ubi etiam ante definitiones, ipsæ res notæ existūt, nullus profectò est usus definitionum: quemadmodum in pulsus appellatione, quam intelligunt etiam omnes mortales, nedū medici. Proinde incusandi sunt, qui circa definitionem pulsuum inter se maximè digladiantur, alij aliud esse pulsum censentes.

*Definitionū prima genera duo, notionale videlicet, atq; essentiale.*

Sunt porrò definitionū prima genera duo: alterum quod planè rei notionem explicat: alterum, quod ipsam essentiam docet. Virtus est sua utrique definitioni: illi quæ notionem explicat, ut omnibus sit testata, qui eodem sermone utuntur, & ad rei essentiam ne aspiret. Huic quæ essentiam docet, ut ei quæ notionem subijcit, consentiat, non sit tamen cum ea eadem. Ac prima quidem debet ex seipsa fidem habere, res perspicuas explicans, manifestasq;.

*Definitio nominis.*
*Definitio quid sit explanans.*

Vnde Aristoteles eam definitionem nominis appellauit: sicuti alteram esse definitionem ait, quæ quid sit, explanat. Etenim quibusdam in partibus cutis, nō modò tactu, sed etiam oculis, motū quendam percipimus. Qui quidem in ijs qui rectè se habent, in multis corporis partibus cernitur: de quibus est carpus manus.

*Arteriarum motum in carpo esse oculis perceptibilem.*

Palàm siquidem illic deprehendimus ascensum quendam atq; descensum, præterea mediam intermissionem. Quam sanè motionem omnes pulsum appellant. Hanc qui breuibus possit interpretari, optimè definitionem ille notionis effecerit, si nec omittat quicquam, nec superflui aliquid addat. Vt si dicat, eum talem motum, esse arteriarum pulsum. At si quis tunicas arteriæ explorarit, facultatēq; repererit quæ arteriarum motionem excitat, ipsiusq; motionis usum cognorit, is certè ut prætergressus notionem est, sic uniuersam essentiā pulsuum generationis tenuerit. Verùtamen ista quidem nequeas definitione uniuersa complecti.

*Pulsuum essentialis definitio, quæ breuis sit, nulla constitui potest.*
*Pulsus quid.*

Vnde fit, ut nulla pulsuum definitio prorsus essentialis constitui possit: aut certè prælonga erit. Sensibilis itaq; ille arteriarum motus (quem quiete interpellari diximus) pulsus uocatur. Nihil autem apertius est, quàm motum ipsum in altum, latum & longum extendi, in gracilibus corporum, atque in maximis pulsibus. Cæterùm

*Pulsuum usus est tutela innati caloris.*

integram pulsus definitionem feceris, si usum eorum generationis adiunxeris, quæ tutela innati caloris existit. Facit autem ad procreandum animalem spiritū, illa spiritalis substantia, quam arteriæ continent.

*Arteriæ attrahunt dum dilatantur: expellūt dum contrahuntur.*

Atq; attrahunt quidem arteriæ, dum dilatantur: excernunt autem dum contrahuntur. Igitur definitio essentialis, quæ oratio est rei essentiam edocēs, necessariò est genus explicatura, & differentias, & usum generationis: causam item efficientem, & materialem, aut instrumentalem, aut utcunque appellare uolueris. ut Genus, aut motum, aut actionem, aut passionem arteriarū. Differentias, quòd per distentionem & cōtractionem, quodq; sponte. Usum, quòd innati caloris nomine, uel spiritus uitalis gignendi, aut hercle etiam animalis. Causam efficientem, quòd uis sit quædam cor distendens & arterias, aut uitalis, aut animalis, aut utraque. Materialem deniq; & instrumentalem, conformationem arteriarum ad actionem, uidetur demonstratura. Atq; ita suam quæq; secta rationalis, sortiretur definitionem.

*Pulsus definitio essentialis.*

Nos uerò dicemus pulsum esse peculiarem actionem, cordis præcipuè, deinde arteriarum, quæ distentione & contractione mouentur à facultate uitali, quò caloris natiui mediocritas retineatur, generetur autem in cerebro spiritus animalis. Verū apud tyrones cuiusuis disciplinæ, minimè sanè proferendæ substantiales definitiones sunt: sed ubi à notione exorsi, ad essentiæ eos notitiam ducemus, hîc iam, promptæ memoriæ gratia, rem uniuersam limitata complecti ratione fuerit expediēs. Cùm ualemus igitur, cordis & arteriarum motus, quando illa distenduntur undequaque, rursusq; in se cōsidunt, pro dignitate obeuntur. Sin autem ægrotemus, ut palpitans, uel concutiens, uel conuulsiuus, uel tremulus motus arteriarum appareat, nil noui est, si pulsum uocemus modò conuulsiuū, modò uibratū, interdum palpitantem, interdum tremulum.

*Conuulsio & tremor, in solis consistit neruis. Palpitationem, fieri etiā in cute*

Quanquam certè conuulsio ipsa tremorq;, in solis contingit neruis. Nam palpitationē perspicuè etiā fieri in cute cernas: sicuti & in carnosis partibus, quæ portiones sunt musculorū. Porrò quietes pulsuum longè obscuriores sunt, quàm respirationis: ob idq; nōnulli eas inter partes pulsuum minimè annumerarunt. Quiescit autē thorax & pulmo id temporis quod intercedit inter ingressum spiritus, & eiusdem exitum.

*Rarum & crebrum dici pulsum, ut respirationem, pro differentia quietū intercidentium motibus.*

Ac pro tempore quidem harum quietum, raram appellant, uel crebram respirationem. Similiter dicuntur rarus & creber pulsus: suntq; unà cum æqualitate sua & inæqualitate, cumq; ordine & illius perturbatione, ex eorum genere, quæ non parua nunciant. Itidem intermittens pulsus & intercurrens, ex eodem hoc genere, futurorum sunt haud negligenda signa.

*Pulsum esse mistum motū, ait Zeno.*

Non perperàm autem Zeno mixtum quendam motū ait esse pulsum, non simplicem, neq; uniformem: cùm ex cōtrarijs motibus constet, ut motus respirationis. Porrò quod cōmune est omnibus pulsibus, id debet in definitione proferri: nempe res per quam pulsus concipiuntur, dicunturq;, nō per quam certi quidam pulsus.

*Definitio rerum quæ in generatione cōsistunt, quæ habeatur optima.*

Ad hæc, rerum quæ in generatione sunt, definitio causam efficientem complectens, optima habetur: de quibus est pulsus, qui ut cæteri motus, dum fit, est.

*Definitione quādo est res explicanda, & quādo minimè.*

In uniuersum igitur, definitione quidem significationem explicare propositi nominis, si quidem propositam rem non omnes planè assequantur, non dico cōducit, sed necessariū est. Necessariū etiam, ubi quis uel uersutia de industria, uel præ stupore imprudēs, significationes cōmutet nominū, tribuēs alijs rebus, ac omnes homines. At si absq; utroq; horum sit, omnino res nō est aperienda definitione: quòd suū ipsam nomen abundè declaret. Nam definire omnia uelle, ad sophisticā pertinet disciplinā.

*Definire omnia uelle, ad sophisticam pertinet disciplinam.*

## GALENI PERGAMENI

### *de dignoscendis pulsibus liber primus.*

*Pulsuum dignotioni admodum longum tempus desiderari.*



SPeculatio autem hæc quæ ad pulsuum dignotionē spectat, minimè quidem orationē prolixam desiderat, sed tempus alijs simul omnibus longius: quandoquidem tactu est nobis opus exercitato, ut uel paruam eorum exactè differentiam sentiamus: nec in nostra manu est illius exercitatio. Itaq; ad exercendū tactum medicus plurimū temporis postulat, utpote cui plurimi uno eodemq; tempore affectus arteriæ sint perpendendi: primū distentionis quantitas: dein qualitas & tempus motus: quin & mouentis facultatis cōtentio, ac deniq; ipsius tunicæ arteriæ status.

*Tangenti arteriam, quæ simul sint perpendenda, ad dignotionem pulsuum.*

Hæc enim simulatq; illa attollitur, omnia sunt cognoscenda. Quinetiā caloris qualitatem, *impulsus, qui in arteriæ motione fit, apertius indicat: & etiam æqualiter an inæqualiter illa quæ memorauimus omnia, una in parte & in diuersis fiant. Atq; in distentione hæc consideranda sunt. In cōtractione sanè similia illis: præterea tempus inter utranq; mediū, quo quiescit, duplex illud: unū à distentione ante contractionē: alterū à contractione ante distentionē: & horum mutua proportio, uidelicet temporis motus ad tempus motus, temporis quietis ad tempus quietis, & utriusq; simul ad utrūq;. Quę sunt uniuersa ante alterū arteriæ ictum cognoscenda, cōfecto iam primo pulsu. Nam cùm iam alter incœperit, cum ipso prima sunt attendenda quæ declarata in priori fuerūt: tum uerò quò æqualitatem eorū & inæqualitatem perspicias, omnesq; differentias, quæ in illo sunt exposita, cum ijs quæ in hoc, conferenda sunt. Inde tres, quatuor, quinque, atque adeo multi deinceps sunt pulsus uidendi, ut ordo tibi atq; cōfusio sit explorata.

*Vitam humanā totam desiderari ad exactā dignotionem pulsuum.*

Ad quorum omniū absolutissimam cognitionem, totam humanā requiri uitam existimo. Quanquā certè exercitatio assidua, usum tandem scientificamq; cognitionem conciliat, cum maximo emolumēto: ubi quispiam fuerit, ut ueritatis studio accensus, sic ab immensa diuitiarum siti, ac gloriæ cupiditate (quæ hodie dominatur inter mortales) alienus.

*Exercitatio assidua usum, et scientificam cognitionem cōciliat.*

Neq; uerò delicijs deditos, sed egregiè nauos industriosq;, hęc cōmentatio desiderat.

*Pulsu uehementi, firmius iniicienda est manus: ut languido applicanda leuius.*

Porrò dum pulsui admouetur manus, hic quidem firmius est infigenda, illic applicanda leuius, ut in uehementi & languido pulsu. Nam illum, nisi premas arteriam,

non

nõ dignoscas: hunc tantum abest ut cognoscas premendo, ut semel etiam si ita facias, uideatur immotus. In conuulsiuo autẽ pulsu, aut minimè sentiri distẽtio, aut parum certè & obscurè uidetur: arteria nimirum ipsa in fidis modũ sursum deorsumq; iactata. Similiter etiam fit & uibratus pulsus, ubi arteria propriam sedem deseruit. Si tamen animum intendamus, nõ modò ictus (ut opinantur Empirici) sed distentio etiam omnium pulsuum, tactu ipso cognoscitur. Quòd autem contractio etiam sentiri possit, his rationibus euadet perspicuum. Quandoquidem tangentia corpora partim leniter sese ac mutuò tangunt, palpitantia duntaxat: partim uerò urgent, impellunt, euertuntq;: atq; ita quod fortius est & durius, ueluti subit imbecillius & mollius: alterum autẽ cedit, euertiturq;, ac ueluti amplectitur id quod urget: sanè discessus eorum mutuus nõ potest eodem modo effici: cæterùm quę in superficie tangunt, discedunt subitò. At quæ cedente molliore, longius progressa, ueluti intrãt illud, nõ reuertunt item subitò: sed quantò à primo occursu progressa penitus urgebant, tantũ illis discedentibus sensibile superest. Tempus nanq; intercedet inter primũ impetum discedendi, & extremũ finem, secundum quem non discedere amplius, sed subsistere iam dicentur. Quo tempore toto, paularim discedente altero, paularim etiam alterius remisso pressu, utriusq; sentietur motus. Iam si hoc accedat, ut quod ab imo mouetur, feratur sursum: & quod tangit, superne incumbat: præter hoc, quòd pressus ei ꝗd incumbit, detrahetur, etiam accidet ei, ut ueluti subsidat: quia quod prius excipiebat, & sursum impellebat, nunc defertur. Quorum sanè omniũ in uesicis ipsis & utribus, possis periculum facere, cognoscereq;, sic se habere contactus corporum, atque recessus, ut diximus. Sentimus itaq; ab impressione uehementium pulsuum, carnem nostram, unà cum ambiente illam cute, repelli: huic autem est adiuncta moti & prementis cognitio. Quinetiam recedente arteria sentimus in ipso corpore nostro motum. Siquidem intrò compressa, siue ea cutis est, siue carnis pars, comitatur descendentem arteriam, pristinam sedem, qua deiecta erat, occupans: simulq; fit, ut in recessus cognitionem ueniamus. Nam sentimus primos omniũ, affectus nostrorũ corporũ: deinde, quæ hos induxerunt foris obiecta. Vbi igitur à premendo recedit arteria, sola inæqualitas pressus, reditum & contractionẽ eius annunciat. Porrò languidos pulsus, si quis leniter tangendos illos ignoret, fortasse abolitum homini pulsum dicet: qui quidẽ mentiet inde, quòd nõ rectè ipsos tetigerit. Contrà planè uehementes, quò ipsorũ deprehendatur robur, requirunt ut qui tangunt, digitos ualidè infigant. Repelli eñ hòc tibi magis uidebuntur, quò eos urgeas magis. Vnde etiam contractionem omnes uehementes pulsus habent sensibilem: languidorum uerò nullus. Cæterùm qui maximus simul & uehementissimus durusq; sit (quatenus coniungi cum magnitudine durities ualeat) non autẽ uelox, hic apertissimã habet contractionẽ. Omnes alij, quatenus plus uel minus de illorũ aliquo habeant adiunctum, eatenus percipientur aut facilius aut ægrius. At uerò non ut maximos simul & uehementissimos, ita durissimos eosdemq; maximos unquam pulsus reperias: ac ne duros pariter & maximos: sed qui inter durum & mollem medius est pulsus, cum maximo connexus inuenitur frequenter. Etiam durum simul ac uehementem non raro eundem cernas: sicuti & durum simul & uehementissimũ. At uehementissimus & durissimus nunquam idem pulsus existit: nec maximus, uehementissimusq;, atque idem tardissimus. Quippe maximi & uehementissimi maiori ex parte sunt celeres: sin minus, at nõ tardi. Vehemẽtissimus ergo & maximus, qui nec mollis sit, nec uelox, clarissimam contractionem adducet. Claram etiam uehementissimus certè, & magnus, & durus, & etiam uehementes simul & magni, & duri. Minus autem quàm horum, sed euidens tamen contractio uehementis, magni, & mollis existit. Manifesta adhuc uehementis simul & moderati magnitudine atq; duritia. Imò uerò qui tribus differentijs est moderatus, perspicuam adhuc contractionem sortitur. At non facilè contractio uehementis & parui, qui omnino etiam durus est, cognoscitur. At parui, duriq;, sed contentione moderata, etiam obscurior est. Iam si paruus nec durus sit, & moderato robore, ut deprehendatur is, sensum flagitat probè exercitatum. Languidus pulsus, neq; cum magno coniunctus, neq; cum paruo, apertam obtinet contractionem. Is si cum duro iungatur, necessariò erit minimus. Itaque non cuiusuis pulsus potest cõtractio sentiri: nec quorũ potest, perinde omnium est euidens. Cæterùm uel uehemens, uel non languidus is pulsus sit, est necesse, qui sensibilẽ tangentibus contractionem fuerit repræsentaturus. Porrò ex sanis, qui moderato sunt corpore, & temperata natura, in flore ætatis, maximè Vere inter anni tempora, regionemq; incolunt temperatam, atque robusti sunt, & omni mœrore, metu, saturitate, motuq; uacui, hi pulsum uehementem magnumq; omnes habent. Qui si se moderatè exercuerint, fotiq; sint modicis balneis, uel uini non permultum hauserint, uel irati sint, uel aliquam operam strenuam nauauerint, non magnos iam & uehementes tantùm, sed quãmaximos, uehementissimosq; pulsus habebũt. Iidem si laborent syncera tertiana, uel ardenti, miti, & simplici, uel qua alia magnopere calida, & ueluti feruente febri: præterea diariarum aliqua, quæ ex bubone proficiscuntur, & ex adustionibus, modicisq; lassitudinibus, maximos etiã tum, & uehementissimos pulsus habebunt. Quorum quidem si arterias contingas, clarissimè contractionem persenties. Nam ut maximum recessus arteriæ spatium & tempus in illis est, sic apertissima eius erit cognitio. Sed nõnihil etiã conducit durities, ad percipiendam systolem, quum ad uim ictus magnopere conferat. Quòd igitur distentionis uiolentiæ semper respondeat contractionis sensus, hòc contractiones dignoscentur clarius, quò uiolẽtiorib. succedẽt dilatationib. Magnus tamẽ pulsus haud facilè cũ duro miscet. Cęterũ quib. ualida uitalis facultas est, sed in uictu

*Conuulsiuus pulsus.*

*Vibratus pulsus.*

*Contractionem pulsus etiam sentiri posse.*

*Arteria systole quãdo deprehẽdatur.*

*Pulsus languidos esse leniter contrectandos.*

*Pulsus uehementes sunt ualide apprehẽdendi.*

*Durissimum simul et maximũ pulsum non reperiri unquam.*

*Pulsus inter se coeuntes, & qui coire nõ possint.*

*Contractio arteriarum in quibus cõspicua sit pulsibus, & in quibus obscura.*

*Contractionem exhibiturus sensibilem pulsus, qualis nam esse debeat.*

*Pulsus uehemẽs magnusq; quib. adsit.*

*Diariæ febres unde proficiscãtur.*

*Arteriæ duritiẽ cõferre plurimũ ad percipiendã systolem.*

delinquũt,ac præcipuè in uini intempeſtiua potione,ijs tales pulſus cõtingunt, conſpicuaq; eſt in eis ipſius arteriæ cõtractio.Iam tarditas,quãtùm auget receſſus tempus, tantò manifeſtiorẽ motum oſtendet. Quòd uerò ad manus applicationẽ pertinet, ſi comprimendo applicemus tactum,nulla differentia ſenſibilis ex manus ſuper arteriam , uel ſubter , applicatione inuenietur. Vel ſi palpando tantùm, ueluti ſuſpenſis digitis, ne tum quidem ullam differentiam animaduertamus.At tertius applicandi modus,qui medius eſt inter compreſsionem & palpationẽ leuem, ne obiri quidem poteſt, ſi infernè tangas arteriam. Siquidem liberare oportet tum manũ omnibus uoluntarijs motibus,& ueluti languidam admouere. Quod ni fecerimus, delabetur manus à grauitate depreſſa, ut minus contrectare poſsit arteriam. Proinde ſupernè attingere tantùm licebit, infernè autem nequaq̃. Quatenus igitur in uehementibus magnis, nec uelocibus pulſibus, ab arteriæ diſtentionibus tactũ repelli accidit:hactenus recedente illa,ſenſibilis contractio fiat,neceſſe eſt.At uerò contractionẽ magis comprimendo,quàm leniter attingendo,dignoſces : nec minus ſi infernè tangamus, quàm ſi supernè : quòd perinde utrobiq; arteriæ contractionem tactus ſequatur. Verùm manus ipſa quæ tanget, non modò promptè ſentiat oportet , uerumetiam ſit mollis : ſic enim uel minimos motus dignoſcet.Similiter etiam,ſi per longius interuallum feratur,clarius contractionem percipiet. Etenim media applicatio quæ citra ullam uim fit, hactenus motum ſentiet in pulſibus minimè certè languidis, quatenus uiſus : in languidis uerò ſentiendis, etiam uiſui cõcedet. Altera, cùm premimus, in languidis, ſupra primam,motum arteriæ obſcurabit:in uehementibus percipiet prę cæteris.At tertia,qua ueluti ſuſpendimus manum, motum ſanè quambreuem ſentiet. Iam uerò maximæ quidem arteriæ, quæ ſecundum dorſum eſt ſita, cuius fugit pridem motus, ſimulatque contabuit animal,ad abdomen motus percipitur. Arteriæ quippe, leuiora corpora, ubi diſtenduntur, facilè ſecum attollunt:grauiora ægrius,prægrauia autem ne mouent quidem. Hinc fit, ut craſsis pulſus exiguus inſit, quòd uidelicet longitudo eius minuatur, & latitudo fiat limitatior,cõſtricta nimirũ à multa carne.Aſcenſus item in illis ubertate corporũ incumbentiũ ſupprimitur. Gracilium uerò,cæterùm robuſtorum, inſignem latitudinem & longitudinem pulſus habet,conſpicuũ etiam aſcenſum. Verumenimuero initium diſtentionis noſtrum ſenſum effugere,cùm ob corpora quę degrauãt arteriã, tum interdum etiam ob internæ quietis magnitudinẽ, nemini obſcurũ exiſtimo: quemadmodum & ipſius contractionis finem. Nam cùm maiorem motum in contractionibus nõ ſentiamus, ſed uel parẽ ac in diſtentionibus, uel quod uerum eſt, minorem : omnem autem in diſtentionibus non percipimus : planum eſt utiq;, nec totum nos percepturos in contractionibus. Tanta autẽ pars diſtentionis nõ ſentitur, quanta inter arteriæ primum impetum motus, & ictus uſq; ad noſtrum tactum diſtributionem intercedit.Similiter quando tantã ſentimus contractionis partem,quantã diſtentionis,aut paulò minorẽ:erit etiam contractionis pars illa quę nõ ſentitur,par diſtentionis parti,aut aliquantò maior.At uerò arteriæ interna & externa quies, per accidens pulſus partes dicunt.Quarũ externam quidem,ſimpliciter manũ admouẽs,quanta illa ſit,maximè deprehendes:aut ſi etiã premere libeat,idq; in uehementiſsimis pulſibus, uidelicet urgendo hactenus,ut motum ipſum nõ lædas. Internam autem ſi premas, quoad tibi per præſentem liceat uehementiam, ita maximè illam dignoſces. Atque externam quidem totam quietem, ſi ordine attingas, planè animaduertes:internam uerò,unà cum partibus quæ ſentiri nequeunt, utriuſq; motus, fine uidelicet contractionis, & diſtentionis initio. Vbi igitur dignoſcere externam quietem eſt animus,citra ullam uim applicare tactum debemus.Contrà,internam, ni urgeas comprimasq; , non cognoſcas. Nam contractioni arteriæ conſtantiſsimè debet hærere tactus. At premere minimè niſi in uehementioribus licet.Liquet itaq;,in his etiam ſolis internam quietem poſſe dignoſci : imò ne hic quidem exactè,ſed plerunq; ſanè multò maiorem quàm reuera ſit : interdum paulò , attamen adhuc illam maiorem animaduertes. Neceſſariò enim duo ei tempora accedũt partium inſenſibilium utriuſq; motus : & quod ad finem contractionis eſt, & quod in diſtentionis principio. Quæ cùm aliàs aliam longitudinem habeant, nec parem ſemper acceſsionem tempus internæ quietis habebit, nec exactè unquam dignoſci poterit.

*Applicatio manus ad carpum qualis molienda ſit.*

*Contractio arteriæ qualiter diſcernenda ſit.*

*Manus tangendo apta qualis nam eſſe debeat.*

*Applicationis manus ad carpum tres differẽtiæ.*

*Arteria dorſalis pulſum in tabidis ad abdomen diſcernis.*

*Craſsis pulſus exiguus cur adſit.*

*Gracilibus ſimul & ualidis pulſum eſſe omnis dimenſione conſpicuum.*

*Initium dilatationis arteriæ,et contractionis finem, cur noſtrũ ſenſum effugiat.*

*Quietes arteriæ per accidens pulſus partes dicuntur.*

*Quietũ arteriæ dignoſcẽdarum ratio.*

*Quietis internæ tempus in pulſu non poſſe exactè dignoſci.*

## GALENI PERGAMENI de dignoſcendis pulſibus liber ſecundus.

DEinceps autem quæ partibus pulſuũ inſunt, accuratè exponamus, à diſtentione auſpicati : quòd princeps hæc pulſuum pars ſit,&plurimam habeat cognitionis in ſe uarietatem, plurimumq; ad præſagiendum ſit utilis . Porrò cùm multa ſint quæ diſtentionibus inſunt, inter ea omnia motus principaliſsimas partes occupat, ex ratione ſubſtantiæ pulſuum, maximè ad illas pertinens . Omnis autem motus tempus habet,quo fit : præterea celeritatem uel tarditatem, uel æqualitatem, uel inæqualitatem : ad hæc,ubi feratur,ſpacium. At aliter uidetur tempus dignoſci , aliter tarditas & celeritas.Neque enim ſi motionis ſit breuius tempus, continuò pulſum dixero celeriorem exiſtere.Eſt autem pulſus celer, qui in pauco tempore motum finit : tardus, qui multo. Cæterùm motus præditi longiori tempore pulſus,eſt nõ rarò uelocior eo, qui breuius obtinet. Hallucinantẽ igitur qui formicantẽ pulſum,quòd imbecillus,creber,& paruus ſit,celerem eſſe exiſtimant. Siquidem ad iudicandam motus alicuius celeritatẽ, non modò temporis, ſed ſpacij etiam in quo fit motus,ratio eſt habenda. Nam fieri non poteſt, quin arteria quæ breuiſsimo interuallo uehitur, minus conſumat temporis,quàm quę maximo.

*Diſtenſionem eſſe principẽ pulſus partem,plurimumq; ad præſagiendum conducere.*

*Motui quæ inſint.*

*Pulſus celer & tardus qui ſint.*

*Formicantem pulſum non eſſe celerem.*

Si igitur

*Celeritati pulſuum dyudicandæ, quid expendere oporteat.*

Si igitur & ſpacium ſpacio, & tempus reſpōdeat tempori, ęquè celeres fieri motus dicemus. Si uerò maior ſit proportio ſpacij ad ſpacium, quàm temporis ad tempus: uel temporis ad tempus, quàm ſpacij ad ſpacium: hos motus minimè exiſtimamus pari celeritate fieri. Siquidem ſi ſpacij cum ſpacio collati maior ſit proportio, quàm temporis comparati cum tempore, manifeſtum eſt eum motum neceſſariò celeriorem exiſtere. Contrà, ſi prioris motus ſpacium minorem habeat proportionem ad ſpacium alterius, quàm tempus, prior neceſſariò erit tardior. Fingamus igitur iam duos aſcēſu impares pulſus, ſitq́ profunditas profunditatis decupla, & tempus temporis duplū: pulſus certè, cuius altitudo erit decupla, multò erit celerior altero. Nam humilis ſi in eodem conſtans motu, decuplo in profunditatis dimenſione increuerit, fiet ille quidē æquè ac alter altus, ſed tēpore longè maiori, q̃ ille. Inuentus itaq; eſt humilis pulſus breui tēpore durans, qui alto diuturno ſit tardior. Iam uerò uermicans atq; formicans pulſus mutuò inter ſe cōuertuntur: quippe ut uermiculantis extremus delapſus formicantem gignit, ita formicantis incrementum generat uermiculantem. Quamplurimū autem intereſt, tardiorem dicas aliquē motum, an tardum: celeriorem, an celerem. Siquidem celer & tardus proferuntur abſoluto ſermone: at celerior tardiorq́, referuntur ad alterum. ſimiliſq; in alijs differentijs eſſe ratio uidetur. Porrò magnus & paruus, ſicuti & maior & minor pulſus, ſi non ad relationis, at certè ad quantitatis prædicamentum ſpectant. Dicimus autem unamquamq; rem magnam uel paruam, non abſolutè, ſed cum alijs ſui generis comparatam. Atq; hoc ſanè inter magnū & maius intereſt, quòd maius quidem omni minori poſſit maius dici: magnū uerò nō quolibet maius, ſed tantùm cognatis. Eadem de minore & paruo diſtinctio eſt: necnō de celeri & celeriore, tardo & tardiore, duro & duriore, molli & molliori, crebro & crebriori: ac ſic de cæteris omnibus, quæ partim cum altero quolibet cōparata, partim cum ijs tantùm cum quibus conueniunt, talia uel talia dicuntur. Nec uerò ſi cum omnibus quę ſunt eiuſdem generis magnum comparemus, ſtatim ſic nominabimus. Cæterùm cum medio ipſo, moderatoq́ in unoquoq; genere, ceu cum regula, ſingula comparantes, quæ illud quidem excedunt, magna eſſe dicemus omnia: quæ contrà, parua: id quod uſu uenit in omni uita, & præcipuè in artibus uniuerſis. Nam ad moderati omnes examen referuntur. Verùm pro ratione ætatum, habitudinum corporum, temperamentorum, anni temporum, locorum, ſtatuum, inſtitutorum uitæ, ac deniq; animi affectuum, alios magnos, alios paruos, alios moderatos pulſus dicimus eſſe. Iam hos celeres, illos tardos, quoſdam moderatos: pariq; modo in cæteris differentijs. Siquidem pro ſingulis earum cauſarum indies ipſi pulſus uariantur. Quæ cauſæ quum ſemper mutuò permiſtæ ſint, difficile, ac potius impoſsibile fuerit, reperire diſtinctam aliquam differentiam pulſus, quæ omnino & ſigillatim earū cuipiam reſpondeat. Quare ſatius fuerit à tali inquiſitione ſuperſedere: per ſingulas aūt earum cauſarum exercere hominē, cuius pulſum ipſe iam exploraris: ac ſic perpendere, quam in illum mutationē eiuſdem pulſus moliantur: id quod etiā in alijs atq; alijs hominibus eſt faciendum periculum. Cæterùm ſi neq; id quod commune eſt, in ſuas diuiſerimus partes, nec cauſas quæ per ſe & primariò agunt, ab ijs quæ ex accidenti ſunt diſtinxerimus, hauddubiè in iudicio pulſuum turpiſsimè hallucinabimur. Nam ſi dixeris exercitatorum tales pulſus exiſtere, nec addideris quorum exercitatorū, nec explicaueris ipſius exercitij ſpeciem, nec modum, nec qualitatem, nec deniq; quantitatem, utiq; magnum lapſum cōmittes, quòd uidelicet rem cōmunem minimè in ſuas differētias ſecueris. At uerò ſi qui plethoricus ſit, ac thorace & pulmone affecto, ſimul ut cœpit exerceri uelociter, in dyſpnœam inciderit, utiq; pro dyſpnœa ipſi pulſus uariabunt: quorum alterationem tu exercitationi attribues, quòd cauſam ex accidenti minimè à propria diſtinxeris. Ergo ne in experiundo fallamur, corpus propoſitum deſignabimus ad experientiam, cùm ſanum ſit, ac nulli externæ obnoxium alterationi: tum exercitationem qua ad id utemur, moderatā quantitate ſeruabimus: præterea in mutatione id attendemus, ecquid caſu inciderit, non ex ipſa exercitationis natura.

*Pulſuum examen qualiter ineundum ſit.*

*Vermicantē & formicantē pulſum ſibi mutuò ſuccedere.*

*Magni & maioris diſcrimen.*

*Comparationē magni & parui faciendā eſſe ad ipſum generis medium.*

*Pulſus variari pro ratione diuerſarum cauſarum.*

Si enim tria hæc reſpicias, nullo negocio inueneris, quemadmodum & quatenus omnis aduentitia cauſa pulſum ipſum immutet. Itaque ſi in omni genere cauſæ, alterationem experientia didiceris, non eſt quòd ſis ſolicitus, ut qualis ſit, qui natura moderatus eſt pulſus, pręſcias. Sed ſi, qui ſit ſingulis, de quibus agitur, peculiaris, teneas, quatenus mutatus hic eſt, cùm ab alijs cauſis, tum uerò ab ipſo morbo, noſcas licebit. Porrò moderata exercitia pulſus in magnitudinem, celeritatem, uehementiam & crebritatem cōuertunt. Pro ætatibus autem, maximi ſunt iuuenum pulſus: ſenum minimi: eorum quorum ætas declinat, maiores quidem quàm ſenum, minores tamen quàm iuuenum: ſenum deniq; minimi. Exoriri autem quæſtio poſsit, cur paruus pueris ſit pulſus: quanquā certè nullam reperio cauſam, cur debeat in eis eſſe talis. Proinde moderatum pulſum cognoſcere, adhuc magis neceſſariū uidetur. Poteſt quippe uel pueri pulſus moderatū excellere. Quare niſi moderatū prius pulſum inuenerit, ne Empiricus quidem ipſe obſeruationem accuratè inſtituere poterit: cùm nō omnium ægrotorum uſus ſit conſuetudine per ſanitatē, quò experientia naturam illorū agnoſcat, indeq; memor illius, cum ægrotātibus eam comparet. Vbi igitur optimam conſtitutionem humani inuenerimus corporis, primū animaduertendum eſt, qui nam eius ſint pulſus: idq́ nec obiter, nec negligenter: ſed in eo ſtatu hominem accipiemus, ubi ſuum proprium motum pulſus, à nulla externa cauſa immutati, retineāt. Hoc fiet ſi homo ipſe ab omni exceſſu & defectu ſit immunis & liber. Poſtea inueſtigandæ ſunt corporū uitioſæ conſtitutiones: earumq; exceſſus atq; defectus, cum moderata & optima conferendi. Dein uerò, ubi quantū oporteat earum

*Pulſuum cognituris permutationes, tria ſpectanda eſſe.*

*Exercitia moderata quomodo immutent pulſus.*

*Pulſuū differentia ſecundū ætates.*

*Pueris cur pulſus ſit paruus.*

*Pulſum moderatum eſſe inueniendum.*

*Pulſum moderatum, immodicumq; inueniendi ratio.*

naturarum pulsus dissidere ab inculpatissimæ pulsu perpenderis, longoq́ usu exercueris rationem simul & tactum, iam demum certò putabis te moderatũ tenere in omni genere pulsuum: illosq́ etiam, qui aliquo modo ultra hunc sunt, & citra. Idcirco quicunq́ aut corporis nostri optimam naturã, aut uitiosas non nouit, aut ratione quidem perspexit eas, sed usu ut dignosceret nõ laborauit, nihil huic fructus feret hic sermo: siquidem illa prius sunt ediscenda, postea huc ueniendum. Naturæ igitur optimæ pulsus, aliorũ omnium medius, ac ueluti mensura & regula quædam existit: cum quo ubi cæteros comparamus, celeres, tardos, magnos & paruos dicimus esse. Ipse uerò qui medius & est & dicitur, nullo nomine quod immoderationẽ significet, nominatur: sicuti neq́ homo eo ipso præditus: quem quidem non crassum, non gracilem, non calidum, frigidum, humidum, aut siccum dicimus, sed omnibus partibus corporis temperatũ. Cæterùm dubitauerit quispiam in hunc modum: Cùm omnes quę in corpore sunt arteriæ, esse æquales non possint, ac proinde nec etiam distendi æqualiter, utique non poterit pulsus unus in quantitate distentionis moderatus existere, ne si optima quidem natura fuerit: sed in motu & robore, cæterisq́ generib. unus esse per omnes arterias potest. Quippe similem cùm inter se mutuò, tum cum corde motum, omnes necesse est habeant: magnitudine uerò, ut earum differunt corpora, sic distentiones par est esse diuersas. Verùm hæc qui dicit, ignorat, æquè in magnis corporibus ac in paruis constare eandem naturam posse.* Quod quidem si exploratũ haberet, neutiquam amplius requireret, nec arteriarũ quę in singulis partibus sunt, nec item ipsarũ dilatationum, parem magnitudinẽ esse in uniuersis inculpatis naturis, cùm pro magnitudine & paruitate corporũ, illa etiam uariet. Porrò uesicarũ, follium, utrium, omniũ deniq́ rerum quæ prædita cauitate aliqua sunt, magnas & paruas distentiones solemus dicere. Dicimus etiam interdum uesicam esse distentam maximẽ: utrem autẽ & saccum, qui uiginti eiusmodi uesicas facilè capiant, nondum maximam distentionem esse consecutos. Censemus siquidem distentionem ad cuiusque cauitatẽ corporis esse æstimandam, non absolutè pronunciandam ad eundem ubiq́ modũ. Nam est certus in re qualibet modus, in quo nec contendi tunicas, quæ cauitatem ipsam complectuntur, nec remitti cõtingit. Vbi igitur aut tensio, aut cauitas in ipsis percipitur, tum magnas dicimus eis aut paruas distentiones inesse. Vbi uerò nec sensibilis cauitas sese ostendit, nec tunicæ laborant tensæ sub ipsa dilatatione, modicam sanè & moderatam, natiuamq́ corporis distentionem illam censemus existere. Similiter igitur est iusta quædam ipsius arteriæ distentio, ita ut nec contendatur, uel laxam aliquam sui partẽ relinquat. Nam ut omnino confidat, tunicarum dura natura prohibet. Atq́ eam sanè distentionẽ moderatã & naturalem dicemus. Etenim in naturis optimis hactenus dilatatur arteria, quoad usus expleatur largiter, & nihil lædantur tunicæ. Proinde qui regulam uelit attendere in magnis pulsibus & tardis dignoscendis, optima natura inuenta, cognitaq́ unius in illa arteriæ cuiuscunq́ magnitudine corporis atq́ distentionis, recordandum illi & æstimandũ est, arteriam hac maiorẽ, quantò oporteat maiorẽ distentionem habere, in naturis optimis. Quæ si tanta reperiatur esse, quantã fore conijciebat, sic moderatum pulsum appellabit: sin uel maiorẽ hac, uel minorem, magnum uel paruum. Arteriæ deprehendet in optima natura magnitudinẽ, aut per dissectionem, aut ex collectione signorũ. Quòd si nesciat etiam quanta sit arteria præditis optima natura, certè eorum pulsus memor, si in alterum postea incidat, & colligere possit, num par sit maiores hunc aut minores, q̃ illum habere arterias: cum magnitudine iam distentionis cõferre poterit, coniectareq́, an magnus, an paruus, an moderatus sit pulsus.* Etenim si quantò uidetur arterias maiores habere homo qui comparatur, tantò maiorem etiam distentionẽ sortiatur, moderatum esse illius dicemus pulsum. Quòd si arteriæ magnitudo uideaẽ superare magnitudinẽ distentionis, aut minor quàm illa sit, magnum tunc, uel paruum pulsum uocabimus. Præterea si arteriæ corpus uideatur esse maius quàm pulsus, paruum: sin arteriæ minus, & pulsus maior, magnum. Haud secus in reliquis generibus pulsuum: ut in ipsius motus genere, in quo celeritatem & tarditatem dignoscimus: in genere quietis, in quo crebritatem & raritatem: contentionis, in quo uehementiam & remissionem: ad hæc, corporis arteriæ, in quo duritiem & mollitudinem. Nam per hæc omnia, tum moderatum inueniemus in optima natura, tum immoderatos uel ob excessum, uel ob defectũ, nõ inter se, sed cum moderato comparabimus.

*Pulsum naturæ optimæ, aliorũ omniũ regulam & mensurã existere.*

*Arterias inter se mutuò, & simul cum corde similem semper motum seruare.*

*Arteriæ iusta distentio.*

*Pulsus moderatus quomodo iudicandus sit.*

*Arteriæ magnitudo quomodo cognoscenda.*

*Pulsus magnus vel paruus quãdo dicendus.*

*Pulsus in omni genere, moderatos immoderatosq́ inueniendi ratio.*

## GALENI PERGAMENI *de dignoscendis pulsibus liber tertius.*

CEler autẽ pulsus uocatur, qui pauco tempore suum motum absoluit: quemadmodum tardus, qui multo. Etenim si hoc prius nobis constet, moderatus pulsus quanto tempore, quantum confecerit interuallum: deinde alterius offendamus, qui par habuit tempus, spacium minus: multo tempore dicemus hunc motum fuisse. Siquidem si duo pueri dimissi in diuersos locos non æque distantes sint, & simul reuersi: alterum, quòd iter pauco tempore absoluerit, collaudamus: alterum increpamus, quòd multo. Nam ex uiæ longitudine æstimamus, quum paucum uel multum temporis dicimus, non absoluto sermone. Cæterùm ad dignoscendum celerem pulsum uel tardum, nec quantitatem temporis, nec interualli (ut iam quod uerum est fatear) considerandam censemus: imò ne proportiones quidem illorum, de quibus (ad extirpandum errorem quorundam, qui ex solius temporis quantitate, iudicium ipsorum pulsuum ferebant) uerba fecimus in superiori libro. Nam celeritatem quidem & tarditatem, ut primùm occurrit arteria, noscimus: rationem uerò temporis ad tempus, &

interualli

*Pulsus celer & tardus quis sit.*

*Pulsuum celeritatem vel tarditatem vt cognoscamus, neq́ temporis, neq́ interualli quantitatem esse spectandam.*

interualli ad interuallum, ut exploremus, opus nobis est longo tempore. Quemadmodũ itaq; si ob oculos moueri quempiã uideamus, impetus ipse indicare potest motus celeritatem: sic & in arteria contingit. Nam aut incitatum, aut remissum eius motum inuenias. Omnia enim corpora quę mouentur, ex locis ubi semper mouentur, quo modo moueantur, dignoscimus. Siquidem si in ijs immorent, tardum esse motũ eum dicimus: si uerò descendant leuiter, celerẽ. Vnus itaq; sensus celeres & tardos pulsus declarat, ex ipso locorũ transitu iudiciũ nobis confirmans. Quare celeritatis & tarditatis facilè notitiã consequimur: non perinde consecuturi, si quantitate temporis & interuallorũ aucupata, eorũ proportiones obseruare sustineremus. Atqui nõ sustinemus: nam ut primũ aciem intendimus, momento temporis obiectum motumq; corpus deprehendimus, ex quo conijcimus transitũ. Quæ igitur eminus cernimus, ea diutius uidentur nobis consistere, uel si agitentur celerrimè. Vnde liquet, ratione nos motum colligere, minimè sensu deprehendere. Quia uerò sensui ratio coniuncta est, & transcursus mentis est uelocissimus, sæpenumero non ratione, sed deprehendi sensu uidetur. Non est itaq; temporum neq; interuallorũ quantitas inspiciunda, sed ipsa qualitas motus, licet explicatu difficilis: à qua etiã dignotio inæqualium celeritate & tarditate pulsuum ducit originem. Quippe unius distentionis sæpe initiũ motus planè celerius uidetur: proximũ tardius: iterum finis celerior. Quo minus leuiter palpandum est, ubi genus hoc pulsuum perpendimus: alioqui extremũ motus finem sentiemus duntaxat, nõ integrum motum. Ex quibus liquet, eiusce modi pulsus nec paruos, nec languidos esse. Neq; enim trifariam possis secare motum, nec in paruis interuallis, nec in uiribus imbecillis. Quamobrem nec in pulsibus lethargicis deprehenderis inæqualitatem. Porrò maximus & uehementissimus pulsus ualidam fert compressionem: atq; alius quisq;, quantũ à uehementia uel magnitudine abest, tantò minorem. Quare qui cuiq; pulsui inuetus sit contrectationẽ appositam, hunc singulari prudentia esse, & expertũ in dignoscendo oportet. Moderatus igitur motu pulsus in optima constitutione, nõ ex interualli aut temporis quantitate est, sed ex ipsa qualitate explorandus. Quo quidem qui percipientur celerius decedere, celeres: qui tardius, tardos uocemus. Cæterũ si pulsus æqualis sit, uniuersam distentionem nõ expectamus, sed ex parte eius, facere de tota coniecturam licebit. Si uerò inæqualis, integram assequi expediet, tactumq; pro magnitudine pulsus & uehementia uariè applicare. Deinceps de quãtitate distentionis agamus. Enimuero cùm corporis arteriæ dimensiones sint tres, lõgitudo, latitudo & profunditas: nullã earum possumus totam sentire. Ac de longitudine quidem apertissimũ est. Vtrinq; enim arteria, plerunq; longa tres cubitos, usq; ad extremum terminũ pulsat, cùm tamen tribus aut quatuor duntaxat digitis motus ipsius percipiatur. Sed nec in dimensionibus cęteris, quod diximus obscurum uidetur, cùm à corporibus incumbentibus adeò circumuallentur & contegantur arteriæ, ut nec latitudo nec profunditas motus exactè deprehendi possint. Est tamen in singulis corporum naturis aliquid sub ipsa cute elucescens, uerùm in natura optima, moderatũ. Etenim si quid supra hoc secundum longitudinem sit, longum: si quid infra, breuem pulsum efficiet, qui definiri numero digitorum non potest. Eodem modo iuxta dimensionem secundam, tum latos, tum angustos pulsus cum moderato collatos deprehendes: similiter altos & humiles iuxta tertiam: sicuti in tribus simul dimensionibus, magnum & paruum. At uerò singulos esse in singulis alijs pulsuum generibus moderatos, sed in sola quantitate non planè unum, sed suum cuiq; corporis parti, antea explicatum est. Quandoquidem igitur dimensiones pulsuũ nõ facilè deprehenduntur, danda nobis opera est, ut cõmonstremus rationẽ qua in optimam singularum cognitionem ueniamus: * ac primũ sanè de illa dicemus, quæ circa longitudinem tota uersatur. Esse autem eam censendam optimam, quæ motus maximam partem sentiat, clarissimum est. Porrò in tribus his, natura uidelicet, exercitatione, & applicationis modo, sensibilium cognitionum omnes differentiæ sunt sitæ. Nam qui naturam habet appositissimam ad sentiendum, & probè ipsum tactum exercitatum, quem sensibilibus etiam decenter admoueat, optimus huic explorator fuerit eorum quæ intus sunt condita. At qui hoc aliquatenus est inferior, quammaximè ab illo abest, tam pessimè absolutam cognitionem consequitur. Qui igitur ad tangendum fuerit optimè comparatus, is cogniturus longitudinem pulsus, omnino nõ premat, imò sæpe cõtrectet leuiter, ac ueluti suspendat manum. Qui modus accõmodatus in primis est, paruis pariter & imbecillis pulsib. Quorum quidem, si eos aliquatenus premas, magna ex parte motus exoluitur, imò uerò perit sæpe uniuersus. At modicum pressum non grauiter ferunt quidem pulsus uehementes: non læduntur tamen ne hi quidem, si nihil premas. Qui modus tangendi cùm optimus sit languidis pulsibus, nec incõmodus uehementibus, nulli alteri est postponendus. Porrò ubi diuersas partes secundum arteriæ longitudinem premis, non per inde uidetur in omnibus lædi motus. Sed si cordi uiciniores premantur, magnã iniuriam subiectis infertur. si remotiores, sæpenumero nullam, quæ animaduerti possit, si bene pulsus sit uehemens: interim tamen manifestam, in non uehementibus. Porrò ut sensu percipimus differentias latitudinis & profunditatis, sic nos sæpe circularem figuram deprehendere in pulsu manifestè fatemur. Quod igitur ad dignoscendas eas duas dimensiones pertinet, si leniter palpes, aut pluribus in partibus necessum est arteriæ occursum percipias, aut in paucioribus. Quo cognito, ad sensum ratio adiuncta, nobis magnam distentionem suggeret esse, quæ multis partibus mouet tactum: paruam, quæ paucis. Agè fac circularem eius occursum esse: quid, nónne clarũ est, si insigni sit circunferentia circuli magnitudine, totam etiam crassam esse distentionem

*Motus celeritatem aut tarditatem, ex locis vbi mouentur corpora indicari.*

*Motum non sensu, sed ratiõe colligimus.*

*Ratio est sensui connucta.*

*Mentis transcursus est velocissimus.*

*Pulsum maximum vehementissimumq; ferre vãlidam compressionem.*

*Pulsum moderatum esse ex sola motus qualitate explorandũ.*

*Pulsuum æqualitas & inæqualitas quomodo cognoscenda.*

*Arteriæ dimensiones sunt tres, quarũ nullã totam percipimus.*

*Pulsuum dimensiones deprehendendi ratio.*

*Sensibilium cognitionum omnes differentiæ, in natura, exercitatione, & applicationis modo, consistunt.*

*Arteriam cõtrectandi modus.*

*Arteriæ circularem figuram in pulsu deprehendi posse.*

*Distentio magna quæ sit.*

arteriæ? & uniuersam distentionem gracilem, si circunferentia sit parua? Quòd si gibbosiores ac præruptiores uideantur obliqui occursus arteriæ, præterea cauior quodammodo & humilior in profunditate, adeò ut ne circuli quidem circunferentia cernatur amplius, sed ueluti recta linea: profectò apertum est talem pulsum latū fore atq; humilem. E diuerso, si motus obliqui partes, longè citra medium constiterint, ac medium ipsum satis gibbosum appareat, planè is pulsus altus & angustus existet. Si semel angustus eius in latitudine occursus euadat, ut non modò imminutus esse obliquus motus, sed & totus perijsse omnino uideatur, difficilis cognitu est, uel potius cognosci non potest, quantum in his est, qualis sit pulsus. Iam uerò opportunū est & de rhythmo etiā aliquid dicere. Qui quidem cùm in collatione temporis distentionis, cum tempore contractionis consistat, prius paranda nobis separatim utriusq; temporis notitia est, id quod fuerit laboriosissimū: quandoquidem initiū distentionis, & contractionis finis, cognosci non possunt. Iam quatenus aliquid motus nos latet, eatenus etiam præteribit & tempus. Cæterū ad explorandam quantitatē motus, quantum promota spacij sit, perpendimus. Quòd si finem distentionis accuratè teneamus, ratio cum sensu coniuncta, nobis eius quantitatē subijciet. Possumus itaq; (nisi partem aliam præter finem motus sentiamus) quantū habeat temporis ignorare: scire tamen quantū interualli peruecta sit. At uerò in uehementioribus pulsibus, si modicè arteriam compresserimus, perspiciemus quidem initium motus, sed quantitatē ignorabimus interualli. Non potest autem simul & examinari quantitas temporis motus, & celeritas uel tarditas percipi. Porrò ad dignoscendum rhythmū, solam quantitatē temporis quę in motu absumitur, exploramus. Quare instituēda manus ea applicatio est, quæ arteriæ omnem motū intuetur accuratissimè. Si igitur pulsus magnus, sed languidus fuerit, in eo certè nō possis deprehendere totius dilatationis motū, sed externi finis duntaxat. Sic etiam cōtractionis initium duntaxat, recessumq;, pręterea nihil. Proinde leniter istiusmodi pulsus sunt palpitandi: qua tactus applicatione quantitatē animaduertere interualli distentionis poteris: temporis motus nō poteris. At uerò in contractione nō tantū temporis motus non inuenies quantitatem, sed ne ipsius quidem interualli: cuius etiam uel qualitas nobis ignota erit. Qui enim motus etiamnum qualitas dignoscatur, uniuerso sensum latente motu? Nimirū requiritur prius essentia rei, quàm ipsa qualitas. Quæ quidem si fugiat sensum, parari nequit ipsius qualitatis notitia. Quādoquidem igitur motum distentionis & contractionis arteriæ noscimus in ijs tantū pulsibus, qui minimè languidi existunt, in eorum sanè solorum notitiam rhythmi ueniemus, digitis ita moderatè applicatis, ut nihil motus externi interpellent. In solis itaq; uehemētissimis pulsibus exactè rhythmus dignoscitur: quòd in cæteris magna pars initij distentionis, & contractionis finis, nos fugiat, id quod maximè rhythmum offendit.

*Rhythmus in quo consistat.*

*Distentionis arteriæ initium, et contractionis finem, imperceptibilem esse.*

*Rhythmo dignoscendo quid explorandum.*

*Essentiam rei prius requiri quàm qualitatem.*

*Rhythmum in solis dignosci uehementissimis pulsibus.*

## GALENI PERGAMENI de dignoscendis pulsib. lib. IIII.

Est antē in distētione arteriæ ueluti quidam ictus, qui, dum tangimus, tactū ferit. Hūc, si uiolentus sit, propriè existimabis ictum uocari: at si uiolentia careat, nō item. Comitatur porrò ictus ipse multas ac uarias species pulsuū. Duri siquidem pulsus, uehementis, magni, celeris, alti, conuulsiui, & uibrati est comes, atq; cōmune symptoma. Quare cōfundendi illi pulsus non sunt, sed discernendi suis notis. Cùm igitur tactum impelli à pulsu, si illius debeat sentire occursum, necesse sit (impellitur enim nō perinde semper, sed nunc plus, nunc minus, interdum ut palpet tantū) quicunq; motus eum protrudunt, & longè submouent, ij sanè uiolenti ictus speciē referūt. Ac protrudere quidem longè potest motus arteriæ duræ, ueluti tactum contundens: & qui robore mouentis eam facultatis ueluti euertit: præterea qui magnitudine distentionis progreditur plurimū: iam etiam, qui qua fertur celeritate impellit ualenter, & qui præ altitudine ueluti subit ac intrat: quiq; quòd tensus sit, ægrè mouet: ac deniq; is, qui ob uibrationē, simul tensionis & duritiei, celerisq; occursus imaginē repræsentat. Cæterùm incidas in multos quotidie medicos, qui illos omnes pulsus uel maximè discrepantes, dicant uehemētes esse. Etenim quòd occursus celeritas, non eadem sit cum uiolentia ictus, hinc cognoscere licet, quòd nec longius celer pulsus impellere ualet tactum, nisi simul sit magnus. Vnde liquet, non hoc eum sua sponte obtinere symptoma, sed ob magnitudinem iunctam. Quippe longè impellere magis ad magnitudinem pertinet: uel etiam ad hanc per accidens, uidelicet uehementię rationis. Magnitudo siquidem, non quòd longius intret, sed quòd multis in partibus longitudinis pariter & latitudinis & profunditatis attingat tactum, cognoscitur. Si enim pulsus circunferentiā quæ satis magna est perceperimus, ex ea facilè ascensum, qui ex multa profunditate fit, cōijciemus.* vel si tactus totum interuallum assecutus nō fuerit, sed externū tantū finem persenserit. Si uerò * à primo dilatationis impetu, uelimus motū ipsum sentire, magna ex parte magnitudinē interpellabimus, ita ut ne magnus iam esse pulsus uideatur: idq; ubi magnitudini uehemētia est adiuncta. Nam si in pulsibus qui citra uehementiam sunt magni, aut ascensui occurras, aut ipsam arteriam cōprimas, mox totus pulsus perierit. Iam uerò si magnus pulsus tribus dimensionibus præditus, nisi etiā uehemens fuerit, minimè tactum protrudit longius, manifestum utiq; est, nec altum id sua natura effecturum, qui una tantū dimensione operatur, sed quòd simul aut uehemens sit, aut certè minimè languidus. Omnes itaq; illi pulsus, ut longè propulsent tactū, planè uehementiam desiderant. Quanq̄ & alijs etiam, à quibus diuelli durities non potest, uiolenter feriunt, ut uibratus, & cōuulsiuus. Qui quidem non aliunde cōpararunt ictus uiolentiam, quàm à duritie perpetua. Quamobrem duo tantū genera habent pulsuum uiolenter ferientium: nempe uehementium

*Vlus quos comitetur pulsus.*

*Tactum nostrū qui motus repellant.*

*Impellere tactū solius magnitudinis est, cum uehementia cōiuncta.*

*Magnitudo pulsus unde cognoscatur.*

*Pulsum nullum absq; uehementia posse tactum protrudere.*

*Pulsuum uehementer ferientium, duo tantū genera haberi.*

*Dura quæ dicantur.*
*Mollia quæ sint.*

tium, atq; durorũ. Etenim quibus carnis nostræ natura cedit, ea dura uocantur: quæ uerò carni, ut aqua, hæc mollia dicũtur. Fingamus itaq; manum nostram nunc aquæ rapido fluctui ex aduerso occurrere: nũc lapidi, quem altera manus sensim admoueat: nónne ab aqua perspicies planè ipsam euerti, non pressam tamen: & lapidem ab hac euerti, sed pressa ab illo? Nam durum quidem, quò minus progrediamur, obstare per se non potest: sed aut per pondus, aut motum acquisititium impedire interdũ poterit: uehemens autem, suapte natura reprimere, cohibere, repellere, ac deturbare intelligitur. Liquet igitur, aliud nos cùm uehementia tangimus, aliud cùm dura, sentire: nam hæc premunt carnem tantũ, illa impediunt progressum. At quia sæpe fit ut ambo conueniant, atq; id quod occurrit sit durum, pariterq; uehementer moueatur, non potest sensus etiam non duplex nobis offerri: unus ueluti prementis, alter ueluti euertentis. Quę si sint ita, ut sunt certè, duri pulsus, in premendo tactu, cognitio ponenda est, ut utrisq; ictus uiolentia cõueniat: sed proprium duri sit premere, euertere uehementis. Hallucinatur autem Archigenes, dum pulsum, cùm arterię status cognoscitur, plenum pulsum appellat: potius is durus, aut mollis, aut moderatus dici mereatur. Dum uerò ait, secundo alio pleni pulsus genere cognosci qualitatem substantiæ in arterijs cõtentæ: quam qualitatem intelligat, haud pro dignitate explicat.

*Duri proprium est premere.*
*Vehementis est proprium euertere.*

*Archigenem suggillat Galenus.*

Cæterũ grauissimè peccat tertium aliud genus pleni pulsus assignans, cuius ui, ea quæ in arterijs sunt, innotescant nobis. Quippe tactus, spiritús ne in arterijs tantũ sit, an simul humores aliqui, indicare nõ ualet. Quinetiã nullus prorsus est sensus, qui cõmonstrare ualeat, in arterijs contentus sanguis, quàm sit multus & qualis. Imò uerò in ipsa aqua inter cutem neutiquam licet nobis, humór ne sit an spiritus, qui in regionibus continetur uentris, ipso tactu explorare, nisi pressu cute cauata: quam nec frequenter cauari conspicias in synceris ascitis, & in eo hydrope, quem tympanitem appellant. Sed ad ueram notitiam comparandam pulsare cogimur abdomen, ut attendamus si ueluti tympanũ resonet: secundo loco aliter componere hominẽ, conuerterèq; in latera, quò fluctuationem aliquam exaudiamus. Siquidem ut strepitus in motũ tympani spiritũ nobis annunciat, sic fluctuatio humorem. Vno autẽ admoto tactu, haud facilè deprehenderis, flatús ne an aqua subsit, tametsi cutis his contabuerit: tantũ abest, ut per crassam arteriæ tunicam, & quæ peritonæi est sexcupla, q̃d latitat in ipsa arteria noscamus. Præterea ex magnitudine quidem pulsus, copiam contenti humoris cognoscimus. Sed nõ perpetuò hinc nobis (quod ille arbitratur) humidum esse ipsum humorem constat. Solæ itaque fluctuationes & strepitus sunt, ex quibus cognosci possit quid sit, aut quale, quod contineatur. Sensus autem tactus, manet sui semper similis.

*Ascites.*
*Hydrops.*
*Tympanites.*

*Contentorum quantitas qualitasq;, unde deprehendatur.*

# GALENI PERGAMENI
## *de causis pulsuum lib. I.*



*Pulsus à quibus mutentur.*

Væ immutant pulsus, partim eorũ generationis sunt causę, partim tantùm alterationis. Ac generationis quidem, tum usus, cuius gratia fiũt: tum facultas abs qua, tum instrumenta per quæ distenduntur. Alterationis, cæteræ omnes, & quæ præcedentes uocantur, & quę harum sunt procatarcticæ. Nam triplex sanè, nõ in pulsibus modò, sed in alijs cunctis, causarum genus existit. Vnum quidem primũ atq; præcipuum, quod cõtinens ideo appellatur, quia eorũ essentiam complectitur, nimirum generationis (ut modò diximus) existens causa. Reliqua uerò duo genera, ut fiant pulsus, in causa nõ sunt: causæ tamen existunt illorũ qui iam sunt, mutationis. Quippe humorum crassitudo, abundantia, lentor, acredo, efficere nõ ualent pulsus, alterare ualent. Ita frigidum balneum, uel calidum, & hyems, æstasq;, breuiter frigus, & calor, alterandorum pulsuum sunt, non gignendorũ, causæ.* Cæterùm quas ultimò cõmemorauimus, procatarcticæ siue præincipientes dicuntur. Quas uerò ante has, illæ nempe quæ circa humores uersantur, antecedentes. In summa autem, quæcunque extra corpus positæ, quicquam in corpore immutãt, procatarcticæ causæ, siue præincipientes uocãtur, *ceu incipientes prius quàm dispositiones corporum. * Quæ quidem ipsæ dispositiones, quando continentes excitant, ipsarũ antecedentes causæ redduntur. Densetur enim ab occursu externi frigoris, cutis: cuius densitas, naturalem halitus digestionem reprimat. Repressus ille coaceruetur, tandemq; febrim accendat, ob quam usus pulsuum mutetur, ipsiq; similiter pulsus. Hic certè occursus externi frigoris est procatarctica causa: cæteræ usq; ad usum pulsuum omnes antecedentes. Causa igitur procatarctica, antecedentibus causis mediantibus, quia usum pulsuum permutat, quæ una ex cõtinentibus causis existit, dicitur etiã pulsus ipsos uariare. Neq; enim possit ulla cõtinẽs causa mutari, ut constans maneat eius effectus. At priusquàm continentes alteratio attingat, pulsus immutari non possunt. Ideoq; principes hæ, & præcipuæ sunt, primæq; causæ pulsuũ. Cæteræ sunt harũ gratia, nec per se alterare ipsos pulsus possunt. Quare illum qui peritus euadere artis de pulsibus uelit, in omnibus causarum generibus apprimè esse exercitatum oportet. Porrò quatenus gignendorum pulsuum origines sunt continentes causæ, eatenus etiam alterandorum. Siquidem differentiæ causarũ in quantitate qualitateq;, pulsuum differentias in qualitate & quantitate cõstituunt. At uerò cùm perpetuò cor ipsum unà cum arterijs omnibus, quandiu superstes est animal, cernamus habere motum illum pulsatilem: homine autem iam uita functo, tum arterias, tum cor, ipso pulsu destitui: sanè constat aliquam fuisse causam, à qua ille motus excitaretur. Quam quidem causam, licet eius essentia nos fugiat, quòd facultatẽ tamen habeat faciendi pulsus, illam facultatẽ uocamus. Quum

*Causarum genera tria.*
*Causa cõtinentes.*
*Causa procatarctica.*
*Causæ antecedentes.*
*Causarum quæ pulsus mutant, generalis uno exemplo traditio.*
*Causa continẽs alterationis pulsuum, est usus eiusdem.*
*Causæ præcipuæ pulsuũ, sunt continentes.*
*Animæ essentiã ignorauit Galenus.*

autē omnis facultas, alicuius facultas sit, hauddubiè eius notio erit relationi subiecta. Cæterū dum robur facultatis, uirtutémne dicimus, aut contrà infirmitatem & uitium, hæc nomina ad functionem referimus. Siquidem quæ obit efficitq; functionem causa, interim ad eam melius est apposita, interim deterius. Quo fit, ut modò præclarius: postea si res ferat, deterius, functio ipsa obeatur. Ac præstantior ad functionē dispositio, facultatis uirtus & robur est: deterior, infirmitas atq; uitium. Quod uerò ad pulsuum usum spectat, gratia tuendi caloris uniuersi corporis, instituti uidenť, ut uidelicet illum refrigerent: & si quid sit fuliginis ex succorū adustione contractū, id euestigiò excernant. Conferūt etiā ad gignendum animalem spiritum. Reliqua & tertia gignendorum pulsuum continens causa, ipsum est arteriarū corpus. Siquidem omnis facultas quæ alicuius causa agit, instrumenta quærit ad opus apposita. Erat autem hic instrumentum accōmodum, quod spissis tunicis esset, atq; intus cauum. Vbi igitur illa facultas refrigerantem substantiam trahit, arteriarū corpus distenditur. Vbi uerò fuliginosum expurgat, contrahitur. Nunc itaq; prępollet dilatationis usus, nunc contractionis: consequiturq; omnino alteram motus partem reliqua. Cùm ergo ex his causis pulsus proficiscantur, omnes uariationes illorū pro causarū alterationibus fiant est necesse. Vnde tot sunt primæ & generales pulsuum differentiæ, quot causarum. Et facultatis quidem differentię sunt, robur & imbecillitas. Natiui caloris, adustio, refrigeratioq;. Arteriæ tunicæ, durities, & mollitudo: atq; præ his omnibus, in singulis generibus; cōmemoratorū mediocritates: quæ ut naturales efficiunt pulsus, qui medium locum inter excedentes sortiuntur, ita excessus ipsi, pulsus gignunt præter naturam. At facultatis robur necessariò pulsum uehementem facit, infirmitas languidum: sicuti instrumentorū durities, durum, mollitudo mollem. Vt autem incremento uel decremento natiui caloris consequatur semper unum & idem genus pulsuum, non est necesse. Nec enim celer, nec magnus, aut creber incidit semper, ubi natura aduritur: nec dum extinguitur, tardus, uel paruus, uel rarus. * Disputat autem contra Magnum Archigenes, quòd celeritas pulsus non à robore potius, q̃ à facultatis imbecillitate proficiscatur. At neutrū sequitur necessariò. Magis tamen peculiaris celeritas robori facultatis est, abundantiæq; caloris, necnō mollitudini instrumentorū: tarditas autē contrarijs. Eodem modo ualidæ facultati magnitudo, & copiæ caloris, tum etiā mollibus instrumentis familiaris existit: paruitas uerò cōtrarijs. At crebritas nulli necessariò ex cōmemoratis inhæret: magis tamen facultatis imbecillitati est propria, copiæq; caloris, ac duritiei item instrumentorū. Similiter raritas magis ad cōtraria declinat, nō tamen illis perpetuò annexa. Si amplior in corpore fuerit collectus calor, animanti cùm maiori erit opus respiratione, tum maioribus pulsibus: & quia maioribus, cōtinuò etiā celerioribus & crebrioribus. Vt enim qui sitibundi sunt, nō multū modò, sed & celeriter potant, & crebrò: ita qui refrigerio indigent, copiosum simul & celeriter, crebroq; attrahūt. Quamobrem peculiares dixi esse pulsus copioso calori, magnū, celerem, crebrumq;, nō tamen illi perpetuò annexos. Postulant enim ut tales euadant, facultatē ualidam, atq; ipsa instrumenta mollia. Quòd si infirma facultas sit, aut instrumentū durum, nec magni esse, nec celeres possint, cùm instrumentū quidem sit per duritiā aduersus mouentem facultatē contumax: illa uerò attollere quatenus oportet arterias, per imbecillitatē impos. Quare ut celer pulsus uel magnus fiat, tria oportet causarum genera inter se coëant: nempe, ut usus illorum generationis urgeat: facultas ualida sit: mollesq; arteriarū tunicæ, aut certè nō rigidæ. Porrò ubi solus calor increuerit, & manserit facultas, tunicæq; arteriarū immotæ: pulsus necessariò maiores & celeriores fient, unaq; cum calore augebuntur, donec ad maximam distentionem peruenerint. Celerrimi uerò ne sic quidem prius erunt, quàm calor ipse superauerit maximam distentionem, ita ut ab ea satis refrigerari non possit: tunc enim celeritate resarcietur motus defectus, atq; sic euadent pulsus celerrimi. Cæterùm neq; hæc satisfaciunt calori uehementer incenso. Nam quod temporis inter duos motus antea quiescebat, nunc id præsecat etiā, adeoq; efficit breue, ut totus unus esse motus cōtinuus nulla interceptus quiete uideatur. Hoc tamen accidit, ubi extremè calor fuerit accensus: tunc enim, cùm tres sint præsidij rationes in excessibus uniuersis, omnibus simul utitur. Nam & plurimum consequitur refrigerantis substantiæ, celerrimeq;, & in primis assiduè. Quorum primū maximos pulsus, secundum celerrimos, tertium creberrimos reddit. Nec ubi liberaliter illum magnitudo distentionis refrigerat, irritat celeritatem: sicuti nec crebritatem ubi ab ambabus auxilium recipit: sed alterius illarū semper defectus, corrigitur altera: magnitudinis, celeritate: celeritatis, crebritate. Quid multis? crebritatis pulsuum causa una est, prioris actionis defectus. Iam quoq; defectū naturalis caloris nullus comitatur ex necessitate pulsus: familiaris sunt tamen ei paruus & tardus præcipuè, mox etiam rarus. Nam ut natura quæ iampridem refrigerata est, nec multū requirit, nec celere refrigeriū, sic nec breuibus interuallis. Porrò inter magnū pulsum & paruum, naturalis intercedit & moderatus: cum quo cōparantes & æstimantes reliquos omnes, qui maiores sunt eo, hos magnos uocamus: qui minores, paruos. Itidem inter celerem & tardum medius moderatusq;, naturalis existit. Sic inter crebrum & rarū, durum & mollem, medij sunt naturales. At naturalis nō item uidetur, qui inter uehementem est medius & languidum. Validæ quippe facultatis est opus, uehemens pulsus: ueluti infirmæ, languidus. Cuius sanè nō est contra naturam firmitas: imò hæc uirtus est, & secundum naturā: infirmitas uerò facultatis, uitium, atq; præter naturam. Iam uerò uino modicè epoto, cùm maiores & celeriores, tum uehementiores apertè pulsus euadunt. In ira autē, & exercitationibus modicis, nō perinde apertè: imò si quid illis accedat uehe-

*Pulsus fuisse institutos gratia tuendi uniuersi caloris, gignendique animalis spiritus.*

*Arteriarum corpus annumerari inter cōtinentes pulsuū generationis causas.*

*Pulsuum uariationes, pro causarum alterationibus fieri.*

*Pulsuum tot esse primas differentias, quot causarum.*

*Mediocritates efficere naturales pulsus.*

*Pulsuum alterationes quæ à quibus causis magis proficiscantur.*

*Calori copioso qui nam pulsus sint familiares.*

*Pulsui celeri uel magno gignendo, conspirare tria causarum genera debeant.*

*Celerrimi pulsus quando gignantur.*

*Pulsus creberrimo est causa calor extremè accēsus.*

*Crebritatis pulsuum causa est prioris actionis defectus.*

*Caloris naturalis defectui qui pulsus sint familiares.*

*Pulsus omnes medij sunt naturales, excepto illo qui habetur inter uehementem & languidum.*

*Vino modicè epoto, quales pulsus gignantur.*

*Iracundiæ comites pulsus, quales.*

uehementiæ, id adeò est minutū, ut animaduerti ægrè posit. Cùm igitur in cōfesso sit, à facultate distendi arterias, probabile est ipsam plus & celerius eas attollere ualidam, minus autem & tardius infirmam. Vt autem priora repetam, quorū pulsuū postulat generatio unā causam, huic perpetuò illi adhærebūt, eiusq; fidelissimum signū existent: ut uehemens, ualentis facultatis: langui dus, imbecillæ. At quorum nisi plures intersint causæ, constitui generatio nequit, hos familiares causis esse dicemus, non autē significare certam ex illis aliquam. Eodem modo, si ex una aliquando causa pulsus proficiscatur, sed non semper ab ea, familiaris quidē omnibus causis erit, quæ efficiunt eum: cōstanter uerò nullam ex eis indicabit. Neq; enim si celeritas pulsuum adsit, statim robut quoq; necessariò facultatis adfuerit. Imò est, cùm maior sit usus generati animalis spiritus: & est cùm caloris sit copia, uel instrumentorū mollities, uel horum quædam, uel omnia simul. Haud aliter si magnitudo sit pulsuum, erit uel facultatis robur, uel impendiū animalis spiritus maius, uel calor in corde abundantior, uel mollitudo organorū, uel quædam horum, uel uniuersa. Qui igitur optimè constitutus ac temperatus fuerit, is homo si calidior soli to euaserit, atq; hac re sit alteratus duntaxat, uehementiam pulsuum non immutauerit: imò nec duritiæ, nec mollitudinis genus: sed in magnitudinem & celeritatem uertet, interim etiam in crebritatem, prout magis uel minus eius calor increuerit. At si frigidior iusto sit factus, primū raritas perspicua erit, deinde tarditas, postremò paruitas. Nam cùm ualida facultas existit, etsi paulò minor sit usus, primam actionem nec paruam necesse est, nec tardam esse: secundam uerò post lōgius tempus, quàm si urgeret usus, est consentaneū rationi. Iam si maior fuerit refrigeratio, eoq; magnopere usus ipse remissus, unà elanguescet celeritas motus, atq; minor statim erit distentio. Si plurimū sit refrigeratio progressa, necessum est pulsus ipsos rarissimos quidem esse, ceterùm nec tardissimos, nec etiā minimos. Nam perfectè tardi uel parui, si ualida facultas sit, uel si admodū sit ipse usus remissus, nunquā fient pulsus. Eadem & in respiratione est ratio. At uerò ubi non modò usus, uerumetiā facultas mutatur, quatuor tum differentię diuersæ in uniuersum erunt. Quarū prima quidem circa facultatis imbecillitatem, calorisq; augmentū uersatur. Si igitur magnopere sit imbecillis facultas, calor autē igneus, parui & tardi pulsus, creberrimiq; orientur. Sin noxa sit moderata, fquē fiunt crebri, sed in distentione & motu mediocres. Secunda coniugatio in imbecillitate & perfrigeratione cōsistit: cui pulsus competit cùm imbecillus, tum paruus, tardusq;, sicut pulsus prioris cōiugationis: sed nō æquè ut illi, ad extremam deuenit crebritatem, nisi ubi omnino facultas prostrata fuerit: tunc enim pulsus minimus erit, intermittetq; & deficiet frequēter. At si modicè sit facultas infirma, ualidáque refrigeratio, creber minimè euadit pulsus, quòd uidelicet usui faciat talis facultas satis. Tertia cōiugatio fit, ubi calor simulatq; facultas augenf: quā quidē cōiugationē

*Pulsuū qui nam uni semper causæ adhærescant, eamq; fideliter indicent: & qui rursus familiares tantùm ipsis causis dicantur.*

*Celeritas pulsuum à quibus causis oriri possit.*

*Pulsuū magnitudo oriri ex quibus occasionibus posit.*

*Facultate existente ualida, nūquam pulsus fiūt perfectè tardi uel parui.*

*Pulsuū differentiæ quatuor, dū facultas simul atq; usus mutatur.*

uehementissimi pulsus & maximi comitantur, sed non perinde celerrimi. Creberrimi uerò ferè non fiunt apertè. Quarta coniugatio est, in qua coëunt robur facultatis, & caloris penuria: cuius sanè sunt pulsus magnitudine moderati, sed tardiores, & satis rari. Nam cùm sit paruus tum pulsuum usus, totumq; facilè magnitudo distentionis tueatur, haud immeritò diutissimè quiescunt arteriæ: tamen ob facultatis robur, distentionis nō impeditur apertè uel dilucidè quantitas. Qua ratione etiam, nec multū præpollet tarditas. In uniuersum autē, ipsius ictus qualitas, ferientis naturæ respondet. Porrò molle instrumentū, quia promptè in omnē partem extendit, facilè dilatatur: durū nō absq; magno negocio. Iam comes est promptitudinis distentionis, magnitudo: renixus & cōtumaciæ, paruitas: itemq; celeritas, prioris generis: sicuti alterius, tarditas: non tamen ex æquo & magnitudo & paruitas. Paulò enim celerior est pulsus profectus à molli tudine instrumentorū, eo quem procreat duritiès: maior autē permultò: quia tunicæ ipsius arteriæ, quis duriores interim fiot, ad celeritatem quandā motus sunt faciles: ad magnitudinē uerò distentionis, ineptissimæ omniū. Nam opus est, ut in omnē partem extendaf facilè, quod maximā dilatationē sit effecturū: huiusmodi enim est molle. Cæterū ubi à natura longissimè aut ad mollitudinē, aut ad duritiē, corpus arteriarū recesserit, tardior mollis pulsus fit duro: magnitudine tamen nō modò eum etiamnū superat, sed illum etiam qui secundum naturā habet. Iam uerò cùm durorum instrumentorū dura distentio sit, ac proinde minus expleatur usus: molliū contrà, insignis distentio fiat, & quæ usui par sit explendo, meritò cum duris pulsibus crebritates, cum mollibus raritates cohęrent. Quòd si quando incidat, ut cum duritie concurrat refrigeratio, & calor cum mollitudine, tum pulsus duri, mollibus euadent rariores. Si igitur durum corpus arteriarum sit coniunctum cum innati caloris refrigeratione, pulsus efficiet iusto minores, tardioresq;. Si superet durities, minores quàm tardiores. Sin autem refrigeratio, contrà tardiores quàm minores. Ad eundem modū crebriores, si durities refrigeratione superior sit: sin uincat refrigeratio, rariores. At si par sit utrisq; à natura flexus, tantò fient pulsus minores, quantò tardiores: à raritate uerò & crebritate nō abducentur. Est altera coniugatio, in qua cum calore superat mollitudo. Quæ etiā tres necessariò primas differētias producit. Interim enim par mollitudinis est & caloris mutatio: interim præpollet uel mollitudo, uel calor. Quare si quantū naturam mollitudo reliquerit, tantùdem deficiat etiam ab ea calor, magnos necesse est, & celeres fieri pulsus: nō tamen statim crebros, sed ubi generandorum eorum usus uincat magnitudinē distentionis. Si mollitudo præstet, magnitudo etiam superabit celeritatem. Si uerò ita præpolleat calor, ut usum actio complere nequeat, celeriores ut fiant necesse est, quàm maiores pulsus, simulq; etiā crebri. Quòd si abundè natura fruatur usu, æquè magni atq; celeres. Sed & tertia erit causarum complexio, quæ pulsum in hoc

*Ictus qualitas, ferientis naturā sequitur.*

*Molle instrumētum facilè dilatari, cōtraquàm durum.*

*Pulsuū differentia, pro mollitudine uel duritie organorum.*

*Duris pulsibus crebritates, mollibus raritates annexas esse.*

*Calore coëunte cum mollitudine instrumentorum, quæ pulsuū differētia oriantur.*

*Calori si sit adiuncta instrumentorum durities, quas pulsuu differentias admittat.*

genere uariant, ubi calori fit adiuncta durities. Quum igitur uterq; plurimùm à natura declinat, pulsus erunt celerrimi, creberrimiq́: minimi autem nequaquam (nisi simul facultas oblæsa fuerit) sed aliquatenus iusto minores. At si immodicus calor sit, & instrumentum non magnopere durum, uerùm paululum à moderato uariet, tantùm abest ut iusto fiat distentio arteriarum minor, ut etiam maior euadat. Erit autem celeris, utra causarum excellat: maximè tamen cùm calor: quo tempore luculentior erit & breuitas.

*Frigiditati mollities organorũ si cõiungatur, quæ pulsuum differẽtiæ proueniant.*

Superest cõiugatio ex mollitie & frigiditate. Quia uerò magnus pulsus hic quoq; est mollitudini affinis, & paruus frigiditatibus, utra longius à natura deflectat qualitas, illi necesse est pulsus assimilentur. Enimuero omnes naturales pulsus inter excessus moderatos & medios annumerantur: non tamen quicunq; sunt moderati, etiam naturales existunt.

*Pulsus omnes qui moderati sunt, nõ continuò & naturales existunt.*

*Pulsuũ differentiæ, pro miscella modis quibus facultas & instrumenta miscentur.*

At uerò quot excellentiam caloris affectus sequuntur pulsuum, tot etiã usus generandi animalis spiritus. Sic instrumentorum durities facultatis imbecillitati coniuncta, paruos pulsus, & tardos, & crebros concitat: robori, paruos & crebros, non etiam tardos, imò longè interim quàm par sit, celeriores. Verùm si instrumentũ sit molle, facultas aũt ualida, maiores quidem manifestò pulsus fiunt, at aliquantò tardiores, rarioresq́. Quòd si ad mollitudinem instrumentorũ infirmitas adiuncta sit facultatis, si quidẽ æquus utriusq;, simulq́ modicus fuerit à natura flexus, moderati simul & naturales uidebuntur ij pulsus esse, nisi quòd erunt mollitie uarij. Sin ualde immodicus sit, parui, tardi, atq; crebri fient. Si uerò imbecillitas multò præpolleat, tunc etiam erunt parui, tardi, crebriq́. Si superior sit mollitudo, accedent pulsus ad moderatos.

*Continentium causarũ uariantiũ pulsus, octo coniugationes.*

Restat iam ut omnes simul cõmittamus differentias continentiũ causarum pulsuum: ex quibus octo coniugationes conflantur. Duæ, quum remissa facultate pariter & usu, modò mollius solito sit instrumentũ, modò durius. Duæ alteræ, ubi languescat facultas, & usus auctus sit, instrumentaq; uel mollia, uel dura. Præterea aliç duç, quando ualida sit facultas, sed remissus usus, unà cum uariante instrumentorum differentia. Reliquæ duæ, quum ualens facultas sit, auctus usus, accedatq; instrumentorum, quam diximus, differẽtia. Ac languida quidem facultate simul & remisso usu, omnino in paruitatem & tarditatem mutantur pulsus, in utraq; differentia instrumentorum. Cæterùm nõ redduntur necessariò crebri uel rari. Sed si parua facultatis offensio sit, nec insignis instrumentorum duritia, nihil crebritate pulsus uariant: siquidem non pulsus modò, sed uniuersæ actiones crebriores ob defectum euadunt, qui earũ accidit singulis.

*Actiones omnes reddi crebriores ob defectũ qui accidit illis.*

Iam defectus, usu æstimaẽ. Quũ ergo remissus hic fuerit, paruaq; lçsio facultatis, nisi per instrumentorũ nimiam duritiem, nihil in actione desiderabitur. At si facultas sit magnopere læsa, modicè usus remissus, instrumentaq; bene dura euaserint, non poterunt non pulsus fieri, quàm postulat usus, minores: itaq; imperfectũ simul officium: ac quantò quidem imperfectius, tantò etiam crebrius. Verùm prout facultas plus uel minus, aut usus offensus est, etiam pulsus ipsi necesse est plus uel minus ad paruitatem transeant & tarditatem. Nec uerò existimandum est, alterationem pulsuum quæ ex omnibus simul causis moderatè oblæsis procedit, maiorem oportere ea esse, quam facit una. Possunt siquidem, uel ob unicam tantũ causam exactè affectam, ad ultimam deuenire ipsi pulsus alterationem.

*Facultas extremè deiecta, minimos efficit pulsus.*

Igitur facultas extremè deiecta, minimos efficit pulsus, etiã si molles quidẽ tunicæ instrumentorũ sint, urgeat aũt necessitas. Itaque ad pulsus extremos constituendos, interdũ plures causæ desiderantur, interdũ satis est una. Maximus quippe pulsus neutiquam fieri possit ob facultatis robur summum, citra opem aliarum: minimus autẽ nõnunquam ob imbecillitatem fit solam. Quare ante omnia in pulsuum alterationibus, attendenda quantitas est causarũ offensionis. Vt autem ad tertiã & quartã coniugationẽ explicandas nos conuertamus, ubi languescat facultas, urgeat usus, durũq́ instrumentum sit, potissimũ ad crebritatẽ, deinde ad paruitatẽ, postea ad tarditatẽ, pulsus uidebis uergere: non necessariò tamen, nec perpetuò, nec etiã in quolibet illorum, nec simul concurrunt omnia. Etenim ubi læsæ insigniter sint omnes causæ, minimi, creberrimi, & tardi ipsi pulsus fiunt. At si offensio sit instrumentorum & facultatis parua, ac generationis eorũ multus usus, hi non erunt iusto minores, nec tardiores: imò interdũ manifestè celeriores: maiores autẽ si non apertè, pares certè perspicuè moderatis. Si uerò infirma facultas sit, & maior usus, unà cum mollitudine instrumentorum (quod in quarta coniugatione contingit) si quidem permultùm usus non crescat, nec longè à natura absint facultas & instrumenta, multò magis increscet pulsus in magnitudinem, quàm in celeritatem. Crebrior etiam iusto erit, sed non perinde ac ille tertij cõplexus, quòd usui quàm ille magis hic satisfaciat. Quòd si paululum usus & facultas à natura si statu deflectant, instrumenta uerò multùm ad mollitiẽ desciscant, ad mediocritatem pulsus horum affectuũ accedẽt, tum quantitate distentionis, tum qualitate motus, præterea quietis tempore, tantumq́ una occursus mollitudine statũ naturalem excedent. Si uerò non ita deflectant multũ usus & instrumẽta, facultas aũt uehementer laboret, tales pulsus admodũ parui erunt & crebri, modicè uerò tardi. Si autẽ durũ sit instrumentũ, facultas ualida, & usus remissior (hoc enim erit quintũ coniugiũ) minores pulsus gignentur, non tamen necessariò tardiores, sicuti nec crebriores. Verùm si admodum remissus sit usus, & instrumenta modicè dura, non minores modò, uerùm & perspicuè tardiores atq; rariores fient. Si uitium usus, à uitio instrumentorũ uincatur, abundè fuerit is pulsus paruus, & creber. Si uerò instrumenta sint mollia (quemadmodũ per sextam coniugationẽ) neutiquam minor quàm naturalis, quod quidẽ conspici possit, pulsus ipse uidebitur, nisi singulariter usus sit imminutus: & omnino hòc rarior apparebit, quò dissolutior sit usus. Porrò si usu aucto facultateq; ualente, mollia sint instrumenta (hanc enim

constituo

constituo coniugationẽ septimam) prorsus magni erunt pulsus & celeres: crebri uerò nõ semper, sed ubi modicè ipse usus increuerit. At si arteriarum duræ sint tunicæ (quę octaua & ultima est coniugatio) si parua quidem durities sit, sed usus insignis mutatio, maiores, celeriores, crebrioresq́ꝫ, quàm iustum sit, ipsi pulsus euadent. Sin autẽ æquo utraqꝫ causa, nec illo admodũ longo interuallo, à natura deflexerit, pares quidem naturalibus, sed celeriores atqꝫ crebriores fient. Iam si insignis læsio usus & instrumentorũ sit, ut hęc planè duriora sint reddita, ille urgeat impense, celeriores etiamnum moderatis erunt, minoresq́ꝫ & crebriores. Cùm igitur à ualida facultate uehemens discludi pulsus non possit, nec mollis à mollibus instrumentis: si quando pulsum deprehenderis celerem (qualem diximus familiarem esse robori facultatis, usuiq́ꝫ urgenti, & mollitudini instrumentorum) si quidem cum neutro illorum celeritas sit coniuncta, intelligas eum pulsum oriri à solo usu urgẽte: si uerò cum altero, omnino ex illo orietur, quod signum tale producet, necessarioq́ꝫ etiam ex incremento usus. Non possunt siquidem celeres pulsus existere, sicuti nec magni, nisi usus postulet. At quatenus ad robur, uel imbecillitatem facultas transijt, ex proprijs eius pulsibus dignoscas licet. Eadem est ratio & in qualitate instrumentorum noscenda. Quantus autẽ pulsuum generationis sit usus, colligendum est ex cõmutatione magnitudinis crebritatis atqꝫ celeritatis. Si enim pulsus maximus sit, creberrimúsque & celerrimus, summè urget usus. Sin magnus tantùm, & paulò celerior sit, non tamen maximus, nec creber, usus nõ erit magna immutatio. Ex alijs etiã signis, citra pulsus, ipse usus cognoscitur. Nam siue copiosus sit calor, siue exhauriatur animalis spiritus, id haud magno negocio exploratur: quòd uidelicet calor quidem tactum nõ fugiat, ac pręterea spirandi difficultate, siti, atqꝫ interno laborantis sensu prodatur: animalis autem spiritus absumatur in ijs qui exercentur immodicè, ac per halitum digeruntur: & quibus humores fluunt ad interna.

*Pulsus nec celeres posse esse, nec magnos, nisi usus postulet.*

*Calor quibus signis deprehendatur.*

*Animalis spiritus in quibus soleat absumi.*

## GALENI PERGAMENI
## *de causis pulsuum lib. II.*

INæqualium pulsuum quidam in arteriæ uno motu labefactant æqualitatẽ, alij illam euertunt in pluribus: quam medici collectiuam inæqualitatem appellant. De cuius sanè causis primo loco considerabimus. Comitantur enim eiuscemodi pulsus inæqualem cordis temperiẽ, uitiaq́ꝫ instrumentorũ & facultatis. Nam aut obstructionibus, aut compressionibus, aut duritiei, aut plenitudini superueniunt, sic ut intelligas plenitudinem quæ æstimatur ad uires, seu facultatem. Cùm igitur tres causæ sint continentes pulsus generationis, instrumentum, facultas & usus: non potest ex usus alteratione constitui collectiua, quæ aperta sit, inæqualitas: quòd nec repentè, nec cumulatè adeò unquam immutari usus possit, ut pulsus (uerbi gratia) prior sit magnus, uel celer, uel crebrior: alter tardus, uel paruus, uel rarus. Cæterùm non quos ratio colligit esse impares, uocare inæquales solemus: sed quos dilucidè comperimus sensu tales existere. Porrò iracundia (quæ uidetur innati caloris esse ueluti quidam feruor) habet sanè interdum & ipsa inæquales pulsus: nõ illos quidem sua sponte (semper enim haberet tales) sed ubi adiũctus ad eam aliquis timor fuerit. Iurè ergo tunc & inæquales apparent, cùm nõ tãntùm à diuersis alterentur causis, sed etiam natura cõtrarijs. Nam propter uindictę cupiditatẽ, alti, magni, celeres, uehementes: quia uerò timor est maior accipiendi mali, quàm spes inferendi, parui, humiles, languidi, & tardi fiunt. Quare inuicem utrique pro causæ præpollentis natura, uidentꝰ uariari: ac excellit modò quidem ira, modò metus. Quinimò ipse timor uehemens existens, inæquales efficit pulsus, idq́ꝫ nõ usu, sed facultate oblæsa, nec imperante omnibus instrumentis. Non tamen omni facultatis læsioni succedit collectiua inæqualitas. Siquidem cùm per se infirma est, gignit pulsus nõ ita crebrò inæquales. Vbi uerò suapte natura est ualida, opprimitꝰ autẽ à copia humorũ, aut etiam cõtumacia instrumenta sortitur, tunc illã inæqualitatẽ efficit. Cùm itaqꝫ delapsa in imbecillitatẽ insignẽ facultas arteriæ fuerit, pulsus ædunt languidi, parui, tardiq́ꝫ. Sin illa, quantũ in ea est, ualeat, sed aliqua copia opprimatꝰ, uarios ita & inæquales cõficit pulsus: plurimos quidem languidos, tardos & paruos, cùm uidelicet graui onere est pressa: plurimos autẽ uehemẽtes, celeres atqꝫ tardos, ubi leuiori. Quòd si nec admodum grauis, nec nimiũ leuis offensio sit, cõtrarij ex æquo, paresq́ꝫ numero ipsi pulsus conspirant.

*Iracundia est ueluti innati caloris feruor.*

*Iracundia, dum illi est timor adiunctus, pulsus inæquales efficit.*

*Timorem esse affectum iracundiæ cõtrarium.*

*Timor uehemẽs qua ratione pulsus inæquales efficiat.*

*Facultas arteriæ extremè imbecilla, uel aliqua mole humorum oppressa, quos pulsus edat.*

At instrumentorũ uitia, in hunc modum gignunt inæqualitatẽ. Vbi enim circũiectas regiones arteriæ, quæ ad hoc destinatæ sunt, ut illam distentam excipiant, aliud corpus insederit, non possunt per illud restrictæ arteriæ distendi satis. Itaqꝫ singularũ actionũ defectus, * tandem confertim unũ magnũ opus absoluit, quòd alioqui usus nõ expleatꝰ. Quo tempore uiolenter & uehementer agere ipsa facultas cogitur, ut explodat omnino illa, quæ sua instrumẽta obsederũt, & prohibuerũt motu. Ac sic sanè maiorẽ prioribus, & uehementiorẽ, & celeriorẽ, necesse est pulsum euadere, qui etiã crebrior * uel ab ipso principio fuerat: quãdoquidem imparũ usui actionum, necessariò comes est crebritas. Si igitur parem impetũ facultas in omnibus quæ cõsequuntur distentionib. retineret, æquè magni semper fierẽt, & uehemẽtes, & celeres pulsus: quia uerò non retinet, sed refert se ad pristinũ motũ, ne incassum defatigetꝰ, uaria oritur & cõtinua inęqualitas. Accidit etiã interim inęqualitas ob sanguinis copiã, aut in uenas, aut in arterias ipsas infusam. Ea tamen facillimè sanguinis detractione sedatur. Siquidem sanguinis copia in uenis, uicinas arterias nõ secus ac tumor pręter naturã cõstringens & premens, si per uenæ uacuetꝰ sectionem, subitò arterijs amplũ exhibet locũ. Quòd uerò sanguis in ipsas arterias influens, præcipuè si crassus uel lentus sit, uiam intercipiat spiritus, uariasq́ꝫ & difficillimas edat inæqualitates, nemo est qui nesciat. Vbi igitur aut ualidè comprimuntur, aut obstruuntꝰ arteriæ, uel si integra sit

*Pulsus inæquales à quibus causis proficiscãtur.*

*Pulsuum generationis causæ continẽtes sunt tres, instrumentum, facultas & usus.*

*Instrumẽtorum uitia quomodo inæquales pulsus efficiant.*

*Pulsuũ inæqualitatem accidere interdum ob sanguinis copiã in uenas aut in arterias infusam.*

facultas, inæqualitas corripit pulsus. Quòd si unà cum instrumentorũ affectu, facultas etiã perpessa fuerit, clarissimũ est magis uariam inæqualitatẽ existere. Verũ si instrumentorũ illæsus status sit, sed magnopere facultas infirma, decurtata inæqualitas fiet. Ab admotis enim digitis uicta facultas, minores semper imbecillioresq́ pulsus creat. Cæterũ ipsarũ facultatis imbecillitatum, quæ quidem prima & exigua existit, minores languidioresq́, nõ autem decurtatos pulsus efficit. Quæ uerò est hac tantò maior, ut iam facultati sint oneri applicati digiti, hæc pulsuũ decurtatorũ est causa. Quorũ ij quidem, qui ad pristinum reuertunt motũ, reciprociq́ uocant, minorem imbecillitatẽ ostendunt: qui uerò alicubi restitant, maiorẽ. Quemadmodũ si perfectè pulsus deficeret, extremam imbecillitatem nunciaret. Verùm hæc omnia exploranda esse applicitis arteriæ digitis, non suspensis, apertissimũ est. Differt autem abolitio pulsus, ab eo deficiente: quòd illa quidem ueluti priuatio sit totius functionis: hic, dimidiæ tantũ amissio. Qui sanè deficiens pulsus quantò decurtatis est grauior, tantò leuior existit ipsa pulsus abolitione. Atque hi quidẽ tres status quãtitate noxæ differũt. Quartus est reciprocorũ decurtatorũ: nempe omniũ leuissimus. Quintus his additur intermittentiũ, qui præcedit deficientium statum. Quod enim in uno aut altero erat, aut certè in numero pulsuum certo, id status deficientium in omnibus efficit. Porrò intercidentes pulsus, contraria ratione ac intermittentes, noscuntur: qui quidem etiam inter æquales, qui aceruatim fiunt, consistunt: incidũtq́ ubi ualens facultas copia humorum, uel instrumentorũ obstructione impeditur. Vt ergo ad repellenda quæ molestant, maiores sæpe & uehementiores ædit, celerioresq́ pulsus: ita plures quoqne in eiuscemodi præsertim statibus, atq́ alti pulsus fiunt: itaq́ decretoriam excretionem pòrtendunt. Nec uerò tantùm facultatis infirmitas inducit intermittentem pulsum, sed instrumentorũ etiam ualida obstructio, compressioq́ & constrictio, ubi in se nihil prorsus arteriæ allicere ualeant. Nunc uerò de causis inæqualitatis in uno pulsu est agendum. Solet igitur celeriter quidem primũ concitata arteria, deinde parua interposita quiete, motu quodam tardo reliquũ distentionis absoluere, dum & usus urget, & facultas, quantùm in ea est, obsecundat: interrumpitur tamen ab instrumentorum uitio, aut ab humorũ insigni abundantia. Etenim facultatis robur, prioris motus celeritas indicat. sicuti urgentem usum, motus qui sequitur quietẽ. Quippe nisi usus urgeret, nunquã inceptum motũ facultas absolueret: sed ubi inhibitus primũ eius motus esset, ibi desineret distentionem, unumq́ hunc faceret paruũ pulsum. Est & alia differentia distentionis per mediam quietem distinctæ, in qua motus utrinq́ est celer. Videturq́ tunc facultas propriam contentionem tueri, copiæq́ humorũ reluctari: quare differentia hæc omniũ est saluberrima. Est præterea quidam alius status medius inter utrunq́, ubi motus secundus medius est inter tardum & celerẽ, hoc est, moderatus. Hæ sunt tres differentiæ distentionum quiete interpellatarum. Sunt præter has & tres aliæ, ubi tardo priore motu, alter trifariam uariat: ut aut tardus, aut celer, aut moderatus fiat. Ex quibus pessimus est, qui pulsus utrunq́ motũ tardum habet. Ac longè hoc commodior, in quo celer alter: medius inter utrũq́, ubi sit moderatus. Haud aliter cùm à primo motu moderato, alter tribus modis conuertitur, cõmodiorem significabit statum celer motus: perniciosiorem tardus: medium moderatus. Quin etiam tempus quietis, quò fuerit in singulis harum differentiarum longius, hòc est deterius. E diuerso, diuturnius motuum tempus meliorem declarat statũ. Præterea utriusq́ distentionis magnitudo, optima: contrà pessima est paruitas. Similiter uehementia optima, remissio pessima. Quòd si omnia quæ cõmemorauimus mala, in uno pulsu cõueniant, hic illorum pessimus erit: contrà, si omnia cõmoda, optimus. Transeundo autem ad eos pulsus, qui totius distentionis habent quidem perpetuum motum, non uniuersum tamen pari celeritate, certè qui iam inde ab initio in celeritatem insurgunt, minus onerari facultatem annunciant: qui contrà, magis. Cæterùm facultate oppressa, nullus horũ existit. Est autẽ propriũ ijs qui in contraria affatim mutantur, non solùm grauari facultatẽ, sed etiã obstrui & premi instrumenta. At in cõtraria affatim mutari intelligo, si cùm moueant celeriter, subitò fiant tardi: aut si ex tardo primo motu euadant celeres. Oriuntur enim hi, cùm ex obstructionibus & compressionibus, tum ob facultatem humorum colluuie oneratam. At uerò uibratus pulsus fit, facultate existente ualida, instrumento duro, usuq́ urgente. Quorũ si absit quicquã, *minimè uibratus existet. Cæterũ uiolenta duræ arteriæ distentio, proximè illius generationẽ cõstituit. Vrget autẽ usus, ubi functio ipsi nõ satisfacit, idq́ aut ob propriã imbecillitatẽ, aut cõtumaciam instrumentorũ, ut etiam maiorẽ usum. Cùm igitur in proposito pulsuũ genere facultas requirat uegeta, relinquit ut uel usu increscente, uel redundantibus instrumentis, uel utrisq́ iunctis, distentio in uibratis pulsibus ipsi usui sit impar. At usus, abundantia caloris augetur, uel exhausto animali spiritu. Contumacia instrumenta fiunt, ob obstructiones, cõpressiones, atq́ duritiem. Quæ sanè durities inflãmatis, scirrho affectis, resiccatis, perfrigeratis, ac deniq́ distentis accidit instrumẽtis. Itaq́ iam omnes inuenimus causas originis uibratorũ. Nam intemperata inæqualitas, si progrediat, uibrationẽ quidẽ augebit, nõ tamen causa est eorũ generationis. Dicrotus autẽ pulsus (qui fieri nõ potest, quin sit uibratus) in hunc gignit modũ. Vbi parte illa arteriæ, quã tangimus, duriores sint frigidioresq́, atq́ ita difficilius moueant partes utrinq́ sitæ, quas nõ attingimus: ac deinde partẽ mediã distentione sua cõcitauerint, retraxerintq́ intrò, ac secum rursus extulerint, bis necesse est ipse tactus feriatur. Atq́ huiuscemodi pulsus est dicrotus tantùm, nõ autẽ uibratus perspicuè. Alter uerò qui iuxtà & satis uibratus est & dicrotus, fit ad hunc modũ. Vbi enim arteriæ sublatæ cum uibratione pars illa quæ sola cute est intecta, iactetur facilè,
aliæ

*Facultatis oblasiões diuersa, uarias pulsuũ inæqualitates producunt.*

*Decurtatorum pulsuum discrimen.*

*Pulsuũ abolitio à deficiẽte pulsu quomodo differat.*

*Pulsus decurtati reciproci.*

*Pulsus intermittentes.*

*Pulsus intercidentes.*

*Decretoriam excretionẽ qui pulsus indicent.*

*Intermittens pulsus à quibus causis oriri possit.*

*Inæqualitatis in uno pulsu causa.*

*Distentionum pulsus quiete interpellatarũ tres differentiæ.*

*Pulsuum in contraria affatim permutatorum, quid proprium.*

*Vibratus pulsus unde fiat.*

*Vsus pulsuum quando urgeat.*

*Vsus pulsuum abundantia caloris augetur, uel exhausto animali spiritu.*

*Instrumenta cõtumacia quomodo fiant.*

*Dicroti pulsus (qui necessariò etiam uibratus est) generatio.*

*Dicrotus tantũ pulsus qui dicatur.*

*Dicrotus uibratus unde.*

aliæ autẽ partes utrinq; sitæ, crassitudine numeroq; onerent corporũ incumbentiũ, adeò ut ne motus quidem earũ occurrat tangentibus: necesse tum est, parte hac, quę est aperta, omni iam sublata, reliquas nõ manifestas, quę utrinq; sunt, adhuc attolli: ac proinde etiã media, quæ delata iandudũ est, de integro unà cum illis quę utrinq; sunt, attolletur, ita ut redeat, occurratq; iterũ foris ipsam tangentibus. Planũ est igitur dicrotũ pulsum, interim ex magna intemperie ortũ trahere, paruaq; duritie arteriæ: interim ex ingenti duritie, cõiuncta cum intẽperie aliqua, uel crassitudine, uel colluuie humoris, uel carnis.

*Caprizantis dicrotiq; pulsus discrimen.*

Caprizanti uerò pulsui hoc cũ dicroto cõuenit, quòd bis pulsat, causa autẽ nõ cõuenit. Neq; enim cum instrumentorũ duritia necesse illi est, nec cum intemperie, ut iungatur. Verũ ubi facultas contentionẽ natiuã retinet, arcetur autẽ à motu, uel ob humorũ colluuiem, uel obstructionẽ, uel compressionẽ instrumentorũ, quietum distentionẽ intercipit. Cuius altera pars post quietẽ, iurè robustior est illa, quę eam antecedit, quòd ab impetu collectæ facultatis oriatur. Quòd si etiam ille secundus impetus inferior atq; imbecillior fuerit, erit sanè is caprizante deterior pulsus, non tamen dicetur caprizans.

*Vndosi & uermiculãtes pulsus sola differunt quantitate.*

At undosi & uermiculantes pulsus, sola differunt quantitate, sub uno cõprehensi genere. At sunt sanè inter eos nõnulli, qui in diuersis partibus arteriæ, inæqualitatẽ, idq; in una distentione, sortiant. Sunt autẽ illorũ generationis causę, imbecillitas facultatis, uel copia humorum, uel instrumentorũ summa mollities. Nam cùm uis à principio in arterias permeans, totum uas attollere pari firmitudine nequeat, hic quæ propinquior est parti principi, motum primò auspicatur: sicuti quæ remotior, serius: id quod Erasistratus perpetuò fieri, cæterùm falsò, arbitratur. Siquidem nemo ignorat, omnes arteriarũ partes naturaliter eodem moueri tempore.

*Arteriarum partes omnes, dũ pro naturæ modo se habent, eodem mouentur tempore.*

Raró autẽ, idq; præter naturã, partes cordi uiciniores mouent prius, ac dein remotiores. Qui pulsus nec undosus, nec uermiculãs est, nisi etiã hoc illi accesserit, ut quod fluere per arterias uidetur, sisti alicubi, & quiescere appareat: mox uerò iterũ fluere, ac iterũ retineri, atq; hoc per uniuersam arteriã. Porrò qui ex his à copia humorũ gignunt, ab illis quos imbecillitas facultatis, citra humorũ copiã, induxit, sola magnitudine differũt: unde hi ob paruitatẽ, uermiculantes: illi ob magnitudinẽ, undosi appellati sunt.

*Vermiculãtes pulsus.*
*Vndosi.*

Et causam habẽt illi facultatis languorẽ, hi abundantiã humorũ. Sed consequunt etiam extremã mollitudinẽ instrumentorũ huiuscemodi pulsus. Cuius rei molles ac tenellæ uirgę, quę undoso modo tendunt, nobis exemplũ suggerunt. Validam itaq; facultatẽ undosus habet: cuius nimirum ope, magnas poterit arteriarũ partes attollere: imbecilliorẽ uermiculans, quòd paruis interuallis tum *ipsa facultas moueatur. Quem certè necesse est, inæqualem alioqui, etiã intermittentem euadere.

*Decurtati pulsus unde proueniant.*

Decurtati etiam pulsus consequunt imbecillitatẽ ipsius facultatis, à qua nimirũ pulsus creant. Vbi enim à corde uis permeans in arterias singulas, magis ac magis dissoluitur in partibus remotioribus, minores tunc languidioresq; necessariò earum motus fient. Si autem uerum sit illud, reperiri nõnunquam minores motus in partibus origini propinquioribus, ad inæqualitatem intemperiei arteriarum causa id genus pulsuum est referenda. Siquidem instrumentũ à pari robore, eodemq;, si humiditate & calore sit modico temperatũ, facilius ac magis mouetur: squalidum autem, aut impensè humidum, aut frigidũ, lentius minusq;.

*Annuentes pulsus, circumnuentesque unde gignantur.*

Annuentes autem & circumnuentes pulsus, fieri aliquando simili modo possunt: sæpe alijs de causis accidere. Si enim ualida sit facultas, corpora autẽ incumbentia arterijs marcescant, qua parte illorum maximè marcida, atque eo leuiore, emicare motus possit, ibi etiam maximè illius magnitudo elucescit. Quòd si huius partis dilatationẽ alijs utrinque minoribus compares, decurtatũ motum in utrisque partibus cernes: id quod fieri in facultatibus ualidissimis nequit.

*Inæqualitatis ex situ arteriæ causa.*

At uerò ex situ arteriæ fit inæqualitas pulsuum, ubi tẽduntur in illas corporis partes, in quas distorquentur. Porrò inflammationes, scirrhi, abscessus, & crudorum quorũdam generatio tuberculorũ, ac breuiter omnes præter naturã tumores, uicinas partes ad sese trahere ualent. Squallida præterea durities, frigusq; immodicum, necnõ conuulsiua intentio, ac breuiter intemperatura inæqualis, arterias ipsas distorquet.

*Conuulsiui pulsus causa.*

Conuulsiuus autem pulsus ab ipsa specie, & affectu, quẽ denotare solet, rectè nomẽ accepit. Tendi enim ad utrunq; arteriam putaueris, statimq; homo conuulsione corripitur.

*Confluxio in toto corpore est una.*

Est enim confluxio una (ut rectè dixit Hippocrates) & conspiratio una, & omnia consentiunt omnibus, estq; omniũ natura cõmunis. Nam nisi hoc esset, duo animalia esset, non unum, quisq; nostrûm.

*Membrorum principaliũ necessitudo.*

Cor igitur cerebro arterias, uinculum societatis, transmittit: cerebrum neruos cordi, pari uicissitudine: qui quanquam non magni sint, mandatũ tamen rationis perferre possunt.

*Arterijs singulis inesse fibras à neruis deductas.*

* Singulis præterea arterijs fibræ à neruis deductæ ad societatem cohærent, per quas fit mutuus quidam, non modò actionum, sed affectuum etiam consensus. Nihil itaq; mirum, si cùm uniuersum neruosum genus coniunctum arterijs sit, cõmunis appareat affectus. Vt autem de alti, humilis, lati, angusti, longi, & breuis pulsus etiam generatione dicamus, sciendum est, in ualentibus omnibus & ægrotantiũ plerisq;, dum dilatant arteriæ, nos earum superficiem *supernam multò clarius percipere, quàm partes obliquas, & quòd illa propius ad nostrũ accedat tactum, & quòd eum *paucioribus interpositis corporib. feriat.

*Pulsus naturalis cur altior semper uideatur.*

Proinde si rectè expẽdas, naturalis pulsus est altior, quàm deficiat semper eius in latũ motus, præpolleat autẽ in altum. Verũ quia is aliorũ omniũ nobis est mensura, & ueluti regula quędã, nec altũ ipsum, nec angustũ uocamus, sed moderatũ, atq; inter omnes excessus mediũ. Etenim lõgus & breuis ad hũc collatus dicit.

*Pulsus moderatus quis dicatur.*

* At uerò dũ moderatũ eũ pulsum dicimus, nõ sensum, sed naturalẽ proportionẽ & mediocritatẽ, cõstituimus æqualitatis normã. Nã si pro sensu iudiciũ facias, in illo pulsu lõgitudo pręstat profunditati: quẽadmodũ hęc latitudini.

*Pulsus alti, latique, ubi cernantur.*

E quidem altos pulsus in iracũdia & ante iudicationes

*Pulsus alti qui sint dicendi.*

fieri manifestè cõperio: latos autẽ ut plurimũ in excretionibus decretorijs. Pulsus igitur moderati memores, si quãdo offendamus ipsius motus admodũ altitudinẽ auctã, latitudinẽ autẽ aut nihil, aut parũ, rectè uocabimus eos pulsus altos. Quòd si latitudini manifestũ incrementũ accedat, eos magnos simul & altos dicemus. Si ambo increuerint, altitudo simul & latitudo, sed nõ multũ latitudinẽ altitudo superet, hos magnos appellamus duntaxat. Cùm uerò eadem proportione altitudo adaucta latitudinem uincat, qua etiam in naturali pulsu superaret, is pulsus eandem, quã moderatus, retinebit speciẽ. Itaq; non altus, ut neq; ille, sed maior tantùm illo uidetur. Quinetiã eadem est & in lõgitudine ratio. Nam ubi eadem proportione augetur, qua profunditas & latitudo, uniuersum pulsum, uti diximus modò, repręsentat maiorẽ.

*Pulsui magno gignendo quid requiratur.*

Quare ut magnus fit pulsus, nõ requiritur ut pares sint motus qui in dimensionibus trinis augent̃, sed tantùm ut proportione æquales existant. At constat eorũ proportio, ubi nulla præter naturã insignis in crassitudinẽ mutatio, aut in gracilitatẽ corporis fiat: præterea nec siccitas immodica, uel humiditas, uel maximè distentionis necessitas. Perit autem, aut perturbat̃, cuiuspiã horũ præsentia. Vt, si cætera omnia se rectè habeant, facultas autẽ cõpellatur ita magnã facere distentionẽ, ut eius tumorem circũtecta arterijs loca nõ capiant, in eo affectu necessum est altus pulsus appareat. Dum eñ in eam attollit̃ magnitudinẽ distentio arteriæ, ut nusquã coarctet̃, naturalem trium dimensionũ proportionẽ tuebitur. At coarctata, tantũ detrahet de illa dimensione, quantũ est progressu prohibita.

*Iratis fit pulsus altus.*

Quocirca iratis, licet corpore sint optimè cõparato, fit pulsus altus. Distentionis enim summum excessum, ne is quidem cõmodè ferat habitus, sed iam ex imo premitur, & ex obliquo arteria. Sola ergo pars illius ea, quæ instrata sola cute est, nempe superna, omnẽ calorẽ excipit: quare necessariò fit altus pulsus. Cæterũ multis gracili corpore, nec facultate admodum firma, pulsus, si irascant̃, magni, & nõ alti uident̃ esse. Nam cùm in altis pulsibus tantũ facultatis robur desideretur, ut maximã distentionẽ moliri possit, & quã loca arterias ambientia excipere nequeant: manifestũ utiq; est, in cõmemoratos affectus nõ posse altos pulsus incidere.

*Pulsus latus quando accidat.*

Iam uerò ubi naturali robore facultas aliquatenus deficiatur, & latitudo sit insignis locorũ, pondusq; accedat arterijs ex superioribus partibus, hic pulsus collatus ad moderatũ, est latior. Etenim aut altitudo imminuta, aut latitudo aucta, potest latum pulsum efficere. Inuenit̃ autẽ motus nonnunq̃, qui quatuor occurrat digitis, sed ita angustus & obscurus, ut subtilis fidis speciẽ referat: atq; is quidem pulsus longus uocat̃.

*Pulsus longus qualis, & quid significet.*

Ac talis quidẽ pulsus, qui uidelicet fidem aut pilum refert, nõ solùm tunicarum maximã siccitatẽ ostendit, sed etiam indicat facultatẽ imbecilliorẽ, quàm quæ possit contumax instrumentũ distẽdere. Quid igitur si hęc uera sunt, *non statim talis pulsus fit breuis? an quòd huiuscemodi pulsus, in tenui corpore, cõtentaq; & aliquãto duriori cute accidat? Etenim si cutis remissa & crassa, magnã partem motus* obscurat, utiq; tenuis simul cõtentaq;, totũ omnino seruabit. Vnde liquet cõspirare gracilitatẽ totius corporis oportere, & duritiẽ cutis simul & instrumentorũ, cum facultatis imbecillitate, nõ summa tamẽ, ad talem pulsum gignendũ. Ac uocatur quidem per excellentiam longus: propriè autẽ tenuis & gracilis.

*Pulsus lõgus qui propriè dicatur.*

Nam propriè & absolutè dicitur longus, cuius neutram reliquarũ dimensionũ percipimus. At uerò breuis fit pulsus, ubi in parua quapiam particula, arteria sola cute contegitur, ob idq; sensibiliter pulsat: partes autem ex utroq; illius latere omnes in profundum merguntur, unde prodere motũ nequeunt sensibilem.

*Pulsus simpliciter breuis qui sit.*

Dicitur etiam per excellentiam hic pulsus breuis. Propriũ tamen eius nomen est, crassus & turgidus. Nam qui simpliciter breuis est, uel ex corpulentia nascitur, uel ex paruitate.

*Pulsus ordinati inordinatique causa.*

Proximũ est ut de ordinatis & inordinatis agamus. Qui quidem quãdoquidem inæquales omnes sunt, sed in eo uariant, quòd æqualitatẽ hi certis orbibus seruent, illi cõfusi undequaq; sint. intelligendum est, causam, quæcunq; inæqualitatẽ efficiat, semper firmam in ordinatis & fixam esse: in inordinatis autem, nequaq̃.

*Ordo æqualitasq; naturæ familiaris existit.*

Insuper ordo, ut æqualitas, naturæ, si quid aliud, est familiaris. Quare si alterum eorum sit cõturbatum, minorem significat offensam: sin utrunq;, maiorem. Concurrunt autem ambo in inordinatis: alterum in ordinatis qui sunt inæquales.

*Rhythmorũ mutatorum causa.*

*Arteria dilatata trahũt aerẽ, contracta expellunt fuliginem.*

Quod uerò ad mutatorum rhythmorũ causas pertinet, si rectè quidem est demonstratũ, allici per arteriarum dilatationes aëream quandam substantiam: in contractionibus autẽ excrementa excerni, & quasi fuliginem adustorum humorũ: certè necessum est, cùm distentionis usus inster, maiorem fieri, celerioremq; distentionem: cùm contractionis, contractionem.

*Excrementorũ quantitas respõdet quãtitati cõfectorum succorum.*

Quamobrem, quibus in ætatibus plurimi insumuntur humores, ac proinde plurimum excrementi colligitur (semper enim quantitati confectorũ succorum, excrementorũ respondet quantitas) quæ sunt usq; ad iuuentutem, in ijs nõnihil cedit contractioni distentio. In quibus autem paucissimi (quod contingit in senibus) longè maius est distentionis tempus tempore contractionis.

## GALENI PERGAMENI
### de causis pulsuum lib. III.

QVandoquidem pulsuum alterationes, quę ex primis & præcipuis causis proficiscunt̃, abundè * sermo antè habitus enarrauit, illas nunc explicabimus, quæ ab alijs omnibus fiunt, quæq; non per se planè, sed quòd mutent primas, causæ pulsuũ uocantur.

*Causarum differentia triplex.*

Cæterũ quia hæ partim pręter naturã sunt, partim naturales, partim etiam inter has medię, quas nõ naturales appellant: rationi uidetur consonũ, ut à naturalibus exordiamur, idq; eundem sequẽtes ordinẽ, quẽ in libro tyronibus descripto obseruauimus.

*Viri in uniuersum mulieribus habent pulsum longè & maiorẽ & uehementiorem.*

Viri igitur* in uniuersum, mulieribus habent pulsum longè & maiorem, & uehementiorẽ, paulò tamen tardiorem, sicuti & satis rariorem. Siquidem cùm mas sit calidior & siccior fœmina, necessum est usum generationis pulsuum, & instrumentorum * constitutionẽ, differre in illis: ac proin

proinde ipsos pulsus. Atqui copiosi caloris magnum pulsum esse familiarem ostendimus. Igitur cùm mas sit nō calidior modò, sed multò calidior fœmina, utiq; maiores, ac multò maiores quàm illa pulsus habebit. Siquidem pro naturali temperamento, maior tantū, nō multò maioe erit ipsius uiri pulsus: si autē accesserit à peculiaribus uitæ institutis utriq; differentia (illa enim in ocio uiuit, hic in multis laborib.) ut sanè multò ita calidior uir redditur, sic pulsibus est ꝙ fœmina longè maioribus. Addidimus autē sermoni particulam illam, *in uniuersum*, ut studiosis uice stimuli esset, ad totius rei perscrutandū naturam. Sic enim statim de naturali differētia uiri & mulieris meditabunt, reperientq; uniuersum genus in omnibus animalibus, masculinū ualentius fœmineo esse. Cæterū secundum alias differentias pręter naturam (ut uidelicet si hominem frigido præditū temperamento, molliterq; educatum, cum biliosa uiragine cōferas) certè in muliere ipsa reperies quàm in uiro pulsum longè maiorem. Naturalis itaque differentia, ut maris quidem ad fœmellam, maiores tantū, atq; uehementiores: ut uiri autē ad mulierē, multò maiores ac uehementiores pulsus producit: quòd nimirum uiris naturale robur laboribus crescat. Quinetiam & facultatis robur, quod maribus adest, & ipsum aliquid conferet ad magnitudinem pulsuum. Quippe ualidis facultatibus magni pulsus peculiares existunt. Taceo totū corpus uirile, ad perspiratū esse optimè comparatū, purum, excrementisq; uacuū, neq; compressum: fœminis autem cōtrario modo dispositū. Quare ut illorum habitus ad magnitudinem, sic haeum ad paruitatem pulsus uidetur aptus. Nam etsi ipsis adsit instrumentorū mollities, quæ ad pulsus magnitudinem facit, plures tamen fortiores quàm aliæ, sunt paruitatis causæ: nec plurimùm uiri à mulieribus dissident mollitudine. Quòd si multò mulieris instrumentum sit mollius, cùm facilius sic sit cessurum humoribus infestantibus, id ipsum erit etiam in causa, ut minores in eis pulsus fiant. Est autem mulieris pulsus celerior quidem pulsu uirorum, non tamen excessu insigni. Siquidem cùm earū pulsus sit multò minor, quàm ut possit usum explere, auget quantùm potest celeritatem: cui eandem ob causam accedit crebritas. At uerò infans masculus maiorem tantùm, uehementiorem, rariorem, non item multò, pulsum habet, quàm infans fœmella. Qui natura calidi sunt, multò habent maiorem, celeriorem, atq; crebriorem pulsum: non autem multò uehementiorem. Cæterùm impræsentiarū calidos (ut moris est) dicimus, qui humiditate, siccitateq; temperati cùm sint, caliditate exuperant. Hi igitur quò calidiores sunt temperatis, eò maiores habent, celeriores, atq; crebriores pulsus. Cur autem non multò uehementiores, id quidem iam exposuimus prius, de ipsoq; nonnihil postea dicetur. Graciliores citra ullum affectum alium, maiorē, rarioremq; multò, uehementiorem paulò pulsum sortiuntur. Nam cùm gracilitas ipsa, regiones arteriarum magis dilatet, leuioraq; incumbentia corpora reddat, pulsibus magnitudinem haud contemnendam conciliat. Atqui, ubi pari relicto usu, crescit magnitudo, rariores tūc necesse est pulsus fiant, idq; tantò, quātò scilicet sunt maiores. Maiores uerò erāt multò, proinde rariores etiā multò erunt. At uehementiores esse apparebūt, nō quòd ullum acquisierint robur, sed quòd magis prodant quā habebant tensionē. Pro ætatibus hoc pacto pulsus uariant. Infantis pulsus creberrimus est, rarissimus senis: omnes qui inter hos intercedūt, proportionē seruant, prout uel ad puerū, uel ad senem accedūt propius. Celerrimus item pueri pulsus, tardior senis existit. Reliquarū ætatum pulsus ambigūt inter hos. At senex à puero, longè magis raritate, quàm celeritate distat. In uehemētiæ & magnitudinis differentia, maximus est, ut in ætatibus, pulsus iuuenū, minimus senum, medius & paulò maior pulsus puerorū. Iam uehemētissimus iuuenū, languidissimus senū, medius inter hos, puerorū est pulsus. Etenim cùm calore nō pauco pueri præditi sint, substantiā quoq; quæ refrigeret illū, nō paucam postulant. Quinetiā substantiā animalis spiritus in illis nō tantū nutriri oportet, ut in adultis, sed etiā unà cum instrumētis augeri. Itaq; his nominibus pueri magnis dilatationibus egent. Quia uerò etiā humores exhauriūt plurimos (uidelicet nutrimenti & incremēti ratione) ob idq; fuliginosorū excrementorū aceruū per totū corporis habitū contrahant, utiq; desiderant etiam arteriarū maximas cōtractiones. Maximū ergo, simulq; celerrimū pueri utrunq; motū requirūt: sicq; infra usum est functio in iis. Nam licet ꝙ maximè celeres sint, & magni, usum tamen non explent: quare hic crebris opus est motibus. In senibus autē planè contrà habet, calor paucus, cui par est generatio fuliginosorū excrementorū, spiritusq; animalis nutrimento. Iure itaq; habent contrarios illis pulsus, paruos, tardos & raros. Sunt ergo pulsus puerorū magni, si cum magnitudine eos arteriarū cōferas: parui autē, si quantitatē tantū distentionis spectes, eamq; ad pulsus iuuenum cōferas. Sed tamen nō maximos pulsus sortiuntur pueri, ne si ad magnitudinē quidem eos arteriarū perpendas. Siquidē quoniam nec facultas eorum perueniat ad summū robur, & coarctent in eis molles arteriarū tunicæ, multū de maxima distentione detrahitur, tametsi pulsus eorū mediū superet. Porrò mollitudines instrumentorū, quę remoræ à coarctatione sunt, ad pulsuum magnitudinē conferūt: quæ uerò premunt atq; grauantur, ad paruitatē: præcipuè si facultas destituatur robore. Cùm autē utriusq; motus plurimus infantibus usus sit, minimus senibus, & omne interpositū tempus ætatū utrunq; usum remittat, magis autē cōtractionis: rationi consonū est, ut quantū à pueris recedāt ad senes, tantò semper utrūq; motū habeant tardiorē: magis autē cōtractionis. Atq; ex his nascunt differentię rhythmorum pro ætatibus. Est autē uehementissimus iuuenū pulsus, & languidissimus senū: quoniā illis quidē facultas ualidissima est, his debilissima. In aliis etiā ætatibus, pro robore illarū uel imbecillitate, pulsus remissione & uehemētia different. At uerò pro anni temporibus, medio quidē Vere pulsus maximi & uehemētissimi sunt, ut in tē-

*Mas est calidior & siccior fœmina.*

*Viris naturale robur laboribus crescit.*

*Facultatibus ualidis magni pulsus peculiares existunt.*

*Mollitiē instrumentoru, ad pulsuum magnitudinem facere.*

*Mulierum pulsus est quàm uirorum celerior.*

*Calidiorum natura, pulsus.*

*Graciliorū pulsus quales.*

*Pulsuum secundum ætates discrimina.*

*Iuuenum pulsus est maximus.*

*Puerorum pulsus celerrimi, magni, & crebri.*

*Senum pulsus parui, tardi, atque rari.*

*Mollities instrumentorū quando ad pulsuum magnitudinem conferāt, et quādo secus.*

poribus: celeritate uerò & crebritate commoderati. Pari modo medio autumno.* Progrediens autem Ver, nõnihil de magnitudine & uehementia detrahit, sed auget celeritatem & crebritatẽ, ita ut ineunte æstate iam languidi, parui, celeres crebriq́ fiant. Autumni progressus cuncta imminuit, magnitudinem, uehementiam, celeritatem, & crebritatem. Sic ineunte hyeme, in paruitatem conuertuntur, remissionem, tarditatẽ, & raritatem. Respondet autem initium ueris, extremitati autũni: illius finis, initio huius. Aestatis item principiũ, suo, & principiũ hyemis, suo fini. Proinde quæ pari spacio à media æstate & media hyeme in utranque deflexerunt partem, similiter uariant. Porrò media æstas, partim conuenit cum media hyeme, partim dissidet. Nam parui utrobiq́ & languidi sunt: sed celeres, crebriq́ æstate: tardi, rariq́ hyeme. Non perinde tamen parui æstate ac hyeme: sed æstate minus. Nec ita hyeme languidi, ut æstate. Quæ igitur secundum tempora accidunt, ad has referuntur tres causas: ad usum, facultatem, & instrumenta. Nam prout in ipsis horum singula uariant, mutantur pulsus. Ac medio quidem Vere, aëris status nos amplectentis, temperatissimus est: itaq́ corpora etiam sunt sana. Siquidem eo præcipuè tempore, facultas est robustissima, & moderatissimus calor, necnon instrumenta ipsa libera ab omni excessu. Vnde & pulsus corporibus quidem optimè comparatis, maximi & uehementissimi fiunt. Nam hi peculiares sunt ualidæ facultati, & moderato usui, instrumentisq́ naturali lege constitutis. Si uerò usus nonnihil mediocritatem excedat, non modò magni & uehementes, sed etiam celeres fient. Quòd si ne sic quidem functio expleat usum, mutatio transibit in crebritatem. Aestate porrò crescit usus, sed languescit facultas. Quamobrem aliquatenus decrescit illa uehementia simul & magnitudo: sed tamen hæc minus. Nam quia urget usus, augetur nonnihil: unde etiam celeritati & crebritati accedit momentum non contemnendum. Hyeme contrà, quàm æstate, est ualidior facultas, non æquè tamen ac Vere: sed usus remittitur generationis pulsuum. Quare languidiores pulsus hyeme quàm Vere sunt, & uehementiores quàm æstate: cæterùm satis sunt parui, quòd & facultas infra summum sit robur, & usus remissus admodum: quæ ipsa in causa remissio est, cur tardi, rariq́ existant. Iam uerò ubi Hippocrates dixit, Quæ augentur, plurimũ habent calidi: non simpliciter calidi dixit, sed innati addidit, ut qui alterum sciret calidum acquisititium esse, cuius magna copia iuuenibus suppetit. Est enim temperatus calor natiuus, acquisititius autẽ intemperatus, & quasi igneus. Similiter quando inquit, Ventres hyeme & Vere natura calidissimi sunt: de calore natiuo intelligit. Quę quidem cùm obtineant æstate paucissimũ, aduentitio calore abundant: unde marcescit potius, quàm nutritur, corpus. Ad hæc, is aduentitius calor tantũ abest ut functiones meliores reddat, ut eas etiã longè inferiores efficiat illis, quæ à moderato proficiscuntur. Pro regionibus etiam, perinde ut pro natura temporũ. In uehementer calidis, sicuti media æstate: in magnopere frigidis, ut media hyeme: in temperatis, ita ut medio Vere. Ad harum proportionẽ, quę mediũ locum sortiuntur. Similiter alij status aëris nos circundãtis, calidi quidem, temporibus calidis, frigidi frigidis, medij medio Veri respondent.

*Autumno quales fiant pulsus.*

*Hyeme quales fiant pulsus.*

*Pulsuũ differentiæ secundũ tempora referuntur ad usum, facultatem, & instrumenta.*

*Ver medium esse temperatissimũ: quo tempore habent optimè corpora.*

*Pulsus peculiares optimæ constitutioni corporis, quales.*

*Aestate crescit usus pulsuũ, sed languescit facultas.*

*Hyeme augetur facultas, sed pulsuum usus minuitur.*

*Crescentia plurimũ habent calidi innati.*

*Calor innatus est temperatus, ut acquisititius intemperatus.*

*Calor aduentitius functiones reddit imbecilliores.*

*Pulsus immutari à regionibus, nõ secus quàm à temporibus.*

Prægnantiũ pulsus, maiores, crebriores & celeriores sunt:* cætera uerò tuentur. In eis siquidem, præter usum, priorum mutatum est nihil. Increscit autem is, & augetur, quòd mulier non sibi iam soli respiret ac pulset, sed fœtui etiam cogatur: quare celeriores, maiores, & crebriores fiunt pulsus. Somni etiam, si quid aliud, inter naturalia censentur, qui & ipsi uariant pulsus: initio siquidem minores, languidiores, tardiores, rarioresq́ illos efficiunt:* procedentes, tarditatem pedetentim augent, & raritatem, præsertim à cibo: tunc tamen sunt maiores, uehementioresq́ pulsus: tandemq́ si diuturni ij fuerint, ad remissionem & paruitatem redeunt, tarditatem & raritatem seruantes. Etenim facultas concoctrix per somnum se intrò recipit magis. Cùm ergo intrò moueatur, conficiatq́ materiam, primò quidem ueluti imbecillior redditur, oneraturq́: paulò autem pòst, dum alimento fruitur, quod conficit, confirmatur ipsa, calorq́ animantis augetur. Quia igitur oneratur facultas initio somni, atque debilitatur, oportet minores pulsus & languidiores existere: at mox ea confirmata, è diuerso maiores, uehementioresq́. Cur autem concoctiones per somnum exactius fiant non in uentriculo modò, sed in arterijs & uenis, non est huius loci explicare. At uerò quãdoquidem dormientibus motus caloris qui foras tendit, est imminutus: uiget autem, qui intrò: contractionem quidem oportet celeriorem fieri, distentionem uerò tardiorem: ac proinde totus ille pulsus non est absolutè tardus, potius quàm uelox, sed tantũ altera parte tardus. Nam si motus qui intrò pergit, præpolleat, prorsusq́ considat: ac rursus inde incipiat, qui foras tendit, haudquaquã hic pulsus distentionem producet plurimam. Si uerò prępolleat motus qui cõcitatur foras, contrario existente debili, minimè sanè tũc ab extremo orditur collapsu in distentione, ac summã tandem assequitur magnitudinem. Porrò dormientium pulsus, qua parte foras mouetur, similis est uigilantium pulsibus: qua intrò, permultum uidetur distare, quòd terminos internos motuũ sensus noster non assequatur. Minor tamen est & languidior, pręsertim in ipso principio. Pręterea tardus in distentionibus est, & in contractionibus uelox, introq́ recurrens magis. Quare si uehementem eum in contractionibus dicas, nihil erres. Etenim excrementũ fuliginosum, quod tũc ex confectus succis copiosius colligitur, arteria excernere uehementius desiderat. At uerò ubi absolutè succi confecti sunt, si in somno permaneat homo, immoderatus erit utique talis somnus: ob idq́ meritò uterque motus erit minor, tardus, imbecillus & rarus, cùm nimirum somnus sit mortis frater. Nam si alimenti elaborationem excipias, quæ communis somno cum uiuentibus adest, cætera mortem referunt: non

uidere

*Prægnantiũ pulsus maiores, crebriores & celeriores.*

*Somni quos pulsus faciant.*

*Concoctrix facultas per somnum se intrò recipit magis.*

*Contractiones arteriarũ per somnos cur celeriores ipsis dilatationibus fiant.*

*Somnus post confectos succos perdurans, immoderatus existit.*

*Somnus est mortis frater.*

*Somnus est via ad interitum.*
*Expergiscentium pulsus.*

uidere, non audire, nihil intelligere, uel cogitare, uel sentire, ratione carere, ac breuiter, proiectum esse. Quid itaq; aliud est somnus, illo communi ablato, quàm ad interitũ uia? Qui expergiscuntur, euestigiò pulsus magnos, uehementes, celeres, crebros, & cum quadam uibratione habent: qui mox mediocritatem assequuntur. Non perinde autem in somnum incidimus uigiles, ac ex somno euigilamur: quòd hoc ferè subitò, illud omnino pedetentim fiat. Etenim turbulenta insomnia, uel si quis uociferetur, perstrepat, aut ipsum dormientem tangat, celerem sic, & subitaneam cõcitat mutationem. Quare tunc pulsus illi quos nuper cõmemorauimus, clarissimè percipiuntur.

*Somnus quo fiat modo.*
*Somnus naturalis quis.*
*Somnus præter naturam.*
*Vigilia immodica.*

Fit autem somnus, ubi natiuus calor aut ex fatigatione, & nimia siccitate ad alimentum sese cõuertit: aut ob immodicam humiditatẽ foras nequit progredi. Quorum primus quidem saluber & naturalis existit: secundus autem, qualis est in comatibus & lethargis. Cui opposita est phreniridum & uigiliarum nõ naturalium uigilantia, ubi desiccatus natiuus calor est, & quasi inflammatus, atq; idcirco foras etiam mouetur immodicè.

*Ascititiæ habitudines, pulsus ut naturales immutant.*

Ascititiæ habitudines corporis, perinde pulsus ut naturales immutant. Nam gracilis natura, si quadratus euaserit, ei qui talis natura est, assimilem pulsum habet: ac sic de cæteris habitudinibus est dicendum, semota tamen omni uirium immutatione.

*Ascititia temperamenta, perinde ut naturalia permutant pulsus.*

Iam etiam temperamenta corporis ascitina, pulsus naturalibus temperamẽtis mutant similiter. Calida siquidem calidis, frigida frigidis, assimiles pulsus creant. Nam temperamentorũ in humiditate & siccitate discrimen, continetur in habitudinibus corporis. Siccis quippe gracilitas, corpulentia est humidis familiaris. Præterea durina corporis, sicca temperamenta: mollitudo, humidã comitatur: atque ita pulsus his mollis est, illis durus.

*Pulsuum pro exercitationũ varietate mutatio.*

Vt autem mutationes alias, quæ causis naturalibus carent, recenseamus: exercitationes quidem, si moderatæ sint, uehementes, magnos, celeres & crebros pulsus efficiũt: sin autẽ multæ, uiresq; laborantis excedant, paruos, languidos, celeres & crebros in summo. Nimiũ immodicæ, adeò ut ægrè iam se possit homo mouere, & multis interpositis quietibus, aut nihil prorsus possit, sed remissæ uires impensè sint, pulsus mirè paruos & languidos, tardosq; & raros. Quòd si peruentum eò sit, ut uires oppressæ sint, pulsus creant illis proprios. Etenim facultas in exercitationibus, uniuersam adhibet contentionem: unde pulsus excitantur uehementes: usus autem increscit, unde magni, celeresq;.

*Vsum pulsuum augeri ob exhalationem spiritus, & incrementum caloris.*

Cùm uerò ille duplici ex occasione augeatur, nempe & exhalatione spiritus, & incremento caloris: ob id nimirũ crebri fiunt pulsus, quòd eorum usus haud satis magnitudine & celeritate compleatur. Quòd si adeò quis laborare cogatur, ut nõ modò superiores facultate labores sint, sed continenter necesse habeat interquiescere, huic uniuersum corpus refrigeratur. Quare pulsus ob imbecillam facultatẽ, languidi sunt & parui: ob frigus, nec celeres, nec crebri.

*Pulsuum pro varietate calidorũ balneorum mutatio.*

Balneæ calidæ, moderatæ si sint, pulsus creant magnos, celeres, crebros, uehementes: si immodicæ, paruos & languidos, tamen adhuc celeres & crebros. Quòd si hic non cessetur, paruos, languidos, tardos & raros.

*Balneorum moderatorum commoda.*

Etenim ex balneis commoderatis, si quis eis opportunè utatur, uidelicet ubi defessi fuerimus, incaluerimus, refrigerati, resiccati, nauseáue affecti, aut inæquali intemperie fuerimus, aut denique euacuationem desiderarimus, manifestè corpus iuuatur. Nam corpori restituunt mediocritatem temperamenti, uires corrigunt, opportunum calorem augent, ac denique unà cum sudoribus nonnihil * flatuum discutiunt.

*Balnea immodica facultatẽ dissoluunt.*
*Balnea frigida quomodo pulsus immutent.*

At immodicæ balneæ, ipsam facultatem dissoluunt, usumq; præter modum intendunt. Frigidæ balneæ, ilicò paruos & languidiores, & tardos, rarosq; pulsus efficiunt. Postea, prout id fit quod induxerunt, omnino uel torporem conciliabunt, uel robur. Quæ torporem induxerunt & refrigerarunt, paruos & languidiores, & tardos & raros efficiunt. Quæ excalfecerunt, & robur concitarunt, magnos, uehementes, celeritate & crebritate moderatos. Etenim balneæ frigidæ statim refrigerant omnino: postea uerò uel confirmant, uel obruunt facultatem, unàq; perfrigerant. Itaq; & pulsus pro ratione immutantur causarum. Porrò in lotione frigida, arteriarum motus plus intrò quàm foras fertur: quòd & calor illuc ilicò magis feratur.

*Pulsuum pro cibi varijs modis mutatio.*

Cibus adeò copiosus, ut opprimat facultatem, pulsus inæquales atque inordinatos concitat. Modicus, magnos, celeres, crebros, uehementes. Parcior quàm qui satis nutriat, non æquè ac moderatus, cæterùm minus mutat, neque id diu.

*Vinum quàm celerrime ipsos pulsus immutat.*

Vinum pulsus cæterà ut cibus uariat: hoc uerò interest, quòd ilicò immutet, & citius mutatio à uino profecta recedat, quàm illa quæ à cibo: quòd item celeritatem amplius & magnitudinem, quàm uehementiam & crebritatem augeat. Etenim appositio quam facit uinum, celeris est, quòd humidum sit & calidum.

*Vini appositio ad corpora, ut celeris, ita minimè diuturna existit.*
*Vinum cur pulsum, quàm cibus, maiorem et celeriorẽ reddat.*

Præterea, quæ affatim ac subitò nutriunt, hæc celeriter permeant. Quamobrem, ut celerem, ita minimè diuturnam à uino appositionem corpora accipiunt, cùm facilè digeratur per halitum. Porrò quòd nutriat, pulsus ita ut cibus uariabit: quòd autẽ amplius quàm ille calfaciat, insigniorem adijciet illis & magnitudinem, & celeritatem.

*Vermiculantes pulsus quibus affectib. accidant.*
*Formicãtes pulsus quando generantur.*
*Cacoethes febres.*

Iam uerò in choleris, magnis alui fluorib. mensibus, ac omnibus deniq; ijs, quæ immodicè corpus uacuantia, ipsam facultatem debilitant, cõtinenter pulsus uermiculantes accidunt. Vbi autem oppressa est à febre cacoethe facultas, formicantes oriuntur. Siquidem ut pulsus uermiculans fit, tardus omnino esse atque rarus debet. At in acutis febribus (cuiusmodi necessariò sunt cacoëthes) non sustinet pulsum caloris copia, uel tardum in summo, uel semel fieri rarum. Cæterùm tardus est, aut certè nõ celer pulsus, ubi facultas opprimitur.

## GALENI PERGAMENI
### de causis pulsuum lib. IIII.

*Iræ pulsus qualis.*

IN hoc autem libro, de Causis pulsuum præter naturam dicamus, ab animi perturbationibus orsi. Iræ igitur altus est pulsus, magnus, uehemens, celer & creber. Siquidem

facultates animalis moderatrices, si quando impendeat necessitas, maiore ui suas obeunt functiones: id quod in iracundia conspicitur.

*Pulsus reddi uehementes, per bonas indicationes.*

Similiter etiam per bonas iudicationes, pulsus fiunt manifestè uehementes. Tunc siquidem facultas, ut molesta explodat, seipsam excitat.

*Lætitiæ pulsus.*

*Lætis diffundi calorem per uniuersum corpus.*

*Tristibus intrò conuerti caloris motum.*

Lætitiæ magnus, rarus, & tardus est pulsus: at nihil differt uehementia. Lætis enim diffunditur per uniuersum corpus calor, ac plus foras eius motus effertur, ut tristibus intrò. Vnde maior fit meritò pulsus illorum, nõ tamen uehementior. Cæterùm ea quæ diximus, * de moderata lætitia, & quæ propria ratione pulsus ipsos immutat, non de immodica, quæ uires ipsas * resoluit, intelligenda ueniunt.

*Tristitiæ pulsus.*

*Tristitia refrigerat.*

Tristitiæ paruus, languidus, tardus & rarus est. Nam cùm tristitia ipsa refrigeret, caloremq́ intrò concitet, meritò contrarios pulsus superioribus efficit, qui lætitiam sequunt.

*Timoris pulsus.*

*Timor inueteratus à tristitia non differt.*

Timoris recentis uehemensq́, celer, uibratus, inordinatus, atq; inæqualis est pulsus. Nam inueteratus, similem habet tristitię. Neque enim quicquam à tristitia abest diuturnus timor. Omnibus autẽ his, si diuturna, aut uehementia fuerint, pulsus succedunt, quales uiribus dissolutis: cùm nimirũ dissoluant omnia hæc facultatẽ: breui quidem, uehementia: tempore uerò, cõtraria.

*Pulsuum pro dolorum uarietate mutatio.*

Dolor, qui quidem uariat pulsus (uariat autẽ ingens, aut qui principes occupat partes, quemadmodum & inflammatio) si paruus sit, atq; incipiens, pulsum ędit maiorem, uehementiorem, celeriorem, crebriorẽ. Auctus uerò iam, admodumq́ ualidus ut etiam uitale robur offendat, minorem, languidiorẽ, celerem, atq; crebrũ. Et quò diuturnior fit aut uehementior, hòc illorũ quodq; increscet magis. Qui uerò iam facultatẽ dissoluit, in remissionem & paruitatem, ementitamq; celeritatis speciem, atq; ingentem crebritatem cõmutat. Siquidem ut in omni molestia facultas, ita in doloribus sese solet, ad reijciendũ id quod infestat, accingere. Quare in magnitudinem & celeritatem, uehementiamq; ipsos pulsus permutat. Quæ si in eo nihil proficiat, ueluti ex inani labore uis eius atq; cõtentio opprimitur: ac sic pulsus in remissionẽ recidũt.

*Pulsuum pro ratione inflammationũ mutatio.*

Inflammatio omnis habet cõmunem pulsum, ueluti serrãtem: ut alia pars attolli arteriæ, alia haudquaq̃ uideatur. Habet etiã uibrationis aliquid hic pulsus, ac celer quidem & creber est, nõ tamen perpetuò magnus. At singulis est suus proprius. Orientibus quidem, maior iusto, uehementior, celerior & crebrior. Augescentibus adhuc, cùm illa omnia increscunt, tum clarè iam durior, magisq; uibratus est. Vigescentibus autem manifestior est, duriorq́, atq; uibratus magis, sed minor est quàm dudum, non tamen languidior, nisi superet facultatẽ affectus: quinetiam crebrior fit, atq; celer. Quòd si diuturnior fit inflammatio, atq; durescat in scirrhum, accedet dictis gracilitas pulsus, durities q́. Atq; hæc quidẽ in inflammatione cernuntur, quę pulsum per totum corpus immutat, uel quia magna est, uel quia principem partem obsidet. Si uerò minimè uniuersum corpus afficiat, talis erit pulsus in parte inflammata, qualem descripsimus.

*Neruosiores partes pulsus duriores edunt.*

At uerò partes neruosiores, duriores ædunt pulsus, magisq; serrantes, & minores: quæ plurib. uenis præditæ sunt, & arterijs, contrà. Atq; inter hos maior est, dum arteriæ in parte abundant: fitq; tunc inæqualis, ac facilè inordinatus.

*Inflãmationes diuersarum partium, uaria symptomata inducunt.*

Porrò quibus septũ transuersum est inflammatũ, hi conuulsionibus sunt obnoxij: quibus pulmo, suffocationibus: quibus os uentriculi, syncopis: quibus iecur, atrophiæ: quibus uentriculus, cruditati: quibus renes, urinæ suppressioni. Ad hæc, partes insigniori præditæ sensu, pulsus etiam dolorum nomine mutant: quæ minus sentiunt, pro affectu tantũ.

*Inflãmatis partibus accidit necessariò immodicus calor, & tensio.*

*Febris quid.*

Etenim omni parti quæ inflammata est, hæc necessariò duo accidunt, calor immodicus, & tensio: quę corpori uniuerso cõmunicantur, ubi aut pars nobilis inflammata fuerit, aut insigni prædita inflãmatione. Atqui immodicus calor qui uniuersum corpus occupet, febris est, quæ usum pulsuum alterabit dilucidè. At partis inflammatæ tensio peruadet arterias: quamobrem pulsus durior reddetur, præcipuè in neruosis partibus, quòd præ cæteris hæ tendantur inflammationibus, ut quæ sunt sua natura iam tensæ, atq; unà secum partes uicinas contendunt.

*Arteriosis partibus inflammatis cur inæquales fiant pulsus.*

Nihil autem est mirum, si inæquales in arteriosis partibus inflammatis fiant pulsus, cùm eorum facultas effectrix, opprimat humorũ colluuie, ipsaq́; sint affecta instrumenta.

*Pleuriticorum pulsus.*

Pleuriticorũ celer est pulsus & creber, nec admodum magnus. Videri etiam possit uehemens. Est tamen nec uehemens, nec languidus, quod ad affectũ attinet. Etenim pleuriticorũ pulsus, quia neruosiorẽ dure oremq; arteriã prodit, imperitis imponit, ut uidelicet durum pulsum, esse uehementẽ existiment.

*Pleuritidis proprium signum, est serrans uocatus pulsus.*

At uerò illa inæqualitatis species, quæ serrantis præbet imaginem, pleuritidis in primis propriũ est signum: si quidem remissa sit, mollis & facilè maturandæ: si uerò magna, difficilis, & admodum crudæ pleuritidis. Tales cum imbecilli facultate coniunctæ, periculosæ existunt: cum firma autẽ, aut tardè coquentur, aut ad suppurationem deflectent, aut tabidus eas excipiet marcor. Ac illius sanè quæ maturescit, pulsus pedetentim deponit omnem mutationẽ præter naturam. Quæ uergit ad suppurationẽ, pulsus suppuratorũ proprios sortitur: sicuti & marcorũ illa, quæ in tabem degenerat.

*Pleuritis est inflãmatio costas succingentis mẽbranæ.*

*Pleuritici cur acutè febricitent.*

Est autẽ ipsa pleuritis inflammatio costas succingentis membranæ. Itaq; febriũt acutè, quia pars affecta, cordi est uicina. Quia uerò eo modo febricitant, ideo habent & pulsum celerem: durum autẽ insigniter, quòd pars neruosa affligatur.

*Pleuriticorum pulsus celer, durus, minor quàm febris expediat, nec non creber existit.*

Iam quia ita habet, ideo minor est pulsus, quàm febri expediat. Quare ut & creber fiat, par est: quòd magnos pulsus calor postulet, refragetur autem durities. Siquidem quantũ ab usu abest magnitudo ipsius pulsus, tantùm à crebritate pensatur. Inæqualis autẽ in ijs est crebritas, quòd neq; humorũ qui inflammationem cõmittunt, una sit species.

*Pleuritidis uaria symptomata pro differẽtijs humorum à quibus gignuntur.*

Quare si sint biliosiores, etiam febris acutior erit, cõsequeturq; facultatis offensio quædam. Sin pituitosiores, & leuior erit febris, & ad soporem procliuior.

*Pleuriticus & peripneumonicus cur caput perpetuò afficiatur.*

Nunq̃ enim in pleuritide & peripneumonia fit, ut caput non afficiatur, quòd humorũ excipiat in illis inflammationibus putrescentiũ fuliginẽ. Verùm si putris humor fuerit biliosus, uaporẽ edit

instar

instar fuliginis acrem, qui mordicat & erodit, irritatq; cerebrũ: itaq; ad delirium perducit. Si pituitosus sit, nec fumo acri similis, sed caligini crassæ turbulentæq;, quasi nubem quandam ad caput attollens, humectat id grauatq; cerebrũ, cogitq; in grauem somnum deferri, atque sopiri hominem.

*Pleuriticorum pulsus si in maiorem crebritatẽ mutentur, nunciant peripneumoniã, aut syncopem.*

Rectè ergo, cùm pulsus in maiorem crebritatẽ mutantur, aut peripneumoniam, aut syncopem nunciãt. Peripneumoniam, quòd occupet semper, offendatq; lateris inflammatio uicinas partes, ut quæ à calido gignatur feruenteq; humore, atq; facilè mobili: syncopem uerò, ex affecta facultate, uel per neruorum læsionem, uel soporem, cùm ex pituitosis humoribus uaporantibus cerebrũ ipsum repletur. Quòd si læsio progredi ad ramulos ualeat, consequetur offensio neruorum: sicuti sopor, si nequeat. Ac talibus quidem humoribus, rariores: contrarijs, puta biliosis, crebriores iusto modo pleuritidis pulsus eueniunt. Porrò autem medius est inter raritatem & crebritatem modus in pleuritide, ubi qui morbum committit humor sanguineus sit. Sic etiam modus medius duritiei ex tali humore, ac moderata inflammatione oritur.

*Pulsuum durities à quibus augeri soleat.*

Augetur uerò, aut ob inflammationis immodicã magnitudinẽ, aut ob humores biliosos. Itemq; per contraria imminuitur.

*Suppuratorum pulsus.*

Suppuratorum pulsus initio statim pulsum refert uigescentis inflammationis: nõnunquam est inæqualis & inordinatus ob uitiata instrumenta & facultatem imbecilliorẽ, sed omnibus hecticus. Vbi uerò iam pus adfuerit, cætera quidem fit pulsus similis, æqualior tamen. At quum erumpit, languidior, latior, tardior & rarior.

*Suppurati qui dicantur.*

Qui igitur multùm puris inter thoracem & pulmonem collectum habent, ij suppurati appellantur.

*Suppuratio quãdo accidat.*

Qui fiunt, ubi maxima iuxta costas inflammatio, peruenit ad suppurationem. Interim affectus is comitatur peripneumonias. In uniuersum autem, omnes quibus inflammatum uiscus aliquod cõuersum ad suppurationem est, suppurati siue purulenti dicuntur.

*Marcoris nomẽ vnde translatũ.*

Marcoris nomen translatum à marcescentibus flammis est, quæ * penuria alimenti extinguuntur.

*Marcescentis caloris pulsus.*

Vbi igitur animantiũ natiuus calor eodem modo marcescit, oportet esse languidos pulsus. Siquidem sic affectis, redditur facultas languida, ac proinde etiam fiunt parui. Iam celeritate etiam quadam uidentur prędíti, quòd neq; hæc abesse à febrientibus possit.

*Marcescentes febricitare.*

Quia uerò & febricitant, & facultate sunt imbecilla, itaque pulsum habent paruum, necessariò iam simul & crebrum obtinent. Porrò facultatis imbecillitatem comitatur etiam circumnuẽs pulsus, qui in utraq; parte decurtatus existit.

*Marcescentium pulsus est vndequaq; æqualis, quum consistat in solidis partibus.*

Planum autẽ est, sic affectos habituros pulsum semper undequaque similem, quòd non ex humoribus morbus, neq; spiritu oriatur, sed in ipsis consistat solidis partibus. In his enim corporis habitus uniuersus, ut carbo quidam, est factus:

*Hecticus pulsus.*

qua de re hecticos neoterici medici hos pulsus appellant. At quibus iam calor extinctus est totus, quod accidit potissimũ senibus, rarior quoque fit pulsus.

*Senium ex morbo.*

Hunc marcorem Philippus uocat ex morbo senium: quo * præcipuè occupantur prouectiores ætate, & interim etiam iuuenes. Qui igitur una cum inflammatione, quæ nondum discussa sit, emarcuerunt, languidos & celeriores, mireq; crebros pulsus habent, ac decurtatos magnitudine in uno ictu.

*Marcidorum simul cum inflãmatione, quales sint pulsus.*

At uerò hecticus pulsus omnibus marcescentibus inest: estq; eis cõmunissimus. Post illum autem inæqualitas distentionis magnitudine decurtata: quæ etiam adest plerisq;, deinde crebritas: etenim hæc quoq; omnibus qui ex inflammatione marcuerint, perpetua adhæret. Paucis autem marcescentibus in aliam inæqualitatẽ pulsus, ac illam quæ penes magnitudinem est, permutatur.

*Phthisicorum pulsus.*

Phthisici habẽt pulsum paruum & languidum, ob facultatis imbecillitatem: at non nimium celerem, ut plerique febricitantes, quòd urente febri nõ detineant.

*Phthisici habẽt ut febrim, sic pulsum hecticum.*

Cæterùm habent & hi, ut febrim, sic pulsum hecticum.

*Peripneumonicorum pulsus.*

Peripneumonicorũ magnus est pulsus & languidus, mollisq;, similiter atq; lethargicorum pulsus, nisi quatenus præpollet inæqualitate, & in uno pulsu, & collectiua, quam uocant: In uno ictu, nam ueluti interpellatur, undosusq;, ac interdum bis feriens redditur. In collectiua autem, cùm alias differentias sortitur, tum modò intermittit, modò intercurrit. Neq; enim est mirum, uel magnũ esse pulsum illorum, uel languidum, uel inæqualem, ob pulmonis inflammationem, uisceris tam laxi & mollis, fistulisq; inanibus undique infinitis caui, tamq; uicini cordi.

*Pulmonis substãtia laxa, mollisq; cùm sit, à pituitosiore inflãmatur sanguine.*

Nam quia laxum est & molle, & undiq; uacuum, à pituitosiore atq; crassiore inflammatur sanguine. Talis enim fluxio, tunicam uasorum irrigat, frangit autem uim facultatis, quę in illis est: quo fit ut magnos simul & languidos pulsus efficiat. Quia uerò cordi est ipsum uiscus coniunctum, multiformis inæqualitas gignit: nimirũ pulmonis arterijs oppressis, constrictis, atq; languidis redditis. Rarò itaq; in peripneumonijs pulsus dicrotus accidit: quòd is rasonæ duritiem postulet. Iam pro offensæ magnitudine, uel intermittẽtes pulsus, uel intercurrentes cernentur.

*Peripneumonicis omnibus adesse febrem acutam, nonnihilq; comatis.*

Cùm autẽ febre teneantur acuta omnes peripneumonici, atq; habeant adiunctum nõnihil comatis, si insignior esse uideatur febris, pulsus erit admodum creber: sin maius coma, minus creber existet.

*Lethargicorum pulsus.*

Lethargicorum pulsus, pulsui peripneumonicorum est similis, magnitudine, remissione, mollitudine: sed eo est tardior, rariorq;, ac minus inæqualis, intermittens potius quàm intercurrẽs. Est, cùm dicrotus fiat. At undosus semper in altis quidem soporibus est.

*Lethargũ gigni ex pituitoso humore.*

Gignitur autẽ lethargus etiam ex pituitoso humore. Vnde meritò eius pulsus simillimus est peripneumonicorũ pulsui: uerũ hoc tardior, quòd procul sit à corde remotum cerebrum. Est autẽ intermittens potius quàm intercurrens, cùm longè frigidior sit, atq;, ut ita dicã, letalior morbus lethargus, quàm peripneumonia.

*Lethargũ esse perniciosiorem morbum peripneumonia.*

Etenĩ affectui frigido, facultatiq; ualde refrigeratæ, proprius pulsus intermittens existit.

*Phreniticorum pulsus.*

Phreniticorũ pulsus est paruus, modiceq; contentus. Rarissimè autem conspectus est magnus. Est pręterea durus, neruosus, mireq; celer & creber. Habet præterea nonnihil undosi: atq; interim subtremere tibi uidebitur: interim etiã præcisus cum cõuulsione quadam. Etenim febriũ propriũ celeritatis symptoma hic obtinet

euidentisimè, in utroque termino distentionis, præcipuè extremo. Inuenias etiam inæqualitatis in positu genus, insigniter aliquando in illo apparere. Imò totam subinde arteriam, sua sede deserta, cōspicias attolli potius cum uibratione ebullientē, quàm more pulsus distentū. Pari modo detractam potius, quàm cōtractam.

*Phreniticorum pulsuū immodica crebritas, proximam denunciat syncopam.*

At uerò immodica eius crebritas proximā denūciat syncopam. Nec sanè causas illorū quæ diximus inuenire magni laboris fuerit, si scias generari à bilioso humore phrenitim, ut lethargum à pituitoso.

*Phrenitim à bilioso produci humore.*

*Lethargum ab humore pituitoso exoriri.*

*Lethargū gigni in cerebro.*

*Phrenitim gigni in tenui meninge, & in septo transuerso.*

Præterea lethargum * præcipuè gigni in cerebro: phrenitim uerò in tenui meninge, atq; septo transuerso. Quæ si memineris, etiam paruos merito pulsus & duros esse, nō habebis necesse discere. Atqui si affectus calidus est, pulsus autem parui, omnino etiam crebri sunt. Porrò phreniticorum pulsus rarisimè undosus percipitur, quòd mollitudine uacet. Quòd uerò subtremere imbecillæ facultatis sit signum, alibi à nobis ostensum est. Vbi enim arteriarū facultas ob caloris copiam distendere illas amplius conatur, idq; tunicæ duritiei prohibeat, quodammodo uidetur pulsus subtremere: id quod tunc potissimùm accidit, ubi syncopa imminet: quo modo ubi conuulsio, etiam motus pulsuum est conuulsiuus.

*Phreniticorum pulsibus quidnam adsit perpetuò.*

At hoc phrenitici pulsus habent perpetuum, ut cum conuulsione quadam motus eorum abrumpatur, non autem paulatim desinat: calor siquidem uiget, suntq; dura instrumenta. Iam uerò insignis illa crebritas, cùm ab imbecilla facultate exoriatur, syncopem instare portendit.

*Catalepticorū descriptio & pulsus.*

Est & alius quidam affectus ex phrenitide & lethargo conflatus: quo quidem qui tenentur, *ut plurimùm oculis conniuent, somnolentiq; sunt & stertunt. Rursus oculis fixis, inconniuentibusq; diutisimè, ut catochi, intuent. Quòd si illos ad colloquium compelles, difficiles sunt, ad respondendumq; tardi: plerunq; etiam stultè loquuntur, temerèq; respondent. Horum igitur pulsus sunt celeres crebriq;, perinde ut phreniticorum, minus tamen: & roboris item minus q̃ illi obtinent. Lati autem sunt, ac breues. Externum motum non habent subitò truncatum, sed alio modo ueluti intrò se proripientes subterfugiunt, ac concitant contractionem, & quasi suffurantur distentionem.

*Catochorum pulsus.*

Catochorū pulsus cætera lethargicis similes sunt, magnitudine, tarditate, crebritate: ut nec totius huius affectus species latè ab illo dissidet.

*Catochorum lethargicorūq; discrimen.*

Catochorum tamen nō imbecillis est pulsus, nec mollis, sed in his sanè multùm differt: ut etiam in hoc, quòd laxatur lethargicis atq; intumescit totus habitus, contrà stipatur cogiturq; catochis. Præterea æqualis est catochorum pulsus, inæqualis lethargicorum.

*Conuulsorum pulsus.*

Conuulsorum ipsum corpus arteriæ uidetur compactum, & undiq; coactum esse, uelut instrumentū cauum ex utroq; fine distentum. Motus autem ipsius arteriæ est in modum chordæ sursum deorsumq; agitatæ, inæqualis, idq; minimè certis temporibus. Cæterū uehemens & magnus conuulsorum pulsus uidetur. Est uerò hic non imbecillus nec paruus: non perinde tamen ut uidetur, uehemens uel magnus. Ictus enim imponit, dum ob tensionem ualidus, ob uibrationem exilire apparet.

*Paralyticorum pulsus.*

Paralyticorum paruus pulsus, languidus, tardusq; est. Nōnullis rarus quoque, alijs creber, sed nonnihil inordinatè intermittens. Est enim paruus & tardus, quia morbus est frigidus: languidus, quòd facultas infirmior.

*Paralysis est morbus frigidus.*

*Comitialium pulsus, esse pulsibus apoplecticorum similes.*

Comitialium & attonitorum pulsus sunt similes: quare quæ de comitialibus exponemus, eadem de attonitis, sed cumulatius, sunt accipienda. Dum affectus non usqueadeo inualuit, nulla insignis in pulsu mutatio cernitur. Tantùm est conuulsis intenta iurè utrinque arteria. Sin autem affectus superet facultatem, inæqualitatem atq; tensionem ualidam sibi contrahit pulsus: necnon minor, languidior, rarus, tardusq; efficitur. Si morbus opprimat facultatem, languidos, paruos, celeresq; pulsus conciliat.

*Anginæ pulsus.*

Anginæ pulsus tensione quadam prædictus est, conuulsiuo persimili. Magnus est & undosus, ut pulsus peripneumonicorū. Cæterùm si peripneumonicæ species superior fit, in peripneumoniam: si uerò conuulsiua, in spasmum angina desinet. Quicunque autem ex anginosis suffocantur uehementer, paruum hi habent & rarum pulsum: ubi uerò iam animam agunt, crebrum atq; inæqualem. Plus autē uel minus tensionis habet anginæ pulsus, prout humor in fauces influens aut biliosior, aut pituitosior fuerit: necnon pro ipsorum instrumentorū in aspredine diuersitate. Siquidem neruosiora & contentiora uehementius pulsum tendunt: carnosa & remissa, illum undosiorem efficiunt.

*Orthopnœæ pulsus.*

Orthopnœa acuta (talis enim est, quæ diuturna) inæqualem habet pulsum, & inordinatum, deficientemq; nonnihil. Quæ mediocriter est grauis, crebrum. Quæ uiolentisima, tardum & deficientem. Quæ iam perimit hominē, crebrum, & languidum. Cæterùm pro diuersitate offensæ, uel creber magis, uel rarus fit pulsus. Nam celer, ob facultatis imbecillitatem fit nunquam.

*Vteri suffocationis pulsus.*

Vteri* suffocationis pulsus, ut si conuelleretur, protensus est, atq; rarus. Quòd si exitialis fit suffocatio, creber, inordinatus, & nonnihil deficiens. Cùm enim neruosus fit locus affectus, par est ut protendatur pulsus, quasi cōnisus existat. Quia uerò affectus est frigidus, adiuncta est raritas. At ubi oppressa iam prorsus facultas fit, rectè fit creber, inæqualis, & nōnihil deficiens.

*Pulsuū differentia pro uarijs oris uentriculi affectibus.*

Os uentriculi affectum, si duntaxat sit inflammatū, ita pulsum immutat, ut solet corporis neruosi inflammatio, si comprimatur, uellicetur, languescat, singultiat, uomat, nauseet, fastidiat, doleat, pro genere cuiusque symptomatis. Nam uellicationes, uomitus, nauseæ, singultus, languor, non solùm paruum & languidum reddunt, & interim modicè celeriores, sed etiam admodum crebrum. Sola uerò compresio, rarum, tardum, paruum, & languidum, qualis etiam per caninam famem conspicitur.

*Fames canina.*

Porrò omnes affectus qui in crebritatem mutant, si sint diuturni, uel grauiores euaserint, pulsum gignunt uermiculantem. Qui uerò in raritatem, non solùm commemoratas differentias adaugent, sed speciem etiam inæqualitatis in uno pulsu generant, ut multis locis pertusum corpus arteriæ uideatur: nimirum ob ipsius instru-

stru-

*Hydropum singula species quā pulsuū differentiam sortiantur*

*Ascites.*

strumenti intemperiem. Aquæ inter cutē pulsus: Ascitæ paruus, crebrior, subdurus, & cū quadam tensione est. Tympanitæ longior, non imbecillus, celerior, creber, subdurus, cum quadam tensione. Illius quam anasarca uocant, undosus, latior, mollisq;. Ascites siquidem, copiam aceruans nō modicam secundum uentrem humoris aquosi, simul magnas arterias intendit, grauat, refrigeratq;. At tensionis quidem nomine meritò reddit pulsum cum tensione quadam subdurum. Quia uerò facultas læsa & refrigerata est, minorem. Iam quò minorē iusto, hòc etiam crebriorem, præsertim ubi adiuncta sit febris. Tympanites minus grauat, uerùm nō minus tendit: quare pulsus etiam subduros gignit, cum nōnulla tensione, sed aliquanto celeriores, minusq; imbecillos, quàm ascites: at crebros, iisdem de causis ac ille. Longiores, ob leuitatē tegentium arterias corporū, quę quidem in tympanite adest: etenim spiritu uniuersum corpus replet. Anasarca autē, quia imbuit uniuersum corporis habitum humiditate copiosa, tunicas reddit arteriarum molles, ac proinde pulsus molliores, undosos, latioresq; efficit. Elephantiasis pulsus paruus, languidus, tardus, creberq; est. Ictericorū pulsus est, si absit febris, minor, durior, crebrior, non languidus, nec celer. Vim enim possidet desiccandi flaua bilis, ut muria, & mare. Quamobrem tunicam arteriarū indurando & desiccādo, pulsum quoq; reddit duriorem atq; minorē, ac proinde etiam crebriorem. Cæterū nec languidus est, nec celer, quia nec imbecillitas, nec febris adest. Qui sumpserunt ueratrum, hi paulò ante uomitum, ubi comprimuntur, pulsum habent latum, rarum, languidiorem, atq; tardiorem: interea dum uomunt & diuelluntur, inæqualem & inordinatū. Cùm rectius habere cœperint, ordinatum quidem, sed inæqualem adhuc, minus tamen quàm antea. Vbi uerò iam ad naturalem reuertuntur statum, æqualem ac maiorem quàm dudum, uehemētioremq;. Qui horum syncopa corripiuntur, conuelluntur, atque singultiunt, paruum hi, & languidum, inordinatumq;, & celeriorem, atq; multùm crebrum sortiuntur. Qui ex his suffocantur, paruum, languidum, inordinatum, inæqualem, non autem crebrum, nec celerem, sed potius tardum. Repræsentat etiam nonnihil undosi & lati, atq; interdum paruam arteriæ tensionem.

*Tympanites replet uniuersum corpus spiritu.*

*Anasarca imbuit humiditate uniuersum corporis habitum.*

*Elephantiasis pulsus.*

*Ictericorum pulsus.*

*Flaua bilis obtinet vim desiccandi.*

*Veratrum epotū qualiter soleat pulsus mutare.*

## GALENI PERGAMENI
### *de præcognitione ex pulsibus liber primus.*

*Præscientiā haberi non futurorum modò, sed præsentiū etiā, atq; præteritorū*



Vòd non tantùm* futurorum præscientia sit, sed pręsentiū etiam atq; præteritorū, satis id Hippocrates demonstrauit. Cuius quidem qui peritus futurus sit, cum in iis quæ de dignoscendis pulsibus, deq; differentiis, & causis pulsuum à nobis tradita sunt, prius exerceri oportet. At uerò causarū pulsuum diximus esse unum genus, eorū generationi cōiunctum, quod scilicet naturale existit: alterum autē contrarium, nempe causarū præter naturam: ac tertium deniq; causarum nō naturalium. Quæ tria genera referuntur ad illorum essentiam ueram: aliud autem quartū, ad apparentem. Quod quidem, quia proprium est in primis præsagiendi cōmentationi, diligentissimè est explicandum. Porrò nullus pulsus mutari potest, nisi effectrix eius facultas, uel tunica arteriæ, uel usus, quamobrem fit, in aliqua sint mutatione & alteratione. Vbi igitur pulsus, exempli gratia, maior æquo uideatur, expendendum est, facultás ne sit robustior: an hęc eadem manserit, mollis autem euaserit tunica arteriæ: an quòd increuerit usus, talis mutatio acciderit. At si facultas robusta sit, pulsus erit uehemētior. posuimus autē eum maiorē duntaxat uideri. Quòd si tunica tantū arterię emollita fuerit, pulsus necessariò erit mollior Si igitur neutrū appareat, clarum est mutatū aliquatenus esse usum pulsuū generandorū, quē esse docuimus duplicē: primū atq; maximum, tutelam natiui caloris: alterum, animalis spiritus generationem. Sic uoco illum quo utitur anima ad uoluntarias functiones. Cæterū si parua fiat à natura * alteratio ob usum, sola perspicua erit magnitudo, nōdum autē celeritas. Si maior, increscet magis magnitudo, & clarè celeritas apparebit. Sin adhuc amplificabitur, magnitudo celeritasq; augebuntur, atque accedet præterea crebritas. Sin autem nō sit factus maior pulsus, sed talis esse uideatur, gracilius solito aliqua de causa euasit hominis corpus. His cognitis, ineundum examen est, primùm in corporibus simpliciter sanis: mox in iis, ubi adiunctus est aliquis ascititius motus: postea in corporibus* simpliciter ægrotantibus: ac postremò in iis, quibus alteratio quæpiam adest externa. Etenim in corporibus inculpata ualetudine præditis, docebit magnus pulsus & temperamentū hominis, & corporis habitudinem. In corporibus ubi adiunctus est ascititius status, illum præpollere motum, cui magnus pulsus est peculiaris. At in iis qui ægrotant simpliciter, indicabit magnus pulsus calidam * morbi cōstitutionem. Si unà cum morbo recens aliqua * externaq; alteratio adsit, illum uincere motum, cui magnus pulsus sit familiaris. Reuocandus autē ad memoriam pulsus est moderatus (qualis reperitur in corporibus optimè temperatis, atq; ab omni qualitate aduentitia alienis) & quē nunc inuenimus, magnus, ut in comparatione illius considerandus est, ex qua causa in magnitudinem ipsam excreuerit. Aut enim ex gracilitate corporis, aut ex calore temperamenti, aut ex ascititio motu. Cæterùm motus ascititij mox desinūt: permanent uerò amplius ob gracilitatem & temperamentum. At uerò omnium alterationū quæ corpori accidunt, certissimā assequimur in illis corporibus cognitionem, quorū naturam noscimus. Hanc autem non agnoscimus semper, quare nec in exactam ubiq; cognitionem ueniemus: uerùm à cognitione absoluta tantùm aberimus, quantū ab ipsius naturæ cognitione. Igitur mutationes pulsuum ex causa externa, in hunc modum sunt discernendæ: Quæ ex balneis, cursibus, frictionibus, cæterisq; motibus fit, non est diuturna, sed mox ad pristinum statum reuertitur. At ma-

*Causarū gignētium pulsus, tria genera.*

*Pulsuum usum esse mutatum, qua ratione deprehendamus.*

*Pulsuū generandorum usus est duplex: tutela innati caloris, & animalis spiritus cōseruatio.*

*Pulsus moderatus in quibus nā reperiatur.*

*Ascititij motus mox desinunt.*

*Pulsuum mutatiōes à causa externa, quomodo discernendæ sint.*

gnitudo pulsunm ex uino & cibo profecta, diuturna existit. Hæc ex uehementia exploratur, quæ illi coniuncta est. Nunc tantùm is propositus est, qui duntaxat sit maior. Iam etiam magnitudo quam ira concitat, adiunctam habet uehementiam: quæ alioqui prudentem non latet, si oculos iran respiciat, uniuersumq; corpus. Etenim calor quidam copiosior secundum pectus iratorum, non secus quàm exercitatorum, percipitur. Atq; hi sanè sunt artificiales modi causarum dignoscendarũ. Externos autem, nbi minimè in tentatores, ac pessimos sycophantas, fraudulentósue incideris, partim per inuestigationem, partim ex eo quòd non discesseris ab ægroto, quamoptimos fore iudico. Nam qui fiũt dum medicus non semper ægrotis adest, nec illi uolunt ueritatem exponere, hi sunt difficillimi, & medicum requirunt accuratè prudentem. Cui sanè ad ueritatem peruestigandam esse primus scopus debet ipsius accessionis tẽpus: dein ægrotantis cõsuetudo & mores. Sunt siquidem qui medico imponant, nihilq; magis habeant in uotis, quàm ut coarguant illum, eumq; nihil firmi scire demonstrent. Quare tunc habenda omnia suspecta sunt, distinguendaq;, tum quæ propria artis ratione pertineant ad dignoscendum, tum quæ adueniũt extrinsecus. Alij contrà sunt candidi, modestiq;, nec celãt quicq̃, dissimulántue: quare in his nil clàm factum, est suspicandũ.

*Causarũ dignoscendarum qui sint artificiales modi.*

*Causarũ dignoscendarum modi extra medicã artem positi.*

*Fraudulẽti quorundã sycophãtarum mores.*

Porrò cùm magnus pulsus nunc ad moderatũ, nunc ad alium quemlibet referatur: cumq; duplex sit hic quilibet, aut minor moderato, aut maior: deinceps de incremento ad magnitudinem est dicendum utriusq; pulsus: dico enim minoris eo qui mediocris est, & maioris. Cõmune igitur est omnis ad magnitudinem incrementi, solùm auctum calorẽ esse, quo scilicet tempore nec facultas affecta sit, nec instrumenta, sitq; immotus ægrotans. Proprium autem est defluxui illius à natura, unius magnitudinis incrementum. Reliquorum duorum etiam, nempe celeritatis & crebritatis nõnunquam. Cõmutationis etiam pulsuũ in paruitatẽ, tres numero sunt differentiæ. Aut enim ex moderato, aut ex maiore quàm hic sit, aut ex minore, mutatiões in paruitatem contingit fieri. Vocatur autẽ qui moderato est maior, absolutè magnus: qui minor, paruus. Sit igitur pulsus cuipiam homini minor q̃ dudum, mutatione præditus præterea nulla ullius generis. Etenim minor solito pulsus fit, aut cùm imbecillior facta sit facultas, aut instrumenta duriora, aut usus remissus. Nunc autẽ nec imbecillior facta facultas est, alioqui coniuncta sit cum paruitate remissio: nec corpus arteriæ durius (neq; enim tum minor tantùm, sed & durior pulsus esset) superest ergo solùm esse alteratum usum: ac si id tẽporis quietus homo fuerit, quantitati refrigerationis quantitatẽ respondere mutationi. Quæ quidem mutatio accidit ex maiori pulsu, q̃ qui sit naturalis. Nam de naturali statu ob frigiditatem mutatio ad paruitatẽ, simul etiã rariorem eum atq; tardiorem reddit. At imminutio ex magno supra modum aucto, statim adiungit sibi celeritatis & crebritatis aliquid: quòd qui multũ ultra modũ sit auctus, tribus in generibus uariet. Quãobrem qui magnitudinẽ tantũ imminuit pulsus, & reliqua seruat immota, hic est qui paulò maior sit iusto, solusq; ex paruo incremento caloris cõstat. Iam uerò, quemadmodum ubi corpus calfit præter modũ, magnitudo planè prima, mox celeritas, inde crebritas apparet in pulsu: sic etiam ubi refrigeratur, raritas primò percipit, dein tarditas, ac ultimo loco paruitas. Porrò causæ refrigerantes totidem numero sunt, quot numerantur calfacientes. Aër siquidẽ frigidus nos circunstans, inspiratusq;, & aqua frigida, uel balneum, uel medicamentũ corpori inunctũ, refrigerat. Quinetiã longa quies, & ueluti latebræ, & pituitosus cibus, medicaminaq; refrigerantia, ac breuiter, metus diuturnus, corpus frigidius efficiunt. Ex contentis in corpore humoribus, qui frigidi tẽperamento cùm antea quiescerẽt, nũc cõmoti, aut tenuiores quodammodo calidis sunt effecti, etiã corpus refrigerãt.

*Pulsuum mutationis in paruitatẽ, tres numero sunt differentiæ.*

*Refrigerantes causa tot numero sunt, quot calfacientes.*

*Timor diuturnus corpus refrigerat.*

Arteriæ altitudo semper æqualem latitudini distentionẽ habet: sed fit ut occultetur aut arceatur sæpe à corporibus circumiectis & oppositis, uel uniuersus motus, uel certè eius quædã pars: idq; aut in profunditate magis, aut in latitudine, aut simul in utraq; dimẽsione. Vbi igitur per totum corpus sensu nostro pulsare nulla arteria percipit, is affectus dicit pulsus priuatio: reuera tamen in corpus uiuũ nunq̃ cadere potest. Neq; enim est unquã, quin cor unà cum arterijs, in omnibus agitetur. At uerò longi dicũtur pulsus, quibus sensibilis motus longitudo naturalẽ excedit: breues, quibus infra naturalem statũ est: quibus par est naturali statui, moderati. Tantũ enim animaduertitur semper de motu arteriam, quantùm permittunt adiacentia corpora. Vnde fit, ut corpulenti breues pulsus sortiantur: graciles uerò, longos: & quadratis, moderatisq;, esse moderati uideantur. Iam etiam apparentis motus his, non æquè semper ut profunditas, latitudo impeditur. Verùm ubi arteriarũ regiones in obliquo, uel adipis, uel carnis, uel uaporum, uel humorũ sint plenæ, ac incumbens supernè cutis nihil eas oneret, latitudinis tantũ obscurat motus: & magis si uehemẽs pulsus & magnus, quantùm in ipso est, fuerit. Cùm uerò regiones uicinę sunt mundę, rugosa autẽ quæ eas tegit cutis, magis profunditatis motus latet in eo corpore, ac potius si nõ uehemens pulsus & magnus, quod in eo est, fit. Si igitur pulsum inuenias longiorẽ iusto, si quidem unà latitudo eius profunditasq; increuerit, uide gracilior homo solito, an calidior euaserit, remoto motu aduentitio. Nam si factus gracilior sit, idq; tantò, quantò est pulsus maior, unum hoc tantũ eum immutauit. Sin autem nõ tantò, non hoc modò est causa, uerumetiam calor. Quòd si in eadem constiterit habitudine corpus, solus mutatus est calor. Sin crassior euaserit, duplo auctum calorem æstima. Sin longior sit factus pulsus, & latior, non autẽ perinde auctus profunditate, sed moderatus, huic præter superiores notas, necesse est rugosiorem euasisse supernè arteriæ incumbentẽ cutem. At si conuertas membrũ, ut quæ eius pars modò superior erat, nunc sit inferior, nulla tum profunditas uidebitur impedita. Atque hi quidem duo pulsus

*Pulsuum priuatio in corpus uiuum nunquam cadere potest.*

*Pulsus longi qui nam dicantur.*

*Pulsus breues qui.*

*Pulsus moderatus.*

*Latitudinis motus quando in pulsu obscuretur.*

pulsus, in primo libro de eorum differentijs, omnium primi inter uigintiseptem pulsus constantes ex dimensionibus ternis, sunt in tabellam relati. Reliquorũ autẽ uigintiquinq; haud difficile fuerit causas simili etiam methodo inuestigare. Igitur ubi supra proportionẽ profunditatis & latitudinis longitudo fuerit extensa, corporis significat gracilitatẽ: nõ tamen ubi * imminuta infra proportionem profuoditatis est, corpulentiam denotat, sed uel naturalem quandam conformationẽ, uel situm arteriæ inæqualem. At uerò quæ quidem in omniũ primo, ac magno distincta sunt pulsu, eadem etiã in ultimo, nempe breui, angusto, humiliq; (qui nimirũ uocatur paruus) sunt distinguenda. Nam si naturaliter comparata sit corporis habitudo, hic pulsus nõ solũ uidetur paruus, sed etiã talis existit. At cùm crassior sit, si * quantò homo seipso crassior euasit, tantò sit pulsus minor, erit tum quidẽ quod ad ipsum attinet, moderatus: sed ob corporis crassitudinem minor moderato uidetur. Si longè sit crassior quàm pulsus minor, is pulsus quantùm in ipso est, mediocri erit maior. Sin autẽ minus sit crassus quàm paruus pulsus, hic, si eius naturam spectes, naturali erit minor. Quòd si gracilius corpus sit, quàm uideatur pulsus paruus, is sanè est paruus natura, sed nõ perinde uidetur paruus, ac uerè est: quòd gracilitas, quatenus á natura recessit, hactenus ei speciem magnitudinis augeat. Similiter etiam in alijs pulsibus omnib. adhibenda eadem est distinctio, quæ de paruo & magno pulsu est adhibita: sciendumq; illorũ quenq; uel paruum esse natura, uel magnũ, uel moderatũ. Ac tres hi pulsus in quantitate distentionis positi sunt, quod ad ipsius rei naturã attinet. Videntur uerò esse uigintiseptem, ob crassitudinem uel gracilitatẽ corporis, uel ob rugosiorem cutem, uel regionũ arteriarũ inæqualem angustiam, uel proprietatẽ cõformationis. Iam uerò longus, angustus, & humilis pulsus, quod quidem ad suam naturam pertinet, idem erit & paruus: nimirũ longitudine ipsa accedente ob tenuem habitudinem corporis. Quòd autẽ & languidus sit, hinc euadit perspicuum, quòd nunq̃ facultate ualente, pulsus esse paruus ad summũ possit. At duritiem nihil est necesse coniunctam esse huic pulsui. Oportet tamen cor unà cum arterijs esse refrigeratũ, atq; etiamnum perfrigerari. Quòd uerò refrigeratũ esse, læsam esse facultatem sit: refrigerari autẽ, mutari usum, unq; intelligere oportet. Facultatis essentia singularum partium, in singularũ illarũ posita cõmodo temperamento est. Nam tum demũ suum quæq; munus obit strenuè, ubi sit temperatissima. Contrà malè fungitur, si intemperata sit: atq; hactenus malè, quatenus sit intemperata. Ad eundem modum cordis corpus cùm immodicè fuerit refrigeratum, calfactum, humectatũ, aut exiccatum, pulsus pro suæ intemperiei modo facit languidos: id quod illi est facultatẽ oblæsam esse. At uerò consuetudinẽ habere cum sanguine in ipsius contento sinibus, & cum spiritu, qui calidior longè ac naturalis status requirit, sit, aut cum eo qui in inuolucro cor ambiente cõsistit, uel in pulmone, aut cum ipso etiam inuolucro cor ambiente,

*Gracilitatem corporis qui pulsus significet.*

*Facultate ualẽte nũquam pulsus esse paruus ad summum posse.*

*Essentiam facultatis cuiusq; partis, in cõmodo eiusdem partis tẽperamento cõsistere.*

& pulmone: usum est tantũ uariasse, citra facultatis offensam. Ac sic eandem rationẽ habet, refrigeratum esse, & refrigerari. Nam si in ipsa cordis temperie frigidum elementũ præpolleat, facultas læditur. Sin uerò in tunica cor ambiente, & in pulmone, sanguineq; & spiritu, quos eius uentriculi continent, usus est remissio. Iam humiditates & siccitates, si in ipso corpore cordis consistant, nocent facultati: si in quopiam uicino, nõ immutant usum. Siquidem proba temperatura, intemperiesq;, ex quatuor fiunt elementis: usus uerò incremẽta uel remissiones, duntaxat ex calido & frigido. Porrò ubi iam ad ultimam usus dissolutionẽ deueniat, corporibus uicinis cordi uehementer refrigeratis, noo poterit etiam cordis corpus nõ intemperatũ existere: id quod nihil est aliud, quàm facultatem debilitari. At uerò ubi cum duritie coniunctus est pulsus ille oblongus, angustus, & humilis: necessariò etiã et adest uel languidus, uel medius inter languidũ ac uehementẽ: declaraturq; esse is affectus in corpore, qui reddit arteriam duram. Hæc est siccitas, uel constrictio à frigore, uel tensio. Siccitas quidem in ardentissimis febribus, ubi pessimè inueterarint: ac præcipuè * in marcore torrido, certisq; melancholiæ & quartanę febris generibus. Constrictio fit à rebus refrigerantibus. Tensio ab affectibus conuellentibus, & ingentibus inflammationibus. Ex scirrhis uerò constrictio arteriarũ & tensio nascitur, cùm aliàs, tum uel maximè ubi lien & hepar scirrho indurantur. Sed tactu eiusmodi affectus deprehendentur, & per urinas, & alui excrementa, perq; tum linguæ, tum uniuersi colorẽ corporis, atqueadeo etiam per febrium genus. Qui autẽ alij corporis affectus pulsum creant durũ, partim originem ex recentibus offensionibus repentinam trahũt, reliqui omnes pedetentim. Offensiones quæ inducunt eiusmodi affectus, sunt uini potio & frigidæ intempestiua. Sæpe etiam fructus refrigerantes, balneumq; frigidum. Deprehendes noxam à uino illatam, cùm subitò pulsus non durus modò, sed maior etiam fit, celerior & uehementior. Cæteras à uino in cõmuni discernes, quòd nec magnitudinem adiunctam, nec uehementiam, nec celeritatem habeant: singulas autem seorsum, ubi symptoma aliquod apparuerit, eorum quæ fructibus id genus ingestis solent superuenire: ut delirium, exempli gratia, quod à uinosis fructibus proficiscitur. Iam uerò si neruorum originem aliquis dictorum affectuum occupet, conuulsiuas dispositiones inducit. Sic enim illas appello, quas ante mortem, conuulsionis aliquod necessariò comitatur symptoma. Ac moriũtur sanè omnes in hunc modũ affecti, etiamnum calidi: contrà ac illi, qui corripiuntur syncopa: hi siquidem uehementer etiam frigidi, uiuunt adhuc. Est autem operæprecium nosse, omnes duros simul & paruos pulsus, quamcitissimè fieri uibratos: & si qui uibrati non sunt, eos aut ob uitalis facultatis imbecillitatem, aut remissionem usus, aut utriusque concursum, non admittere uibrationem. Nam si quidem usus magnam postulet distentionem, uisq; operari ualeat uitalis, sed unum refragetur corpus

*Temperiem intemperiemq; cordis, ex quatuor elementis constari.*

*Siccitas in quibus morbis arterias inuadat.*

*Constrictio.*

*Noxa illata à uino, quomodo deprehendenda.*

*Cõuulsiua dispositiones quæ sint*

*Duros simul & paruos pulsus, omnes ferè fieri uibratos.*

*Vibratio pulſus quãdo accidat.*

arteriæ, quod attolli in magnam diſtentionem præ duritie non poſsit, uibratio in eum ſtatum incidit. Nulla præterea ratione fiat arteriæ uibratus motus. Quocirca hic pulſus qui uidetur uibratione carere, aut extremam imbecillitatem uirtutis, aut remiſsionem uſus declarat maximam. At uibratus ſi ſit, nonnihil roboris facultatem poſsidere portendit, nec pulſuum uſum prorſus diſſolutũ exiſtere.

*Vibratus pulſus ſi adſit, nõnihil roboris facultatem poſſidere declarat.*

Ad eundem modum ſi pulſus citra uibrationem * longior ſit naturali, anguſtiorq; & humilior, non longiſsimè tamen à natura in ſingulis his receſſerit, ſed aliquantulum: ſi quidem etiam ſit durus, frigiditatem, uel facultatis imbecillitatem indicat, uel utrunq; ſimul. Atq; hæc ex cõſequentibus diſcernuntur. Sin uerò ſimul & durus ſit, & uibratus, illos ſignificabit affectus, à quibus durus pulſus producit̃: facultatẽ tamen nõ imbecillam, ut in illis, nec diſſolutũ uſum. Quanta uerò utriuſq; ſit noxa, in facultate indicabit uehemẽtiæ & remiſſionis differẽtia, unà cum quãtitate ipſius uibrationis: in uſu, differẽtia celeritatis & crebritatis, cum uibrationis item quãtitate. Reliqua ex antedictis conijcito. Haud aliter ſi nõ paulùm, nec multũ tribus differẽtijs pulſus ille à naturali recedat, ſed mediocriter & moderatè, ex dictis notato diſcrimina. Celer etiam pulſus dicitur, interim comparatus cum moderato, interim cum quolibet alio. Præterea ille ipſe moderatus, nũc abſolutè dicitur, quem in optima natura conſpicimus: nunc de unoquoq; homine, qui inculpata ſanitate fruatur. Atq; hic ex comparatione abſolutè temperati æſtimat̃, docetq; quale nam ſit ipſum temperamentum.

*Moderatus pulſus quot modis dicatur.*

Ac celerior quidem calidius, tardior frigidius temperamentum declarat.

*Celerior pulſus, calidius: tardior, frigidius temperamentum declarat.*

Verùm ſolam non eſt reperire mutationem in celeritatẽ & tarditatem, nec in ſanis, nec in affectus corporib. Nam qui calidiore eſt temperamento, quàm ſimpliciter moderatus, ſi uideatur habere celeriorẽ pulſum, eum habet neceſſariò maiorem. Et cui pulſus eſt aliqua ex occaſione celerior ſolito, omnino etiam eſt maior: neuter tamen horum neceſſariò eſt crebrior: ſiquidem crebritas illis, ubi calor accumuletur copioſior, accedit. Itaq; cum celeritate, modò magnitudo, modò etiam crebritas eſt coniuncta.

*Celeri pulſui modo magnitudo, modo adiungitur crebritas.*

Similiter mutationes in tarditatẽ pulſuum, partim ex moderato ſtatim in raritatem ſimul mutantur: ſubinde etiam in paruitatẽ, ubi amplius uſus ſit imminutus: partim ex ſtatibus nõ naturalibus, nunc aucto uſu, ſæpe unà cum mutatione in paruitatem, interim cum raritate, nonnunquam cum mutatione in utranq;. Cæterùm mutationes pulſuum ob imminutũ uſum, in tarditatem fiunt, cum raritate & paruitate. Habes primas & ſimplicíſsimas pulſuũ mutationes in celeritatem & tarditatem: * quarum cauſæ antecedentes & primitiuæ, eadem inueniunt̃ ratione, atq; illæ quas de magnitudine & paruitate expoſuimus.

*Mutationes primæ & ſimpliciſſimæ pulſuũ in celeritatẽ & tarditatem.*

Mixtæ uerò mutationes atque compoſitæ, cum uehementia, uel remiſsione, uel duritie, uel mollitudine coëunt. Quæ etiam examinandæ diſcernendæq; ſunt eadem uia & ratione, quam cùm de longo, anguſto & humili diſputaremus, declarauimus, Vt, exempli gratia, ſi ſimul & celerior eſſe & mollior uideat̃ pulſus, animaduertendum eſt, tantò ne celerior ſit, quantò mollior, an magis. Nam ſi quantò eſt mollior, tantò etiã celerior ſit, à ſola mollitudine ipſa mutatio eſt facta. Sin celerior q̃ mollior, nõ à mollitudine tantũ, ſed etiam ab uſu aucto. Contrà ſi mollior quàm celerior, quantò mollior eſt, tantùm detraxit ſolius uſus remiſsio. Similiter in alijs cõiugationibus danda opera eſt, ut præpollentem cauſam inueſtigemus: magnitudinẽ quarum ex proportionis exceſſu deprehendes. Cùm igitur in diſtentione arterię quatuor generales ſint differentiæ: prima, eademq; inter omnes maximè pulſuum propria, quæ in qualitate conſiſtit motus: ſecunda, quæ in quantitate diſtentionis: tertia, quæ facultatẽ: quarta deniq; & ultima, quę tunicam arteriæ indicat: hoc certè poſtremũ genus, non eſt proprium pulſuum, ſed aduentitiũ.

*Diſtentionis arteriæ quatuor generales ſunt differentiæ.*

Cæterùm tum ipſum, tum penultimum genus, cauſam ſemper à qua gignuntur, manifeſtè declarant: duo autem reliqua genera ſuperiora, nõ perpetuò. Etenim duobus obuenit generibus poſterioribus, ut ab una utrunq; cauſa conſtituatur: primis uerò duobus, ut ab omnibus cauſis, quas tres demonſtrauimus eſſe: quare in primis illis ad inueniendam cauſam, q̃ in ultimis, pluribus opus eſt diſtinctionibus. Porrò ſecundũ genus, quod circa diſtentionis quantitatem uerſatur, hoc præter cætera habet, quòd ſeptem & uiginti pulſuũ differentias cõplecti uideatur, quæ tamen ſunt tres duntaxat.

*Quantitatẽ dilatationis arteriæ, ſeptẽ & uiginti pulſuũ differentias complecti.*

Porrò uehemens pulſus à facultatis ſemper robore fit: proinde * quantò uehementior fuerit, tantò facultatis maius eſſe robur ſignificabit: languidus, ex facultatis imbecillitate: quare * quantò languidior ſit, tantò facultatem oſtendet imbecilliorẽ.

*Vehementẽ pulſum à facultatis ſemper robore fieri.*

Haud aliter durus pulſus efficitur ab arteriæ tunica dura: mollis à molli.

*Pulſus durus & mollis unde proficiſcantur.*

Præterea quantitas pulſus durinei mollitudiniſq;, quantitatem duritiei mollitudiniſq; arteriæ declarat. Cæterùm qui medius eſt inter durum & mollem (qualis dicitur moderatus) primus natura eſt inter eos, ſoluſq; dicitur naturalis. At inter languidum & uehementem hac ratione medius eſt nullus: quòd languidus ſit oriundus ex facultate imbecilla, & deſciſcente à natura: uehemens autẽ à firma & rectiſſimè habente.

*Mediũ pulſum qui naturalis ſit dari nullũ inter languidũ & uehementẽ poſſe.*

Verùm alio modo, inter languidũ & uehementẽ medius aliquis eſſe poſsit. Modus autẽ dignoſcendi per tactum adhibitũ eſt. Nam cùm à pulſu euertitur, eum uehementem uocamus: ubi tactus euertit pulſum, languidum: ubi neutrum fit, medium eum pulſum dicimus inter uehementẽ & languidum: qui quidem nõ aliter atq; languidus, præter naturam eſt.

*Medius pulſus inter languidũ et uehementem quomodo dignoſcatur.*

Porrò alterationes pulſuum, * quæ quidem in remiſsionem & uehementiam fiunt, illæ certè & ſolæ frequenter fiunt, hoc eſt, citra ullam aliarum differentiarum miſcellam, atque etiam ab una cauſa: ut ſi cæteris cauſis naturalem modum ſeruantibus, facultatis robur ſit paululum auctum, aut imminutum: interdum tamen ab una quidem cauſa gignuntur, at non ſolæ: quemadmodum ubi facultas aut imbecillima, aut robuſtiſsima effecta fuerit. At mutatio pulſuũ in duritiem & mollitudinẽ, ſi quidem ab una cauſa procedat,

om-

omnino aliquod unà generum aliorum mutabitur. Quòd si sola constet, ex concursu plurium causarũ gignitur. Simul autem & sola & ab una causa nequaquam fiat, nisi minimo planè spacio à natura recesserit.

*Causæ antecedentes, quæ facultatis robur adaugent, sunt duplices.*

Causæ antecedentes quæ robur facultatis adaugent, partim in ipso insunt corpore: ac humores quidam sunt semicocti & crudi, qui iam concoquantur: & naturæ ad iudicationem impetus: ac præterea iracundia. Partim adueniunt extrinsecus, ut uinum, cibus, modicæ exercitationes, & omnia quæ intemperies corrigunt.

*Facultatẽ quæ deprimant.*

Deprimunt uerò facultatem inedia, uigiliæ, solicitudines, mœrores, uacuationes immodicæ, uehementes dolores, uel cum quadam proprietate accidentes, ut quem stomachicũ affectum appellant, qui animi deliquium inducit. His adiunge omnia quæ cordis uel arteriarum creant intemperiem.

*Arteriam mollem reddentia.*

Mollem reddunt arteriam humidi cibi, frequentiores balneæ, somni multi, mollior uita, & deliciæ: quæ omnia intra septa naturæ manent. Præter naturam autem sunt, simulq; idem moliuntur, lethargus, coma, hydrops, & si quę sint alia quæ largo humore ac maximè pituitoso arteriarum tunicas imbuunt.

*Pulsus ante alia omnia, indicat coniuncta causa naturam atque constitutionem.*

Igitur præsentem cõstitutionem singularum coniunctarum causarum pulsus primam omniũ indicat: qua cognita, antecedentes & externæ causæ, quæ coniunctas introduxerũt, deprehenduntur. Atq; in hoc præteritorum præcognitio consistit. Nam futurorũ, ex ijs quæ comitantur dispositiones, præsagia sumuntur.

## GALENI PERGAMENI
### *de præcognitione ex pulsibus liber secundus.*

*Cõtractioni arteriæ insunt quatuor genera pulsuum.*

Contractio etiã habet quatuor genera pulsuum, quot scilicet dilatatio. Siquidem uelocior & tardior, maior & minor, uehementior & languidior (si naturam ipsam spectes rei) fit contractionis motus: ac præterea etiam arteriæ corpus, aut durum, aut molle redditur. Haud dignoscas tamen horum generum, præter tarditatem & celeritatem, ullum.

*Distentionis contractionisq; arteriarum usus.*

Porrò tum distentio tum contractio arteriarum, naturalis caloris tuetur mediocritatem: distentio, ueluti inspiratio quædam, excessum caloris refrigerando, & uentilatione quod extinguitur incendendo: cõtractio in modum expirationis fuliginem expurgando.

*Contractionis in arterijs celeritas, magnã uim excrementi fuliginosi indicat.*

Ergo celeritas contractionis indicio erit fuliginosorum excrementorum ingentem colligi *multitudinem, expurgariq; id temporis, quandocunq; inueniatur. Tarditas contrà, nec eius multum coaceruari excremẽti, eoq; neq; euacuationem desiderari.

*Fuliginosi excrementi quando plus, & quando minus accrescat.*

Atq; aceruat quidem magna copia fuliginis, * ubi humores putrescunt: quo tempore necessum est febres accendi: pauca autem, dum corpus bonos humores continet. In alijs statibus qui medij inter hos sunt, pro portione singulorum statuum. Inter edendum & dormiendũ, plus: per uigilias & inedias, minus. Eadem planè ratione pro ciborũ natura, ex illis qui prauos humores gignunt, plus: minus ex ijs qui probos. In febribus ad eundem modũ, in accessionib. plus: alijs temporibus minus: adeoq; plus ex crassis & lentis humoribus, qui pituitosi sunt, & quos crudos appellant: ex biliosis minus & melancholicis: medio modo ex sanguine, qui & ipse putrescit in inflammationibus: unde oriuntur febres, cùm aliæ, tum illæ, quarũ adeò est immodicus ardor, ut cutem deurant, & carbunculum generent.

*Sanguis in inflãmationibus com putrescens, quas febres gignere soleat.*

Eiusdem ferè naturæ sunt herpetes depascentes: in omnib. quippe his, ipsi humores putrescunt. Alio autem modo putrescentes in asperis arterijs succi. Pulmonem enim suo uitio contaminant: quod uiscus tempore etiam ipsum putrescit.

*Humores in asperis pulmonis arterijs delitescẽtes, unde illuc cõfluãt, & qua de causa putrescãt.*

Colliguntur autem in asperis arterijs id genus succi, uel per destillationem à capite, uel ex pleuritide, uel peripneumonia, uel pulmonis affectu, uel angina, uel ex translato pure. Originem hinc ducunt putredinis, quòd minus probè expuantur. Nam ut sunt uitiosi, & locus calidus, maturam desiderãt euacuationem.

*Tabes unde contrahatur.*

Subinde etiam fit, ut cùm pulmonis rumpitur uas, immittat sanguinis aliquid in ipsas arterias asperas; qui quidem diuturnitate putrescens, tabem excitat. Quô etiã deuenit celerius, quem uasa emittunt exulcerata. Ergo in omnibus his, contractio arteriarum secundum quantitatem augetur, etsi sensu id planè nõ percipiatur. At celeritatis clarè incrementũ dignoscitur.

*Quies arteriæ duplex.*

Nunc ad crebritatem, raritatemq; nos conuertamus: quarum duplex est utraq;, quòd etiam quietibus contigit arterię duplicibus esse: uni ab distentione ante contractionem: alteri post contractionem ante distentionem.

*Quietibus arteriarum quod sit commune.*

At quiddam ambabus est commune: aliquid proprium utriq;. Cõmune, quòd duabus de causis abbreuiant, uel quòd prior productus sit motus, uel quòd sequens anticipet. Contrà protenduntur, si uel breuior fuerit prior motus, uel si remoretur posterior.

*Quieti arteriarum utriq; quod sit proprium.*

Vtriq; proprium, quòd denotare possunt. Illud autẽ ab eis cõstat significari, quod ex producto altero motu, uel anticipante altero potest prodi: aut cõtrà, ex abbreuiato altero motu, & morante altero. Quando enim syncerus calor, paucissimisq; excrementis pollutus, distentionem maiorẽ & celeriorẽ concitat: contrà qui confusus excrementis est putribus, contractionem: ubi ex anticipatione uel magnitudine distentionis pulsus creber fuerit, calorẽ purum indicabit plurimum increuisse in corpore. Vbi uerò quòd maturius incipiat cõtractio, impuri copiam, atque excrementis referti caloris, arguet. Nec aliter, cùm rarior pulsus externa quiete fit: siquidem ob distentionis breuitatem, indicabit esse refrigeratum calorem: sin ob contractionis moram, fumosa imminuta esse excrementa. In quiete interna è diuerso, si ex productione contractionis creber sit pulsus, suppullulare abundantiam fumosorũ excrementorũ: si ob maturiorem distentionis exorsum, auctum calorem esse. At uerò cùm rarior in hac quiete pulsus est, si ob imminutam cõtractionem, pauciora excrementa annunciabit: imminutum calorem esse, si ob distentionis moram. Quòd si coniuncta ambo sint, ut & protendatur motus prior, & alter anticipet, siue in externa hoc quiete, siue accidat in interna, compositũ declarauerit affectum ex illis, quorum sigillatim significabat utrunque.

Itidem si pulsus sit rarior, in utra hi coierint ambo quiete, cõtractus prior motus, & alter nimis tardatus, erit status tunc quoque duplex, atq; ex utroq; compositus. Cæterũ externa quies clarè sentitur, interna autẽ ne obscurè quidem. Eam tamen cõiectura quis assequi possit, ex utriusq; motionis impetu. Iam uerò cõtractio ipsa, interim nõ tam diuturna est, quàm distentio: interim æquè diuturna est, cùm diuturnior sit, non tamen quintuplo (ut ait Herophilus) sed paulò maior.

*Herophilus.*

Inæqualium pulsuum quidam in uno ictu inæqualitatem sortiuntur: alij uerò in plurium aceruo, quam collectiuam inæqualitatem appellant.

*Collectiua inæqualitas.*

*Inæquales pulsus unde gignantur.*

Omnes autem in uniuersum, aut ex obstructionibus, aut ex compressionibus instrumentorum, aut abundantia humorum, ad facultatem collata, aut cordis inæquali intemperie constant: estq; inæqualitas incõmodior, quæ circa unum pulsum, quàm quæ circa aceruum, uersatur. Iam uerò intermissio motus arteriæ, siue in uno pulsu, siue contingat in pluribus, periculosior est alijs inæqualitatibus omnibus.

*Intermissio arteriæ periculosior est alijs inæqualitatibus omnibus.*

*Intermittentes pulsus unde exoriantur.*

Vt igitur à collectiua (quæ apertior est) auspicemur, facultas ipsa gignit intermittentes pulsus, uel grauata, uel impedita ob crassitudinem aut copiam humorum obstruentium, aut opprimentium arterias, aut etiam occupantium spacia, in quibus illæ distendi solent. Est cùm inflammatio uel scirrhus corpora incumbentia arterijs infestans, earum distentionem coërceat. Si uerò ipsarum arteriarum tunicas tale quid occupauerit, maius periculum imminet: sicuti extremum malum, si cordis corpus inuaserit: nam ij subitò syncope corripiuntur. At intemperies cordis nõ est perinde exitialis, sed est longè mitior inflammatione.

*Intemperies cordis est mitior inflammatione.*

*Cordis intemperiei comes est imbecillitas facultatis.*

Cuius quidem intemperiei comes facultatis imbecillitas est: pulsusq; languidus, præter talem affectum, indicat nihil. Nam moderato cor præditum temperamento, pulsum edit uehementem: prauo, languidum. Paruum itaque & languidum pulsum sola intemperies reddit: non tamen continuò inæqualem, nisi humoribus contentis in ipso corde, & in arterijs & uenis coniunctis illi, fit facultas inferior: aut etiam ipsius cordis corpus, inæquali intemperie affligatur.

*Inæquali pulsu gignendo quæ requirantur.*

Sunt autem raris pulsus intermittentes finitimi: hoc ab eis differentes, quòd rhythmum uniuersum amittant. Qui quidem eò periculosiores existent, quò fuerit ipsa intermissio maior. Porrò si arteria duorum pulsuum tempus moretur, haud scio an quispiam esse superstes possit: at unius pulsus tempus, aut paulò amplius, intermittente arteriarum motu, sæpenumero conspeximus hominem liberari, præsertim quum ætatem senilem ageret.

*Pulsuum duorũ motu intermisso Galenus dubitat an quispiam uiuere possit.*

Etenim facultates languidæ, à paruis sæpe occasionibus offenduntur: firmæ autem, tantùm deijciuntur à maximis. Proinde qui habitu sunt ualente, diuq; à morbis immunes fuerunt, periclitantur si eis prehendantur.

*Valide facultates tantum deijciuntur à maximis occasionibus.*

At imbecilli, quiq; assiduè obiecti ad omnes sunt causas, facillimè restituuntur: quòd scilicet horum nemo, quum à qualibet lædatur uel minima, magnam causam expectet.

*Imbecillia corpora cur ubi inciderunt in morbos facillimè restituantur.*

Itaque intermittentes pulsus minus perniciosos possident senes quàm iuuenes: mox pueri ab illis, quòd concoquant digerantq; per halitum, humorum copiam & crassitudinẽ, quæ intemperies inæquales produxit: cùm nimirum concoctrice facultate sint ualidissima, corporeq; mollissimo, ac facilè perspirabili.

*Intermittentes pulsus minus perniciosos obtinẽt senes & pueri, quàm iuuenes.*

Iam uerò naturalis arteriæ motus, sanitatẽ refert: uitiosus, morbum: omnino intermissus, mortem.

*Pulsus omnino intermissus mortem refert.*

Et quemadmodum soluere apoplexiam ingentem quidem est impossibile, leuem autem non facilè: sic intermissio diuturna pulsuum ut tollatur, fieri non potest: breuis autem potest, haud tamen citra negocium. Cæterùm diuturnam uoco, quæ excedit duorum pulsuum curriculum: breuem, quæ intra duorum pulsuum tempus manet. Iam mors à pulsibus intermittentibus repentina corripit, non aliter ac ab apoplexia. Vtrobiq; enim cordis calor extinguitur, destitutus respiratione. At raritas quidem ab intermittente pulsu discernitur diuturnitate temporis: interdum etiã, quòd raritas interim habet æqualitatem cõiunctam omnium ictuum: intermittens autem pulsus necessariò inæqualis existit.

*Raritas ab intermittente pulsu quomodo distinguatur.*

Ad hæc, ingens frigiditas raros pulsus producit: quæ quidem uel corpus cordis, uel sanguinem spiritumq; illius, uel * consentientem ei aliquam partem occupat.

*Rarus pulsus unde gignatur.*

Si igitur corpus ipsum cordis prehendat, ita languidos, tardos, & paruos reddit pulsus, ut ipsa præpotens est. Quæ uerò à parte proficiscitur alia, raritatẽ longius quàm cætera genera, à natura auertit. At mors tum minus potest declinari, ubi frigiditas corpus cordis inuaserit: quanq̃ & repentina etiã in altera differentia oritur. Ac moriuntur quidem priores illi inter dormiendum potius. Alteri autem hi, cùm illo modo, tum etiam inter loquendum. Intermittentes pulsus perniciosiores sunt raris: * siquidem generatio ipsorum fit raritate producta: solutio autem, est reditus quidam per raritatem, in commoderationem pristinam.

*Intermittens pulsus cur perniciosiores sint raris.*

Raro pulsui aduersatur creber, sicuti intermittenti intercurrens.

*Intercurrẽs pulsus intermittenti aduersatur.*

Fit autem ipse intercurrens ex crebritate inæquali, quòd functionem obeat cor minus plenam, quàm usus postulet: id quod fit sanè, ubi ab humorũ colluuie oneratum est cor, aut instrumenta obstructa, aut in arctũ coacta. Quæ quidem causa erat etiã intermittentiũ.

*Intermittẽs pulsus unde exoriatur.*

At dissident inter se, quòd repugnat in intercurrentibus, ac decertat cum noxijs causis facultas: in intermittentibus autẽ, hoc nõ sustineat facere. Quare iudicationem sæpe attulerunt pulsus intercurrentes. Iam uerò omnes ardentissimæ febres, pulsum crebrum sortiuntur: quarum quædam extra periculũ sunt.

*Ardentissimæ febres omnes, pulsum crebrum sortiuntur.*

At qui in syncope sunt crebri pulsus, propter remissionem (quæ perpetuò coniuncta est cum omnibus syncopis) existunt periculosi. Cæterũ raritas nunquam uacat periculo, sicuti nec remissio, nec paruitas.

*Raritas pulsuũ nũquam uacat periculo, sicuti nec remissio, nec paruitas.*

Sola autem extrema uehementia in pulsibus, non modò uacat periculo, sed est etiam maximè utilis.

*Vehemẽtia pulsuum est utilis.*

Magnitudo autem summa, ubi coniuncta est cum mollitie morbosa, periculum nunciat: sin cum salubri aliquo arteriæ statu, nihil subest ei mali. Præterea ueloces pulsus tardis sunt securiores: siquidem summa celeritas, summa tarditate est securior.

*Veloces pulsus tardis sunt securiores.*

Summa quippe tarditas, non secus ac raritas,

tum

tum incidit, cùm calor natiuus extinguitur. Celeritatis incrementum procedit ab usu urgente, atque à ualida facultate.

*Formicans pulsus.*

Verùm formicans pulsus, nec omnino est celer, nec summum attigit crebritatis.

*Durissimus pulsus unde accidat.*

Durissimus pulsus perinde est, ut mollissimus, periculosus. Nam ex scirrho ille, aut inflammatione insigni uisceris, aut ex constrictione per frigus, aut ex siccitate ab ardentissima febre profecta, aut ex ualida conuulsione:

*Mollissimi pulsus causa.*

hic ex alto comate, & leucophlegmatia, atque ex immodica humiditate habitus gignitur. In summa uerò, omnes pulsus, qui longè à naturæ modo recedunt, non sunt laudabiles.

*Pulsus omnium pessimi, qui.*

At languidissimus, tardissimus, rarissimusque, omnium pessimi sunt: ab illis, minimus, mollissimus, durissimus: inde creberrimus. At non celerrimus uel maximus: sed sunt hi modicè periculosi.

*Pulsus uehementissimus, optimus.*

Vnus uerò inter omnes extremos optimus est uehementissimus.

*Inæqualitas intermittens in uno pulsu, mortem annunciat.*

Inæqualitas etiam intermittens in uno pulsu, omnium periculosissima est, præsentemque mortem annunciat. Hæc fit, ubi distentionem interpellat quies.

*Pulsuum intermittentium qui existant perniciosiores.*

Vbi igitur uehementior secundus motus sit priore, commodius est: ubi languidior, periculosius. Iam tardior item, signum periculosius existit: celerior, tutius. Gignuntur quippe hi pulsus, dum simul & certat natura, & impeditur ab insalubribus causis. Est etiam melior motus uehemens, & celeris languido & tardo. At uerò prior motus alterum nihil excellit ferè, in magnitudinis paruitatisque differentia: sicuti neque in duritia, aut mollitie: etsi quòd interdum uibratus sit, durior alter occursus uideatur.

*Vibratio quid.*

Etenim uibratio est duræ arteriæ symptoma, ubi amplius cogitur ui distendi. Pessimus autem est pulsus is intermittens, cuius tempus quietis prolixius fuerit.

*Inæqualitas unius pulsus, longè est quàm collectiua deterior.*

Inæqualitas igitur intermittens in uno pulsu, causas habet genere easdem, ac collectiua: sed quàm illa est deterior longè.

*Cordis facultas.*

Corpus cordis facultatē quandam obtinet, quæ distendit & contrahit, tuendi gratia ionao caloris. Hæc in contractionibus fuliginosum excrementū effundit: in distentionibus allicit refrigerium. Vbi igitur ex æquo calidum, uel frigidum, uel purum, uel turbidum, ipsum cor fuerit, omnes eius partes pari impetu ad functionem contendunt. Vbi uerò aliæ calidiores, aliæ frigidiores extiterint: ac hæ omnino mundæ, illæ abundantia excrementorum confusæ: non eodem omnes impetu ad munus feruntur, sed hæ anteuertunt, illæ cunctantur.

*Cor moueri eatenus, quatenus à particulis suis excitatur ad motum.*

Vt autem plures & maiori ui ad actionem properantes fuerint, uniuersum cor excitant: ita contrà, ubi pauciores sint quæ ad motum festinant, quæ consistunt plures, uniuersum in longiore quiete continent. Iam uerò calidiores si motui præsint, maturior simul & celerior, maiorque distentio editur: sin frigidæ, serior, tardior & minor. Motus itaque principatus maiori numero partium defertur: sæpe etiam magnitudini usus. At uerò si alteræ partes alteris uel paulò sint plures, uel planè pares, uicissim uincunt, atque uincuntur, uariosque efficiunt & inæquales toons uisceris motus.

*Caprizans pulsus.*

Caprizans pulsus ex genere est illorum, qui intercipiuntur quiete: succeditque interdum talibus cordis affectibus, quemadmodū etiam dicrotus, qui ex genere est intrò retractorum:

*Dicrotus pulsus.*

& comitatur nōnunquam inæqualem cordis intemperantiam. Etenim si unà contingat, ut quædam sint partes cordis præcalidæ, aliæ fumosa fuligine præfocentur, ad contrarios prosilient motus, ut hæ quidem distentionem moliantur, illæ considant. Ac tunc sanè distentioni contractio potest succedere tribus modis. Primò, cùm distentionem, prius quàm mensuram impleat, contractio exceperit: secundò, ubi prorsus completæ succedat, externa quiete deperdita: tertiò denique, dum distentionem nōdum perfectam contractio retrahit, cæterùm debilior reddita, reliquum permittit compleri. Haud aliter etiam contractionem distentio, nunc absolutam consequitur, nec permittit consistere: nunc etiam prius quàm sit completa, impeditam & uictam excipit: nōnunquam retrahit nonnihil, superatur tamen. Atque hi arteriarum motus fiunt interdum uel citra affectum cordis, aut propter earum inæqualem intemperiem, aut facultatis imbecillitatem, aut etiam duritiem tunicæ.

*Essentiā facultatis nihil esse aliud præter qualitatem temperamenti.*

Porrò ipsius facultatis essentiam, nihil aliud putamus esse, præter qualitatem temperamenti.

*Pulsuum bis ferientium generationes tres.*

Tres autem affectus hactenus, originesque bis ferientiū pulsuum inuenimus: unam uibratorū, hac solare ab illis distinctam, quòd cùm breuem pulsus longitudinem habeat ex utraque parte arteriæ, obscura uibratio sit: quamobrem dicrotus, non uibratus uidetur. Alteram, in qua non uibratus est pulsus, sed arteria dura, & imbecilla facultas, ut à corporibus decumbentibus opprimatur, aliqua tamen parte iuxta cutem sita, attollatur liberè. Atque hi quidem duo pulsus tum dicroti sunt, tum duri. Tertius qui ex intemperie nascitur, haud est dicrotus, sed bis modò pulsans, nec necessariò durus: possumus tamen eum dicrotum appellare. Etenim intemperiem qua cordis corpus affligitur, comitatur pulsus bis feriens: consequiturque etiam ille, cuius externa quies est amissa, & cuius impeditur distentio. Est & aliud frequens genus inæqualitatis in uno pulsu, ubi arteriæ principio propinquior pars, prius mouetur.

*Vermicans pulsus infirmam facultatem denunciat.*

In quo genere undosus atque uermiculans pulsus consistunt, à molli arteria & non ualida facultate profecti. Ac uermiculans quidem, non modò non ualidam, sed infirmam etiam facultatem denunciat.

*Vndosus pulsus quādo sudorem decretoriū promittat.*

Vndosus autem, interdum non satis firmam, ac nōnunquam mediocriter ualidam, cùm præsertim sudorem decretorium promittit. In humidis enim reperitur & pituitosis morbis: in quibus etiam tarditatem & raritatem, magnitudinemque solet acquirere. Quòd si altitudinem præterea, & uehementiam sit nactus, decretorium haud dubiè sudorem significabit. Magis hic sperandus est, si plures uehementes & alti appareant, quàm cōtrarij. Qui si æqualiter etiam fiant, salubrē simul & breui pollicentur sudorem, maximè si cōcoctionis morbi appareāt indicia.

*Vndosus pulsus ex humida mollique arteria nascitur.*

Vndosus itaque pulsus, ex humida mollique arteria oritur, simulque ex facultate modicè affecta: uermiculans autem, ex molli quidem, uerùm ex imbecilla insigniter facultate.

*Vermicans pulsus solet citra febrem accidere.*

Quāobrem etiā sine febribus solet superuenire uniuersis largis euacuationibus. Decurtatorū pulsuū

*Decurtatorum pulsuũ duplex genus.*

duplex est genus: alterũ in unica distentione, alterum in aceruo. Quod in unica distentione fit, facultatis imbecillitatem unà cum corporis gracilitate arguit. Est autem ad modum digitis arteria tangenda.

*Decurtatorum pulsuum dignoscendorũ ratio.*

Deinde si animaduertatur interea in arteriæ primis partibus maior pulsus, uel uehementior, uel uterq;: in postremis minor, uel languidior, uel ambo: primus digitorũ applicatorum est attollendus, perspiciendumq;, utrum similem illi qui antea erat, quàm hic sustolleret, sequentes digiti motũ percipiant, an uehementiorem atq; maiorem. Ergo si motũ similem, digiti sequentes sublatũ digitũ, sentiant, sua sponte arteria decurtatã distentionẽ habebat: quod nobis infirmæ facultatis à corde prodeuntis, uestigium erit. Nam illa quando rectè se habet, usque ad finem arteriarum omniũ contentio quæ attollit eas, similiter permeat. At in pulsibus decurtatis, paulatim remittitur, tantoq; efficiĩ imbecillior solito, quantũ est à principio remota. Quòd si eleuato tu primo digito, postea motum percipias ualidiorem, ac maiorem quàm antea: declarat ille quidem etiamnum facultatis arteriæ imbecillitatem, sed minorem certè quàm alter: quòd illic facultas remitteretur à principio discedens: hic maneat, quantũ in ipsa est, par, sed grauata ab iniectis digitis, imbecillius moueatur arteria: quod quidem minus habet periculi. Neq; enim ita ipsius cordis, ut arteriæ quam tangimus, ostendit affectum. Alterum autẽ, potius cor esse imbecillum significat. Porrò si omnino pulsus deficiant, tum multò magis declarabunt facultatis imbecillitatẽ: quo tempore sunt submouendi omnes digiti, ac dein spacio paruo interposito, deintegro admouẽdi.

*Pulsum aboleri bifariam.*

Bifariam autem ipse aboletur pulsus: uel quia prorsus nõ pulsant arteriæ, id quod extremum est malum: uel quia pulsant quidem, sed ita languidè & parum, ut fugiant sensum: estq; sanè hic affectus, si citra deliquium aliquod animi repentinum accidat, difficillimus.

*Pulsus deficiens reciprocus.*

*Pulsus reciprocus decurtatus.*

Reciprocatur autẽ motus, modò ex ultima pulsus abolitione, modò ex paruo pulsu & languido. Sed ille quidem * deficiens reciprocus dicitur, hic reciprocus decurtatus.

*Arterias tangendi ratio.*

In huiuscemodi æstimandis, sic debemus partem componere, quancunq; tangamus, ut subter arteriam noster sit tactus. Omniũ uerò sunt pessimi pulsus, qui ab amisso motu minimè reciprocantur in uerso membro. Minus his, qui in uerso illo uidentur moueri. Quibus etiam minus, qui sunt decurtati, non tamen perdunt planè omnẽ motum. Iam etiam his minus reciproci decurtati, adeoq; si multis simul occurrant digitis. Cæterùm numerus digitorũ, quibus motus sit occursurus, suus cuiq; est arteriæ. Ad quã rem magnopere refert naturam tenere ægrotantis. Quibusdam enim natura sua pulsus existit minor: sicuti & aliquibus breuior. Quòd si nos naturæ ipsius ægroti proprietas lateat, ex cõmunioribus differentijs coniecturam faciemus, temperamenti scilicet, & habitudinis corporis. At in temperamento, præsertim calidi & frigidi differentiam expendimus: in habitudine, gracilitatis & corpulentiæ. Ac fit interdum, ut ambæ inæqualitates pulsuum, tum quæ in uno pulsu, tum quę in aceruo consistit, concurrant. Sæpe quoq; illa quæ in uno pulsu consistit, nõ adest: quæ autem in aceruo, manifestè conspicitur. Latet autẽ inæqualitas unius pulsus, aut ob affectionis exiguitatem, aut ob ipsorum pulsuũ breuitatẽ.

*Decurtati pulsus significãt facultatis imbecillitatem.*

Vtrunque itaq; genus decurtatorũ pulsuum, significat facultatis imbecillitatem. Verùm si in una fiat distentione, etiam gracilitatem indicat. Fit igitur decurtatus pulsus in quibusdam, ex causis præter naturam: in nonnullis tamen inuenitur ex propria conformatione: quo modo innuens & circumnuens pulsus.

*Pulsuũ innuentium & circumnuentiũ causa.*

Qui quidem fit, si arteria ita sit conformata, ut eius pars duntaxat media, nudæ cuti subiecta sit: partes autẽ utrinq; altius demergantur. Quanquam fit etiam ob facultatis imbecillitatem, quæ attollere onus non potest. Ex horum etiam genere est pulsus tremulus, qui non perinde est conspicuus. Quia uerò imbecillitatem facultatis sequitur tremor, necessarium est ideo etiam tremulum pulsum languidum simul & paruũ esse: qua de re fugit sensum.

*Pulsus tremulus quid indicet.*

Pulsus igitur tremulus, facultatem imbecillam, tunicam arteriæ mollem, corporisq; gracilem nunciat habitum.

*Ordo est familiaris naturæ nostra.*

*Ordo pulsuum quid indicet.*

Videtur autem quisque ordo perturbationi eiusdem generis pręstare, propterea quòd ordo naturæ nostræ in primis familiaris existit. Ordo etenim fixam quodãmodo causam esse & perpetuam, indicare uidetur: perturbatio autem illius, uariantem, nec in una manentem uel magnitudine, uel specie, uel regione. Cæterùm talis causa non perniciosior, sed incertior censenda est.

*Perturbatio ordinis quid significet.*

Itaque nihil certi, nihil ordinis perturbatio firmi habet: nec tale, quale ordo, uel bonum, uel malum.

## GALENI PERGAMENI
### *de præcognitione ex pulsibus liber tertius.*

*Rerum præter naturã esse tres differentias, affectus, causas, symptomata.*

DEinceps agendum de ijs pulsibus est, qui dispositionibus præter naturam peculiares existunt. Etenim quicquid præter naturam est, aut affectus sunt, aut causæ horũ, aut symptomata.

*Affectus similarium particularũ sunt octo numero: quatuor simplices, quatuor compositi.*

Cùm igitur ex affectibus, hi quidem similarium, hi autem instrumentalium partium sint proprij: exordiar à similarium affectibus, qui quidem sunt octo numero, ab intemperie omnes profecti. Quorum quatuor dicuntur simplices, calor, siccitas, frigiditas, humiditas: quatuor compositi, frigiditas siccitati, caliditas siccitati, frigiditas humiditati, caliditas humiditati cõiuncta. At uerò pulsus per intemperiem, nisi arterię sint affectę, uel cor, alterari nõ queũt: possunt tamen arteriæ nihil læso corde affici.

*Corde affecto, necessariò etiã arterias affici.*

At affecto corde ut innoxiæ permaneãt arteriæ, impossibile est. Cæterũ frigida & calida intemperies cordis promptè in omnes arterias permeat: humida & sicca ægrius.

*Caloris peculiares pulsus qui sint.*

Peculiares igitur pulsus copioso calori sunt, magnus, celer & creber. At magnus, non tantũ calorem excellentem, sed & instrumenta requirit mollia, facultatemq; ualidam: itaq; non erit calidæ intemperiei perpetuus. Celer etiam firmam postulat facultatẽ, ac instrumenta quæ distendantur promptè: quare ne hic quidem perpetuus erit. Creber similiter, si largè

si largè usui à magnitudine & celeritate fit factum satis, nulla fiat ratione: si nõ expleatur usus, fiat: proinde perpetuus ne hic quidem fuerit. Quamobrem ex peculiaribus nullus erit inseparabilis. Si igitur calor solus increuerit, & in naturali statu maneat facultas, instrumentáque, quum mutatio ipsa est parua, magnitudo tantùm pulsuum augetur: quum maior, etiam celeritas: ubi insignis, iam etiam crebritas. Proinde maximus pulsus, idémque celerrimus & creberrimus, summum incrementum caloris significabit. At si celerrimus & creberrimus sit, non autem maximus, hoc nisi facultas sit imbecillior, uel arteria durior, accidere nulla alia ratione posšit. Similiter ubi ingens sit crebritas, nec simul celeritatis & magnitudinis par incrementum, calorem quidem etiam tunc oportet esse copiosum, sed uel facultatis imbecillitatem, uel instrumentorum duritiam. Cæterùm imbecillitati erit adiunctus languidus: duritiei durus pariter & uibratus. Si durus citra uibrationem sit pulsus, ac summè creber, imbecillam facultatem unà cum calore magno nunciabit: & quum talis languidus sit, minabitur syncopem. Est autem aliud, cor & incalescere & incaluisse. Etenim ubi à substantia quam in suis uentriculis continet, ipsum cor calfit, potest firma facultas esse: ubi uerò & incaluit, & in eandem incidit caloris intemperantiam, qua tenebantur sanguis & spiritus uentriculorum, tunc sanè eam intemperiem sequitur necessariò imbecillitas facultatis. Quòd si incaluerit largius, & per ipsum totum calor febrilis permeauerit, febrem excitat hecticam. A calore itaque cordis ipsi pulsus uariantur. Qui quidem calor duplex quum sit, aut est certè à putribus humoribus genitus, unde acrem qualitatem atque fumosam contraxit: aut cum* uapida quadam & suaui humiditate coniunctus, sola quantitate à natura recessit. Ille igitur prior constans &* ægrè solubilis est: secundus autem, nõ usqueadeo obfirmatus: qui quidem balneis, exercitationibus, cibo calido, uini potui, atq; ex animi affectibus * timori & iracundiæ solet superuenire. Porrò calor qui diuersus est à natiuo, breuem habet externam quietem: celeriorem autem, quàm pro portione distentionis, cõtractionem. Qui quantitate sola uariat, maiorem simul & celeriorem distentionem contractione. At qui etiam fuliginosus est, longè citatiorem distentionem, contractionémque celerrimam reddet. At uerò si cor quidem calidius sit, frigidiores autem arteriæ, ipsa motuum exordia simul utrobique fient, si modò uenæ à corde facultatem citra læsionem recipiant. Cor tamen singulis arterijs maiorem, celeriorem, uehementioremque pulsum habebit. Etenim motus principium à corde illæ omnes habent: eius autem speciem sortiuntur singulæ, prout cum ipso corde temperatura consenserint. Porrò nõnunquam accidet, ut arteriæ eodem tempore nõ accipiant ex corde influentem facultatẽ: uerùm quæ cordi propiores sunt, primæ: posteriores, quæ remotiores: quod potissimùm euenit, si arteriæ frigidiores & cor imbecillius coiuerint. Nonnunquam etiam in corde ipso percipitur temperamentorum pugnantia. Nam modò frigidius uisceris corpus æquo est, & in uentriculis contenta substantia calidior: modò è diuerso, substantia frigidior, cor autem calidius: ubi etiam pulsus fiunt moderatis similes. At ubi aër quem inspiramus, infectus putredine fit, putredóque ipsa ad cordis corpus peruenerit, febrim pestilentem ac letalem accendit: quæ quidem ex caloris acredine, ipsoq; caloris genere agnoscitur: & ex pulsu etiam, qui parum à naturæ modo recedens, in eodem statu perpetuò manet: quemadmodum in hecticis febribus, quarum sanè duo hæc propria sunt signa, si perpetuò sibi illæ uideantur similes, nec inuasionem ullam accessionis, nec incrementum, nec uigorem, nec remissionem habeãt, nec febricitare se percipiat ægrotus. Hos pulsus nihil est necesse maiores iusto, atq; interim nec crebriores quidem esse: at omnino celeres tamen, cùm febrientium pulsibus uniuersis adsit perpetuò celeritas. Cæterũ quibus putridus ille calor, non cordis corpus inuasit, sed humores in uentriculis illius contentos, (deprehenduntur enim affecti hac peste, si febrem primũ percipiant, nec dein æqualiter semper febricitent: ad hæc, si pulsum nõ habeant per ualidum) multi horum seruantur. Frigidæ intemperaturæ ipsius cordis, pulsus paruos, tardos, atq; raros efficiunt. Ac primùm sanè crebritas immutabitur, dein celeritas, ac ultimò magnitudo, si quidem illæsa facultas sit: nam si ipsa fuerit offensa, ad paruitatem & tarditatem potius, quàm ad raritatem pulsus mutabitur. Cæterùm ubi facultas laboret plurimum, etsi coniuncta frigiditas sit, pulsus extremè quidem fiũt parui, sed non tardi extremè: imò nõnunquam moderatis similes: crebritatem tamen non abijciunt pristinam, sed etiam adaugent. At ubi paululum debilitata facultas sit, & frigiditas uigeat plurimum, longissimè ad raritatem pulsus deflectunt, parum ad paruitatem, medio modo ad tarditatem. Eodem etiam arteriæ modo, si in natiuo temperamento constent, mouebuntur. Nam si corde frigidiore existente, ipsæ calidiores sint æquo, tantùm alterabunt pulsum illius, quantùm à natura recesserint. Vacant huiuscemodi affectus febre, quòd fiant refrigerato corde à succis frigidis, ijsdemq; lentis & crassis. At uerò si perinde ut cor arteriæ etiam iusto sint frigidiores, remissionem motuum illius augebunt: idq; in genere eodem. Accidit autem interdum frigidius iusto esse cor, fumidorumq; excrementorum plenum: quo tempore pariter & minor & rarior distentio fit, contractio uerò celerior. At si ipsum corpus cordis inciderit in intemperiem aliquam inæqualem, necessum est pulsus ipsius cordis, adeoq; artetiarum omnium, uariè inæquales fieri. Si quidem & collectiua, & circa unum pulsum inæqualitas, in omni genere accidit: quòd* subita fiat in magnitudinem, paruitatem, celeritatem, tarditatem, remissionem, crebritatem & raritatem, mutatio. Verùm in duritiam & mollitudinem, subita mutatio fieri unquam non

*Caloris peculiarium pulsuũ nullus erit inseparabilis.*

*Hectica febris quãdo excitetur.*

*Pulsus à calore cordis variãtur.*

*Cordis calor duplex.*

*Arteriæ habent motus principiũ à corde.*

*Arterias nõnunquam nõ eodem omnes tempore à corde influentem facultatem recipere.*

*Cordi inesse nõnunquam varia temperamenta.*

*Pestilentium febriũ pulsum parum à naturali recedere.*

*Hecticarum febrium duo signa propria.*

*Febrientiũ pulsibus vniuersis adest semper celeritas.*

*Frigidam cordis intemperiẽ qui comitentur pulsus*

*Cor, si laboret inæquali intemperie, pulsus vniuersos variè inæquales efficere.*

potest. Non uibratus autem interdum & uibratus, subita quadã uicissitudine sese in affectibus excipiunt, adiuncta ad cordis intemperiem duritia uel tensione arteriarum. Porrò pulsus bis feriens, intemperiei corporis cordis propriũ symptoma est. Cæterũ si durities accesserit, iam hoc indicium labefactatur: nam in dicrotum conuertitur cõmunem plurium affectuum. At uibratus dicrotus gignitur, ubi pulsus qui absolutè est uibratus, deminuta fit longitudo. Dicrotus uerò non uibratus, æquè est ac uibratus durus: sed talis per suam tarditatem efficitur, & corporum onus incumbentium. Iam uerò ubi cordis corpus præter modum est calidum, materiæ autem contentæ in eo frigidiores, aut etiã partes illi adhærentes, tribus id contingere differentijs potest. Aut enim illud tantò calidius est, quantò hæ frigidiores: aut multò illud calidius, quàm hæ frigidiores: aut minus illud calidius, quàm hæ frigidiores. Quarum prima differentia pulsum repræsentat ad unguem moderatũ, magnitudine, celeritate & crebritate. Ad remissionẽ autẽ tantùm depellit, quanto spacio naturalem temperaturam uiscus ipsum reliquit. Sunt autẽ pestilentes non paucæ febres inde ab initio hecticæ, distantesq; ab omibus alijs febribus, quæ ex magna putredine oriuntur. Præterea mœrorem interdum sequuntur & iram à principio quædam hecticę febres: aliter nescio an inde ab initio fiat hectica. At successu temporis, multis alijs succedũt hecticæ, quas perpetua æqualitas satis manifestè declarat. Notitia autem firma in huiuscemodi affectibus ex urina quidem inuestigari nõ potest: ex pulsibus autem initio adhuc atq; primis diebus per febres hecticas nõ facilè cõparatur, cùm speciem cõmunem habeant tunc cum diarijs febribus. Verùm elapso triduo, iam clariores fiunt etiam pulsuũ iudicio. Siquidem apertè hæ celeriores, quàm deceat, pulsus habent, tantoq; languidiores iusto, quantùm calor increuerit. Deinceps de illis febrib. dicamus, in quibus cor calidius est, quàm uicina frigidiora. Nam in huiuscemodi affectibus, pulsus celeriores simul & maiores, & crebriores, lãguidioresq; iusto erũt. Longius tamen ad remissionẽ & celeritatem, minus ad crebritatem & magnitudinẽ, diuertent à natura. Stabilis & cõstans harum generatio est, ut cæterarũ hecticarum. Quòd si non ita longè uiscus à natura desciscat ad calorem, uicina ei longius ad frigiditatẽ: minores pulsus in his & rariores erunt: at celeritate uel similes erunt naturalibus, uel tardiores. Similes, si non multò frigidiora uicina sint: tardiores, ubi multò longiori interuallo, hæc ad frigiditatem à natura deflexerint, quàm ad calorem cor. Remissio hic etiã quantitati caloris respondebit. At uerò si frigidius iusto fit ipsum cordis corpus, materia porrò, reliquaq; uicina, eo calidiora, erũt & hic tres numero differentiæ, & uariabunt pulsus in unaquaq;, sicuti superiores. Primũ æquè refrigeratũ fit cor, ut incaluerunt uicina: tardior æquo erit is pulsus, si insignis fuerit alteratio: cui etiam remissio respondet. Cęterùm si uiscus fit frigidius omnino, quàm postulet naturalis modus, & uicina similiter calidiora, febricitabit utiq; homo, nõ hectica tamen febre, sed uel diaria, uel ea quę humorũ putredinem sequitur. * Vtriusq; autem sunt propria signa. * Diariæ quidem coniunctæ cum frigidiore corpore cordis, si ex æquo à natura uterq; pulsus recesserit, nihilq; magnitudine à naturali differat, nec crebritate ferè, nec celeritate, tũ utraq; insignis fit mutatio. Erit etiam tunc tantò languidior pulsus, quantò uiscus frigidius. * Eius autem quæ humorũ putredinem sequitur sunt indicia, par semper magnitudo in pulsu: nõ tamen ut in eo qui secundum naturam erat: nec eadẽ erit paritas in alijs generibus. Verùm ubi à natura * parum recessum est, nihil ferè: ubi maiori interuallo, apertè in contractione pulsus celerior fit. Iam etiam clarè in extrema quiete crebrior & lãguidior apparet tantò, quãtùm refrigeratum est cor. Fingamus rursus, magis refrigeratum cor esse, quàm uicina incaluerint, sitq; febris ephemera: horum pulsus manifestè languidiores erunt, & minores: at tardi non perinde apertè, sed * pro ratione excessus, quo uicinis partibus est cordis corpus frigidius. Si uerò sit febris putrida, pulsus languidus aderit, perinde ut superior: sed illo etiã minor in distentione, tardiorq;: at contractio naturali celerior erit. Ponatur rursus tertium genus cõmutationis, hoc est, minus ad frigiditatẽ cor declinasse, q̃ ei cõiuncta ad calorem: ac febrem esse diariã: pulsus habebit hoc corpus tantò q̃ par est imbecilliores, quãtò corpus cordis fuerit intemperatius: ac maiores & celeriores naturali, sed maiores q̃ celeriores: ad hæc crebriores erunt. Hæc omia sunt accipiẽda, pulsibus nec in duritiã, nec in mollitudinem apertè mutatis. Omnes febres diarię, in magnitudinẽ, celeritatẽ, crebritatemq;, pulsus, quantũ in ipsis est, mutant. Nam si cõcurrat alius affectus, mistam oportebit mutationẽ esse, ex illa, & hac, quæ comitatur febrim. Similiter febres hecticæ, pulsus in easdem differentias conuertũt, quantũ in ijs est: ampliusq; in ijs mutatur celeritas. At quæ ortæ sunt ex putredine humorũ, in uigoribus utrunq; habent motũ celerem, & distentionis, & contractionis. Præterea crebritatem ex æquo mutant, cùm externæ quietis, tum internæ. In initio accessionis, non perinde, sed magis augent contractionis celeritatem. In incrementis cùm hanc, tum etiam externam quietem plurimũ concitant, ut pulsus in illa creberrimus esse uideatur. Atq; hi pulsus febriũ per se sunt proprij. Reliqui omnes qui febrientibus accidunt, alios potius affectus, quàm febres, sequuntur. Quorũ etiam affectuum sunt duo genera: aut facultatis, aut instrumentorũ uitium. Quippe ad causas inueniendas, quæ immutant pulsum, tria hæc sunt animaduertenda, instrumentũ, usus, & facultas. Porrò pulsus qui ab inflammatione excitantur, ab ijs quos humorum putredo effecit, sola distinguuntur duritia. Siquidem pulsuum ortorũ ex inflammationibus, durus occursus existit. Quare si durum occursum, quem efficit tensio arteriæ, discernere ab eo uales quẽ generat frigiditas atq; duritia, tres prædicere hinc causas præteritas poteris, potum frigidæ, meracius uinum, inflammationẽ. Siquidẽ indurescunt ex immodicis frigidæ potionibus arte-

*Pulsus bis feriẽs, intemperiei corporis cordis propriũ symptoma est.*

*Pestilentes non paucas febres esse ab initio hecticas.*

*Hecticæ febres quæ nam ab initio fiant.*

*Hecticarum febrium notitiam ex urina inuestigari nõ posse.*

*Diaria febre uel putrida quãdo febricitabit homo.*

*Diariæ febris indicia propria.*

*Febris putridæ propria signa.*

*Diariæ febres qualiter pulsus mutent.*

*Febres putridæ quales pulsus sortiantur.*

*Causæ mutantes pulsum ut inueniantur, considerare oportet instrumentum, usum, & facultatem.*

*Arteriæ à quibus causis durentur.*

arteriarum tunicæ,& à uino immodicè poto exiccantur. Iam uerò febris hectica * rarisimè à principio oritur, quanquam eo tempore nonnunquam sint ortæ. Ad hæc, nec magnus pulsus,nec uehemens, unquam cum febiibus hecticis coëunt:sed si alterutrum habeant horum,minimè sanè sunt hecticæ. Si simul utrũq; habeant, planè sunt diariæ, si quidem eorum contractio non properet. Propria est enim eius quæ sequitur putredinem humorũ, celeritas. Cæterùm in remisionibus accesionũ,celeritas contractionis exoluitur:initio autem gignitur,ac per incrementum augetur. At ubi iam propè uigor adfuerit,ingens incrementũ suscipit distentionis celeritas,contractionis pari celeritate manente. Vbi uerò uigeat iam planè febris, in illa accesione ad summã celeritatem distentio peruenit,imminuiturq; celeritas contractionis.

*Hectica febres rarisimè à principio oriuntur.*

*Hecticis nũquã adest magnus pulsus nec uehemens.*

*Celeritas febris putrida propria.*

At uerò pulsus in utranq; partem mutatio (si adiecerimus * distinctionẽ) accesionis initium nunciat.* Distinctio autẽ ipsa erit,si mutatio citra alienam occasionem acciderit. Atq; occasiones quidem ipsæ, partim externæ sunt, partim ab ipso corpore oriuntur: quarum utræq; sunt notæ. Verùm clarioris doctrinæ gratia, appellabimus quæ procedunt ex corpore causas,unde uel facultas,uel instrumenta alterantur,antecedentes:harum autẽ ipsarũ causas, quæ extra corpus positæ induxerunt alterationem,externas,seu procatarcticas.

*Pulsus in utrãq; partẽ mutatio, accesionis initiũ nunciat.*

*Causarum genus duplex.*

*Causa antecedentes quæ dicãtur.*

*Causa externa, seu procatarctica,quæ uocetur.*

Porrò inæqualitas pulsuũ, quæ ferè inuadit unà cum accesionibus,compressarũ uel obstructarum modò arteriarũ, uel copiæ humorũ opprimentium facultatẽ,est signum. Quæ igitur pulsuum mutationes fiunt, dum cordis calor augetur,aut confluunt intrò humores, apertè accesionis initium annunciant, si quidem ab alijs occasionibus sint remotæ. Existimare autem conuenit,ubi aceruus materiæ humidæ initio accesionis ad cor peruenerit,in primis quidem, mortis periculũ esse: quod periculum maxima mutatio pulsuum in raritatẽ,tarditatẽ, paruitatemq;, prænunciat. Nam si his insignis remisio successerit,extemplò peribunt. Sin autem absit remisio,contendit natura eam superare, atq; arteriarum motũ maiorem,celeriorẽ,crebrioremq; excitat: ut uterq; motus celerior quidẽ fiat, sed clarius contractionis, increscatq; hic breui manifestè,donec augescat accesio. Tandem ubi materiam superauerit, calor quasi flamma succendit: atq; is est uigor accesionũ,ubi fuliginosum natura excrementũ, expiratione & cõtractione arteriarũ expellit. Quod uerò est ueluti cineritiũ, non perinde, quia crassum est,potest excernere, sed per insignes quosdam meatus educit. Hoc in partibus inflammatis,pus est:in ipsis uasis,sedimentũ urinæ.

*Inæqualitas pulsuum iuncta accesiones, quid indicet.*

*Vigor accesionis quid sit.*

At si cor siccius quàm pro modo naturæ euaserit, unà secum omnes alterabit arterias:id quod interdum in una animalis parte ipsis arterijs accidet, interdum autem in pluribus. Est cùm sint contrà quàm cor affectæ ipsæ arteriæ,sed tamen eius affectionẽ recipiãt: ita ut conflettur illis medius quidam affectus in humiditate siccitateq;. Præcedentes causæ quæ indurant arterias,sunt aqua sulfurea aluminosaq;, & omnia breuiter quæ exiccandi uim posident. Quæ qnidem intemperies ubicunq; arterias inuaserit,pulsum reddit duriorem. * In corde autem siccam intemperiẽ producit sicca uictus ratio,diutius administrata:præterea medicamentorũ exiccantiũ tum esus tum potio, in quibus est uinũ merũ : ad hæc cibi potionisq; abstinentia,immodicus labor, ferũ,solicitudo,tristitiæ, diuturnæ uigiliæ, febris hectica, præq; cæteris, marcida.

*Causa indurantes arterias quæ sint.*

*Cor exiccare quæ posint.*

Causæ humidæ intemperiei sunt œdemata,quæ partes diutius tenuerunt:leucophlegmatiæ, quæ ipsum etiã cor mutant: omnia deniq; principum uiscerũ œdemata cùm arterias humectant & cor, tum pulsus efficiunt molles. Pulsuum causæ mollitudinis mediocris sunt, ciborum copia humidorũ, multũ ocium, somnus longus,balneę à cibo. At durorũ pulsuum antea ostendimus esse paruitatem, ut mollium magnitudinem * comitem:quas quidem celeritas atq; tarditas,crebritasq; & raritas consequunt. Sunt autẽ primæ ac ueluti cõiunctæ causæ generationis pulsuũ, usus atq; facultas. Porrò in corde nõ excitant tumores, qui pulsum duriorẽ efficiant, quemadmodũ in alijs uisceribus inflãmationes & scirrhi: siquidem prius homo correptus syncope intereat,in illorum tumorum auspicijs.

*Humida intemperiei causa.*

*Pulsus molles & duros quæ efficiant.*

*Pulsuum generãdorũ prima causa sunt, usus atq; facultas.*

*Cordi nunquã oboriri tumores qui pulsum duriorem efficiãt.*

## GALENI PERGAMENI
### de præcognitione ex pulsibus lib. IIII.

Reliquum autem in hoc libro fuerit, cæterarum partium dispositiones, quibus cor consentiens cõmutat pulsus,omnes explicare suo ordine: ubi hoc ante omnia admonuerimus,totius corporis pulsus,anteqñ cor consentiat parti prius affectæ,fieri nõ posse ut in cõmunem alterationẽ trahatur:in parte tamen aliqua, licet offensionẽ cor non percipiat, arteriarum motus uariari posse.

*Pulsum totius corporis, antequàm cor cõsentiat parti prius affectæ, pertrahi in cõmunem alterationẽ non posse.*

Partes animalis respirationi seruientes duæ tantũ sunt, pulmo & thorax. Nutritionis multò plura quàm duo instrumenta,iecur,uentriculus,intestina,lien,renes,& utraq; uesica. Celerrimam cordi & omniũ maximam noxam,dat pulmo. Sedem habet enim omnium ei coniunctisimã,illiq; uasis q̃maximè affinis est,& confluens per maxima ostia in uentriculos eius.

*Respirationis organa.*

*Nutritionis organa.*

*Pulmonis situs.*

Quamobrem si quando solito calidior euaserit, continuò cor calfacit : sicuti & refrigerat,frigidior effectus. At humiditatis & siccitatis intemperiem,non perinde ac illas,sed citius etiam has tamen,quàm cętera instrumenta, impartit. Vbi igitur ob pulmonẽ excalfactũ,cor prauum calorem contraxerit,pulsus efficit, quales solet usus auctus efficere. Qui affectus si sit diuturnior,in periculũ uocabitur illud, ne in febrem hecticam incidat. Atq; perinde respiratio & pulsus alterabuntur, siue solùm per se cor intemperatum sit,siue consentiat pulmoni. Maiorem tamẽ in toto sinu thoracis æstum percipiet, qui ex pulmone laborat,calidumq; planè expirabit,& sinet etiam altero magis,& calidioribus erit faucibus atq; lingua,eaq; maiori ex parte sicciore:quæ,si ingrauescat malum,cum aspredine quadam nigrescet. At si pulmo refrigeratus sit, cor ei consentiens, pulsus primò in eam alterationem adducet,quæ usum exolutum consequi-

*Cor pulmoni cõsentiens quales pulsus soleat efficere.*

*Pulmonis calida intẽperie affecti nota.*

tur: processu temporis, ubi hecticam frigiditatē contraxerit, pulsus excitabit, quales huic, si polleat, tribnunt. Cæterū quibus primus refrigeratus est pnlmo, frigidam respirationē persentiūt. Si siccitate fuerit intemperatus pulmo, à primo pulsns penè nihil mutabit: tandē cōsentiente illi corde, ipsos duriores efficiet. His fauces, tametsi nihil sitiant, promptè arescūt. Humida intemperies uuidas reddit fauces, sitim extinguit, temporeq́ꝫ ad mollitudinem pulsus ipsos traducit. Atqꝫ ex simplicibus his, discernere cōpositas intemperies licebit.

*Fluxionum omnium in pulmonem irruentiū, cōmunis est inæqualitas pulsuū.*

At uerò fluxionū omniū quæ in pulmonē impingunt, cōmunis est inæqualitas pulsuū: uerū minor quidē, à subtilibus simul & paucis: insignior autē à crassis & uiscidis, copiosisq́ꝫ fluxionibus proficiscit: quòd uidelicet hę magis obstruant, grauent, & cōprimant. Duriores q̃ oporteat fiunt pulsus, per intemperiem siccam, & inflāmatos induratosq́ꝫ tumores pulmonis: cōtrà, molliores, per œdemata.

*Pulmo frigida fluxione infestatus qualē edat respirationem.*

Frigida intēperies paruā, tardam, raramq́ꝫ respirationē gignit, non aliter ac pulsus. At fluxiones frigidæ, pulsus similiter mutant: respirationē autem, nec paruā, nec tardam, nec rarā reddunt. Quia enim cōstrictus pnlmo est, paucus spiritus recipitur: qui cùm naturæ nō faciat satis, cōtingit ut altera actio, statim celeris efficiat & magna.

*Fluxiones cum Ctaspulmonis eadem comitatur species respirationis.*

Respirationis itaqꝫ * species est omnibus fluxionibus eadem: at nō omnibus accidit similiter suffocatio, * sed calidioribns omnibus magis: quādoquidem largiorem attrahi spiritū natura tum postulat. Solā intemperiem nullū suffocationis periculū excipit. Porrò si arteriæ tantū asperæ sint oppletæ, nihil pulsus duritia uariant: sin læues, quia totius animantis arteriæ intendunt, pulsum efficiunt duriorem.

*Thoracis intemperies, tumoresq́ꝫ qualem pulsus alterationem inducant.*

Intemperies thoracis easdem alterationes inducūt, ac paulò antè illæ pulmonis: tumores, pro multitudine & genere humorū qui efficiunt eos. Variāt autē, quòd citius cor, ac magis pulmoni q̃ thoraci consentiat: & quòd interim pars thoracis affecta sit * musculus, interim succingens costas mēbrana. Maior siquidem tensio oritur, ubi duræ partes & spissæ intumescūt. Vnde etiam pleuritici semper duriorem pulsum q̃ peripneumonici habent: æqualem tamen, nō ut illi inæqualem.

*Iecur affectum quales pulsus producat.*

Iecinore affecto pulsus ex intēperie uariant, ut superius docuimus. Si excitati sint tumores præter naturā, conneniūt ferè etiā in his, sed minus ex inflammationib. indurescūt, quàm ex thoracis inflāmationibus, & tantò quidem, quantò quàm ex pulmonis magis.

*Oedemate nec thoracem, nec iecur infestari unquam.*

Nunq̃ autem ex thoracis uel iecinoris tumore pulsus mollis gignitur, quòd nec instrumenta ea unq̃ œdemate pituitoso affligant.

*Cor consentit hepati, uinculo cauæ uenæ.*

At cor consentit iecinori, uinculo cauæ uenæ.

*Cor qualiter cōsentiat septo transuerso.*

Consentit autē septo transuerso cor præter omnes alias thoracis partes, quòd ex ipsa caua uena in illud uenæ inserantur. Tensionē uerò nulla perinde alia pars infert arterijs, præcipuè si neruosa eius pars sit affecta. Quòd si à solis excrementis * quæ in eo gignuntur, absq́ꝫ febre intendatur, dolor ac dyspnœa ab ipso principio orietur, postea putrescentibus excrementis febricitabūt. Si ex fluxione quæ aliunde in ipsum decumbit (omnino autē hæc sit uel flauę bilis, uel calidi sanguinis & tenuis oportet: nam crassum sanguinē & pituitam lentam, propter densitatē, nunq̃ recipiat) necessariò hi delirabunt, pulsumq́ꝫ habebūt insigniter durū:

*Septi transuersi affectus, ut pulsum uarient.*

itaqꝫ etiam paruū, ac proinde creberrimū, cùm nimirum etiā copiosus sit calor. Iam uerò omnia quę magnis pleuritidibus accidunt, respondent symptomatibus partis neruosæ septi transuersi: tum quòd succingēs costas tunica multis neruis prædita sit, tum quòd adhæreat septo transuerso, membranisq́ꝫ thoracē intersepiētibus, per quas ad cor continuat.

*Pleuritidem exitialem qui pulsus significet.*

Ac maximū sanè indicium exitialis pleuritidis est, si pulsus sit magnopere durus, ob idq́ꝫ similiter paruus, & ob ambo hæc, caloremq́ꝫ, creberrimus. Pleuriticus nanqꝫ cum tali pulsu est nullus unq̃ seruatus.

*Diaphragma inflammatum cur deliria sequantur.*

Cæterū hi minus, quàm quibus inflammatū est septū trāsuersum, delirant: siquidem propius accedit ad cerebrū, diaphragmatis neruorū exortus.

*Vētriculus affectus quales pulsus efficiat.*

Ventriculus intemperie affectus, pulsus ita ut superiora immutabit. Si tumore secundū fundum, aliorū more. Si ad eius os is constiterit, pulsus ob neruorū multitudinem erit durior: non ita durus tamen ut ex septo transuerso, aut costas succingente membrana.

*Oris uentriculi nerui quales.*

Siquidem quia ij nerui insigni sensu præditi futuri erant, ob id molles & magni sunt cōditi, atqꝫ à principio ipso producti. Igitur ob mollitiē ipsorū, & quòd ea pars sit carnosa, nunq̃ ex ore uētriculi ita durus fit pulsus, sed tum paruus, tum creber: quia propter eximiū sensum defatigatur q̃primū, deijciturq́ꝫ facultas: quæ quidem ne paulisper quidem illic copiam humorū sustinet, sed degrauatur, pulsusq́ꝫ inæquales, atqꝫ interdum languidos efficit. Cætera instrumenta nutricationis, quę propiora quidem sunt cordi, & magnis uasis ei copulata, celerius & magis id in cōsensum trahent: quæ remotiora sunt, & paruis affixa, minus & tardius. Eodem modo quæ dura & cōtenta, neruisq́ꝫ prædita sunt plurimis duris, facilè hæc duros pulsus efficinnt: quæ contrà, molles. Quæ sensu uigent, utroqꝫ incōmodo facultatem afficiunt. Porrò qui inclusi in spissioribus corporibus & constipati sunt humores, ij maiorem dolorem, q̃ qui in rarioribus & mollibus sunt, concitant.

*Cerebri aut meningum inflammationes necessario febris atq; delirium sequuntur.*

At uerò si cerebrū, aut illius etiā meninges, laborēt inflāmatione, necessariò febris atqꝫ deliriū sequitur: nō necessariò autem per aliarū capitis partiū inflammationes. Nam musculorū temporaliū inflāmationes, si magnæ sint, febres, deliria, spasmos, soporesq́ꝫ frequenter inducūt, nō tamen semper: quippe si paruæ sint, nunq̃ talia symptomata excitant.

*Cerebrum intēperie affectum qualia symptomata inducat.*

Cerebrū ipsum ubi in morbosam intemperiem incurrerit, symptoma necessariò, q̃d intemperiei familiare est, inducit: in caloribus immoderatis, si quando soli per se acciderint, deliriū: si siccitati cōiuncti, unà cum uigilijs.

*Vigilia unde.*

Vigilia siquidem propriū est siccitatis symptoma: ut humiditatis, somnus profundns: ac refrigeratiōis, fatuitas.

*Somnus profundus.*

*Fatuitas.*

Cæterū si cum frigiditate humiditas coëat, altus sopor inducit.

*Vigilans sopor.*

Si uerò lōgè calidius humidiusq́ꝫ cerebrū, q̃ sit æquū, euaserit, sopor uigilijs atqꝫ delirio iūctus oriet. Vehemens frigiditas cerebri, siccitati cōiuncta, motu priuat uniuersum corpus. Si cerebrū admodū calidū sit, nec adsit siccitas, * in cōsistētia arterię pulsus moderati erūt: magnitudine

uerò,

uerò, celeritate, & crebritate hactenus superabunt, quatenus prauus calor nanuũ excesserit. Si nõ modò sit calidius, sed siccius præter naturã, statim utiq; etiam tenuis meninx, quæ tegit cerebrum, in eandẽ affectionẽ incidit, unaq; cum ea omnes nerui: atq; arteriæ inde pulsum nanciscũtur duriorẽ, quòd earũ tunicæ & exiccent & contendant. Quòd si ex biliosi humoris affluxtia cerebrum in affectũ calidũ & siccũ deuenerit, etiã magis tendunt arteriæ: si uerò ex calidi ac ueluti seruẽtis sanguinis, siccitas minor & maior tensio cũ ipsas meningas corripit, tum neruos atq; etiã arterias. Si igitur arteriæ corpus cum siccitate uideat durius, alterutrũ est existimandũ obsidere ipsum cerebrũ, uel intemperiem calidam & siccam, uel copiam bilis: inflammationẽ autẽ, si cum tensione. At si cum ambabus dispositionibus, affectũ puta cõflatum esse ex sanguineo & bilioso humore. Ac delirant sanè omnes in hunc modũ affecti: modicè tamẽ qui sola intẽperie laborant, habentq; ñ infirmas omnes uoluntarias actiones. Qui uerò à bilioso humore affligunt, nõ eas habẽt infirmas, sed delirãt impẽsius. Qui ex *atra bile feruescẽre ob putredinẽ id patiunt, facilè mente alienant: quorũ pulsus etiã sunt duri, siccitatis atq; tensionis ratione: simulq; parui ob duritiẽ, & iusto celeriores, quia febriũt: necnõ crebri, quòd usui nõ fiat satis. Humidę intemperantiæ cerebri, molles tẽpore efficiũt pulsus, somnolentumq; hominẽ. Si ad illas febrilis calor accesserit, morbus appellat lethargus, pulsusq; speciẽ referet arteriæ cõtentæ, quanq; illa sit mollis. At magni pulsus in morbis hisce omnib. hactenus erũt, quatenus auctus sit calor. Celeritas aut omnino minima est, aut his nihil prorsus intendit: crebritasq; similiter. Si uerò ex bile simul & pituita ipse affectus sit mistus, nec prorsus uigilant, nec alio sopore tenent, sed somnolenti desipiunt, genasq; attollere nequeũt: quare pulsus eorũ etiã sunt miscellanei. Si morbosa frigiditas citra materiã in cerebro oriat, cui cor cõsentiat, *minores, tardiores, atq; rariores æquo pulsus ædent, idq; absq; ulla tensione. Sin autẽ cum ea intẽperie materia etiã melancholica affluxerit, aut crassa & glutinosa pituita, fiet ut arteriæ tendantur, ac proinde pulsus durior uideat. Si humida & flatulenta pituita comitata sit intemperiem, siue tensione molliter pulsabit arteria. Si mista fuerit pituita, simul mollis erit, & nõnihil intẽtus pulsus. Neq; autẽ obscurũ est, quin si pulsus sit mollior, erit etiã maior q̃ antea. Subtilis meninx quæ *disiungit cerebrũ, absq; illo perpeti dictorũ quicq̃ nõ potest, neq; etiã absq; meninge cerebrũ: sed statim sibi affectũ ultrò citroq; cõmunicant. At dura meninx, quia longissimè à cerebro disiita est, affecta esse sola potest. Cuius affectus si insignis sit, ut cor ad cõsensum atq; arterias solicitet, pulsus, quemadmodũ in affectibus cerebri, alterabunt. Calidi itaq; affectus illius usum augent: frigidi cùm hũc remittũt, tum arterias sensim indurãt, præcipuè eas quę corde sunt altiores. Sicci intentũ & durũ pulsum efficiũt, humidi mollẽ: attamen nõ ita mollẽ & durũ, ut cerebrũ, sed duriorẽ & minus mollem. Siquidem corpora sua spõte dura, si in affectus indurãtes inciderint, maximã cõtrahent duritiẽ. Quæ autẽ natura sunt mollia, si in humectantes & soluẽtes incurrãt, semel remittunt atq; mollescũt. Sin dura arripiant affectibus humectantibus, aut mollia indurantibus, nequaq̃ assequunt extremũ sibi cõtrarij status. Porrò qui cerebri & pulmonis gratia molles sunt pulsus, ita sunt molles, ut nullus alius. His præ cæteris uicinior est ille, qui ex iecinore & liene oritur œdemate affectis. Nam scirrho etiã hæc uiscera obsessa, pulsus satis duros efficiũt: minus, si sint inflãmata, q̃ si laborẽt scirrho. Cerebrũ atq; pulmo, fortassis ne scirrhũ quidẽ admiserint: duris enim corporib. & spissis hic affectus, non raris & mollibus familiaris existit. Igitur affectus supra omnẽ modũ frigidi, pulsus duros efficiũt, alioqui nequaq̃. Ad hæc arteriæ uiciniores affectui, promptius in mollitudinem atq; duritiẽ transeunt. Quæ uerò longius disiitæ sunt, aut si cor interpositũ adsit, minus. Quod si teneas, non est quòd dubites in cæteris morbis faciei, colli, & artuum, quales pulsus gignantur. Nam pars affecta si sit spissa atq; dura, pulsus efficiet duros, siue inflãmata, siue scirrho affecta, siue supra modum refrigerata ipsas arterias solicitet. Si sit carnosior, eaq; uel inflãmata sit, uel scirrho induruerit, duros quidem, sed minus superiorib. Sin œdema habuerit, molles. Cõsentient autẽ arteriosis celerius uicinę omnes arteriæ, & cor uenosis secundũ has: tardissimè autem neruosis. Iam uerò cùm insigni lien scirrho esset affectus, frequenter cõspeximus nõ consecutam aquã inter cutẽ, quæ indurato iecinori necessariò succedit, sitq; tum pulsus prẹditus signis utriusq; affectus, existens partim mollis, partim durus & tensus. Oritur porrò hydrops ob hæmorrhoidũ mẽsiũq; immodicã uacuationẽ, aut suppressionẽ insolitã. Testes, etsi* extra inguina sint, statim tamẽ febres propter uasorũ uicinitatẽ accendũt. Etenim supernè à renũ regionibus uena & arteria descendũt per peritonæi foramina ad testes, uasa sanè magnitudine insigni. Præterea ipsa erythroides tunica adnata peritonæo est: ob idq; si sit inflãmata, pulsum efficit durũ, ac proinde minorẽ. A testibus inflãmatis nõ perinde durus oritur, sed magnus tamen, febris ratione. Quæ ẽm partes arteriosæ & uenosæ sunt, maiores pulsus excitant: quæ neruosæ, aut omnino nihil, aut paruos: at tetanos & spasmos generãt.

Ac præsentiũ quidẽ cognitio nihil est aliud, q̃ affectuũ inuẽtio. Cognitio autẽ præteritorũ est inuentio causarũ, quæ induxerũt affectus. At ex præsentibus præsagia *futurorũ sumunt. Vnum igitur ac primũ quod præcognoscere cupimus, est, qualẽ exitũ habiturus sit morbus. Secundũ, quo tempore iudicabit ad salutẽ aut mortẽ. Tertium, quinam modus erit aut salutis, aut mortis. Quæ oĩa ex* dispositionib. ijs præsagiunt, ex quib. morbi genus, & facultatis imbecillitas, uel robur, dignoscit. Morbus porrò cognosciĩ ex loco affecto, eiusq; *dispositione. Facultas ex cõmodo temperamẽto, uel intemperie corporũ solidorũ. Nam si imbecillitates quædã ob spiritũ accidãt animalẽ, breues sunt illæ, & symptomatũ ratione cõsequunt. Ergo si facultas uigori morbi sit sustinendo, homo necessariò seruabitur: si

*Delirium quos cerebri affectus sequatur.*

*Cerebri intemperies humidas quæ sequantur.*

*Lethargus quãdo gignatur.*

*Meningem tenuiore affici nõ posse absq; cerebro, sicuti neque hoc absq; illa.*

*Meninx durior affecta quos pulsus gignat.*

*Pulsus mollissimos esse, qui ex affectu cerebri & pulmonis oriuntur.*

*Scirrhus duris tantũ corporib. familiaris existit.*

*Partes spissas & duras pulsus duros efficere.*

*Aquam inter cutem necessario succedere indurato iecinori.*

*Hydropis causa.*

*Testes inflãmati cur statim febres accendunt.*

*Cognoscere quæ vnice optemus.*

*Morbus vnde cognoscatur.*

*Facultas vnde cognoscatur.*

*Salutis spes quãdo adsit, et quãdo sit deplorata*

quidem nihil*delictū fuerit extrinsecus. Sin autem facultas sit impar, moriaẽ is est necesse. Iam uerò qui sunt euasuri, eo liberabuntur tempore, quo natura morbū superauerit * absolutissimè. Qui autẽ sunt morituri, tunc peribunt sanè, cùm facultas adeò uinceẽ à morbo, ut functio aliqua necessariarū ad uitam penitus extinguatur. At ratio tum salutis, tum morbi, indidem etiã præscietur. Porrò functiones requisitę ad uitam, ubi extinguunẽ, hæ quidem suffocant, hæ uitalem facultatẽ prosternunt: aliæ simul & hanc prosternunt & suffocant. Quæ igitur facultatẽ uitalem suffocant, à thoracis, pulmonis, asperæ arteriæ, gutturis, fauciumꝗ procedunt * dispositionib. nõnullæ etiam in ipso corde cõsistunt. Quæ facultatẽ prosternũt, ab stomachicis dispositionibus (quas sequiẽ syncope) hepaticisꝗ diuturnis, ob quas *ciborū usu nõ promouentur, præterea ex longis doloribus, uel uehementibus, ad hæc ex omnibus hecticis febribus, ac breuiter cordis ingenti intemperie ortæ, dejciũt illam. Similiter animalis facultatis imbecillitates quidẽ comitantur maximas intemperantias cerebri: quæ uerò ueluti suffocationes sunt, tum repletiones uentriculorũ illius, obstructionesꝗ meatuū illuc ducentiū. Proinde cui status facultatis ad unguẽ perspectus sit, locusꝗ affectus, ac illius dispositio, hic ad futura prænoscenda peritissimus erit. Cognoscitur autẽ ipsa facultas & ex actionibus, & ex intemperie agentiū. At uerò ubi omnes pulsus per se languidi sunt, facultas uitalis est imbecilla: id quod accidet per uniuersum corpus, si ipsum cordis corpus intemperatū fuerit: in una parte, si sola illa pars. Vbi uerò earundem arteriarum nũc languidus pulsus fit, nũc uehemens, facultas nõ est per se quidẽ imbecilla, sed abundantia humorū degrauaẽ: quæ inæqualitas ob eandem occasionẽ fit & in cæteris differentijs pulsuum. Cæterū si pulsus uehementes & magni, numero cõtrarios uincant, minus facultas à copia ipsa offenditur: sin parui & languidi, magis. Præterea inæquales in uno ictu, si fines motuū ualidiores & celeriores efficiant, nunciant facultatẽ robustiorem cæteris, qui languidiores & tardiores effecerint. Si uerò in tali constitutione altus pulsus uideaẽ, statim is magnus erit, ostẽdetꝗ naturam plenitudine superiorẽ. At languidus pulsus nunq̃ altus existet. Verū magis & minus uehemens, quò altior simul & uehementior euaserit, robur facultatis, motumꝗ minimè impeditū declarat. Omnes igitur huiuscemodi pulsus iudicium morbi cum excretione futurū indicant. Quare cõtractionis motus est spectandus: ea siquidem semper abijcit priorẽ illam celeritatem, idꝗ nunc magis, nũc minus. Melior autẽ iudicatio expectari solet, contractionis celeritate plus exoluta. Quòd si etiã signa cõcoctionis accesserint, optimã iudicationẽ hic status promittit. At pulsus magnus & uehemẽs, si nõ præcedat eum inęqualitas, nõ semper excretionẽ portendit. Altus autem semper quidem, sed si inæqualitas nõ præcesserit, modicas excretiones pręnunciat: copiosas, cùm multas sequatur inæqualitates, quæ declarent facultatem copia onerari. Non est autem eadem facultas uitalis & nutritiua, naturalis ue. Illius siquidẽ hoc unū opus est, generatio pulsus. Naturalis, id quod familiare est ad nutritionẽ, allicere, & quod est alienū, excernere: præterea retinere, alterareꝗ familiare alimentū. Hęc quippe ad nutrienda corpora desiderantur, sicuti ad natiui caloris mediocritatẽ tuendã, distentio & cõtractio cordis & arteriarū. Quam facultatem neꝗ in stirpibus inuenias, neꝗ in animalibus frigidis: cuius generis sunt ostrea, & quæ petris, uel alijs solidis corporibus adnascunẽ. Animalia calida, maximè sanguine pręditą, apertissimam hanc facultatem, & uehementissimã obtinent. Hæc in cõtractionibus pulsuū tantū ejcit excrementū fuliginosum, quod obesse potest caloris mediocritati: in distentionibus item, quod se refrigeret, allicit. Altera facultas nutritiua, cõueniens attrahit alimentū, excernitꝗ incõmodum. Distincta igiẽ facultatū principia sunt, ipsæ tamen mutuò in singulis instrumẽtis inter se cõfunduntur. Nam arteriæ, quatenus nutriunẽ, facultate nutritoria gubernantur: cuius excernere alimenti excrementa est munus: *quemadmodum alterius uitalis, fuliginosa excremẽta expellere. Quæ cùm abundant, maximam simul & celerrimam contractionẽ ipsæ arteriæ moliuntur. Vbi uerò nulla hæc excremẽta fuerint, humores autem, qui putrescebãt antè, sint assecuti coctionem, ab altera naturali ui concoctorũ excrementa expellunẽ. Quæ facultas sanè nõ per solas arterias & uenas dispergiẽ, sed per omnia animantis membra, perꝗ carnem, neruos, ligamenta & ossa, disseminaẽ. Hæc igitur est illa facultas, quæ iudicationes efficit: cuius quatenus arteriæ participes sunt, nutrimenti excrementū expellunt. Altera facultate pulsatrice, quam solæ ipsæ obtinent, in contractionibus recrementū fuliginosum explodunt: distentionibus autem refrigeriū alliciunt. At usus nõ perpetuò par utriusꝗ est actionis, sed prępollens usus excellit nonnunq̃. Itaꝗ ex se etiã pulsum figurat, si quidem ei facultas respondeat. At uerò si fumidum excrementū præpolleat, contrahitur plurimū: distenditur autem non plurimum cor cum arterijs, sed hactenus duntaxat, ut satis refrigerari ab extrema cõtractione suppetat ijs. Sin autẽ paucus fuerit fumosus calor, copiosissimus autẽ mundus & purus & quasi flammeus, in plurimū distenduntur: at contrahuntur eatenus, quatenus satisfiat alteri usui. Quare semper æqua magnitudine distentio fit & contractio, nisi casu nobis admouentibus digitis, fiat repentina mutatio. Vnde altus pulsus excretionẽ significat, cõcoctis qui inducebant febrẽ humoribus superueniens. Semper enim omnis excretio, naturę lege perfecta, sequiẽ concoctionẽ: quippe secundum uentrem cõspicitur natura excrementū à concoctione excernere. Cæteras excretiones quę cibi concoctionem præcedunt, nunc quòd uelliceẽ ab illis quæ cõtinet, nunc quòd degraueẽ, ante tempus cõcoctionis moliri cogitur. Haud aliter totius corporis facultas, posteaq̃ satis familiarem succum singularum partium cõcoxerit, tum demū excrementum excernit, nisi qd eam irritet importunè. Copia excrementorũ, tum ex plethoricis signis quę præcesserunt, tum ex præsenti caloris inflammatione

*Functionum requisitarū ad uitam, tres differentia.*

*Prænoscendis futuris quis sit peritissimus medicus.*

*Facultas unde noscatur.*

*Pulsuū languor quando per uniuersum corpus, & quãdo in una ea parte accidat.*

*Crisim morbi cum excretione, qui pulsus indicent.*

*Facultatis uitalis opus.*

*Facultatis naturalis opera.*

*Facultas uitalis quibus negata, & quibus uehementissima data sit animalib.*

*Cõtractione arteriarum excernit fuliginem.*

*Dilatatione arteriarum attrahi spiritum.*

*Facultatū principia distincta esse, ipsas autem misceri in singulis instrumentis.*

*Expultricem facultatẽ esse, quæ crises facit.*

*Altus pulsus quãdo excretionem significet.*

*Excretio naturalis semper sequitur cõcoctionem.*

*Excrementorũ copia unde deprehendatur.*

*Excretiones peſsimæ quæ.*

tione prænoſcit, ob quē ipſum calorē pulſus magni uidentur & alti. Quare peſsimæ omniū ſunt excretiones, in quib. pulſus eſt minimè magnus: at celer in cōtractione. Porrò autē ſi etiā ſe plus intrò recipiat, fumidi excremēti affluentis in primis eſt nuncius, ſimulq; morbi crudi. Si pręterea ſit pulſus languidus, ſyncopæ periculum imminet. Si uerò pituitoſior ſit morbus, cùm ab inæqualibus pulſibus mutatio fiat in plures uehementes & magnos, iudicatio fiet per abſceſſum.

## GALENI PERGAMENI de diebus decretorijs lib. I.

*Solutioni morborum fixæ, quæ adeſſe debent.*

*Recidiua morbi quando timēda.*



Vò ſolutiones morborum qui non paulatim, ſed ſubitò finierūt, certas eſſe cognoſcamus, aliqua excretio copioſa, uel inſignis abſceſſus* deſideratur. Nam qui morbi citra hęc finiuntur, in ijs recidiua timenda eſt. Quare tunc ægrū modis oīnibus obſeruare oportet, ne quæ omiuo ſanis uel in cibo, uel in potu, uel balneis, uel motu, uel deniq; in alijs quibuslibet concedimus, agere ipſum permittamus. Si nanq; cōquieſcens morbus exiguus fuerit, forſan ob tam exactam uictus rationem prorſus ſubſederit, ut poſtea nunq̄ reuertatur. At ſi malignior exiſtat, etiā tunc, cùm hoc uiuēdi modo uſus fueris, redibit, ſed tamen non cum ſummo diſcrimine. Si uerò tanq̄ planè ſolutū neglexeris, euadet multò grauior quàm antè. Firmā itaq; ſolutionē uehementis morbi, oportet ſolutoria ſigna pręcedāt. Præcedunt autem ipſas creticas excretiones abſceſſusq;, grauia quędam ſymptomata, ac uō mediocris in ægri corpore perturbatio: adeò ut nihil ille ab ijs diſtare uideat, qui in foro de capite iudicantur. Quam ſanè turbationē ſubitam, nos appellamus criſim: eamq; finire interdum quidem ad ſalutē, interdum autē ad exitiū, affirmamus.

*Creticas excretiones grauia præcedunt ſymptomata, ægriq; maxima perturbatio.*

*Criſis quid.*

*Criſes accidere ſingulis diebus.*

At uerò ipſæ criſes ſingulis diebus accidunt, ſed neq; pares numero, neq; ex æquali fide. Hoc intercedit etiā diſcriminis inter illas, quòd aliæ ſalubres, aliæ pernicioſæ accedant. Quędā enim cum pluribus & difficilioribus ſymptomatibus, & maiori certamine, nōnullæ ſtatim ab initio tutiſsimè eueniunt. Quinetiā in hoc plurimū differunt, quòd hæ deficientes, illæ perfectę ſunt: nec minus, quòd aliæ certis ſtatisq; diebus iudicatæ prius, fiūt: aliæ repentè, & ex improuiſo eueniāt.

*Iudiciorum tot differentiæ quot dierum decretoriorum exiſtunt.*

*Septimum diem eſſe optimum decretorium.*

*Sextum diē eſſe decretorium peſſimum.*

Tot autē iudiciorū, quot dierum decretoriorū, differentiæ exiſtunt. Cæterū in duodecimo & decimoſexto, nullum unq̄ iudicatum uidi. In ſeptimo, ne uel numerare omnes adhuc poſſum. In ſexto iudicātur, ſed cum difficilibus ſymptomatis, & periculo nō mediocri: ad hæc, abſq; fide, imperfectè, obſcurè, ſine notis, & ad perniciem. Etenim multi morbi iudicant ſeptimo die abſolutè pariter & ſecurè, aperteq;, & cum ſignis ſalubribus: duodecimo autē rari adeò, ut nobis nōdum ſint uiſi.

*Iudicationum differentiæ variæ.*

Porrò imperfectā iudicationē uocamus, ubi ex morbo quippiam relinquitur: infidam ſiue incertam, quā morbi ſequitur recidiua: periculoſam, quæ cum grauibus ſymptomatis accidit: obſcuram, quæ citra excretionē, uel euidentem abſceſſum euenit. ſine ſignis euenire dicitur, quæ à nullo priore die indicata eſt: mala, quòd in ægri perniciem omnino deſinat. Rurſus abſolutam eam dico, quæ ex morbo nihil facit reliqui: fidam, firmā, ſecuram, certam, quæ redit nunq̄: tutam, quę ſine periculoſis ſymptomatis accidit: manifeſtam, cui excretio quędam, aut abſceſſus inſignis atq; cōſpicuus adeſt. cum bonis accidit ſignis, quæ ab* indice die præmōſtrata iam fuerit. bona deniq; eſt illa, quæ in ſanitatē deſinit. Cæterū nō ſat eſt, rarò uidiſſe diem aliquem iudicantē morbos, ut is decretorius dicatur, ſed oportet in illo crebrò iudicia fieri: præterea ut criſis ſit bona, perfecta, ſecura, manifeſta, tuta, necnō præmonſtrata.

*Decretorij dies qui exiſtant.*

Quis igitur uel ſeptimum, uel undecimū, uel decimumquartū, uel aliosquoſdam eis ſimiles, nō dixerit decretorios? nemo, opinor, cùm omnes notæ iudicationū in illis adſint. Eſt enim decretoriorū dierū natura quædam propria & eximia.

*Decretoriorum dierum cognitio ad curationes morborum nō leue momētum adfert.*

Quare cognitio ipſorum, ad curationes morborū uō leue momētū adfert: ne uidelicet ijs timeamus, qui fidis diebus ſunt iudicati: aut tenuem uictum eis iniungamus: néue perfidis iudicatos diebus, parū accuratè obſeruemus.

*Septimus dies eſt inter decretorios præcipuus.*

Primū igitur omniū dierum decretoriorū ſeptimū dicimus, idq; nō numero, aut ordine, ſed dignitate & potentia: omnes quippe decretoriorū notas ſortitur. Nam plurimos iudicat, & abſolutè. item cum manifeſta excretione, uel abſceſſu, & ſine periculo uehementi: eſtq; ut plurimū quartus index illius.

*Septimi quartus eſt index.*

Nam ſi urinæ, uel ſputi, uel deiectionis, uel appetentiæ, uel cogitationis, uel ſenſus mutatio manifeſta in quarto die cōtigerit, rationi conſonū eſt, ut ſimilis iudicatio cōſequatur illam in ſeptimo: bona uidelicet, ſi ad ſalutem: mala, ſi ad mortē mutatio illa aſpirauerit. Plerunq; itaq; bona iudicia eueniunt in ſeptimo: quanq̄ nōnulli etiam in eo moriantur, alij euidenti conuerſione ad peiora uergentes, in ſequenti quodam decretorio intereant.

*Sextus dies quātò malignior ſit ſeptimo.*

Sextum uerò diem, quātò pauciores in eo iudicantur, quàm in ſeptimo, tantò eum maligniorem inuenio, ut qui ferè ex aduerſo natura ſeptimo oppoſitus ſit. Quinetiam qui in quarto ad peiorē ſtatū recidunt, plerīq; ſexto moriunt. E cōtrario rurſus ſi bona conuerſio cōtingat, ſeptimū expectabit. Quòd ſi rarò interim ad meliora conuerſionē in quarto die factā excipiens ſextus, eam iudicauerit, dici nō poteſt quanta cū perturbatione, periculo, & metu id fiat, quaſi æger ſtatim adeò fato ſit functurus. Nam ſi quæ excretio accidat, omnino conſternant, pulſus ipſorum cōcidunt, color abit, tremunt & collabuntur. At ſeptimus dies, pro excretionis portione reficit ſemper ipſos magis ac recreat.

*Sexto die qualia excernātur.*

Præterea ſexto die maligna, acria, fœtidaq;* maiori ex parte tum deijciūt, tum uomunt: rarò autē ſudores æquales, toto manātes corpore, calidiq; uiſunt: quales ſi quando oboriant, *intercipiuntur. Interdū parotides malignæ, uel arcuatus morbus, uel alius quidam abſceſſus, alterū certamen, quo diſcutiatur requirēs, emergit. Sed neq; in urinis boni quicq̄ inueneris. Etenim crudę, decolores, tenues, boni nihil, quod ſubſideat, habentes, ſed copia tantū conducens, in die ſexto uiſunt. Atq; hæc moderatiſsima leuiſsimaq; ſuut, quæ illo die incolumi futuro cōtingunt. Nam plurimos

alios syncope statim corripuit, uel sanguinis larga effusione, aut euacuatione immodica exanimauit, uel incatochem aut insaniā perduxit: alijs deniq; perniciē insanabilē conciliauit. Mihi sanè

*Septimus dies assimilatur regi. Sextus dies tyranno similis.*

frequenter in mentē uenit septimi diei naturam regi cuipiam assimilare, sexti uerò tyranno. Ille siquidē longè clementior, ceu benignus aliquis princeps, ijs quos iudicat, uel supplicij partē adimit, uel illustrat uictoriā: hic è contrario, uel pernicie illius, quem iudicandū suscipit, gaudet, uel salute dolet, quæritq; ubi animū expleat, & malè ægrum, qui in ipsum incidit, tractet, & longa punitione exerceat. Est itaq; sextus dies decretorius quidē, sed malus: quemadmodū septimus, bonus.

*Quartus dies ut septimi, sic sexti etiā est index. Septimum qui dies imitentur. Sextum diem qui referant.*

Cæterū sexti diei ut septimi quartus etiā est index. At uerò naturā septimi, maximè imitatur decimusquartus. Proximi his sunt nonus, undecimus & uigesimus: prope hos uerò * septimusdecimus & quintus: post hos quartus: hunc sequunt tertius & decimusoctauus. Sexti autem naturā nullus exactè aliorū dierū imitatur. Si aliquando in octauū diem, uel decimū, subita morbi solutio incidat, similis ferè ei est, quæ sexto accidat. Verū rarò in his soluitur, nec cum fide, nec bene, nec perfectè, sed obscurè simul & citra notas: quare alterius esse naturæ cum supradictis apparēt.

*Dies qui subitò morbos non soluunt.*

Quemadmodū autē in his subitò morbus nō soluitur, ita neq; in duodecimo, sextodecimo & nonodecimo. Medius autē inter eos qui subitò morbū nō soluunt, & eos qui subitam iudicationē faciūt, uidet mihi esse decimustertius. Atq; huiuscemodi quædam dictorū dierū, ad uigesimū usq; differentia est.

*Principium morbi inuenire, laboriosum existit. Initium morbi quod sit.*

Cęterū cùm exactum morbi principiū statuere semper sit laboriosum: morbis ijs, in quibus obscura principia sunt, omissis, decretorios dies in manifestissimis experiamur: initiū morbi tempus illud in uniuersum existimantes, cùm ægri manifestè incipientes febrire decubuerint: id q̃d cœnatis, & exercitatis, & lotis, facilimè subitoq; plerisq; cōtingit. In quē sanè modum Hippocrates iudicationes ipsas, à primo die quo febricitauit homo, nō ab illo quo doluit capite, uel eiusmodi aliud quippiā est passus, accuratè explorauit: q in principijs huiusmodi experientia dierū decretoriorū sit medicis sita.

*Vndecimus quartidecimi est index. Quartus septimi est index.*

Porrò quemadmodū undecimus quartidecimi est index, ita septimi quartus. Si igit uel quarto uel undecimo facto indice, crisis quolibet modo attigerit uel septimū, uel decimūquartū, illorum ipsam crisim esse, arbitrari est opus. At si iudicium extra illos dies cadat, ut neq; in illis incipiat neq; cōpleatur, constat nō adhuc esse dicendum, morbū in septimo aut decimoquarto iudicatum fuisse: uerū in alio quopiam die, qui totā crisim in se comprehendat. Quòd si nullo indice prius habito, crisis cōtingat subitò, duos attingens dies, utriusnam sit distingues, proportione accessionū, natura dierū, numero decretoriorū temporū, ac tempore iudicij exploratis.

*Accessionū proportio quomodo exploranda sit. Iudicia maiori ex parte in accessionibus fiūt.*

Sic autē explorat accessionū proportio. Nam si æger diebus imparibus laborauerit magis, diei imparis erit magis propriū iudiciū: quemadmodū paris, si paribus: quādoquidē in accessionibus iudicia maiori ex parte cōtingūt. Dierū autē natura obseruat hoc pacto: Si ambigas utrū noni diei, uel decimi sit iudiciū, si quidem salubre, perfectum, atq; sine periculo sit, noni est magis: si imperfectum, malū atq; periculosum, decimi.

*Decretoria tempora tria.*

Quod uerò ad numerū decretoriorū temporum pertinet (sunt enim tria: nēpe decretoriæ accessionis initium, decretoriæ motionis principiū, ac deniq; ipse iudicij finis) qui dies sibi tempora duo uendicauerit, magis sibi iudiciū assumit. Sic & ipsum tempus iudicij, utra die longius fuerit, illi magis iudiciū attribui debet.

*Iudicia quæ in ancipiti sunt, quibus diebus sint tribuēda.*

Si itaq; quatuor hæ notæ uno die introducant, huic tu quoq; iudiciū attribues. At si una ex his relinquat, ei ascribes similiter, sic tamen ut iam alterū etiam diem existimes ipsius crisis esse participem. Si uerò æquales sint notæ, iudiciū utriq; diei putabis esse cōmune. Interim non duos modò, sed tres etiā dies iudiciū attingit. Ac tūc sanè, quantū ad temporis longitudinē attinet, medius est præferendus: nō tamē uniuersum ei iudiciū tribuendū.

*Crisis quid.*

At uerò si præceps ac subita in ægrotantis corpore perturbatio, morbi solutionē præcedēs, crisis sit appellanda, utiq; nec primū, nec secundum diem, decretorios esse censebimus.

*Dies primus atq; secundus appellari cretici quomodo possint. Ephemera quādo soluantur.*

Sin autē solutio simpliciter appellanda est crisis, hi quoq; erunt decretorij. Quare omnes febres diariç solutionē partim primo statim die, partim secūdo naucisçunt. Ad hęc perturbatio illa, quæ fit ante exactam solutionē morbi, absoluto sermone dici crisis meretur: aliarum autē nulla absolutè: uerū quæ ad perniciem tendit, mala crisis: quæ autē insigne quidem momentū attulit, morbū uerò exactè nō soluit, deficiens crisis dicatur. Alia quæ insigniter ad peiora declinat, imperfecta simul & mala. In uniuersum autē, quæ omniū crisium notas sortitur, crisis absolutè uocat: aliç autē, cum appositione nominis appellabunt.

*Dierū ordo post uigesimum.*

Quod pertinet ad decretorios dies post uigesimū, equidem uigesimo uigesimūprimū postpono, licet eum illi præposuerit Archigenes. Similiter uigesimumseptimū uigesimooctauo antepono. Habet præterea & trigesimusquartus uim neutiq̃ negligendam: atq; hoc maiorē quadragesimus. His minus decernūt uigesimusquartus & uigesimusprimus, & multò adhuc minus trigesimusseptimus: ita ut in dierū decernentiū, & eorū qui non decernunt, medio collocatus esse uideat, magisq; ex nō decernentibus esse.

*Dies facultatis decernendi omnino expertes qui sint.*

Reliqua multitudo dierum inter uigesimum & quadragesimū, prorsus facultatis decernendi est expers. Ii sunt duodecim numero: nempe uigesimussecundus, uigesimustertius, uigesimusquintus, uigesimussextus, uigesimusnonus, trigesimus, trigesimussecūdus, trigesimustertius trigesimusquintus, trigesimussextus, trigesimusoctauus, ac trigesimusnonus. Atq; usq; ad quartumdecimū quidē, magnæ sunt perturbationes in morbis: proximo loco succedūt, quæ usq; ad uigesimū habent: quæ post hunc ad quadragesimū pergūt, paulatim uehementiā remittūt.

*Dies omnes post quadragesimū concoctione potius morbos & abscessib. quàm crisibus, terminant.*

Dies autē omes post quadragesimū, prorsus languēt, cōcoctione potius morbos & abscessibus, q̃ crisibus, terminantes. Accidūt in his quoq; per excretiones indicia interdum, sed rarò, nec magnā habentia efficaciā. Et frequenter iudicia ipsa pluribus dieb. cōplentur, maximè cùm in abscessum desierint. Ac cæteros quidē post quadragesimū

dies

dies, cõtemnere uidet Hippocrates: sexagesimi tamẽ, octogesimi, centesimiq́ue rationẽ habet. Ab ijs alios quidem septẽ mẽsibus, alios septẽ annis finiri ait, alios uerò in binis annorũ hebdomadis, uel in ternis.

*Septimo quãdo crisis futura sit.*

Vbi igitur morbus acutus nullum signũ periculosum portendat, & quarto die euidens quædã cõcoctionis nota apparuerit, septimo crisis futura est. Quare signa periculosa salutariaq́ue in primis sunt cognoscẽda, unà cum coctionis indicijs, ut hæc præsagire ualeamus. Porrò si periculosa symptomata quarto die adsint, unà cum nota coctionis, iudiciũ, si parib. diebus accessio fiat, sexto expectandũ est: quòd si hunc excesserit, octauo: si imparib. diebus, septimo. Bonis signis apparentib. septimo die discutiet morbus: at letalia signa, cum cõcoctionis notis coibunt nunq̃.

*Letalia signa coire nunquam cum concoctionis signis.*

Hæc autẽ nõ minus q̃ periculosa & salutaria inspiciunda sunt: quia si quarto apparuerint, septimo aderit mors: quę crisis est mala. Cęterũ animũ aduertere necesse est letaliũ signorum magnitudini & copiæ.

*Letalia signa cõsideranda.*

*Dierũ paritatẽ imparitatẽq́ue expendere oportet.*

Si nanq́ue multa & magna die quarto euenerint, accessionibus distinguendũ erit de morte futura, cognoscendũq́ue hominẽ sexto die moriturũ, si diebus paribus ipsa accessio sit facta: quemadmodũ si imparib. septimo. Interdũ sextus hominẽ iugulat, uel si accessio cõrigerit in imparibus, idq́ue propter morbi celeritatẽ, magnitudinẽ, & symptomatũ in quarto die euenientiũ copiã.

*Quartus natura sua est index septimi.*

Est itaq́ue quartus dies suapte natura index septimi: hoc est, si nihil extrinsecus accidat, quod inclinationẽ illius intercipiat. Etenim ubi malũ aliq̃d extrinsecus præter spem euenerit, morbusq́ue peracutus fuerit, & uires ægri imbecillæ, signũ malum, quod quarto die se ostendit, septimũ diem non expectat: uerũ sexto morietur æger, præsertim si paribus diebus accessiones inuaserint. Quòd si nihil extrinsecus sit erratũ, & morbi motus haud ita præceps & uelox, ægerq́ue ualidus sit, si quidem manifestũ in quarto die malum iudicium fuerit, septimo interibit die: si uerò obscurũ, excedet hunc quoq́ue. Iam uerò si accessiones paribus diebus contigerint, octauo: si imparibus, nono æger decedet. At si quarto die bonum indiciũ uideatur, in nullo autem æger uersetur discrimine, fieri non potest, quin septimo die iudicetur morbus, si nihil extrinsecus sit peccatũ.

*Erroribus circa ægrum cõmissis, uirtutem decretorij dies obscurari.*

Cõmittuntur autẽ quædam peccata, interdum quidem ab ægro, interdum ab ipso medico: est cùm assistentium culpa, & ob ea quæ extrinsecus accidunt, similiter delinquatur circa ægrum, unde uirtus diei obscuratur: id quod perpendens Hippocrates ait: Natura quidem sufficit, peccatur tamen in hanc extrinsecus cataplasmate, unctione, totiusq́ue & partis fomentis. Pręterea rursus in ipso statim aphorismorũ initio, id exactius cõfirmans, ait: Oportet autem non solùm ipsum, medicum scilicet, quæ res postulat facere, sed & ægrum, & assistentes, & exteriora. Quo in loco exteriora intelligit omnia illa, quæ extrinsecus accidentia possunt aut obesse, aut prodesse ægrotanti. Hæc igitur quatuor genera, quæ plures habent differentias particulares, * si naturæ motus præpediant, ordinem circuituum subuertunt.* At ubi quartus dies euidens iudicij signum attulerit, si nec medicus quid peccauerit, nec æger, nec ministrorum quisquam, ad hæc etiam nec extrinsecus error admissus sit, necessariò morbus die septimo iudicabitur. Cùm autem omnis circa uictus rationem error, iudicium ipsum impediat, nec uictus ratio proba sine præcognitione uigoris & crisis morbi unquam institui possit, utique non alius quispiam medicus rectè curauerit, alius præsagiet exactè: sed quicunq́ue præstantissimus fuerit, is simul præsagietq́ue & medebitur.

*Victus ratio proba sine præcognitione uigoris & crisis morbi, nunquã institui potest.*

Porrò si leuis error quarto die unà cum bonis indicijs contigerit, eueniet sanè etiam die septimo crisis, non tamen exactè inculpabilis: sin magnus, ut à septimo in sequentiũ aliquem differatur, magnitudo ipsius noxæ iudicabit, an nono uel undecimo die, morbus sit iudicandus. Itaq́ue morbi qui omnino sine periculo sunt, diuturni esse ob delicta solent: qui incolumitatem promittũt, nõ tamen uacant periculosis symptomatis, ob errata letales fiunt.

*Morbi faciles ob delicta producuntur, atq́ue interdum letales fiũt.*

Imò uerò qui minimè existũt periculosi, multis magnisq́ue deinceps cõmissis erroribus, in letalium naturam *degenerant: id quod mirum esse non debet. Nam si in rectè ualentibus delicta grauia, morborum letalium fiunt causæ, quid in ægrotis est expectandum? At uerò si in letali morbo dies quartus signum letale habuerit, septimo die mala expectanda est crisis. Cæterũ si peccatum aliquod nõ ita exiguum interea temporis accidat, septimum diem crisis nõ expectabit: sed si accessiones quidem ipsæ fiant diebus imparibus, morbus autẽ sit peracutus, & peccata non admodum leuia in ipso quarto contigerint, miraculũ nõ est in quinto hominẽ interire. Sin autem accessiones fiant paribus diebus, nec morbus sit peracutus, nec magna læsio erratorũ, sextum diem expectabit. Vbi uerò diem mortis cognoueris, considerandum est inde, in qua potissimum cuiusq́ue accessionis parte æger grauetur maximè, grauioraq́ue adsint symptomata.

*Moriuntur homines in pessimo totius accessionis tempore.*

*Horam crisis posse etiã dignosci.*

Quippe non ignorandum est, in pessimo accessionis tempore hominẽ moriturum. Ac proinde non magni negocij fuerit, uti diem, sic etiam crisis horam prædicere. * Si igitur secundus dies (exempli gratia) & quartus, longè uehementiorẽ accessionẽ, quàm primus, tertius & quintus, afferant, ad sextũ diem mors prædicenda est. Quòd si etiam cuiusq́ue accessionis pars (gratia exempli) sit circa sextam horam grauissima, non fuerit difficile præsagire, in die iudicationis, illa eadem hora hominem moriturum. Nam tametsi speculatione hac interdum falli possimus, maiori tamen ex parte hoc uerũ esse deprehendemus. Cæterũ in omni principio nõ licet futura cognoscere, nisi quis morbi speciem adamussim perspectã habeat. Porrò si quis primo die acuta febre infestetur, nullũ autẽ ei adsit signũ periculosum, sed in urinis aliqua cõcoctionis nota apparuerit, intra quartũ diem soluetur morbus. Si uerò multa letalia signa primo statim die deprehendant, æger intra quartũ morietur. At si acutè febricitet, nullum uerò adsit signũ letale, sed nec aliqua cõcoctionis nota, fieri nõ potest, ut hic quartanus decedat. Quòd si nec cõcoctionis, nec lõgitudinis morbi iudicia adfuerint, in secundo quaternione morbus statũ accipiet.

*Nutriendi modus vnde colligi possit.* *Cibum vberiorem eò dandum quò longius ab fuerit status, & morbus clementior fuerit.*

Si longitudinis Indicia adsint, secundum quaternionem excedet, hoc est, diē septimū: ex qua quidem præcognitione, qualis debeat esse nutriendi modus, perdisces. Siquidem quò longius abfuerit status morbi, ac morbus ipse clementior fuerit, eò nutries uberius. At morbi qui ad decimumquartū omnino sunt crudi, tardiusq; mouentur quodāmodo, nō finiuntur ante quadragesimū diem. Quare signorū uires maximè cognoscere oportet. Vt igit quartus septimi, sic undecimus decimiquarti est index. At uigesimi & uigesimiprimi, index est decimusseptimus: magis tamē uigesimi, ut decimusoctauus* solius uigesimiprimi. Cōsiderare aūt in uniuersum oportet, totius morbi motū, omniaq; indicia & symptomata, ut ritè crisim præsagire ualeamus.

*Decimus septimus est index vigesimi & vigesimiprimi, magis tamē vigesimi.*

## *GALENI PERGAMENI de diebus decretorijs lib. II.*

*Natura in singulis prouidentia.*

QVanta sit prouidentia naturæ, quātus ordo & ornatus in morionibus suis, animalium generationes, ortus, & incremēta indicant. Siquidem cuiusq; animantis conceptui, suū tempus est statutū, natura scilicet ordinatos semper motus seruante. Post partū etiā animantia singula increscunt, perficiuntur atq; fatiscūt, idq; pręfinitis temporibus. Cæterū si recorderis quantopere prouidentia & ordine superetur caduca hæc atq; inferior natura, ab ætherea illa & cœlesti, utiq; huius nostræ substantiæ motui nō ordinē, sed illius perturbationē tribueris: necnō quicquid in ea pulchrū ordinatumq; est & artificiosum, omne id à superna illa natura omnino emanare putabis: sicuti inordinatū omne & erraticum, à nostra proficisci materia. Est autē natura in nobis quædam res ordinata. Quæ quidē ubi superarit materiā proportionibus quibusdā certis, ordinarisq; periodis, suas motiones perficit. At quæ aliquando præter rationē eueniunt, ordinemq; cōfundunt, tunc ipsi obueniunt, cùm nō planè materiam uicerit, sed impeditur ab ea, prohibeturq; moueri proportionib. suis. Si igitur cœlestes substantiæ, necnō quæ terrenis animantibus insunt, certa quadā proportione manifestè mouent, nemini sanè debet uideri mirū, si decretorij dies numerū ordinatum sortiantur.

*Naturam hanc inferiorem à cœlesti magnopere superari, ab eaq; quicquid habet boni, recipere.*

*Natura quid.*

*Septimanam esse perfectam periodum.*

Constat autē unamquanq; septimanā esse perfectam periodum. Quippe mediū ipsius ab utroq; extremo æqualiter distat, ob idq; ad ambo similem cōmunionem sortitur. Etenim quartus dies morbos qui primo die nō cessarūt, soluit: undecimus rursum, q̊s septimus non discussit. Quòd si morbus maior sit, q̄ ut iudicari quarto die possit, solutio quidem ipsius in eodem* præparabitur, finis autem septimo die adijcietur. Pari modo qui septimo nō desierunt, eos natura soluere undecimo die molitur: quare aut in ipso eos iudicat, aut decimoquarto disponit. Verū septimanæ præcipuas sibi uendicant uires, dein quaterniones. Nec negligere tamen oportet dies intercalares, tertium puta, quintum, sextum & nonū. Porrò si in uigesimū diem tres septimanę finiuntur (ut Hippocrates arbitratur) oportet hauddubiè decimumseptimū diem esse uigesimi indicē: excidere autem è primo dierum decretoriorū ordine, decimumoctauū & uigesimumprimū. At si integræ hebdomades connumerandæ sint, decimusoctauus uigesimiprimi erit index: rationem uerò nullam decretoriam habebunt, decimusseptimus & uigesimus dies. Cùm autem nō solùm iudicari morbos decimoseptimo die, sed firmiter iudicari & absq; recidiuæ timore, profiteatur Hippocrates, sanè inter ualidos & primos decretorios debet annumerari. Quare si cōstituamus decimumquartū diem ut finem secundæ, sic initium tertiæ septimanæ existere (quod Hippocratis doctrinæ est consentiens) utiq; decimusseptimus primi quaternionis in tertia septimana erit finis, atq; index uigesimi, tertiam hebdomadam terminantis. Quippe uigesimo die plures absolutè fuisse factas morborū iudicationes, experiētia didicit etiam Hippocrates: id quod naturam decimiseptimi satis abundè cōprobat. Quinetiā in permultis alijs diebus, qui ex ordine decimiseptimi sunt post uigesimum, fuisse morbos integrè ac feliciter iudicatos meminit: ut in uigesimoquarto, uigesimoseptimo, trigesimoquarto, quadragesimo & octogesimo: in nullo autē eorum, qui à decimooctauo procedunt, facta supputatione per septimanas integras, tale quid cōtigisse prodidit: excepto uigesimoprimo, in quo aliquando morbi facta fuit crisis. Constat itaq; decimiseptimi ordinem altero longè fortiorem existere: ipsumq; decimumseptimū decimooctauo, & uigesimū uigesimoprimo, quod pertinet ad iudicandi uim, multis numeris antecellere.

*Septimum diem absoluere, quod quartus non potuit.*

*Intercalares dies.*

*Vigesimum diē esse finem trium septimanarum.*

*Decimum septimum diem esse vigesimi indicē.*

*Decimus quartus vt finis secūda, sic initium tertiæ septimanæ existit.*

*Vigesimo die plures absolutè fuisse factas morborum iudicatiōes*

*Decimiseptimi ordinem, altero qui à decimooctauo fit, longè fortiorē existere.*

Porrò quantò ulterius morbi processerint, diuturnioresq; euaserint, perturbatio quæ præcipitem immutationem præcedit, tantò magis conquiescit: iudiciaq; ipsa tunc paulatim uenientia, duos aut tres dies in totum occupant. Vnde medicorum nōnulli diuturnos morbos minimè iudicari pronunciant. Quanq̄ certè nihil aliud esse iudiciū, q̄ solutionē morbi, uel testimonio Diocłis, liquet. Non tamen putandum est, diuturniores morbos necessariò absq; ulla conspicua iudicari excretione: aut eorum crisim plures semper dies occupare. Aliquando siquidē morbi diuturni fuerūt iudicati die unico, idq; per excretionē. Differūt autē huiuscemodi omnes inter se dies, tum natura, tum usu. Natura sanè, quia omnib. pulchrè euenientibus ad quaternionis circuitus iudicia omnino perueniūt: erratis autē quibusdam, in coincidentes recidūt. Vsu uerò, nam ad futuræ crisis cognitionē quaternionis circuitus sufficit. Cæterū ad iam factam crisim iudicandā, omnibus semper opus est cognitis. Est autē longè tutior crisis quæ nono die accidit, quàm quæ octauo. Porrò certitudo iudicij, ad bonā uictus rationem iudicatis morbo præscribendam conducit. Prænoscere autē quando crisis adueniet, ad nondum iudicatos est necessariū. Dierum igitur differentias haud ignorās Hippocrates, meritò eorū tantū in prognosticis atq; aphorismis meminit, qui secūdum quaterniones inter se cōplicantur. Ait quippe in prognostico: Febres, siue sanus ab ijs quis euadat, siue pereat, æquali dierum numero finiuntur. Verū ut saluberrimæ febres, quę uidelicet tutissimis fulciuntur notis, die quarto uel antea quiescere solent: ita pessimæ

*Crisim nihil aliud esse quàm solutionē morbi.*

*Dierum decretoriorum differentia duplex.*

*Iudicij iam facti & faciendi cognitio, ad quid conferat.*

*Hippocratis de diebus decretorijs sententia.*

mæ quæq;, & quibus periculosissima signa adsunt, die quarto, uel citius interficiunt. Primus itaq; earum insultus sic finitur. Secũdus quaternio in septimũ diem producitur. Tertius in undecimũ. Quartus in decimumquartũ. Quintus in decimũseptimũ. Sextus in uigesimũ. In aphorismis etiam sic ait: Septimorũ quartus est index. Alterius septimanæ octauus initiũ. Contemplatorius autẽ rursus undecimus. Hic enim est quartus secũdæ septimanæ. Cõtemplatorius iterũ decimusseptimus. Hic enim quartus est à decimoquarto, ut septimus ab undecimo. At in primo Epidemiorum, omniũ dierũ mentionẽ fecit, sic dicens: Est autẽ primus decretorius circuituũ, qui paribus diebus decernũt, quartus, sextus, decimus, decimusquartus, decimusoctauus, uigesimus, uigesimusquartus, uigesimusoctauus, trigesimus, trigesimusquartus, quadragesimus, sexagesimus, octogesimus, centesimus, cẽtesimus uigesimus. Eorum qui imparibus circuitibus iudicant, primus est tertius, deio quintus, septimus, nonus, undecimus, decimusseptimus, uigesimus primus, uigesimusseptimus, trigesimus primus.

*Septimus est omnium decretoriorum fortissimus.*

*Quarto diei quæ adsint.*

Decretorius itaq; fortissimus omniũ est dies septimus: quẽ dies quartus prænunciat, hæc duo habens, ut & decretorius sit minor, & index septimi. Deinde undecimus & decimusquartus, eandem naturã & proportionẽ inuicẽ cõseruantes, quã cum septimo quartus. Post hos frequẽter quidẽ decimusseptimus ad uigesimũ, rarò autem decimusoctauus ad uigesimũprimũ, eandẽ rationẽ habet, quã cum septimo quartus, & undecimus cum decimoquarto. Hi igitur quaternario aucti, ad uiginti perueniũt.

*Coincidentes dies.*

Coincidũt eis nonus, quintus, & tertius. Ac plurimos quidem nonus iudicat, secundam uim quintus obtinet, & post hũc tertius.

*Sextus malus est decretorius.*

*Decimus tertius dies in medio decretoriorum & minimè decernẽtium consistit.*

Sextus malus est decretorius. Decimustertius omniũ imbecillimus decretoriorum, cæterũ omniũ qui non decernunt fortissimus, in medio quodã uirtutis utrorũq; est situs. Vehemẽtissimæ itaq; sunt crises, quæ ad decimũ quartũ diem ueniũt. minus his, quę ad uigesimũ usq; pertinguot: iode ad quadragesimũ productæ, adhuc imbecilliores euadunt, sed in illo absolutè exoluũtur.

*Decretoriorum dierum semper proportionẽ seruari.*

Proportio autem dierũ decretoriorũ perpetuò seruaẽ. Vt enim decimusquartus & secundæ septimanæ finis est, & tertiæ principium, ita trigesimusquartus quintæ terminus est simul, & sextæ initiũ. Quare tres septimanæ uiginti diebus semper describunẽ: ideoq; sexagesimus, non sexagesimustertius, decretorius existet. Pari modo octogesimus, & centesimus, & centesimus uigesimus. Respondebit ergo trigesimusquartus decimoquarto circuitus, cùm ex duabus septimanis disiunctus fiat: & quadragesimus uigesimo, ut qui tertiam hebdomadam cõiunctam expleat.

*Circuitus minores qui.*

Dicunẽ autẽ minores circuitus illi, qui diebus quaternis fiunt. Secundas partes obtinent, qui diebus septem cõplentur. Hos accedunt qui septimanis duabus constant, licet imperfecti quodammodo. Omnium perfectissimi sunt, qui ex trinis septimanis conflantur. Morbi tamen ipsi, partim quidem diebus, partim mensibus, partim annis sortiũtur suas iudicationes. Atq; in horũ singulis, differentiæ quædam particulares existunt.

*Curatio adolescentis ualido morbo correpti*

Proponaẽ igitur adolescens ualido morbo correptus, qui in primo quaternione sit discutiendus, in eo certè est aphorismus ille imitandus: Vbi morbus est peracutus, statim etiã extremi dolores adsunt, tenuissimoq; uictu est utendum. Quare nihil ei alimẽti exhibueris: imò etiã ab aqua, quantũ potest, ipsum abstinere iubeto. Si uerò septimo die crisim sit habiturus, paululũ hãc uictus rationẽ immuta, uel mulsam ei exhibens, uel aliã quampiã potionẽ morbi naturæ familiarẽ. Quòd si æger facilè dissoluaẽ inedia, eiusq; offendaẽ uẽtriculus, prisanæ cremorẽ exactè percolatũ quotidie modicè propinabis, memor illius præcepti.

*Consuetudini esse aliquid condonandum.*

Sed aliquid tum cõsuetudinis gratia, tum ne uasorũ magna fiat inanitio, ingerere oportet. At si iam septimus dies instet, nequaq̃ ægrũ nutrire cõuenit, sed pridie, uel antea, minus est exhibendum. Rursus, si tertio uel quarto die morbũ finitũ iri spes adsit, nec malignitatẽ stomachi, nec suspiceris inanitionẽ habitus, ipseq; etiã æger ualidissimis uirib. sit, facileq; longã inediã toleret, nec morbus aut oxymeli, aut mulsam requirat, is certè ad septimũ usq; diẽ à cibis poterit abstinere. Quòd si ad tertium uel quartũ quaternionẽ crisis futura uideaẽ, non ita abstinere potest, nec sola potione seruari.

*Peracutus communiter dicitur morbus qui tantum ad septimum usq; diem extenditur.*

*Peracutus exactè morbus qui.*

*Acutus exactè morbus qui.*

At uerò peracutus morbus uocaẽ, qui tantũ ad septimũ usq; diẽ extendiẽ. Qui longius procedit, simpliciter acutus. Cæterũ exactè peracutus is est, qui usq; ad diẽ quartũ progrediẽ: nõ exactè, qui ad septimũ usq; producitur. Similiter qui usq; ad decimũquartũ extendiẽ, exactè acutus uocaẽ: nõ exactè uerò, qui durat usq; ad uigesimũ: quanq̃ est & ipse etiam acutus. Est & aliud morborũ genus, ad quadragesimũ usq; diẽ perueniẽs, q̃d ab acuto nõ integrè iudicato ducit originẽ. Nõnulli præterea statim ab initio tanquã prohibiti, ad quadragesimũ producunẽ: quorũ duplex natura est.

*Morborũ qui ad quadragesimũ usq; perueniunt diẽ natura duplex.*

*Continua febris dicitur quæ nunquam remittit.*

Aut enim remissiones paroxysmorũ in exactam integritatẽ desinũt, aut semper cõtinua febris perdurat. Noui enim complures ad quadragesimũ usq; diem cõtinua febre cõflictatos esse: sic enim uoco illam, quę nunq̃ remittit: de quib. sermonẽ uidetur fecisse Hippocrates in prognostico, ubi ait: Existimare autẽ oportet, quòd facilis spiratio in omnibus acutis morbis, quibus febris copulatur, quiq; intra quadraginta dies iudicantur, magnũ ad salutem habet momentũ.

*Spiratio facilis in quibus acutis morbis ad salutem magnũ habeat momentũ.*

*Acuti ex decidentia morbi.*

Atq; hoc sanè ultimò prædictum genus, acutum ex decidentia uocari debet. Nullus autẽ morbus à primo acutus in uigesimũ diem illabitur, qui nõ prius iudiciũ expertus sit.

*Diuturni morbi qui.*

Qui uerò ab initio submersi lentiq; apparent, & inde ad quadragesimum perseuerant tales, sed rursus intendi uidentur, hos iure diuturnos appellaueris.

## *GALENI PERGAMENI de diebus decretorijs lib. III.*

IGitur non omnes dies de morbis decernere, experimento cõstat: sicuti & q. septimani circuitus ualidissima sunt uirtute præditi: post hos quaternarij, quidam uerò extra hos coincidant. Imò quòd nec omnes septimanæ inuicem separentur, sed aliquæ ipsarum etiam cõiungantur: nec omnes quaternarij, sed horum aliqui

*Acutis morbis impari dierum numero, longis pari, iudicia ad ueniunt.*

ſeparent, aliqui cõiunguntur. Inſuper, quòd acutis morbis impari dierũ numero, longis pari, iudicia omnino accidant. Porrò cauſas horũ ratione nobis indagantibus, duo prima omniũ quæ fiunt primordia eſſe ſtatuenda uidentur: inordinatum uidelicet, quod ex hac mũdi materie proficiſcitur: ordine uerò ornatuq́ procedẽs, quod cœleſtibus originẽ fert acceptã. Omnia ſiquidẽ hæc inferiora ab illis uenuſtatẽ & ornamentum ſuſcipiunt. Fruimur nanq; ſuperiorum omnium aſtrorũ uirtute. Verũ Sol maximè hunc orbẽ exornat, & cõcinnè diſponit. Quippe ueris, æſtatis, autumni, & hyemis autor nemo alius extat: nec alius tam manifeſtò uel ex terreſtri fęce animalia gignere poteſt, uel maturare fruges, uel ad coitũ & generis propagationẽ animalia incitare. Magna ſanè & Lunę opera in hac rerũ ſubſtantia apparent, uerũ Solis effectibus inferiora. Etenim menſes hęc perpetuò, atq; omnes eius dies diſponit, idq́; euidẽter adeò in marinis belluis: quanq̃ & hoc ipſum Solis beneficio debet. Nouũ enim lumẽ ſortit, cùm Sole primũ fruitur: tantaq́; ſemper eius portio illuceſcit, quantã Sol aſpicit. Prorſus autẽ deficit, luciſq́; expers redditur, ubi terra ſuo inteructu ipſam obtenebrarit. Quapropter à Solis receſſu omnes ſuſtinet mutationes. Etenim plena eſt, cùm diametra apparet. Aequa portione diuiſa, cùm eſt quadrãgula. Gibboſa, cùm triangula. Falcatã ſpeciẽ refert, ſexangularis. Ac tum primũ recens eſt, cùm poſt Solis cõgreſſum oſtenditur. Obſcurat omnino, *cùm ſub ipſo Sole coruſcat. Igitur fructus auget, incraſſatq́; animantia implet, menſtruorũ ſtatutũ tempus conſeruat mulieribus: comitialiũq́; circuitus gignit, *quatenus Solis plus, uel minus participat. Omnia ſiquidẽ quæ facere nata eſt, ubi falcis figurã repræſentat, languida fiunt: inualeſcũt, cùm plena fuerit. Quapropter & fruges interea adauget & maturat celerrimè: ferarũ occiſa corpora in tabem uiſu ſuo reſoluit: ſomnoq́; ſopitis ſub eius lumine, uel aliter immoratis diutius, pallorẽ, & *capitis grauitatẽ cõciliat. Cęterũ ut Luna Solis auxilio in omnibus indiget, ita Sol nihil uel maximi alterius cuiuſdã aſtri, uel ipſius Lunę opem deſiderat. A nullo enim impeditur, quo minus æſtatẽ faciat, cùm in uertice noſtro cõſtiterit: aut frigus adducat, ſi humilis eius curſus fuerit: aut æquinoctiũ utrunq; cõſtituat, cùm modicè obliquus uidetur. Sed ipſe ueluti rex quiſpiam maximus eſt: Luna uerò, ut princeps nõ mediocris inter illum & nos medius cõſtitutus, meritò terreſtrem hanc regionẽ gubernat: nõ potentia cæteros planetas, ſed uicinitate exuperans. Porrò uehementiores mutationes eueniũt, ubi ipſa cum Sole coit: dein autem, in apparitionibus plenilunij: minores his cõtingunt, dum medio orbe apparet: obſcuræ, dum curuata in cornua, & falcata uidet.* Etenim diametra Lunæ ſtatio, ceu diſtinguens diſpeſcensq́; maximè cõtrarias ipſius Lunæ diſpoſitiones (maximè enim Lunæ incrementũ, eiuſdem imminutioni aduerſatur) earũ omniũ eſt ualidiſsima. Dein uerò duę diſpoſitiones dichotomi, in quibus Luna per mediũ uidetur ſecta, utranque ipſius differentiam, dico augmentũ & decrementũ, ad æquilibrium ſecant: prior quidem augmentũ, decrementũ ſecunda. At omniũ extremę obſcuriſsimæq́; aëris nos ambientis *permutationes in falcatis, incuruiſq́; apparitionibus fiunt. magis autẽ, in ipſis incuruis. Iam uerò plenitudines Lunæ, celerrimas mutationes efficiunt: nouilunia uerò, inæquales, diuturnasq́. Nam quid ante Lunam apparentẽ manifeſtè pronũcies, nõ eſt. Longum autẽ hoc tempus occultationis eſt, integri ferè ſigni curſum explens. At mutationẽ ex incremento ad imminutionẽ, punctum exactè diſtinguit: quod punctum à Luna quaſi momento abſoluitur. Quare breues plenilunij cõiunctiones exiſtunt, diuturnæ coniunctionales. Tuta igitur criſis euadet, quãdo in toto menſe ſtatus ſecũdo die fiet, quo primo & manifeſto Luna, & longo ſatis tẽpore ſuper terrã iam apparet, & lumen ſenſibile de ſe mittit, ad hæc umbram euidenter oſtendit. Primus autẽ dies tandiu Lunã ſupra terrã uagantem habet, quandiu adhuc Solis etiã lumen poſt occaſum retinet. Quare in hoc Luna ſimul cum Sole occidit: ſubinde uerò & prior eſt occidua, et ſecunda die prius eluceſcit: nunc minus, nũc magis apparet. Atq; hoc ei accidit longitudine à Sole receſſus. Plerũq; autẽ Luna triduò in coitu Solis morata, planè inuiſibilis eſt: quo nõdum hæc terrena immutare poteſt. Cuius circuitus uicenis diebus ſeptenisq́, & tertia ferè diei parte peragitur. In tanto enim tempore totũ ſigniferi circulũ percurrit. At quòd is circuitus, quo nobis luceſcit, eidẽ quoq; numero cõueniat, perſpicuè intelliges, ſi occultationis tempus ex toto menſtruo tempore eximas. Quòd autẽ menſtruũ tẽpus nõ omnino triginta diebus conſtet, ſed minus unius ferè diei dimidio: quodq́; menſium alius quaſi mutilus & imperfectus, dies uigintinouem ſortiat: alius uerò, nempe abſolutus, triginta, liquidò conſtat. Quemadmodũ igitur annũ integrũ Sol abſoluit, ita Luna menſem, immutatione per ſeptimanas ei accidente. Nam utrunq; tempus, & quo poſt primã apparitionẽ in mediũ orbem accreſcit, & quo inde plenã efficit, ſeptem diebus abſoluitur, ambo quatuordecim. Similimodo, ſi inde, cùm æquali portione eſt diuiſa, ad ſecundam diuiſionẽ eiuſmodi rationẽ ſubduxeris, & hos dies, reliquosq́, cùm planè ab oculis Luna declinata eſt, ſeptẽ inuenies. Quòd autem aër nos circũſtans, maximas mutationes ſortiatur, dum Luna primũ occultatur, ac dein rurſus ſe oſtendit, nemo mortaliũ ignorat. Itaq; mẽſem à Luna immutari ſecundũ ſeptimanas, ac proinde cætera omnia, admodũ eſt perſpicuũ. Iam uerò quæ omnib. ſubſiſtentibus accidunt, horum cauſam Luna habere obſeruata eſt, maximè in tetragonis & diametris ſtationibus ea immutans. Nam ſi Luna in tauro exiſtente ſemen conceptũ fuerit, uel etiã partus cõtigerit, magnas eius mutationes inuenias, cùm in leone, ſcorpio, & aquario ſigniferũ ambit. Verũ in leone tetragonos ſeptimanæ unius exiſtit: in ſcorpio diametra duas ſeptimanas habet. Ita quoq; in aquario, ſecunda quadrangularis ſtatio neceſſariò in tertiam ſeptimanam procedit: quòd Luna uicenis diebus, ſeptenisq́, & particula quadam adiecta, maximè tertia diei parte, uniuerſum ſigniferi ambitum peragat.

*Inferiora hæc omnia recipere ornamentã à ſuperioribus.*

*Sol autor temporum, animalia etiam gignit.*

*Luna opera Solis effectibus inferiora.*

*Luna mẽſes atq; dies eius diſponit.*

*Nouilunium quando fiat.*

*Lunam quando deficit lumen.*

*Lunam à ſolis receſſu ſuas omnes mutationes recipere.*

*Lunares forma.*

*Luna opera inualeſcere, quum ipſa eſt plena.*

*Luna eis qui ſub lumine ipſius morati diutius fuerint, pallorẽ, & capitis grauitatem conciliat.*

*Luna Solis auxilio eget.*

*Sol nullius aſtri opem deſiderat.*

*Temporũ ortus.*

*Sol ueluti rex quiſpiam maximus eſt.*

*Luna eſt ueluti princeps inter ſolem atq; nos medius.*

*Mutationũ quæ à ſecultatelunæ proficiſcũtur differentiæ multiplices.*

*Lunæ occultationis tẽpus quam longum ſit.*

*Plenilunij cõiunctiões breues exiſtunt, diuturnæ coniunctionales.*

*Criſis tuta quãdo accidat.*

*Lunæ circuitus uiginti ſeptẽ diebus & tertia ferè diei parte peragitur.*

*Menſis non omnino conſtat triginta diebus.*

*Sol annum abſoluit.*

*Menſem à luna immutari per ſeptimanas, ut alia omnia.*

*Lunæ motũ eſſe cauſam omniũ permutationũ, quæ in corporibus accidunt.*

*Lunã indicare felicẽ aut infelicem progressum exitũq; non modo ægris, sed sanis etiam posse.*

peragat. Nec uerò ægris tantũ luna, sed etiã sanis, dies quales tandẽ futuri sint, prænũciare potest. Etenim Luna, si planetas salutares ac tẽperatos aspexerit, faustos ac bonos ꝑducet dies: molestos autẽ, si intemperatos. Ad hęc, alterationes magnas, quas in tetragonis & diametris per septimanas fieri diximus, in letalibus quidẽ morbis, letales & ipsas: in salubribus, bonas euenire est necesse. Lunæ igitur tetragonæ, diametræq́ stationes, in principiis bonis, bonas faciunt alterationes: in malis, malas.

*Circuituũ differentia.*

Circuituũ autẽ alij numero quodã dierũ cõstant, alij mensibus. Cæterùm qui diebus cõstant, septimani sunt, & Lunæ modo incedũt. Qui mensibus, ad Solẽ referunť, eodem modo euenientes. Ac sic illud intelligendum est, q̃d ait Hippoc. æstiuos morbos hyeme, hyemales æstate solui.

*Diuturnorum morborum iudicationis cõstitutum tempus, est annum.*

Hoc enim diuturnorũ annaliúmue morboeũ iudicationis tempus statum est, quẽadmodũ acutorũ decimusquartus. Cùm enim à mensis principio adusq; pleniluniũ tempus, totius lunaris ciecuitus dimidiũ existat, eandem rationẽ habet cũ interuallo, q̃d ab hyeme ad æstatẽ usq; intercidit. Quinenã à plenilunio ad occultationẽ tempus, spacio q̃d ab æstate ad hyemẽ usq; porrigiť, proportione respõdet. Sed horũ utroq; bifariã secto, in acutis morbis est septimana: diuturnis, clarissimorũ syderum exortus: quorũ ratione ver, æstas, hyems, & autumnus, describunť. Quemadmodũ autẽ septimana acutorũ morborũ est decretoria, sic temporis anni mutatio, diuturnos morbos discutit: ut hyeme quidẽ constitutũ moebũ ver dissoluat: in ueee conflatũ, æstas. Simili ratione per æstatem cõtractum, autũnus: in hoc paratũ, hyems. Cæterũ anni tempora singulis partibus bifariã diuisis, mensis quaternionib. proportione respondent. Et quemadmodũ anni temporis cuiusq; & initiũ & finis, syderũ manifestorũ ortu & occasu describitur: ita etiã medietas singuli, alterius rursus syderis exortu distinguiť. Itaq; uniuersas particulares morborũ mutationes, uel tanq̃ ad proprinm ipsorũ principiũ, uel ambientis nos aëris conuersionẽ, euenire est necesse. Qui igitur ex proprio principio mutanť, Lunã sequuntur: qui uerò ceu ab aëre nobis circunfluo immutanť, in toto quidem anno, Solem: in singulis mensibus, Lunam.

*Mutationes ualidissimas esse quæ cuiq; per septimanos dies propriè cõtingũt.*

Hinc iam accidit, mutationes ualidissimas esse, quę cuiq; per septimanos dies propriè cõtingũt: q̃uis ipsis ferè cõmisceanť, quas aër excitat. Atq; in acutis quidem morbis coincidentes decretorij sunt plures: quoniã & corpus mutationi accõmodum, in motu & perturbatione uehemẽti cõstitutũ est: in longioribus, uia & ordine magis septimanarũ circuitus procedit.

*Tertiũ diem esse principium decernentiũ acutè.*

Principiũ igitue dierũ qui acutè decernũt, & cum quadam pertuebatione morbos immutãt, tertiũ diẽ ab ipso principio statuere oportet: quippe qui nullã iam cũ prima septimana cõmunionẽ habeat, sed ex coincidentib. fit.

*Excrementa cur interdũ citius, interdũ tardius quàm oporteat à natura expellantur.*

*Expultricẽ vim crises in morbis facere.*

Iam uerò perturbationis uiolẽtia, naturã ea quæ molestant, etiã ante tempus propulsare cõpellit: id quod alioqui nunq̃ factura fuisset ante coctionẽ perfectã: qua interdũ iam absoluta, sæpius tardari solet, propter facultatis (quæ aliena excernit, & crises in morbis efficit) infirmitatẽ. Fiũt itaq; iudicationes optimæ, cùm iam omnia in animantis corpore fuerint accuratè cõcocta.

*Crises optimæ quando fiant.*

Perniciosum autẽ est, si quando ipsa crisis præueniat. Nam idonea simul cum ijs quæ lædũt, excernunť: id quod fit natura incitata, uel ab exteriore quodam, uel ab ijs quæ in ipso corpore detinent.

*Accessio morbi naturam cõmonet.*

Atq; unũ quidem ex illis quæ naturam stimulant, & uelut prouocãt, accessio est, nullam quietẽ, nec moram cõcedens, uerũ incitans, mouensq́; & ceu pugnã indicens.

*Acutorum morborũ iudicia in diebus imparibus fiunt, quia & accessiones.*

Vnde acutorũ morborũ in diebus imparibus iudicium contingit. In his enim & accessiones fiunt. Nam secunda accessio ab initio ad tertiũ diem delabetur, tertia ad quintũ, quarta ad septimũ, quinta ad nonum, omnes deniq; in imparibus fient.

*Dies non primariò, sed ex accidenti decernũt.*

At dies ipsi primariã decernendi uirtutẽ nõ habent, sed per accidens id cõsequunť: quòd uidelicet in accessionibus iudicentur morbi, illę autẽ in dies impares incidant. Neq; enim septimi, uel quarti numerus, crisis est autor: sed quòd Luna innouante, & terrena immutãte, motuũ quoq; circuitus ad hos principes numeros uenire cõtingat, meritò in ipsis tanq̃ stata alterationũ tempora inueniunť. Quippe mutationes nõ numeris, sed Lunæ terrena debent. At cùm id quod mutat in motu cõsistat, tempus mutationibus necessariò coniunctũ est: quare necessariò & numerus. Luna itaq; omnia terrena immutat, atq; in septimanis præcipuè magnas mutationes inducit: dein autem paruas in quaternionib.

*Dies tertius & quintus qua ratione decernãt.*

Porrò tertius & quintus dies decernũt, nõ ex lunari circuitu talẽ facultatẽ sortiti, sed quòd tertius uiolenta accessione crisim quarto die futuram præuertat: natura autem quarto die defatigata, minimeq́; irritata conquiescat, ac postea in quinto ad iudicium moueatur.

*Noni diei facultas.*

Iam uerò & nonus, inter duos decretorios septimũ & undecimũ medius, uel non factum in septimo die iudicium, uel undecimo futurum, ipse sibi uendicat: at rarius quidem septimi, sæpius undecimi assumit crisim. Porrò in diuturnis morbis, ut accessionis uehementia, sic numerus coincidentiũ dierũ minuitur.

*Peracutos morbos (quorũ ultimus decretorius est septimus) in omnibus ferè diebus iudicari cõtingit.*

In omnib. autem ferè diebus peracutos morbos iudicari cõtingit, quoniã ultimus decretorius ipsorũ est septimus: & ante hunc nõ quartus modò, sed tertius, quintus & sextus aliquando decernunt. At peracuti omnes morbi uel cõtinuam febrem, uniformemq́;, à principio usq; ad crisim sibi habẽt comitem: uel aliam, quæ etsi manifestas habeat declinationes & accessiones, non tamen tertio quoq; die manifestas tantùm habet, uerũ in ipsorum quoq; dierum medijs, quemadmodũ & semitertiana.

*Peracutorum morborũ duplex differentia.*

Proinde prima peracutorũ differentia, ueluti una quædam accessio est. Quamobrem nihil (quantum ad accessionem pertinet) impares paribus præstant, cùm febris singulis diebus æqualis existat. At in altera differentia, cùm quidem ueluti ad septimũ diem festinat, & secundùm ipsius rationem in eodem finiturus est: mediæ uerò accessionis magnitudo, naturã ante suum tempus uenire ad crisim compellat, uel si extrinsecus aliquid eueniens ipsam irritet, crisis hauddubiè sexto die prærumpet. Etenim in secundo die natura aliquo modo est ualida: item in quarto magis q̃ in sexto: sed nondum in certamen uenire audet: in sexto autẽ accessionis

uehementia frequēter eam ad certamen pronocat: quare uel in eo deijcit prius, q̃ quæ infestant excreuerit, extinguiturq́: uel eorũ magnã partẽ propulsat: reliquũ uerò adhuc nõ potest, sed imbecilla & defatigata prorsus cadit, & uicta iacet. Deinde si postero tempore recreari ac refici possit, morbũ paulatim concoquit. At si morbi reliquiæ robore illius maiores sint, tandiu æger superuiuet, quãdiu natura sufficere poterit: morietur tamen postea.

*Vigesimus cur decernat magis quàm uigesimus primus.*

Decernit autẽ uigesimus, & uigesimusprimus, sed multò magis uigesimus: quoniã huiusmodi morbus diuturnus iam est, & paribus diebus accessiones fiũt: dein, quia septimana nõ integris septem diebus constat.

*Annus.*

Etenim uti annus ad trecẽtos sexagintaquinq; dies particulam diei maiorẽ quarta adiectam habet:

*Mensis.*

*Septimana.*

ac mensis ad triginta dies absoluendos, unius dimidiũ desiderat: sic & septimana, sexta maximè diei parte, ut septẽ integros habeat, indiget. Quãobrem tres septimanæ nõ unũ & uiginti dies integros, sed minus ferè unius tota dimidia parte consequunt. Ob quod etiã, numerũ huiuscemodi nõ magis uiginti, q̃ uni & uiginti diebus uicinum, utriq; parti cõuenire uideas.

*Vigesimus dies quos morbos iudicet.*

Quoniam igitur uigesimus exactã periodum propinquã sibi uendicat, tales iam morbi inueterascũt, & accessiones paribus diebus accipiũt. Quorũ autẽ accessiones in imparib. accidũt, horũ & iudicia ad uigesimũprimũ delabunt.

*Apparitionis lunæ tempus quãtum.*

Non solũ autẽ Lunæ circuitus, sed menstruũ etiam tempus apparitionis, uirtutẽ quandã in nos possidet. Quod quidem tẽpus, septẽ & uiginti dies propèmodũ necessariò cõtinet: ideoq; septimana eius minor adhuc prius dicta meritò euadet. Siue em̃ à triginta, tres illos coitionis dies, in quibus nihil de aëre decernit, auferre cogites, siue à uiginti nouem cum dimidio, reliquũ tempus, quo Luna manifestum de se lumen præbet, priore modo septẽ & uiginti dies, altero uigintisex & dimidium habebit. Cùm ergo apparitionis manifestę efficacisq; tempus sit dies uigesimussextus & dimidius: signiferi uerò circuitus expleant uigintiseptẽ dies cum tertia unius parte, liquet mediũ ipsorũ fore uigesimũsextum diem, ad hæc dimidiũ, & tertiã maximè & duodecimã unius diei partem. Horũ itaq; nihil supputari potest per dies integros citra fracturam, nec septimana, nec quaternio, nec mensis, nec annus, nec aliud quicq̃ omniũ. Quoniam uerò inter septimanas ipsas duæ solùm primæ separant, tertia copulatur: perspicuũ est quaterniones quoq; nõnullos necessariò cõiungi, alios separari.

*Quaternionum qui separentur, & qui inuicem coniungantur.*

Itaq; secũdus ternio & primus coniungent, quòd unius septimanæ primæ bifariã diuisæ particula uterq; sit. Tertius à secũdo disiunget, quoniã & septimana secũda à priore distincta est. Tertius autẽ quarto copulat, quoniã secundæ septimanę uterq; particula est. Hic itaq; rursum quartus propter terniã septimanã secũdę cõiunctam, quinto copulabit. Adiunget etiã sextus quaternio quinto, in decimoseptimo die, tanq̃ tertiæ septimanæ pars uterq; existens.

*Acuti morbi omnes sunt temporis exigui, nõ tamen omnes breues morbi contrà exiſtunt acuti.*

Porrò fallunt nõnulli medici, omnẽ morbũ breuem esse acutũ existimãtes: sicuti & omnẽ tardũ, diuturnũ. Siquidẽ omnis acutus (qui ex motus celeritate hunc in modũ uocat) planè exigui est temporis: & omnis diuturnus, necessariò tardus. Nõ tamen si breuis temporis sit, acutus statim fuerit (cùm multæ ephemeræ lõgè breuissimę sint, omniq; periculo uacẽt) nec si tardus, longi tẽporis.

## GALENI PERGAMENI
### *de crisibus lib. I.*

*Tempora totius morbi sunt quatuor.*

TOtius morbi tẽpora sunt quatuor in uniuersum: principiũ uidelicet, augmentum, status, & declinatio. Quædam uerò ægritudines ob earum malignitatẽ, atq; ægrotãtis imbecillitatẽ, in ipso statim *augmenti tempore hominẽ iugulant: sicuti & quędã aliæ in uigore.

*Tempora morbi non definiri dierum numero.*

Definiuntur autẽ ea tempora minimè dierũ numero. Porrò an ipse morbus augeat, nõ ex eo tantùm cõiecturari oportet, quòd accessiones anticipent (sæpe enim talis anticipatio, morbi proprietatẽ consequit, potius q̃ incrementũ, cùm & quartanæ, & tertianæ, & quotidianæ febris quidam circuitus usq; ad integrã solutionẽ ita anticipare sint uisi) sed quòd etiã longiores & maligniores existãt: id quod similiter est in intermissione & declinatione considerandũ.

*Anticipatio accessionis nõ semper morbi incrementũ arguit.*

*Incrementũ morbi unde conijcere oportet.*

*Intermissio.*

*Declinatio.*

Voco enim intermissionẽ, quãdo febris in quietem desierit: declinationẽ, omnẽ eius partem, quæ uigorem ipsum subsequit, usq; ad secũdæ accessionis principiũ.

*Morbi crescentis ad magnitudinem nota.*

Etenim si accessio (exempli gratia) cõsuetam anticipet horam, longior etiam fiat, & uehementior, maligniorq́, & cũ multis prauisq; symptomatis accidat: ad hæc, ipsum declinationis tempus fiat breue, nec omnino facilè, nec *symptomatum accessionis omnino expers, is certè morbus ad magnitudinẽ crescit.

*Declinationis morbi argumenta.*

Si uerò accessionis initiũ tardet, longitudo autẽ eius ac magnitudo minor existat, cesset q́; etiã malignitas, necnon intermissio uel declinatio fit facilis toleratu, longiuscula, omniaq; accessionis delens * symptomata, hauddubiè declinationis morbi hæc fuerint aperta indicia.

*Morbi uigentis indicia.*

Vbi uerò quæ ad accessiones duas pertinent, æqualia fuerint, morbum demonstrant cõsistere. Quare Hippocrates ait, ad morbi incrementũ noscendũ, esse accessiones inuicẽ conferendas. Iam uerò sæpe quidẽ in morbis nullum reperitur sensibile ipsius uigoris tempus: sed habente adhuc quarta (si ita cõtigerit) accessione indicia augmenti, quinta superueniet accessio, declinationis habens principiũ. Simile quiddam accidit in morborũ augmentis. Nam sępe prior accessio principiũ simul habuit, ascensumq; & uigorẽ: dein secũda uidet manifestè inclinare. Generosi autẽ medici est munus, futurum statũ pręcognoscere, cùm omnẽ uictus rationẽ ad ipsum inspiciẽs instituat.

*Status morbi docet qualiter quãta uictus ratio esse debeat.*

Eadẽ ratione principiũ atq; augmentũ morbi, nõ ubi iam perfecta sunt, sed multò antea præstat cognoscere. At accessiones & cõstitutiones (quemadmodũ inquit Hippoc.) morbi indicant & anni tempora, & circuituũ successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue in longiori tempore fiant. Præterea si in laterali morbo sputum statim appareat, incipientẽ morbũ facit breuiorẽ: si uerò posterius, longiorem. Porrò quæ propria sunt morbi accidentia, simul cum morbo inuadunt, incipiũtq;: reliqua uerò omnia mox apparent.

*Pleuritidis propria symptomata.*

rent. Inuadunt igitur unà cum laterali morbo febris acuta, lateris dolor pungēti similis, tussis, & difficilis respiratio. Mox autē apparēt quædā, ut ipsi morbo propria: nōnulla ut cōmunia omnibus febricitantib. Propria sanè ipsius morbi, primùm quidem, si nihil cum sputo educat: q̃d sufficiens crudi morbi est indiciū. Secundò autē, si educat quidem, sed non bonū. Est autē & hoc duplex: unū quidem, quod solū caret coctione: alterum uerò, quod etiā praui existit. Ab his omnibus, id quod coctū est, separatur: quod etiam propriè sputū appellant. Si igitur hoc statim appareat, morbum facit breuiorē: cùm uerò nullo modo educitur, aut crudum, longitudinē morbi ostendit. Si quid autē prauū expuitur, periculum imminere significat: mortē uerò, si prorsus malignū fuerit. At quæ propriè expuitiones uocant, ex his, quęcūq; subflauę, & subrufſæ, & subpallidæ, & subspumosæ, & tenues existūt, sòlam cruditatē significāt: nullū uerò insigne malū prænunciant. Quæ uerò sine alia cōmistione sunt flauæ, rufſæ, crassæ, spumosæ, uirides, uiscosæ, rotundæ, atq; his etiam magis nigræ, sunt perniciosæ. Pręterea facilitas expuitionis, bona est: ut difficultas, mala: id q̃d pulchrè in prognosticis docuit Hippocrates, dicens: Sputū oportet in omnibus doloribus, qui pulmonē & latera infestāt, celeriter expui ac facilè, cōmistumq; uehementer uideri flauū sputo. Eadem autē & in urinis, & in alui excrementis facienda distinctio est, quā in ipsis sputis fecimus. Siquidem nōnulla eorū, coctionis sunt signa: nōnulla uerò cruditatis: quædam mortis indicia existunt. Etenim ut nigrum sputū, præter id quod crudū est, etiā mortē portendit: sic & urina nigra, nō cruda solùm, sed etiā letalis existit. Est autē simpliciter crudū, quod album est ac tenue: quod aquosum uocamus. Porrò quoties de principio morbi fecit sermonem Hippocrates, nō de indiuisibili illo primæ accessionis insultu, in quo nihil possumus obseruare, sed de alio quodā principio, q̃d sensibilē habet latitudinē, nobis suā mentē exposuit. At uerò principiū secundum latitudinē, cōmuni quadā imaginatione, absq; ullo artificio, continet in prima accessione. Atq; idcirco quædā statim cùm incipiunt, statum accepisse dicunt, quemadmodū in primo Epidemiarū, ubi ait idem Hippoc. Statim enim continua est, quæ incipiens florescit ac uiget. Nam uerbum illud, *incipiens*, non dicitur hoc loco de uero morbi tempore, sed de eo q̃d subsequitur exquisitū principiū, quod ut plurimū ad tertiū diem extendit. Cuiusq; itaq; partis superfluitas, eam quæ illi inest dispositionē ostendit: si cocta quidem fuerit, salubrē: cruda autē, ęgram. Alui excrementa (Hippocrate autore) optima sunt quæ mollia & cohærentia existunt: & quæ eandem exitus horam seruāt, quā in sanitate habuerunt. Quantitas uerò esse debet pro ratione cibi, qui assumit. Nam si exeuntia talia fuerint, uentrē inferiorē sanescere indicant. Et sputum quoq; cùm fuerit exquisitè simile illi quod sanis aduenit, integram sanitatē instrumentorū respirationis significat. Si quo modo autē à naturali modo recesserit, tantū ea læsa esse demonstrat, quantū ipsam formā naturalem amiserit. Quod uerò illi quod secundū naturā est, maximè cōtrarium uidet, existit crúdum, magnamq; patientiū membrorū imbecillitatē indicat. Quod uitiosæ causæ aliquod signū habuerit, quemadmodū nigrum, est perniciosum. Ita etiam in urinis res habet. Nam & hæ, quæ satis similes sunt, uenosum instrumentorū genus satis robustū esse indicāt. Quæ uerò crudiores sunt, eiusdem imbecillitatē significant. Rursus quæ maximè sunt sanis contrariæ, hæ quidem omnino sunt crudæ, & maximam uniuersi uenosi generis imbecillitatē declarant. Quæcūq; uerò & superantis causæ prauitatem ostendūt, ueluti nigræ, hæ sunt penitus exitiales. Hęc itaq; tria signorū genera, singula quęque coctionis præbent indiciū: urinæ quidem, eius quæ fit in uenis: deiectiones autē, eius quæ in uentre: sputa uerò, eius quę in respirādi instrumētis. Sanguinis autē profluuiū è naribus, sudores & tumores qui iuxta aures fiūt, reliquiq; defluxus, si in tēpore quidē fiant opportuno, prodesse possunt: intēpestiua autē, nihil iuuāt. Non sunt autē eadem decretoria, & quæ coctionis indicia dicunt. Siquidē fieri nō potest, quin ista omnino uel bene, uel malè se habeāt. At cōcoctionis signa, salutē quidem hominis, nō tamen per crisim omnino, futurā nobis ostendūt. Porrò in febribus uniuersis, quoniā uenosi generis sunt passiones (nam & arterias in hoc genere cōprehendimus) ad urinas præcipuè attendere oportet. In ijs aūt qui laterali morbo afficiunt, primū quidē sputa, secūdo loco urinas: quoniā is morbus omnino cum febribus iungit. vt in passionibus uentris, si sine febre fuerint, sola excrementa inspicere oportet: si autē cum febre, etiā urinas. Propriū igitur uniuscuiusq; morbi principiū, coctionis signis determinat: potestq; usq; ad multos quaterniones extendi. Cæterū tunc finiet, cumprimū cōcoctionis signa apparuerint. Reliquū uerò deinceps tēpus usq; ad statū, iam alterū tempus est, q̃d augmentū & ascensus uocat. Dein posthac, status: qui est uehementissima totius morbi pars. Vltima uerò omniū est declinatio. Coctionis igitur signa (sæpius enim quæ utilia sunt, repetere cōuenit) nunq̃ malè apparent: decretoria autē, est ubi malè: neq; enim in augmentis, neq; in principijs, sed in statibus illa apparere cōuenit. Quippe nec sudores, nec uomitus, nec alui excremēta, nec tumores post aures, nec profluuia sanguinis, ante cōcoctionē morbi uenientia, unq̃ per crisim finierūt morbos. Hæc igitur iam ueluti causæ, morbos credunt soluere: quæ uerò ueluti horum indicatiua sunt signa, deliria existūt, uigiliæ, graues sopores, dolores, lachrymæ, respirādi difficultates, oculis tenebræ obortæ, & quæcūq; similia: quæ omnia si absq; coctionis signis in morbi principio appareāt, pessimarū sunt dispositionū indicia. At reliqua tria quę coctionē ostendūt signa, etiam si in prima protinus accessionis hora apparuerint, ad bonū apparent. Sicuti igitur nō habet exquisita principij cognitio, anteq̃ incipiat ascensus: ita neq; ascensus, anteq̃ status inuadat. Exercitandū itaq; hoc in loco est, ut ingruentē cognoscamus statū: deinde, ut pręcognoscamus. Quòd uerò principiū morbi intellexerit Hippocrates esse, totum illud

*Spuere nihil, signum esse crudæ pleuritidis.*

*Sputum non bonum, duplex.*

*Sputum concoctum, morbū facit breuiorem.*

*Sputū prauum malignumq;, periculum atq; perniciem indicat.*

*Expuitiones quæ perniciosæ existant.*

*Sputum facile, bonum.*

*Vrina nigra, perinde vt sputum nigrū, mortem prænunciat*

*Principiū secundum latitudinē continere in prima accessione.*

*Superfluitas partis cuiusq; illius propriā dispositionem indicat.*

*Excrementa alui qualia esse debeant.*

*Vrinæ indicant concoctionē quæ fit in venis.*

*Decretoria signa à signis concoctionis quomodo differant.*

*Febres esse affectus venosi generis.*

*Vrinas esse spectandas in febribus.*

*Sputa esse inspicienda in pleuritide.*

*Principium proprium cuiusq; morbi, coctionis signis determinatur.*

*Augmenti temporis quod sit.*

*Status est vehementissima totius morbi pars*

*Declinatio.*

*Decretoria signa ante concoctionem venientia, nunquā per crisim finierunt morbos.*

*Concoctionis indicia, quocunq; tempore appareant, salutis apparent.*

*Statum morbi esse cognoscendū atque præcognoscendum.*

tempus quo ipse morbus est crudus, colligere ex hac eius dictione licet: Cōcocta medicari & mouere, nō cruda, nec in principijs, modò non gliscant. Eòdē illa pertinēt: Quicūq; inflāmationes statim in principio morborū soluere tentant, ex eo quidem q̄d distentū est atq; inflammatū, nihil adimūt: neq; enim cedit cruda adhuc passio: quę uerò morbo resistunt, & sana sunt, colliquescere faciūt.

*Inflāmationes non esse statim in principio soluendas.*

Præfinies autē manifestū aliquē terminū ultimæ parti ascensus, quemadmodū fini, si status indicia inspexeris, memineris'q; Hippocraticarū admonitionū, quibus ait: In principijs quidem omnia suot imbecilliora, in statu uerò, fortiora. Ad hæc: Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores.

*Incrementi terminus vnde possit dignosci.*

Cōntingit autē nōnunq̄ duas accessiones, ubi maximæ aliarū factæ fuerint, inuicem uerò æquales, circunscribere ipsius uigoris tempus: nōnunq̄ uerò unā omniū aliarū præcedentiū reliquarumq; sequentiū, esse maximam. Ad tres autē extendi accessiones uigoris tempus, in morbis acutis nō admodum accidit: in diuturnis uerò, nō modò ad totidē, sed ad longè plurimas.

*Vigoris latitudo in morbis, quāta esse soleat.*

Alui igitur excrementū optimū (ait Hippocrates) est molle atq; coniunctū, quod ea hora exierit, qua tempore sanitans consueuerat. Quantitas uerò eius, sit pro ratione cibi assumpti. Tale enim uim cōcoquendi in inferiori uentre ualidā liquidò ostendit, ac digestionē optimè fieri, nullamq; uentris partibus inflammationē inesse.

*Excrementum alui laudabile quale nam esse debeat.*

Nō meminit autē coloris ipsius excrementi, quoniā nō magnā uim habet ad inferioris uētris indicandam dispositionē. Iam uerò tale excrementū coniunctū cùm sit, necessariò etiā erit & læue. Quòd si præter dicta, etiā subrufum fuerit, & nō admodū fœtidum, exquisitè secundum naturā se habebit: ac neq; in uētre, neq; in circunstantibus organis, aliquod erratū esse significabit.

*Excrementorū color, non magnā vim habet ad inferioris vētris indicādam dispositionem.*

At si uel rufum purū, uel nullo modo subrufum extiterit, sed etiam secundum ciborū colorem, alterū duorū significat, scilicet plus rufæ bilis in uentrem defluere, aut nihil omnino. Horū uerò primū quidem si circa initia fiat, biliosiorē morbum ostendit: si uerò declinationis tempore, corpus expurgari integrè. Incoctum autē alui excrementū est album, tenue, asperū, humoris expers, ac ciborū retinens qualitatē.

*Excrementum incoctum alui, quale nam esse soleat.*

Secundum præter hæc est excrementorū genus, quod nō ex ciborū fit dispositione, sed ex cōfluentibus à toto corpore ad uentrē superfluitatib. q̄d aliquid etiā indicare potest. Etenim si fit uiride, indiciū bilis æruginosæ existit: si autē nigrū, uel atræ bilis, uel sanguinis eo in loco perusti. Si autē ueluti humidū quoddā in excremento apparuerit, ubi nō fuerit tale aliquid intra corpus assumptū (id quod semper subintelligere oportet) parnū internarū ualidū frigus, ac uelun mortificationem ostendit. Si uerò pingue, pinguis colliquationis est signum: quemadmodū etiam si glutinosum, colliquationē solidarū partium portendit, quæ longè periculosior existit.

*Excrementorū alui species complures præter naturam.*

Præterea q̄d uehementer fœtet, uehementem putrefactionem indicat. Exerementū stridens, flatū quidē sibi cum tenui humiditate permistū esse declarat: organa autē in uuū coacta, atq; in angustū restricta. Spumosum uerò fit, uel re aliqua feruēte, uel cū aliquis flatulentus spiritus colluctaṫ cum humiditate. Ac primùm sanè immoderatę caliditatis corpus colliquātis: secundū uerò, est inæqualis perturbationis effectus.

*Excrementum vehementer fœtidū, vehementē putrefactionem indicat.*

Variū autē, uarijs corpus affectibus esse obnoxiū ostendit: & ob hoc ipsum, & diuturnū & malignū existit. Etenim simplex affectus facilius cōcoquitur, & minus est, q̄ multiformis, periculosus.

*Excrementum variū varijs corpus affectibus esse obnoxiū ostendit.*

Vrinarū autem illa optima est, quę urinę sanorū simillima. Quęcūq; uerò nō est talis, simpliciter est incocta, uel præter hoc, etiam perniciosa. Vrinā igitur optimè coctā, in ijs qui supremū sanitatis obtinēt gradū explorare oportet. Talis enim est subrufa, uel subflaua: magisq; subrufa q̄ subflaua: statim enim & hæc mediocrē crassitudinem possidet. Nam quę hac ipsa crassior est, aut tenuior, coctionē imperfectam significat. Siquidem altera nondum in humorem cōuersa est, altera uerò adhuc cōturbata existit.

*Vrinarum quæ sit optima.*

Cæterū cùm triplex sit urinarū turbidarū differētia: quia uel cùm tales mictæ fuerint, paulò pòst resident, uel semper similes permanēt, uel puræ quidem minguntᷓ, postea uerò conturbantur: praua quidem ex dictis tertia, bona autē prima, media uerò inter utranq; est secunda. Siquidem quæ statim residet, parū aliquid inæqualis turbulentiæ superesse demōstrat: quæ uerò semper manet similis, uigere adhuc quę est in sanguine agitationē ostendit. At quæ extrà conturbatᷓ, debet incipere cōcoqui: quare* meritò deterrima est: nam longiori tēpore, & uirtute forti, indiget ad coctionē.

*Vrinarū turbidarum differentia triplex.*

Porrò quæ ad summū incocta est, has omnes malignitare superat: est eīm aquosa exquisitè: ac proinde uelut desperatæ coctionis accidens, affectioq; uenosæ naturæ existit: *quemadmodū uētris, cruditas. Vbi uerò urina ipsa *celeriter mingiṫ (hæc enim passio ὕδρωψ & diabete uocatur: estq; talis, qualis circa aluū intestinorū læuitas: nempe extinctio utriusq; uirtutis, retentricis simul & alteratricis) tunc sanè inter omnes urinas crudas ea pessima existit.

*Vrina cruda.*

*Diabete.*

*Vrinarū crudarum quæ existat pessima.*

Sed post ipsam est aquosa, quæ quidē solius facultatis alteratricis imbecillitatē demōstrat. Huic proxima est altera urina, quę in multis apparet morbis, ut uideatᷓ mistam habere formā uini tenuis & albi. Gignitur autem ex ipsa alba & aquosa, ut quæ paucum liquorē ex bili rufa susceperit. Atq; hæc sanè urina proximè accedit ad crudam. Post hanc est suppallida. Pallida uerò iam & subrufa est. Optima autem omniū urina, subrufa & subflaua existit.

*Vrina aquosa.*

*Vrina suppallida.*

*Vrina pallida.*

*Vrina subrufa & subflaua, omnium optima existit.*

Etenim cùm adhuc coquiṫ sanguis, urina quæ mingiṫ, læuem, æqualem, albā ac multam facit hypostasim. Perfecta coctione, color quidem urinæ intenditur, minus autē subsidet. Quòd si diutius homo à cibo abstineat, urina magis rufa reddeṫ: siquidem quicquid alimenti supra modum calfit, præsertim si dulce fuerit & pingue, in amaram bilem conuertitur. Porrò color rufus ad flauū proximè accedit: in hoc autem differūt, quòd rufus quidem magis ad albū, flauus autem ad splendidum uergit. Quantū uerò flauo rufum est albius, tantū illo pallidū. Quantò rursus minus album est flauum q̄ rufum, tantò flauo rubicundū.

*Coloris rufi flauiq; discrimen.*

*Color flauus.*

*Color rubicundus.*

Iam uerò in pueris ferè omnibus, & perfectam ætatē habentibus, qui ociosam uitam degunt, aut quouis alio modo sunt

pleni,

*Vrina in quibus habẽt subsidentiam plurimam.*

pleni satis multã habent urinæ subsidentiã: quia in his omnib. plurimũ crudi humoris colligitur. Quare ijs qui ex ocio & repletione febricitant, si sanitati restitui debeant, in urina plurimũ necessariò subsidet. Contrà ijs, qui ex inedia & labore rubidæ simul & biliosæ urinæ excernunt. Soluitur quippe morbus plerunq; priusquã subsideat aliquid: sufficitq; in his & nebula, & suspensio optima, qualis est alba, læuis, æqualis. Nec uerò urinam rufam, simpliciter uituperauit Hippocrates, sed quãdiu rufa simul atq; subtilis esset: quòd tunc cruditatem significaret. Cæterũ quæ farinę hordeaceæ crassiori in urina sunt subsidentiæ similes, grandis colliquationis & ardentissimi incendij sunt signa. At quę folia repræsentant, sunt uasorum partes superficiales, quæ scilicet coura buerunt. Ita & furfureæ: nisi quòd illis crassiores atq; minores sunt. Nigræ uerò subsidentiæ, uel excedentẽ caliditatẽ, atq; igneam ostendunt: uel ex frigiditate uehementi, extinctionẽ. Pessima igitur est omnis denigrata urina, adeò ut neminem unquam seruatum uiderim, ex ijs qui talem minxerũt. Minus uerò perniciosa est, si sola sit hypostasis nigra: atq; adhuc minus, si solùm id quod in medio pendet: ac multò minus etiam si nebula. Color uerò uiridis fit in transitu ad nigrum,* estq; uelut quoddam initiũ nigri. Nam si morbus malignus fuerit, & uomitibus, & alui excrementis, & urinis uiridibus, postmodum nigræ superueniũt. Color antẽ liuidus, est tantũ frigiditatis effectus: odor grauis, putrefactionis. Quòd si ueluti oleum mingat, colliquationis est signũ: tales quidem urinæ prauæ sunt. Quæ autem bono colore sunt præditæ, & subsidentias habent albas, & læues, & æquales, aut nebulas quasdam, aut suspensa similia, omnes urinas bonitate præcellunt: & præsertim in quibus subsidentia læuis fuerit. Secundũ bonitatis obtinent locum, in quibus suspensa sunt talia. Tertium, in quibus nebulæ. Hæ igitur coctionis sunt signa. Reliquę uerò omnes partim cruditatem, partim perniciem portendunt. Nam quæ alba, & quæ tenuis, & quæ turbulenta, cruditatem. At quæ farinæ hordei crassiori, aut folijs, aut furfuribus similia habet: quæq; nigra, aut uiridis, aut liuida, aut oleaginea, aut fœtida est, perniciem significat. Subrufa & subflaua, si tenuis sit, media est inter exactè coctas & crudas: sicuti & illa etiam; in qua alba quædam & læuia suprà efferuntur, aut subsident: diuulsa uerò, minimeq; sibi continua: siquidem morbum semicoctũ ostendunt. At subrubeæ urinæ, habentesq; statim subrubeam atq; læuem hypostasim, sunt quidem salutares satis, sed semicoctis ijs diuturniores. Iam uerò in uiris quidẽ atq; mulieribus, urinæ nigræ sunt pessimæ: in pueris autem aquæ similes. Quoniam igitur neq; signum ullum ita fidele est, ut exquisitè ostendat singula ex futuris temporibus: nec quę secundum concursus signa sunt complicata, sola possũnt iudicari experiẽtia: idcirco necessum est signi cuiusq; naturã accuratè considerare, si quis uult rectè præcognoscere, ut ex ui uniuscuiusq; præcognitionẽ faciat. Etenim sæpe unum signũ forte, multis debilibus fidelius existit. Omnino autẽ malè quis uictũ instituet, nisi per fida signa,

*Subsidentiæ sarinæ hordeaceæ crassiori similes quid significẽt.*

*Vrinæ laminas repræsentantes, furfureæq;, quid indicent.*

*Vrina nigra cur omniũ pessima.*

*Viridis color quo modo fiat.*

*Vrina liuida.*

*Vrina fœtida.*

*Vrina oleaginosa.*

*Vrinæ optimæ.*

*Coctionis signa.*

*Subrufa urina.*

*Subflaua urina.*

*Subrubea urina*

*Vrina quæ in uiris atq; mulieribus, & quæ item pueris exitiales existant.*

*Victus instituti non poterit, nisi præsciatur status morbi.*

statũ futurũ præcognorit. Triplex in uniuersum signorũ omniũ est differẽtia. Nõnulla siquidem cruditatis & coctionis sunt signa: nõnulla salutis & mortis. tertiũ autẽ signorũ genus est, quod crisibus adiacet. Coctionis igitur cruditatisq; signa, alui excrementa, & urinas, & sputa, statuere oportet. Mortẽ autẽ atq; salutẽ nunciantia sunt, quæ unà cum his excernunt, & quæ per totũ apparent corpus. Quantũ ad crises attinet, aliquid quidem ualent nõnulla ex his: est tamẽ propriũ atq; præcipuũ eorũ signorũ genus. At cruditatis atq; coctionis signa, propriã uim habent semper stabilẽ, siue statim in primo die, siue in sequẽtib. apparuerint. Quædam itaq; horũ signorũ in urinis, & alui excremẽtis, & sputis apparent: quædã in dispositione totius corporis inueniunt: quædam in naturalib. & animalib. conspiciunt operationib. Hæc tamen nõ omnia fidelia sunt, in omnibus morbi temporib. Etenim criticorũ symptomatũ duplex natura est. Siquidẽ eorũ aliqua sunt tanq̃ causæ & signa: aliqua tanq̃ signa duntaxat. Infida uerò est uniuersa eorũ natura, & cõtraria significans in diuersis morbi temporib. In his autẽ totũ est præcognitionis studiũ. Nam in alio quidẽ tempore secundũ aliam dispositionẽ critica sunt: secundũ uerò aliã dispositionẽ, symptomata, uel signa praua fiunt: critica autẽ non item omnino. Coctio igitur celeritatẽ crisis, & salubrem securitatẽ significat: cruda autẽ & incocta, & in malos cõuersa abscessus, crisiũ defectũ, aut uehementes labores, aut mortes, aut eorundem malorũ reuersiones. Porrò si quis primo statim die, nullũ habens signũ periculosum, sed potius salutaria omnia, acutè quidem febricitet: urinam autẽ mingat bene coloratã, ac mediocriter crassam: is certè in primis quatuor diebus crisim est habiturus: & eò magis, si nebula aliqua uel suspensio optima in urina uideat: magisq; adhuc, si hypostasis bona se ostendat. Cuius rei nõ ignarus Hippocrates, ait: Mitissimæ febres, quæ cum signis securissimis fiunt, quarto soluunt die, uel prius. At quæ malignitate excellũt, & cum signis grauissimis accidunt, quarto die uel citius occidunt. Sicuti igitur quę omnia habet signa tutissima febris acuta, in primo periodo decretoriorũ dierũ solutionẽ habet: sic quæ isti proximè adiacet, diẽ septimã nõ transcendet. Similiter etiã maligna, & cum grauibus facta signis, quantũ absit à malignissima, & cum grauissimis accedente signis, tantò tardiorẽ mortẽ inducet. Sit itaq; primo die urina quidẽ exquisitè aquea, febris uerò debilis, hęc sanè in longũ protrahet tempus. Sed quantũ hoc erit, in primis diebus cognosci non potest, nec cognitu est utile. At præsens principij tẽpus nõ solũ internoscere datur, sed etiã sæpius præcognoscere quo finietur. Atq; in his quidem adeò diuturnis, sufficienter est tempus principij longũ: in peracutis extremè angustũ. Nam si statim in prima die, in urinis appareat aliq̃d signũ coctionis, iam hic principiũ transgressum est. Similiter etiã acuti principij, ne pręcognitionẽ quidem finis inquirere oportet: sed satis putare, si dum adest, cognosci possit: & cùm q̃primũ in ad ascẽsum conuertit, manifestè deprehendat. Si itaque aliq̃d manifestũ appareat coctionis signum,

*Signorum differentia triplex.*

*Coctionis signa.*

*Signa mortem & salutem nũciantia.*

*Decretoriorum signorum genus habere propriũ.*

*Criticorum symptomatum duplex natura.*

*Criticorum symptomatum naturam esse infidam.*

*Crisis celeritatẽ concoctio indicat.*

*Cruditas quid commonstret.*

*Crisis in primis quatuor diebus accessura, exemplum.*

*Principij in acutis morbis cognoscendi ratio.*

usus aliquis fuerit, hoc est, laboribus, uigilijs, curis, & anxietatibus, cibisq; paucioribus & biliosioribus, nōne etiam in hoc ipse seipso biliosior reddetur, ac proinde calidior & siccior? Atq; hęc

*Febres ardentes et tertianas quæ gignant.*

sanè quæ diximus, cōmunia sunt ardentium febrium & tertianarũ generationis. Etenim tertiana accessio ab acutissimis maximeq; adurentibus febribus nullo modo relinquit: sed hoc di-

*Tertianarũ adurentiumq; febriũ discrimen.*

scrimen interest, quòd in hac, per totum corpus bilis defertur, atq; ideo uehemens fit rigor, bilisq; superuenit uomitus, atq; urinæ & sudores biliosi adsunt: in alijs uerò adurētibus febribus, quæ nullam habent intermissionē, flaua bilis in uasis unà cum sanguine continet: id quod certè est in causa, ut tertiana febris per sudores uomitusq; finiatur: in adurētibus autē, singulæ accessiones ad infebricitationē nō perueniant: quoniam qui earum est causa humor, nō expurgat. Sed quando in his bilis agitatur uehementius, ac ueluti efferuescit, à naturaq; inualescente impellitur, tunc rigor superuenit, & febris soluitur.

*Ardens febris si superueniat ei rigor, soluitur.*
*Rigorem fieri à frigida & à calida causa.*

Nam ardens febris, si superueniat ei rigor (ut inquit Hippocrates) soluitur. Quòd uerò non modò causa frigida, sed acris etiam & calida, rigorē faciat, in libro de symptomatum causis ostendimus. Etenim acres & mordaces humores uehementius emoti agitatiq;, & per sentientia corpora uiolenter delati, stimulant, pungunt & feriũt: atq; hinc sensum inæqualem, rigorem, cōcussionemq; inuehũt.

*Tertianam febrem oriri à flaua bile per corpus mota.*
*Rigor tertianæ et quartanæ quomodo differant.*

Tertiana itaq; febris, quæ ex flaua bile mota ortũ habet, rationabiliter statim ab initio rigorē affert nō mediocrē: hoc ipso primũ à quartanæ rigore differentē, quoniã in illa quidem pungi uidetur ac percuti corpus (talis enim est in tertianis febribus sensus rigoris) in quartana autē febre similem frigefactionē habet, qualis per gelu, tempore hyberno sentitur.

*Quartanam gigni à bile atra.*
*Febris quotidiana fit à pituita.*

Quippe in quartana febre atra bilis redundat: sicuti in quotidiana, pituita. Tertianã igitur febrem * minimè quidem licet absq; rigore uehementi, pungente atq; feriente carnem, oriri. At quartana febris nō primo statim die cum rigore inuadit uehementi, sed progrediente ipsa, atq; aucta, unà etiam rigor quidam grauis, ac ueluti ossa cōtundens, augetur.

*Quotidiana nō cum rigore, sed cũ refrigeratione quadam inuadunt.*

Quotidianas autē nō comitatur rigor, nec in initio, nec in progressu, sed frigefactio duntaxat. Pręterea quartanę febres paruos, debiles, tardos & raros adeò pulsus efficiunt in inuasionibus, ut nulla altera dispositio: tertianis uerò parui quidē ac debiles, tardiq; ac rari, cùm inuadunt, pulsus necessariò adsunt. Verũ tarditas ac raritas nō paruo ab ijs interuallo relinquitur, quæ in quartanis accidunt.

*Tertianarum quartanarũq; secundum pulsus discrimen.*

Nam in quartanarum principijs uidebit tibi arteria quodãmodo ad interiora retracta, impeditaq;: in tertianis uerò, nec aliquid tale percipitur, tarditasq; propè accedit ad eum qui secundum naturã est motus: ac prætetea certus ordo æqualitasq; pulsibus iuest. Habet etiam tertiana febris per incrementa, ęqualem liberamq; celeritatē: statimq; ad magnitudinē atq; uehementiã excitat, hisq; omnibus frequentiã correspondentē: neq; ipsi ullũ adest inflãmationis signũ.

*Tertianarum signa & symptomata.*

Iam igitur & sitim inuehit, & hominē exurit, & paulò pòst in rigore consistit: calor æqualiter quaquauersus extenditur, nihiloq; plus thorax extremitatibus calet: & si manum imposueris, in primo occursu quidem percipit calor multus & acris, quiq; ueluti quodam cum uapore efferatur: paulò pòst uerò superatur à manu: non ut in febribus malis & adurentibus accidit.

*Tertiana correptis quo accessionis tempore est potio danda.*

Ac iam sanè bibendi tempus ægrotanti instat: statimq; post potũ plurimus uapor calens per cutem exhalat, sudoris nuncius, bilisq; superuenit uomitus, uenterq; soluitur, & biliosum mingunt. Incipit itaq; sudor uapidus, calidusq;, ueluti in balneis: totum uerò ipsis corpus æqualiter sudat, talisq; est pulsus, qualis in ijs qui rectè ualentes exercitant & balneant: uelox scilicet, magnus, uehemēs & creber. Sed præter hęc omnia statim ad infebricitationē desinit, uniuersum accessionis tempus ultra duodecim horas nō protrahens.

*Tertianæ accessio vltra duodecim non protrahitur horas.*
*Tertianæ exquisitæ descriptio.*
*Tertianæ breuẽ solutionem quæ vrinæ indicent.*

Sępius autē septem horas accessio cōtinet. Nōnunquã citius aut tardius, sed non multò, finitur. Descripsimus itaq; ueram & exquisitam tertianam. Quòd si urina reddat rufa, aut subflaua, appareatq; crassitudo mediocris: ac paulò pòst, uel albam nebulam, uel suspēsionem optimam fecerit, febris ipsa ultra quartũ circuitum non progredietur. Rufiore uerò urina existente, neq; suspensione aliqua, nec nebula in primo circuitu apparente, ad septimum extendetur. Quòd si præter alia signa, in urinis appareat subsidentia læuis, æqualisq; circa primũ statim diem, ultra tertium circuitum ipsa febris nō diuagabitur. Ingruente autem accessione quartana, eximia quædam ad tarditatem ac raritatē fit pulsuum conuersio. Solet porrò quartana febris maximè oriri in autumno, præcipuè si tempus ipsum frigidam & siccam, & inæqualem sortiatur temperaturam.

*Quartanarum febrium signa et symptomata.*

Quòd si etiam regio taliũ febrium sit generatrix, & ægrotãtis natura atræ bili obnoxia, talisq; uictus ratio antecesserit, quæ huiusmodi aggregarit humorē: & si eo tempore quartanæ febres populariter fiant, homoq; lienosus fuerit, uel febres erraticas passus: si augmentum & status plurimũ contraria fuerint, tenuesq; & albæ & aquosæ urinæ reddantur: si inquam hæc omnia indicia in prima accessione adsint, quartanam esse febrem non dubites.

*Quotidianæ & tertianæ febris discrimen.*

Sed quotidianam à tertiana distinguere facilius est. Neq; enim primo statim die cum rigore inuadit, sed progressu temporis refrigerationes potius quàm rigores ipsis adueniunt: neq; ullus ordo aut æqualitas pulsibus assidet, cùm primũ accessiones fiunt. Sed nec deurũt laborantes, nec denudare corpora, & pallia iactare cogũt: nec multùm ac frequenter respirare, ac ueluti flammam ex ore efflare, frigidumq; potum expetere.

*Quotidianarũ febrium indicia.*

Verũ isti cùm febricitant, minimè sitiunt: urinæq; ipsis in primis diebus tales sunt, quales quartanis incipientibus adsunt. Atq; in primis diebus minimè sudant: sed progrediente tempore hoc etiam illis aduenit.

*Quotidianæ cur assiduè pueros inuadant.*

Eget autem hæc febris, natura humidiore, uitaq; ociosa, & plena crapulis. Quare in pueris assiduè fit: ac perrarum est, quin & os uentriculi, & hepar in ipsis malè afficiat. Sed & cruditates antecedunt plurimæ, & coquēdi moræ, & acidi ructus: & cùm primũ febrire incipiũt, præcordia ultra naturalem habitũ intumescunt. Color his cum pallore albus: taliumq; morborũ

*Quotidiana quæ præcipuè gignantur tempore.*

hybernum tempus eſt ferax, & ſtatus temporis humidus, & eiuſdem naturæ locus: fitq; acceſsionum principiũ circa ueſperam. Ita quidem quotidiana, tertiana, & quartana, prima die inuicem diſcernunt. Continuas autem febres, quæ idem genus cum ijs quas diximus habẽt, ſimiliter primo die uir exercitatus cognoſcet. Etenim exquiſita ardens, cùm omnia alia ſeruet exquiſitæ tertianæ indicia, eo ſolo differt, quòd neq; cum rigore inuadit, neq; ad infebricitationem deſinit.

*Ardentium exquiſitarum & tertianæ febris diſcrimen.*

*Continuæ quotidianæ deſcriptio.*

Quæ uerò quotidie acceſsionem facit, quando temporis ſtatum, & ætatem, & naturam corporis, & uictus rationem antecedentem, ac præterea pulſuum formã, coloremq; eundem habuerit cum exquiſitis quotidianis, non peruenerit autem ad infebricitationem, idem genus cum illis obtinet. Eodem modo & quæ quarto quoq; die acceſsionẽ facit ſine ulla intermiſsione, nulla interpoſita febris quiete, eiuſdem eſt generis cum quartana. Et palàm eſt, quòd nec rigor in ea acceſsiones antecedet, neq; ſequetur ſudor.

*Continuæ quartanæ deſcriptio.*

*Continuarum & intermittentium febrium diſcrimẽ, ſecundũ modum generationis.*

Quæ igitur in ſola flaua bile febris accendit, ſine aliquo affectu uiſceris, ſi quidem manente adhuc intra uaſa bile accendat, exquiſita febris ardens dicetur: ſi uerò per totum corpus deferat, tertiana. Sic & ſi ab atra bile fiat febris, cùm per totũ corpus delata fuerit, quartana efficit: cùm immobilis, illa quæ quarto quoq; die excreſcit: quẽadmodũ ſi ex pituita ortũ habeãt, uel quotidianæ ſunt, uel quæ accendunt ſingulis diebus.

*Febris cõtinua eſt, quæ ad infebricitationem, prius quàm ſoluatur, non deſinit.*

In uniuerſum autẽ uoco cõtinuam febrem, quæ ad infebricitationẽ, anteq̃ ex toto ſoluatur, non deſinit: etſi declinatio aliqua ſenſibilis in ea deprehendat. Cùm uerò nec declinatio aliqua ſenſibilis fiat, ſemper uerò à primo principio febris uſq; ad criſim ſimilis perſeuerauerit, erit hæc ex genere febrium deurentiũ, ab ijſdem uerò acutie differet. Sed nec in primo die, nec in ſecundo eſt huiuſmodi febrem præcognoſcere, nec aliter utile. Sat enim eſt genus agnoſcere, q̃ ſcilicet biliosa ſit, deurens, & peracuta. Atq; huius generis febres omnes in prima ſeptimana dijudicantur:

*Deurẽtes febres.*

*Tertiana pura intra ſeptimum circuitum abſoluitur.*

*Febres diuturnæ quæ.*

*Febrium ſimplicium tria genera.*

ſi uerò tertiana pura fuerit, intra ſeptimũ circuitum. Omnino autem diuturnæ ſunt, & quotidiana intermittens, & illi adhærens continua, ſicuti & quartana, & quæ per quartum excreſcit. Quare tria erunt uniuerſa ſimplicium febrium genera. Singula uerò ipſorũ in duas primas differentias ſcindentur: uel enim intermittentes, uel febres continuæ erunt. At ſi morbus compoſitus fuerit, non æquè facilè cognoſcetur. Dupliciter uerò genus febris cõpoſitum cõſtituitur: in prima quidem ſectione, uel quia ex quas diximus febres citra alicuius membri affectũ miſcentur: uel quia ex membri cuiuſpiam inflãmatione accenduntur. Quæ igitur citra membri affectum cõſiſtunt, dupliciter cõmiſcentur: aliquando implicatæ, nonnunq̃ uerò per ſe totas confuſæ. Sic quoq; membra inflãmata: nam ex ipſis quædam ſanè ueluti complicantur tantũmodo, quædam uerò uelut confuſionẽ quandam habent diſpoſitionum.

*Febrium genus compoſitũ, cõſtitui dupliciter.*

*Febres quomodo inter ſe miſceantur.*

Ac febres ſanè, quędam complicantur unius generis cum alijs eiuſdẽ generis, uel unius ſpeciei cum alijs eiuſdem ſpeciei. Contingit uerò nõnunq̃, ut etiam differentes miſceantur, Nam quotidianæ tertianis, & his quartanę, & quę eandem ſpeciem ſeruant, inuicẽ plerunq; implicant. Quo fit, ut idem homo tres interdum habeat quartanos circuitus: ſed hos quidem nõ eſt difficile agnoſcere. Quandoq; uerò aliqua ex intermittentiũ genere cum cõtinua, difficillimã uixq; explorabilem facit miſtionẽ.

*Quartanis circuitibus tribus poſſe unum eundemq; ſimul hominem corripi.*

*Patientia loca quomodo affectus ſuos implicent.*

Porrò quemadmodum febres, ita & patientia loca miſtionem recipiunt: uel quia differẽtia membra propriã ſingula febrim accendunt, ut lien & iecur: uel quia diſpoſitio miſta, ueluti inflammatio cum eryſipelate, aut eryſipelas cum inflammatione miſcet. Pro differentia enim affectuũ particularũ, atq; etiam earum affectuum, ſolent etiam ipſæ febres uariari. Vbi igitur ſingula accuratè diſtinxeris, tunc ſanè facilè miſtionẽ deprehendes. Nulla autem eſt nec ſpecies, nec genus, q̃d circa tertiam uel quartam diem, cuius naturę ſit, innoteſcere nequeat.

*Hemitritæi febris deſcriptio.*

Inuadat igitur febris aliqua horrida, atq; omnino inæqualis in pulſibus, & in eo qui per totum corpus ſentitur calore, ut ſæpius propius ſtatum eſſe exiſtimetur, uel mediũ augmenti obtinere. Rurſus uerò horrida fiat, & pulſus minores, debiliores, tardiores, atq; rariores habeat: & calorem quidem ab extremis partibus recedentem, circa uerò uentrẽ atq; thoracẽ, copioſum. Hanc non abſq; ratione quiſpiam hemitritæũ fore ſperauerit, uel potius iam eſſe: à multis autem tertio die noſcetur. Sed hæc quidem mixta eſt, ex biliosa pituitoſaq; febre, non inuicem complicatis, ſed per ſe totas confuſis. Quæ autem ex complicatione fit, quadrupliciter conſiſtit. Vel enim tertiana quotidianæ cõmiſta: uel ea quæ quotidie acceſsionem habet continua, illi quæ per tertium cõtinua eſt: uel tertiana ei quæ ſingulis diebus acceſsionem facit continuæ: uel quotidiana ei quæ per tertiũ continua eſt.

*Hemitritæũ conſtare ex biliosa pituitoſaq; febre per ſe totas confuſis, vel ex uſdẽ inter ſe complicatis: quod fieri quadrupliciter poteſt.*

*Tertiana duplex quando adeſſe dicatur.*

Si qua uerò febris in primo die exquiſita tertiana deprehẽſa, deinde ſequẽti die ſimilem priori omnino fecerit acceſsionem, hęc duplex tertiana exiſtit. Sic autem & duæ & tres quartanæ ſæpius inuicem complicantur, quas acceſsionũ forma à quotidianis diſtinguit.

*Febriũ putridarum tria genera.*

Tria igitur ſunt omnia quæ ex humorũ putredine febrium accendunt genera: quædam enim ex flaua bile (hæq; plurimæ ſunt) quædam ex atra, quædam ex pituita conſiſtunt. Aliarũ autem omniũ febrium uarietas, ex miſcella horum humorũ naſcit. At ephemeræ & hecticæ febres, alia duo conſtituunt genera, ab ijs, quæ dicũtur acutæ febres, diſtincta.

*Febris acuta quibus gigni ex occaſionib. poſsit.*

Porrò febris acuta, uel aliquo dictorum humorũ cõputreſcente, uel membro phlegmone obſeſſo, gignitur. Mirantur autem nõnulli, quòd poſsit intermittens febris cũ cõtinua miſceri, quodq; nulla intermiſsione accedente febris, interdũ ſolæ intermittentes mutuò inter ſe miſceant: id q̃d accidit non in tertianis tantũ, aut quotidianis intermittentibus, ſed etiã in ipſis quartanis. Cùm enim plures inuicẽ cõplicantur, ſiue eiuſdẽ generis, ſiue diuerſi, accidit ut febris ſecunda plurimũ anticipet aduenire, anteq̃ prima in exactam integritatẽ deſinat. Deinde rurſus tertia eidem ſuccedit, antequàm perfectè ſoluatur. Hoc uerò maximè accidit in longioribus acceſsionibus. Etenim trium tertianarum complicatio, in ſecundo ſtatim die nobis

manu-

*Febrium quæ ex locis patientibus accidunt, formã esse compositam.*

*Pleuritidis generatio, signa, & symptomata.*

manifestè est conspecta. Earũ uerò febrium quæ ex locis patientibus accidunt, forma composita est. Quædam enim loci indicia præ se ferũt: quædam autem eius, ob quam consistunt, causæ. Veluti in morbo laterali locus quidem patiens est, costas succingẽs membrana. Quæ quidem cùm inflammata sit, necessariò dolorẽ inuehit, quoniam neruosa est: sed hunc pungentem, & longè extensum, quoniam pars affecta, est membrana. Quæ quidem cùm unum sit ex spirandi instrumentis, necessariò difficilem habebit respirationem animal. Quia uerò & cordi & pulmoni proxima est, necessariò & febricitabit, & statim infestabitur tussi: nõ tamen statim expuet. Sed si quidem multũ ac crassum ab inflãmatione defluxerit, tunc tussi expuet: si uerò paucũ & tenue, irritabitur quidem necessariò, ita ut tussis moueat: nõ tamen expuet, anteq̃ collectum simul atq; cõcoctum ad multitudinẽ crassitudinemq; peruenerit.

*Sputorum colores ostendũt differentias humorum gignentiũ pleuritidem.*

Nunquid uerò magis pituitosus sit, uel biliosus humor, is qui inflammationẽ facit, ex forma sputorũ cognosces. Nam si sputa sint spumosa, fluxum maximè pituitosum ostendunt: flaua autem, biliosum impermistũ: quę uerò rufa sunt, amaram quidem & ista referunt bilem, sed non paucam serosam humiditatem cum bile misceri significant: & multò ampliorem, quando pallida quis expuerit. Sic & nigra, atræ bilis fluxum ostendũt. sicuti quæ magis rubida sunt, plurimũ quidem sanguinis: minimũ autẽ amaræ bilis, in eo qui inflammationẽ facit, cõtineri significant.

*Sputa mitiora quænam sint in pleuritide, & quæ exitialia magis.*

*Pleuriticorũ pulsus quales.*

Atq; ideo inter omnia sputa hæc sunt mitiòra: sicut nigra, magis exitialia. Pulsus igitur pleuriticorum, quà quidem duram præ se fert tensionẽ, neruosum esse locum affectum ostendit: quà uerò serræ similis est, inflammationis affectũ. Quà uelox simul & frequens, ac magnus, ad inflammationem consequi febrem. Quà singula quæ diximus, maiora aut minora sunt, uel magnam esse, uel paruam ostendit dispositionem.

*Febriũ diuisio.*

Igitur aut simplex est febris, aut cõposita: uel cum loco patiẽte, uel ephemera, uel hectica. Si simplex omnino fuerit, humoris indicia affert, ex quo genita est. Si uerò composita, ex quot simplicibus febribus composita est, totidem numero humorũ multitudinem indicabit. At si hoc indicet, illud etiam significabit, nunquid morbus diu durabit, an citò finietur.

*Febrium longitudinem & breuitatem deprehẽdi posse ex natura humorũ ex quibus gignuntur, vel dispositionum partiũ à quib. procedunt*

Nam si humor pituitosus extiterit, necessariò diuturnus erit: longè uerò magis, si atræ bilis naturam referat. Quòd si ad flauam bilem inclinet, minimè quidem diuturnus erit. Sic & locus patiens, qui quidem motu multo exercetur, calidusq; est, ac rarus, & principatum gerit, acutiorem fore morbum portendit. Qui uerò neq; in motu continuo est, frigidusq; ac densus, & sine principatu existit, ad longius tempus debere extendi significat. Eodem modo & dispositio, si quidem difficilem motum habuerit, frigidiorq; fuerit ac densior, diu duraturum: sin autem facilè moueatur, calidiorq; fuerit, & rarior, citò solutum iri. Similiter & de causis est iudicaudum.

*Crises repentinæ violentæq; calidarum febrium sunt propriæ.*

Eas igitur quæ cum magno ac repentino certamine fiunt solutiones morborum (quæ præcipuè crises uocantur) febrium earum quæ ex calidis humoribus accendunt, proprias esse est putandum. Post has, earum, quæcunq; membrorum sunt principatum habentiũ, facilè mobiles calidæq; dispositiones. Ephemeræ uerò & hecticæ febres, sine magna perturbatione, & minimè subitas faciunt permutationes.

*Constipatio febrem qua ratione gignat.*

Ergo in omnibus inflammatis particulis constipatio ipsa, quæ locum probè difflari prohibet, statim quidẽ putrefacit humores, simulq; quendam calorem excitat, qualis & in reliquis omnibus putrescentibus gignitur. Cuius caloris modus, cùm simplex fuerit, necessariò alicui earum, quas diximus, febrium assimilatur: uel potius una ex illis est, uel ad amarã bilem, uel ad atram, uel ad pituitam attinens.

*Inflammationẽ gignit vel flaua bilis, vel atra, vel pituita.*

*Bilis quos edat tumores.*

*Atra bilis quales tumores gignat.*

*Pituita gignit œdemata.*

Omnino enim humor qui inflammationem efficit, uel flauæ bilis est, uel atræ, uel pituitæ. Si igitur impermistæ multæq; flauæ bilis fuerit, tum facit erysipelata, & eos qui herpetes nominãtur: sicuti si nigræ, cancros, & phagedænas, aut elephantos, aut aliquẽ ex his adeò incurabilibus morbis. Quæcunque uerò ingruente pituita in tumorem attolluntur, hæc œdemata nuncupantur. At qui sanguis atrę bili est permistus, duras gignit inflammationes: erysipelatibus uerò similes, qui amaræ: inflatas, qui pituitæ.

*Sanguis producit propriè dictã inflammationẽ*

Cùm uerò ipse secundum naturam se habens sanguis, trusus in locum fluxioni obnoxium putruerit, hic quidem affectus inflammatio est. Simplex uerò ex ipsa febris accendit, maximè ephemeris similis, quæ ex inflammationibus inguinum accidunt: nam & ipsa inguinis inflammatio ex optimo sanguine fit.

*Sanguinẽ putrescentem ad amaræ bilis naturã transire.*

Liquet autem, quòd cùm hic putrescere cœperit, non amplius bonus remanet, sed iam ad amaræ bilis naturam transit. Atq; in hoc illud seruatur, triplex esse genus uniuersum simplicium febrium. Quæ enim ex sanguinis putredine fit, iam quodammodo biliosa est. Etenim sanguis ex moderato calore gignitur: flaua autẽ bilis, ex maiore: atra uerò, ex impẽse immodico.

*Humorum generationes atque trãsmutationes.*

Quicquid igitur pingue ac tenue in sanguine est, fit flaua bilis: crassum uerò, ac uelut fæx, quando immodicè exaruerit excalfactum, atra. Flaua etiam bilis quandoq; in atram cõuertitur, cùm assata fuerit. Omnes igitur quæ in particula aliqua accenduntur febres, unum aliquem ex dictis, uel simplicẽ, uel compositũ charactêrem habebunt.

*Febrium mistionem non ignorabit, qui singulas simpliciũ cognorit.*

Qui uerò singulas per se febres exquisitè cognorit, earum is mistionem nõ ignorabit.

*Ephemeræ febres, solius spiritus sunt passiões*

*Ephemerarum febrium causæ.*

*Ephemerarũ febrium indicia.*

Ephemeræ febres solius spiritus sunt passiones, absq; humorũ putredine, aut membri inflammatione, nisi inflammatis inguinibus accidant. Earum autem generationis sunt occasiones cõmunes, uigiliæ, cruditas, tristitia, timor, curæ, iracundia, deustio, refrigeratio, lassitudo, ebrietas, & quæcunq; similia. Cõmuniter omniũ pulsus promouet ad paruitatẽ atq; frequentiam, & nonnunq̃ ad magnitudinẽ. Exquisitè autẽ seruat eam quæ secundũ naturã est, æqualitatem, mollitiem, & ordinem. Sic & urinæ, nõnullæ quidem, suspensiones, nõnullæ uerò subsidentias bonas habent, quædam autẽ nebulas. Omnes uerò probè coloratæ sunt, sicuti & in omnibus calor uapidus est: atq; ab omnibus ipsis absunt maligna accidentia. Cõmunes autẽ sunt om̃ibus & urinæ rufiores. Cæterũ ijs qui ob tristitiam febricitãt, acrimonia potius

adest, q̃ multitudo caloris: ficuti ijs qui ob iram, contrario modo.

*Tristitiam quæ signa arguant.*

Sed & tenuitas corporis in ijs qui tristitia, q̃ in ijs qui curis uexati sunt, manifestius apparet, & oculorum cõcauitas, & insolita quædā decoloratio. Et hæc quidem cõmunia omniū etiam aliorū, qui quocunq; modo cogitationibus impliciti fuerint, indicia sunt.

*Oculorum ex signis, in sanis etiā animi affectus cognosci.*

Sed præcipuè ex oculis sunt discernēdi: licet enim ex his etiā in sanis animi affectum cõijcere.

*Vigilijs maceratorum signa.*

Eos qui nimiū uigilauerunt, distinguit decolorationis modus: subtumida præterea ipsis est facies, palpebrasq; nõ facilè attollūt, oculosq; habent prahumidos.

*Iracundorum signa.*

Iracūdis neq; oculorū cõcauitas, nec manifesta inest decoloratio. Sed nec magnitudo pulsuū aufert.

*Febrientiū ex lassitudine signa.*

Eorū uerò qui febriūt ex lassitudine, cutis est siccior, q̃ in aliqua alia febrium ephemerarū.

*Ephemera ex densata cute.*

Quæ ex deusata cute febres oriunt, solæ inter omnes ephemeras in passionè astricta cõsistunt, facileq; dignoscunt ex tactu: sicut & aridæ febres quæ ex lassitudine fiunt. Caliditatis autē motus in ijs quodāmodo augescit.

*Ephemeras ex bubone ortas quæ arguant.*

Earū uerò febrium ephemerarū, quæ ex bubone accendunt, pulsus maximi sunt, ueloces atq; frequentes, calorq; plurimus, qui post statum statim ex profundo attollit, sed suauis. Præterea rubea facies magna ex parte ipsis inest, & maior tumor, & urinæ subalbæ. Cõmunis autē his febribus inest æqualitas pulsuū.

*Hecticarum febrium nulla fit statim in primis diebus, sed in progressu.*

Quia uerò nulla hecticarū febrium in primis diebus, sed in progressu temporis fit, de illis non agemus impræsentiarum.

## GALENI PERGAMENI de crisibus lib. III.

*Crisis per excellentiam dicitur subita permutatio morbi ad salutem.*

VBi morbus subitò ad sanitatē peruenit, ea permutatio omniū optima est, atque ideo ipsam per excellentiam crisim uocamus.

*Crisis mala.*
*Crisis imperfecta.*

Ex alijs autē permutationibus, quæ quidē ad subitam mortē fit, mala crisis existit. Quæ uerò aliquam effatu dignam mutationē efficiunt, non tamen integram solutionē, imperfectæ crises uocantur: sicuti & quæ sensim emoriente uel uirtute, uel morbo contingunt: quæ solutiones simpliciter, non crises uocari debent.

*Crisis optima fit cum subitis excretionibus aut effatu dignis abscessibus.*

Sola igitur subita ad sanitatē conuersio, simpliciter crisis uocatur: quæ fit subitis quibusdam excretionibus, aut effatu dignis abscessibus. Quicunq; enim aliter quieuerint, retrocedunt malignius.

*Crisim prævenientia symptomata.*

Antecedit autē huiusmodi excretiones abscessusq; non mediocris perturbatio in ægrotantis corpore. Nam anxietates, uigiliæ, dementiæ, graues somni, respirationes difficiles, uertigines, sensuum difficultates, dolores capitis, colli, stomachi, & multorum aliorum membrorū: nonnullis uerò aurium sonitus, & uanæ ante oculos apparent imagines, & lachrymæ inuoluntariæ effluunt, & urina retinetur, & labrū agitatur, & aliquid tremulum fit: obliuio præterea, & præsentiū ignorantia, & uehemens rigor accidit, & plurimum accessio consuetam anticipat horam, & multus æstus, sitisq; inexpugnabilis sequitur: clamant & saliunt, sicuti furentes, nec possunt in eodem situ recumbere. Deinde repentè multus sudor erumpit, aut uòmitus nõ exiguus insequitur, aut uenter subitò soluitur, aut abundans fit fluxus sanguinis, aut hæc omnia simul contingunt, unde non paruus inuadit timor adstantes.

*Cõctiones esse expēdendas, ad cognoscendā præsentē crisim, ac præuidendam futuram.*

Vt igitur qualē sit habitura exitū præsens crisis, agnoscas, præuideas autem futurā, primū ac maximè omniū expendendæ coctiones sunt ex urinis, alui excrementis, atq; ex ipsis sputis.

*Interysse aliquē qui crisim post coctiones præcedētes habuisset, non vidit Galenus vnquam.*

Quippe nemi nem uidi intereuntē, qui præcedentibus coctionibus, crisim ipsam habuisset. Non tamen æqua omniū signorū dignitas existimanda est: sed in morbis quidem thoracis atq; pulmonis, præcipuè sputa sunt exploranda: non tamen urinarū contemplatio explodenda: sed & excrementa sunt inspiciunda.

*Excretiones corporis, quæ in quibus morbis præcipuè sint expendendæ.*

Si uerò tantùm febricitēt absq; alicuius uisceris affectione, *aut si etiam aliquid eorum quæ circa hepar, renes, uesicam, atq; splenem habentur, phlegmone obsessum sit, maximè urinis est intendendus animus. Sicuti si circa uentriculum passio consistat, primùm excrementa alui inspiciunda: sed neque interim sunt negligendæ urinæ.

*Crisis bona & instātis indicia.*

Primū itaq; & maximum instantis bonę crisis indicium, sunt concoctiones. Secundum autem, quod ab aliqua die indicatoria, indicata prius fuerit, cui annexa sit diei ipsius iudicantis facultas. Deinceps uerò inspicere oportet, & speciem morbi, & morem: ac postea, si formæ morbi, ipsa excretio respondeat.

*Ardentis febris solutio cum quibus excretionib. fiat.*

Etenim si febris exurens sit, uel sanguis è naribus profluet, uel post uehementem rigorem sudor multus & calidus per totum corpus manabit: aut per uomitū, aut per aluum, biliosum aliquid excernet.

*Tertiana solutionem excretionibus testatur.*

Ita & tertiana uomitibus & excrementis biliosis, & sudoribus toto corpore fluentibus, finiri debet.

*Quotidianarū solutio quas excretiões adferat.*

Plurimū autē pituitæ in febribus excernitur quotidianis, & multi per totum corpus sudores fiūt.

*Phrenitis quib. excretiõibus soluatur.*

Finit autem & phrenitidem sudor multus, præcipuè si calidus è capite fluxerit, sudante simul reliquo corpore. Contingit etiam interdum, ut per sanguinē fluentem è naribus phrenitis etiam soluatur. Non tamen lethargus, aut peripneumonia fluxū sanguinis amant. Inter ipsas autem pleuritis medium obtinet locum.

*Sanguis è narib. atque è directo profluens, quas soluat inflāmationes.*

Lienis etiam heparisq; soluit inflammationes, si simul adsit acuta febris, sanguis è naribus profluens: sicuti & reliquas omnes, quæ sub præcordijs fiunt, feruentes & acutas inflammationes. Oportet autē per directum fluere sanguinē, ex dextra quidem nare, patiente hepate, uel locis sub dextris pręcordijs positis: ex sinistra autē, liene, & locis uicinis. Iuuat etiā & sudor bonus omnes quæ sunt iuxta præcordia inflāmationes calidas & acutas.

*Hepatis partes quib. excretionibus solui soleāt.*

Hepatis uerò cõuexæ quidem partes patientes, fluxib. sanguinis è nare dextra, sudoribus bonis, copiosisq; urinis soluunt. Cauæ autem partes excrementis biliosis atq; sudoribus: nonnunq̃ uerò & uomitibus.

*Sudores omnes sunt febrib. proprij.*

Sudores tamen omnibus febribus proprij sunt, & præcipuè exurentibus. Finiunt autem quartanas febres, si atra simul cum eis atq; uaria excernantur: semitertianas uerò, si biliosa simul & pituitosa.

*Sudores, quos dissoluant affectus.*

Soluunt etiam parotides, lethargos, reliquosq; omnes affectus capitis. Porrò cæteri abscessus, febres omnes diuturnas securè soluere consueuerunt. At uerò ægrotantis ætas atq; natura, præterea uictus ratio antecedens, locus in quo ægrotat, anni tempus, præsensq; status temporis, ueniunt cõsideranda. Atq; ex his quę diximus licet

exer-

exercitatis uiris præsentẽ crisim cognoscere.

*Crisis futura præcognoscẽda qua requirantur.*

Ad præcognoscendam uerò futurã, illa quæ nuper diximus, unà cum natura morbi similiter expendenda sunt. Post hæc autem & accessionũ circuitus ueniunt considerandi, an per tertiũ, uel per quartũ, uel per singulos dies eueniant, uel nullo modo eueniãt, sicuti in synochis accidit.

*Synochas febres nullũ habere circuitum.*

*Crisim citò & tardius futurã, quæ indicent.*

Si enim properauerint, ac semper proportionabiliter anticipauerint horã, aut multò uehementius infestauerint, & per tertiũ occursauerint, citò crisim subsecuturã denunciant. Si uerò lentè moueant, atq; eadẽ inuaserint hora, & singulis diebus fiãt, post longius tempus crisim futurã portendunt.

*Coctionum permutationes quæ indicent.*

Præterea coctiones inspicere oportet: quarũ insignes permutationes, si in diebus indicatorijs accidant, indicia sunt, quòd sequentes iudicatorij dies ægrotũ absoluent morbo. Minimè autẽ contingit, febrem omnia signa securissima habentem, nec illam, in qua sunt omnia maximè perniciosa, alteram quidem nõ liberare, alteram uerò non occidere in primo quaternario ægrotantem.

*Accessiones singulæ quatuor sortiuntur tempora: initium, augmentũ, statum, & declinationẽ.*

Cùm autem unaquæque accessio quatuor habeat partes, principium, augmentũ, statum, & declinationem: uel has omnes breui tempore accessio percurrit, uel tardo: uel nonnullas quidem citius, nonnullas uerò serius. Si omnes igitur celeriter peragat, manifestũ inde fit, quòd ad crisim properat: omninoq; huiusmodi febris est de numero intermittentiũ. Neq; enim contingit, ut illa quæ omnes celeriter peragat, amplius continua permaneat: sicuti neq; ut quæ in omnibus partibus prolixitatem seruat, sit intermittens.

*Intermittens febris est, quæ ad integritatem desinit.*

*Synocha febris tota, unus status existit.*

Voco febrem intermittentem, quæ ad infebricitationẽ peruenit. Porrò febris synochæ longus est status: * imò uerò tota hæc febris status est. Cùm igitur morbi species, & magnitudo, & motus, & mos, inter se distinguantur: & species quidem fit ex proprijs accidẽtibus cognita. magnitudo uerò, ex eorundem quantitate: motus, ex tempore accessionis partiũ: mos, ex accidentibus superuenientibus: his quoq; adiuncta consideratione temporis anni, & naturæ, & regionis, & similium: nunquid morietur æger, aut seruabitur, ad hæc tria respiciens inuenies, ad speciem, & morem, & magnitudinem: sed præcipuè morem expendere oportet.

*Crisim salutarẽ aut perniciosam cognosces, ad speciem morbi, morem, & magnitudinem, si respexeris.*

*Solutio morbi, sit ne futura per crisim, an secus, unde cognosci possit.*

Vtrum uerò per crisim terminabitur morbus, an non, primũ quidem ex motu ac magnitudine perspicies: deinceps autẽ ex ipsius specie: postea ex anni tempore, & ex alijs quæ eiusdem sunt ordinis, & ex superuenientibus accidentibus, quæ uel unà cum crisi ab initio inuadũt, uel paululum anticipant.

*Accidentia superuenictia, trifariam diuidi.*

Nam cùm superueniẽtia accidentia diuidant trifariam: in ea scilicet quæ morẽ morbi natura ostendere apta sunt: & in ea quæ affuturam proximè crisim denunciant: & in ea quæ nõ solùm signa, sed etiã causæ crisis existunt: primũ quidem ex his simplex est genus: secundum uerò & tertium nõ semper, neq; idem facere neq; ostendere est aptum, sed uariatur secũdum tempora. Si æger igitur primo die habeat signa salutis manifestissima, huic in primo quaternione soluet morb[illegible] Vtrum uerò per solutionem uel crisim, ma[illegible]dine & paruitate distinguit. Magna siqui[illegible], iudicant omnino: parua autem duntaxat soluuntur.

At dies crisis ex ipso motu inuenies.

*Synochas diuersas esse à continuis febribus.*

Nam si febris synocha fuerit, nullusq; acciderit error, sperandum est crisim quarto futuram die. Si uerò continua fuerit, magnitudinẽ ac motum inspicere oportet. Conuenit nanq; in tertio uel quinto die crisim fieri: in tertio quidẽ, si morbus sit magnus, ac motum habeat uelocem: in quinto autem, si nec ualde magnus sit, nec moueatur uelociter.

*Crisis in idem cum tempus debet cum accessione.*

*Cõtinuæ febres, quare tertio vel quinto die soluã tur.*

*Motus celeritatem tarditatẽm quæ adiuuãtia.*

Oportet enim crisim in idem tempus incidere cum accessione. Ob idq; rarò accidit, ut in quarto die cõtinuarũ crisis uideat. Continuæ itaq; febres, quæ in accessionibus crisim habent, tertio die, uel quinto, rationabiliter finiuntur. Adiuuat motus celeritatẽ morbi magnitudo, & anni tempus, & regio, & ætas, & quæcunq; alia amarę bili conueniunt. Tarditati autẽ motus insunt contraria. Cæterũ principij signa, si diutius perseuerarint, diuturnũ fore morbum significant. Augmenti uerò, si in quarta uel septima die apparuerint, sperandum aliquid in quartodecimo est: * id tamen undecimo designabit. Nam si hæc tria in eo die coniuncta fuerint, & motus uelocitas, & febris magnitudo, & manifestum coctionis indicium, fiet crisis in quartodecimo. Si uerò solùm manifestum coctionis signum die undecima appareat, nec tamen morbi magnitudo, aut morbi uelocitas festinarint, tũc ultra diem decimũquartũ differet crisis. At si nec die quartodecimo aliquid innouatũ fuerit, q̃d sit exquisitũ, tunc ad diem decimũseptimũ est respiciendum. Si enim in eo apparuerit aliquod signum, id fidissimũ erit, quãuis sit perexiguũ, crisimq; uigesimi diei præmõstrabit.

*Crises optimæ quæ.*

Quæ igitur crises post signa optima, & exquisitã factæ fuerint coctionẽ, eæ necessariò erunt optimæ: quoniã et sola coctio, crisis celeritatẽ salubrẽ ostendit. Exquisita uerò fit coctio tẽpore status. Cùm igitur forma uictus ad statũ instituat, & crisis optima in illo fiat, utiq; omniũ crisium ipse erit regula. Quæ enim huic est proximior, altera magis distante est potior.

*Victus rationẽ iuxta statum instituendum.*

*Status morbi, omniũ criseõn est regula.*

*Status præcognitio maximè curæ esse medico debet.*

Quare in nulla re adeò exercitandus est medicus, ut in status præcognitione. Etenim quicũq; morbi status tẽpus prætererierint iniudicati, hi sine crisi perseuerãt, & paulatim soluuntur: nullumq; periculũ est, status tempore elapso, quantũ iudicio assequi possum.

*Statu tempore elapso, solui paulatim morbos, omneq; abesse periculum.*

Qui uerò perierunt in declinationibus, omnes ij aut proprio sunt, aut errore medicorũ extincti, nequaq̃ autem ui morbi. Vbi enim natura superior euasit, restitit(q;) uehementiori morbi conatui, & quę infestabant oppressit (hoc enim est ipsa coctio) fieri nõ potest, ut deinceps succumbat. Quòd si à morbo nõ uincatur natura, mortem subsequi nullo modo contingit. Siquidẽ nihil aliud mors est, quàm omnimoda naturæ postratio.

*Mors est omnimoda naturæ prostratio.*

Igitur an moriturus sit æger, nec ne, præcognoscet nemo, nisi status tempus præsciuerit. Vt autem scire non possumus, an portando oneri quispiam sufficiens erit, hominis robore, oneris magnitudine, ac uiæ longitudine antea nõ exploratis: sic nihil de ęgrotantis salute prius pronunciare licebit, quàm magnitudinẽ morbi, naturæ robur, ac futurum statum inuestigarimus.

*Predicturus salutẽ vel mortẽ, debet prius magnitudinẽ morbi, naturæ robur, ac futurum statũ inuestigare.*

At uerò si ex tribus ijs cognouerimus, nunquid liberabitur aut morietur æger, colligere ita poterimus aliquid

de crisis tempore & modo. Nam si morbus inueniatur salubris, & neq; eius acumen, nec magnitudo festinent, nec error aliquis cōmittatur circa ægrū, status tempus crisis expectat: quæ sanè optima erit, ut quæ morbo cōcocto fiat. Si uerò uel propter morbi magnitudinē, uel motus celeritatem, ante statū crisis uenire cogat, tantò hæc deterior optima erit, quantū statum anticipauerit. Quòd si neq; usq; ad statum sufficere possit, necessum est ægrum ex hoc morbo interire, non tamen omnino propter statū.

*Crisis quo morbi tempore fiat.*

Crisis enim uel in statu, uel parum ante ipsum fit: mors autē, in tribus temporibus, principio, augmento, & statu.

*Mors quo morbi tempore accidat*

*Permutationis morborum tres differentiæ.*

*Crisis perfecta quid.*

Porrò ubi quis subitò liberatur à morbo, omnino huic aliqua euacuatio effatu digna, aut abscessus cōtingit, præcedente tamen insigni quadam perturbatione. Atque hunc sanè solutionis modum uocamus crisim. Est & alius solutionis modus, ubi scilicet nō omnino absoluitur æger: quæ crisis dicitur imperfecta.

*Crisis imperfecta.*

Vbi uerò morbi paulatim & citra perturbationē soluunt, solutio illa per abusum crisis uocatur.

*Crisis per abusum quando dicatur.*

Ac tres quidem hi sunt modi *permutationis morborū, cùm ægrotus est euasurus: tres uerò alij istis proportionales, cùm uidelicet est moriturus.

*Permutationis morborum, cùm æger est interiturus, tres modi.*

Vel enim subitò moritur, cum perturbationibus, euacuationib. uel abscessibus momentaneis: uel mortem non subit quidem ex istis, sed multò deterius euadit.

*Crises nō bonæ.*

Vocentur autē hæ duæ crises nō bonæ: quarum prima quidem perfecta, secunda imperfecta existit. At tertia species malæ permutationis, quæ hominē paulatim ducit ad mortē, arefactio dicatur.

*Arefactio.*

Est & quartus modus subitæ permutationis ad peius, sine magnis excretionibus, uel materię in aliquē locū affluxibus, quam neq; crisim appello. Statuens igitur aliquā esse uitalem potentiam, stude ut agnoscas * ipsius ita in robore, ut in imbecillitate, dispositionē. Vbi uerò in his exercitatus iam fueris, cura deinceps, ut omnes morborū tam in magnitudine, q̃ in more differentias, & post hæc, futuri status pręcognitionē, perdiscas. Quæ ubi accuratè didiceris, tunc te exerceas oportet in cōprehendenda per exquisitā coniecturā, tam morbi magnitudine, q̃ ægrotantis robore: & quanto hæc tempore possint perdurare. Sicuti enim qui signa omnia bona præ se fert, in primo quaternione integrè liberabitur: ita qui omnia mala, intra primū quaternarium morietur.

*Euasurus morbum, necessariò debet transire illius uniuersalia tempora.*

Cæterū qui quidem liberatur, omnia morbi tempora uniuersalia pertransit.

*Moriturus ad declinationis tempus pertingere minimè potest.*

Moriturus uerò ad declinationis tempus pertingere minimè potest: * imò nec necessariò ad statū. Contingit quippe ipsum in augmēti & principij etiā tempore mori.

*Crisim ut moriatur quispiā, non esse necessariā.*

Crisim uerò subire nō est necessarium, & maximè si in principio morbi moriatur. Hoc autē accidit, ubi natura à morbo plurimum superatur. Tunc siquidem nec certare aduersus ipsum aggreditur: atqui sine certamine non fit crisis.

*Crisis nō fit absque certamine.*

Hic igitur est quartus modus mortis, qui nulli salutariū assimilaē.

*Nemo absq; crisi subitò morbum euasit.*

Nemo siquidem subitò morbū euasit sine crisi. Multi uerò sine hac subitò intereūt, plurimiq; in accessionū principijs, illi præsertim qui propter materiæ multitudinē & crassitiem, aut inflammationis magnitudinē, exitialiter laborant.

*Mors absq; crisi quibus cōtingat in accessionum principijs.*

In accessionū etiam particularium declinationibus, ob uirium imbecillitatem moriunē. In totius autē morbi declinatione, nullus unquā extinguitur propria morbi ratione, sed ob errorē cōmissum.

*Mori cur nemo possit in totius morbi declinatione, nisi ob errorem cōmissum*

Quandoquidē ubi morbi status præterijt, natura euasit superior: alioqui nō declinasset morbus. Fit autē semper uehementior pulsus, ęqualiorq; & ordinatior, in optima declinatione. Debilior uerò, inordinatior, & inæqualior, in exitiali.

*Mortis esse tres modos, ijs qui absque crisi moriuntur.*

Tres itaq; sunt omes mortis modi, ijs qui sine crisi moriunē. Primus quidē in accessionū principijs, qui in magnis inflāmationibus principaliū membrorū contingit plurimum, uel ob humorū multitudinē, crassitudinē, & tenacitatē. Secundus in tempore status, à morbi ui natura superata. Tertius in declinationib. qui rarissimè accidit, uigore soluto uitali. Horū uerò nullus cōtingit cum crisi. Neq; enim morbum depellere in huiusmodi mortis modis ab initio natura tentauit. Vbi uerò tentauerit, sed succubuerit, malam crisim talem euentū appello: fitq; omnino cum excretionibus, aut abscessibus momentaneis. Sicuti autē in malis crisibus est plurima incertitudo cōiecturaq;, ita in bonis scientia, & firmitas præualet.

*Naturæ motus quādo determinati, ordinatiq; sint, & quando item contrarij.*

Determinati siquidem sunt, atq; ordinati naturæ motus, si & ualida sit, & dominetē materiæ, propriasq; perficiat operationes. Indeterminati uerò, inordinatiq; & incogniti, si quando succumbat. Porrò si morbo pernicioso existente, quarto die letalia signa se ostendant: si quidem imparibus diebus accessio fiat, septimo accedet crisis: si uerò pluribus, sexto. Certiorē tamen expectationē faciet ipsius morbi motus. Nam si is acutè moueatur, crisim sexto die uenturā significat. Sin uerò tardè, ad septimā differetur. Cùm uerò dies indicatrix nullum de mala crisi futura signū ostenderit, præcognitio eius minimè facilis erit.

*Mortem absque crisi accessuram quæ indicent.*

Est autem primū & maximū morbis mortalibus signū, quòd sine crisi mors sit subsecutura, uiriū imbecillitas. Secundum uerò, si nullum adsit signum coctionis: & præter hæc, si magnus sit morbus malignusq;, & moueatur celeriter. Cùm enim hæc affuerint, omnino absq; crisi mors subsequetur.

*Mortis dies quauia cognoscatur*

Mortis autem dies præcognoscitur, quantò superet morbus naturam considerando, & grauiores accessiones inspiciendo. Si enim effatu dignus fuerit excessus, & parū resistere adhuc uis naturę uideatur, mors citò subsequetē. Si uerò contraria affuerint, tardius. Sit igitur, gratia exēpli, multus excessus, nō tamen manifestus: an ad unum diem, uel duos extendi poterit, hoc certè distinguetur accessionū circuitibus. Quo enim die debet accessio fieri, in illo morietur. Constet rursus morbum esse exitialem, nec multam prostrationē uirium adesse: liquet primū ex hoc, mortē nō esse propinquā. Deinde inquirendū est, an crisis fieri possit.

*Crisim quando tentabit natura*

Si igitur uirtus robusta fuerit, & morbus moueaē ualociter, & aliquod signū coctionis affuerit, nō extra rationē est, quòd natura tentabit crisim. At si uirtus quodāmodo succubuerit, ac morbus tardū habuerit motū, nullūq; adfuerit coctionis signū, in hoc subsequi haud crisim cōtinget.

*Crises optimas fieri in statibus.*

Itaq; optimæ crises in statibus fiūt: in augmētis uerò, si salus sit subsecutura, uel imperfectæ, uel nō securæ. At in morituris, uel inte

rimunt

rimunt ſubitò, uel magnam ad peius mutationẽ efficiunt. In principio autem morbi, criſes non fiunt. Quando igitur futura criſis oſtenditur, & mox præcedens moleſta fuerit, & poſt ipſam acceſsio citius inuaſerit cũ quibuſdã inſolitis accidentibus, neceſſe eſt in eadem acceſsione fieri criſim. Qualis autem futura ſit criſis, utrum per ſanguinis fluxum, uel uomitum, uel ſudorem, uel per aliquod aliud ex ijs, quæ ſæpe enumerauimus antea, autor bonarum diſciplinarũ Hippocrates accuratiſsimè expoſuit, cùm in primo Epidemiarũ libro, tum uel maximè in cõmentario prognoſticorũ. In uniuerſum autem, nihil aliud oportet conſiderare in modo criſis, præter naturæ ipſius inclinationẽ. Diſtinguendum autem eſt, an calidus & acutus ſit morbus, criſisq́ in primis fiat periodis: quippe neceſſe eſt tunc poſt criſim, non abſceſſum, ſed excretionem ſubſequi. At tardi & diuturni morbi per abſceſſus quieſcere conſueuerunt: præcipuè ſi urinæ tenues & crudæ longo tempore exierint. Nam ſi multam & optimam ſubſidentiam habuerint, rationabile eſt morbum potius paulatim concoctum iri, non per abſceſſus ſoluendum eſſe. His præfinitis, deinceps conſiderandum eſt, ſi quidem per excretionẽ debeat terminari morbus, nũquid profluuiũ ſanguinis, uel uomitus, uel ſudor, uel alui ſubductio ſequet: ſi uerò per abſceſſum, quodnã membrũ, & quis articulus abſceſſum ſuſcipiet. Cæterũ in ijs qui per excretionem debent terminari, dupliciter diſtinguere oportet. & futuræ excretionis ſignis ſi affuerint: & aliorum, ſi minimè adſint.

*Naturæ ipſius inclinationẽ tãtum eſſe conſiderandam, ad criſis modum inueſtigandum.*

*Acuti morbi per excretiones, ut diuturni per abſceſſus, magis ſoluuntur.*

*Rigor quando expectandus ſit.*

Si igitur præter rationem aluus ſupprimitur, uel urina, iam propè criſi exiſtente, rigorem ſperare oportet.* Qui ſi accidat, diſtinguendũ tunc eſt, nunquid ſudor poſt ipſum ſequatur, uel uomitus, uel ſubductio uentris, uel aliqua horum, uel omnia. Et primũ quidem ad morbi ſpeciem eſt inſpiciẽdum. Si enim exquiſitè fuerit incendens, ſtatim certior erit rigoris ipſius præcognitio. Quod enim incendit, bilioſum eſt. Atqui bilioſus humor, ubi uehementius mouetur, rigorem facit. Poſt hæc autẽ & illud conſiderandum eſt, nunquid urinis tantùm, uel etiam aluo cõpreſſa, riguit. Si enim ambobus, neceſſariò rigor plurimus ſubſequetur. Si urinis ſolis, conſiderare oportet, nunquid alui excrementa plura quàm priora, uel pauciora ante criſim exierint. Si enim* plura, manifeſtius motus naturæ ad hunc locum eſt agnoſcendus: ſin pauciora, ad ſudores. Si uerò & uomitus ſigna adfuerint, per has ambas criſes iudicabitur. At ſi uomitus ſigna non adſint, ſolos ſudores expectare oportet, & magis quando ægrotantes delirauerint increſcente acceſsione, & partes exteriores calidiores ac rubidiores extiterint, & uapor quidam calidus exeat, qualis antea nõ aderat. Quòd ſi pulſus etiam undoſus fiat, & inſigniter mollis, adhuc etiã amplius ſudores expectare oportet. Durus autẽ pulſus, uomitus magis q̃ ſudores præoſtendit. At altus, omnimodæ excretionis eſt index, perinde ac uehemẽs. Si uerò magnus extiterit, motus ad exteriora potius, quàm ad interiora, ſignũ exiſtit. Cùm uerò uterq; fiat modo duplici, hic quidẽ qui ad exteriora, per fluxum ſanguinis è naribus, atq; ſudores: alter autem qui ad interiora, per aluum atq; ſtomachũ: undoſus quidem pulſus, ſudores: magnus autẽ, ſimpliciter ſanguinis fluxũ præoſtendit. At motu ſuperante ad interna, cùm non aderunt ſigna uomituũ, per uentris excrementa fiet criſis: ſi uerò affuerint, & uenter inſigniter ſubducatur, per utraq; perficietur.

*Bilioſus humor uehementer motus, rigorẽ facit.*

*Sudores critici, quãdo ſoli expectandi ſint.*

*Vndoſus pulſus nunciat ſudores.*

*Pulſus creticas excretiones ſignificantes.*

*Pulſus magnus præoſtendit ſanguinis fluxum è naribus.*

Inæqualis autẽ pulſus in plurimis quidem criſibus ſit, & præcipuè cùm non fiunt ſine periculo & pugna. Vomituum ſigna ſunt, oris uentriculi morſus, unà cum dolore capitis, obortę uertigines, agitatio labri inferioris, magnusq́ ſputi tenuis defluxus. Propria uerò ſigna profluuij ſanguinis, quidam fulgoris motus oculis apparentes, quoniã humor eſt flauus. Obtuſiones autẽ, quoniã multus, & totus ſimul elatus ad ſuperiora, ſpirituũ meatus obſerat. Ita autẽ & oculi lachrymantur, ob multitudinẽ fluxus. Eodem modo rubidi aliquando uident in malis: nonnunq̃ & naribus. Proprium uerò ſignum ſanguinis fluxus è naribus eſt, etiam præcordiorũ tenſio ſine dolore. Nam & hoc nõ paruum indiciũ eſt ſanguinis ad ſuperiora tendentis: ſicuti etiã difficultas reſpirationis, quæ cõtingit ſanguine tranſeunte in thoracẽ. Si uerò præcordia cum dolore extendantur, nõ modò fluxum ſanguinis nunciant, ſed etiam aliquam ibi adeſſe inflammationẽ ſignificant. Sed & dolores capitis, qui quidem ueluti mordaces ſunt, uomitum: qui uerò quodammodo graues atq; extendentes, pulſantesq́ & calidi, ſanguinis fluxũ propriè ſignificant. Sic etiam uiſcerum ſub præcordijs exiſtentiũ inflãmationes, cauſę ſunt ac ſigna ſanguinis fluxuũ, quando morbus per excretionem eſt iudicandus.* Cæterũ ſi ex cõtraria parte fluat ſanguis, malum eſt. bonũ autem, ſi ſecundum rectitudinẽ uiſceris, ut inquit Hippocrates. Quare pręcordia dextra per dextrã narem bonã afferũt criſim: per ſiniſtram autẽ, ſiniſtra. Si uerò per excremẽta alui ſit criſis ſubſecutura, manifeſtum quidem nullum eſt ſignum: ſed ex eo quòd adſunt quidẽ criſis ſigna, deſunt autẽ uomituũ, & fluxus ſanguinis, & ſudorum, colligere licet. Quanquã uel ſi nullum horũ ſignorũ adſit, non hoc tantũ modo, ſed etiam per hæmorrhoidas, fieri criſes contingit, & mulieribus per purgationes menſtruas. Non tamen impoſsibile omnino eſt talia diſtinguere. Grauitas quippe lumborũ effatu digna, & tenſio, & dolor, menſtrua hic antecedit. Hæmorrhoides uerò, nõ omnibus ſunt conſuetæ. Quibus autẽ ſunt conſuetæ, in ijs difficile fuerit diſtinguere. Igitur alijs omnibus, quando adfuerint ſigna coctionis & criſis, uomitus uerò nõ adfuerint, uel fluxus ſanguinis, uel ſudorum, omnino uenter turbabitur. Si uerò morbi ad abſceſſus conuerti uideantur, cõmunia quidem omnia indicia ſunt, ubi ægri ſalus deplorata non eſt, quòd neq; morbus ſoluatur, neq; urina multa, & multam habens ſubſiſtentiam, ſed cruda & tenuis appareat. Propria uerò non admodum diuturnorum morborũ, ſi æger in difficiliorem reſpirationem repentè incidens, breui quidem liberetur à tali reſpirandi difficultate: ſed excipiat ipſum ſtatim dolor, capitis grauitas, inexpugnabilis dormiendi neceſsitas,

*Inæquales pulſus quando per criſes fiant.*

*Vomituũ ſigna quæ ſint.*

*Sanguinem fluxurum per nares quæ prænunciẽt.*

*Præcordiorũ dolor tenſiuus, ſanguinis fluxum è naribus, inflammationemq́; illius partis indicat.*

*Sanguis profluturus inflammationibus uiſcerum, ſecundum eorum rectitudinem effluere debet.*

*Menſtruas purgatiões creticas, quæ ſigna præcedere ſoleant.*

*Criſis per abſceſſus futura ſigna quæ ſint.*

surditasq́. Huic siquidem in glandulosis post aures partibua, necessum est abscessum oriri. At si morbus fuerit inueteratus, neq; ullum ex hia signis affuerit, sed in ægroto ex locia inferioribus uel grauitas, uel tensio, uel *incendium, uel dolor aliquis apparuerit, huic abscessus ad partes inferiores est expectandus.

## GALENI PERGAMENI *de præcognitione lib. unus.*

### CAPVT I.



Vòd fieri nequeat, ut quæ in singulia morbis sunt euētura ægria, præcognoscant, quamplurimi medici existimant, ô charissime Epigenes. Postquam enim multoa reperire est nō in Medicina modò, sed etiam in cæteria artibus, qui apparere, quàm esse, malūt: si quid in disciplinia inest optimū, negligi cœpit: cōtrà exquiri ea, è quibus uulgo plurimi fiant: dicere inquā & agere in alienā gratiam, adulari, diuites & primarioa ciues manè officiosissimè salutare, comitari postmodū, domumq́; reducere: cœnantibus insuper satellitum instar astare, scurraaq́; agere.

*Disciplinæ omnes vnde negligi inceperint.*

Atq; hinc est orta cōmunis illa omniū artiū infelicitas, quæ nostra ætate irrepsit. Nam quod quidem ad medicam professionē pertinet, si quando aliquis medicorū qui rectè profiteaꝭ artem, aliquod symptoma ægroto affore prædixerit, rarum quiddam & mōstrosum ipsi uulgo uidetur: tantumq́; abest, ut admirationi sit, qui hoc prædixerit, ut etiā bene secū ia agi putet, ni ueluti impostorē aliquem auersentur. Iam uerò aliorū medicorū inuidiam adeò grandem in se cōcitabit, ut ab eia tandem circūueniatur ueneno (quo illi præcipuè insidiari solent) aut pro splendido eruditionia suæ præmio, cogatur in exilium abire: id quod olim fuit Quintus passus, qui cùm Romanis medicia, multis nominibua antecelleret, Roma tamē est pulsua, idq́; falso quodā prætextu, quòd ægros perderet. Quare multi syncerissimi uiri, prauitatē, qua hęc nostra ætaa detenta est, exploratā habentes, à turba & frequentia hominū, ceu à ualida quadam tempestate & procella, in solitudinia salutarē portū sese recipiunt. Atq; erunt profectò hi multitudini ignoti: cæterùm noti & amici primū & maximè dijs immortalibua, deinde uiris quoq; optimis.* Quinetiā uitam tranquillam agent, sinentq́; uersutoa illoa *esse apud uulgus admirationi.

*Artium omniū infelicitas vnde emanarit.*

*Romanorū medicorū insidiæ.*

*Quintus medicus ab inuidia olim fuit pulsus Roma.*

*Viri optimi cur subducant se in solitudinem.*

Porrò diuitū & præpotentium mollities, malorum omniū esse causa uidetur: qui uoluptatem præferentes uirtuti, eoa quoq; nihili faciunt, qui quæ uerè bona sunt, norunt, & alios docere possunt: sed potiua totoa sese ijs dedunt, qui uoluptatē conciliant, hoa ditant, hos admirantur, hos euehunt sublimes, adeò ut saltatorū & aurigarū imagines inter deorum simulacra erectas uideaa. Viroa autē eruditos eatenus suspiciūt, quatenua eorū opera indigent. Geometria igitur & arithmetica, ea duntaxat ratione in precio sunt, quòd ad supputandaa sumptuū ratiūculaa, aut domos extruendas, usum ferunt. Astronomia uerò & diuinatoria, ad præsciendaa hæreditatea utunꝭ. Musica, quatenus oblectare potest auditū. Philosophiā autē harū omniū dominā, & demonstratiuā disciplinā, omnino negligūt: nisi quando rhetoribus sophistica arte, instrumento sanè maligno, uti in oratione est animus. Hi enī in medica disciplina necessariū illum usum tantūmodo spectant, neq; hunc satis exactè: sed, ut Plato quandoq; ait, si quidem pueri & insipientes, de medicia & coquia ferre iudicium debeant, nō parum proculdubio coquus medico præferetur.

*Præpotentium mollities malorum omniū esse causa videtur.*

*Coquus medico præfertur, si de vtroq; ipsorum pueri et insipientes ferre iudiciū debeant.*

### CAPVT II.

Cùm igitur primū Romam ueni, horum omnium ignarua, nihilq́; eiusmodi suspicatus, studui nō equidem ex solia uerbia, sed ex operibus ipsia, & morboa curando, & futura præcognoscendo, omnibus innotescere, quousq; mihi tandem euenerūt quæ paulò antè dicebam. Etenim tunc in Eudemo Peripatetico mirè quartanam febrem ab alijs ignoratam prædiximus: qua quidem ubi se manifestè correptum sensit, me miris laudibus extulit, ceu in contrectando pulsu admodum consummatum. Nam antea in sola philosophia me credebat præcellere, medicinam uerò obiter attigisse: tametsi nō ignoraret patrem meum apertis insomnijs admonitū, ex professo me ipsam medicinam docuisse. Cùm igitur cæteris medicis uideretur, ut summo mane eiua diei, in quo febria inuasura erat, Eudemua Theriacē biberet, ipse, ubi illi abierunt, rogauit me, ecquid mihi spei in pharmaci usu foret. Ast ego nihil cunctatus, respondi, pharmacum non modò nihil præsidij allaturū, sed potius ex simplici quartana duplicem effecturū. Eam quippe illius medicamenti uim esse, ut uitiosos succoa adhuc crudos mouere, & ad perturbationē perducere ualeat: concoquere autem, aut per halitum digerere, nequeat, præsertim ineunte iām hyemę. Nec uerò aliter contigit, q̃ ego ei affirmaram. Nam postridie summo mane accedentes medici, propinarunt illi Theriacem, & ex una & simplici, nō modò duplicē, sed triplicem reddiderūt quartanam. Cùm igitur omnia, ut prædixeram, euenissent, obstupuiꝭ Eudemus, cunctisq́; astantibus, ordine singula exposuit. Aderāt enim forte quadam, si qui in urbe Roma dignitate & eruditione erant celebres: utputa Sergiua, & Paulua, qui paulò pòst prætor creatur: Flauius quoq;, & ipse uir consularis, & Aristotelicæ disciplinæ studiosus: præterea Boëthus, & Barbarus (erat enī hic Lucij Imperatoria auunculua, qui tūc Mesopotamiæ præturā gerebat) cum ipsisq; Seuerua etiam uir cōsularis, & Aristotelicæ disciplinę addictua. Dein uerò, posteaq̃ ex tribua illia quartanis, quanam die singulæ soluendæ essent, prædicerem, quemadmodū etiam earū ortua prędixeram, nō modò ex prædictione ipsa (quæ ad uotū successit) sed ex curatione enī insignem gloriā sum cōsecutua. Atq; inde prima mihi inuidiæ origo extitit, cùm iam & ob artia opera, & ob uitæ integritatem, esse admirationi cœpissem. Porrò Antigenes medicus, unus ex Quinti discipulis, qui mirum in mòdum me irriserat, quòd Eudemum tres & sexaginta annoa natū, triplici afflictum quartana, hyemeq́; media, curandū susciperē, parum absuit quin postea, ubi uidit euentum rei, obrueretꝭ terra. At Martianus calumniari cœpit

*Galenus Eudemo Peripatetico affuturam febrē quartanā prædixit.*

*Galenum insomnijs patris allectu, nauasse arti medicæ operā.*

*Theriacem posse crudos succos mouere, concoquere autem, aut discutere per halitum, minimè.*

*Barbarus Lucij Imperatoris auunculus.*

*Galenus liberauit Eudemum à tribus quartanis.*

*Galeni iactantia.*

*Antigenes medicus.*

*Martianus.*

meaa

meas prædictiones, ceu non ex Medica disciplina, sed ex diuinatoria quapiam arte profectas.

CAPVT III.

*Galenus qua ratiõe Eudemo crisin triplicis quartanæ prædixerit.*

Cognoui autem atque prædixi Eudemo, crisim illius quartanæ triplicis certa quadã nocte futurã, ex pulsu ipso. Siquidem arteriarũ motus plurimũ se efferebat in altũ, secũdum utranq; dimensionẽ: quod nimirũ cõtingere solet, cùm natura infestantes succos è corpore excernere nititur. Recensens igitur illi omnia ea, quæ cæteras excretiones prænunciant: excretionis uerò eius quę per deiectionẽ fit alui, nullas neq; proprias, neq; efficaces esse notas asserens: tandem quia nullius ex cæteris excretionibus signa tũc apparebant, dixi alui profluuiũ esse expectandũ. Cuius rei successum ubi uidit philosophus, iam nõ solita moderatione, sed clamans dicebat omnibus, En amici, Pythius Apollo per os Galeni uult, nõ sanitatẽ modò ægris, sed diem etiã uaticinari, in qua omnino sint liberandi. Ipse enĩ opportuno usu Theriaces me tribus quartanis afflictum, in sanitatẽ asseruit, quas ex intempestiua illius exhibitione incideram: nec quicquã præterijt, quin omnia uti prædixerat, euenirent.

*Galenus opportuno Theriaces usu, à quartana triplici liberauit Eudemum.*

CAPVT IIII.

Cùm uerò apud Eudemũ conquererer de illa animi prauitate, quam medicis inesse uidebam, qui in urbe Roma clari habebantur: Nolim, inquit ille, persuasum sit tibi, uiros natura probos, cùm in hanc urbẽ uenerint, malos aliqua ex parte fieri: cæterũ qui iam antea prauo animo extiterant, cùm hic & negociorũ materia abundent, mercesq; multò amplior, quàm in alijs urbibus, undiq; alliciat eos, cernantq; quotidie multos sibi ditari similes, multiplices actiones eorum accuratè imitari contendunt: itaq; multis de causis ad summam illam improbitatem deueniunt. Quòd si fortè improbi ab aliquo deprehendantur, habent alios in tanta urbe quos adoriantur tutò, utpote suorum morum ignaros. Vnde maximè fit, ut eadem semper perpetrare flagitia posint. Qui uerò paruas ciuitates incolunt, capi lucri magnitudine nequeũt: tum quales sint, facilius à suis conciuibus dignoscuntur: nec si quid delinquãt uel minimum, crimen ipsum ita callidè operire norunt. Contrà euenit ijs qui hic degunt. Nam quæ improbè agunt, plurimos latent, unde innata illa malitia facilè augescit. Etenim ignotis atq; imparatis imponere est facile. His auditis, me breui Roma discedere iam constituisse respondi, ut quamcitissimè fieri posset, illorum declinarem improbitatem. Ad hæc ille: Non resciuere, inquit, hoc decreuisse te. Quanquam si rescissent, cùm ipsi assiduè mentiri soleant, eadem de te quoq; suspicarentur. Quemadmodum enim ipsi, indocti pariter atque inopes, idcirco urbem hanc petunt, quòd in patria uitam agere nequeant (neq; enim quæ cõmittunt quotidie, illic diu latêre possent) alios etiã eadem de causa huc cõfluere existimant, nec nisi pecunia onustos, abituros sperant. Cùm hæc & alia multa dixisset, adiecit postremò, ueneno quoq; mihi molituros insidias, ubi ad nocendũ alia uia deesset. Sic quippe iuuenem quendam in arte maximè exercitatum, unà cum duobus famulis, fuisse ab ipsis extinctum. Ad hęc ego: Gratias tibi ago præceptor longè charissimè, quòd mihi adeò exquisitè, cuncta quæ ad eorũ improbitatẽ pertinent, enarraueris. Ego enim posthac *mihi cauebo sedulò, tum ipsis cedens, tum inscitiam ipsorũ* dissimulans: atq; ex hac urbe maxima, populiq; frequentia admirabili, in paruã & paucorũ ciuium cõcedam, *in qua omnes inuicem nouimus, genus, eruditionẽ, mores, rem familiarẽ, ac demũ omnem uitæ rationẽ ciuis uniuscuiusq;. Hæc cùm ita facere decreuissem, inscitiam eorũ & improbitatẽ* redarguere destiti. Restitui tamẽ interim pręter cõplures alios, tum Charilampis familiarẽ, tum Diomedem rhetorẽ in Sandalario, morbo diuturno afflictum. Quæ omnia, digna magna laude sunt uisa. Quare me omnes magnopere suspiciebãt atq; uenerabantur magnumq; ubiq; erat Galeni nomen. At ueluti indies gloria, sic pari quoq; passu augebatur inuidia.

*Roma olim Medicus, quàm hac nostra tẽpestate infelices, multò maior merces atque splendidior proponebatur.*

*Imponere imparatis est facile.*

*Galeni pusillanimitas.*

*Galeno degenti Romæ, cũ gloria ex æquo augebatur inuidia.*

CAPVT V.

*Flauius Boethus*

Eo tempore Flauius Boëthus, uir consularis, summus uirtutis amator, atq; discendi auidus, petijt à me, ut nõnulla ex dissectionibus, hoc est, qua ratione uox cõformetur, animantiaq; respirent, exponerem. In quem usum hœdos atq; porcellos nõ paucos iam comparauerat. Siquidem non hæc modò animalia, sed & pedestria ferè uniuersa, eandem earum partiũ structurã sortiuntur. Ad illud igitur spectaculum omnes sunt cõuocati quicunq; Romæ uel in Medicina, uel in Philosophia clari habebantur. Inter cæteros autem aderat Adrianus rhetor, qui nondum causas actitabat, sed adhuc cum Boëtho familiariter uiuebat. Aderat & Demetrius Fauorini amicus, necnon Alexander * Damascenus, Boëthi præceptor, ad cõtradicendum promptus. Cùm itaq; multis diebus haberetur conuentus, monstraui primũ, inspirationem thoracis eleuatione fieri: depressione uerò, expirationẽ. Dein musculos quibus attollitur, & neruos qui ex spinali medulla procedunt, ostendi. Præterea, quòd spiritus, si absq; uiolentia foras feratur, tacitam facit expirationẽ: cùm uerò ui multa, strepentem atq; sonoram, quam etiam efflationẽ uocamus. Monstraui insuper, aërem solum, dum efflatur, ac circa gutturis exitũ à cartilagineis corporibus repercutitur, uocem efficere. Cartilagines uerò ipsas à musculis, musculos à neruis moueri: qui si abscindantur, aut excipiantur uinculo, animal mutum redditur. Quæ omnia Boëthus per notarios cursim cõscribi iussit, eorum cõmentaria apud se habere percupiens.

*Adrianus Rhetor.*

*Demetrius.*

*Inspirationem fieri dilatato thorace.*

*Expiratio fit thorace depresso*

*Expiratio tacita, sonoraq;, quo modo fiant.*

*Efflatio quid.*

*Aër solus efficit uocem.*

*Nerui mouentes larynges musculos, si abscindãtur, aut excipiãtur uinculo, mutum animal redditur.*

CAPVT VI.

Iam uerò rogatus interea sum, ut mulierem quandam inuiserem, quę noctes integras insomnes ducebat, ac subinde decubitus formam permutans, sese in lectulo huc & illuc iactabat. Quã quidem cùm febre omniq; affectu corporis uacare perspicerẽ, hinc illã Pyladis cuiusdam amore detentam cognoui, quòd eius nomine audito, non uultus illi modò permutabatur, sed pulsus etiã cõtrahebant sibi omnimodam inæqualitatem, ut qui satis perturbatũ animũ indicarẽt. Eiusmodi nãq; pulsus in ijs inuenias, quib. rem arduã aggressuris fluctuat animus. Nec dissimili

*Galenus qua ratione quandam matronam Romanam ex libidine ægrotare cognouit.*

*Inæquales pulsus inesse ijs, qui facinus aliquod magnũ sunt aggressuri.*

quoque ratione diuitis cuiusdam œconomum, nõ morbo, sed mœrore cõfici deprehendi, quòd uniuersæ administrationis, ad quam cogebatur, rationẽ reddere pro dignitate uon posset. Ex animi enim conflictatione & timore, pulsus statim euariant.

*Pulsus variari in perturbationibus animi.*

CAPVT VII.

Haud absimili industria Boëthi filium, qui sæpius recidebat in morbum, animaduerti, ob edulia, quibus clàm explebatur, id ipsum perpeti.

CAPVT VIII.

*Boëthi vxorem laborantem suffocatione vteri, qua ratiõe restituerit Galenus.*

Cùm aũt Boëthi uxor laboraret muliebri profluuio, cui superuenit postea grandis in uẽtre tumor, tractareturq; ab obstetricibus, perinde ac si prægnans esset, cõtigit ut in prima balnei domo, grauissimus dolor subitò eam inuaderet. Ab eo uerò aquosæ humiditatis uim adeò grandem excreuit, ut animo protinus linqueretur. Igitur clamore muliercularũ audito, insilio actutũ, eamq; in ulnas excipiens, nardino unguento os uentris perfricui: iussiq; astantibus, ut partitis officijs, hæc manus concalfaceret, illa pedes, aliæ bene olentia naribus admouerẽt. Atq; ita sanè q̃celerrimè illam restitui. Erãt autẽ inter fricandum quæ spectabant ad uentris regionẽ, admodum mollia & præhumida. Fuit porrò uisum medicis uniuersis, qui illuc confluximus, optimũ fore, si immodicã illam humidi affectus sobolem exiccaremus, ita tamẽ ut curatio nõ per siccantia tantùm, sed quæ excalfacere simul possent, procederet. In maris itaq; arena & quidẽ excalfacta, eam reclinauimus. Talem autem ipse illi uictum instituí, ut q̃minimo potu uteretur: frictionesq; & unctiones uniuerso admoueret corpori, quæ solo melle cõstarent: primũ quidem elixato q̃optimè, dein instar fontanæ per æstatem aquæ, refrigerato. Sicuti uerò superfluas humiditates per cutim cõmodissimè digeri iudicaui: sic & ad uesicam, per ea quæ urinas proritant, deduci, & per aluum deijci. Atq; hæc quidem diebus septem à uacuatione illa magna, sumus experti. Postea uerò, ubi mihi soli Boëthus uxorem suam permisit pro arbitrio meo tractandam, primũ quidem aquam ducente medicamento illam curaui. Dein propinaui illi, asari, apijq; decoctũ. His duobus diebus peractis, cùm nihil iam profluuij appareret, rursus die tertia modicũ quippiã ex medicamento aluũ purgante exhibui. Post hæc diebus singulis melle illeui, corpusq; perfricui, ex mollissimo primũ linteo, postmodũ ex asperrimo. Victus interim, uel ex carnibus mouranarũ auiũ erat, uel ex saxatilibus piscibus. Quibus per dies quindecim peractis, cùm ne minima quidem affectus nota extaret, præcauendi modũ postulauit Boëthus. Mense demũ exacto, cùm adeò bene colorata foret, ut distaret nihil à naturali habitu, quadringentos aureos mihi dono dedit.

*Boëthi vxori qualem victus rationẽ institueret Galenus.*

*Boëthi vxorem qua ratiõe curauerit Galen. laborantem profluuio muliebri.*

*Boethus ob restitutam vxorem quadringẽtu aureis Galenũ donauit.*

CAPVT IX.

Cæterũ inuidiã apud illos insignes medicos nõ parum Boëthus auxit, magnificè de me prædicans. Iamq; sibi in animo erat, de me loqui apud Imperatorẽ M. Aureliũ Antoninũ, qui tunc Romæ agebat. Nam Lucius urbe aberat, ad Parthicũ bellum cõpescendum. Dum hęc fiunt, bellicos tumultus in patria sedatos audio: quare statim Roma digredior, simulans me proficisci in Campaniã. Primũ itaq; Capuã petij, dein Brundusium, ut ibi nauim quæ Dirrachium, mox in Græciam transueheret, expectarem. metuens ne quis ex urbis primatibus, aut ipse quoq; Imperator, ubi discessum resciſsent meũ, missis qui me prosequerentur militibus, Romã quasi fugitiuũ reducerent. Postero deniq; die, Casiopolim appuli. Non multò pòst, cùm Lucius Romã reuersus esset, alterũ bellum, quod cum Germanis est gestum, initiũ habuit. Cùm itaq; mox urbe exijssent, bellum aggressuri, Aquileiæ, ut delectus haberent, & copias cogerent, hyemare placuit. Interim ad me mittũt, qui imperent, ut illò me conferam. Cùm uerò Lucius hyeme media migrasset ad superos, frater cadauere Romam asportato, & iustis mortuorũ peractis, apparatũ in Germanos suscepit, meq; insequi iussit. Quòd autẽ uir probus & benignus foret, facilè persuaderi potuit, ut me Romæ dimitteret, cùm præsertim breui rediturus uideretur. Igitur toto expeditionis illius tempore, sans memor insitæ prauitatis tum medicorũ, tum philosophorum, qui Romæ agebant, optimũ iudicaui ab eis secedere, modò in hunc, modò in illum locum: idq; Cõmodum ipsius filium secutus, qui sub Pitholao educabatur. Nam huic Imperator Antoninus iusserat, ut si quando puer ægrotaret, curam mihi illius cõmitteret. Cùm uerò ultra opinionem protraheretur bellum Germanicũ, scripsi interim multa, partim ad rem medicã spectantia, partim ad philosophicam. Quæ omnia post Imperatoris reditum, amicis efflagitantibus tradidi, persuasus nemini alteri ea esse legenda. Nam si uel minimum suspicatus fuissem in manus indignorũ ea peruentura, profectò nec ijs dedissem.

*Galenum uixisse Romæ imperãte Marco Aurelio Antonino.*

*Galeni in patriam reditus.*

*Lucij interitus.*

*Marci Aurelij clementiam Galenus testatur.*

*Cõmodum sequebatur in Italia Galenus, dũ Marcus Aurelius inferebat bellum Germanis.*

CAPVT X.

At uerò Sextus Antonini filius, acutissima febre detinebatur, adeò ut septimam diem citra iudicationem pertransire non posset. Sæpe uanq; irritata crisis eam diem præuenit, quæ tutò morbum erat iudicatura: id quod Sexto euenire posse, quarta die cognoram: remq; omnẽ Pitholao prædixeram, affirmans morbum septimã diem pertransire non posse, sed sexta uel septima die affuturam crisim. Quòd si sexta, morbum omnino reuersurum prædixi: sin septima, crisim habiturum firmissimã, eamq; omnino per sudores. Postquam igitur sexta die, quo prædixeram modo, morbus iudicatus est, rursus decimaquarta illum febris inuasit. Interrogante uerò Claudio Seuero, ecquid de recidiua illa sperarem: respondi (quod & Sexto & Pitholao paulò antè dixeram) accessionem illam post triduum habiturã suum finem, affuturumq; sudorem post decimũ septimũ diem, ad secundam noctis horam: quod præsagium ne tantillum quidem fefellit.

*Crisis, dum irritatur, præuenit decretoriũ diem.*

*Galenus Sexto Antonini filio prædixit modũ, horam, & recidiuam morbi.*

CAPVT XI.

Credidit etiam aliquãdo ipse Imperator, nec minus Medici qui peregrinationis suæ comites fuerant, initium febrilis accessionis sibi adesse. Ascitus sum itaq; & ego, atq; in palatio cubare iussus. Venit autem primis facibus quidam missus ab Imperatore, qui nos uocauit. Igitur cùm ex tribus medicis qui manè ipsum inuiserant,

duo

duo pulsus tetigissent, ambobus pariter uisum est febrem iam aduentare. Vbi uerò me quoque pulsum cõtrectare iussisset, equidem bona quadam fortuna tactum natura exquisititissimũ nactus, pensitatis omnibus, habitaq; tum ætatis, tum naturæ ipsius ratione, ac semotum pulsum sentiens, qui accessionũ principia significare solet, me nil tale suspicari dixi: sed potius ab assum pto cibo stomachum angorem quendam sentire. Ille uerò quanti agnitionem hanc faceret significauit, ter statim repetẽs, Ita est ut dicis: Profectò idipsum: Vt dixisti res habet. Nam à frigidiori alimento grauari me sentio. Quid igitur (subiunxit) oportet me facere? Cui sic respondi: Si quando in quemuis alium ita affectum incido, uinum iniecto pipere propinare consueui. Quia uerò medici in regibus, securissimis medicamentis utuntur, satis erit lanam calido nardino imbutam, ori uentris apponere. Consueuerat & ipse, si quando & uenter malè haberet, ex purpurea lana unguentum nardinũ calidum applicare. Quare Pitholao, ut hoc faceret, imperauit, nosq; dimitteret. Dum autẽ unguentũ uentri applicuisset, pedesq; incaluissent, calidis manibus perfricati, Sabinum uinum cum pipere bibit: dixitq; Pitholao, eo epoto, Singularem sanè medicum nacti sumus, eumq; ualde ingenuum. Nec de me loqui cessabat, & medicum præstantissimũ esse affirmans, & singularẽ philosophũ.

*Galenus fuit præditus exquisitissimo tactu.*

*Marci Aurelij dispositionẽ non fuisse febrilẽ, cõtrà quàm cæteri medici, deprehẽdit Galenus.*

*Vinum cui iniectum sit piper, uncè auxiliari ventriculo, à frigidiori alimentorum usu refrigerato, lanamq; nardino imbutam, atq; ori eius applicitam.*

*Galenus à Marco Imperatore magnificè commendabatur.*

CAPVT XII.

At Cõmodus aliquando è palæstra reuersus, octaua hora prius quàm cibum caperet, febre admodum calida correptus est. Cùm igitur pulsum tetigissem, particulam ipsius quampiã phlegmone laborare sensi: neq; id iniuria: quippe fauces habebat maximè rubẽtes & asperas, quas etiam gargarismate ex rhoẽ & melle magis exasperauerat. Iussi itaq; ut pro eo, mulsam sumeret, rosis incoctis: qua per noctem, & insequentem diem, & quæ huic successit noctem, crebrò uteretur. Tertio die manè phlegmone omnis sedata erat, & puer quasi febre liber. Suasi itaq; Pitholao, ut ipsum in balneũ duceret, ac postea eum uictu consueto reficeret. Quod consilium tamen Ania, Faustinæ cognatione coniuncta, non usq; adeò probauit: ut quæ diatrito methodicorũ faueret. Porrò Faustina * me ipsum prehensum manu ducebat, irridens quendam methodicũ, eiq; dicetis: Quantopere præstet doctrina huius Galeni, uestræ, modò satis apparuit. Nam cùm puer regius, absente patre, uehementi febre per biduum detineretur, non unq; passus est (ut uobis placet) octauam horam ieiunum ipsum & sordidum expectare, sed & manè lauit, & cibũ dedit. Cui quidem inscensurę currum, ipse ualedicens, subiunxi: Multò magis exosum reddidisti me apud hosce medicos, ô Imperatrix. Igitur affectuum corporis agnitio, speculatione inuestigatur: ex cognitione uerò exquisita affectionũ, futurorum præcognitio colligitur.

*Commodi morbus.*

*Gargarismate ex mulsa, in qua rosa decocta fuerant, leniuit Galenus Commodo fauces nimium exasperatas.*

*Faustina Galenum prehensum manu ducebat.*

*Præcognitio futurorum ex affectuum cognitione paratur.*

CAPVT XIII.

Iam uerò, cùm semel in quodam ægro, qui quintum morbi diem agebat, uniuersi medici secare uenam, & rectè quidem, deliberarent: ipse pręsens submonui, si paululum cunctaremur, naturam ipsam per se moliturã sanguinis euacuationẽ, idq; per dextrã narem. Etenim æger ipse, cùm perinde ac si fugere uellet exiliret è lecto, interrogatus qua de causa id faceret, respondit, uidere se rubrũ anguẽ proserpentẽ è tecto. Ad hęc dextrã narem ad genã usq; cernebam esse rubore magno perfusam, q̃d satis firmũ esse solet indicium, quòd illac sit erupturus sanguis. Vbi igitur ęgrum uidi, quasi nares scalperet, digitũ in ipsas immittere, ac postea sanguinolentũ extrahere, iussi ut uas subderet (iam enĩ effluebat sanguis) subiunxiq; uacuationẽ eam fore uehementẽ. Vires siquidẽ ualidæ erant, necnõ morbus crudus: quibus sanè causis immodicæ uacuationes solẽt succedere. Cùm itaq; ad quatuor librarũ & dimidiæ pondus, sanguis iam effluxisset, tunc resupinum ægrũ statuens, iussi ut frigidam poscam naribus exugeret: frontiq; spongiam frigida posca madentem apposui, artusq; deuinxi. Verũ cùm neq; his profluentis impetum possem supprimere, affixa demum dextro hypochondrio cucurbitula, fluorem statim compescui.

*Galenus qua ratione prædixerit cuidam affuturũ sanguinis fluxum per nares.*

*Vacuationes immodica quibus causis soleãt succedere.*

*Galenus sanguinis fluxum vehementem è nare dextra, affixa cucurbitula hypochondrio dextro, cõpescuit.*

CAPVT XIIII.

Cùm uerò œconomus quidam incidisset in morbum, soretq; eius cura alijs quibusdam medicis demandata, crisim in septima per sudores habuit. Postridie autẽ cùm pulsum eius tetigissent, ubi intermittentẽ sensere, malignũ quẽpiã affectum delitescere suspicati, magnopere sunt decepti. Nam cùm me ob eam rem cõsuluissent, perduxissentq; ad ægrum, ipse pulsum eius contrectans, monui ut ad refectorium uictum traducerent: esse enim tutò & integrè iudicatum. Quippe illam pulsus intermissionẽ, naturalem ipsi, non ex maligno quopiam affectu, existere: id quod postea sic esse deprehenderũt. Vbi enim pulsus uel in unica tantummodo pulsatione, uel pluribus sibi inuicem subsequentibus unà comprehensis, nil aliud, intermissione illa excepta, præter naturam habere uideatur, scire licet, affectum illum ab ortu ipso extitisse.

*Intermissio in pulsib. sit ne naturalis an præter naturã, quomodo dignoscenda.*

## GALENI PERGAMENI de præsagio ex insomnijs sumendo liber.



St etiam ex insomnijs, corporis dispositionem cõiecturis quibusdam deprehendere. Si igitur incendium quis per somnum uideat, eum flaua quidem bile infestari significatur. Si uerò fumum, aut caliginem, aut profundas tenebras, atra bile grauatur. Rursus si imbres somniet, in eo frigidam humiditatem redundare indicatur. Sic qui niuem, qui glaciem, qui grandinem, phlegmatis * frigidi est plenus. In his autem & tempus, & consueta uiuendi ratio obseruanda uenit. Etenim si niue aliqua conspergi sibi uideatur, si quidem id post inuasionẽ paroxysmi cum horrore, rigore, frigoreq; ueniẽtis, somniet, tum plus est tempori, q̃ corporis affectioni tribuendũ. Sin uerò remittente iam paroxysmo, huiusmodi somnium sese offerat, firmiorem nobis præbet significationem, frigidos in eo humores præualere. Quæ certior fuerit, si præterea

*Insomnia multùm lucis adferre ad cognoscendas dispositiones corporeas, exemplis varijs Galenus comprobat.*

cibis pituitosis usus non fuerit: quibus sumptis, huiusmodi solent euenire phãtasię, uel si per uniuersum corpus talis dispositio nõ adsit. Cùm igitur in somnijs quidam crus sibi alterũ factũ lapideum cerneret, prętet omniũ opinionẽ eo crure factus est paralyticus. Palæstritã autẽ qui in cisterna quadam sanguinis plena stare sibi erat uisus, sanguine abundare cõiecimus, uacuationeq́ indigere. Quidã crisi instante sudaturi, lauare, calidarumq́ aquarũ lacus se natare somniabãt. Sic inexplebiliter bibere, uisio est sitibundorũ hominum frequens: quemadmodũ insatiabiliter edere, famelicorũ: & veneri indulgere, eorũ quibus semen abundat. Videt nãq in somnis anima corporis profundũ ingressa, externis relictis sensibus, eas quæ coeporis sunt, dispositiones sentire: & omnibus quæ ipsa cupit, tanq̃ iam præsentibus, per hanc imaginationẽ perfrui. Quæ quidem animalis uis interdũ adeò multitudine humorũ grauat, ut uix mouere se posse, aut grauia quædã ferre onera, nõnulli sibi uideant. E cõuerso quoq accidit, ut adeò sit leuis tẽperataq cõplexioq́ corporis, ut nunc uolare, nũc uelocissimè currere, per insomniũ se putẽt. Sic etiã in cœno stercoreq́ agere quidã se somniãt, q eos nimirũ, corruptos, fœtidos, putridosq́ humores habere, aut intestina stercore oppleta, est indiciũ. Cõtrà alij in odoratis locis uersari se putant, propter diuersam ab illa dispositionẽ. Quapropter quę in somnijs se facere putant ægri, q̃sæpissimè nobis & ad defectus, & ad excessus, & qualitates deniq humorum cognoscendas, conducunt.

*Anima in somnis, corporis profundum ingressa, videtur solas corporis dispositiones sentire.*

## GALENI PERGAMENI, *quomodo morbum simulantes sint coarguendi, lib. Vnus.*



Vm multæ sint causæ, quas propter ęgrotare se homines simulant, uidetur & in istiusmodi omnibus ueritatis inuẽtio ad medicũ spectare. Etenim phlegmonẽ, erysipelas, & tumores laxos, per pharmaca apposita extrinsecus, ex industria excitatos, medico ab ijs quæ ex ipso corpore proficiscunt, licet discernere: sicuti & sanguinẽ ex oris partib. profluentẽ, ab eo qui ex stomacho, uentre, organisue spiritalibus prouenit. Nam deprehensi sunt quidã, qui sub finẽ tussis, quoties uellent, sanguinẽ excrearẽt: uenula quadã in hoc prius circa gingiuas aperta, sicq́ cõparata, ut quãdo uideret, lingua illã sugentes, statimq́ pòst tussientes, sanguinẽ, quasi ex inferioribus redditũ, expuerent. Sic & delirare nonnulli, desipereq́ se & alios, simulauerũt. Fit autẽ sæpe, ut dolor quispiã ita simulet, ut ingẽs, fereq́ intolerabilis esse uideat. Equidem ipse quendã noui, in concionẽ uocatũ à ciuibus, qui postq̃ id sibi minimè ex usu fore uidisset, proptereaq́ interesse nollet, colica se passione torqueri fingebat: id ꝗd ego certis cõiecturis deprehẽdi. Nam & remedia respuebat, quibus fuerat aliàs eodem in morbo adiutus: & cõcione dimissa, extemplò couqueri desijt. Quin & ipsa uiuendi ratio quæ pręcesserat, talis erat, ut colicã in eo dispositionẽ generare nõ posset: quandoquidẽ ex *cruditate refrigerationeq́, huiuscemodi gigni solent affectus: quorũ neutrũ in illo pręcesserat. Hoc igitur, quòd nõ ratione anteacti uictus, ortus morbus ille esset, potuisse cognoscere, medicæ erat experientiæ opus. Alterũ uerò istud, quòd ob cõcionem simulare hęc illũ suspicatus eram, medicinę proprium nõ fuerat, sed captus, & rationis eius, quæ cõmunis dicitur: quã, licet omnibus sit cõmunis, pauci tamen exactã, perfectamq́ habẽt, ut inuenire in quoq negocio possint, ꝗd faciundum, dicendúmue sit. Experientiæ igitur medicæ si coniungat hæc externa facultas, alia quoq similia fingentes, ualidosq́ dolores simulantes, deprehendere licet. Quemadmodũ ipse nuper, cùm utroq genu uehementissimè dolere se pedissequus quidam diceret, statim doloris eius fictionẽ deprehendi: ex eo partim suspicionem sumens, quòd ad illam fortè diem dominus ex urbe profecturus erat: partim ex adolescentis moribus, qui talis esset, ut facilè in huiuscemodi mẽtiret: quodq́ amore mulierculæ cuiusdã flagraret, ob quã in urbe restitare cupiebat. Quocirca per thapsiam admotã, sibi in genu tumorẽ maximũ excitauerat. Ego uerò, cùm profecto domino pharmacũ imposuissem, ꝗd dolorẽ quidẽ nihil leniebat, uerũ thapsiæ solũ qualitatẽ infrigidare poterat, post horã unã illũ cõfitentẽ habui, nihil amplius se doloris sentire. Quòd si ex phlegmone dolor is natus fuisset, nõ solũ per id infrigidans nõ resedisset, sed etiã redditus fuisset uehementior. Potest uerò quis ex eo, quòd leuius morbũ ferant, indiciũ ficti doloris sumere. Accidit enim istud omnino sæpe (nõ aduertentib. ijs qui morbi uehementiã simulãt) quòd in aliũ se, aliumq́ habitũ, illi qui uerè laborãt, magnitudine uidelicet doloris agitati, transijciũt. Præterea si reuera morbo uehemẽti premant, ꝗduis perpeti auxiliũ parati sunt, accersuntq́ ipsi ultrò medicos, ut agant ꝗd illis lubeat, quò affectus ipse curet. Sin uerò leuiter, penitúsue nõ dolent, huiusmodi auxilia refugiũt: neq longiora ieiunia, neq mordaciũ pharmacorũ oblationẽ ferentes. Quæ sola quidẽ, cùm grauiter se laborare dicũt, huiusmodi dispositionib. cõferre, nos illis affirmare oportet: quẽadmodũ & sectiones, & ustiones, & omnis cibi potusq́, cui uidemus eos esse obnoxios, abstinentiã. Morbũ igitur simulãtes, & magnitudo doloris arguet, & nosipsi deprehendemus, cùm ex alijs multis, tum ex medicinalis experientię notionibus: in quibus sunt languere, infrigidari extrema, pallere, interdũ quoque frigidũ sudare, pulsus inæquales (qui quidẽ ijs etiã accidũt, qui mediocriter dolent) pluresq́ minorũ q̃ magnorũ: & obscurorũ, q̃ uehemẽtiũ, habere: pręterea interrogatũ de morbi specie, peculiarẽ affecti mẽbri dispositionẽ explicare posse. Quædã nanq, dolores longè lateq́ se diffundentes habent: quædam uerò tanq̃ fixos, uniq́ tantùm parti inhærentes. Sic aliæ pungunt, pulsantq́: aliæ quasi diuellunt: aliæ quodammodo obstupefacere, aliæ grauare uidentur: nonnullæ deniq uomitus, quędã uentris perturbationes, quædam caliginem inferunt.

*Colici affectus ex cruditate refrigerationeq́; gignuntur.*

*Ratio communis.*

*Thapsiæ facultas.*

*Doloris ficti unde possis indicium sumi.*

*Simulantes dolorem qua ratione deprehendi possint.*

*Morborum species diuersæ.*

EPITOMES GALENI OPERVM SECTIONIS SECVNDAE FINIS.

ILLVSTRISSIMO ET CLEMENTISS. PRINCIPI, COSMO MEDICES, TVSCORVM DVCI OPTIMO ET MAXIMO,

Andreas Lacuna Secobiensis, Doctor Medicus, miles Sancti Petri, S. D.



*Vmani corporis fabricam ciuitati optimè institutæ esse similem, diuinus ille Plato professus est, clementissime Princeps: neq; id iniuria. Nam si constitutionem utriusq;, dispensationemque accuratè expendamus, nihil planè reperiemus in ciuitate, quod longè cumulatius absolutiusque, humano etiam non insit corpori. Etenim fortissima quæq; ciuitas, solet esse valido cincta muro, quo incursiones hostium atq; insultus arceantur. Vice muri cuiusdam est corpori etiam extima cutis, quæ tuetur ipsum ab iniurijs extrinsecis. Ciuitatem qui volunt inexpugnabilem reddere, minimeq; insidijs obnoxiam, solent semper optimi duces vnam tantùm illi portam amplam relinquere, excipiendis cõmeatibus peruiam: plures autem veluti canales & aquæductus, ad illius expurganda excrementa. Similiter etiam natura os vnicum corpori humano indidit, per quod nimirum ingrederentur quidem omnia quæ ad partes eius alendas pertinent: sermo autem elideretur, instruendis animis hominum pietate & doctrina, maximè necessarius. ac præterea varios meatus, per quos excernerentur quæ nõ erant futura ex vsu. Optima quæq; ciuitas, præsertim si duratura sit, vnico tantùm, sed prudentissimo, iustissimo, & clementissimo debet esse Principi subdita: quandoquidem Polyarchia semper fuit seditioni opportuna. Princeps autem ipse, à ciuium commercio abstractus, à fidisq; stipatoribus custoditus, in sublimiori fortioriq; vrbis parte se cõtinere, vt illinc, veluti ex quadam specula, vniuersos ciues suos contueri, & si qua coniuratio oriatur, eam facilè restinguere possit. Non aliter, dubio procul, ratio ipsa in homine, quæ reliquarum omniũ facultatum est imperatrix, in cerebro, sublimiori corporis parte, veluti in arce quadam cõsistens, membris vniuersis sibi subditis imperat, eisq; viuendi leges imponit. Eius autem stipatores, ac veluti incorrupti quidam satellites, sensus exteriores existunt: qui nunquam nõ facientes excubias, explorantesq; singula, quæ aut rationi ipsi, aut cuipiam subiectorum illi membrorũ, obesse aliqua ex parte possint, quicquid tandem perceperint, actutùm sensui cõmuni renunciant: qui ceu dux quidam, ipsi rationi coniunctus, illis præfectus est. Iam verò ut Principibus adsunt nonnulli viri à secretis, qui eos in expediendis negocijs magna solicitudine liberant: sic adest rationi memoria, vniuersa quæ illi occurrunt, si alicuius ponderis sint, quamfidelissimè asseruans: eaq; dum occasio postulat, subitò, veluti ex promptuario quodam, suppeditans. Solent habere Principes & pace & bello, milites quosdam sacramentarios, tum ad repellendas iniurias extrinsecas, tum ad continendos in obsequio & fide ipsos animos ciuium. Non secus profectò diuinus ille architectus noster, rationi vim irascibilem, à Platone θυμοειδῆ vocatam, adiunxit: vt si quando ratio immeritò ab aliquo infestaretur, confestim hæc excandescens, illi ferret manus auxiliatrices, omnemq; vim propulsaret. Collocauit autẽ natura hãc ipsam, qua irascimur, facultatẽ, in corde: vt media exquisitè esset inter rationẽ atq; cupiditates, quæ in iecinore sitæ, atq; illinc varias excursiones facientes, admodũ seditiosæ existunt, rationiq; plurimũ negocij facessunt. Quocirca inter ipsas & vim irascibilem, natura etiam vallum quoddam firmissimum, diaphragma nempe, interiecit, ne videlicet imparatam illæ iracundiam opprimerent, insurgentesq; postea contra rationem, arcem illius expugnarent. Reperiuntur in ciuitate opificia hominũ varia: cùm alij, gratia exempli, conficiant panes: alij culinariã exerceant: alij retrimenta omnia expurgent: alij deniq; diuersas merces per totam vrbem in cõmunem vsum traducãt. An nõ etiam in corpore humano ventriculus cibos concoquit, hepar sanguinem gignit, melancholicum succum expurgat lien, vesica vrinam, venæ per vniuersum corporis habitũ (veluti baiuli quidam) sanguinẽ copiosissimũ riuant, arteriæ vitalem spiritũ, ac breuiter, nerui animalem, qui autor est motus & sensus? Corporis itaq; nostri harmonia ciuitatis optimam refert constitutionẽ: imò verò respublicæ, ciuitatesq; vniuersæ, ad exemplum corporis humani sunt conditæ, cùm arti natura ipsa tempore & dignitate antecellat. Quemadmodum igitur si in aliqua ciuitate princeps quidem, vt par est, dominetur: ciues autẽ omnes, militesq;, eius decretis audiant: atq; vnusquisq; opifex suo rectè fungatur munere, salus reipublicæ constat: labefactatur verò, si cõtraria accidant: sic etiã quandiu in nostro corpusculo ratio ipsa gesserit habenas imperij, affectus autẽ omnes atq; cupiditates obtemperauerint: singulæq; particulæ pro dignitate sua munia exercuerint, nec interim praua alimenta ingerantur:*

tandiu certè integra sanitate corporis animiq́; perfruemur. Si verò aut ratio ipsa in consilium admittat cupiditates, aut irascibilis facultas in vnum cum his aduersus rationem conspiret: aut ex organis quæ vsui communi inseruiunt, vnum, plura, vel omnia, prauè suas obeant functiones: vel deniq; materiæ vnde particulæ aluntur sint cacochymæ: pro cõcursu harum causarũ necessum est aut mentis, aut corporis, aut vtriusq;, morbum contrahamus. Atq; ita sanè varia in corpore morborũ genera oriuntur, dissoluta videlicet alterataq́; varijs modis habitudine illa & temperie, quã inter se mutuò vniuersa membra, dum naturali ordini respõderent, tuebantur. Quorũ vniuersa curatio eadem adhibetur methodo, qua curari solent etiã morbi Reipub. Quippe ut in hac peccata leuiora nũc vinculis, nũc virgis, nũc exilio, nunc succisa auricula coërcẽtur: in grauiora autẽ, laqueo, securi, flamma, atq; feruenti oleo, acerbissimè animaduertitur: sic exiguos quidem affectus corporis, leuiusculis quibusdam præsidijs, vtputa purgatione, atq; interdum sola tenui victus ratione, curamus: cõtumaces verò immedicabilesq́; (cuiusmodi tum sphaceli, tum cancri existũt) ferro, cauterioq́;, ne in sanas partes grassentur, exterminamus. Cæterùm quemadmodũ ad stabiliendam Rempub. plectendosq́; facinorosos homines, leges fuerunt inuentæ: sic ad cõseruandam temperiem corporis, rescindendosq́; morbos, è cœlo delapsa nobis est Medicina. Quo munere nullum hactenus mortalium generi à Deo ipso datum est maius, nec (si Galeno credendum sit) dabitur vnquam. At verò quum hanc ipsam artem atq; industriã medendi, olim sola experientia constantẽ, Hippocrates primus omniũ methodo tradidisset, reliquisset tamẽ incultam, imperfectamq́;: postea superueniens Galenus, multis illam modis excoluit, eiq́; extremũ ornatum addidit. Qui cùm ob illam quidem admirandam doctrinam ac sermonis fœcunditatẽ, qua planè refertus est, magno exciperetur omniũ ferè studiosorũ applausu: ob prolixitatẽ autem immensam (quæ in tanta vitæ breuitate est exosa) nõnulli à lectione illius abhorrerent: equidem vt ad votum omnes eo fruerentur, vniuersa viri illius opera in breuiusculam quandam periochen, verũ admodum succulentã, ea fide & diligentia cõtraxi, vt ex ijs quæ iuuare lectores poterãt, nihil prorsus omiserim: multa autẽ quæ deprauata & peruersa in codicibus tam Latinis, quàm Græcis erant, accuratissimè restituerim. Ex quibus nostris lucubrationibus placuit sub splendore Excellentiæ tuæ, Illustrissime Princeps, partem maximã ædere, nempe quadraginta commentarios Galeni, qui in se omnes differentias morborũ, atq; eorũ curandorũ generales methodos cõtinent: vtiq; sperans fore, vt cùm ipse inter omnes Italiæ Principes optimorũ ingeniorũ sis promotor & altor, eisq́; semper ceu propitiũ quoddam sydus affulgeas, vel ex sola tui nominis præfatione, studiosi omnes ad eorum lectionẽ inflammarentur. Adeò siquidem tuam Celsitudinẽ, cùm ob alias planè regias virtutes, tum vel maximè ob ardentissimũ istum sapientiæ amorem, quo semper accensa est, docti omnes vbiq; locorũ suspiciũt, colunt, & venerantur, vt se nõ minus debere tibi, quàm ipsis Musis, vniuersi vno ore pronuncient: qua (vt ego reor) opinione minimè hallucinantur. Siquidem nõ modò studiosi, sed artes etiam, atq; scientiæ vniuersæ, si nõ maiorẽ, at certè nõ minorẽ ijs gratiam debent, qui sua munificentia fouendo ipsas, vt subinde crescerent, summumq́; suæ dignitatis fastigiũ attingerẽt, effecerũt: quàm illis, quorũ industria primũ inuentæ, ac in vsus hominũ æditæ sunt. In maximã itaq; sibi felicitatẽ ascribũt omnia bonarũ literarũ studia, quòd hisce turbulentis calamitosisq́; temporibus, dum Italia penè vniuersa varijs æstuat dissidijs, versaturq́; in assiduo strepitu armorũ: dum optima queq; instituta infirmis titubant pedibus: dum virtus pudorq́; exulat omnis, nacta sint clementissimũ & serenissimũ Principẽ, qui explosa vndiq;, ea in suos sinus excipiat, exceptaq́; aduersus iniurias omnes tueatur. Haud ab re igitur illustrissimus & reuerendiss. D. D. Franciscus à Bouadilla & Mendozza, sanctæ Romanæ ecclesiæ Senator vigilantissimus, meusq́; patronus vnicus, nec non illustrissimus & sapientiss. D. D. Ioannes Furtadus à Mendozza, apud Venetos Orator Cæsareus, vterq; Celsitudini T. addictissimus, nunquã desinũt heroicas istas tui animi dotes magnificis encomijs efferre: Florentiamq́;, tuam istam florentissimã vrbem, nimiũ felicem vocare, quòd obtigerit illi Princeps iustissimus, clementissimus, sapientiaq́; simul & pietate integerrimus. Ergo si, illustrissime Heros, hasce nostras vigilias tuo patrocinio dignaberis, ego quidem videbor haud lusisse meam operã. Galenus autẽ, ad pristinã dignitatẽ quã gerebat olim, dum in summa esset autoritate apud priscos Imperatores, deesse sibi nihil prorsus existimabit: quin potius hærens apud C. T. auctam plurimis modis beatitudinẽ suã arbitrabitur. Vale. Venetijs, ex ædibus illustriss. viri, D. D. Ioannis Furtadi à Mendozza, in hac Repub. Cæsarei Oratoris longè dignissimi. IIII. Idus April. M.D.XLVIII.

# GALENI PERGAMENI DE DIFFERENTIIS MORBORUM LIBER.

*GAMENI DE DIFFErentijs morborum liber.*



VNIVERSI tunc se sanos existimant, cùm optimè ad uitæ functiones ministerio particularũ utuntur. At eam partem ægrotare arbitrãtur, cuius operatio sit læsa.

*Sanitas in quibus inuestigãda*

Cùm igitur sanitas inuestiganda sit, aut in ipsis operationibus, aut in fabrica instrumentorũ: manifestũ utiq; est, morbũ esse uel operationis, uel structuræ oblæsionẽ.

*Morbus est uel operationis, uel structuræ oblæsio.*

*Sanitas definitur aptitudine operationis, moderatioq; existit*

*Morbus quorum immoderatio dicatur.*

Cæterùm sanitas nõ operationis actu, sed aptitudine potius est definiẽda. Sanitas itaq; moderatio quædam existit: morbus autẽ, utpote sanitati cõtrarius, in immoderatione eorũ consistit, quorũ sanitas est moderatio. At uerò cùm animalium corpora magis & minus suscipiant, patiq; & alterascere posint (id quod fieri nõ posset, si ex elemento cõstarent unico, aut ex atomis nulli alterationi obnoxijs) tot nimirũ genera morborum simpliciũ cõtrahent, quot sunt elementa ex quibus cõflantur.

*Morborum simpliciũ genera tot sunt quot simplicia elementa.*

*Compositio corporis nostri est triplex.*

Etenim cõpositio & formatio triplex reperitur in corpore. Prima quidem similarium particularũ est: ut arteriæ, uenæ, ossis, nerui, cartilaginis, ligamenti, membranæ & carnis: secunda autẽ, instrumentaliũ: ut cerebri, cordis, & consimiliũ: tertia deniq; totius corporis. Corpus siquidem ex instrumentalibus cõstat: instrumentales autẽ partes, ex similaribus: illæ deniq; ex simplicissimis elementis constituunt. Porrò si elementa cõstituamus impassibilia esse (ut nonnulli autumarũt) duobus tantũ morbis particulæ similares prement: meatuũ uidelicet astrictione, & eorundem relaxatione. Fruentur autẽ sanitate absoluta, dum eorũ elementorũ constructio fuerit cõmoderata.

*Elementa corporis nostri mutuò inter se patiuntur, ac tota per tota miscentur.*

At si nostri corporis elemẽta mutuò inter se patiant, & tota per tota implicentur (id quod incõcusse est tenendũ) totidem simplices morbi dicẽdi sunt, quot primaria elementa censent. Primaria autẽ elemẽta sunt quatuor, calidum scilicet, frigidum, humidum, siccum: ex quibus moderatè confusis, oritur sanitas: immoderatè uerò, ægritudo.

*Elemẽta primaria sunt quatuor.*

*Sanitas & morbus unde exoriãtur.*

*Similarium particularium simplices morbi quatuor.*

Erunt itaq; similariũ particularũ simplices morbi quatuor numero: caliditas uidelicet, frigiditas, humiditas atq; siccitas, ubi earũ qualitatũ singulæ, naturæ modũ excesserint. At morbi partiũ instrumentaliũ, tum illis qui ex impatibilibus cõstare corpora dicunt: tum nobis, qui ex elemẽtis affectioni subiectis, ea cõflari arbitramur, prorsus existũt cõmunes.

*Dissimilarium partium morbi, quatuor generibus cõtinentur.*

Sunt autẽ eorũ genera quatuor. Primũ enim est, ubi forma cõueniens membro fuerit uitiata: secundum, ubi in numero reperit uitiũ: ut si quid desit, q̃d haberi erat opportunũ: aut redundat aliquid minimè necessariũ. Tertiũ genus consistit in organi magnitudine, ubi aliquid impensius adultum sit, aut similiter diminutũ. At quartũ genus refertur deprauatæ cõpositioni: quæ fieri solet aut naturali positu uariato, aut mutata partis copula.

*Instrumẽta prima sunt quæ ex similaribus partibus, unius functionis gratia sunt constituta.*

Porrò prima instrumenta dicuntur, quæ cùm conflent ex particulis similaribus, unius operationis gratia sunt cõstituta: ut musculus, atque uena. At quæ rursus ex his conflant, ut digitus, atq; hoc magis pes, instrumenta secunda dicuntur.

*Instrumenta secunda quæ.*

Verũ utrisq; instrumentis erũt ipsi morbi cõmunes. Aliud autẽ genus morbi, præter iam dicta, nullũ est reperire, quod sit propriũ uel simplicibus, uel cõpositis partibus. Est tamen unus morbus cõmunis corporibus similaribus iuxtà & dissimilaribus, nempe unitatis diuortiũ.

*Solutio cõtinui est morbus communis tam similarib. quàm dissimilaribus partibus.*

Ad reliquas tamen simpliciũ morborũ in partib. similaribus differentias examinãdas nos cõuertamus. Igit impatibiliũ elementorũ autores, duas in similaribus corporib. ægritudines statuebãt: nempe aut astrictionẽ, aut relaxationẽ meatuũ: quarũ singulæ, in alias rursus differẽtias secant.

*Similarium partium morbi, secundum constituentes impatibilia elementa, astrictio & laxatio.*

Astrictio siquidẽ fit, cùm aut totũ corpus simul cõtrahitur, aut soli obstruunt meatus: relaxatio autẽ, ubi uniuersum corpus simul in omnẽ partem laxatur, aut soli aperiunt meatus. Similiter iuxta opinionẽ secundã, morborũ partiũ similarium duplex differẽtia nobis oritur.

*Similarium particularum singuli morbi sunt duplices, quatenus aut solis qualitatibus, aut accedente humorum affluxu, afficiũt*

Nam interdum quidem solis qualitatib. alterant: interdum autẽ, cum humorũ affluxu: qui sanè secũdus modus, tumorem conspicuũ excitat. Cæterũ una & item altera harum differentiarũ, uarias differentias sortitur. Vt autẽ ad partium instrumentaliũ (quarum sanè imbecillitas uel ob meatuũ ametriam, uel ob intemperiem nascitur) discutiendos morbos nos conuertamus, Totius instrumenti functio tunc præcipuè uitiabitur, ubi pars ipsa, quæ functionis est causa, ægrotarit.

*Instrumenti functio quando uitietur.*

Quanq̃ & reliquarũ partiũ, illi inseruientiũ, uehementiores affectus, actionem ipsam impediunt. Oblæsiones igitur quæ omnino propria ratione, immediateq; operationẽ totius organi offendunt, aut saltem impediũt, ægritudines sunt putandæ.

*Affectus primario lædentes functionẽ, sunt morbi.*

At si minimè id per seipsas moliant, sed ea solùm ratione, quòd primi instrumenti officiũt operationi, causæ morborũ sunt, nõ item morbi.

*Causa morborũ quæ dicenda.*

*Instrumentalis morbus dupliciter accidit.*

Dupliciter autẽ solet unusquisq; morbus cõtingere in partibus instrumentalib. Nam aut sequit alios morbosos affectus, aut contrahit à prima generatione. Porrò ubi pars aliqua in tumorẽ attollitur, atq; idcirco meatus illius occludunt, si quidẽ talis particula nullã habeat propriã operationẽ, obstructio ipsa meatuũ dicetur morbus duntaxat: tumor uerò nequaq̃, sed obstructionis causa. Cæterũ si affecta pars aliquod munus propriũ obtineat, hac ratione tum obstructio ipsa, tum particulæ tumor, morbus est appellandus. Quẽadmodũ (exempli gratia) si tunica alicuius uenæ quæ in gibbis hepatis est, adeò intumescat, ut eius cauitas obstruat: tumor quidẽ ipse, morbus dicet, quòd sanguificationẽ oblædat: obstructio autẽ similiter, quòd impediat distributionẽ.

*Morbus in formatione.*

Siquidem qui affectus primò lædũt operationẽ, ij & sunt, & uerè dici morbi merent. At operationis oblæsio, passio aut symptoma, non morbus, est appellanda.

*Functionis læsio, non morbus, sed passio aut symptoma vocatur.*

Qui uerò ipsam induxit affectus, morbus absolutè uocat: sicuti & causa morbifica, quicquid ipsum morbũ pepererit, si aliã læsionem nõ adserat.

*Causa morbi quæ sit dicenda.*

Attulimus itaq; exemplũ morbi, q̃d in genere formationis cõsistit. At in numero, duas differentias morborũ assignaueramus: cùm scilicet aliqua particula crescit, aut superabundat. Quarũ differentiarũ utraq; rursus in bi-

*Morbus in numero duplex, cuius utraq; differentia bifariã scinditur.*

nas alias secatur. Siquidem eorũ quę superfluũt, nõnulla planè sunt ex genere naturali: ut si cui sextus adnascatur digitus: nõnulla uerò toto genere præter naturam: ueluti si in uentre gignantur uermes, aut in uesica lapis. Similiter deficientiũ particularum, nõnullæ quidem penitus abolitæ sunt, nonnullæ uerò ex dimidio pręcisæ: utrunq; autẽ, aut natura, aut morbo. Ex his tamen, quæcunq; functionem impediunt, eadem ratione in morborũ genere cõtinentur. Quæcũq; uerò partem aliquam operationi dicatam, uel refrigerãt, uel non satis ei alimenti transmittũt, causæ morborum dicuntur. Quædam tamen & morbi, & morborũ causæ censentur: ut si gurgulio radicitus præcidatur. Nam & uocem perturbat, & pectus & pulmonem refrigerat. In magnitudine etiam uarij morbi contingunt: ubi scilicet totum corpus uel pars aliqua, aut in prima generatione, aut ob aliquem affectum pręter naturam, uel prodigiosam contraxit molem, uel præter modum est imminuta. Qui morbi in deprauata cõpositura consistunt, uarias differentias sortiunt. Alij siquidem fiunt, ubi naturalis partiũ situs uariatur: alij ubi ligamenta nimis soluuntur, ac relaxantur: alij ubi illa impense fuerint astricta. Quippe immodica linguę uincula, loquẽdi mandendiq; impediũt functionẽ: pudendorũ uerò, ob auersum meatũ, impedimento sunt, quo minus procul rectaq; excutiatur semen. Reliquũ autẽ est quintũ ægritudinis genus, nempe unitatis solutio, quę tam similaribus q̃ dissimilaribus partibus accidere potest. Nam si in manu (gratia exempli) neruus aliquis præcidat omnino, talis solutio erit cõmunis & toti instrumento, & ipsi pręcisæ particulæ. Quòd si nõ integrè, sed aliqua ex parte præcisus fuerit, solius nerui propria iudicatur affectio, instrumẽti uerò nequaq̃, nisi ex accidenti. Sed pro differentia particularũ, continui solutio uaria sibi nomina uendicat. Siquidẽ quæ in osse fit, ab omnibus fractura uocat. Quæ uerò in carne cõtingit, ulcus, uulnus, atq; ruptura. Quæ neruosis particulis accidit, cõuulsio nominari consueuit. Diximus itaq; simpliciũ differentias morborũ: superest autẽ nunc, ut ad compositorũ dignotionẽ ueniamus. Erit igitur iuxta hæresim priorẽ in particula similari morbus cõpositus, dum illius, hi quidem adstringunt, hi uerò relaxantur, meatus. At iuxta eos, qui elemẽta esse alterationi obiecta cõtendunt, quatuor numero cõpositi morbi censentur: nempe calidus simul & humidus, calidus simul & siccus, frigidus iuxtà & humidus, frigidus atq; siccus: dum utraq; uidelicet qualitas excellit plus q̃ naturæ cõueniat. Quòd si etiã qualitatibus illis plus iusto auctis, accedat pariter humorũ affluxus, toti dem morbi nascent, differentes nimirũ ab illis, qui inuadũt sine humorũ colluuie. Similiter solutio cõtinui miscetur morbis cõpositis secũdum unam & alterã sectam, necnon simplicibus, quorum à principio mentionem fecimus. Porrò omnes inflammatæ simul & exulceratæ particulæ, tres quidẽ necessariò, nõnunq̃ quatuor morbos patiuntur. Voco autẽ impræsentiarũ inflãmationem, rubentẽ renitentemq; tumorẽ, & qui dolorem inferat. Quia uerò omnes ferè id genus tumores, mutuò inter se cõmiscentur, raroq; reperire aliquẽ ipsorũ purũ atq; syncerũ licet, necessariò dicendum est, erysipelas, herpetem, carbunculum, cancrum, atq; alios id genus tumores, esse compositas ægritudines. E quibus carbunculus quidem semper cum ulcere inuadit, cętera uerò interdum citra ulcus infestant. Gignitur autẽ erysipelas à rufa bile, ab atra cancer, inflãmatio à sanguine, à pituita deniq; œdema, existens tumor laxus & cedens. Qui humores tametsi specie sint humidi, potentia tamen nõ omnes humidi sunt. Quippe atra bilis sicca est & frigida: flaua, calida & sicca: ut pituita, frigida & humida: ac sanguis deniq;, humidus simul & calidus. Igitur de morbis cõpositis similariũ particularũ dictũ nobis cùm sit, ad eos qui instrumẽta discruciãt, sermonẽ iam conuertamus. Proprij dissimilariũ partium dicentur morbi cõpositi, qui plures atq; diuersas partes simul afflixerint: ex accidenti autem, qui unicam tantũ instrumentorũ particulam occupauerint. Etenim si lippitudine obsideatur tunica incumbẽs corneæ, cùm lippitudo quidem fit inflãmatio ipsius partis, inflammatio autem omnis existat cõpositus morbus, nemini dubiũ est, lippitudinẽ futurã etiam morbum cõpositũ, tunicæ quidem ipsi propriũ, ex accidenti uerò uniuerso instrumento. Cæterũ si pterygiũ, suffusio, ac deniq; angulorũ coarctatio simul ipsum oculum presserint, cõstitutio talis totius oculi dicetur ægritudo composita, cùm nimirum uno eodemq; tempore diuersæ particulæ contristentur. Nihil autem refert si dixeris, unicam esse compositam ægritudinem, an plures, sed in diuersis partibus constitutas.

*Gurgulio præcisus perturbat uocem, pectusq; & pulmonem refrigerat.*

*Morbus in magnitudine.*

*Morbi in deprauata compositione.*

*Vnitatis solutio utrisq; partibus exiliit morbus cõmunis.*

*Solutionis continui species diuersæ, pro differentia particularum.*

*Similariũ morborum cõpositorum differentia quatuor, iuxta constituẽtes patibilia elemẽta.*

*Affluxus humorum gignit quatuor differentias morborum compositorum.*

*Solutio cõtinui.*

*Inflammata simul & exulceratæ particulæ, quot morbos simul patiantur.*

*Inflammatio quid.*

*Carbunculus inuadit semper cũ ulcere.*

*Tumorum præter naturam singulis, sui humores tribuuntur.*

*Humorum quatuor, qualis quisque temperie sit præditus.*

*Dissimilarium partium morbi cõpositi, qui sint dicendi.*

*Lippitudo est inflammatio tunicæ incumbentis corneæ.*

## GALENI PERGAMENI
### de causis morborum lib.

NVnc uerò ad morborũ qui secũdum sectam generosiorẽ partes similares inuadũt, causas discutiendas nos cõuertamus, idq; à calore immoderato auspicati. Vniuersa corpora plus æquo incalescere solent, uel ex motu improbo, uel ex putredine, uel ex cõsortio alterius corporis feruidioris, uel ex astrictione, uel ex alimento ad accendendam caliditatẽ accõmodo. Cæterũ ubi quis immodica exercitatione usus fuerit, si calor inde ortus nõ occupauerit totum corpus, lassitudinẽ tantũ inducit, uidelicet articulorũ & musculorũ, ad quos præcipuè mouendi munus spectat. Si uerò extendat per uniuersum corpus, febrim accẽdit. Ex ira etiã, quæ caloris iuxta cor est ueluti quidã feruor, ubi is per totũ corpus dispergitur, solet febris succendi. In tumorib. etiã præter naturã, ubi humores putrescunt, calor interdum cordi sensim cõmunicatur, ac deniq; excitatur febris. Quare hic uenit intelligenda secũda & tertia causa caloris præter naturã. Nam ob putredinẽ, & ob uiciniã partis coutabescentis, in ijs tumorib. febrilis calor accendit. Quarta species causæ consistebat in astrictione, & quidem meritò. Nam si ob astrictam cutim cohibeantur difflari ea, quæ prius difflari cõsueuerant, si quidem fuliginosa fuerint, in specus cordis cõuersa, eos exurũt, protinusq; febrim accendũt. Calido

rum

*Calor immodicus à quibus accendi occasionibus possit.*

*Mouendi munus ad articulos & musculos pertinet.*

*Ira est caloris qui iuxta cor est ueluti quidam feruor.*

*Febris ex astrictione quomodo oriatur.*

rum etiam alimentorũ usus (in eo enim quintũ genus constituebamus) interdum febrim accendit: sicuti & acria medicamẽta, siue remedia sint, siue deleteria & contraria. Non autem ex æquo omnes hasce ob causas febricitãt: quòd nec semper illis cõtingat par quantitas aut actiuitas causæ: quodq; animantiũ corpora plurimũ alterum ab altero differant. Etenim ad hoc ut accendatur febris in corpore, oportet ut corpus ipsum sit accõmodatũ & habile ad excipiendam febrilem caliditatẽ: causa autẽ efficiens existat ualida, tempusq; & patientis proximitatẽ fortiat, ut uidelicet in actione immoretur diutius, & passuro corpore superior euadat. Porrò causæ quæ in corpore humano præter naturã oriuntur, causæ antecedentes uocantur: procatarcticę uerò, siue euidentes, quæ extrinsecus aduenientes occursaur. Frigiditatis etiã plurimæ existunt causæ: ueluti frigidorũ propinquitas, alimentorũ quantitas atq; qualitas, adstrictio etiã atq; laxatio, ociũ deniq; & motus immoderatus: quibus ex occasionibus cõstat etiã ipsum ignẽ extingui. Prima igitur species causæ occursans extrinsecus, siue contactu ipso, siue etiã potentia, solet frigiditatis morbũ inducere. Ob secundam uerò, nempe ob frigidiora alimẽta, nõnullos correptos uidimus attonito aut epileptico morbo, aut alio quopiam modo refrigeratos: id q̃d ex ebrietate uel maximè accidere solet. Quanq̃ uinũ modicè haustũ, cùm familiare alimentũ sit, mirè calorem auget. In uniuersum aũt omnes optimi cibi, qui animali plurimũ nutrimẽti adferũt, si supra modum sumantur, frigidos morbos generant: sicuti & cætera, quæ natura refrigeratoria cùm sint, similiter ingerũtur. Iuxta tertium genus causæ, nempe astrictionẽ, sæpissimè corporis habitus etiam refrigeratur: ut quæ interdũ sopores graues, ueternumq; & apoplexiam inducat. Astrictione autem tunc præcipuè torquetur corpus, dum uenæ ipsæ & arteriæ adeò turgent & intumescunt sanguine, ut nullus relinquat locus inanis, in quem, ubi dilatantur, ambientem aërem possint excipere. Quo quidem dum defraudantur, natiuus calor subitò ferè extinguitur. Proinde qui sic sunt affecti, actutùm destituuntur motu simul & sensu: id q̃d Hippocrates significasse uidetur, dicens, Venarum (hoc est, arteriarũ) interceptiones statim uocem eripere. Igitur cordis calor, per meatũ gutturis cum ambiente nos aëre cõmercium habet. Quam uiam si præcluseris, ilicò præfocaueris animal. Calor autẽ qui in omnibus est arterijs, per cor quidem, quatenus uiã habet ad fauces, & per uniuersam cutem, in circunfluũ aërem transpirat: ac uentilatur quidem, dum attolluntur arteriæ: purgatur uerò à fuligine, dum contrahuntur. Atq; utroq; horum, naturalis ipsius modus seruatur. Si igitur tali motionis uicissitudine ob astrictionẽ destituantur arteriæ, necessum est calorẽ extingui, corpusq; omnino refrigeratũ emori. Cæterũ si corpus refertum fuliginoso excremento astringat, aut excitabitur febris, aut extinguet calor natiuus: sin uerò halituoso uapore sanguinis, aut fiet corpus ipsum plethoricum, aut eius calor increscet. Sed quemadmodũ astrictio sæpius frigefactionis est causa: sic etiã & rarefactio, ubi plus q̃ ex usu sit dissipat dispergitq; natiuum calorẽ, frigidius efficit corpus. At uerò perinde ac astrictio ipsa interdum uniuerso corpori, nonnunq̃ alicui eius parti accidere solet: eodem etiã modo habet & rarefactio. Porrò quę extrinsecus admouentur, partem ipsam raram uel constipatã reddere possunt. At uincula arctissima, & uita membrũ priuant, & ipsum impensè refrigerãt. Sed iam de siccis affectibus opportunum est ut dicamus. Si quis multò magis diffletur, q̃ pro modo alimẽti assumpti, utaturq; cibis siccioribus, facilè in siccam ægritudinẽ delabetur: præsertim si curis & anxietatibus, necnõ uigilijs torqueat. Sicca etiã temperies aëris, balnea quę desiccandi uim obtinent, necnõ medicamenta, quæ intus & foris administrata, exiccandi possident facultatẽ, similiter corpora exiccant. Humidorũ morborũ omnes sunt causæ cõtrariæ: nempe maxima ciborũ humectantiũ colluuies, molliuscula uiuendi ratio, animi summa tranquillitas, ac deniq; balnearum dulciũ usus immoderatus, maximeq; post cibũ. Ad idem facit desidiosa uita, pluuiarum copia, humida temporis cõstitutio, ac breuiter, humectantia medicamẽta. Iam uerò causæ cõpositorum morborũ, similiter cõpositæ sunt. Si enim calida simul & sicca in unũ aliquando cõspirent, calidus simul & siccus sequet morbus. Itidem est cogitandũ & in alijs combinationib. At sæpius causę natura similes, corpus ipsum immutãt. Plerunq; tamen uiribus pugnant cõtrarijs, ita ut aliquãdo cõtingat corpus simul fieri calidũ atq; frigidum, sicuti & siccũ & humidũ, plus q̃ naturæ cõueniat, etiamsi minimè id fieri posse uideatur: quæ inæqualis intemperies uocat. Aduertendũ autẽ est rursus, corpora ipsa interdũ à solis qualitatibus alterari, quandoq; etiã ab illis quidem, sed accedente aliquo affluxu, humido quidẽ specie, facultate uerò nõ item. Flaua siquidem bilis potestate est calida & sicca: atra, sicca & frigida: sanguis, humidus atq; calidus: pituita deniq;, frigida & humida. Quorũ humorũ singuli, interdũ synceri & puri, interdũ inuicẽ misti, solent in imbecilliorẽ partẽ cõfluere: ob idq; tumores partiũ uariant. Etenĩ cùm quatuor sint facultates, quibus quælibet pars tum animalis, tum plantæ, prædita est, attractrix, retentrix, alteratrix, expultrix: excrementũq; omne aut qualitate, aut quantitate offendat: nec sit par robur omniũ particularum: semper quę fortior est, excrementũ ipsum ad imbecilliorẽ propellit. Omniũ autem imbecillima est cutis, totius corporis excrementa recipiens. Assignatis iam causis morborũ similariũ particularũ, ad organicos deinceps nos cõuertamus, exordium à formatione uitiata sumentes. Euariat enim interdũ naturalis figura, dum ob maximam materiæ colluuiem, aut ob qualitatẽ incõmodam, impedito seminis motu, in utero deprauatur ipsius fœtus formatio. Secundò autem potest uitiari alicuius particulæ forma, dum infantes nõ rectè ab obstetricibus excipiunt (facilè siquidem peruertunt, molles fluxilesq; cùm sint) aut ruditer inuoluuntur fascijs, aut lac tabefactum sugunt, aut perperàm educant, siue inepta uictus ratione, siue exercitijs intempestiuis.

*Febris cur non contingat ex æquo omnibus.*

*Febri gignendæ quæ requirantur.*

*Causas antecedentes dici, quæ in corpore oriũtur: ut procatarcticas, quæ adueniunt extrinsecus.*

*Frigiditatis immodica, causa.*

*Apoplexia unde interdum cõtrahatur.*

*Epilepsiam unde fieri contingat.*

*Vinum modicè sumptum, mirè calorem auget.*

*Cibi omnes alẽtes plurimũ, immodicè sumpti frigidos morbos gignunt.*

*Arteriarũ interceptiones cur uocem eripiant.*

*Suffocatio quando accidat.*

*Calorem cordis ventilari dilatatione arteriarum, purgari cõtractione earundem.*

*Astrictio sæpe frigefactiõis causa.*

*Rarefactio quà ratione refrigeret.*

*Admota extrinsecus.*

*Vincula arctissima, vita membrum priuant.*

*Sicca intemperies causa.*

*Humida intemperantia causa.*

*Compositorum morborum causa cõposita sunt.*

*Cõtrarijs intemperantijs corpus nostrum simul posse affici.*

*Inæqualis intemperies quæ sit dicenda.*

*Humorũ singulorum temperies*

*Tumores partiũ variari pro humorum differentijs fluentium.*

*Facultates naturales sunt quatuor.*

*Excrementum omne qualitate aut quantitate infestare: semperq; à fortioribus ad partes imbecilliores protrudi.*

*Cutis est omnium imbecillima pars.*

*Forma membro cõueniens à quibus causis possit vitiari.*

*Vatij qui fiant, & qui dicantur.* *Vari qui.* *Elephantiasis.* *Tabes.* *Resolutis altera parte musculis, membrum trahitur à reliquis, qui in actione versantur.* *Conuulsi alterius partis musculi, ad se partẽ valentem alteram trahunt.* *Constipationis causa.* *Laxitatis causa*

Crura quippe, ob incumbentiũ eis corporũ pondus, interdum in exteriorem, nõnunq̃ in interiorem partẽ torquentur: idq́ pro natiua ipsorũ inclinatione. Nam quibus rectiora sunt, q̃ ordo naturæ postulet, magna ex parte fiunt uatij: uari autẽ, quibus magis curuata. Voco enim uatium, cui in exteriorem partem crus uertitur: uarũ, cui è conuerso. At posteaq̃ adoleuerint, sæpe ob repletionem immodicam, aut ob alimẽti penuriã, figuram naturalem permutant, idq́ primaria ratione. Illud enim in elephantiasi, hoc in tabe perspicuũ est. At ob resolutionem neruorũ, distentionem, inflammationẽ, aut scirrhum, naturalis membri figura ex accidenti uitiatur. Siquidem in ijs qui altera parte sunt resoluti, membrũ trahitur à musculis actionem facientibus: at in ijs quos in altera parte cõuulsio exercet, aut phlegmone, aut scirrhus, aut dura cicatrix, pars sana trahit ab affectis musculis. Cauitates partiũ atq; meatus pereũt, uel offendunt, quòd nimirũ coalescant, aut constipent, aut obstruantur, aut confringantur, aut in sese cõcidant. At facultatis retentricis motus immoderatus, solet esse causa cõstipationis: queadmodũ laxitatis, operatio expultricis immodica, retentricisq́ languor. Exasperantur læuia, & læuigantur aspera (nam hæc ad formã uitiatã pertinent) illa quidem ob acres humores, aut medicamẽta abstergentia: hæc uerò ob pinguitudinẽ succi, uiscositatémue.

*Numeri deprauati causa.* *Magnitudinem partis quæ causa possint augere, ac minuere.*

Secundi generis, hoc est, uitiati numeri causæ sunt; si quidem numerus sit diminutus, sectio, aut putrefactio, aut immodica refrigeratio: sin autẽ aliquid supercreuerit, quod nõ sit è numero partiũ natura constantium, formamq́ naturalem sortiatur, abundantia optimæ materiæ erit causa. Quòd si id ipsum præ se formã nõ naturalem ferat, materiæ qualitas non naturalis etiam erit in causa. Vtrobiq; tamẽ uires ualidas esse oportet: alioqui nec conformari poterit q̃d est utile, nec extrudi q̃d uitiosum existit: natura enim utrũq; molitur. Magnitudo partiũ augetur (in ea enim oblæsa tertium genus constituebamus) à copia materiæ benignæ, necnõ à potentiæ robore: imminuitur autem à causis cõtrarijs, uel ob sectionem, uel exustionem, uel putrefactionem, uel deniq; ob frigefactionẽ ingentem.

*Compositio partis vitiosa vnde accidat.* *Enteroceles generatio.*

Quartũ uerò morborũ instrumentalium genus quod in praua compositione consistit, interdum ob repentinam improbamq́ agitationem contingit: interdum ob articulorũ humiditatẽ immodicã: quandoq; ob euersionem superciliorũ in ipsis articulis: est cùm ob relaxationẽ compositio uinetur, quemadmodũ in intestinorũ lapsu, quæ laxato peritonæo in scrotum descendũt. Ex his itaq; & alijs plurimis occasionibus, organorũ compositio peruertit.

*Soluta vnitatis causa.* *Caries vnde gignatur.* *Collisionis causa.* *Ruptio.* *Conuulsio.*

Nunc uerò alterius generis causas examinemus, quod utrisq;, tam corporibus similaribus, q̃ instrumentalibus, cõmuniter accidit: id enim est unitatis solutio. Quæ quidem si carni accidat, ulcus aut uulnus uocatur: sin autẽ ossi, dicitur uel fractura, uel caries, quæ ab erodentibus oritur humorib. Ad capitis ossa, cõplura instituta sunt nomina. Collisio magna ex parte accidit carni: quanq̃ & in osse nõnunq̃ etiã cõtingit, idq́ maximè in pueris, subruente extrinsecus aliquo uiolento, ualido ac duro corpore. Ad solutionẽ etiam continui pertinent & ruptio & cõuulsio, hæc in neruis, illa in carne consistens: quæ causam suę generationis habẽt, repentinum, ualidum atq; inæqualem motũ. Vt igitur paucis expediam, omniũ huiusce generis ęgritudinum causæ, nõnullæ quidem occurrũt extrinsecus, nõnullæ ab ipso corpore emanant. Porrò extrinsecæ sunt, ea omnia quæ percutere, collidereq́ sunt apta. Quæ uerò à corpore emergunt, sunt immodicæ inordinatæq́ animalis motiones, ac præterea humores uitiosi, erodendi uim possidentes. Hæ itaq; sunt simplices ęgritudines similarib. partibus organicisq́ cõmunes: ac præterea ipsarũ simplices causę. Compositas autem ægritudinũ causas, nõ est admodũ inuenire difficile, cùm nimirũ ex his quas diximus, cõstituant.

## GALENI PERGAMENI
### de symptomatum differentijs liber vnus.

*Affectus præter naturam est triplex.* *Morbus est affectus præter naturam, functionem lædens.* *Affectus & morbus vt differãt.*



OMnis præter naturam affectus, aut morbus est, aut morbi causa, aut illius symptoma. Est autẽ morbus, affectus quidam præter naturam, functionẽ lædens. Cæterũ differt affectus à morbo: nam ille quidem extẽditur etiam ad sanos & neutros: hic uerò solùm circa ægrotantes uersat, cùm nimirũ sanitati cõtrarius existat. At ab utrisq; dissidet, quod Græci pathos, Latini passionẽ appellãt.

*Passio quid.* *Actio quid.* *Affici quodammodo est idem quod pati.* *Passio versatur in motu.* *Affectus consistit in permanẽtia.* *Passio, vt affectus, ad sanos extenditur.*

Est enim passio, motus qui ab altero fit in alterũ: ita ut agentis motus dicatur actio: motus uerò, eius quod affectum est, passio. In summa, ipsum affici, quodammodo idem quod pati est. Differt itaq; ab affectu passio, ipsius tantũ motionis ratione. Quandoquidem in ipso uerti & mutari, præterea alterari & moueri, passio habet generationẽ: in eo uerò q̃d manet, prorsus affectus consistit. Propriè igitur affectus dicitur passio iam facta, nõ autẽ quæ etiamnũ fit. Sed quemadmodũ ad sanos & ægros ipse affectus extendit, sic etiã & passio: quo quidem nomine à morbo similiter differt. Rursus affectus ipse, alius quidẽ naturalem actionẽ efficit, alius uerò euertit & labefactat.

*Sanitas quid.*

Est igitur sanitas, naturalis quidã affectus functionis autor: morbus autẽ, affectus pręter naturã, oblæsæ functionis causa. At passio, motus est in materia, qui ab agente fit: actio uerò, ipse motus agentis.

*Causa quid.* *Causa multipliciter dicitur.* *Causa rationem eius sine quo nõ obtinentes.* *Fieri per se, & ex accidẽti, quid sit.* *Morborum causa.* *Morbi primò lædunt functionem*

Quod autẽ suapte natura aliquid cõfert ad eius quod fit generationẽ, causa uocat: quæ quidẽ & ipsa multiplex est. Nam materia, utilitas, scopus, instrumentũ, initiũ deniq; unde proficiscit motus, hæc omnia causæ dicunt. Quæ uerò nihil cõferunt, sed tamen ab ijs quæ cõferunt seiungi nõ possunt, hæc eius sine quo nõ, rationẽ obtinent. Aduerte autẽ, aliquid fieri per se, idem esse quod primò: ex accidenti uerò, q̃d secundò. Vt, si quis digito unũ calculũ moueat, à quo moueat & alius, per se quidẽ dicetur mouere primũ, ex accidenti autem secundũ. Ad eundem igitur modũ, qui affectus præter naturã suapte ratione actionem nõ labefactant, sed per morbos à se productos, ij non morbi, sed morborũ causæ, sunt appellandi. Morbi enim sunt, qui primò lædunt actio-

*Symptoma est quod sequitur morbum.*

*Symptoma largè sumptũ quid sit.*

actionem. Porrò quod morbũ ueluti umbra sequitur, id morbi symptoma uocaẽ: quemadmodum functionis læsio. Est autẽ symptoma largè sumptũ, omnis à naturali statu mutatio: ob idq; quicquid animali præter naturã accidit, ea significatione est symptoma. Quamobrem morbus quadantenus etiã symptoma diciẽ, sicuti & causa præter naturã.

*Symptoma à passione et morbo quo differat.*

Differt autẽ à passione symptoma (tametsi interdum in idem coẽant) quòd passio quidem omnino in motu uersetur, sitq; interim secundũ naturã: symptoma uerò nõ in motu tantũ, sed in habitu etiam & permanentia e se posũit, omnino præter naturam. A morbo ue ò differt, quoniã neq; affectus necessariò est, neq; actionem ex necessitate lædit: quæ sanè ad constituendum morbũ desiderantur.

*Symptoma propriè dictum, est triplex.*

Porrò symptomata propriè strictèq; sumpta (de quibus agere est animus) differentia triplici continentur. Alia siquidem nostri corporis sunt affectus, alia functionũ læsiones, alia ambo hæc comitantur: ut sunt excrementorũ immodicę tum excretiones, tum suppressiones. Cæterũ sub actionis lęsione, priuatio quoq; mihi inaudiatur, quemadmodũ immobilitas, insensibilitas, atq; cruditas: quæ quidẽ actionũ læsiones sunt. Has igitur symptomatũ differentias deinceps examinemus, ab actionis læsione auspicati.

*Actionum læsio est duplex, altera ad animalẽ, altera ad naturalem functionẽ pertinens.*

*Actio animalis est triplex.*

*Sensibilis animæ functio est quintuplex.*

Actionũ læsio duplex est: altera enim ad animalem, altera uerò ad naturalem functionẽ pertinet. Actiones siquidem duplices potissimũ numeranẽ, naturalis uidelicet & animalis. Rursus animalis diuidiẽ in sensibilem, motiuã atq; gubernatricẽ. Quorũ membrorum singula rursus in alia secantur. Sensibilis quippe animæ functio, quinq; differentias sortitur, uisiuam scilicet, olfactoriam, gustatoriã, auditoriam, atq; tactricem.

*Motrix functio variatur pro instrumentorũ diuersitate.*

Motiua autẽ facultas, cùm unicum instrumentũ habeat, unum tantũ habet motionis modũ: uariatur tamen pro particulariũ instrumentorũ diuersitate.

*Gubernatrix animæ functio est triplex.*

*Sentiendi actionum læsiones cõmunes & particulares.*

Vltima functio animæ, quam diximus esse gubernatricem, in imaginatricem, ratiocinatricem, ac deniq; memoratricẽ diducitur. Igitur noxæ omniũ actionum sentiendi, cõmunes quidem uniuersalesq; sunt, insensibilitas, & difficultas sensus: particulares autem, quæ in singulis sensibus reperiuntur: quemadmodum in oculis cæcitas, & caligo: in auribus surditas & hebetatio: atq; in alijs similiter, ubi uidelicet actio abolita est, aut deprauata, aut diminuta.

*Tactus quàm reliqui sensus, multò grauius afficitur.*

*Sensus reliqui à tactu, ab externis contristantur duntaxat, idq; ratione tactus quem possident.*

Cęterũ tactus in actione sua, quàm reliqui sensus, multò grauius symptoma, cùm ab extrinsecus occursantibus, tum uel maximè ab affectibus interioribus, solet recipere. Etenim alij sensus non ab internis, sed ab externis affectibus, in functionibus suis cõtristanẽ: ac ne id quidem per se, sed ex accidenti, quòd uidelicet in se habeãt facultatẽ tangendi.

*Sensus cõmunis symptoma est vigilia veternusq;.*

*Tactus est omnibus sensorijs cõmunis sensus.*

Est enim tactus oñibus sensorijs sensus quidam cõmunis: reliqui uerò quatuor, suo quisq; tantùm est proprius. Quãobrem oculi sæpissimè graui dolore cruciantẽ, cõtristato sensu tangendi. At uerò uigilia & ueternus, sunt ipsius cõmunis sensus symptomata.

*Motricis facultatis symptoma est triplex.*

Motricis facultatis triplex reperiẽ symptoma: immobilitas, diminutus motus, ac denique deprauatus. Cæterũ deprauatus motus, alius tremulus est, alius conuulsiuus, alius palpitans, alius deniq; uibrãs.

*Motus deprauati species.*

*Epilepsia quid.*

*Apoplexia.*

Porrò si cõuellatur uniuersum corpus, animæq; princeps potẽtia simul sit impedita, id symptoma epilepsia uocaẽ: apoplexia autẽ, dum totius corporis perit omnino motus, simulq; principes actiones cohibentur. Hęc itaq; motiuarũ actionũ sunt uitia.

*Imaginatricis facultatis symptomata.*

Proximũ est, ut gubernatriciũ functionũ iam offensas tradamus, ac primũ imaginatricis. Hæc enim interdum tota corrumpiẽ exoluiturq;, quemadmodũ in catalepsi: interdũ autẽ uitiaẽ, ut in delirio: est cùm deficit atq; debilitatur, quod in lethargo cõtingit.

*Ratiocinatricis facultatis symptomata.*

*Amentia quid.*

*Fatuitas.*

*Delirium.*

Sic etiam ratiocinatio, nunc exoluitur penitus, ipsumq; symptoma est amentia: nunc deficit atq; remittitur, uocaturq; id symptoma fatuitas: nunc læditur ac deprauaẽ, q̃d symptoma uocant deliriũ. Plerunq; siquidem in utrisq; simul cõsistit deliriũ, tum parum probè imaginando, tum parum aptè ratiocinando. Est quando duntaxat in altero.

*Rationem interdũ vitiari, imaginatione atque memoria illæsis: sicuti contrà.*

Interdum quippe ratio uitiatur, imaginatione simul atq; memoria illæsa. Quemadmodũ etiã ratione integra, cõtingit tum imaginationem, tum memoriam uitiari. Quòd autẽ in memorandi potentia consistant uitia, nemini opinor obscurũ.

De animalium itaq; actionũ symptomatis dictum nobis cùm sit, ad naturalium symptomata examinãda nos cõuertamus.

*Naturalium facultatũ singulis duplex tribuitur symptoma, nempe & abolitæ functionis, et non ritè obitæ.*

Methodus autem eorũ inueniendorũ est, naturalium facultatum cognitio: in quarum singulis duplex reperitur symptoma, alterũ abolitæ functionis, alterũ nõ ritè obitæ: quod quidem hoc est duplex: alterũ quod in diminuta, alterũ quod in uitiata actione cõsistit. Exemplum autem ponamus in cõcoctione uentriculi: quæ interdum quidem tota corrumpitur, interdum remittitur ob imbecillitatem, interdum uitiatur.

*Ventriculi actionis symptomata sunt, cruditas, cõctionis tarditas prauitasq;.*

*Appetitricis facultatis symptomata.*

*Nutritoriæ actionis symptomata.*

Quorum primũ symptoma dicitur cruditas: secundũ, concoctionis tarditas: tertium prauitas & uitiũ uocatur. Porrò appetitricis functionis symptomata sunt, abolita appetentia, & immodica cibi cupiditas. Circa nutricationis actionẽ, si scopum minimè attigerit, atrophia & phthisis accidunt. Vitiatam uerò nutricationẽ sequuntur, leuce, ophiasis, alopecia, & reliqua id genus symptomata.

*Facultates naturales sunt quatuor.*

*Naturalium instrumentorũ singulis, duodecim attribuo symptomata.*

*Animali instrumẽto quindecim inesse posse symptomata.*

Cùm igitur naturales facultates sint quatuor, attractrix, retentrix, alteratrix, expultrix: sanè in singulis naturalibus organis, quatenus naturalia sunt, duodecim oriri possunt symptomata: tribus uidelicet in unãquanq; facultatẽ cõgestis: in animalibus uerò, quindecim. Quòd si animale instrumentũ simul & mouendi & sentiendi uires obtineat, duodeuiginti symptomatum formas habere poterit.

*Similarium particularũ singulis quæ nutrimẽtum suscipiunt, duodecim attribuuntur symptomata.*

Ventriculus igitur duodecim sortitur symptomata, quatenus est cõcoctionis organũ: totidemq; quatenus pars similaris, quæ nutriri desiderat. Siquidẽ omnes particulæ quæ nutrimentũ suscipiunt, duodecim recipiũt symptomata: nẽpe tria (ut diximus) secundũ singulas facultates, ubi uidelicet aut nihil trahunt, aut languidè, aut uitiose: ubi id q̃d attractũ est, aut nõ retinent, aut languidè, aut uitiose: ubi q̃d iam retinuerunt, aut penitus crudum relinquũt, aut diminutè concoquunt, aut in alienam qualitatem cõuertunt: ubi excrementa ipsa expellere nequeunt, aut languidè, aut perperàm: hoc est, citius aut tardius, q̃ animali expediat. Ex quibus

utiq; accidit, particulas non nutriri, aut imbecilliter, aut perperàm & uitiose. Quod uerò in facultatibus similariū particularū dicimus, id etiā intelligendū est in ijs quæ ad instrumentales spectant. Porrò alteratrix facultas in uentre tunc abolita censetur, ubi cibus talis relinquit, qualis assumptus est. Imbecilla autem dicitur, quæ tardè concoctionē absoluit: sicuti deprauata, quæ in malignam qualitatē cibos ipsos permutat. At absoluta concoctio dicitur, ubi cibus in qualitatem animāti familiarē mutatur. Animaduertendum tamen hoc loco magnopere est, alteri symptomati alterū nōnunq̃ succedere. Siquidē iniustum cōplectendi tēpus, cōtinuò sequitur diminuta cōcoctio. Præterea celeris deiectionis ciborum inseparabilia symptomata sunt, excrementorum humiditas, alimentiq; per corpus imminuta digestio. Corruptelā cibi sequit necessariò quidem excrementorū fœtor, nō necessariò uerò, mordicatio & inflatio. Atq; horū sanè omniū iam dictorū symptomatū, quæ in actione oblæsa consistunt, sicuti & aliorū duorum generum, sciendum est morbos causas existere. Symptomatum quæ in corporū cōsistunt affectibus, primæ differentiæ sunt quatuor. Siquidem alia ad uisum, alia ad odoratū, alia ad gustū, alia deniq; ad tactum pertinent. Etenim quæ ad uisum spectant, ea sunt quæ cōsistunt in colore præter naturam, siue is uniuersum corpus occupet, ut in arcuatis: siue aliquā eius partem, ut in carbunculis. At quæ pertinent ad odoratū, ea in eespiratu ac perspiratu deprehendunt: ut si (gratia exempli) quod indies expirat è corpore, siue per arteriam asperā, siue per uniuersam cutim, graueolens ac putre sentiat. In gustu autē symptomata sunt, omnes sapores qui ægris præter solitū accidunt: ut si alienas qualitates percipere sibi uideantur. Tangibiles differentiæ sunt, ubi ea quę subijciunt tactui, genuinam mutarunt constitutionē: ut si cutis quę antea erat mollis, deprehendatur dura, rigidaq;: aut è conuerso. Cùm igitur omne quod naturale est, ex cōmoda temperatura nascatur: utiq; id quod præter naturā existit, ex aliqua intemperie orit. Quāobrem cùm hęc omnia quę diximus, prorsus præter naturā sint, meritò intemperiei feruntur accepta. Atqui intemperies omnis est morbus: ergo liquidò constat, has quatuor symptomatū differētias, à morbis generationē cōtrahere. Quæ uerò uel excernuntur à corpore, uel retinent in eo præter naturam (hæc enim ad tertiū pertinebant genus symptomatū) aut tota quidem substantia, aut qualitatibus tantū, aut deniq; quantitatibus, à naturæ ordine digrediuntur. Atq; ipsa etiā uel immediatè sequunt morbos, uel mediatè: intercidentibus scilicet symptomatibus alijs. Iam uerò hæmorrhagia, quod ad excretam substannā pertinet, toto est genere præter naturā, fitq; aut aperto uasis osculo, aut rupto uase, aut eroso. Etenim uulnus, ruptura, erosio, proprij similariū partiū sunt morbi: at apertio osculorū, ad instrumenta pertinet. Accidit enim interdum ipse sanguinis fluor ob retentricis facultatis infirmitatē: interdum quia expultrix immodicè mouet: nōnunq̃ ob utriusq; functionis noxam. Sic fit etiā muliebre profluuiū, aut ob dictarū functionū symptomata, aut quia sanguis est nimis serosus atq; subtilis redditus. Sciendū tamen est, nihil eorū quæ tempestiuè, hoc est, ad animalis cōmodum, circa corpus cōtingunt, etiā si toto genere præter naturam sint, uerè dici symptoma (quale utiq; est id quod sequitur morbum, atq; in lęsione actionis consistit) cùm nimirū unumquodq; eorū sit elegans & absolutū opus naturæ, tametsi ad alterū symptomatū genus, nempe ad affectum præter naturā, reduci possit: ut si sanguis per nares, aut hæmorrhoidas, commodè erumpat.

*Alteratrix facultas uentriculi, quando abolita & imbecilla, & deprauata dicatur.*

*Symptoma unū succedit alteri.*

*Deiectionem ciborum celerem quæ sequantur.*

*Corruptelam ciborū quæ sequātur.*

*Morbi, quorum sint causæ symptomatum.*

*Symptomatum quæ in corporū consistūt affectibus, prima differentia est quadruplex.*

*Naturalia omnia ex commoda temperie nascuntur.*

*Intemperies omnis est morbus.*

*Hæmorrhagia quib. modis fiat*

*Symptomata dici nō debēt quæ tempestiuè atq; ad animalis cōmodū circa corpus contingunt, vel si toto sint genere præter naturam.*

## GALENI PERGAMENI
### *de symptomatum causis lib. I.*



IN sensili actione triplex symptomatum genus deprehendit. Vnū, cùm primū sensus instrumentū quippiā perpessum est: alterū, cùm sentiendi potentia: tertiū, cùm ministrantium primo sensus instrumento partium aliqua fuerit affecta. vt, in oculo primū sentiendi instrumentum est crystalloides humor, qui à coloribus alteratur. Vis sentiendi est quæ à cerebro per neruum opticum, qui solus manifestum haber foramen, in ipsum descendentē, procedit. Illius uerò gratia creatæ sunt reliquæ omues oculi partes. Quicquid igitur ex enumeratis sit lęsum, animal uel malè uel nihil omino uidebit. Solet crystallinus humor octo intēperaturis à naturæ modo discedere. At facultas uisoria offendit, uel neruo affecto uel cerebro. Hæc aūt, quatenus similaria sunt, octo morborū generibus cōflictant: quatenus instrumētalia, tum obstructione, tum aliarū eerū innixu, atq; adeò diuortio cōtinui, q̇d quidē tam similaribus, q̃ ipsis instrumētalibus semper adest cōmune. Iam uerò si crystalloides humoe peruertatur ad alterū angulorū, haud ita notatu digna succedet noxa: sin uerò uel ad superiora, uel ad inferiora declinet, tūc quicquid cernit, duplum esse uidetur. Illa porrò quæ ex usu sunt primo instrumento, uarijs modis etiam cōtingit lædi: utputa si albugineus humor, spiritúsue, qui qui ante crystalloidem locat, usqueadeo copiosus fit, ut uisoriam facultatē impediat: aut similiter si foramen rhagoidis uel relaxet, uel coarctetur, magis q̃ expediat uisioni: aut si in aliquā diuellatur partē, aut deniq; si rumpat. Cæterū eelaxatio illius, siue ab ortu sit, siue postea præter naturam accesserit, semper uisui incūmodat: adstrictio autē & imminutio, si quidē à natiuitate contracta fuerit, acutissimæ uisionis est causa: sin uerò ex morbo talis coarctatio contigerit, uisionē impedit manifestè: idq; nō quatenus coarctatio est, sed quatenus à pessimis causis inducta. At reliquorū neutrū, siue à primo ortu, siue posteaq̃ quis genitus est, acciderit, uisioni incōmodū notatu dignū adferre potest. Etenim ubi alterū oculum claudimus, dilatatur alterius pupilla: q; spiritus antea ambobus particulatim distributus, uniuersus in unū cōfluat. Idcirco quibus suffusis altero oculo clauso pupilla clarior apparet, ij sperare debent fore aliquādo, ut uisum, punctione facta, recuperent. Quibus autem non dilatatur, ij omni spe eecuperādi uisus sunt destituti. Vnde liquidò

*Sentiendi actio triplex symptomatū genus in se ipsa admittit.*

*Crystallinus humor est primum sentiendi organum.*

*Opticis neruus inest manifestū foramen.*

*Crystallinus humor octo offendi solet intēperantijs.*

*Visoria facultas offenditur, vel neruo affecto, vel cerebro.*

*Solutionem continui esse cōmunem morbum similaribus & instrumētarijs particulis.*

*Crystallino humore sursum aut deorsum peruerso, obiecta uidentur dupla.*

*Pupillæ foraminis relaxatio semper visus incōmodat. constrictio autē, si quidem natiua sit, acutissimæ visionis est causa. si verò à morbo producta, lædit visionem.*

*Oculo altero clauso, cur dilatetur alterius pupilla.*

*Suffusorum quinam possint visum recipere, & qui minimè.*

*Spiritū animalem à cerebro demitti ad oculos.*

liquidò cōnstat, spiritū aliquē animalē à cerebro demitti ad oculos. Si igit̃ pupilla amplior fuerit, spiritus implere illam nō potest: quare diffundi ipsum, dissolui, dissipariq; est necesse. Si uerò angustior, cogitur & cōstringit̃, ac densior fit spiritus.

*Spiritus constrictus coactusq; plurimum cōducit ad sensus facilitatem: at dissolutus cōtrà obest.*

At coactus spiritus cōstrictusq; ad facilitatē sensus cōducit plurimū. E diuerso dissolutus dissipatusq;, sentiendi difficultatē inducit.

*Albuginei humoris usus.*

Est autē albugineus humor ueluti propugnaculū crystallini, cuius etiā nonnihil essentiā iuuat. Quamobrem si imminuat̃ quodāmodo, ipse crystallinus arescit, ac super ipsum rhagoides tunica corrugatur & cōcidit, sic ut uisio ipsa oblædat̃: nimirū externo lumine per exiguū mediū humori crystallino occurrente.

*Rhagoidis tunicæ usus.*

Iam uerò instrumentum uisionis, citra tædiū tolerare splendorē nō potest: obidq; rhagoides tunica illi est obiecta, nigra existens simul atq; cœrulea, quibus coloribus oculus potissimū recreatur, quē infestauit splendor.

*Pupillæ coarctatio quando facilè, & quando ægrè curationē recipiat.*

Verùm coarctatio pupillę, quemadmodū amplitudo, si quidem ab humiditate superflua traxiat ortum, facilem: sin uerò à siccitate quadam inexpugnabili, desperatam curationē sortitur.

*Rhagoidis solutio quando uisum exoluat.*

Porrò si rhagoides tunica ita sua cōtinuitate soluatur, ut tenuis ille humor prolabatur ad exteriora, maximè uisio labefactatur. Ad hæc, si humor ille albugineus seipso crassior sit redditus, exactā cernendi aciem multò obtusiorē reddet. Quòd si plurimum aucta sit crassitudo, uisum omnino prohibebit. At si nō totum foramen à contento ibi crasso corpore obtenebretur, sed relinquat̃ eius aliqua particula pura, uidere licebit per illā externas res, idq; nihilo deterius quàm antea: sed unamquālibet solam.

*Obiecta quādo fenestrata uideantur.*

At si in pupillæ centro exigua consistat suffusio, maneantq; partes quæ in circuitu sunt, puræ: qui sic sunt affecti, quicquid aspiciūt, id ueluti fenestratū putant. Vbi uerò humor inter crystalloidem atq; rhagoidē medius, propriū colorem mutarit, si quidem ad fuscum declinet, arbitrabitur quis se per nebulam, uel per fumum etiam uidere. Sin alio quouis colore inficiatur, huius quoq; imaginē, ea quæ spectantur, referēt. Præterea, quibus adeò absoluta est cernendi facultas, ut ne minimū quidem uisibile eos latēre possit, si uapores à uentriculo sursum ferant̃, hos symptomata suffusioni similia infestabunt. In uniuersum autē, uel parua, uel magna symptomata accedent, pro ipsius magnitudine affectus.

*Videre planè distantia obiecta, quibus contingat.*

Cui spiritus animalis simul & multus fuerit, & æthereus, is, res quæ porrò distant, & uidere, & discernere potest. Cui uerò paucus quidē fuerit, sed purus, is ut res propinquas planè discernit, sic distātes handquaq̃ uidet. Quòd si humidior simul fuerit & multus, res distantes uidet quidē, sed nō ad unguē discernit: quemadmodum cui humidior simul fuerit & exiguus, is neq; exactè, neq; porrò uidere potest.

*Ceratoides tunica.*

Ceratoidis tunicæ pars illa quæ pupillæ est obiecta, si crassior densiorq; sit, aciē hebetē reddit. Si uerò humidior densiorq; fuerit, nō modò reddit uisum obtusum, sed etiā efficit, ut qui sic est affectus, putet se per tenebras, aut nebulam, aut uaporē aliquē, aut per fumū res ipsas cernere. At si humores nō multitudine, sed colore peccauerint, secūdum eiusdē coloris naturā ipsa cæcutientia oboritur.

*Icterici putant omnia obiecta pallere.*

Proinde qui morbo regio laborant, quicquid uidēt, id pallere arbitrant̃. Quibus autē ea ceratoidis pars insigniter ulcerata est, aut uulnerata usqueadeo, ut ipsum uulnus ad interiora pertingat, ij magna ex parte obcæcant̃.

*Visum recuperasse puerū, cui albugineus humor effluebat, corneaq; omnino corrugabatur, Galenus uidit.*

Vidi tamen equidem puerū, cùm iuxta pupillā punctus fuisset stylo, sic ut aquosus humor efflueret, ac tota omnino cornea corrugaret̃, uisum (incredibile quippiā) recuperasse, instaurato scilicet paulatim humore qui per uulnus effluxerat. Solius etiā corneæ ipsius corrugatio (qualis senectute confectis solet semper accidere) similiter uisum offendit. Cæterū si pupilla simul sit imminuta, scire licet, aquosum quoq; humorē imminutum existere: sin uerò æqualis permanserit, ad solā ceratoidem affectus pertinet. Corneæ igitur morbi, si fuerint magni, in totū uisionē impediunt: maximè si uel phlegmone, uel suppuratione, uel scirrho (quatenus instrumentū est) infestetur. Inhærens uerò membrana phlegmone obsessa, ex accidenti quoq; impedire potest uisionē.

*Chymosis.*

*Vnguis oculi.*

At chymosis, unguisq;, nō ex accidenti, sed primaria ratione pupillā ipsam obscurāt: quemadmodū genarum ingentes tumores præter naturā.

*Auditus symptomata unde proficiscantur.*

Grauis auditio surditasq; animāti euenire solēt, aut ob auris partē aliquā, aut ob neruū à cerebro descendentē, aut ob cerebrum ipsum, si ea in parte, unde neruus oritur, affectum fuerit. Igitur nerui cerebriq; offensa in his, haud aliter quàm in oculorum affectibus, accidit. Reliquarū uerò partium noxæ, illis ad portionem respondent: uerùm non omnino similis læsio existit. Partes itaque ad auditum pertinentes, quatenus similares sunt, octo intemperaturis uexantur, ac præterea solutione continui: quatenus autem instrumentales, tum hac, tum obstructionibus inuaduntur, ob tumorem aliquem præter naturam, aut ob sordem obturantem auditoriū meatum.

*Linguæ inesse duplicē facultatem, sensitricem atq; motricem.*

Cùm autem lingua sit duplici facultate prædita, ac per unam quidem sentiat, per alterā uoluntariè moueatur: contingit sanè ipsam aut minimè sapores percipere, aut deprauatè: idq; ob tunicæ, quæ illam inuoluit, uel corporis ipsius, uel mollium neruorum, uel eius cerebri partis, unde illi exoriuntur, affectum aliquem præter naturam.

*Gustandi uis ob quarū partium affectus corrūpi, aut uitiari possit.*

Etenim deprauata saporū dignotio, ubi lingua alieno quopiam humore fuerit imbuta, euenire consueuit. Nam quemadmodum per suffusiones, ipsa uisoria facultas foris uidetur ea cernere, quæ in oculo apparent: ita & gustandi uis, internam linguæ affectionem rebus sensibilibus tribuit: quemadmodū etiam, ubi sonum aures percipiunt, nulla re extrinsecus obstrepente, sed ipsa circa membranas motione, phantasmata transmittente.

*Odorandi sensorium esse principium anteriorum cerebri uentriculorum.*

*Nasum inseruire odoratus & respirationi.*

Quod uerò spectat ad olfactricem potentiam, odorandi sensoriū est principium anteriorū cerebri uentriculorū: inseruit autē nasus odoratui simul & respirationi. Si igitur uel contundat̃ ipse, uel eius obstruatur meatus, idq; uel ab humore aliquo, uel à tumore præter naturam, olfaciendi facultas uel minus probè odores percipiet, uel eos omnino nō sentiet.

*Olfaciendi uis à quibus soleat labefactari.*

Obstructiones etiam ossium colatoriorū, præterea cerebri membranarum, atqueadeò illæ quæ in processibus anteriorū cerebri uentri-

culorũ oriuntur, ac deniq; insignes dictarũ partium tum contusiones, tum sectiones, olfactricẽ uim maximè labefaciũt. Ob intemperiem etiam ipsarũ partiũ, solet fieri olfactus uitiosus. Porrò tactus (qui sensus cõmunis est omnibus particulis sensibilibus) uaria symptomata recipit: inter quæ annumeratẽ tum hæmodia, tum torpor. Est enim hæmodia dentiũ stupor, qui ob acidos acerbosq; cibos magna ex parte oboritur. Torpor autẽ in toto corpore cõtingere solet, ex sentiendi mouendiq; difficultate affectus quidam cõpositus. Qui quidẽ manifestè uideẽ tum à refrigeratione, tum à compressione corporũ neruosorũ, ac deniq; à torpedinis marini animalis contactu, procedere. Vbi uerò citra aliquam huiuscemodi causam ultrò torpor acciderit, tũc uel uitæ ignauiam, uel ciborum multitudinẽ, crassitiem, lentitudinẽ, aut solitæ secretionis suppressionem antecessisse necesse est. Igitur eius causa cõiuncta, affectus nerui est talis, ut facultatẽ illi à principe parte missam, impedire possit. Atqui impedieẽ, si neruus meatu aliquo præditus, uel obstructus sit, uel compressus. Si uerò meatũ nõ habeat, sed uti Solis radij per aquam, aẽrémue transeunt, eodem modo facultas à principio per neruorum corpora permeet, ipsa in transitu præpedietur, si ad immodicam crassitudinẽ neruus ipse peruenerit: id quod illi cõtinget, aut crassis uiscidisq; succis nutrito, aut uiolẽto frigore perfrigerato. Torpescunt etiam nerui, ubi uel laqueo, uel manibus constringuntur: aut extrinsecus à uicinæ partis phlegmone, uel scirrho comprimuntur: aut ubi luxatis fractisue ossibus fiũt arctiores. Principiò igitur stupidi fiunt, deinde omnino & sensum & motum amittunt: quod uitium ipsorũ, dicitur paralysis, à torpore sola magnitudine differens. Quòd si omnes occupauerit neruos, repentè uniuersum corpus sensu & motu priuabiẽ, succedetq; citissima mors, quòd prohibita sit respiratio. Si spinæ principiũ lædatur, solæ partes capitis, quoad uixerit animãs, & sentire & moueri possunt. Si tamẽ cerebro quoq; noxa ipsa acciderit, qui sic afficiuntur, ijs omniũ partiũ perit simul &* motus & sensus. Viuere autem possunt utriq; tanto tempore, quanto uiuũt ij qui præfocati strangulanẽ. Spina uerò in inferiori loco affecta, nempe sub ea neruorũ propagine, à quibus thorax attollitur, si quidem ingens fuerit affectus, partes inferiores oẽs subitò & sentiendi & mouendi facultate priuanẽ. Si uerò nõ ita uehemens affectus uideaẽ, stuporem inducet. Atq; ij sanè mortẽ effugiũt, quandoquidem in ipsis respiratio seruatur. At quibus quinta spinæ uertebra affecta est, eorũ manus omnino & sensum & motũ amittunt. Vox autẽ omnibus illis perit, quibus ea spinæ pars quæ in ceruice est, fuerit insigniter lęsa. Porrò qui nerui, dum rectè ualent, facultatẽ sentiendi suppeditãt, ijdẽ lædũt ipsam si affecti fuerint. Cęterũ cùm partes aliquæ per quem neruũ uoluntariè moueñẽ, per eundẽ sentiendi quoq; uim habeant, duplex necessariò noxa orieẽ ex ipsius nerui affectu: quarũ altera quidẽ sensum, altera motũ impediet. Interdum tamen quarundã partiũ motus uolũtarius exoluiẽ, sensu prorsus illæso: sicuti è cõuerso etiã cõtingit sensum perire, incolumi functione mouendi: ut in lingua & oculis planè uidere licet, ac breuiter in omnibus partibus, quæ per diuersos neruos, hoc est, molles & duros, illas facultates recipiũt. At in quibus mẽbris duri duntaxat nerui inueniunẽ, per quos utraq; facultas deferẽ: ex ipsorũ uehementi læsione functiones ambæ labefactanẽ. Nam si ablata cute subiectus musculus, qui nudus est, uideaẽ immobilis, sentiat tamẽ tangentes, exiguã ei accidisse noxã putandũ est: nempe quòd tantã animalis facultatis partẽ susceperit, quãta ad sensum excitandũ sufficiat: ad musculi uerò motũ, nõ item: quippe tangẽdi sensus, pati aliquid, potius ꝗ agere, deprehenditur: proinde ab exigua facultate functio eius perfici potest. At musculorũ motus in agendo, nõ in patiendo, actionis efficaciã possidet. Is enim totũ corpus transferre debet: quãobrem plurima indiget facultate animali. Delectatio autẽ & dolor omnibus accidit sensibus: sed in oculis minus ꝗ in cæteris euidenter perspicieẽ: in tactu & gustu, luculentissimè: ab ijs deinceps in odoratu: atq; hunc tandem auditus sequiẽ. Iam uerò affectio præter naturã uiolenter affatimq; incidens, doloris (ut Plato inquit) est causa. Vbi uerò corpus ad naturalem habitũ redit, idq; rursus affatim, oborieẽ uoluptas. Porrò uehementes eueniũt in tactu à naturali habitu transmutationes, ob uiolentem calidi frigidiq; occursum: atq; ob eas res, quæ contundere, secare, extendere, aut erodere possunt. Nam siccitas humorq;, nisi calori frigoriue iunganẽ, occursu suo inferre uim minimè cõsueuerunt. Cæterũ sectio & ruptio dolorẽ infert, nõ ubi facta est (nisi fortè ex accidenti aliquo) sed ubi etiamnum fit. Iam instrumentũ gustandi, quatenus haber facultatẽ tangendi, à iam dictis causis diuelliẽ: quatenus uerò ad gustum propriè pertinet, ab amaris, acidis, acerbis atque acribus: quandoquidem horũ singula continuũ diuidere possunt. At ab humoribus acribus resoluti uapores, uim olfactricem infestant: nam & ipsi continuũ diuellunt. Auditũ uox turbat aspera, grauis, maximaq; & celerrima: quemadmodũ omnis uiolentus strepitus. Visum autẽ, illustrissimi splendores offendũt corrumpuntq;, eò quòd nimiũ disgregent. Passio itaq; molesta quatenus dictũ est, oriri in omnibus sensibus solet: delectatio autem illi aduersa, à cõtrarijs nascitur causis. Etenim ut cœruleus color iucundissimũ est oculis spectaculum, ita splendor candicãs, qualis in sole cernitur, maximũ ipsis dolorem inferre potest. Post hos secundo loco molestus quidem est color albus, delectat uerò fuscus: nam ille uisificam essentiã dissoluit, hic eam cogit citra uiolentiam. Color siquidẽ niger hoc nomine uisionis essentiæ aduersaẽ, quòd cogat ipsam uiolentius, quàm ut eam reducat ad naturalẽ habitũ. Cæterùm id quod nigerrimũ est, splendidissimo minus uisum offendit, quia crassiori cõstat substantia, ob idq; minus efficaciter agit: cùm nimirum omnis res tenuis crassam actiuitate superet. Sic igitur sol ualde tenuis cùm sit, protinus uisum dissipat. Quare si quis diu in dẽsissimis tenebris uersatus fuerit, postea luci restituatur, occęcabitur is quodãmodo. Meritò itaq; cœruleus color, ut uisio-

*Tactus inest omnibus sensibilibus.*

*Hæmodia unde proficiscatur.*

*Torpor, affectus cõpositus, à quibus causis oriri soleat.*

*Nerui ipsi sintne foraminibus præditi, an minimè, Galenus hæret.*

*Paralysis à torpore sola magnitudine differt.*

*Spinæ quinta vertebra affecta, resoluũ manus.*

*Vox quibus pereat.*

*Motum quarundam partiũ voluntarium exolui, prorsus illæso sensu, sicuti è contrà; id quod accidit in omnibus partib. quæ per diuersos neruos vtranq; facultatẽ recipiũt.*

*Tactus pati videtur potius quàm agere.*

*Tangendi functio cur ab exigua facultate perfici possit.*

*Motus cur plurima facultate indigeat.*

*Delectatio & dolor quib. sensibus maior, & quib. minor adsit.*

*Doloris causa.*

*Voluptas quando fiat.*

*Dolorem nec siccitas, nec humiditas infert propria ratione.*

*Gustandi sensorium à quibus nam afficiatur.*

*Olfactum acres vapores infestãt.*

*Auditum quæ obtundant.*

*Visum quæ offendant.*

*Cœruleus color est optatissimus oculis.*

*Niger color qua ratione visui aduersetur.*

*Tenuis res omnis, crassam actiuitate superat.*

*Sol cur visum dissipet.*

ut uisioni iucundissimus est, ita maximā quoq; præbet utilitatē: sed nō illi, quę à sole discussa fuerit. Huic enim utpote iam ægrotanti, contrariū remedium (uidelicet color niger) est adhibendū: ei uerò quę sana, sed fatigata est, color cœruleus, fuscusq;, saluberrima spectacula existunt.

*Color niger, fuscus, cæruleusq;, disgregatis ibus ipsius visus conferunt.*

Porrò fuscus color, ex albo nigroq; contemperatis nascitur: cœruleus uerò, ubi candor splendori iunctus, non ita parum in nigrum degenerat. Medij siquidem moderatiq; colores (ut inquit Plato) ex contrarijs inuicem confusis oriuntur.

*Colores medij, ex contrarijs inuicem cõfusis oriuntur.*

*Auditus bene affecto, & ægroto, quæ voces sint infesta, & quæ grata.*

In auditu uerò nō malè affecto, ut iucūdissima uox censetur quæ & lenissima & tardissima est: ita asperrima, citissimaq;, maximā inferre solet molestiā. Vbi autem fatigatus auditus fuerit, præter lenem ac tardam, exigua quoq; est amica. At cùm ægrotat, lenissima simul & tardissima, atq; perquàm exigua, ijsq; multò magis absolutū silentium.

*Sensuum qui maiori voluptate fruantur, & qui crassiora obiecta possideãt.*

In hoc sensu manifestior conspicitur delectatio, quia crassiori constat essentia: manifestiorq; adhuc q̃ in hoc, uoluptas percipitur à sensu olfactus, quòd ipsius quoq; essentia sit crassior. Etenim ut aër splendorē crassitudine uincit, ita uapor (qui extenuatus est humor) aëre crassior existit.

*Vapor est extenuatus humor.*

Atqui splendor ad uidēdi, aër ad audiendi, uapor ad odorandi sensum pertinet: quēadmodū ad gustū, natura humida: ad tactū uerò, solidū corpus.

*Gustum qui succi delectent.*

Gustui igitur, cùm à naturali habitu nō declinat, maximā uoluptatē adferūt omnes succi dulces, pinguesq;, ceu corporis essentię familiarissimi. Si uerò ab aliquo ipsum infestante nuper uitiū cōtraxerit, pingues. Nam ij exasperatas partes maximè lenire consuerūt.

*Pingues succi, exasperata leniũt.*

At ubi iam morbo afficitur, tunc succi contrarij ijs qui morbū excitarūt, delectare uidentur. Ventriculus etenim uisceribus & uenis inseruit, huiusmodi succos appetens, quales illis sunt necessarij.

*Ventriculus inseruit visceribus atq; venis.*

Præcedit tamē iudiciū linguæ, quæ ijs potissimum delectatur succis, quibus uentriculus indigere uidet. Cōsensus autē huiusmodi potissima causa est, uestiens ipsam membrana. Porrò odorandi uis, q̃d ad ea pertinet quæ extrinsecus uel uoluptatē, uel molestiam adferūt, gustandi facultati proportione respondet.

*Odorandi vis, vaporesque quidem internos, vbi sunt graues, sentit: qui verò delectabiles sunt, eam latent.*

At uapores qui intrinsecus continentur, si molesti fuerint, possunt sensu percipi: suaues uerò & omnino delectabiles, sensum latent: quēadmodū in uisu quoq;, & auditu, qui in se nullum patiunt uehementē affectum.

*Sensus intra se nullum affectũ vehementem patiuntur.*

Delectamur in id genus sensibus, ad naturalem habitū redeuntes: hoc autē fit per idonea cōtraria. Idoneū autē uoco id, quod primariò & per se, nō per mediū alterius rei interuentū, fuerit effectus causa. Quare procatarcticę causæ in præsentiarū spectandæ nō sunt.

*Genitaliũ membrorum vires.*

Iam uerò genitales partes proprio quodam & eximio sensu afficiuntur, unde & ualidissima prædita sunt facultate, expultrice quidem seminis genitalis, in masculis: in fœminis autem tum hac, in testiculis & seminarijs uasis, tum attractrice per totum uterum.

*Seminis excretionem comprehensionemq; comitatur ingens cupiditas, voluptasq;.*

At genitalis seminis tum excretionem, tum comprehensionē, ingens comitatur & cupiditas & uoluptas. Molestia autem quæ ex redundante atq; intus retento semine oritur, paulatim & longo temporis tractu increscit.

*Molestia ex retento semine.*

*Os ventriculi exquisitissimo est sensu præditum.*

Nulla autē est pars quæ uel adeò exactè sentiat, uel principum partium utranq; pro suarū affectionū modo perinde afficiat, atq; orificium uentriculi, qui stomachus appellatur. Siquidem syncope, cardialgia, dyspnœa, apnœa, morsus, epilepsia, delirium, insania, huius partis occasione euenire solent, idq; consortij lege.

*Os ventriculi quorũ affectuũ consortij lege & propria ratione sit causa.*

Abolitam uerò, difficilem, & deprauatam appetentiam, ipsa per se sustinet. Abolitam uoco appetentiam, dum quis nihil omnino appetit: difficilem, eam quæ est imbecilla. At deprauata, partim ad immoderatam cibi potionisq; exhibitionē uertitur, partim ad alienæ qualitatis desideriū. Etenim cùm nutritoria functio nō uitalis, sed naturalis sit: haud aliter in animalibus q̃ in plantis perficitur.

*Nutritoriã functionem nõ aliter perfici in animalibus quam in plantis.*

Idcirco animalibus uice terræ fabrefecit natura uentriculum, ueluti promptuarium cibi.

*Ventriculus prõptuarium cibi.*

Addidit insuper facultatem qua penuriam sentiret: ut animalia ad cibum potionemq; excitata, eodem implerētur tempore: uocaturq; huiusmodi plenitudinis desideriū appetentia.

*Appetẽtia quid.*

Hęc ortum habet à penuriæ sensu, cùm uenæ ex ipso uentriculo trahunt, ueluti mulgentes, sugentesq;. Igitur suctionis sensus est fames.

*Fames quid.*

Primū itaq; symptoma omnium est inanitio. Secundum est inanitarū partiū naturalis appetentia. Hanc sequitur per uenas, quæ porrigunt in uentriculū, suctio. Deinde suctionis sensus. Postremò ipsa animalis appetentia omniū ultima. Quam sanè functionē aboleri contingit, si uel suctionis sensus pereat, uel suctus non fiat, uel corpus non inaniatur. Imbecilla uerò erit, si iam dictæ affectiones accedere proximè ad abolitionē uideantur.

*Appetentiam quando aboleri vel imbecillam reddi, vel vitiari contingat.*

*Canina appetentia à quibus causis proficiscatur.*

At deprauata fit appetentia, si uehementiæ modum excedat: uocaturq; à nonnullis canina, ubi uel ob acidi humoris uitium uentriculus mordicus infestatur: uel dum totū corpus exhaustum, assidua nutricatione indiget. Quippe frigidi humoris uitium, rosionem quæ suctui proportione respondeat, inducit: ac appetentiā, non aliter q̃ naturale pathema, excitat: magis tamen cibi q̃ potionis desiderium affert, idq; propter refrigerationem.

*Frigidi succi appetentiam excitant.*

*Sitim salsi humores atq; biliosi gignunt.*

Si uerò salsi aut biliosi humoris uitio uentriculus mordicationē senserit, potionem magis quàm cibum desiderabit. Itaq; ad excitandam famem frigus in uentriculo non parū confert. Inter potissimas autem causas, quibus fames impeditur, calor annumeratur, ut qui solida quidē corpora laxando dissoluat, atq; ad attractionis functionē reddat imbecilliora: humida uerò fundendo, supra modū extendat.

*Fames cur à calore impediatur.*

Prauas autem qualitates appetunt ij, quibus uentriculi tunicæ sunt prauo aliquo excremento imbutæ. Qui affectus citta, seu pica dicitur, & mulieres uitiosis succis refertas infestare cōsueuit, præcipuè ubi utero gestant: quanq̃ uiris etiā nōnunquā accidit, ubi ipsis quoq; uitiati humores ad osculū uentriculi confluunt.

*Citta morbus quos maximè infestet.*

*Appetentia potionis quibus de causis aut pereat, aut minuatur, aut deprauetur.*

Similiter circa porū accidit quasi priuatio appetētiæ, ubi corpus nulla omnino eget potione, ob frigoris atq; humoris excessum: uel uentriculus propriā affectionē non sentit. Deficiens uerò appetentia apparet, ubi hæc eadem fuerint imbecilliora. At deprauata potionis cupiditas, deprauatæ appetentiæ ciborum proportione respōdet. Siquidem immoderata potio appetitur, quando contenti in uentriculi tunicis uitiosi humores, aut salsi sunt, aut

biliosi: interdum etiã, cùm ueluti feruet in eo natiua ipsius humiditas. At prauas pon ones nonnulli appetunt, pro uitiosi humoris, qui in ipsis uincit, ratione. Est præterea & aliud symptoma

*Cardialgia unde exoriatur.*

nõnunquã osculũ uentriculi infestans, nempe cardialgia uocata, quæ à mordacibus succis oritur.

*Bolimos quãdo accidat.*

Bulimos etiã, siue inexplebilis fames, symptoma est eiusdem particulę, ubi penuria, imbecillitate, atq; refrigeratione afficitur. Mirandum autẽ nõ

*Oris ventriculi cum principibus membris cõnexio.*

est, si ob oris uentriculi affectus, animalia maximis ijsdemq; uehementissimis affectibus affligantur, cùm nimirũ pars illa per neruos quidem cerebro, per arterias autẽ cordi, uicino sibi, suas

*Sensationes quomodo fiant.*

offensiones cõmunicet. At uerò singuli sensus in singulis particulatim instrumẽtis à sensilibus alterati, perficiuntur. Hanc uerò alterationẽ pars alterata sentit, eò quòd à cerebro suscipit facultatem, quæ ad ipsam per neruũ deriuat. Quippe

*Cerebrum quorsum conditum.*

cerebrum nõ ut sit sentiendi instrumentũ, sed ut sensuum instrumentis uim sentiendi largiatur, à

*Cerebrum vim sentiendi partibus per neruos largitur.*

natura institutũ est. Nam quòd singulis animalis partibus per neruos sentiendi facultatẽ transmittat, liquidò patet, ubi neruus aliquis est dissectus. Siquidem pars ea in quam neruus ille distributus est, protinus sensum amittit. Taceo sensus inter dormiendnm, aut ociosos omnino esse, aut debiliter agere: quòd tũc exigua facultas à cerebro in reliquas partes defluat. Quiescit ita

*Facultas animalis per somnum quiescit: naturalis operatur vehementius.*

que per somnũ animalis facultas, naturalis autẽ ualidius operari uidetur: cùm tunc cibus multò melius coquat non in uentriculo modò, sed etiã per uniuersum corporis habitũ. Est etiam rationi consonũ, illud animalis membrũ, in quo anima rationalis, ueluti in arce habitat, aliquando quiescere. Cor siquidem exiguã admodũ habere quietẽ uidetur, quòd longiori nõ magnopere indigeat. At res aliter se habet in cerebro: quod quidem per uigilias officio suo semper fungitur, per somnũ uerò feriatur. Quamobrem profun-

*Exercitati vehementius, cur altius dormiant.*

dius uident dormire ij, qui fatigati multa exercitatione fuerũt: utpote quibus inter exercitandũ plurimũ facultatis à principio defluebat: quocirca cerebrũ & requie & uirium instauratione indiget, tum ob facultatis, quam transmisit, inanitionẽ: tum ob labores, quib. per multas functiones defatigatũ est. Quemadmodũ autẽ exercitati & proniores sunt ad somnũ, & grauius dor-

*Cibo ingesto cur proni ad somnũ reddamur.*

miũt: ita illi quoq; qui cibum ingesserũt. Atq; hi eò grauiori detinent somno, quò ingestus cibus humidior suapte natura fuerit. Itidẽ & ij qui plurimo se uino ingurgitarũt, aut balneis multis, calidisq; liberaliter circa caput sunt usi. Quippe hu

*Cerebrum qua possunt implere.*

iuscemodi omnia implere cerebrũ suo madore uident: qui alioqui nõ est inutilis ei quem multa exercitatio & lassum & aridum reddidit. Etenim

*Capitis repletio conciliat somnũ*

quòd repletio capitis somnũ cõciliet, satis Aristoteles demonstrauit. At uerò si à frigida multaq;

*Veterni causa.*

*Lethargi causa.*

opprimat humiditate ipsum cerebrũ, ueternosum lethargicũq; somnũ inducit. Igitur ea quæ

*Somnifera sunt humectantia.*

duntaxat humectant, nõ ab re somnifera nominant: quæ uerò refrigerãt, ea nec somnũ cõciliare, nec indolentiã inducere uerè dicẽtur: sed pro

*Soporifera dicũtur quæ extremè refrigerant.*

somno ueternũ, grauemq; soporẽ: pro indolentia autẽ, uel abolitionẽ, uel difficultatẽ sensus efficient: idq; ob frigiditatis excessum. Rursus siccitas immoderatior, & calor, ueluti in phreniti-

*Vigilias inducunt siccitas & calor immoderatus.*

de, uigilias infert: quas neq; mœstitia, neq; solicitudo peperit. Sed apoplexia etiã & morbus comitialis affecto cerebro fiunt. Verùm ut profun

*Apoplexia qualis affectus sit.*

dus somnus sentiendi functiones: ita apoplexia eas actiones quę pendent à uoluntaris imperio, offendit. Ad hæc, qualis est insomnietas sentien-

*Epilepsia qualis conuulsio sit.*

di functionibus, talis est cõuulsio per morbũ comitialem motibus uoluntarijs. Porrò conuulsio quæ per totum corpus fit citra delirium, aut soporem, à spinalis medullæ, quæ in ceruice continetur, morbo dependet. Si uerò uel manus, uel crus, uel musculus distendatur, aut conuellatur uiolenter, ad illum semper neruum, qui partem mouet, referenda est noxa.

## GALENI PERGAMENI de symptomatum causis lib. II.

Quandoquidem iam exposuimus symptomata quæ circa sensum uersantur, operæprecium fuerit deinceps illa etiam examinare, quæ sub deprauato motu, ceu cõmuni ge-

*Sensus deprauati symptomata.*

nere continent: cuiusmodi sunt, conuulsio, tremor, palpitatio, singultus, tussis, ructus, sternutatio, pandiculatio, & stridor dentiũ. Quorũ sa-

*Symptomatum quæ ad motum deprauatum spectant, alia quidẽ naturæ, alia morbi sunt opera, sicuti alia vtriusq;.*

nè nõnulla quidem naturæ sunt opera, sed coactæ ab aliqua causa præter naturam: alia morbidos sequuntur affectus, nihil ad ipsorũ generationem cõferente natura: alia deniq; à natura & morbo simul coëuntibus ducunt originem. Porrò naturæ opera sunt, sternutatio, tussis, oscitatio, pandiculatio, & singultus. Solius morbi, palpitatio, conuulsio, resolutioq;. Sicuti amborum coëuntiũ, omnis torpor & tremor. Ad quorũ sanè omniũ particulares propriasq; differẽtias in-

*Facultates naturales sunt quatuor.*

uestigandas, sciendum est, quatuor esse facultates, quibus omnia quæ aluntur corpora gubernantur: attractricem uidelicet, retentricem, alteratricem & expultricem. Cùm igitur iuxta naturæ leges animal gubernat, nullus ipsarũ motus esse symptoma censetur. Quòd si quippiã in corpore præter naturã cõsistat, insurgatq; ad ipsum deijciendum expultricũ facultatũ aliqua, fit interim ut ipsarũ motus sensu minimè percipiant, interim ut nõ lateant sensum: utriq; tamen in naturam symptomatis transeant. Igitur functionis

*Motus voluntarij noxa.*

à uoluntatis imperio prodeuntis noxa est, neruorum resolutio, conuulsio, tremor, stupor. Cæterùm si instrumentorũ quibus respiratio perfi-

*Apnœa quid.*

*Aphonia quid.*

citur, resoluti sint nerui, apnœa, hoc est, abolita spiratio: si uerò uocales nerui, aphonia, id est, uo

*Linguæ paralysis.*

cis priuatio, uocatur. At linguę paralysis, etsi sermonem, uoluntaris opus, omnino tollat, nullũ

*Ischuria naturalem functionem cohibet.*

tamen propriũ obtinuit nomen. Rursus ischuria, hoc est, urinę suppressio, haud absimile quiddam apnœæ significare uidetur: quãuis per ipsam functio, à natura, nõ à uoluntatis imperio pendens, tollatur. Sed si quis inuitus cogatur meie-

*Excretiones inuoluntariæ quò referendæ sint.*

re, uoluntarię functionis offensa est. Haud aliter alui excremẽta, si supprimant, ad naturalem: sin deijciantur, idq; homine inuito, ad uoluntariam

*Apoplexia est paralysis vniuersi corporis.*

functionẽ noxa referri debet. At si paralysis totum corpus inuadat, symptoma ipsum apoplexia uocatur. Conuulsio etiam ipsa pro uarietate particularũ, uarias appellationes sortitur. Nam si man-

*Dentiū stridor.* *Strabilismus.*

si mandibularū musculi cōuellantur, stridor dentium: si uerò oculorū, tum peruersio, tum strabilismus, symptoma dicitur. Iam uerò si rigido pene semen effluat, ueluti cōuulsio quædā ipsa gonorrhœa existit:

*Gonorrhœa.*

si nō rigeat penis, referri debet ad retentricis facultatis imbecillitatem. Non desunt & quibus uideant tum singultus, tum duplex inspirādi aëris refractio, aliquādo ex cōuulsione musculorū qui inspirationi inseruiūt, procedere.

*Singultus.* *Inspirationis duplex refractio.*

*Epilepsia.* *Stupor quo fiat modo.*

Epilepsia autē est conuulsio uniuersi corporis. At stupor imperfecta quædam est resolutio neruorū; estq; ferè mistum symptoma, coëuntibus in unū pugnantibusq; morbo simul & facultate.

*Tensio omnis fit aut à plenitudine aut ab inanitione.*

Omnes autē affectus qui neruos intendere possunt, in duo capita reducunt: plenitudinem scilicet, atq; etiam inanitionē. Ac phlegmonæ quidem, plenitudinē pariūt: ardentissimæ autem & aridissimæ febres, inanitionē. Quod uerò ad motum immobilitatemq; pertinet naturalem, si manū extendere, extentamq; immobilem seruare ualeamus, animalis facultatis hæc functio est: qui status, & motus & immobilitas dici potest. Sin autem supra rem aliquam solidam, rectè ualentē manū deponens, omnes musculorū actiones laxaueris, hanc manus quietē neq; ad morbum, neq; ad facultatē, sed ad innatam animalibus grauitatem referre oportet. Quemadmodum autē extenta manus duobus æquè ualentibus regitur motibus: sursum quidem ferente facultate, trahente uerò deorsum insita grauitate: sic etiam tremor perficitur duabus motionibus: una, qua cogitur membrū ob grauitatem ad inferiora delabi̇scere: altera, qua sursum fertur à facultate.

*Tremor fit, ipsius membri pondere pugnante cum facultate.*

Pugnat itaq; per tremorē manifestè facultas cum grauitate: uicissimq; facultas nunc uincit, nunc imbecilla uincitur. Quāobrem contrariorū semper inter se motuū successione, tremor fieri uidetur, cùm sit motus cōpositus, quēadmodum arteriarū pulsatio. Patet ergo huius quoq; symptomatis generatio, & quòd omnino

*Tremorem esse uoluntariam actionem sed imbecillam.*

cum conatu fit mouendi, secundumq; uoluntatis imperiū, cum facultatis tamē infirmitate. Porrò maximū onus ualidam deijcit facultatē. inualidam uerò, nō solùm hoc, sed parua quoq; prosternit sarcina. Quòd si ad multā imbecillitatem deuenerit, uel sub proprio opprimetur corpore.

*Animi affectus tremulas functiones efficiunt ac similiter morbi corporis.*

Quemadmodū autē animi affectus, qui motricem facultatē imbecilliorē reddūt, tremulas functiones efficiūt (ut in timore uidere licet) sic morbi corporis incōmodātes uiribus, tremoris symptomata inducunt. In primis itaq; & omniū maximè officit facultati, quicquid in intemperie cōsistit.

*Senectus est intemperies.* *Tremore cur senes, nōnulliq; ex iuuenibus corripiantur.*

At senectus quoq; intemperies quædā est, ad frigus & siccitatē procliuior. Quamobrem senes facilè tremore uexantur. Ex iuuenibus uerò corripiuntur ij, qui uehementer fuerunt refrigerati, & qui multo meraco uino se repleuere, aut multas subinde cruditates congesserūt, aut qui diu multis cibis ingestis, nullo usi sunt exercitio, sed ignaui in ocio uixerūt, aut qui intempestiuè frigidam aquam biberūt. Præterea crassi lentiq; succi, facultatis meatus obstruentes, tremorem efficere possunt.

*Palpitatio quid & quibus partibus accidat.*

Palpitatio autē est dilatatio præter naturam, omni parti, quæ dilatationē suapte natura admittit, accidere potens, aliarū uerò nulli. At dilatari sunt nata, omnia quæ naturaliter mollia existunt. Palpitationē itaq; nonnunq̄ cuti, subiectisq; illi musculis, & uisceribus accidere cernimus: quemadmodū ipsi cordi & arterijs, alio in eis præter pulsum (qui ab insita facultate fit) deprehenso motu.

*Palpitationē esse diuersum motum à pulsu.*

Cùm autē palpitatio ipsa celeriter oriatur & euanescat, necessum est illius causam esse aëream essentiā. Quæ quidem si pauca fuerit & tenuis, ilicò à corpore defluet. Proinde uidetur esse uapor crassus ac multus, idq; pro captu spacij in quo cōtinetur.

*Palpitationē fieri à vapore crasso simul & multo incluso in palpitante particula.*

Dilatat igitur, attollit, atq; inflat partem, donec uiolenter explosus, in cognatū sibi aërem expiret. Verisimile autem est, refrigeratis quomodolibet partibus, atque interdum etiā obstructis, palpitationes accidere.

*Palpitationis motum existit præter naturā.*

Porrò uniuersus palpitationis motus, quo in utranq; partē agi uidetur membrū, existit præter naturam: qua ratione à tremore distinguit, et quòd etiam maiora interualla, quàm tremor ipse, sortiatur.

*Palpitatio à tremore quo differat.*

At uerò, ut in membrorū palpitatione fit motus paucus, paruus, & rarus: ita in rigore fit multus, citus, & frequens.

*Rigori adesse motum multum, citum atq; frequētem.*

Atqui multū, uoco ex ipso motionū numero: citum, ex motionis impetu: frequentē, ex breui tempore quietis. Cæterùm motus hic nō est uniuersus prẹter naturā, ut palpitatio & cōuulsio: sed potius totus ad expultricem facultatē est referendus: etsi ipsam irritans causa, cogensq; ut uiolenter moueat, præter naturam esse censeatur.

*Rigor est referendus ad vim expultricem.*

*Rigor est motus cōpositus ex causa præter naturam, & facultate animali.*

Est itaq; rigor motus quidam cōpositus ex causa prẹter naturam, & facultate animantis, sed in quo uirtus, quàm in tremore, est uegetior. Vt autē exempla facultatis expultricis proponam, uterus nō alio pacto ad fœtus æditionē insurgit, quàm ut retentam expellat molem. Cùm enim nouē mensibus sustineat tum fœtus grauitatē, tum suam ipsius extensionem, atq; toto hoc tempore osculum ipsius adeò exactè claudatur, ut ne specilli quidem aculeum admittat: absoluto fœtu, ad ipsius secretionē accedit, diuersa om̄ino cōstitutione affectus.

*Vteri conniuentia & relaxatio opportuna.*

Nam fauces quidem ipsius antea clausæ, adeò patent, ut facilè per ipsas totus fœtus erumpat. Tunicæ uerò plurimū antea extentæ, & contrahunt undiq;, & fœtum explodunt, ut q̄ celeriter ab uteri ceruice decidat. Corruptū uerò fœtum eijcit illa facultas expultrix, aut tertio, aut quarto, aut alio quolibet mense, haud aliter q̄ instante pariendi tempore, matricis fauces aperiens.

*Ventriculi retentrix, expultrixq; facultas.*

Similiter etiā uentriculus, ingestis cibis, claudit inferius osculum, ac nihil egredi sinit, priusquā accuratè concoctum fuerit: si modò nihil aliud intercidere ipsam cogat functionē: quemadmodū corrupte la fœtus in utero. Sic siquidem solet uentriculus natantes cibos euomere: ad inferiora uerò tendentes, per inferiora deijcere. Sine cibis etiā insurgit sæpe uētriculi facultas ad uomitū: idq; ob prauam aut bilem, aut pituitā, aut aliū huiusmodi succū, aut saniem. Iam uerò qualis est per uomitiones in uētriculo expultricis actio, eiusmodi etiā per tusses, est in pectore, & in pulmonib. beneficio spiritus qui ad exteriora uehementer mouet. Nullū autē animal aut nauseare, aut uomere, aut tussire didicit. Verū si causa præter naturam, aut uentriculi osculum, aut respirationis meatū obsederit, protinus animal uel uomitiōe,

*Sternutatio. Nares sunt meatus respirationis.*

uel tussi uexabitur. Ad horũ genus refertur etiã sternutatio, qua expelluntur quæ retenta in naribus hærent: quæ & ipsæ, mratus respirationis existũt. Spiritus igitur uehementer motus, earũ mratus erpurgat, tibicinum exemplo, tibias fistulasq; expurgantium. Itaq; huiusmodi motus, naturæ opera existunt: annumerant tamen symptomatis præter naturã, ob causas naturã ipsam ut sic moueat cogentes.

*Tussis quid sit.*

Tussis porrò nihil est aliud, q̃ uehemẽtissima efflatio, qua plurimus spiritus celerrimè foras erumpens, impetu suo extrahit exploditq; excrementa, meatum ipsius obstruentia.

*Humores qui à pectore educantur facile.*

Expelluntur autem facilè, quorum nec nimis aquosa, nec lenta essentia fuerit. Cæterùm illos humores qui in arteria contumaciter hærent, & qui difficulter expectorantur, magis euellunt sternutamenta: utpote quæ ualidiorẽ, q̃ tussis, habent spiritus impetũ, licet aliam generationis suæ causam sortiant.

*Sternutamẽta, quàm tussis, ualidius à pectore impactos humores euellunt.*

Quippe non ob ea quę asperis arterijs, sed naribus molesta sunt, spiritus uiolenter emittitur, cum quo ex prioribus uentriculis cerebri explodi nõnihil solet. Proinde tussis capiti nihil cõducit.

*Tussis nihil conducit capiti.*

*Sternutatio iuuat plurimum caput, nisi ob destillationem accidat.*

Sternutatio uerò, nisi ob destillationem acciderit, haud mediocre præsidiũ affert capiti repleto uaporib. Nec mirũ uideri debet, spiritũ unico impetu & ex pulmone & ex capite emitti: nam cùm principiũ insurgit, ut expellat quæ infestant nares, utroq; utitur expirationis meatu. Hæc igitur sunt facultatis à uoluntate pendentis symptomata. Vomitus uerò, q̃uis illis proportione quadã respondeat, ad facultatẽ naturalem refertur.

*Nausea præcedit uomitum.*

*Cerchnos præcedit tussim.*

Vt autem uomitũ nausea præcedit, sic tussim cerchnos, exiguus ad tussiendum impetus.

*Tussi reijcienda esse, quæ spiritũ intercipiunt.*

Porrò quicquid spiritũ interceperit, id tussi reijcere oportet: siue humor sit à capite defluẽs, siue illapsa portio cibi uel potus, siue aliquid in asperis arterijs collectũ, ut in peripneumonia, pleuritide, & in conuexarũ iecinoris partium phlegmone, aut in gutturis ipsius asperitatibus.

*Tussis ob refrigerata organa, spiritus cohibitione prohibetur.*

Est & aliud tussis genus, quod accidit respirationis organis refrigeratis. Sed ita affecti nihil inter tussiendũ expuunt: adeoq; est exigua ea tussis, ut spiritus cohibitione supprimi, & ne eueniat, prohiberi possit.

*Spiritus cohibitio calorẽ in organis respirationis adauget.*

Quippe auget in instrumẽtis respirationis calor, ob cohibitam animã: spiritusq; sub thorace uiolenter oppressus, in omnes arctos meatus penetrat. Hæc autẽ utraq; dum fiunt, omnia læuigant, ad temperamentiq; æquabilitatẽ perducũt. Iam uerò intemperies ipsa, interdũ simplici qualitate, interdum duplici cõstat: nonnunq̃ eiusmodi qualitates comitatur id quod intemperatũ est, ueluti ros quidam.

*Aequalis intemperies cur nullo afficiat dolore.*

Sed enim æqualis intemperies nullo dolore affligit, cùm nimirum particulæ affectæ adsit iam ueluti acquisititia quædam natura. Nullum autẽ corpus à sua ipsius natura infestat.

*Dolor quando accidat.*

Nam ij quorũ natura mutatur, corrumpiturq;, dolore afficiunt: nõ quorũ iam mutata aut corrupta est.

*Inæquales intẽperies dolores secum inducunt.*

Vbi uerò in corpore quopiam sentiendi ui prædito, inæqualis suboritur intemperantia: quanta fuerit intemperiei magnitudo, tanta etiã erit molestia. Quare per tales intemperantias inæqualitatẽ quandam sentire se aiunt ægri, & pandiculant, omnesq; partes distendũt, sese tuendi gratia.

*Expergefacti à somno cur se distẽdant.*

Distendunt autẽ maximè à somno expergefacti, utpote carnibus uaporãria excremẽta sentientes, tum ob cõgesti cibi coctionẽ, tum ob huiusmodi motionũ quietẽ.

*Lassitudini triplex potest oriri sensus.*

Triplex autẽ in lassitudine potest oriri sensus: cõtundens scilicet, tensiuus, & ulcerosus: idq; à causis præter naturã omnes corporis partes quassantibus, distendẽtibus, exulcerãtib.

*Lassitudo tensiua spontanea quæ.*

Igitur ubi tendi uidet corporis moles citra quampiã exercitationẽ, affectus is lassitudo tensionis spontanea uocat: quemadmodũ ulcerosa, ubi ulceris sensus transcurrere per corpus apparet: id q̃d motis magis accidit, q̃ quiescentibus, nisi admodũ magna sit lassitudo.

*Lassitudo ulcerosa motis magis accidit, quàm quiescentibus.*

*Lassitudo cõtundens.*

Per tertiũ uerò lassitudinis genus, quo aiũt sibi quassa esse ossa, ne minimũ quidem motũ tolerare ægri possunt: sicuti nec per lassitudinẽ ulcerosam, ubi nimiũ increuerit. Cæterũ quemadmodũ ubi ulcerosus fit sensus horrent ægri, si cõmoueant: ita horroris affectus, si aliquis motus accesserit, in rigorẽ transit.

*Horror transit in rigorem, si motus adsit.*

Atqui hæc omnia oriunt ab excremẽtis mordacib. Differũt uerò inter se excrementorũ multitudine & motu: propterea quòd alia magis, alia minus erodant: quodq; ex corporibus ipsis alia sint imbecilla, alia facilius, alia ægrius & afficiant & sentiant. Facit etiã discrimen causa, ubi citius uel tardius mouet. Ad hęc idem etiã homo, dum quiescit, solam interdũ sentit inæqualitatẽ: dum mouet, horrorẽ: dum uerò exercitatur, rigorẽ. Quãobrem sic affectis cõsulunt medici, ut ab omni motu se abstineãt.

*Excrementa à quib. causis mouantur.*

Quinetiã sol, balneũ, exercitatio, ad motũ excitant excrementa, alioqui quiescentia: quemadmodũ & ex animi affectibus ira. Porrò à seipsis ad motũ excrementa insurgũt, si uel calfiant, uel extenuent, uel in spiritũ dissoluant.

*Causa emota longè est molestior quiescente.*

Causa itaq; emota longè est molestior quiescente, præsertim ubi defertur per corpora sensibilia. Cùm enim quippiam per hæc transiens, uiolenter ad cutim fertur, in ipso per carnẽ cutemq; transitu necesse est ut stimulet, pungat, diuidat, uulneretq; ras partes omnes, quibus obuiũ fuerit.

*Mordax motaq; omnis causa, siue frigida siue calida fuerit, horrorem rigoremq; inducere potest.*

Omnis autẽ causa mordax motaq;, siue frigidissima, siue calidissima fuerit, & horrorẽ & rigorem animanti inducere potest. Cæterũ febres tertianæ, ut omniũ maximè biliosæ calidæq; sunt, ita præ cæteris maximè horrorẽ possunt efficere: & quò fuerint synceriores, eò in ipsis uehemẽtior fit rigor.

*Rigor ardentem febrem, illi superueniens, cur soluat.*

Porrò ardentem febrem rigor superueniẽs soluit, quòd bilis quæ interim in uenis cõtinebat, à natura per carnes ad cutem decretoriè excutiat. Quare motionis eius, rigor & symptoma est & signũ. Nam huiusmodi rigore affecti, postea sudant, & liberant à febre, nimirũ eiecta bile. Quæ interdum etiam nõ ad cutem, sed ad internas partes impetum faciens, uel uomitione, uel alui solutione deijcit. Sæpenumero & intrò & foras eadem die defert, ut simul & sudore & uomitu & alui deiectione bilis uacuet. Vbi igitur erodẽs quippiã in particulis cõtinetur, contristantur sanè, præcipuè si illud moueat: quare maximè ad eius expulsionẽ festinant.

*Concussio quomodo corpori accidat.*

Contrahunt itaq; atq; constringũt sese, mox quælibet impellit eam quam cõtinet excrementi portionẽ. Atq; in hunc sanè modũ motis uniuersis particulis, totum corpus concussione quassationeq; uexatur: qualis uidetur in ijs, qui sunt rigore correpti. Similiter etiã concutiuntur

thoracis

thoracis musculi, ea quæ carnibus ipsorũ molesta sunt, per pulmonũ arterias expellere properantes. At uerò nõnulli ægri cùm egeãt reiectione sputi per regionẽ pulmonis, nec eam ob imbecillũ thoracẽ moliri queant, sibi sternutationẽ prouocãt, naribus irritatis: ut ob uiolentũ motionis impetũ, ea expuant, quæ tussiendo antea reijcere haudquaq̃ poterãt. Illa autẽ tussis, quæ ob intemperiẽ organorũ respirationis accidit, ad horroris rigorisq́; genus pertinere uidet̃. Vbi uerò quæ corpus infestant, humida suapte natura fuerint, per tussim ac rigorẽ ab expultrice facultate impulsa, ultrò citroq́; ferunt̃, donec applicuerint ad cõuenientẽ euacuationi locũ. Sin aũt solus spiritus sine humore, immodicè uel calidus uel frigidus per corpus transeat, is tunc horrorem excitat, ac nõnunq̃ rigorẽ: nulla tamen sequitur cõspicua euacuatio. Cùm igitur & frigida & calida causa possit excitare rigorẽ: calidæ quidem, si aërea fuerit, refrigeratio satis efficaciter auxiliat̃. Si uerò sit humor, eam febris necessariò sequet̃. Curatur autẽ euacuatione. At frigidæ, si aërea fuerit, remediũ est calfactio. Sin uerò sit humor, interdũ sola cõcoctio sufficit, interdum uacuatio, nõnunq̃ ambæ cõueniunt. Etenim citra febrim nonnunq̃ oriunt̃ rigores ob pessimã uictus rationẽ, ubi quis per ociũ se impleuerit, & subinde à cibo lauerit. Quã rigoris speciem ueteres ignorarũt medici, quòd homines superiori illo seculo, nec tam intemperãter uiuerẽt, nec tam crebrò lauarẽt. Attamen rigor ille quo partes uehementer quatiunt̃ & cõcutiuntur, ob frigidos succos nunq̃ excitari uidetur: quòd hi ob crassitudinẽ uehementer moueri nõ possint. Iam uerò si rigor per febrẽ nõ intermittentẽ acciderit, idq́; ægro imbecillo, est letalis, ut inquit Hippoc. Siquidẽ in eiusmodi rigoribus insurgit natura cõtra res noxias, quò eas expellat: sed uicta cadit, extinguiturq́;, atq; hanc ob rem redditur perniciosum symptoma. Porrò in quartanis febribus succus ex calido frigidoq́; mixtus, rigorem excitat: quippe atra bilis suapte natura frigidus succus censet̃. Vbi uerò adeò putris effecta est, ut febrim inducat, quãta adfuerit illi putredo, tantus & calor inerit. Cùm autẽ rigor à calidis simul & rodẽtibus succis fiat, mirari haudquaq̃ oportet, si partes extremæ omnes refrigerant̃, declinante animali facultate unà cum sanguine ad interiora: qualem motũ uidere licet in cõpluribus animæ affectibus. Quod uerò ad animæ essentiam pertinet, quæcunq; illa fuerit, è duobus alterũ fateri oportet: aut quòd ad omnes functiones ut primis instrumẽtis utitur & spiritu & sanguine, ac uel alterius, uel utriusque calore: aut quòd in his ipsis consistit. Per timorẽ etiam & spiritus & sanguis intus sese recipiũt: quo fit ut algeant partes in superficie positæ: idq́; adeò interdũ uehementer, ut nõnulli rigore quoq; arripiantur. Per iram uerò soluũtur ac dispergũtur, proindeq́; exteriora incalescũt. At agonia, affectus ex utrisq; cõflatus, inæquales habet motiones. Iam & cordis & arteriarũ pulsationes, & minimæ, & perq̃ debiles in trepidantibus esse uident̃: sicuti in iratis maximæ & ualidissimæ. At in agonia sunt inæquales. Per uerecundiã, animalis facultas in primis quidẽ ad interiora mouetur, sed rursus affatim redit ad exteriora. Nam si nõ redierit, nõ uerecũdia, sed timor censeri debet. Vt autẽ in timore cõfertim, sic in tristitia paulatim ad interiora fit motus: magnitudine duntaxat ac uehemẽtia, nõ toto genere differentibus inter se pathematis. Atqui nõnulli ob subitũ timorẽ perierunt: id quod solet cõtingere, ubi debilis suapte natura animula, sub ualida perturbatione confertim & extinguitur & suffocatur. Etenim extinctio, affectum ex refrigeratione ortũ consequitur: suffocatio autẽ, concursum sanguinis uniuersi ad ipsum principiũ. At ex iratis nemo mortuus est unquã; utpote quibus neq; calor refrigeratur, neq; robur dissoluit̃. Præ gaudio autẽ nonnulli supra modũ pusillanimes animã exhalarunt, quemadmodũ & timentes. Iam dolor è diuerso cogens moueri animã, haud leuiora symptomata, q̃ maximus timor, inducit. Quippe laborantes decolores fiunt, refrigerant̃, cõcutiuntur rigore, tremunt, pulsus habẽt minores, exolutosq́;, ac tandem similiter ijs qui perterrentur, moriuntur. Nam & in ijs fugit insitus calor ad suũ principiũ: animaq́; simul & soluitur, & extinguitur. Per rigorem itaq; frigus non internarũ, sed externarũ partiũ sentitur. Quamobrem tunc nõnulli uehementi siti cruciantur, nimirũ ipsis interno calore seruato. Conflictatur igitur, pugnatq́; per rigores cõtra ea quæ infestant, facultas, donec radicitus euellantur, excutianturq́;.* Ob incursiones autẽ uehementes, & quia etiã in intimo corpore cogitur, rursus magna ui caloris reuertit̃, febrimq́; à rigore accendit, in eo certamine materiam habens auxiliatricẽ: unde & febris euadit uehemẽtior. Quòd si aliquando in pugna defatigetur anteaq̃ dimouere res noxias possit, necessariò mors subsequetur. At pruritus, qui excrementorũ leuiter mordicantiũ est sensus, eos uexare solet, qui aut balneũ negligunt, aut strigmentis redundant, aut cruditatibus sunt referti, aut praui succi cibis uescũtur: sed præcipuè affligit infectos psora uel lepra. Vt autẽ prædictorum symptomatũ causas accuratius exponã, exigua quidem est, tenuis, salsa, & immota in prurito. Exigua, tenuis, erodens, immotaq́;, in lassitudine ulcerosa. Multa, salsa, crassa & immota in lepra, psoraq́;. Pauca, tenuis, mordax, ac breuẽ motum possidens, in horrore. Si uerò aut uehementius moueat̃, aut multũ abundet, aut sit mordacior, iam nõ horrorẽ, sed excitare rigorẽ est nata. Pro intensione autẽ aut remissione ipsius causæ, intendũtur aut remittũtur symptomata. Iam tussis causa in pulmone, gutture ac thorace consistit: sternutamenti, in naribus: singultus uerò, in uentriculo & gula. Atq; in his omnibus expultrix facultas, quò excutiat molesta, se ad motus uehementissimos excitat. Porrò sternutamentũ ipsum nõnunq̃ ex accidenti, humorũ in pectore delitescentiũ, remediũ existit, licet eius rei gratia excitatũ nõ fuerit. Similiter purgat uentrẽ & gulam: qua ratione etiam singultui auxiliatur. Sed iam opportunũ est ut de ijs dicamus symptomatis, quæ circa principes functiones uersantur. Quorũ sanè tria genera deprehendũtur. Primũ, ubi perit omnino functio. Secundũ, ubi illa ob-

*Sternutatione interdum ea expui, quæ reijci per tussim non poterant.*

*Rigor oriri à causa calida & frigida potest.*

*Rigoris medela.*

*Rigores citra febrim quando gignantur.*

*Intemperantius uiuitur nunc, quàm superiori seculo.*

*Rigor quãdo sit letalis.*

*Atra bilis in quartanis qua ratione rigorem gignat.*

*Rigente homine sola partes extrema refrigerantur, recurrente sanguine ad interiora.*

*Animæ substantiã Galenus definire nõ audet.*

*Timore perfrigerari extrema, calore ad interna se recipiente.*

*Ira calfacit partes extremas.*

*Agonia quid.*

*Verecundia, ut moueatur.*

*Tristitia quam motionẽ sortiatur.*

*Timor subitus quãdo perimat.*

*Extinctio quid.*

*Suffocatio quid.*

*Iratorũ cur nullus obierit.*

*Gaudio fuisse nõnullos exanimatos.*

*Dolor qualia inducat symptomata.*

*Rigẽti externa refrigerãtur, & interna incalescunt.*

*Rigori febris cur superueniat.*

*Pruritus quid, & quos infestare soleat.*

*Pruritus causa.*

*Vlcerosæ lassitudinis causa.*

*Lepra psoraq́; causa.*

*Horroris causa.*

*Rigoris causa.*

*Sternutatio nõnunquã ex accidenti conducit excrementis pectoris educendis, purgatq́; uentrẽ & gulam.*

læditur. Tertiũ, quando in alienã speciem degenerat. At perit quidem functio in stultitia, obliuioneq;: qui affectus à frigore oriunt. Quippe medicamentis quæ huiusmodi symptomata facere possunt, refrigerãdi facultas inest. Hæc itaq; symptomata cerebri corpus esse refrigeratũ declarãt.

*Stultitia oritur à frigore. Obliuio à frigore gignitur.*

Apoplexia uerò epilepsiaq;, ex subitanea colluuione pituitæ, replentis uẽtriculos cerebri, nasci uident. Proinde horũ symptomatũ subita est generatio & discussio, qualis esse per corporum intẽperies nõ posset. At modica offendicula, ac ueluti torpores tum rationis, tum memoriæ, ob minorẽ refrigerationẽ eueniũt.

*Apoplexiæ causa. Epilepsiæ causa.*

Porrò delirium omne, deprauatus est principis facultatis motus, à prauis succis, aut cerebri intemperie ortum habens. Cæterũ phrenitis dicit, si febris adsit: ut mania, si absq; febri accidat. Solæ autẽ melancholicæ alienationes, à frigidiori succo produci solent. Nam phrenitis nõ simpliciter ob calidos succos accidit, sed cùm phlegmonẽ uel in cerebro, uel in ipsius membranis producunt. At quæ deliria in acutissimarũ febriũ uigore oriuntur, mordacem calidumq; uaporẽ habent, cerebrum occupantẽ. In omnibus autẽ animi alienationibus, si timor atq; tristitia diu perseuerent, atram bilem in causa esse est indiciũ.

*Delirium quid, & unde ortum habeat. Phrenitis quid. Mania. Melancholicæ alienationes. Phrenitidi gignendæ requiritur phlegmone in cerebro, aut in membranis illius.*

Quòd uerò atra bilis rationalẽ animæ arcem occupãs, timorem, mœstitiã, ac mortis expectationẽ inducat, nihil mirandũ est, cùm uideamus in rebus externis nihil magis nos, q̃ tenebras ipsas, perterrefacere. Si igitur quippiam tenebris simile rationali parti animæ circunfundat, hominẽ semper timere est necesse, ut qui timoris causam semper in corpore secum ferat: ut in flatulento illo morbo, quem hypochondriacum nominant, in dies uidere licet.

*Atra bilis sedem rationis occupãs timorem, mœstitiam, ac mortis expectationẽ inducit. Tenebræ perterrefaciunt. Hypochondriacus affectus.*

## GALENI PERGAMENI de symptomatũ causis lib. III.

DEinceps autẽ de symptomatis quæ circa tum actiões, tum facultates naturales uersant, dicendũ est. Quandoquidẽ igitur concoctio nihil est aliud q̃ alteratio secundũ qualitatem, quã uentriculus nimirũ molit, dum sibi cibos assimilat: nemo sanè negauerit alterationis errorẽ fore cõcoctionis symptoma.

*Concoctio quid. Alterationis error est concoctionis symptoma.*

Cæterũ si nulla penitus alteratio fiat, hoc symptoma absolutè uocatur cruditas. Si uerò fiat quidem alteratio, sed nõ qualem fieri expedit, uocabit & hæc cruditas, nõ quidem tanq̃ priuatio, sed ceu uitiũ cõcoctionis existens.

*Cruditas quid.*

At uitiũ ipsum, bifariã accidere solet. Aut enim tardè alterant cibi, ut uix propriam transmutationẽ suscipiãt: aut corrumpuntur omnino, ut nullã cõcoctionẽ admittere possint: atq; huiusmodi sunt cõcoctionis noxæ. Quarum causa cõmunis quidem est alteratricis potentiæ ab scopo aberratio. Cuius aberrationis duo prima sunt genera. Vnũ, quod in potẽtia læsa: alterũ, quod in externo aliquo errore consistit.

*Concoctionis uitium cõtingit bifariam.*

Cæterũ potẽtia bifariam læditur: aut per suã ipsius essentiã, aut per aliquẽ morbũ instrumentorũ. Error autẽ externus tripliciter accidit. Nã aut ab excremẽtis uẽtriculi, aut à cibis, aut à somni tẽpore oritur. Iam in propria essentia noxæ, intemperies quædam agentiũ qualitatũ existũt.

*Facultas bifariam læditur. Essentiæ facultatis læsiones propriæ, sunt intemperies.*

Ad morbos instrumentorũ pertinent tumores præter naturã, abscessusq;, & alij affectus cõsimiles, quibus si crucieť uentriculus, impediť facultas eius cõcoctrix. Quòd si cum intẽperie coẽãt ipsi instrumentorũ affectus, utroq; modo facultas illa patietur noxã. Atq; ob hasce omnes causas uentriculus malè cõcoquit, uel nullo extrinseco errore incidente.

*Instrumentorũ morbi.*

E cõuerso autẽ uentriculo nõ malè affecto, interdũ non coquit animal, aut propter ciborũ potionumq; immodicã quantitatem, aut qualitatẽ alienã, aut quia intempestiuè, aut nõ recto ingerunť ordine, aut propter excrementũ inutile, aut somnũ breuẽ.

*Cruditatis, aut concoctionis uitiosæ causæ, illæso uentriculo.*

Ordinẽ præposterũ uoco, ubi quis aut cydonia, aut punica màla in primis ingesserit, mox olera sumat ex oleo & garo. Intẽpestiuus autẽ dicetur, ut si in aurora anteq̃ hesternus cibus descenderit, aut corpus fuerit modicè exercitatũ, prandiũ sumatur.

*Cydonia esse edenda in ultimis. Intempestiuus ciborum usus.*

Porrò corruptelæ ipsæ, quæ quidẽ fumosæ sunt, ex calidioribus, magisq; fumosis oriuntur cibis: acidæ uerò, ex ijs qui frigidiores natura sunt, magisq; pituitosi. Similiter etiam & in excrementis cõtingit. Acidas siquidem creant, quæ pituitosa sunt & frigida: fumosas, quæ biliosa & calida. Nec secus uenter, sub frigidioribus quidẽ morbis, acidas: sub calidioribus, fumosas mutationes efficit.

*Corruptelæ fumosæ, acidæq;, à quibus cibis gignantur.*

Tarda cõcoctio fit, quia cibi difficulter corrumpunť: uel quia illos facultas nõ superat: uel quia somnus fuit breuior, q̃ ut eos uincere posset. Vbi uerò citra corruptelã cibus omnino cõcoctione priuať, sciendũ est uentriculũ planè esse uictũ, uel ab immodica multitudine, uel ab ingenti frigore. Ad eosdem reducunť modos quæ in uasis cruditates contingunt: illæq; etiam quæ in tertia cõcoctione gignunť. Atq; hæc omnia indicauit nobis præcognita cõcoctionis ratio.

*Cõcoctionis tarditas unde.*

Cùm enim temperiẽ huiusmodi, quæ ex quatuor elementis conflať, & quæ corporis uentriculi proprietatẽ cõstituit, sciuerimus esse causam alterationis ciborũ, quodq; ad hanc rem nõ mediocriter cõfert calidum elementũ: facilè nobis uia ostendetur, qua cruditatis causas quoq; inueniamus.

*Alterationis ciborum causa est temperies uentriculi.*

Igitur in uniuersis actionibus tria symptomatũ genera reperiunť. Quorũ quidẽ primũ est, abolita actio. Secundũ, imperfecta, diminutaq;: tertiũ deniq;, uitiosa seu deprauata. Ventriculus itaq; actione priuatur, ubi ne minimũ quidem immutat cibos. Imperfectè concoquit, ubi tardè cõcoquit. Deprauatè uerò, ubi cibos corrumpit. Eadem etiã habenda est ratio, & in coctione quæ fit in uenis, & in uniuerso corpore.

*Symptomatũ genera tria reperiri in uniuersis actionibus: nempe abolitam functionem, remissam, & deprauatam.*

Porrò ex uitiatis succis gignunť erysipelata, cancri, gangrænæ, phagedænæ, carbones, herpetes, alijq; id genus affectus.

*Succi uitiosi quos affectus producant.*

Circa nutritoriã autem actionẽ, priuatio quidem actionis, atrophia est: deficiens nutritio, gracilitas: at uitiosa, in leucis, & elephantiasi consistit.

*Atrophia. Gracilitas. Leuca. Elephantiasis.*

Quorũ sanè causæ, aliæ ad potentiæ imbecillitatẽ: aliæ ad errorẽ qui circa cibos cõmittitur: aliæ ad studia siue exercitia, & ea quæ extrinsecus animali accidunt, referuntur. At uerò imbecillitates potentiæ, quæ quidẽ propriæ sunt, similariũ intemperiẽ: quæ uerò nõ propriæ, instrumentales sequunť morbos. Error autẽ circa cibos exhibitos, ad multitudinẽ, succorumq; qualitatẽ refertur. Quemadmodũ & studia,

*Imbecillitates facultatis quos morbos sequantur.*

dia, & ea quæ extrinsecus occurrũt, ad ordinem præpostetũ, & intempestiuũ usum pertinere uidentur. Oportet autẽ nõ modò symptoma nosse, uerũ eius semper causam inuestigare. Nam si uentriculus ciborũ causa nihil omnino cõcoxerit, facilè id symptoma corrigit. Si uerò ob extremum potentiæ lapsum, in lienteriam, aut in tympanitem mutabit. Similis etiã & in sanguificatione, & in concoctione illa quæ per totũ corporis habitũ fit, est inquisitio facienda.

*Intemperies omnis vehemẽs deijcit vires.*

Omnis autẽ intemperies, si uehemẽs fuerit, uires deijcit. Quòd si frigus ulcerit, frigidos affectus efficiet: cõtrà, si calor: nec secus in reliqua oppositione.

*Ventriculus æstuans, cibos in vapores nidorosos corrumpit.*

Si itaq; uentriculus calore immodico æstuet, ilicò corrũpentur. Quæ quidem corruptela nidorẽ cõmuniter refert: priuatim uerò quilibet cibus id nidoris genus reddit, q̃d naturæ suæ propriũ existit. Nullus autẽ cibus, si immodicè fuerit excalfactus, putredinẽ effugere potest. At qui sic sunt affecti, siti cruciant, atq; interdum paruis tenuibusq; hecticis corripiuntur. Si ob frigoris uehementẽ intemperiem cibus omnino crudus permanserit, ita affecti nec sitiũt, nec febriũt: sed ciborũ qualitatẽ percipiũt, siue ad ructum, siue ad uomitũ prouocent.

*Acidi à quibus edantur ructus*

Quòd si leue aliquod cibis imprimat coctionis uestigiũ, fueritq; ciborũ natura aut modicè temperata, aut frigidior, acidi ructus incitabunt. Si uerò calidiore intemperie fuerint, aut suapte natura flatũ excitare possint, uapore spirituq; uentriculũ replent. Atq; in huiusmodi intemperies facilè uentriculus labitur. Ad tantã autẽ uel siccitatis, uel humiditatis intemperiem, ut actio eius aboleatur, uentriculus nisi in multo tempore, peruenire nõ potest.

*Retentrici potentia triplex symptoma tribuitur.*

In retentrice potentia, triplex etiã reperitur symptoma. Nam aut nihil omnino cõplectitur, aut debiliter, aut deprauatè. Cùm igitur uel nihil penitus, uel debiliter retinet, tum inflationes, tum fluctuationes sequunt. Porrò ultimæ imbecillitatis uentriculi causa aliquis morbus existit.

*Ventriculi morbi duplices.*

Morborum autẽ qui accidunt illi, alij ueluti similarẽ, alij tanq̃ instrumentalem partẽ, ipsum solent affligere. Miscentur autẽ interdum & morbi, & symptomata tum retentricis, tum expultricis potentiæ,

*Singultus causa*

ut in ea uentriculi cõmotione, quæ ueluti cõuulsio illius est, eiq; per singultũ accidit.

*Singultu expelli illa, quæ imbibita sunt in ipsius ventriculi corpore.*

Vẽtriculus siquidem per singultũ, prauè cibos amplectitur: conaturq; deprauato illo cõuulsiuoq; motu, etiã molesta expellere. Etenim quemadmodum per uomitiones expellunt ea quæ in capacitate fluctuant: sic per singultũ illa, quæ imbuerũt ipsius uentriculi corpus.

*Piper si tenue sumatur, postmodumq; bibatur calida potio, singultum excitat.*

Quãobrem piper, si in tenuissima cõminutũ (ut possit penetrare ipsius uentriculi corpus) sumatur, bibaturq; postmodũ calida potio, singultũ uel maximè excitat. In uniuersum autẽ, siue calida sint, siue frigida, quę permeant uentriculi corpus, excitabũt singultũ: qui primũ quidem expultricis, dein retentricis facultatis est motus.

*Nausea, expultricis facultatis est deprauatus motus.*

Nausea quoq;, expultricis facultatis est deprauatus motus, quò per gulam celerrimè uacuetur, q̃d os uẽtriculi infestat.

*Lienteria causa*

Inter hæc numerat lienteria: ubi à re quapiam sic irritatur uentriculus, ut eam per inferius osculũ expellere cupiat. Illo siquidẽ ad expulsionẽ utitur orificio, in q̃d humores cõtristantes inclinant. Quòd si in utrunq; repant, ut in cholera morbo, utrũq; orificiũ accõmodat.

*Cholera morbus.*

*Attractricis facultatis symptomata.*

Attractrix etiã facultas, aut omnino nequit cibos attrahere (quod symptoma dicitur gulæ paralysis) aut difficulter trahit, ubi incipit gula resolui: aut deprauatè trahit: de quo motu iam sæpe diximus. Est cùm ob innatã carunculam tota gula aut eius pars obstruatur: qui morbus instrumentalis uocat. Cùm igitur uentriculus naturaliter habet, supernis partibus ad sese trahit, atq; per inferiores deijcit. Vbi uerò præter naturã affectus est, etiam ab infernis assumit aliquid. Siquidem nõnullis clysmi uomitione sunt redditi: sicuti & stercus, per letales uoluulos.

*Voluulo morbo affligente, vẽtriculus ab intestinis excrementa suppressa recipit*

Satius tamen est dicere, uentriculũ per id genus affectus, nõ trahere, sed recipere ab intestinis excrementa uiolenter cõpressa. Id quod solet contingere ijs, quibus ob negocia non licuit, quando expediens erat, deijcere.

*Voluulus vnde soleat oriri.*

Nonnunq̃ etiã fit uoluulus, ubi intestina suo illo naturali cõstitutionis motu priuant. Quinetiã induratũ stercus, tumoresq; pręter naturã, obstant aliquãdo, ut uel nihil excrementorũ feratur deorsum, uel nõ satis copiose deijciantur. In summa uerò, omnia symptomata intestinorũ, ad ea quæ de uẽtriculo diximus, referunt. Alimenti per corpus digestio (quæ & ipsa naturale opus existit) tunc ad amussim perficitur, ubi quælibet pars peculiarẽ sibi allicit cibum.

*Digestionis ciborum symptomata, atq; ipsorum symptomatũ causa.*

Accidunt autẽ illi tria symptomatum genera. Nam uel imbecilla est, uel deprauata, uel omnino cessat. Quorũ sanè symptomatum causæ dicuntur, aut trahentiũ partiũ intemperies, aut instrumentorũ morbi, aut digerendi alimenti prauitas. Ac per intemperies quidem, facultas redditur imbecilla. Instrumentorũ uerò morbi, alimẽti meatus cõstringunt. Prauitas autem dicetur, si uel crassior, uel glutinosior sit cibus.

*Expulsionis excrementorũ non respõdentis, causa triplex.*

Similiter impeditę expulsionis excrementorum, triplices causæ inueniunt. Vna, cùm partes quæ excrementa expurgant, sunt imbecillæ: altera, uiarũ angustia. Postrema est excrementi malitia. Imbecillitatẽ intemperies parit, angustiã uerò, uel obturatio, uel aliquis instrumentorũ tumor. Atqui tumorũ causa est humorũ affluxus. Obturationẽ facit humorum uel crassitudo, uel lentor, uel innatũ tuberculũ. Excrementorũ autem malitia, est multitudo, crassitudo, & uiscositas.

*Excrementorũ peruagantiũ venas cum sanguine, tria genera.*

Per concoctionẽ in uenis factam, tria redundant excrementorũ genera. Vnum bilis amara, quæ ab hepatis uesica expurgatur: alterũ atra bilis, quæ à liene: tertium ueluti serum, quod attrahitur à renibus.

*Excrementorũ via duplices.*

Cùm autem uiarũ duo sunt genera: unum per quod excrementũ trahitur, alterum per quod expellitur: utriuslibet angustia excretionem lædere potest. Nonnunq̃ etiam horũ nullum est læsum, sed excremẽti multitudo cùm immodica est, ut tota expurgari non possit, unà cum sanguine per totũ corpus defertur. Huius uerò immoderationis duplex affertur causa: nẽpe alteratrix potentia malè affecta, & alimentorum prauitas.

*Bilis pallida quos morbos gignat, per corpus fusa.*

Iam uerò pallida bilis, si redundet per uniuersum corporis habitũ, regium morbũ: sin autẽ in una tantũ parte consistat, erysipelata & herpetes excitat.

*Atra bilis quos morbos pariat.*

Atram bilem, si in uniuerso adsit corpore, elephas: si in una aliqua parte, cancer sequitur.

*Pituita quos morbos gignat*

Pituitã, si per uniuersum corpus in-

creuerit, leucophlegmatia comitat. Sin autem in una parte, œdema.

*Serum sanguinis quos affectus producat.*

Serosa excrementa si redundent, ascitē aquā inter cutim inducūt. Quæ si unam aliquam partē inuaserint, in ea pustulas gignunt. Pro miscella autē ipsorū excrementorū, uariari solēt & morbi, & symptomata. Porrò nu-

*Nutritio est naturaliū actionū prima.*

*Assimilatio altaratio est.*

tricatio, ut naturaliū actionū est prima, sic perq̃ necessaria existit: quippe quæ species alteratricis facultatis censetur. Assimilatio siquidem alteratio est: quæ quidem, licet nomen diuersum à nutricatione sortiat, idem tamen utriusq; est opus.

*Nutritoria facultatis symptomata.*

Nutricatio autem à scopo aberrat, si uel nihil omnino agit, uel ab actione perfecta deficit, uel uitiose agit: idq; ob altricē facultatē, quę sub alterationis genere continetur, uel ob materiæ tum defectū, tum prauitatē. Ob defectū quidem, ut in atrophijs, siue hæ ex defectu, siue ex priuatio-

*Atrophia.*

ne dicant. Hic autē in atrophijs defectus, nō propriè ad cibū qui ingeritur, sed ad materiā membro dicatā, est referendus. At prauitas cibi, leucas & elephātiasim, eiusq; generis alios affectus

*Elephas quid.*

gignit. Verū ubi caro nigra pallidaq; fuerit, elephas nominatur. Nec aliter affectus hic gigni so-

*Alphi.*

let, quàm leuce. Iam alphi haud diuersam à prædictis habent generationē. Cæterū per hos non caro uniuersa afficitur, sed corporis superficies duntaxat, ueluti squamis quibusdam inspergit. Atq; albi quidem ex pituita, nigri uerò ex melan-

*Alimenta ad suam naturam immutant carnē, & immutātur ab illa.*

cholico humore prodeunt. Siquidem alimenta carnem maximè permutare ad suam ipsorū naturam possunt (etenim Persica planta, cùm in Persia fuisset letalis, postea in Aegyptum translata, quod inerat noxium amisit) quanq̃ à carne

*Persica planta.*

*Coniuncta affici mutuò.*

etiam, alimēta ipsa immutant. Omnis siquidem res, uel si longè potentior sit, ab illa cum qua uersatur, afficit.

*Alimenti priuatio unde accidat.*

At nō solū ob alteratricis facultatis imbecillitatē, pars aliqua alimento priuatur: sed etiā ubi attrahendi uis imbecillior fuerit, aut ex-

*Expultrix uis quādo immodicè moueat.*

pultrix immodicè mouerit. Atqui tunc immodicè mouet expellendi uis, ubi retentrix potentia grauatur, uel ob excrementorū multitudinem, uel acrimoniam, uel ob propriam imbecillitatē. Tunc siquidem necesse est, ut cum eo quod redundat, simul etiam id quod utile est, excernatur: ut in lienteria, dysenteria, choleraq; fieri con-

*Expultrice facultate existēte imbecilla, quid accidat.*

tingit. Quòd si expultrix facultas sit imbecilla, necesse est carnem tunc humidiorem fieri, pluribusq; excrementis impleri. At redundantia multorum excrementorū, ob alteratricis facultatis imbecillitatem accidit. Pro ipsorū autem excrementorū tum quantitate, tum qualitate, aliàs a-

*Sanguinis excretiōes omnes, mēstrua excepta, præter naturā existunt.*

liter caro immutatur. Quod uerò ad sanguinis excretiones pertinet, si excipias eam quæ fœminis per singulos menses accidit, reliquæ omnes toto genere præter naturam existunt. Profluuia autem uteri, ubi modum in quantitate excesserint, tunc solùm præter naturā censeantur. Om-

*Sanguis quotupliciter effluere possit.*

nium autem sanguinis fluorum causa, trifariam potest accidere. Quippe uel facultas ora uasorū aperit, ut in sanguinis fluore è naribus est uidere: uel sanguis est malè affectus, uel uasorum aliquod etiam malè affectum, uel ruptum. Etenim

*Vasa quibus modis disrumpi possint.*

uasa rumpi cōtingit, aut ob plagā acceptā extrinsecus, aut ob saltū, aut ob casum ab alto, aut ob uociferationē uehementē. Sanguinem malè affectum dico, uel cùm adeò uitiosus est, ut uasa qui-

*Sanguis aut quantitate, aut qualitate immodicus.*

*Vasa quotupliciter male affecta dicantur.*

bus continet, erodat: uel adeò auctus, ut à uasis cōtineri nō possit. Vasa malè affecta dicuntur, si uel molliora, uel duriora, uel tenuiora fuerint. Si quidem quod immodicè molle est, facilè ob imbecillitatē rumpitur: sicuti & ualde durum, quia nō facilè multū extendi potest. At tenue, ob huiusmodi has utrasq; affectiones, nō solùm ab internis causis, uerumetiam ab externis ut rumpatur facilè, est habile. Verùm nō omnia uasa erodi similiter possunt. Nam durum crassumq;, erosu est contumax. Similiter de reseratione est dicendum. Nam uasa imbecilla, mollia & tenuia, prona sunt ut oscula ipsorū pateāt: robusta uerò, & crassa & dura, sunt ad talem reserationē inepta.

*Reseratio uasorū unde accidat.*

Cæterū reseratio accidit ab ijs quæ ora uasorum irritant, & à plenitudine grauante: sicuti quandoq; à natura, cùm excernit ea quæ sibi molesta sunt. Sed iam de ijs quæ uomitu rejciuntur dica-

*Vomitus à quibus causis moueri possit.*

mus. Excernunt igitur hæc interdū, quòd quantitate & mole sua uentriculum grauent: ut cùm plurimū cibi est ingestum: interdum, quòd sua mordacitate contristent: ut si nutrimentū assumptum uel acidum, uel nidorosum, uel amarū, uel acre, ob uitium cōcoctionis euaserit. Eodem genere cōtinentur & biliosa, & pituitosa, & serosa excrementa, uel inibi nata, uel ex uniuerso corpore illuc cōfluentia.

*Sanguis in uentriculo continetur præter naturam.*

Tertium causarū genus uentriculum ad uomitū incitans, est quod haudquaq̃ irritans, in illo continetur præter naturā: ut uidelicet sanguis. Cōmuniter autē dicunt esse præter naturam, quæ etiam si sint concocta, mi-

*Deiectionem citantes causæ.*

nimè possunt alere. Iam uerò recrementorū ad infernas partes expulsio, nonnunq̃ solitum tempus præuenit, uel quia uenter copia multi cibi grauatur, uel pungitur, uellicaturq; ut à re mordente, quam ut alienam expellere nititur. At di-

*Cibus multus quotupliciter dicatur.*

cimus multū cibum, uel quia facultas seipsa imbecillior est reddita: uel quia existit assumptū alimentum immodicū: uel ob utranq; causam. Præter iam dictas causas, alimenta tum humidiora, tum uiscosiora ingesta, ipsam deiectionē accelerant. Quæ tum celerius delabuntur, cùm leuiter post eorum assumptionē deambulaueris. *Cùm autem complura sint intestinorū uolumina, per quę deferri alimenta est necesse, cibi sanè ipsi ob grauitatē diu immorari nō possunt: quòd si eorum quippiam in ipsis circumuolutionibus fixum inhæreat, id subitò ab actione intestinorū (quibus inest uis expellendi infestantia) propelli-

*Aluum tardius deijcere quæ cōpellant.*

tur. Tardius q̃ pro consuetudine excernit uenter, aut ob intestinorū uel imbecillitatē, uel obtusum sensum: aut ob alimentorum tum paucitatem, tum qualitatem. Sed musculorum abdominis imbecillitas etiam deiectiones retardat, præsertim si duriora sint excrementa: quo tempore thoracis musculi etiam auxilio sunt. Pauciora q̃ pro ratione assumptorū excrementa excernun-

*Excremēta cur nunc plura, nūc pauciora, quàm pro ratione cibo assumpti, excernantur.*

tur, ubi plus ex cibis per corpus digeritur. E contrario plura dejciunt quàm pro portione ingestorum, interdum ob defectum digestionis per corpus, interdum ob excrementi quædam è supernis ad regionē uētris defluxa.

*Fluxionis assiduæ causa.*

Porrò assiduæ excretiones, uel ob imbecillitatē, uel ob morsum eueniunt. Imbecillitatem intemperies inducit.

At mor-

At mordicant humores contenti. Est & alius assiduæ deiectionis modus, quæ fit ob sedis musculos resolutos. Quippe huiusmodi deiectiones à uoluntatis imperio nō pēdent: proinde & intempestiuæ, & inordinatę, & assiduæ sunt. Iam uerò solet flatus in uentriculi spacijs oriri, cùm uel humores pituitosi illic cōtenti, uel cibi, in uapores ab imbecillo calore soluunt. Etenim ut absolutum frigus uaporem haudquaq̃ excitat, sic uehemēs calor exactius magna ex parte cibum ipsum cōminuit, q̃ uaporis generationi conueniat: nisi fortè is suapte natura sit flatulentus. Quemadmodū enim frigidissima cōstitutio, maximé spirante borea, aërem sereniorē reddit: ac rursus calidissima constitutio æstatis, efficit aërem nos ambientē purissimū: mediæ uerò cōstitutiones nebulas pariunt: sic in animaliū corporibus, à solo moderato, imbecilloq́ calore, *flatulentū gigni excrementū contingit. Hoc igitur si per os excutiatur, ructum efficit: sin autē per sedem, flatū molitur, interim strepentē, interim sine strepitu. Cùm uerò per neutrā defertur partem, inflationē, symptoma uentriculi imbecilli, producit: quę etiam mota per uacua intestina, in illis uarios gignit strepitus: qui quidem eò acutius atque tenuius resonant, quò purior spiritus fuerit, magisq́ per intestina tenuiora & superiora delatus: eò autē minor, sed grauior resonatio sentietur, quò spiritus magis ad inferiora intestina descenderit. Quòd si intestina ipsa aliquā humiditatē cōtineāt, strepitus murmurillus dictus gignetur, qui humidi excremēti deiectionē nunciabit. Si uerò strepitus æditus, purus & clarus resonet, aut intestini ipsius inanitionē, aut in superiori eius parte excrementa dura cōtineri significabit. Qui strepitus cū stridore fit, is ab instrumentorū angustia, & inflante spiritu, atq; pauca humiditate procedit. Defluxus à supernis partibus in uentriculū fit, ubi facultas præualida, redundantia excrementa expellit: interdum ubi adeò imbecilla existit, ut ne id quidem quod utile est, ferre possit. Excernit̃ id quod redundat, tum per crises, tum per integrā ualetudinē: ut in mulieribus singulis mensibus, & in ijs quibus aliq̃d membrū est mutilatū: id quod etiam per definitos circuitus cōtingere in alijs multis uidemus, qui prioris uitæ exercitia, cum ignauo ocio mutarunt. Atq; excrementū huiusmodi sola quantitate est alienū. Alterū qualitate aberrat, magnaq́ ex parte in acutis morbis solet excerni per crisim. Inter hæc duo excrementorū genera, est aliud tertiū genus mediū: ut in uentriculo semicoctus cibus. Hoc autē per hepaticas affectiones maximé excernitur. Cæterū nominant̃ hepatici, quos ob iecinoris imbecillitatem infestat morbus, etiā si nulla adsit phlegmone. Hepar igitur, si quando alimentū, quod per meseraicas uenas attraxerat, nequeat conficere, per easdem rursus id semicoctū ac simile aquæ in qua fuerunt ablutæ carnes nuper mactatæ, respuit. Quòd si alimentū in hepate accuraté concoctum fuerit, ob aliquod autē impedimentū distribui in corpus nō possit, ut ad * uentrem redeat est necessariū. Quo tēpore excretus sanguis apparet nigrior, splendidiorq́ illo, qui naturalis existit: utpote ex

*Deiectiones intempestiuæ, fiūt præter uoluntatis imperium.*

*Flatus in uētre gigni à pituitosis humoribus, et calore imbecillo.*

*Serenissimum reddi aërem, borea spirante.*

*Flatū in uentriculo genitū, quæ sequantur symptomata.*

*Strepitum à flatu profectū eò acutiorē edi, quò flatus ipse tenuiora intestina magis peruadit: grauiorem autem, quò magis ille crassiora uersus descenderit.*

*Strepitus murmurillus purus stridensq́; quid indicent.*

*Defluxus unde in uentriculum accidat.*

*Excretio quibus fiat modis.*

*Excrementum sola quantitate alienū, quod sit.*

*Hepatici qui dicantur.*

*Alimentū ab hepate in uentrem regeri, quando necessum sit.*

sanguine & atra bile cōmistus. Etenim sanguis solus per se ob refrigerationē nigricans, tantùm abest ut splendorē ullum acquirat, ut etiam eum quem ab initio habuit amittat. Atra autem bilis eo splendidior existit: quale maris mortui bitumen Iudaicū. Siquidem nō ex refrigerato sanguine, ut grumus, sed ex immodicé assato, feruidoq́, ueluti quidam cinis, gignitur atra bilis. Cæterùm ipsa est frigida, quia terrestris: nō tamē caloris expers: quemadmodū nec cinis, nec etiam acetum. Igitur cruentorum excrementorū quatuor sunt differentię. Prima est, ubi sanguis quatenus dictū est, per circuitus quosdam emanat. Secunda, cùm ob imbecillitatem iecinoris, haud absimilis lauacro ablutarū carnium sanguis deijcitur. Tertia (quā nuper diximus) ex melancholico splendenteq́ sanguine constat. Ac per has tres differentias, & multum est excrementū, & affatim excernitur. Per quartam uerò (quæ ex ulcere intestinorū oritur, pręcipueq́ dysenteria uocatur) paulatim & breuibus interuallis deiectionem fieri cōtingit, nonnunq̃ synceri sanguinis, nōnunq̃ grumosi: cum quo interdū puris quoq; nōnihil excerni solet: quemadmodū & ramenta, & partes quædam membranis intestinorum consimiles. Sæpenumero densum quoq; stercus excernitur, cruentis guttis respersum. Eiusdē generis cum prædicta dysenteria est tinesmos uocatus, ob recti intestini ulcus eueniens: qui quidem cætera symptomata dysenteriæ similia habet: tensionis uerò uehementia, dysenteriā longé superat. Vrinæ tum suppressiones, tum deprauatæ expulsiones, excrementis quæ uel in uentre retinentur, uel præter morem naturæ eijciuntur, proportione respondent. Supprimit̃ igitur, uel ob uesicæ imbecillitatē excernere nō potentis, uel ob ostioli ipsius angustiam. Quorū duorum morborū ischuria est unum cōmune symptoma. Est & aliud symptoma, cùm nihil penitus urinę in uesicam delabitur, abolita nimirum renū actione. Alius itaq; affectus censendus est, cùm oppleta uesica, alius cùm uacua, nihil urinæ redditur. Nam in ea affectione qua uesica est plena, oportet aut orificium eius angustum, aut naturam imbecillam existere. Os igitur fit angustū, quia obstruitur & cōniuet. Atq; obstruitur quidem à grumo, uel crasso pure, uel lapide, uel callo, uel tuberculo, quod in meatu creuit: cuiusmodi in externis partibus omnibus accidere cernimus. Conniuet autē, aut ob tumorem præter naturam, cuiusmodi est phlegmone: aut ob siccitatem ingentē, qualis per febres ardentissimas gignitur. Sunt uerò deprehensi quidam uesicā oppletam habentes, qui ueriti surgere à cœna, ut illam exonerarēt, postea meiere nequiuerūt: qualis etiam affectus uentri & intestinis solet interdum accidere. Igitur iam dicti affectus, uim excernendi urinā, sua functione defraudāt. Qui uerò ab ijs magnitudine relinquunt̃, actiones efficiunt obtusas, torpidasq́. Reliquos affectus tertium genus symptomatū (quod in motib. deprauatis cōsistit) comitari cōsueuit: cuius multæ species habentur. Primam stranguriam appellant, quæ uel ob imbecillitatem uesicæ, uel ob acre lotium fieri uidetur. Secunda species profluuio

*Atram bilem esse excreto sanguine splēdidiorem.*

*Atram bilem gigni ex sanguine immodicè assato, esseq́; frigidā, non tamen caloris expertem.*

*Cruentorum excrementorū differētia quatuor.*

*Dysenteriæ signa.*

*Tinesmus oritur ob ulcere intestini recti.*

*Vrinam unde suppressi accidat.*

*Ischuria, quorū symptoma existat.*

*Vrinæ meatus ex quib. obstrui occasionib. possit.*

*Vesicæ osculum, qua ex causa cōniueat.*

*Stranguria fit uel ob imbecillitatē uesicæ, uel ob lotij acrimoniam.*

uentris est similis. Solet autem fieri quædam ueluti resolutio, colliquatióue, interim uniuersi corporis, interim succorũ tantũ, quos uenæ con

*Colliquationes partium quibus modis soluuntur*

*Renum facultas*

tinẽt. Deinde quod ita liquatũ est, modò in uentrem, modò cum urina defluit: nõnunq̃ in sudorem degenerat. Igitur uenarũ succos in serosam saniem solutos, renes ad sese trahũt, ubi integrè ualent, continenterq; ad uesicam transmittunt. Si uerò inualidi fuerint, ut ipsos trahere nequeant, tunc uenæ eiusmodi serum aut in uentrẽ demittunt, nimirum si crassius sit: aut in uniuer-

*Aqua inter cutem quomodo generetur.*

sum corpus pellentes illud, ubi est tenuius, subitò totum habitum ad aquam inter cutem transmutant. Quòd si caro liquata sit, tum uel uenter suscipit ipsam fluxionẽ, si sit crassiuscula: uel sudores profluent, si in uapores soluat. Reliquorũ lotij symptomatũ, alia quidem uesicæ aut renũ quosdam affectus indicant: alia quantũ uel cruditatis uel cõcoctionis accesserit sanguini, ostendunt. Vt uerò ad sudores transeamus, ubi ij resoluto corporis habitu eueniunt, affectus uocatur

*Syncope quid.*
*Sudores cretici robustas uires annunciant.*

syncope: cuius sanè rei contrarium, per sudores creticos accidit, quippe qui robustas uires annunciãt. Eis autẽ sudores sunt similes, quos modica exercitatio, & balneũ, & calor æstiuus euocat. Per exercitationes autẽ immodicas, nõnihil

*Sudores retinẽt odorem & colorem eius, quem purgant, humoris.*
*Sudoris tum nimis fluctis, tum suppressi, causæ.*

utilis humoris excernitur. Odorem uerò & colorem excrementi quod expurgant, sudores obtinent. Cæterũ multus sudor effluit, aut ob corporis raritatem, aut excrementi tenuitatem, aut abundantiam. At detinetur, si paucũ, uiscidum, crassumq; excrementũ fuerit, aut cõstipati meatus: id quod accidit ipsis, quia uel obturantur, uel conniuent. Ac obturantur quidem à succis crassis & uiscidis. Conniuent ob nutritionẽ pleniorem, uel ob refrigerationem, uel ob mollitiem. Ad hæc, sudoris tum exeretio, tum suppressio, ob uirtũ in carne imbecillitatẽ interdum

*Essentia partis illæsa, functio impediri nõ potest.*
*Calor uicinas res omnium maximè alterare potest.*

accidere solet. Porrò nullius partis functio, manente ipsius essentia illæsa, impediri potest. Nulla autem qualitatũ agentium, res uicinas perinde alterare uidetur, ac calor. Quare corpus calidum simul & humidum, q̃ celerrimè proprium sibi alimentũ cõcoquet, assimilabitq;. Quod uerò ita sit durũ, ut & flectatur facilè, & firmiter innitatur, id & trahere uehemẽter quidlibet, & impellere uiolenter, & detinere fortiter poterit.

*Calidum & humidum corpus quamcelerrimè propriũ sibi alimentum assimilare.*
*Frigida & sicca corpora cur nutriantur infelicissimè.*

Optimè itaq; nutrient calida & humida corpora, ut quæ & celerrimè immutent, alliciantq; ad se, reponantq; & assimilent alimentũ. Pessimè omnium frigida, & sicca, ut quæ nec alterare, nec suscipere, nec apponere, nec assimilare sint apta. Quòd uerò humidiora corpora tum facilius, tum celerius adhæreant, coalescantq;, duriorum autẽ alia nequaq̃, alia nõ facilè id perpetiantur, nemini obscurũ existimo. Cæterũ concoctio &

*Concoctio.*
*Nutritio.*
*Appositio.*
*Adhæsio.*

nutritio, alterationes esse censentur. Appositio fit, cùm cibus in roris speciẽ redactus, à nutrito suscipitur. Adhæsio, est alimenti cum alito conglutinatio quædam, dum in unum coalescunt. Atq; in his omnibus pueri, alijq;, quorũ tempe-

*Pueri uim retentricem habẽt imbecilliorem, expultricemq; non admodum fortẽ.*

ramentum calidius est & humidius, optimè degunt: nec infeliciter in illis distributio perficitur. Retentricem tamen facultatem pueri habent imbecilliorẽ, ob idq; excernunt celeriter. Similiter etiam expellendi facultas, ut retentrix, modicè illis est imbecilla. Eget autem longiori tempore facultas retentrix, quò suo fungatur munere: expultrix uerò breuiori. Pueri igitur, ut alteratricis

*Pueri quibus facultatibus superent iuuenes, & quibus ab eis superentur.*

facultatis robore iuuenes superant, sic attrahendi ui sunt ipsis longè inferiores: atq; ab eis etiam in duabus reliquis facultatibus superantᷓ. Quanquam expultricis imbecillitas in eis minimè deprehenditur, idq; ob temporis breuitatem, quo suo fungitur munere. Quippe crebrius & deijciunt & uomũt, q̃ iuuenes, nõ ob expultricis potentiæ robur, sed ob retentricis imbecillitatem. Atq; in cõcoctionibus quæ ad uentriculum pertinent, si humida molliaq; sumpserint, ea perinde ac iuuenes concoquunt: dura uerò deterius

*Puerilis iuuenilisq; caloris discrimen.*
*Nutriuntur omnia similibus.*
*Senes cur ferè ad uniuersas functiões corporis malè affectum sortiantur.*

conficiunt. Siquidem puerorũ calor, ad uaporis naturam: iuuenum, ad siccitatem magis accedit. Atqui humidiora corpora humidioribus indigent alimentis: sicciora, siccioribus. Senes ad omnes ferè actiones corpus malè affectũ sortiuntur: quippe qui iuuenibus aridiores sint, præterea etiam frigidi. Quare nec probè cõcoquunt, ob caloris penuriam: nec ritè nutriuntur, partim ob siccitatem, partim ob imbecillitatem alteratricis potentiæ. Iam digestio per corpus ipsis & tarda, & imbecilla est, nimirum instrumentis ueluti torpentibus ob frigiditatem. Porrò ad fun-

*Actiuis functionibus quæ instrumenta sint commodiora.*

ctiones actiuas calidum instrumentũ & siccum, magis idoneum est: frigidum uerò & humidum, imbecillius. Reliquæ duæ coniugationes medium inter has locum obtinent. At uerò si ætates ipsas spectes, naturaliter frigidum & humi-

*Frigidum & humidum naturaliter nullum corpus reperiri in ætatibus.*
*Frigidum ubiq; esse debilius, torpidumq;.*

dum corpus minimè deprehenderis: quanq̃ ob affectum præter naturam, talia reperiri contingat. In uniuersum igitur, frigidum ubiq; est debilius & torpidum, siue humori, siue siccitati iungatur. Haud aliter inter naturales potentias, retentrix robustior quidẽ uidetur in aridioribus calidioribusq; instrumentis: imbecillior uerò, in humidioribus frigidioribusq;. Similiter nerui, tendones, syndesmi, & musculi, quantò sicciores tantò robustiores euadent: nisi adeò modum excesserint, ut ob duritiem uix flecti possint. Nam si sic sint affecti, corripientur spasmo. Contrà na-

*Naturalia instrumenta, quò sunt humidiora eò sunt ad nutricationem magis idonea. ad concoctionem uerò ineptiora aridioribus, quibus adsit similis calor.*

turalia instrumẽta, quò sunt humidiora, eò sunt ad nutricationem magis idonea, uel si ad extremam humiditatem peruenerint: ad concoctionem uerò nõ sunt aptiora, nec seipsis, nec aridioribus, quibus similis adsit calor: nisi siccum aliquando cibũ exhibeas instrumẽto sicco & squalido, nõ liberaliter ei tribuens humiditatẽ. Cæterùm & ad digestionẽ per corpus, & ad excretiones, corpora admodum dura, ineptissima existunt: quòd haud facilè uel dilatantur, uel cõtrahuntur: quorũ alterũ attractionẽ, alterũ excre-

*Qualitatũ quæ in quib. sint efficaciores functionibus, & quæ inutiles.*

tionem molitur. In summa uerò, calor auctus ad omnem alterationẽ efficacissimus est, nisi ad tantam, ut colliquet, uehementiam increuerit. Siccitas ad robur & firmitudinem cõfert, nisi adeò sit cruda, ut corpora rigida, immobilia, ac friabilia efficiat. Humiditas ad nutricationem quidem mirificè facit: cæteris uerò functionibus omnibus aduersatur, excepta qua corpus augetᷓ. Deinceps autẽ de fluxionibus à cerebro oriundis aliquid etiam dicamus. Destillationis igitur & grauedinis

*Coryza. Catarrhus.*

grauedinis(hæc coryza, illa Græcis catarrhus dicitur)cerebrum cauſa exiſtit: ut pars quidem ſimilaris uel à frigore, uel à ſolis ardore in intemperiem adactũ: ut inſtrumentũ uerò, quatenus infeſtatur à plenitudine.

*Deſtillatio eſt defluxus in os. Grauedo eſt defluxus ad nares. Raucedo eſt ad fauces defluxus. Vua. Antiades. Pariſthmia.*

Cæterũ deſtillatio fit, ſi ad os excrementũ defluxerit: grauedo, ſi ad nares: quemadmodũ & raucedo, ſi ad fauces decũbat. Quòd ſi fluxio gurgulionẽ inuadat, aut uuã pariet, aut ipſum in tumorẽ attollet. In glandulas quę ad finẽ oris utrinq; adiacẽt, ſi decumbat, antiadas procreat: ſicuti & pariſthmia, inuadens ea quæ illis proxima ſunt. Ac defertur quidẽ fluxio à capite nõnunq̃ in uentrẽ, nõnunq̃ in aſperam arteriã, utrilibet maximè nocens. Quod uerò ad uteri corpus ſpectat, ſi ſolidũ fuerit aut durum, cauſa eſt, cur ſupprimant menſes.

*Vteri corpus à quib. cauſis durari poſſit.*

Duratur autẽ uel ilicò à primo ortu, aut tractu temporis poſt ipſam generationẽ: uidelicet ob intemperiẽ aut affectus alios præter naturã. At intemperies uteri interdũ à natura oritur, interdum ſequitur morbos, perinde ac denſitas.

*Menſes vnde retineri contingat.*

Detinentur etiam nõnunq̃ menſes, ob materiã ipſam uacuandam, ubi uel craſſa eſt, uel uiſcida: necnõ ubi à craſsis humoribus uaſa, quæ ad uterum deſcendunt, obſtruuntur. Ad hęc, uterus nihil omnino excernit, ob multas exercitationes, & uictũ tenuẽ, & cùm ad alias partes repunt humores. Minus excernit æquo, ob eaſdem cauſas, ſed remiſsiores.

*Menſes quibus ex cauſis plus æquo fluant. Muliebre profluuium.*

Plus autem, ob diuturnũ ocium, & uictũ opiparũ. Cæterùm deprauatæ uteri fluxiones (quod ſymptoma fluxus muliebris dicitur) fiũt expurgato per hanc partẽ uniuerſo corpore. Ac talem ſemper ſpeciem refert id quod excernit, quale eſt quod in animali redundat. Eſt & aliud ex utero deprauatum profluuiũ, ob affectum aliquẽ ipſum infeſtantem eueniẽs. Inſuper interdum colubentur menſes ſanguine, ob robuſtas uires in alias partes irruente.

*Clauſa mulieres*

Ad hunc autẽ ſermonẽ pertinet meminiſſe mulierum minimè foratarũ, quibus uteri meatus coaluit.

*Priapiſmus eſt inuolũtarius tumor virilis pudendi à flatulento ſpiritu ortus. Gonorrhœa ſpecies.*

Iam priapiſmus eſt, cùm inuito intumeſcit inflaturq; maſculinũ pudendum: cuius ſymptomatis cauſa exiſtit flatulentus ſpiritus. Porrò gonorrhœa ſi pudendo non intento acciderit, retentricis facultatis in ſeminarijs uaſis imbecillitatem ſequitur. Si uerò intento pudendo eueniat, cõuulſioni quodãmodo erit affectus ſimilis.

*Colorum viciſſitudines vnde oriantur.*

Colorũ uiciſsitudinem (ut ſummatim dicam) faciunt ſucci à ſua naturali ſpecie aberrantes, aut in profundum ſubeũtes, aut cutem ueluti illuẽtes. Particulatim uerò cauſæ, ob quas ſuccos ad huiuſmodi tum motus, tum affectus peruenire oportet, ſunt affectiones animi: aëris nos ambientis uel ad calorẽ, uel ad frigus mutatio: corporis affectus uel calidiores, uel frigidiores: item ſanguis uel paucus, uel plurimus, tum foras elatus, tum intrò reuulſus. Huc accedit etiã quodlibet humorũ uitium, ad ſuam ipſius ſpeciẽ uniuerſi corporis colorem permutare potens.

*Figura partiũ à quibus cauſis vitietur.*

A naturali autem figura deflectunt partes, immodicè uel repletæ, uel inanitæ, uel à proprijs ſedibus deturbatæ, aut reuulſæ.

*Symptomatum quænam ſeſe mutuò ac neceſſariò ſequãtur, et quæ minimè.*

Vt autẽ hunc iam cõmentarium claudamus, operæprecium mihi uidetur addere, quænam ſymptomata ſibi mutuò & neceſſariò ſuccedant, & quæ item non neceſſariò. Igitur id quod fit, unà ne ex cauſa fiat, an ex pluribus, conſiderandum. Nam ſi ab unica tantùm fiat, neceſſariò cauſæ efficienti ſuccedet: ſi à pluribus, non neceſſariò. Symptoma itaque quod ab uno alio dependet, neceſſariò cõſequitur illud. Vbi uerò aliæ quædam cauſæ ad ſecundi ſymptomatis generationem accedunt, ipſum non neceſſariò ad primũ cõſequitur. Neq; enim cruditatem (gratia exempli) inflatio ex neceſsitate ſequitur, uel mordicatio, uel nauſea: quanquã tum horum, tum reliquorũ ſymptomatũ ferè omnium nullum eſt, quod non aliquando cruditates ſequi uideatur. Verũ & cruditatis magnitudo, & differentia, tum hominis natura, tum ſenſus uel acutus, uel obtuſus, item ſingularũ corporis partiũ & robur & imbecillitas faciũt, ut alijs aliud ſymptoma cruditatẽ ſequatur. In ſumma uerò, quæcunq; pars cruditatẽ fecerit, illa noxam percipiet, quæ maximè imbecilla fuerit.

*Cruditatẽ nullũ neceſſariò ſymptoma ſequitur.*

Proinde nullũ ſymptoma neceſſariò ſequi cruditatem, poſſumus aſſeuerare.

*Atrophia ſequitur neceſſario alimenti defectũ.*

Vbi autem alimentũ minimè per corpus digeritur, ſiue priuatio, ſiue imbecillitas fuerit actionis, atrophiam neceſſariò inducet, quemadmodũ in ſingulis partibus alteratricis potentiæ noxa. Præterea expultricis facultatis circa excrementa, aut ſanguificæ potentiæ aberratio, neceſſariò producit praui coloris ſymptoma.

## GALENI PERGAMENI
### de cauſis procatarcticis lib. vnus.

*Procatarctica cauſa inualida tantùm corpora immutant.*



QVas procatarcticas, ſiue externas, ſiue præincipientes appellãt, ut magnus calor, frigúsue ambientis, aut etiam aliquis animi affectus, inualida ſolũ corpora cõmouent: ac proinde à nõnullis nõ cauſæ, ſed morborũ occaſiones uocant. Videmus etenim mille ſimul in theatro ſedentes, è quorum numero quatuor duntaxat ęſtuant, & in eis à febre unus ſolus arripitur: quod nuper familiari noſtro Menandro contigit:

*Menandrum ex inſolatu febrientem, qua ratiõe ſanarit Gal.*

quem nos ſecunda die inuiſentes, iuſsimus caput roſaceo foueri, mox dormire, poſtmodũ impenſe lauari: ac ſic tandem eſt reſtitutus. Alios etiam complures, ob æſtum & labores febrientes, reclamantibus cæteris medicis, plurimis balneis ac uictu humidiori uſus, ſimiliter perſanaui. Non deſunt tamen, qui uaria connectentes ſophiſmata, quas nuper cauſas procatarcticas diximus, eas morborũ cauſas eſſe inficiantur: q; uidelicet nec ſemper, nec omnia corpora lædãt. Qui quidem nõ ſecus habendi ſunt odio, ac illi, qui ſpinas & hamos in uijs, per quas ſunt tranſituri homines, ſeminant. Nos itaq; horum impedimentorum nonnulla iam reſcindamus, aliqua emendemus, alia conteramus, ut antiquam uiã, quæ non ad ciuitatem, ſed ad artem omnibus ciuitatibus utiliſsimã ducit, purgemus. Quòd igitur tum frigus, tum immoderatus calor, & cõtriſtare, & morbos gignere ſoleant, id indies natura rerum nos docet:

*Bruta mutant regiones, vt æſtũ & frigus vitent.*

cùm nimirum uel ipſa animalia bruta, ſoleant loca & regiones mutare, ut æſtate quidem calorem, frigus uerò hyeme declinẽt. Quòd ſi hæc noxia quidem, nõ tamẽ morborũ eſſe cauſas fateant, q; nec ſemper, nec omnibus noceant, iam nõ de re, ſed de nominibus

disputāt: quanquã ne sic quidem effugere poterũt quin conuincant, falsẽ illas esse causas nocumenti ijs, quibus nocent corporib. Sunt porrò duæ primæ causæ ac maximè principales in uniuersum, scopus uidelicet, siue finis, cuius gratia fiũt omnia quæ fiunt: ac præterea id, à quo ea fiunt. Has dignitate sequuntur tertia & quarta, instrumenta nimirũ quibus, & materia ex qua. Etenim in humanis artibus, nisi causæ omnes cõspirent, nullus unquã effectus absolui poterit. Nam nisi aliqua esset lecticæ utilitas, nunquã faber illã cõstrueret. Sed si aliqua sit illius utilitas, careat autẽ dolabra, serra, terebello, aliaque supellectili instrumentorũ, nec sic lecticã coagmentabit. Et si hæc illi omnia præstò sint, & mox ligna deficiãt, neque ita componetur lectica. Sed nec si instrumẽta & materia parata sint, & utilitas urgeat, absit autẽ artifex, quicquã unquam compingi posset. In ijs tamen artibus quæ casu fiunt, interdum finalis causa desideratur, cùm ea nullius gratia fiant. est etiã ubi id per quod fiunt, abest. At nihil inuenire licebit, quod materia nõ egeat, ex qua cõstet: & efficiente, à quo fiat. Semper siquidem est necesse, ut sit cõuentus alicuius patientis, quod uicem materiæ subeat: & alterius quod circa ipsum agat, & efficientis rationem obtineat. Hoc autẽ nonnunquã instrumento eget, si alicuius gratia operetur. Interdum sine instrumento agit, ubi nullius gratia, neque ex proposito agit. Vbi igitur ex frigore uel æstu aëris ambientis aliquis læditur, aer ambiens dicitur causa effectrix: materia, corpus affectum. Nullus itaque effectus oriri poterit, nisi efficiens & materia iungantur. Vnde oportet ut hæc utraque aliquid ad generationẽ rei conferãt. Quæ autem ad rei generationẽ cõducunt, meritò causæ appellandæ sunt. Reperire autem licet præter iam dictas, etiam alias causas, accidentales tamen: ueluti intermediũ spacium minimè impediens, quo faber indiget, ut circa lignum agere possit: idque non quà artifex est, sed quà corpus, quod alium ab eo qui continet materiam circa quam operatur, occupat locũ. Hæ siquidem ex accidenti dicuntur, & tanquã ea sine quibus nõ. Solidum quippe corpus intercectum inter fabrum & lignũ, impedimento est, quo minus operari artifex possit. Quod si de medio tollatur, ex accidenti consequitur, ut aër in illius locum succedat, cùm nusquam in hoc orbe uacuũ possit consistere. Proinde cõstat fabrũ aëre ex accidenti indigere. Similiter ambulationis causæ sunt, ipsius utilitas, uis animalis, atque etiã crura: at causæ sine quibus id fieri nequit, aër circumfusus cedens, pauimentumque renitens. Quod autẽ ait Erasistratus, Si refrigerari febricitandi causa est, qui magis refriguerit, ille magis febricitabit: maximè absurdũ uidetur. Nam si effectrix causa ipsa id absque patiente apto efficere posset, qui magis refrigerarentur, magis quoque febricitarẽt. At si frigus non omni corpori febrẽ adferre potest, sed illi tantũ, quod ad eam excipiendam est habile, utique non amplius erit necesse, ut qui friguerunt magis, magis quoque febricitent: imò facilè nõnullos reperias, qui ne semina quidem febris cõcipiant, fiant tamẽ attoniti, uel torpidi, uel tremuli, uel cõuulsi: ut accidit Alexandro, dum æstiuo tempore in Cydno, Ciliciæ flumine, se lauaret. At uerò nec illud etiã uerum esse cõfici potest, ut qui magis frigescit, magis quoque læditur: sicuti neque hoc etiã, ut si magis læditur, magis febricitet: cùm aliquando cõtingat aliquẽ magis lædi, qui tamen nõ modò nõ magis, sed nec omnino febricitet. Idem etiam dicendũ est de labore plenitudineque, & alijs id genus causis, quas eodem paralogismo, ab ordine procatarcticarũ febris causarũ exterminabat. Sed cur interim operã ludimus, dum hæresim Erasistratiorũ cõuellimus, qui afferunt patriam potius prodendam esse, quã proprium dogma? Adeò enim stupidi simul & pertinaces sunt, ut etiam omnes febres à phlegmone exoriri cõtendant: ob idque nec potũ frigidæ, ijs qui ardenti febre tenentur, cõcedant: cùm tamen ea opportunè exhibita, nisi obstet uiscerum inflãmatio, ægri cõfestim sudent, liberique à morbo reddantur. At si in discernenda hypostasi purulenta, ab ea quę in sanis, & post solutas febres conspicitur, essent exercitati, conuincerentur. Quippe in sanis, & ubi febres solutæ fuerint, id quod residet, album est, nec fœtorem habet, nec colorem, nec lentorem, qualis cernitur ubi phlegmone in suppurationem cõuersa soluitur. Sed hęc etiã est summa impudentia Erasistrati, quòd cùm fateatur repletionẽ plethoram efficere: hãc uerò, sanguinis paremptosin ad arterias: atque hanc denique phlegmonem: nolit tamen concedere, repletionẽ phlegmonis causam existere. Nam & nos pari modo dicemus, quòd qui plaga homini illata uenas colli secuit, non extitit illi causa mortis: quoniam causa proxima fuit, non ille qui percussit, sed potius effusio sanguinis.

*Causæ primæ et maximè principales in uniuersum, sunt finis cuius gratiã fiunt omnia quæ fiũt, & præterea id à quo fiunt: quas postea sequuntur reliquæ, nempe instrumenta simul atque materia.*

*Effectus nullus absolui potest in humanis artibus, nisi causæ in unũ omnes cõspirent: id quod in ijs quæ fortuitò cõtingunt minimè necessariũ videtur.*

*Omnia egere materia ex qua, & efficiente à quo fiant.*

*Causæ appellandæ sunt, quæ ad rei generationẽ conducunt.*

*Causæ accidentariæ siue quib. operari nõ licet.*

*Vacuum nusquam dari.*

*Frigus illi tantũ corpori febrẽ adferre potest quod ad eam excipiẽdam est habile.*

*Alexãder torpore fuit correptus, dum in Cydno, Ciliciæ flumine, se lauaret.*

*Erasistrati censebant, patriam potius prodendã esse, quàm proprium dogma.*

*Frigida opportunè exhibita ijs, qui ardenti febre tenẽtur, nisi viscerũ inflammatio obstet, ab affectu eos liberat.*

*Puris hypostasisque discrimen.*

## GALENI PERGAMENI de plenitudine liber unus.



Icuti nullũ est quod nostra tempestate in ore ferè omniũ medicorum crebrius uersetur, quã plenitudinis uocabulũ: ita nec aliud facilè inuenias, quod magis ab eis ignoretur. Vt autẽ eos qui ignorantiæ tenebris occæcantur, quique ab surda tuentur dogmata, imprẽsentiarũ missos faciamus, cum ingenuis uerò ac ueritatis amore flagrantib. cõfabulemur: duas in uniuersum notiones, relationesue plenitudinis proponamus: unam quidem, secundũ robur uiresque illius qui talẽ plenitudinẽ defert: alterã, secundũ excipientis uasis capacitatẽ. Dein uerò sedulò perscrutemur, quænã sint uniuersæ animãtis uires: & quo modo plenitudo, quæ secundũ earũ unãquanque consistere potest, sit & agnoscenda, & curanda. Postmodũ, quot sint eorũ humorũ species, qui uel uires aggrauent, uel à uasis cõtineri nõ possint. Igitur in libris de Placitis Hippocratis & Platonis satis à nobis mõstratũ est, quòd alia ea uis sit, quæ in uenis consistit, alia quæ per arterias, sicuti & alia quæ per neruos diffundit. Vbi etiam docuimus, cor *facultatis arteriarũ fontem atque originẽ esse: neruorũ autẽ cerebrum, sicuti iecur uenarũ. At in libris de Elemẽtis ostendimus, substantiã eorũ omniũ quæ generationi & interitui obnoxia sunt, à quatuor primis qualitatibus immutari: & ex earum certa quadam temperatura, omnium

*Plenitudo est duplex, vna iuxta vires illius, quæ eam defert. altera iuxta vasis illam continentis capacitatem.*

*Cor est arteriarum origo.*

*Cerebrum est fons neruorum.*

*Hepar est venarum principiũ.*

*Essentiam facultatum corporis nostrum regentium, ex temperie quatuor qualitatũ cõstare, ipsiq; proprietatem temperamenti.*
*Facultas est causa effectrix.*

omniũ corporũ substantiam, ac proinde uirium earum essentiam, quę corpus nostrũ dispensant, constare: quippe quæ non sit, nisi ipsius temperamenti quædam proprietas. Porrò uis ipsa siue facultas, causa effectrix existit, non materialis substantia, patibilisue. Facultas itaq; erit alicuius actionis causa, quam mox necesse est esse motum ab agente in id quod patitur. Sicuti & affectus qui in patiente est, motus erit ab agente, in rem patientem. Vnde uires suam quidem ex alterius comparatione notionem habent: essentiam uerò, * ex habitudine ad alterum. Quòd autẽ in seipsum aut agat, aut aliquid efficiat, omnem mentis captum excedit: sicuti etiã, quòd seipsum aliquid contineat. Quare non modò ex Herophileis multi, sed & ex Stoicis iuniores, dum cõtendunt ostẽdere, quòd spiritus atq; ignis & sese, & cætera elementa cõtineant, terra uerò & aqua ab ijs cõtineantur, nullã demonstrationẽ adferunt.

*Agere in seipsum nihil potest, sicuti nec se continere.*

Nos quippe euidentissimè cernimus, ita nihil ab igne contineri, ut potius ab eo uniuersa soluantur. Etenim quod durum est, renitensq; ac densum, uel primo aspectu potius continere uideri possit: contrà uerò, quod molle, cedens, rarumq; est, altero indigere à quo cõtineatur. Dicamus igitur, quotiescũq; præ multitudine aliquid nimis distenditur aut disrumpitur, affectum talem ad continentia uasa spectare, nõ uerò ad aliquas uires: cùm uerò grauatur, ad sensitricẽ potentiam. Nam neque idipsum omnino ad uires pertinet omnes, * cùm naturalis potentiæ hæc grauitas affectus nõ sit. At uerò plenitudinis genus, quod ex loci continentis capacitate cõmensuratur, non modò in animantibus reperitur, uerumetiam in rebus inanimis, quemadmodũ in uestibus, uinculis, pellibus, uasisq; fictilib. Rumpuntur siquidem omnia hæc, ubi multa replentur flatuosa substantia. Porrò cùm quatuor sint naturales potentiæ, attractrix, retentrix, alteratrix, expultrix: alia sunt inquirenda indicia ad cognoscendam plenitudinẽ quæ secundũ earũ singulas accidit: nam nec grauitas in istis sufficere poterit. Etenim imbecillus uentriculus, ui sensitrice maxima est præditus, qua sibi grauia sentire possit. Iam quibus signis arteriarũ plenitudinem, quæ ex collatione ad earũ uires cõstat, probè deprehendere liceat, in cõmentarijs de pulsibus exposuimus. Venarũ uerò nec ego signum aliquod unquã, quo id ex scientia haberi possit, præscripsi, neq; ab alio quopiam literis mandatum reperire potui. Vt autẽ de plenitudine agamus, quæ sigillatim quascunq; particulas occupat, sciendum est, ea membra quę parũ sentiunt, uel sunt sensus omnino expertia, nequaq̃ parem cum uentriculo aut uesica, excrementorũ quæ in ipsis congesta sunt, sensum habere: sed aut omnino exiguũ, aut penitus nullum: exiguũ quidem, ubi maxima plenitudo adfuerit: nullum, ubi illa non multa fuerit. Nam in pulmone, iecore, renibus, atq; in nõnullis ossibus, aliquis nõnunq̃ oboritur alicuius ponderis sensus: quanq̃ is certè potius ad membranas referri debet, q̃ ad eorum uiscerum carnes. At secũdum cerebrum, perq̃ manifestum sui sensum grauitas interdum excitat. In partibus autem sensu uacuis, nullus

*Ignis omnia dissoluit.*
*Cõtinere uidentur dura, renitentiaq;: ut contineri, quæ mollia & cedentia existunt.*
*Plenitudo distendens aliquid, dicitur iuxta uasa.*
*Plenitudo grauans, etiã si non distendat, ad uires sensitrices refertur, minimè autem ad naturales.*
*Plenitudinẽ iuxta uasa reperiri etiã in rebus inanimis.*
*Plenitudo iuxta uenarum uires, qua ratione deprehendi queat, neq; scripsit Galenus, neq; ab alijs scriptum reperit.*

potest nõ modò grauitatis, sed nec alterius etiã symptomatis sensus haberi. Atqui sensu carere uidentur nonnulla ossa, adeps, & glandulæ quædam: præterea medullæ omnes, sensus expertes sunt. Cerebrum tamen atq; spinalem medullam, nõnulli in sentientibus particulis collocant. Tutius tamen poterit quispiam de carne, qua gibba iecoris pars constat, asserere, quòd absq; ullo sit sensu, cùm neruus illi nulla ex parte inseratur. De parte autem illius caua, facilè dubitatio exorietur, cùm nerui qui iecori iuxta portas distribuuntur, adeò sint exiles, ut contexere solam membranam uideantur. Grauitas igitur euidentissimũ signũ illius est plenitudinis, quæ ad uim sensitricẽ spectat. Nam si in aliqua particula quę sensu prædita sit, ulla humorũ multitudo aggregetur, in ea statim grauitatis sensus quoq; excitatur. Nec tamen quotiescunq; pondus loco alicui insederit, ibi etiam humorũ multitudo aggregabitur: quandoquidem si facultas sit imbecillior, poterit uel ex ipsismet solidioribus membris grauari, quemadmodũ in corporibus resolutis contingit. Siquidem præ resolutione imbecillioribus redditis musculis, sentit ille qui resolutus est, in motu grauitatem insignem: ita tamen, ut infirmus musculus sibijpsi minimè grauis uideatur. Grauitas quippe ab altero, & in altero, gignitur. Potest itaq; musculus fieri se ipso inualidior, imbecilliorq;: ut uerò sibijpsi sit grauis, id fieri nequit. Agè igitur, maioris perspicuitatis gratia, ponamus nunc à spiritu per neruum delato, moueri musculum: à musculo uerò, tibiam primùm, cui is inseritur. Qua mota, articulus in genu, ubi crus uniuersum cõmittitur, subinde etiã moueatur. Quibus sic constitutis, quisq; uerè asserere poterit, & musculum, & totam tibiam, inualido spiritui esse oneri. Quocirca minimè potest exquisitè dignosci, quid sit id quod primùm grauet, quodq; primũ grauetur: nisi prius sciatũ id, quod primũ in nobis unãquanq; mouet particulam. Ad quod quidem uir tum in discernendis potentijs, quæ nos gubernãt, peritus, tum in anatome exercitatus, desideratur. Iam uerò, ut nulla est necessitas illis qui in obeundis functionibus ualentiores, q̃ prius forẽt, effecti sunt, humores aliqua ex parte accreuisse (quod Erasistratus existimabat) ita pernecessariũ uidetũ, ut si qui ualidiores actiones habeant, eis uiriũ robur accesserit. Actionũ siquidem fortitudo, ad uiriũ robur consequitũ: sicuti & robur uiriũ, fortitudinẽ comitatũ functionis. At à sanguinis multitudine, cõsecutio nulla necessariò est futura: cùm neq; si is maiori sit copia q̃ antea, ualidior ex necessitate futurus sit homo: neq; si minori, imbecillior: sicuti nec si ęqualis sit, necessum est illũ uiribus eodem se habere modo. Liquet itaq; actiones ualidas propriã esse ac inseparabilem uiriũ uigentiũ notam, sanguinis uerò aucti nequaq̃. Porrò ubi adest tensionis sensus, nec tamẽ exercitatio præcesserit, ibi necesse est plethoram esse cõgestam. Sanguis autẽ auctus, nõ tamẽ eò, ut uenæ adhuc tensæ sint, nondum plethoram absoluit. Vt uerò tensio, copiæ humorum propria uasa tendentium affinis est: ita ulcerosus sensus, aerem sequitur qualitatem humorum, potestq; uel ex solis

*Sensu uacuas particulas, nec grauitatis, nec prorsus symptomatis ullius posse sensum percipere.*
*Medullæ omnes insensiles.*
*Iecoris gibba insensilia esse.*
*Grauitas est certum indicium illius plenitudinis quæ ad uim sensitricem spectat.*
*Plenitudinis ad uires nõ requiritur necessariò magna humorũ collectio.*
*Grauitas ab altero & in altero gignitur.*
*Actionum fortitudo ad uirium robur consequitur.*
*Robur uiriũ fortitudinem comitatur functionũ.*
*Actiones ualidæ, nõ aucti sanguinis, sed uigentium uiriũ sunt inseparabilis nota.*
*Vlcerosus sensus aerem sequitur qualitatem humorum.*

quandoq; motionibus gigni. Si igitur particula quæ distenditur, particeps sensus fuerit, necessum est, ut quæcunq; fuerit ea res, quæ eò ipsam distendit, ut capi nequeat, tensionis sensum in animante excitet. Atq; is affectus qui tunc mēbra occupat, tensio appellatur. Quæ si plurimū augeatur, erit etiam necesse, ut quod tendit dirumpatur. Cæterū nō tantū ex ipso sanguine, sed ex quacunq; substantia humida & flatulenta, possunt partes tensiuo affectu occupari.

*Tendi possunt particulæ à quauis substātia humida & flatulenta.*

In uniuersum autem, id quod grauat, multum: quod uerò pungit, aut mordet, molestum esse dicemus. At plures reperiri humores mordaces, qui partim in nobis gignantur, partim accedāt extrinsecus, omnibus est compertū. Quorū quatuor penes magis & minus differentiæ extant.

*Mordicantium humorum quatuor, secundum magis & minus differentiæ habentur.*

Etenim qui modicè mordent, pruritū inferunt, uti scilla: qui uerò magis, rodunt, ut cæpa. Sed si aliqua præterea adhuc his fuerint acriora, horrorem excitabunt: præcipuè quidem, si particulis admoueantur exulceratis: prorogato uerò, atq; aucto horrore, symptoma illud rigor uocatur.

*Acres humores particulis exulceratis admoti, horrorē atq; rigorem excitant.*

In nobis quoq; mordaces gignunt succi eadem ratione, per has quatuor ideas distincti. Quorū sanè pruriginosi illi sunt, qui modicè existunt acres: ulcerosum uerò sensum pariunt, qui his sunt mordaciores: qui autē hos quoq; mordacitate superāt, horrorem: sicuti qui prçterea iam mordacissimi sunt, hi rigorem inducūt. Affectio igitur ulcerosa, ex succis mordacibus gignitur. Grauitas autē à multitudine, pro uiriū cōparatione. At tensionis affectio, & ipsa quidem humorū multitudinem sequitur, nō tamen per collationē ad uires corporū continentiū, sed tantū ad capacitatem qua continent illi. Ad hanc ergo affectionē ultimam, tensio tantùmodo pertinet: ut ad secundā grauitas.

*Vlcerosus sensus neutrius plenitudinis est propria nota.*

Vlcerosus uerò sensus, neutrius est propria nota, nec plenitudinis nuper dictæ, nec secundæ, quę uires respicit.

*Symptomatum differentia varia.*

Ex symptomatis itaq;, alia ad plenitudinē pertinent, quæ respicit uires: alia ad eam quæ in infusione consistit: nonnulla præterea nō sunt* simpliciter plenitudinis notę, sed huiusce plenitudinis. Quædam uerò nullius quidem plenitudinis, sed humorū potius prauitatis & corruptionis sunt signa, aut uirium imbecillium, aut tumoris solidorū corporū.

*Tensiuus affectus quid indicet.*

Ergo affectio tensiua, nisi exercitationis sit comes, plurimam omnino substantiā in corpore quod sensu præditū est, contineri insinuat: nō tamen qualis sit ipsa substantia, ostendit: nisi alia etiā indicia accedant.

*Actionū languor, vires inualidiores ostendit.*

Actionū uerò imbecillitas, uires inualidiores ostendit: *quòd mouens causa impediatur: quemadmodum accidit in languidiori manuum motione: id quod plures constitutiones consequi potest. Nam si in aliquo carneū ac adiposum particularū genus, uiribus tamē eosdem fines seruantibus, adaugeatur, necesse fuerit motiones imbecilliores fieri, moto nimirū aucto, mouente uerò æquali permanente. Sed si aut unus quispiam ex humoribus, aut omnes etiā simul excrescant, nec uires alioquin simul unà augeant, sic quoq; necesse erit actiones inualidas reddi: nec secus si humores simul & effusiones creuerint, nullo autem in uiribus incremento facto: quemadmodū & si pares illi se habuerint, uires uerò imbecilliores euadant. Fieri etiā potest, ut & dematur de uiriū robore, & humores unà cum parenchymate, seu transfusione (quæ impræsentiarū molē carnis, pinguitudinisq; significat) uel plures fiant, uel pauciores. Horum itaq; utrumuis eueniat, necessariò euadent* functiones imbecilliores. *Arbitrari autē quādiu solida corpora optimè nutricantur, posse nonnunquā edi imbecilliorē motum, hominū planè est minimè perpendentiū, facultates per uniuersa solidiora corpora permeare: sed perinde ac fistulas, aut canales quosdā, sic spiritui uenas & arterias constituentium.

*Facultates per vniuersa solidiora corpora permeare.*

Hallucinanī etiam, qui inter plethorica indicia, corporis tumorem reponunt: quippe uenarū tumor poterit forsan esse plethoricū signum, inseparabileq;, ubi corpus ita se habuerit, ut neq; interna externis, neq; hæc illis caleant magis, nec præterea calor immodicus uniuersum corpus detineat. Carnis autē & adipis moles, eorundem multitudinē indicabit: nō tamen plethoricæ plenitudinis quæ desiderat euacuationem, signum existet.

*Tumorem corporis non omnem esse signum plethoricum.*

Cùm autē syncerus sanguis nunq̃ ita reperiaī in uenis, quin illi aliquid aut bilis, aut pituitæ, aut serosi excrementi permistum sit: perinde sanè erit dicere, sanguinē ipsum augeri, ac si etiam humores dixeris. Venarū itaq; tumor, sanguinis plenitudinē indicat, si tamen is à nulla gignatur externa constitutione prorsus inualescente, aut ex fusione, aut ex ebullitione.

*Venarū tumor quando sanguinis plenitudinē indicet.*

Cauendum præterea erit, ne particula illa decliuis fuerit, neue paulò antè cæteris uehementius mota. In summa uerò, plenitudo à uenarum tumore indicabitur, si omnes corporis partes eandem constitutionē seruarint, idq; cum mediocri calore. Cæterùm tum tumor ipse, tum tensio, cùm à singulis humoribus, necnon à flatu excitari possint, plenitudinis quantitatē, potius quàm specificas differentias declarant. Siue igitur sanguis eò incrementi peruenerit, ut citra tunicarū tensionē, naturæ modum excedat, corporiq; grauis uideatur: siue ita sit auctus, ut uasa continentia distendat: utrunq; certè & multū, & plenitudo dicitur: sed prior illa, secundū uires, hæc penes uasa uocetur.

*Plenitudo secundum vires.*

*Plenitudo secundum vasa.*

Iam rubor, si nec ex sole, nec ex balneo, nec ex immoderato exercitio, neq; ex calore, nec ex ira uerecundiàue, neq; ex alia deniq; occasione extrinseca oriatur, sed undequaq; corpus æqualiter fuerit affectū, sanguineæ plenitudinis nobis indiciū existit.

*Rubor insitus, sanguinis plenitudinem indicat.*

Omnem autem plenitudinē, quæ in uenis congesta est, facilè motus arteriarū ostendit, ob mutuam uasorum confluentiam: nisi ubi humores contenti in uenis, q̃maximè sunt crassi & tenaces.

*Arteriarum motus, venarū plenitudinem indicat.*

Plenitudinis autem species, ubi in uniuersum illa corpus dispergitur, his notis sunt distinguendæ.

*Plenitudinis species quibus notis sint distinguendæ.*

Rubor plenitudini sanguineæ attestatur: color uerò subpallidus, flauę bili. Cùm autē pituita nimis exereuerit, in album magis q̃ pro naturę modo, color ipse mutaī: quemadmodū in atrum, si bilis atra. Opus tamen est, ut cum singulis horum humorum simul sanguis augeaī: alioqui nō plenitudo aut plethora, sed cacochymia potius dicenda uenit.

*Cacochymia quid.*

Cæterū si grauitas uel tumor præter naturæ modum accesserit, affectio talis, plethora appellabitur: ipsiusq; humoris uincētis species, ex colore

*Plenitudini perpetuò adesse tumorem & pondus.*

lore diiudicabitur. Sola tamen bilis nec tumorem, nec pondus (quæ à plenitudine seiungi nequeunt) inferre potest. Nam anteq̃ ita ea increscat, alia illi superuentura est affectio. At si sola

*Pituita in leucophlegmatia duntaxat solet per uniuersum corpus exuberare.*

pituita augeatur (inter cuius species annumeratur humor qui crudus dicitur, fabamq; imitatur elixam, q̃ alia pituita, crassior, ac minus flatulentus existens) duntaxat in leucophlegmatia solet per uniuersum corpus exuberare. Sunt enim & aliæ pituitæ species: dulcis nempe, acida & salsa.

*Pituitæ species diuersæ, earũq; vsus & facultates.*

Verũ ex dulci fiunt somnolenti: ex acida cùm redundat, famelici: quemadmodũ siticulosi, ex salsa. A cruda autẽ, deiicitur appetentia, somnolentiq; etiam fiunt.

*Sopor vnde.*

Siquidem si humescat, refrigereturq; cerebrum, quod est sentiendi principiũ, statim soporosa affectio oboritur: quemadmodũ si

*Vigiliarũ causa*

siccescat, atq; incalescat, in uigilias illabitur. Proinde omnes qui utraq; bile redundant, insomnes degunt.

*Melancholici sunt difficiles, et præter omnẽ rationem tristes.*

Id tamen peculiare habent, qui atra bile cruciant, quòd difficiles sunt, atq; præter omnem rationẽ tristes. Vigiliæ itaq; & somni causa, in cerebro ipso cõsistit: appetentiæ autẽ & illius defectus, ad os uentriculi pertinet. In quo

*Pituita in ore ventris collecta, appetentiam facit.*

quidem si colligat pituita, appetitiones excitat: si flaua bilis, tum sitim, tum cibi fastidiũ pariet, osq; fiet amarulentum.

*Bilis vtriusq; facultates.*

At si atra, morosi, tristes *atq; formidabiles fiunt, & sine siti: saliuaq; plurimũ illis scatet: atq; nõnulli eorum satis uident famelici, in quibus nimirũ atra bilis, acida qualitate fuerit affecta: id q̃d sanè contingit, ubi ipsa malignior est reddita. Porrò ubi ea ueluti fæx sanguinis permanet, neq; exactè est acida, satius

*Melancholicus succus.*

fuerit illam appellare melancholicũ succum: nõ autem melancholiã, siue atram bilem.

*Pulsuum differentia pro varietate humorũ exuperantium.*

Quòd uerò ad pulsus pertinet, si in plenitudine flaua bilis redundet, tales necesse est reddi pulsus, qualis ubi cor calfit simul & exiccat. Si atra bilis, quales quum frigescit & exiccatur. Si pituita, quales edi solent in humida frigidaq; cõstitutione. Vbi uerò sanguis se omnino secundum naturam habuerit, nulla fiet in pulsu ab antiquo statu mutatio: alterantur autem, secũdum ipsius sanguinis mutationẽ.

*Sanguinis temperies à diuersis causis variatur.*

At uerò ex ocio & humido uictu sanguis humidior seipso redditur: ex ira autem, exercitatione, æstu, frictione, medicamẽto alimentoq; calfaciẽtibus, necnõ meraciori antiquioriq; uino, calidior efficitur: quemadmodũ frigidior, ex recenti frigore. Quòd si quispiam alimentis temperaturæ siccioris diutius utatur, quæ tamẽ alia nulla intemperie teneantur, sanguis siccior euadet. Sed secundum etiam uarias complicationes causarum, in diuersas incidet sanguis cõpositas intemperies: idq; citra miscellam aliam in eo superantis humoris. Quòd si ob aliorum quoq; humorũ misturam, illabatur in intemperiem, certè absq; cacochymia cõstare talis dyscrasia nõ poterit: alias tamen octo differentias sortietur, sed diuerso modo, quàm ubi ille solus & per se fuerit talis. Verùm an intemperies ad solum pertineat sanguinem, an ad aliquem alium illi humorẽ permistum, ex iis quæ diximus, & ex aliis multis signis, facilè deprehendi potest. Fingamus igitur homini qui febre est uacuus, uenas in tumorẽ attolli, ac totum corpus rubicundius euadere. Statim enim est expendendũ, num & causæ aliquæ occurrerint, ex illis quæ uim calefaciendi habent: & si hoc fortè uideatur, præstiterit huiusce rei dignotionem tantisper differre, donec motio ab illis in corpore uniuerso excitata cõquieuerit. Tunc autẽ, si qualem diximus, talis appareat, sanguinẽ sanè in eo abundare, indicium erit. Mox uerò grauitatẽ, tensionem, pigritiam ad motum, pulsus, uigiliam, somnũ, appetentiã, fastidiũ, præcedentemq; uitæ rationẽ, expedit reuocare ad examen, expẽdereq; an aliqua excretio solita, illi suppressa sit, aut exercitatio neglecta: & an alimẽtis pluribus, aut plurimi nutrimenti sit usus: uel si post cibum se præter morem lauerit: soliusq; sit plethoricis morbis corripi. Quibus addenda est temporis & regionis cõsideratio.

*Plenitudo maior colligitur hyeme & vere.*

Nam hyeme & vere, locisq; tum frigidis, tum temperatis, maior colligitur plenitudo: minor uero locis & temporibus calidis atq; siccis. Sic etiam qui densa sunt cuti, frequentius plenitudinem colligunt: sicuti rarius, qui rara.

## GALENI PERGAMENI de atra bile liber vnus.



Anguis (qui humor omnibus hominibus est notissimus) ubi uel arteria, uel uena fuerit conuulnerata, ilicò effundi uidetur: rubens sanè magis è uenis, flauior autẽ ex arteriis manans.

*Sanguis extra sua vasa, subitò in grumum concrescit.*

Vndecunq; autẽ exeat, subitò cõcrescit in grumũ: idq; nõ solùm extra corpus, sed intra illud etiã, in quouis ipsius loco præter naturã cõtentus. Igitur magna ex parte in hoc humore rubeus color exuperat: & talis exactè optimus sanguis existit. Apparet autẽ nonnunq̃ hoc ipso flauior & nigrior: sicut etiã ex consistentia crassior atq; tenuior.

*Serũ sanguinis.*

Quin & uidetur quandoq; in cõcreto sanguine tenuis quædam humiditas, cõtracta à potu, innatare. Interdũ & pituitosus humor cum sanguine per uenas defertur. Cæterùm hæ differentiæ humorũ nõ mutant sanguinis appellationẽ.

*Atra bilis.*

Est & alius quidam humor sanguini crasso & nigro persimilis, qui tum per uomitum, tum per deiectionẽ excernitur: nõ tamẽ, etsi diutius aeri ambienti expositus fuerit, omnino densatur. Atq; hic ipse humor aliquãdo à uomentibus acidus simul & acerbus sentitur: quandoq; uerò nullam qualitatẽ manifestam præ sese fert. Cùm autẽ sanguis maiori ex parte dulcis esse uideat: pituita autẽ insipida, ueluti aqua: certè

*Salsos humores esse morbificos.*

si quando hi humores sentiant salsi, morbosi erunt. Euadit autẽ interdum ipsa pituita dulcis.

*Pituita omnis esse debet colore albo, minimeq; cõcrescere.*

Porrò pituita omnis esse debet colore albo, minimeq; cõcrescere.

*Flaua bilis species.*

Est & alius humor, qui dum uomitur, semper amarus apparet: nõ semper tamen flauus, sed quãdoq; pallidus. At semper qui flauus est, pallido crassior uidetur. Iam uerò, ut flaua bilis tenui serosæq; humiditati cõmixta, & pallidior, & aquosior euadit: sic ubi resoluit plurimũ, uitellis crudorũ ouorũ apparet similis: obidq; uitellina appellat. Igitur hæc bilis, siue pallida sit, siue flaua, siue uitellina, in uasis habet suã generationẽ.

*Bilis porri colorem referens, in vẽtriculo gignitur.*

At in uentriculo quædã alia gignit bilis, quæ porri colorẽ refert. alia quæ ab æruginis similitudine, æruginosa uocat: alia, quæ isatidis imitatur colorẽ.

*Bilis æruginosa.*

Quibus omnib. est cõmune,

ut quales sunt, tales permaneant. Vt uerò ad atram bilem redeamus, ea, quia non concrescit, à sanguine nigro distinguit: nō tamen ab ijs quæ propriè excrementa nigra appellant, eo nomine differt. Hæc siquidem, cùm talia sæpius nomantur ac deijciantur, ab atra bile q̄plurimū & facultate & qualitatibus differūt. Nam neq; acerbum saporem, neq; acidum manifestè participāt: cùm atra bilis tum gustui, tum olfactui talis esse uideatur. Ad hæc, excrementa nigra minimè terrā fermentant, ut atra bilis. Quæ quidem * hac in re cùm sit aceto q̄acerrimo similis, partiū tamen crassitie ab eo q̄maximè dissidet. Quamobrem, quibus corporis partibus pura & impermixta adhæret, eas exedendo exulcerat. Acetū etenim quod tenuium sit partiū, permeat: at bilis atræ crassities, cùm illi sedem firmam exhibeat, corrosionis fit causa. Taceo quòd nullū animal atram bilem gustare sustinet: sicuti nec meram salsuginem, in qua nullū animal degere potest. Cuius rei mare mortuū firmum indiciū præbet. Perniciosa itaq; illius generatio censetur, cùm ex humore atro supra modum assato cōtingat. Cæterùm ea bilis atra, quæ ex flaua bile immodicè assata ortum haber, tantò hac perniciosior est æstimanda, quātò flaua bilis efficacior est sanguinis sedimento, quod amurcæ aut fæcis instar generari est proditum. Igitur ut exactæ bilis atræ humorē semper excerni ad perniciem animaduerti, sic eorum quæ nigra appellant euacuationē, nō rarò salubrem extitisse cōperi. Porrò sanguis qui uena secta mittitur, nigrior esse uidet in siccis calidisq; temperamentis corporū: sicuti & in huiuscemodi anni temporibus, & regionibus, constitutionibus, uitæ studijs, uictus ratione, ac deniq; cibis crassis & siccis: quales sunt, lens, cochleæ, & carnes taurinæ hircinæq;, præsertim sale asseruatæ. Consimilis etiam naturæ est uinum nigrum, crassumq; & austerū. Pari etiā ratione, quæcunq; ægritudines fiunt ex calida siccaq; intemperie, cuiusmodi sunt febres ardentes, crassum & nigrum sanguinē gignunt. Vbi igitur per febres ardentes melancholicus humor in cutim ipsam propellitur, carbunculus appellatus producitur. Si uerò ad eam, citra febrim, decumbat, fueritq; permistus sanguini, elephantem gignere est aptus. Sin autē solus existat, ab initio quidem nigrū tumorē gignit, qui procedente tempore terminatur in cancrum. Rursus, ubi acrior & contumacior hic humor fuerit, cancrum exulceratum: ubi autem mitior, latentem & citra ulcus producit. Quippe omnes huiusmodi affectus, & præsertim cancer, ab humore melancholico oriuntur: cæterū ut à calidiori carbunculus, ita ab eo qui minus calidus est, oriri cancer consueuit. At ubi is humor niger, qualitates obtinuerit mitiores, nimirū permistus sanguini, subrubeos elephantos progignit: qui tamen processu temporis longè nigriores euadunt. Sæpius autē natura, uasorum quæ ad sedem sunt, reserans uenam, huiusmodi humorem excernit cōmistum sanguini: ob idq; excretio ipsa hæmorrhois appellatur. Sæpenumero etiā eundem humorē ad crurium uenas transmittit, à quo dilatatæ & distentæ, uaricosæ redduntur, & cutis quæ huiuscemodi uenas attingit, temporis processu nigrescit. Quòd si uenas illas turgentes melancholico humore quis moliatur excidere, periculum imminet, ne homo corripiatur melancholia: id quod fieri sæpius est uisum, nō in uaricibus modò, uerumetiā in hæmorrhoidibus, quæ ex huiusmodi humore consistunt. Quòd igitur in uenis & arterijs humores omnes unà cum sanguine continent, ostendit ipsius uarietas, tum in colore, tum in consistentia: id quod etiā ex ijs quæ diximus, & quæ in libro de Natura humana, ab Hippocrate prodita sunt, liquidò cōstat. Qui humores quandiu temperamenti obtinuerint mediocritatē, animal erit sanum: ægrotabit autē, ubi uel in omnibus uasis, uel in parte aliqua, corū aliquis à naturæ modo recesserit. Rationi autē est consentaneum, similes affectus oriri in partibus quæ profundo in corpore delitescūt, ijs qui in cute consistunt. Cùm itaq; flaua quidem bilis in unam quampiam decumbens partem, generet erysipelas: atra uerò, carbunculum atq; cancrum: mirū sanè esse nō debet, si utraq; in intestina descendens (quandoquidem internæ partes nón sortiunt constitutionē adamantinam) aliàs aliud ipsorum erodant, ac nonnunq̄ prorsus insanabilem dysenteriā efficiāt. Omnes siquidem exulcerationes ab atra bile sunt insanabiles: nisi quis curationē appellet, ubi affecta pars tota circunquaq; ad partem sanam usq; dissecta, abscindatur. Quemadmodū igitur intestina citra alicuius auxilij spem ulcerant ab atra bile: à flaua autem, difficulter curationem admittunt: sic in profundo sitis accidit cæteris partibus, atq; ijs præcipuè, quę intestinis sunt nobiliores. Adde quòd intestinorū curatio facilior est, eò quòd medicamenta quæ injciunt per sedem, statim locis affectis occurrūt: quod sanè in cæteris partibus fieri facilè nequit. Porrò lien malè affectus, uel ex inflammatione, uel scirrho, uel imbecillitate, ad nigrius cōuersus, colorē uitiosum in toto corpore efficit. Quin & ipse semper iecore nigrior existit: & præsertim in animalibus calidioribus & siccioribus, qualia sunt serratos dentes habentia. Hoc uiscus etiā uel elixū, gustui quippiam acerbū refert, ut iecori nihil simile appareat. Vnde liquet iecur expurgari à liene: qui nimirū attrahit quicquid in ipso sanguine fæculentum existit: quale utique est fæx in uino, & in oleo amurca. Ex hoc uerò quòd medicamenta flauā bilem trahentia, auxiliantur eis qui regio morbo laborant: quæ autem aquam educunt, hydropes ascitas euacuant: sicuti & quæ nigra expurgāt, elephātos & cancros augeri prohibent: in confesso est etiā, unumquodq; purgantiū medicamentorū familiarem sibi humorē attrahere. Vt autē ad lienem reuertar: quandoquidē unāquanq; corporis partē proprius alit humor: animaliū uerò serratos habentium dentes lien acerbam acidamq; exhibet qualitatē: manifestū est, humorē qui illū nutrit, talem etiā existere: non igitur erit aliam particulam excogitare, quæ melancholico humori excipiendo sit destinata. Iam uerò, per quas uenas à uentriculo in hepar alimentū suggerit, per easdē à toto corpore in illum etiā humor demittitur, tum in purgationibus quas moliuntur medicamenta,

*Nigra excremēta quomodo ab atra differant bile.*

*Atra bilis est acida, terramq; fermentat.*

*Atra bilis differt crassitie ab aceto.*

*Atra bilis cur exedat, corrodatq;*

*Atram bilem gustare nullū animal sustinet.*

*Mare mortuum nullum in se piscem alit.*

*Atra bilis qua flaua praeassata oritur, est omnium perniciosissima.*

*Atra bilis semper ad perniciē excernitur.*

*Sanguis niger quibus secta vena vacuetur.*

*Melancholicum succū gignentia.*

*Tumores ab atra bile.*

*Carbunculus.*

*Elephantiasis.*

*Cancer.*

*Cancer exulceratus.*

*Hæmorrhois.*

*Varices.*

*Varices hæmorrhoidesq; si quis cohibere conetur, periculū est ne homo corripiatur melācholia.*

*Erysipelas.*

*Carbunculus.*

*Cancer.*

*Dysenteria.*

*Exulceratio omnis ab atra bile est insanabilis.*

*Intestinorū curatio, cur facilior sit, quàm aliarum internarū particularum.*

*Lien malè affectus, colorem totius corporis vitiat.*

*Lien elixus gustus quippiā acerbum refert.*

*Hepar à liene expurgatur.*

*Purgantium medicamentorū singula sibi familiares succos attrahere.*

*Lienem nutriri ab acido humore, quem recipit.*

*Ventriculo demitti aliquādo humorem per easdem venas, per quas solet suggeri alimentū hepati.*

menta, tum in iis quas natura in morborũ crisibus efficit. Quinetiam in rectè ualentibus, nonnunquam optimus sanguis ad uentriculum cõmeat, ipsum uidelicet nutriturus: id quod in longis inediis accidit. Porrò cùm natura quæ fœtũ format & auget, prægnationis tempore optimũ sanguinem attrahat, in uenis relinquitur uitiosissimus, qui post partũ tandem excernitur: quemadmodum singulis mensibus, qui nõ solùm quantitate, sed qualitate etiã superfluus atque inutilis est.

*Menstruum sanguinem quantitate & qualitate esse inutilem.*

At pituitosus humor, ex pituitosis cibariis, in prima cõcoctione, quæ in uentriculo fit, generationem obtinet: ueluti biliosus melancholicusque, in iecore. In cuius quidem coctione pituitosus humor etiam in sanguinem uertitur. Quam ob causam nullum ipsi proprium instrumentum molita est natura, ad sanguinis expurgationẽ, quemadmodum est utraque uesica & lien. Siquidem hæ sanguinẽ à bilioso humore & seroso expurgant: lien uerò à melancholico humore. Itaque pituitosus humor, qui in uentriculo gignitur, cùm deferatur in iecur simul cum humoribus genitis ex comestis & bibitis, unà cum illis concoquitur, in sanguinemque mutatur.

*Pituitam in uentriculo gigni, at postea coctam à iecore, in sanguinem uerti.*

*Pituita purgandæ cur nullũ datum instrumentum sit à natura, ut reliquis excrementis.*

In uniuersum igitur, omnes qui ab humore melancholico proueniunt affectus, statim inter initia medicamẽtis eum humorem uacuantibus ualidè purgãs, quo minus augeantur prohibebis, usque etiam ad cancros.

*Melancholici affectus quomodo inhibendi sint.*

Nõ est autẽ eadem bilis atra in iis qui integra sanitate fruuntur, & in nõnullis eorũ, qui olim naturalem habitũ sunt egressi. Porrò medicamenta singula propriũ quendam similemque sibi succum eliciunt: non autem in naturã suam corporis humores permutant. Nam si medicamenta morbo regio laborantibus propinaueris: quæ uerò bilem educunt, his qui infestantur aqua inter cutim: quàm minimum proprii humoris uidebis utrobique uacuari: atque inde non solùm nihil iuueris ægrotantes, uerumetiam quàm maximè læseris: haud aliter, quàm si ipsis uenas incideres. Aduerte autem columbas, atque alia animalia pleraque, destituta esse uesica fellis.

*Medicamenta purgãtia, familiares sibi succos attrahere.*

*Columbæ carent fellis uesica.*

## GALENI PERGAMENI
### *de tumoribus præter naturam liber unus.*



Nter ea corpora quæ naturaliter, & quæ præter naturã se habent, tertia quædam est constitutio eorũ corporum, quæ nõ secundum naturã affecta sunt. Siquidem qui crassior uel gracilior est factus, nõ adhuc naturalis habitus fines egreditur: sed tantũ alter supra naturæ modum, alter uerò infra inuenit: uterque autẽ secundum naturã est minimè affectus: quanquam certè horum affectuũ nõ naturaliũ, excessus quidẽ, præter naturã existunt: terminus autẽ eorum excessuum, est actionis oblæsio. At qui tumorẽ ex aqua inter cutem contraxit, & qui ex tabe euasit gracilior, præter naturã sanè uterque est affectus. Igitur in præsenti libro, de tumoribus præter naturam, qui tum corpus uniuersum, tum quãlibet illius partẽ occupãt, nobis disserere est animus, sumpto à phlegmone initio. Phlegmone dicitur tumor carnosarum particularũ, ubi cum tensione, renitentiaque, necnon dolore pulsatili & calido, ruboreque, maiorem sibi tumorẽ contrahunt. Ex quibus quidem signis sanguinẽ redundare in inflammatione ipsa, existimandũ est.

*Phlegmones accurata descriptio.*

Cuius sanè defluxus, priusquã sit impactus, facillimè iis quæ refrigerãt atque astringũt, repellit, præsertim si tumor fuerit exiguus. Vbi autẽ fluxio impacta iam tenaciter hæserit, nullum ab astringentibus & refrigerantibus auxilium admittit: indiget autem uacuari.

*Phlegmones curatio.*

Iam uerò pars phlegmone obsessa, nõ statim ab initio fit immodicè calida, sed procedente tempore, pristina nimirũ perspiratione impedita, ex obstructione omniũ meatuũ. Idcirco si inibi sanguis diu immoretur, necessum est ut omnino putrescat. Siquidem omnia corpora simul calida & humida, in calidum locũ coacta, putrescunt promptè, si nec euacuentur, neque refrigerentur. Quare & quæ ex ipsius putredine caliditas nascitur, ei superuenit, quam antè habebat.

*Putrescere calida & humida, ubi in calidum locum impacta, nec uacuantur, nec refrigerãtur.*

In uniuersum autẽ, nihil in inflammata particula permanere potest exactè secundum naturam se habens, inflammatione perseuerante diutius: sed omnia simul cum carne, cutis uidelicet, nerui, tendones, membranæ, atque uasorũ tunicę, fluxionẽ ipsam suscipiunt. Quare & ossa interdũ fluxio ipsa inuadit: sicuti & ab ipsis primò affectis, nõnunquam oritur: quemadmodũ etiam à neruis, ubi scilicet uulnerantur.

*Ossa interdum fluxionẽ ipsam suscipere.*

Cutis igitur, ubi secundum naturã se habet, laxa est, in iis qui crassi nõ admodum sunt: & locus medius, cui ipsa incumbit, existit uacuus. nec secus ea quæ in carne sunt spacia, conspiciuntur inania. Omnia autẽ hæc per inflãmationes replentur sanguine, ex uasis quidem per eorum tunicas resudante: in quacunque autẽ carnis particula, ad modũ roris permisto. Vbi uerò procedente tempore uicerit quidẽ natura: fluxio autẽ omnis concocta fuerit, ac genitum pus: extra carnẽ id pellitur à facultate, quæ in ea est, expultrice.

*Phlegmonis generatio.*

Quòd si uel meatus naturalis conspicuus sit, uel locus rarus existat, pus sanè partim perspirat, partim sensibiliter effluit. At si incumbens cutis densa duraque extiterit, ibi pus detinetur, atque eam à subiecta ipsi carne dirimit: deinceps & sui acrimonia corrodit, & foras egreditur, nisi quis eam præuertat scarificare. Cæterùm natura à fluxione uicta, nõ amplius ad pus, sed ad alienam quampiam mutationẽ, aliàs diuersam, proficiscitur sanguis. Porrò dum pus corpora excoriat, continentiaque à subiectis diducit: ac deinceps eo utcunque uacuato, quę dissident inter se, pristinã constitutionẽ nequeunt recuperare, is affectus uocatur sinus.

*Abscessus quomodo fiant.*

Qui nimirũ nisi quàm celerrimè percuretur, callum contrahit, procedenteque tempore durus euadit, nec amplius subiectis ipsi partibus agglutinari potest. Astringitur tamen medicamentis, & uictus ratione exiccatur, ita ut particula integrè esse sana uideatur.

*Sinus quid.*

Nõ solùm tamen ex inflammatione gignuntur abscessus, hoc est, diductiones particularum: sed & statim à principio interdũ proueniunt, propter humorem aliquẽ, qui temporis processu excoriet, atque à cõtentis cõtinentia dispescat. Proinde & in cisi omnimodam speciem humidorũ ac solidorum corporum intus habere apparent: & non rarò etiam animantia in ipsis reperta sunt, omnibus

*Animalcula interdum reperiri in abscessibus.*

fere quæ ex putredine ortũ habent, simillima.

*Fistula quid.*

Fistula, sinus est angustus & longus, alijs sinibus similis: qui sane astringit, & rursum diducit etiam ob excrementorũ effluxum.

*Atheromata. Meliceris. Steatomata.*

Iam in atheromatis reperitur quiddam pulti consimile: in melicerididibus, melli: ut seuo, in steatomatis. Plerunq; autem quædam tunica membranosa singula hæc continet.

*Gangræna. Carbunculi.*

At gangræna carbunculiq; excitantur, cùm sanguis tanquam feruens & inflammationi propinquus, exurit cutim. Proinde & cum crusta fiunt, & bullæ ulcus præcedunt, quemadmodum in ambustis. Quin & acutissimã febrim inferunt, atq; in discrimen uitam trahũt.

*Carbunculorũ descriptio.*

Nigra autem prorsus, ac cinerulenta, apparet crusta carbunculorũ ulceris: nec tamen inflãmationis circunstantis color, sicuti in alijs, ruber cõspicitur: sed ad nigrius uergit, alio sane modo quàm in suggillatis, uel à gelu perfrigeratis. Non enim uehementer liuet, ueluti in illis, tumor: uerũ habet quippiam splendidum, quemadmodũ bitumen Iudaicũ.

*Atra bilis qualis.*

Huiusmodi siquidem est exquisita atra bilis: unde & malignitas ulcerũ quæ in carbunculis sunt, accidit. Siquidẽ sanguis, uel statim ab initio, uel in ipso feruore superassatus, melãcholicus fieri uidetur.

*Cancros gignit atra bilis nõ feruida. quæ si acrior fuerit, illos producit exulceratos.*

Verùm citra feruorem atra bilis cancros constituit: atq; eos cum ulcere, ubi acriorem illam esse contigerit. Quamobrem & nigriores sunt colore omnibus quæ inflammatione infestantur, & minus calidi. Venæ autẽ in his replentur & tenduntur magis, q̃ in ipsis inflãmationibus.

*G[an]grena quid.*

Ad hęc gangræna maximis succedit inflammationibus: quæ sane mortificatio quædã affectæ partis existit: & nisi curetur celerrime, usqueadeo pars affecta extabescit, ut inuadat alias cõnnuas, atq; sic hominẽ perimat. Porrò in naturali statu, insensibilis nobis est arteriarũ motus: in inflãmationibus autẽ, is cum dolore sentitur.

*Dolor pulsatilis affligit inflãmatas particulas, ob arteriarũ motionem.*

Arteria siquidem dum dilatatur, corpora circũiacentia percutit: atq; ex eorũ plaga ob inflãmationẽ dolemus. Quòd si arteriæ tunica inflãmatione urgeatur, tunc ratione percutientis simul & percussi, geminatur dolor. Si fluxio biliosa in aliquam partẽ decumbat, idq; ab exquisita bile profecta, cutẽ exulcerat: si uerò sanies aquosas, uel etiam sanguinẽ habeat, minus erit acris, sed particulã magis in tumorẽ attollit, q̃ exulceret.

*Erysipelas. Herpes.*

Hoc igitur erysipelas nominatur, alterum uerò herpes. Humor autem à quo unumquodq; horum gignit, tum ex colore, tum ex caliditate partis affectæ, facile dignoscet. Rursus, cùm fluxio acris, hæc quidem minus, hæc uerò magis, talis existat: sciendum est, ab acriori fieri herpetẽ exedentem, ab altera uerò miliarem.

*Herpes exedens gignitur ab acriori bile: ut miliaris, à minus acri.*

Atq; hæc sane fluxio pituitam habere mistam mihi plane uidetur: ut illa proficisci à meracissima bile: quare & cum erosione oritur, affectu semper proximam inuadente cutem. Verùm si ex æquo sanguis & bilis cõmista fuerint, huius affectus forma & natura, in medio erysipelatis & inflãmationis consistet. Quòd si alter ex humoribus longe exuperet, ab exuperante affectus nomẽ sortietur, cum adiectione tamen humoris admisti.

*Erysipelas phlegmonosum. Inflãmatio erysipelatosa.*

Dicetur itaque erysipelas inflammationis particeps, flaua bile superante: inflammatio uerò erysipelatosa, uincente sanguine. Similis quoq; erit aliarũ mistionum interpretatio. Quatuor enim sunt affectiones, quæ assidue ex humorũ fluxione oriuntur: erysipelas, œdema, inflammatio, & scirrhus. Erysipelas igitur, ut dictum est, biliosa fluxione exuperante oritur: inflammatio, sanguinea: œdema uerò, tenui pituita:

*Oedema.*

quemadmodum & crassa & lenta, altera quædam scirrhorum species consistit: nanq; alterã fæx sanguinis efficit: quæ ipsa rursus sanguinis fæx, est duplex: alterã enim speciem Hippocrates nigram nominat: altera uerò & ipsa quidem est nigra, proprie tamen atra bilis uocatur.

*Scirrhorum species duæ.*

*Fæcis sanguineæ duplex species.*

Istius itaq;, cancri soboles sunt: alterius uerò nigræ, una quædam scirrhorũ species: quæ sane ab altera quæ ex pituita consistit, colore distinguitur. Atq; utrisq; cõmunia sunt, maior quàm sit pro naturę ratione tumor, tum dolore uacans, tum durus: & quòd utraq; species quandoq; ab initio gignat, quãdoq; ex permutatione alicuius tumoris immoderatius refrigerati. Scirrhis propinqua sunt tum ecchymomata, hoc est transfusiones, tum melasmata, siue denigrationes.

*Ecchymomata. Melasmata.*

Qui affectus fiũt sanguine ex ipsis uenis effuso, nunc tunicis earum cõtusis, nunc ipsarũ finibus reseratis. Quòd si arteria adaperta fuerit, affectus hic aneurisma uocatur.

*Aneurisma.*

Fit autẽ, ea uulnerata, cùm ad cicatricẽ superposita cutis deuenerit, arteriæ uerò ulcus permãserit, ipsa nequaq̃ cõglutinata, neq; ad cicatricẽ perducta, neq; carne obturata. Cæterũ tumor ille compressus digito cedit. Cùm igitur sanguis quem arteriæ continent, tenuis & flauus existat, ac præterea mistus subtili spiritui & multo, proindeq; fit etiam calidior eo qui continetur in uenis, adeò sane is effluit, ubi uulneratᷓ arteria, ut ægre supprimi possit.

*Arteriarum sanguis qualis existat.*

Cedit etiam in œdematibus materia prementibus digitis, & pars ipsa foueæ modo excauatᷓ. At in hoc affectu pulsus non adest, ut percipitur in aneurismate: & color albicãtior existit.

*Oedema quomodo ab aneurismate differat.*

Ad hęc œdema lõge latius & maius est aneurismate: nisi quãdo grumus adnatus, coalitus ex aneurismate, sphacelum, hoc est, syderationẽ efficiat.

*Sphacelos. Syderatio. Gangræna.*

Sic enim uniuersam solidorũ corporũ corruptionẽ appello, ita ut ossibus quoq; insit. Gangræna autem, solidorũ corporum mortificatio est & ipsa, uerũ ossa nequaq̃ corripit, maximasq; sequitur inflammationes. Repetendum autẽ rursus hoc est: atram bilem, si quidem mordax decubuerit in carnẽ, circumpositam cutem exulcerare: si uerò mitior extiterit, cancros citra ulcus inducere. Iam uerò, qui affectus ex ulcere & tumore circumambiente constat, phagedæna uocatur.

*Phagedæna. Herpes depascitur.*

Depascitur etiã & herpes circumuicinas partes: solius tamen cutis exulceratio existit: phagedæna uerò, unà cum cute, attingit etiam subiecta. quæ ulcera omnia, cacoëthe, hoc est, maligna uocantᷓ.

*Cacoëthe ulcera. Scabies. Lepra. Cancer. Elephas.*

Porrò scabies & lepra, melancholici affectus, ad solam cutem spectant: quemadmodũ si in solis uenis & carne fiant, nomen obtinẽt cancri. Præterea elephas affectus melãcholicus est, à sanguine quidem melancholico primam habens generationẽ: tempore uerò procedente, atra bilis copia sanguinẽ ipsum exuperat: quo tempore corpus iam & grauiter olet, turpeq; & deformatum uidetur, atq; interdũ etiam exulceratur. Iam pudendorum tensiones præter naturam, quæ non

desistunt,

*Satyriasmus. Priapismus. Achor.*

desistũt, quidam satyriasmũ, quidam priapismũ appellant. Achor autem ulcus est in capitis cute, quod conijceres pituitæ salsæ, & nitrosæ esse sobolem. Ac defluit quidem ab eo sanies quædam nec aquosa simpliciter, nec ita, ut mel, crassa.

*Ceria.*

Ceria (quos fauos nominant) cum tumore quodã exiguo & q̃plurimis foraminibus accidunt, melleo quodam humore fluentibus. Quin & alij tumores præter naturam his minores per cutem fiunt, nimirũ myrmeciæ, acrochordones, psydraces, & epinyctides: qui sanè affectus omnibus cogniti sunt.

*Myrmeciæ. Acrochordones. Psydraces. Epinyctides. Furunculus.*

Non minus autẽ est notus furunculus: qui quidem mitis existit, si solam cutem obsederit: malignus autẽ, si descenderit altius. Sic enim tuberculo est similis, ab eo sola duritie differens.

*Tuberculum.*

Vterq; autẽ affectus mistæ cum inflãmatione esse speciei uidetur. His tertio loco succedit bubo, quarto is quem nõnulli uocant phygethlon, caliditate simul & generationis celeritate id ab alijs tuberculis distinguentes.

*Bubo. Phygethlon.*

Qui affectus glandulosarũ partiũ est inflammatio. Hæ autẽ partes ubi ad scirrhũ deuenerint, is affectus struma & chœras uocatur: quemadmodũ etiam ubi indurantᷓ testes, σαρκοκήλη, & ramex carnosus dicitur.

*Struma. Chœras. Sarcocele. Ramex carnosus. Hydrocele. Epiplocele.*

Cùm autẽ in eorũ tunicis humor aquosus colligitur, hydrocele nominatur: à quo affectu, epiplocele & enterocele differunt: quòd alterum omenti, alterũ intestini cuiuspiam descensum in tunicas testiũ significet. Quemadmodũ autẽ unumquodq; dictorũ nominũ partis morbum indicat, à qua affectus cognominatᷓ: sic & κιρσοκήλη recens nomẽ, hoc est, uaricosus ramex, in parte iam dicta declarat ipsum affectum consistere.

*κιρσοκήλη. Ramex varicosus. Varices.*

Quanq̃ ueteres, & alias etiam turgentes uenas κιρσοὺς, hoc est, uarices nominaut. Fiũt quippe in cruribus etiam uarices, ob imbecillitatẽ uenarum quæ inibi existũt: & tunc præsertim, cùm sanguine corpus crasso redũdat. Peritonæo uulnerato, uel rupto, nec postea conglutinato, tumor quidã mollis eam regionẽ occupat.

*Bubonocele. ἐξόμφαλοι.*

Quòd si id in inguine eueniat, tumor talis bubonocele nominatur. Si uerò circa umbilicũ, sic affectos ἐξομφάλους quidam appellãt. Cæterũ peritonæi solius nulla harum affectionũ existit: sed & nerueã propaginem musculo affici prorsus est necessarium.

*Hydropis tres species.*

In hydropicis etiam copia quidem materiæ eadem in regione aggregatur: aquosæ sanè, in ascite: flatuosæ, per tympanitem: pituitosæ deniq; in affectu anasarca, & eo quem leucophlegmatiam appellant.

*Epulides. Parulides. Thymi. Vua. Tonsillæ. Paristhmia.*

Porrò epulides, parulides, thymi, & alia id genus, carneæ suppullulationes existunt. At uuæ, gurgulionis, tonsillæ, earum glandularũ quæ inuicem in fauciũ initio opponuntur: paristhmia deniq;, eorum corporũ quæ in ipsis faucibus sunt, inflammationes existunt.

*Polypodes.*

Polypodes autẽ, aut inflammatione, aut tuberculo, aut alia quapiam suppullulatione in naribus consistente, gignuntur.

*Encanthis.*

Encanthis uerò, in magnis oculorũ angulis fit, tumor non toto genere præter naturam, sed sola magnitudine.

*Vnguis oculi.*

Vngues autem adnascentiæ quædam sunt membranæ exterius adnatæ oculis, quæ ab osse circũambiente delata, usq; ad iridis coronã extenditᷓ.

*Staphylomata.*

At quæ uocantᷓ staphylomata, hæc quidẽ solo situ, hæc uerò dispositione ipsa, præter naturã existũt.

# GALENI PERGAMENI
## *de tremore, palpitatione, conuulsione, & rigore, liber unus.*



*Motus sensibilis duplex: vnus voluntarius, qui ad neruos et musculos. alius vitalis, qui ad cor & arterias pertinet.*

SEnsiles motus in sanis animalium corporibus, duplices genere existũt. Alij siquidem fiunt secundũ uoluntatis imperiũ: quos sanè à neruis & musculis editos, liberæ uoluntatis actiones mos est medicis appellare. Alij autem à corde & arterijs profecti, functiones appellantur uitales. Est & tertia in uenis insensilis motus species, de qua impræsentiarũ differere nõ uidetur expediens. Cæterũ motus à neruis & musculis editus, quo manus atq; crura mouemus, in tremore & conuulsione, morbosoq; rigore, ac nõnunq̃ palpitatione, apparet. Etenim istiusmodi affectus, incompositi exorbitantesq; sunt motus instrumentorũ, quæ dum integrè ualent, motus uoluntarios perficiunt.

*Tremor quomodo fiat.*

Tremor igitur, imbecillitate facultatis quæ uehit atq; mouet corpus, efficitur. Etenim animalium partes graues cùm sint, deorsumq; ferri natæ, ex se usquequaq; moueri nequeunt: sed facultas à principio musculis per neruos delata, quasi uehiculum quoddam atq; ala, motus ipsarum est. Quę si exactè defecerit, partes uti relaxatæ resolutæq;, deorsum uerguut, atq; instar auis expilatæ concidunt. Vnde membra hoc pacto affecta, omni motu priuantur. Verùm si facultas ad musculos per neruos fluat, exigua tamẽ & debilis, ut quantũ oportet, membra corporis uehere, librareq;, aut ueluti pondus aliquod ferre, non possit, membrum sic dispositũ, cum tremore deliscere necessariò conspicimus.

*Motus violenti, qui viribus superiores sunt, fiunt tremuli.*

Siquidem motus coacti uiolentiq;, qui uires debilium superãt, fiunt haud dubiè tremuli: ut constat in onera grauia gestantibus.

*Perculsi animo adunt actiones tremulas.*

Pari quoq; modo si quis timore correptus fuerit, manibusq; siue quid agere, siue librare uoluerit, tremulæ quidẽ manus agendo, tremula quoq; crura incedendo ei ob timorem fiunt.

*Timor facultatis robur imminuit.*

Timor quippe facultatis robur, nihilo minus q̃ onus, imminuit.

*Senes cur tremuli.*

Consimili modo senes imbecillitatis causa tremuli euadunt: & quibus ob ægritudinẽ laborauit ipsius corporis robur, his haud sine tremore perficitur motus.

*Tremor est motus compositus.*

Tremor itaq; est cõpositus motus, fitq; ubi corpus propria grauitate deorsum uergit, sed rursus à facultate eleuatᷓ sursum, particulis nimirum ipsis uicissim loca mutantibus.

*Palpitatio à tremore quo differat.*

Differunt autem inuicem palpitatio & tremor, cùm nimirum non eodem loco quo tremuli, palpitatione correpti afficiantur, nec eadẽ causa, nec prȩterea idem sit utriusq; symptoma. Nullus enim tremit utiq;, nisi membrũ aliquod mouere prælegerit. At membra palpitantia, etsi reposita iaceant, nulloq; exagitentur motu, palpitant: id quod mirum esse non debet.

*Moueri multa quæ prorsus immota videntur: vt auis quæ sese in sublimi aeris regione sustinet.*

Alia siquidem multa, licet immobilia uideantur esse, utpote in eodem permanentia loco, mouentur nihilominus tamen. Auis quippe in sublimi regione aëris suspensa, dum sese, quo minus ruat, sustinet, aliquo uti motu uidetᷓ. Is igitur motus (quæ immobilitas fortasse tibi apparuerit) ex duobus certis motibus, qui in contraria loca diducere corpus queunt, est mistus. Quorũ sanè si alterũ,

nempe motum sursum, sustuleris, à reliquo deorsum deduci corpus minimo negocio uidebis. Ob id etiam stare quàm incedere, ijs qui uiribus sunt imbecillibus, haud minus est laboriosum:

*Statio est motus*

cùm statio sit quoque motus. Sublata namque anima, quæ & mouet, & corpus erigit: corpus prius rectum, mox stratum facilè uideremus. Quare non immeritò monuit Hippocrates: Si æger seipsum continere non posit, & ex lectica in pedes corruat, grauius est.

*Iacentem in pedes delabi, facultatis extremè laborãtis est signũ*

Nam iacentem ad pedes delabi, facultatis extremè laborantis firmissimum est indicium. Etenim stare, aut sedere, aut surgere non posse, graue certè est, sed eo sanè minus graue. At more uiuentis decumbere non posse, sed ceu demortuũ inanimatumque corpus deorsum irrepere, extremũ est malum.

*Extensam manum habentes, mouentur.*

Quòd autem ubi quis manum extensam aliquandiu in illa figura conseruat, aliquo motu moueatur, argumento sunt utraque genera musculorũ simul & ex æquo tunc operantia. Liquet itaque, ei qui nullo se mouere motu conatur, tremorem minimè accidere posse.

*Palpitatio quibus partibus accidat, & quibus minimè.*

Palpitatio autem, partibus etiam motu carentibus euenit. Etenim supercilium, palpebræque & oculus, sæpenumero, nulla concurrente uoluntate, attolluntur. Præterea in partibus palpitatione affectis, eleuationes depresionesque apparentes, corporum quasi repletorum, moxque euacuatorũ, extensiones & contractiones existunt: in tremoribus autem nec distenditur quicquã, nec etiam contrahitur. Cæterùm non omnia palpitant. Neruum siquidem, aut os, aut cartilaginem, palpitare non uideas, cùm cauitate careant, qua nunc distenta, nunc contracta, attolli cùm distenduntur, cadere cùm cõtrahuntur, suis partibus posint.

*Palpitatio est dilatatio & cõtractio præter naturæ ordinem.*

*Tremor est motus inuoluntarius.*

Est itaque palpitatio, dilatatio quædam atque contractio, præter naturæ ordinem. Tremor uerò, partium quę uicisim sursum deorsumque feruntur, motus inuoluntarius. Vnde perspicuum est, membra quidem tremula priorẽ mutare locũ: palpitantes autem particulas, perpetuò eundem tueri.

*Palpitationis causa.*

At uerò spiritũ crassum & uaporosum in aliqua cauitate collectum, exituque prohibitũ, palpitationũ esse causam pronuncio. Nam quòd palpitatio à spiritu oriatur, celeritas ortus & solutionis illius indicat.

*Constituentia corpus nostrum sunt, cõtinentia, cõtenta, & quæ ferũtur impetu.*

Etenim corpus nostrũ constituunt (ut nos Hippocrates docuit) continentia, & contenta, & quæ feruntur impetu. Continentia siquidem appellauit solida: continent enim, ac liquida claudunt. Contenta autem, liquida: nam liquida solidis cõtinentur. Quæ uerò impetu semperque feruntur, spiritus: namque hi per uniuersas corporis partes facilè permeãt. Erit igitur spiritus quidẽ, sed crassus & uaporosus, palpitationis causa. Nã si ille clarus, tenuis, purusque fuerit, citra ullũ impedimentũ transfluet: ac proinde partes nec replebit, nec euacuabit. Porrò ut solis arterijs inesse palpitationem minimè uerum est (quod profitebatur Praxagoras) sic reperiri posse arteriam non dubito, quæ & palpitationis & cõuulsionis aliquid sæpe ostendat.

*Palpitatio quibus sit familiarior.*

Iam uerò palpitatione facilè corripiunt frigidiores ætate. Ad hæc, natura corporis frigidior, regio frigida, hyems, mollis uiuendi ratio, crapula, & uini usus immoderatus, cibi flatulenti & frigidi, omnia breuiter quæ corpus absolutè refrigerãt, palpitationi sunt generandæ idonea. Sicuti illorum contraria, eandem submouere possunt.

*Calfacientium uires.*

*Refrigerantium facultas.*

Calfaciẽtia quippe attenuant spiritum, corporaque mollia simul & rara efficiunt, ut ille expirare posit. Verùm refrigerantia condensant, congregantque, ac corporis meatus arctiores reddunt: insuper crassum, deu fumique, ac turbidum efficiunt spiritum, qui sua crasitie, corporumque ipsum continentiũ densitudine, retinetur, ut minimè exhalare posit.

*Palpitationem quæ soluunt medicamenta.*

Meritò igitur ueteres, ijs contra palpitationẽ sunt usi medicamentis, quæ attenuare & excalfacere possunt: cuiusmodi sunt quæ ex pyrethro, adarce & pipere cõstant. Aquas quoque calidas ex terra prodeuntes, & præcipuè nitrosas, sulphureas, bituminosasque cõmendant. Et aqua marina actu calida, muriaque, marinæ uice utuntur, si mare absit. Porrò castoreum, nõ solùm bibitũ, sed etiam admotum extrinsecus, ad id optimũ est medicamen.

*Palpitatio ex frigore tantũ prouenit.*

*Tremoris causa diuersa.*

Cæterũ palpitationis generatio ex frigido duntaxat prouenit: tremorẽ uerò ob multas & alias causas fieri cõtingit. Nam dispositio hæc, facultatis quæ corpus mouet est imbecillitas: sed causa quæ hanc ipsam imbecillitatẽ inducere potest, specie uariat. Aut enim alimenti defectu, aut exoluto uitali robore, aut uiolenta uehementique refrigeratione uirtutem occupante, aut repletione ipsam instar ponderis aggrauante, admodũ imbecillis ad motũ facultas redditur. Vnde non sicuti palpitantibus, ita & trementibus una duntaxat medicamentorũ species congruit, sed uaria. Ac pro differentia ipsius causæ, oportet per contraria semper medendi rationẽ uariare.

*Trementem mulierem ob purgamenta post partum retenta, secta in malleolo uena curauit Hippoc.*

Etenim mulierẽ quæ post partum nec secundas expellere, nec sanguinẽ expurgare poterat, indeque tremore correpta est, secta in malleolo uena, curauit Hippocrates. Quòd autẽ sanguine exuberante, uenam incidere oporteat, omnibus notũ esse arbitror, cùm sanguis contineatur in uenis.

*Matrice laborãte, uena secãda est in malleolo, aut poplite.*

Quòd uerò laborante matrice, in malleolo aut poplite incidere expediat, id docet cõmercium uenarũ. Siquidem per uenas cõmunicantes semper uacuare est opus. Nam si uenas, quæ particulæ affectæ non consentiunt, pertundas, minimè affectum locum curabis, sed potius sanũ offendes. In animalibus itaque motus uoluntarij opifex fabricatrixque, facultas est, quæ uniuersas animalium partes gubernat. Huius autem instrumenta, nerui & musculi existunt. Igitur motu priuari, aut non pro dignitate moueri contingit membra, uel ob instrumentorũ, uel ob facultatis affectus.

*Palpitatio est organorum uitiũ.*

*Tremor, uirtutis imbecillæ est affectus.*

Palpitationes itaque & conuulsiones, & membrorum resolutiones, instrumentorũ uitia: tremores uerò, uirtutis imbecillæ affectus existunt.

*Tremor non sit sine consilio mouendi partem.*

*Rigor sit inuitis.*

A rigore autem distinguitur tremor, quòd tremor quidem non sine consilio mouendi partem, contingat: quassatio uerò, quæ uehementer rigentibus insidet, adeò uiolenter ualideque concutiat corpora, ut quietem agere minimè queant, uel si quis uiriliter illis resistat.

*Rigor à tremore quo differat.*

Insuper tremor, unius duntaxat particulæ, rigor uniuersi corporis est affectus. Ad hæc, tremere quidem nonnullos, absque ulla refrigeratione sensibili, compertũ est. At rigere, absque hoc ut uideatur corpus refrigeratum, est imposibile. Non tamẽ

refrige-

refrigeratū esse, & uideri, idem esse fatearis. Motus præterea in rigentibus, inuoluotarius omnino est: in trementibus autem, non absq; imperio uoluntatis consistit.

*Rigori quid requiratur.*

Porrò ut motus aliquis dici rigor mereatur, opus est ut cum refrigeratione sensibili, inæqualis inuoluntariusq; totius corporis motus accedat. Quæ sanè quassatio, si in nonnullis accessibus solam superficiem concutiat, nec uniuersum corpus commoueat, is affectus horror uocat̃.

*Horror talis affectus est cutis, qualis totius corporis, rigor.*

Horror itaq; talis duntaxat cutis, qualis uniuersi corporis rigor, affectus est. Cæterū impræsentiarū nō de rigore aut horrore qui sana corpora infestāt, sed de illo qui ægris solet superuenire, disputare consilium est.

*Rigor quid.*

Igitur morbosus rigor secūdum Hippocratis dogma, refrigeratio quędam est dolorifica, cum inæquali totius corporis cōcussione. At uerò rigore affici, innati calidi affectū esse omnibus ferè in cōfesso est. Verumenimuero calidum hoc innatū, minimè gigni motu aut frictione arbitramur, sed corpus omni ex parte conspirabile, confluxileq; esse contendimus:

*Calidū innatū non est animalis generatiõe posterius.*

*Natura & anima nihil aliud quàm calidum esse.*

calidum autẽ ipsum non aduentitiū, nec animalis generatione posterius, sed primariū, primordiale, insitumq; putamus. Natura itaq;, animaq;, nihil aliud quàm calidum est. Quocirca si hoc spontè semperq; mobile esse cognoueris, errare minimè poteris. Qua igitur ratione is calor semper existit mobilis, ea nimirum nec iotus solū, nec foras mouetur, sed alter ipsius motus succedit alteri: citò enim immobilem ipsum redderet intus statio: foris autẽ, quies eum dissiparet. Nam calidū moderatè extinctū, rursusq; moderatè accensum (ut ait Heraclitus) semper mobile remanet. Accenditur igitur, ubi appetens nutrimentū uersus centrū inclinat. Extinguitur autem, ubi foras & undequaq; dispergitur.

*Calidum innatū quomodo intrò & foras moueatur.*

*Calidum innatum esse mistū, atq; ex calore et frigore suum ortum habere.*

Ac mouetur quidem ipsum innatû calidū à suo principio foras, caliditatis ratione: intrò uerò, atq; ad propriū principium illabitur, quia etiam frigiditatis est particeps. Hoc siquidem calidum, & mistum est, & ex calore frigoreq; ortū habet. At prima quidem calidi ratio spontaneā suipsius mobilitatem includit, hacq; ad operandum maximè eget. Nihilominus tamen magnū quoq; à frigore adiumentum accipit. Nam cùm innatum calidum & eleuare in altum, & secum alimentum rapere natum sit, certè si frigus latioem calidi non coërceret, penitus euanesceret, atq; dissiparetur.

*Animal quando & valere, & ægrotare dicatur.*

Porrò animal tunc sanum existimatur, ubi temperamentū, naturæ ipsius limites non excedit: hoc est, cùm calor frigusq; temperatura mediocri mutuò inter se miscentur. Si uerò altera qualitas immodicè alteram superet, tunc animal laborare morbo, qui congruens sit naturæ causæ superantis, necesse est.

*Affectus calidi.*

Etenim *inflammationes, erysipelata, ulceraq; serpētia, nec nō carbones, omoesq; tum impense calidi, tum febriles affectus, dum uis calidi dominatur, utique fiūt.

*Affectus frigidi.*

At cōuulsiones & tetani, palpitationes, stupores, resolutiones, morbi comitiales, atq; ij affectus qui homines attonitos redduot, facultate frigoris dominante oriuntur: inter quas affectiones rigor enumerat̃, qui refrigeratio simpliciter non est, sed tantū secundum sensum.

*Rigor est secundum sensum refrigeratio.*

Fuerit itaq; rigor innati calidi, uehemens, confertimq; affligens, ac uiolenta secuodum sensum refrigeratio.

*Iucundum quid.*

*Dolorificū quid.*

Iam uerò quemadmodū quod in naturā haud latenter reuertitur, est iucundum: ita quod à natura pari modo recedit, dolorificum fuerit. Quare unum idemq; frigus, aliàs quidem delectasse, aliàs uerò tristitia affecisse credimus. Nam si frigus corpori extra modum calfacto, admotum fuerit, id prorsus delectat. At si corpus suā naturā retinens, confertim abundeq; refrigeret̃, dolebit utiq; & tristitia afficietur. Igitur nec dum alimenti defectu inoatū calidum obscurat̃, nec dum pabuli copia obruitur, nec dum ob imbecillitatem collabitur, rigorem fieri contingit: sed quoties ipsum ualidum existens, intenditur, ac dein coërcetur, reprimiturq;: quod solet flamma ubi cōsertim aqua illi instillatur.

*Rigor quando oboriatur.*

Calor itaq; per rigores, nec substantia nec robore læsus, ad uniuersas corporis partes extendi ferriq; properat: impeditus autẽ, uersus principium propriè consurgit, inibiq; permanere non ualens (substantię enim semper mobili quies mors est) seipsumq; congregans, ac ueluti in spirā contrahens, æqualiter quidem, nō amplius tamen citra uiolentiā, extenditur.

*Mobili substantiæ quies mors est.*

Vbi uerò exiliens infestantibus reluctantibusq; rebus occurrit, ac nunc pellit illas, nunc pellitur, idq; impulsibus & conflictibus uarijs, tunc sanè corpus mira quassatione ob duplicem illum atq; inæqualem motū, haud citra dolorem concutit̃, quandiu molestantia adfuerint. Concussio igitur, quassatioq;, necnon omnium membrorū fremitus, omnisq; irregularis, inordinatus, inuoluntariusq; motus, ob caloris innati, factiq; iam uaporosi, inæquales, ualidos, uiolentosq; occursus atq; resultationes, rigoris tempore perficiunt̃.

*Incalescit corpus à rigore vehemẽtius quàm antea, tribus de causis.*

Quãobrem corpus in rigorib. rursus incalescit exactius, q̃ cùm naturaliter se ipsum habebat. Sudores quoq; effundunt̃ è corpore. Etenim ubi post multos conflictus molestantia fuerint explosa, exacteq; iam perspirauerit corpus, tribus de causis id calfieri est necesse: nempe quòd calidū undiq; spiratiooe priuatū, in profundo collectū fuerit: quodq; postea uehementer ad exteriora se extenderit: ac tertiò denique, quòd per occursus illos, cōflictus, atq; uiolentos motus, natura calor reaccendit̃. Itaq; sępe in huiusmodi reditu de profundo calidū quasi ebulliens, cōsertim humidū quoddam effundit, quod sudorẽ uocamus.

*Rigentes non recalfieri, prauum indicium est.*

Ob idq; in rigore refrigerari, nec rursus calfieri, prauū est, calidumq; succubuisse portendit. Est autẽ rigor indiciū maximum exquisitæ tertianæ, quæ ab ingenti oritur ardore: eatenusq; ab ardente continna deficit, quatenus in ea incendiū ipsum facit intermissionem.

*Tertiana quomodo ab ardente continna differat.*

Nam & sitis inexpugnabilis, & refrigerationis cupiditas, & bilis syncerae uomitus, uomituq; peracto quies (qoæ omnia signa sunt caloris exuberantis) comitant̃ exquisitā tertianā.

*Rigor solet febres ardentes soluere.*

Febribus etiā ex ingenti ardore cōtinuis, solet rigor superuenire, easq; soluere.

*Acria vlceri admota, rigorẽ inferunt.*

Præterea acre calidumq; medicamentū ulceri admotū, primò dolorem, mox horrorem, ac demum rigorem inducit.

*Rigor accidit inflammationi in abscessum conuersæ.*

Inflammationi eriam in abscessum conuersæ, rigorem horroremq; necessariò accidere nouimus.

*Formidabilia inducunt horrorem, rigoremq;.*

Ad hæc, res auditu uisuq; formidabilis, interdum horrorem, rigoremq; inducit. Ex qui-

*Rigoris causa.*

lius utiq; liquet, non frigori duntaxat rigorē tribuendum esse, cùm ab alijs causis, & præcipuè ali acri & calido humore delato per sensibilia corpora, interdum proficiscatur. Cæterū neq; frigidum humorē, neq; acrem, ad rigoris generationem simpliciter excellere, sed propriū modū ipsorū utriq; necessariò inesse oporter. Modus autem fuerit aut copiæ mensura, aut humoris qualitas, aut aliquis corporis locus, in quo illum aggregari conueniat. In quiete quoq;, motu'q;, atque ipsius motionis modo, haud parua differentia oboritur.

*Rigor fit ubi flaua bilis fertur per membra sensibilia.*
*Ardentes febres quomodo à tertianis differant.*

Vbi igitur flaua bilis non per uasa, sed per carnes mouetur, manifestè gignit rigor. Hoc nanq; solo febres ex ingenti ardore à tertianis differūt, quòd illæ quidem in uasis bilem cōtineant: hæc autem, extra uasa diffusam per sensibilia corpora. Per quæ quidem dum bilis fertur, acredine sua tristinā inferens, dolorē excitat.

*Frigere extrema per accessiones unde accidat.*

In hoc autē duo quædam eueniunt, nempe ut sanguis cōtrahatur in profunditatem corporis, ob id'q; exteriores partes refrigerentur: & ut illæ eædem corporis partes quæ à bile punguntur, impellant ipsam facultate expultrice, donec ab omnibus profligata partibus, per sudorem ant uomitum, aut deiectionē exterminetur. Hoc etiam ijs qui nnn* concoxerunt, aut malis succis repleti sunt, aut in sole æstiuo, uel balneo diu sunt immorati, aut seipsos exercuerūt, conningit. Horū nanq; aliqui horrore confestim, ac dein rigore correpti sunt.

*Rigor fit à causa non quiescente, sed mota.*

Verùm non solùm mordax causa, sed uehementer mota, si rigor fieri debeat, desideratur. Atq; hoc sanè tam frigidæ quàm calidæ causæ est cōmune, quòd utraq; corpus cum dolore cōmoueāt.* Idcirco per quartanas atq; tertianas febres, q̃uis à contrarijs oriantur humoribus, rigor tamen inuadit. Etenim ut atra bilis est frigida, sic flaua calida existit.

*Pituita uitrea inducit interdū rigorem.*

Cæterùm nō solùm ex atra aut flaua bile, sed ex pituita ultra modum frigida (quam uitream appellauit Praxagoras) rigor fieri consueuit: id'q; in mulieribus magis, & quæ in ocio uitam traducūt: qui rigor tamen uehemens non est, & quiescentibus, nullo'q; modo motis corporibus, ipse etiā conquiescit.

*Rigentium ex frigido humore, curatio.*

Iis autem qui simili affectu correpti sunt, in principio quidem medicamentū diatrion pepereon propino: subinde uerò nostrū ex calamintha: deinde'q; ex succo Cyrenaico, castoreo'q; cōpositum, quod quartanæ exacerbationibus maximè confert, præsertim quando ingentis rigoris impetu ægri afficiuntur.

*Quartanis ex acerbationibus medicamen ex succo Cyrenaico & castoreo auxiliatur.*

Porrò qui quartanis correpti sunt febribus, usq; ad ossa sibi penetrare rigorē affirmant: & talem, qualis per immensa frigora, dum iter facerent, eis accidebat.

*Tertianus rigor qualis.*

In rigore autem qui tertianas, pari'q; modo ab ingenti ardore ortas comitatur, quasi ab acutis tenuibus'q; acubus se perpungi fatentur.

*Motus uoluntarij à musculis fiunt.*

Nunc uerò de conuulsione nōnihil dicamus. Voluntarij omnes motus, per musculos absoluuntur. Vbi igitur musculi in propria retrahuntur capita, ad ea singulæ partes, quibus natura infixi sunt, retrahuntur, cōuelluntur'q;.

*Conuulsio quid.*

Verū si passio aliqua suboriatur, quæ in tensionē ipsos adducat, hanc sequitur motus similis quidem naturali, inuoluntarius tamen: atq; hæc passio cōuulsio appellat. Nam tendi cōtrahi'q; musculū in propriū principium, secum'q; illam corporis partem, cui est insertus, reuellere, bene ualentibus conuulsis'q; cōmune profectò est. At si inuitò id agatur, præter naturæ ordinē dispositis, minime'q; sanis cōtingit.

*Tensio neruorū interdum ab humectantibus, interdū à siccantibus causis oritur.*

Tenduntur autem nerui, perinde ac cithararum chordæ, interdum quidem plurimo humore imbuti, interdum à causis exiccantibus arefacti. Euenire etiam potest, aliquam corporis partem aut ob inflammationem, aut aliqua alia de causa, uehementer affectam, neruos sibi uicinos unà secum reuellere. Porrò in febribus ab ingenti ardore contractis, conuulsiones accidunt, ob solam siccitatē insignē uniuersi neruosi generis: in phrenitide autem, ob principij neruorum inflammationē.

*Emprosthotonos*
*Opisthotonos.*
*Tetanus.*

Cæterùm cùm corporis partes anterius tenduntur, symptoma dicitur emprosthotonos: cùm uerò posterius, opisthotonos: * at cùm in utrūq; latus ex æquo inclinant, tetanus.

*Conuulsio à siccitate non recipit curationem.*

Igitur conuulsiones à siccitate ortas, minimè curandas susceperis. Nam qui ijs sunt affecti, citissimè intereunt. Quæ uerò uel ab humorum copia, uel ab inflammatione trahunt ortum, ijs, si plenitudinem uacues, aut inflammationi cōmodis remedijs succurras, mederi poteris.

## GALENI PERGAMENI
### de morborum temporibus lib.

*Tempus morborum cōparat uti ætas animaliū.*



Vod in animalibus ætas, idem tempus in morbis significat. Etenim quemadmodū ipsi nos geniti ad uigorē usq; augescimus: inde iam contabescere incipientes, ad extremam usq; corruptionem declinamus, si omnes ætates pertransituri simus: ita singuli morbi à prima ipsorum constitutione ad statum usq; increscunt, donec pro augmēti prioris portione decrescentes, in totū dissoluant.

*Tēpora morborū ab ætate animalium quomodo differant.*

Hoc tamen discrimen interest, quòd animalibus quidem, cùm sint corpora, propriū generationis tempus præscriptū est, quo omnes ad uitam necessariæ partes figurantur, formantur'q;:

*Morborum generationi non esse certū quoddam tempus præscriptum.*

morborū autem, cùm sint accidentia corporū, nullū huiuscemodi tempus est præfinitū, sed à prima statim generatione augescunt. Figurationē itaq; generationem'q;, proprietas corporū postulat: accidentia autem ipsorum, cùm nullam figurationē desiderent, statim ubi genita sunt, ad incrementū festinant. Siquidem phlegmone (exempli gratia) cùm primū inceperit esse, huiuscemodi speciem habere uidet, qualem habebit ubi erit maxima: sola autem magnitudine differt.

*Phlegmones accidentia.*

* Porrò pars phlegmone obsessa, calidior seipsa euadit, cū tremore maiori, item dolore & tensione. Sed hæc parua primo aditu sunt: inde autem ad magnitudinem quandam nō omnibus æqualem increscunt.* Postea uerò aut discutitur remedijs tumor ipse præter naturā, simul'q; illius dolor atq; calor resoluitur, aut certè in pus conuertitur. Tempus itaq; nullū inflammationis generationi singulariter proprium tribuitur, ab eo, quod augmenti est, diuersum.

*Febris quid.*

Febris etiam (qui calor præter naturam est) propriū distinctum'q; generationis tempus nō habet. Sed ubi corpus primū calidius quàm antea febrili calore fieri cœperit, inde aliud atq; aliud tēpus affectionis incrementū excipit, usq; ad per-

*Vigor in singulis rebus, est magnitudo summa.*

ad perfectum uigorem, quem in singulis rebus summã esse magnitudinẽ intelligimus. At uerò principium specie quadam ab incremento post ipsum, diuersum esse demonstrare conabimur.

*Initium morbi.*

Etenim initiũ uniuscuiusq; morbi esse censuerũt ueteres, non primũ illum simplicemq; insultum duntaxat, sed temporis longitudinem latitudinemq; notatu dignam ipsi tribuerunt. Post principium ipsum, collocarunt ascensum: dein, statũ: ab hoc, declinationem.

*Incrementum. Status. Declinatio.*

Ex quibus sanè temporibus circuitus morborũ constant. Ipsorum autẽ circuituum nonnulli describuntur horis uigintiquatuor, quotidianiq; uocantur: alij quadragintaocto, hoc est, duabus diebus & noctibus, uocanturq; tertiani. Alios (quos appellant quartanos) septuaginta duarum horarũ tempus describit.

*Circuitus quotidiani. Circuitus tertiani. Circuitus quartani.*

At hi circuitus omnes, aliquando ad integritatem perueniunt, ut in quotidiana, tertiana, & quartana febri: interdum ad declinationẽ solùm, uel propius ad integritatem, uel longius ab illa, accedent.

*Tertianæ febris descriptio.*

Igitur in auspicijs tertianæ febris (quam exempli gratia propono) horror mediocris oritur. Dein cum maiori horrore extrema omnia refrigeranť. Postea uerò & rigore & frigore concutiuntur plurimæ corporis partes. Quo tempore pulsus durior, minorq; quàm prius, redditur, necnon in contractione uelocior. Præterea quies post contractionẽ ferè maior contingit: post dilatationem, eodem cum illa modo: sæpe priori æqualis, etsi aliquando inæqualis. Atque hæc sanè* in quibusdam tertianis, curriculo duarum horarum æquinoctialiũ solẽt sæpe cõtingere: in alijs autem longiori uel breuiori interuallo. Inde pulsus maior simul & celerior, densiorq; fieri incipiens, sensim singulis cõmemoratis increscit: statimq; ægri calidiores quàm antea redduntur. In summa, inæqualitas quæpiam nõ mediocris in corpore per hoc tempus exuperat. Atque hoc sanè est secundum tempus à primo illo, in quo ex priori statu fuit uniuersum corpus refrigeratum, pulsusq; in contrariam constitutionem mutatus. Vbi uerò febris ad integritatẽ defertur, tũc pulsus ad naturalem statum reuertitur, si qua fides habẽda est sensibus. Primũ itaq; tempus totius periodi est, quo corpus cum prædictis mutationibus pulsus inalserit. Aliud ab hoc secundum est, quod pulsum & calorem in contraria mutat, donec tota corporis moles æquabiliter concalescat. Post hoc tertium, quo calor enamnum augescit, pulsibus magnitudine, celeritate & frequentia ei respondentibus. Quarta constitutio post tres cõmemoratas conspicitur, omnibus iam dictis æqualem sibi magnitudinem pro sensus nostri iudicio seruantib. Ad hæc quinta alia, cùm iam calor manifestò decrescit: halitus autem per cutem excernitur, pulsusq; ad naturalem habitum redit, reijciens omnia, quæ præter naturam in magnitudine, celeritate, frequentia, duritieq; cõquisierat. Hoc tempore plurimis ipsorũ sudor oritur.

*Tertianæ accessionis tẽpora sex describuntur: qualia reperiuntur & in aliarũ intermittentiũ circuitibus.*

Post hoc autem, intermissionis, siue interualli tempus succedit. Igitur primũ tempus integritati cohærens, quod frigoris sensum præbet, principiũ uocetur. Secundum uerò, quod frigus paulatim deponit, tempus inæqualitatis dicatur. Ab hoc tertium, æqualis incrementi. At quartũ post hoc, consistentiæ. Quintum imminutionis. Sextum deniq; integritatis. Quòd igitur sex hæ temporũ differentiæ in tertianarum aliarumq; intermittentiũ febrium circuitibus reperiantur, id sensu uel multitudo imperita iudicat. Nihil tamen obstat & alium quodammodo febris circuitũ in duas, sed maiores partes diuidere: unam, primæ accessionis à primo insultu ad extremam usq; remissionẽ: alterã, quæ in declinationis & insultus secũdæ accessionis medio consistit. Quod igitur ab Hippocrate dictum est, in accessionibus abstinendũ esse, pro accessione intelligendũ existimo tempus à primo insultu, usq; ad ipsam declinationem. Porrò clarioris doctrinæ gratia, omne id quod accessionem sequitur, remissionẽ uocabimus: quãuis in intermittentibus febribus, remissio ipsa ablatio etiam dici meretur. Diuisimus itaq; febres desinentes ad integritatẽ, quotidianam, tertianã, quartanã: quarum singulæ sex distincta sortiunẽ tempora.

*Febrium non intermittentiũ reperiri tempora quinq;.*

At uerò quæ nõ intermittunt integrẽ, in quinq; tantũ soluuntur, ab eis nimirũ sola integritate remota. Quarum sanè nonnullæ quotidie accessionem habent: quædam tertio quoq; die. Quæ uerò quarto habent, non frequenter, sed rarò euenire uidetur, utpote quæ magna ex parte ad integritatem desinant.

*Continuarum febrium se remittentium species. Quartana non intermittens, rarò inuenitur.*

Ad hæc, febrium quotidianarũ, tertianarũ, & quartanarũ, quæ ad integritatẽ nõ desinunt, duplex species est. Quædam nanq; magnitudinem, celeritatem, frequentiam, atq; duritiem pulsus deponunt: quædam autem reliqua tria ad naturalem statum deducunt: at cõseruant celeritatem, hæ magis, illæ minus. Verùm in quibus febribus citra sensibilem systolen, accessionis insultus accidit, tria tempora in unum recidere est necessarium, totumq; id usq; ad statum fieri incrementũ. Nam ubi nõ adfuit conspicua systole, ibi nec inæqualitas adesse potuit. Statum uerò nunq̃ defuisse memini: sed semper sensibili æqualitate in omnibus febribus aliquandiu permansisse. Insultũ etiam millies sine dictis conspexi symptomatis.

*Synochis febrib. nullum circuitũ adesse, ac proinde neq; accessionem.*

Quibus febribus nullus circuitus adest, ut ijs quas synochas nocant: nec accessio quædam omnino est, neq; prædictæ partes. Attamen hæ quoq; secundũ diuersa tempora totius morbi particulas obtinẽt, alijs modis innotescentes, q̃ per accessionũ tempora. Sed nunc tantùm de febrium circuitibus, ijsq; nõ complicatis, sed simplicibus, nobis habetur sermo.

*Mistionem febrium differre à complicatiõe earundem. Semitertiana ex quibus cõstet.*

Aduerte autẽ, aliud esse misceri, aliud inter se complicari. Semitertiana quippe, ex miscella & temperamento quotidianæ & tertianæ febris oritur. Potest tamen ipsi semitertianæ copulari alia simplex febris, uel tertiana, uel quotidiana. At huiusmodi uarietas minimè ad hunc librum pertinet. Cæterũ cognitis singularum febrium temporibus, facilè complicatarũ tempora cognoscemus. Igitur de simplicibus dictũ abundè cùm sit, de cõmistis deinceps disseram: in quibus interdũ horrificus insultus quidã cõtingit, omnes principij peculiares notas habens, præter rigorem: quis interdum & huius quandam imaginẽ repræsentans. Siquidem uehemẽs horror, uel aliquod rigoris initiũ, uel paruus rigor uideri potest. At exactũ rigorẽ, qualis in ter-

*Rigor vehemens non adeſt miſcellaneis febribus.*

tianis quartaniſq; eſt, febris miſcellanea, cuiuſmodi ſemitertiana exiſtit, non recipit. Vbi igitur ſigna quædam ſecũdi temporis, febris hæc præmonſtrarit, initiũ rurſus alterius inuaſionis horrificum efficit, quod nonnulli repetitionẽ appellant. Aliquando hoc ſecundò molitur: quibuſdam tertiò facit. Deinde uix ęquabiliter ſimplex redditur, aduſq; ſtatum increſcens. Hęc febris ad integritatẽ nunq̃ deſinit. Nam permultũ temporis uſq; ad uigorem habet, declinationemq; ſine perſpiratu ſenſibili: tantũ abeſt, ut integrè cum ſudore ſoluatur. Quemadmodũ igitur à primo inſultu acceſsio ad uigorem uſq;, multo tempore peruenit, ſic à uigore paulatim minuiť: ideoq; poſtridie altera acceſsio aduenit, horrifica quidem illa, ſed quæ non item cum priori repetitiones habeat. Porrò hæc acceſsio ad uigorẽ etiam longo tempore aſcendit, nec exiguo inclinat: atque ob hoc ipſum tertio die, eadem quæ primo acceſsio inuadit: poſtea rurſus quarto, ſimilis ei quæ ſecundo habita eſt, idq; perpetuo ordine.

*Semitertiana febris acceſsio nunquam integrè deſinit.*

*Semitertianam febrẽ inualeſcere maxime Romæ.*

Hanc igitur febrem, quæ maximè inualeſcit Romæ, uoco ſemitertianam. Sunt & aliæ differentiæ particulares febrium, multiq; alij circuituum modi, differẽtijs particularibus uariantes, quos ex induſtria omitto, ceu nihil cõferentes ad præſentem cõmentationem. Atq; hactenus de particularibus morborum temporibus.

## GALENI PERGAMENI de totius morbi temporibus liber vnus.

*Totius morbi tẽpora quatuor.*



Otius etiam morbi tempora, ſimiliter ac animantium ætates, conſideramus. Quorum unum quidem & * primum, generationi ipſorum tribuitur, incremento ſecundum, tertium uigori, quartũ deniq; declinationi, ſi ægri ſalui futuri ſint. Nam ſi uel in aſcenſu, uel ſtatu deceſſerint, liquet talem morbum non omnia tempora pertranſijſſe. Ridiculum autem fuerit, primum tempus primæ acceſsionis, totius morbi principium exiſtimare: cùm nimirum principium morbi ad præſidia ferenda, utiles præbeat indicationes. Ad id principium reſpiciens Hippocrates, ait: Incipientibus morbis, ſi quid mouendum uidetur, moue: cõſiſtentibus uerò, præſtat conquieſcere. Præterea nõ minus abſurdum fuerit, morbis qui intra diem ſoluuntur ſeptimum, & ijs qui prorogantur in annum, æquale principium tribuere. Oſtendimus autem primo libro de Criſibus, totius morbi principiũ, ipſius cruditatem exiſtere. Porrò inflammationis principium, totum illud tempus exiſtit, quo ſanguinea ſubſtantia pars affecta repletur. Cùm autem influxus ceſſauerit, & quod in particula continetur, putrefieri inceperit, calor quidam ob putredinem naſcitur, & fuſio magis propter calorem: unde etiam ſpiritus generatur, atq; ob hæc ambo, particula magis quàm antea diſtenditur, etiam ſi nihil influat. Hoc igitur ſecundum tempus, eſt inflammationis augmentũ. At cùm humor in pus iam uertitur, maximi tunc dolores partem ipſam corripiunt. Nam in puris generatione dolores, febriſq; magis quàm prius, infeſtant. Vocatur autem hoc tempus ægritudinis uigor. Quòd ſi humor in pus mutetur, uel digeratur, minorem tumorem atq; tenſionem efficiet: huiuſmodiq; eſt declinationis principium. Sic itaq; in inflammatione tempora diuiduntur: nec ſecus in febri, quæ ab illa trahit ortũ.

*Principium morbi ad præſidia ferenda, utiles præbet indicationes.*

*Principium morbi totius, eſt eius cruditas.*

*Inflammationis quatuor tempora deſcribuntur.*

*Febrium ab humorum putredine ortarum tempora deſcribuntur.*

At quæ ab humore citra inflammationem oritur, moleſtantium humorũ cruditatem prò initio habet. Hi ubi concoqui incipiunt, initium finitur, atq; aſcenſus ſiue incrementum aduentat. Vbi uerò maximè cõcoctio perficitur, uigor adeſt. Quam declinatio è ueſtigio ſequitur, dum ſymptomatum magnitudo, & humorum copia eſt repreſſa: reſtat autem humorũ modicum, adhuc concoctionem deſiderans.

*Vlcerũ tempora.*

Vlcerum quoq; eadem habentur tempora. Primum nanq; ſanies aquoſæ, incoctæ & tenues ab ipſis defluunt. Dein pauciores atq; craſsiores. Poſtea iam pus tenue. Poſtremò minus quidem copia, ſed craſsius, & albidum magis redditur: quemadmodum apparet etiam in pleuritide & lippitudine. Quare nullus morborum ſolutorum exiſtit, qui non hæc quatuor percurrat tempora.

*Tempora morborum nõ aliunde cognoſci, quàm ex cruditatis & concoctionis indicijs.*

Non tamen ex quodam alio quàm cruditatis & concoctionis indicijs, quę ex recrementis deprehenduntur, cognitio ipſorum conſtat. Etenim fluxionum quæ ex cerebro per palatum & nares fiunt, non ſecus quàm lippitudinis, initium quidem eſt, cùm aquei, tenueſq;, necnõ copioſi & acres, qui fluunt humores apparent: nam extremam hæc cruditatem ſignificant. At concoctionem portendit, craſsior & minus acris, modicuſq; humor deſcendens.

*Tẽpora uniuerſa morborum latitudinem momentaneam ſortiuntur.*

Iam uerò quẽadmodũ in ætatibus, nõ ipſum uigorem modò, ſed omnia quatuor tempora latitudinem habere comperimus: ſic etiam particularium acceſsionum, ac totius morbi uniuerſa tempora, latitudinem momentaneam ſortiuntur. Vigor itaq; tum acceſsionis, tum totius morbi, ſenſibili tempore abſoluitur.

*Morbi cuiuſq; generationis propriũ quoddã eſt tempus.*

*Tempora totius morbi quatuor.*

Igitur uniuſcuiuſq; morbi propriũ quoddam tempus generationis exiſtit, interim ſenſui manifeſtum, interim minimè. Poſt quod rurſus augmenti tempus aduenit, *nec id æquè manifeſtum in omnibus.* Poſt hæc uigoris ſequitur tempus, omnino ſenſibile. Quòd ſi ſalus futura ſit, declinationis etiam tempus ſequetur, & hoc ſenſui ſubiectum, cùm nimirum amplam latitudinem habeat.

*Morborum qui non ſoluuntur, natura duplex.*

At uerò morborum qui non ſoluuntur, duplex natura eſt. Nonnulli enim ipſorum præparationem habent, ubi exactè illam abſolutam ſint conſequuti: alij ex eorum natura ſunt, qui ſoluuntur: id quod eis in ęgri perniciem accidit. * Hoc autem contingit tripliciter. Nam aut propter ægrotantium imbecillitatem, uel propter propriam uehementiam, uel propter utranque, prius perimunt, quàm ſoluantur.

*Seruari nemo poteſt. niſi natura ſuperauerit morbũ. nec perire, niſi illã morbus proſtrauerit.*

In uniuerſum autem, nemo ſeruari poteſt, niſi natura ſuperauerit morbum: nec perire, niſi illam morbus proſtrauerit. Igitur morbi ſinguli ex ſua quidẽ natura magnitudinẽ quandam poſsident, quę uel ſupra uires eſt, ut eas opprimat: uel uiribus ęgri imbecillior, ut ab eis ſupereť, omnibus probè eueniẽtibus. Proinde cùm ſupra uires fuerit, homo prorſus morieť. At morbi tempora tunc partim ſimili

simili modo cum prædictis sumunt, partim dissimili. Siquidem initium similiter in morbi generatione constituitur. Ascensus autẽ, haud in concoctionis, sicuti in ijs qui superstites sunt futuri, sed in cruditatis signis, letalibusq; consistit.

*Vrina optima qualis.*

Ergo bene colorata urina, & mediocriter crassa, omnium optima existit, quantũ ad colorẽ & consistentiam pertinet. Conueniet autem præterea, uel eneorema, uel nebulam, uel hypostasin salubrem adesse, utcunq; morbi natura postulauerit.

*Vrina cruda indicia.*

At cruda urina est illa, quæ nec suspensum quicquam, nec subsidens, nec nebulã habet: imò quę nec crassitiem aliquam, nec pallorem assumpsit, sed alba est, & consistentia tenuis, aquæ speciem referens.

*Vrinæ letalis nota.*

Quòd si aut nubecula, aut eneorema, aut hypostasis nigricare uideat, talis urina est letalis: quemadmodũ si quædã similia furfuri, uel lamis, in ea uideantur. Iam uerò si aut fœtida sit, aut pinguitudinẽ oleaceam in se contineat, mortem minatur. Hæc igitur sunt urinæ, magni morbi notæ. Magnũ etiam esse morbum cognosces,

*Sputi pessimi signa.*

si sputum pleuritide & peripneumonia laborantibus, uel nigrum, uel * fuluum uehementer, uel spumans, uel impense fœtidum fuerit: uel nihil omnino expuatur: idq; ingenti dolore, uel spirandi difficultate hominẽ affligente. Respõdent his & alij morbi, qui iecur, uentriculumq; exercent, eodem letalium signorũ genere cõprehensi. Vnde in huiusmodi morbis uigorem similiter cum eo qui salubrium est, determinare nõ licet. Nam illic maximæ accessiones statum definiũt: hic uerò nõ licet maximas accessiones similitee determinare, cùm morbus quidem ipse à principio incoctus persistat: uerũ intellectu maximũ capere oportet. Porrò in inflammatione quę terminatur, puris generatio, uigoris terminus est: in ea uerò quæ nõ finiet, homo etiã in eius ascensu mori potest. Cæterũ uires ualidissimæ usq; ad extremam phlegmones magnitudinẽ sufficere possunt: quę magnitudo extrema, uel in gangrænam, uel in putredinẽ terminatur. Iam uerò uno eodemq; tempore duobus tribúsue morbis homo infestari potest: quorũ alius iam inclinat, alius principij tempus adhuc, uel augmenti primordia occupat: tertius plurimũ auctus est. Deinde hominẽ mori contingit, non propter inclinantem, uel nunc incipientem, sed ob uehementer auctum.

*Principia facultatum nostrum corpus regentiũ, tria.*

Qua de causa, tria facultatũ nostrũ corpus regentium principia, summè considerabis, quonam statu sint prædita. Dico autẽ hæc, cerebrum, cor & hepar. Deinde alias quoq; uniuersas particulas, ex singulis principijs ortas, nempe neruos, uenas, arterias: ad hæc illas, quæ naturã quidem propriã habent, sed ab omnibus principijs reguntur. Nam ex hac speculatione, primùm, siue unus, siue plures, in homine morbi sint, inuenies. Proximũ est, cuiusq; propria tempora ad præsidiorũ inuentionẽ necessaria inspicere. Etenim circa initium & fines, omnia imbecilliora sunt: in uigore fortiora: quæ hæc intercedunt, medio consistunt ordine. Igitur in uigore, quod mitigandi uim possidet, in curatione præpollere debet: in principio & fine, quod uehementiam habet. At media tempora, pro summorum proportione capiantur. Neq; enim quam

*Victus & remedij rationẽ instituas iuxta ipsius morbi tempora.*

quis uictus rationem instituet, inuenire poterit, neq; unq̃ nutrire, sine certa temporũ distinctione. Etenim si uigoris tempori, etiam sine alimenti exhibitione sufficere possit æger, optimũ sanè fuerit, donec morbus inclinet, à cibo abstinere. Si uerò sufficere citra cibum nõ possit, protinus ab initio in quolibet tempore, quod alimentum admittit, alendus est. Atque hoc remissionis est tempus. Voco remissionẽ modò, secundam partem totius circuitus in duo uniuersa diuisi, nempe accessionem & remissionem.

## GALENI PERGAMENI
### de locis affectis lib. I.

*Curatio affectuũ variatur, pro differẽtia affectarum particularum.*



Ro differentia partiũ humani corporis, uariari affectuũ curationem cõtingit. Partes igitur quæ in superficie corporis sitæ sunt, unà cum affectibus quibus uexantur, facilè sensibus deprehenduntur. At quæ in imo corpore delitescunt, exercitatæ cogitationis uirum desiderant, cùm in partium actione & usu, tum uel maximè in arte secandi corpora, quæ nimirum nos docet accuratissimè proprietatem essentiæ uniuscuiusq; partis.

*Ars secandi corpora, docet nos proprietatem essentiæ uniuscuiusq; partis.*

*Essentiæ proprietas.*

* Si igitur inter tussiendum, bronchium aliquod expuatur (est enim id natura cartilagineum) maximo sanè ulcere affligi pulmonem existimemus. Nam tametsi aspera arteria similibus sit ex bronchijs cõpacta, tam grandis tamen exulceratio, sine præmatura morte in illa gigni nõ poterit.

*Magnitudo excretæ substantiæ*

Nec uerò tantũ ex proprietate essentiæ, sed ex magnitudine etiã excrementi reiecti, affectus locus discernitur. vt, si unà cũ tussi excreetur aliqua portio uasis grandiuscula (quod aliquando contigit) tunc certè credendum est illam educi à pulmone. Quãdoquidem uenæ quæ in asperam arteriam disseminant, minutissimę sunt, & capillorũ instar. Similiter si pee dysenteriam tunicam aliquam corpulentiorem aluus aliquando reddiderit, non ab re conijcies ulcere crassiora intestina torqueri.

*Res naturaliter in particulis quibusdam contenta.*

Necnõ ex rebus naturaliter in patticulis quibusdam contentis, creberrimè sedes affecta cognoscitur. vt, si urina per uulnus reddatur, uesicam: sin uerò stercus, intestinorũ aliquod: at si cibus, uentriculum liquet esse conuulneratum. Similiter etiam si uulnerato thorace, spiritus per uulnus effletur, indicat membranam cingentem costas, solutam esse. Præterea sanguis eiectus saliendo, arteriam esse uulneratam denunciat.

*Sanguis arteriarum qualis.*

Qui quidem arteriarum sanguis, eo qui à uenis effluit, calidior, tenuior atq; flauior apparet.

*Res adhærentes.*

Ex adhærentibus etiam rebus, affectæ sedis notæ petuntur, cùm nimirum & ipsæ etiam essentiæ proprietatem obtineant. Huius generis est ramentũ: quod quidem ostendit illius partis ulcus, à qua reijcitur. Nam si id cum lotio excernat, urinæ meatuũ: si tussiendo, spiritalium instrumentorũ: si per uomitum, gulæ aut uentriculi: si cum alui excrementis, intestinorum ulcerationẽ significat.

*Res contenta præter naturã.*

Est præterea & alius dijudicãdi modus sumptus à rebus alicubi cõtentis præter naturã. vt, si in uesica aut renib. cõtineat lapis, in thorace pus: aut deniq; aliquis humor molestus in animalis corpore, illic genitus, uel adueniens extrinsecus. Fingamus igitur

(gratia exempli) aliquē tribus diebus non reddidisse urinā. Ad hęc, euidēs quidā tumor circa pubem emineat, euidentē repletionem uesicę indicans.

*Vrina suppressa quæ sint consideranda.*

In primis eñ cõsiderandū est, num resolutę excretricis potētiæ nomine id accidat, an ob obstructū urinariū meatū: nam utrunq; potest accidere. Prius tamē reuocare in memoriā oportet, musculū qui claudit collū uesicæ, ab actiõe quiescere, dum fungit uesica suo munere.

*Musculus vesicæ collum constringens, agit voluntariè.*

*Vesica non paret volūtatis imperio.*

Cuius quidem musculi actio, paret uoluntatis imperio. At uesica ipsa, utpote naturaliter agens, minimè uoluntati obsecūdat. Inest etenim illi, quēadmodū cæteris ferè omnib. partibus, facultas quædā expultrix, qua utitur, dum cõtristatur ab excremētis. Quæ sanè excernendi uis, si aliquando fuerit affecta, fieri potest ut supprimatur urina.

*Vrinā suppressam ob resolutā vim excernendi quomodo expellere oporteat.*

Proinde si hominē sic figuraueris, ut decliuis sit colli uesicæ positus, ac manibus pubis tumorē presseris, tandem reddetur lotium. Quòd si sic faciendo nihil omnino promoueris, nõ resolutā eam uim, sed urinæ fistulam constipatā esse, suspicari oportet. Quippe musculus ei circundatus, si resoluatur, nõ cohibiti, sed præter uoluntatē emissi lotij, est causa.

*Obstruitur collum vesicæ trifariam.*

Trifariam autē cõtingit obstrui collum uesicæ. Aut enim corpus ipsius in tantū tumorē attollitur, ut meatus inde occupetur: aut aliquid ei præter naturam, ut caruncula uel callus, innascitur: aut deniq; à re quapiā adueniente, meatus ipse obstruitur. Porrò corpus eius ad magnitudinē insignem attollit, si uel inflammatione, uel scirrho, uel abscessu, uel alio quouis tumore fuerit affectum. In meatu caro quidem oritur, si præcesserit ulcus. Obstruitur meatus, uel à lapide, uel grumo, uel pure, uel crasso lentoq; humore: quę omnia distinguere oportet, ex præsentibus præteritisq; accidentibus.

*Lapidis incumbentis collo vesicæ, indicia.*

Sit igitur aliquis puer, qui perpetuò pudendū scalpat. Eius autē urina sit aquæ similis, in qua sabulosa quædam subsideant: dein uerò repentè supprimatur urina: nunquid optima ratione conieceris, huic lapidem incidisse in collum uesicæ? Itaq; supino collocato puero, ut crura reliquo corpore sint sublimiora, multifariā ipsum cõcuties: sic enim feceris, ut lapis à meatu recedat. Quibus peractis, iube ut puer urinā conetur reddere. Quòd si profluxerit, notitiam causæ, ac simul curationis modum te inuenisse, ne dubitaueris. Sin autem nihilominus supprimat urina, tunc demissa ænea fistula, simul lapidem à uesicæ collo repelles, & euocabis urinā. At nulla lapidis nota præcedente retentū lotium, si sanguis simul cum urina profluxerit, argumentū est grumū aliquē extitisse ipsius obstructionis causam. Quanq̃ fieri potest, ut ob ulcus uesicæ, citra sanguinis profusionem, paulatim grumus concrescat. Potest etiā cõtingere, ut sanguis ex renibus per ureteras in uesicam defluens, grumū efficiat.

*Aenea fistula ad quid vtilis.*

Ad hæc igitur omnia, sicuti etiā ubi pus, uel aliquis lentus humor meatū urinæ obstruxit, haud inutilis est ænea fistula immissa.

*Carunculæ collo vesicæ innatæ argumenta.*

Sic etiam ubi ob carūculam ab ulcere innatam, uesicæ ceruicem obstructam esse putamus, & ex præcedentibus ulceris notis, & ex eo quòd immissa ænea fistula urina uacuatur, id intelligere possumus. Quippe demissa fistula, dolorem mouet in ea meatus parte, ubi ulcus esse coniicimus: fractaq; sub fistula carne, sequuntur cum urinæ excretione, & cruor & carnis fragmenta.

*Coniectura artificiosa.*

In omnibus igitur his artificiosa coniectura nobis perq̃ utilis est, ut quæ inter exactam notitiam, & omnimodam ignorantiam, media quodammodo existimet. Cæterū cuiuslibet partis usus, magnificè ad affectorū locorum cognitionē conducit. Etenim actio, motus partium factiuus est: at usus, omnibus inest, uel nihil etiam agentibus.

*Vrinæ excretio à quibus fiat.*

Fit itaq; excretionis urinæ actio, à compressione uesicæ, opitulantibus etiā abdominis musculis, ubi urinam admodum exiguam continet, aut uesica ipsa est infirma. Reliquæ autē partes omnes, ad actionē sunt utiles. Porrò si uesica minimè in tumorē extensa, urina reddi nõ posit, necessum est uel ureteras, uel renes obstructos esse. Quapropter hic rursus intueri oportet, num anteq̃ supprimeretur urina, aut lapidis, aut inflammationis, aut alterius cuiuspiam mali accidentia præcesserint. Neq; interim negligenda est uniuersi corporis dispositio: ut posimus planè discernere, num in ipsis renibus, à lapide, uel crassis humoribus, fuerit obstructio oborta, an in uocatis ureteris.

*Actionē lædi est necesse, instrumento efficiente ipsam quomodolibet læso.*

Cùm igitur singulę actiones corporis, peculiaria sortiantur organa, quibus obeuntur, sanè actionē lædi est necesse, instrumento efficiente ipsam, quomodolibet læso. Verū interdum facilè affectus productus soluitur, ita ut simulatq; opifex causa semota fuerit, prorsus ipse conquiescat. Interdum uerò usqueadeo pertinaciter hæret, ut permaneat diutisimè, etiam ablata causa. Accidit autē nonnunq̃, ut efficiens causa pertransiens, nõ firmum faciat affectum: ueluti cùm suffusioni similia oculi imaginant, collecto in ore uentriculi aliquo tenui excremento, unde uapores sublati ad oculos, similes imagines mouēt, quales per suffusiones cernunt. Oportet siquidem oculos participes fieri eius dispositionis, quæ infestat uentriculum, si uidendo debeant hallucinari.

*Oculis colligantibus quæ sint consideranda.*

Itaque necessum est ordiri semper ab instrumēto actionis oblæsæ. Dein autem inuestigare, quisnam sit ipsius noxæ modus: num uidelicet dispositio ipsa sit permanens, an adhuc in generatione cõsistens, nec nata perseuerare. Quòd si nūc quoq; fiat, utrum causa quæ effectum producit, contineatur in ipsa parte, an per ipsam transeat, inuestigandum. Etenim arefacto immodicè humore, quem crystalloidem uocant, perseuerans erit oblæsio, & essentiæ ipsius proprius affectus. Si uerò crassus humor in pupilla constiterit, essentia quidem nondum * est læsa, uerùm accidentis causa in oculo ipso consistit. Tunc autem per ipsum transire dicitur, cùm euaporans humor in uentriculo continetur. Non autem necesse est ad hoc, ut pars aliqua esse affecta dicat, in essentia ipsius permanentē esse dispositionē. Nam ubi uehemens dolor aliquod intestinum infestat, firmato in una quapiā parte dolore, ut quasi perforari uideatur, quo pacto quis uel nequsq̃ intestinum affici dixerit, uel in eo affectum nõ consistere? quis huiuscemodi dolores interdum excreto quodam humore uitreo, uel temporis momento soluantur.

*Humor vitreus.*

Is igitur humor uitreus, causa illius doloris extitit. Id siquidem quo tangente afficimur,

*Causa est id, quo tangente quidē afficimur: ablato autē, affectus sedatur.*

afficimur, & quo separato quiescit affectus, causam esse, omnibus in cōfesso est. At uerò ipse affectus, nonnunq̃ à causa aliqua oritur: sed ita oritur, ut sublata causa effectrice, haudquaq̃ permanentē habeat dispositionē. Interdum autem partim iam factus est, partim etiamnũ fit. Sæpenumero etiam si fieri desinat, utpote ablata causa, perseuerans tamen permanet dispositio. Veluti in dysenteria, cuius affectus, mordax humor existit causa: utpote qui ab initio extergat, abradatq́, ac dein temporis tractu ulceret intestinũ. Quòd si anteaq̃ produxerit ulcus, * perfluere is humor desinat, affectus ipse nōdum dysenteria uocabit. Sin uerò ulcus iam intestinũ exerceat, etiamsi humor finiat, nō ob id finitur affectus.

*Dysenteria causa mordax existit humor.*

Hoc autem summopere uenit considerandũ, omnem morbũ protinus ab initio, ubi primũ corpus ipsum limites temperaturæ, quæ sanitati debetur, excesserit, eandem sibiipsi naturam atque essentiam sortiri, nec differre, nisi magnitudine, à iam absoluto & maximo. Siquidem res similares, cùm nullam figuram naturalem desiderent, protinus ab initio eadem essentia constant. Dissimilares uerò, & quibus uaria est forma, ut domus, essentiam generatione posteriorem habere poterunt. Quum itaque causæ agunt in corpus, ipsa species affectus ab initio est eadem, tamen ob exiguitatē nō planè cernitur: sicuti neq; in saxo cōcauitas, quã unica stilla produxit. Cæterùm id genus affectus exigui, separatis efficiētibus causis, ilicò à natura uincuntur. Illi quippe duntaxat externo egent auxilio, quos ob magnitudinē uincere natura non potest. Igitur ubi primũ mordax humor aliquod intestinũ erroserit, q̃uis id quod iam factum est, nōdum apertè uideat, nihilominus dispositio ipsa sub dysenteriæ specie cōprehenditur.

*Morbus omnis protinus ab initio eandem sibiipsi naturã atq; essentiam sortitur, nec differt nisi magnitudine à iam absoluto & maximo.*

*Morbos exiguos subitò vinci à natura.*

*Dysenteria est ulcus intestinorum.*

Sit autē hoc initiũ uiæ ad inueniendas affectas sedes, nullam actionē lædi, nisi pars quæ illam efficit, afficiatur. Verũ ut affectio & actio diuersæ sunt uoces, ita diuersus quoq; earum est usus. Id siquidem agere dicitur, quod ex seipso motum obtinet. Affici uerò, quod motum habet ab alio. Cùm itaq; duo sint motus genera, alterationis & lationis: ubi ad permanentem dispositionem alteratio peruenerit, fueritq́; dispositio præter naturam, morbus uocatur: q̃uis per abusionem nōnulli eam dispositionem affectum nominent. Distinguenda tamen est interim propria & primaria affectio, ab ea quæ per cōsensum accidit. Vt autē recta propriaq́; nominũ appellatione utar, afficiẽ quidem caput, quando condolescit uentriculo: ægrotat uerò, cùm proprio morbo laborat. Similiter uētriculũ affici quidem dicemus, ubi à uitiosis molestaẽ humoribus: ægrotare uerò, aut per intemperiem propriã, aut cùm inflammationē, uel ulcus, uel abscessum habet præter naturam.

*Actio nulla læditur, nisi pars quæ illam efficit afficiatur.*

*Agere quid dicatur.*

*Affici quid dicatur.*

*Motus genera duo.*

*Morbus quid.*

*Affici quãdo dicatur caput.*

*Aegrotare quando dicatur caput.*

Porrò corruptionis ciborũ tres primæ ac ueluti generalissimæ sunt differentiæ. Vna quidem per proprios uentriculi morbos, altera à uitiosis humoribus in ipso collectis, tertia ab alimentorũ qualitate inducitur. Licet itaq; uitiosam ædi coctionem, uentriculo nō primaria, sed secundaria ratione affecto, minimeq́; circa actionē propriam hallucinante: quemadmodum ubi uitiosi cibi & corruptioni obnoxij ingerunẽ.

*Corruptionis ciborum tres differentiæ.*

Si igitur quispiã fumosum ructum emittat, igneo quodam calore uentriculũ eius esse dicemus præditũ. Ac dein de rursus distinguendo inuestigabimus, utrũ ab intemperie corporis ipsius uentriculi, is calor oriatur: aut à flaua bile, eaq́; uel in ipsius spacio cōtenta, aut in tunicas ita, ut uix abstergi possit, demissa. At ne hîc quidē cessabimus. Nam rursus quærere oportet, an iecinore malè suo officio fungente, huiusmodi humor accumuleẽ: an is ex uniuerso defluat corpore: an etiã in ipsomet gignatur uentriculo.

*Ructus fumosus significat igneũ calorem uentriculi.*

Ergo si in uentriculo cibi in fumosam qualitatem mutentur, idq́; non ex sua ipsorũ natura, causam calidã: si uerò acescãt, eam frigidam esse est necesse. Vt discernas autē, num intemperies aliqua, an uitiosus quispiam humor uentriculi corpus infestet, offerre oportet cibos qui suapte natura q̃maximè corruptionis modo aduersentur: ut panē aut chondrum illis, qui in fumũ transmutare cibum consueuerũt: mel autē his, qui à cibo acidum saporem percipiũt. Dein considerare excrementa, tum ea quæ uomũtur, tum quæ deijciuntur per aluum: num humor aliquis cum illis quidē biliosus & calidus, cum his uerò pituitosus ac frigidus excernatur: an nullo uacuato humore, ipsa exiguam quandam mutationem obtineãt. Quippe ubi* citra humoris affluxum igneo calore uentriculus infestatur, panem aut chondrũ absq; humore uidebis deijci, perq̃ exigua in ipsis facta trãsmutatiōe. * Quòd si humor quoq; prauus in ipso uentre cōsistens corrumpat cibos, uidētur ij, ubi deiecti fuerint, in huiusmodi humore submersi, & ab ipsius actione manifestius alterati. Id quod à uomitione etiam clarius discernitur, si laborans sit procliuis ad uomitũ.

*Acescere in uentriculo cibos, ob causam frigidã.*

*Ructu adito fumoso vel acido, quid agendum, considerandum ue, ad utrunsq; causam peruestigandam.*

Nam cogere eum qui nequeat uomere, absurdũ est. Atq; hæc ita deprehenduntur, si in spacio uentriculi noxius contineaẽ humor. Si uerò in tunicis sit imbibitus, ut ad calidum nausea quædam inanis (hoc est, citra uomitum) sitisq́; uehemens consequiẽ, ita à frigido ciborum cupiditas excitatur. Porrò calida dispositio, ubicunq; fuerit, semper refrigeranda est. At quousq;, aut quo modo, aut qua materia refrigerare conueniat, locus affectus cōmonstrat. Iam uerò ijs qui acidũ ructũ ædunt, auxiliaẽ medicamen diatrion pepereon, aut aliud simile ex aqua uel uino epotũ. Alijs autē qui nidorosum, tum absynthiũ, tum hiera picra est ex usu. Quo quidem medicamine (hiera uidelicet, quæ ex aloë cōstat) in potu exhibito, quosdam olim colicos persanaui, quibus mordaciũ humorũ defluxus in intestinũ, conciliauerat affectionē.

*Vomere nemo cogendus est, nisi sit ad uomendũ procliuis.*

*Nausea inanis indicat calidũ succum imbibitum uentriculi tunicis.*

*Cupiditas cibi unde excitetur.*

*Locus affectus quid indicet.*

*Diatrion pepereon ructus acido confert.*

*Hiera picra quibus conducat affectibus.*

Cæterũ intestinorũ proximæ uentriculo partes, exhibitis tum cibis, tum potibus: quæ uerò nō ita multũ à sede distant, clysmis promptius curantur. Fingamus rursus per uentrē deijci excrementa quædam, aliquãdo quidē ramenta, aliquando cruentum aliquid, simulq́; aliquãdo hæc ambo: tunc sanè intestinũ ulcere affectum esse, dubitauerit nemo. At uerò utrum in exilibus intestinis, an crassis, ipsum ulcus consistat, id ex rasura, & exitus tempore, & ex mistione cum stercore, distinguere oportet. Siquidem infimarũ partiũ ulcera, nullas omnino ulcerum habent notas alui excre

*Intestina suprema cibo & potu, infima propius clysmis curari.*

*Vlcus obsideat ne tenuia intestina, an crassa, quomodo dignoscendum.*

mentis admistas: earum uerò partium, quæ paulò altius sunt sitæ, ulcera, mistas quidē cum stercore notas habent, sed id leuiter duntaxat. Quēadmodum si multò sint sublimiores, uehementior erit mistura. Præcipuè uerò in supremis intestinis ulceris notæ stercori accuratè miscent. Potest ex uno quandoq; indicio simul & locus & dispositio deprehēdi, aut locus unà cum causa.

*Locorum notæ unde sumantur.*

Cæterùm locorū notæ, & ab actione læsa, & excrementis, & positu, & doloris proprietate, & proprijs accidentibus desumunt. Affectuū uerò, & ab excrementorū specie, & loci natura, & doloris proprietate, & proprijs accidentib.

*Actio læsa partē affectā indicat.*

Actio itaque læsa, affectam partē indicare potest, hoc modo. Si enim accidens aliquod circa cernendi officium euenerit, oculū affici cōstat.

*Excrementorū species partē affectam indicat.*

Excrementorū species partē affectā indicat, uel quòd sint ex essentia illius, uel quòd ab ea contineant.

*Positus indicat partem læsam.*

Positus etiā affectā partē cōmonstrat. Durus quippe in dextra pręcordiorū parte tumor, nō lienis, sed iecoris affecti est nota: in sinistra autē, nō hepatis, sed splenis affectū indicat. Ad hęc, si membranosæ tunicę frustulū uomendo fuerit reiectum, aut gulæ, aut uentriculi: si tussiendo, gutturis, aut asperæ arteriæ: si excreando, faucium: si cum urina, eius fistulæ: si à sede, alicuius intestinorum: si per mulieris pudenda, uteri affectū portendit.

*Doloris singuli affectā possunt partē ostendere.*

Singuli etiā dolores, pro positus uarietate, possunt affectam sedem ostendere. Nam si apparentibus per uomitū ulceris notis, in anterioribus partibus circa præcordia sentiatur dolor, uentriculum: si uerò in posterioribus circa dorsum, gulam exulceratam esse est indiciū.

*Accidentia propria indicant locum affectum.*

Ex proprijs accidentibus etiam innotescit affectus locus. Nam ore uentriculi affecto, fastidium infestat. Per hepatis uerò imbecillitatē, excrementa alui, aquæ in qua carnes nuper mactatæ ablutæ fuerūt, assimilantur.

*Peripneumonicis uidentur maxillæ rubeæ.*

At in peripneumonicis, maxillæ uidentur rubeæ.

*Affectuum notæ unde deprehendantur.*

Quinetiam propriæ ipsorū affectuū notæ, in excremētis deprehenduntur: siquidem ramentū, ulceris: si in urina sabulosum residet, lapidis: cucurbitæ uerò seminibus excrementa similia, latorū uermiū indicia sunt. A locis etiam ipsis, morborū indicia sumuntur, eò quòd quibusdam solis morbus ille accidat, quibusdam uerò solis nunq̄ eueniat. Quippe soli oculi suffusione laborant.

*Lapis in quibus gignatur partibus.*

Lapis in uesica & renibus duntaxat nascitur: atq; ut nonnullis placet, etiam in colo. Lumbrici in intestinis gignunt.

*Abscessum cor sustinere non potest.*

*Dolorē nec pulmo nec ligamentum patitur.*

Rursus impossibile est, ut cor abscessum sustineat: aut pulmo, aut ligamenta, dolorē. Ab accidentiū quoq; proprietate affectuum indicia oriuntur. Nam quibusdam per tabificos morbos, ungues adunci euadunt.

*Horror intempestiuus cum febre suppurationē inflammationis indicat.*

Intempestiuus horror cum febre, inflāmationis ad suppurationē transeuntis indicium est. Lingua nigricans ardentē febrem portendit. Paucæ tamen affectuū sunt notæ, quæ nō simul affectam sedem ostendant. Cæterū ut actionum noxæ affectā duntaxat particulā, sic differētię earum, ipsius affectū declarant.

*Affectuum propria signa quæ sint.*

Ea igitur sola sunt affectuū propria signa, quę per accidens ipsos sequuntur.

*Affici per cōsensum quando dicatur cerebrum.*

Porrò cùm ob uapores uel etiā humores ipsos ascendentes ad cerebrū, mens læditur, nemo sanè dixerit cerebrum tunc laborare primogenio affectu: quanq̄ omni affectu carere, ipsum haudquaq̄ defendi potest. Quare dicendum est, illud per cōsensum, siue cōsortij lege affici: hoc est, ab altera parte talem affectionē recipere. Sunt præterea nōnullæ actiones, quæ idonea indigentes materia, ipsam ab alijs partibus pręparatā accipiūt. Qua de re interdū optima ratione cōtingit, nulla existente in actionis cuiuspiam proprijs instrumentis noxa, actionē ipsam perire, defectu scilicet eius materiæ, ex qua fieri cōsueuit: ueluti in uoce accidit, cuius quidē materia efflatio existit.

*Vocis materia est efflatio, quæ fit cōtracto thorace ab intercostalibus musculis.*

* Hæc autē fit cōtracto thorace ab intercostalibus musculis. His igitur nihil agentibus, animal uocē amittit, & quidē nullo interdū in proprijs uocis particulis apparente affectu.

*Vocis propria instrumenta sunt tres cartilagines quæ constituunt laryngē, ac præterea epiglottis.*

Sunt uerò hæ partes, tres cartilagines à tribus cōmotæ musculis, in quos inserunt nerui demissi à cerebro. Est pręterea in gutture ligula, siue epiglottis, maximè propriū uocis ipsius instrumentū. Etenim cecidit quidam ab alto, ita ut dorsi initiū affligeretur. Is tertio die exiguam admodum uocem emisit. Quarto deinde die omnino obmutuit: resolutaq; simul fuerūt & crura, manibus prorsus illæsis. Sed nec spirationem amisit, nec difficulter spirabat. Nam cùm tota sub ceruice spina esset ei resoluta, accidit thoraci, ut & septum transuersum, & musculi superni, numero quidem sex, mouerent. Quippe nerui ex spinali medulla, quę in ceruice est, in ipsos descendunt. At nerui musculorū intercostaliū, qui efflatum efficiunt, omnes affecti erāt. Vbi igitur sedata fuit spinæ inflammatio, à septimo die uox restituta est iuueni, & crura motionis facultatē, antea interceptā, recuperarūt.

*Affectionis per cōsensum species duæ.*

Huiusmodi ergo noxæ speciem, magis propriè per consensum euenire dixeris, q̄ ubi ab humoribus in uentriculo contentis, exhalantibusq;, caput dolore tentatur. Iam uerò, ut ad crura facultas quædam, sed citra essentiā substantiámue descendere ob phlegmonem prohibita est: sic ad oculos, cum essentia, ubi obstructi fuerint uisorij meatus. Ad guttur autem, q̄uis materia perueniat per illam spinæ dorsi resolutionem, sufficiens tamen ipsius quantitas nequaq̄ accedit. Qui uerò ob intercostaliū musculorū perforationē obmutuit, is totā uocis materiam amisit. Porrò quemadmodum crura resoluuntur ob inflammationē spinæ, ita etiam guttur, uocalibus siue recurrentibus neruis (quos ipse inueni) aut incisis, aut laqueo interceptis.

*Recurrentes neruos inuenit Galenus.*

Atq; idem est modus quo lædunt gutturis musculi, siue recurrētes nerui, siue ij qui iuxta arterias sunt, uitientur.

*Moueri pro uoluntatis imperio nemo potest, sine facultate animali.*

Vtrinq; enim animalis facultas desideratur, sine qua moueri nemo potest pro uoluntatis imperio. Incisis præterea musculis qui epiglottida mouēt, animal etiā euadit mutū. At laqueus collo circundatus nō solū reddit animal mutum, sed etiam suffocat, ipsum respitatione priuando. Aspera autem arteria, si dissecetur, uoci quidem nocet, sed animal non priuat respitatione.

*Angina est inflammatio internarum gutturis partium.*

Angina uerò, cùm sit internarum gutturis partiū inflāmatio, strangulationi proportione respondens, respirationē tollere potest, ipsius meatum obstruendo. Idcirco uocalis instrumenti maximè proprius affectus est.

*Loci affecti notitia qua ratione Galeno ipsā curationem ostenderit.*

Qui autē ex affecti loci notitia ipse curationē inuenerim, ex hoc exēplo perdisces. Occurrit mihi

olim

olim quidam, cui sensus trium digitorū manus, iam triginta diebus perierat, prorsus illæsa motione: nec iuuabatur quicq̃ à medicamentis ipsi maoui admotis. Cùm igitur intellexissem ex illo, cùm proficisceretur Romam, se decidisse à uehiculo, ac initium dorsi tunc sibi cōtusum fuisse, nec multò pòst accidisse digitorū affectū: cōieci inde,* in primo statim exortu nerui post septimam uertebram, partē aliquam ob ictum fuisse inflammatam, eamq; iam induruisse in scirrhū. Quippe neruorū qui à ceruice prodeunt, ultimi pars* humilior, quæ descendit per cubitū, in cutem minorū digitorū disseminatur, ac præterea per mediȷ digiti mediā partem dispergit. Quamobrem illi spinæ parti,* quæ affectæ particulæ principiū in se continebat, congruenti medicamento cùm soccurrissem, digitis suū sensum restitui, cum maxima spectantium omniū admiratione. Quo autem modo sensus digitorū perierit, motu prorsus illæso, iam audies. Sentire enim, ueluti quiddam pati est: moueri autem, ceu quoddam est agere. Quamobrem ut quis moueatur, opus est robore: at ut sentiat, uel minima facultas est satis. Ob idq; necessum est, ut sensu ipso deperdito, simul exoluatur & motus, ubi per unum eundemq; neruom ambæ perficiuntur actiones. Porrò omnis ooluntarius motus, ad musculorū officium pertinet. Quippe nullos neruorū per se, sioe musculo, ullam huiusmodi in animantis particulis actionē efficere posit. Cæterū ad partes mouēdas musculi ipsi aliquando quidem* immediatè perueniunt: aliquando oerò per medios tendones: quales sunt illi qui mouent digitos. Si igitur affici musculorū neruos contingat, digitorum motus peribit: si oerò eos qui ad cutim pertingūt, tangendi sensus corrumpitur. At obi tota resoluūtur membra, cùm uidelicet cōmune principium est læsum, simul & motus & sensus pereunt. Ac tunc locum primariò affectum, ex læsorum neruorum multitudine duntaxat inuenire poteris. Accidit autē interdum, ut dextra tantùm pars ipsius spinæ afficiatur, altera omnino illæsa: aut è contrario, ut illa manente integra, sinistra affectū sustineat: atq; hac ratione nonnunq̃ tota pars sinistra resoluit, dextera illæsa manente: nonnunq̃ cōtra, dextra pars duntaxat & afficitur & resoluitur. Vbi uerò non affecta spina, tantū unus nerui processus est læsus, eas duntaxat partes resolutio occupat, in quas ille neruus est distributus. Itaq; si spina fuerit affecta, aut aliquod neruorū principiū, cōuertēda illuc tota medendi ratio est: alioqui frustra circa resoluta membra occupaberis. Iam oerò ob frigus immoderatū, interdū sedis musculus resolui solet q̃maximè, siue sederit quis super lapidē frigidū, siue in aqua frigida supra modū fuerit uersatus. Quā sanè resolutionē sequit involuntaria excrementorū deiectio. Qui igitur in anatome exercitatus fuerit, accurateq; præcedentia & præsentia accidentia norit, ac sic ad curandorum morborū experientiam methodo & ratione peruenerit, is inueniet & locum affectū, & ipsam dispositionē. Vt aotem affecti musculi, uoluntarias: sic uesica, necnon intestina oblæsa, naturales actiones lædere possunt: eò qood ipsis

*Sentire, est ueluti quiddā pati.*
*Moueri, est ueluti quiddā agere.*
*Sensu amisso, cur motus pereat, vbi per vnū eundemq; neruū vtraq; actio perficitur.*
*Neruum nullū absque musculo posse motum præstare.*
*Spina interdum dextram, interdu sinistrā partem resolui.*
*Medendi rationem esse conuertendam ad affectus originem.*
*Sedis musculum resolui ob frigus immodicum.*

cōtractis excernantur ea quæ cōtinent. Ac differunt certè plurimū naturalia ab animalibus instrumentis: quòd naturalibus quidem, cognata actionis uis insit: animalibus uerò instrumentis à principio, ueluti lumē à sole, ipsa defluat. Quāobrem solis partibus quæ & sentiendi & mouendi uim habēt, accidit, ut ipsis interdū haudquaq̃ affectis, nihilominus eorum actio exoluatur: id quod naturalibus instrumētis minimè solet accidere. Quoties enim horū actio læditur, semper ipsa primò afficiunt. Cæterū aoimalibus instrumentis omnibus,* naturalis quoq; dispensatio adest, cùm nimirum & arteriarū & uenarū adminiculo indigeāt, ad essentiā propriam seruandā. Proinde alterari à uicinis, ipsis ut naturalibus: alterationem uerò sentire, ut animatis euenit.

*Instrumētis naturalibus cognata actionum uis inest.*
*Instrumētis animalibus, ueluti lumen à sole, à principio facultas defluit.*

## GALENI PERGAMENI de locis affectis lib. II.

### CAPVT I.

TRes sunt exercitationis modi circa affectorum locorū notitiam. Quorum unus circa singulas corporis partes, alter circa causas & dispositiones, tertius circa differentiam accidentium uersatur. Igitur à locis sumitur modus, ubi dicimus: Affecto cerebro huiuscemodi accidentia sequuntur. A dispositionibus & causis somptus, existit talis, ut si dixerimus: Inflammationis seorsum, aut refrigerationis, huiuscemodi sunt accidentia. Ab accidentibus, ut cùm dicimus: Hoc doloris genus hasce dispositiōes, aut hosce locos portendit.

*Exercitationis circa affectorum locorū notitiam, tres modi.*

### CAPVT II.

Hallucinatur autē Archigenes, obi dolorem stupidum neruis tantū euenire ait. Quippe stupor à frigida dispositione oritur, nō neruorum duntaxat, sed etiam uenarū, arteriarum, carnis, membranarū, tunicarū, & cutis. Quòd si ob id quòd hæc omnia per neruos sensum habent, ad neruos illam dispositionem refert, cur non reliquas omnes dolorū differentias, proprias esse neruorū ait? Etenim dolor, tristis est sensus: quēadmodum ipsa uoluptas, blandus. Quòd si rem accuratius inspexeris, haudquaq̃ doloris species dicendus est* stupidus dolor: sicuti neq; species ulceris inflammatū ulcus: sed utrobiq; duarū dispositionū cōcursus adest. Etenim stupor refrigeratio est insignis: idcirco corporibus ita dispositis & sensus & motus difficultatē inducit: quēadmodum cōpleta refrigeratio, & sensum & motum omnino tollit. Quòd autē stupor dispositionis, nō doloris aut sensus sit nomen, Hippocrates docet, ubi ait: Stupor enim mediocris dolorem soluere potest. Porrò cōstrictas uehemēter particulas, atq; eos qui torpedinē animal dum adhuc uiuit, tetigerint, infestare solet etiā stupor. At quibus membrū aliquod stupidum fuerit, ij quicquid tetigerint, obscuro & hebeti sensu percipiont, neq; moueri possunt. Si uerò moueri cogantur, dolent. Cæterū citra hoc quòd mooeri tentēt, affectū ipsum stuporis haud obscurè persentiūt, sed tunc minimè dolent. Stupor itaq; nō particulæ cuiuspiā proprius affectus est, sed dispositio, quæ accidere quidem omnibus potest partibus, ab ijs tamen duntaxat manifestè sentiuntur.

*Archigenis opinio refellitur.*
*Stupor à frigida oritur dispositione.*
*Dolor, tristis est sensus.*
*Voluptas est blādus sensus.*
*Refrigeratio cōpleta sensum & motum tollit.*
*Stupor mediocris, dolorem soluere potest.*
*Stupor quos infestare soleat.*
*Stupor accidere omnibus partibus potest.*

ri, quæ & suos affectus percipere, & moueri pro uoluntatis imperio fuit natæ. Iam uerò ex carne (quæ nusquā sola ac per se reperit) ligamentisq́ & tendonibus per ipsam disseminatis, musculorum essentia cōstat: quæ ut permanere posset, ue nis indigebat, arterijsq́. Verùm citra dolorē pulsare, ad solas arterias pertinet, animali etiamnū rectè ualente. Vbi uerò ingens inflāmatio est ob orta, uel erysipelas, uel abscessus, arteriarū pulsus cum dolore sentitur: cùm per bonam ualetudinē, nec cum dolore, nec sine dolore ipsum discerneremus. Etenim duabus præcipuè occasiotibus uehemens dolor particulis inflāmatis infertur: *nempe cùm mouentur, & cùm à re quapiam premūtur. Proinde inflammato musculo, duplici nomine, ob dilatatas arterias, dolorem percipimus: & quòd moueant illæ, & cōpriman tur ab adiacente carne, atq; ipsam similiter cōpri mant. Quinetiā sine musculo, arteria inflammatoriū affectum sustinens, ipsa per se cum dolore pulsat. Quòd si aliquādo per id genus affectus, stupidus esse pulsus ipsi ægro uideatur, tunc scire licet, dispositionē in musculi neruis ita cōsiste re, ut ad resolutionē tendat. Nam dispositio stuporis, media est inter resolutionē & integrā ualetudinē. Cęterū neq; in peripneumonia, neq; in laterali morbo pulsatilis potest dolor contingere: idq; ob partium naturā. Pulmo siquidem, sen sum nō habet: morbus uerò lateralis, mēbranæ citigentis costas affectus est. *Cuius quidē pars illa quæ costis adhæret, necessariò cōprimitur: *quæ uerò inter costas est collocata, comprimi nequaq́ potest, sed inflammationis duntaxat ratione dolet. Siquidem in eo spacio arteriæ consi stunt, per musculos intercostales dispersæ: idq; al tius, q̃ ut membranā cingentē costas attingant.

*Caro per se repe ritur nunquā.*
*Musculi compositio.*
*Pulsus dolorifi cus quando sentiatur.*
*Dolor inflāmati musculi unde accidat.*
*Stupor est dispositio media inter resolutionem & integram ualetudinem.*
*Pulsatilis dolor nec in peripneumonia, neque in pleuritide oritur.*
*Pulmo caret sensu.*
*Pleuritis quid.*

At inflāmatis interdum intercostalibus musculis, dilatatio arteriaræ dolorem necessariò infert. Proinde æger pro magnitudine inflāmationis, sentiet in parte inflammata ipsum dolorē pulsatilem. Igitur pulsatilis dolor (qui uehementes partiū sensibiliū inflammationes sequitur) arterias ipsas primario affectu molestat: per consensum autē cæteras partes sensibiles, eò quòd à uicinorū contactu premantur. At neq; in hepate, neq; in renibus unquam huiuscemodi pulsatio percipitur: quoniā nullus per totū corpus ipsorum, sicuti nec per pulmonē, neruus disseminat. Quia uerò membrana quæ eorū uiscerū quodlibet ambit, & per quam dispergitur neruus, sensu prædita est: ob id nimirum in ipsis grauitatis sensus percipitur, ubi tumor aliquis præter natu ram illa infestauerit. Etenim membranæ, cutis, adenesq́, cùm his partibus nullæ insint arteriæ, ubi inflammatæ sunt, nō pulsatili, sed extensiuo dolore cruciantur. In uniuersum autē, primæ do loris species sunt duæ: una quidem, dum subitò temperies mutatur: altera, dum cōtinuitas soluitur. Siquidem pars intenta, aut cōpressa, aut con tusa, aut uulnerata, dolet ob continui diuortiū. Cæterùm nō eandem doloris speciem excitant mordax humor & plurimus: ille quippe rodendo, hic uerò tendendo dolorem infert. Quantā autē uim habeat intemperantia ad inducendum dolorem, ex ijs licet planè perpendere, qui uehementer refrigerati, ad ignem manus affatim calfacere tentant. Quippe intolerabilem sentiunt dolorem, præcipueq́ iuxta unguium radices. Similiter enā per dolores uocatos colicos, ubi frigidissimus aliquis humor (qualis ille est quē uitreum Praxagoras nominat) in quopiam intestino crassiori est impactus, adeò torquētur ægri, ut uideantur sibi circa ureterarū regionem terebro perforari: id quod olim mihi etiam cōtigit: cæterū iniecto oleo rutaceo, cùm id paulò pòst conarer excernere, excreui humorem uitro fuso persimilem. Sunt & alij dolores, per quos palus infixus uidet, qui & ipsi corpus affectū crassum esse significāt. Differūt autē inter se, aut multitudine, aut crassitudine, aut rei dolorē faciētis potentia, siue ea humor fuerit, siue spiritus flatulentus. Siquidem paucus plurimo, & tenuis crasso, & permanens moto, ac denique minus refrigerans, eo qui uehementissimā refrigerandi uim obtinet, minorem solet excitare dolorem. Igitur siue clauo transfixus esse, siue terebro perforari locus uideatur, is dolor ad crassum intestinū est referendus. Atqui huiuscemodi dolores, ab eo quo lapis impactus est, discerni nō possunt, nisi quis accidentia quæ postea cōsequunt, expectauerit. Vtriusq; tamen doloris sunt cōmunia præsidia, & quidē calorifica in primis, siue ea extrinsecus adhibeant, siue ea iniiciantur. Deinde, nisi mitigatus dolor fuerit, eorum medicamentorū quæ dolorē obtundere possunt, aliquod adhibendū est: cuiusmodi existit, quod à Philone institutum est.

*Extensiuo dolore quæ afficiantur partes.*
*Doloris species primæ sunt duæ.*
*Intemperies dolores infert.*
*Colicos dolores ortos ab humore uitreo, impacto in aliquo intestino crassiori.*
*Oleum rutaceū colico dolori ē remedium.*
*Dolorem qui humores maiorem, & qui minorem inferant.*
*Crassi intestini dolor, ut dignoscendus.*
*Doloris colici, et eius qui ab impacto lapide oritur, sunt communia præsidia calfacientia.*
*Philonium.*

Verū si lapis dolorē excitauerit, ipse interdum solus, interdū unà cum cruore excernit, in urinisq́ subsident sabulosa quædā. At si in co lo affectus cōstiterit, nihil horū uidetur: sed protinus inflatio quædam & extentio, & flatus com plures, & tormina, & excrementa flatibus plena cernunt. Ea autē licet discernere, si & super aquā natent, & bubulo stercori similentur. Quinetiā cibi tum cupiditas, tum concoctio, deterior euadit, & præsens, & præcedens, & quæ sequet. Ventriculi nanq; malè affici accidit, ut qui parti primariò affectæ cōtinenter adhæreat. Insuper colicos nominatos affectus magna ex parte præcedit cruditas, & spiritus flatulētus, & uomitus, & nausea, quæ multo tempore inanis permanet, & in præcordijs mordacitas, & fastidiū, & indigentia plurima. Igitur id genus dolores uehementissimi, consistere in crassis intestinis putantur. Qui uerò mitiores sunt, ex duobus alterū necessariū est: aut quòd in his ipsis sint, sed à leuiori causa orti: aut quòd in tenuibus intestinis consi stant. Porrò qui mordaces dolores sunt, ij à mor daci humore intestinū erodēte fiūt. Vnde dysenteriam semper huiusmodi dolores præcedūt, ut pote per quā intestina ulcerent. Cæterū dysente ria illa, quæ ueluti fæculentū sanguinē excernit abundantissimè, iecinoris affectū censet esse sym proma. Ea uerò per quā syncerus multusq́ sanguis excernit, plerunq; uniuersum corpus euacuat, haud secus q̃ hæmorrhoides, aut muliebre profluuiū. Vt uerò ad dolorū differentias reuertar, punctorius dolor potissimū circa membranas cōsistit. Quāobrem lateralis dolor, punctorius esse censet. Iam uerò hæmodia, siue dentiū stupor,

*Colici dolores orti à lapide, signa diuersa.*
*Colicos dolores quæ præcedant symptomata.*
*Dysenteriam dolores mordaces præcedunt.*
*Dysenteria hepatica.*
*Dolor punctorius.*
*Hæmodia.*

stupor, solis dentibus & gingiuis accidere solet, ubi quispiam & austeros & acidos cibos ingesserit. Cæterum complura alia doloru genera sunt ab Archigene prodita, sed quæ prorsus intelligi nequeant: qui sane uir, ita omniu affectuu proprietates descripsit, ac si omnes ipse fuisset perpessus: quod non uerisimile est. Preterea ubi ait, hemicraneas sphacelodes circunscribi, hoc est, submoueri à dissectione uasoru, minime declarauit quidna sphacelos esset: de cuius uocis significato uarij uarie opinant. Dein dolore pulsatorium & turgidum inferri ab arterijs cotendit, ubi ipsæ per hemicraneas sphacelodes primogenia affectione laborat. Est aute turgidus dolor, qui à parte primario affecta, ueluti à radice incipiens, celeriter in partes adiacentes transfertur. Id quod no solu in hemicrania, sed in cephalæa etia solet accidere. Sed neq; illud etia est ueru, affectos neruos protinus intorqueri, indurariq;: cùm reperiant nonnulli affectus, per quos laxiores euadunt nerui, quemadmodu per atrophia conspicuum est. In inflammationibus autem & tumoribus præter naturam, manifeste intendun tur nerui. Cæterùm inflammaris partibus, præter tensione accidit ut rubescant, renitantur, intumescant & doleant. Aduerte tamen interim, propriç actionis læsione, esse singularu partium proprium symptoma. Porrò conuulsiones neruorum, Hippocratis testimonio, & à plenitudine, & ab inanitione oriuntur, cùm nimirum nerui per eas dispositiones immodice tedi possint: quemadmodu chordæ in cithara, quæ à contrarijs aëris flatibus, siue humidus fuerit ille, ut rigare ipsas implereq; possit, siue uehementer aridus, ad ultima tensionem perueniunt. Quamobrem citharistæ, ubi instrumenta post usum reponunt, solent chordas ipsas laxare. At quod Archigenes dixit, profundos esse dolores neruorum: id ab accidentibus quæ plurimis neruorum eueniunt, est sumptum. Etenim cùm uenæ quidem semper priores in superficie consistant: deinde post eas arteriæ, quibus tande nerui subdunt: id circo laboràtes tensione in imo sentiut. Quanq multi tendones (quæ corpora sunt neruosa) no profundos, sed in superficie dolores habent, si quando ipsos sic quoq; tendi contigerit: ut sunt illi qui extendunt digitos. Minime aute neruis accidere potest affixus dolor, ut falsò profitetur Archigenes, cùm magna ex parte dolores ipsorum ad infernas supernasq; extendatur partes. Iam uerò membranaru dolores in latitudinem protenduntur: uidenturq; esse æquales, quòd uniuersum illaru corpus æquale existat. Semper tamen ubi intenta particula sensu acutiori est prædita, ibi uehemetior infestat dolor. Ad hæc pleuriticoru nonnulli iugulu dolent, porrecta in huc locum succingente costas membrana. Aliquado ad præcordia descedit dolor, percepto ipsius sensu in septo transuerso, utpote qd necessariò mouetur, cùm pleuritici respirat, idq; magis q cæteræ ipsius thoracis partes. Vbi enim ueluti radix doloris consistit in latere, tum laborates, musculi qui illic sunt, respirare pigritant: ac proinde soli septo transu[...]o respirationis munus cõmittit natura: quemadmodu in bene ualetibus, qui

*Sphacelos.*

*Dolor turgidus.*

*Nerui in quibus laxentur affectibus, & in quib. tendantur.*

*Actionis læsio est affectæ partis symptoma.*

*Conuulsiones oriuntur à plenitudine, et ab inanitione.*

*Citharistæ cur chordas instrumentoru laxent.*

*Nerui subdutur arterijs & venis.*

*Tendones sunt neruosa corpora.*

*Dolor neruoru non est affixus.*

*Membranarum dolores sunt lati æqualesq;.*

*Pleuritide infestante respiratio ipsa perficitur à solo septo transuerso.*

leni, ac minime uiolenta utunt respiratione. Igitur cùm in internis partibus lateris inflammatio aliqua oritur, septum transuersum intentum impensius dolet. Cùm uerò in supernis, tunc iugulum potius dolor infestat. Vbi ingens in hepate inflammatio oritur, aut ubi ipsum est induratu, dolor qui tunc iugulum in dextra parte infestat, causæ uenæ magis, q membranaru tensionem sequitur. Quòd autem membranaru quæ ossibus adiacent, dolores profundi sint, & ueluti dolentium ossiu quanda imagine referant, haud quidem mirandum est. Proprius aute arteriæ uenæq; dolor, extensq; secundum longitudine corporis, ueluti chordæ cuiusdam speciem refert, nullam grauitate inducens. Porrò ulcerosus dolor non solùm ad cutem, sed ad imas quoq; partes, ut ossa, extenditur. Pruriginosus aute ad solam pertinet superficiem: no tamen primariò, pro ratione ipsius propria, sed per accidens, * quòd nimiru cutis omnes sibi subiectas partes spissitudine superet. Horum ergo doloru uterq; propriæ dispositionis est accidens. Fiunt aute ob quosdam humores acres: tantumq; ipsi inter se, quantu dispositiones à quibus oriuntur, dissident. Veru quia crebrò dispositio pruriginosa, ulcerosam antecedit, necnon soluta quiescenteq; ulcerosa in pruriginosam fieri trasmutatio assolet, inde est quòd de ipsis scripserit indistincte atq; confuse Archigenes. Qui quidem ubi etiam ait, * pungente dolorem in profundo esse, perperàm hallucinatur: quandoquidem ad membranas is, non ad imas partes proprie pertinere uidet. Similiter ubi infixum dolorem uocat, cùm sinus accesserit, sermo illius absurditate no caret. Quippe sinus cauitas quædam est, cùm partium antea cõiunctarum, altera distat ab altera. Vbi igitur fluxione impletur, ita ut adiacentes partes tendant, tunc tensiuum dolorem sentiunt laborantes, no quidem longo spacio porrectum, sed proprijs limitibus circunscriptum. Præterea dum ait, hepatis dolore inhærente, hoc est, eodem in loco permanentem, existere, an no etiam ueris cotraria profert? Siquidem hepatis dolor, si quispiam alius, uicina corpora ad consensum perducit. Nam & ad iugulum usq; porrigitur, & spirandi difficultatem creberrime infert: atq; interdu tussim quoque, & dysenteriam excitat: nec raró nothas costas infestat. Porrò inter uehementer respirandu nonnunq grauitate in dextra præcordioru parte sentimus. Cæterùm si id citra febrim eueniat, aut obstructione, aut dura dispositione hepar laborare conijcito. Nam ubi inflammatione infestatur, tunc febrim adesse est necesse.

*Dolor ab inflammato hepate.*

*Dolor membranarum ambientium ossa.*

*Dolor arteriæ et venæ.*

*Dolor ulcerosus & pruriginosus.*

*Cutis superat omnes subditas sibi partes spissitudine.*

*Dolor pungens.*

*Sinus quid.*

*Dolor tensiuus quando accidat.*

*Dolor hepatis vicina corpora in cõsensum adducit.*

*Hepatis inflammationi necessario adest febris.*

CAPVT III.

Igitur ad inueniendas affectas sedes, in primis quærere oportet, an singuloru locoru, quomodocunq; afficiantur, propria signa inueniri possint: an pro affectuu ratione alterent. Deinde, utrum singulorum affectuum propria sint signa: an circa quamlibet partem uarietur. Postea uerò expedit, loci simul & affectus memores, signa ipsa perstringere. Veluti si ita acciderit, ut pulmo inflamatione laboret, tanta spirandi difficultas orietur, tantaq; angustia, ut suffocari laborantes uideant, ac recti sedere conent: quæ affe-

*Pulmonis inflãmati symptoma.*

*Orthopnœa.*

ctum uocāt orthopnœam. Quinetiam calidam sentiunt* expirationē, idq; maximè si erysipelatis particeps ipsa inflāmatio fuerit: quamobrem ubi plurimū efflant, iuuantur, inspirareq; abundanter frigidum aërem desiderant. Sputū uerò ipsum modò hoc, modò alio expuunt colore tinctum. Insuper grauitatis cuiusdā thoraci incumbentis sensum sæpenumero ægri percipiunt, ac dolorem ex imo ad ipsum peruenire, & ad pectus, & ad spinam. Prçterea febris acuta ipsis adest. Pulsum uerò habent, qualem in libro de Pulsibus diximus. Similiter ubi membrana costas succingens est inflammata, acuta febris infestat, simulq; dolor punctorius, unà cum spirandi difficultate. Magna etiam ex parte sputū colore infectū apparet, haud secus q̃ in peripneumonia. Igitur utrunq; affectū, respirandi difficultas necessariò consequit, eò quòd affecta particula spiritus instrumentū existat. Oritur autē febris, & propter affectū ipsum (calidus enim affectus est inflammatio) & propter positū. Nam & pulmo, & succingens costas membrana, prope cor consistunt. Sic etiam tussis ipsis ut spiritalibus conuenit. Sed quòd aliquid expuat, id ab affectu procedit. Quippe iam ostendimus, omnē inflammationem ex affluente sanguine fieri. Quapropter si biliosus sanguis fuerit, flauum aut pallidū erit sputum: si pituitosus, spumans & candidū. Si melancholicus, aut nigrum aut liuidum. Si nihil horum infecerit sanguinē, rubrū. Quinetiā in laterali morbo sæpenumero magis biliosum: in peripneumonia uerò magis pituitosum sequi sputum consueuit. Quòd autem inflammatarū thoracis partiū excrementa, per asperam expurgentur arteriam, in causa certè est, tum positus earū, tum formatio, ut quæ per solam hanc uiam efflu xum sortiantur. At uerò uentriculus duos habet meatus: ac quod in eo uitiosum est, supernatare solet, uomitioneq; ejicitur: quod autē in intestinis subsidet, deiectione uacuat: ueluti renū uesicæq; excremēta, meiendo excernunt. Nam quæ redundant io cerebro, per nares præcipuè, nonnunq̃ per palatum & aures exterminant. Sedes itaq; affectæ dignoscunt & ab accidētibus, & ab actione læsa, & ab excrementorū qualitate, & à tumoribus præter naturam, & à doloribus, & à coloris uitio, quod sequitur, uel in uniuerso corpore, uel in una quapiam parte, uel duabus, idq; maximè in oculis & lingua: quibus addere potes etiam eam affectionē, quç per consensum affligit. Fit autē in hisce omnibus exercitatio, ubi particularia sub eandē uiam & rationē ducunt. In primis igitur intueri oportet, num sit actio aliqua læsa: quippe cum ipsa propriū aliquod instrumentū affici necesse est. Deinde, ubi actionē esse læsam perspexeris, ad modum læsionis accedendo, considera ad quem affectū propriè pertineat. Postea partē affectam expende, num tumore quodam, aut dolore infestetur, & quidem accuratè cuiuslibet horum speciem inuestigando. Fingamus ergo, ut quispiam inter respirandum, in nothiarū costarum regione doleat: non protinus hunc esse pleuriticū suspicari debes, sed in primis quidē, an tussiendo aliquid expuat, cōsiderare. Id enim si coloratū uideris, tunc ægrum

*Pleuritidi quæ adsint symptomata.*

*Inflāmatio omnis ex affluente fit sanguine.*

*Sputi pleuriticorum species diuersæ.*

*Thoracis partes inflammatas ex purgari per asperam arteriam.*

*Cerebri excrementa per quas regiones vacuentur.*

*Sedes affecta unde dignosci possit.*

dices esse pleuriticū. Quòd si tussiendo nihil omnino expuat, fieri potest ut nihilominus pleuriticus sit ille quidem, sed inflammationē habeat incoctam adeò & impactā, ut nihil ab ea foras ejici possit. Fieri quoq; potest, ut ob hepatis inflammationē dolor in iam dicta sede excitetur. Cæterùm ex differentia pulsus, ex deiectionibus, ex tumore præter naturā, ex grauitate & pondere, ac deniq; ex alijs notis, quæ hepatis inflāmationi sæpe solent accidere, iecorariū affectū à pleuritico licebit nobis discernere. Verū in huiusmodi dispositionibus, solidum firmumq; discernendi indiciū, per omne tempus morbi, à pulsu sumendū est: deinde tractu temporis, reliqua etiā consideranda. Nam & linguæ, & uniuersi corporis color alterat, ubi hepar uitiatū est. Sicuti rursus thorace affecto, increscit tussis, atq; sputa cernuntur. Distinguendi tamen sunt interim affectus qui primarij dicuntur, ab ijs qui per consensum affligunt. Nam si in pleuritide uel peripneumonia delirium aliquod incidat, existimandum est principem animæ sedem, in qua & scientia, & opinio, & cogitatio consistit, consentire thoraci, atq; ob eam necessitudinem affici: in alijs autem affectibus, ut in lethargo & phrenitide, minimè consentire, sed laborare affectu primario: undiq; uerò affici, ubi propriarū ipsius functionum aliqua oblæsa fuerit. Proprias enim functiones dico, quç à nulla alia parte ut instrumento, fiunt. Nam reuera & uidere animam, & audire, haudquaq̃ negandum est: sed uidere oculis, & audire auribus. Atqui ut cogitet, reminiscat, existimet, eligat, neq; oculis, nec lingua, nec alia quapiam parte utitur. Verùm quòd* dux sensus & uoluntarij motus sedem habeat in cerebro: quodq; cerebrum contegat menyngibus, alibi à nobis est declaratū. Si igitur per solum consensum cerebro affecto, illa pars quç primitiuo affectu laborat, curata fuerit, priusquā cerebro propria aliqua dispositio eueniat, nullū in ipso accidens relinquet. Quòd si ex cōsensu permanens aliqua in ipso dispositio remaneat, nō solùm parti primariò affectæ, sed capiti quoq; remedia adhibenda sunt. Quapropter exactè definire, utrū cerebrū, an membranæ ipsius primitiuè afficiantur, haud magnam utilitatē afferre potest, cùm in utraq; dispositione capiti succurratur eadem medendi ratione. Præcipuè uerò danda opera est, ut morbi essentiā deprehendamus: qua cognita, facilè nobis licebit per contraria curationem moliri. Itaq; nō tantū affectum locum, sed causam etiam inferentē noxam, cōsiderare oportet. vt, exempli gratia, delirium est eius actionis symptoma, quæ à loco mentis compote prodit: similiter sopor stupidus: sed à contrarijs causis oriuntur. Siquidem & uigiliam, & delirium, causa potestate calida efficit. At quotquot somnolenti soporosiq; affectus existunt, omnes à frigida causa proueniūt: id quod ex medicamentorū natura planè discere licet. Quippe frigida stuporem soporemq;, calida uerò uigilias & uarias motiones inducunt. Tenuis etiam uictus ratio, & uinum meracius, uigilias pariunt, præcipuè si uinum ipsum fuerit suapte natura calidū, aut etiā antiquius ualde. Etenim calida causa motum excitat,

*Iecorarius affectus à pleuritico quomodo discernatur.*

*Hepate affecto alteratur totius corporis color.*

*Affectus primarios ab ijs qui per cōsensum accidunt, distinguendos esse.*

*Animæ princeps sedes quido per se, & quando per cōsensum lædatur.*

*Propriæ functiones cerebri quæ dicantur.*

*Originē motus & sensus consistere in cerebro.*

*Affectuum per consensum curatio.*

*Cerebri & eius membranarum affectibus eadē succurri medenda ratione.*

*Essentia morbi in primis est cognoscenda.*

*Curationem per cōtraria moliendam esse.*

*Delirium & uigiliæ à causa calida oriuntur.*

*Soporosi affectus oriuntur à causa frigida.*

*Vinū meracius inducit uigilias.*

*Calida cur uigilias efficiant.*
*Frigida cur gignant soporem.*
*Affectus proprius quando putandus sit.*
*Affectus per consensum quando dicatur.*
*Accessione febrilis inuadēte, cur ægri corripiātur sopore.*
*Soporis causa.*

citat, ob id'q; uigilias affert: frigus autē ociosum, & ad motiones pigrum reddit animal: qua ratione somnum soporem'q; conciliat. Igitur qui hæc intelligit, cùm per ardentium febrium uigorem, hominem uiderit & uigilare & delirare, deinde inclinante iam febre, & dormire & rectè sapere, in capite nullam propiam esse dispositionē, sed à febris abundanti calore delirium fieri, perpendet. Quippe tunc affectus proprius putandus est, cùm permanere in parte quapiam conspicitur. At ubi pars aliqua simul cum alia sic afficitur, ut irritata quidem una, altera infestetur uehemētius: remissa uerò irritatione, quiescat, eam per consensum affici putandum est. Sic etiam cōtingit, ut cùm febrium accessiones inuadere incipiunt, sopore laborantes grauentur: quòd eo tempore cerebrum sit uehementer refrigeratū, alioqui paratissimū, ut noxam eiusmodi subeat, cùm nimirū frigidiori intemperie sit præditum. Gignitur autem sopor, uel ab intemperie frigida, uel à pituita in cerebro exuperante.

## GALENI PERGAMENI de locis affectis lib. III.

*Remediorū inuētio quæ ex uera demōstratione paratur, in ijs quæ rarò contingūt, longè experiētiæ præstat.*
*Affecta sedes unde deprehendatur.*

IGitur ad cognoscendas affectas sedes, curandos'q; illarum affectus, accurata inquisitione est opus. Cæterùm per artis exercitationem comperi, eam remediorū inuentionem, quæ ex uera demonstratione oritur, in ijs quæ rarò contingunt, experientiæ longè præstare. Nam experimenta duntaxat sectantes medici, non ea quæ rarò, sed quæ crebrò accidunt, memoria & imitatione assequuntur. Quocirca dispositionū rarò euenientium, nō solùm curationem, sed præuenientes etiam notiones ipsarum, negligunt. Ego uerò semper inuestigare studui, quænam sedes uel afficeretur ipsa, uel alteri consentiret. Cum'q; eam inuentam esse arbitrarer, tunc ad dispositionem eius inuestigandam, atq; ex utrisq; totius curatiui generis indicationē sumendam, ac deniq; remediorū qualitatem, quantitatem, idoneam'q; materiam comparandam, me accinxi: haud neglecta interim, ætatis, naturæ, temporis, regionis, aliorum'q; id genus omniū contemplatione. Deprehendi autem possunt affectæ sedes ab excrementis, atq; ab ijs quę affectis partibus adnascuntur, necnon à functionū noxa: quibus connumeratur & color præter naturam, figura'q;. Verū ubi nulla mihi patêret aliàs uia, sola functionis lęsio fuit satis, ad inuentionē affectarum particularum.

### CAPVT II.

*Memoriam exoletam restituturo, quæ sint consideranda.*
*Archigenis inconstantiā demiratur Galenus.*
*Memoria oblæsa à causa frigida & sicca, cucurbitulas admotas non esse ex usu.*
*Cucurbitulæ sine scarificatione adhibitæ, solius excitandi caloris gratia sunt utiles.*
*Animæ facultatū singulis quæ sedes tribuantur.*
*Tityo erosum iecur ab aquila fingunt poetæ.*
*Ratione læsa, sæpe memoriam lædi cōtingit: ut è conuerso.*
*Stultitia quid.*
*Frigida intemperies, animales actiones omnes reddit torpidas.*
*Lactuca soporē gignit.*
*Apophlegmatismi quibus affectibus conferāt.*
*Vigilias qui morbi inferant.*
*Balneæ cur soporiferæ.*
*Vinum modicè sumptum inducit somnum.*
*Pueri cur somnolenti.*
*Senes cur uigiles.*
*Stultitia unde oriatur.*

Cùm autem exoletam cuiusdam memoriam restituere conarer, primùm quidem apud meipsum inuestigaui, quænam pars esset affecta, cui localia adhiberem præsidia, prius uidelicet uniuersi corporis uacuatione præmissa, quod pręceptum est in morbis omnibus obseruandū. Deinde, qua uia & ratione inuenirem singula remediorum. Cæterū affectam sedem eam ipsam existimaui, qua princeps animi uis cōtinetur. Medicamenta autem ea adhibenda esse, quæ huius sedis dispositioni reluctarētur. Cùm igitur huius inquisitionis gratia cōsuluissem epistolam quandam ad Marsum, ab Archigene scriptam, in qua iubet, deprauata memoria, raso capiti affigi cucurbitulas, nō iniuria sanè inconstantiā hominis sum demiratus: quòd nimirum neglecto corde (cui memoriā ipse, ceu opus cognatū tribuit) ad caput remedia trāsferret. Nam quid per immortales deos ex affectorū locorū notitia (quā ipse ad medendi rationē ait maximè necessariam existere) consequemur utilitatis, nisi ab ipsis ad remediorū inuentionē ducamur? Ad hęc, si affectio quæ oblædit memoriam, existat frigida & sicca, nullū usum adferūt cucurbitulæ admotę, siue ex incisa prius cute, siue integra, administrentur. Siquidem detractio sanguinis, quæ fit, ubi scarificata prius cutis fuerit, ad extremū ducit periculum. At citra ullā scarificationē cucurbitulæ adhibitæ, solius excitandi caloris gratia utiles esse censentur: quippe attrahunt ad sese humorē ex imo, id quod magnopere aridæ dispositioni aduersatur. Porrò rationalem animæ uim in cerebro: uirilem, irascibilémue, in corde: appetitoriā deniq; in iecore sitam esse, nemini nō persuasum existimo: id q̊d uel ex uulgariū sermone indies discere licet. Fatuū siquidē aiunt carere cerebro: timido & pusillanimi, cor deesse. Tityo uerò iecur ab aquila erosum, nō solùm poëtæ, uerumetiam pictores, sculptores'q; fingūt. At uerò, quē admodum si ratio lædatur, sæpenumero contingit lædi memoriā: sic si memoria uitietur, ratio ipsa quodāmodo etiam labefactatˀ, utpote actionis utriusq; noxa procedente ab eadem dispositione: quæ ubi uehemētius intendiiˀ, simul cum memoria ratio quoq; omnino deperditur. Ac talis quidem affectio stultitia uocatˀ. Sic in lethargo etiā, in omnibus'q; soporosis affectibus, utræque simul pereūt actiones. Quòd autē affectus hi à frigida intemperie oriantˀ, quæ animales actiones omnino torpidas reddit, sanè id uel ex animalib. ipsis, quæ per frigora latêre coguntˀ, satis liquidò cōstat: necnon ex frigidis tum medicamētis, tum cibis. Lactuca quippe graues inducit somnos, si multam quis ipsius quantitatē ingesserit. Verū & capitis grauitates, quæ sine mordaci infestant dolore, somnū soporem'q; conciliant: quibus apophlegmatismi magnificè opitulari uidentˀ. Igitur ut capitis ardor uigilias, sic refrigeratio inducit soporem. Item biliosi calidi'q; morbi, uigilias, deliria, phrenitides: contrà pituitosi frigidi'q;, ignauiā soporem'q; efficiunt. Nam quod ad uigilias sopores'q; per morbos pertinet, calida frigida'q; intemperies primā sibi facultatem uēdicat: altera uerò ab hac, ad humiditatē ariditatem'q; referˀ. Balneæ siquidē, eò quòd madefaciant caput, soporiferæ sunt. Haud secus uini moderata potio, omnes'q; cibi humectantes. Ex ætatibus etiam, pueritia quidem ob humorē est somnolenta. Senes uerò ob ariditatē, uigilijs uexantur. Omnia igitur hæc argumēto esse possunt, ad animi ignauiam inducendam, humiditatem præter naturā obtinere secundas partes, frigiditatem uerò priores. Cæterū ut humiditas sola, si abundet, longos profundos'q; somnos inducit: ita ariditas sola, uigilias. Quòd si frigus cū humore intendatur uehementer, soporē stuporem'q; constituit: sine hoc uerò memoriæ nocet, stultitiam'q; inducit. Cùm itaque non solùm in

frigiditate humiditateq́, uerumetiã in ariditate & calore, nõ paruũ secundum magis & minus, discrimen sit: nihil mirũ, si multifariæ inueniantur causæ quę animales actiones lædere poßint. Impræsentiarum autem, clarioris doctrinæ gratia, rationalis animæ actiones, principales: irrationalis uerò, morales uocentur. Cùm autem bifariam fieri cõtingat intemperies prædictas, duplex quoq; erit utriusq; dispositionis modus: unus quidem, in humidis siccisq́; humoribus: alter in corporibus solidis, si quando in eandem intemperiẽ cum mollibus, solidæ partes inciderint. Præterea quãuis ipsæ intemperies inter se sint contrariæ, * fit tamen ex ipsis interdum mixtum quoddam temperamentũ: ut in uigilanti sopore, in quo pituitosus biliosusq́; humor exuperãt. Ita in calidi frigidiq́; cõtrarietate, eosdem quoq; modos inuenire licebit, tum per simplices intemperãtias, tum per cõpositas ex ambabus. Quòd si in solidis corporis partibus mixtã ex cõtrarijs dispositionẽ fieri fateamur, tres sic prodibunt in utraq; cõtrarietate intemperies. Igitur huiusmodi affectus omnes capiti aduenire solent, sed inter se differũt, nõ solùm mistionis uarietate, aut eo quòd magis minúsue intendunt, uerumetiã quia interdum afficiunt uentriculi cerebri id genus intemperantijs, interdũ uniuersa eius uasa, aut humiditas dispersa per corpus cerebri. Accedit ad hæc quartus quoq; modus, cùm uidelicet ipsummet corpus cerebri intemperatũ reddit.

*Actiones principales.*
*Actiones morales.*
*Vigilans sopor.*
*Caput quadrupliciter affici.*

CAPVT III.

Quorum igitur uel memoria, uel intellectus perijt (intellectus enim amißio, stultitia est) somnos obseruare oportet. Præterea, utrum excernant quippiam, uel ex naribus, uel ab ore, quod à capite defluat: an aridæ huiusmodi partes sint. Quippe ex ijs dispositionẽ ipsam consequi coniectura poterimus. Vbi igitur uel perijt, uel grauiter læsa est memoria, frigida est omnino intemperies cerebri: quocirca calfacere ipsum oportet. At uerò exiccare, uel humectare, nõ necessarium est: sed si humiditati copuletur, arefacere: si ariditati, madefacere. Cæterùm si inter has medium obtinet, ipsum est conseruandũ. Interdum uerò ubi principales actiones sunt læsæ, febris quoq; accedit: ut in phrenitide & lethargo. Interdum sine febre adest uitium: ut in mania, & melancholia: id quod modò per cõsensum, modò primaria affectione cerebro laborante, accidit. Etenim ubi proprijs accidentibus exprimũtur huiuscemodi uitia, permanentiaq́; sunt, nec alijs præcedentibus superueniunt, primogenia dicũtur esse. Vbi uerò proprijs accidentibus minimè limitant, neq; perpetuò permanent, atq; ad alias affectiones sequunt, per cõsensum ipsa euenire dicimus. Nec interim latêre nos debet, ubi quis lege cõsortij afficitur, fiatq; adhuc affectio, quòd deletis efficiẽtibus eam causis, ipsa quoq; simul deletur. Sin autẽ consentientes partes permanentẽ iam habeant dispositionẽ, quãuis causa efficiens cõquiescat, ipsa tamen permanebit affectio. Quòd autẽ in cerebro cõsistant omnes principaliũ animæ uiriũ affectus, pro confesso habẽt omnes medici, qui studio ueritatis tenent: sicuti & quòd omnes nerui qui uolũtatis imperio audiunt, à cerebro ducant originẽ. Cõuulso siquidem uniuerso corpore, omnes profectò autumant, talem quampiã affici partẽ, quę ut in arbore caudex ramorũ, sic ipsa sit cõmunis omnium neruorũ origo. Si igitur partes omnes quę infra faciẽ sunt sitæ, conuulsæ sint, primas spinalis medullæ partes affectas esse putandũ est, ac proinde illis opitulandũ. Si uerò simul cum uniuerso corpore facies quoq; cõuulsa uideatur, * nõ modò spinalis medullæ exortum, sed etiam cerebrũ ipsum, à quo nerui faciei oriunt, curamus. At uerò si crus tantũ, aut altera manus cõuulsione tentetur, totius membri conuulsio neruorũ, qui ad ipsum feruntur, principiũ affectũ esse declarat. Cæterũ cùm omnis motus à uoluntate profectus, attractis musculis in eas quibus innascunt partes, fieri uideat: nec fieri poßit attractio, nisi ad suam originẽ retrahatur musculus, cõstat cõuulsionẽ in cõuulsis partibus factam, hac sola ratione à motu naturali differre, quòd præter uoluntatẽ fit. Porrò ipsam cõuulsionẽ neruorũ, ob plenitudinẽ uel inanitionẽ fieri, ãuerissimè professus est nobis Hippocrates: id quod uel ex fidiculis instrumentorũ (quæ ob utranq; intemperiem ambientis aëris, humidam nempe & aridã, adeò tenduntur ut disrumpant) liquidò cõstat. Si igitur conuulsio fiat uel à labore, uel uigilijs, uel fame, uel solicitudine, uel arida æstuantiq́; febre, qualẽ est uidere in phreniticis, causam eius ariditatẽ, inanitionemq́;, rectè putaueris. Sin uerò temulento cuipiam, ac omnino pleno homini conuulsio accidat, nõ ab re ipsam à contraria causa iudicabis ortum habuisse. Atqui inanitioni contraria est repletio. Iam comitialis morbus conuulsio est omniũ corporis partium, minimè quidem perpetua (ut in emprosthotono, opisthotono & tetano) sed quæ ex temporũ accidit interuallis. Nec solùm hac re, sed mentis quoq; & memoriæ, ac sensuum oblæsione, à iam dictis conuulsionũ generibus differt. Vnde constat in cerebro hunc affectum consistere. Cęterũ uelox eius discußio, crassum humorem spiritus meatũ in cerebri uentriculis obstruentẽ, hunc maximè affectum peperisse declarat: neruorũ principio seipsum quatiẽte, quò excutiat id quod infestat. Itaq; non ab ariditate, inanitionéue, sed à crasso & uiscido humore, impediente animalem spiritum, quo minus deferatur in corpus, hanc affectionẽ gigni, argumento est, quòd subitò & fiat, & soluatur. Siquidem breui tempore fieri nõ potest, ut uel cerebrum, uel tenuior ipsius membrana, ad tantam ariditatẽ perueniat, ut corio simile quippiam patiatur. In corpore itaq; cerebri, anima suam sedem sortitur: in quo etiam fit tum ipsa ratiocinatio, tum recordatio sensibiliũ imaginum. Primũ autem instrumentũ ipsius animæ, tum in sensibilibus actionibus uniuersis, tum in ijs quæ à consilio & uoluntate proficiscũtur, spiritus est animalis, qui in cerebri uentriculis continetur, sed præcipuè in postremo: quãuis nõ contemnendus sit medius uentriculus, quẽ amplecti multis rationibus cogimur, ut duos anteriores deserere. Satis tamen fuerit ad curationem, nosse sedem affectam esse ipsum cerebrũ: atq; in eius uentriculis humorẽ crassum & uiscidũ cõprehendi,

*Stultitia est intellectus amißio.*
*Memoria exoleta, uel grauiter læsa, causam esse intemperiẽ frigidã cerebri, quæ calefacienda est.*
*Affectus primogenij, siue primarij, qui sint.*
*Affectus per consensum, qui dicantur.*
*Animæ principaliũ facultatũ affectus, consistunt in cerebro.*
*Neruos omnis à cerebro ducit originem.*
*Conuulsio quo differat à naturali motu.*
*Conuulsio fit ob plenitudinẽ uel inanitionem.*
*Epilepsia est conuulsio uniuersi corporis, quæ ex temporum accidit interuallis.*
*Epilepsia consistit in cerebro.*
*Epilepsia unde gignatur.*
*Anima collocatur in ipsius cerebri corpore, in quo & ratiocinatio fit, & memoria.*
*Animæ primum organũ, est animalis spiritus, qui in cerebri uentriculis continetur, sed præcipuè in postremo.*

prehendi, nunc pituitosum, nunc melancholicũ. Pituitosum in pręsentia humorẽ appello, in quo humiditas frigiditasq; : ut melancholicũ, in quo siccitas & frigiditas dominatur. Ac pituitæ quidem unum genus est, quod quotidie uel screando, uel uomendo, uel emungendo educitur, uaporoso spiritu plenũ, ut ne sensu quidem lateat ipsum esse disimilare. Alia uerò pituita, similaris quidem uidet, licet fortasis nõ similaris existat: qualis est tum crudus humor, qui in urinis subsidet: tum is qui à Praxagora uitreus uocat. Ex quo genere uidetur esse & saliua, quæ neque fluida admodum sit, neq; aquosa. Verũ saliua nõ unica duntaxat qualitate gustum solet afficere, nedum uniuersa pituita. Sic atra bilis quoq; ob substantiæ uarietatem nõ obscuras differentias sortitur. Nam alia est ueluti fæx sanguinis, quæ admodum spissa existit, fæcibus uini haud absimilis. Alia uerò, q̃ superior essentiæ est multò tenuioris: atq; uomentibus ipsam & olfacientibus uidetur acida. Hæc etiam attollit in bullas terrã, eamq; radit, atq; fermentat. At illa quam fæci uini similem esse dixi, in terrã effusa nõ inducit feruorem, nisi fortè in ardenti febre ipsam præassari cõtingat: neq; ulla etiam acida qualitate participat: quare iudiciu meo potius melancholicus aut succus aut sanguis, q̃ atra bilis, dicenda est. Igitur ut crassus pituitæ succus, ita hic quoq; comitialem murbũ solet efficere, ubi in meatibus uentriculorũ cerebri retinetur, siue is medius sit, siue postremus. Vbi uerò in ipso cerebri corpore abundat, eam insaniæ speciem, quam Græci uocant melancholiam, inducit. Quemadmodũ alter atræ bilis succus, qui præassata flaua bile nascitur, ferina gignit deliramenta, modò cum febre, modò absque illa, in cerebri corpore abundans. Atq; hanc ob causam phrenitis nonnunq̃ est mitior, ubi à pallida bile ortũ traxit: interdũ uehemẽtior, ubi flaua bilis eam peperit. Deliria autẽ quæ per febriũ uigores accidũt, nõ propria cerebri affectione, sed per cõsensum fiunt. Quãobrem sic delirantes, minimè appellamus phreniticos: quia phreniticorũ insania nũ quiescit mitigato febrium uigore. * Quemadmodũ igitur phreniticorũ febris, unũ quoddã ex symptomatibus dispositionũ cerebri iudicat, sic ardentiũ febriũ symptoma deliriũ est: quod nimirũ fit elatis ad cerebrũ multis uaporibus * calidis. Haud secus gignitur ea affectio, quæ suffusioni est persimilis, à uentriculi dispositionibus ortum trahens. Nanq; uentriculo cerebrũ, cerebroq; uentriculus, suas affectiones trãsmittit, idq; propter neruorũ à cerebro ad os uentriculi descendentium magnitudinẽ: per quos etiã sensus huic particulæ, q̃ ulli reliquarũ corporis partiũ, acutior est. Quocirca fracturas quidem capitis, ubi ad membranas usq; perueniunt, biliosus uomitus: capitis autẽ dolores quomodocunq; fiant, nausea stomachiq; morsus consequitur. Hypochondriacas uerò & flatulentas uocatas affectiones, melanchulica comitaĩ tristitia: haud secus q̃ acutas febres delirium, & * nonnullas oris uentriculi dispositiones, affectio suffusioni persimilis. Sic neruosis partibus inflammatis, promptius q̃ reliquis, deliriũ superuenire solet: idq; ascendente ad caput, interdum per cõtinuas partes solo calore, interdum spiritu uaporoso, uel fumoso, uel fuliginoso.

*Pituitæ differentia.*

*Atra bilis species.*

*Epilepsiam fieri à crassa pituita, vel à melancholico succo retento in meatibus ventriculorũ cerebri.*

*Melancholia unde oriatur.*

*Maniæ causa.*

*Phrenitidis differentia.*

*Phreniticorũ insania quomodo ab ardentiũ febriũ delirio differat.*

*Delirium ardentium febriũ quomodo fiat.*

*Ori ventriculi inesse acutiorem sensum quam reliquis corporis partibus.*

*Consensus atq; necessitudo cerebri cum ventriculo, unde innotescat.*

*Hypochondriacos affectus quæ sequantur.*

CAP. IIII.

Igitur crasi humores qui in cerebri substantia abundant, interdum ei ueluti instrumentali, interdum ut similari nocent. Cùm enim meatus obstruuntur, ut instrumentali: cùm uerò alteratur temperamentũ, ut similari. Proinde rectè ab Hippocrate dictum est: Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiunĩ: & contrà, morbo comitiali laborantes, melancholici euadunt. Atque horum utrumlibet magis accidit, prout uel in hanc, uel in illam partem infirmitas repit. Si enim in corpus, epileptici: si uerò in mentem, melancholici euadunt. Cùm autem non solùm ab atra bile, sed etiam à pituita morbus comitialis oriatur: sciendum est, solum eum qui ab atra bile ducit originem, in melancholiam transire posse. Etenim cùm anima ipsa, aut temperamentum actiuarum sit qualitatũ, aut ab ipsarum temperamento mutetur: bilem ipsam ubi cerebro, ueluti parti instrumentali, nocet, ad cerebri corpus conuerti ait: id quod in obstructionibus fieri constat. Cùm uerò temperamentũ mutando, ei ueluti similari nocet, ad mentem eam repere dicit. Accidit autem cerebro, ut nonnunq̃ uniuerso in uenis sanguine melancholico effecto, ob cõmune uitium, ipsum quoq; lædatur. Nonnunq̃ uerò, totius corporis sanguine prorsus innocuo, solus is qui in cerebro contentus est, alteratur: idq; bifariam fit. Aut enim aliunde in ipsum deriuatur: aut in ipsomet melãcholicus humor genitus est, cùm uidelicet internus calor aut flauam bilem, aut crassum atrumq; sanguinẽ superassauit. Si igitur uniuersum corpus redundet melancholico sanguine, curationem à uenæ sectione auspicari oportet: si uerò cerebrum tantùm, æger tunc (quod ad hanc dispositionẽ pertinet) sanguinis detractione non indiget: quãuis ob aliã causam sanguis detrahi posit. Vtrũ uerò melancholicus sanguis uniuersum corpus, an solum cerebrum occupet, sic discernendum est. In primis uniuersi corporis habitum, qualis nam sit, accuratè consideres uelim: memineris q; , quòd molles, & candidi, & obesi, nequaq̃ humorem melancholicũ posident. Macri uerò, & nigri, & hirsuti, & quibus latæ sunt uenæ, aptisimi sunt, ut huiusmodi in ipsis humor accumuletur. Fitq; interdum, ut * admodum rubicundi, affatim melancholicum temperamentum cõtrahant: atq; post hos etiam flaui, si præcipuè uigilijs, & multis laborib. & solicitudine, & tenui uictu educati fuerint. Cuius generis etiam hæ notæ existunt: si hæmorrhois aliqua sit restricta, aut cõsueta aliqua sanguinis euacuatio: aut usus fuerit æger cibis melancholici succi. Porrò qui sanguinem melancholicum gignunt, hi ferè sunt: caprina bubulaq; caro, magisq; hircinæ & taurinæ: sed maximè asinorũ & camelorum carnes: itemq; uulpinæ & caninæ. Magnũ ad huiusmodi sanguinis generationẽ momentũ adfert etiam * leporis esus, sed multò magis aprorũ. Limaces quoq; sanguinẽ melancholicũ pariunt, si frequens sit eorum usus. Præterea omnium animalium terrestrium carnes sale conditæ: necnõ

*Cerebrũ quando afficiatur ut instrumentum, & quando ut pars similaris.*

*Melancholici magna ex parte epileptici fiũt, & è conuerso.*

*Atra bilis quando in cerebri corpus, & quando in animã repat.*

*Melancholicus sanguis in quib. minimè habeatur, & in quib. omniũ maximè accumuletur.*

*Cibi melancholicum succum gignentes.*

aquatilium carnes, ut thunni, balenæ, uituli marini, delphini, canis, atq; cetaceorū omniū. Ex oleribus autē, brassica ferè sola, gignere sanguinē id genus consueuit: quemadmodum & arborū germina, ubi uel muria, uel oxyhalme condiuntur, præcipuè lentisci, terebinthi, rubi, canirubi. Leguminū uerò omniū maximè lentes inter melancholicos cibos annumerantur: mox furfuraceus panis, & qui ex typha & uitiatis seminibus factus est. Præterea uina crassa, nigraq;, aptissima sunt, ut ex ipsis humor melancholicus fiat. Vetus etiam caseus, si supercalfactus in ipso corpore fuerit, facilè huiusmodi humorē procreat. Sunt etiam nōnulli, qui per febriles morbos cōtraxerunt melancholicū succum. Ad efficaciorē autem notitiam, nō parū confert anni tempus, ac præterita præsensq; ipsius cōstitutio: necnon regio, & laborantis ætas.

*Venā mediam in cubito pertūdendam ijs esse, quo sanguine melancholico abūdant per uniuersum corporis habitum.*

His itaq; omnibus præmeditatis, si existimas in uniuersi corporis uenis contineri sanguinem melancholicū, quò certiorem habeas notitiam, cubiti uenam seca, præcipueq; mediam, quæ cōmunis est, & ei quæ humeralis dicitur, & ei quæ per axillam ad manum fertur. Quòd si tum fluens sanguis nō uideatur melancholicus esse, supprimatur cōfestim. Si uerò talis appareat, uacua quantùm pro laborantis corporis habitu satis esse conieceris. Est præterea tertium melancholiæ genus, morbi comitialis exemplo, ubi ortum à uentriculo suscipit: solentq; medicorum nonnulli hanc dispositionem, hypochondriacū, flatulentumq; morbum uocare.

*Hypochondriaca ac flatulenta melāncholia, quæ à uentriculo oritur, signa.*

Quem sanè (ut Diocles testatur) sumpto cibo concoctu difficili, statim ructus acidus comitatur: cum eoq; flatus & æstus. Ad hęc fluctuatio in præcordijs, non ilicò, sed ubi cibos uenter complexus fuerit. Interdum etiam uentriculi uehementes dolores, qui nōnullis ad dorsum usq; extenduntur. Cæterū ægri cibis concoctis quiescunt: moxq; alijs ingestis, eadem reuertunt̃ symptomata, quæ interdum ieiunos, interdū etiam à cœna affligunt, ita ut ægri uomant cibos crudos, & pituitam subamaram, calidamq;, & adeò nonnunq̃ acidam, ut dentes torpere uideantur. Atq; horū plurima statim ab ineunte ætate eueniunt. Vtcunq; tamen acciderint, omnibus protelantur.

*Hypochondriaca melancholiæ causa.*

Cuius morbi causam, calorē immoderatum uenarum meseraicarū, obstructionemq; earundem, à crasso sanguine ortam, idem Diocles assignat. Videtur autē in ipso uentriculo per huiuscemodi affectus, inflāmatio quædam cōsistere: sanguis autē in parte inflammata contentus, & crassior esse, & atra bili similior. Quo quidem exhalante ad cerebrum, melancholica eueniunt circa mentē symptomata. Frequentissimè etiam uidemus, flaua in uentriculo bile contenta, caput dolore affici: illa uerò eiecta per uomitum, ilicò dolorē compesci. Atq; inter optimos medicos conuenit, nō solùm hæc accidentia, uerumetiā epilepsiam, aliquando capiti à uentriculo oriri.

*Epilepsiam aliquando oriri à uentriculo.*

Cæterū melancholicos ut nunq̃ deserit timor: ita eorū phantasmata præter naturā, non semper eodem genere cōtinentur. Siquidē alius se testam factum putauit: atq; idcirco obuiantibus cedebat, ne collideretur. Alius, ne Atlas, qui mundū sustinere dicit̃, grauatus sub tanto onere, illum à sese excuteret, atq; ipse cōminueretur cum eo, pertimescebat.

*Melancholicos nunquam deserit timor.*

*Melancholicorū species uaria.*

Differunt porrò inter se melancholici: nam omnes timent, mœrent, uitā damnant, odio habent homines, sed nō omnes mori cupiunt. Quippe hoc ipsum nōnullis melancholiæ caput existit, quòd pertimescunt mortem. Sunt qui simul & mortem metuant, & mortem sibi consciscant.

*Atra bilis metū timorem conciliat.*

Quemadmodū igitur externæ tenebræ pauorem inducunt, sic atræ bilis color, mentis sedem tenebris similem reddens, timorē efficit. Siquidem tum humores, tum ipsa temperies corporis, possunt animę actiones mutare, id quod à nobis est demonstratū in eo libello cui titulus est, Quòd mores animæ corporis temperiem sequant̃.

*Hypochondriacus morbus qui dicendus.*

Ergo si circa uentriculū prima inceperint ipsius morbi symptomata: quib. auctis melancholica sequat̃ affectio: deinde alui deiectione, uomitu, proba coctione, ructibusq; leuetur is qui laborat, hypochondriacū flatuosumq; ipsum morbū uocabimus. Accidentia uerò ipsius dicemus & mœstitiam, & metū. Vbi uerò propria melancholiæ accidentia esse auctiora uidentur: circa uentriculū autē aut nulla, aut perexigua cernunt̃: haud ab re existimaueris, primitiuam in cerebro affectionem consistere, ob atram in ipso bilem cōgestam.

*Melancholiam recentē qua uictus ratione curarit Galenus.*

Quem morbum minimè inueteratū, frequētibus balneis, uictuq; humido & boni succi, nullo alio præsidio adhibito, ipse aliàs curaui. Nam ubi diuturnus ipse morbus est factus, fortiora remedia postulat.

## CAPVT V.

*Epilepsiæ tres differentiæ.*

Morbus comitialis, similiter ut melancholia, tribus clauditur differentijs. Verùm omnibus cōmune est, quòd afficitur cerebrum, siue primaria affectione, siue consortij lege. Prima igitur differentia existit, ubi affectus in ipso consistit cerebro: id quod pluribus epilepticis accidit. Secunda, ubi ab ore uentriculi per cōsensum dispositio ascendit ad cerebrum, quemadmodū per suffusiones contingit. Tertia deniq; fit rarò, cùm à parte alia quauis ipse affectus incipiens, inde, sentiente id ægro, ad cerebrum usq; perrepat.

*Curam huius epileptici habes seq. col. uers. 30*

Quale genus morbi ipse adhuc adolescens primùm uidi in puero tertiumdecimum ætatis annum agente: qui sanè narrabat, dispositionē ipsam à crure initium capere: mox illinc rectà ascendere per femur & eminentes ei lumbos, ac per latus id, ad ceruicem, donec perueniret ad caput: quod cùm primùm tangeret, ipsum haudquaquam sibi constare. Interrogantibus autem medicis, quale esset quod ferebatur ad caput, nihil habuit quod responderet puer. Alius tamen compos mentis dicebat, ueluti frigidam quandam auram existere.

*Pelops Galeni præceptor.*

Vnde ex duobus alterū Pelopi præceptori placuit: aut quòd qualitas quædam, alteratis per continuationē partibus, aut spiritalis substantia transmitteret̃. Nec mirandū esse dicebat, tam ualidam uim esse humori, in affecta particula præter naturā genito, ut cum perniciosarum ferarum uenenis componi posset.

*Phalangij morsus.*

Etenim ubi phalangium momordit aliquem, q̃uis paruū existat animal, existimare tamen debemus, uenenū ex ipsius ore, primò quidem in superficiem, dein uerò in totū corpus deferri.

*Turturis marinæ aculeus.*

Præterea marinę turturis, sicuti & terreni scorpionis aculeus,

*Scorpionis aculeus.*

aculeus, q̃uis in extremam illam acutissimamq́ partem finiatur, ubi nullum foramen est, per q̃d uenenum deijci posit: necessum tamen est, ut ex cogitemus substantiam quandam inesse illi, aut spiritalem, aut fluidam, quæ ut mole minima, ita facultate est q̃maxima. Siquidẽ cùm nuper fuisset quidam ictus à scorpione, uideor mihi esse (inquit) percussus grandine: eratq́ omnino frigidus, frigidoq́ sudore perfusus. Quippe ubi ex icta parte per totam ipsam celeriter distributa fuerit ueneni uis, contingit eam, eodem rursus contactu, in singulas subiectarũ ei partium recipi: mox ex illis in alias cõtinuas, donec in aliquã peruenerit principem: quo tempore, mortis periculum instat. Ad hanc rem in primis conferũt uincula partibus supernis iniecta, abscisioq́ partium uenenatarũ. Noui equidem rusticum, qui epoto è uiperis medicamẽto, resciso prius digito, euasit: sicuti & aliũ quendã, qui sola sectione, citra medicamen est liberatus. Sed epilepticũ illum puerũ medici quoq́ sanarũt, primò quidem uniuersum eius corpus purgantes, dein medicamen ex thapsia & sinapi, parti primò affectæ ad hibentes, ac supra illam medium membrũ ligantes. Quod uerò ad causam pertinet, ob quam in huiusmodi per cõsensum affectibus, epilepticæ cõuulsiones fiant: probabile sanè mihi uidetur, quemadmodũ frequentissimè singultũ fieri uidemus affecto stomacho, ita hanc oriri dispositionem. Etenim cùm uentriculus ciborũ mole grauatur, aut ubi à corruptis cibis mordicus infestatur, singultu hauddubiè corripitur. Imò uerò acris humor ipsum uentriculum mordicans nõ singultum modò, sed conuulsionẽ etiam, per uniuersum excitat corpus. Quo eiecto per uomitum, ilicò conuulsio sedatur. Quo minus mirandum est, si neruorũ principiũ motu huiusmodi concutiatur, ut à se expellat, quicquid fuerit id, q̃d à parte primò affecta, ad ipsum transmittitur. Vbi uerò deperdito sensu quis cõciderit, nõ accidente motu, quo uel cõuelli, uel salire uideatur, affectum ipsum oriri à frigore censeo. Quo in genere continet lethargus. Apoplexiæ autẽ, quòd subitò eueniat, aut frigidum, aut crassum, aut uiscidũ quippiã, quod affatim principes cerebri uentriculos impleat, nõ totius substantiæ intemperiẽ, causam esse, est perspicuũ: ueluti lethargi, phrenitidis, maniæ, melancholiæ, stultitiæ, amissæ memoriæ, sensuum hebetationis, & resoluti motus. Porrò in omnibus his affectib. in quorũ numero apoplexia cõtinetur, periculi magnitudinẽ ex nocumento respirationis cõijcere oportet. Siquidem in cunctis soporosis affectibus, etsi corpus nec moueatur, nec sentiat, sola tamen spiratio, quæ musculorũ * thoracẽ mouentiũ est munus, seruatur. Porrò musculis uniuersis, principium motus ab innatis ipsis neruis accedit, qui à cerebro initium primariũ sortiuntur. Quamuis enim ex medulla spinali permulti oriri nerui uideant, uim tamen quam habet illa, cerebrum ipsi omnem suppeditat. Cùm itaq́ spirationem uehemẽter impeditam cõspexeris, nõ paruam in cerebro morbidam dispositionẽ esse conijcies, præcipuè in soporosis affectibus, qui omnes consistunt in cerebro.

*Scorpionis uenenum refrigerare.*

*Icta à venenatis bestijs particula quomodo sint curanda.*

*Epileptica conuulsiones quam obrem fiant in affectibus per cõsensum.*

*Singultus quando excitatur.*

*Cõuulsionis epilepticorũ causa.*

*Lethargus.*

*Apoplexiæ causa.*

*Apoplexia occupante, periculi magnitudo ex nocumẽto respirationis colligi debet.*

*Nerui oriũtur à cerebro, musculiq́; principium motus largiuntur.*

*Soporosos affectus omnes consistere in cerebro.*

CAPVT VI.

*Vertigo ad cerebrum pertinet.*

Affectus uertiginosus siue primariò, siue lege consortij accidat (quod solet ob consensum uentriculi) ad cerebrum ipsum pertinet. Quo detenti, uel à minima occasione liberant, adeò ut interdum cadant, si uel ipsi unico duntaxat circuitu in gyrum agantur, aut quippiam aliud circũrotari uiderint. Est autem rationi consonum, huiuscemodi affectionem fieri, elato per magnas illas arterias, quæ plexum retiformẽ constituunt, uapido calidoq́ spiritu, atq́ cerebrum ipsum replente. Fieri etiam potest, ut inæqualis intemperies cerebri, huiusmodi spiritum gignat.

*Vertiginis causa.*

CAPVT VII.

*Cephalæa quid.*

Cephalæa (qui affectus ad cerebrũ etiam pertinet) est capitis dolor diuturnus, difficulterq́ solubilis, qui à parua occasione uehementes possidet accessiones, ita ut qui eo torquetur, neq́ strepitum, neq́ uocẽ, neq́ luminis splendorem, neq́ motũ perferre possit: sed tranquillitatẽ, obscurumq́ cubiculum quærat, idq́ ob doloris uehementiam. Ad hæc, accessiones huiusmodi, ueluti in comitiali morbo, intermissiones habẽt, interceditq́ tempus, quo perfectè liberari uident ægri. Differt autẽ à cephalalgia, quòd in hac nõ uiqueadeo imbecillæ reddant partes affectæ, ut in cephalæa, licet in utroq́ affectu caput minimo negocio afficiat. Sunt tamẽ nõnulli, quibus caput aptissimum est ut impleatur: atq́ uniuersi quoq́ corporis habitus ad ipsum implendũ idoneus. Alij, omnes capitis partes aptas habent, ut afficiãtur. Quibus, ubi uitioso uictu utuntur, accidit ut cephalæa arripiantur. Quo minus mirandum est, si horum alijs membranæ cerebrũ continentes, dolore afficiantur, alijs pericraniũ duntaxat. At quibus intra caluariam est dispositio, ijs ad oculorũ usq́ radices, ipse dolor extenditur: quòd nimirũ à cerebro, & ab utraq́ membrana, necnõ à uasis quæ in ipsis sunt, ueluti germina quædam illuc deducant. Sed & eorũ quibus dimidia capitis pars dolore infestatur (uocantur autẽ ij hemicranici) alij extra caluariam, alij in capitis intimis partibus dolorẽ percipiũt. At uerò dextram capitis partem à sinistra distinguit sutura per longitudinẽ ipsius exporrecta. Sub qua, intra capitis ossa, linea mediũ cerebrũ diuidens manifestè protenditur: ad quam etiam peruenit anteriorum duorum uentriculorũ septum. Ea porrò corpora suapte natura idonea sunt ut ipsis caput impleatur, in quibus uaporosus calidusq́ spiritus gignitur: aut quibus biliosa excremẽta cumulant in ore uentriculi. Atqui spiritus, dolores tensiuos pariunt: biliosa excrementa, dolore mordaci afficiunt. Dolores à plenitudine inducti, grauitatis sensum præ se ferunt. Quòd si rubor adsit & calor, calidos in causa esse humores est signũ. Sunt quibus caput assiduè dolet, ubi uel liberalius uinũ ingesserint, uel meracius: idq́ magis, si suapte natura calidũ fuerit. Præterea calidi odores omnes, atq́ in uniuersum odorata omnia, capiti dolorem conciliant. Nonnullos autẽ ob sensus exuperantiam dolor infestat: quemadmodũ in ore uentriculi accidit.

*Cephalalgiæ & cephalææ discrimen.*

*Caput intra caluariam dolentibus, dolor usque ad radices oculorum extenditur.*

*Hemicranici qui dicantur.*

*Caput quib. oppleatur facilè.*

*Odorata omnia conciliare dolorem capitis.*

CAPVT VIII.

At uerò si aliquãdo per totũ corpus, neruorũ

actio uitiosa redditur, ipsorũ esse affectũ principium constat: id quod ex sola dignosci potest anatome. Cùm igitur omnes pariter nerui, tum sentiendi, tum mouendi uim amiserint, affectus is apoplexia appellať. Vbi uerò alteri lateri, aut dextro aut sinistro id accidit, resolutio nominatur, eius scilicet partis, in qua consistit affectus. Quòd si in aliquo membrorũ idem euenerit, eiusdem resolutio diceť. Cæterũ omnes animantis partes sub ceruice positæ, quę à consilio & uoluntatis imperio moueri possunt, neruos habẽt qui eas moueant, procedentes ab spinali medulla. Porrò nerui qui mouent thoracem, ab ea spinæ parte quæ in ceruice est, exoriuntur. Si itaq; tota spina trãsuersim dissecta fuerit, omnes quæ sub ipsa sunt corporis partes, sensu motuq; priuantur: quòd per eam nimirũ facultas sentiendi & mouendi pro arbitrio, deferatur à cerebro. Quòd si transuersim ad mediũ usq; secundũ longitudinẽ ipsa spina incidatur, nõ omnes suppositæ corporis partes, sed eæ duntaxat quæ è regione sectionis sunt, resoluenť: dextra quidem, dextræ spinæ parte dissecta: sinistræ uerò, sinistra. Videntur autẽ huiuscemodi resolutionũ aliquę, faciem quoq; infestare: sed tum resolutum latus ad alteram faciei partem retrahitur. Cùm igitur nerui qui in faciei partes dispersi sunt, à cerebro oriantur, sanè si earũ aliqua simul cum toto corpore resoluta sit, scire oportet resolutionis dispositionem in cerebro ipso consistere. Vbi uerò illæsæ permanserint, hauddubiè spinæ initiũ afficitur. Accidit uerò nonnullis, ut faciei partes solæ afficiantur, ut lingua, oculus, mandibula, & labrum. Quippe nõ omnibus ab uno loco principium influit, cùm ex diuersis cerebri partibus suos neruos recipiant. Igitur apoplexia omnib. actionibus animalibus noxam inferẽs, cerebrũ affectum esse manifestè declarat. Discernitur autem magnitudo affectionis, ex noxæ quam spirationi infert, uehemẽtia. Cùm enim naturalem ordinẽ plurimũ egreditur, magnam: cùm uerò paulùm impedimenti est, paruam in cerebro noxam esse, cõijcere oportet. Sanè omniũ pessima spiratio putanda est, quæ & intermittitur, & magna cum uiolentia trahitur. Siquidem ob id contingit mori apoplecticos, quòd spirare nõ possint. At uerò ubi pars aliqua cõuulsa est, neruus ei motioni deputatus, aut musculus, necessariò est affectus. Potissimũ autẽ dicitur resolutio neruorum, ubi motus deperditus est. Vbi uerò partium aliquarũ sensus periit, eam partẽ sensus expertem esse: resolutam autẽ, nõ usqueadeo dicimus. Quanquam perinde est, ut quisq; eam nominare uoluerit, modò sedem affectam, simulq; illius dispositionem inueniat.

*Apoplexia quid.*

*Resolutio quid.*

*Nerui mouentes thoracem, à colli spina exoriuntur.*

*Spinæ læsionib. quo pacto subditarum illi partium læsiones respondeant.*

*Apoplexia omnibus actionib. animalibus noxam infert.*

*Spiratio pessima quænam sit.*

*Apoplecticos mori, quòd priuentur respiratione.*

*Resolutio præcipuè dicitur, ubi motus periit.*

CAPVT IX.

Vbi olfaciendi uis læditur, nõ eorum meatuũ qui in naribus sunt, sed uel anteriorum cerebri uentriculorũ, cùm aliqua intemperie laborant, est noxa: uel eorum meatuum, qui in ossibus colatorijs consistunt, si aliquando obturentur. Siquidem odoratorũ sensus, in anterioribus perficitur cerebri finibus, elatis ad ipsos, per foramina colatorij ossis, uaporibus.

*Odoratorũ sensus in anterioribus perficitur cerebri finibus.*

# GALENI PERGAMENI
## de locis affectis lib. IIII.

CAPVT I.

At uerò oculorũ interdum quidem sensus, interdum motus, ac nonnunquam utraq; functio resoluiť: idq; nunc in altero, nunc in utroq; contingit oculo. Est cùm solius palpebræ uel sensus, uel motus læditur. Vbi igitur nullo malo apparente in oculo, perierit facultas cernendi, neruo in ipsum descẽdenti à cerebro, causa tribuenda est, nimirũ uel inflammato, uel indurato, uel quomodocunq; aliter ob humorum affluxum læso, obstructóue secundũ propriũ foramen. *Quæ omnia accidere illi tanquam organicę parti, necessum est. Nam tanquam pars similaris, octo intemperieb. uexatur. Præter has causas exoluti oculorum sensus, est alia, ubi nihil omnino, uel exiguũ admodũ uisifici spiritus à principio (quod in cerebro consistere putandũ est) ad eos descenderit. Si uerò uteruis oculorũ, motũ duntaxat amiserit, secundæ copulæ neruum, qui à cerebro oritur, molestari est necesse, ab aliquo uidelicet eorũ affectuum, quos alteri neruo, qui à prima cõiugatione oritur, & cui soli meatus cõspicuus inest, nuper accidere diximus. Quia uerò musculi oculum ipsum mouentes senario numero constant, ac præter eos alij quoq; adsunt, qui descendẽtes in ipsum amplectunť optici pori radicem, ut uidelicet oculum retrahant & firment: nec mollis ille neruus, in processu peruertatur aliqua ex parte: accidit sanè interim, hoc ipso neruo nequaquam læso, musculorũ aliquem, aut in propria essentia, aut in neruo ad ipsum descendente, contristari ab aliquo dictorũ affectuum. Siquidem singulis eorũ musculorũ, pars quædã nerui à secunda coniugatione orti, transmittiť. Cùm itaq; sex inueniantur mouentes oculũ musculi, si is quidem qui ipsum ad superiora trahit afficiatur, totus oculus delapsus uidebitur. Si uerò is qui ipsum detrahere solet, affectus sit, oculus sursum tractus cernetur. Sic si uitietur minoris anguli musculus, ad maiorem: si uerò hic læsus sit, ad illum inclinat oculus. At si uoluentiũ musculorũ quispiam sit resolutus, obliqua totius oculi conuersio ædetur. Cæterùm resolutis musculis circundantibus mollem neruũ, procidet totus oculus, atq; à sua sede mouebitur. Porrò cùm oculi à sede sua deturbantur, si ad alterutrum angulum peruersio fiat, innocua permanebit cernẽdi uis. Si uerò aut sursum, aut deorsum, aut in obliquum quoq; uertãtur, quicquid ipsis obieceris, id omne duplũ esse uidebitur. Ex musculis supernam mouentibus palpebrã (nam inferior immobilis est) si is qui sursum eam retrahit, resolutus sit, laxam efficiet illam, adeò ut oculus aperiri non possit. Si uerò qui eam detrahunt (gemini enim hi sunt) exoluantur, oculus claudi non poterit. Quorum si alter afficiať duntaxat, ad oppositum musculum palpebra reflectetur. Hi sunt partiũ oculi peculiares affectus, qui latentibus locis insident. Ac sunt pręterea alij, qui ex alijs partibus ei per consensum adueniunt, nempe aut oris uentriculi, aut cerebri cognatione. Cuius generis sunt symptomata suffusorum

*Visum quibus modis exolui contingat.*

*Oculorum motũ unde perire accidat.*

*Opticis neruis solis inesse conspicuos meatus.*

*Oculo mouendo musculi sunt sex tributi.*

*Oculi quotupliciter possint peruerti.*

*Oculis sursum aut deorsum peruersis obiecta uideri duplicia.*

*Palpebræ quotupliciter peruertantur.*

*Oculorum affectus per consensum orti.*

*Suffusiones quomodo differant à vaporibus ad oculos à ventriculo elatis.*

ſorum uiſis ſimilia. Cæterū uiſa ob humorum in uentriculo contentorū uitium oborta, utrique oculo ſimiliter accidunt. Quæ uerò per ſuffuſiones apparent, nec incipiunt ſimul in utroq;, nec ſimiliter. Pręterea, ſi tribus quatuórue menſibus ſuffuſionis accidentia apparuerint, pupilla autē pura ſplendidaq́; cernatur, ab ore uentriculi naſci affectum ne dubites. Si uerò non ita multum temporis interceſſerit, quærendum eſt in primis, num ex quo incœpit affectus, ſingulis diebus perpetuò hæc apparitio perſeuerarit. Nam aſsiduitas ſuffuſionē portendit: intermiſsio autem, quòd malum à uentriculo prodierit, ſuſpicionē excitat: idq; magis, ſi perfectè quis concoquens, nullū ſibi uiſum apparere fatetur: ac multò magis, ſi cū apparuerint tales imagines, mordicus in ore uentriculi doluit: maximè uerò, ſi poſt hæc, uomendo eiecta re mordente, mitigata accidentia fuerint. Quinetiam ſi à uentriculo ſymptoma id exoriatur, medicamine ex aloē poto dato, minimo negocio curatur, accedente ſimul proba coctione. Vbi uerò altera pupilla tenebroſior, aut turbidior, aut nō exactè pura conſpicitur, ſuffuſionis eſſe initiū cenſendum eſt. Similia quoque ſuffuſioni accidentia in quibuſdā phrenitidis ſpeciebus (affecto ſcilicet cerebro) ſæpenumero euenire ſolent. Sunt etenim phrenitici quidā, qui de ijs quæ oculis offeruntur, rectè (quantū ad ſenſitiuam notitiam pertinet) iudicant: cogitando uerò, à naturali iudicio aberrant. Alij rurſus, cogitatione quidem falluntur minimè, ſenſibus tamen hallucinantur: id quod mihi olim contigiſſe uidetur, cùm ardenti febre laborans, & floccos uellerem, & in ueſtibus feſtucas colligerem, idq; animo conſtans. Sunt præterea qui ſimul ſenſus & cogitationis uitio laborant. Porrò ubi in cuiuſpiā cerebro bilioſus ſuccus abundat, acceditq; febris ardens, ab illo oritur tunc fumus, ueluti in lucernis ab oleō: qui, per uaſa quæ ad oculum tendunt, delapſus, earū imaginum in ipſis eſſe cauſa cenſetur.

*Hiera picra cui affectus conueniat.*

*Phreniticorum varia ſymptomata.*

CAPVT II.

In lingua etiam, interdum motū ipſius, interdum ſenſum, interdum uitiari quoq; tactum cōtingit. Non tamē alio guſtus, atq; alio tactus neruo utitur. Siquidem nerui à tertia coniugatione orti, qui in linguæ pelliculam diſſeminantur, nō ſolùm tangendi, ſed guſtandi etiā uim obtinent. Crebrius tamen læditur guſtandi quàm tangendi facultas, cùm ad guſtum exacto iudicio ſit opus. Etenim tangendi ſenſorium, craſsiſsimū: ut cernendi, tenuiſsimū eſt. Auditus uerò ſenſoriū, ut in tenuitate à uiſu, ita ſenſoriū guſtus in craſsitudine, à tactu ſecundum locū obtinet. Olfaciendi uerò ſenſorium, in illorū quatuor medio conſiſtit. Igitur cùm poſterior cerebri pars tam dextra quàm ſiniſtra afficitur, ne apoplexia hominem rapiat, timendum eſt. Vbi autem altera tantùm, in paralyſim finiri ſolet: quæ interdum alteram ſolùm linguæ partem motu deſtituit, illæſo ipſius tum guſtu, tum tactu: interdū partes ſub capite conſtitutas, modò has, modò illas. Cùm autē à parte anteriore cerebri facies ſuos neruos recipiat: à poſteriore uerò oēs partes quæ ſub capite ſunt: à qua etiam oritur ſeptima coniugatio neruorū, qui inſerti in muſculos linguæ, uoluntarium illius motū perficiunt: non ab re quidem anteriore cerebri parte altera affecta, ſola linguæ motio uitio carebit: reliquæ uerò faciei partes omnes, in altera parte, dextra aut ſiniſtra, ſenſu & uoluntario motu deſtituent. Quemadmodū ſi afficiat poſterior pars cerebri, reliquarū partiū faciei incolumi ſimul & motu & ſenſu, ſolius linguæ motus uitiabit. Quòd ſi aliquādo tota anterior cerebri pars afficiat, ſupremū ipſius uētrē ei cōſentire neceſſe eſt: atq; cogitādi quoq; actiones uitiari. Proinde qui ita eſt affectus, nec ſentit, neq; mouet: ſpirandi tamen facultas haud quāq; in illo læditur: uocaturq; hic affectus caros, ſiue ſopor. Qui, ſi uehementer ſpirationē opprimat, apoplexia nominatur. At ſolutæ apoplexiæ crebettimè ſolet paralyſis ſuccedere. Sopore uerò finito, magna ex parte bona ualetudo ſubſequitur. Fit autem ſopor, Hippocrate autore, affectis muſculis temporū, atq; in acutis morbis. Inter ſoporē & apoplexiam, morbus comitialis eſt medius, conuulſionē uniuerſo corpori inducens: ſed in paralyſim non deſinit. Quorū trium morborū, frigidus, craſſusq́;, aut omnino uiſcidus humor eſt cauſa. Verùm & in ſopore, & in morbo comitiali, uentres magis, cerebri corpus minus: in apoplexia uerò, corpus magis affici ſolet. Atq; in ſopore anterior pars magis, in apoplexia & morbo comitiali utraq; afficitur. In catalepſi & uigilanti ſopore, poſteriora cerebri magis læduntur. Quum autem oſſe aliquo terebra perforato, medius uentriculus fuerit attritus, ſopor hominem occupat, ſed neq; cōuulſione, nec difficili ſpiratione oborta: hæc enim apoplexiæ, illa morbo comitiali eſt affinis: haud ſecus q̄ catalepſi, ſoporiq;, ſeruata ſecundum naturam ſpiratio. Verùm ut in ſopore clauduntur palpebræ, ita in catalepſi manent apertæ. Iam uerò uehementes dolores ſopor ſequi conſueuit, cōcidente uidelicet robore animalis ſpiritus, quod primum animæ inſtrumentū exiſtit in uentriculis cerebri: indeq́; fluens per neruos defert motum & ſenſum in uniuerſas corporis partes. Igitur affectuum linguæ, alij quidem illi cōmunes ſunt, *ob cōmercium quod habet cum cerebro & neruis. alij ipſius duntaxat proprij cenſentur. Quēadmodum ergo conſortij lege, per ſeptimā neruorū coniugationē motus ipſius uitiatur: ſic ſenſus impediri poteſt per tertiā, quæ & mollis eſt, & in pelliculā illius, ſicuti ſeptima in muſculos, diſſeminatur. Quod uerò ad proprios illius affectus pertinet, ſicuti muſculorū eius, ut ſimilariū, intemperantiæ motum impediunt, ita ambientis ipſam extrinſecus membranæ intemperies, & tangendi & guſtandi ſimul ſenſum uitiat. At inſtrumentalium affectionū ſpeciem referunt inflammationes, ſcirrhi, œdemata, eryſipelata, ſuppurationes, & alia id genus: de quibus, quia uiſu & tactu diſcerni poſſunt, nihil in hiſce cōmentarijs dicemus. Vt autem de ipſo auditu nōnihil inſeramus ſermoni, ſi illæſo apparente auriū foramine, ſola audiendi facultas læditur, neruum propriū eſſe affectū, licet exiſtimare. Vbi uerò reliquæ faciei partes ſimul cum functione audiendi lædunt, in cerebro eſſe diſpoſitionē præter na

*Lingua recipit ab ijſdem neruis tertiæ coniugationis, qui in illam deſcēdunt, ſimul guſtū & tactum.*

*Senſoria, quæ quibus ſenſibus ſint craſsiora, aut tenuiora.*

*Facies vnde ſuos neruos recipiat.*

*Caros Sopor.*

*Apoplexia ſoluta ſolet paralyſis ſuccedere.*

*Sopor fit affectu muſculis temporum.*

*Epilepſia.*

*Cerebri corpus magis affici in apoplexia, quā in morbo comitiali, & ſopore: in his autē ventriculos magis.*

*Catalepſi detēti dormiunt apertis palpebris.*

*Sopor conſueuit ſequi vehementes dolores.*

*Animalis ſpiritus eſt primum inſtrumentū animæ.*

*Linguæ proprij morbi qui ſint.*

*Audiendi facultas vnde poſſit læſionem accipere.*

turam, est uerisimile: ipso uel ut similari, uel ut instrumentali parte affecto. Memineris aũt uelim,

*Neruorum tertia cõiugatio in quas partes distribuatur.*

temporũ maxillarumq; musculis, item labris & nariũ pinnis, sensum & motũ: linguæ uerò, omnibusq; oris partibus, sensum duntaxat, à tertia cerebri cõiugatione oriri: à secũda, oculorũ musculis motũ, ut à prima, oculis ipsis cernendi sensum suppeditari. Vbi igitur uniuersæ particulæ, quibus à tertia cõiugatione inserunt neruι, oblæsæ in altera tantũ parte uident, cõmunem neruũ primariò affectũ esse putandũ est. Si uerò utrãq; simul partẽ lędi cõtigerit, nõ nerui proprius, sed loci cuiuspiã in cerebro, à quo nerui procedunt, est ipse affectus censendus: ac tunc sanè omnes uicinæ partes simul affici cõsueuerũt: proinde & quartæ &*secundæ cõiugationis nerui: unde sequitur, ut oculorũ quoq; partes lædant. Quòd si

*Resoluto alicuius particulæ musculo, pars ipsa in cõtrarium trahitur.*

unus dũtaxat uel musculus, uel neruus, quoquo modo siue primaria affectione, siue per consensum, affectus fuerit, pars ipsa in aduersum trahitur musculũ. Nam resoluto musculo qui dextrã partem labri mouet, ipsa ad sinistrũ flectetur. At si is qui sinistram mouet resoluitur, ipsa trahitur ad dextram. Haud secus & totam mandibulã, & nariũ pinnas, & genas quæ à lato mouent musculo, in aduersam partem flecti cõtingit.* At la-

*Latus musculus unde neruos recipiat.*

tus musculus nõ recipit neruos à tertia cõiugatione: sed nerui à ceruicis uertebris prodeũtes, in illũ ferè totũ disseminant, exigua ipsius parte, sublimioriq;, excepta, in quã deferuntur nerui à quinta coniugatione.

CAP. III.

*Anginã aliquãdo ob vertebras luxatas accidere.*

Porrò ubi afficiunt priores uertebræ spinæ, licet rarò, euenire tamen interdũ angina potest, idq; in pueris magis q̃ in adultis, nimirũ ob ipsas uertebras ad interiora luxatas: quemadmodum Hippoc. ait, secundo de popularib. morbis. Cæterùm per huiusmodi anginas guttur nullo pro-

*Spinæ partes altiores, præstantiores existere.*

prio affectu laborat. Cùm autẽ spinę partes, quò fuerint altiores, eò sint præstantiores: sanè quò affectio fuerit inferior primis duabus uertebris, eò inferet multò minorẽ noxam. At nerui septi transuersi, sub quarta & quinta uertebra oriunt.

*Septũ transuersum solum perficere lenem respirationem.*

Ab eo autẽ solo fit spiratio*lenis, accedente intercostaliũ musculorũ actione, ubi uehementiori est opus respiratione: quæ si uehementissima requirat, supremos etiam musculos concurrere oportet. Porrò ubi unica duntaxat uertebra, aut etiam duæ, aut tres, sese consequentes inuicem, distrahunt, ea parte spinã cauari cõtingit. Vbi uerò inter distractas uertebras, uel una, uel plures,

*Gibbus unde accidat.*

illæsæ manserint, sic affectis gibbus accidere solet. At si in alterutrã partẽ, uel dextram, uel sinistram, distrahat uertebra, ibidem in obliquũ spina torquebitur. Cæterũ alia sequunt symptoma-

*Spina proprio si laboret affectu, quid accidat.*

ta, ubi proprio affectu laborat spinalis medulla: & alia, ubi una uel plures uertebrę afflictæ luxantur. Nam cùm proprio affectu spina ipsa affligitur, citra uertebrarũ aliquã luxationẽ, si quidem in altera duntaxat parte afficiat, omniũ inferiorũ corporis partiũ, quæ è regione nocumenti consistunt, tam sensus q̃ motus læditur. Si uerò utraq; pars sit affecta, omnes particulæ tam in dextra, quàm in sinistra regione, et quæ affecta est subiectæ, similiter resoluunt. At luxata uel ad gibbũ, uel ad concauũ uertebra, fieri potest ut nulla omnino partiũ inferiorũ, uel in sentiendi, uel mouendi functione, aliquod uitiũ percipiat. Per an-

*Angulosæ luxationes spinæ sunt nocentiores iis, quæ in orbẽ atq; paulatim fiunt.*

gulosas tamen luxationes spinæ, subiectas omnes particulas lædi est necesse. Paulatim uerò facta luxatione, atq; in orbem magis, nihil notatu dignum patiunt partes, quæ cõmotæ uertebræ subiiciunt. Sed in obliquũ luxatio, lędit omnino

*Luxationes spinæ obliquæ.*

eas partes, ad quas nerui ex luxatis uertebris procedentes, perueniũt: idq; magis in ceruice, in thorace minus, sed multò minus in lumbis accidere solet. Siquidem in ceruice, uertebræ inter se cõnexæ, æqualiter utræq; foramini conferũt, unde neruus procedit: in thorace autẽ, superior magis, inferior minus: sed in lumbis, totus neruus ex superna excidit uertebra.* Quare in eis transuersa uertebrarũ luxatio, unà secũ trahens & medullam, & neruũ, illæsum seruat naturalem ortũ ipsius. In ceruice autẽ, ex loco medio inter duas uertebras procedentes nerui, per obliquas luxationes, in ea quidem parte, ad quam spina deflectitur, opprimunt: in altera uerò tendunt. Rursus tensiones quidem, ubi ingens quoq; inflãmatio accesserit, cõuulsio comitat. Ad cõpressiones uerò earũ partiũ, ad quas oppressus neruus descendit, sequit resolutio. Igitur per eas quas nuper diximus uertebrarũ luxationes, reliquæ faciei partes omnes, neq; in sensu, neq; in motu noxam subeũt. Solæ autẽ genæ lædunt, ut quæ mouentur à lato musculo.* At uertebræ solent luxa-

*Luxatio vertebrarũ unde possit accidere.*

ri, aut ob casum, aut ictum, aut tumorẽ pręter naturam, neruosa corpora uertebris atq; medullæ cognata extendentẽ. Vt autẽ impræsentiarũ aliquid de angina dicamus, Hippocrates affectus omnes, qui cũ spiratione difficili, guttur aut fauces infestant, synanchas, hoc est, anginas appel-

*Anginæ genera quinque.*

lat. Ac sunt quidẽ anginæ genera quinq;. Primũ est, ubi inflammant fauces: hoc est, internus oris locus, ubi & gulæ & gutturis partes extremæ coëunt. Secundũ est, ubi nec fauces, nec reliquæ oris partes, nec etiã externarũ partiũ ulla inflammata uidetur: laborans tamen suffocationis periculum in gutture sentit. Tertiũ, ubi extrinsecus circa fauces inflãmatio apparet. Quartũ, ubi gutturis partes tam externæ q̃ internæ, similiter inflammatæ uident. Quintũ deniq;, cùm ad anteriores partes, colli luxantur uertebrę: id quod sanè cõtingit, uel solis musculis qui cum ipsis cõmunicãt, tumore pręter naturã affectis: uel nato ibi tuberculo, uel gula pariter uitiata, nonnunq̃ musculis quoq; qui gulam gutturi iungunt, proprijsq; aliquando gutturis musculis, qui ipsum aperiunt, oblæsis. Hi igitur affectus omnes difficilem respirationẽ efficiũt, minimè tamen in discrimen suffocationis adducunt. At ægri & difficulter deglutiũt, & dolẽt, tum præcipuè, cùm eis potus per nares resilit. Nullo autẽ spiritaliũ instrumentorũ nec primariò nec per cõsensum affecto, fieri minimè potest ut spiratio lædat. Quocirca ex sola spirãdi specie, ilicò nõnihil & de affecta sede, & de ipsa dispositione, coniicere licet. Quippe si uideatur laborans, inter spirandũ, totum mouere thoracẽ, ut in parte quidẽ anteriore, ad iugulum: in utroq; latere, ad ceruicẽ: in parte posteriore ad scapulas usq;, motus ipsius ascẽdat: tres ex huiuscemodi spiratione dispositiones

nes significant. Vna est flãmea in corde & pulmone caliditas. Secunda, in altero spiritalium instrumentorum angustia. Tertia, facultatis musculos mouẽtis debilitas. Cùm igitur huiusmodi spirationẽ cõspexeris, in primis arteriæ pulsationẽ perpendere oportet: hæc enim quãtus sit calor, indicat. Deinde spirationẽ ipsam expende, an multa, an frequens, an exufflando fiat. Postremò thoracem in pectore tange, quem si præter cætera ardentẽ inueneris, iam omnes copiosi caloris notas te habere ne dubita. Quibus ex abundantia accedit faciei, oculorumq́ rubor, capitis ardor, sitis uehemens, lingua arida, salebrosaq́.

*Caloris copiosi nota.*

Vbi uerò incendij signis modũ seruantibus, thorax dilatatur uehementer, angustiam in spiritalibus instrumẽtis esse portendit. Solet autẽ imbecillitas accidere spinæ, interdum cerebri uitio, utpote à quo & sentiendi, & mouendi facultatẽ recipit: interdũ ipsa duntaxat spina primario affectu laborante, idq́ ob peculiarẽ intemperiem, uel toti spinæ, uel diuersis ipsius partibus aduenientem. Igitur ob ipsius imbecillitatẽ spinæ, omnib. thoracis partibus solet aër inspirari, uel nullo ardente calore ægrũ ad id cogente. Siquidem ubi animans quiescit, uiresq́ ualidæ sunt, liberam respirationẽ solum septũ transuersum efficere solet. Vbi uerò id ob imbecillitatẽ, spirãdi munus perficere nequit, intercostaliũ musculorũ tunc concurrit auxiliũ. Quòd si præterea maiori animal egeat spiratione, tunc superni musculi omnes, quorũ maximi scapulas secũ manifestè mouent, ad spirandi actionẽ desiderãtur.

*Angustiã spiritalium instrumentorum quid indicet.*

*Spina unde accidere imbecillitas soleat.*

Cæterũ tametsi per spiritaliũ organorũ imbecillitatẽ totus thorax moueatur, dilatenturq́ narium pinnæ, dilatatio tamen thoracis est minor, q̃ in ardentibus febribus: in quibus, si uires ualeant, *totus thorax plurimũ dilatari cõsueuit: minorq́ etiã q̃ in angina, & dyspnœa, & peripneumonia. Quippe hoc morbo affecti, & maxima, & frequẽtissima spiratione utunt. At quemadmodũ ob infirmitatem omniũ organorũ respirationis, sic ob unius quoq́ particulæ imbecillitatẽ, omnes thoracis partes dilatari coguntur. In uniuersum autem, unica pereunte actione, solum musculũ qui ipsam efficere solet, aut neruũ ipsius, esse affectũ, putandũ est. At ubi plures actiones uitiatæ sunt in diuersis locis, accidit interdum omnes musculos, quibus perficiuntur, ab aliqua cõmuni causa esse oblæsos. Fieri etiam potest, ut neruus aliquis, qui musculis illis cõmunis est, afficiatur. Verùm si ex anatome, ad quã particulam porrigantur singuli nerui ab spina prodeuntes, didiceris, affectas sedes q̃ facillimè inuenies. Sic enim cùm ex refrigeratione primarũ uertebrarum spinæ, à quibus quatuor nerui ad caput ascendũt, ut pericranio sensum largiantur, cuiusdam olim caput afficeretur: affecta sede explorata, illiq́ remedijs adhibitis, eum subitò persanauimus.

*Narium pinnas dilatari per spiritalium organorum imbecillitatem.*

## CAPVT IIII.

At uerò sanguinẽ è uentriculo gulaq́, uomitione: ex spiritalibus partibus, tussi: ex faucibus & gurgulione, screatu: ex ore, simplici expuitione expelli, apud omnes medicos in confesso est. Nos uerò sanguinẽ qui à cerebro affatim descendebat ad fauces, tussiendo educi sæpenumero uidimus: quippe subitò gutturi irruẽs, tussim mouere potest. Quare diligẽter oportet huiuscemodi affectus distinguere. Cæterũ cõtingit plerũq́, ut uel erosa, uel exesa, uel rupta uena, sanguis tussiendo, affatim cõfertimq́ ejciatur. At si spumosum aliquid simul eductum fuerit, efficacissimum est indiciũ, ipsum educi à pulmone. Haud secus, si bronchi pars quæpiã, aut arteriæ, aut uenæ tunica, aut etiam pulmonis ipsius caruncula reijciat. Quippe nihil horũ accidit ijs, qui ex thorace sanguinẽ tussiendo producũt. Iam uerò nullus dolor infestat eos, quib. à pulmone sanguis erumpit: utpote qui duos neruos perq̃ tenues à sexta neruorũ à cerebro ortorũ cõiugatione recipit, extrinsecus per membranam ipsum continentẽ dispersos: qui intrinsecus haudquaq̃ per uisceris profunditatẽ extendunt. Verùm thoraci multi ab internis, multi etiam ab externis partibus adueniũt nerui, quibus facilè dolores percipi possunt. Præterea thorax quidem est musculosus & ossulentus: pulmo uerò & laxus, & tutus à cõtusione. Proinde thoracis dolores intensiores sunt, pulmonis remissiores.

*Sanguinis à pulmone reiecti, indicia.*

*Sanguis que parte soleat excerni.*

*Dolor non infestat eos quibus à pulmone sanguis erumpit.*

*Pulmonis dolores cur remissiores sint, quàm thoracis.*

Cùm igitur dolente parte quapiã thoracis, sanguinẽ quis spuẽdo reiecerit, nec multũ, nec rubrũ, sed nigricantem grumosumq́, huic thorax primaria affectione infestatur. At sanguis affecto thorace per pulmonẽ educitur: ut in suppuratis affectibus pus, quod inter thoracẽ & pulmonẽ deprehendit: ad eundemq́ modum, quod in pleuritide coloratũ sputum emitti solet, per pulmonẽ excernit. Porrò ulcera quæ sanguinis reiectioni solent superuenire, in pulmone quidem ægrè curationẽ admittũt. At in thorace disrupta uasa, à quibus sanguis expuitur, magna ex parte conglutinantur. Inuestigandum uerò est, num ob adhærescentẽ sanguisugam, uel in ipso nariũ meatu, uel in illa oris parte, qua ad nares foramen tendit, sanguis aut emungatur, aut screetur. Ex uentriculo etiã cruor, epota hirudine, euomitur. Qui cruor tamen est tenuis, saniei q́ speciem referẽs, siue is ex uentriculo, siue ex naribus, siue ex ore feratur.

*Sanguis, affecto thorace, per pulmonẽ educitur.*

*Pulmonis ulcera ægrè curationem recipere.*

## CAPVT V.

Quòd nõ sit eadem res, uox atq́ sermo, neminem ignorare existimo. Vox siquidem uocaliũ instrumentorũ est munus: loquela uerò, eorum quæ sermoni sunt deputara: inter quæ lingua principatũ obtinet: cui nõ parum conferũt & nasus, & labra, & dentes. Sic etiã uocis instrumẽta sunt guttur, & ipsum mouentes musculi, ac nerui qui à cerebro ipsis mouendi uim deferunt. Igitur si uel claudentes, uel aperiẽtes guttur musculi, immobiles reddantur, qui sic afficitur obmutescet. Vbi uerò uel difficulter mouent, uel palpitant, uel tremunt, uel aliter afficiuntur, pro affectionis ipsius modo uox ipsa lædetur. Quòd si alius quispiam ex mouentibus guttur musculis, quoquo modo lædatur, uitiabitur quidem uox, sed exiguum. Quippe sic affectus, neq́ obmutescet omnino, neq́ ita paruam habebit uocem. Vt autem ex musculis guttur mouẽtibus, præcipui habentur ij, qui ipsum & aperiunt & claudunt: ita ex uocalibus neruis, ij quos recurrentes uocant: qui & ipsi, sextæ cõiugationis pars sunt neruorum, qui à cerebro oriũtur: quemadmodũ &

*Sermonis organa.*

*Vocis instrumenta.*

*Vox qua ex causa perire aut uitiari possit.*

alŋ,qui quidem per ipſum diſperſi, differũt ab illis, eò quòd à neruis ſextæ coniugationis, nõ in ceruice,ſed cùm ad thoracis regionem peruenerint,ſeparant.

*Recurrẽtes nerui refrigerati, uocem impediunt.*

Per uulnera igitur recurrẽtes nerui refrigerati,tantiſper uocem impedient,donec calfacti,naturalem temperiẽ recuperarint.

*Vox in acumen & magnitudinem quando uitietur.*

Præterea uitiari uocem* in acumen & magnitudinẽ haud obſcurè cõtingit,ubi fauces etiã à ſuis muſculis contendi & cõtineri nõ poſſunt.Item grauiſsimè læditur uox, cùm membrana faucibus gutturiq́; continua, multa humiditate rigatur.

*Vox unde efficiatur rauca.*

Quòd etiã deſtillationes eadem ratione uocem raucam efficiant,nemo nõ intelligit. Vehemens quoq; exclamatio ſimiliter uocem offendit. Cæterùm cùm gutturis muſculi interni inflammantur,angina is affectus dicitur, quæ ſimul & uocem, & ſpirationẽ lædit.

*Angina offendit uocem ſimul & reſpirationẽ.*

Idem quoq; in uniuerſum facere ſolent omnes præter naturam tumores,ſiue in ſpiritalibus ijs exoriant,ſiue extrinſecus ipſas cõprimant.

*Voci qui affectus incommodent.*

Sic enim gula quoq;, ubi inflammatione eſt affecta,ut comprimat aſperæ arteriæ tunicam,qua cartilaginũ ipſius extremitates,ſigmoides dictæ, iungunt, & ſpirationi & uoci noxã afferre cõſueuit: quemadmodũ & uertebrarũ ceruicis in anteriorem partem luxatio. Igitur omnes huiuſmodi affectus uoci accidũt, proprijs ipſius inſtrumentis uitio aliquo laborantibus.

*Vocis materia eſt efflatio.*

Sunt autẽ affectus alij, cùm peculiari ſua materia priuat: quæ ſanè eſt,generaliter quidem loquendo,expiratio: ſecundum ſpeciem uerò,efflatio.

*Efflatio quomodo fiat.*

Quę quidem fit,cùm ſpiritus affatim foras effertur, cõcurrentibus ad hanc actionem intercoſtalibus muſculis. Proinde accidit,ut per uehemẽtia thoracis uulnera,atq; omnino ipſius in altera parte reſolutiones, in primis quidẽ ſemiſpirans, ac mox animal ſemiuocale euadat: idq; per accidẽs. In apoplexia uerò, ſopore,morbo comitiali, uigilanti ſopore, cõmuni ratione earum actionũ, quæ ab imperio uoluntatis proficiſcunt,uocem lædi contingit.

*Actiones inter ſe cõuenientes, ſunt quinq; circa reſpirationem.*

His itaq; quinq; actionibus conſequentia quadam inter ſe cõuenientibus, expiratione, efflatione citra ſtrepitũ, ſtrepenti efflatione,uoce,&loquela: ſi earum prima lædatur, reliquas omnes lædi neceſſe eſt. Vltima uerò læſa,reliquæ haudquaq̃ læduntur. At cùm ſecunda, tres oblædunt reliquæ. Cùm tertia,duæ ultimæ. Cùm quarta,ſola poſtrema.

*Expiratio.*
*Efflatio.*
*Efflatio ſtrepens.*
*Vox.*
*Loquela.*

Atqui expirationẽ efficiunt uniuerſi thoracem contrahentes muſculi: efflationem (quæ uehemens expiratio eſt) intercoſtales maximè: ſtrepentem efflationem,ij qui in faucibus ſunt: uocem uerò ipſam, gutturis muſculi abſoluunt. At lingua articulatim uocẽ diſtinguens, loquendi uſum largitur: ad quam rem nonnihil conferre uidentur dentes,labra,narium foramina,palatum,gurgulio,mediocreq́; ipſius linguæ uinculum. Quorũ aliquod ſi fuerit uitiatum, uitiari quoq; ſermonem ipſum contingit.

## CAPVT VI.

*Difficilis reſpiratio,in qua omnes thoracis mouentur muſculi, à quibus cauſis oriri poſsit,inueſtigatio.*

Vt autẽ ad cauſas dyſpnœæ explorandas rurſus hic ſermo redeat, ſi uideris aliquem reſpirantem ægrè,ita ut inter reſpirandum thoracis omnes moueãtur muſculi, pectusq́; etiam unà cum ſcapulis attollatur: certè ex tribus unum conijcere oportet,aut uirium imbecillitatẽ, aut uiarum ſpiritus anguſtiam,aut uehementem in corde & pulmone caliditatẽ. Quamuis interdum duæ,ac nõnunq̃ (licet rarò) tres quoq; ex iam dictis cauſis concurrere poſſunt. Atqui tribus quidem ſimul coëuntibus, proximam mortẽ timere oportet. Vbi uerò duæ fuerint, difficile eſt ægrum ſeruare. Sed una duntaxat infeſtãte,peculiari opus eſt finitione,ut ſciatur,ſeruabitúrne æger,an ipſi malo ſuccumbet. Igitur ubi uires duntaxat fuerint infirmæ,ad tria mouentiũ muſculorũ genera uenire, eosq́; omnes ad motionẽ excitare ſolent,uno genere* uehemẽter mouere nequeunte. Quippe ſi ſeptum tranſuerſum ſolum, ueluti cùm ſecundum naturã ſe habet,ſufficienter mouere poſſet, utiq; nec intercoſtalibus, nec ſuperioribus muſculis indigeret. Quoniã uerò imbecillum eſt, omnes ſenſim cõmouet: ſed nec frequentem, nec admodum raram actionẽ efficit. At plurimũ aucto in ſpiritalibus inſtrumẽtis calore,omnibus quidem thoracis muſculis agit animal: ſed uelox,frequens, & uehemens, eſt eorum actio,ſi citra uirium imbecillitatẽ ipſe calor infeſtet. Virium autem imbecillitatẽ, ubi nõ acceſſerit flãmea caliditas,nec uelox, nec frequens omnino comitatur motus: proinde non ita multùm omnes thoracis partes poteſt diſtendere. Præterea ubi ob plurimũ calorẽ ſpiratio eſt difficilis, ſpiritus quidam calidus, feruidusq́; efflat. Vbi uerò ob ſolã imbecillitatẽ, * nulla facta per os efflatione, ſpiritus per nares tantũ emittitur.

*Narium pinnæ manifeſtè dilatatæ inter reſpirandum, robur proſtratum indicant.*

Quòd ſi per inſpirationẽ cuiuſpiam nariũ pinnę manifeſtè* dilatatæ uideantur,id ſanè efficax roboris proſtrati eſt indiciũ. Ob ſpiritaliũ uerò inſtrumentorũ anguſtiam, totus quidem thorax *plurimũ, celeriter atq; frequenter diſtenditur. Cæterũ qui ſic laborãt,*abſq; ulla efflatione expirant. Si uerò ſimul conuenerint in ſpiritalibus inſtrumentis,& calor,& anguſtia (quod ſolet in peripneumonia) tunc ſanè nec maxima,nec frequentiſsima, nec etiã celerrima ſpiratio ſufficere poteſt: ſed ſurgere tentant ægri, quòd ſic melius eis thorax dilatari uideat.

*Recti qui ſpirare ſoleant.*

Similiter ſolent reſpirare & ij, quibus aſperæ pulmonis arteriæ, plurima defluxione opplentur: at neq; efflant,nec calidum emittunt ſpiritũ.

*Purulentis qualis fiat reſpiratio.*

Purulentis etiam totus thorax attollitur: ſed neq; ab eis fit efflatio,neq; ſpiritus emittit calidus, niſi fortè adurens febris acceſſerit.

*Purulenti cur quamocyſsime ſuffocentur.*

Verùm ij q̃ celerrimè ſuffocantur, tum ob plenitudinẽ ipſam,tum quòd uires omnibus purulentis neceſſariò imbecilliores reddantur. Contrà autẽ per anhelantes affectus, humorib. craſsis & uiſcidis in ipſo pulmone impactis,permanere poſſunt uires robuſtæ & conſtantes.

*Tuberculum in pulmone ortum, qualem reſpirationem efficiat.*

Ad hæc,ſi tuberculũ coctu difficile aliquando fuerit in ipſo ortum,thorax maximè dilatabit,ſed non trahet ita multum ſpiritũ, ob idq́; crebrò ſpirare cogetur,* uerùm abſq; efflatione, quę ſanè aucti caloris eſt propria.

*Aeris inſpirati quãtitas in quibusnam reſpondeat magnitudini dilatationis thoracis, & in quibusnequaquam.*

Magna porrò interdũ fit reſpiratio,ob magnitudinẽ dilatationis, quã thorax molitur: interdũ uerò ob inſpirati aëris multam eſſentiam. Igitur quicunq; ſine aliqua ſpiritalium inſtrumentorũ anguſtia, per febres ardentes difficulter ſpirant, ijs inſpirati aëris quantitas, mãgnitudini dilatationis thoracis proportione reſpondet. Quibus uerò uel tumor uel anguſtia

gustia sine flammeo calore in spiritalibus est, in his, thoracis quidem dilatatio fit maxima: id uerò quod inspirat, nõ solùm dilatationẽ proportione nõ assequitur, uerumetiam minus, q̃ secundum naturam inspirari solet, attrahitur. Cæterũ inspiratio ea quæ ob uirium imbecillitatẽ fit omnibus agentibus musculis, dicenda est sublimis, nõ magna. Iam uerò multus spiritus, & ex longis interuallis attractus (quemadmodũ inquit Hippocrates) delirũ declarat. Spiratio exigua simul & rara, spiritalium instrumentorũ frigiditatem: frequens uerò, nõ solùm spiritalium, sed eorum etiam quæ cum ipsis mouentur, ut hepatis, lienis, uentriculi, & gulæ, laborem indicat. Est etiã alia dyspnœæ species, cùm ueluti breui quadam quiete intercipitur opus thoracis: idq; modò in inspiratione, modò in expiratione, siue hoc accidat ob conuulsionẽ musculorũ thoracis, siue ob caloris copiam, cogentis ægrum cõtinenter uel inspirare uel expirare. Est & alius spirationis affectus, apnœa, hoc est, priuatio spirationis, uocatus: qui tamen constare nequit. Nam uidetur esse impossibile, ut animal omni spiratione exactè priuatũ, in uita seruari posit. Quãuis animalia ea quæ in cauernis delitescere consueuerunt, mouere thoracẽ uideantur minimè. Proinde cõijcere oportet, aut adeò exiguam adesse illis respirationem, ut effugiat sensum: aut animalia eiusmodi, tunc nõ indigere respiratione, sed transpirationẽ illis sufficere, quæ fit arteriarũ motu per uniuersum corpus. Fieri autẽ cõtingit apnœam, minimè quidem affectis respirationis organis, sed principio à quo illa reguntur.

*Inspiratio sublimis quæ.*

*Spiritus magnus & rarus, delirũ indicat.*

*Spiratio exigua simul & rara, quid significet.*

*Spiratio frequẽs quid indicet.*

*Apnœa.*

*Animal nõ posse uiuere spiratione priuatum. Latentia animalia.*

*Transpiratio fit per arterias.*

CAPVT VII.

Verumenimuero pulmo nunq̃ uehementi dolore cruciatur: at grauitatis sensum, atq; aliquando extensionẽ, uel ad pectus, uel ad spinã (quandoquidem inde suspendũtur membranæ ipsum ambientes) percipere potest. Sæpenumero etiam pulmone affecto, ægri molestantur angustia, atq; ob id crebrò celeriterq; respirant, & thoracẽ uehementer attollunt, sed nõ ita multũ aërem attrahunt. Hæc si citra febrem acciderint, aut tuberculum, aut plenitudinẽ crassorũ humorũ in eo consistere ostendunt. Cæterùm si inter respirandum ægri minimè uideantur stertere, indiesq; augeatur symptoma, crudi tuberculi ortũ suspicari oportet. Si uerò stertendo strepitũ fecerint, lentorum crassorumq; humorũ pertinaciter impactorum multitudinẽ, pulmonis bronchia molestare est indiciũ. Quòd si ilicò ab angustiæ sensu quis difficulter respiret, fluxionem uel à cerebro, uel à uicinis sedibus, irruere in pulmonis bronchia significatur. Porrò si ubi uehemens putrescit pleuritis, remissa iam febris excandescentia, in imo thoracis æger derelictam grauitatem percipiat, ac per uarios decubitus, maximè dum repentè ab uno in alterum latus conuertitur, aliquid transfluere sentiat, puris multitudinem ibi contineri, coniectura est certissima: præcipuè si nihil penè expuerit laborãs. Si uerò citra febrim serosus aut pituitosus humor subitò in thoracis spaciũ defluens, excitauerit spirandi difficultatem, æger tunc tenue sputum, idq; ab initio quidem exiguum, sed cum uehementi tussi: ubi uerò concoctum est, plus atq; crassius, & cum mitiori tussi expuere solet. Quippe bifariã accidere potest, ut uehementer tussiendo pauca quis expuat: nempe aut ob lentum crassúmue humorem, aut ob impensè tenuẽ. Siquidem tenuis humor cùm subleuatus est, inter tussiendum à spiritu diuisus refluit: lentus uerò, aut om̃ino crassus, difficulter effertur, utpote qui nõ tam facilè à corporibus, quibus impactus est, abstergi, neq; à quouis spiritu, nisi à uehementi & multo, potest impelli. Igitur sputũ quod neq; liquidũ, neq; aquosum admodum fuerit, neq; crassum etiam, aut lentũ, id facilè efferri solet, maximè ubi uires ualidæ fuerint. Porrò ubi cum spirandi difficultate, cui & angustia & grauitas coniuncta est, acuta quoq; febris inciderit, is affectus est inflammatio pulmonis. At si intolerabile incendiũ fuerit, angustiæ uerò, grauitatisq; sensus minor, erysipelas ipsum uexare censendum est. Vexatur etiam pulmo interdum inæquali, sicuti & æquali intemperie, citra humorũ affluxum. Igitur inæqualis tussim excitat: æqualis uerò, si moderata sit, spirationis concinnitatem uariat. Si autẽ uehemens, idq; uincente calore, frigidi aëris & potionis cupiditatem inducit, ac tractu temporis in febrem desinit. Per frigidam autem intemperiem, contraria euenire solent. Quippe si modũ seruauerit, calidi aëris, & calidæ desideriũ potionis excitat: si uerò modum excedit, replet uiscus ipsum fluxionib. Ob ruptionẽ etiam uasorũ, contingit sanguinem in pulmones transfluere, atq; excitare tussim. At ruptiones in eo deprehẽdes, tum ex multi sanguinis effusione, tum ex magna, notabiliq; aliqua causa, quæ subitò aduenerit. Sunt autẽ causæ prægressæ, casus ab alto, collisio, iracundia, exclamatio, atq; aliæ id genus. Contingit quippe interdũ uasa disrumpi, ubi nõ præmissa lenitione pulmonis per præcedentes exclamationes, uehemẽter aliquis exclamare cõtendit. Ad hæc, nulla extrinsecus manifesta adueniente causa, sanguinis abundantia potest in pulmone uas rumpere, si minimè extendi posit aut ob frigus à uicinis contractũ, aut ob innatã temperiem. At uerò ubi oscula reserantur uenarum, calidæ præcedunt semper dispositiones. Quæ uerò eroso uase aliquo affatim accidũt sanguinis euacuationes, eas præcedere solẽt exigua sputa, acresq; in pulmonẽ fluxiones à capite. Nõnunq̃ uerò & pulmonis aliqua pars, aut crustula simul efferri uidetur. Distinguitur autẽ ulcus pulmonis ab ulcere asperæ arteriæ & gutturis, tum ob ea quæ cum sputo excernuntur, tum ob sputi ipsius quantitatẽ. Siquidẽ per ulcus pulmonis, plurimũ sputi reijcitur: à partibus autẽ illis exulceratis, admodum parum excernitur. Præterea pulmonũ ulcera nõ comitatur dolor: ea uerò quæ guttur & asperam arteriã infestant, dolorẽ quidem inducunt, nõ tamen nimis uehementem.

*Pulmo nũquam uehementi dolore cruciatur.*

*Tuberculum in pulmone ortum quæ indicent.*

*Puris in thorace cõtenti indicia.*

*Pauca cum magna tussi expuũtur dupliciter.*

*Pulmonis inflãmatio.*

*Pulmonis erysipelas.*

*Pulmonis intemperiei æqualis et inæqualis indicia.*

*Rupta esse uasa in pulmone unde deprehendemus.*

*Pulmonis uasa à quibus rumpi occasionib. possint.*

*Pulmonis ulcus ab ulcere asperæ arteriæ et faucium, quomodo distinguatur.*

## GALENI PERGAMENI
### de locis affectis lib. V.

CAPVT I.

DEinceps autẽ symptomata quæ cordi primario affectu, & per cõsensum accidunt, cõsiderãda. Cor igitur innati caloris exi-

*Cor innati caloris origo.*

*Principia nos gubernantia.*

ſtit fons & origo:quemadmodum ſenſus & motus,cerebrū:ac hepar deniq; facultatis nutricatoriæ:à quib. ſanè tribus principijs animal gubernatur.

*Animal mori non poſſe, niſi prius cor afficiatur.*

*Cordis temperiē eſſe neceſſariam cerebro & hepati.non autē horum,illi.*

Cæterū animal omnino mori nō poteſt, niſi prius ipſum cor afficiatur: ad cuius intemperantias immodicas mors neceſſariò ſequitur. Siquidem cùm ſingulæ partes peculiari temperie cordis ſuas actiones perficiant, hac profectò pereunte, actiones quoq; ipſarū perire eſt neceſſe: ac proinde cerebri etiā &iecoris. Horū uerò temperie deperdita,nō oportet cordis ſimul actionē perire. Nam etſi ſenſu & motu uoluntario ſit deſtitutū animal, nec nutriatur, uelun in latentib. euenit, nihilominus uiuere ipſum poſſe, quādiu cor illæſum permanſerit, haud inficiandū eſt.

*Latētia nec mouerj,nec ſentire, nec ali.*

At uerò ſi cor reſpiratione priuetur, hominem ilicò perire eſt neceſſe.

*Reſpirationi quæ conſerant.*

Porrò ad ipſam reſpirationem conducūt thoracis muſculi, in quos nerui à ceruicis medulla orti, motionis principiū deferunt. Qua quidē facultate motrice, quæ à cerebro influit, muſculi ſi priuentur(ut uidere eſt per uehementes apoplexias)perit opus reſpiranonis. At uerò qua ratione homines per ſomnū ſpirāt, reliquis muſculis omnibus, præter eos qui ad thoracem pertinent, tunc feriantibus, eadem per minorem apoplexiā, atq; alios ei uicinos affectus, ſpirare poſſunt. Verùm per uehementes ſuperni principij læſiones, tota ſpiratio reſoluitur: unde cordis quoq; temperies corrumpitur, peritq; neceſſariò animal. Ex iecinoris eriam affectu mori aliquādo cōtingit, alia tamē ratione,* atrophia uidelicet. Quare in huiuſmodi affectib. uita poteſt longius produci. Mori etiam contingit nōnullos ob ſyncopam uitio ſtomachi ortā, ac uehementem dolorē, & timorē grauem, ac deniq; uoluptatē immenſam.

*Mortem contingere poſſe ob timorem grauem & voluptatem immenſam, atq; etiam mæſtitiā.*

Etenim quibus uitale robur infirmū eſt, animi uerò affectiones, ob imperitiam, fortes, ĳs facilè animæ ſubſtantia reſoluitur. Atq; horū aliqui etiam ob mœſtitiam perierunt: ſed non ilicò.

*Magnanimus vir ob nullā animi perturbationē ſuccubuit vnquam.*

At uir magnanimus, ob nullam animi perturbationem unq̄ ſuccubuit. Proprio autem affectu laborare cōtingit cor, uel ob ſimplicē intemperiem, ſiue inæqualis, ſiue æqualis ea fuerit: uel ob inflammationem, uel eryſipelas, idq; dum fieri incipit. Nam ilicò, antequā augeantur huiuſmodi affectus, animal ipſum corrumpitur. Quos ſanè affectus cardiaca ſequitur

*Syncope duplex*

ſyncope: quemadmodū ſtomachica eos, qui os uentriculi afficiūt. Hæ tamen etiam cōſentiente corde accidunt. Igitur exiguæ quidem cordis intemperantiæ, pulſus arteriarum, pro ſua quæq; natura, uariant: maiores uerò, per proprias quidem ſimilariū partium intemperies, ſubitā mortem nō inducunt: per eas autem quæ ad partes inſtrumētales pertinent, ſubitò enecare poſſunt, ſed præcedennbus ſignis quibuſdam, quorum unum ab Hippocrate eſt dictū:

*Repentè mori quib. contingat.*

Qui ſæpe & multum exoluuntur ſine cauſa manifeſta, ĳ repentè moriuntur.

*Palpitatio cordis.*

Eſt præterea & alius affectus, palpitatio uidelicet cordis, aut per ſe eueniens, aut cū ſuſpicione quadam, quòd in humore cor ipſum moueatur. Inflāmato autem manifeſtè corde gladiatores uidimus, haud aliter q̄ qui ſyncope cardiaca pereunt, obĳſſe.

*Cordis vulnus niſi ad ventrem vſque pertingat non ſtatim perit animal.*

Si ad uentrem cordis, præcipuèq; ſiniſtrum, aliquando penetrauerit uulnus, protinus cum multo ſanguine uitam exhalabit animal. Si uerò nō ad uentrem uſq; pernngat, ſed in cordis ſubſtantia conſiſtat uulnus, ex ita affectis aliqui, nō ſolùm ea die qua uulnerati fuerūt, ſed ſequenti quoq; nocte potuerūt uiuere: qui oborta deinde inflammatione fuerunt extincti. Cæterū quandiu uixerūt, mentis compotes inuenti ſunt. Vnde euidens teſtimoniū ſumere poteſt ea ſecta, quæ negat rationalem animæ uim, in corde conſiſtere.

*Rationalis animæ vis conſiſtit in corde.*

*Palpitationi cordis condvcit ſectio venæ, tenuiſque victus, & medicinæ ratio.*

Palpitatio autē uiſceris huius, plurimis per integram ualerudinē accidere eſt uiſa: quos omnes detractio ſanguinis iuuit, unà cum extenuante uictus & medicinæ ratione. Eorū tamen qui affecti ſic fuerunt, nullus ad ſenectutē peruenit. Panniculus ambiens cor quomodocūq; affectus, nullū affert periculum, niſi ipſo inflammatione affecto, cor cōſortĳ lege afficiatur.

*Cor incaleſcens refrigeratumq́; qualem edat ſpiritum.*

Porrò ſupercalfactū cor, ſpirationem efficit magnā, denſam & celerem: calidumq́; ſemper ſpiritum reflat. Contrà refrigeratū, exiguam reddit ſpirationem, & raram.

## CAPVT II.

*Thorax propriū reſpirationis organum.*

Similiter etiam thorax(proprium ipſius reſpirationis organū) aut primariò, aut per conſenſum afficitur: à cuius quidem affectibus neceſſariò reſpiratio uitiatur.

*Thorax dolens exiguā dēſamq; edit reſpirationem.*

Igitur ubi dolorificis affectibus infeſtatur, exiguam denſamq; reddit ſpirationē: id quod etiā uicinis partibus, & ĳs quæ ſimul mouentur affectis ſolet accidere. Quippe interdum læditur reſpiratio, thorace non laborante proprio aliquo affectu, ſed uel neruo aliquo orto à ſpina, uel ſpina ipſa affecta. Eorum uerò affectuum qui propriè ad thoracem pertinent, quidam in ipſius muſculis, quidā in membrana coſtas ſuccingente cōſiſtunt. Igitur intercoſtales muſculi, qui in ima parte conſiſtunt, grauiori q̄ externi dolore ob inflammationes cruciantur: facileq; membranæ ſubditæ ſuam affectionē cōmunicant: quemadmodū ubi ipſa primario aliquando affectu infeſtatur, intercoſtalium muſculorū partes internæ, ſimiliter ei condoleſcunt.

*Pleuritis exquiſita quādo fiat.*

*Pleuritidi quæ adſint ſymptomata.*

Verùm exquiſita pleuritis fit, ubi ſuccingēs coſtas membrana primario affectu laborat. Proinde dolor, uel ad iugulum, uel ad præcordia poteſt extendi: ad iugulum quidem, ſuperioribus eius partibus: ad præcordia uerò, inferioribus inflāmatis. Vehemens quoq; febris, huiuſmodi inflammationē ſequitur: quia ſedes affecta & parum diſtat à corde, & cum panniculo inuoluente ipſum, ac ſepto tranſuerſo, cognarionē habet. Iam uerò inflāmati intercoſtales muſculi, minus: cingens uerò membrana, magis & tendit, & indurat arteriā. At in peripneumonia, nulla apparet talis durities.

*Sputorum differentia, pro varietate humorū gignentiū pleuritidem.*

Porrò effuſa in uacuitatem thoracis ſanies, in aſperas pulmonis arterias recipit: ac dein per tuſsim excreta, naturā humoris qui peperit inflammationē, declarat. Etenim ſi bilis abundat, pallidū aut flauū: ſi atra bilis, nigrū: ſi pituita, ſpumoſum, & candicās: ſi ſanguis, rubrū ſputū reĳcitur. Quòd uerò ex thoracis capacitate aliquid expuat, hinc liquet manifeſtiſsimè: quòd ſi per uulnus thoracis penetrans, aqua mulſa infundat, moxq; tuſsiendo expuat, æger uel ex ſapore mulſam eſſe deprehendet. Præterea in eo ipſo ſpacio, quod inter pulmonē

atq;

atq; thoracem est, purulenti & pus continere, & ipsum tussiẽdo expuere, haud obscurè cernunt. Nec uerò defendi potest, sanguinem in ea uena quę circa spinā est, contentū, regurgitare ad cor, ut inde ad pulmones feratur: quod ex Erasistrati sermone colligit. Nam è cõtrario, uena hæc, à dextra cordis auricula exorta, sanguinẽ secū defert, qui omnibus thoracis partibus, quæ circa octo costas *inferiores cõsistunt, alimentū præbeat. Etenim superiores quatuor nõ ab *ea, sed à uena perreptante ad iugulū, nutrimentū suscipiunt. Pus itaq; in thoracis capacitate contentū, expirationis tempore in pulmonis asperas arterias transmittit. Siquidem respirationis actio ad ipsum thoracem pertinet, pulmone nullam propriam habente motionẽ: quippe qui per consequentiam dilatato thorace, pariter ipse attollit: eo uerò cõstricto, spongiarū manibus cõpressarum exemplo, rursus in sese residet. Proinde thorax uehementer cõstrictus, humorẽ qui in uacuitate subdita continet, in asperas eius arterias cõprimit. Nisi uerò thorax admodum uehemẽter pulmonẽ omni ex parte compresserit, humor in asperarū arteriarū ora recipi haudquaq̃ poterit.

*Pus in thoracis capacitate contentum, expirationis tempore, in pulmonis asperas arterias transmitti.*

*Pulmo nullam propriam habet motionem.*

Quamobrem quò robustior fieret compresio, animali adiunxit tussim natura, quę naturale est symptoma, sternutationi, singultui & nauseæ, cõsimile. Verùm quia uiribus opus est, quibus excitetur huiusmodi naturale symptoma, contingit frequenter per suppuratos affectus interire ægros, uiribus antea prostratis, quòd à ualidissima celerrimaq; cõstrictione thoracis fiat tussis, quam uires adeò imbecillæ præstare nequeunt.

*Tussis quorsum animali indita.*

*Tussis naturale est symptoma.*

Porrò inseparabilia lateralis morbi symptomata sunt, febris acuta, dolor, perinde ac si locus uel intendat, uel pungatur: spiratio frequens & exigua, pulsus paruus, arteriam & duram, & quodammodo tensam indicās, tussis magna ex parte cum coloratis sputis, nonnunq̃ uerò sine his. Atq; has sanè incoctas uocant pleuritides, quæ uel celerrimè hominẽ rapiunt, uel longo temporis spacio finiunt. Sunt præterea alij laterū cum febre dolores, per quos spirationẽ exiguā reddi est necesse, sed nullum sputū redditur: ut in ea re nihil à pleuritide sine sputo cõstante differre uideatur. Verùm hi facilè ab illis discerni possunt, quòd in his quidem nulla omnino tussis molestet (quemadmodū in illis, qui absq; sputo infestantur pleuritide, in quib. sicca adest tussis) neq; tensionẽ, neq; ullā duritiẽ pulsus referat, nec perinde acuta febre laborent, nec deniq; adeò difficulter spirent. Sunt etiā nõnulli, qui extrinsecus presso inflammato loco, dolere sese fatent. Atq; ij per sputū purgantur minimè: quia ab initio nihil eius succi, qui excitauit inflammationẽ, peruenire ad spaciū thoracis consueuit. At inflāmatione concocta, nisi pus prius discussum fuerit, ad cutim usq; attollitur, inciditurq;.

*Pleuritidis inseparabilia symptomata.*

*Incoctæ pleuritides.*

*Pseudopleuritis.*

CAPVT III.

Terminū quo thoracis pars inferior finit, antiqui phrenas uocarũt, fortè quia eo inflammato mens læditur. At Plato ipsum septū appellat, quòd irascibilem animi facultatẽ, quæ in corde est, ab appetitoria, cuius sedes est in iecinore, distinguat, separetq;. Cæterū recentiores septum transuersum id nominant, ut Aristoteles succinctură. Qui sanè musculus spirationis instrumentum cùm sit, nõ immeritò, si afficiat, ipsam lædit spirationẽ. Antea tamen q̃ quis ob affectum septum deliret, frequentẽ atq; exiguum: infestante uerò delirio, multa uarietate inæqualem spiritū reddit. Delirare tamen solent nõnulli, ob uitium cõsistens in ore uẽtriculi: sicuti per febres ardentes, pleuritidẽ, & peripneumoniā. At quæ ob septum transuersum deliria oriuntur, nõ multū à phrenitide distant. Etenim per cęterarū partium affectus, & per ardentes febres, mitigari solet delirium, quoties morbus declinare uidetur. Phrenitidis autem propria præcipuaq; nota est, ne in declinatione quidem febriū, delirium quiescere, cùm nimirū non per consensum sub huiusmodi morbo cerebrū, sed primaria affectione laboret. Proinde paulatim affectus hic gignit, nec repentè subitóue alienant ægri, ut in aliarū partiū affectibus. quinetiam prius q̃ inualescat is morbus, præcedunt ipsum nõ pauca accidentia phrenitica: utputa immensæ uigiliæ, aut somnus imaginibus uarijs turbatus, aut deniq; rerum omniū quæ faciũt, agrestis quædam obliuio. Interdum etiam, qui phrenitici euadũt, maiori cum tumultu aut temeritate respondent, cùm antea tamen fuerint mansueti. Atq; ij omnes, potu exiguo utuntur. Nonnunq̃ occiput dolore infestat. Cùm uerò ad phrenitidem iam proximè accedunt, oculi euadunt eis uehementer squalidi, aut ex altero ipsorum acris lachryma effunditur, ac dein lippitudo innatat, & uenæ intumescunt sanguine, sanguisq; stillat è naribus: quo tempore nihil quod exactè ad prudentiā pertineat, respondent, & floccos uellunt, & festucas carpunt, atq; aridiori febri, cui non ita magnæ in alterutram partem mutationes accedunt, torquent. Ad hæc lingua quoq; illis aspera est, nõnulliq; auditu falluntur, atq; interdum iacẽt cogitabundi. Quinetiam dispositione dolorifica affecti, uel acrius premente aliquo, eam haudquaq̃ sentiũt. Ergo hoc modo per cerebri affectum, paulatim phrenitis gignitur. Ab aliarū uerò partium nulla, perpetuum deliriū oriri potest, dempto solo septo transuerso, cuius uitio excitatū delirium, parum à continuo distat: à phrenitide tamen distinguitur, & ex symptomatis, & ex sanguinis destillatione à naribus, ex ipsaq; spirationis specie. Siquidẽ spiratio phreniticorū est magna, & ex longis facta interuallis: inæqualis uerò, ubi à septo delirium oritur. Cæterū pręcordia *reuelli, septi transuersi ilicò ab initio affecti, propriū indiciū est: id quod affecto cerebro, posterius accidit, uidelicet non incipiente affectu, sed ubi formatus iam fuerit. Calor quoq; circa caput & faciem, uehementior est ijs, qui ob cerebri uitiū delirant.

*Phrenes.*

*Septū transuersum separat irascibilẽ animæ facultatẽ ab appetitoria.*

*Deliria quibus ex causis oriantur.*

*Deliria ex septo transuerso orta, non multùm à phrenitide differunt.*

*Phrenitidis nota præcipuaque.*

*Phrenitidẽ præcedentia symptomata.*

*Phrenitidis iam instantis symptomata.*

*Delirium nullū perpetuum, excepto phrenitico, & quod oritur à septo transuerso.*

*Deliriū à septo transuerso ortū, quomodo à phrenitide distinguatur.*

CAPVT IIII.

Illius partis quæ inter fauces & os uentriculi media est, & quæ œsophagus, stomachus, & gula dicit, duplex est usus. Vnus, quòd ueluti uia fit eorū quæ deuorant: alter, quòd circa utrūq; progressum, tam deuoratorū, q̃ eorū quæ à uentriculo in os rejciunt, aliquid moliri uideatur. Nam cū geminæ insint ei tunicę, altera ad cibi potusq; deglutitionẽ utitur: altera ad eam, quæ uomẽdo

*Oesophagus.*

*Stomachus.*

*Gulæ usus duplex.*

*Gulæ cur tunicæ duplices sint data.*

fit, expulsionem. Proinde rationi est consonum, duo esse affectuũ ipsius genera: unum quidem quod ueluti uiæ tum ingestorũ, tum uomitione reiectorũ, ei accidit: alterum uerò, quod ei, ueluti utriusq; actionis instrumento, euenire potest. Constat itaq;, eorum duorũ usuum, alterum quidem semper esse necessariũ, alterũ propter occasiones quasdam. Igitur eorũ symptomatũ quæ gulam tanq̃ uiam infestãt, genus unum est, cùm ob tumorẽ aliquem præter naturam, angustior ipsius meatus redditur: alterum, cùm perficere proprias actiones nequit. Accedit etiã gulæ angustia ascititia, ubi à uertebris intrò luxatis comprimitur.

*Gulæ affectuum genera duo.*

*Gula inflammatæ indicia.*

Vbi uerò gula inflammata, non à uicinis partibus cõciliata, sed propria familiariq; angustia torquetur, grauissimus tunc inter degluttiendũ infestat dolor, accedente quoq; perq̃ difficili transitu, præsertim si supinus, qui laborat, iacens, deglutire quippiã conetur. Nam erecta figura transglutitio multò facilius perficiẽ. Nec uerò puto latêre uos, partiũ inflammatarũ nullam nõ dolere, ubi suo munere fungitur: contrà, mitigari dolorẽ, ubi ab agendo destiterit.

*Inflammatæ omnes partes dolẽt, ubi suo funguntur munere: mitigatur dolor, ubi ab agendo destiterint.*

*Gulæ sensu, ceu indicio, esse utẽdum, ad dignoscendos affectus illius.*

Cùm autem gula sentiendi facultate sit prædita, ipsam quoq;, ueluti auctarium indicium, in usum euocare oportet, quò plenius affectus illius dignoscanẽ. Quare iuuat ægros interrogare, quidnam deglutiendo sentiant. Quippe imbecillitatẽ nõnunq̃ percipere se fatentur, ut longo uix temporis spacio per gulam transeãt ingesta. Interdũ ea in media uia hærere & coërceri aiunt. Horũ primum actionis infirmitatẽ: alterum, particulæ cuiuspiam angustiam indicat. Verùm utriusq; differentias ex reliquis accidentibus intelligere licet. Nam in imbecillitate quæ ex sola intemperie citra tumorẽ fit præter naturã, ingestorũ in transitu tarditas, & æqualis, & sine dolore, & in supino quidẽ decubitu, maior: ceruice uerò erecta, minor, sine ullo angustiæ sensu, accidere solet. Vbi uerò cum tumore cõiuncta imbecillitas est, unam quampiam particulam angustiorẽ cęteris efficiet, atq; per eam ipsam tardior erit transitus. Quòd si tumor fuerit inflammationis aut erysipelatis particeps, accedet ei dolor & sitis, & multi caloris sensus, febrisq; nõ admodum ardens, quæ siti proportione haudquaq̃ respondeat. Si uerò tumor aliquis ex nõ ita calidis fuerit, tum citra febrim, & calorẽ, & sitim, deglutitionis inæqualitas aderit, retentis cibis in parte aliqua. Porrò affectus dolorificus gulæ, iuxta dorsum quoque sentitur, cùm gula incumbat spinæ. Iam uerò si ob ruptũ aliquod uas ipsius gulæ, sanguis aliquando uomatur, dolor statim sentitur iuxta locum ubi talis ruptio cõtigerit. At reserato ore uasis, nullus percipitur dolor: qua re à ruptione atq; erosione uasis distinguiẽ: ac præterea, quòd neq; ictus, neq; casus hanc profusionẽ pręcessit, id quod rupto uase uidere est. Quanq̃ ob solam sanguinis plenitudinẽ, uasa interdum disrumpi possunt. Quæ uerò per erosionẽ fit eiectio sanguinis, ulcere præcedente contingit. Fit autẽ ulcus, uel rupto uase, uel uitiosorũ humorum influentia: id quod in cute quoq; sæpenumero accidit.

*Reseratio uasis qua re à ruptione atq; erosione differat.*

*Vlcus unde fiat.*

CAPVT V.

Os uẽtriculi (quod ueteres ob accidentia quę inducit, cor nominabant) nõ solùm syncopam, sed cõuulsiones, sopores, morbum comitialem, atq; melancholiam inferre solet: necnõ symptomata, qualia per suffusiones infestant. Quos quidem affectus omnes, consentientibus ei cæteris partibus, in ipso fieri contingit.

*Os uentriculi quæ inferre soleat symptomata.*

*Oris uentriculi affectus primarij.*

Quippe ad propriam eius rationẽ pertinet, *tum fastidire, tum natantes cibos corrumpere. Nam si cibi in uentriculi fundo firmentur, præcipuè si suapte natura nõ facilè corrumpantur, *neutrũ ex illis accidit. Porrò cùm grammaticus quidam iuuenis, quoties uel nimis uehementer docebat, uel cogitabat, uel esuriebat, uel irascebatur, morbo comitiali, ob nimis acutũ sensum oris uẽtriculi, corriperetur, tertia uel quarta hora panẽ optimè præparatũ ei exhiberi iussi, solum quidem si nõ sitiret: si uerò siti cruciaretur, ex uino madidum, & quidem albo, modiceq; adstringente. Nam huiuscemodi uinum, ut uires addit uentriculo, sic minimè tentat caput, quod solẽt uina uehementia. Dein uerò singulis annis bis, aut ter, picrã ex aloẽ ei exhibens (quod quidem medicamen totum uentrẽ ab excrementis liberat, *ipsumq; ad actiones proprias corroborat) ita restitui hominem, ut reliquũ uitæ integra sanitate frueretur.

*Vinum album, modiceq; astringens, uires addit uẽtriculo, & minimè tentat caput.*

*Picra ex aloë usus.*

Cõplures etiã nõ solũ insomnia & somni tumultuosi molestant, sed amentia quoq;, propter uitiosum humorẽ collectũ in ore uẽtriculi. Iam uerò flatulentũ illũ hypochondriorũ morbũ, omnes professi sunt, tristitiã, desperationẽ atq; mœstitiam inducere, nihilq; ad melancholię accidentia reliqui facere. Laborantes autem eo morbo, post cruditates, dictis accidentibus multò uehementius cruciantẽ: ac quidam ipsorũ quoq; splenetici fiunt. Quocirca coniiciendum est, ex hoc etiam uiscere uitiosam saniem in uentriculũ relegari. Ergo ea accidentia quæ cerebrũ afficiunt, uel oculos, uitiosorũ humorũ uaporationem sequũtur.

*Hypochõdriaca melancholiæ symptomata & signa.*

*Syncopa uitio oris uẽtriculi accidens, quomodo uires exoluat.*

At syncopa quæ uitio stomachi, hoc est, oris uẽtriculi, accidit, ob dolorẽ ipsius proprietatem exolutionẽ inducit, fortasse uerò eius quoq; intemperie ad cor perueniente. Quemadmodũ ubi cor uehementer intemperatũ est, uires agminatim cadant, oportet. Similiter etiam cittæ, hoc est, picæ, mulieribus accidũt, ore uentriculi affecto. Nausea præterea, cardialgia & singultus, inter huius partis affectus debent annumerari.

*Cittæ fiunt ore uentriculi affecto.*

*Nausea.*

*Cardialgia.*

*Singultus.*

Afficitur autẽ uentriculi uniuersa capacitas, similibus dispositionibus quibus & os illius, cæterũ nõ perinde uehemẽtib. At quia coctionis opus perficiẽ in partibus ori subditis, necessum est eas ipsas partes, cùm malè dispositæ fuerint, cruditatis causam existere. Quòd uerò sanguis à iecinore atq; liene effluens, uacuari per uentriculũ possit, sanè de hac re latius alibi sumus dicturi.

*Sanguinem à iecinore & liene uacuari per uentriculum posse.*

CAPVT VI.

*Iecori duplex genus morborũ accidit.*

At iecori duplex etiam genus morborũ accidit: unum à sola intemperie, citra tumorẽ præter naturam: alterũ, ubi unà cum intemperie, tumor quoq; adest, ut inflammatio, erysipelas, scirrhus, inflatio, & obstructio à crassis & uiscosis humoribus, in extremis uasorum partibus, quæ à uena portæ exoriuntur, facta. Verùm in iis laborans grauitatem percipit in dextra præcordiorum regione. Quòd si halituosus quoq; spiritus, cui

cui nõ pateat exitus, illic concludatur, nõ ſolùm grauitas, ſed tenſionis quoq; ſenſus ſequel. Meminiſſe autem oportet,

*Abdominis octo muſculi, quatuor comprehenſi coniugationibus.*

octo numero muſculos per abdominis regiouem extendi, quatuor comprebeuſos coniugationib. Quarũ prima ex muſculis conſtat rectis, per totũ carneis, à pectore ad pubis oſſa protenſis. At reliquarũ trium cõiugationum muſculi, uſq; ad rectorũ contactum, carnea ſubſtantia couſtant: ubi uerò primũ illos attigerint, in membranas nerueas degenerant. Horum itaq; muſculorũ cõiugatio una, quæ quidem reliquis eſt exterior, à thorace obliqua deducitur, in anteriores partes deſcendens. Altera huic oppoſita, ab infernis exorta partibus, obliqua ad anteriores aſcendit. Huic tertia muſculorum cõiugatio ſubijcit, qui tranſuerſum habent poſitũ, atq; peritonæo innectunl. Rectorum igitur muſculorũ tumores præter naturam, oblongi, ac per totũ extenſi uidenl: quapropter haud obſcura eſt ipſorum dignotio, ſicun & eorũ qui obliqui à thorace deſcendunt. At multò difficilior eſt notitia muſculorũ, qui ijs ſunt ſubiecti: difficillima uerò tranſuerſorũ.

*Iecoris ſitus.*

Cùm igitur iecur ſub peritonæo à tribus ex illis muſculis contegatur, fieri nõ poteſt ut tactus aliquam ipſius notitiam præſtet, niſi uel magna in ipſo inflammatio oriatur, uel incumbentes ei muſculi admodum extenuentur.

*Iecur inflammatum quæ indicent.*

Iecur tamen declarant affici, in dextera præcordiorum parte grauitas, dolor tota præcordia retrahẽs, atq; ipſius ad iugulum uſq; extenſio: exigua tuſsis, linguæ color, in primis quidem ruber, deinde uerò niger: ingeus cibi faſtidium, inexplebilis ſitis, uomitus tum ſynceræ bilis, tum eius quæ ouorũ luteis aſsimilal: quæ aliquando æruginis quoq; colorẽ refert. Aluus quoq; aſtringitur, niſi unà cum uiſceris huiusim becillitate, inflammatio ipſa acciderit.

*Hepatis eryſipelate affecti accidentia.*

Eryſipelatis accidentia his ferè ſimilia ſunt. Sed inſuper febris quoq; cum uehementiſsima ſiti, laborantes cruciat. Etenim iecoris ac uentriculi flammeis diſpoſitiouibus, ardentes febres ſolent ſuperuenire: quas etiam excitari continget in pulmonis inflãmatione participe eryſipelatis: *quẽadmodum etiã per uniuerſum corpus, ob putredinẽ biliosorũ humorũ immodicè efferueſcentiũ.

*Febres ardentes à ventriculo & hepate orta, in maraſmum ſæpe degenerant.*

Verùm quæ aut iecoris aut uẽtriculi occaſione eueniunt, eæ febres omniũ ſunt uehementiſsimę, ac magna ex parte in maraſmũ degenerãt.

*Simis hepatis inflãmatis quæ adſint ſymptomata.*

Quæ in ſimis iecoris partibus eueniũt inflãmationes, ut magis, ꝗ illæ quæ in eius gibbo fiũt, faſtidiũ, nauſeam, uomitũ biliosum, ac ſitim ingentem inducunt: ſic è cõtrario hæ, maiori ꝗ illæ inter ſpirandum dolore laborantẽ infeſtant, magisq; tuſsim excitant, atq; dolorem uſq; ad dextrũ iugulum, adeò ut detrahi uideatur, extendunt. Vtriq; autẽ parti, cùm dolor adeſt, nõnunꝗ nothæ coſtæ cõſentiunt.

*Gibbis hepatis inflãmatis quæ ſymptomata oriantur.*

Soli uerò iecinori eſt proprium, ut tumoris cumulum cõprehenſim habeat circunſcriptum. Quare durus in ipſo circa priucipium tumor (quem ſcirrhum uocant) multò euidentius ob duritiem dignoſci poteſt, quàm inflammatio. At uerò tractu temporis, ꝗuis magis increſcat ſcirrhus, nõ tamen æquè facilè deprehenditur,

*Hepatis ſcirrhũ ilicò ſequi hydrops conſueuit.*

intercipiente ſcilicet indiciũ aqua inter cutem, quæ & ilicò ſcirrhum ſequi cõſueuit, & niſi afficial hepar, gigni minimè poteſt.

*Hydrops gigni non poteſt, niſi afficiatur hepar*

Non tamen ſemper ob primariam excitatur affectionem illius, etſi hoc frequẽtiſsimè accidat. Etenim quia hepar facultatis ſanguificatricis eſt inſtrumentum: conſequens eſt, ut ipſo uitiato, actio quoq; eius uitietur.

*Hepar eſt ſanguificationis principium.*

Accidit tamẽ interdũ, ut ob intemperiem alicuius particulæ, earũ quæ aut per meſeraicas, aut cauam uenam, cum illo cõmercium habent, ipſum quoq; refrigeretur. Porrò ſimarũ partiũ uenæ, ab ea quæ in porta eſt, exortæ, in tenuiſsimas extremitates finiuntur:

*Venarum hepatis explantatio.*

ad quem ſimiliter locũ, aliæ quoq; uenarũ extremitates, à concaua uena in gibbas uiſceris partes diſtributarũ, perueniunt. Cibus igitur uniuerſo corpori diſtributus, ex omuibus ſimarũ partiũ uenis exiens, ad gibbas partes per dictas extremitates tranſumitur. In qua quidem uenularũ conſpiratione, nõnulli fieri obſtructiones exiſtimant. Ergo ob refrigerationẽ iecinoris, in ſanguinem mutari cibus non poteſt, refrigeranturq; cum illo totius corporis uenæ.

*Hydropis cauſa diuerſa.*

Sæpenumero etiam, nullo tumore apparente in iecinore, æger aqua inter cutem corripitur, uel ob uitium lienis, uel ieiuni, uel alicuius inteſtini tenuioris, aut meſenterij, aut pulmonis, aut renũ, aut ob immodicũ hæmorrhoidum, aut menſium profluuiũ, aut ob ſuppreſsionem menſtruorũ, aut ob alium uteri momentaneum affectum. Ex intempeſtiua præterea frigidæ potatione iecur affatim refrigeratũ, ſtatim aquã inter cutim inducit.

*Cibi deſideriũ vehemens ineſſe ijs, quibus os ventriculi fuerit perfrigeratũ.*

Ac ſic affecti, uehementi ciborum deſiderio tenentur, quod ſolent omnes quibus os uentriculi fuerit perfrigeratum.

CAPVT VII.

Porrò utrũ ſemper in morbo regio locus affectus ſit hepar, an alia præterea diſpoſitio hũc affectum efficere poſsit, deinceps cõſiderandum. Siquidem uidemus nonnunꝗ iecinore haud malè affecto, per morbi iudicationẽ effundi pallidam bilem per uniuerſam cutim. Quinetiã citra morbi iudicationẽ interdũ aliena quadam corruptione, qualis ob ferarum morſum contingit, quandoq; ſanguis in bilem mutal.

*Sanguis quando in bilẽ mutetur.*

Fieri autẽ poteſt, ut iecinoris naturali temperie mutata, humores huiuſmodi uitio afficianl, & quidem citra obſtructionẽ, aut inflãmationẽ, aut ſcirrhũ.

*Color corporis quot modis vitiari poſsit.*

*Lienis, quàm hepatis, vitia, nigriorem colorem reddunt.*

Ob ſplenis quoq; uitia, corporis color uitiatur, ſed multò nigrior fit, ꝗ ob affectum hepar. Cùm igitur ſanguinis generatio hepatis munus exiſtat, nullã ſanè aliã cauſam huiuſce generationis dicemus eſſe, à facultate ipſius uiſceris propria.

*Eſſentia facultatum, in proprijs partium temperamentis conſiſtit.*

Cæterùm omniũ facultatũ eſſentia, in peculiaribus partiũ temperaturis conſiſtit. Proinde ſi hepar ad aliquã octo intemperantiarũ aliquãdo labatur, accidit facultati ipſius noxa, quæ peculiariter illi intemperantiæ debetur.

*Hepatis intemperantiarũ ſingulis quos effectus tribuantur.*

Igitur calidæ iecinoris intemperantiæ, cùm cõtentos in ipſo humores, tum eos qui ſuggerunl per meſenterij uenas, adurũt & aſſant: frigidæ autẽ, ſuccos iam in ipſo cõtentos, craſſos, ad fluxumq; contumaces efficiunt. Quod uerò ad ipſum ſuggeritur, pituitoſum, crudũ & ſemicoctũ reddunt. Rurſus aridæ intemperantiæ, ſicciores craſsioresq;: humidæ uerò tenuiores, aquoſioresq; humores efficiunt.

*Iecore affecto qualia ex crementa excernantur.*

Igil cùm alui ſedimina, aquę, in qua nuper mactatæ carnes fuerint ablutæ, ſimilia uideris,

*Hepatica excrementa quæ dicantur.*

iecur esse affectũ existimabis. Nominant autem præcipuè hepatica, quæ ob imbecillitatẽ ipsius deijciuntur. Vt autem tenue excrementum & saniem referens, infirmi iecinoris gignere sanguinem non ualentis: ita id quod similatur fæci, superassantis satiguinem hepatis est indicium. At uerò nõnulli primò quidem saniem, & cruenta quædam: dein tractu temporis, crassum ac melancholicũ sanguinẽ: postremò atram quoq; bilem, atq; synceram, deijciunt. Qui affectus interdum ob frigidam intemperiem, citra febrem, incipit: ac tunc quidem tenuis sanies excernitur: dein uerò progressu temporis, corrupto in uiscere sanguine, febris solet superuenire. Porrò nõnulli eorũ qui ob frigidam intemperiem laborare incœperũt, nõ solùm nõ amittunt cibi cupiditatem, uerumetiam multò magis q̃ antea appetunt.

*Calidas intemperies nũquam comitatur cibi cupiditas.*

At calidas intemperies nunq̃ comitatur cibi cupiditas, sed fastidiũ graue, sitis uehemens, febris insignis, atq; prauorũ humorũ uomitus.

*Facultates naturales quatuor inesse singulis nostri corporis partibus.*

Sciendum autẽ est, singulis nostri corporis partibus quatuor naturales facultates inesse: quarũ prima appellatur attractrix, quæ peculiares parti succos, alendi ipsam gratia, & appetere, & attrahere potest. Altera deinde est, quæ alteratrix dicit̃, qua succus attractus, similis euadit ei quæ nutritur particulæ. Huic aliæ duæ ministrant: retentrix nempe, quæ suo munere fungitur, quando pars succũ attractum concoquit, donec eum in suam ipsius naturam cõuerterit: & expultrix, quæ post absolutam coctionẽ, excernit id quod inutile est, atq; excrementum uocatur.

*Facultatum singularum læsiones in hepate, quæ signa indicent.*

Si igitur in iecinore attractrix facultas quomodocunq; afficiatur, cibum quem cõfecit uentriculus, atq; in chylum conuerrit, relinquet, ut liquidus excernatur per aluum. Atq; hoc sanè ipsius facultatis affectæ erit signũ.

*Signũ alicuius dicitur, quod ab eo proficiscitur, tanquã à causa*

Siquidem quicquid ab aliquo proficiscitur, tanq̃ à causa, id etiã esse illius signum constat. Vbi autem hepar integrè ualet, mesarei uenis ueluti quibusdam manibus, quæ ex uentriculo ei cibum afferant, utitur. Cæterũ ubi uel inflammatio uel erysipelas afficit mesenterium, nõ solùm qualia per iecinoris imbecillitatem excremẽta deijci consueuerũt, planè excernuntur, sed apparet etiã ueluti ab inflãmatione, sanies quædam illis admista. Vt autẽ nõ potente ob imbecillitatẽ hepate succũ à uentriculo attrahere, attractrix facultas afficitur: sic ubi retinere nõ ualet, retentrix uis infirma putãda est: ob idq; primò quidem cruenta sanies excernitur, dein crassior & fæculentior. Similiter aliæ quædã excretiones contingunt, nõ quidem ob imbecillitatem, sed ob expultricis facultatis robur, ratione plenitudinis, idq; interdum per integram ualetudinem.

*Partes aliquas purgari interdũ per hepar.*

Sic plerunq; pars aliqua cùm affecta est, per hepar purgatur, uiribus ipsius iam robustioribus factis. Quemadmodũ autẽ retentrix facultas dum imbecillior est, ac rem quę ipsam grauat, retinere nõ potest, uis expultrix id quod infestat euacuat: sic infirma expultrice, retineri quędam res solẽt, facultate retentrice nõ usqueadeo grauata. Nam in quolibet instrumento aliàs alia facultas uel fit fortior, uel imbecillior, facta relatione ad actionem.

*Particula omnis agit secundum proprietatẽ temperamenti.*

Etenim omnis particula, secundum temperamẽtũ quod ei *perpetuò inest, agit, proprietatẽ. Iam uerò interdum etiam contingit, ut ob folliculi fellis imbecillitatẽ, ad se bilem minimè attrahere ualentis, impurus uagetur sanguis per uniuersum corpus, aliaq; oriat̃ morbi arcuati species pręter illas, quas superius exposui.

*Morbi regij causa.*

Qui folliculus sic etiam nonnunq̃ impletur, quemadmodũ urinæ uesica, ut euacuari nõ posit, aut quia obstructus est, aut quia secretoria ipsius facultas est imbecillior. Veluti etiam cùm obstructis aut infirmis uasis, quę ab ipso extenduntur in hepar, biliosum humorẽ interdum attrahere nõ potest.

*Excrementorũ proprietas in regio morbo consideranda.*

Proinde excrementorũ proprietatem in morbo regio considerare, perq̃ necessariũ est.

*Regij morbi absque febre innascentis curatio.*

Porrò quibus citra febrim morbus regius accidit, urgente in dextra præcordiorum parte grauitatis cuiusdam sensu: ijs omnibus aperiens obstructiones cibis & potibus, & medicamentis extenuantibus, deinde medicamentũ quod bilem ducere posit, exhibens, eorũ plurimos una die sanitati restitui. Qui uerò purgatione liberari nõ potuerũt, ijs rursus ualentiore ad aperiendum data potione, medicamentũ quod uehementius purgaret, exhibui: sic, ut sub purgationis fine, cœrulea magis q̃ flaua bilis cum acri mordacitate secerneretur. Atq; in ijs conieci fellis folliculum similiter affici, ut solet urinæ uesica, ubi magna humoris copia distenditur, quam excernere nequit, interdum ob excretoriæ facultatis imbecillitatẽ, interdum quòd ob graue somnũ, uel negocia quæpiam, ultra q̃ par est, urinam supprimens, dein ab ea prosternat̃, mirũ in modũ intenta. At folliculus fellis,* cùm iuuetur nihil ad excretionem à facultate animali, unicũ habet imbecillitatis principium, ueluti cætera quoq; naturalia instrumenta, à partis intemperie ortum.

## GALENI PERGAMENI
### de locis affectis lib. VI.

#### CAPVT I.

*Lien sanguine alitur melãcholico.*

Lien autẽ, cùm ex hepate sanguinem melancholicũ trahat, quo ipse postea nutrit̃, sanè si in eo facultas attractrix facta sit imbecillior, sanguis ex iecore impurus in uniuersum corpus transmittitur, ac proinde color nigrior euadit. Quinetiã exemplo hepatis, sæpenumero ex se reijcit excrementa quędam: ita ut per uomitũ, cui nausea accedit, nonnunq̃ excernatur melancholicus sanguis: qui interdum etiam solet per inferna descendere. At huiusmodi uacuatione suppressa, nõnulli melancholica tristitia afficiuntur, cibosq; auidissimè cõcupiscunt: idq; præcipuè, si ualde fuerint acida, quæ excremẽta ad uentriculũ transferunt̃. Si autẽ alia melancholici humoris corruptio accidat, subuerti, deijciq; appetentiã uidebis.

*Liene indurato, illiq; cõsentiente iecinore, aqua inter cutẽ oritur*

Quòd uerò indurato ipso, aqua inter cutẽ effundi posit, consentiente iecinore, iam antea est dictũ.

*Regius morbus permistus.*

Quinetiã laborante aliquando utroq; uiscere, regiũ morbũ euenire cõspeximus, nigriore q̃ pro cõsuetudine subsequẽte colore, ita ut uideretur flaua bilis esse fuligini admista.

*Frigida intempestiuè exhibita solet aquã inter cutẽ efficere, præcipuè si uitiosa fuerit.*

Quemadmodũ autem uitiosa aqua & frigida, * si confertim & intempestiuè bibatur, solet aquã inter cutem inducere (nocet enim sic ingesta interioribus partibus, maximè uerò ijs,

quæ

quæ tum temporis fuerint imbecilliores) sicob eefrigeratum unà cum tumore lienem, utputa si adsit scirrhus: uel citra tumorem, ut per iam nuper dictam aquæ potionem, aqua inter cutem etiam euenire consueuit. Cæterùm nisi ad hepar usq; ipsa refrigeratio peruenerit, aqua inter cutem subsequi potest minimè.

*Aquam inter cutem gigni non posse, nisi ad hepar refrigeratio peruenerit.*

CAPVT II.

*Dysenteria est vlcus intestinorum.*

*Dysenteria causa.*

Dysenteria exquisita, intestinorũ ulcus existit. Qui sanè affectus, non gignitur affatim, aut subitò, ut ille quem uitio hepatis accidere diximus: sed protinus, quidem ab ipsius initio, bilis mordax excernit, quam deinde interaneorũ abrasiones sequunt: postea uerò paulùm cruoris deijci simul uidetur, quãdo uidelicet ipse affectus iam esse dysenteria censet. Cùm itaq; huiusmodi abrasiones solæ excernuntur, considerandum est, num pingue quippiam simul cum eis deijciatur: ita enim ulcus in crassis intestinis consistere, existimandum est. Vbi uerò cruorem quoq; excerni uideris, intueri oportet, utrum is reliquis excrementis adeò permistus sit, ut uniuersus uniuersis misceatur, an pars eius aliqua reliquis supernatet. Etenim si admistus sit, in superioribus: si uerò supernatet, in humilioribus intestinis ulcus esse portendit. Idem etiam & in abrasis excrementis uidere est, uerũ nõ ita manifestè, ut in cruore. Similiter crustula, quodnam intestinũ sit ulceratũ declarant, tum ex essentiæ proprietate, tum ex modo, quo uel misceri reliquis excremẽtis, uel uni eorũ parti supernatare uidentur. Nec uerò mediocriter cõducit ad curationẽ, nosse in qua intestinorũ parte consistat ulcus. Nam si in superioribus intestinis sit, ab epotis medicamentis præsidium petendum est: sin uerò humilioribus hæreat, clysterem subijcere magis conuenit. At huiusmodi dysenteriæ, ab ijs quæ ab hepate profluunt, sic discernũtur. Nam ab initio tenuis sanies sanguinis ab hepate excernit: deinde aucto malo, crassus humor fæcibus uini haud absimilis. Præterea, in hepaticis excretionibus nihil abrasum expellitur, atq; interdum duorum, aut trium dierũ interuallo, supprimitur euacuatio: dein rursus malum reuertitur, atq; excernunt excremẽta prioribus multò peiora. Id uerò per intestinorũ ulcera haudquaq̃ apparet: quippe in ijs neq; affatim, neq; ex longis temporis interuallis, laborantes deijcere consueuerunt. Porrò ulcera quæ in recto intestino oriuntur (tinesmũ uocant) uehementi quidem tensione, & prompta deijciendi cupiditate infestant, paucis admodum sequentibus excrementis: quæ quidem ab initio pituitosa & pinguia, progressu uerò temporis, etiam ramenti specie deijciunt: sed per totum morbi spacium, ijs quæ à supernis descendunt, minimè misceri uidentur. Iam uerò ut doloris colici, nephriticiq; distinctio, in initio difficilis est, sic circa id tempus, non ita magna præsidiorũ differentia desiderat. Cæterũ & nausea, & uomitus, per id genus affectus urgent: sed multò grauiores, & magis assidui, dolẽte colo. Euomuntq; ita laborantes pituitosa quædam, atque coerupta: hac in re longè superãtes nephriticos: ac retinent etiam magis excrementa, ut ne flatũ quidem, neq; etiam ructum excernere possint.

*Intestinorũ quænam exulcerata sint, crassiorane, an tenuia, ab excrementis dignoscitur.*

*Intestinis supremis exulceratis, epotis medicamentis succurrere oportet: infimis, per clysteres iniectos.*

*Hepaticum fluxum à dysenteria quomodo distinguere oporteat.*

*Tinesmi descriptio.*

*Colicum dolorẽ nephriticũq; circa principia, eãdẽm ferè medendi rationem desiderare.*

*Colici dolores à nephriticis quomodo distinguãtur.*

Sæpenumero ueluti circuire uidetur dolor, modò hanc, modò illam partem infestans. Nephritici uerò dolores eodem in loco stabiles, infestãt iugiter. Cùm itaq; doloe in loco fuerit altiore renibus, manifestum colicæ indicium portendit: si uerò circa sedem renum infestet, urinæ considerandæ sunt. Nam nephritici ab initio dilutas purasq; reddunt urinas: dein sequentibus diebus, crassum aliquid in ipsis subsidere uidetur: demũ arenosæ miuguntur. At in colica, si quid ab aluo deijcitur, id flatuosum quodammodo est, & sæpenumero aquę supernatare consueuit, similem habens bubulo stercori consistentiam. Quinetiã cruciatus colici, quàm nephritici, multò magis lenientibus mitigantur clysteribus. Atq; interdum euenit, ut frigido aliquo humore simul eiecto, ilicò quiescant. Quare ipsum præsidiũ mitigans, [...] etiam curatiuũ atq; prognosticũ. Nephritici [...] dolores, cum urina exeunte lapide, simul & soluunt, & locum affectum indicant. Vt autẽ persenerante dolore utraq; pars eisdem auxilijs indiget, sic tempore subsequente ad præseruationẽ oportet diuersa præsidia adhibere. Cùm autem omnia intestina ordine quodam à uentriculo ipso descendant, atq; omnium supremum, ieiunum sit: deinde, quod tenue uocatur: postea cæcum, quod usq; ad infernas partes extendit: deinde colon, quod ad superiores reuertitur partes, ita ut sæpenumero hepar & lienem attingat: satis mirari non possum, quo pacto uehementissimos quosq; dolores, quacunq; in parte cõsistant, ab omnibus colo tribuantur. Igitur ob frigidum crassumq;, aut etiam humorẽ uiscidum, aut ob flatulentũ spiritũ, in corpore crasso densoq; alicuius intestini inferioris genitũ, sed egredi nequeuntẽ, excitari dolor consueuit: uehemens quidem, ob intemperiem atq; tensionẽ corporũ in quibus hæret impactus: longus uerò, quia difficulter uacuatur. At dolor ille acerbissimus, quem ileon, uoluulum & chordapson uocant, sublimiores intestinorũ partes infestat, adeoq; impellit ad uomitum, ut nõnulli stercus per os reddentes, miserrima tandem morte moriantur. A quo affectu uix aliquis unquam euadere potuit. Itaq; nõ ab re uisum est medicis antiquioribus, uel ab inflammatione, uel ab obstructione aridi stercoris, oriri huiusmodi tenuiũ intestinorũ affectũ. Sunt & alia symptomata, quæ & intestinis & uentriculo simul affectis euenire credunt: ut quas lienterias cœliacas nominant, ubi materiæ ipsæ minimè mordaces existũt. Etenim ut mordaces ob mordendi uim omnia intestina ad excretionẽ excitant, sic nõ mordaces, intestinorũ imbecillitatẽ sequuntur: quia retinere contenta ne exiguo quidem tempore possunt.

*Nephriticorũ vrinæ quales.*

*Colica excrementa qualia.*

*Intestinorum ordo.*

*Dolor colicus.*

*Ileos.*

*Voluulus.*

*Chordapsos.*

*Voluulo laborantem vix aliquem euasisse.*

*Voluuli causa.*

*Lienteria cœliaca.*

CAPVT III.

Igitur si nephritis repentè incidat, lapide notatu digno, uel in renũ aliquo, uel in ureteris entã impacto, dolorem excitabit haud absimilem colico: uerùm distinguet ab eo, per illa quæ in capite præcedẽti accidere colo affecto iam diximus. Vbi uerò ex ijs quæ in urinis resident, aut ex lapide excreto, discerni ipsi dolores possunt, quæstioni nullus locus relinquitur. Porrò ubi dolor alterius eenis, cum horrore inordinato & uario,

*Nephriticus dolor cum horrore inordinato, ac febre etiã inordinata affligẽs, quando abscessum significet.*

necnon inordinata febre affligit, si per pronum decubitũ atq; in alterum latus permutationẽ, in ipso rene dolente suspensi cuiusdam põderis sensum æger percipiat, abscessum iam concretũ esse conijcere oportet. Quo concocto, pus mictum ut laborantem à dolore liberat, sic ulceris in rene periculum affert: quod nisi ilicò cicatrice inducatur, ægrè curationẽ recipiet. At perseuerantis ulceris notę ex urina haud obscurè deprehenduntur.

*Renis exulcerati indicia.*

Adde quòd laborans creberrimè in affecto rene dolorem sentit: atq; interdum cum urina exiguum pus ueluti ab ulcere excernitur. Similiter ramentũ nonnunq̃ cum urina excerni uidetur: atq; interim sanguis quoq;, qui erosi iam ulceris est indiciũ. Quanq̃ rupto aut reserato aliquo uase, sanguis potest etiam profluere.

*Carunculæ cum urina excretæ efficacissima ulceratorum renum sunt notæ.*

Verũ efficacissima exulceratorũ renum est cõiectura, si exiguæ quædam carunculæ cum urina excernantur: utpote quas renũ essentiæ partes, easq; ob uehementẽ ulceris erosionẽ auulsas esse constat.

*Pilis similia excremẽta, quæ in urinis cernũtur, in renis gigni.*

At quæ unà cum lotio excernuntur pilis similia, probabilius mihi uisum est, ea in uenis, q̃ in renum capacitate, gigni: idq; ex crassa lentaq; materia, quam calor calfecit exiccauitq;: cuius sanè affectionis per diuretica * speraui curationem futuram, nec unq̃ spes me fefellit. Iam uesica, ubi longo tempore acres per ipsam urinæ transeũt, ulceribus affligi solet. Est & alius renũ affectus, quo tenuis sanies sanguinis mingitur: cuius quidem existet causa, aut ipsorũ imbecillitas renũ, aut maxima relaxatio eorum meatuũ, per quos ex uena caua in renes percolatur urina. Atq; ad renes quoq; pertinere is affectus uidetur, quem alij matellæ hydropem, alij profluuiũ urinæ, alij diabetem, alij dipsacon uocant: qui certè q̃rarissimè accidit.

*Diabetes. Dipsacos.*

Quo morbo affecti, inexplebili siti uexantur. Quare & exuberanter bibunt: & reddunt totum id quod biberũt, minimè à sua qualitate mutatũ. Hic igitur renũ uesicæq; affectus, similis est læuitati uentriculi, intestinorumq;. Igitur ut ex uentriculo iecur per mesenterij uenas, ueluti arbores à terra per radices, alimentũ ad sese trahit: sic etiam renes sibi quicquid in uenis est aquosum, alliciunt.

*Vesica non trahit à renibus.*

*Intestina non trahunt à uentriculo.*

Cæterũ uesica nõ trahit à renibus: quemadmodũ neq; intestina à uentriculo: sed renes quidem per ureteras excernendo in uesicam mittunt: uentriculus autẽ in ieiunũ, per intestinũ ab Herophilo dictũ dodecadactylum.

*Diabetis causa est imbecillitas renum.*

Proinde diabetis causa, renũ imbecillitas, nõ potentium diutius continere urinam, censenda est. Verumenimuero obijciet aliquis: si imbecilli sint renes, qui fieri potest, ut urinam ad sese tam celeriter attrahant? Cui quidem respondere licebit: quemadmodum canina appetentia, in uentriculi ore consistens, nõ potente ipso sustinere pondus deuoratorũ, multa impetuosè ingerere, eademq; celeriter excernere cogit: sic in renibus etiam serosi humoris cupiditatem, unà cum uirium imbecillitate accidere.

*Appetentia canina.*

Vnde & humiditatem affatim trahere, & eam mox in uesicam pellere, ipsi renes coguntur. Quòd autẽ urinæ fluor repentè euenire possit, læuitas intestinorum nõ possit, ueluti nec canina appetẽtia: ob id fit, quia cupiditas qua cibum appetit uenter, animale officium existit, quo citra sensum nostrũ fungi nequaq̃ potest.

*Appetentiã cibi esse animale opus.*

Renum uerò desiderium est naturale, neq; ab ipso sensus nostri afficiuntur. Proinde cùm ad statũ peruenit, ne sensum quidem mouet, quemadmodũ appetentia canina. Porrò laborantes uehementi siti, quatuor accidentiũ discrimen à potione subire solent.

*Sitientes uehementer, quatuor accidentium discrimen à potione subire possu[nt].*

Vnũ, & quidem primũ, uomitio est: alterũ, uelox per aluũ excretio, aut fluore, aut læuitate intestinorũ: tertium, quòd potus diutius quàm par est, in uentriculo manet: quartũ denique est diabete, siue urinæ profluuium. Occurrit interdum affectus alius diabeti simillimus, & quidem ob ciborum multitudinem, qui nec crudi permanent, nec deijciuntur per aluum, nec plenitudinẽ gignunt, nec etiam probè alere possunt, sed discutiuntur, dissipanturq;. Cuius ut crebrior est, quàm dipsaci, euentus, ita faciliorem curationẽ admittit. Quippe si prius quàm ad summũ peruenerit, ipsum cognoueris, haud ita difficulter curabitur. Atq; is affectus, à celeri dissipatione ortũ ducit, omnibus partibus attractricem, appetitricemq; facultatẽ seruantibus.

*Sitis ingentis causa.*

At uerò ingentis sitis, quæ citra diabetem accidit, causa est uentriculus, aut calida, aut sicca, aut utraq; intemperie laborans: maximè uerò os ipsius: proximè uẽtriculo hepar, sed maximè pars eius sima, simul inflammatis meseraicis uenis, & ieiuno, & uentriculo, atq; cum gula, pulmone. Quarum partium incendium marcor ut plurimũ comitatʼ.

*Diabetes proprius renum affectus est.*

Diabetes itaq; proprius renum affectus existit, qui caninæ in ore uentriculi appetentiæ proportione respõdet, accedente præterea retentricis facultatis imbecillitate.

CAPVT IIII.

Vesicæ superueniunt symptomata, partim cõmunia cæteris, ueluti omnes ipsius præter naturam tumores, dolores, & quæ hos gignunt dispositiones: partim ipsi propria, ut ischuria, hoc est, urinæ retentio: stranguria, hoc est, stillicidium urinæ: præterea immoderata urinæ profusio.

*Ischuria. Stranguria.*

Quæ quidẽ euacuationes uesica ceu meatu utuntur, ipsa haudquaquã affecta. At uerò stillicidium urinæ, si ob urinæ acrimoniã fiat, symptoma uesicæ est, affectus uerò minimè. Si uerò aut ab ulcere, aut ab imbecillitate procedat, * in uesicæ affectu consistit.

*Stillicidium urinæ quando symptoma uesicæ, quando affectus proprius fiat.*

Cæterùm cùm ab intemperie uesica sit imbecillior, propria ipsius actio lęditur, quæ est urinæ excretio: ad quã animal excitari solet, cùm uel à multitudine cõtentæ in ipsa materiæ uesicã grauatʼ, uel à mordacitate conuellitur. Quin etiã instrumentales affectus interdũ imbecillitatẽ inducere possunt: præterea omnes intemperantiæ, præcipueq; illæ, quæ sæpe nõnullis eueniunt, cùm frigore corripiuntur. Ad hæc, ischuriæ symptoma superuenire solet uesicę, tanquã meiendi instrumẽto: interdũ quidẽ, cùm circa id quod in ea cõtinetur, cõtrahi nõ potest, ut ipsum exprimat: interdum etiam, obstructo inferiori meatu aut à crassis humoribus, aut à lapide impacto. Atq; accidit nonnunq̃ uel ab inflãmatione, uel ab alio id genus tumore, ut angustior reddatʼ meatus, uel etiã omnino obstruatʼ. Sciendum autem est, non uesicæ, sed meiendi munus, ueluti etiã deijciendi, nõ intestinorum officium, pendêre à uolũtatis imperio. Quippe uesicæ officium unicum * est, cõtractio. At musculus qui urinæ

*Meiendi munus non uesicæ pendet à uoluntatis imperio.*

*Deijciendi munus, non intestinorum, est uoluntarium.*

urinæ meatum in circuitu ambit, in origine ceruicis ueſicæ poſitus, inſtrumentum eſt, cuius opus ab electione excitatũ. Similem quoq; & actionem & uſum habet muſculus, qui recti inteſtini partem extremam ambit: proinde ipſis reſolutis, neq; urinam ueſica, neq; aluus ſtercora, retinere poteſt: ſed præter uoluntatem, * utraq; paulatim effluunt. Quare ſuppreſsio urinæ fieri nequit ob affectum ſpinæ, aut neruorum ab illa in dictos muſculos exortorum (quod nonnulli putarunt, credentes ueſicæ officium à uoluntate pendêre) ſed ipſius inuoluntaria excretio. Atqui ut nonnulli tum urinarum, tum excrementorum alui deiectionem totam ab electione procedere exiſtimantes, hallucinati ſunt: ſic rurſus alij, his è diuerſo totum hoc opus naturale putantes, ab ſcopo aberrarunt. Etenim cibi à uentriculo in ieiunum tranſmiſsio, tota naturæ opus eſt: uoluntatis autem, extenſio digiti. At alui deiectio, & urinę redditio, utroque inſtrumento proprijs ſuis facultatibus operante, perficitur. Rectum enim inteſtinum, atque ueſica, naturali facultate utuntur: muſculi uerò, ea quæ animalis & uoluntaria uocatur. Quippe muſculi qui ſolent cohibere fluores, ab opere quieſcunt, abdominis muſculis munere ſuo fungentibus: maximè uerò medijs. Quum igitur ueſicæ corpus ita fuerit affectum, ut quod in ea cõtinetur exprimere nequeat, urina ſupprimitur, uocaturq; ſymptoma id iſchuria. Accidit etiam interdum, propter ipſius ſenſum obtuſum, ut non reddatur urina, citra tamen expultricis facultatis læſionem: nimirum ſi proprij ueſicæ nerui afficiantur, neruis muſculi ceruicem eius conſtringentis, munere ſuo fungentibus. Qui quidem ſi reſoluantur, urina præter uoluntatem excernitur. Ob ſpinæ etiam luxationem ad interiora, ſupprimi aliquando urina conſueuit: orta uidelicet phlegmone in affecta particula. Quemadmodum uertebris ad externas partes luxatis, inuito urinam profluere uidimus, ob reſolutum neruum muſculi ueſicam ipſam claudentis. Retenta etiã longo tempore urina, uel ob ſomnum diuturnum, uel ob negocia urgentia, ipſa ueſica extenditur, atque urina ſupprimitur, contractrice facultate propter tenſionem immodicam læſa. Præterea ob ſanguinis grumum & pus craſsiuſculum, interdum retinetur urina. In pueris etiam, quos lapis in ueſica cruciabat, uidimus ſæpenumero ipſam urinam ſupprimi. Eos itaque, reſupino figurato corpore, adeò concuſsimus, ut à meatu lapis dimoueretur. Cæterùm grumos uocatos, non ſolùm eos qui in ueſica, ſed multò magis illos quoq; qui in inteſtinis, uentriculo, atque thorace nonnunquã continentur, animi defectio, & color pallidus ſequi ſolet: pulſus uerò paruus, obſcurus, & frequens apparet: laboránsque ipſe, cum anxietate reſoluitur. Sunt autem ad intentionem affectæ ſedis, non ſolùm præſentia ſymptomata, ſed præterita etiam inueſtiganda. Nonnihil etiam confert quantitatem puris (ſi quando excernatur) & miſturam eius cum urina, conſiderare. Nam ſi pus cum lotio exactè permiſtum ſit, à ſupernis alicunde partibus effluit. Si uerò ſine urina excernatur, in ueſica conſiſtere ſuppurationem indicat. Sed quod mediam inter hæc conditionem

*Muſculus ueſicæ atq; ſedis, agit ſecundum uoluntatis imperium, quibus reſolutis, excrementa retinere non poſſunt.*

*Iſchuria quando accidat.*

*Vrina ſuppreſſa cauſæ.*

*Grumos in corpore præter naturam contentos, quæ ſequantur ſymptomata.*

*Pus ſi cum urina excernatur, miſtionem ipſius eſſe conſiderandam.*

ſeruauerit, id à renibus deſcendiſſe, certum indicium eſt. Similiter expendendum eſt, ſi rupta uomica, cum notis affecti loci, ulceris aliquod quoque ſignũ appareat. Nam & hoc, aut exactè, aut mediocriter, aut omnino nihil cum urina miſcetur. Atq; uocatum quidem ramentum, ulceris: eſſentiæ uerò proprietas, affectæ partis proprium iudicium eſt. Quippe partes à ueſica auulſæ, lamis: à renibus uerò, ſunt carunculis ſimiles. Similiter ubi ex ſublimioribus pars aliqua affecta eſt, excrementa cum urinis eiecta intueri, & ea ſuſpectarum partium eſſentiæ comparare oportet. Igitur cum urina expurgantur gibbæ hepatis partes, atq; omnes quotquot his ſuperiores exiſtunt: per aluum uerò pars iecinoris ſima, inteſtina, uentriculus, lien. Præter has aliæ quædam fiunt purgationes, ſed rarò: ut quum thorax & pulmo per aluum purgatur: quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt poſitæ partes, per urinas. Vidimus etiã nos pulmonis uomicam expurgari ſimiliter per urinam: reiecto uidelicet pure, à pulmone quidem per læuem arteriam, in ſiniſtrum cordis uentriculum: à corde autem, per arteriam magnam, ad renes: atque illinc tandem per ureteras ad ueſicam. Etenim ut à concaua uena, ita ex magna arteria, rami ad renes deſcendunt.

*Ramentum eſt ſignum ulceris.*

*Eſſentiæ proprietas, affectæ partis indiciũ eſt.*

*Partes à ueſica auulſæ, lamis: à renibus, ſunt carunculis ſimiles.*

*Partium ſingulæ per quam regionem purgentur.*

*Pulmonis uomicam aliquando per urinam purgari.*

*Arteria magna ramulos mittit ad renes.*

## CAPVT V.

Vteri affectuum plurimę differentiæ exiſtunt. Siquidem mulierum quæ hiſtericis diſpoſitionibus corripiuntur, aliæ quidem ſine ſenſu immobiles iacent, cum obſcuro paruoq; pulſu, uel omnino ſine ullo pulſu. Aliæ autem ſentiunt, atque moueri poſſunt, integráq; ratione fruuntur, ſed tamen deliquio animi, difficiliq; ſpiratione laborant. Aliæ denique crura ſimul & brachia contrahunt. Porrò nonnulli ad explorandum, num penitus reſpiratio perierit, flocculos lanæ carptæ, ſuſpendi coram naribus iubent. Alij poculum aquæ plenum ori uentriculi imponũt. Quippe immotum omnino ſeruari humorem aiunt, ſi ſpiratio tota ſit intercepta. Etenim in confeſſo eſt, & ſpirationem à uita, & uitam à ſpiratione ſeparari non poſſe: adeò ut uiuentem non ſpirare, & ſpirantem non uiuere, ſit impoſsibile. Quòd ſi in animalibus, quæ in latebris deliteſcunt, nulla appareat reſpirationis nota, neque ob id mirari debemus, quum uidelicet ea animalia ſint frigida. Quippe maximus uſus reſpirationis eſt, ut intimus calor & refrigeratione & uentilatione ſeruetur. Quare haud ita difficile fuerit perpendere, exiguum illum calorem intus derelictum, arteriarum cordiſq; motu ſeruari: quæ actio à quibuſdã medicis tranſpiratio uocatur. Similiter etiam, pereunte ob uteri affectum ſpiratione, quoniam uniuerſum corpus refrigeratur, (id quod perſpicuum eſt) fieri poteſt, ut * nullo attracto per os ſpiritu, aut reddito, tranſpiratio, quæ per arterias fit, perſeueret, licet adeò interdum exigua, ut ſenſum omnino effugiat. Accidit autem uteri ſuffocatio magna ex parte uiduis mulieribus: ijs præſertim, quæ quum antea probè repurgarentur, pårerent, atque uirorum congreſſu fruerentur, his omnibus poſtea priuantur. Quare uериſimile eſt, ob retenta menſtrua, uel ſemen cohibitum, eiuſmodi mulieres uteri diſpoſitionibus infeſtari: idq; fortaſſe magis ob ſe-

*Vteri affectuũ plurima differentia.*

*Reſpirationem periiſſe omnino, aut nõ prorſus, quibus modis deprehendatur.*

*Spiratio à uita ſeparari nõ poteſt, nec à reſpiratione, ipſa uita.*

*Reſpirationis uſus.*

*Latentium animalium calor, motu cordis & arteriarum ſeruatur.*

*Tranſpiratio per arterias.*

*Vteri ſuffocatio quibus præcipue accidat.*

*Vteri ſuffocatio ob retenta menſtrua vel cohibitum ſemen ſolet accidere.*

*Semen muliebre quale.*

men retentum. Nam quum muliebre semen humidius atq; frigidius sit, ipsum excerni oportet, præsertim si copia redundet. Nec secus etiam in uiris. Sunt quippe nonnulli eorum, quos pronus à iuuentute, concubitus imbecilliores reddit.

*Semen retentũ nonnullis viris quæ symptomata inducat.*

Alij, nisi assiduè coëant, capitis grauitate infestantur, cib os fastidiunt, febribus sunt obnoxij, deterius coquunt & appetunt, ac denique torpore, pigritia, ac melancholicis accidentibus molestantur.

*Semen retentũ quam mẽstrua quibus inferat grauiora symptomata.*

Proinde ex retento semine, quàm ex suppressis menstruis, uidetur mihi longè maior noxa euenire posse corporibus, eorum præsertim, qui suapte natura uitiosis abundant humoribus, plenią; sunt, et in ocio educati: quiq; quum antea nihil fecissent ad libidinem reliqui, affatim continere cœperunt. In quibus sanè conijcio, naturalem excernendi ipsum cupiditatem, læsionis causam existere. Etenim quum tale & tantum ipsum semen euaserit, neminem non ad sui exeretionem ui quadam stimulat.

*Libidini indulgere multos modestos viros ualetudinis gratia.*

*Diogenes Cynicus.*

Ob idq; planè constat, modestos uiros, non ob uoluptatem, sed ut ab impedimento præseruentur, indulgere libidini, perinde ac si nulla sit ei coniugata uoluptas. Ita Diogenem Cynicum narrant, uirum alioqui mortaliũ omnium (quod ad continentiam pertinet) constantissimũ, libidini tamen nauasse operam, non à coniuncta illi uoluptate, ueluti bono aliquo, illectum, sed ut noxam, quæ à retento semine prouenire solet, arceret. Eum nanque meretrix adire pollicita, quum diutius cessaret, ipse manu pudendis admota, semen excussit, ac uenientem dein mulierculam remisit, inquiens: Manus hymenæum celebrando præuenit te.

*Animalia omnia quo pacto excitentur ad venerem.*

Sic etiam arbitror animalia omnia excitari ad coitum, non quòd existiment uoluptatem boni cuiuspiam speciem præ se ferre, sed ut semen, quod retentum ipsa molestat, excernant: haud secus quàm deijciendi stercoris, excernendæq; urinæ desiderio suapte natura mouentur. Fieri autem potest, ut profluentibus menstruis, retineatur in uiduis semen, grauissimaq; inducat symptomata. Nec sanè cuipiã mirum uideri debet, si exiguus humor in una parte contentus, tantorum accidentiũ sit causa: quũ à phalangij ictu affici totũ corpus uideatur, exiguo ueneno per minimũ foramen iniecto.

*Phalãgij ictus.*

*Scorpiõis ictus.*

Præterea scorpionis ictus breui admodum tempore grauissima symptomata inducit, quamuis in illius aculeo foramẽ nullum uideatur. Rationi tamen est consonum, ut uel à spiritu quodam, uel tenui humiditate iniecta, accidentia illa proficiscantur. Sunt qui putant, res quasdam solo tactu per qualitatis uim, ea quæ ipsis uicina sunt, alterare posse: idq; planè uideri in marina torpedine aiunt, utpote cui tam uehemens sit potentia, ut per piscatoris tridentem transmissa ad manũ alteratione, totã reddat repentè torpidã.

*Torpedo marina, piscatoris manum reddit torpidam, per medium tridentem.*

*Heraclius lapis.*

Similis etiã facultas inest Heraclio lapidi: ferrum siquidem, q̃d tetigerit, ei adhæret. Deinde si aliud, id quod primò tactum fuerit, tetigerit, similiter ut primũ illi inhærebit: ac sic deinceps. Porrò ijdem affectus oriri possunt & ab humoribus in corpore putrescentibus, & ab epoto ueneno.

*Veneno extinctos, quomodo distinguamus ab alijs qui ob prauos corporis succos intereũt.*

Ii tamen qui uenenum hauserunt, ab ijs qui aliter sunt affecti, discerni possunt. Quũ enim homo suapte natura probis succis abundans, ac *salubri secundũ omnia usus uictus ratione, repentè moritur (ut letali assumpto ueneno fieri cõtingit) deinde corpus aut liuens, aut nigricans, aut narium apparet, aut diffluẽs, *aut grauem reddit odorem putredinis, hunc uenenum sumpsisse aiunt. Igitur si eiusmodi affectibus nos infestari fateamur, qui ex nobis metipsis accepto suæ originis impetu, similes sint ijs qui epoto ueneno eueniũt: nihil mirum fuerit, si etiam uitiatũ semen, aut menstruũ, huiusmodi, quum retinetur, aut putrescit in corpore, grauia symptomata inducat, ijs præsertim, qui ut afficiantur, sunt apti.

*Afficiendæ rei aptitudo, maximã obtinet vim ad excipiendũ affectum.*

*Canis solus rabie corripitur: eiusq; sputũ rabiẽ excitare est potens.*

Siquidem quantam uim habeat afficiendæ rei aptitudo, in canibus licet uidere. Quum enim reliquorum animalium nullum rabie arripiat, solus canis eo affectu corripitur, tantaq; fit in ipso humorũ corruptio, ut uel solum eius sputum, si humanum corpus contigerit, rabiem excitare sit potens. Quòd uerò ad gignẽdos uteri affectus maiorem uim habeat semen quàm menstruum retentum, uel ex hoc liquet, quòd dum supprimunt menses mulieribus cõiugatis, etsi pluribus accidentibus infestẽtur, nunquam tamen aut spiratione priuantur, aut animę deliquio laborant: quod solent nonnullæ uiduę, licet ęquè ut antea, aut paulò minus, quod pertinet ad menstrua, purgentur.

*Plato.*

Quæ sanè symptomata Plato exponere cupiens, sic in Timæo edisserit: Ea pars quæ in mulieribus & uterus & uulua nominatur, quum sit animal auidum generandi, si intempestiuè diuq; infœcundum manserit, admodum indignatur, errransq; per totum corpus, ac meatus spirituum obstruens, respirareq; non sinens, in extremam anxietatem adducit, & alios morbos complures excitat. Hæc Plato.

*Vterum non ascendere ad regionẽ diaphragmatis per veri suffocationes: sed tum ipsum, tum ipsius vasa tendi, qua ratiõe videtur vagari.*

Cæterùm illius agitationis uteri, quam mulieres percipiunt, nõ est causa ascensus eius usq; ad regionem diaphragmatis, ut nonnulli putarunt. Nam si aliquid ex utero uideat ascendere, id perexiguum est. Sed uteri ipsius tensiones esse potius in causa dixerim, cur tangentibus obstetricibus, modò sursum, modò retrahi in latus uideatur. Nam simul cum utero, ceruicẽ quoq; ipsius retrahi necesse est. Quum igitur ad uterum multa admodum uenarum ora perueniant, per quas ex cõcaua uena sanguinem attrahere potest, *sanè ob plenitudinem tum earum, tum uinculorũ quę ex illis dependent, contingit uterum sursum, aut etiam ad latus retrahi.

*Conuulsio omnis fit aut à plenitudine, aut ab inanitione.*

Siquidem omnis conuulsio fit aut à plenitudine, aut ab inanitione. Plenitudo quippe, repleta corpora & in latum, & in profundum extendit, sed longitudinẽ reddit breuiorem. Quò autem breuiora fiunt, eò magis ad suam originem retrahuntur. Dum itaq; descendens sanguis ad uterum, ingredi ad ipsius internam capacitatẽ non potest, aut quia crassior est, quàm ut uasorum ora permeare possit: aut quia clausa sunt orificia, multiplicatus in uenis, eas extẽdit, atq; ulcina ipsis uincula madefacit: ad quorum omnium tensionem, continuò uterum retrahi est necesse.* Qui si undiq; trahatur æqualiter, recta erit & sine inclinatione ipsius transmutatio: sin uerò inæqualiter, ad partem uehementius trahentem intenditur. Non ergo ueluti animal errabundum, aliàs ad alium locum discurrit in mulieribus uterus, sed ab extensione retrahit. Quòd si quispiam dixerit, uteri corpus tunc minimè affectũ esse, sed peruersione laborare, haud absur-

absurda is dixisse uidebitur. Igitur peruersiones uteri, eo quē diximus modo, ad suppressa sequūtur menstrua: eas tamē ob hoc, accidentium quæ in animalis corpore apparent, causas esse, nequaquam putandum est. Quæ uerò citra peruersionem, aut menstruorum retentionem, uiduas molestant noxæ, hæ ob retentum semen euenire putantur. Cæterùm pro multitudinis, qualitatisúe ratione, tum menstruorum, tum seminis, aliàs aliæ accidentium species oriri solent. Etenim noxia causa uniuersum corpus refrigerare potente, adeò uehementer omnes partes refrigerantur, ut & respiratio, & arteriarum pulsus, sensu deprehendi non posint. Quæ si uel crassa fuerit, uel acris, conuulsiones: si uerò atræ bilis naturā referat, mœstitiam inducet: quemadmodū animi quoque deliquia, & ad fortes extensiones, & refrigerationes, & oris uentriculi affectus, subsequi consueuerunt.

*Vteri peruersiones ad superflua sequuntur menstrua.*

*Noxa quæ absq; uteri peruersione uiduas molestāt, ob retentum semen oriūtur.*

*Menstrua defecerunt mulieri, cui lac inest, nec prægnanti, nec existenti puerpera.*

Porrò si mulier nec prægnans, nec puerpera, lac posideat, menstrua ei defecerunt. At nullo in mammis lacte apparente, menstrua suppressa hisce notis deprehenduntur. Grauitas totum corpus infestat, necnon fastidium, atque inæqualis horror. Quòd si citra horrorem inæqualitas aliqua fuerit, atque fastidium, appetatq; mulier quædam aliena, ut (exempli gratia) extinctos carbones, iube ut obstetrix uteri ceruicem tangat. Nam si citra duritiem clausa inueniatur, eam prægnantem esse conijcies. Si uerò etiam durities adsit, affectum aliquem in utero esse portendi. Oportet itaq; speculari obstetricem, ad quam partem uel declinet, uel retrahatur uterus: nam in ea parte affectā uteri sedem esse conijcies. Atque in quibusdā fœminis, eius partis dolor cum grauitate, nonnihil potest significare: quinetiam in coxam dolor interdum transit, & crus ipsum, quod è regione est, per incessum claudicat.

*Menstruis deficientib. quo pacto deprehendemus, an sit grauida mulier nec ne.*

Quòd si longiori tempore supprimantur menstrua, nullamq; medicus mulieri uacuationē promoueat, tumor aliquis præter naturā, in ilibus interdum oritur, ostendens nimirum ex internis partibus quampiam esse inflammatam. Nonnullis panus in extrema ilium parte excitatur, ueluti uiris quoque eodem in loco nōnunquam oriri solet. *Qui panus in quadam muliere fuit suppuratus, aded ut opus fuerit sectione. * Iuxta hanc ipsam partem uidimus colon intestinum et suppuratum, et sectum: interdum ignorantibus medicis imperitis quidnam inciderent, interdum intelligentibus quoque. *Cæterùm quoties suppurari contigit colum, semper facilè curationem recepit: uteri uerò sectiones, ægrius conglutinantur.

*Colon intestinū suppurari interdum iuxta bubones.*

*Suppressos menses quæ sequantur symptomata.*

Itaq; symptomata huiusmodi consueuerunt sequi suppressa menstrua: ac præterea lumborū, & colli, & sincipitis dolor, qui ad oculorum usq; radices extenditur: item febres ardentes, & nigricantes urinæ, cum rubra quadam sanie, perinde ac si aquæ, in qua nuper mactatæ carnes ablutæ fuerunt, fuliginem quis miscuisset. Quibusdā urina aut difficulter redditur, aut omnino supprimit. Quòd si per alium quempiam corporis locum sanguis effluxerit, aut inflammatio, aut erysipelas excitetur, an menstrua purgentur interrogare debes. Siquidem nihil horum accidere solet, integrè repurgatis.

*Menstrua fluentia immodicè, quæ sequantur symptomata.*

Quum uerò immodicè uacuātur menses, color sequitur fœdus, pedes molli tumore attollūtur, corporis robur prosternitur, uitiatur ciborum tum concoctio, tum cupiditas.

*Profluuij muliebris causa.*

Sed accidit interdum fœminis muliebre uocatum profluuium, uel utero haudquaquam affecto, quum uidelicet uniuersum corpus per ipsum interdum purgatur: quemadmodum per renes quoq; aliquando solet uacuari. Id uerò potisimum fit, si mulier laxis sit carnibus, & pituitosa. Atque id quod excernitur, nonnunquam rubra sanies est, interdum aquosa, & suppallida. Quòd si purus fuerit sanguis, qualis ex dissecta uena profluit, diligenter animaduertere oportet, num erosio fit aliqua in utero. Ea uerò magna ex parte in ceruice potius quàm alibi contingere solet: discerniturq; per excretam saniē, si fuerit profunda: si uerò circa os ceruicis cōstiterit, nō solùm per hanc, sed per tactum etiam cognosci potest. Atq; prægnantes quoq;, quum ora uenarum in ceruice aperiuntur, excernunt sanguinem.

*Prægnanti si extenuentur māmæ, abortus sequitur.*

Ergo si mulieri utero graui, subitò extenuentur mammæ, abortus sequitur. Atq; geminos ferens, si altera mamma extenuetur, alterum amittit: & omnino si dextra mamma extenuata est, marē: si sinistra, fœminam ædet.

*Mares continētur dextris, fœmina sinistris.*

Mares siquidem dextris, fœminæ magis continentur sinistris uteri partibus: atq; raro aliter accidit. Si mulier promptè quidē conceperit, dein secūdo, aut tertio, aut quarto imprægnationis mense fœtum eiecerit, circa uteri acetabula humorem pituitosum abundare, atque idcirco uenarum arteriarumq; eius loci ad ora uasorum in uterum descendentium, nexum debiliorem esse, conijciendum est, ut fœtum ob grauitatem ferre nequeat, sed abrumpatur facilè.

## CAPVT VI.

*Colis ulcus unde deprehendatur.*

At colis ulcus deprehenditur ex dolore infestante ipsum: necnon ex ijs, quæ familiaria ulceri, unà cum urina purgantur. Cæterùm hæc ab ijs quæ à uesica excernuntur, miscellæ modus distinguit.

*Excreta à cole & uesica, quomodo discernenda.*

Nam quod ex cole defluit, in primo statim exitu excussum, urinā præuenire cōsueuit. Quod uerò à uesica emittitur, urinæ admistum uidetur. Quinetiam asiduè inter meiendū mordicus dolent pudendorum ulcera, pręcipuè quum uel crustula, uel sordibus solutis, pura remanserint.

*Gonorrhœa est seminis asidua profusio, & inuita, quæ fit cole haudquaquā extenso.*

*Priapismus quid.*

Porrò gonorrhœa est seminis asidua excretio, & inuita, quæ fit cole haudquaquam extenso. Priapismus uerò est permanens colis tumor extensioue in longitudinem atq; circulum, nullo stimulante ad libidinem aut desiderio, aut acquisito calore, ut quibusdam consueuit accidere, qui supini decumbunt.

*Excrementa corporis duob. modis vacuari.*

Igitur quemadmodum omnia corporis nostri excrementa, duobus modis uacuantur (interdum enim à cōtinentibus ipsa corporibus excernunt, interdum spontè profluunt, eò quòd ob imbecillitatem ab ipsis retineri nequeant corporibus) ita de semine quoq; dicendum est. Nam in huiusmodi omnibus, ut excernere tempestiuè, ita continere, naturæ est officium.

*Excretio quomodo fiat.*

Verùm secretio fit, aperto fluxionis meatu: ac reliquo conceptaculi spatio & contracto, & ad apertum iam meatum, quicquid intus continetur, pellente.

*Retētio ut fiat.*

Retentio fit, quum clausus manet meatus, & cōtentum à continente haudquaquam impellitur, sed potius per contractionem comprehenditur, & retinetur. Hoc modo cōtenti in cauis instrumentis humores, per integram ualetudinem natura-

liter & excernuntur, & retinentur. In illis autem qui præter naturam se habent, retentio quidem, ob excretricis facultatis imbecillitatem: excretio uerò, ob retentricis infirmitatem euenit: uel ob dispositionem aliquam, quæ haud secus quàm naturalis ipsa excretoria uis, partes mouere possit.

*Semen excerni inuito per conuulsiones.*

Id quòd in seminarijs uasis uidere licet, ubi quis uel comitiali morbo, uel conuulsione uiolenter fuerit correptus. Cæterùm uidemus alias quoq; partes, ut manus, pedes, aut digitos conuelli, modò simul cũ totius corporis conuulsione, modò ipsis solis affectis. Quare minimè præter rationem fuerit etiam in semiuarijs uasis, & quidem interdum solis, eiusmodi excitari dispositionem: quemadmodum & gonorrhœam, quæ urinæ, quam quis inuitus emittit, proportione respondet, quum retentricem uidelicet facultatem resolui contigerit.

*Gonorrhœa instrumentorum seminis est affectio.*

*Priapismus. colis est accidens.*

Gonorrhœa igitur instrumentorum seminis est affectio, non pudendorũ, quibus ceu uia per quam excernatur, utitur semẽ. Priapismus uerò planè colis est accidẽs, quan quam ad arterias eius potest referri: utpote quæ solæ interdum huiusmodi habeant præter naturam dispositionẽ, quali affici consueuerunt, quũ naturaliter totus coles intenditur.

*Colem à spiritu intendi.*

Atqui à spiritu ipsum in tumorem attolli, manifestè patet ijs, qui celeritatem eius, & quum iterum resider, perpendunt. Quippe nullus humor tam subitam in alterutram partem mutationem efficere posset. Quum igitur pudendi corpus sit undique fistulosum, facilè à uaporoso spiritu per arterias affluente, ubi quis libidinis impetu stimulatur, aut dum ob supinum decubitum calfacti sunt lumbi, extenditur:

*Glandem penis semper magnitudinem eandẽ seruare.*

glande ipsius semper magnitudinem æqualem seruante, quòd fistulosus in ipsam neruus non ingrediatur.

*Partes omnes citra doctrinam aggrediuntur proprias functiones.*

Natura etenim corporis partes fingens, perficiensq;, fecit ut ipsæ citra doctrinam, proprias actiones aggrederẽtur. Quippe omnium quæ à cõsilio & uoluntate pendent actionum instrumenta, esse per se docta uidentur: animaliaq; omnia simulatq; genita sunt, & spirant, & uocem ædunt. Quare mirum esse non debet, genitales partes, eas actiones, quarum gratia à natura sunt institutæ, protinus ab initio cognoscere. Vterus siquidem, quum semen genitale conceperit, donec fuerit perfectus fœtus, exactè clausus permanet: perfecto uerò fœtu, plurimùm aperitur, ac deinde sic apertus excludit.

*Popularesea tantum quæ rarò vident, prosequũtur admiratione.*

Populares autem hæc, propter crebrum euentum, contemnunt: utpote qui nihil quod re uera sit admirabile, sed ea duntaxat, quæ rara uident, prosequuntur admiratione. Quid autem in rerum natura potest admirabilius contingere, quàm quòd nouem perpetuis mensibus clauditur os uteri adeo exactè, ut ne specilli quidem acumen admittat: perfecto autem fœtu, usque adeo distenditur, ut totum animal per ipsum egredi possit? Ne igitur dubites pudendorũ uim per se doctam esse: ut fistulosum hoc, neruosumq; corpus, ubi ad coitum insurgit animal, à naturali facultate, quæ ipsum potest attollere, protinus distendatur. Cuius rei simile, & in corde, & arteria planè uidere est: nisi quòd horum motus perpetuus existit, quia necessaria nobis est eorũ actio: fistulosus uerò neruus non semper mouetur, sed quum usus requirit. Quum ergo sic fuerit extensus, sequitur atq; illum replet ex arterijs spiritus: quemadmodum pulmo thoracem, ob eam quam habet ad ipsius motum consequutionem.

*Priapi tensionẽ ad neruum potius referẽdam esse, quàm ad arterias.*

Atq; eam actionem satius est ut ad neruum, quàm ad arterias referas: quum præsertim omnes functiones, ex propria partium essentia, non ex earum situ, prouenire, rationi consonum sit. Arteriæ itaq; nullam aliam in pudendo habent actionis uim, quàm in uniuerso corpore: licet calfactis lumbis par sit, ut arteriæ calidiores reddantur, & magis etiam pateant ipsarum ora.

*Lumbis incalescentibus, arteria penis calidiores redduntur.*

Quamobrem non exiguam tunc spiritus essentiam, in fistulosum neruum effundũt: qui paulatim impletus, colem extendit, ita ut tota ipsius essentia consistere in fistuloso neruo uideatur.

*Penis essentia tota in neruo fistuloso consistit.*

*Priapismus unde oriatur.*

Ex dictis igitur constat, uel ob arteriarum ora immodicè patefacta, uel uaporosum spiritum in fistuloso neruo ortum, priapismum oriri. Cęterùm ab utrisq; ipsum fieri posse existimo, crebrius tamen ob arteriarum ora patentia.

*Medicamenta excitanda tentiginis qualia existant.*

Porrò medicamenta excitandæ tentiginis uim obtinentia, tum epota, tum publi lumbisq; admota, calida omnino, ac flatulenta sunt: quemadmodum contraria omnia, minimè flatus excitant, ac potius refrigerant, quàm calfaciant.

*Alimenta uenerea.*

Sunt præterea alimenta quędam, quę, quòd plurimum gignant seminis, excitare ad libidinem possunt.

*Priapismo qui soleant uexari plurimum.*

Iam uerò qui quum plurimo semine abundent, à concubitu abstinent, ij interdum priapismo uexari solent, præsertim si ueneris imaginibus molestentur, nec studeãt ut multa exercitatione sanguinis abundantiã dissipent.

*Cantores olim quàm nostro seculo erant longè continentiores.*

*Pudenda castitas reddit exilia & rugosa.*

At cantores & athletę, qui iam inde ab initio nullam uitæ partem uenereis illecebris contaminarunt, nullam admittentes eiusmodi uel cogitationem, uel imaginationem, ijs pudenda & exilia, & rugosa fieri, ueluti senibus, consueuerunt. Siquidem præter cætera quæ accidere solent ijs, qui protinus iuuentute prima immodicè sese permiserunt libidini, id etiam euenit, ut horum locorum uasa, amplius patentia, maiorem ad se sanguinis copiã alliciant, & coëundi cupiditas magis increscat.

*Ignauia robur exoluit.*

*Exercitatio uires augere solet.*

*Mammæ.*

Ignauia siquidem (ut inquit Plato) exoluit: proprij autem officij exercitatio, robur augere solet. Sic mammæ quoq;, in ijs quæ nondum imprægnatæ fuerunt, contractæ permanẽt: in alijs uerò à partu infantulos suos lactantibus, uastissimæ euadunt, atq; ita magnæ permanent, lac fundentes quandiu fœtum lactauerint: quo ablato, haud ita multò pòst à lactis generatione desistunt.

## GALENI PERGAMENI DE differentijs febrium liber I.

### CAPVT I.



*Febrium differentia maximè principales sunt quæ sumũtur ab ipsa febris substantia.*

Ropriæ ac maximè principales febrium differentiæ sunt, quæ sumuntur ab ipsa febris substantia, quæ in calore præter naturam consistit: ut si dixerimus, febrium aliæ quidem mordaces, aliæ uerò sunt mites.

*Febrium differentia ab accidẽtis desumpta.*

At reliquæ differentiæ, ab accidente aliquo deducuntur: ut quũ dicimus, febrium aliæ pallidæ, aliæ rubeæ, aliæ liuidæ. Porrò differentiæ caloris præter naturam, & ex eo quod magis & minus, & ex materia in qua calor accenditur, et ex modo motus eiusdem caloris, sumunt. Sunt autem omnino euidentes,

quæ

quę in eo quòd magis aut minus calor est accensus, consistunt. Quo in genere differentię, consueuerunt medici magnam ac paruam febrem uocare, impropriè quidem rei quali, nomē quanti tribuentes.

*Febrium differentiæ sumptæ à materia cui haeret calor præter naturā, sunt tres.*

Quæ uerò à caloris materia ducuntur, maximè propriæ differentiæ caloris præter naturam sunt. Atque hæ sanè ternario numero ambiūtur. Nam aut incalescit ipsius cordis corpus: aut qui continentur in uentriculis eius humores: aut sola quidem aërea spiritalisq́; substantia sufficiēter incaluit: humores autem & solida corpora incalescunt quidem adhuc, nondum autem sunt calefacta.

*Aëream substātiam esse mistā per omnia sanguini.*

Mista siquidem est in arterijs omnibus, spirantibus per infinita foramina, aërea substantia sanguini, ac nihilo minus in corde ipso, ceu* confluxili & conspirabili cum uniuersis arterijs. Incipit itaque hic præter naturam calor, quem nominamus febrem, aliàs ex alio eorum, quæ nuper diximus: spargitur autem, atque unà cum patiente afficit duo reliqua genera. Facillima igitur ab humoribus ad spiritum caliditatis transumptio: non æquè autem promptè unà cum spiritu, accenduntur humores. Corpus etiam solidum, humoribus atque aëreæ substantiæ facilius impartitur calorem, quàm ipsum ab eisdem suscipiat.

*Tenuis substantia facilius alteratur quàm crassa.*

Omnis siquidem substātia tenuis, prompius alteratur quàm crassa. Est autem tenuissima quidem aëris: crassissima uerò corporum solidorum: media humorum substantia existit. Cæterùm solidas partes, continentia: humores, contenta: spiritus, impellentia appellauit Hippocrates.

CAPVT II.

*Ephemerarum causa.*

Quòd igitur ex laboribus, ira, tristitia, solis ardoribus, frigore, uigilijs, cruditate, ebrietate, & crapula, nonnulli febricitare cernantur, omnibus est in confesso: quemadmodum etiam, quòd pestilens aëris constitutio febres conciliet:

*Pestilenti morbo correptos, fugiendos esse.*

quodq́; periculosa sit conuersatio cum laborantibus pestilenti morbo, quum nimirum is non secus sit contagiosus, quàm scabies aut lippitudo.

*Tabidos, & putridum expirātes, esse abigendos.*

Sed neque tutum est cum ijs qui tabe correpti sunt, conuersari: neq; (ut summatim dicam) cum illis qui spiritum putrem reddunt. Iam uerò qui consueta exercitia omiserint, & alijs morborum generibus, & febribus maximè corripiuntur.

*Febres quæ occasiones accendāt.*

Plethora etiam, uinosi cibi, medicamenta, æstusq́; circa canis syderis ortum, atq; alia id genus complura, similiter febres accendunt.

CAPVT III.

*Elementa corporum, quæ.*

Igitur calidum, frigidum, humidum, atq; siccum, corporum elementa existunt: ex ipsorumq́; temperaturis primi constituuntur morbi: quorū unus est febris, ubi in corde quædam præter naturam caliditas generatur.

*Febris est calor præter naturā in corde accensus.*

At differentiæ caloris, à triplici differentia materiæ desumebantur. Siquidē uel in ipso corpore cordis, uel in humoribus, uel in spiritu, calor præter naturam accenditur.

*Causa procatarctica.*

Præincipiunt autem causæ quædam nonnullæ, in omni febrium constitutione, quatenus dictum est. Sed neque sat est, si calor aliquis dicatur esse præter naturam, ad hoc ut dici febris mereatur: oportet siquidem prius ut cor illo incalescat: alioqui calor à sole aut ab igni inductus, febris esset dicendus.

*Iracūdia quid.*

Porrò iracundia est ueluti feruor quidam, ac motus uehemens potentiæ irascibilis, in corde * delitescens. Simul autem cum eo feruore calfit aliquando spiritus, aliquando substantia sanguinis. Quòd si ita contigerit, ut ea corpora quæ in se admiserunt caliditatem, longo eam tempore retinere sint apta, licet motus cordis sedetur, in hisce tamen permanet calor præter naturam, atque inde hominem febricitare est necesse.

*Febris ab iracūdia quando gignatur.*

Huiuscemodi autem febris habet originem à motu atque feruore natiuæ caliditatis.

*Febris orta à tristitia.*

Quæ autem ex tristitia fit, ex solo motu, non autem ex feruore gignitur.

*Febris ab exercitio immodico.*

At illius quæ labores sequitur, principium est musculorum, neruorum, copularum, & articulorum motus immoderatus. Ea siquidem primò, calorem quendam concipiunt. Dein uerò continuatim calor ascendit ad cor, ac tunc homo necessariò febricitat.

*Febris à cute densata.*

Quæ autem ex densitate cutis accenditur febris, qualis maximè constipatis atq; astrictis corporibus accidere solet, mordaci effluxu in corpore coaceruato contingit.

*Difflari animalium corpora duplici modo.*

Semper enim corpora animalium difflantur, idq́; duplici modo: nempe effusis ad exteriora uaporosis fuliginosisq́; superfluitatibus, ac rursus intus attracta refrigerante ac uentilante natiuum calorem aërea substantia. Quum igitur uehemēs aliqua causa cutim ipsam condensans, meatus angustiores reddiderit, sæpius in plethoricam dispositionem incidit corpus, si & uapidum & optimum, quod effluit, extiterit.

*Astrictionem cutis, quomodo febris sequatur.*

At si fuerit mordax & acre, nōnunquam febre corripitur: quo tēpore etiā calor maximè augetur, refrigerio extrinsecus adueniente priuatus. Acris autem ac mordax superfluitas* effluit ijs, qui aut natura uitiosos habent humores, aut prauis cibis utuntur, aut sæpius cruditate uexantur, maximè si post eiusmodi cibos aquam uitiosam biberint. Idem his quoque accidit, qui supra modum laborant, aut uigilant, aut cogitant, aut medicamina acuta iugiter sumunt.

*Cruditatem patientiū, qui nā facilè in febres incidāt, & qui ægrè.*

Eorum igitur qui cruditatem patiuntur, ij quidem qui prauis succis redundant, ac malè difflantur, aut intempestiuè laborant, aut balneis superfluis utuntur, facilè corripiuntur febribus. Qui uerò boni habitus sunt, integreq́; difflantur, & quiescunt, regionemq́; uentriculi & hepatis calfaciūt, impossibile est ut febricitēt. Nam in eisdem residet uentriculi & hepatis partibus, quicquid corruptum est, ac paulatim coquitur, redditurq́; optimum: sicuti & ijs qui se motibus uehementioribus torquent, aut æstiuo sole, aut balneis calidis dulcium aquarum utuntur, quicquid uitiatum est, recipitur in corporis habitum. Quibus uerò corrupti cibi descenderunt in uentrem, * eos febris non corripit, nisi ob alias causas: ueluti si defatigati sint ob crebriorem deijciendi necessitatem, aut uentrem inflammatio tentauerit.

*Febres oriri solent ob obstructiones meatuū.*

*Porrò per obstructiones meatuum, & humorum constipationes, ob putredinem solet febris oriri.

*Putrescunt facile calida & humida, si conclusa in calidis locis nec difflentur, nec refrigerentur.*

Promptissimè nanque putrescunt omnia calida & humida, in calidis locis contenta, nisi difflari ipsa & refrigerari contigerit.

*Plenitudo ad uires.*

* Quinetiam in altera plenitudine quæ ad uires dicitur, succi citò ad corruptionem deueniunt, *quum nec uincantur, nec concoquantur à facultate, utpote imbecilla existente. Propterea autem quicunque cibi

glutinosi atque crassi sunt, *ij ratione putredinis magis morbifici existunt: quandoquidem succi ex ipsis geniti, longè promptiores sunt, ut & in meatibus hæreant, & impingantur. At aeres & attenuantes cibi, quòd mali succi sint, febres etiã accendunt. Partes etiã quæ experiuntur inflammationem, ratione putredinis similiter febres inducunt. Impactus siquidem in eis qui influxit humor, si natura calidus sit, nec difflatur, actutùm putrescit. Si igitur fluxionem ipsam exquisitè amara bilis pepererit, caliditas erysipelatosa partem occupat: si uerò sanguis, phlegmonosa: at si ex utrisq; miscellaneus humor, uel fit erysipelas inflammationis particeps, uel inflammatio erysipelatis: nomen quidem ab humore excellente suscipiens, cognomen autem ab altero. In hisce autem omnibus consortij lege febris accenditur. Nam proxima pars calefactæ particulæ, simul cum ea calfit, donec ad cor * dispositio ipsa peruenerit. Etenim in carbunculis id quod continuum existit, similiter cõcalescit. Fiunt autem ex sanguine quidem satis calido, & ad atræ bilis naturam, propter adustionem, conuerso.

*Inflammatæ particulæ cur febres succendant.*

*Caliditas erysipelatosa et phlegmonosa, quando insistent.*

*Carbunculi oriuntur à feruente & melancholico sanguine.*

CAPVT IIII.

Calidiores aëris ambientis status, per inspirationem quidem manifestè cor calfaciunt: corpori autem extrinsecus circunfusi, totum ipsum calidius reddunt: sed præsertim arterias, ut quæ ipsius substantiæ aëris ambientis aliquid ad se alliciant: *cum quibus omnibus affici etiam cor est necesse: & quum calidius impendiò fuerit, ipsum primùm atque præcipuè, calorem febrilem suscipere, ac dein uniuerso corpori communicare. Pestilentis autem febris, inspiratio aëris uitiati & putridi, maximè esse in causa uidetur. Fit aliquãdo etiam ob eos qui sunt in corpore humores ad putrescendum paratos, quum exiguam aliquam occasionem ad febris originem ab aëre ambiente acceperit animal. Aëris autem putredo accidit, uel ob cadauerum multitudinem minimè crematorum: uel ob lacuum, uel paludum æstiuo tempore euaporationem. Cæterùm nulla causarum sine patientis aptitudine agere potest: alioqui ex æquo omnes afficerentur ab eadem causa. Quæ igitur uitiosis succis redundant corpora, obstructaq; sunt, atq; inerti uictus & exercitij ratione educata fuerũt, ea sanè per pestilentes cõstitutiones ambientis, statim à prima inspiratione initium putredinis sument, ac plurimum in malo prouehentur. Quæ uero contrario modo disposita, nonnulla quidem nihil, nonnulla uerò adeò exiguũ læsionis percipient, ut minimo negocio reuerti ad naturalem habitũ possint. Iam uerò quum aëris temperatura, ad caliditatem atq; humiditatem immodicam fuerit conuersa, pestilentes morbi exorientur: qui ea tantùm corripiẽt corpora, quæ ut afficiantur, prompta & idonea erunt. Etenim ea corpora quorum dispositiones consentiunt causis morbificis, facillimè contaminantur: quorum uerò renitũtur, ac reluctantur, quantùm uiribus ac magnitudine contrarietas ualet, tantùm inuicta cõtingit permanere ea corpora. Quum enim corporum dispositiones dissimiles ac multiformes existant, quædam facilè alterantur, ac patiũtur à causa in ipsa operante: quędam insuperabiles atq; impassibiles permanent: quædam ægrè patiuntur. Est autem ipsius medici opus, correctiuũ errorum omnium, qui circa humanum corpus contingunt. Quare in ijs omnibus prima esse debet, atque communis intentio, ut corpus quammaximè purum sit, ac perspirabile: secunda autem, ut præpotenti causæ aduersetur, quammaximè fieri poterit. Nam quibus horum contraria insunt, corripiuntur celeriter, acerrimeq; laborant.

*Aer impendio calidior, quid in corpora nostra moliatur.*

*Pestilentis febris causa est inspiratio aeris uitiati & putridi, necnõ uitiosus succus in corpore, ad putrescendũ idoneus.*

*Causam nullã posse agere, absque patientis corporis aptitudine.*

*Pestilentes febres, quæ corpora facilè, & quæ difficillimè corripiantur.*

*Aeris constitutio calida et humida, pestifera est morbo obnoxia.*

*Corpora consentientia causis morbificis, facilè corripiuntur.*

*Corporum dispositiones dissimiles.*

*Corpus contra pestilentem auram debet reddi purissimum, ac maxime perspirabile, tũ causæ præpotenti contrarium.*

CAPVT V.

Igitur omnes pestiferæ febres à putredine originẽ ducunt. At ephemeræ, minimè putredinem humorum sequuntur. Sed qui quidem ex solis incendio febricitat, ab agentis causæ caliditate affici natura est aptus. Qui ex ira, huic feruorem quidem fieri caloris qui in corde consistit, est necessarium: non tamen etiam putredinem. Sic & ei qui supra modum exercitatus est, uehementior calor præter naturam sine humorum putredine in corpore accenditur. Cui autem cutis adstricta est, quum prius acriores superfluitates expirarent per eam, posteaquàm sunt retentæ coaceruatæq;, in febrem incidit, nulla interueniente humorum putredine. Porrò quæ tumoribus inguinum superueniunt febres, omnes (authore Hippocrate) perniciosæ sunt, exceptis ephemeris. Sunt siquidem quædam febres è genere ephemerarum, superuenientes tumoribus inguinum: quæ quidem ab eis differunt quæ ex humorum putredine eueniunt, quæq; uel in aliquo uiscerum, uel in cauis & maximis uasis radicem habent suæ generationis. Quandoquidem quæ inguinum tumoribus ephemeræ superueniunt, cõcalfaciunt semper partes uicinas, donec usque ad cor febrilis calor perueniat: quò tamen putrida fuligo non peruenit, sed ibidem, in loco inguinis circunscripta remanet, sola alteratione per continuum facta, atque usque ad cor ipsum extensa sola caliditate. In putredine autem quæ aut in uisceribus, aut in magnis sit uasis, quidam ueluti fumus, ex putrescentibus succis ad uentriculos cordis attollitur. Præterea in tumoribus inguinum omnes simul, collectiq; humores putrescunt, siue per unum, siue per duos continuos dies, utpote in uno eodemq; loco compacti: at qui in uisceribus sunt, uasis'que magnis, quum perpetuò fluant, suoq; contactu uicinos ad putredinem trahant, spatio temporis putridum calorem accendunt.

*Pestifera febres omnes à putredine oriuntur.*

*Ephemeras omnes fieri nulla intercedente putredine.*

*Ephemera superuenientes tumoribus inguinum, quomodo à putridis differant.*

CAPVT VI.

Humorum autem putredo, quæ in uasis fit, similis est ei quę in inflammationibus, abscessibus, atque tuberibus accidit, duplex existens secundum genus. Nam aut fit uincente natura: aut omnimodo superata, aut adeò imbecilis reddita, ut nullam amplius in putrescente excremento ad optimum moliri possit transmutationem: quod quidem tertium genus putredinis ex duobus primis conflatur. Per abscessus igitur, integrè superante natura, optimum conficitur pus, aspectu album & crassum, & quaqueuersum sibi simile: læue autem tangenti, ac minimè fœtidum. Nam si semiputridum fuerit, tertium in tali transmutatione genus, quod paulò ante diximus,

*Putredo humorum quæ in uasis fit, contingit dupliciter.*

*Pus laudabile quale esse debeat.*

mus, fit, quodq; secundũ magis & minus, uarias differentias sortitur. Quotcunque autem in abscessibus putredinis sunt differentiæ, totidem & in febribus quæ ex putredine succenduntur, sunt eorum quæ in urinis apparent, formæ uarietates.

*Vrina optima ab humorib. putrescẽtibus, qualis.*

Optima uerò urina quæ ex putrescente humore perficitur, qui adhuc concoctionem à continenti uase suscipiat, est quę albam, lęuem, æqualem, & minimè fœtidã habet hypostasim.

*Vrina pessima.*

Pessima autem est, quæ in omnibus maximè cõtrario modo se habet. Quæ uerò intermedia existit, quantò ad alterã propius accesserit, tantò aut melior est, aut deterior.

CAPVT VII.

*Ephemeræ omnes oriuntur à procatarctica causa.*

Porrò febrium ephemerarum hoc unum est præcipuum atq; inseparabile indicium, quòd ab aliqua manifesta causa præincipienteq; (quam procatarcticam uocant) oriatur. Non est tamen id signum earum proprium. Nam & aliarum quædam, à causa manifesta gignuntur, quæ nimirum pręcessit.

*Ephemerarum urina & pulsus qualis.*

Inseparabile uerò ac proprium ephemerarum est, urinæ statim prima die concoctio: pulsusq; ad magnitudinem & celeritatem effatu dignam accedens, ita ut frequentia à proportione deficiat secundum externam quietem. Est autem & magis inseparabile & proprium, quòd nullo modo ad celeritatem ea pars pulsus, quæ dicitur systole, tendit: & si aliquando contingat hoc, minimum ac uix perceptibile existit, parumq; à naturali tenore mutatum.

*Ephemerarum calor est perpetuo suauis.*

Sed & caliditatis suauitas, proprium atque inseparabile est huiuscemodi febrium indicium. Inseparabile quoque, æqualis atq; incompressus ascensus, in calore simul & pulsibus: non tamen proprium, quum & alijs quibusdam adsit: sicuti etiam consistente febre mediocritas. Neq; enim hoc etiam est ephemerarum proprium, quanquam eis maximè inest.

*Ephemerarum inclinatio accidit cum sudore vel rore.*

Proprium præterea inseparabileq; ephemerarum indicium est, cum sudore, aut rore, aut aliquo optimo uapore inclinatio, quam sequatur integritas. Atq; hæc quidem est communis ephemerarum febrium dignotio.

*Putridæ febres.*

*Hectica febres occupãt solidas corporis partes.*

Earum uerò quæ ex aduerso ab ephemeris distinguuntur, quædam in putredine humorũ consistunt, quædam solidas animalis particulas occupant. Atque has sanè medici febres hecticas appellarũt, uel quia firmę atq; fixæ, perinde ac habitus, sunt: uel quia corporis habitum comprehenderunt: sic enim partes solidas uocitant.

*Putridas febres nulla procatarctica antecedit causa.*

Primum autem & proprium, non tamen inseparabile, putridarum febrium est signum, quòd nulla procatarctica causa eas antecedit: id quod neutri aliorum generum inest. Quandoquidem ephemeræ omnes oriuntur à procatarcticis. Hecticæ autem, quando sine his gignuntur, minimè ab initio inuadunt. Vbi quis igitur citra manifestam, præincipientemq; causam cœpit febrire, scire oportet eius febris causam in humoribus esse.

*Putrida febris quãdo succedat ephemeræ.*

Interdum tamen aliqua ex procatarcticis causis sui ratione febrem accendit ephemeram: succedit autem altera ex putredine humorũ, ubi quod afficitur corpus, & impurum, & superflui humoris colluuie redundãs fuerit. Successionis autem ipsius, una quidem propria inseparabilisq; dignotio habetur, quòd febris ephemera ad integritatem non desinat.

*Ephemeram permutari in putridam, quibus dignoscatur indicijs.*

Contingit uerò aliquando, ut per uigorem ephemeræ, ac multò magis per declinationis initium, signum aliquod permutationis cernatur: uidelicet si ea tranquillitas absit, quam adesse oportebat. Initium autẽ sumere à rigore febrem, ubi nec insolatus, nec præcessit aliqua refrigeratio uehemens, putridarum febrium est proprium signum, non tamẽ inseparabile. Siquidem non inest putridis omnibus rigor: sicuti neque horror. Præterea inæqualitas pulsuum atq; caloris, siue in principijs, siue in augmento contingat, huiuscemodi febrium est signum proprium, sed ne ipsum quidem inseparabile. Multò autẽ minus inseparabile existit, quòd accessiones ipsæ habeant plures ueluti insultus: id quod superexacerbari uocamus: quemadmodum & pulsuum compressio, quæ putridarum febrium est propria (nisi alicuius symptomatis ratione citra febrim ea accidat) non tamen inseparabilis.

*Putridarum febrium calor est mordax & acris.*

Maximum etiam earum febrium quæ à putredine oriuntur indicium est, mordacitas & acrimonia caloris, quæ perinde ac fumus nares & oculos, sic ipsa erodere tactum uidetur. Sed in principijs quidem accessionum, utpote in quibus calor adhuc suffocatur, superfluitatesq; succenduntur intus, non statim ea qualitas, admota manu, discernitur. At per moram, prædicta caliditatis species effertur ex penitioribus partibus.

*Putridis febribus adesse uelocem systolem.*

Proprium præterea inseparabileq; putridarum febrium est signum, uelocitas systoles, quæ manifestius quidem in crescentibus febribus, non obscurè autem in incipientibus & consistentibus fit.

*Putridarum febrium pulsus.*

Comitatur autem has febres, in initijs quidem, pulsus paruus ac uelox: quum uerò consistunt, uelox simul & magnus. Sic & quæ circa externam quietem uersatur frequentia, in huiusmodi febribus deprehenditur manifestè. Cuius similis neque in ephemeris, neque in hecticis cernitur.

*Putridarum urinæ quales.*

Maximum uerò & harum febrium indicium existit urinæ cruditas: earundemq; est proprium, imbecilla concoctio. Neque enim unquam magnum aut effatu dignum concoctionis indiciũ per huiuscemodi febres in primis urinis appatet, si quidem excipiamus eam, quæ fit ex ephemeris febribus, permutationem.

*Febrium nulli, quatenus febres, adest pulsus durus.*

At uerò pulsus durus nullius generis febrium, quatenus febres sunt, est aut proprius, aut inseparabilis. Comitatur tamen magna ex parte hecticas febres: nonnunquam uerò etiam duo genera alia, symptomate aliquo interueniente.

*Durities unde accedat arteriarum tunicis.*

Quippe durities accidit arteriarum tunicis, aut ob congelationem, aut tensionem, aut siccitatem. Congelationes igitur, uehementes algores efficiunt: tensionem uerò, inflammationes, & duri tumores, & neruorum dispositio inflammationibus correspondens. At siccitatem, euacuationes diuturnæ, & longi temporis fames, & diutinæ febres ardentes. In uniuersum autem, quæcunque solidas animalis particulas uehementer exiccant, sicuti & hecticæ febres, arteriarum duritiem efficiunt.

CAPVT VIII.

*Hectica ardentibus solent superuenire.*

At uerò hecticæ febres magna quidem ex parte ardentibus febribus solent superuenire, usque adeò productis, ut humorem in corpore cor-

dis contentum absumpserint: quanquam fieri etiam potest, ut magna adhuc eius portio seruetur. Cæterùm illæ non tantùm hecticæ sunt, sed etiam tabidæ.

*Tabidæ febres.*

Quæ uerò manente adhuc humiditate gignuntur, ubi cordis occupauerint corpus, hinc maximè succenduntur, quemadmodum lucernæ flamma ex ellychnio.

*Hecticas febres interdũ ab initio inuadere, similem cũ ephemeris habentes generationem.*

Alio autem modo febres hecticæ oriuntur, ubi statim ab initio inuadentes, similem ortum cum ephemeris habent: uidelicet aut ex ira, aut tristitia, aut lassitudine insigni, aut ardore solis contractum.

*Hecticarum nonnullas quidem facile, alias ægre curationem recipere.*

Quæ igitur sic gignuntur, non admodum ægrè curantur. Quæ autem peruenerunt ad tabem, ijs, ubi iam exquisitè consistunt, & iamdudum inceperunt, ut medeamur est impossibile. Siquidem earum natura calida est & sicca, quum per eas tale quid perpetiatur cor, quale lucernæ ellychnium, dum plurimum est exustum.

*Marasmus.*

*Tabida febris à tabe quomodo differat.*

Differt autem tabida febris à tabe, siue marasmo. Marasmus siquidem etiam absque febre in decrepita ætate solet accidere, extincto natiuo calore: id quod nihil aliud existit, quàm mors, quæ ferè sine sensu doloris, ac secundum naturam, ex siccitate contingit: sicuti & ijs qui præter naturam tabescunt, altera species marasmi accidit, quæ à Philippo ex morbo senectus uocatur. Tabida uerò febris non tantùm sicca, sed etiam calida est passio.

## CAPVT IX.

Hectica igitur quæ in tabem incidit, febris, cognitu promptissima atque facillima existit.

*Tabidæ febris indicia.*

Nam priusquam pulsum atque calorem perpetidas tactu, uidebis oculos immodicè concauos, ac ueluti in foueas quasdam reconditos, exhausto iam uniuerso ipsorum humore, ita ut ossium, quibus palpebræ cohærent, eminentiæ cernantur. Sordes præterea in ipsis siccæ ostenduntur, & quædam ueluti squallida dispositio, qualis maximè inest ijs, qui toto die sub solis ardore per puluerem iter longum fecerunt. Quinetiam in eis est coloris flos uitalis extinctus: frontisq; & faciei cutis rigida, ex siccitate, & squallida. Adhæc, sic affecti frequenter palpebras cõtrahunt, dormitantium instar: non tamen affectus eorum est somnus, sed potius uigilandi impotentia. Præ macie etiam sunt illis collapsa & concaua tempora: nihilq; in eorum corporibus cernitur præter cutim atq; ossa. Pulsus autem tenuis, durus, debilis, atque frequens apparet. Caliditas uerò, quum primùm admouetur manus, languida est: paulatim autem acredinem, atque erosionem ostendit: ac magis, quum plus tangendo immoraberis.

*Marasmus quomodo incipiat.*

Porrò marasmus tunc incipit, dum cognatus humor, qui in medijs partium similarium spacijs inspersus est, & ex quo primùm uniuersæ partes nutriuntur, periclitatur circa corpus cordis non amplius adesse. Quandiu enim pars aliqua humoris illius conseruetur, solùm febris hectica existet, nondum etiam tabida.

*Tabes exquisita quando dicatur.*

Vbi uerò res eò discriminis iam peruenerit, ut nihil ex tali humore supersit, tunc exquisita tabes exister. Est autem hecticarum omnium dispositio difficilis, ubi præterierit principij tempus: quod non dierum aut horarum numero, sed ipso dispositionis modo determinandum est. Cæterùm quum naturalis temperies cordis primùm inuerti inceperit, neque natiua humiditas protinus dissipatur, neque uirtus laborat plurimùm: sed primò fit ueluti quædam efferuescentia ipsius humiditatis: quo tẽpore facilè est einsmodi febrem sanare, tanquam nihil adhuc uirtute perpessa. Tantùm autẽ uirtus laborat, quantùm siccitas & caliditas in ipso corde inualuerit. Iam uerò, quæ febris æqualiter ab utraq; distat, ab ea scilicet quæ exquisitè tabida existit, & ab illa in qua nihil est adhuc tale, mediam quodammodo sese habet ad curationem, dubio ad partes ambas momento inclinans. Quæ autem tabidæ proximior existit, est uicinior periculo, quum quæ alteri primæ magis adhæret, non par uam salutis spem possit nobis promittere.

*Hecticæ febris inuestigatio.*

Fingamus igitur aliquem esse correptũ febre, quam præcesserant conspicuæ & procatarcticæ causæ. Si enim febris ipsa ad sequentem diem extendatur, neque integrè desinat, neque exasperetur magis, ariditatem tamen maiorem in corpore repræsentet, talem hecticam fore tibi suspicandum fuerit. Quòd si & in tertio die sine cibo permanere uoluerit æger, donecq; tertianæ accessionis præterierit horas suspectas, nihilq; effatu dignum priori accesserit febri, aut imminutum fuerit, sed tantummodo quædam exiguæ reliquiæ primæ febris procedant, permaneantq; cum ariditate corporis, & caliditate, quæ primo quidem tactu mitis sentiatur, processu uerò acris, mordax & sicca: huiuscemodi febrem hecticam esse existimandum est. Maximum uerò & indubitatum erit eius naturæ indicium, si cibum homini post suspectas horas obtuleris. Statim siquidem una uel altera hora post cibum exhibitum, quicunque ægrotantem tetigerint, alteram febris accessionẽ opinabuntur adesse.

*Hecticas febres post sumptum cibum excandescere, exacerbariq; æqualiter.*

Omnibus nanq; hecticis febribus hoc proprium inseparabileq; adest indiciũ, scilicet quòd allato cibo accendatur* calor, pulsusq; ad magnitudinem & uelocitatem augeatur, sic ut uideatur oborta esse incompressa quædam accessio, hoc est, libera ab omni inæqualitate, qualis comitari alias febres solet. Nam tametsi in alijs nonnullis febribus huiuscemodi *insultus incompressi cernantur, ij tamen absque cibo solent accidere.

*Hecticis febribus nulla adest accessio.*

*Synochos febris est tota una febris continua.*

In febribus autem hecticis nunquam aliqua accessio conspicitur, sed perpetuò cernitur una febris continua, ut illa quæ synochos appellatur. Ea tamen quandam ueluti flammam plurimam admouenti manum possidet occursantem: pulsusq; ædit celerrimos, frequentissimos, atque maximos. In hecticis autem febribus, neque multa occurrit caliditas, pulsusq; tantò minores, rariores, atque tardiores sunt ijs, qui per synochos fiunt, quantò etiam caliditas ipsa est minor.

*Hecticæ accessiones pusillæ et æquales semper à principio usque ad finem existunt.*

Commune itaq; omnibus hecticis febribus est, quòd pusillæ, & semper à principio usque ad finem æquales existant.

*Tabidarum febrium proprium est siccitas.*

*Hecticas sæpe absque siccitate consistere.*

Proprium autem est tabidarum, siccitas. Nam sine siccitate sæpius hecticæ febres consistunt, quum minimè in tabem degenerant. Iam cæteras febres quæ incompressas accessiones sortiuntur, omnino compressio aliqua comitatur, dum cibus ingestus fuerit in accessionis principio, Hecticis autem,

post

post cibum assumptum, quendam uelut inconcussum insultum fieri contingit, qui tamen non est accesio, sed incrementum caloris, atq; promotio pulsus in magnitudinē atq; uelocitatem, qualis cuicunq; alteri post cibum solet accidere. Quamobrem alteratio ipsa tandiu perdurabit, donec distributus cibus appositusq;, humectaue rit cordis ariditatem. Postea uerò corpus ad pristinum reuertetur statum, in quo antea quàm cibus exhiberetur, conspiciebatur. Quod si rursus nutrire uelis, uel in diuersis temporibus, sentires semper calorem post cibos adauctum: pulsus autem (ut dictū est) alteratos: utpote quibus idem uidetur accidere, quod calci & lapidibus calefactis, quorum nimirum caliditas arida, per aquæ affusionem, ab humida substautia nutritur. Humida enim caliditas, quàm sicca, uires habet non parum euidentiores. At uerò siccam in hecticis febribus esse caliditatem, quas consequitur tabes, hinc constat, quòd nullus eorum qui habitu corporis sunt humidiori, statim ab initio huiuscemodi febre correptus fuerit. Quicunq; autem sunt natura sicciores, ac præsertim si temperiem etiam calidiorem sortiantur, uitamq; elegerint in laboribus, uigilijs, curis, tenuiq; uictus ratione, hos statim ab initio solet hectica febris inuadere, ex ira, uel tristitia: ac magis æstate, statuq; temporis calido & sicco, ac loco præterea consimili. Ac terminus talium hecticarum principij est, si eo tempore, quo solent ephemeræ ad integritatem desinere, non solùm istis nihil tale accidat, sed siccitas etiam manifestè intendatur. Alter uerò cuiusdam ueluti ipsius augmenti, atque integræ perfectionis terminus, est tertiæ diei accesio. Nam si tunc nec altera accesio superuenerit, neq; ægrotus absq; febre fuerit, adaucta insuper siccitate, proculdubio hic hectica febre laborat: quæ progressu temporis citò ad tabidam conuerteretur, nisi rectè curetur. Terminus autem permutationis ipsius ad tabem est, dum pulsus debilis simul atq; durus sentietur: qui quidem necessariò etiam erit paruus & frequens: non tamen propterea febris dicitur tabida, sed ob id potius, quòd debilis atque durus existit. Debilitas siquidem, uehementem sequitur febris intemperantiam: durities autem, ariditatem. Si igitur huiuscemodi affectus cor occupauerit, hinc febre tabida necessum est animal laborare. In eandem uerò incidunt febrē ex ardentibus atq; acutis febribus plures, qui rectè curati nō fuerit: quiq; quum egerent potione frigidæ, non solùm eam non biberunt, sed nullum etiam aliud refrigerans medicamen applicuerunt thoraci & præcordijs. Quinetiam hepatis ac uentriculi inflammationibus, nisi rectè curentur, tabes superuenire consueuit, affectione ipsa cordi cōmunicata. Siquidem tabe corripitur cor, interdum quidem ex se ipso, sicuti per excandescentias, uehementesq; atque diuturnas tristitias: nonnunquam uerò ex ardentibus febribus: aliquando autem ex pulmonis ac thoracis affectibus, ac præsertim ex empyemate & phthisi, atqueadeo ex diuturnis nobilium partium inflāmationibus. Similiter in lienteria & diarrhœa, si uel ab initio statim, uel progressu temporis, febris inuaserit, tabidæ postea febres succedunt. In uniuersum autem, quandocunq; præexiccatum cordis corpus febrilem caliditatem susceperit, & quæ cum difficultate extinguatur, tabida occupatur febre. Quare & quū arteriæ circunstantibus partibus calidiores sentiuntur, maximum sunt hecticarum febrium indicium. Vbi igitur sola per seipsam consistit hectica febris, perspicua est, an sit absolutè hectica, an simul & marasmodes. Vbi uerò hectica febris unà cū putrida coit, longè difficilius cognoscitur: quamuis ex arteriarum perseuerante calore, motusq; celeritate & frequentia, eam discernere possumus.

*Febri cuicunq; alterari pulsum post cibū, in magnitudinem atque uelocitatē.*

*Hectica statim ab initio, quo prehendantur.*

*Tabida febre tunc laborabit animal, quū calor hecticus iam ipsum cor occupauerit.*

*Tabes quibus soleat superuenire.*

*Tabe corripi cor quib. ex causis posit.*

*Hecticam misceri interdū cum putrida.*

CAPVT X.

Porrò qui ex feruore solis inciderūt in febrim, his cutis magis ad calorem & siccitatem, quàm pulsus ad febrilem uergit dispositionem: nam & minus sitibundi sunt ijs, qui æqualem habent caliditatem: & quamprimum manus admouetur, ingens calor percipitur. Contrà res se habet in ijs, qui ex cute densata & astricta laborant: nam in eis reaccenditur calor. At qui ex feruore solis ægrotant, his maximè deuri caput uidetur: plusq; ex balneis frigidis unlitans & delectationis percipiunt. Oculi quoq; in eis rubicundiores & calidiores cum quadam ariditate uidentur, si quidem sine grauedine ac destillatione affligantur. Est autem minus calida cutis ijs qui ex frigiditate febricitant, corpusq; eis in maiorem tumorem attollitur: ac nullus in fronte squallor, qualis illis qui ex insolatu febricitant, sine plenitudine capitis. Siquidem magna ex parte his solet caput repleri, nisi quis purum, materiæq; inunlis expers corpus posideat. Solis quippe his caput calfieri contingit, sine aliqua plenitudinis noxa.

*Febris ex insolatu.*

*Febris ex cute astricta.*

*Febris ex frigiditate.*

## GALENI PERGAMENI DE differentijs febrium Lib. II.

CAPVT I.

Svperest autem nunc, ut de differētis febrium quæ ex humorum putredine oriuntur, similiter disseramus: idq; ubi admonuerimus prius, non sat esse (quemadmodum multi opinantur) ad omnium febrium generationem, si in corpore amara bilis redundet. Alioqui laborantes arquato morbo, ad unum omnes maximis corriperentur febribus: id quod nequaquam contingit, priusquam bilis quæ in illis copiosissima est, computrescat. Absurdum etiam est credere, in quartanis & quotidianis febribus exquisitis, aceruari bilem amaram, quemadmodum in tertianis, atq; in causonide, quum in illis nullum talis succi uestigium adsit. Etenim febres tertianæ magna ex parte in corporibus natura magis biliosis fiunt: in ætate uigenti (quæ omnium biliosissima est:) tempore æstiuo (in quo dominatur is humor:) in locis præterea quæ calidam & siccam temperiē posident, in similiq; aëris ambientis constitutione: ac breuiter in homine qui laboribus, curis, uigilijs, æstu, tenuis uictus ratione, eademq; calida & sicca, ac deniq; medicamenum calfacientium & exiccantium immodico usu, fuerit commaceratus. Quotidianę uerò, natura ris in quibus pituita superfluit, sunt familiares: in hyemeq; præcipuè, atque in omni locorum & temporum statu frigidiori atque humidiori gignuntur. Ex ætatibus porrò, senilem atq; pueri-

*Tertianæ febres quibus naturis magis sint familiares.*

*Quotidianæ febres quibus naturis magis sint familiares.*

lem infestant magis: præsertim si accedat otiosa uita, quam crapulæ comitantur: atq; etiam si post pituitosos cibos quispiam balneis utatur. Neq; etiam ij qui quotidiana febre tenentur, amaram euomunt bilem, nec per uentrem inferiorem aut sudores illam excernunt, quod in febribus contingit tertianis: hæ siquidem flaua bile putrescente gignuntur. At quotidianæ ex pituita, quemadmodum quartanæ ex atra bile, ducunt originem. Proinde corporum naturæ magis ad atram bilem procliues, ex ætatibus, præcipue declinans: ex anni uerò tẽporibus, maximè autũnus: ac breuiter uictus uniuersus frigidus atq; siccus, quartanis febribus originem præstant. Quare & rigor qui utrunq; genus febris antecedit, haudquaquã similis est: * sed qui in tertianis quidẽ accidit, repræsentat sensum causæ efficiẽtis, ueluti rei cuiusdam pungẽtis, ferientisq;: qui uerò in quartanis, tanquam refrigerantis. Porrò febres intermittentes, quæ nimirum ad integritatem desinunt, ortum habent ab humore qui per omnes corporis partes suo motu defertur. At in cõtinuis, humor delitescit atq; connnetur in uenis.

*Tertianæ fiunt à flaua bile cõputrescente.*
*Quotidianæ fiunt à pituita.*
*Quartanis febribus quæ originem præstent.*
*Rigor qualis tertianæ, quartanæq;.*
*Intermittentiũ febrium & continuarũ discrimen.*

CAPVT II.

*Intermittentiũ febrium tres differentiæ.*

Intermittentium igitur tres sunt omnes numero differentiæ, quotidiana, tertiana, & quartana: quotidiana quidem, ex pituitæ: tertiana autem, ex flauæ bilis: quartana deniq;, ex atræ putredine propagata. Continuarũ autem quæ ex flaua bile prouenjũt, duplex species habetur: una quidem, earum quæ appellantur synochi: quarũ uniuersum tempus unica accessio existit, à principio usque ad finem extensa: altera uerò earũ quæ idem cum genere nomen habent, cõtinuæq; dicuntur, atq; in pluribus * particularibus circuitibus continentur. Earum igitur quæ appellantur synochi, tres differentiæ connumerantur. Nam earũ quædam à principio ad finem usq; perseuerant æquales: quædam paulatim augentur: aliæ decrescunt, atq; minuuntur. Vnde nonnulli primas quidem homotonas acmasticasq;, secundas epacmasticas, tertias paracmasticas, hoc est, uniformes, inualescentes, & decrescentes, nominant. At continuarum duæ sunt differentiæ primæ. Siquidem earum nonnullæ quidem, tertio quoq; die inualescunt exasperanturq;, referentes naturam tertianæ febris: aliæ uerò etiam die intermedio exacerbationem faciunt: neutræ tamen harum ad integritatem desinunt. Earum igitur continuarum quæ die intermedia accessionẽ faciunt, nonnullæ quidem formam quotidianarũ seruant, duas inuicem accessiones simillimas conficientes: aliæ uerò, quum duas dissimiles faciant, simillimam primæ tertiam efficiunt, atq; secundæ quartam, instar duarum tertianarũ progredientes. Hæ igitur ex bilioso magis, alteræ uerò quæ singulis diebus similem accessionem faciunt, ex pituitoso humore consistunt. Est & tertium genus febriũ continuarum, quæ perrarò tamen eueniunt, quarum accessiones quartanarũ figuram progredientes ostendunt, nec desinunt tamen integrè. Quemadmodum autem febris tertiana aliquando fit duplex, & aliquando triplex: sic hæc etiam non duplex modò, sed triplex potest euadere.

*Continuarum species duplex.*
*Synochi uniuersum tempus est unica accessio.*
*Synochorũ tres differentiæ.*
*Homotonæ febres.*
*Acmasticæ febres.*
*Epacmasticæ febres.*
*Paracmasticæ febres.*
*Continuarum duæ differentiæ.*
*Continuã quartanam reperiri perraro.*

CAPVT III.

Quæ igitur à flaua bile per sensibiles corporis partes delata oritur febris, ea cum rigore inuadit, atq; ardentis febris similitudinem gerit, & biliosis uomitibus, aut deiectionibus, aut sudoribus, uel horũ quibusdam, uel omnibus simul, soluitur. Huius febris accessio duodecim ad summum horarum æquinoctialium interuallo finitur. Vocamus autem ipsam exquisitam tertianã, quæ in temperatura laborantis biliosa, & anni tempore, & regione, & uictus ratione, calidis & siccis cõsistit. At uerò copiosior bilis, ea quæ pauca est, longiorem facit accessionẽ: tenuis autem, crassa breuiorẽ. Sic & uigor, maior quidem, breuiorem: imbecillior autem longiorem. Præterea corporis dispositio, rara quidem breuiorem, densa uerò longiorem. Tempus autem intermissionis in hac febre, nullũ habet humoris putrescentis ex pulsu perceptibile indicium, in die aut nocte, quæ consequitur accessionem. Quum uerò parumper succenditur, uix agnosci potest in primis diei aut noctis subinde sequentis partibus: manifestius autem circa fines ipsius diei uel noctis: atq; adhuc manifestius die proxima, quæ uidelicet antecedit accessionis diem uel noctem. In illa uerò iam signum euidentius apparet, ac multò etiam magis accessione iam incipiente: atq; adhuc plus, inualescente febre. Quũ uerò iam consistit, minus quàm quum augebatur: multòq; minus ubi iam declinauerit.

*Tertianæ febris symptomata.*
*Tertiana exquisita quæ.*
*Accessiones febrium quæ faciant breuiores, longioresq;.*

CAPVT IIII.

*Quotidianæ febris descriptio.*

Est & alia exquisitæ simplicitatis febris, quæ ex putrilaginosa pituita ortum habet, per sensiles à natura partes impulsa. Incipit autem à refrigeratione extremorum, & horrore magis quàm rigore. Cum difficultate per eam accenditur calor, ac longum cõsumit tempus dum inualescendo peruenit ad summũ. Quoniam uerò is ex quo constituitur humor, frigidus est & humidus, ac præterea lentus & tenax, idcirco ægrè accenditur, ac tardè mouetur, sæpiusq; in foraminibus hæret. Opprimit autem atq; aggrauat aliquando uirtutem: unde inæquales ac debiles magis, paruosq; efficit pulsus, quũ primùm accessiones inuadunt, atq; in primis incremẽti partibus. Fiunt & in biliosa febri circa accessionum principia, singuli quos diximus pulsuũ affectus: in ea tamẽ statim desinunt: cætera uerò, necnon inæqualitas, plerunq; tali febre inuadente non adsunt. At postquam cessauerit rigor, non multùm pòst calor accenditur, ueluti ignis effulgens, purusq;, omnis fumosæ fuliginis expers. Pituitosi autem humoris caliditas, ignem humidum ex accensis lignis uiridibus refert. Idcirco & * exiguæ euacuationes ab ipso, & accessionis spacium longius producitur: neq; intermissionis tempus est adeò ut in tertiana syncerum, sed humoris putrefacti seruat indicium. Attamen quum exquisitè suam naturam seruauerit, plerisq; & mihi non rarò uidetur habere puram intermissionem. Hæc febris, naturas consequitur corporum, & tempora, & loca, & status, artesq;, & uictus rationem, aliaq; omnia prorsus alumna pituitæ. Accenditur autem singulis diebus, etsi minus calida sit, quàm biliosa tertiana. Hæc enim, quũ humorẽ habeat minimo negocio inflammabilem, facileq; quicqd ex eo efferbuerit, totũ propter subtilitatẽ in accessione expurgetur, ad puriorẽ quandam integri-

*Tertiana & quotidiana discrimẽ penes suũ calorẽ.*
*Quotidiana accenditur singulis diebus, quia in accessionũ declinationib. nõ expurgatur integrè, ut exquisita tertiana.*

integritatē terminari uidetur: atq; exiguū quoddam uestigium post paroxyſmum, putridæ caliditatis relinquere. Quæ aūt ex pituita febris accenditur, in acceſsionū declinationibus non expurgatur integrè, neq; parum relinquit eius quod ueluti ſuccendi uidetur: ac proinde intermiſsio eius longè deterior eſt, ac ſecundæ acceſsionis multò magis feſtinat inſultus.

CAPVT V.

*Quartana exquiſita gignitur ab atra bile.*

Tertium febrium intermittentiū genus eſt exquiſita quartana, quum ex ſolo atræ bilis humore gignitur, qui frigida & ſicca conſtat temperatura. Succenditur autem paulatim, ueluti lapis aliquis, aut corpus ſimiliter frigidum atq; ſiccum. Vbi uerò aliqua ex eo flāma fuerit accenſa, nihil fumidum, aut ſemicombuſtū in acceſsione relinquit: atq; idcirco ex hoc humore, quàm ex pituita, plures euacuationes oriunt͂, intermiſsioq; exquiſitè pura uidetur: quandoquidem quicquid atræ bilis accenſum fuerit, exhauritur atq; diſcutitur. Quamobrem in ſic affectis talis eſt rigor, qualis ijs, qui uehementi gelu frigeſcūt. Hanc autem febrem neceſſariò antecedunt, quæcunq; atram bilem accumulāt. Cæterùm acceſsio ipſius, quod quidem ad longitudinem pertinet, ſimilis eſt tertianæ: nonunnquā etiam & longior, quum uidelicet exquiſita perſiſtit, nempe à frigidiori humore producta. Pro multitudine autem & qualitate humoris, uigore & imbecillitate potentiæ, necnon ipſius ægrotantis diſpoſitione, per omnes febres ſolet longitudo acceſsionum uariari. Si igitur neq; putreſcat, neq; uehementer per partes ſenſiles deferatur, melancholicus humor, nunquam efficiet exquiſitum quartanum circuitum. Iam uerò, regij quidem morbi paſsionibus, diuturni melācholiciq; ſplenis affectus, & colores in toto corpore fœdi: herpetibus uerò atq; eryſipelatibus, quæ ex flaua bile gignuntur, cancri & phagedænæ, proportione quadam reſpondent. Verū neq; in his, neq; in alijs atræ bilis affectibus neceſſariò febricitāt, niſi prius atra bilis putreſcat. Semper quippe natura ſuis uiribus freta, quicquid *optimū reddi poteſt ex ſuccis, id nutriendis partibus conatur aſsimilare: excernere autem, quod talem correctionem nō recipit. Quòd ſi quando ob occaſionem aliquam id ipſum nequeat expellere, neceſſium eſt, ut diutius deliteſcens in animalis corpore, corrumpatur. Sic igitur ijs qui morbo regio, atq; atræ bilis paſsionibus infeſtantur, quando bilioſi humores ſuperabundantes, diutius corpus obſederint, febris ſuperuenire cōſueuit. Sed neq; ob redundantem pituitam febris unquam accenditur, niſi prius cōputruerit. Ob pituitam aūt uiſum eſt ſæpius (quod impoſsibile arbitrabantur ueteres) oriri abſq; febre rigorem.

*Quartanarum rigor qualis.*

*Rigorem abſq; febre aliquando ex pituita ortum.*

CAPVT VI.

*Hepiala eſt ex genere quotidianarum*

*Hepiala oritur à uitrea pituita.*

*Pituitæ ſpecies quatuor.*

Ex genere quotidianarum eſt febris quam Hepialam uocant, ubi ſimul & febriunt, & rigent ægri, atq; eodem tempore in toto corpore utrunq; ſentiunt affectū. Oritur autem hæc febris ab humore illo, quē uitreum Praxagoras uocat, quiq; eſt ſpecies quædam pituitæ, ſatis frigidus atq; tenax exiſtens. Siquidem omnis frigidus atq; humidus ſuccus, ad pituitæ appellationem refertur. Cuius tamen plures ſunt differentiæ. Eſt nanque una ſpecies pituitæ, uſqueadeo frigida, ut quū detinetur alicubi, dolores acerbiſsimos excitet. Atq; hæc ſanè uitro fuſo eſt perſimilis. Eſt & alia pituitæ ſpecies haudquaquā exactè frigida, quam plerıq; cum ſcreatu expuunt, ſenſibilem habens dulcedinem. Accedit tertia ſpecies pituitæ, quæ ſentitur expuentibus acida: eſtq; minus frigida, quàm quæ dicit͂ uitrea: magis uerò quàm dulcis. Præter has ſpecies, eſt ſalſa aut ob putredinē, aut ob ſeroſę humiditatis miſtionem: ex qua quidem febricitantes non rigent, ſed tantummodo horrent. Acida uerò ac uitrea pituita, ſi per partes ſenſiles deferatur, rigores citra febrem inducit. Quòd ſi modica aliqua in ipſis fiat putrefactio, febrem Hepialam conciliant. At ſi uehementius putreſcant, rigor quidē antecedit, febris uerò ſequitur, à multitudine caloris frigida materia deuicta. At putreſcente dulci pituita, rigor minimè antecedit febrem.

*Hepialam fieri etiam à pituita acida.*

CAPVT VII.

Porrò ſi pituita putreſcens miſceatur amarę bili, duplex ut cauſa, ſic etiam diſpoſitio iungetur. Alter ſiquidem humor afferet quotidie acceſsionem, alter uerò tertio quoq; die. Itaq; alter quidē dies duas acceſsiones habebit, alter uerò unam duntaxat: niſi acceſsionū tempora ſibi mutuò cohæreant: cohærentibus ſiquidem fiet una febris confuſa, quæ neq; puræ tertianæ, nec quotidianæ formā præ ſeſe feret. Quoniā uerò utriuſq; febris duplex ſpecies eſt, quatuor ex ipſis fient cōiugationes. Vna quidē in qua tertiana quotidianæ intermittenti miſcet͂. Altera, in qua tertiana quotidianæ continuæ iungitur. Tertia, in qua quotidiana intermittens, tertianę continuę miſcetur. Quarta deniq;, in qua permiſcet͂ quotidiana cōtinua tertianæ continuę. Harū uerò nuper dictarū coniugationum omnium, duæ ſunt differentiæ: quum aliquando quidem in eandem horam acceſsiones occurrant: nonnunquam uerò diuerſis temporibus ſuperueniant. Cæterùm ex acceſsionis forma, non ex periodorum ſimili proportione, cognoſcenda ipſa febris uenit. At quæ ſingulis diebus accenditur atq; intermittitur febris, ea amphimerina, hoc eſt, ſimpliciter quotidiana uocetur. Quæ uerò intermiſsionem non habet, continua quotidiana dicatur. Idem etiam & in alijs febribus eſt faciendum iudicium. Iam uerò ex quotidiana continua, & tertiana intermittente, hemitritæi natura conſtat. Quum igitur tertianæ inſultus cum rigore inuadat: quotidianæ autem continuæ, ſine rigore: ſanè ſi ambæ in unam horam (quod interdum per hemitritæum contingit) conſpirent ex æquo, febris conflata ex utraq;, horrorem præ ſe feret, rem quidem rigore minorem, ſed maiorem refrigeratione. Quocirca dimidiam hæmitritæi portionem utraq; illarum febrium (dico quotidianæ continuę, & intermittentis tertianæ) occupabit. Eſt autem hemitritæi duplex generationis modus. Nam aut illarum febriū acceſsiones in unam eandemq; horam coëunt, quòd altera quidem anticipet, atq; altera prorogetur: uel ſtatim ab ipſo initio ambæ febres miſcentur & confunduntur. Quæ igitur fit, in unum tempus conſpirante utraq; acceſsione, unum duntaxat hemitritæi naturæ paroxyſmum ſortitur: altera autem omnes, à principio ægritudinis uſq; ad finem: quæ febris maximè ab

*Tertiana febris & quotidiana miſtarum, quatuor coniugationes.*

*Amphimerina febris.*

*Hemitritæus conſtat ex quotidiana continua, & intermittēte tertiana.*

*Hemitritæum inuadere cum horrore.*

*Hemitritæi duplex generationis modus.*

omnibus hemitritæos uocatur. Qui autē intermittentis tertianæ & quotidianæ continuæ formam per se cognorit, facilè complicatas per symptomata propria distinguet. Porrò quænam ex eis complicatis citius sit habitura finem, ex ipsarum specie, accessionis prolixitate, magnitudineq́ꝫ, præterea ex more, motu, reditu periodorum, necnon ex concoctionis & cruditatis indicijs, coniecturandum.

CAPVT VIII.

Febris igitur quæ ex intermittente tertiana, & quotidiana continua, composita est (quam hemitritæum uocamus) aut flauam bilem habet exuperantem: atq; ob id, in ea fiunt tertianæ febris accidentia maiora: aut hæc quidē parcior, pituita uerò abundantior existit: ob idq́ꝫ quotidianæ continuæ affectus firmiores: aut neuter horum humorum alterum uincit, sed ambo æquipollere uidentur, id quod in exquisitis hemitritæis, hoc est, semitertianis, contingit. Ergo si in mistione ipsa præualuerit febris tertiana, horridior fit tota febris, & nonnihil sibi in inuasione rigoris associat. Confestim uerò & feruidior est huiuscemodi febris, & incendij plus habet, magisq́ꝫ ad summum festinat: & aliquid bilis per uomitum, aut per aluum, aut per sudores excernitur. At si altera ex pituita febris sit præpotentior, tunc frigus uehemētius extremas occupat partes, & pauci adsunt horrores, ac pulsus magis, & diutius comprimitur: tardiusq́ꝫ accessio inualescit, ac longum pòst tempus consistit: non tamen aut sitim, aut magnum adfert incendium: nec in ea, ut in alia, bilis excernitur. Itaq; in hemitritæo exquisita, quæ ex æquali duarum febrium (quandoquidem humorū duorum) temperatura est composita, ueluti pugna quædam inter uarios affectus oritur, quum æger nonnunquā inualescente febre tertiana, atq; ad cutem humores pellente, incalescat uehementius, remorante interim reuellenteq́ꝫ intrò ipsius motum febre quę ex pituita ortum habet: * quum nimirum is humor sit tardi ac difficilis motus, frigida & lenta existens materia. Dicitur autē hemitritæus febris non exquisita, ubi aut bilem, aut pituitam habet uincentem. Est & alia secunda copula commistioq́ꝫ duarum febrium, tertianæ scilicet & quotidianæ, ambarum intermittentium, quę similem quidem nuper dictæ accessionem facit: hoc tamen interiecto discrimine, quòd hæc quidem intermittatur, atq; necessariò ad integritatem desinat: quodq́ꝫ die secunda cum rigore aut horrore, sola quotidiana febris inuadat. Quamobrem huiuscemodi febris non est dicenda hemitritæus, si quidem ex numero continuarum hemitritæus existit. At si in utroque genere hemitritæus consistat, non hæc tantùm, sed multæ præterea aliæ febres, hemitritæi dicentur. Cæterùm minimè ex duabus continuis, quarum altera ex bile, altera ex pituita oriatur, potest hemitritæus produci: quandoquidem hæc cōmistio, febrem horridam, & quæ multas habeat redoplicationes, non facit. Nam quum omnis febris continua, sui quidem ratione, si exquisita fuerit, neq; horrorem habeat, neque rigorē: certè quæ ex ipsis componitur, haudquaquam horrida fiet. Necessum igitur est, si horridus simul atq; continuus sit hemitritæus futurus, ex duabus ipsum febribus generari, quarum altera sit intermittens, altera uerò continua. Proinde tertiana mista quotidianæ continuæ, hemitritæum producit: quam febrem neq; utraq; continua, neque utraq; intermittens efficere potest. At uerò si quotidiana intermittens, misceatur tertianæ continuæ, oriri poterit continua simul atque horrida febris. Hæc tamen contrario modo se habebit quàm prior: quoniam continuitatem quidem ex bile obtinebit: horrorem uerò, ex pituita: reduplicationes autem, ex pugna mutua, ac tunc pręsertim, quum humores æquas uires habuerint. Porrò quæ de biliosa & pituitosa febre simul mistis conscripsimus, ea transferentes ad * melancholicā, poterimus ipsius cum utraq; illarum cōmistionem & confusionem similiter coniecturari. Voco enim complexionem, dum inuadunt differentibus horis: confusionem uerò, si eodem tempore inceperint. Tres itaq; simul febres complecti quispiam & cōfundere poterit, ipse per se, ex ijs quæ diximus, contemplationem exorsus. Nam horum omnium principium, fons, atq; elementum est, singularium febrium formam atq; figuram exquisitè cognoscere: id quod perfacilè existit, quum tres tantùm existāt numero: nempe quæ ex amara bile, & quę ex atra, & quæ ex pituita gignitur. Quare singulæ duas habent differentias, continuæ scilicet intermittentisq́ꝫ: ita ut omnium quæ ex humorum putredine ortum habent, fiant sex numero differentiæ. Quòd si quæ alia accesserit particulatim præter has differentia, ea uel ex multitudine humoris, uel ex quantitate uel ex qualitate putrefactionis, ac præterea ex modo motus, & particula in qua putredo consistit, habebit originē. Iam uerò quæ intermissionem habuerint minorem febres, nempe accessione ipsa in longius tempus producta, eæ sanè extensæ uocantur: quæ tamen in eo quod magis aut minus, uarias differētias recipiunt. Ex accessionis autem & intermissionis spacio, opportunum ad exhibendum cibum tempus cognoscitur.

*Hemitritæus exquisita quomodo cōstituatur.*

*Hemitritæus non exquisita quādo dicatur.*

*Hemitritæus est continua.*

*Cōtinuæ febres nec horrorem, nec rigorem faciunt.*

*Hemitritæus continuus.*

*Febrium complexio & confusio quid.*

*Putridarum febrium uariæ differentiæ simplices, senario numero continentur.*

CAPVT IX.

Quum autem oriri soleant ephemerę, sanguine nō putrefacto, sed tantummodo calefacto: inuestigandum nobis iam est, si putrescere illum aliquando contingat, quænam species febrium gignatur. Porrò ab aliena caliditate exoriri putredinem, rectè professus est Aristoteles. Vocat autem alienam, externam: non familiarem, neq; natiuam. Hæc siquidem coquere nata est, illa uerò corrumpere, * quod est putrefacere. * Incalescit autē externo calore sanguis, & insolari deustione, & pestilenti aëris statu, atq; in febribus uniuersis, quacunq; ex causa nascantur. Vbi uerò in aliqua corporis parte sanguis plurimus accumulatus, eiusdem partis uim superat, corrumpi cōsueuit: præsertim si in paruis uasis propter crassitudinem constipetur, aut ob multitudinem impingatur: quemadmodum uidere est in uniuersis inflammationibus: in quibus sanè duabus de causis ipse sanguis corrumpitur: & quia scilicet non difflatur, & quia à natura non uincitur. Nōnunquam itaq; sanguis in inflammatis particulis subire potest putredinem: ex qua simpliciores quidem, quàm ex alijs humoribus febres oriuntur:

*Ephemera interdum oritur in sanguine calefacto.*

*Putredo ab aliena producitur caliditate.*

*Calor natiuus coquere, alienus corrumpere est natus.*

*Sanguis quando externo calore incalescat.*

*Sanguis in inflammatis particulis duplici de causa corrumpitur.*

*Febres à putredine sanguinis ortæ, simpliciores esse quàm ab alijs humoribus.*

similem

similem tamen accesſionũ proportionẽ ſeruantes, qualem tertianæ febres oſtendunt. Sic enim in ijs qui laterũ inflãmationes patiuntur, eſt obſeruatum: quo tempore maximè rubidum expuunt. Quòd ſi ſanguis ſupra modum aſſetur, pars quidem eius ſubtilior ac pinguior, omnino in flauam bilem conuertitur: craſsior autem, in atram: quod in ijs tumoribus, qui carbunculi appellant, uidere licet. Igitur pro uarietate humorum in quos cõuertitur ſanguis, febres fient, ſola bonitate uel malitia differentes. Illæ ſiquidem quæ ſanguinis conſequuntur transmutationẽ, ſunt ſimpliciores, tum in reliquis, tum in caliditatis qualitate mitiori. Nam etſi ſe plurima manui tangenti offert, eſt tamen omnino mitis: ſicuti quæ in balneo contrahit. Semper enim multitudo febrilis caliditatis, in multitudine effluxus conſiſtit. Quòd uerò tangenti manui calor moleſtus ſentiatur, id prouenit ex humoris acredine. Si igitur calor & uapidus, & minus inſuauis uideatur, à ſanguine proficiſcitur. Qui uerò moleſti, rodentes atq; mordaces exiſtunt, conſequuntur utrãq; bilem. At ubi in primo occurſu, aliquid magis uaporoſum q̃ acre, ſe repræſentat manui, ſed per moram paulatim creſcit mordacitas, eaq; admodũ inæqualis, perinde ac ſi per cribrum excolari uideatur, ex pituitæ putredine oriri talem febrem ne dubites. Indaganti autẽ mihi, cur in febribus alijs calor æqualis occurſat: quę uerò ex pituita ortum habent, talem caloris inæqualitatẽ oſtendũt: tenacitas & pituitæ craſſitudo, quæ diſſoluitur ægrè, uiſa eſt eſſe in cauſa. Siquidem ex eo humore, ſicuti ex alijs omnibus, ea pars prima omniũ expirat, quæ iam attenuata fuerit: uix autem attenuatur, quod ualde craſſum exiſtit. Quòd ſi etiam natura frigidũ fuerit, tunc difficultas augetur: ac proinde nõ totus humor, nec ex omni parte æqualiter, ſed ex illa tantũ, in qua putredo inualuerit, efflatur, atque attenuatum effertur.

*Sanguinis ſupra modũ aſſati partem pinguiorem in flauam: craſsiorẽ, in atrã bilem cõuerti, atq; unãquanq; ipſarum pro natura ſua febres accendere.*

*Febres ortas ex permutatiõe ſanguinis in alios humores, mitiores cæteris putridis eſſe.*

*Febres putridas ex tactu dijudicandi ratio.*

*Pituitoſæ febres cur inæqualitatẽ caloris tactui obijciant.*

CAPVT X.

*Affectus infeſtãtes per circuitus.*

Solent autẽ per circuitus affligere, quẽadmodum febres, alij etiam morbi particulares: ut lippitudines quædam, nonnulliq; aurium, capitis, necnõ articulorum dolores. Vt igitur per hoſce affectus uidere licet, uenas quidem in partibus quæ exacerbantur in tumorẽ attolli, atq; inflammationẽ augeri, doloresq; intendi, ac deniq; affluxum materię inutilis ad exteriora fieri: ſic etiã in Interioribus oportet imaginari ea omnia, quæ cùm minimè cadaut ſub ſenſum noſtrum, eandem tamẽ cum illis perpetud analogiam ſortiuntur. Itaq; in laterum & pulmonis inflammationibus, circa accesſionũ quidem principia, tumores increſcũt: in declinationibus autem, euaporant, & ſubmittuntur. Porrò alibi à nobis eſt proditũ, eſſe quatuor naturales potentias, à quibus diſpenſant tum plantæ, tum animalia. Quarum prima quidem eſt, ſimiliũ attractrix: ſecunda, eorundem retentrix: tertia poſt has, alteratrix: quarta deniq;, alienorum expultrix. Duplex autem eſt in omnibus rebus alienum: alterum quidem qualitate, alterũ uerò quãtitate. Acervatur autem hoc, ob earum potentiarum quę in membris ſunt, uel imbecillitatẽ, uel robur. Etenim ſi æquè ualentes ipſæ partes extiterint, & meatus qui inutilem materiam deducunt, ſecundum naturam ſe habuerint, tunc membra ſanitate fruẽtur. Vbi uerò plus aſſumptũ fuerit, quàm alterari poſsit, omne id quod ſuperfluũ eſt, à uirtute expultrice truſum, excernitur. Quòd ſi hæc imbecilla fuerit, in eodem reſidet loco: ac ſi multùm ſit, grauat, diſtenditq;: ſin acre, exedit, ac mordet: ſicuti & quod calidũ eſt, calfacit: quod frigidum, manifeſtè refrigerat. Solet autem ſæpe excrementum ab alijs in alias partes transfluere, fortioribus nempe id ſemper à ſe pellẽtibus, ſuſcipientibus autem imbecillioribus. Qui motus nõ ceſſat, donec in eas quæ omniũ imbecillimæ ſint, oberrans humor inciderit. Hinc uerò ad fortiores relabi eſt impoſsibile. Idcirco per plethoras atq; cacochymias, imbecilliores particulę infeſtari ſolent uarijs fluxionũ affectibus. Nihil igitur mirum, uel cerebrũ, uel uniuerſum caput, excrementũ in ſe collectum, ad partes imbecilliores expellere, ueluti ad aures, oculos, tẽpora, labra, dentes, malas, palatũ, gingiuas, gurgulionem, paristhmia, aut deniq; ad glandulas illic conſiſtentes. Quòd ſi ex his nihil imbecillitatem patiatur, ad pectus, pulmonem, fauces, gulam, uentriculum, ipſa fluxio delabitur. Sicuti igitur cauſa talium omniũ morborũ ſæpenumero eſt caput, ita & eas quæ in iecinore ac liene fiunt inflammationes, aliquæ partes uicinæ, uel etiam ex remonoribus aliqua una, uel plures, generant, augent, immittunt, ac per circuitum exaſperant. Qui igitur neſcius non fuerit, primam inflammationis originẽ, ex fluxione in hepar incidente, ſuum ortum traxiſſe: ac quòd deinceps exacerbetur, cauſam in Ipſa parte patiente conſiſtere: utiq; is non mirabitur in febribus quę accenduntur ex hepate, ordinis proportionem. Confluit autem materia inutilis interdum quidem (quatenus dictum eſt) impulſa ad infirmiores particulas, interdum ab illis attracta. Etenim calor natura eſt aptus ad conciliandas ac recipiendas fluxiones. Proinde in corporibus plenis, aut in quibus excrementa redundant, magna portio ad eas defluit partes, quę incaluerint uehementius. In ijs autem quæ ſuperfluitatibus uacant, admodum pauca. Nõ parum uerò & ad partes dolentes humoris ſolet confluere. Videntur itaq; manifeſtè, fluxionũ cauſæ quæ ex ipſis partibus laborantibus originẽ trahunt, eſſe duplices: quarum altera eſt, in ipſis accenſa caliditas: altera, excitatus dolor. At uerò quòd melius ſit, aut deterius, quod influit, ex partibus mittentibus pendet: quòd plus uel minus, tum ex ijs quæ mittunt, tum ex eis quæ recipiunt. Hæ igitur ſunt differentiæ fluxionũ, quæ ſine partiũ, quæ fluxiones admittunt, imbecillitate conſiſtunt. Aliæ uerò, & propter harum imbecillitatem, & propter earum robur, quæ excrementa tranſmittunt. Cæterũ omnes quæ citra uulnus & contuſionẽ, partibus adueniũt inflammationes, ex recrementis quæ à fortiorib. membris propulſantur ad infirmiora, gignũtur. Vbi autem cõſtipata excrementa in particula inflammata putruerint, calor quidam præter naturam accenditur, qui ab inflãmato membro in alia illi

*Naturales potẽtiæ: quibus diſpenſantur tum plantæ, tum animalia, ſunt quatuor.*

*Alienũ duplex.*

*Excrementa quando aceruari contingat.*

*Sanitate quando fruentur mẽbra.*

*Excremẽta ſemper à fortioribus ad partes omniũ imbecillimas trudi.*

*Febres ex hepate accenſæ.*

*Fluere ſolent humores ad dolentes particulas.*

*Inflãmatis particulis quomodo ſuperueniat febris.*

uicina, atq; ab his in alia, successione quadã extenditur, donec ad cor aliquando ipse calor peruenıat. Porrò ubi superfluitas quæ ab una in alteram partem transfertur, adeò copiosa & uitiosa est, ut facultatem recipientis particulæ opprimat dissoluatq;, sic ut iam nequeat uincere, quæ antea uincebat: tunc certè necessum est, ut ipse etiam putrescat sanguis: idq; ratione duplici, * & quia humori, qui à proprio calore nõ uincitur, nihil amplius superest, nisi ut in putredinẽ transeat: & quia cum superfluitatibus putrescentibus simul ipse putrescit. Quòd si nec tanta, nec tam uitiosa ipsa superfluitas exiftat, ut facultatẽ omnino dissoluat, atq; feriari compellat, semiputris ac semiuitiatus in tali statu reddetur sanguis, ob cõmercium quidem putrescentiũ excrementorum, ad putredinẽ raptus: tantũ uerò in natura sua perseuerans, quantũ ab ea, quæ exornat ipsum potentia, uincitur. Vtcunq; uerò res habeat, qui in prima putredine accenditur calor, acrior atq; mordacior est eo, qui naturalis existit. Tantùm autem augetur, quantũ natura superfluitati suppeditat. Hæc siquidem ad eum qui ab ipsis calor augetur, ferè similem quandam rationem habent, quam ligna ad ignem. Etenim hæc mini mè in infinitũ usq; tempus ad alterationem sufficiunt: sed est quidam transmutationis terminus, cùm tandiu possint exuri, quandiu aliquid natiui caloris habuerint. Qui ubi consumptus ex toto fuerit, tunc ardere iam desinũt: & quæ supersunt reliquiç, cineres appellantur. Eodem igitur modo putrescentium humorũ caliditas permanet, donec prorsus fuerint assati. Parum autẽ reliquiarũ terrestriũ restare ex humoribus est uerisimile, quoniam in eorũ substantia humidum & nõ siccum præualet elementũ. Cùm itaq; feruentes in putredine humores à calore extenuentur, substantia ipsorũ, ubi febres cõsistunt atq; declinant, in ambientem aërem discutitur: superfluitas autẽ, uel exigua remanet, uel nulla penitus: ex crassioribus quidem humoribus, pauca: ex tenuioribus uerò nulla. Quòd si nullam imbecillitatem pars inflammata contraxerit, neq; iterum superfluitates accedant, ægritudo finietur, nec rursus homo febricitabit. At si illæ mittantur de nuò, aut ne mittantur quidem, sed adsit sola potentiæ imbecillitas, hominẽ secundò febrire est necesse. Fingamus enim, primũ quidem ualidã esse particulæ facultatẽ: interim uerò easdem in partibus, quæ prius transmiserunt, aceruatas esse rursus superfluitates, & quantitate & qualitate pares, ıjs quas antea immiserant: certè nemini dubiũ est, quin eodem quoq; circuitu ad eas expellendas, uersus imbecilliora membra, mouebuntur ipsæ immittentes partes. Siquidẽ uis excretoria tunc primùm excitatur ad proprium opus, quando aut multitudine superfluitatũ grauatur, aut qualitate pungitur. At uerò cùm in lippitudine quæ per circuitus accedit, medicı qui se ocularios uocant, semper oculis negociũ facessant, nos aliquando purgatione, aliquando balneo, interdum meri potione, interdum missione sanguinis, atq; interdum clystere usi sumus. Qua industria nonnunq̃ statim est subsecuta sanitas, nonnunq̃ post curationem capiti ad-

*Sanguis quãdo necessariò putrescat.*

*Excrementa fouent calorẽ præter naturã, quẽadmodum ligna ignem.*

*Febres per circuitus moueri, vnde accidat.*

*Excretrix facultas quando mouetur.*

*Lippitudinem accedentem per circuitus quomodo curarit Galenus.*

hibitam. Nam quandiu humor qui ad caput cõfluit similis fuerit, eademq; dispositio capitis, tandiu superfluitates æquali tempore, & similes & æquales aceruabuntur, similesq; oculorum exasperationes orientur. Quod igitur contingit in oculis, idem in pulmonis, cerebri, laterũ, & aliarum partium inflammationibus accidere potest, si illis quæ superfluitates transmittunt, sint eodem tempore imbecilliores. Mirandum autem non est, si non ıjsdem statis temporibus eadem excrementa aceruentur. Nam cùm is qui pro alimento sanguis defertur, non semper usquequaq; sit similis, nec item nutriendarũ particularũ eadem dispositio: alıj aliud sufficit tempus ad colligendam tantam superfluitatem, à qua quidem ubi primùm membri natura læditur, cogitur eam tanquam alienum onus protru dere. Sed neq; ob accessionũ imparitatem mirari oportet. * Nam si non eadem est nec species, nec multitudo superfluitatũ, non oportet eas similiter omnibus aut accendi, aut discuti. Nam quæ plura & frigidiora, tenacioraq; & crassiora excrementa sunt, faciunt accessiones longiores: quæ autẽ pauciora, calidiora, & subtiliora, breuiores. Præterea rarior quidem corporis habitus, breuiores sui ratione accessiones reddit: densior autem, longiores. Quinetiam potentiæ robur, minus diuturnas efficit accessiones: imbecillitas autem, in longius tempus producit. Longissima itaq; accessio fiet ob materiæ inutilis multitudinem, crassitudinem, lentorem, facultatis imbecillitatem, ac meatuum angustiam. Breuissima autem, propter materiæ inutilis subtilitatem, paucitatem, potentiæ uigorem, ac laxitatem meatuum. Cùm igitur primæ accessionis tempus adeò breue fuerit, ut antequàm superueniat secunda, iam prima quieuerit, omne id temporis spacium, quod secundæ principiũ & primæ finem interiacet, sine febre est. Si uerò secunda inuadere anticipauerit priusquam omnino prima soluatur, nihil interuenit medium. Hoc autem fit, cùm facultas membri recipientis superfluitates, sanguinem in se contentũ, quemadmodum antea, cõuincit. Quòd si quando imbecillior reddatur, non solùm materia inutilis, sed sanguis etiam cum ea corrumpetur & putrefiet, ex eoq; accendetur febris: atque hinc orietur aliud principium earum, quæ per circuitum fiunt, accessionum. Si igitur caliditas ab excrementis orta, etiamnũ perseueret, duplex febriũ seinuicem complectentium species gignetur. At si illa cessauerit, membri uerò fluxionem recipientis dispositio remanserit, quæcunq; de parte mittente prius exposuimus, eadem de hac quoq; intelligantur. Nam & ipsa aliquas in se superfluitates gignet: idq; duplici ratione, quemadmodum illa, & quia uitiosum sanguinem con tinet, & quia facultas eius est imbecilla. Eodem modo si ex aliqua quauis causa membri uis adeò debilitetur, ut is qui adiacet sanguis, illi sit potius oneri, quàm nutrimento: cõtinget ut cor rumpatur, aut si calidior sit, putrefiat. Nam si frigidus fuerit, & pituitæ naturam gerat, non subitò, sed tempore ad eandem ueniet dispositionẽ. Porrò si eas quæ in ipsa genitæ fuerint superfluitates,

*Accessionum imparitas vnde accidat.*

*Accessiones longiores aut breuiores fieri, vnde accidat.*

*Accessio longissima à quib. fiat.*

*Accessio breuissima quando contingat.*

tates, nequiuerit particula aut coquere, aut ad aliam partē detrudere, tale sibijpsi febriendi principium constituet, quale ea quæ transmittit alteri, affert. Nequit autem aliò superfluitates transmittere, aut ob propriam imbecillitatē, aut propter recipientis robur, aut deniq; ob constipationes meatuum, quæ fieri à lentis & crassis & multis humoribus consueuerunt. Quæcunq; autem naturales meatus obstruxerint, hæc necessariò putrescunt tempore, atq; etiam in causa sunt, ut in ea parte multitudo coaceruetur excrementorum, cuius solitam euacuationem & difflationē prohibent. Vnà igitur cum illis putrescūt & alia quæ postremò aceruantur, statimq; simul omnia in membro febrilem caliditatem accendunt. At uerò, ubicunq; accenditur atq; augetur caliditas, illuc ab alijs partibus sanguis solet cōfluere. Quo igitur tempore cōfluit, illas quidem priuari sanguine est necessarium: quod uerò patitur membrum, grauari & distendi: ipsumq; confluentem sanguinem alterari, & quòd alijs quæ iam putruerunt superfluitatibus permisceatur, & quod difflari, utpote impactum, non possit. Proinde fit, ut instar lignorum humidiorū, quæ super exiguam flammulam proijciūtur affatim, succendatur. Quod totum est accessionis principium. Vbi autem caliditas iam materiam conuicerit, id tempus augmentū uocatur. Vbi uerò calore per uniuersum corpus disperso, inflammati humores ad summum feruorem peruenerint, id accessionis tempus, dicitur consistentia. Hinc igitur, si humores fuerint tenuiores, potentia robusta, corpus rarum, maxima humorū putrescentium pars in sudorem resoluta euacuatur. Sin uerò hi crassi fuerint, & uis expultrix infirma, necnon meatus angusti, nihil quidem defluit sensibile: sed id solum, quod ita est extenuatum, * ut in subtilioris uaporis naturam transierit. Atque id sanè tempus declinatio appellatur, humorum efferuescentiū difflatus quidam existens. Cæterùm cùm in parte adhuc remaneat affectus, necessum est in ipsa aliam gigni superfluitatem, cùm nimirū id quod denuò ad ipsam trahitur alimentū, non conficiatur exquisitè uniuersum. Quæ quidem superfluitas rursus à putridis excrementis in parte relictis, necnon proprio ex uitio, initium putredinis suscipit: cumq; satis caluerit, rursus ad ipsam influit, quemadmodum antea, ex reliquis animalis partibus sanguis: ac sic eodem rursus modo, principiū, ascensus, status, & declinatio, alterius fit accessionis. Nec hoc per circuitus desinit fieri, quandiu in particula gignēte superfluitates perseuerarit affectio: quæ quidem existit duplex: altera quidem, imbecillitas partis, à qua superfluitates gignuntur: altera, quæ ex ijsdem quotidie genitis ducit originem. Impossibile autem est solui remanentem illam dispositionē, si uniuersum corpus multis ac uarijs excrementis refertum fuerit: ac multò etiam magis, si his accedat omniū, per quos excrementa membri excernuntur, astrictio meatuum. Sanitas autem succedet, si & meatus aperti sint, & facultas uegetior, & corrigatur affectus partis, uniuersumq; corpus nec multis nec uitiosis humoribus opprimat. Nam

*Excrementa cur nequeat pars una ad aliā mittere.*

*Accessionis febrilis tempora describuntur.*

*Declinatio accessionis febrilis, est humorū efferuescentiū difflatus*

*Affectio partis duplex.*

*Accessionum circuitus quādo desinant, & quando perseuerabūt*

quandiu hæc perdurauerint, tandiu accessionū circuitum perseuerare est necesse. Quemadmodum in mulieribus accidit, in quibus quandiu æquales ac similes menstruorū causæ perstiterint, idem circuitus seruabitur. Earum igitur febrium, quæ per circuitum accessiones faciunt, nescio an aliqua fuerit nobis omissa causa: aliarum autē quæ carent ordine, nonnullæ ex transmutatione humoris, nonnullæ ob uictus errorem, ad talem dispositionem deueniunt. Maximè autem transmutatur, atq; in alteram transit naturam sanguis, dum putrescit. Nam pars quidem ipsius una fit flaua bilis: alia, nigra. Quantùm uerò in ægrotantiū corpore humores mutantur, tantùm etiam accessionū circuitus. Quæcunq; autem circa uictus rationem errata ab ægrotantibus fiunt, ordinem circuituum peruertunt. Sæpe uerò ob complicationem circuituū, quæ à medicis ignoratur, uidentur absq; ordine accessiones ægrotantibus fieri. Reliquum est id febrium genus, quæ synochi nominantur, quarum uniuersum tempus unica accessione finitur: quæ uel semper in eodem uigore persistit, uel minuitur, uel augetur, donec finiatur. Hæ uerò omnes ex tali causa ortum habent, qualem Praxagoras existimabat, humorum uidelicet in caua uena putrefactionem. Quanquam absolutior & uerior hic erit sermo: Quæcunq; per circuitus aliquos ægritudinū accessiones fiunt, ex membrorū dispositionibus ortum habent, quæ uel mittunt, uel recipiunt, uel generant, uel attrahunt superfluitates. At quæ circuitum non habent, in his nulla est corporis pars, quæ præcipuè sit offensa. Qui autem in uenis & arterijs omnibus continentur humores, præcipuè qui in maximis & plurimo calore abundantibus delitescunt, aut ob aliam quamuis causam, quemadmodum in ephemeris, aut ob putrefactionē feruentes, febrem accendunt synocham, quę à principio usque ad finem nullam habet intermissionem: ac tandiu perseuerat, hominemq; deurit, donec humores ipsam gignentes, aut cōsumantur penitus, aut coquantur, aut utrunq; patiant.

*Sanguis putrescens, in aliā naturam transit.*

*Circuituū ordinem quæ peruertant.*

*Synocharū uniuersum tēpus una accessio est.*

*Circuitus facientes morbi, ex membrorum dispositionibus uniuersi oriuntur.*

*Synocha generatio.*

## GALENI PERGAMENI
### de marasmo siue tabe, liber.



Marasmus est uiuentis corporis interitus præ siccitate. Cùm autem interitus bifariam dicatur, tum de eo qui fit, tum de eo qui iam factus est, sanè secundum prius significatum oportet appellationem accipere. Similiter etiam marasmus, hoc est, tabes dupliciter dici poterit, tempe cùm iam aliquid tabuit, uel cùm adhuc tabescit: de qua quidem significatione secunda, impræsentiarum nobis est sermo. Porrò cùm genera uiuentium sint tria, uidelicet animalia, stirpes, & semina, ac propter hæc etiam fructus: tabem quidem esse horum affectum, propriè loquentes dicimus: quamuis per translationem & cæteros etiam interitus, cùm ex siccitate proueniunt, cōmuniter tabem appellent. Cùm igitur primi & simplices modi quibus omnia uiuentia intereunt, sint quatuor, siquidem & elementa substantiæ eorum quaterno etiam nume

*Marasmus est uiuentis corporis interitus præ siccitate.*

*Marasmus est duplex.*

*Viuentium genera tria.*

*Tabes quorum esse affectus dicatur.*

*Interitus modi sunt quatuor.*

*Elemēta uiuentium sunt quatuor.*

ro ambiuntur: tabescere sanè ea dicimus, quæ ex siccitate intereunt. Quòd si hæc tantùm habeant, quòd siccentur, altera uerò contrarietas quæ inter calidum & frigidum intercidit, intra suos terminos maneat, simplex ea tabes erit.

*Tabes simplex quæ dicatur.*
*Tabes composita quæ.*
*Tabes simplex inediis solet superuenire.*
*Tabes composita quibus superuenire consueuerint.*

At si uel caloris uel frigoris accedat immoderatio, iam modus is interitus, duplex & compositus erit. Simplex itaq; tabes inediis solet superuenire, tam; eorũ qui inediam sponte tolerant, quàm eorum qui præ alimentorum penuria, fame conficiuntur. Illa uerò cui frigus accessit, solet senibus euenire: uel etiã illis, qui malo quodam affectu senectuti simili detinentur. Ea autem quæ cum calore est, in febribus locum habet, quæ hecticæ nominantur. Nec uerò impræsentiarũ de partibus loquimur, quæ ex aliquo symptomate arescunt: sed potius cùm totum corpus hoc se habuerit modo. Quocirca si tabes affectio est uniuersi corporis, ea fieri nequit, nisi animantis *principium etiam affectum sit.

*Tabes fieri non potest, nisi animantis principium affectũ sit.*

Quinetiam fieri non potest, ut alius affectus totum ipsum animal occupet, ab alio uerò principium ipsius detineatur. Ac proinde necessum est, ut in tabidis, ipsius cordis corpus arescat. Quocirca si inuenerimus causas omnes, quibus cor arescere possit, facilè tunc nouerimus, an omnes tabidi insanabiles sint, an ex iis aliqui potius sanari queãt. Optimũ autem huius instituti principium erit, si perscrutati fuerimus omnes causas senectæ: quandoquidem ea inter omnes tabes usqueadeo euitari minimè potest, ut esse secundum naturam uideatur.

*Senecta uitari non potest.*
*Ineuitabilia esse naturæ opera.*
*Naturæ opera quæ.*
*Senectus.*
*Senio animalia orta esse omnia obnoxia.*

Siquidem incuitabilia sunt omnia naturæ opera, utpote habentia necessarium suæ generationis ordinem. At non eo modo dicimus senescere esse secũdum naturam, quo ali, & augeri (sunt enim hæc naturæ opera. senectus autem non opus, sed affectus quidam necessariò consequens illa) uerùm hoc nomine, quòd nullum unquam sit uisum animal, quod ortũ fuerit, quin idem sit senio obnoxiũ. Quanquam non defuit nostris his temporibus philosophus quidam, qui librũ ædidit, quo docebat, qua quis posset ratione seruari penitus senĳ expers: qui tamen, posteaquã ad octogesimũ usq; annum produxit uitam, adeò gracilis & exiccatus effectus erat, ut uerè faciem illam exprimeret, quam descripsit in libro prænotionum Hippocrates. Num igitur propter id siccescunt tum animalia, tum plantæ (quod nõnulli affirmant) quia insitus animantibus calor, ueluti ignis quidam, ex ea materia in qua accensus est, suum incrementum sortitur? Etenim illi semper affixus est, nec unquam inde seiungi potest, unde etiam sua omnia habet. Plantæ igitur, animantiaq; omnia, quandiu recens genita sunt, admodum humida existunt.* Quamobrem calor (ut illi aiũt) in ipsis tunc ueluti suffocatus obrutusq;, præ humoris copia, uix se potest exerere: nimirum caliginosus, tardus, ad motumq; piger cùm sit.

*Calor noster quomodo augeatur et minuatur in corpore.*

Postea uerò ipsam humiditatem progressu temporis superat, & cuicunq; materiæ præest: quo tempore iam purus æthereusq; redditus, suas omnes expedite functiones ædit. Itaq; usq; ad ætatem uigoris relucet, augeturq;: cuius magnitudo q̃plurimũ tunc attollitur. Mox uerò inopia alimenti contingit, ut contabescat paulatim: atque id ipsum existit senectus. Sed & paulò pòst extinguitur penitus, id quod mors est.

*Senectus quid.*
*Mors.*

Hic itaq; sermo omnibus ferè tam philosophis, quàm medicis recentioribus placet, licet uerus omni ex parte non sit. Hallucinantur nanq; dum flammã ignis omnino cum calore animalium cõferunt: idq; minimè animaduertentes, quòd ortus flammæ est ex materiæ interitu, de qua ea est accensa.

*Flammam ignis non esse comparandam cum calore animaliũ.*
*Caloris nostri, & flammæ quæ igni inest, dissimilitudo.*

Animalia uerò, non sic suum, ab eo qui illa effinxit, insitum habuere calorem: sed potius ut ab eo augerentur regerenturq;. Nec ullum est tempus, quo innatus is calor per uniuersam eam materiam nõ diffundatur, uires non modò eas cõtinens, quibus animal format, uerùm & alias præterea plures: quippe & alimentũ attrahit, & materiam dispensat, apponit, unit, assimilat, omniaq;, ut in summa dicam, circa sibi congenitam materiam perficit, contrà quàm flamma faciat.

*Caloris opera.*

Nam quæ unquam flamma, materiã cui annexa est, adauget? uel quæ etiam materiæ potius alimenta assimilat, quàm eam sibi? Et quæ tot excogitauit modos, ut eam tueretur materiã? Itaq; cùm illi ĩdem natiuum calorem esse naturam fateantur, non rectè faciunt flammis cum comparantes.

*Calorẽ natiuũ esse naturam.*
*Calor qui genuit corpora, perimit eos.*
*Senescunt ob innatum calorem corpora.*

Nam quòd ait Hippocrates, cum calorẽ nos interficere, qui genuit corpora: certè si liber ille referri ad Hippocratem debeat, locus is requirit expositionẽ. Verum siquidem est, corpora ob innatum calorem senescere interireq;: modus tamen, quem isti aiunt, uerus nõ est. Neque enim ut flamma ligna, ita innatus animantibus calor, eorum corpora absumit. Quod fortassis exemplum illis congrueret, qui ob febrilem caliditatem intereunt. Porrò natura, quæ tum animalia, tum plantas procreat, omnino corporeũ aliquod principiũ, ad illorum generationẽ assumit: cùm nihil sit, quod unquam possit sui ortus initium habere, ab eo, quod penitus est non ens.

*Nihil ex nihilo fieri.*

Inde uerò exorsa, semper in eum scopum ordinatè tendit, quẽ in ea procreatione statim ab initio sibi proposuerat. Id autẽ est, perfectum illud reddere, quod ab ea gignitur. Sanè perfectũ est, quando nulla suarum functionum deest illi. Ipsarum autem functionũ complures durioribus instrumentis egent. Vnde postea fit, ut multæ in animantibus particulæ duræ euadant.* At principium generationis ipsarum, contrà quàm in animali perfecto, necessum est ut sit molle, ut & aptè cõpingi, efformariq; possit, & ad omnia tractabile se suo conditori exhibeat.

*Principium generationis particularũ, cur necessariò sit humidum.*

Ac proinde, quantùcunq; semen sit durum, mollis tamen planta ęditur, moderato nimirũ quodam humore prius macerata, ut pro semine fiat natura. Itaque si opus est, ut generatio animalis à substantia molli sua habeat exordia, quæ ut absoluitur, ita durescit: necesse utiq; fuerit, ut in prima elementorum, unde illa constituunt, temperie, tum humidum, tum siccum præpolleat. Cæterùm humidum quidem ipsum est aqucum: siccum autẽ, naturaliter aut est terreum, aut igneum. Fieri uerò minimè poterat, ut statim à primis exordiis, plus terreni cõmisceretur, cùm opus esset principium animalis fore humidum: reliquũ igitur solum est igneum, quod in prima animalis generatione

ratione

ratione & formatione, obtinet principatum. Si igitur fieri posset, ut natura cum animal, uel plantam, ad consistendi uigorem perduxerit, aliam rursus elementorũ dispositionem, proportione uiribusq; æqualem, apponeret, sic tantummodo sua illi fabrica posset expers tam senij, q̃ interitus perdurare, si tamen custodiæ sapientis alicuius uiri mox demandata fuisset: alioqui si malam adhibuisset uictus rationem, ab interitu immunis non esset. Nunc uerò posteaquàm prima elemẽta generationis tam animalium, quàm plantarum, nec transferri, nec transmutari possunt: idcirco necessum est, post consistendi uigorem corpus semper siccescere, quamuis non amplius egeat, ut idipsum patiatur, cùm iam illi usui non sit, ut siccescat. Verùm ætas inclinationis, quæ siccitatem quidem, quamuis exiguam, habet, multos latet, ac si nondum aliqua tabes sit. Senectus autẽ, quæ ab ea non genere, sed tantùm magnitudine differt, facilè deprehendi potest. Hæc igitur causa est, quæ uniuersam animantibus tractu temporis siccitatem præstat: perspicueq; ostendit, senium nec euitari, nec etiam sanari posse. Etenim uniuersa ætas, quæ uigori succedit, frigida est & sicca. Manifesti autem fines, inter eorũ ætatem qui iam declinant, & eorum qui senescunt, humidorum est excrementorum exuperantia. Vnde quidam decepti, statuerunt senium esse humidum. Cæterùm & omnes actiones statim in his fieri imbecilliores, manifestè uideri possunt: atq; etiam uia ad mortem, quæ latebat in inclinantibus, iam omnibus fit cõspicua. Quamobrem senectutis tabes nequit ulla ratione dissolui, licet ipsam plurimùm remorari possimus: quod munus ad gerocomicen, hoc est, ad artem senũ curatricem, spectat. Quæ quidem hoc sibi proponit, ut quoad eius fieri potest, obsistat, prohibeatq;, quò minus ipsum cordis corpus eousque arescat, ut ab omni opere uacet. Siquidem uitæ terminus uacuitas cordis est ab actione: cùm impossibile sit mori animal, quandiu cor sua actione moueatur. Quare si possit substanna corporis ipsius cordis humidior fieri, uel per Iouẽ etiã iecinoris, poterit senectuti obsisti. Si uerò nemo est, qui queat iecur uel cor humidiora reddere, quàm ipsa sint ex se, sed potius semper tempore procedente ea necesse est iudies acciora fieri, cum eisq; arterias & uenas, senium quidem prohiberi nõ potest: potest tamen detineri, ne citò ingruat, idq; humectante adhibita uictus ratione, qua nimirum augere possumus illam humiditatem, quæ in corde iecinoreq; est dispersa. Cùm autem cor (cui ualentissima est attractrix facultas) sit origo pulsuum & arteriarum, quemadmodum uenarum atq; sanguinis hepar: contingit utiq;, ut hæc uiscera nunquam moderatis alimentis destituantur, nisi cùm ualida sanguinis penuria uniuersum occupauerit corpus. Vnde ubi corpus ex longo morbo extenuatum fuerit, putandum nõ est, cor quoq; atq; etiam iecur, esse pro aliorum proportione extenuata. Cæterùm uera tabes, similiter partes omnes occupat, propterea quòd etiam * principia ipsa. Atq; hæc tabes in ætatibus quidem, est senium: ui ijs uerò qui præter

*Succescere necessariò corpus post consistendi vigorem.*

*Senectus ab inclinante ætate, non genere, sed magnitudine differt.*

*Senium nec euitari nec sanari potest.*

*Aetas vniuersa post vigorem est frigida & sicca.*

*Senes ab inclinantibus, quib. notis possint distingui.*

*Gerocomice.*

*Vitæ terminus vacuitas cordis est ab actionibus.*

*Senectuti qua ratiõe possit obsisti.*

*Senium detineri potest, ne citò ingruat: idq; humectante adhibita victus ratione.*

*Cor est origo pulsuum & arteriarum*

*Hepar est sanguinis origo & venarum.*

*Tabes vera cur ex æquo omnes partes occupet.*

naturam affecti sunt, febris tabifica, & alia præterea affectio, quam senectam ex morbo cõmodè appellauerimus, idq; longè melius quàm Philippus, qui eam etiam tabidam febrem nominat. Nam neque febris unquam huiusmodi erit affectus, ubi cor frigidius redditum est, quàm ratio naturæ postulet. Quòd autem per eum affectum fit talis ipsius cordis temperies, indicio est pulsus rarus & paruus, similiterq; spiratio rara simul & parua, necnon qui expiratur aër, minimè calidus. Quæ sanè tabis species fit, febribus ob intempestiuã immoderatamq; refrigerationem in eam transeuntibus. Est & alia tabis species, quæ dicitur torrida, sicuti & tertia, quam syncopalem appellant: quarum illa quidem ortum habet à calore, febribusq; ardentissimis, maximè uerò ubi habitus fuerit siccior: hæc autem gignitur, quando ijs qui correpti fuerint deliquio animi, ubi uehemẽtiam periculi effugerint, aliquid ex eo affectu remanet, ita ut adhuc defectum illum animi sapiant. Est autem duplex ipsa extenuatorum affectio: una quidem, ubi is humor solidorum corporũ perijt, qui eorum proprium est alimentum, & præterea molliores carnes liquatæ sunt: altera uerò, dum solidiora etiã corpora sunt exiccata, quæ utiq; & prima, & similaria appellantur. Hæc igitur nequit curari, sicuti nec senectus. Altera uerò periculo quidem non caret, non tamen eousq;, ut nullo modo curari possit. Igitur humectare oportet tres illas species tabis iam dictas: & hoc est illis commune, quippe quæ cõmunem siccitatẽ sortiantur. Sed earum una eget ut calfiat: ea nimirũ, quam comparauimus senectuti. Altera uerò, quam esse torridam diximus, refrigerari postulat. At tertia, quæ habet animi deliquium coniunctum, si nõdum facta sit, sed etiamnum fiat, ita ut humiditas solidis membris innata absumatur, miscellaneam curationem desiderat. Conspicuè autem humectare reficereq; exiccatos uidetur balneũ, ut facilè possumus in ijs obseruare, qui æstate sub sole uel iter faciunt, uel alio quopiam modo exercentur, aut exuruntur. Hos enim omnes, atque etiam eos qui siticulosi sunt, humidos reddit, & siti liberat. Sed & alios omnes quocunque modo exiccatos, siue ex uigilia, siue ex curis, siue ex venere, siue ex edulijs, uel medicamẽtis exiccantibus, siue ex ira: hos inquam omnes madefacere fouereq; balneum uidetur. Cùm autem sint tres differentiæ febrium generalissimę, in præsentia quidem omittamus diarias: conuertamus uerò sermonem ad eas, quæ ab humoribus proficiscuntur: & ad illas etiam, quæ qudd in habitu sint, hecticæ nominantur. Illis igitur quæ ex putrescentibus humoribus accendũtur, si concocti ij fuerint, balneum remedio est. Hecticis uerò quæ solæ consistunt, nec aliud quodpiam genus febris secum habent, balnea quouis tempore conferũt. Sin autem illæ secum febrem aliam habuerint, ex ijs quæ ab humoribus pendent, cùm ij concocti iam fuerint. Eadem etiam tempora putandum est esse cõmoda, ad propinandam frigidam: præterquàm quòd si in hoc aberraueris, id minimè fiet sine magno incõmodo. At balnearum usus in iam dictis febribus

*Tabes, quam ex morbo senium appellant, non est tabida febris.*

*Senium ex morbo quomodo introducatur.*

*Tabes torrida vnde gignatur.*

*Tabes syncopalis quando accidat.*

*Extenuatorum affectio est duplex.*

*Tabes incurabilis quænam sit.*

*Tabes vniuersæ quomodo sint curandæ.*

*Exiccatos manifestè videtur reficere balneum.*

*Balnei vsus.*

*Febrium tres differentiæ generalissimæ.*

*Putridis febribus, post concoctionem humorum, balneũ opitulatur.*

*Hecticis febribus, quibus aliæ non copulantur, balnea quouis tẽpore conferunt.*

procul est ab omni periculo, nisi forsitan uirium imbecillitas sit suspecta. Cæterùm quædam ex diarijs febribus, cum hecticis cõmunionẽ quandam sortiūtur, quæ sanè statim in prima die exactè discerni nequeūt, sed circa secundam, uel omnino tertiam. Quo tempore, ubi quis primū eas nouit, intrepidè offerre aquam frigidam poterit, cùm nimirum tunc & uires ualidæ sint, nec desit adhuc corpori sanguinis copia. Vbi uerò immoratæ diutius fuerint, tunc sanè uires imbecilliores redduntur, & sanguis exiguus fit: unde duplex ex potu frigidæ sequi solet incõmodum. Primū, quòd interim dum aquam bibunt, percutitur & refrigescit aliquod membrum. Deinde, quòd qui aquam exhibent, nisi debitā mensuram sint assequuti, præter alias particulas illam etiam refrigerabunt, in qua est situm principium generationis febris. Vbi uerò supraquàm par sit cor refrigescit, si natiuam suam adhuc humiditatem seruet, uires concidunt. Si efficiatur siccius, ab eo affectu arripietur, qui similis senio existit. Sed eodem ipso tempore, quo primùm signa febrium hecticarum fuerint conspicua, expedit ut refrigerantia medicamenta adhibeantur extrinsecus, & super ipso febris * foco, & origine. Porrò cor primū, si plus æquo incalescat, hecticam febrem affert. Dein uerò secur: hoc tamen non habet ex se, perinde ut cor, sed ob id, quòd illud secum in consortium trahit. Mox uerò uentriculus, & post hunc quæcunq; alia, con sortij lege, possunt secum cor calfacere. At pulmo hecticā febrem non gignit, propterea quòd hoc uiscus humidum est, & per inspirationem assiduè refrigeratum, non facilè in similem occasionem incidit. * Vt plurimum autem secūdum reliqua uiscera febris hectica gignitur, infuso biliosio humore in uentrem ipsius loci patientis. Crìm itaq; sola febris constiterit, absq; ulla alterius morbi mistura, balneum exposcit, non secus ac cæteræ siccitates, quæcunq; uel calidæ fuerint, uel frigidæ. Nam id sanè mirum balneis inest, quòd tam calidis prosint, quàm frigidis siccitatibus: quemadmodum & illud, quòd eos siticulosos efficiat, qui sitis sunt uacui: à siticulosis uerò sitim abigat. Quandoq; tamen cum hectica tabificaq; febre adest etiam erysipelatosus affectus: qui exigit, ut prius cibo & potu, & ijs etiam quæ apponuntur exterius, refrigeretur. Quo tempore omnino est supersedendum à balneo, frigida autem confertim in ipso morbi uigore uiriliter exhibenda: à cuius tamen usu abstinendum est in principio, nisi nos forsitan ipse cogat ægrotus, quippe qui sit assuetus potui frigidæ, nec sitim perferre uelit. Exterius autẽ sunt applicanda ea quæ refrigerent: quæ si nihil profecerint, cogendi ut illa etiam intra corpus assumant. Præcipuè uerò illis prosunt molles lactucæ, recentesq;, solummodo in frigidam aquam demersæ, ac ita assumptæ: uel si placet, prius aceto diluto intinctæ. Extrinsecus etiam eiusdem lactucæ succus utiliter adhibetur, sicuti & sempernium & intybi. Præstantissimum uerò ad id etiam est medicamen confectum ex succo uuæ acerbæ, necnon portulacæ, cui parum albæ farinæ misceatur. Quod quidem exceptum duplici linteo, præcordijs est prætendendum, donec tepescere incipiat. Dein uerò, ipso ablato, alterum admouendum est. Nonnunq; ijs & oleum imma turum miscemus, uel rosaceum, præsertim uerò si aliquid inflammationis detinuerit præcordia. Sciendum tamen est, fieri non posse, ut ubi erysipelatosa uisceris dispositio constiterit, ea fit febris exquisitè hectica. Siquidem exquisitè febris hectica est, quę nullum habet particularis accessionis principium, nullum incrementum, nullum uigorem, nullam inclinationem. Solummodo autem hecticæ febres post assumptū cibum, perinde ut calx, insperfa aqua, efferuescūt. Quod incrementum si abstuleris, semper æquales permanent. Tabi igitur torridæ, quę ab ardentibus febribus suam ducit originem, obsistitur remedijs refrigerantibus, quæ tum exterius secundū locum affectum administrantur, tum interius accipiuntur. Cùm uerò senectus quæ ex morbo est, inuaserit, ea quidem quæ absoluta est, nequit curari: quæ autem non est perfecta, eò tamen accessit, ut ferè iam facta sit, hunc solum habet curationis scopum, quem refectionem & nutritionem uocamus. Nam corpora solida, dum arescunt, cibus sanat. Cùm autem alimentum omne, non ipsum per se deferatur ad alendas particulas, sed potius ab eis trahatur: ob ariditatem uerò atq; frigiditatem, in tabidis sint illæ ad trahendum inualidæ semimortuæq;: utiq; alimenta desiderant, quæ facilè possint attrahi, ut imbecillitatem attrahentium uirium, suppleat promptitudo materiæ. At ea sunt tractu facilia, quæ tenuioribus partibus constant, suntq; natura calida: quæ sanè cum difficulate nutriunt, cùm alimentum omne debeat esse crassum & lentum, ut & permaneat diu, nec facilè possit dissari. Quare aliquod inuestigandum est, quod in mediocritate consistens, mediocriter utraq; possit præstare. Ac mihi sanè nihil ad hæc omnia lacte uidetur præstantius, præcipuè si quis ore apprehensa mamma muliebri, lactet. Quòd si id fieri nequeat, bibat saltem lac asininum, dum adhuc calet, temporeq; breuissimo aëri expositum fuerit. Quæ quidem alimentorum ratio tribus illis speciebus marcoris conuenit. Quinetiam ptisana & alica illis ex usu sunt: aceto tamen condiri debent, ut facilius distribuantur. Porrò mel, ut frigidioribus affectibus prodest plurimū, sic calidioribus obest summopere. Quare torridę quidem febri inimicissimū est: ijs autem qui senili affectui expositi sunt, utilissimū. At illis qui tabescunt ex defectu animi, nisi obster uentriculi ratio, poterit coctum uel solum, uel alijs intermistum cibis offerri. Opportunus balnei usus, optimum erit auxilium etiam ad alimentorum distributionẽ. Erit tamen administrandum, ubi cibus concoctus fuerit, nec longior inedia præcesserit. Iam & uini potus, ut summopere frigidæ tabi prodest, sic torridæ fugiendus est. At ea

quæ in animi defectu consistit, sicuti affe
ctus medius & miscellaneus est,
sic in hoc mediam ratio-
nem obtinet.

GALE-

*Ephemera quadam cum hecticis habent necessitudinem: quibus aqua est intrepidè propinanda.*

*Frigida potus in hecticis quæ incommoda inferat.*

*Hectica febre cognita, refrigerãtia esse extrinsecus admouenda cordi.*

*Hepar ventriculusq; qua ratione febrem hecticam inferat.*

*Pulmo cur hecticam febrem non gignat.*

*Hectica febris qua ratiõe secundum reliqua viscera oriatur.*

*Balnea tam calidis, quàm frigidis siccitatib. conferunt, eosq; siticulosos reddunt qui siti sunt vacui, atq; sitim à sitibūdis abigūt.*

*Hectica cui erysipelatosus affectus sit coniunctus, curatio.*

*Hectica exquisita nec principiū nec augmētum, nec statū, nec declinationẽ particularis accessionis sortitur, sed tātummodo post assumptū cibum efferuescit.*

*Tabi torrida qua ratione obsistatur.*

*Senium ex morbo absolutū quidem, est incurabile: non absolutum autẽ, est cibo instaurandū.*

*Solida corpora dum arescunt, cibus sanat.*

*Tabida partes qualia alimenta postulent.*

*Alimēta tractu facilia quæ.*

*Alimentum omne cur esse debeat crassum & lentum.*

*Lac muliebre statim ex mammis suctum, commodissimum esse tabidis nutrimentum.*

*Lac asininū tabidis vtile.*

*Ptisana.*

*Alica.*

*Mel cui marcori sit vtile.*

*Balneum quando administrandum tabidis.*

*Vinum cui tabi conferat.*

## GALENI PERGAMENI

### contra eos qui de typis siue circuitibus scripserunt, liber.

*Periodus. Circuitus. Typus. Ordo.*

*Accessionem futuram cognoscere, in febribus est maximè utile.*



VBi quid specie idem, rursus æquali fit tempore: totum ipsum curriculũ, Græci periodum, siue circuitum, atq; inter eos nõnulli, typum etiam atq; ordinem uocãt. Cæterùm cùm nihil utilius sit, præsertim in febribus, quàm futurarum accessionum principia prænosse: is plurimum ægro proderit per totũ ipsius morbi spacium, qui nominũ disputatione neglecta, statim à morbi initio, artificiali quadam coniectura poterit idipsum assequi. Quòd si quis prima statim die peruenire ad talem cognitionem nõ possit, poterit certè secunda, uel tertia, uel quarta. Si quis uerò sit, qui neq; in hac morbi speciem nouerit, is non exiguam artis partem ignorat. Etenim tum alia, tum febrium accessiones, uel quotidie, uel tertio, uel quarto quoq; die inuadunt. In q̃plurimis siquidem morbis, ubi sanè maximè utilis sit futuræ accessionis prænotio, ea uel alternis diebus sit, uel quotidie, in paucis uerò quibusdam per quartum. Qui uerò præter has tres periodos, & quintanam, & sextanam, & septimanam, aliasq; innumeras esse arbitrantur, præterquàm quòd inania producũt, infinitosq; coguntur dare periodorũ complexus, nunq̃ poterunt futuram accessionem prænoscere. Porrò quis fuerit huiusce attonitę sectæ autor primus, ignoro: dicam tamen, quãdo primũ illam explicari audiuerim. Decesserat paulò antè de uita Antoninus, qui Adriano in Imperio successerat. Regnabat autem Seuerus, qui seipsum nomine mutato, Antoninũ appellauit: Lucium uerò, quem Imperij participem fecerat, Seuerum appellauit. Cæterũ præstat illorum absurditatis ne meminisse quidẽ, Pythici præcepti memores, Esse parcendum tempori.

*Antoninus Imperator. Adrianus Imp. Seuerus mutato nomine uocatus fuit Antoninus. Lucius fuit appellatus Seuerus.*

*Tempori esse parcendum.*

*Dies quod tempus sit. Annus ex quot diebus constet. Hora.*

Nos uerò in præsentia diem, tempus id uniuersum dicimus, quod diem atq; noctem complectitur. Qua ratione dicũt annũ constare diebus trecentis & sexaginta quinq;, & quarta unius parte. Horæ itaq; quatuor & uiginti, diem absoluunt: duos autem, octo & quadraginta: tres, duo & septuaginta. Typis autem nomina indita sunt, non ex diebus ipsos complentibus, sed ex accessionũ reditu. Tertianã quippe appellamus, ubi accessio tertio quoq; die inuadit, duobus interim absolutis: quartanã, in qua uidelicet quarto, in hac quoq; tribus iam perfectis: & in alijs quoq; secundum eandem rationẽ. Si igitur periodum inueneris typi alicuius, quatuor continentem completos dies, illum quintanã dices. Neq; enim est idem, accessionẽ quinto oboriri die, & esse quinq; dierum circuitum. Siquidem numerus horarũ periodicarũ, qui inter duo initia accessionum est medius, considerandus est, atq; ex illo typus febriũ metiendus. Sic enim dicimus, quotidianũ typum sortiri horas uiginti quatuor, tertianũ quadraginta octo, quartanũ septuaginta duas, quintanũ nonaginta sex. Quo similiter pacto cæteri perficiuntur, ex horarum uigintiquatuor multiplicatione.

*Tertiana quæ dicatur. Quartana quæ dicatur.*

*Typus febrium unde metiendus sit.*

*Febrium intermittentium typi singuli, quot explcantur horis.*

## GALENI PERGAMENI

### de typis lib. unus.



*Typus accessionum quid. Periodus accessionum quid.*

TYpus est ordo intensionis & remissionis: periodus uerò est tempus intensionis & remissionis, quod in morbis existit.* Pauci autem ex affectibus carent typo: ut atrophia, neruorum resolutio, elephantiasis, & quicunq; his proportione respondent. Plurimi uerò affectus typum quidem præ se ferũt, uerùm rarius. Porrò omniũ maximè febres typos admittunt, ijs continuis exceptis, quæ uel remittunt nunq̃, uel inordinatæ existunt. Typorum itaq; alij quidem sunt primi, alij uerò secundi, alij permanentes, alij mobiles, alij simplices, alij compositi. Primi igitur sunt, qui breuem habent inuasionem, longam autem remissionem: quales tertiani & quartani existunt. Secundi uerò, qui longam habent inuasionem, breuem autem remissionem: ut quotidianus & ualde extensus semitertianus. At permanẽtes sunt, qui ijsdem horis perpetuò inuadunt remittuntq;. Mobiles uerò, qui diuersis semper horis accedunt. Ex quibus qui præueniunt, & celerius horas præoccupant, proleptici: qui uerò tardius morantur, hysterici nominantur. Simplices sunt, qui unum tantummodo insultum faciunt. Compositi, qui ex pluribus inuasionibus & remissionibus constant. Cæterùm compositorum quidam ex homogeneis, id est, genere similibus: quidam uerò ex heterogeneis, hoc est, dissimilibus cõstant. Ex genere quidem similibus, cùm quotidianus typus (exempli gratia) simplex, duplici quotidiano implicatur: aut duplices tertiani, aut tres tertiani existunt: uel rursum duò & tres quartani. Ex diuersis autem genere, cùm quotidianus (exempli causa) tertiano connectitur, aut tertianus quartano. Etenim quotidianus est, qui quotidie unam inuasionẽ longitudine cõmensuratam, unamq; similiter remissionem efficit. Tertianus autem, qui tertio quoque die, unam inuasionem & remissionem similiter cõmensuratam adducit. Quartanus deniq;, qui quarto quoq; die suam inuasionem & remissionem molitur. Atq; eadem intelligantur de quintano & septimano, & si quis alius typorum ordo inuenitur. Porrò quotidianum consequitur typũ, humiditas habitus, uomitus pituitosi, sitis nõ admodum intensa, totius corporis grauitas, somnus grauis atq; profundus, pulsus magnus, rarus & laxus, facies subliuida, laxa & præmollis, & quæ multam præ se ferat materiæ tum prauitatẽ, tum mutationẽ. In hoc etiam typo splen durior euadit. Quòd si protrahatur diutius, tremuli & ueternosi sopores sequentur, & thoracis fluxiones, & aquæ inter cutem affusiones. Potissimũ autem hi stomacho malè affecto constituuntur. Tertianũ uerò comitatur sitis intensa, æstus, acres atq; biliosi uomitus, inedię inquietudinesq;. Vt plurimũ autem rigores hunc præcedunt, nonnunq̃ uerò etiam refrigeratio. At pulsus in his qui tertiano typo uexantur, paruus & frequens subsequitur. Noctes, quæ accessionis dies præcedunt, molestæ admodũ sunt. Vbi autẽ morbus producitur, non amplius molestæ

*Typis carentes febres.*

*Typorum differentia.*

*Typi primi. Typi secundi. Typi permanentes. Typi mobiles. Typi proleptici. Typi hysterici. Typi simplices. Typi compositi.*

*Typus quotidianus. Typus tertianus. Typus quatranus.*

*Typum quotidianum quæ cõsequantur.*

*Quotidiana laborantibus febre induratur lien.*

*Quotidianus typus uentriculo male affecto constitui solet.*

*Tertianum typum quæ consequantur.*

existunt, sed febrem ipsam compescũt. Qui uerò ita febricitant, quandoq; à tertiano in semitertia tium transeunt. Hic autem tertianus typus omnium minimè uexat, præsertim si æstate fuerit cõtractus. Quod sanè indicauit Hippocrates, dicens: Tertiana exquisita septem circuitibus, q̃d longissimũ est, iudicatur. Rarò autem diuturna fit, nisi desinente autumno, aduẽtanteq; hyeme gignatur. Vrinæ sunt flauæ, necnon uigiliæ infestant. Omnia autẽ quæ comitanẽ tertianam, eadem & semitertianæ contingunt, cùm eiusdem generis ambæ participes sint, tertio quoque die moliẽtes remissionũ & accessionũ repetitiones.

*Hemitritæo adesse quæcũq; comitantur tertianã.*

Propriũ autem semitertianorũ typorum existit inuasionũ extensio, & quòd plerunq; cum refrigeratione, & statu nõdum completo, rursus accessiones infestent. Atqui semitertiana periculũ semper minatur, eò quòd nõ solùm os uentriculi & neruosas partes attingat, & in uniuersum eas adhuc, quæ media cõpositione cõsistunt, uerumetiã ueternosos inducat sopores, & cum delirijs uigilias annexas: nonnunq̃ & resolutiones, quas syncope comitanẽ: linguã etiam ualidè siccet, atq; animi defectum efficiat, ea quæ sunt in profundo uehementius cõmouens. Vt autẽ summatim dicã, typus hic ferus est, periculumq; undecunq; portendens. Quandoq; autẽ primo die cõstituitur, quemadmodũ cæteri typi: interdum uerò & à secundo & tertio incipit. Oritur autem nonnunq̃ à tertiana producta: nonnunq̃ etiam solutus, in tertianam degenerat: interdum uerò & in duas tertianas & quotidianas, ob longitudinem inuasionis, dirimitur. Plerunq; autem, q̃d attinet ad naturas, uirilem corripit: quod ad ætates, florentem maximè: quod uerò ad anni tempora, in autumno præsertim, quãdo & ualde periculosus existit. At nõ perpetuò continuus est, sed & intermittens quandoq; inuenitur. Habet autem & tres, quod ad eius magnitudinẽ, differentias: alia siquidem semitertiana est exigua, alia media, & alia magna. Exigua igitur est, quæ circa uigintiquatuor horas torquet. Media, quæ circa triginta sex. Magna, quę circa quadraginta octo: quæ & cõtinuæ febri est propinqua. Porrò Agathinus à relatione ad tertianã, semitertianã fieri censet. Etenim tertio quoq; die utrisq; fiunt inuasiones.

*Hemitritæorum typorũ propria.*

*Hemitritæus typus est ferus, periculumq; undecunq; portendens.*

*Hemitritæus quibus magis sit familiaris.*

*Hemitritæus aliquãdo intermittit.*

Quartanũ uerò typum rigores quidem ualidi consequunt, & uomitus pituitosi, & lienis inflammatio, & tumor: nonnunq̃ & abolita appetentia, & saliuæ copia. Interdum etiã ex contrarijs appetitus intensus. Quandoq; & tussicula simul adest, si corporis habitus corrumpatur. Idcirco typi quartani difficile solubiles sunt, cæterisq; omnibus diuturniores, ita ut usque ad bienniũ perdurent. Cùm autem inualescit quartanus typus, ipse sibimet cõplicatur, ut duas & tres quartanas efficiat, aut ad aliquam etiã deueniat continuitatẽ. Rursus uerò cùm moderatior fit, in unam conuertitur. Interdum autem & ob symptomata quæ complicantur ipsis, adeò periculosæ huiuscemodi febres euadũt, ut ad phthisim tandem, aut ad aquæ inter cutem affusiones perducant. Frequentiores autẽ sunt quàm alijs temporibus in autumno potissimũ, quo etiam tempore soluuntur ægrè. Quæ uerò æstate fiũt, omniũ minimè infestant, & magna ex parte alijs præcedentibus morbis superueniũt inordinatè. Quandoq; etiam, sed rarò, ab initio consistunt. Cæterũ pulsus eis qui tertiana laborant, nõ tantùm magnitudine exiguus fit, quantũ ijs qui uexantur quartana: neq; usqueadeo in tumorẽ attollitur, quantũ illis qui quotidiana occupanẽ. Naoq; in hoc typo, pulsuũ quędam mediocritas inuenitur. Est autem quandoq; & in accessionũ initijs rarior eo, qui secundum naturam est.

*Typum quartanum quæ consequantur.*

*Quartani typi accurata descriptio.*

*Quartana raro ab initio incipiunt.*

Verùm præter has tres, inueniunẽ etiam febres quę typicos dierũ motus seruant: sicuti & aliæ typorum prorsus expertes, præter unam. Quæ igitur seruant typicos dierũ motus, uel ante horas cõsuetas corripiunt, uel retardant. Fiunt autẽ inordinatæ, sed præter motus formam. Quare interdum præoccupant, interdum tardius morantur, at citra ordinẽ utraq;: præter id tamen quòd modò inordinatè moueant, modò sistant, nusquam autẽ ordinem habeant, ubi etiam à nullo impediantur: uerùm manente semper dierum figura, quam solę particulares inordinationes comitentur. Quæ uerò omnino typorũ expertes sunt, & præter omnes modos enumeratos, & adhuc citra dierum ordinẽ fiunt. Quædam enim inuasiones adducunt, quædam existunt prorsus inordinatæ. At speciei huius differentias plures esse cõtingit. Licet itaq; modo prædicto cuiq; speculari, necnon utcunq; uoluerit, prædictorũ typorũ proprietates complicare. Porrò ex typis duplicantur ij qui primi appellantur: ut quotidianus, tertianus atq; quartanus. Quotidianus itaq; duplex est, qui diebus singulis similiter bis inuadit, & bis remittit. * Duo autẽ tertiani sunt, qui per singulos dies diuersis accessionibus sibi inuicẽ succedentibus, tertio quoq; deprehendunt. Quartani uerò, cùm die uno salubri succedente, duobus deinceps sequentibus diebus cõtingat febricitare, in singulis inuasionũ horis seruatis figuris, quæ nimirũ ex quaternario circuitu sunt æstimandæ.

*Typi admittentes duplicationẽ qui sint.*

*Quotidianus duplex.*

*Tertianus duplex.*

*Quartanus duplex.*

Quotidianus uerò tertiano adiungitur, cùm primo quidem die bis inuadit, & bis remittit: die autẽ sequenti, semel: tertio uerò, rursum similiter primo. Quartano autem quotidianus miscetur, cùm primo quidem die bis inuadit, duobus sequẽtibus semel: quarto uerò die, bis, primo similiter. Porrò quotidianus, tertianus atq; quartanus, inuicem cõmiscentur, cùm dies quidem prima tres habet inuasiones, & totidem remissiones: secunda unam: tertia duas: quarta tres: quinta unã: sexta duas: septima rursum tres: atq; in reliquis diebus idem cum primis ordo seruaẽ. Tertianus aũt quartano iungiẽ, ubi prima dies duas inuasiones adducit, totidemq; remissiones: secũda uerò nullas omnino: tertia unã: & quarta unam similiter: quinta unã: sexta nullã prorsus: septima duas: atq; in sequentibus pari modo. Cõmiscentur adhuc tertianus typus, quartanus & quintanus: cũ scilicet primo die accessiones cõtigerint, secundo quieuerint: & tertio tertianus, quarto quartanus, quinto uerò tertianus simul & quintanus inuaserint. Sed aliter etiã quodammodo huius typi inuasio cõtingit, in eundem nihil minus typi ordinem incidente, tertiani cum semitertiano cõiugatione.

*Quotidianus typus tertiano mistus.*

*Quotidianus typus quartano mistus.*

*Quotidianus typus tertiano & quartano mistus.*

*Tertianus typus quartano mistus.*

*Tertianus typus quartano & quintano mistus.*

GALENI

# GALENI PERGAMENI
## *Ars medicinalis.*

### CAPVT I.

*Doctrinæ ordinatæ sunt tres.*



Res sunt omnes doctrinæ quæ ordini inhærẽt. Prima quidem ex notioue finis, quæ per resolutiouẽ fit. Secunda ex cõpositione coustat eorum quæ per resolutionem inuenta fuerunt. Tertia ex definitionis dissolutione, cui nunc incumbimus. Ex quibus sanè primã, quæ oritur à finis notione, &ex qua omnes artes uia quadam atq; ordine constituuntur, neminẽ ante nos scripsisse comperimus. Hîc itaq; definitiuam faciemus doctrinã, quæ quantũ ab ea quæ ex resolutione consistit, & dignitate, & ipso docendi ordine linquitur, tantũ & ad totius compendium, & ad singulorum memoriam præstare inuenietur. Sufficienter siquidem, ac facillimè cõmendantur memoriæ uniuersa, ex definitionis dissolutione: quoniam totius artis capita in se optima definitio complectitur, quam quidem substantialem appellant: ex aduerso distinguentes eam ab alijs, quæ notionales uocantur. Illæ siquidem ab ijs quæ accidũt rebus definiũtur, hæ uerò ab ipsa essentia constituuntur.

*Doctrinam à finis notione ortam, nemo ante Galenum exposuit.*
*Doctrina definitiua utitur Galenus in arte medicinali.*
*Definitio optima, in se capita totius artis complectitur.*
*Definitio est duplex, substantialis & notionalis.*

### Quid sit medicina. Cap. II.

*Medicina est scientia salubriũ, insalubrium, & neutrorum.*

Medicina est scientia salubrium, &insalubriũ, & neutrorum. Nomen autem scientiæ cõmuniter, non propriè, accipere oportet. Porrò salubre ipsum, insalubre &neutrum, unumquodq; tripliciter dicitur: hoc quidem, ut corpus: hoc autem, ut causa: hoc uerò, ut signum. Etenim corpus quod natura suscipere sanitatẽ est aptum, & causam quæ eandem efficere aut cõseruare, & signũ quod potest indicare, hæc omnia salubria Græci appellare cousueuerunt. Eadem ratione & susceptiua morborum corpora, & eosdem efficientes cõseruantesq; causas, & signa indicantia, insalubria uocant. Nec aliter corpora neutra, causas, signáue dixerunt. Cæterùm secundum quidem primam rationem, atq; præcipuam, causarum salubriũ est medicina scieutia. Propter eas autem, & aliarum: secundo autem loco, insalubrium: & tertio, neutrarum. Et post has eodem modo corporũ, primò quidem & hic, salubriũ: secundo loco, insalubrium: tertio, neutrorum. Itidem & de signis dicendum. In actionibus autem prima quidem est corporum cognitio, quæ habetur ex signis: post hæc, earum quæ in ipsis cognitio causarum.

*Salubria quæ dicantur.*
*Insalubria quæ sint.*
*Neutra quæ.*

### Quot modis dicatur effectiuum, indicatiuum, & susceptiuum. Cap. III.

Sed quoniam & effectiuum, & indicatiuũ, & susceptiuũ, dupliciter unumquodq; dicitur, hoc quidem simpliciter, hoc uerò ut nũc: nosse oportet, amborũ esse medicinæ scientiam. Ipsum uerò simpliciter, duobus dicitur modis: & quod semper, & quod ut plurimũ: de quorum utroq; medicina pertractat. Neutra uerò, & causa, & corpus, & signum, & quod simpliciter dicitur, & quod ut nunc, tripliciter unumquodq; appellatur: hoc quidem, quia neutrius contrariorũ est particeps: hoc uerò, quia utriusq; atq; hoc denique, quia aliquando huius, aliquando illius. Horum autẽ ipsorũ secundum, rursus duobus dicitur modis: aut quia utrũq; contrariorũ ex æquo participat: aut quia aliquando plus alterum. Primùm igitur de corporibus ipsis dicemus, qualianam sint, & salubria, & insalubria, & neutra: post hæc de signis & causis differemus.

*Simpliciter dici modis duobus.*
*Neutra dici tripliciter.*

### De corpore salubri. Cap. IIII.

*Salubre simpliciter corpus quod sit.*

Salubre simpliciter corpus est, quod ab ipso naturæ ortu bonam temperaturã sortitur in simplicibus ac primis particulis: estq; in his quæ ex illis constant instrumentis cõmensuratum. Salubre uerò nunc, est corpus, quod in pręsenti est sanum. Est uerò & hoc; eo tempore quo sanũ existit, bonam habens temperaturam & cõmensurationem: non tamen optimam, at sibi propriã. Ipsius uerò salubris simpliciter corporis, semper quidem est tale, quod optimè temperatum ac maximè cõmensuratum existit: ut plurimum autem, quod à constitutione optima, non ualde admodum deficit.

*Salubre ut nũc, quod sit corpus.*

### De corpore insalubri. Cap. V.

*Insalubre simpliciter corpus, quod sit.*

Insalubre uerò simpliciter corpus est, quod ab ipso ortu naturæ, uel in consimilib. partibus malam temperiem possidet: uel in instrumẽtalibus incõmensurationem, uel utrunq; uitium. Insalubre uerò ut nunc, est illud, q̃d eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat: uel in cõsimilibus prauam temperaturã, uel in instrumentalibus incõmensurationem, uel utrunq; uitium tunc habens. Est uerò & semper insalubre, quod ex ipso naturæ ortu uel pessimam temperiem possidet in simplicibus &primis particulis omnib. uel in aliquibus, uel in ijs quæ obtinent principatum: uel in instrumẽtarijs incõmensuratum existit, idq; uel in omnibus, uel in nõnullis, uel in illis quæ principatum obtinent. Vt multũ uerò insalubre est corpus, quod ab huius quidẽ uitio recedit, nondum tamen mediocritatem attingit.

*Insalubre ut nũc, quod sit corpus.*

### De corpore neutro. Cap. VI.

*Neutrum corpus quod sit, iuxta primum significatum.*

Quoniam uerò &neutrum corpus dicebatur tripliciter: unum quidem, quod neutrius erat extremæ dispositionis particeps: aliud, q̃d utriusque: aliud, quod aliquando huius, aliquando illius: iuxta primũ significatũ, neutrũ erit corpus, quod exquisitè mediũ est & saluberrimi & insaluberrimi corporis: & huius, hoc quidẽ simpliciter tale, quod ab ipso naturæ ortu, ita est cõstitutum: hoc autem ut nunc, quod in præsenti tempore, exquisitè medium existit, & saluberrimi, & insaluberrimi corporis. Ipsius uerò simpliciter, semper quidem tale est id, quod in omnibus ætatibus perdurat tale: ut multum autem, quod nonnullas recipit mutationes. At iuxta secundum significatum, neutrum erit corpus, quod ab ipso ortu naturæ, contrariarum simul est particeps dispositionum, aut scilicet in una parte, aut in duabus differentibus. In una quidem, si secundum alteram oppositionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperiem, uel etiam secundum utranque, sed in formatione, uel magnitudine, uel uumero partium, uel situ, delinquat: aut contrà, in his quidem rectè se habeat, uel omnibus, uel quibusdam, peccet autem in ipsa temperie. In differentibus uerò partibus, & iuxta omnes oppositiones potest quicq̃ simul

*Neutrum iuxta secundum significatũ quod sit.*

esse particeps cõtrariorum. Et semper quidem est tale, quod per omnes ætates in eodem perseuerat statu. Vt multũ uerò, quod aliqua ex parte euariat. Ita etiam & nunc neutrũ erit corpus iuxta secundum significatũ: quia uel parte in una, hæc quidem sibi salubria sunt, illa uerò insalubria: uel in differentibus ita afficitur partibus. Iuxta tertium significatum, neutrum erit corpus, quod aliquando quidem salubre, aliquando uerò insalubre existit. In uno autẽ tempore, quod ita est neutrum, * exactè quidem consistere nequit: latius uerò si accipiatur, potest.

*Neutrum iuxta tertiũ significatum quod.*

De signis salubribus. Cap. VII.

*Salubria signa quæ sint.*

*Insalubria signa quæ sint.*

*Neutra signa quæ sint.*

Sunt autem ex signis, salubria quidem, quæcunq; præsentem indicant sanitatem, & futuram prænunciant, & præteritam memoriæ subijciũt. Insalubria uerò, quæ & præsentẽ indicant ægritudinem, & futuram prænunciant, & prȩteritam memoriæ subijciunt. Eadem ratione neutra dicuntur, quæ neutram dispositionem ostendunt, prænunciant, & memoriæ subijciunt: quæq; partim quidem salubrem, partim insalubrem dispositionem indicant: & quæ aliquando quidem salubrem, aliquando uerò insalubrẽ. & hæc quoq; secundum tria tempora, ueluti salubria & insalubria, appellantur. Dicuntur autem nonnunq̃ à uetustioribus medicis hæc omnia, signa prȩnunciatiua, quamuis sint præsentium & præteritorum indicatiua. Porrò usus non paruus ex prænunciatiuis atq; indicatiuis accedit: minor autẽ ex his quæ memoriæ subijciunt.

*Signa prænũciatiua indicãtiaq; esse vtiliora ijs, quæ memoriæ subijciunt.*

De signis optimæ constitutionis.
Caput VIII.

*Salubrium corporum dignotiones vnde petendæ sint.*

Salubriũ autem corporũ dignotiones sumendæ sunt ab ijs quæ secundum essentiæ rationem eis insunt, & ab his quæ necessariò sequuntur ipsa functionibus atq; symptomatis, quæ propriè accidentia appellantur. Ab essentia quidem ipsa, eorum quæ optimã habent cõstitutionem, cõmensuratione: consimilium quidem, in caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate: instrumentorũ uerò, in quantitate ac numero eorum ex quibus constant: ac præterea formatione, situ partiũ singularũ, & totius instrumenti. Ex his uerò quæ necessariò consequuntur consimilia, quantũ quidem ad tactum attinet, à mediocritate quæ in mollitie & duritie consistit: quantum uerò ad aspectum, à colore optimo, & læuitatis atq; hispiditatis mediocritate. In functionibus à perfectione, quam ipsarum esse uirtutem dicimus. Ab ijs uerò quæ instrumentarias sequũtur partes, à cõmensuratione & pulchritudine omnium totius corporis instrumentorũ: ac præterea, ab earũ quȩ ipsis insunt, uirtute operationũ. Optimæ igitur cõstitutionis corporũ signa indicatiua sunt hæc. Eorum autem quæ ab ipsa deficiunt, & adhuc tamen salubria existunt, nõnulla quidem in consimilium temperatura uirium aliquod paruum habent: nonnulla uerò in instrumentariorũ uel omnium, uel aliquorũ cõmensuratione, & hoc quoq; perexiguum. Sunt quæ in utrisq; uirium aliquod habeant. Vitiorum uerò genera, eadem sunt his quæ uirtutem perficiũt: temperatura quidem in consimilibus: numerus autẽ, & formatio, & magnitudo, & situs, in instrumentarijs: utrisq; uerò cõmunis unitas, quã ipsorum continuitatem uocamus. In his autem ipsis generibus sunt corporũ insalubrium uitia, secundum utrunq; salubritatis significatũ. Terminus autem qui utrunq; distinguit, est operationũ læsio sensibilis. Etenim quæ simpliciter insalubria sunt corpora, distinguuntur ob id, quòd facilè à causis morbificis superantur: & quoniã in uigore operationũ deficiunt plurimũ. In medio autẽ salubrium & insalubrium collocantur ea, quæ neutra exquisitè appellantur, & cum latitudine quadã. Quo fit, ut tota sanitatis latitudo in tres partes, quarum singulæ latitudinem habent nõ paruam, diuidatur. Erit autem prima quidem salubrium corporum, secunda neutrorũ, tertia insalubrium. Post hæc deinceps sequũtur quæ iam ægrotant corpora: quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguuntur. Hæc autem omnia sensu dijudicantur, non ipsa natura rerum. Signa itaq; sanorum corporum, siue ea salubria, siue insalubria, siue neutra existant, quantitate distantiæ differunt, duobus inuicem contrarijs terminis à nobis cõstitutis, optima uidelicet cõstitutione corporis, & nuper genito morbo: ac deinceps considerantibus, utri eorum sint uiciniora, quæ ad examen corpora ueniunt. Quæ enim proximiora sunt optimæ constitutioni, salubria: quæ uerò ab hac longius distant, atq; ad ea quæ iam ægrotãt, magis accedũt, insalubria: quȩ autem intermedia, atq; æqualiter ab utrisq; distare uidentur, neutra existunt. Optimæ igitur constitutionis corporis indicia explicauimus. Eorũ uerò quæ ab ipsa deficiunt, totidem sunt numero genera, quȩ in magis & minus secari possunt.

*Insalubria simpliciter corpora facilè à morbificis causis superãtur.*

*Sanitatis latitudo vniuersa in tres partes diuiditur.*

*Aegrotantia corpora à cæteris sensibilibus operationum læsionibus distinguũtur.*

*Salubria & insalubria corpora, quomodo discernenda.*

Quot sint differentiæ partium. Cap. IX.

*Partium vniuersæ differẽtiæ sunt quatuor.*

Partium uniuersæ differentiæ sunt quatuor. Siquidem earum nonnullæ principia quædam existunt: aliquæ ab ipsis originem habent: aliquæ neq; aliarum gubernationi præsunt, neque aliunde gubernantur, cùm insitas habeant à natura potentias, à quibus reguntur. Quædam uerò sunt, quæ insitas simul & aliunde emanantes sortiuntur. Principia igitur sunt, cerebrum, cor, hepar, atque testiculi. His uerò & originem debent, & famulantur: nerui quidem & spinalis medulla, cerebro: cordi autem, arteriæ: hepari, uenæ: ut testiculis seminaria uasa. Quæ autem à seipsis gubernantur, sunt cartilago, os, copula seu ligamentum, membrana, adenes, adeps, & caro simplex. Reliquȩ uerò partes, cùm unà cum istis habeant ex seipsis regimen, arterijs, neruis, & uenis insuper indiguerunt. Capillorum autem atque unguium neq; regimen ullum est, sed generatio tantummodo.

*Principes partes sunt cerebrũ, cor, hepar, atq; testiculi.*

*Capilli vnguesq; minimè gubernantur, sed gignuntur duntaxat.*

De signis cerebri. Cap. X.

*Cerebri naturã quinq; indiciorum genera ostendunt.*

Cerebri autem naturam, quinq; indiciorum genera ostendunt. Primum quidem, totius capitis dispositio. Secundum, sensibilium operationum uirtus & uitium. Tertium, actiuarum. Quartum, earum quæ principatum obtinent. Quintum denique, naturalium. Est & aliud sextum genus præter hæc dicta, alteratio quæ extrinsecus aduenit. Porrò totius capitis dispositio, ex magnitudine ipsius atq; figura sumitur, necnon ex capillis.

De par-

De paruitate & magnitudine capitis.
Caput XI.

*Caput magnū quādo sit bonū indicium.*

Paruū igitur caput, uitiosæ constitutionis cerebri proprium indiciū est: magnū uerò non necessariò indicat bonam cerebri compositionē: sed si quidem ob insitæ uirtutis robur, quæ multam ac optimam materiam afformarit, eueniat, optimū signum est. At si ob materiæ tantū multitudinem, haudquaq; bonum. Distinguenda uerò sunt hæc, & ex figura ipsa, & ex his quæ ab eo habent ortum. Ex figura quidem, si sit cōcinna: semper nanq; hoc, bonum signum existit. Ex ijs autem quę ab eo ortum habent, si ceruici ualidæ insideat, aliisq; ossibus optimè constet: atq; omnis præterea substātia boni sit habitus, ac robur habeat intentum. Propria autem capitis figura est, ueluti si excogitares sphæram exquisitè rotundam ex cera cōstructam, paulatimq; utrinq; depressam. In hac enim necesse est, ut posteriores* prioresq; partes plus gibbæ fiant, q̃ sphæræ cōueniat: quæ uerò utrinq; consistunt, magis rectæ. Quòd si ea quæ secundum occiput eminentia aliquatenus minuatur, simul intueri oportet neruos, atque ceruicem, unà cum ossibus aliis. Nam si secundum naturam cōstiterint, materiæ defectu, nō uirtutis imbecillitate, contingit. Illis uerò nō rectè se habentibus, principium est debile. Vt plurimū uerò exisitit optimū signum figura concinna parencephalidis, quam nōnulli medici posterius cerebrum uocant, ut est reuera posterius, distinctum labdoide sutura. Est uerò hęc pars principiū spinalis medullæ, ac proinde neruorum omniū, per totū corpus animalis, actionibus subseruientiū. Ipsa siquidem cerebri pars posterior, per seipsam, paucos admodum sensitiuos possidet neruos, plurimos autem actiuos. Anterior uerò contrà, sensitiuos quidem plurimos, actiuos autē perpaucos. Quare ubi utraq; fuerit optimè affecta, robustas ha bebūt eas, quę ab ipsis pendent, deriuationes. Eædem quoq; distinctiones faciendæ sunt ad partes capitis anteriores, quæ etiā ad posteriores: earundemq; paruitatem, magnitudinem, & figuram, necnon sensus ibi collocatos, uisum, gustum, & odoratum, expendere oportet: siquidem sese inuicem indicant attestanturq;, & quæ à principijs oriuntur, principij uirtutem & uitium: & principium, ea quæ ab ipso nascuntur.

*Capitis natura lis figura, qualis nam esse debeat*

*Parencephalis.*

*Labdoides sutura.*

*Cerebellum est principium spinalis medullæ.*

*Principia & ea quæ ab illis oriū tur, sese inuicem attestātur & indicant.*

De operationibus obtinentibus principatum. Cap. XII.

Earum autem operationū quæ obtinent principatum, uirtus ac uitium, sunt ipsius principij seorsum tantūmodo indicia. Voco autem operationes principatum obtinentes, quæ à solo principio proueniūt. Sagacitas igitur, subtilem cerebri substantiā indicat. Tarditas uerò intellectus, crassam. At discendi facilitas, formarū facilè susceptiuam. Memoria, stabilem atq; firmam. Difficultas discendi, formarum non facilè susceptiuam. Obliuio, fluidam. Mobilitas in opinionibus, calidam: ut stabilitas, frigidam.

*Principalium animæ actionū singula quid significent.*

Signa bonæ temperaturæ cerebri.
Caput XIII.

Si quidem cerebrū sortiatur bonam primarū quatuor qualitatum temperiem, omnia quæ dximus, habebit quàm moderata. Excrementa quoq; quæ ab eo expurgantur, moderatè se habebunt, atq; ab ijs quæ extrinsecus alterando occursant, nequaquam lædetur. Talibus igitur capilli capitis, cùm adhuc sunt infantes, subrufi: cùm uerò pueri, subflaui: cùm iam adoleuerint, flaui fiunt: mediiq; inter omnino crispos* & letes. Nec uerò caluescunt facilè.

Signa calidi cerebri. Cap. XIIII.

*Cerebri calidi indicia.*

Signa calidi cerebri sunt, in ijs quæ circa caput consistunt, rubor & calor maior, & quæ in oculis uisuntur uenæ, conspicuæ magis. Capilli quoq; in his statim in lucem æditis *celeriter generantur: & cùm plurimū in calore à mediocri temperatura recesserint, nigri & robusti & crispi fiunt: cùm uerò non multū, subflaui quidem ab initio fiunt, deinde nigricant: ac progredientibus ætatibus, caluitiū patiūtur: eoq; magis, quò temperies plus æquo calidior fuerit. Excrementa uerò quæ per palatum, & nares, & oculos, & aures purgantur, pauca & concocta ipsis existunt, si integra sanitate fruantur. Si uerò eis caput repleatur, pluta quidem in ipsis excrementa, sed nō incocta, gignunt. Implentur autē aggrauanturq; eorū capita, à calfacientibus tum cibis, tum potibus: necnon ab odoribus, ijsq; omnibus, quæ extrinsecus nobis occursant: in quorū numero est aër circunfluus: ac tunc præcipuè, si nō solū natura calida, sed etiā humida, ipsa corpora extiterint. Breuib. autē somnis huiusmodi tēperaturæ cōtentæ sunt, nec profundis admodū.

*Cerebrum calidū à quibus facile impleatur.*

*Calida & humida corpora somnis breuib. contenta sunt.*

Signa frigidi cerebri. Cap. XV.

*Cerebri frigidi indicia.*

Frigidioris uerò quàm oporteat cerebri indicia sunt, pluta in proprijs meatibus excrementa: capilli recti, rufi, stabiles, & qui longo post natiuitatem tempore nascuntur tenues, atq; ab initio malè nutriti. Porrò quibus tale cerebrum obtigit, facilè à frigidis causis læduntur: quo sanè læsionis tempore destillationibus & grauedinibus corripiuntur. Sed nec partium quæ iuxta caput sunt calor magnus aut rubor, nec oculorum uenæ illis conspicuæ insunt. Sunt autē quodammodo somnolentiores.

*Cerebro frigido præditi facile à frigidis causis læduntur.*

*Cerebro frigido præditi somnolentiores sunt.*

Signa sicci cerebri. Cap. XVI.

*Cerebri sicci indicia.*

Siccioris autem cerebri indicia sunt paucæ superfluitates effluentes, & sensuum perspicacitas. Sunt autem ad uigilias prompti, & capillos habent robustos, crispos potius quàm rectos, & qui celerrimè eis genitis innascuntur. Citò autem caluescunt.

Humidi cerebri indicia. Cap. XVII.

*Cerebri humidi indicia.*

Humidioris uerò cerebri indicia, capilli plani, quodq; minimè calui fiāt: sensus turbulenti, multitudo excrementorū, somni multi & profundi. Atq; hæ quidem simplices sunt intemperies.

Signa calidi sicciq; cerebri. Cap. XVIII.

*Cerebri calidi & sicci indicia.*

Qui calido & sicco sunt cerebro, superfluitatibus carent, sensibus uigent, plurimū uigilāt, atq; citò fiunt calui. Prima autē capillorū generatio in illis celerrima est, ac plurimo alimento abundans. Capillos uerò habēt nigros & crispos. tangentibusq; caput sentiuntur calidi, rubicundiq; sunt, usq; ad consistentiæ ætatem.

Signa calidi & humidi cerebri. Cap. XIX.

Si uerò humiditas caliditati iungat, sed parū

*Cerebri calidi & humidi indicia.*

utraque qualitas mediocritatem superet, adest color bonus calorque, & quæ in oculis sunt uenæ, magnæ. Præterea excrementa plura, & mediocriter cocta, & capilli recti & subflaui: nec facilè calui fiunt. Implentur uerò atque aggrauantur eorũ capita à calidis. At si humectentur, tunc multò magis: & præcipuè ubi multitudine excrementorũ redundant. Quòd si plurimũ caliditas atque humiditas creuerint, ijs caput est morbis obnoxium, excrementisque abundans: ac facilè à calfacientibus & humectantibus læditur. Proinde Auster semper talibus aduersatur: atque optimè in Aquilone se habent. Hi nõ diu uigilare possunt, & eùm se ad somnũ conuerterint, simul graui somno tentantur & uigilant, & somnia habent imaginationibus plena. Visus est eis turbulentus, nec satis sensibus uigent. Pro ratione autẽ ipsius qualitatis in mistione excellentis mediocritatẽ, solent etiam signa ipsa excellere.

*Cerebro calido & humido præditis, vt aduersatur Auster, sic confert Aquilo.*

## Signa frigidi & sicci cerebri. Cap. XX.

*Cerebri frigidi & sicci indicia.*

Frigidæ uerò & siccæ cerebri intemperantiæ, frigidum & minimè coloratum, sui ratione, caput efficiunt. Qui autem sic sunt affecti, in oculis nullas habent uenas conspicuas, facileque à frigidis causis læduntur. Quare & inæquali sanitate fruuntur.

## De sensibus. Cap. XXI.

Sensus autem eorũ, in iuuentute quidem omnes uigent, atque omni uitio carent: sed progrediente ætate citò marcescunt. Vt autem summatim dicam, omnia quæ ad caput pertinent, celerrimè illis marcescunt: quamobrem citò cani fiunt. Capilli uerò ipsis quidem genitis, uix exeunt, & malè nutriuntur, & rufi sunt. In progressu autem ætatis, superante magis frigiditate caliditatem, quàm siccitate humiditatem, non caluescunt. Contrà uerò, si contigerit siccitatẽ quidem plurimum dominari humiditati, frigiditatem uerò parum calori, calui fiunt hi.

## Signa cerebri frigidi & humidi. Caput XXII.

*Cerebri frigidi & humidi indicia.*

Humidæ uerò & frigidæ cerebri temperaturæ, graues somnos conciliant, sensuum hebetudinem pariunt, uim excrementorum accumulant, caputque reddunt frigori & plenitudini obnoxium. Sic affecti, destillationibus & grauedinibus facilè corripiuntur: at minimè calui fiunt.

## De oculis. Cap. XXIII.

*Oculorum temperamenta quomodo dignoscantur.*

Qui oculi tangentibus manifestè calidi apparent, & facilè ac crebro motu mouentur, & uenas latas habent, ij calidi omnes sunt. Frigidi uerò, his cõtrarij. Et humidi quidem, molles, multaque humiditate referti: sicci uerò, duri simul & aridi. A similibus autem suæ temperaturæ causis facilè offenduntur: iuuantur uerò à modico contrariorum usu. Sed hoc quidem cõmune in omni cuiuscunque partis temperiei dignotione meminisse oportet.

*Oculi à similibus temperaturæ suæ causis læduntur facilè: iuuantur verò à modico contrariorum vsu.*

## De magnitudine oculorum. Cap. XXIIII.

*Oculorum magnitudo quid indicet.*

Magnitudo oculorum quidem, ubi concinnitas adsit, & operationum uirtus, multitudinem bene temperatæ substantiæ ostendit, ex qua sunt conformati. Quæ si desint, multam quidem substantiam, non tamen bene temperatam indicat.

## De paruitate oculorum. Cap. XXV.

*Oculorum paruitas quid significet.*

Paruitas uerò oculorũ, adiuncta quidem cõcinnitate, atque * operationũ uirtute, paucam quidem, sed bene temperatam substantiam ostendit, ex qua sunt conformati. Si uerò inconcinnitas adsit, atque functionum uitium, paucam simul atque uitiosam materiam demonstrat.

## De colore oculorum. Cap. XXVI.

*Oculi glauci & nigri vnde fiãt.*

Glauci oculi, qui pura humiditate ac nõ multa præfulgẽt, tales fiunt ob splendidi luminis abundantiã. Cõtrà uerò nigri, & qui intermediã naturã seruãt, causas quoque intermedias sortiunt.

## De glaucedine & nigredine oculorum. Caput XXVII.

*Glaucedinis oculorum causæ.*

Glaucus igitur oculus fit, uel propter magnitudinem, uel propter splendorem crystallini humoris, uel propter situm prominentem, uel propter tenuis & aquei humoris, qui in pupilla existit, paucitatem & puritatem. Omnibus autẽ his in unum coëuntibus, fit glaucissimus oculus. Si uerò aliqua adsint, aliqua desint, tunc maior minórue glaucedo contrahitur. Niger uerò oculus fit, aut ob paruitatem crystalloidis, aut propter profundũ situm, uel quia splendidus ac fulgidus exquisitè non est, uel quia tenuis humor uel superabũdat, uel impurus existit, uel propter unam ex hisce causis, uel propter omnes fieri cõsueuit. Tenuis igitur humor quò magis ad aquę naturam accedit, & superabundat, humidiorem ostendit oculum: quemadmodum si crassior ac minor fiat, sicciorem. Crystalloides autem humor, si quidem durior existat, sicciorem efficit oculum: si uerò mollior, humidiorẽ. Sic & si plus modico tenuem humorem excesserit, sicciorẽ: si relinquatur ab illo, contrarium.

*Nigredinis oculorum causæ.*

## De cordis temperaturis. Cap. XXVIII.

*Cor frigidissimũ erit calidius calidissimo cerebro.*

Vnamquanque partem calidiorem aut frigidiorem dicimus, nõ alicui rei alteri, sed ad seipsam, eam comparãtes. Sic enim utcunque extiterit cor natura frigidissimũ, multò sanè calidiorem temperiem sortietur calidissimo cerebro.

## Signa cordis calidi. Cap. XXIX.

*Cordis calidi indicia.*

Calidioris igitur cordis, * quàm pro naturali symmetria, indicia quædam sunt inseparabilia, & propria, magnitudo respirationis, pulsus uelocitas & frequentia, audacia, & ad actiones natura prompta. Quòd si multum in caliditate excesserit, tunc furibunda quædam iracundia, & temeritas adsunt. Est autem his thorax hispidus, & præsertim pectus, & quæcunque hypochondrijs partes proximiores. Magna uerò ex parte calidi cordis temperies uniuersum corpus calidũ reddit, nisi hepar uehementius obstiterit. Est præterea & latitudo thoracis, caliditatis indicium, nisi & hic quoque cerebrum plurimũ reluctetur: cui spinalis medullæ magnitudo proportione respondet. Tantæ uerò erunt magnitudine uertebræ, quãta spinalis medulla: quare & spina uniuersa. Cõpingitur autẽ thorax ad eam spinæ partem, quæ * iuxta metaphrenũ, hoc est, dorsum, cõsistit, tanquam ad nauis carinã. Quare necessariò eius longitudo æquabitur dorso. Latitudo uerò erit pro uertebrarũ ratione, quando ad proportionem crassitudinis earum fuerit compactus. Cũ uerò cordis caliditas superans perflauerit ac

*Thoracis latitudo quãdo sit caliditatis indiciũ.*

dilatauerit

dilatauerit in primo sui ortu thoracem, erit eiusdem caliditati proportione respondens. Quare quũ caput paruum, thorax aũt latus extiterit, maximum hoc tibi fuerit cordis caliditatis indiciũ. Quum uerò magno existente capite, paruus fuerit, propriissimum hoc tibi sit cordis frigidioris signum & argumentum. Si uerò capiti fuerit proportione respondens, tunc aliis signis de corde distingues, ex ipsius thoracis amplitudine nihil iudicans.

Signa cordia frigidi. Cap. XXX.

*Cordis frigidi indicia.*

In frigidiore uerò corde pulsus minores existunt, quàm modo naturæ conueniat: non tamen necessariò tardiores, uel rariores. Respiratio autem, si quidem tantò thorax minor extiterit, quantò cor frigidius, pulsibus erit proportionalis. Si uerò maior fuerit, quàm pro frigiditatis portione, non solùm minor, sed etiam tardior & rarior ipsa respiratio erit. Sic affecti, sunt naturaliter timidi, pusillanimesq́; atque tardi: pectusq́; glabrum sortiuntur.

Signa cordis sicci. Cap. XXXI.

*Cordis siccioris indicia.*

Cor autẽ siccius, pulsus duriores efficit: iramq́; non promptam excitat, sed ferinam, quæq́; facilè compesci non posit. Magna autem ex parte sic affectis uniuersum corpus siccius existit, nisi hepar obstiterit.

Signa cordis humidi. Cap. XXXII.

*Cordis humidi indicia.*

Cordis uerò humidioris signa, pulsus molles, & mores ad iram quidẽ procliues, sed talem, quæ sedari posit: at uniuersum corpus humidius existit, nisi hepar obsistat.

Signa cordis calidi & sicci. Cap. XXXIII.

*Cordis calidi & sicci indicia.*

Calidi & sicci cordis pulsus duri sunt, magni, ueloces, atq; frequentes: similiterq́; respirationes magnę, ueloces atq; frequentes. Multò autem magis ad uelocitatem ac frequentiam uergunt, thorace cordi non aucto proportionaliter. Sic affecti, prę cunctis, pectus habent maximè hirsutum, & hypochondria. Ad actiones autem sunt prompti, iracundi, & *celeres, moresq́; prę se ferunt tyrannicos. Sunt etenim ad furorem faciles, inexorabilesq́;.

Signa cordis calidi & humidi. Cap. XXXIIII.

*Cordis calidi et humidi indicia.*

Si uerò caliditas cum humiditate præcellat, minus quidem eia quos antea diximus, hi sunt hirsuti, ad actiones uerò nihilo minus prompti: non tamen ferus ipsis est animus, sed ad iram tantùm procliuis. Pulsus uerò magni ac molles, uelocesq́; & frequentes existunt. At respiratio, si thorax quidem cordi fuerit proportionalis, eandem cum pulsibus speciem seruabit. Si uerò minor extiterit, tantò illis uelocior atq; frequentior erit, quantò & thorax minor extiterit. Quòd si multa facta fuerit euersio in ipsa temperatura, atq; in humiditate præcipuè, præter ea quæ diximus, contingẽt etiam ex putredine morbi, his, qui in ipsis fuerint, humoribus corruptis ac putrefactis. Expirationes autem maiores fient, ac ualociores inspirationibus: necnon arteriæ contractio uelox.

Signa cordis humidi & frigidi. Cap. XXXV.

*Cordis frigidi et humidi indicia*

Qui humidiore & frigidiore sunt corde, pulsus molles sortiuntur: minimeq́; audaces, sed timidi & segnes existunt. Tales etiam posident glabrum pectus: minimeq́; iracundiam conseruant, ad quam etiam non sunt admodum prompti.

Signa cordis frigidi & sicci. Cap. XXXVI.

*Cordis frigidi et sicci argumenta*

Frigidius uerò atq; siccius cor, pulsus quidem duriores reddit & paruos: respirationem autem, si quidem thorax paruitatẽ cordis frigiditati proportionalem habuerit, moderatam: si uerò maior extiterit, raram & tardam. Hi uerò præ omnibus minimè ad irascendum sunt prompti: quum autem coacti fuerint irasci quibusdam, retinent iracundiam. Habent autem maximè omnium pectus glabrum. *Cæterùm quæcunque de moribus, siue nunc, siue quouis alio sermone explicata sunt ad temperaturæ cognitionem: sciendum est, ea nõ de optimis moribus, aut uitiosia, qui ex philosophia hominibus adueniunt, sed de insitis unicuiq;, naturalibusq́;, à nobia exposita fuisse.

*Mores ipsi sunt duplices: nempe ciuiles & naturales, siue insiti.*

Signa calidi hepatis. Cap. XXXVII.

*Hepatis calidi indicia.*

Hepatis calidioris indicia, uenarũ latitudo, flauabilis abundantior: in cõsistente uerò ætate, etiã atra: calidior ipsis sanguia, atq; eadẽ ratione uniuersum corpus, nisi cor obstiterit. His uẽter & hypochondria hirsuta.

Signa hepatis frigidi. Cap. XXXVIII.

*Hepatis frigidi indicia.*

Frigidioris uerò, angustia uenarum, pituita abundantior, sanguis frigidior, adeoq́; totius corporia habitus, nisi calefiat à corde. Venter illis glaber est, atq; hypochondria.

Signa hepatis sicci. Cap. XXXIX.

*Hepatis siccioris indicia.*

Siccioris autem, sanguis quidẽ crassior, & minimè abundans: uenæ duriores, & totiua corporis habitus siccior.

Signa humidi hepatis. Cap. XL.

*Hepatis humidi indicia.*

Humidioris autẽ, sanguis quidem copiosior, humidiorq́;, atq; uenæ molliores: ita uerò & uniuersum corpus, nisi cor reluctetur.

Signa calidi & sicci hepatis. Cap. XLI.

*Hepatis calidi & sicci indicia.*

Calidioris uerò simul ac siccioris hepatis sunt indicia, hypochondria plurimũ hispida, sanguis crassior & siccior, flaua bilis plurima: consistente autem ætate, etiam atra: uenarum autem latitudo & durities. Sic uerò & uniuersum corpus se habet. Nam quæ ex corde caliditas originem duxit, potest obtundere eam, quæ ab hepate nascitur, frigiditatẽ: sicuti & frigiditas caliditatem. Siccitatem uerò non potest humidius cor ad habitum contrarium perducere. At media inter has quæ dictæ sunt, ea quæ ab hepate humiditas nascitur. Magis enim à cordis siccitate superatur, quàm siccitas ab humiditate: minus autem à caliditate: adhuc uerò multò minus à frigiditate. Hęc enim inter omnes qualitates quæ eueniunt ab hepate, facillimè superatur. Vbi igitur in unum conuenerint utriusque principij temperaturę, totum exquisitè secundum illas afficitur corpus.

Signa hepatis calidi & humidi. Cap. XLII.

*Hepatis calidi et humidi signa*

Humidius autem, ac simul calidius hepar, minus quidem quàm calidius & siccius hispida hypochondria reddit. Plurimum uerò sanguinis, & uenas amplas, habitumq́; calidiorem, et humidiorẽ facit, nisi obstiterit cor. Si uerò amplius in ambabus qualitatibus à naturę modo recedat, à morbis qui ex putredine ac uitiosis humoribus fiunt, sic affectus minimo negocio corripit, præsertim si plurimum augeat humiditas: caliditas uerò, nõ ita. Sin aũt contrà, minimè humorũ uitio laborat.

Signa hepatis humidi & frigidi. Cap. XLIII.

*Hepatis humidi & frigidi indicia.*

Humidius autē atq; frigidius hepar habet hypochondria glabra: sanguinem uerò, accedentē ad pituitæ naturam gignit, cum uenarum angustia. Sic & reliquum afficit corpus, nisi à corde ad contrariam transferatur naturam.

Signa hepatis frigidi & sicci. Cap. XLIIII.

*Hepatis frigidi & sicci indicia.*

Frigidius & siccius hepar, parum sanguinis, et exiguas uenas exhibet corpori: ipsumq; frigidius reddit, & hypochondria glabra, nisi & hic cor dominetur.

Signa calidæ, frigidæ, humidæ, & siccæ temperaturæ testiculorū. Cap. XLV.

*Testiculorū temperaturas significantia.*

Temperatura uerò testiculorum, calida quidem, procliuis ad uenerem, masculorumq; productrix, atq; fœcunda. Eadem celerrimè genitales partes obsepit pilis. Frigidior uerò cōtraria efficit. At humida, multo & humido semine abūdat. Sicca, paucum & modicè crassum generat semen.

Signa calidæ & siccæ temperaturæ testiculorum. Cap. XLVI.

*Testiculorum calidorum & siccorum indicia.*

Calidior uerò & siccior, crassissimum semen habet, & fœcundissima est, ac celeriter ab initio protinus ad coitū excitat animal. Sed & hæ genitales partes citissimè hispidæ fiunt: atque omnes quæ circumstant, suprà quidem, usq; ad umbilicū: infrà uerò, usq; ad media femora. Petulca igitur est, & ad libidinem prona, eiusce modi temperatura: statim uerò satiatur, & si cogatur, offenditur.

Signa calidæ & humidæ temperaturę testiculorum. Cap. XLVII.

*Testium calidorum & humidorum indicia.*

Sin autem caliditas humiditati iungatͬ, hirsuti quidem tales minus, plus uerò semine abundant: non tamen plus cæteris appetunt, sed minori detrimento prȩter modū uenereis indulgent. Quòd si caliditas & humiditas abundanter exuperauerint, non sine detrimento à uenereis abstinent.

Signa humidæ & frigidæ temperaturæ testiculorum. Cap. XLVIII.

*Testium frigidorum & humidorum indicia.*

Si uero frigidiorem & humidiorem temperaturā testiculi habuerint, partes circumpositæ glabræ sunt, & tardè rem exercere ueneream incipiunt, nec proni ad actum huiuscemodi sunt. Aquosum uerò et tenue ipsis est semen, infœcundumq;, et fœminarū generatiuū, uel omnino nō generās.

Signa frigidæ et siccæ temperaturæ testiculorum. Cap. XLIX.

*Testium frigidorum & siccorū indicia.*

At frigidior & siccior tēperatura, similia quidē in reliquis est antedictæ: crassius tamen in ipsa semen existit, atq; paucum omnino.

De totius corporis habitu. Cap. L.

Totius corporis habitus in illis maximè cōsistere dicitͬ partibus, quæ primæ oculis subijciuntur. Sunt uero hæ, musculi, qui omnia ambiunt ossa, existentes quædā carnes compositæ, ex prima et simplici carne, et prȩterea fibris, quibus innascuntur.

*Musculorū substantia ex quibus constet.*

Propria siquidē musculorū substantia cōstat ex his duobus. Quȩ uero ad ipsos uasa pertingūtͬ, ueluti riui quidam sunt, qui non substantiam cōplent, sed eis subministrant, ut in uita permaneāt.

Signa moderatæ temperaturæ. Cap. LI.

*Temperamenti moderati indicia*

Moderatæ temperaturæ indicia secundum totum animalis habitum, sunt: color quidem ex rubeo et albo commistus: capilli flaui, & ut plurimū mediocriter crispi: carnositatisq; mediocritas in qualitate et quantitate. Medium nanq; est exquisitè, ac ueluti Polycleti regula, huiuscemodi corpus, inter omnes excessus, ceu ad quod ipsi & dicantur, & cognoscantur.

De corpore calidiore. Cap. LII.

*Temperatura calidiorū indicia.*

Quæcunque autem in caliditate à medio recedunt, non tamen in humiditate, uel siccitate, hæc quantum ad carnosum genus attinet, uidentͬ quidem tangentibus calidiora tantùm, quantùm & eorū temperatura calidior. Tantò uerò magis hirsuta sunt, quantò & calidiora, & minus pinguedinis habent. Colorem autem rubrum, & capillos nigros sortiuntur.

Signa frigidæ temperaturæ. Cap. LIII.

*Tēperatura frigidiorū indicia*

Frigidioris autem temperaturę indicia sunt, pilorum priuatio, pinguitudo, & occursans frigiditas. Color autem, unà cum capillis, ruffus, & ubi frigiditas excesserit, liuidus quodāmodo existit.

Signa siccæ temperaturæ. Cap. LIIII.

*Temperatura siccorū indicia.*

Siccior temperatura tantò gracilior & durior est bona temperatura, quantò maior est siccitas.

Signa humidę temperaturæ. Cap. LV.

*Temperamenti humidiorū indicia.*

Humidior autē temperies, carnosior atq; mollior existit.

Signa calidæ & siccæ tēperaturæ. Cap. LVI.

*Tēperatura calida & sicca indicia.*

Calidior simul & siccior, magis hirsuta, necnō calida & dura existit: itaque pinguedine caret, tenuisq; est, & capillos nigros sortitur. Si uerò multùm in caliditate excellat, color quoque niger illi adest.

Signa calidæ & humidæ tēperaturæ. Cap. LVII.

*Tēperatura calida & humida indicia.*

Calidior autͬ & humidiorē temperatura, mollior & calidior & carnosior tantò existit bona temperie, quantùm & utrisq; qualitatibus aucta fuerit. Quòd si plurimum augeatur, citò similiter à putredinis corripitur morbis. * Si uerò parum quidem humidior sit, multò autem calidior, molliores quidem parum huiuscemodi sunt, ijs qui bonam habent temperiem, & magis carnosi: non parum uerò hirsutiores, & tangentibus etiam nō parum calidiores. Nigri uerò eis sunt capilli, & caro pinguedine caret. Sin autem paulò quidem calidior, multò uerò humidior, mollis his caro est, & multa: colorq; miscellaneus, ex albo simul & rubeo: tangentibusq; paulò calidiores apparent. In summa autē, omnibus temperaturæ coniugationibus, semper excellentis qualitatis indicia eminebunt.

Signa frigidæ & humidæ temperaturæ. Cap. LVIII.

*Tēperatura frigida et humida indicia.*

Frigidior autem atq; humidior temperatura, si parum quidem utraq; augeatur, capillis nuda est & alba, mollisq;, & crassa, & pinguis. Si uerò magis excesserit, reliqua quidem sunt secundum proportionem qualitatum auctarum: color autem, unà cum capillis, ruffus. Quemadmodum si plurimùm utraq; augeatur, liuidus. Si uerò qualitatum augmentum inæquale fuerit, eius quæ superauerit, indicia eminebunt.

Signa frigidæ & siccæ temperaturæ. Cap. LIX.

*Tēperatura frigida & sicca indicia.*

Si autem frigiditas unà cum cum siccitate augeatur æqualiter, natura durum ac tenue & glabrum corpus sic affecti sortiuntur, ac tangentibus frigidum: pinguedo tamen ipsis, etsi graciles sint, per carnes dispersa inest. Capilli autem & color, frigiditatis modum, ac proportionē sequūtur. Vbi uerò calida & sicca temperatura, per decremen-

crementi tempus, in frigidũ & ſiccum labitur habitum, graciles hi tunc fiunt, & duri, atq; atra bilis in eis dominatur: & ob id nigri ſimul, hirſutiq; euadunt. In uniuerſum autem, ſi membrum facilè frigeſit, uel frigiditatis, uel raritatis eſt ſignum: ſi uerò non facilè, uel caliditatis, uel denſitatis. Si à deſiccantibus offendatur, atq; aridum & ſiccum, nec facilè mobile fiat, ſiccitatis: quemadmodum & ſi ab humectantibus grauiter ſe habeat, humiditatis. Porrò pauca ſimul & dura caro, membrũ ſiccius efficit: multa autẽ & mollis, humidius. Sic & intermedia ſpacia corporũ ſimilarium, ut plus uel minus humidæ ſubſtantiæ in ſe continent, uel craſsius uel tenuius, uel humidius uel ſiccius, mẽbrum oſtendunt: humidius quidem, ubi ſubtilior & plurima eſt humiditas: ſiccius uerò, ubi craſſior ſimul & minor. Ipſæ enim ſolidæ partes, quæ uerè ſolidæ ſunt ac primæ, nullo modo effici humidiores poſſunt: intercepta autem in ipſis ſpacia, hac uel illa humiditate cõplere poſsibile eſt. Hoc uerò eſt proprium partiũ ſimilariũ alimentũ quod ex appoſitione fit, & non per uaſa attrahit.

*Solidas partes nõ poſſe ullo modo humidiores effici.*

*Solidorum corporum alimentum quod ſit.*

Signa ſicci uentriculi. Cap. LX.

*Ventriculi ſicciorum indicia.*

Ventriculi indicia ſunt, eius quidem qui natura ſiccior exiſtit, ſi celeriter ſitibundi fiant, & paucus eis potus ſufficiat: à plurimo autẽ aggrauentur, fluctuationibusq; infeſtentur, aut ſuperfluitet id quod abundat, cibisq; delectentur ſiccioribus.

Signa humidioris uentriculi. Cap. LXI.

*Ventriculi humidioris indicia.*

Humidioris autem, ſi neq; ſitibundi fiant, & ſuperabundans humidũ facilè tolerent, & cibis humidioribus gaudeant.

Signa calidi uentriculi. Cap. LXII.

*Ventriculi calidioris indicia.*

Calidior uerò natura uentriculus, melius quidem cõcoquit quàm appetat: & multò magis quę cunq; ſunt dura, & non facilè alterationem ſuſcipiunt. Nam quæ facilè alterantur, in eo corrumpuntur: gaudetq; calidis potibus ac cibis, nec à frigidis ullam percipit noxam, ſi modicè ipſis utaẽ.

Signa uentriculi frigidi. Cap. LXIII.

*Ventriculi frigidi indicia.*

Frigidus natura uentriculus, ad appetendum quidem plurimùm uiget, ad concoquendum autem, minimè: tales præſertim cibos, qui & frigidi ſunt, & non facilè alterationem ſuſcipiunt. Citò itaq; in ipſo aceſcunt: ac proinde acidis ructibus talis uentriculus abundat plurimùm: gaudetq; frigidis, ſed ab eorum uſu immodico offenditur. Sic & ea quę extrinſecus frigida occurſant, nequit longiori tempore tolerare: quemadmodum neq; calidus calida. Malæ uerò temperaturę, quæ morbi ratione uentriculũ occupant, hoc differunt ab ijs quę naturales exiſtunt, quoniã contraria, non autem ſimilia, appetũt, quemadmodũ naturales.

*Intẽperies morboſa, à naturalibus intemperãtijs quo differãt.*

De ſiti à corde & pulmone profecta.

Cap. LXIIII.

Nec uerò tantùm uentriculus ſitibundos, minimeq; ſitientes reddit, & frigidi calidiq; potus appetentiores, ſed ea quoq; uiſcera quæ in thorace ſunt, ut cor atq; pulmo. Cæterùm qui ob horum ſitiunt caliditatẽ, plus inſpirant, & longius expirant, atq; æſtum in thorace percipiunt: non ſicuti qui uentriculi ratione in hypochondrijs caliditatem patiuntur. Præterea bibentes, non ſtatim quieſcunt, & frigidus potus magis eorum ſitim reſtinguit. Refrigerat autem eoſdem & frigidi aëris inſpiratio, quæ nihil illos iuuat, qui uentriculi ratione ſunt ſitibundi. Sic qui contrario modo ſe habent, ſenſibiliter à frigida inſpiratione læduntur.

*Sitis à viſcerib. thoracis oborta quomodo diſtinguenda ab illa quam excitant ventriculus.*

Signa pulmonis frigidi. Cap. LXV.

*Pulmonis frigidi indicia.*

Et hoc maximũ ſit frigidi pulmonis indicium. Vt etenim frigidum inſpirantes, manifeſtè dolorẽ ſentiunt atq; frigiditatem, ita & caliditas eſt ipſis amica. Sed & pituitoſa excrementa tum loquentes, tum tuſsientes reijciunt.

Signa pulmonis ſicci. Cap. LXVI.

*Pulmonis ſicciorum indicia.*

*Vocem raucam quæ efficiant.*

Pulmonis autẽ ſiccitates excrementis uacant, & pituita: uocemq; claram efficiunt: quemadmodum humiditates obſcuram eam reddunt, ac raucam. Et quum uehementius aut acutius loqui ſtuduerint, tunc intercidunt excrementa.

De uoce. Cap. LXVII.

*Vocis magnitudo & paruitas ad quæ cõſequãtur.*

Non tamen ipſa uocis magnitudo à caliditate, ſicuti neq; paruitas à frigiditate oritur: ſed altera quidem aſperæ arteriæ latitudinem ſequitur, & uehementiorem efflatum: paruitas uerò, à contrarijs procedit cauſis. Quare nec ſemper, nec primò, ſed ex accidenti, & ſolas naturales temperaturas, non autem aduentitias, uocis magnitudo aut paruitas ſequitur. Quia enim talia inſtrumenta temperaturę ratione ſunt facta, ad hęc autem conſequitur huiuſcemodi uox: ob id nimirum contingit, ex uoce de naturali temperie ratiocinari.

De leni & aſpera uoce. Cap. LXVIII.

*Vox lenis aſperaq; quid conſequatur.*

Nam lenis uox, arterię lenitatem conſequitur, ſicuti & aſpera aſperitatem. Lenitas igitur arterię, moderatam temperiem ſequitur, ut aſperitas ſiccitatem. Aſperitas quippe fit à duri corporis inæqualitate. Arteriam uerò duram, ſimilarium partium, ex quibus conſtat, ſiccitas efficit: at inæqualem, diſperſæ in eiſdem humiditatis defectus.

De uoce acuta. Cap. LXIX.

*Voci acutæ grauiq; quæ requirantur.*

*Virtus vitiumq; cuiuslibet facultatis à temperie ipſa exoritur.*

Eodem modo neq; acuta naturaliter uox, ſine anguſtia faucium, nec grauis, ſine latitudine fieri poteſt. Anguſtia igitur ab inſita atq; innata frigiditate naſcitur: latitudo autem à caliditate. * Porrò cuiuſq; facultatis uirtus & uitium, à temperie ipſa, ceu à cauſa præcedente, exoritur.

De homine pituitoſo bilem uomente.

Cap. LXX.

*Bilem cur pituitoſi nonnulli aſſiduè vomant.*

Vidi equidem hominem, cuius totus habitus pituitam præ ſe ferebat, quotidie tamen bilioſum euomebat humorem. Cenſui itaq; inſpicienda alui excrementa eſſe, in quibus minimè apparebat bilis. Quare coniectura quadam comprehendi, eum meatum, qui bilioſum humorem egurgitat, non minimã ipſius partem ad * imum orificium uentriculi, quod Græci pyloron uocant, effundere, ut in quibuſdam animalibus cernitur. Plurimùm itaq; ad eorum quæ latent ſenſuũ cognitionem conducit, ea quæ ex ſectionis inſpectione habet peritia, operationumq; atq; utilitatũ inuentio.

Quomodo cognoſcantur ægrotantia

corpora. Cap. LXXI.

*Aegrotãtes particulas agnoſcẽdi ratio.*

Vbi igitur iam corpora ęgrotant, ipſorum partes quæ quidem ſubijciuntur ſenſui, ſunt dignoſcendæ ex eorum quæ inſunt eis ſecundum naturam permutatione, in magnitudine, colore, figura, numero, ſitu: & ea quæ eſt ſecundum duritiem, mollitiem, frigiditatem, & humiditatem, differentia. Quę autem uiſum effugiunt, ex operationum læſionibus, aut ijs quæ excernuntur, aut dolori-

bus, aut tumoribus præter naturam, aut horum quibusdam, uel omnibus.

De figuris patientis cerebri. Cap. LXXII.

*Cerebri morbi quomodo dignoscendi.*

Igitur cerebri ægras dispositiones, aut ex despiennæ speciebus, aut sensuum, aut imaginationum læsionibus, aut actuum qui secundum electionem fiunt, aut ex ijs quæ excernuntur per palatum, uel nares, uel aures, aut ex dolorum, qui ei eueniunt, differentijs, cognoscere oportet.

Signa cordis patientis. Cap. LXXIII.

*Cordis morbi unde noscātur.*

Quę uerò in corde fiunt, ex difficilis anhelitus speciebus, & tremulis motibus, qui ipsi contingunt, & pulsibus quoque eius & arteriarum, & ex iræ excandescentiis celeritate uel tarditate, & ex febribus, & refrigerationibus, & in colore differentijs, eisque, quibus conflictatur, doloribus.

Signa patientis hepatis. Cap. LXXIIII.

*Hepatis affectus unde sint cognoscendi.*

Quæ in hepate fiunt, ex defectu humorū atque abundantia, & ad id, quod præter naturam est, euersione, & colore malo. Sed & ex grauitatibus, & tumoribus, & doloribus, non modò his qui in eo ortum habent, uerùm & ex illis, qui consortij lege proueniunt: ut per aliquam difficilis respirationis, aut etiam tussis speciem.

Signa patientis uentriculi. Cap. LXXV.

*Ventriculi affectus quo pacto deprehendendi.*

Sic & uentriculi affectus agnoscit, ubi in concoctione, & appetitu humidi uel sicci alimēti, uel superfluitatū excretione, delinquitur. Nec secus ex singultibus, eructationibus, nauseis, uomitibus, & ipsis eorum quæ uomuntur, speciebus.

Signa patientis thoracis. Cap. LXXVI.

*Thoracis affectus unde sint dignoscendi.*

Thoracis dignoscunt affectus ex spirandi difficultatibus, tussibus, & doloribus qui in ipso fiūt, & ex eorum quæ cum tussi expuuntur, differentia. Sic & asperæ arteriæ ægritudines, spirationes difficiles, & tusses, & dolor in loco, & quæ expuūtur, & uocis offensiones ostendūt. In uniuersum autem, ex tumore, dolore, operationum læsione, & excrementorum differentia, omnium patientium affectus noscuntur. Tumores igitur præter naturam, in inflammationibus, scirrhis, atque ijs quæ uocantur œdemata, explorandi sunt. Dolor autem, quemcunque obsederit locum, aut solutam continuitatem, aut subitam alterationem, indicat. Soluitur autem continuitas incisione, exesione, fractione, & tensione. Alteratur uerò substantia à caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate. Tripliciter autem lęditur operatio: aut quia debiliter, aut quia uitiosè, aut quia nullo fit modo. At uerò quæcunque excernuntur, nonnulla quidem sunt ueluti partes locorum patientium, non nulla uerò ceu excrementa. Etenim quæ in ipsis naturaliter continent, singula propriam facient indicationem.

*Dolor quid indicet.*

*Solui unitas quot modis possit.*

*Operatio tripliciter læditur.*

*Excretorū differentia.*

Signa futurę ægritudinis. Cap. LXXVII.

Eorum autem indicia, quibus ægritudinis periculum imminet, mediam formam habent inter ea quæ sanis & ægrotantibus accidunt. Siquidē sanis omnia secundum naturam insunt: prēter naturam uerò ægrotantibus, quatenus ęgrotant. In confinio autem horum, indicia neutrorum consistunt. Quocirca dispositiones corporum, quæ ca sura in morbum uidentur, sunt ex neutrorum genere, simulque etiam quæ ipsa indicant signa. Primò siquidem hæc sanitatem ostendunt, secundò autem ægritudinem. Ac proinde eadem signa secundum habitudinem, quæ ad aliquid est, neutra & insalubria dicuntur: quæ quidem præsentem dispositionem ostendunt, neutra: quæ uerò futuram præmonstrant, insalubria. Eadem uerò ratione, & quæcunque ęgrotantibus signa salutaria apparent, dicentur quidem salubria, quia futuram sanitatem ostendunt: ægra autem, quatenus præsentem indicant ægritudinem. Nec in ambiguo est, quòd quæ sunt utrorumque indicantia, neutra dicantur, secundum unum quoddam neutrius uocabuli significatum. Quum igitur eorum signorum quæ futuram ægritudinem indicant, duplex sit differentia, prius ea pertractemus, quę quantitatibus, uel qualitatibus, uel temporibus, non autem proprijs speciebus, ab eo quòd secundum naturam, euariant: ueluti ciborum appetentia intenta, uel dissoluta, uel quæ non seruat consuetum tempus, aut quæ ad edulia non usitata fertur. Ad hoc etiam genus pertinent excretiones cibi superfluitatum, quæ aut pauciores, aut plures, aut humidiores, aut duriores existunt. Sic humidiorum excrementorum uel defectus, uel præter consuetudinē abundantia, aut in colore, aut in cōsistentia uarietas, aut in excretionis tempore. Præterea uigiliæ plures, somnique: aut non cōsueto tempore obiti. Eodem modo potus pluris aut paucioris, calidi aut frigidi insolens appetitus, uenereorumque immodica aut intempestiua concupiscentia. Ad hæc plures aut pauciores sudores his qui sunt opportuni, & ad motus torpor: uel si mouerit tērauerint, tarditas, exolutioue insignis. Huc pertinet menstruorum suppressio, uel immodica, aut diminuta euacuatio. Similiter de fluxu hæmorrhoidum est distinguendū. Quòd si non eadem quę prius ex cibo potuque uoluptas capiatur, est futuræ ægritudinis signum: quemadmodum hebetudo mentis sensuūque minimè naturalis aut obliuio insolita, somniue turbari imaginibus. In summa uerò, quæcunque secundū naturam inerāt, hęc quidē supra modum aucta, hęc uerò imminuta, hæc tēporibus quibusdā, aut qualitatibus, aut quātitatibus immutata, futuros morbos prænunciant. Porrò morsus uentris, uel in ore uentriculi, uel in aliquo intestinorum, aut quum aluus subducitur, aut quum uomitus excitatur, aut quum mingitur, siue alius aliquis dolor mediocris, ex genere quidem existit eorum quæ præter naturā: non tamen qui sic se habent, ægrotare dicuntur: si cuti nec qui capite grauantur, aut dolent, aut uigilant: quum nondum solitæ ipsorum impediuntur operationes. Hic siquidem in huiuscemodi operationibus terminus est. Atque idcirco in eo quod ad aliquid, eandem dispositionem ægram atque neutram dicemus. Nam pro uigore potentiæ, quæ uel facilè sustinet, uel uincitur, unaquæque ex his quas antea diximus, uel morbus est, uel dispositio neutra. Sic & quæcunque in sensibus, non in eo quod magis aut minus inuicem differunt, sed toto genere sunt præter naturam, signa morborum existunt, quandiu modica fuerint, ac nondum sufficiunt hominem à consuetis operibus amouere. Ea autem contingunt, ubi sensus ipsi circa sensibilia propria palàm hallucinantur.

*Morbum futurū signa indicātia ex neutrorū genere existunt.*

*Ægritudinē futuram indicantium signorum natura duplex.*

*Morbos futuros prænunciāt quæ à natura ordine recesserunt.*

Signa corporum ægrotantiū. Cap. LXXVIII.

At quæ iam in ægrotātibus signa uidenť, non nulla

nulla quidem salutem, nonnulla mortem portendunt. Ac prima sanè salubria: secunda uerò, genere quidem ægra, secundum speciem autem, perniciosa dicuntur. Sumuntur autem, ut dicamus uniuersaliter, ex operationum uirtute ac uitijs: secundum partem uerò, ex particularium operationibus: quarum genera prius diximus. Porrò excrementa, quandoquidem coctionis & cruditatis signa continent, fieri nō potest quin omnino significent, aut naturam materiei, aut materiam naturæ, aut neutrum alteri dominari. Salubria igitur signa dicentur, superante natura: insalubria uerò, deuicta. Neutra autem, quę pugnas habent æquales. Cæterùm quæ manifestam coctionem indicant, ex salubribus sunt: sicuti quæ cruditatem, ægra. Quæ uerò neq; coctionem nec cruditatem, ex neutrorum natura existunt. Sunt uerò & neutra, quæcunq; nunc quidem hoc, nunc uerò contrarium significant: ueluti denigrati digiti. Ac talia sanè sunt decretoria accidentia.

*Signa salubria.* *Signa perniciosa.* *Excrementa quid indicent.* *Decretoria accidentia.*

De causis salubribus, insalubribus, atq; neutris. Cap. LXXIX.

Quoniam uerò causarū hæ quidem salubres, hæ autem insalubres, hæ denique neutræ: primùm de salubribus differemus. Cæterùm quandoquidem nonnullæ earum conseruatrices, nonnullæ effectrices existunt: suntq; & tempore & dignitate priores conseruatrices, ab illis nobis est auspicandum. Quum igitur non unum tantùm sit sanum corpus, sed plura, in eorum singulis propria erit causa conseruatrix. Siquidem omnis causa, in eo quod ad aliquid, est. Hic igitur denuò sumendum initium ab optima corporis constitutione: & quæ illi salubria sint, considerandum. Eorū autem inuentionē ipsius rei natura indicat.

*Salubrium causarum differentia duplex.*

Quot modis alteretur corpus.
Cap. LXXX.

Secundum quot igitur corpus nostrum alteratur modos, tot causarum conseruatricium genera habebit: quas liquet etiam correctrices existere. Alteratur autem corpus, à nonnullis quidem necessariò, à quibusdam uerò non necessariò. Necessariò enim alterant, quæ nulla ratione euitari possunt: non necessariò autem reliqua. Nam aërem quidem ambientem semper attingere, comedere, bibere, uigilare, & dormire, est necesse: ensibus autem, & exitialibus feris occurrere, non item. Quare iuxta primum causarum genus uersatur pars corporis conseruatrix, circa secundam autem minimè. Quot igitur sint ea quæ ex necessitate corpus alterant, distinguentes, proprium in singulis eorum causarum salubrium genus inueniemus. Inest igitur unum ex ambientis aëris adhæsu. Alterum, ex motu & quiete totius corporis, & singularum particularum. Tertium, ex somno & uigilia. Quartum, ex his quæ assumuntur. Quintum, ex ijs quæ excernuntur & retinentur. Sextum, ex animi affectibus. Ex his itaq; necesse est aliquo modo affici corpus. Ab aëre quidem ambiente, quia uel calfit, uel frigefit, uel exiccat, uel humectatur, uel secundum horum pantur cōiugationem, aut in tota alteratur substantia. Ex motu uerò & quiete, quum utraque modum excesserint, aut calfactum, aut frigefactum, aut humectum, aut exiccatū, uel aliquid secundum horum patiens coniugationem. Sic & ex somno & uigilia ipsum pati est necesse, iuxta eandem rationem. Præterea & ex animi affectibus, & ex ijs quę assumuntur, aut excernuntur, aut retinentur. Hæc siquidem omnia, partim quidem euidenter, partim uerò per alias causas medias, alterant corpus, & sanitatē corrumpunt. Omnia igitur nunc dicta genera, materiæ quædam sunt salubriū causarum. At usu opportuno adhibito, causæ fiunt conseruatrices, atq; salubres: si uerò à modo aberrauerint, redduntur insalubres. Quocirca singulæ earum rerum, quandoq; salubres, quandoque insalubres sunt, quum ad aliquid referanē. Quippe ubi motum corpus desiderat, exercitatio quidem salubris, ociū uerò insalubre existit. Quum uerò eget quiete, ocium salubre est, insalubris autem exercitatio. Eodem modo de cibis & potibus, ac de alijs omnibus statuendū. Horum nanque singula, quando ut necessitas corporis exigit, cum mensura, & opportuna qualitate adhibentur, salubria fiunt. At quum citra omnem necessitatem, ac præter modum afferuntur, insalubria. Atque hæ duæ sunt circa salubre & insalubre intentiones: res scilicet, quæ adhibetur, qualitas, & quantitas. Non est autem rationi consonum, etiam temporis occasionem, quæ in ijs quæ dicta sunt, continetur, uelut tertium aliquod ab eisdem diuersum, introducere. Nam si tanta & tali re allata egeat corpus, nemini dubium est quin etiam in tempore opportuno afferatur. Siquidem inde temporis occasio est nata, quòd fluxile & transmutabile mortale corpus quum sit, pro modo transmutationis, alia alio tempore auxilia postulet. Optimæ igitur corporis constitutioni, quū circunfusus aër optimè temperatus fuerit, omnium earum rerum, de quibus nuper sermonem fecimus, quantitas moderata conueniet. Quum uerò aër à temperie recesserit, tantùm illas à mediocritate euariare oportet, quantus fuerit aëris ab optima temperatura recessus. Hi uerò mediocritatis termini existunt: in aëre quidem ambiente, ut neq; horreat propter frigus, nec sudet propter æstum. In exercitijs autem, quum primùm lassari cœperit corpus, confestim quiescere. At in cibis, coctionis perfectio, & excrementorum modus, in quanto & quali cōueniens. Aequalis uerò in his quodāmodo est coctioni appetitus. Optima quippe natura, quantū appetit, tātùm etiā cōcoquit. Sic & somno modū ipsa natura præfinit his, qui optimam corporis constitutionem sortiuntur: nam ij tunc à somno excitantur, quum corpus ampliori quiete non eget. Quumq; talem uictus rationem adhibuerint, nullum est in eorū excrementis delictum, quæ uel per uentrem, uel urinæ meatum, uel per totum corpus uacuantur. Liquet igitur ipsos cauere debere ab immodicis animi affectibus, ab iracundia uidelicet, tristitia, furore, timore, & inuidia. Hęc siquidem alterant, atq; à naturali statu corpus immutant.

*Conseruatrices causæ quot sint.* *Corpus necessariò alterantia quæ sint, et quot numero.* *Aër cur nos afficiat.* *Motus.* *Quies.* *Somnus.* *Vigilia.* *Animi affectus.* *Salubrium causarum materia quæ sint.* *Intentiones circa salubre insalubreq; sunt qualitas exigendorum & quantitas.* *Occasio temporis.* *Mediocritatis termini in quibus uti corpus debet.* *Natura optima quantum appetit tantum concoquit.*

De uenereis. Cap. LXXXI.

Venereorum uerò iuxta Epicuri sententiam, nullus est usus salubris. Re uera autem confert, si tantum interualli in eorum usu adhibeatur, ut nec resolutio aliqua percipiatur, & ipse seipso homo quodammodo leuior factus, ac melius spirare uideatur. Tempus autem ad utendum opportunum, quum in omnium rerum circunstantium

*Venus quatenus sit salubris.* *Venerijs tēpus aptum quod sit.*

exquisita mediocritate corpus fuerit constitutũ, ubi scilicet nec supra modum plenum, nec uacuũ extiterit: aut in calore, aut frigore, aut siccitate, aut humiditate excesserit. Quod si aberrare contigerit, paruus sit error. Melius autem illi calefacto magis quàm frigefacto, & pleno quàm uacuo, & humecto potius corpore, quàm exiccato, uti uenereis. Horum autem singulorum quæ dicta sunt qualitas, in * optima corporis constitutione est eligenda: exercitij quidem, in quo totius corporis partes æqua proportione mouentur, ita ut non aliæ quidem ultra modum fatigentur, aliæ uerò citra. Cibi autem & potus optimam habeant temperiem. Eadem in reliquis etiã est ratio habenda. At si ab optima constitutione aliquod defecerit corpus, non autem uehementer, & hæ quæ ipsius sanitatem conseruant causæ, ad proportionem mutabũtur. Sed quum multa sint huiuscemodi corpora, per singula genera est seorsum dicendum. Quod igitur in partium similarium temperie euariat, instrumentariarum autem partium seruat cõmensurationem, duplicem habet salubrium causarum formam: alteram quidẽ earum quæ ipsius conseruant temperiem, alteram uerò earum quæ ad optimam transferunt. Quæ itaq; ipsius temperaturam conseruant, tantùm à causis optimè temperatæ naturę distabunt, quantùm & totius corporis temperatura ab illa euariabit. Calidiora siquidem corpora, calidiorem uictus rationem postulant, frigidiora autem frigidiorem, ficciora ficciorem, & humidiora humidiorem. At secundum coniugationem, calidiora & ficciora, calidiorem simul atque ficciorem: eadem in reliquis quoque coniugationibus proportione seruata. Rectè siquidem causarum utetur materia, qui naturales earum potentias agnouerit: uidelicet quòd motus, alimenti penuria, uigiliæ, excretio, & omnes animi affectus, corpus exiccant: at quæ hisce contraria existunt, humectant. Ita uerò & calfacientia, & refrigerantia uitæ instituta, & ciborum, ac potuum, utq; simpliciter dicam, omnium quæ corpori afferuntur, materias quis noscens atque potentias, salubribus utetur causis, similia similibus adhibendo, si quidem eandem in qua acceperit, seruare corporis temperiem sit animus. Quòd si permutare, atque ad melius eam traducere studeat, alterum est hic salubrium causarum genus, his quidem quas nuper diximus, contrarium: æqualiter uerò declinans ad alterã partem à bene tẽperatis & medijs, quæ optimis naturis cõueniunt. Calidior siquidẽ & siccior temperatura, à calidioris ac siccioris uictus ratione, ad exactissimum bonæ temperaturæ habitum non transfertur. At talium erit usus necessarius, quæ tantùm eis quæ probè temperata existunt, frigidiora atq; humidiora sint, quantùm & natura naturam, in caliditate & siccitate superabat. Nam tale causarum genus insitas corrigit intemperantias: alterum uerò de quo suprà diximus, temperaturam conseruat. Est autem utriusque uicissim apud medicos usus necessarius. Nam quum plurimum suppetit ocij, corrigere oportet, ac sensum ad meliora transferre. Neque enim natura patitur repentinas alterationes. Hominem autem occupationibus necessarijs districtum, in eodem præstat habitu conseruare. Porrò quæ similem habent in omnibus corporis partibus intemperiem, eadem egent procuratione: dissimili, quæ dissimilem.

*Optimè constitutæ naturæ omnia requirit mediocria.*

*Exiccantia corpus quæ sint.*

*Similia similib. esse adhibenda, dum seruare corporum temperamenta est animus.*

*Intemperantia quando ad meliora sint traducenda, & quando sic conseruãdæ.*

De causis salubribus partium instrumentalium. Cap. LXXXII.

Instrumentariarum autem partium causæ salubres, quatenus & hic ab optima constitutione delinquitur, ita & inuicẽ distabunt. Aliæ nanq; sunt salubres erroribus qui in formatione consistunt: aliæ ijs qui in magnitudine, uel numero, uel positu. In formatione igitur plures contingunt errores: nam & figura partis, & si qua in ea cauitas est secundum naturam, uel meatus, uel orificium, uel asperitas, uel lenitas, si quidem parum à naturali symmetria recesserint, salubrium corporum retinent appellationem: si uerò amplius, insalubriũ. Quòd si tantus fuerit recessus, ut operationi afferat detrimentum, iam ægrotare dicentur. Secundum quantitatem autem, excessus atque defectus ad easdem ducit differentias. In numero uerò, siue una, siue plures, quęcunque ex similaribus partibus fuerint, aut deficiãt, aut superabundent. Ex hoc genere etiam sunt, quæcunque in nobis substantiæ præter naturam consistunt. Reliquum est aliud genus, quod ad situm cuiuslibet simplicis attinet partis, in quo & ipso quatuor sunt omnes differentiæ. Prima quidem, quæ optima existit. Secunda, quæ parum euariat, ob idq; salubre adhuc efficit corpus. Tertia, quæ insalubre, quando amplius à modo recesserit. Quarta, quæ iam ægrum recessu plurimo reddit. Quæcunque igitur partes in figura delinquunt, ueluti quę blæsæ, uaræ, & obliquæ appellantur, hæ, quum fœtus nuper natus atque tenellus est, formatione & ligatura, ad naturalem habitum traducuntur. At si iam aucto infante, ad duritiem peruenerint, emendari non possunt. Sic errores quidem qui ad cauitatem attinent, quum adhuc augeri perseuerãt, correctionem admittunt. Quum autem iam ad ultimum peruenerint, nullus est remedio locus. Cauitates igitur quiete atq; alligatione paruæ redduntur: magnæ uerò, partium operatione, & retentione spiritus. Sic & quæcunq; foramina, oraq;. Et quidẽ quæ naturalem magnitudinẽ partes exuperant, quiete, ac cõmoda ligatione, minores reddunt: augentur aũt & naturali motu, & frictione moderata, & quibuscũq; alijs plus sanguinis cõciliare ualẽtibus. Deficiẽtes aũt partes, quæcunq; ex sanguine duxerũt originem, corrigi quidem non est impossibile. Quę uerò ex semine, propèmodum impossibile existit. Licet tamẽ aliquando loco earum alias facere, quæ usum haud dissimilem præstent. Earum uerò omniũ natura opifex est, medicus aũt minister. Porrò quæ numero excedunt, ijs ablatio, causa salubris existit. Inspicere uerò oportet, in quibus id fieri possit. Nam si impossibile appareat, transponere tentandũ est. Eadem est & eorum, quę in situ uitia sunt, emendatio. Nec uerò in ambiguo est, quòd duo sępius aut tria uitia, eandẽ possunt partẽ cõprehendere. Reliquũ est id morbi genus, q̃ similarib. & instrumentalibus partibus existit cõmune, unitatis diuortium.

*Errores in formatione, quotuplicater consistere possunt.*

*Partes ex sanguine ortas posse corrigi si deficiant: ex semine autem ortas, ut instaurẽtur, esse ferè impossibile.*

*Naturã esse opificem generationis particularũ. Medicus naturæ minister.*

De causis salubribus ceu ad eos, qui morbo tenentur. Cap. LXXXIII.

Salubrium causarum, alię quidem occurrunt

*in

* intemperiei iam genitæ: aliæ illi quæ in generatione conſiſtit:aliæ illi, quæ futura eſt. Igitur harum quæ ſunt poſtremæ, hæ quidem in præſeruatiua artis parte continentur, hæ uerò in ſalubri. Primæ autē illę inter omnes, in curatiua tantummodo: at illæ quas inter utraſq; collocauimus, in præſeruatiua ſimul & curatiua. Siquidem factam iam ægritudinem curare oportet: eam uerò quæ nondum adeſt, ſed futura eſt, prohibere ne fiat, ab ea quæ eſt in corpore diſpoſitione. Eius autem quæ adhuc fit, quod quidem factū eſt, curare expedit: quod uerò futurum, prohibere ne fiat. Prohibebitur autem, ſublata ea diſpoſitione * quam ſequi morbus natura eſt aptus. Talis etenim diſpoſitio, cauſa antecedens dicitur. At facta iam ægritudo curabitur, ſoluta ea diſpoſitione, à qua primùm læditur naturalis functio. Quā ſanè ipſam diſpoſitionem, morbi cauſam uocamus.

De communiſsima intentione curatiua. Cap. LXXXIIII.

*Curationis ſcopus.*

Curatio uerò unum præcipuum cōmuniſsimumq; habet ſcopum, nempe tollendæ diſpoſitioni contrarium. Ex hoc ſiquidem genere ſunt cauſæ illæ omnes, quæ ſanitatem efficiunt: particulatim uerò, ex unicuiq; diſpoſitioni contrarijs. Calido igitur affectui, cauſa frigida contraria exiſtit, frigido autem calida: eademq; in cæteris proportione. Etenim ſi omne immoderatum præter naturam eſt, moderatum uerò ſecundum naturam: neceſſe eſt omnino, ut immoderatum ab immoderato cōtrario, ad mediocritatem trahatur. Cæterùm ſecundum potentiam, non ſecundum imaginationem, calfaciens refrigeransq;, & alia id genus, ſunt accipienda. Fingamus itaq; in humoribus putreſcentibus febrem accendi. Indicatio in huiuſcemodi affectu, eſt euacuatio ſimul & alteratio: hæc quidem, quę putredinem finiat, manente adhuc ſubſtantia: euacuatio uerò, quæ totam ex corpore ſubſtantiam putrem educat. Sed dicta quidem alterationis ſpecies, concoctio exiſtit. Euacuationes autem fiunt, & per ſanguinis emiſsionem, & clyſteris uſum, & per urinæ uias, atq; eam quæ per cutim fit tranſpirationem: ac præterea per eam quæ fit ad partes oppoſitas attractionē, atq; ad alias propinquas deriuationem. Nam & ad hoc ipſum genus pertinet citare menſtrua, hæmorrhoideſq; aperire, ac deniq; expurgare per palatum & nares. In uniuerſum autem, ſi unamquanq; prius effectricem cauſam reſciderimus, dein uerò ad illam quæ ab eadem cauſa facta eſt, ægritudinem acceſſerimus, cauſarum ſalubrium inuentionē habebimus. At ſecundum compoſitas intemperies, ex ſimplicibus compoſitio cōmonſtrabit ſalubria præcepta. Etenim ſi decem quidem gradibus ad caliditatem maiorem ea quæ naturæ conueniat, labatur corpus, ſeptem uerò ad ſiccitatem maiorem, tunc ſalubrem cauſam in huiuſcemodi affectibus eſſe oportebit, decem quidem gradibus frigidiorem, ſeptem uerò humidiorem. Quòd ſi particula affecta in penitioribus locis ſit ſita, machinari oportet inſuper tale remedium ſalubre, cuius uis nequaquā in itinere antea exoluatur. Si itaq; calidius eſſe oportuerit eo quod eſt moderatū, non ſolùm tantam habeat caliditatem, quantam exigit morbus, ſed ultra eandē menſurā tantùm adijciatur, quantùm ex ſitu, ut pertingere poſsit ad locum patientem, ſit neceſſariū. Si uerò frigidius, nō ſimpliciter tantùm frigiditatem oportet augere, ſed & materia quoq; prius animaduertēda eſt. Si enim craſſa ſit, non admodū poterit penetrare ad profunda: ſed potius contrariū præſtabit effectum, ſpiſſando ſuperficiem, atq; denſando. At ſi tenuioribus partibus conſtet, poterit ſatiè plurimum ſubire profundum. Idem in humectantibus atq; exiccantibus accidit, in quibus craſsitudo & ſubtilitas partiū ſubſtantię inſpiciunda uenit. A ſitu itaq; loci, inuenit indicatio ſalubre remediū. A formatione autē & ſitu ſimul, quando effluxus ſenſibiles, atq; ad alium locū foraminibus patētes habuerint, aut his omnino caruerint. Quos enim effluxus ad principales efferri partes cognouerimus, auertemus, atq; ad illas impellemus, quæ minimè principatū obtinent. Porrò cauſarum quæ intemperaturam efficiunt, curatio fit per euacuationem. Nam ipſę intemperaturæ, ſola alteratione ſanantur.

*Immoderatum omne eſt præter naturam.*

*Febris putrida indicatio duplex.*

*Alteratio putridorum humorū concoctio eſt.*

*Euacuationum ſpecies.*

*Affectus in alto ſitos, vehementiorem medicamenti vim requirere, quā ex ſua ipſi natura poſtulent.*

*Auertendos effluxus eſſe à partibus principalibus, ad ignobiliores.*

Curatio ſolutionis continui in parte carnoſa. Cap. LXXXV.

Cōtinuitatis aūt ſolutionis curatio, intentionem quidē habet unionē, quæ in partibus quidē inſtrumentarijs impoſsibilis eſt, in ſimilaribus uerò non ſemper poſsibilis. Quandoq; uerò, ſicuti in carnoſis, ſanitas cōglutinatione perficitur. Ipſam uerò antecedit, ſi uulnus maius extiterit, partiū applicatio diſtantium, quæ ex formationis genere exiſtit. Vt aūt hæc ipſa firma & ſtabilis fiat, alligatio cogens in unum, & fibulæ & ſuturæ utiles ſunt. Coaleſcere autem facit ea quæ diſtant inuicem, ac priſtinam reſtituit unionem, ipſa natura. Noſtrum uerò opus eſt, primò quidem applicare extrema diſtantiū partium: ſecundò autem, quæ in unum coacta ſunt, ſic cōſeruare. At tertiò, cauere ne quid labris intercidat ulceris. Quartò deniq; ipſam partis ſubſtantiam conſeruare ſalubrem, id quod per mediocriter exiccātia fiet. Hæc igitur eſt ſolutæ continuitatis curatio, quum ipſa ſola ſeorſum in carnoſa parte conſiſtit.

*Vnio in partibus inſtrumentarijs ſolutis eſt impoſsibilis.*

*Vnionē carnis ſoluta, quæ præcedant.*

*Vnionem præſtat natura.*

*Soluta partis ſubſtantiā conſeruare mediocriter exiccantia.*

De ſolutione continuitatis in oſſe. Cap. LXXXVI.

At fractio eſt in oſſe cōtinuitatis diuortiū: quod quidem quantùm ad intentionē primā, inſanabile eſt: quò uerò ad ſecundam, quodāmodo recipit curationē. Prima igit intentio eſt coalitus partiū, qui ob oſsis duritiē fieri non poteſt. Secunda, alligatio, quæ fit callo ſupernato partes fractas circumligante. Calli aūt generatio, quā quidē ex materia & à natura fit, eſt & ad alia cōmunis. Quatenus uerò formā oſsi uicinā habet, ex eiuſdem fit alimento. Molle uerò & puerile os coaleſcere poteſt, ſed perrarò fit talis affectus, quin aſſo cietur alteri. Magna enim ex parte adiacētes muſculi, unà cum corporibus alijs, per fracturam oſsiū patiuntur. Quocirca & curationis intentio orit duplex: quarū altera quidem circa oſſa, altera uerò circa corpora adiacentia uerſatur. Quum igitur fracturæ ſanitas, callo adueniente fiat, ad huius autē generationem, proprij oſsis alimenti ſuperfluitatem naturæ ſuggerere oporteat, quæ quidē ſuperfluitas in qualitate & quantitate debet modum ſeruare, talis certè uictus ratio adhibenda eſt, quę influxurū oſsibus ſanguinē tantum ac talem pręparet, qualis & quātus generādo callo ſit opportunus.

*Fractura quod pertinet ad intentionem primam, eſt incurabilis.*

*Calli generatio*

*Oſſa puerilia coaleſcere poſſe.*

*Fracto oſſe ſimul affici muſculos.*

*Fracturæ ſanitas fit callo adueniente.*

*Fractura qualis victus ratio conueniat.*

### De punctura nerui & tendonis. Cap. LXXXVII.

*Punctura neruus, cur ad excitandam cōuulsionem sit prompta.*

*Punctura curatio.*

Nerui uerò & tendonis punctura, propter sensus uehementiam, & quoniam hæc pars principio cōtinuatur, prompta est ad excitandā conuulsionem neruorum: ac tum præsertim, quum nil extrorsum expirat, obcæcato cutis uulnere. Aperiendum est igitur, atq; exiccandū substantia tenui, quæ usq; ad ima nerui oblæsi possit descendere. In simplicibus igitur huiuscemodi affectibus, salubrium causarum forma talis existit. In compositis uerò complicatur ulceribus, prima quidem cauitas: quæ non differentia ulceris, sed est alterius ægritudinis genus, in quo facta est substantiæ iactura. Curatio autem in morbo duplici, duplicem exigit intentionē. Nam continuitatis solutio, unitate: substantiæ autem iactura, generatione indiget. Quòd autem primò quidem hunc affectum oporteat sanare, ac dein unitatem restituere tentare, ipsa natura rerum nos docet. Vbi uerò repletum ulcus iam fuerit, ad æqualitatemq; perductum, cute inducendum est: id quod si fieri non possit, saltem carne quæ cuti uicina sit, communiendum. Est autem huiuscemodi, quæ & sicca, & calli similitudinem præ se fert. Ad cicatricem igitur inducendam, necessaria exiccantia erunt, ac sine mordacitate astringentia medicamētā. Sic etsi sordities aliqua fuerit adnata, intentio abstergendi erit. Præterea si inflammatio aliqua uel attritio, uel scirrhus, uel tumor mollis & laxus, uel intemperies unà cum ulcere adsint, prius quidem eorum curationi insistendum est, ac dein ipsum ulcus curandum.

*Caui curatio vlceris.*

*Cicatrici inducenda, siccātia desiderari.*

*Vlceri si adsit tumor, hic prius curandus est, quàm succurramus illi.*

### De speciebus morborum qui iuxta formationē contingunt. CLXXXVIII.

Quod uerò ad figuræ permutationem pertinet, in ijs sanè qui adhuc crescūt, possibile est plurimarum partium peruersionem corrigere: in eis autē qui iam sunt aucti, minimè. * Scopus igit in ijs quæ curationē recipiunt, est, in contrariū peruersionis adducere. Si uerò fractione aliqua non rectè conformata, alicuius membri figura uitiata fuerit, cui substantia callosa innasci præuenerit, si quidem hæc adhuc recens extiterit, perfringere os compactū oportet, ac rursus rectè afformare, deinde callum superinducere.

*Peruersi membri curatio.*

### De obstructione. Cap. LXXXIX.

Est uerò & obstructio ex eodem morborum genere, fitq; ex crassis & lentis humoribus, unum & ipsa scopum habens morbum contrarium, uidelicet apertionem. Causæ autem salubres sunt, abstergentia & incidentia medicamenta. Quæ uerò fit ab stercore duro, intersepiente intestinū, obstructio, primùm quidem habebit duritiei remedium, ex humidis pinguibusq; clysteribus: postea demum ab acribus euacuationem exposcet. Quæ autem à lapide fit in uesica, subitò quidem illius transpositionem requirit: integræ uerò sanitatis gratia, incisionem & extractionem. At humiditatis quæ præter naturam continetur sanatio, in* exacta totius euacuatione cōsistit: quēadmodum etiam in suppuratis. Immodica autem repletio, immodica euacuatione curatur. Quæcunq; igitur in pulmone uel pectore cōtinentur, *educuntur quidem per tussim, sed à medicaminibus extenuantibus. Quæcunq; uerò in hepate, uel uenis, uel arterijs, uel renibus: aut per urinā, aut per * inferiorem uentrem. Sed per urinā quidem, ab ijs quæ uehementer extenuant: per uentrem uerò, ab eis quæ attrahendi aut aperiendi ora uim habent. Quæcūq; in superiori uentre comprehenduntur, per uomitum: sicuti quæ in inferiori, per subductionē. At quæcunq; sub cute, per sectionē, uel ignem, uel adurentia medicamenta. Sic aliquando etiam, quæcunq; in aliqua naturali cauitate, ut in thorace. Vt autem summatim dicam, quicquid præter naturam in aliquibus partibus continetur, eius sanationis intentio, est ablatio: uel si fieri hæc non possit, transpositio. Quæ uerò non sunt ex genere præter naturam, at quantitate damnantur, in his scopus detractio existit. At inuentio eorum, quæ ad ipsorum sanationem perducunt, partim quidem ex affectu, plurimum uerò ex ipsis affectis particulis sumitur.

*Obstructionis curatio.*

*Lapidis in vesica curatio.*

*Pectoris excrementa educi cū tussi à medicamentis tenuantibus.*

*Diuretica qualia esse debeāt.*

*Caustica in quibus vtendū medicamenta.*

### De asperitate & læuitate. Cap. XC.

Quæcunq; uerò partes, quòd exasperatæ sint, naturalem amiserint habitum, ijs læuitas naturalis restituenda est: ossa quidem læuigando, asperam uerò arteriam uel linguam leniendo, humidis quæ nihil mordeant, atq; lentorem habeant. At quibuscunq; læuitas inest non naturalis, cognata asperitas reuocāda est medicaminibus quæ sufficienter abstergāt, astringantq; parum. Quæcunq; uerò uel obstructiones, uel angustiæ meatuum, alios morbos sequūtur, eorū curatio prius est perficienda. Quòd si nonnulla ex proximè dictis inuicem complicentur, uarias habebunt indicationes. Si igitur in particulam aliquam tanta sanguinis copia confluxerit, ut uniuersæ ipsius uenæ intumescant, & distendantur, nonnihilq; in spacia uacua & intermedia trāsfundant, huius quidem affectus sanatio scopum habebit euacuationem: aut, ut apertiori utamur uocabulo, detractionem: quandoquidem morbus est immodica partis repletio. Itaq; necessarium est ut superfluitas uacuetur, aut retrocedens, aut per ipsam patientem particulam. Retrocedet autem, uel impulsa, uel attracta, uel transmissa, uel uno aliquo horum modorum, uel omnibus. Per locum uerò patientem uacuabitur, partim quidem manifestè, sensibiliterq;, partim uerò resoluta in uapores. Si igitur uniuersum corpus plus æquo plenum fuerit, per patientem locum minimè uacuare expedit. Nam si scarificationibus, aut sectionibus, sensibiliter aliquid euacuemus, plus ratione excitati doloris attrahemus in partem. Si uerò calfacientibus conemur discutere, maior copia coloris ui ad partem trahetur, quàm dispergatur. Quòd si hac in re laboremus, ut retrocedat id quod influxit, corpus quum plenū sit, non admittet. Vt igitur fieri hæc ambo possint, in primis euacuare uniuersum corpus oportet, dein autem id quod in partem influit, ad contraria loca retrahere. Quod quidem ubi fecerimus, prius repellemus à parte, quàm aggrediamur discutere. At quò mitiora præsidia fuerint, eò erit longè aptior uacuatio. A patiente uerò loco repellemus, astringendo, atque refrigerando. Quinetiam loca inanita attrahunt ad seipsa quæcunq; repercutiuntur. Vasa præterea, ui medicaminum astringentium corroborata, à se ad alia remittunt. Si igitur superfluum omne hac uia retrocesserit, bene

*Aspera quibus sint læuiganda.*

*Læuia quibus exasperanda.*

*Vacuationem per partem læsam nō esse moliendā, vniuerso corpore pleno existente.*

*Inflāmatæ partis curatio, vbi vniuersum corpus est plenum.*

*Repercussionē fieri per astringentia & refrigerantia.*

fere

se res habet. Si uerò aliquid fuerit retentum in parte, id lentum & crassum esse, ob idq; ægrè solubile, conijcere oportet. Potest etiam, uel si influens humor non sit eiusmodi, effusus tamen esse ad intermedia spatia: quo tempore euacuandus est per ipsum locum affectum: imponentibus nobis particulis superiacentibus ea, quæ repellendi humorem uim habeant. Maximè uerò euacuabis quod in spatijs ijs delitescit, & scarificationum auxilio, & medicaminum quæ discutiendi uim habeant. At quia discutientia omnia uires calidas habent, effectus autem huius temperaturæ est mordere, ubi caliditatis modum excesserint: cauenda ex eis sunt uehementissimè calida, ac tum præsertim, quum patiens locus in superficie cõstiterit. Neq; enim paruus excitabitur dolor, si præter propriũ affectum, insuper mordeatur. Taceo etiam dolorem omnem irritare fluxiones. Quod igitur mediocrem caliditatem obtinet, in hisce dolorem sedat, ac multò magis si humidũ fuerit. Et quidem quicquid per summa hæret, potens est id medicamen digerere, * etiamsi ualidas non sortiatur ad discutiendum uires. Quòd si summæ quidem partes omni noxa caruerint, id uerò quod euacuari oportet in penitioribus partibus hæreat, intendendus atq; augendus discutientis medicamenti est calor: quum dubitandum sit, ne prius quàm profundas partes attigerit, interim uires amittat. Nec tamen ex eo superiores partes aliquem dolorem sentient, quum omnes uacent affectu. Quare duo hæc simul inuitant ad calidorũ pariter atque acrium medicaminum usum, & summæ partes quæ tolerãt, & profundæ quę egent. Hanc igitur indicationẽ à situ partis desumebamus. Porrò affectarum partium, in quibus retinetur superfluitas fluxionis, nonnullæ quidem raræ, laxę, & molles natura existunt: nonnullæ autem densæ, pressæ, ac duræ. Priores igitur euacuantur facilè: reliquæ autem medicamentis acrius uacuantibus, ac prętereà tenuiores partibus habentibus, egent: atq; eò magis, quò profundiorem situm habuerint. Hæc igitur tibi rursus sit indicatio, una quidem à particulæ patientis substantia, altera uerò à formatione & situ. Fingamus enim in hepate esse proximè dictum affectum, in angustis uasorum finibus, impactis humoribus, qui uel lenti & tenaces uel crassi existant, uel superabundent: nónne in promptu est, primùm quidem crassitiem unà cum lentore & tenacitate, cibis ac potibus extenuantibus, ad subtiliorũ partiũ substantiam transferri oportere? Secundò autẽ, non per angustos tantùm inuisibilesq; meatus, sed per latiores etiam, quicquid inibi infestũ est, euacuandum esse? Sunt enim in hepate uenæ, non minus amplitudine quàm numero, insignes. Terminantur autem, hæ quidem in gibbis, ad uenam cauã: hæ uerò in cauis, ad portam. Vnde haud difficilè tibi futurum est, ubicunq; pressi constipatiq; humores fuerint, eosdem expeditè euacuare: trahendo quidem ad uentrem, cum his quæ attrahendi uim habent medicaminibus, quicunq; ex ipsis, in uenis ad caua hepatis pertinẽtibus aceruati sunt: ad urinæ uerò meatus promouendo, per cauam uenã, quicunq; in uenis ad eam pertinẽtibus hærent. Est & alia indicatio ab hepate sumpta, ueluti à uenarũ principio. Nam quum non tantùm se ipsum regere natura sit aptũ, sed largiatur etiam uirtutẽ uenis: uerendũ est, ne si eius uigor fomentis & cataplasmatis relaxantibus exolutus fuerit, & ipsum primum ad proprium opus, & omnes subinde uenæ, ratione illius, imbecilles reddantur. Quare in curationibus, eius aliqua ex astringentibus medicamentis semper miscere oportet. Sed quoniam in profundo admodum loco situm est, dubitandum erit, ne adstringentis medicaminis uis debilitetur, nisi ab aliqua altera subtiliũ partium substantia, qualis aromatũ est, traducatur. Melius uerò fuerit, si & ipsum medicamen astringens, etiam aromaticum fuerit. Nam si duas habuerit natura insitas qualitates ac potestates, ualentius operabitur, ita ut euacuet quidem quod præter naturam in ipsum membrũ confluxit, seruet autem humorũ modum conuenientẽ naturę. Explorandũ itaq; est, num quid ab humoris confluentis qualitate, temperies eiusdem membri sit alterata: ut hanc ipsam curantes intemperiem, sanitatem parti restituamus. Curabimus autẽ, contrariam ex aduerso afferentes qualitatem: quantùm unumquodq; calidius aut frigidius redditũ est, tantùm refrigerantes, aut calfacientes. Quare & hic rursus agnoscenda est ipsius secundum naturam temperies.

*Discutientium quæ uehementissimè calida sunt, in quibus sit usus cauendus.*

*Dolor omnis fluxiones excitat.*

*Discutientium calorem intendendum esse, ubi humor uacuãdus in penitioribus partibus hæret.*

*Partiũ quæ non uacuentur facilè, & quæ acriora medicamenta desiderent.*

*Hepatis obstructio curatio.*

*Hepatis caua & gibba, qua parte uacuanda sint.*

*Hepar uenarũ principium.*

*Hepaticis medicamẽtis aliqua ex astringentibus admiscenda esse, & quæ aromaticã uim obtineant.*

*Intemperies esse per cõtraria curandas.*

De morbo secundum numerum.

Cap. XCI.

Quibus autem aliqua particula deficit, in ijs quidem scopus est efficere alteram, subministrando naturæ, eo quo diximus modo. Quibus autem redundat, hanc resecare oportet aut scalpello, aut igne, aut caustico medicamine. Hæc igitur omnia sanare * fermè possibile est: at generari non omnia possunt. Quædam uerò sunt, quæ etsi generari nequeant, pro ipsis tamen licet alterum substituere: quemadmodum osse ex toto sublato, carnosum quendam callum inducimus, qui processu temporis duriorẽ naturam contrahit, quũ ab initio carnis imitaretur substantiam. Vbi uerò parte quacunq; sublata, neq; eandem secundum speciem substantiam, neq; similem efficere possumus, tertius nobis scopus est, inuenire decorem quendam quemadmodum in mutilationibus.

*Redundantes partes resecari tripliciter posse.*

*Mutilis membris arte conciliandũ esse decorem.*

De morbo secundum magnitudinem.

Cap. XCII.

Communicat autem hoc genus totum cum eo quod ad magnitudinẽ pertinet. Nam quodcunque ex eo est secundum naturam, illi propinquũ existit. Id uerò tantùm seiunctum est, quod inter minimè naturalia cõnumeratur. In quo quidem prima intentio est ablatio. Secunda uerò, si illa sit impossibilis, transpositio: quemadmodum in suffusionibus. Quęcunq; aũt non integris partibus, sed earũ tantùm particulis, aut deficiunt, aut excedunt naturæ modum, refectio quidem, uel generatio, in ijs quæ deficiunt: ablatio uerò & abolitio, in his quæ superabundant, scopus est. Quare neq; in ipsis altera intentio, neq; medicaminum forma est diuersa.

De morbo secundum situm. Cap. XCIII.

Sed iam ueniendum est ad reliquum salubrium causarum genus, quod ea corpora emendat, quæ in situ sunt uitiata: ueluti luxationes, & in scroto intestinum. Quæ sanè uitia contingunt, partim ex uiolenta tensione atq; impulsu, partim

*Luxationum causa & curatio.*

ex dilatato continente, uel rupto. Quare modus etiam curationis est duplex: alter quidem ad oppositam partem ei * ad quã facta est permutatio, intendendo, & pellendo: alter uerò, id quod continet, firmius solidiusq; reddendo.

*Præseruatiuarum causarum differentia triplex.*

De causis præseruatiuis. Cap. XCIIII.

Porrò eorum quæ præseruatiua dicuntur, triplex secundũ genus differentia existit. Prima quidem, hominis qui integra fruitur sanitate. Secunda uerò, eius qui non integrè ualet. Tertia deniq; eius qui iam ægrotat. Primum igitur genus ad salubrem artem spectat, in duasq; partes diuiditur. Secundum uerò ad præseruatricem pertinet. Tertium ad curatiuam. Hoc autem uniuersum genus præcipuè circa humores uersatur, quos neq; lentos oportet esse, neq; crassos, neque aquosos, neq; plurimos, neq; uehementer calidos aut frigidos, neq; mordaces, neq; putredini obnoxios, neque ueneni naturæ affines. Nam ubi aucti fuerint, generant morbos. Augentur uerò nonnunq̃ eadem ex causa, quæ ab initio eos generauit. Illud autem plerunq; accidit, ut sua alteratione inficiant illos, qui sunt in corpore humores. Scopus uerò & horum curationis duplex existit: alteratio scilicet, & euacuatio.

*Alteratio humorũ à quib. fiat.*

Alterantur igitur, uel concocti à corpore, uel ab aliquibus facultatibus aliis, quę uim medicamentosam sortiuntur. E quorum numero existunt ea, quæ aduersantur exitialium ferarum uenenis: quæq; etiam pharmaca uirulenta transmutant.

*Euacuationis modus multiplex.*

Euacuantur autem satis calidis medicamentis, purgationibus, clysmis, sudoribus, & uomitibus. Hæ igitur sunt ipsorum cõmunes euacuationes. Propriæ autem, ex locis in quibus coaceruantur, sumuntur. At uerò promptius euacuantur per uentrem, quęcunq; continentur in primis uenis superfluitates. Quæ autem in iis quę in hepate sunt, per urinæ meatus. At quæ in toto corpore, per sudores: sicuti quæ in capite, per palatum, uel nares, uel per utrunq;. Cæterùm quę in spatiis pectoris laxioribus continentur, per guttur simul cum tussi: quæ in renibus sunt, uel uesica, per urinam.

*Reuulsio fit ad quãmaximè distantia loca.*

*Deriuatio fit ad uicina.*

Cõmunis autem in his indicatio est, * reuulsio quidem ab omnibus partibus, ad quammaximè distantia loca: deriuatio uerò, ad uicina. Quæcunq; itaq; huiuscemodi curant dispositiones, causas salubres uocamus: sicuti insalubres eas, quæ adaugent: & neutras, quæ neq; obsunt, neq; iuuãt. Pars igitur artis præseruatiua talis est.

De illa artis parte, quæ conualescentes reficit, & senibus congruit. Cap. XCV.

Quæ autem reficit atq; restaurat, in conualescentibus atq; senibus locum habet. Cæterùm quę nam horum sit dispositio, & à quibus præcipuè causis ad naturalem habitũ reducatur, in methodo medendi explicauimus.

*Conualescentium senumq; dispositio qualis.*

Dispositio igitur talis est. Optima quidem, sed exiguus est sanguis: atq; unà cum ipso spiritus animalis, uitalisq;. Ipsæ uerò solidæ partes sicciores: atq; ob id, earum uires imbecilliores: proindeq; uniuersum corpus, frigidius.

*Conualescentes atque senes reficiendi ratio.*

Causæ uerò salubres quæ hanc emendant dispositionem, ut uno eas comprehendã capite, sunt quæcunq; præsentaneum tutumq; exhibent alimentum. Particulatim autem, in motibus moderatis, & cibis, potibusq;, ac somnis consistunt. Sunt porrò materiæ motus, uehicula, ambulationes, frictiones, & balneæ. Vbi igitur non parum se ex his profecisse senserint, paulatim se ad consueta opera transferant. Cibos autem assumant, in principio quidem, humidos, concoctuq; faciles, neq; frigidos: in processu uerò, eos qui plurimum alimenti suppeditant. At potus eis opportunus est, uinum, ætate quidem moderatè prouectum, substantia autem purũ, pellucidumq;: quod scilicet uel subflauum, uel album existat, atq; suauiter olens: gustui uerò neq; aqueum omnino, neq; aliquam qualitatum insignem aut dulcedinem, aut acritudinem, aut amarorem, aut deniq; astrictionem referens.

## GALENI PERGAMENI DE medendi methodo lib. I.

INter alias causas quę à cõdenda medendi methodo me hactenus dehortatæ sunt, charissime Hiero, hæc fuit una & pręcipua, quòd frustra me scripturum timerem, quum nemo propè dixerim hac nostra ætate, ueritatis inquisitioni sit deditus: sed pecuniam, & ciuilem potentiam, & inexplebiles uoluptatũ delicias, omnes eousque suspiciant, ut si quis sapientiæ quoduis studium sectetur, pro insano hunc habeant: quippe qui primam ipsam, & uerè sapientiam, quæ diuinarum humanarumq; rerum est scientia, ne esse quidem omnino existiment: ac proinde inter eos censeatur optimus, non qui plurimis instrumentis musicis, aut etiam sermone uti philosophico norit, sed qui multos, eosq; maximos calices exiccarit.

*Tẽporis sui mores Galenus deplorat.*

*Sapientia est diuinarũ humanarumq; rerum scientia.*

Eoq; fit, ut quum ægrotare ii cœperint, medicos aduocent locupletentq;, non quidem optimos, sed eos qui adulentur ipsis: quiq; & frigidam dabunt, si hanc poposcerint: & lauabunt, quum iusserint: & niuem, uinumq; porrigent: ac breuiter, quicquid iubebitur, mancipiorũ ritu facient: contrà quàm ueteres illi medici ab Aesculapio oriundi, qui ueluti duces militibus, & reges subditis, imperare semper ægris uoluerũt: nequaquam uerò emptitiorum Getarum more, parêre & obsecundare: id quod facere Romæ erat solitus impudentissimus Thessalus, eò etiã temeritatis progressus, ut sex tantùm mensium curriculo, traditurum se totam artem medicã profiteretur, citra ullam aliarũ disciplinarum institutionẽ.

*Medici ueteres imperabant ægris ueluti duces militibus.*

*Thessalus pollicebatur docturum se artẽ medicam curriculo mensium sex.*

Quamobrem ipsius facilitate allecti, sutores, textores, fabriq;, seruilibus opificiis relictis, cateruatim hodie sese sub eo præceptore ad professionem sacratissimam conferunt, in perniciem humani generis.

*Curaturo morbos necessaria est corporis natura cognitio.*

At uerò minimè licere alicui curare cõmodè morbos, nisi prius naturã corporis uniuersi perspexerit, apud omnes sapientiæ professores est in confesso. Totius autem naturæ constitutionem, accuratissimè exposuit nobis Hippocrates. Quẽ quidem Peripatetici atq; Stoici sequuti, utriq; sanè hoc illius dogma recipiunt, nempe, uniuersum corpus conspirabile & confluxile existere, omnesq; animalis particulas à se inuicem affici: dissident tamen in eo, quòd Aristoteles quidem, qualitates tantùm in se mutuò transire, atq; omnino misceri: Stoici uerò, non has modò, sed etiam substantias ipsas existiment.

*Corpus uniuersum est conspirabile & fluxile.*

*Mistorum qualitates & facultates, sunt totæ per totas mistæ.*

Cæterùm medicinæ fuerit abundè, si concedantur ea quæ ab utrisq; sunt demonstrata: necnon quòd qualitates uirtutesq; in mistis, totæ sint totis permistæ. Hac autem humani

*Thessalus constituebat duos tantum simplices morbos in uniuersum.*

mani corporis cõtemplatione posthabita, nullaq; usus demonstratione, ille sapiẽtissimus Thessalus, duos tantùm esse morbos simplices tradit in uniuersum, nempe fluxum & clausum: ex quibus simul coëuntibus, gignit tertium unum compositum: non intelligens se differentiã quandam morborum, nõ numerũ, in medium adferre. Atqui minimè conuenit, quum de animaliũ numero quæritur, unam differentiarũ oppositionem producere: alioqui duo sic uniuersa animalia erunt: ut, gratia exempli, rationale & irrationale. Proinde ad species quæ in substantia, non quæ in differentia uersantur, respicere oportet eum, qui numerum morborum sit traditurus. Porrò non omnis differentia generi addita, ad speciei constitutionem conducit aliquid: sed quæ ex generis propria diuisione nascitur. Hæ siquidem differentiæ sunt, quæ species constituunt: reliquæ omnes, alienæ. Etenim propriæ animalis differentiæ existunt, mortale & immortale, rationale & irrationale, mansuetum & ferum: aliaq; id genus. Molle uerò ac durum, graue & leue, rarum & densum, magnum & paruum, animalis differentiæ non sunt, sed substantię. Itaq; etiam si cum animali uel molle uel durum componas, ad speciem constituendam nihil sanè contulerint. Sin uel rationale & immortale, uel rationale & mortale, animali adieceris, efficitur iam illic Deus, hîc homo. Ita uerò & si rationali animali duas illas differentias peculiares addideris, quæ sunt, gressile & bipes, sic quoq; hominis speciem effeceris. Vnde fieri nõ potest, ut ullius rei specificas differentias inueniat quis, nisi prius substantiam illius aut definiuerit, aut oratione circunscripserit accuratè.

*Differentia specifica.*

*Animalis differentiæ propriæ.*

*Deũ animal rationale immortale, definit Galenus.*

Si quis igitur tradere de morborum numero instituat, is nõ debet statim in prima differentia subsistere, sed diuisa illa procedere, donec ad aliquam infimarum specierũ, & quæ in aliam distrahi amplius non possit, perueniat: id quod facere illi tantùm est promptum, qui in diuidendi arte magnopere fuerit exercitatus. Peccauit etiam uel grauissimè Thessalus, quòd ne principium quidem indemonstrabile, ac per se notum attigerit, illius rei quam pertractandam suscepit. Principium autem intelligo, quæsitæ uniuscuiusq; rei propriam essentiam: à qua necessariò est ordiendum, quũ ad inuentionem specierum & differentiarum, tum uel maximè (ut ait Plato) ad diuisionem, atq; ad omnem cuiusuis rei absolutam inquisitionem. Sed nec ratione, nec experientia, ad fulcienda sua dogmata usus unquam est Thessalus: quæ quidem duo instrumenta, ijs quæ optimè inuenta fuerint, apud homines solent semper patrocinari. Cæterùm in his commentarijs animus nobis est agere, nõ de experientia quæ ratione nõ utitur, sed de ijs præsidijs, quæ methodo & ratione inueniuntur.

*Essentiã cuiusq; rei esse principium à quo ordiendum est ad exactam omnẽ inquisitionem.*

*Instrumenta inuentionis duo, ratio & experientia.*

Etenim methodo quippiã inquirere, inuenireq;, ex aduerso opponitur ei, quod est fortuitò & temerè. Est siquidem illud, cum uia quadam & ordine, quippiam inuestigare. Experientia autem amethodos, non artem, aut ordinem certum, sed tantùm fortunæ unius fauorem, ad rei inuentionem desiderat. Qua quidem prorsus neglecta, nos demonstrationi insistamus, quæ à principijs indemonstrabilibus, & per se notis, intellectuiq; obiectis, nunquam non proficiscitur. Nam quod intellectui se uno occursu non exhibet, id protinus controuersum existit, demonstrationemq; desiderat: nec artẽ ullam à tali principio incepisse conuenit.

*Methodo inquirere, quid sit.*

*Experientia amethodos, unius fortunæ duntaxat fauorem desiderat.*

Quandoquidem igitur morbi curationem inuenire est propositum, haud dubiè necesse est, prius morborum numerũ sciri. At quoniam fieri nequit, ut aut differentias generis ullius morbi, aut species inuenias, ipso quod diuiditur non planè explorato: oportet profectò nunc, etiam quid morbus sit, enarremus, quò sic diuisionem eius ritè adeamus. Id uerò fiet cõmodè, nobis à cõmuni notione auspicatis, sine qua inuenire propositæ rei substantiam non licet. Vt igitur ubi citra offensam omniũ partium actiones obeũt, homines ualere se dicunt: sic dum naturalium corporis actionum senserint quampiam uel malè geri, uel prorsus non geri, & ægrotare se illa corporis parte existimant, cuius actionem oblæsam uident, & medicum de remedio consulunt. Ac tales sunt uniuersis hominibus notiones & sanitatis, & morbi.

*Notio cõmunis.*

*Valere & ægrotare quando se dicãt homines.*

Ergo accepto illo, quod omnes confitentur, principio, nempe id in medendi methodo propositũ esse, ut ægra corpora in sanitatẽ restituamus, hoc est, naturales partium actiones, si quæ oblæsæ sint, emendemus: claritatis gratia oculum proponamus, cuius nimirum particulæ opus esse ut uideat, inter omnes homines conuenit. Nec uerò refert, partẽm ne, an particulã, quispiam oculum dicat. Siquidem quicquid totũ complet, atq; integrat, id, corporis totius, quod complet, particula siue pars nominatur. Est nanq; pars ex ijs quæ dicuntur ad aliquid. Quippe pars totius integriq; pars dicitur: æquè profectò ut totum integrumq;, per relationem ad partes & particulas suas nominatur. Cæterùm à rerum, nõ nominum differentia, in omni cõmentatione principium sumendum est.

*Pars quid dicatur.*

Est itaq; uisio, oculorum actio: quemadmodũ locutio, linguæ: incessus autem, crurum. Ipsa rursus actio, motus est actiuus. At motus est prioris habitus immutatio. Qui quidem actiuus dicitur, quum à se æditur: passiuus uerò, quum ab alio posito extrinsecus, excitatur. At uerò immutatio prioris habitus dupliciter fit: nempe aut in qualitate, aut in loco. Cæterùm quę circa locum uersatur, latio dicitur: alteratio autem, quæ in qualitate consistit. Porrò instrumentum appello eam animalis partem, quæ perfectè ædere actionem potest. Qua significatione oculus pars animalis, & particula, & instrumentum uocabitur. Cornea uerò tunica, particula quidem & pars: at instrumentum nõ item. Simili modo & quæ rhagoides, & quæ arachnoides, & quę amphiblestroides dicuntur: quarum nimirum singulæ, primùm quidem ac maximè, oculi particulæ sunt: & quia is etiam faciei pars est, itidem & illæ faciei sunt partes, sed secundaria ratione.

*Visio est oculorum actio.*

*Actio quid.*

*Motus duplex.*

*Immutatio duplex.*

*Latio.*

*Alteratio.*

*Instrumentum quid.*

*Oculi tunica.*

At uerò similarem partem appellant, quæ undique in particulas similes diuidi potest: ueluti uitreus humor, & crystallinus, & tunicarum propria cuiusq; substantia. Est itaque instrumentum oculus, actio uerò uisio: una ex eius particulis similaribus, ac primum instrumentum uisionis, crystallinus humor. Id nanq; est, quod alterari debet ab aliquo extrinsecus occurrentiũ colorum, ut animal uideat. Alterari uerò nõ potuit, nisi purum omnino, perspicuumq; esset. At purum ita,

*Similaris particula quæ dicatur.*

*Crystallinus humor primum instrumentum uisionis.*

pellucidumq; esse non posset, sine eo quod nunc obtinet tẽperamento. Quippe ostensum est, unãquanque rem talem esse, qualis est propter calidi, frigidi, humidi & sicci temperaturã. Ideoq; si quid horum magnopere immutatũ sit, aut planè nõ uidebit, aut malè uidebit animal. Vbi igitur neutiq̃ uidere oculum cernimus, qui tamen probè antea cernebat, subitò nos accingimus ad ipsius læsionis causam inuestigandam, quum sine causa nihil in natura rerum contingat.

*Nihil sine causa contingit.*

Causa inuenta, necessariò fatendum est, aut morbũ ipsum eam esse: aut, si morbus læsio actionis existat, affectum qui huic officit, morbi causam existere. Dubitauerit tamen aliquis, ipsum'ue oculi affectum, à quo cernendi actio uitiatur, dicere morbum debeamus: an ipsum actionis uitium. Quodcunq; tamen elegeris, necessum est ut de sanitate enuncies, & quidem multò antea, cõtraria: nempe eam esse uel incolumem oculi actionem: uel affectum, qui uisionem absoluat. Sanitas quippe & morbus, maximè contraria quum sint, sub eodem genere continentur. Contraria siquidem sunt, quæ in eodem genere posita, plurimũ inter se dissident: ueluti album & nigrum, quorũ unum est genus, color. Ergo si sanitas actio est, quæ secundum naturã se habet: omnino morbus, actio præter naturam erit. Sin autẽ affectio quæpiam, aut cõstitutio naturaliter se habẽs, extiterit sanitas: & morbus affectio, constitutióue præter naturã, necessariò fuerit. Verùm quum duo rerum genera sint, nusquam inter se similium, sed tota differentium natura: quorum alterum quidem, corpus, certo modo affectum, uocatur: alterũ uerò, functio: fatendũ proculdubio est, affectum ipsum corporis causam esse: functionem uerò, id quod ab affectu ipso proficiscitur. Comitatur quippe necessariò affectũ naturaliter se habentẽ, naturalis actio. Contrà, si à natura recesserit, actio statim præter naturã se habebit. Atq; hoc ipsum est ueluti elementum primũ totius medendi methodi, quũ nihil aliud sit quod curatur à medicis, quàm ipsius affectus corporis. Cõtingit tamen non ex nominum, sed rerum rectâ opinione, rectâ morborũ curatio. Vt autem omnia methodo cõpendiosâ explicemus, quatuor in uniuersum res sunt, quæ in præsenti contemplatione proximè inter se cohærent. Ac uidetur sanè ex his esse unum genus ipsorum corporũ: alterum uerò, actionum ac corporum quidem genus præcedere actiones, easq; gignere: has uerò sequi: idq;, si corpora se naturaliter habeant, inculpabiles, naturalesq;: sin præter naturam sint affecta, aut nullas prorsus, aut omnino certè impeditas. Tertiũ præter hęc genus est causarũ, quę hos affectus creant. Nam quam rationẽ habet affectus ad actionem, hanc alterũ quippiam ad ipsum affectum omnino habeat oportet: illud duntaxat euarians, quòd affectus unà cum actione consistit: nec potest usquam aut proba actio esse, sine corporis naturali affectu: aut uitiosa, nisi quum corpus sit uitio affectum. Ipsius autem affectus, qui actionem impedit, causæ possunt & adesse, & abesse. Ab hoc quartum aliud genus est eorum, quæ quum corporibus & naturaliter & præter naturam se habentibus insint, actioni nec cõmodant, neq; incõmodant: ut, exempli gratia, color niger, ob diuturnã in sole moram contractus. Affectũ igitur corporis præter naturam se habentis, qui actionem aliquam uitiat, morbum (si placet) uocemus. Ipsum uerò functionis uitium, insigne quoddam morbi symptoma. Quæ alia ratione accidunt, ceu colores, ea symptomata etiã, sed familiaria propriaq; posset quispiam uocare. At quarum ab his genus sit insalubrium siue morbificarũ causarum. Quarum eas quidẽ, quæ in ipso corpore animalis consistũt, internas siue antecedentes: quæ uerò extrinsecus accidunt, externas aut procatarcticas appellabimus. Vt autem hæc exemplo clarescant, phlegmonem esse pedis morbum cõstituamus: læsum autem ingressum, esse insigne ipsius morbi symptoma. At rubor, tensio, renixus, & tumor præter naturã, diuersa quædam symptomata nominentur. Porrò sanguinis redundantia, phlegmones causa interna dicatur. Sicuti externa, quę præcessit abundantia ciborum. Cæterũ nullus affectus dici morbus meretur, nisi alicuius partis actionẽ uitiet. Quod autem postulat curationẽ, aliud planè non est, quàm affectus qui uitiat actionẽ. Etenim quod primùm, maximeq; omnium desideramus, id naturalis est actio. Vt igitur totam particulam actionis tantùm gratia requirimus, eodem (arbitror) modo & ipsius partis naturalem constitutionem, etiam actionis gratia desideramus. Porrò quę constitutionẽ ipsam unde actio nascitur, necessariò sequuntur, sanis quidem nobis, accidentia: ægrotantibus, symptomata nuncupantur. Atq; hæc quatuor genera sunt omnium, quæ in uostro corpore habentur, siue secundum naturam nos, siue præter naturam habeamus: actiones, constitutiones, quæ has præcedunt, quæq; etiam sequuntur.

*Sanitatem & morbũ sub eodem genere contineri. Contraria quæ dicantur.*

*Affectus corporis existit functionis causa.*

*Morbus est affectus præter naturam, functionem uitians. Symptoma duplex.*

*Causæ morbificæ. Causarum differentiæ.*

*Accidentia & symptomata quomodo differant.*

*Rerum quæ in nostro corpore habẽtur quatuor.*

## GALENI PERGAMENI DE *medendi methodo lib. II.*

Ergo affectus qui actionem uitiat, morbus uocetur. Hunc si quis sequitur, symptoma. Quod illum excitat, causa. His ita distinctis, inspicienda diligenter est nominũ diuersitas, quę ægritudinibus imposuerunt ipsorum primi autores. Partim nanq; à læsa particula fuerunt indita, ut pleuritis, id est, punctio lateris. Peripneumonia, id est, pulmonũ phlegmone. Ischias, id est, coxendicum morbus. Podagra, id est, pedum uitiũ. Nephritis, id est, renum affectus. Arthritis, id est, articulorum uitium. Ophthalmia, id est, oculorũ phlegmone. Cephalalgia, id est, capitis dolor. Dysenteria, id est, intestinorũ tormina. Subinde ab ipso symptomate, ut Ileos, hoc est, uoluulus. Tinesmus, id est, desidendi assidua cupiditas. Spasmos, id est, cõuulsio. Palpos, id est, palpitatio. Tromos, id est, tremor. Paralysis, id est, resolutio neruorũ. Apepsia, id est, cruditas. Dyspnœa, id est, difficilis respiratio, uel inordinata spiratio. Apnœa, id est, spirandi defectus. Agrypnia, id est, uigilia. Paraphrosyne, id est, delirium. Coma, id est, sopor. Sæpe ab ambobus simul: ut, Cephalalgia, hoc est, capitis dolor. Otalgia, hoc est, dolor auriũ. Cardialgia, id est, oris uentriculi (quod ueteres appellabãt cor) dolor. Odontalgia, id est, dentium dolor. Hysteralgia, id est, uteri dolor. Sæpenumero à causa putata, ut Melancholia. Nonnunquã à similitudine ad aliquid extra positum, ut Elephas, Cancer, Polypus, Staphyle, id est, uua, Leuce, id est uitiligo alba,

*Morbus. Symptoma: Causa.*

*Morborum nomina indita à læsa particula.*

*Morborum nomina sumpta ab ipso symptomate.*

*Morborum nomina tracta à parte affecta, & symptomate.*

*Morborum nomina sumpta à causa putata, uel ab aliquo similitudine.*

go alba. Myrmecia, id eſt, formica. Atheroma, id eſt, tuber, cui pulticulæ quid ſimile ineſt. Steatoma, quod aliquid ſeuo ſimile continet. Staphyloma, id eſt, oculi morbus, cùm in ſumma tunica quiddam acino ſimile eminet. Meliceris, hoc eſt, capitis ulcera, ſaniẽ inſtar mellis fundentia. Anthrax, id eſt, carbo. Alopecia, id eſt, areæ in capite. Ophiaſis, id eſt, uitium ſerpentis formam repræſentans. Sycoſis, id eſt, ficus. Satyriaſmi & priapiſmi, pudendi erectiones præter naturam. Ipſorum uerò morborum, qui neq; locum affectum nomine repræſentãt, nec cauſam quæ eos effecit, perpauca ſunt nomina, phlegmone, gangræna, ſcirrhus, eryſipelas, apoſtema, œdema, empyema, ulcus, exarthrema, catagma, ſpaſma, rhegma. Coloboma, id eſt, mutilatio. Dothien, id eſt, furunculus. Ionthos, id eſt, uarus. Phyma, laxarum partium phlegmone. Quanquam horum quoq; nonnulla, partim locum corporis, ſiue particulam afflictam, ſubindicare uidentur, partim à prægrauante ſymptomate nominari.

*Vlcus quid.*

Porrò ulceris (quod unitatis ſolutio eſt in carnoſa parte) differentiæ particulares partim ab ijs qui primùm eas ſanauerũt, dicuntur: partim ab ipſis qui ijſdem affecti ſunt, ut telephium. Cancer autem, à ſimilitudine ad animantem. Phagedæna herpesq;, à ſymptomate. Verùm phagedæna quidem, ulcus depaſcens eſt. Herpes autẽ nõ ſemper exiſtit ulcus. At quotieſcunq; cum exulceratione inuadit, ritu ſerpentis beſtiæ, ad uicinas partes progreditur, eaſq; depaſcit & populatur. Cauum uerò ulcus, & ſordidum, & cruentũ, & purum, & æquale, & carne excreſcens, hęc magis proprias appellationes ſortiuntur, non tamen ſimiliter omnes. Nam æquabile, cauum, & ſupercreſcens, à propria differentia: at cruentũ & purum, & ſordidum, non à proprijs differentijs, ſed ab externis ſymptomatis appellantur.

*Vlcerum varia nomina. Phagedæna quid. Herpes duplex.*

*Affectus præter naturam ſunt tres: morbus, cauſa & ſymptoma.*

Tres igitur eſſe in corpore affectus præter naturam, oſtenſum iam eſt: cauſas uidelicet, morbos atq; ſymptomata. Cauſas, ueluti redundantiam & corruptelam. Morbos, ut phlegmonẽ, ulcus. Symptomata, ut prauum colorem atq; gracilitatem. Diuerſa ab his ſunt quæ immodicè excernuntur à corpore, aut retinentur præter naturã, & functionũ uitia: omnia ſcilicet cõmuni nomine appellata ſymptomata, cæterũ non uni generi ſubdita. Quippe affectus quidam corporis eſt uitioſus color. Quod excernitur autem, aut retinetur, affectus non eſt, ſed affectum ſequitur. Similiter actio uel læſa, uel integra, affectus ſanè non eſt: particulæ autem unde editur, neceſſariò comitatur affectum. Ac œdema quidem & phlegmone, ex ijs ſunt, quæ abſolutè dicuntur eſſe. Eodem modo & redundantia, ſi ea ſit ſanguinis: & corporis pallor.

*Actio cur non dicatur eſſe abſolutè.*

Actio uerò ex eorum numero nõ eſt, quæ eſſe abſolutè dicuntur, aut certè nõ ſimiliter ſicut iam comprehenſa. Siquidem nullo temporis ſpacio eius partes manent, ſicuti nec ſermonis, nec ullius motus: ſed horũ quilibet in generatione conſiſtit.

*Motus duplex.*

Cùm uerò duplex ſit ipſius motionis genus, unum in loco, aliud in qualitate: prius latio, ſecũdum alteratio dicitur.

*Actio quid. Alteratio quid.*

Ac omnis quidem actio, motus eſt actiuus: omnis alteratio, eius quod alteratur, motus eſt paſſiuus: patitur nanq; quod alterañ. Ergo affectus dum alterantur, mouenñ: ubi uerò à motu ceſſauerint, iam alterati ſunt, nõ autem amplius alterantur. Quicquid enim quocũq; modo ſe habet, aliquo omnino affectu eſt præditũ. Quod autẽ in conſtanti, ægreq; ſolubili affectu eſt, id habitu iam quodam affectum eſt.

*Habitu quid affectum dicatur.*

Sanè alteratur is qui nigreſcit: alteratus eſt, qui obnigruit.

*Alteratio quid.*

Itaq; alteratio, generatio eſt qualitatis. Nam quæ abſolutè dicitur generatio, ad ſubſtantiã uia quædam eſt & progreſſus.

*Generatio eſt ad ſubſtantiam progreſſus.*

Aliqua igitur in generatione, alteratione, & ut ſemel dicã, motu, ſuam eſſentiam obtinent: aliqua * permanentẽ habent ſubſtantiam. At ſanitas quidem & morbus, & quæcunq; ſymptomatum cauſarumq; affectus uel habitus ſunt, ex permanentium numero exiſtunt. Actiones autem omnes alterationesq;, circa rem quãlibet, in generatione propriam eſſentiã ſortiuntur. Porrò corpus ipſum, ſecundum quodcunq; mouetur, ſecundum idem patitur: motusq; eius pathos, ſiue paſsio, eſt. Etenim priſci, motus omnes, etiã ſi naturales exiſtant, niſi actiui ſint, pathe, hoc eſt, paſsiones nominant: ſicuti actiuos motus, actiones.

*Pathe.*

Nos autẽ contrarium ſanitati affectum, à quo lædi functionẽ diximus, tantũ morbum uocamus, ſiue diutinus hic ſit, ſiue breuis, ſiue momento duret. Ex reliquis affectibus præter naturã, eos qui hunc præcedunt, cauſæq; rationẽ obtinent, cauſas tantũ dicimus, non pathe. Qui illum ſequũtur, ſi actionũ offenſæ ſint, & ſymptomata, & pathe.

*Cauſa ſymptomata.*

Eodem modo, & immodicas uel inanitiones uel retẽtiones. Qui uerò affectus ſunt, ueluti uitioſus color, ſupra affectionis & ſymptomatis appellationem, etiam affectus, uel affectiones uocamus: ita nimirũ ut ſunt. Omniũ igitur horum cõmune id eſt, quòd præter naturã ſunt. Propriũ autẽ morbi quidem eſt, quòd actiõi incõmodet: ſymptomatis, quòd morbum ſequatur: cauſa deniq;, quòd pręcedat.

*Medici munus.*

At uerò medicorũ proprium eſt munus, ut morbos adimant: quibus ſanè ſublatis, non modò actionis uitium euaneſcit ſtatim, ſed reliqua etiã omnia ſymptomata. *Quiſquis igitur ex ijs quę particulis naturaliter inſunt, tum eas quæ aliter accidunt, tum proprias functionis cauſas diſtinguere neſcit, qui obſecro fieri poteſt, ut is diſpoſitionem inueniat, à qua primũ læditur functio? Etenim quæ fortuitò corporibus accidunt, etiã ſi millies ſint alterata, nocere actioni non poſſunt, quandiu à quibus fiebat, omnia naturã ſuã ſeruauerint. Horũ uerò ſi uel unum quoduis alteratũ fuerit, actionẽ quoq; ipſam ſtatim in tantum lædi eſt neceſſe, in quantũ ab eo eſt, cùm ſecundum naturam ſe haberet, adiuta. Fieri autem nõ poteſt, ut omnium morborũ numerum methodo is comprehendat, qui numerum omniũ actionis cauſarum, corpore ſecundum naturam ſe habente, non norit. Qui autem omnem morborum numerum methodo non inuenerit, hic maximè labatur oportet in ipſis medendi auſpicijs: cùm cõſtet tot eſſe medendi rationes, quot morborum ideæ exiſtunt.

*Medendi tot eſſe rationes, quot morborum ideæ exiſtunt.*

Verumenimuero primus omnium ille affectus inueſtigandus eſt, qui dicitur functionis effectrix cauſa. Hunc ſanè eucraſiã nos diximus eſſe calidi, frigidi, humidi &

*Functiõn cauſa.*

Nn

ficci, ex intemperie quorum, primus morbus in particulis similaribus nascitur. Cùm autē à similaribus ipsis, corporis functiones edantur,

*Functiões edita à corporibus similaribus.*

meritò instrumentis singulis unica tantū est attributa similatis particula, à qua perfici ipsa actio possit. Reliquæ uerò quæ cum hac quoduis instrumentū absoluūt, in aliquem usum illius quæ prima existit actionis causa, sunt cōstitutæ: quis & ipsæ retinēt suas peculiares actiones. Etenim instrumentū uisus, est crystallinus humor.

*Crystallinus humor est instrumentum visus.*

Reliquæ uerò partes, eius gratia sunt factæ. Singulæ tamen earū aliquam seorsum actionē obtinent: ac uena quidē & arteria, & neruus, toti animanti cōmunem: membranulæ autem oculi omnes, cùm sint nutrimēti participes, præditæ omnino sunt naturalibus facultatibus, ac proinde etiam functionibus quæ ab ipsis proficiscuntur. Quoties igitur crystallinus humor intemperie laborat, omnino læditur oculorū functio. Non est tamen affectus is, eorum, ut organa sunt, morbus.

*Hypochyma, oculi totius ceu instrumēti, est morbus.*

At hypochyma, hoc est, suffusio, nullius similarium morbus existit, sed oculi totius, ceu instrumenti. Ad eundē modū si in finibus uenarū, quę sunt in cauo iecinoris, obstructio aliqua oriat, digestio quidē in corpus per has morabit: ægritudo tamen totius hepatis, ceu instrumenti censebitur, nulla similarium eius partium adhuc ægrotante. At si intemperies uenas illius infestauerit, ipsarū quidem illarū morbus primū erit, ex accidenti uerò etiā iecinoris.

*Similares particula solent octo intemperaturis cruciari, absque humorum affluxu: totidē q; etiā, dum illi affluūt.*

Solent autē similares particulæ, octo intemperaturis secundum nudas qualitates cruciari: nempe quatuor quidem simplicibus, quatuor autē cōpositis. Quòd si ad intemperiem accedat & humorū affluxus, totidem rursus intemperies orient.

*Morborū genus duplex.*

Duplex itaq; erit morborū genus: alterum in partibus similaribus, alterum in organicis. Quod igitur ad particulas similares pertinet, circa intemperantias uersat.

*Morbus instrumētalis quadruplex.*

Quod uerò ad organa, unū quidem in figura, aliud in particularū numero, tertiū in magnitudine, quartū deniq; in positura spectatur.

*Solutio continui est cōmunis morbus similaribus & instrumentarijs particulis.*

Vtrarunq; uerò partiū, id est, similariū & instrumentalium, cōmunis affectus est, unitatis diuortium. Quare sex in uniuersum morborū genera existunt. Vnum, quod similarium est proprium, nempe intēperies. Quatuor, instrumentorū cuiusq;. Et cum his sextū, quod utrisq; partibus est cōmune, ipsius unitatis solutio. Porrò omnis medendi methodus, seiuncta ab experientia procedit. At medicorū plerię; nō tantùm experientiæ applicātes animū (per quā tamen liceret eis euadere in probos medicos) sed perfectionis etiā rationis cupidi, cùm aut ijs quæ citra demonstrationem sunt enunciata, credant, aut uitiosis fallantur demonstrationibus, nō solùm nihil excogitant boni, sed etiam quæ per experientiam cognita sunt, corrūpunt.

*Experientiæ soli qui debeant incumbere.*

Proinde talibus experientiæ ut incumbant consulo: cùm nō leue instet periculum ijs, qui supra uires aliquid moliūtur, ne & id non consequantur, & quæ intelligere aliàs possent, omnino omitant. Itaq; cōmittendum nō est, ut utraq; simul misceantur, & quæ per experientiam inuenta sunt, & quæ sola ratione inuestigata: sed cùm utrunq; seorsum sit tractatū, pòst ambo coniungantur. Etenim tota Empiricorum ars, obseruatio quædam est & memoria eorum, quæ uisa sunt inter se habere consecutionem aliquam.

*Empiricorum ars quid sit.*

At ex ipsa rei natura ordiri, atque ab ea, quod sequens sit, inuenire citra experientiam, id est indicatione inuenire. Voco autem indicationem, ipsam ueluti consecutionis imaginem.

*Indicatio quid.*

Omnis itaq; medendi methodus donec ad optatum finem perueniat, per indicationes progreditur. Quādoquidem quicquid ab experientia est seiunctum, id totum indicatio uocatur. At finis propositæ tractationis est, inuenire cuiusq; morbi remedia. Huius autem inuentionis principium, est ipsius morbi cognitio. Ergo primū, quænam generalis, cōmunis'q; morborum omnium indicatio sit, inuestigandū est. Ab hac deinde ad alias speciatim est descendendum, donec finem eum consequamur. Porrò quemadmodū hominibus uniuersis inest quippiā cōmune, cuius nimirū ratione omnes dicunt esse homines, ita & usu uenit in morbis. Vt enim Socrates atq; Plato, specie quidem sunt unus homo, numero autē uarij: sic, mea quidē sententia, morbus qui utrunq; eorū infestat (sit febris, exempli gratia) genere & specie erit unus, etsi duo numero existunt. Id quod Plato significare uidetur, dicens: Multa unum esse, & unū multa.

*Multa vnum esse, et vnū multa.*

Rectè igitur ab antiquis philosophis dictum est, aliud numero, aliud specie, aliud genere esse, quod tum idem, tum unū est.

*Idem & vnum quot modis dicatur.*

Cùm igitur omnis affectus præter naturā, functionē lædens, sit morbus: necessum hauddubiè est, omnes id genus dispositiones, quatenus tales sunt, uel genere uel specie unum morbum existere.

*Morbus quid.*

Quamobrem, unū genere, specie ac numero dici & esse qui nō intelligunt, asino (quo nullum est animal stupidius) mihi stolidiores uident: nam hic, aliud esse unū quidē specie, numero autē aliud, cognoscit.

*Asino nullū esse stupidius animal.*

*Asinus vnū specie, ab eo quod numero est vnū, discernit.*

Quæcunq; uerò de morbo dicimus, eadem & de optima ualetudine, & de alijs etiā dispositionibus, intelligendo ueniūt. Nam quemadmodū hominis nomen est unū in uniuersis hominibus, morbiq; in omnibus morbis: sic sanitatis denominatio, una eademq; est, in omnibus illorum cōstitutionibus, qui prospera sanitate fruuntur.

*Morbi nomen est vnum in vniuersis morbis.*

## GALENI PERGAMENI
### de medendi methodo lib. III.

Si igitur indicatio quæ ab ipsa rei natura primùm oritur, quid agendum sit inuenit, necesse est remediorum inueniendorum initium, ex morborum ipsorum natura sumi. Cæterùm indicatio ipsa, quæ à morbis sumitur, principium tantùm est, unde medendi ratio promouer, nō autem ipsius artis medicatricis pars: aut certè nec magna, nec propria, sed quæ etiam plebi est cōmunis. Quamobrem eum solū esse medicū existimamus, non qui nouit, quidnam morbi prima indicatio dictet, sed qui illa perficere potest, quæ à tali præscribunt indicatione.

*Medicus quisnā solus existimandus.*

Is igitur, si per experientiam ea inuenit, obseruator et Empiricus est uocandus: sin ratione quadam & methodo, logicus, & methodicus, & dogmaticus.

*Empiricus.*

*Logicus.*

Empirici quippe per experientiam inueniri omnia cōtendunt. Nos partim experientia, partim ratione: cùm ue q; illa inuenire omnia queat,

nec

*Doctrinam empiricā, logicāq; non esse confundendas, sed seorsum vtranq; tradendam.*

nec sola ratio. Verū cōfusam mistamq; tradendā esse doctriuā nō censemus: sed seorsum empiricam, & seorsum logicā: qud facilè appareat, quā utraq; earum uim habeat. Igitur unitatis solutio (quæ in osse quidē fractura, in carnosa autē parte ulcus dicitur) unitionē postular: quemadmodum & uulnus, & ruptio, & conuulsio. E quibus

*Solutionis continuus species.*

uulnus quidē, solutio quædā ex uulnerando in carnosa parte relicta est: ruptio autē atq; conuulsio, citra uulnerationē accidunt: ac prior quidē, carnosæ partis diuisio existit: secunda autē, neruosę. Hic itaq; omnibus unitio molienda indicatur: quæ an præstari ubiq; posiit, an in multis nō posiit, hoc utiq; internoscere, primū iam artificis est. Siquidem hoc ipsum primū artis est opus, ut intelligas, sperarè ne id quò tendis debeas, an secus. Eius rei duplex cognitio est, nec potest addi tertia. Altera per experientiam, cui longo usu est opus: altera per ipsius rei naturā. Hęc siquidem, tum cuiusq; substantiam particulæ, tum actionem, tum usum, situmq; ęstimabit. A quibus procedens, non solùm quod sanari non potest, præuidebit, sed etiam quod recipere sanitatem potest, de inueniendis ei remedijs deliberabit. Cōstat autem quòd à simplicissimis auspicabit. Porrò nihil est simplicius ulcere, quod in summa carnosa parte cōsistit. Huius ergo, si quidem ulcus tantùm sit, unus curationis scopus, unitio est.

*Vlceris caui curationis duplex scopus.*

Sin autem cum cauitate adsit, erit duplex affectus: nempe ulcus, quod est unitatis solutio: & cauitas, quæ ex amissa aliqua animalis propria substantia contracta est. Ac proinde duplex etiā proponit eius curationis scopus: nempe ut inducatur cicatrix, & impleatur cauitas. Horum tamen alterum sæpe fieri non potest: utputa, cùm non modò carnem, sed etiam illi subiectum os, perire cōtigerit. Quippe impleri ad unguem huiusmodi minimè potest: cicatrice induci, facilè potest.

*Instrumenta inuentionis remediorum esse duo, experientiā atque rationem.*

Inuentionis autem, ut aliarum rerum, sic remediorū omnium duo nobis sunt instrumenta: uidelicet experientia & ratio. Cæterùm qui sola experientia utuntur, cùm uideant, cui aristolochia ulcus carne non impleuit, huic thus conferre: cui autem thus nō contulit, ei irim admotam esse utilem: iudicant nō omnes ab omnibus medicamentis similiter affici, ac proinde quamplurima eiusdem speciei medicamenta sarcotica in unū confundunt, quòd nulli corporis naturæ desit, quod sit ex usu.

*Empirices citra delectum in vnū medicamēta cōtraria miscere.*

Atq; hi quidem q̃turpissimè hallucinantur. Primò quidem, nam solius compositionis quæ ex similibus specie medicamentis conflatur, non eius quæ ex contrarijs initur, instituunt methodum. Dein autem, quia in eius miscellæ multitudine, unū fortasse medicamentum laboranti prodesse poterit: fortasse neque unum quidem: cōtrà uerò septem aut octo obesse: ita ut pluribus numeris eiusmodi medicamen obsit, quàm profit. Ac proinde, quod quidem ad hanc rem pertinet, ij plura mihi ignorare, quàm nouisse uidentur.

*Oleum cauo vlceri aduersissimū medicamentum est.*

Etenim oleum cauo ulceri infusum, aduersissimū omnium medicamentū est, ipsumq; & sordidum, & fœtidum reddit. Quòd si tempus quoq; anni calidius sit, ac uitio mali succi homo laboret, aut sit natura obnoxius fluxionibus, aut in uictus ratione delinquat, timendum est ne pars illi ea computrescat ex usu olei, quæ fuerit exulcerata.

*Ceræ vsus cauo vlceri exitus periculosus. Aeruginis vis.*

Periculosus est etiam, & ceræ siue solius, siue in oleo solutæ, usus. Hæc itaq; putrescere ulcus faciunt. At si æruginem, ad læuorem tusam, inspergas, ea quidem nullo modo putrefaciet, dolorem tamen & morsum nō paruum inferet: præterea exedet, ac phlegmonem excitabit. Quòd si largius utare, etiam conuulsionem accerset. Quoniam igitur neq; oleum, neq; ærugo, neq; cera, cauum ulcus per se implere carne potest: constat quòd ex ijs qui experientiā profitent, nemo usquā miscebit illa: id quod faciet rationalis intrepidè, uidelicet haud ignarus, ex duobus temperamentis immodicis, contrarijsq;, confici unum modicū posse.

*Temperamentū unum modicum confici ex immodicis atq; contrarijs posse.*

*Sarcoticum medicamentum vlceri aptissimum confici ex oleo, cera & ærugine.*

Nō est ergo difficile, ex oleo, cera, & ærugine, medicamentū sarcoticū, & moderatè siccum conficere: quale ulceri cauo est aptissimū, ceu quod mediocriter exiccari postulet. Omnis igitur quę præter naturā est cauitas, repleri postulat: quare & quæ in carnosa accidit parte. Ipsa uerò repletio, inueniendorū remediorū finis, quò tenditur, est. Cæterùm ut illa quæ implent inuenias, & multa ratione est opus, & multiplici particulatim indicatione, & methodo rationali exacta.

*Oculis perniciosissima esse, quæ medicamēta ex opio, mandragora, & hyoscyamo constant.*

Qua quidē destitutum uulgus medicorū cùm sit, etiam oculorum doloribus illa medicamēta adhibet, quæ ex opio, mandragora, & hyoscyamo parantur, maximam planè oculorū perniciem: utpote quę nulla re alia sublata ad præsens speciem doloris pręstant, quàm quòd ipsum sensum extinguant.

*Oculorum dolores quanam medendi ratiōe Galenus sanarit.*

Nos uerò, dolores oculorū grauissimos, aut balneo, aut uini potione, aut fomentis, aut missione sanguinis, aut deniq; purgatione sanauimus. Vt igitur ad caui ulceris curationē reuertar, in eo sanè proponitur nobis, ut quæ perijt caro restituatur.

*Carnis generandæ materia est probus sanguis: opifex, ipsa natura.*

*Natura cuiusq; ex primarū qualitatum temperie constat.*

Scire autem oportet, generandæ carnis materiam, sanguinem bonum existere: opificem uerò atq; autorem, naturam illius, uidelicet corporis, cui caro superinduci debet. Porrò natura cuiusque corporis, calidi, frigidi, humidi & sicci temperatura cōstat. Quare perspicuū est, iustum horum temperamentum in subiectis particulis, quibus deficientem carnē sumus restituturi, opificis habere rationem. Ac primū quidem in omni cauo ulcere hæc duo consideranda ueniunt: iustá ne sit temperie id quod subiectum est: nempe an secundum naturam se habeat (similarium

*Sanitas similarium partiū est quatuor qualitatū iusta temperies.*

quippe corporum sanitas, iusta est quatuor qualitarum temperies) & an sanguis qui influit, bonus ac mediocris existat. Nam si horum alterutrum sit uitiosum, multi affectus pręter naturam constiterint. Verùm si & sana sit pars, & sanguinis cōfluxus citra omne uitium: nihil obest quo minus prima carnis generatio cōtingat prosperè, idq; nullius externi medicamenti ope. Cæterùm quia in ipsa primæ carnis generatione duplex excrementū oritur: alterū quidem tenuius (quod in ulcere sanies dicitur) alterū uerò crassius, quod nuncupatur sordes: atq; ex tenui quidem, ulcus humidum redditur, ex crasso autem sordidum: duplicibus sanè medicamētis est opus: utique ut humidum ulcus est, siccantibus: ut sordidum, quæ ipsum expurgent. Ergo cùm nullo unquam tempore natura cesset, certè nec

tempus ullum erit, in quo nõ ambo hæc in cauo ulcere colligantur. Quare nec tempus ullũ erit, in quo nõ utrunq; medicamenti genus, & siccãs & expurgans, desideretur. Sed nõ sat est inuenisse genus medicamenti, nisi etiã speciem eius disquiras. Cuius quidem inuentio petenda est ex cõmentarijs medicamentorũ simplicium, ubi nimirum omniũ medicaminũ temperaturas, gradus, & differentias tradidimus. Debet autẽ medicamen producendæ carni cõueniens, ex ijs esse, quę primo ordine tum detergunt, tum siccãt: qualia sunt, thus, hordeacea, fabacea, & erui farina, iris, aristolochia, cadmia, panax, atq; põpholyx. E quibus aristolochia quidẽ & panax, tum cæteris plus siccant, tum natura magis calent. At hordeacea fabaceaq; farina, multò his minus siccant, ac minimè calida existũt. Thus uerò moderatè calet, minus tamen illis siccat. Erui farinæ & iris, horum, atque aristolochiæ & panacis, medium locum sortiuntur. Cæterũ thus in humida corporis natura carnẽ producere potest, in sicca autem non potest: uim tamen mouendi pus habet, nimirum cum medijs ac temperatis naturis consentiens. Sunt nanq; duæ differentię primarum indicationum: quod secundum naturam se habet, custodiam sui indicante, & propterea quæ sibi similia sunt, postulante: quod præter naturam est, sublationẽ sui, eoq; requirente contraria. Perit enim quidq; in contrarium, & à contrario. Vlcus ergo, quò humidius fuerit, eò sanè medicamento quod magis siccet, indiget. Corporis uerò natura, quãtò est humidior, tantò quod minus siccet, medicamentum postulat. Quãobrem ex ulceribus æquè humidis, q̃d quidem in sicciori temperamento cõsistit, utiq; magis siccari postulat: quod in humidiori autẽ, minus, quatenus natura naturæ interest. Siquidem productam carnẽ, ei quæ antea erat, similem esse oportet. Iam uerò si medicamen ulceri admotum profuerit minimè, continget utiq; id, aut quòd exiccarit impensius (hoc enim cognoscit ex insigni ulceris puritate) aut quòd parcius id fit molitũ: quod sanè ex ipsius ulceris sordib. facilè cõijciemus. Quare haud magno negocio ex notis ipsis corrigemus siccitatis medicamẽti & defectus, & exuperantias. Atq; hactenus de cauitatis quæ ulceri inest, curatione sit dictum. Propria autẽ curatio ulceris (est enim hoc cõmune similarium atq; instrumentaliũ particularũ uitiũ) tum à laborantis particulæ temperamento, tum à medicamentorũ proficiscitur facultate. Cæterùm ambo hæc à tractatione de elementis pendent, cùm nimirum genituræ corruptelæq;, quatuor qualitates sint causæ. Quocirca nec similarium, nec instrumentalium partium licet curationem attingere, absque naturali scientia. Sed iam ad ulceris, quod solum cõsistit, curationem transire, tempestiuum uidetur. Fuerit autem solum, si neque affectus ullus simul adsit, nec symptoma. Igitur dum solutio cutis contingit, citra fluxionem, aut intemperiem, aut cacochymiam, aut cauitatem, aut aliquam ipsius cutis deperditionem (quemadmodum ubi à telo aliquo acuto ipsa cutis conuulneratur) ulcus ipsum est, & dicitur simplex, tantumq; agglutinationem desiderat. Quippe si commissæ simul sint cutis orę, nulla intercedet cutis diuersi generis: quemadmodũ in eo repleto, planoq; reddito, in quo scilicet oræ ulceris se non contingunt, sed totius ulceratæ partis cuticula amissa est: quã utiq; prius restituere, q̃ ora iungantur, oportet. Quoniã igit̃ in simplici ulcere sola diuisio proponit̃, diducta labra coniungi, coniunctaq; manere oportet. At uerò ex diductis corporibus, alia quidem per se, alia aliorum ope coniuncta manent. Per se quidem, quæcunq; secum cõcrescunt, coalescuntq;: ut caro, & quæ ex carne constant. Aliorũ autem ope, tum quæ colligantur, tum quæ uinculo aliquo continent̃: ut ossa, & quæcũq; sunt dura. Est autẽ, sicuti in cauis ulceribus, ut producat̃ caro, ita in simplici ulcere, ut oræ ipsæ mutuò coalescant, natura opifex causa: ita, ut si quę dissident, in idem adamussim componas, citra omnẽ reliquam extrinsecus molitionẽ coalescant. Quæ diducta sunt, in idem adduces, aut uinculo ex duobus initijs circundato, aut sutura, aut fibulis impositis: aut horũ quibusdam, aut omnibus. Expedit autẽ, quod circumijcit̃, nec molle nimium sit, quò uidelicet tutò cõtineat: nec rursus ita durum, ut premendo offendat. Circũductio etiam ipsa, nec ita laxa sit, ut nihil efficiat: nec ita uehemens, ut dolorẽ premendo excitet. Hac itaq; medendi ratione, quale diximus ulcus simplex coibit. At si ob magnitudinẽ eius, uel ob intercidentem saniem, uel ob dolorem, aut insignem imbecillitatem particulæ, uel deniq; ob inclusum aërem, disiunctæ partes exactè ad imũ usq; coniungi nequeant, eiusmodi sanè ulcus ex sola partiũ commissione agglutinari omnino non potest. Quare medendũ prius est illis impedimentis, aliquo medicamẽto siccante: quod quidem si qua sanies iam subsit, absumat eam: & si qua in uacua loca influxura est, hanc prohibeat. Etenim medicamen glutinatoriũ, aut omnino carnis generatione nõ eget, aut planè exigua: ac proinde plus siccet oportet, q̃ quod carnẽ producit. Præterea, cùm carnis productiuũ medicamentũ facultate extergendi opus habeat, qua non modò redundantiam humoris siccet, sed etiam expurget sordes: glutinatoriũ certè nec deterget, nec expurgat, sed contrà prorsus substantiam omnem in idem cogit: cuiusmodi facultatẽ haberit medicamenta ea, quæ austera, & astringentia uocantur. Quocirca, ubi carni gignẽdæ studemus, maximè cauendũ est à medicamento astringente: utpote quod sordes ulceribus arctius affigat, quàm ut facilè possint elui. Vinũ igitur omnis ulceris, quatenus ulcus est, optimũ medicamentũ existit. Porrò ipsa medẽdi methodus procedet nobis bellissimè, si de singulis simplicibus seorsum aliquid præceperimus: pòst uerò, de cõpositis omnibus alteram aliquam methodũ explicarimus. Quam quidem si ingrediamur uiã, omne ulcus tum siccari, tum debere astringi inueniemus, non tamen detergeri. Contrà, cauitatem in carne, siccari quidem postulare & abstergeri, minimè autẽ astringi. Cæterũ quãtò corporis natura est humidior, tantò medicamentis minus siccantibus eget. Quãtò autẽ siccior, tantò rursum quę uehemẽtius siccẽt, magisq; astringant,

*Sarcoticum medicamen primo gradu debet detergere, & siccare.*

*Sarcotica medicamẽta quæ sint*

*Thuris facultates.*

*Naturaliter se habentia corpora, sibi similia postulant: præter naturã autẽ, contraria.*

*Vlceris propria curatio vnde proficiscatur.*

*Genituræ corruptelæq;, quatuor qualitates sunt causæ.*

*Vlcus simplex solam agglutinationẽ desiderat.*

*Diducta partes in vnũ quibus modis possunt adduci.*

*Glutinatorium medicamentum plus siccet, oportet, quàm quod carnẽ producit.*

*Astringentia medicamẽta cur fugiẽda, vbi carnẽ producere est animus.*

*Vinum omnis vlceri optimũ medicamentũ esse.*

*Vlcus omne simplex tum siccari tum astringi debere.*

*Cauum vlcus esse siccandum & abstergendum.*

*Vlcus in humidiori natura minus ficcandū esse in ficciori autē vehementius.*

gant, desiderat. Iam uerò ulceri mediocriter cauo, statim quicquid uolumus applicamus, siue siccum id, siue humidum medicamen existat. At in uuluetibus quorū maior profunditas est, id nō licet. Etenim & cerussa & lithargyros siccāt, astringuntq; modicè: ad ulceris tamen fundum uis eorum nō peruenit, nisi humori cuipiam misceantur.

*Vlcus tum cauū tum plenū, quid postulent.*

Porrò quemadmodū cauum ulcus ut repleatur, carnis generationē (cuius materia sanguis est) postulat: sic plenū, ut perducatur ad cicatricem, generationem cutis, quæ ex carne est, nō unionem tantùm, desiderat. Verùm caro eadem specie cum ea quæ perijt, gigni in cauo ulcere potest.

*Cutem similem ei quæ perijt, restitui non posse.*

Cutis talis omuino, qualis erat quę perijt, prorsus restitui non potest: sed simile quiddam cuti, & quod eius officium suppleat, potest. Etenim cùm cutis carne ipsa tum siccior, tum

*Cutis gignendæ ratio.*

densior sit, certè si resiccarimus & astrinxerimus carnem, persimilem illam cuti reddemus.

*Cicatricē inducturum medicamentum quale nam esse debeat.*

Cæterùm multò siccius quod cicatricē inducat, quàm quod agglutinet, esse oportet medicamentum. Quandoquidem glutinaturo, solum id propositum est, ut eius quod secundum naturam est, redundanriam cōsumat: qui autē cicatricem inducet, nō lioc modò, uerumetiam ut ei quod secundum naturā se habet, aliquid deradat.

*Cicatricē inducentia medicamenta quæ sint.*

Galla igitur immatura lioc loco, & malicorium, & Aegyptiæ spinæ fructus, modicè siccantia pharmaca sunt. Chalcitis, & æs ustum, & ęris squama, & misy, multò his ualentiora existunt: misy quidē & chalcitis, pręcipuè: mitior autē æris squama: atq; etiā hoc mitius æs ustum, pręsertim si ablutū fuerit. Sed hoc quidē ad speculationē de cōponendis medicamentis pertinet, quæ medendi sequit methodum: quemadmodū ipsam præcedit, simplicium pharmacorū notitia. Deinceps autē agamus de excrescentia carnis in ulcere, quæ morbus in magnitudine existens, primò omniū sui

*Excrescentia carnis in vlcere à vehemēter siccātibus medicamentis exeditur.*

ablationē indicat. At hæc, sola uehemēter siccantium medicameutorū ope perficitur, haud item naturæ opera: contrà q̄ in carne restituenda, aut glutinatione res habuit: hæc enim ipsius naturæ sunt opera, nec aliud medicamenta moliunt, quàm submouere illa, quæ actioni eius obstant.

*Naturæ opera quæ.*

*Carnē minuentia medicamenta.*

Porrò medicamenta carnē minuentia, proxima tum his sunt quæ ualenter detergūt, tum ijs quę cicatricem inducunt. Cæterū misy & chalcitis, si humidæ naturæ applicent, potius carnē exedēt, quàm cicatricē inducant: nisi fortè in pollinem admodū tenuem redactis, parcissimè illis quispiam utatur. Nam sic imposita, partibus cicatricem cōciliant. Quòd si minuere quæ supercreuere studemus, liberalius sunt imponēda. Aerugo autē, magis adhuc q̄ hæc, minuere carnē potest, ita ut genus eorū quæ cicatricē inducunt, prorsus egressa uideat.

*Carnē exedentia medicamenta redde minus acria si cōburantur: minusq; adhuc, si abluta fuerint.*

Iam uerò si exuras hæc omnia, ut minus acria, sic etiā ad cicatricē inducendam ipsa reddes aptiora. Si uerò etiā laues, adhuc euadent mitiora.

*Naturam ægri in primis esse cōsiderandam.*

Hoc autē semper curantis animo hæreat, nō omnē naturā eadem remedia requirere: sed infirmiores, molliores'q;, mitiora: ualidiores sicciores'q;, ualētiora. Quare natura ægri in primis uenit consideranda. Cùm autē cuiusq; naturę proprietas ineffabilis sit, nec exactissima scientia cōprehensibilis, ac præterea cuiusq; hominis propria curatio habeat, is erit optimus cuiusq; particularis ægritudinis medicus, qui iam eam methodū cōparauit, ex qua & dignoscere naturas possit, & cōiectura cōsequi, quæ sint cuiusq; propria remediā.

*Medicus cuiusq; morbi optimus, quis sit dicēdus.*

Verū legitimi ulceratarū partiū temperamenti, quoties eas uel carne implere, uel glutinare, uel cicatrice inducere studes, maior tibi solicitudo erit. Nam si ipsa exulcerata caro calidior sit, aut frigidior æquo, utiq; medelam exigit, quæ nō modò moderatè siccet, sed etiam in tantū calfaciat, refrigerétue, in quantum subiecta caro à naturali suo recessit habitu: cùm fieri nō possit, ut in ulcere uel carnis productio, uel sinus impletio, uel agglutinatio, uel cicatricis inductio, rectè unquā cedat, nisi subiecta caro pro naturali modo se habeat.

*Vlcus rectè curari non posse, nisi subiecta caro pro naturali modo se habeat.*

Vt igitur si phlegmone unà cum ulcere urgeret, priusquā hęc esset discussa, nemo id uel carne implere, uel glutinare, uel inducere cicatrice tentaret: ad eundem (arbitror) modū, etiā si sine phlegmone sola intemperies subsit, nullū horū fore prius sperabimus, q̄ illa fuerit sanata.

*Vlcera curaturus cauere debet ab extremè calfacientibus atq; refrigerantibus.*

Cauenda tamen sunt interim immodicè cùm calfacientia, tum etiā refrigerantia. Ergo hyoscyamū, mandragorā & cicutam, ceu supra modū refrigerantes herbas uitabis: tametsi siccāt eæ quoq;, quantū sit ulceri ex usu. Resina uerò & pix, & asphaltus, quanq̄ modicè siccant, immodicè tamen sunt calida: ideo'q; eis solis utetur nemo, nec aliter, nisi admistis cū leuiter refrigerantibus, unū ex omnibus medicamen fecerit, q̄d sit temperatū.

*Aëris temperaturam ad vlcerum curationem esse expendendā.*

Inspiciunda quoq; est & aëris nos circūdantis temperies. Siquidem ueluti medicamentū quoddam is etiā corporib. nostris forinsecus incidens, ubi immodicus calore, uel frigore est, sanationē morat. Danda igitur opera est, ut medicamēta eius excessui occurrant. Ideo'q; Hippocrates in calidiorib. anni temporibus, ijs quibus frigidior facultas sit, medicamētis utitur, calidioribus per frigidiora. Iam uerò quemadmodū humidior natura, humidiora, siccior ficciora medicamenta exigebat: ita nūc, calidior calidiora, frigidior frigidiora requiret: contrariā scilicet semper ijs, quæ præter naturā, & quæ secundū naturā sunt, indicationē pręstantibus.

*Naturaliter se habentia corpora, similia sibi: præter naturam autem, cōtraria postulant.*

Quippe quæ secundū naturā sunt, similiū sibi indicatiua sunt: quæ præter naturā, cōtrariorum: si modò illa seruari, hæc submoueri est necesse. Quod uerò ad cōtrarias indicationes pertinet, si quantò ægri temperamentū iusto est humidius, tantò particula iusto sit siccior, tale adliibendū est pharmacū, quale si ulcus in medij temperamenti particula, corporis mediocriter temperati cōsisteret, adliiberemus. Sin autē particula fuerit* siccior iusto, q̄ corporis temperamentū sit æquo humidius: utiq; in tantū intendi siccitatem medicamēti cōueniet, quantū particulæ tēperamentū, totius temperamentū excedit. Veluti si exulcerata pars, quatuor numeris sit siccior medio temperamēto: ęgri autē natura gradibus tribus humidior: manifestū est, particulam quæ nunc exulcerata est, siccius uno gradu desideraturam medicamentū, q̄ quæ sit temperata particula. Simili modo & de alijs excessibus licet tibi ratiocinari.

*Siccæ partes quæ sint.*

Porrò sicciores particulæ sunt, quæ minus carnosæ existunt: cuius generis sunt, quę

circa digitos articulosq; habent: præterea, quæ circa aures, nasum, oculos, & dentes consistunt: atq; ut semel dicam, ubi crebræ cartilagines, & mẽbranulæ, & ligamẽta, & ossa, & nerui adsunt: adeps uerò & caro, uel omnino nulla est, uel per exigua.

*Vlceri sordidi et caui curādi methodus.*

Ordo autẽ curandi ulceris sordidi & caui, à sorde expurganda oriet, cùm nec glutinari quicq̃, nec carne impleri possit, priusquã purum fuerit. Secundũ locũ exiget cauitatis sanatio. Tertium, cicatricis obductio. Quòd si unà cum illis uel phlegmone, uel erysipelas, uel gangræna, uel intemperies aliqua simplex cõpositáue, partem infestet, nisi quis prius eam sanarit, ulcus implere carne nõ poterit.

*Carnis generationem ex subiecta carne, si sana sit, fieri.*

Carnis siquidẽ generatio, ex subiecta, quę sana est, ortũ ducit. Ex ea uerò quã premit phlegmone, quæq; intemperata est & ægrota, gigni caro noua non potest. Etenim iusta subiectæ carnis temperies, causæ rationẽ habet: ut quæ cõerescere secũ, quod ulceratũ est, faciat, & cauitatẽ impleat. Puritas ulceris, rationẽ eius sine quo nõ, atq; hanc sordes interpellans, curationem morat. Habet autẽ & ulcus ad cauitatẽ, rationẽ eius sine quo nõ: quandoquidẽ si ulcus cicatrice fuerit obductũ, nõ amplius cauitas impleri carne poterit. Ergo si phlegmone, & cauitas, & ulcus, & sordes, in eadẽ particula simul adsint, primò phlegmonẽ, secũdo loco sordem, tertio cauitatẽ, & quarto ulcus sanare oportet. Cæterùm affectus unde primũ maximeq; imminet periculum homini, hic debet primus curari, atq; etiã solus interdũ: ueluti si puncto capite musculi, cõuulsio, quæ cõgruentiũ omniũ medicamentorum uim respuit, accidat, præciso per transuersum toto musculo, conuulsionẽ quidem sanaueris, aliquẽ tamen ex particulæ motibus uitiaueris.

*Puncto capite musculi, si cōuulsio creatur immedicabilis, scindendum esse totum trāsuersim musculum.*

*Sanguinē fluentem immodicè, supprimi, si per transuersum totum vas præcidatur: vlcus tamen eius postea sanari nō posse.*

Ad eundẽ modũ, cùm ex uena, arteriáue sanguis immodicè profluit, si totũ uas per transuersum pręcideris, ulcus quidem eius postea sanare nõ poteris: periculũ tamen q̃d ex profluuio sanguinis impendebat, sustuleris. Iam neruũ punctum sæpe cogimur transuersim præcidere, quoties uel conuulsiones, uel deliria, uel ambo, magna ægreq; sanabilia, superuenire uulnerationi cernimus.

*Neruus quando trāsuersim secādus.*

*Luxatio cum vlcere quando debeat insanata relinqui.*

Similiter ubi luxatio cum ulcere in aliquo maiorũ articulorũ incidit, ulcus sanamus, luxationẽ autẽ insanatam relinquimus. Nam si hanc quoq; sanare conemur, cõuulsiones haud dubiè sequent. Primus igitur medendi in hisce est scopus, ille qui ueluti à causis sumit, eius q̃d est futurũ: alter, qui ceu rationẽ obtinet, eius sine quo nõ. Tertius deniq; is de quo nuper diximus, qui ad id quod urget dirigit. Porrò quod cõsistere seorsum & per se potest, id nullius unq̃ alterius differẽtia fuerit: sed quod alteri accidit, nec seorsum per se consistit.

*Differentia nullius potest, quod per se cōsistere potest.*

Quamobrem ulcus, phlegmone, gangręna, & putredo, cùm seorsum & per se consistere possint, affectus quidam præter naturam potius dicenda sunt, q̃ ulceris differentiæ.

*Vlceris simplicis differentia propria vnde sumātur.*

At magnitudo, paruitas, æquabilitas, inæquabilitas, tempus & figura, ex eorũ numero sunt quæ alijs accidũt: ac proinde ab ijs sumunt propriæ simplicis ulceris differentiæ. Indicatio autẽ curationis à differentijs fit, sed nõ omnib. Nam nec recẽs, nec uetus ulcus per se indicat aliquid. Siquidẽ quod ulcus tantũ est, omniq; alio affectu liberũ, siue recens, siue antiquum sit, eandem semper curationẽ desiderat: nihil planè proprium indicante discrimine eo, quod à tempore sumitur. At si cauitatẽ altè reconditã sub cute habeat, considerare oportet, utrum ea in superiore parte sit sita, ut sanies ex ea prona effluat: an in inferiore, sic ut illic sistat. Eius igitur cui effluxus patet, eadem quæ aliorũ curatio est. Cui nõ est, huic ipsi moliamur effluxum quendam oportet.

*Effluxus moliendi ratio in vlceribus quæ aptè expurgari nō possunt.*

Eius duplex ratio est: aliàs tota cauitate desecta, aliàs in fundo tantũ aperta. Quando uerò harũ alterutra sit ineunda, docebit tum locorũ ipsa natura, tum uerò ulceris magnitudo. Si nanq; & loca ipsa periculosam sectionẽ faciunt, & ulcus magnũ fuerit, in fundo aperire magis expedit. Sin contrà se habeant, perscindere præstat.

*Deligandi vlceris ratio.*

Deligatio uerò eius incipiat quidẽ supernè, sed finiat infrà, ubi scilicet patet effluxus.

*Transuersa vlcera diligentius quàm recta iungenda esse.*

Iam uerò trãsuersa ulcera, quòd eorũ labra magis dissideãt, à seseq; absint, diligentius cõiungi postulãt: ideoq; tum suturis, tum fibulis, in eis est utendum. Quæ uerò per longitudinẽ musculorũ sunt facta, hæc si duplici initio deliges, nec suturis egebis, nec fibulis. Sin aliter deligare placebit, uel fibulis, uel suturis utere. Sufficiẽt autẽ paucissimę omnino suturæ. Et magna quidem ulcera, ijs quæ ualentius siccent medicamentis curabis. Parua uerò, uel quæ moderatè siccẽt, abundè sanauerint. Cæterùm profunda ulcera, eadem etiã sunt magna, uoluntq; tum à duobus initijs deligari, tum uerò nec labra sua præproperè glutinari. At quæ profunda multũ, longaq; sunt, ut duplici ratione sunt magna, sic duplicẽ quoq; præstant indicationem. Itaq; & quæ ualenter siccent postulãt, & ne immaturè labra coniungas: & ut à duobus initijs deliges, & ut altis suturis consuas.

## *GALENI PERGAMENI de methodo medendi lib. IIII.*

*Vnitatis solutio.*

Est itaq; unum morborũ genus, diuortium continui uocatũ: quod quidem in carnosa parte, ulcus: in osse, fractura: in neruo, cõuulsio appellatur.

*Vlcus. Fractura. Conuulsio. Auulsio. Ruptio. Contusio. Ecchymosis.*

Eiusdem generis sunt auulsio, ruptio & contusio: illa quidem in ligamẽto, hæ in uasis musculisq;, ex uiolento ictu, uel graui casu, uel alio quopiam ualente motu excitatæ. Ecchymosis uerò ut plurimũ unà cum contusione & ruptione incidit. Fit autem aliquando & ex oris uasorum apertione, quæ anastomosis dicitur, & ex ea quam diapedesin uocant, & ipsam existentem solutæ continuitatis aliam speciem.

*Anastomosis. Diapedesis.*

Iam uerò & ex erosione etiam soluitur interdum in animalis partibus cõtinuitas. Verũ is iam mistus affectus est.

*Erosionis causa.*

Porrò erosio, si intrinsecus ab ipso animali proueniat, uitiosi succi est soboles: sin extrinsecus, aut à ualentibus medicamentis fit, aut ab igni. In uniuersum autem, simplices affectus à cõpositis distinguere oportet, cùm simplici morbo simplex curatio adhibenda sit, composito uerò non simplex. Igitur omne ulcus, aut solũ atq; per se, nullo nec cum eo simul inuadente, nec ipsum præcedente, aut sequente alio affectu, partẽ infestat: aut cum alio quopiã uno, pluribúsue coniunctum: quorum alij, non modò statim ab initio excitarũt ulcus, sed nunc

etiam

etiam maius efficiunt: alij, eius siue quo non, ut ad curandi opus, rationem obtinent. Cæterùm qui ulcus maius efficiunt, submouendi è corpore sunt, aut peruincendũ id, quod inducũt, incõmodum. Hoc autẽ, si affectus exiguus sit, fieri licebit facilè. si uerò magnus, duci ad cicatricẽ ulcus non poterit, priusquã illi affectui subuentũ fuerit.

*Vlceri curando quæ requirãtur.*

Ergo omne ulcus subiectã sibi carnẽ prææditam naturali dispositione, optat: & ne quid alienum inter oras cõglutinandas intersit, quod curationẽ morari possit. Subiectæ uerò carnis affectus, causæ rationẽ obtinet, ad id quod efficitur. Quippe ex hac, & per hanc, tum quæ dissident, glutinantur: tum quæ caua sunt, carne implentur: quare pro natura sua se habeat oportet, quò hæc utraq; cõmodè perficiant. Rectè autẽ illa se habuerit, si propriũ temperamentũ tueat. Itaq; necessum est ad ulcera tum glutinãda, tum carne implenda, temperatam esse subiectam carnem. Nec sat hoc ipsum uidetur esse, nisi etiã qui affluit sanguis & probus sit, & quãtitate mediocris.

*Vlcera cacoëthe cur talia euadãt*

Quippe ægrè sanabilium, rebelliumq; ulcerum, alia ob intemperiẽ carnis exulceratæ, alia ob affluentẽ humorẽ fiunt talia. Caro autẽ ipsa interdum solis qualitatibus naturæ modũ egreditur, interdum accedente tumore præter naturam. Iam humor confluens, aut qualitate aut quantitate, à naturæ modo discedit. Interdum uerò miscentur dictorum affectuum, aut aliqui, aut etiam pariter omnes.

*Carnis sicca intemperies, quomodo corrigẽda.*

Ac carnis quidem intemperiem, si squalens siccaq; uideatur, aqua temperata fouens humectansq;, donec rubescat, attollaturq; in tumorem, corriges. Si uerò ultra perfuderis, id quod attraxisti euocabis: ac proinde nihil profeceris. Quinetiã medicamẽta humidiora, q̃ sanæ carni, adhibeant. Si uerò humidior q̃ pro naturali habitu caro fuerit, contraria ratio ineunda est, ac medicamentorũ facultas ad siccius transferẽda: aqua uerò nullatenus admouenda: sed si lauandum ulcus uidet, uinũ, aut posca, aut decoctũ austerę cuiuspiam herbæ, præparandum.

*Carnis humida intemperies quomodo corrigẽda*

Eodem modo & calidiorẽ q̃ par est, carnis habitum refrigerabis, & frigidiorẽ calfacies.

*Carnis intemperies quomodo dignoscenda.*

Agnosces uerò horũ utrunq;, partim colore, partim tactu, partim laborãtis sensu. Quippe aliàs ustionem se sentire fatentur, aliàs manifestum in particula frigus: gaudentq; uel frigidis medicamẽtis, uel calidis. Et alijs quidem rubor leuis insidet, alijs color magis albicat. Partiũ porrò quæ cum aliquo præter naturam tumore exulceratæ sunt, earum prius sanandus est tumor.

*Vlceris labra quando excidenda sint.*

*Aeger quãdo sit consulendus.*

Vbi labra tantùm ulceris decolorata duráue plusculum fuerint, excidenda ea sunt ad sanam usq; carnem. Cùm uerò altius id malum serpit, deliberatione est opus, excidendúm ne omne sit, q̃d præter naturam cernitur, an temporis spacio curandum: qua in re certè consulendus etiam est æger.

*Humor in particulas cõfluens exulceratas, quomodo auertẽdus & reprimendus sit: & qua ratione.*

Iam uerò si prauus humor in particulas cõfluens exulceratas, nec uberior sit iusto, nec multùm excellat malignitate, auerti hunc, atq; repelli cõueniet: astrictis scilicet, refrigeratisq; ijs particulis, quę ante exulceratã consistunt. Inchoanda etiam deligatio est à laborante particula, deducendaq; uersus sanã. Quę autẽ ulceribus ipsis admouent pharmaca, siccent ualentius oportet, quàm quæ simplici applicantur ulceri. Quòd si sisti, cõpesciq; medicamentis influxus nequeat, causa eius inuestiganda est, atq; hæc prius adimenda. Ac si quidem ob partis, quæ fluxum recipit, imbecillitatẽ aliquam id contingat, huic nimirum medendum est.

*Imbecillitas partis ab intemperie nascitur.*

Imbecillitas autẽ partis, omnino ab intemperie nascitur: nõ tamen ab omni, sed ab excellentiori, quæ sanè per contrariã est abigenda. Vbi igitur intemperiẽ ipsam sanaueris, te ad curandũ ulcus cõuertes: nõ aliter planè nunc curata intemperie, q̃ si incidisset citra ulcus. Si uerò ab alia quauis particula, uel etiam à toto corpore, uitiosus aliquis humor influxerit exulceratis particulis, medendum in primis est ipsius fluxionis radici.

*Varices prius sanandas esse, quàm ulcus ab eis fluxum recipiens.*

Ita igitur & uarices, quæ sæpe supra exulceratũ locum sunt, prius sanabimus, ut deinde mox ulcus sanemus. Aduertendum autẽ est interim, nullam primitiuarũ causarum, quas procatarcticas uocant, nisi etiamnum affectum producant, esse curationis indicatricẽ: sed huius indicationem, ab ipso affectu minimum habere.

*Indicatio utilis nulla sumitur à causa nõ permanente*

Siquidem à nullo eorũ, quæ adhuc non permanent, indicatio sumi eius quod ex usu futurum sit, potest.

*Procatarcticarũ causarũ usus*

Est tamen utilis causarũ procatarcticarũ cognitio, ad noscendos affectus eos, qui tum rationẽ, tum sensum latent. Est itaq; rei quidem præsentis curatio: futuræ autem, prouidentia. Quod uerò nec nunc lædit, nec læsurũ timetur, id ab utroq; artis munere, tum eo quod curat, tum eo q̃d prouidet, excessit. Quare nec indicatio ab hoc ad curationem ulla, nec prouidentiæ ratio sumit.

*Indicatio curationis à causa præsente sumitur.*

Si igitur à procatarctica causa indicatio curationis non sumitur, utiq; manifestum euadit, quòd ab ea quæ præsens est, sumetur.

*Prospectrix artis pars duplex.*

Cæterùm prospectrix pars artis, est duplex: altera, quæ morbosum affectum iam pręsentem submouet: altera, quæ illum qui nondum urget, prohibet.

*Vlcera sanescere quæ prohibeant*

Porrò cõtingit ulcera nõ sanescere, interdum quidem ob labra ipsa pessimè affecta, interdum ob intemperiem particulæ, absq; ullo tumore præter naturã: nonnunq̃ ob intemperantiam quidem, sed quæ cum tumore aliquo sit cõiuncta, nõ tamẽ qui omnino sibi labra excidi postulet. Fieri etiam potest, ut superiacẽs uarix, uel auctior lien, uel aliq̃d uitiũ iecinoris, uel imbecillitas exulceratæ particulæ (quæ ipsa quoq; intensa quædam est intemperies) uel totius corporis cacochymia, uel plethora, ut ulcera minus sanescant, prohibeat. Quare causa ipsa, quæcũq; illa sit, circumcidenda uenit. Iam uerò ulcus omne cacoëthe, hoc est, malignantis naturæ, continuò & cauum sit est necesse, cùm ex erosione nascatur.

*Vlcera exasperãda nõ esse: prius quàm corpus uniuersum sit purum.*

Nunq̃ autẽ id genus ulcera, sicut neq; alia ulla, calido acriq; medicamẽto exasperes, priusquã uniuersum corpus à recrementis liberes: quemadmodũ faciebat imperitissimus Thessalus. Quippe eiusmodi medicamenta omnia, cucurbitę ritu ad se trahere à toto corpore sunt habilia. Itaq; nisi id prius uacuaris, materiã fluxiõis acri medicamẽto relinques. Etenĩ quòd nec rectè sanare oculũ ante totũ caput, neq; hoc ante totũ corpus, ulla ratione liceat, tum philosophis tũ medicis uniuersis, qui methodo mederi sunt soliti, est in cõfesso. Voco autẽ methodũ, certam quandam uniuersalemq; uiam, quæ sit omnium

*Methodus est certa quædã et vniuersalis via, omnium particularium communis.*

particulariũ cõmunis. Cæterùm notitiam quandam habeat oportet, tum similis, tum dissimilis, qui methodo quiduis molitur. At uerò, etiamsi in singulis morbis priuata quædam esse methodus medendi uideatur, cõmune tamen genus in omnibus unum existit. Quippe in omnibus curationibus, unum est methodi ipsius principiũ, quod ab affectus indicatione sumitur: uiaq; etiã quæ ab eo principio ad finẽ usq; perducit, est in omnibus particularibus similis.

*Vlcera cacoëthe, quæ dicantur.*

Quę igitur ulcera, omnibus ritè decenterq; factis, nõ sanantur, ea medici cacoëthe, hoc est, maligna, contumacia, rebelliaq; nuncupant. Protrahuntur autem, ubi quis illis, perinde ac si tantũ ulcera sint, medetur. Cęterũ ex diuturnitate ipsius ulceris, indicatio curationis nõ sumitur, sed ex ipsius particulæ affectu. Si ergo tantũ exulceratæ partes affectæ sint, si eas curaueris, cõtinuò sanaueris ulcus. Sin uerò uniuersum corpus prauo succo redundet, si hũc euacuaueris, idem hauddubie molieris.

*Vlceris diuturnitas est succi vitiosi indicium.*

Ac signũ quidem uitiosi succi, est ipsa diuturnitas ulceris: inuentio autem eius quod expedit, non ex diuturnitate, sed ex succi uitio suggeritur. Quare tria hæc sibi mutuò cohærẽt, signũ, affectio, & curatio: signum quidem, ipsa diuturnitas: affectus, succi uitium: curatio, eius uacuatio. Veteres autem, utpote breuitatis studiosissimi, prætermisso medio, interdũ tertiũ statim primo subijciunt. Veluti Hippocrates fecit, cùm dixit: Tum ab inueteratis ulceribus confert ut assiduè sanguinẽ effluere facias, utcunq; id opportunum uidetur: non utiq; curationem indicante diuturnitate, sed sanguinis uitio.

*Vlcus omne, quà vlcus est, vt sanetur, mediocriter exiccari postulat.*

Porrò omne ulcus, quà ulcus est, ut sanetur, mediocriter exiccari postulat. Si uerò etiam habeat secum affectum alium cõiunctum, primò quidem illius curationem: secundò autem, suam propriam requirit. Sed de curatione ulcerum, sic uerba fecit Hippocrates: Quodcunq; ulcus cæsim, peruersimue acuto telo est diuisum, medicamentũ enæmon, & siccans, & quod suppurari uetet, admittit. Sin cæterò aliqua telo tum contusa, tum cæsa sit, huic ita medendum est, ut q̃celerrimè suppuret. Nam & minus phlegmone urgebitur, & necessum est carnes, quæ cõtusæ cæsæq; sint, putrefactas & in pus uersas, liquare, postea nouam carnẽ produci. Quo quidẽ sermone nos docet, oportere omnia siccari, præter ea quæ sunt cõtusa.

*Putredinem oriri à calido et humido.*

Porrò omnia quæ putrefiunt, ex calido & humido sic afficiuntur. Ideoq; etiã ea cataplasmata quæ ex hordei farina constant, ceu quæ calfaciant humectentq;, omnibus ijs affectibus, quibus moueri pus expedit, admouemus.

*Pus mouentia quæ sint.*

Hordei nanq; farina, ex aqua & oleo: itemq; panis, ex aqua & oleo: præterea fomentũ multæ calidæ aquæ. & tetrapharmaci uis: omnia deniq; calfacientia simul & humectantia, pus q̃celerrimè mouẽt.

*Inflammationi cur adhibeantur cataplasmata calida & humida.*

Sciendum tamen est, admoueri cataplasma calidũ atq; humidum inflãmationi, haud quidem tanq̃ remediũ ipsius (phlegmones nanq; remedia facultatẽ frigidiorẽ possident, ut uerbascũ coctũ, & folia trifolij cruda, & epipatri folia cocta, & polium) sed ut lenimen quoddã symptomatis.

*Hordei farina dolori mitigat.*

Ac proinde hordei farina, lenit quidem dolorẽ, minimè autẽ medetur inflãmationi. Igitur uel prauus succus nõ amplius confluit ad partẽ exulceratã, aut etiamnum fluit. Si nõ amplius fluat, ipsi tantũ quod laborat, est succurrendum: si quidem uel liuidum, uel nigrũ, uel rubrum conspicitur, scarificando, ac sanguinẽ emittendo, mox spongiam sicciorẽ potius q̃ humidiorẽ superimponendo: post hæc uerò etiam siccantia remedia applicãdo. Ab his, si res postulat, rursus sanguinem auferendo, ac mox iterũ eadem peragendo, donec parta sanitas sit. Quòd si labra ulceris dura, callosaq; appareant, etiam ea excindendo. At si alicunde humor ad partẽ fluat, fluxionis est occurrendũ origini.

*Sanguinem mittendum esse vbicunq; magnitudo morbi cũ virium robore conspirauerit, vel si sanguinis cõcursus non adsit.*

Si uerò ualens aliquis morbus, unà cum uirium robore affligat, uel si redundantis sanguinis concursus nõ adsit, nemo est qui nõ sanguinem detrahat, qui utiq; in artis operibus fuerit exercitatus. Quippe sanguinis redundãtia haud quaq̃ sanguinẽ esse mittendum indicat, sed magnitudo morbi unà cũ uirtute uegeta: exceptis tamẽ à sermone pueris.

*Sanguinis redũdantiam nõ postulare sectionẽ venæ.*

Etenim si quis etiamnũ sanus, nec adhuc quicq̃ læsus, sanguinis redundantia grauetur, non statim huic mitti sanguinẽ est necesse: imò alij satisfacit inedia, alij cibi parcitas, alij soluta aluus, uel purgatio, uel frequentius balneum: alij sola exercitatio, uel multa frictio, abundè fuit.

*Purgationem in sola cacochymia non administraris commodè, nisi etiam magnitudo ipsius morbi eam postulet.*

Sed nec purgatio in sola uitiosi succi abundantia cõuenienter administrat, nisi etiã magnitudo ipsius morbi sit ipsi cacochymiæ cõiuncta. Sic enim ulceribus atq; uulneribus omnibus quoties ualida sunt, purgationem esse utilem est professus Hippocrates, quòd nimirũ & insigniter uacuet, & ad diuersum trahat.

*Vitia omnia trifariã grauia redduntur.*

Vniuersa autẽ uitia, trifariã grauia ualidaq; redduntur: nempe uel propter afflictæ partis præstantiam, uel propter affectus magnitudinẽ, uel propterea quòd sint cacoëthe. Vulnus igitur quod intra thoracẽ, peritonęumúe penetrat, nõ paruũ periculum adfert, præcipuè si interiorũ quicquã sit simul conuulneratũ.

*Vulnera articulorũ euadere cacoëthe.*

Quinetiam cacoëthe sta tim fieri, quæcunq; in articulis accepta uulnera sunt, id quoq; omnes ferè sciunt. Vbi enim tendones, & nerui, & carne uacua, osculentaq; sunt loca, hic doloris, uigiliarum, cõuulsionis, & delirij periculũ instat. Tum hæc igitur uulnera, tum quæ adeò sunt magna, ut suturis aut ligaturis indigeant, purgationem desiderant. Ad hæc, quibus periculum corrumpendi ossis impendet, ea utiq; non sunt absq; magnitudine phlegmones. Quæcunq; uerò exedunt, ea tum cacoëthe sunt, tum malorum succorũ soboles.

*Herpetes à bilioso excremento oriuntur.*

Herpetes quoq; à bilioso excremento ortũ habent: cæteraq; diuturna omnia, ex huiusmodi quapiam causa proueniunt. Quare in omnibus his meritò purgare per aluum iubet Hippocrates.

*Reuulsionem esse ad contraria loca moliẽdam.*

Si igitur ualenter etiamnum fluxio irruat, reuellere ad cõtraria situ debimus: utique si in superioribus ulcus consistat, per inferna purgantes: sin antè in inferioribus sit, superiorem uentrem uacuantes.

*Deriuatio faciẽda est per vicina.*

At si iam fluxio restitit, atq; in membro inhæsit, deriuare per uicina magis expedit: cũ & in propinquiora translatio, & purgatî medicamento tum accessus, tum attractus, è uicino, fit promptior.

*Morbi magnitudinem esse scopũ sanguinis mittẽdi purgationisq; adhibendæ.*

Magnitudo autem morbi, ceu scopus quidam sanguinis detrahendi, aut purgationis adhibendæ, à nobis cõstituenda est. Quẽ sanè scopũ inuenit

primus

primus omniũ Hippocrates: secundũ cuius qui-

*Vlceri recenti expedire ut ex eo statim fluat sanguis.*

dem sententiam, omni recens facto uulneri, nisi in uentre consistat, expedit ex ipso statim sanguinem plus minúsue effluere. Quippe phlegmone sic minus tentabitur tum ulcus ipsum, tum quæ circumposita ei loca sunt. Idem etiam cõfirmat, debere scilicet imitatorem esse medicum, nõ tantùm naturæ, sed eorũ etiam, quæ cùm sua sponte eueniant, conferunt: necnon conducere, si ab inueteratis ulceribus eorumq́ circũiacentibus partibus, crebrò sanguis fluere cogatur. Porrò quæ acuti sensus pars est, eam q̃maximé seruare citra dolorem tentandum. Quæ uerò parum acri sensu est prædita, hæc, si affectus ita suadet, ualentiora præsidia admittit. Rursus principis quidem membri robur seruari oportet. Quod tale nõ est, licet huic adhibere relaxantẽ medendi rationem. Quod uerò ad positum pertinet, si uentriculus fuerit exulceratus, medicamenta bibenda sunt.

*Gula exulcerata medicamẽta esse paulatim assiduéq; lingẽda.*

Si gula (quæ transitus comestorũ bibitorumq́ est) nõ semel, nec tota simul sumenda, sed paulatim, assiduéq; lingenda: & sané tum crassiora, tum magis lenta esse debent. Nam ex transitu contactuq́, uulneribus quæ illic habent, emolumentũ accedit: nõ ex cõtinendo, & diutius adhærendo: sicut ijs quæ in uentriculo sunt.

*Intestinis exulceratis quo modo succurrendum.*

Quæ uerò ulcera in crassis sunt intestinis, ijs quæ per sedem inijciunt remedijs magis egent: quippe cui magis sunt propinqua. Quæ in tenuibus habentur (quoniam & longinquiora sunt, & medio situ posita) ambo requirũt, & quæ superné sumuntur, & quæ infunduntur per sedem. Cõmunis autem omniũ internarũ partium est indicatio, ut ea eligantur, quæ animalis naturæ maximé sint familiaria, siue cibi sint, siue medicamenta: fugiantur respuanturq́ his cõtraria. Quanq̃ in ijs quæ foris sunt ulceribus, innoxius etiam talium

*Intrò quæ propinanda non sint*

medicamentorũ sit usus, æruginis, æris usti, æris squamæ, cadmiæ, pompholygis, lithargyri, atq; cerussæ. Hæc igitur & similia, interioribus exhiberi nõ debent. Eligenda uerò alimenta sunt, si quidem ad cicatricem perducere, aut ulcus glutinare studemus, tum austera, tum glutinosa, & quæ minimé rodant. Sin emundare, quę modicè abstergeant:

*Mel crudum.*
*Austerum quid.*
*Acerbum quid.*
*Vlceribus internarum partium quæ prosint medicamenta.*

quod munus mel nõ coctum, præter cætera præstat. Ac uoco sané austerũ, id quod astringẽs dicitur: ut acerbum, quod impensé est austerum. Ergo internis ulceribus opitulantur, hypocistis, balaustium, punicorum cytini, galla, malicoriũ, terra Samia, Lemniũ sigillum, rhois, rosarũ succus, acacia, aliaq́ id genus, quæ citra incõmodum uiscerum, præsidium internis uisceribus afferunt. Danda uerò hæc sunt, ex aliquo astringentiũ decocto, uel mâli cotonei, uel lentisci, uel clauiculorũ rubi, uitisue, uel myrtorum, uel deniq; ex uino aliquo austero.

*Vinum fugiendũ esse, ubi phlegmones suspicio adest.*

Cauendum tamẽ à uino est, ubi phlegmones suspicio adest. Sunt autẽ & præparanda id genus medicamenta, cum eisq́ miscenda etiam, tum tragacantha, tum gummi: præsertim si ob gulæ ulcera exhibeantur. Sed & gargarizare quoq; iubendus est, qui ad fauces & paristhmia his utetur.

*Aspera arteria ulcerib. quæ ratione medẽdum sit.*

Ad ulcus autem quod in aspera fit arteria, ut supinus q̃diutissimé in ore teneat, ac omnes qui illic sunt musculos laxet, remittatq́, præcipiendũ: influit nanque sic sensim & paulatim de medicamento aliquid sensibiliter & manifesté in ipsam arteriam.

*Potionis non nihil semper in asperã delabi arteriam.*

Nam & cùm naturaliter sese habet, scire licet potionis nõnihil illuc percolari. Semper autẽ cauendum est, ne largius quicq̃, & per mediam spiritus uiam, influat: alioqui excitabit tussim.

*Mel permiscendum esse medicamentis ijs, quæ thoracis pulmonisq; ulcerib. instituuntur.*

Iam uerò medicamentis omnibus, quæ thoracis & pulmonis ulceribus sunt destinata, mel admiscendũ est: quod quidem digestionis eorũ in corpus, ac celeris transitus, ueluti uehiculũ erit, cum eo, quòd neq; nocebit ulceri.

*Diureticorum aliquod, melque ipsum miscendũ esse medicamentis quæ ad uesicam & renes faciunt exulceratos.*

Ad eũdem modũ, quoties in uesica & renibus cõsistit uitiũ, non solũ mel ipsum, sed etiã diureticorũ aliquod ulcerum medicamentis miscere oportet. Cæterùm partes exulceratę, tum ex earum substantia, tum functione, tum utilitate, tum positu, tum figura, facilé discernuntur. Itaq; nõ modò illa quę diximus, sed etiam complura alia, ex figura partium, positurāq́ indicantur. Etenim cathetere omnino probé uti nequeas, nisi & positum, & figuram totius uesicæ plané perspectam habeas. Ergo in hisce omnibus non parum ad totam curationem locus affectus indicat.

*Affectus in alto sitos, ualentiora medicamẽta requirere, quàm qui in summa superficie consistunt.*

Porrò ualentiora medicamenta requirunt, affectus in alto delitescentes corpore, quàm qui in summa superficie cõsistunt.

*Ecchymosis curatio.*
*Cucurbitulæ usus.*

Ecchymosis omnis, uacuationem pro curationis remedio indicat. Quare calfaciẽtibus huic, & modicé siccantibus medicamentis est opus. Quòd si ecchymosis altius descendat, non fuerit usus cucurbitulæ inutilis: quod quidem instrumentum fuit à medicis, ad uiolentam attractionem excogitatum. Ergo si euocatũ celeriter ecchymoma sit, facilé coalescet rupta ipsa caro. Sin longiore spacio, sordes multa subnascens, medium inter ulceris labra spacium occupat, ita ut iam coire ruptio non possit, sed tantũ ipsa labra propé admoueantur.

## *GALENI PERGAMENI de medendi methodo lib. V.*

MOnstratum igitur est, omne ulcus siccantia medicamenta requirere. Cæterùm

*Vlcus cauũ modicè siccãtia nec non detergentia postulat.*

quod sinum habet, ut minus sané quàm reliqua, sic ea quæ præterquã quòd modicé siccent, etiam abstergendi facultatem possideant, desiderare.

*Glutinãtia medicamenta qualia esse debeant.*

Quod uerò coniungi sibi labra postulat (cuiusmodi sunt cruenta) huic tum quæ magis etiam siccent, tum quę citra abstersionem leuiter astringant, esse opus.

*Cicatricẽ inducentia medicamenta qualia esse oporteat.*

Iam quæ ulcera perduci ad cicatricem postulant, hæc non solùm magis adhuc siccantibus, sed etiã strenué astringentibus remedijs egere.

*Excrescens caro qualia requirat medicamenta.*

Quòd si caro eorum præter naturæ modum intumuit, acria & demolientia desiderare. Si quod uerò aliud symptoma ulceri adiunctum erat, ab eius natura curationis indicatio sumebatur: atque ex hac rursus petebatur remediorum facultas. Si nanq; sordes innasceretur, quæ hanc tollerent opus esse: eaq́ omnia abstergẽdi uim habere, multò sané maiorem, q̃ ea quæ carne implerent. Ac si agglutinaturum medicamentũ esset, siccans, astringensq́ id esse debere. Si carne impleturum, siccans & abstergens: atq; in singulis reliquorum, uti dictum est. Si uerò intemperata subiecta caro esset, primùm per cõtraria succurrendũ esse illius intem-

perantiæ. Nihil siquidem redire ad propriam naturā potest, sine ijs quæ ipsi facultatē habent cōtrariam. Considerandas præterea esse & ipsius intemperantiæ causas: ac primū quidem medendum esse causæ quæ adhuc intemperiem foueret: post hanc uerò, & ipsi quæ iam facta esset intemperantię. Ostendimus autē, tum ab ulcerum differentijs diuersas indicationes præberi, tum eas quę à laborantis corporis temperamento sumuntur, diuersam ab his habere rationē. Siquidem illæ, cùm ex ijs, quæ sunt præter naturā, sumant, omnes contraria esse adhibenda dictant: hæ, cùm ab ipsa natura capiant, similia. Nec illud omisimus, ex præcellentia membri, aut cōtrario statu, itemq́ ex sensu acri, hebetéue, diuersum medicandi consiliū peti. Cùm autē non modò in similaribus, sed etiam in organicis partibus solutio cōtinui oriatur, remediorū indicationes alię quidem à similaribus, aliæ ab instrumentalibus desumunt. Cæterū quandoquidem satis superq́ de ijs ulceribus, quæ in carnosis accidunt partibus, disseruimus, tempestiuū uidetur nunc de illis agere, quæ in arteria, uena, & neruo contingunt. Ergo si cui arteria, uenáue magna sit uulnerata, copiosum sanguinis profluuiū subitò superuenit, & glutinari id uulnus difficile quidem in uena potest. in arteria autem (sicun nonnullis medicorū est uisum) fortasse omnino nō potest.

*Indicationes à laborantis tēpere sumptas, diuersam habere rationē illis, quæ ab ulcerum differentijs sumuntur.*

*Sanguis quatuor modis à uasis effluere potest*

Sanè profluit ex uena aut arteria sanguis, aut reserato earum ore, aut tunica earum diuisa, aut transcolatus, siue sudoris instar transfusus. Porrò diuiditur ipsa tunica, aut uulnerata, aut cōtusa, aut rupta, aut erosa. Anastomosis (hoc est, reseratio) accidit, propter tum uasis imbecillitatem, tum sanguinis qui ad os eius impetu ruat, copiam: ad hæc, acrem quampiā, quæ illi extrinsecus incidat, qualitatē. Diapedesis uerò ex tunica rarefacta, & attenuato sanguine oritur. Accidere tamen potest, & ob graciliū uasorū os adapertum. Quę igitur uulnerant, ea sunt acuta, atq; ad secandum habilia. Quæ cōtundendo soluūt, dura grauiaq; existunt. Quæ rumpūt, omnia tensionis interuentu id faciūt. Idem & intensior actionis uehementia facit: tum plenitudo illa quæ respectu uasorū dicitur, tum casus ab alto, necnon graue quippiā durumq; incidens. Ac si ex uulnere, uel clamore, uel casu, uel cōtusione, perruptū uas sit, utiq; in ijs causa ipsa desijt. Si uerò ex abūdantia, fieri potest ut uas etiam amplius rumpatur, effectrice saltem etiamnum causa manente. Quare in tali affectu, q̃primū est ipsa plenitudo uacuanda: dein supprimendus sanguis: ac demū ulcus curandū. Vbi uerò effectrix causa iam desijt, primò quidem sanguis sistendus est, ac mox ulcus sanandum: idq; obturato perrupto uase, translatoq; aliorsum quod per id ferebatur. Porrò ulcus ipsum claudet, uel labris eius, quæ dissident, in idem adductis, uel osculo ipsius obstructo. Adducent in idem labra, tum nostrarū manuum opera, ubi sic ad manus ulcus se exhibet: tum per deligaturā, tum per refrigerantia astringentiaq; remedia. Neq; eñ fuere fas est, arteriæ uenæúe uulnus. Obstruetur uasis osculū & sanguine ipso cōcreto, & ijs quæ foris illi admouētur emplastris linimentisq;: necnon igne, & medicamentis inducentibus crustam. Potest etiam superimponi ulceri circūiacens caro, atq; ipsa in nonnullis uulneribus cutis.

*Anastomosis uasorum unde accidat.*

*Diapedesis causa.*

*Suendum arteriæ aut venæ vulnus non esse.*

*Vas apertum obstrui quotupliciter possit.*

Auertitur autē sanguis, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulsus. Deriuatio ad uicina loca fit, cùm id quod per palatum uacuatur, deriuatur per nares: reuulsio autem ad contraria, cùm ad inferna reuellitur. Rursus, quod per sedem profluit, id deriuamus per uuluā, sursum uerò reuellimus. Ita nāq; & natura ipsa facere solet. Mulieri enim (inquit Hippocrates) sanguinem uomenti, menses superuenientes remedio sunt. Hac de causa, si uel menses cōfertim eruperint, uel sanguis ab utero quoquo modo profluxerit, sursum reuelles, cucurbitā maximā suffigens mammis. Eandem ob causam, si ex dextra quidem nare profluat sanguis, eum retinet maxima cucurbitula hepati admota. Si ex sinistra autem, lieni. Quemadmodū si per utranq; fluat, utriq; uisceri cucurbitulæ applicādæ sunt. Quòd si resolutus adhuc æger non sit, etiam uena ex eodem cubito incidenda est, qui profusioni è directo respōdet. Cæterùm ubi paulùm detraxeris, mox unam horā intermittens, rursus detrahes: pòst iterū atq; iterum, pro laborantis uiribus. Ad eundem modū, quæ per aluum fluunt, ea uel per urinas, uel per uterū deriuabis: quæ per urinas, ea uel per uterum, uel per sedem transferes. Pari modo, quæ per uterum erumpunt, uel per urinas, uel per aluum. Quæ uerò in oculis, aure, uel palato, fluxiones accidunt, earū ad uicina deriuatio per nares est. At reuulsio in ijs quæ suprà sunt omnibus, deorsum semper agitur: sursum in ijs quę sunt infrà. Pręterea à dextris ad sinistra: sicuti ab his rursus ad illa. Similiter ex ijs quæ intus habent, ad ea quæ foris sunt: cōtraq; ab his, ad illa. Ergo & frictio contrapositæ partis, potissimū per ea medicamenta quæ calfaciant: præterea uincula arctiora, ijs quæ ad contrariū reuocant remedijs annumeranda sunt. Non secus profectò, & naturalium meatuū qui positi ex aduerso sunt, reclusio. Porrò uinculū ipsis profluentibus uasis iniectum, fluentē sanguinē sistit: nostriq; similiter digiti appositi: atque adeo dissidentiū uulneris laborū ligatio, quam epidesim uocant. Situs autē particulæ uulneratæ sit talis, ut & spectet sursum, & ipsam indolentem conseruet. Si uas unde sanguis profluit, altius demissum sit, unco attollendū est, modiceq; intorquendū. Quòd si ne tunc quidē sistatur, ipsumq; uas uena fuerit, supprimendus est cataplasmatis quę ex frixa resina, & farinæ triticeæ tenuissimo polline, & gypso, alijsq; id genus confecta sunt. Sin sit arteria, aut uinculo amplectēs, aut totū uas præcidens, profluuium sistes. Sed uinculum etiam inijcere magnis uenis compellimur: interdumq; transuersim totas præcidere, ubi rectè ex profundissimo loco assurgunt, ac præsertim per angustias quasdam, uel per principes partes. Tutius tamen est utrunq; moliri, & uinculū uasis radici inijcere, & quod deinceps habetur, præcidere. Vasis radicē uoco priorē eius partē, quæ uel iecinori est propior, uel cordi. His peractis implendū carne uulnus est, priusquàm uinculū à uase decidat. Itaq; sistendo sanguini longè sunt cōmodiora emplastica,

*Sanguinem deriuari ad vicina, & reuelli ad cōtraria.*

*Menses reuelli sursum, admota cucurbitula mām.*

*Sanguinē ex dextra nare fluentē supprimi, admota cucurbitula hepati: ex sinistra aūt lieni.*

*Sāguine per nares fluente, quādo & qualis secanda sit vena.*

*Deriuandi modi diuersi.*

*Reuellendi ratio.*

*Frictio.*

*Vincula.*

*Epidesis.*

*Vulnerata particula situs.*

*Sanguis profluēs ex vasis demissis altius, quomodo supprimēdus*

*Sanguini supprimendo cur emplastica sint aptiora crustificis.*

stica, ꝗ inducentia crustas: quãdoquidem in his est uerendũ, ne ubi crusta deciderit, rursum sanguinis profusio ab ipso uase excitetur, cùm uas magis nudatũ carne, ꝗ pro ipsius naturali habitu, derelinquat. Siquidẽ generatio crustæ, ex subiectis fit, circumpositisq; corporibus semiustis.

*Sanguini supprimendo optimũ cataplasma.*

Optimũ igitur omniũ quæ noui medicamentorum, quo etiam ad cerebri membranarũ, necnõ sphagitidum uenarũ hæmorrhagias tutissimè utemur, est quod subijciam. ℞. thuris partem j. Aloës partem S. misceãtur ita cum oui candido, ut perueniant ad crassitudinẽ mellis. Postea uerò leporis mollissimis pilis excepta, tum uasi, tum uniuerso ulceri, liberaliter admoueant. Alligandum autẽ id forinsecus fascia est ex tenui linteo: cuius fasciæ primi quatuor quinquéue amplexus, ipsi profluenti uasi inijcientur, ducẽturq; mox uersus eius radicẽ: nisi in quibus partibus id nõ licet, ut in cerebri inuolucris. His factis, ubi tertio die solueris, si tutò adhuc medicamen ulceri adhæret, aliud rursus superimpones, deligabisq; ut antea, similiter. Quòd si prius linamentũ deciderit, impones alterum: ac sic, quoad carne munietur, curandũ ipsum uas est: necnon à principio ad finẽ usq;, uulnerata particula, mediocriter supina seruanda. Vitandum autẽ est ne dolor incidat, ac rursus profluuium excitet, cùm nihil sit quod profluuium magis ꝗ dolor prouitet, & phlegmonas augeat.

*Dolor omnium maximè tum ipsum profluuium excitat, tũ phlegmonas auget.*

*Manna thuris.*

Iam mãna thuris magis ꝗ thus astringit: est autem minus emplastica. Constat uerò in duris corporibus plus aloës immiscendum esse prædicto medicamento: in mollibus autẽ, plus thuris. Cæterũ ubi medicamentum id facere magis emplasticũ optas, deligere thus resinosius oportet, quod quidẽ & mollius est, & candidius, mansumq; non cõminuitur, sed partes suas sibi cohærentes tuetur, ut mastiche.

*Thus.*

*Mastiche.*

*Cauterijs, caustic isq; in quib. cogamur uti.*

Maximã autem necessitatem uel crustificis medicamẽtis, uel ignitis ferramẽtis utendi animaduerti, ubi ex erosione putrescentis alicuius, profluuiũ sanguinis excitaẽ: ut in pudendis & sede: quæ partes, & propter naturalem humiditatẽ, & quòd excrementorũ canales sint, ex leui occasione putrescũt. Vbi igitur totũ quod iam computruit sublatũ fuerit, tunc in hisce opus est radicẽ ipsam exurere, idq; aut ferro candenti, aut medicamẽtis excitantibus crustam, sed quæ etiã facultatem astringendi possideant, qualis in chalcitide & mysi, & atramento sutorio uisiẽ. Porrò quę ex calce nõ extincta conficiunẽ, ea utiq; ualentiora his sunt: cæterũ calx uim astringendi non habet.

*Adurentia simul & astringẽtia, quæ sint.*

Excidunt igitur citius quæ ab his fiunt crustæ: hærent autẽ diutius, quæ ab astringentibus: quod utiq; longè est utilius. Quare nec festinare quidẽ debemus ad amoliendas crustas, ubi hæmorrhagias periculũ adest, nisi in illis tantũ affectibus depascentibus, in quibus propter putredinẽ, candens ferrũ admouere corpori fuimus coacti.

*Crustas à causticis astringentib. excitatas, hærere diutius ulceri.*

Porrò qui è uasis profluit sanguis, aut propterea quòd amplius nõ cõfluet, sistetur: aut quia occlusa diuisio erit: aut etiã ob utranq; causam, id quod tutissimũ fuerit. At cõfluere prohibetur, & propter deliquiũ animi, & cùm ad contraria reuellitur, & cùm deriuatur ad proxima: & per refrigerationẽ, tum corporis totius, tum præcipuè partis affectæ. Hac etiam ratione, frigida tum pota, tum parti foris affusa, sępe hæmorrhagias suppressit. Idem etiam moliunẽ, & posca, & uinũ acerbum, aliaq; omnia quę uel astringendi, uel simpliciter refrigerandi uim habent.

*Refrigeratio totius corporis & particulæ affectæ, fluentẽ sanguinem supprimit.*

Clauditur ipsa diuisio, si uel contrahatur cõniueatq; id quod diuisum est, uel obstruatur. Sanè contrahitur tum astrictione, tum refrigeratione, tum deligatura, tum uinculo exceptũ. Obstruitur uel intrinsecus, uel extrinsecus. Et intrinsecus quidẽ à cõcreto sanguine: extrinsecus uerò, tum ab hoc ipso, tum à linamento, & spongijs, & crustis, & medicamẽtis ijs, quæ lẽtitia crassitieq; sua, meatus obserant: ad hæc, corporibus ijs quæ circumiacent, propius admotis. Atq; hactenus de profluuijs sanguinis, quę à partibus expositis sensui oriunẽ. Nam quæ de profundo sanguinis profluuia erumpũt, ea nec uinculo nec deligatura sanaueris, ueluti neq; candenti ferro: sed per reuulsionem, ac ad uicina loca deriuationẽ: necnon per cibum atq; potionem, quæ & emplasticam uim sortiantur refrigerentq;: necnõ per medicamenta astringentia.

*Sanguinis profluuijs ex profundo erumpentib. qua ratione occurrendum sit.*

Pro differentia autem & proprietate partium quæ profluuium patiuntur, uarijs utimur instrumentis. Siquidem per clysterem, in intestina: per metrenchyras in uterum: in uesicam deniq; per catheteras, idoneorum aliquod medicamentorũ immittimus. Equidem quaternis diebus uidi sanguinẽ è uulua profluere, nec potuisse ullo remedio sisti, quoad quarto die plantaginis succo utentibus nobis, prorsus constiterit. Est quippe hoc medicamen, & ad ea quę ex erosione excitantur profluuia sanguinis utilissimum.

*Plantaginis succus remedium optimum est sanguinis effusionibus.*

Cui etiam ualentius aliquod hoc casu medicamentũ, aliàs aliud miscere soleo, utiq; ad totum respiciens affectum, id quod perpetuò est faciendum. Etenim in his ipsis quæ ex uulua, uesica, & intestinis profluuia oriuntur, æstimari debebit ipsius profusionis quantitas: ut uidelicet hanc ipsam, uel ut primã, uel ut secũdam indicationem curationis habeamus, nec tamen negligentes affectum. Nam si perruptũ uas aliquod magnũ est, aut uehementer reclusum hiat, utiq; astringentibus medicamentis est opus, ueluti balaustio, hypocistide, rhoẽ, omphacio, acacia, gallis immaturis & malicorio.

*Astringentia medicamenta.*

Sin uel exiguum uas est, quod perruptum est, uel modicè reseratum, sic ut nõ multus sit ex eo sanguis profluens, etiã aloẽ & manna, & pini cortex, & lemniũ sigillum, & spinæ Aegyptiæ fructus, & crocũ, & lapis hæmatites, aliaq; id genus, ex uino nigro austero, utilia medicamenta sunt. Quòd si nec genus id uini adsit, nec plantago, nec solanũ (quippe hæc quoq; sunt idonea) rubi, & cynosbati, & myrti, & lentisci, & hederæ, & cotoneorum, & mespilorum, breuiterq;, astringentium omnium decoctum ex usu est. At si ex erosione profluuium aliquod incidit, erit utiq; id exiguum, atque paulatim effluens. Quare Pasionis, uel Andronis, uel Polyidæ pastillis utendum est: aut etiam nostro qui ex charta constat. Sin profusior hæmorrhagia sit, ijs quæ uehementissimè astringant utendum medicamẽtis, quoad uehemẽs eius frangatur impetus. Mox deinde admiscẽdi illis pastilli sunt: postea ad ipsos solos ueniẽdũ, cũ aliquo ex

*Pastilli diuersi cõtra profluuia sanguinis, ex erosione oborta.*

*Aſtringentiũ ſimul et refrigerãtium vſum, qua adſupprimendũ ſanguinem applicãtur extrinſecus, non vbiq; probat Galenus*

antè dictis ſuccis aut decoctis. At uerò quæ extrinſecus profluenti particulę admouentur, tum aſtringentia, tum citra aſtrictionem frigida, hæc ipſe nõ ubiq; probo: ſed mihi contrà omnino q̃ fieri res poſtulat, ipſum ſanguinẽ intrò compellere, ac uenas quæ in alto ſunt implere uidentur. Vidimus enim quoſdam eorum, qui ſanguinẽ à pulmone reijcerent, ex thorace refrigerato manifeſtè læſos: æquè ut qui ſanguinẽ uomuerunt nonnullos, quòd uenter eſſet foris refrigeratus. Eodem modo & eorum quibus ex naribus ſanguis profluxit, aliqui ex capitis refrigeratione deterius habuerunt. Quare nec omnino, nec ſine diſcrimine, nec omni tempore loca quæ circa particulam unde ſanguis profluit, ſunt ſita, refrigeranda ſuaſerim, ſed poſteaq̃ in alia diuerteris: ut exempli gratia, in naſo, ubi ſanguinis miſsione uſus fueris, uel artuum frictione, deuinctioneq;, uel ad præcordia cucurbitis defixis. Quin ne ſic quidem ad frontem caputq; refrigerantibus utendum eſt illicò, ſed reuellendũ prius ad contraria: utiq; affixa in ſumma ceruice cucurbita. Quippe duplex eſt in ſanguinis è naribus profuſione auerſio: & quæ eſt ad totius corporis inferna, & quæ ad capitis poſteriora: propterea uidelicet quòd ipſæ nares & in ſuperiore & in anteriore parte ſunt ſitæ. Iam uerò ſanguinis effuſio diapedeſis dicta, refrigerantibus & aſtringentibus eſt curanda: necnõ uictu craſsiori, ſi ob tenuitatẽ ſanguinis accidat. Porrò quod ueuæ inſedit ulcus, ſi ad manũ eſt, eandem curationem cum ijs deſiderat, quæ in carne cõſiſtunt. Enimuerò quemadmodũ dura omnia ægrè conſolideſcunt (cartilago enim cum cartilagine per coitionem haud coaleſcit, ſicuti nec os cum oſſe, ſed per callum tantũ coniungitur) ſic etiam ſolutæ arteriæ cum difficultate ob ſubſtantiæ duritiem coaleſcũt, etſi eas aliquando cõglutinari uiderimus: idq; in mulierib. atq; pueris, tum circa frontem, tum circa malleolũ carpumq;, ac mediũ extremæ manus. Simile quiddam aliquando & agreſti contigit iuueni, dum ſanguinẽ ſibi mittendum uerno curaret tempore, quod noſtratibus eſt maximè in uſu. Illi ſiquidem pro uena fuit ſecta arteria in cubito, quam poſtea noſipſi cõglutinauimus. Eſt autẽ ſanatu difficilior arteria inciſa q̃ uena, tantoq; ſiccioribus medicamẽtis eget, quantò ipſa eſt ſuapte natura q̃ illa, ſiccioris temperamenti. Cætera uerò, eiuſdẽ ſpeciei ambæ medicamenta deſiderant. Porrò ad ea quæ in recto inteſtino ſunt ulcera, per ueſicã, cui ſit fiſtula recta ad finẽ annexa, inijcere liquatũ medicamen atq; tepidũ licet. Cæterũ ſicca medicamenta magis ſunt idonea, q̃ quæ liquabilia uocantur: quoniam facilè uel plantaginis, uel alterius eius generis ſucco miſcentur. Eiuſmodi medicamenta ſunt, & crocum, & pompholyx, & aloë, & quę dicuntur cephalica. In ipſo autẽ primo producendæ carnis tempore, quod ſuppreſsionẽ ſanguinis continenter excipit, etiam Lemnia terra ſalutare eſt præſidium. At quę pulmoni adhæſerunt ulcera (cuiuſmodi ſæpe in urbe Roma uiſuntur, loco profectò maximè obnoxio fluxionibus) difficiliora curatu exiſtunt, ob aſsiduam ipſius uiſceris agitationẽ. Quod quidem laxũ & ſpongioſum cùm ſit, minimè etiam mirari conuenit, ſi ſanguis aut pus in thorace contentũ, aliquando per membranam illius tranſmittatur ad arteriam aſperam: quandoquidem per aliam longè duriorẽ in oſsiũ fracturis effundit ſanguis craſſus ad calli generationẽ. Vbi igitur uel ex caſu, uel præualida acutaq; uoce uas aliquod in pulmone rumpit, citraq; dolorem cõfertim ſanguis feruens, floridus, multusq; cum tuſsi expuitur, ſcire licet in uiſcere uulnus conſiſtere. Itaq; laboranti iniungendũ eſt, ut nec reſpiret uehemẽter, ac ſemper ſilentiũ agat. Præterea uena cubiti interna protinus incidenda, à qua bis terq; poſtea ſanguis eſt detrahendus, utiq; auertendi gratia, tum artus omnes fricandi ungendiq;. His peractis, primũ poſca tum diluta, tum tepida, potui offerenda eſt, quò ſi quis in uiſcere cruor concretus latitet, ſolutus expuatur. Atq; hoc nihil uetat bis terue, ternis horis facere. Ab ijs uerò etiã aliquod eorũ quæ tum emplaſticã uim habẽt, tum aſtringunt, medicamentũ eſt exhibendum: idq; aut ex poſca diluta primũ, aut ex malorũ myrto rũmue decocto. Ruſusq; ueſperi medicamen hoc ſimiliter dandum, circunciſo (ſi ualentior ſit æger) omni nutrimẽto. Sin aliter, ſorbitionis q̃d ſatis eſt exhibendũ. Maximè uerò ad rem pertinebit, ſi etiam poſtero die (modò æger robuſtus ſit) parũ ſanguinis rurſus ab inciſa iam uena detrahas. Victu autẽ, medicamentisq; eodem modo in quartũ uſq; diem utatur: pectore interim, ſi æſtas ſit, undiq; melino & roſaceo, madefacto: ſin hyems, nardino unguento. Iuuerit etiam uel maximè nõ modò ad uulnus pulmonis, ſed ad alia omnia, illud medicamen emplaſticũ, q̃d ex bitumine acetoq;, & alijs quæ illi miſceri ſolent, conflatur. Quòd ſi mulieri pueróue, aut corpori quod mollis ſit carnis, medearis, quod ex chalcitide fit, ſatis habile medicamentũ fuerit. Cæterũ ſi rupturæ uaſis ſucceſſerit inflammatio, exigua ſpes eſt cõglutinandi ipſius: quãdoquidẽ inflammationis ſolutæ pus, expurgari ſine tuſsi nõ poteſt, quæ maximè rupturæ aduerſat: in longius tamẽ tempus produci ipſe affectus poteſt. At ſepti tranſuerſi uulnera, quæ foras nõ perueniũt, in carnoſis quidẽ partibus ſubinde uiſa ſunt coaleſcere, eius motu minimè obſtante. Quæ in neruoſis eius hærent, inſanabilia ſunt. Sanè difficilis grauisq; curatio eſt etiam eorũ quæ in carnoſis ſunt partibus, ſi has iam phlegmone obſederit, idq; non in diaphragmate ſolũ, uerumetiã in omnibus quæ intra peritonæũ ambiũtur: quòd in ea ſcilicet ſanies defluat. Danda tamen opera eſt, ut illa quacunque ratione ſiccemus, tum per ea præſidia quæ extrinſecus imponuntur, tum per ea quæ ex aqua, uinóue tenui bibuntur. Horum maximè idonea ſunt, quę diaſpermaton uocant, & quod ex caſia componitur. Immutatur autem plurimũ ipſa curatio ulcerum, per ſingulas animalis partes. Indicat ſiquidem, ueluti uitium ipſum, ut curetur, ſibi applicandum eſſe cõtrariũ: ſic particula quæq;, quod ſibi ſit q̃ſimillimum. Quamobrem auriũ ulcera, cùm eæ partes longè ſiccisſimæ ſint, glaucio ex aceto curantur: necnon (ſi ualentiore ſit opus) medicamine Andronio, ſcoriaq; ferri in pollinem tenuiſsimũ læuigata,

*Refrigerãtibus quãdo circa partes vnde fluit ſanguis vtendũ.*

*Cucurbitã ſumma ceruici affixam, reuellere à naribus ſanguinem.*

*Sanguinis fluentis per nares, reuulſio duplex.*

*Diapedeſis quomodo ſit curanda.*

*Dura omnia ægrè cõſolideſcere*

*Verno tempore ſanguinem mittere Græcis etiã erat conſuetum.*

*Veſica pro clyſtere Galenus vtitur.*

*Lemnia terra.*

*Romam eſſe maximè obnoxiam fluxionibus.*

*Pulmonis vlcera cur difficiliora ſanatu ſint.*

*Pulmonis vulnerati indicia.*

*Hæmoptoici morbi curatio.*

*Poſca diſſoluit grumos.*

*Sanguinem expuentibus repetendã eſſe miſsionẽ ſanguinis.*

*Pulmonis vaſe diſrupto, ſi inflammatio ſucceſſerit, cur aſſe ... nequeat conſolidari.*

*Vlcerũ curationem immutari plurimũ per ſingulas animalis partes.*

*Aurium vlcera quibus medicamentis curẽtur.*

læuigata, & cum acerrimo aceto, quousque ad lubrici mellis cõsistentiam deueniat, coacta. Porrò quod tetrapharmacum dicitur, siccare ulcera id genus prorsus non potest: at maturare phlegmonem potest, augereque affectæ partis putredinem. Itaque audiendi locus, quoniam siccißimus est, idcirco medicamentis eget quæ uehementißimè siccent. At oculo exulcerato, collyriũ fortasse quod ex thure conficitur, expedit: naribus uerò, quod multò sanè magis siccet, quàm ut conueniat oculis, minus autem quàm ut auri quadret. Vlcerum uerò quæ in ore accidunt, quæcunque admodum humida existunt, præsertim si proximè adhærent oßibus, ea medicamentis egent quæ uehementer siccẽt: ueluti diphryge, tum ipso per se, tum ex melle, & uino, & mulso: præterea & ea quæ iris dicit, & quæ anthera: hisque uel siccis, uel ex melle, uel mulso, uel uino. Vtile uerò ad talia est & Musę medicamentum, præterea rhois succus, & omphacium, aliaque strenuè siccantia. At quæ simpliciora oris ulcera sunt, hæc sanare commodè possunt etiam medicamẽta quæ modicè siccãt: ueluti quod ex moris conficitur, & quod ex rubi fructu, & quod ex succo corticis iuglandium uiridis, atque etiam his magis, quod ex musto & cupreßi sphærulis constat. In uniuersum autem, genus quidem medicamenti, ab ipsa curandarum partium substantia & affectu est sumendum: utendi uerò modus, à figura & situ. Siquidem quæ in uentriculo, pectore, & pulmone ulcera constitere, per ea quæ eduntur, bibunturque, curanda sunt. Quæ uerò in intestinis, bifariam. Nam quæ uicina uentriculo sunt, his per comesta bibitaque succurritur. Quę uerò inferius sunt sita, per ea quæ inijciuntur: quippe neque ad ea quæ uicina uentriculo sunt, subire potest quod per sedem infunditur: nec integris uiribus ad inferiora pertingere, quod per os sit ingestum. Quamobrem thoracis atque pulmonis ulcera, tum difficilius ijs quæ in uentriculo sunt, sanantur, ut quorum situs longius absit, atque idcirco medicamentorũ uis remittatur: tum propter hoc ipsum multò ualentiora ea quæ deuorentur præsidia requirunt, quàm si ipsis statim ulceribus admouerentur. Quòd igitur pulmonis atque thoracis ulcera expurgent per tußim, uentriculi autem per uomitum & deiectionem, id ob ipsarum partium contingit formam. Cæterùm qui è uentriculo eluere pus uolunt, non sine periculo uomitum prouocant: sicuti si aliter infixam illi pituitam per oxymeli & radiculam detergerẽt. Tutius itaque est deiectione uti, quum uomenti periculum sit, ne & quod exulceratum est dilaceret, & succum quempiã inutilẽ ex uicinis attrahat. Porrò si in pulmone ruptũ uas sit, scire licet, nisi protinus, antequàm excitet phlegmone, glutinetur, id postea insanabile fore. At ulcera interioris tunicæ asperę arteriæ, & præcipuè laryngis, curationem sanè recipiunt per medicamẽta humida quidem, sed facultate exiccantia: quæ retinentur ore, paulatimque per fauces defluunt, idque ægro iacente supino. Lac etiam, ad talia ulcera unicè commendatur, sed præcipuè quod Tabijs habetur, quum nimirum illic locus sit satis æditus, & aër circundatus siccus, & pascuum pecoribus salubre. Licebit aũt tibi similẽ locum etiam arte parare, insereréque in eo agrostim, lotum, polygonum, melissophyllum, lentiscum, arbutum, rubum, hederam, cytisum, & alia id genus. Iam uerò lac bubulum, crassum natura est: asininum, tenue: caprillum denique, mediam consistentiam sortitur. Verùm muliebre lac tabidis auxiliatur eximiè, quum naturæ humanæ sit admodum familiare. Hoc tamen de lactis usu, sit maximum & commune præceptum, ut ij quibus eo est opus, omnino id astante animali statim mulctum ebibant: etiam melle iniecto, si cui cogi in uentriculo solet: necnon sale, si ipsum citius ad aluum descendere cupis. Quod uerò ad sanguinis reiectionẽ ex catarrho ortam pertinet, quum olim accersitus fuissem ad splendidã quandam matronam Romanam, tali affectu prehensam, incidere illi uenam non placuit: quandoquidem iam quatriduum sine cibo egerat propter catarrhum: sed iußi ut acri uteretur clystere, tum crura manusque calfacienti pharmaco plurimum perfricaret, uinciretque: mox caput raderet: cui deinde medicamen, quod ex palumbium stercore constat, imposui: interpositisque horis tribus, in balneum duxi, ac laui, nullo caput contingens pingui. Dein caput idoneo pilo contexi, & pro eo qui tum erat tẽporis statu, nutriui sola sorbitione: post quam, statim fructum aliquem autumnalium austerum dedi. Quum autem dormitura esset, theriacem propinaui, circiter quatuor menses antè confectam. Habet enim id ætatis adhuc præualentem papaueris succũ, qui in antiquatis ignauus reddit: ideoque & somniferũ est, & fluxiones tum siccat, tũ leniter crassat. Secundo aũt die iußi omnes eius partes fricari, uno capite excepto: ad uesperã uerò porrexi rursus theriaces ceu fabę nostræ magnitudinẽ. Erat enim quod pridie acceperat, hoc longè amplius. Postea uerò q̃ hac quoque nocte probè dormijsset, tertio die manè mel coctum copiosè exhibui, & in quiete seruaui. Procedente die totum corpus similiter fricui, ac ptisanæ cremorẽ cum pane exiguo, pro cibo sumere iußi. Mox quarto die mane dedi theriacen consistentem in ætatis uigore, idque cum melle copioso. Capiti uerò mulieris eodem pharmaco, quod uehemẽter tum siccat, tum calfacit, imposito, ac dein ipsa lota, nutritaque modicè, ualentius iam pulmonem expurgare sum in quinto conatus. Ac dehinc rursum, rursumque ex interuallo, ad caput quidem consueto cerato, quod thapsiam recipit, sum usus. Totam uerò corporis curam, in gestatione, frictione, ambulatione, lauandique abstinentia, ac uictu tum moderato, tum boni succi, ad reficiendum direxi. Qua industria rectè se habet mulier, minimè lactis opem requirens. Alteri uerò adolescenti, cui ex refrigeratis spiritus instrumentis orta tußis fuerat, quum sanguinem ipse reiecisset ad dimidiam heminam, statim uenam incidi, ac bis eodem die ex ea detraxi sanguinem: deinde rursus postridie bis: sed artuum frictione & uinctura priore die usus, ad uesperam dedi pharmacum nostrum, quod diaspermaton dicitur. Secundo die post alteram detractionem imposui toti pectori ceratũ quod ex thapsia conficitur: mox uesperi, ne supra modum calfaceret, id auferens. Tertio die rursus ad treis horas imposito, hominem laui. Cibaui autẽ similiter tribus his diebus: prioribus quidem duobus, sorbitiunculis: tertio uerò, ptisanæ primùm cremore: dein, pisce statim

*Tetrapharmacum coquit phlegmonẽ, augetque affecta partis putredinem.*

*Oculi ulcera qualia medicamenta postulẽt.*

*Nasi ulcera quæ medicamẽta postulent.*

*Oris ulcera quæ medicamẽta requirant.*

*Diamoron, oris ulceribus cõmodum.*

*Medicamenti genus à substãtia partis affectæ, et ab affectu est sumendum.*

*Vtendi modus à figura & à situ sumitur.*

*Intestinorum ulceribus quæ ratione medendũ sit.*

*Clysmos nõ posse peruenire ad intestina uẽtriculo proxima.*

*Thoracis atque pulmonis ulcera, ualentiora præsidia requirere, quàm si ipsis statim ulceribus admouerẽtur.*

*Ventriculi exulcerati pus, tutius expurgari deiectione, quàm uomitu.*

*Pulmonis uas ruptũ, quãdo fit insanabile.*

*Asperæ arteriæ ulcerum medicatio.*

*Tabiarum lac.*

*Lac bubulum. Asininum. Caprillum.*

*Lac muliebre tabidis esse maximè congruum.*

*Lac astante animali, statimque mulctum, bibendum esse.*

*Lacti quãdo sal & mel inijciendum.*

*Sanguinis reiectionis à catarrho prodeũtis curatio.*

*Theriaces quadrimẽstris facultas.*

*Sanguinem bis eadem die et ex eadem uena detraxit Galenus reijciẽtis sanguinem ob refrigerata spiritus instrumenta.*

*Diaspermaton medicamen.*

*Ceratũ ex thapsia.*

aliquo, qui facilis concoctu esset, adiecto. Dedi quoq; medicamentum diaspermaton & secundo & tertio die similiter circa uesperam: quippe & somnum cõciliat, & sensum doloris leuat, & siccandi uim habet. Vbi autem & spiritui delegatæ partes in naturali essent temperie, & totum corpus uacuatum, ac nulla phlegmones suspicio iuxta ruptum uas superesset, tunc expurgare incepimus. Mox propinata theriace uigenns ætatis, illum ad Tabias dimisi. Ex ijs uerò qui ulcus in pulmone habent, ij demum insanabiles mihi esse uidentur, qui ex succi uitiosi erosione id possident. Oportet autem in principio nullius rei æquè esse solicitum, quàm ut neq; tussiant, neq; ex capite aliquid in pulmonẽ defluat. Cauetur id triplici præsidio: purgatione primùm: secundò, medicamine quod diaspermaton dicitur: tertiò, ipsi capiti prouidendo. Quod purget, diuersas facultates habeat oportet: cuius generis nostræ sunt pilulæ, quæ ex Aloẽ, Scammonio, Colocynthide, Agarico, Bdellio, & Gummi Arabico conficiuntur, ad plures uidelicet purgandas species excrementorum. Capiti prouidebitur cerati usu quod ex rhapsia constat. Atq; hæc quidem sunt peragenda in principio. Pòst uerò reficiendus est æger salubriter, cibis boni succi, frictione, inambulatione, & balneo, ac prætereà lacte fouendus. Quicunque parum habere sanguinis uidebuntur, ijs ad quendam succum probiorem reductis, detrahere sanguinem poteris: tum rursus reficere: eosdem etiã rursus purgare, ac rursus reficere: denuoq;, si res suadeat, sanguinem mittere, potissimum quibus ueluti limus quidam uitiosus & crassus, totus est sanguis. Ac qui sanguine abundant, statim ijs à principio minuendus est. Itaq; per hæc tria, qui planè deplorati non sunt, omnes seruantur: nempe per detractionem sanguinis, & purgationem, & ea quæ caput roborant. Quare minimè à paruis incipiendũ auxilijs est, in quibus morbis maximum impendet periculum. At in leuioribus, licet quidem leuiora experiri remedia. Sciendum autem est interim, fieri non posse ut glutinetur ulcus, si phlegmone pulmonem inuaserit: omninoq;, si inuaserit, febricitaturum hominem esse, ac purulenta deinde, quum soluetur phlegmone, ex puturum tussi. Porrò ulcera quæ citra phlegmonem in pene, sedéue consistunt, nullum cataplasma desiderant, sed medicamen quod cicatricem inducat: non tamen eius naturæ, quæ ulcera, quæ in carne sunt, inducere cicatrice possit: imò quæ tantò magis ualeat siccare, quantò hæ partes carne sicciores existunt. At talia sanè medicamenta sunt, q̃d ex charta combusta cõstat: anethũq; ustũ atq; respersum, ac deniq; colocynthis combusta. Verùm ipsorum, quæ in pene sunt, ulcerum, magis siccari postulant quę in toto cole hæserunt, & quæ solam glandulam occupant: minus uerò quę in præputio sunt: atq; etiam his minus, quæcunque in reliqua sunt cute, quæ totum colem uestit. Recentibus & sine madore tum sedis, tum pudendorum ulceribus, sola aloè redacta in tenuissimũ pollinẽ, inspersaq;, salutare medicamen existit. Simillimã huic uim habet cadmia uino elota, & sicca. Ab hac non longè abest lithargyros. Deinceps uerò molybdæna sequit. Cæterùm omnibus tum minus inferens doloris, tum nullo minus efficax

*Diaspermaton medicamenti usus.*

*Pulmonis ulcera contracta ex uitiosi succi erosione esse prorsus insanabilia.*

*Pulmonis exulcerati curatio.*

*Catapotia descripta à Galeno.*

*Pulmonis ulcera in ijs qui deplorati nõ sunt, curari per detractionem sanguinis, purgationẽ, & ea quæ caput roborant.*

*Extremis morbis extrema remedia adhibenda esse.*

*Pudendorũ ulcera qualia medicamenta postulent.*

*Aloẽm inspersam, esse salutare medicamentum sedis & pudendorum ulceribus.*

*Medicamina ulceribus sedis & pudendorum apta*

pompholyx est. Sin humidiora sint ulcera, ipse per se pini cortex, itemq; lapis hęmatites, idoneus est. Quòd si profunditas quæpiam adsit, ubi exiccata fuerit, dictorũ alicui tantum mannę admiscendum est, quantũ sit ad carnem gignendam satis.

## GALENI PERGAMENI DE medendi methodo liber VI.

Solutio continui, in carne quidem, ulcus: in osse, fractura: in neruosis fibris, spasma: in musculis deniq;, ulcus atq; ruptio uocatur. Singuli uerò horum affectuum, quatenus quidem affectus sunt, sui per contraria sublationem indicant: quatenus autem solutiones continui, unitionem. Igit̃ si cutis tantùm acu (exempli gratia) alicui sit puncta, facileq; in eo sanescant ulcera, etiamsi citra medicamentum, nudoq; membro, ipsum ad consueta dimittas opera, nihil sentiet mali: sin uerò ægrè in illo sanentur, primùm quidem dolebit, pòst etiã tum pulsu particula infestabit, tum phlegmone. Quare minimè imponemus medicamẽ quod glutinet, sed molle, & blandũ, & quod dolorẽ minget. Siquidẽ ubi magna diuisio est, ibi studium impendi debet, ut magis siccantibus remedijs labra ulceris & uniantur, & coalescãt: ubi aũt acu styloue facta diuisio fuerit, id dũtaxat curandũ est, ne phlegmone tentetur particula. Porrò ubi aliquis neruus est punctus, cutim ipsam apertã seruare oportet: aut (quod tutius est) latius incidere, ut per eam ex neruo uulnerato effluat sanies: dein uerò admouenda quæ simul dolorem mitigent, & exitum saniei patefaciãt. Si uirtus uegeta sit, sanguinis missio est expediẽs, purgatioq; uniuersi corporis, si uitiosis succis redũdet. Aqua uerò calida, quanquam reliquas phlegmonas ualde mitigat, uulneratis tamen neruis inimicissima est, quum præsertim eorũ substantia ex refrigerata concretaq; humidiore materia sit condita. Omnis quippe eiusmodi cõstitutio, per ea quę simul calfaciunt humectantq;, resoluitur, atq; putrescit. Quare præstat oleo tenuium partium, & ueteri, & calido, neruos punctos fouere. Hoc siquidẽ, si frigidum applicetur, tenues meatus obstruit: sin calidum, digerit. Etenim medicamenta quæ nerui puncturæ auxiliantur, debent esse facultate tenuia, modiceq; calfaciẽtia, & quę siccare citra dolorẽ possint: quandoquidẽ sola hęc trahere ex profundo saniem, nec demorsa, nec cõtracta particula, ualent. Ego itaq; sum usus primùm resina terebinthina, tũ per se, in ijs qui molli erant carne: tum cum euphorbio, in ijs qui dura. Non secus etiã & propuli, non per se modò, uerumetiã cum euphorbio ipsam emolliens: quòd si durior esset, cum aliquo tenui oleo. Quin & sagapeno, opopanaceq;, sum in duris corporibus usus, utiq; cũ oleo & terebinthina id miscens. Sed emplastrũ ex lachryma Cyrenaica nõ inutile ad id fore mihi uidet̃. Nec secus sulphur uiuũ, ac minimè lapidosum, tenui oleo permistũ, donec sordiũ crassitudinem contrahat. Calx etiam lota, oleoq; cõmista, similiter auxiliat̃, præcipueq; si in æstu caniculę bis terue aqua marina abluat̃. Ego uerò ad neruos punctos hoc uti consueui emplastro: Ceræ partẽ unã: resinæ terebinthinæ, aut (loco eius) humidæ pineæ, aut colophoniæ, aut abietinæ, unius partis dimidiũ: picis tantundẽ. Si itaq; humidã resinã

miscebis

*Solutæ unitatis species.*

*Punctura curatio.*

*Puncto neruo uulnus est dilatandum.*

*Puncti nerui curatio.*

*Aquã calidam esse uulneratis neruis inimicissimam.*

*Neruos punctos oleo calido fouẽdos esse.*

*Pũcti nerui qualia medicamenta postulent.*

*Terebinthinam auxiliari punctioni.*

*Punctis neruis emplastrũ optimum.*

miscebis, tunsum cribratumque euphorbiũ reliquis immittes liquatis. Esto uerò pondus eius, pars ceræ duodecima. Siu siccam, sicuti quæ colophonia dicitur, utique oleum pusillum desiderabit euphorbium.

*Punctis neruis qualia desiderẽtur medicamenta.*

Itaque uulnerati nerui curatio medicamenta postulat, quæ & tepidũ calorẽ excitent, & ualenter siccent: tum quæ ex substantię suę natura & attrahendi uim habeant, & tenuiũ sint partiũ.

*Nerui per directum cæsi curatio.*

At si neruus non punctus, sed per directũ sit cæsus, nudusque diuisa cute ostendatur, uim euphorbij non feret, ita ut quum interposita cutis est, ferre potest. Quare tunc optimè calce elota, & in plurimo oleo soluta utêre. Salutare etiã est medicamen, q̃d ex pompholyge medicamentũ fit, si in largo sit rosaceo liquatũ. Quod unque melius fuerit, si tum rosaceũ ipsum, tum oleũ, salis sit expers.

*Metallica medicamenta debẽt elota esse, si citra morsum sint siccatura.*

Porrò quæ ex metallis cõstant medicamenta, ea elota omnia esse debent, si citra morsum sint siccatura. Salubre uerò medicamentũ est, q̃d ex melle soluto in oleo insulso constat. Cera præterea, terebinthinaque, si his misceantur, elui prius debent. Quippe medicamentis omnibus quæ lauer is, acris mordensque sanies eluitur, abstergiturque. Si uerò robustus fit qui uulnus accepit, & cui corpus sit à superuacuis humoribus mundũ, in hoc fas est ualentioribus remedijs nonnullis uti: cuiusmodi sunt linamenta imbuta pastillis Polyidę, sapa solutis, & super aqua calida repefactis.

*Neruis uulnerato nihil debere admoueri frigidum.*

Nã eorũ quæ uulneratũ neruũ contingunt, nihil esse frigidũ debet: quãdoquidẽ ea pars maximè sensilis est, & principũ partium primati cõtinua, & tẽperamento suo frigida. Quorũ omniũ occasione facilè à frigido offendiť, & suam offensam impertit cerebro.

*Musculi sunt instrumenta uoluntariæ motionis.*

Quòd si ex ijs fuerit qui perueniũt ad musculos (sunt enim hi instrumenta uoluntariæ motionis) etiam conuulsionem facilè accersit. Idem fore & in tendonibus expectabis, ijsdẽ de causis.

*Oleũ reddit ulcera sordida.*

Sanè oleo perfundere tale ulcus non conuenit: nam oleum uiribus illius pastilli est aduersum, ulcusque sordidum reddit. Nec enim parũ interest, nudóne neruo, an per interpositam cutem admoueas. Abluenda igitur à uulnere est sanies per lanam mollem specillo circũuolutã, ac in principio quidem sapa madefactam, expressamque: postea uerò etiam uino dulci, sed omni mordente qualitate carente. Nam quæcunque dulcia pariter & fulua sunt, ut Falernum, ad id inutilia existunt. Quippe acria sunt omnia talia, & supra modum calida. Vlcere uerò iam ad cicatricem ueniente, quæ alba planè sunt, & tenuia, nec multam aquam tolerãt, nec odora sunt, ea dulcibus præstant.

*Neruo uulnerato neque aquam, nec relaxans cataplasma admouere oportet.*

Aquæ uerò usum ad neruum uulneratũ perpetuò fugies, sicuti & cataplasma relaxans. Ad iam dicti pastilli usum proxime illud medicamẽtum accedit, quod diachalciteos uocant. Liquari autem id debet, æstate rosaceo, hyeme Sabino oleo. Quòd si Polyidæ pastillus nõ suppetat, Andronis uel Pasionis, loco eius sumendus est: uel noster, qui etiam omnibus eis est ualentior.

*Nerui transuersim uulnerati curatio.*

*Neruo uulnerato in brachio axillas: in crure, bubones largo oleo fouendos esse.*

Vbi uerò neruus alicui transuersim est uulneratus, detrahere largius sanguinem expedit: ac tenui magis, quàm in illis, uti uictus ratione: tum inquiete omnino ac lectulo molli hominem continere: tum oleo calenti ubertim in axillis, collo, tendonibus, ligamentis, & capite uti. Quòd si uulneratus neruus ex ijs sit qui in crure habenť, sicuti quũ in manu est, alæ, ita in his bubones largo oleo imbuendi: tum per totã spinam ad collum & caput ascendendum.

*Cõtusi nerui curatio.*

At contusi nerui, ubi cum eis est simul & ipsa cutis contusa, cataplasmate ex oxymelite & fabacea farina curãtur. Qui uerò absque cutis simili affectu, contusi sunt, ijs oleum calens, atque tenuium partium, auxilio est. At si dolor unà cum contusione cutis & nerui infester, etiam picem liquidam immiscere illi cataplasman, ac bene coquere, tum calens medicamentũ imponêre oportet. Vbi uerò magis siccans efficere uoles, erui farinã inijcies. Quòd si ut amplius quoque siccer desideras, irim immittes Illyricã. At si totus præcisus neruus sit, metus præterea nullus instat, debilis tamen remanebit particula. Curatio uerò eius communis est cum ea, quæ aliorum est ulcerum.

*Ligamẽta sunt sensus expertia, neque consentiũt cerebro.*

*Nerui oriuntur à cerebro.*

*Tendones constãt ex ligamento & neruo.*

*Ligamenta oriuntur ab ossib.*

Ligamenta autem, quum simillimam habeant speciem tendonibus, ualentissimorum remediorum uim tolerant: quòd neque ad cerebrũ pertingant, & sensus sint expertia. Nam nerui omnes, alij ex ipso statim cerebro habent ortum, alij spinali interueniente medulla. Tendones quoque, quoniam ex neruo & ligamento constant, quatenus nerui particeps sunt, eatenus ex cerebro oriunť, minus tamen q̃ ipsi nerui conuulsionem accersunt. Ligamenta uerò, quum ex osse ortum habeant, quæcunque rotunda sunt, ea neruis sunt consimilia: duritie tamen plurimum dissident. Verùm in eo quòd alba sunt, & exanguia, & cauitate carentia, & in fibras diuiduntur, similitudo illis cum neruis & tendonibus cõstat.

*Ligamenta obnoxia periculo cũ uulnerantur quæ sint.*

Ligamentũ igitur uulneratũ, si id est quod ab osse ad os permeat, & maximè sine periculo est, & si id sicces quibuslibet medicamentis, nihil hominẽ offenderis. Sin id quod se in musculũ inserit, quãtò est neruo & tendone minus opportunũ periculo, tantò utique, nisi rectè curetur, reliquis ligamentis magis terrere debet.

*Abdominis descriptio.*

Sed iam operęprecium est, ut de abdominis uulnere aliquid etiam dicamus. In abdomine extrinsecus cutis omnibus antestat: quæ in membranam finitur. Post cutem, medio circiter loco, neruea tenuitas musculorum gemina tenditur, membranarum ritu. Post has deinceps habentur duo musculi recti, & carnosi, qui à pectore ad ipsa pubis ossa perueniunt. Atque hæc quidem omnia sibi mutuò cohærent, abdomenque constituũt.

*Peritonæum.*

Quod uerò deinceps hoc excipit, peritonæum uocatur, estque ex corporibus duobus exanguibus & neruosis constatum. Verùm alterũ eorum neruosa tenuitas eorum musculorũ est, qui per transuersum feagunt: alterum, membrana prætenuis, ueluti aranea, quæ utique uerè est peritonæum. Ac tale quidem in medio sui est abdomen. Partes uerò eius, quæ utrinque ad latus ad quatuor quasi digitos recedunt, hæ statim à cute obliquos musculos habent: priores quidem, qui à pectore demittuntur: secundos, qui ab ilibus ascendunt: dein post hos, transuersum utrinque musculum, sub quo est peritonęum.

*Abdominis partem anteriorem cũ uulneratur, ægrius curari ijs quæ consistũt ad latera.*

Ergo & minus periculi in hoc loco conuulnerato est, quàm in medio: quum tenuem aponeurosim nullam habeat, & sutura in medio difficulter administretur: quum nimirum & hac parte maximè procidant intestina, & ægrè inibi contineri queant. Si igitur maius sit abdominis uulnus, tum plura necesse est intestina excidere, tum difficilius denuò immitti: quanquam & parua uulnera tractatu etiam sunt difficilia. Nam

*Abdomine uulnerato, cur mediocre foramen sit salutarius angusto.*

*Intestinis excidentibus per abdominis uulnus quid agendum.*

nisi quòd procidit, illicò in suum reponas locum, inflatur, surgitq; in tumorem: quo fit, ut per angustū foramē immitti nequeat. Quare minus graue per huiuscemodi uulnera, mediocre foramen est. Principiò itaq; id agendum est, ut intestina quę exciderunt, in suum recondantur locum. Secundò, ut ulcus suatur. Tertiò, ut medicamen imponas. Quartò, ut ne qua præstantior pars simul afficiatur, prospicias. Si ergo adeò paruum sit uulnus, ut inflatum intestinum ex frigore ambientis aëris remitti nequeat, discutiemus flatum spongia molli, & ex calente aqua madenti, moxq; expressa, intestinum ipsum calfacientes. Præparetur uerò interea uinum austerum calidum: quippe id magis calfacit quàm aqua, roburq; intestino addit. Quòd si huic quoq; præsidio, intestini inflatio non cesserit, incidendum peritonæi tantulum syringotomis est, quantùm ei quod excidit, reponendo sit satis. Scalpelli uerò quibus acies utrinque habetur, aut quibus cuspis acuta est, sunt omnino fugiendi. Situs autem laboranti sit talis, ut quæ uulnerata pars est, sublimiorem semper locum obtineat. Cauendumq; magnopere est, ne id quod exciderit, degrauetur quicquam ab intestinis alijs.

*Abdomen uulneratū consuendi ratio.*

Qui igitur intestina per magnum uulnus prolapsa, reponere in propriam uult sedem, is ubi totum uulnus manibus suis extrinsecus apprehenderit, debet intrò reprimere, tum constringere, ac exiguum semper sienti prænudare: quinetiam id ipsum quod assutum est, modicè comprimere, quoad totum persuatur. Quoniam igitur coire coalescereq; oportet cum peritonæo abdomen, incipiendum quidem à cute est, atq; ab externo introrsus acus inijcienda. Vbi uerò tum cutim, tum rectum musculum totum transierit, præterito quod ei subest peritonæo, per reliquum peritonæum eam ab interno extrorsus inijcies, atq; inde per reliquū abdomen ab interno extra transmittes. Vbi hoc penitus penetrauerit, rursus ab externo introrsus idem abdomen est perforandum. Mox ubi peritonæum quod illi quoque subhæret præterieris, atque ad contrarium ueneris, hoc quoq; ab interno extrorsus est perpungendum, unaq; cum eo totum ipsi coniunctum abdomen. Deinde ab hoc incipiendum rursus, atq; id cum contrario peritonæo consuendum: ac rursus uicina quoq; cute transmissa, iterum ab ea parte acus introrsus est traijcienda, consuendumq; abdomen id cum peritonæo contrario, etiam inibi uicina cute trāsmissa. Atq; hæc iterū iterumq; faciēda, quoad totum uulnus similiter consuerimus. Quod uerò ad interuallū punctionū, earundēq; altitudinem pertinet, mediocritas eligenda est. Filum etiam, inter durum & molle medium quoddam obtineat. At uerò medicamenta, quibus in his utemur, eiusdē materię sint, cum uulnera glutinantibus.

*Ab lonio uulneratum consuendi secundus modus.*

Sunt qui aliter uulneratū abdomen cōsuant, ad hunc modum: Oportet à uicino nobis abdomine incipere, atq; ab externo introrsus per id tantùm acum transmittere. Pòst, præteritis utrisq; peritonæi labris, ex aduersa parte ab externo introrsus per utrunq; eius labrum acum reuocare: dein rursus hāc reuocare, atq; ab interno extrorsum per aduersum abdomē traijcere. Atq; ita totū peritonęū sibi mutuò coalescēs, prorsus intra abdomen abscondit. Deligatio uerò extrinsecus, uel præcipuè in his necessaria est. Ad hęc q̄d inter bubones & axillas est, id totū molli lana ex oleo mediocriter calido imbuta circūdare oportet. Satius itē fuerit, & si per clysterē intestinis aliud simile infundas.

*Intestino aliquo uulnerato quid agendum.*

Quòd si q̄d ipsorū intestinorū sit uulneratū, quę extrinsecus fieri debēt, omnia similiter ut diximus, sunt peragēda. Cęterùm quod inijcit, uinū nigrū austerū, & tepens erit.

*Intestina crassa esse sanatu facilia: difficilia autem quæ tenuia existunt.*

*Ieiuni intestini uulnus, cur incurabile.*

Ac crassa quidē intestina, sanatu facilia sunt: è contrario difficilia, quæ tenuia existunt. Ieiunū aūt est omnino incurabile, tum propter magnitudinē multitudinēq; uasorū, tū quòd tunica eius neruosa, prætenuisq; sit. Adde quòd tum bilē syncerā hoc intestinū recipit uniuersam, tum quòd omniū maximè est uicinū iecinori. Ventriculi aūt quæ carnosæ partes infernæ sunt, curare cū fiducia tentabis: quæ uerò in ore eius sunt, eæ sensus acumen quo minus sanentur, obest: atq; hoc etiam quòd medicamenta illic diu hærere non possint.

*Omento excidēte per uulnus, quid agendum.*

At uerò omentum si per uulnus exciderit (pręstat enim hæc pars aui mali usum non usqueadeo magnum: constatq; ex membrana tenui, arterijs atque uenis contexta) si quid ex eo nigricans sit, excipiemus id uinculo, ac sic, q̄d post uinculum est, amputabimus: atq; ut in imo fine iam prædictæ suturæ abdominis, pendeant ipsius uinculi extrema, curabimus, quò nimirum ea, quum ex uulnere suppurante euomentur, facilè recipiamus.

*Fracturæ scopus unitio.*

Sed iam ad fracturæ curationem ueniendum est: cuius quidem scopus unitio existit.

*Ossa ut coalescāt inepta quæ sint.*

*Callum glutinādis ossibus nasci ex alimento eorundem.*

Cæterùm coalescere nequeunt ossa iuuenum, adolescentum, consistentium ætate, necnon senum, ob eorum maximam siccitatem duritiemq;: tametsi interueniente alia quapiam substātia crassiuscula (quæ ex proprio eodemq; crasso ipsorum ossium alimento redundat) concrescenteq; in labris fracturæ, possint ceu quodam glutino separatæ ossis partes connecti inuicem, atque cōglutinari.

*Ossa puellorum sola posse in unum coalescere.*

At uerò quæ abundè sunt mollia, qualia in puerulis conspiciuntur, ea sola unitionem recipiūt.

*Fractura curatio.*

Ergo si os aliquod per transuersum frangatur, sic dissident à se eius partes, ut è directo non iaceant: quare primò curandum est, ut in directum & contrarium agantur, iuxta integræ exemplum: à qua nimirum certissima transpositionis fractorum ossium indicatio sumenda est. Quæcunq; igitur retrorsum (exempli gratia) magis sunt acta, ea prorsum magis impelli cōueniet: nec minus alteram quoque fracti ossis partem modicè ad contraria retrudi. Contrà, quæ prorsum sunt emota, hæc rursus ipsa quidem retrorsum, reliquam uerò partem sensim duci prorsum: nec secus de cæteris differentijs. Cauendum tamen est interim, ne in adducendis contrario motu partibus, extantiæ fractorum ossium frangantur. Quibus sanè confractis, non poterunt ad amussim inter se coaptari fracti ossis fines. Ob idq; dissidētia ossa, è directo admota esse oportet: quod commodè fieri nequit, nisi retracta sint, idq; aut manibus, aut uinculis, aut instrumentis. Postea uero quàm abundè reuulsa fuerint, nec ullus supersit metus, ne se in adducendo tangant, tum in directū opponere, uinculaq; remittere, ac musculis ipsis diductorum in idem commissionem permittere expedit: interim uerò te ipsum quoq; manibus subseruire: & sicubi aliquid paululū subsultet, corrigere atque formare. Ab ijs secundum,

quò

quò diriges, fuerit, ut immotum prorſus membrum conſiſtat, ne quid eorum quę effinxeris, moueatur. Ne uerò per motiones ipſas diſiungantur oſſa commiſſa, tuta deligatura complecti fracturam oportet.

*Fracta oſſa deligandi ratio.*

Quam ſanè deligaturam nec adeò debemus arctare, ut eam comprimat: nec remittere ita, ut ſit laxa. Ac pectori quidem latiſsima faſcia congruit: artubus autem & iugulo, anguſta, ſed quæ tantum ex uerſuum numero ſecuritatis adijciat, quantum ex anguſtia deficit. Ad hęc deligaturæ principium debet ſuper ipſam fracturam inijci, ac circunduci bis terue: hinc uerò ad membrum reliquum diſpenſari. Siquidem qui ſic deligat, & ab integris ad laborantem partem ſanguinis confluxum arcet, & quod iam collectum in ea eſt, exprimit: prohibetq́ circa fracturam excitari tum phlegmonem, tum ſphacelum, quæ oſsium caries & corruptela exiſtit.

*Sphacelos eſt oſſium caries & corruptela.*

Cæterùm quum duæ partes ſint, quæ & recipere aliquid à laborante particula, & trāſmittere ad eam poſsint: utiq́ quæ ſuperiacent, tum propter multitudinem, tum magnitudinē, ad ambo magis ſunt habiles. Extremæ uerò, propter cauſas cōtrarias, exiguum quidem aliquid uel recipere, uel tranſmittere poſſunt: at multùm nec ægris ſubminiſtrare, nec ab ipſis recipere.

*Splenia fractis oſſibus confirmādis requiri.*

Sed nec ſola deligatura faſciarum eſt ſatis ad commiſſorum oſsium tutelam, niſi etiam & ſplenia unà cum faſcijs exterioribus adhibeantur, quæ hæc quoq́ ipſa ſtabiliant.

*Ceratum humidum.*

Ne autem phlegmone oriatur, cerato eſt humido utendum. Iam uerò repoſitionis figura eligenda eſt, quæ à dolore maximè ſit immunis, quò nec phlegmonem particula contrahat, & æger perſiſtere in una ea diutiſsimè immotus poſsit. Ac talis ſanè eſt quammaximè naturalis membro, ut brachio quidem, anguloſa: cruri uerò, quę paulò minus porrecta eſt. Verùm ad dolorē uitandū, non modò naturalis habitus cuiuis inſtrumento eſt utilis, ſed etiam conſuetudo quoq́ conducere nonnihil uidetur.

*Figuram eam oſſi fracto eligendā eſſe, quæ minime dolorifica ſit.*

In uniuerſum autem tum extendere, tum effingere, tum deligare, tum reponere, una ea figura, quæ doloris minimum habeat, eſt ſtudendum.

*Fracta oſſa, tertio die ſoluenda eſſe.*

Soluere autem deligaturam tertio die debes, ne in membro præter ſolitum cooperto, dolor aut pruritus creetur: nec eius, quod iam fracturæ eſt infixū, perſpiratio prohibeat. Cuius occaſione nō modò noxius pruritus quibuſdā accidit, ſed etiā cutim ob acrimoniam ſaniei eroſam exulcerari. Infundendum igitur tantū temperatæ aquæ eſt, quantum ad euocandum eiuſmodi ſaniem ſit ſatis. Quod ſi rurſus quoq́ ſimili modo facies, utiq́ ſeptimo id à primo die facere debebis. Apparuerint uerò iam omnia phlegmone libera, & quàm pro naturali habitu magis aliquādo gracilia.

*Ferulis quando utendū ad fracta oſſa firmanda.*

Tunc igitur licebit & ferulas circumponere, & ſoluere ex maiore interuallo. Nam antea quum phlegmones periculū eſſet, nō erat tutū ferulis premere. Quòd ſi ex longiori interuallo eas ſoluas, callus multò felicius concreſcet.

*Perfuſione aquæ calidæ quando utendum circa oſſa fracta.*

At ubi adeò exiccata ſunt oſſa, ut callus produci nequeat, tertio uel quarto die modicè aquam calidam infundemus, donec carnes in rubrum tumorem attollantur: deſiſtemusq́ prius quàm ſubſidere incipiant. Vbi uerò aliquid digerere uolumus, non prius eſt deſiſtendū, quàm quod ex perfuſione intumuit, ſubſidat. In quibus aūt, quo minus callus in fractura proueniat, humiditas abundātior obſtat, ibi hanc ſiccare cōuenienti deligatura, & perfuſione aquę, quæ uel minima omnino ſit, uel plurima, conabimur. Minima quippe, humores qui in ſuperficie ſunt per ſpiritū digerit: & qui in alto hærēt, modicè liquat. Plurima uerò, digerit plus quàm attrahit. Conſtat autem, in ea quidem deligatura quæ exprimet, minus eſſe arctandos faſciarum fines: in ea uerò quæ ad renutriendum eſt comparata, nec minus hos eſſe arctādos, & uniuerſos circūductus laxiores faciēdos.

*Callo gignendo qualis victus ratio conueniat.*

Quo tempore callus gignitur, nutriendū corpus eſt cibis optimi ſucci, & qui multùm nutriant: ex quibus prouenire ſuccus conſueuit, non ſolùm bonus, ſed etiam tenax, qualis deſideratur ad calli generationem. Magnitudo autem calli ea ſit, quæ & oſsibus tuto uinculo exiſtat, nec muſculos tamen comprimat. Quare danda opera eſt, ut ſi minor iuſto proueniat, augeatur: uel inhibeatur, ſi immodicè creſcat. Sunt uerò quibus hæc efficies, ipſius perfuſionis quantitas, qualitas: præterea ciborum quantitas, & medicaminū quæ illi imponuntur extrinſecus, facultates.

*Callos promouent emplaſtica medicamenta, quæ modicè calfaciunt.*

Etenim quæcunq́ emplaſticā ſubſtantiā habent, ac modicè calfaciunt, ea callos tum promouent, tum uerò augent. Quæ uerò digerendi uim obtinent, ea magnos iam callos diminuunt.

*Callos minuentia.*

*Callos in ſtatu proprio ſeruantia.*

Conſeruant in proprio ſtatu, medicamenta quæ cruentis adhibentur uulneribus. Atque hactenus de tranſuerſis fracturis.

*Longas fracturas curandi ratio.*

Longæ autem, ſimiliter ſunt curandæ, cæterùm comprimendæ magis in ipſo fracturæ loco: tum quod receſſit, retrudendū introrſum eſt. Quæ uerò multifariam confracta ſunt, ijs ſplenia circundentur faſciæ ritu incurua, ut monet Hippocrates. Medicamenta etiam omnia ex ſiccantiū ſint numero, atq́ ex ijs quæ enæma uocant.

*Capitis fracturarum curatio.*

Capitis autem fracturę ſimplices, quę ad ſecundam uſq́ laminam caluariæ perueniunt, ſcalpellis anguſtis indigent. Expedit autem hos, ut numero multos, ſic eſſe magnitudine impares. Atq́ ubi os uitiatum nudatum fuerit, primò quidem utendum latiore eſt: ſecundo loco, eo qui ſit illo anguſtior: mox ita deinceps reliquis, uſq́ ad anguſtiſsimum omnium: quo ſanè eſt in ipſa ſecunda lamina, quam diploēn appellant, utendum. Poſt hæc tum protinus, tum ad finem uſq́ ſiccis eſt medicamentis medendum, quæ ob id cephalica uocitantur.

*Cephalica medicamenta.*

Ea componuntur ex iri Illyrica, & erui farina, & manna, & ariſtolochia, & panacis radicis cortice, & in ſumma, omnibus quæ extergere citra morſum poſſunt.

*Carnis productio, naturæ opus eſt.*

Ipſa nanq́ generatio carnis, naturæ opus eſt. Itaq́ ægro ad eam rem nihil eſt opus arte medica. Vt autem quę prouenit caro coaleſcat, circūhæreatq́ omni oſſis parti, id inde maximè eueniet, ſi nec ſordes ſuper eo ſit, nec oleoſa quæpiam pinguitudo. Id igitur eſt, quod ægris medici ad carnis productionem præſtant, ut totus locus ſiccus ſit, tum quælibet oſsis uitiati pars planè pura.

*Fracti ſimul & cōtuſi capitis oſſis curatio.*

Ex fracturis uerò quæ ad cerebri uſq́ membranas peruenerunt, ſi ſimplex tantùm fractura ſit, anguſtis ſcalpellis utendum. Sin cum contuſione aliqua, quod contuſum eſt, excidi debebit: idq́ uel terebellis prius in circuitu foratum, ac mox ſcalpris admotis, uel protinus ab initio cycliſcis.

*Terebella uſum in fracturis capitis, ceu parū tutum, Galen. dānat.*

At quæ per terebellam quidem ratio fungitur, parum tuta eſt: propterea quòd dum audacius eam tractant, duram

membranam, quæ ossi substernitur, non rarò uiolant. Quod uerò per cycliscos opus administratur, ne id quidem omnino uitio caret, quum quatiat immodicè caput, quod potius quietem postulat.

*Cycliscorum vsum in magnis fracturis capitis quando probet Galenus.*

Cæterùm si magnæ fiut fracturæ, & ossa quæ fracta sunt uehementer mota, mihi cycliscorum usus perplacet. Quippe paucis excisionibus facies lenticulatis excisorijs locum. Sin firma plurimum ossa sint, foranda sunt terebella. Terebellis aũt ipsis, ut mergi nõ possint, parũ supra cuspidẽ, nõnulli superciliũ extans efficiunt. Expedit itaq; id genus complures præparatas habere ad omnẽ caluariæ crassitiem. Commodissimè tamen cycliscis utêris: & primo quidem aggressu latioribus, postea magis angustis, donec ad crassam membranam perueneris. Verùm quod excidi oportet, id totum cycliscis nudandum nõ est, sed ex ea maximè parte, qua fractura est grauissima. Nam præter alia, etiam membrana ipsa ab ossibus quæ sunt uehementer afflicta, recedit celerrimè.

*Lẽticularia scalpra.*

Si uerò unam semel partem nudaueris, atq; scalprum in cuspide, habens præfixam obtusamq; & læuem lenticulæ speciem, aciem uerò per longitudinem erectã, submiseris, ubi latam partem lenticulæ statueris

*Caluaria forãda ratio.*

super membranam, feries malleolo, ac sic caluariam quamtutissimè diuides. Neq; enim qui minus cum periculo, nec qui celerius perficiatur, forandi modum alium inuenias.

*Ostagra vsus.*

Iam uerò instrumento, quod ostagram uocant, nonnulla ossium uehementer comminutorum uel exaltantes, uel conuertentes, per eam potissimum partem lenticulato scalpro præparabimus aditũ. Quod quidem ubi demissum fuerit, dicere possis illud prouerbiũ celebre: Dimidiũ facti qui bene cœpit habet.

*Dimidium facti qui bene cœpit habet.*

*Fracturas cranij admodũ exporrectas & longas nõ esse persequendas ad finẽ usq;.*

Igitur quod uehemẽter cõfractũ est, id totũ est auferendũ. Si uerò ab eo fragmenta quædam longius excurrant, hæc persequi ad finem non expedit: ut illud persuasum habentes, minimè futurum ex eo noxa sequatur ulla, modò reliqua ritè sint nobis peracta. Atque indicatio agendorum hic quoque ex natura ipsarum partium affectarum subministratur. Necessum itaq; in capite uobis (quatenus dictum est) primò fracturæ aliquid denudare, quo uidelicet detergere & abluere à membrana saniem possimus. Post uerò, quum phlegmones tempus præterijt, omniaq; ad unguem sunt sicca, carnem producere, ac cicatrice locum includere. Porrò quum unus atq; alter homo occurrisset mihi habens sincipitis atq; temporis os confractum, equidem superius, hoc est sincipitis, os exemi: à temporali autem abstinui, cui callum inducendum curaui. Nec infeliciter cessit nobis negocium.

*Cranio forato, valentissimus et siccissimus medicamẽtis gaudet dura membrana cerebri.*

Quod uerò ad medicamenta post foratum os infundenda pertinet, quandoquidem auditorius meatus (qui non solùm usq; ad cerebri duram membranã penetrat, sed etiam neruũ contingit, qui in ipsum descendit à cerebro) uehementissima medicamenta tolerat: nihil miri sit, si crassa membrana cerebri, antequã notabiliter occupetur phlegmone, ualentissimis post forationes etiam medicamentis gaudeat, ceu naturaliter siccam substantiam possidens.

# *GALENI PERGAMENI DE medendi methodo liber VII.*

MEdendi methodum, Eugeniane charissime, quam olim in Hieronis gratiam scribendam susceperam, postcaquàm illum functum uita intellexi, ipsi quoq; persequi destitimus. Tu nanq; mihi cõscius es, neq; hoc me opus, neq; aliud ullum, popularis auræ studio fuisse aggressum: sed quò uel amicis gratificarer, uel meipsum simul utilissima ratione ad rem propositam exercitarem, simul ad obliuionem senij (ut Plato inquit) commentarios mihi reponerem.

*Laudem popularem mortuus nihil prodesse, sicuti nec viuentiũ quibusdam.*

Quippe multitudinis laus, commodum ad usus nonnullos instrumentum uiuentibus aliquando est: mortuis certè nihil prodest, sicuti neque uiuentiũ quibusdam. Nam qui uiuere in tranquillo optarunt, & fructum ex philosophia ceperunt, suntq; ijs quæ corpori curando sufficiunt contenti, eis utique impedimento non paruo est apud uulgum fama, ut quæ ipsos à rebus pulcherrimis plus iusto transuersos auferat.

*Galeni instantia.*

Ego uerò (haud scio qua ratione) ab ipsa usq; adolescentia mirificè siue inspiratus, siue furore percitus, & uulgi famam contempsi, & ueritatis scientiæq; studio flagraui, nullam esse hominibus neque honestiorem, nec diuiniorem possessionem ratus: ob idq; nulli meorũ librorum meum nomen præscripsi.

*Galenus nulli librorum suorum proprium nomẽ præscripsit.*

Quandoquidem igitur in præcedentibus cõmentarijs, quemadmodum similarium instrumentaliumq; partium communem morbum, nempe solutionem cõtinui, curari conueniat, scripsi: deinceps quod reliquum est, in tui & aliorum amicorum id flagitantiũ gratiam adijciam, reuertarq; ad eum morbum, qui omnium est primus, nempe qui in similaribus nascitur, quibus scilicet primùm animantis functiones referuntur acceptæ.

*Similaribus partibus primũ animantis functiones referũtur acceptæ.*

Est enim hoc morbi genus cognitu maximè necessarium: nec ratione curari potest, primis elementis corporis ignoratis. Ergo quoniã unaquæq; animalis particula propriam actionem ædit, quæ tantùm ab aliarum actionibus differt, quantùm ipsa particula ab alijs, quæ illas ædunt, diuersa est, temperamenti ratione: sanè qui tueri partium actionem uult, hic temperiem earum custodiat oportet. Custodiet autem, si id quod ad calidius conuersum est refrigerabit: quod ad frigidius inclinatũ, excalfaciet: ac de cæteris intẽperantijs, tam simplicibus quàm compositis, eadẽ ratione.

*Intemperantiarum esse differẽtias octo, totidẽque medendi rationes.*

Quũ enim octo earum sint differentię, octo nimirum erunt & medendi rationes, quibus particula, per contraria eorum quæ exuperant, ad naturalem symmetriã reducitur. Erit itaq; curationis una meta communis, quò diriguntur consilia medentis, ipsius similaris corporis alteratio: quandoquidem etiã morbus, ex naturalis temperamenti alteratione est ortus.

*Medicatio particularis ex materiæ copia & huius conuenienti vsu conficitur.*

Medicatio autem particularis, ex materiæ copia, & huius congruente usu conficitũ. Sed horum iam proponamus exemplum, auspicati à uentriculo.

*Ventriculi alterationes quæ ex calido & frigido oriuntur, esse curatu facillimas.*

Ac facillimæ quidem curatu eius alterationes sunt, quæ ex calido & frigido oriunt, propterea quod maximè affectiuis qualitatibus corriguntur. Aegrius uerò curantur, quæ in humido siccoq; habent, quòd qualitatibus imbecillis, curatio earum perficiatur. Ac tempus quidem caloris, frigorisq; reparandi, par quodammodo est: se-

est: securitas tamẽ impar. Nisi enim cunctæ quę ei quod curatur circundatæ sunt particulæ, ualidæ planè sint, uerendum est, ne ab ijs quę refrigerent, noxam cõtrahant non leuem. In reliquis duabua qualitatibus est securitas similis. Tempus tamen curationis in sicca intemperie multò amplius est.

*Sicca intemperies in ęgris est, quod senium in sanis.*

*Siccitas consummata est insanabilis.*

Quippe quod senium in sanis, id in ęgris sicca intemperies existit. Itaq; etiã insanabilis est, si prorsus sit consummata: nempe ubi solida partium similarium substantia reddita fuerit siccior. Nam est & altera siccitas, utiq; quum ea, quorum substantia ex humore cõcreto constat, sicuti caro & adeps, sunt liquata.

*Siccitatis species varia.*

Etiam tertia, quum propria humiditas, unde partes nutriuntur, & quæ in illis habetur, ueluti ros quidã sparsus, omnino est absumpta. Diuersa ab ijs siccitas est, quæ in proprijs cuiusq; particulæ exilibus arterijs atq; uenis consistit. Prouenit autem & hæc ex penuria sanguinis.

*Austerorum vsus siccitatibus aduersatur maximè.*

Omnibus igitur his siccitatibus maximè contrarius est austerorum usus: quippe quę si quid in ijs superest naturalis humoris, id absumunt, partim ebibentia, partim in sinũ uentris per exiguoa meatus exprimentia, partim ad continentes partes trudẽtia.

*Siccitatum curatio.*

Curabis ergo ipsas, si meatus qui contracti sint, dilataueris, ac quod in uicinas particulas est impulsum, reuellas: præterea singulas similarium partium propria humiditate, humectantis nutrimenti ope, repleas.

*Lac asininum siccis affectibus maximè cõgruens esse.*

Cui negocio lac asininum ex ipso animali suctum, uel maximè ex usu est. Quòd si asinam sugere æger ipse grauetur, expedit ut quamminimo tempore lac in ambiente aëre moreẽ, propterea ꝙ celerrimè mutari est aptum, genitalis seminis ritu, quod nec ipsum aliquandiu extra propria uasa morari patitur.

*Lac si in aëre aliquandiu moratur, mutari promptè.*

*Semen genitale extra propria vasa corrumpi.*

*Lac muliebre esse optimũ tabidis.*

Optimum aũt, utpote cognatum, existit muliebre lac: quod quidem sugendũ ijs suadet Prodicus, qui tabe absumuntur. Sed quoniam id exhiberi sibi ceu pueris pleriq; recusant, utiq; ceu asinis, asininum ipsis dari conueniet.

*Lactis asinini prærogatiua.*

Id siquidem reliquis omnibus ad propositum affectum utilius est, quum & tenuissimũ sit, coaguleturq; minimè, & quoquouersus ocyssimè digeratur in corpus. Est itaq; lac ipsum ijs tum per se dandum, tum pauxillũ ei tepidi mellis miscendũ.

*Mel optimum quale esse debeat.*

Cæterùm quod mel flauo est colore, odore suaui, tum purũ adeò, ut totum pelluceat, ac gustanti parum acre iucundissimumq;: præterea tam sibi hærens, ut si attollatur digito, cõtinuum sibi, nec intercisum, ad humũ defluat, id omnium optimum iudicatur. Si uerò abrumpitur, nec demissum ad terram usq; continuitatem tueẽ, id aut crassius iusto est, aut tenuius, aut dissimilium partium. Debet autem nullam penitus alterius cuiuspiam rei eminentem in se continere qualitatem optimum mel. Quare quod thymum planè redolet, minimè probo.

*Lac optimum quale.*

Ad eundem modum & lac nullam externã qualitatem odoce gustúue præ se ferat: sed esto quamdulcissimũ, & sibi ipsi continuũ, & prout lacti cõuenit, splendens, super omnia, quoad eius fieri poterit, similes partes habeto.

*Animal cuius lacte vti volumus, optima esse victus ratione educandum.*

Quò uerò tale lac fiat, & idoneis nutrimentis alendũ animal est, & exercitationibus mediocribus exercendum, & pullus, si quem lactat, auferendus. Quòd autem ætatis quoq; florentis esse uel maximè debeat, id neminem latet. Curandum quoq;, ut quamoptimè concoquat: contemptis uidelicet ijs, qui si asinis quoq; præscribemus uictus rationẽ, ridebũt. Fingamus igitur ægrum aliquem tum lotum esse, tum lac hausisse: hunc ad secundam usq; lauationẽ quiescere permittemus, tum modicè fricabimus, & pinguiter, utiq; si lac quod sumpsit, iam ad unguem confecit: id quod tum ex ructu, tum uentriculi mole, nobis licebit conijcere. Modicum uerò temporis inter primã & secundam lauationẽ interuallũ erit, si quatuor aut quinq; æquinoctialiũ horarum interuallum intersit, scilicet si tertiò adhuc lauare paras: sin aliter, pluriũ. Sanè tertiò lauabis, si multis lauationibus fuit assuetus.

*Vnctionẽ ex oleo obstare, quo minus digerantur ac resoluantur succi.*

Quinetiã post quanq; lauationẽ hominem ungemus oleo priusquàm se uestiat: ne uidelicet plus digeratur æquo, sed obstruãtur exigua cutis spiramenta. Quippe conducit ad renutricationem id quoq;, sicuti & frictio.

*Carnis augenda minuẽdaq́; qualis frictio perfusione desideretur.*

Iam uerò siue cuilibet parti corporis temperatam infundas calidam aquam, siue frices, siue laues, siue aliter quomodocunq; calfacias, primùm quidem attollitur, mox efficitur gracilis: ideoq; ubi carne implere quodlibet corpus studemus, id eatenus calfaciendum nobis est, dum intumescat: ubi uerò primũ intumuerit, tunc supersedendum est. At si digerere & euacuare contendimus, eatenus continuandũ est, dum quod prius intumuit subsidat. Si æger igitur delectetur lacte, post secundã quoq; lauationẽ id exhibebis. Sin aliter, ptisanã diligenter coctam, aut alicam ptisanæ ritu præparatam. Hinc ubi rursus quieuerit, ad tertiã reducendus est lauationem, aut illicò ad cœnam. Sit autẽ præparatus illi panis purus, probè coctus in furno, quiq; tum fermenti, tum salis, quod satis est, habuerit.

*Testes gallinacei.*

Opsonium quoq; sit ex saxatilibus piscibus, aut ex albo iure asellus: necnon alæ testesq; gallinacei, qui lacte sit altus. Quorũ si copia non est, alijs utendum. Ad eundem modum & perdicibus, & montanis auiculis, quæ mollem carnem sortiuntur, uescendum. Vitanda aũt & quæ palustria sunt, & quę carne sunt dura. In summa uerò, alimentum sit coctu facilè & nutriens, minimeq; glutinosum aut excrementitiũ.

*Suilla caro est maximi nutrimenti, ægrè tamen concoquitur.*

Porrò omniũ ciborũ, quos nouimus, maximè nutriẽs suilla caro est, uerùm non æquè ac prædicta, cõcoctu facilis: præterea glutinosum succum crassumq; generat. Quare hac uti ad propositũ affectum non conuenit.

*Vino vtantur omnes quib. refici corpus expedit, dummodo nõ febricitent.*

At uino ut utantur omnes, quibus refici corpus est opus, consulo, modò nõ febricitẽt. Esto tamen id & aquosum & astringẽs leuiter.

*Vinũ aquosum*

*Vinũ vinosum.*

*Vinum nouellũ*

Aquosum natura appello uinum, quod tenue est, & purum, minimmaq; aquę mistionẽ ferens. Cauendum aũt à uinoso est, ꝙ feriat uires imbecilliores. Rursus nouellũ uinũ tum aquosius, tũ imbecillius quodãmodo est, q̃ ut uino cõueniat. Adde etiã ꝙ ægrius cõcoquitur, ac magis excrementosum est.

*Vinum antiquius.*

Antiquius uerò, ut uinosius est, ita uehementius existit, q̃ ut propositis sit ex usu.

*Aqua vitia proueniunt ex eius frigiditate*

Porrò aquę uitia pendent ex eius frigiditate omnia: cuius culpa & moratẽ in præcordijs diutissimè, & fluctuationes excitat, & in flatũ uertitur, & corrumpitur, adeoq; uentriculi robur resoluit, ut deterius proinde concoquat.

*Aqua distribuendo alimento per corpus non videtur vsqueadeo cõducere.*

Sed nec digerendo per corpus alimento magnopere uideẽ aqua cõducere. Quibus sanè aquæ uitijs, quale nuper diximus uinũ contrarias uirtutes obtinet. Potionis itaq; is erit modus, ut neq; in uẽtriculo innatet, nec fluctuationis ullius sensum inuehat: ciborũ uerò, ut uel nõ grauent, uel graua

re quamcitissimè desinant. Ab hoc tensio inflatioq; præcordiorum uitandæ ijs sunt. Ergo si ob affectum uentriculi totum corpus macrescat, exquisitior uictus ratio desideratur, propter concoctionis imbecillitatē. Vbi uerò æger sanior est redditus, ad refectoriam est transferendus. Id fiet, si pluribus & frictionibus, & gestationibus, quàm antea, utemur: ac ciborum tum qualitatē, tum quantitatem mutabimus, ita ut plures & ualentiores q̃ prius exhibeantur. Quū uerò ad sanitatis statum propèmodum uentum iam sit, cibandus uolatilibus est: illisq; iam offerre carnes suillas licet: primū quidem, porcelli pedes in ptisana elixos, dein pernam: ab hac etiā reliquas partes. Quē porcellum, si hyems sit, pridie fuisse iugulatū oportet: nam hesternus, q̃ recens necatus, facilius cōcoquitur. At æstate sat fuerit, si porcellus manè immolatus fuerit, ac iuxta occasum solis edatur. Quippe semper alimentum ualentius ad uesperam exhibendū est. Quū igitur qui macilentissimi sunt, plurimo nutrimento indigeant, nequeant autem uel quod mediocre est cōcoquere: paulatim eos, sed sæpius cibare erit melius. Atq; hac sanè de causa ipse eos ter cibare sum solitus. Verùm quando iam manifestè meliores sunt facti, etiam bis nutriuisse sit satis. Quare tantam exhiberi primam cibationem est rationabile, quanta prius quàm secunda sumatur, tota prorsus erit concocta: id quod ualentiori cōtingere alimento non potest. Idcirco primo loco leue sumendum eis est, secundū autem crassius: quādoquidē & quies, & somnus, & longius tempus, huius naturalem administrationē excipit. Iam uerò bibendum illicò post cœnam nō est, antequàm cibus fuerit concoctus. Siquidem innatant cibi si bibant, ita ut eos uentriculi corpus, propter humorem interpositum, non contingat. Cæterùm si magna siti torqueantur, tantillum est propinandum, quod & molestiam soletur, & sitim leuet. Vbi uerò nutrimentum concoxerint, abundè bibere sunt sinendi. Manè autem post somnum, quum deiecerint, & paulùm inambulauerint, modicè sunt fricādi, uidelicet donec corpus incaleat: mox gestationibus utendū. Deinde tum lauandi sunt, tum fricandi, idq; intra uel circa meridiem. Quum igitur conualescentiū uictus ratio media quædam sit inter eam quæ sanorū propria est, & quæ ægrorum: difficile minimè fuerit, ex ijs quæ de utraq; sunt prodita, ut per seipsum quis mediā inueniat. Domus in qua cōualescens nutritur, sit temperata: laborandumq; ut ad eos cibos reducatur quisq;, quibus insueuit: naturarum interim proprietate obseruata, necnon regionis & temporis. Sciendum aūt est, uniuersum corporis habitum exiccari à uigilijs: ac proinde eas infestissimas esse ijs qui ex siccitate laborant. Quod uerò ad nutriendi modum spectat, si corpus modicè siccum sit, uberius nutrire id licet: propterea quòd uires eius, quę utiq; alimentum conficiunt, penitus non conciderunt. Si uerò immodicè, parcius, contraria ratione. Porrò intemperies siccæ, ubi solida corpora contigerunt, si quidem in una quapiam parte consistant, ueluti nunc in uentriculo propositum est, nunquam integrè sanabuntur: neque in eum statum qui ante morbum fuit, reuertentur: sed in reliquam uitam particula affecta laborabit imbecillitate. Quòd si intemperies sicca etiā solidas cordis partes occupet, celeriter sic affecti inarescunt: quem marasmū, Philippus uocat ex morbo seniū. Is itaq; breui mortem conciliat. Proximè huic, qui à iecinore inceptus est. Mox qui à uentriculo. Qui ab alijs partibus ortū habet, tantò tardius, quantò quælibet harum ignobilior quàm ille existit. Cæterùm uictus ratio eadem genere est, cùm in hac siccitate, tum in illa, quæ solam eam humiditatem absumit, quę nutrit solidas partes. Præterea etim in tertia, quam suprà memorauimus, siccitate. Facillima uerò omniū sanatu quarta est, in qua uenæ succo suo sunt inanitæ. Imò hic affectus ut frigiditas potius corporis, quàm ut siccitas, est curandus: ac proinde eius sanatio est celerrima. Scire autem licet, solidorum corporum siccitatibus, si perdurent, succedere necessariò frigiditatem. Celerrimè nanq; ex nutrimenti defectu refrigerantur partes, propterea quòd ex calido sanguinis succo nutriuntur. Si igitur siccitati partiū iuncta frigiditas sit, duplex erit medendi ratio, humectans scilicet, & modicè calfaciens. Nam quæ calfaciunt impensè, ijs uehementer siccandi uis inest. Quare calfacientis materiæ humectantibus medicamentis tantùm miscendum est, quantùm particula ad frigus ratione siccitatis inclinat. Proponamus ergo (exempli gratia) uentriculum tum siccum, tum modicè refrigeratum alicui esse: huic certè simul cum lacte uberius mel exhibebimus. Vinum uerò, quod minus aquosum quàm prius sit, & plurium annorū, dabimus. Quinetiam esculenta omnia calidiora offeremus: idq; tum naturali temperie, tum ignis opera, sic comparata. Nardino præterea unguēto ungendus assiduè est uenter, sic ut nunquam siccus remaneat. Eius si copia non adsit, utere masticħino, aut opobalsamo, & per se, & misto dictis unguentis. Quòd si cupis ut magis ea corpori adhæreant, ceræ nonnihil est admiscendum. Si aër ambiens sit frigidus, lanam opobalsamo aut unguento nardino imbutā, in quibus liquata prius Chia mastiche fuerit, admouebis uentriculo. Præstiterit autem imbuere optimam purpuram, qualis est Tyria: quandò & astringi ipsum modicè, & cutis eius meatus obstrui expedit. Siquidem quæ rarum habitum faciunt, & relaxant, ea tum digerunt succus, tum particulas frigidis extrinsecus aduenientibus obnoxias reddunt. Quæ uerò ualenter astringunt, ea siccant. Quo fit, ut medicamentum quod eiusmodi corpora calfacit, id neque euocantem uim habere expediat, neq; astrictoriam multam sibi immistā. Memineris etiā, qualitatem acerbam, sua quidem ipsius uirtute, & refrigerare & siccare: quare etiam prohibenda est in huiuscemodi affectibus. At si cum sicca intemperie multa frigiditas adsit, in nardino unguento similiter Chiam masticħē quam pinguissimam solues, ac purpura excipiens, utêris. Commodissimè etiam adieceris opobalsamum. Dandum præterea uberius cum lacte mel est, sed super prunas ex quercu uitcue, despumatum curiosè, quo & minus sit excrementosum, & magis nutriat. Quinetiam mel ipsum despumatum per se optimum nutrimentum frigido uentriculo est, ut aduersissimum calido. Vinum autem eligendum semper antiquū est, eoq; antiquius, quò maior fuerit frigiditas. Sed nec adeò esse debet uetus,

*Refectoria victus ratio, quo modo administretur.*

*Hesternum quàm recens necatum porcellū, facilius concoqui.*

*Vesperi exhibendum est alimentum valentius.*

*Macilentissimi sunt cibādi parcè, sed crebrò.*

*Cibi cur crassiores in cœna dandi.*

*Bibendum illicò à cœna quibus non sit.*

*Conualescentium victus ratio, media est inter eam quæ sanis, & eam quæ ægris debetur.*

*Consuetis cibis vtendum.*

*Vigiliæ quibus sint aduersissimæ.*

*Senium ex morbo.*

*Siccitatis species quatuor.*

*Siccitati corporum solidorum si perduret, succedere necessariò frigiditatē.*

*Ventriculo sicco, modicèq; refrigerato, quæ medendi ratio debeatur.*

*Ventriculo sicco & frigido reddito, quæ vnctiones conueniant.*

*Purpura Tyria*

*Acerbam qualitatem refrigerare & siccare.*

*Mel cum lacte conferre ventriculo sicco, impensèq; refrigerato.*

*Vinum antiquius ventriculo refrigerato cōgruere.*

*Vina amara immodicè siccant.*

*Picatione in quibus vtendũ.*

*Puellus admotus ventri, fouet calorem illius.*

*Fomenta calida quibus nocentia sint.*

*Ventriculo admodum sicco, et modicè incalescẽti præter naturã, qualis victus ratio sit exhibenda.*

tus, ut iam amaricet. Siquidem uina amara, immodicè siccant. Sanè optimũ medicamentum talibus omnibus fit, quo picatores quoudie utuntur. Ergo illinire eo totum uentrem, sicuti & alias omnes particulas, quæ alimentorũ usu non promouentur, conueniet, ac pòst auellĩ, priusqnàm refrigeretur. Quod quidẽ si bis uno die feceris, abundè fuerit. Naturalem uentriculi calorem tuetur & fouet admotus puellus qui boni habitus sit, & minimè cute humecta. Sunt qui catellos pingues in hunc habeant usum: qui etiam ex usu sunt ijs, qui propter siccitatem solam habent imbecillum uentriculum. Nocent autem intemperantijs eiusmodi, fomẽta calida: quæ quidem sicca sunt, eò quòd rorem similarium depascunt corporum: quæ uerò humida, quòd hunc digerunt, potissimum ubi largius his utimur: præterea quòd nimis rarum, frigoríq; opportunũ corpus efficiant. At si multę siccitati sit calor non admodum multus adiunctus, abstinendum à melle est, uinumq; minimè antiquum bibendum. Iam cibos offeremus tepentes: sed si æstas sit, qualitate referentes aquam fontanam. Ventriculum autem ungemus oleo tum crudo, tum melino. Ac multò sanè magis, si pluscula caliditas sit, ipsum uinum tum aquosius exhibebimus, tum sub eo frigore, quod fontis aqua per medium uer exhibet: illud nobis persuadentes, eiusmodi affectum febri proportione correspondere. Nam quod illa in toto animali, uel in corde est, id propositus nunc affectus est in uentriculo. Cæterùm ubi ualidè in ambabus qualitatibus immutata quæuis particula est, omnis eius actio perit, atq; labefactatur: nec facilè quod sic est affectum, ad suam naturam reuerti potest. Vbi uerò altera tantùm qualitas plusculum immutata est (ueluti nunc siccitatem finximus) e reliquarum autem aliqua se habet mediocriter: utiq; qui ita est affectus, sanari potest.

*Ventriculus intemperie laborans calida, cũ humiditate mediocri, facile frigida potione curatur.*

*Frigidæ potus quibus periculosius exhibeatur.*

*Humida intemperies facillimè omniũ curatur.*

*Ventriculi intẽperãtias esse corrigendas cõtrarijs.*

*Ventriculi intemperies frigida & sicca est omniũ pessima.*

Si uentriculus intemperie affligatur calida, cui mediocris humiditas iuncta sit, facilè affectus is frigidæ potione curatur: quum minimè ex ea lædantur partes uicinæ, utpote se habẽtes mediocriter. Nam in siccis uentriculi affectibus, necesse est nõ eamodò quę proxima sunt, sed etiã totum corpus gracilius reddi: ac proinde tunc potus frigidæ maiori cum periculo administratur. Sicubi uerò adeò uehemens caloris intemperies uentriculum occupet, ut usq; ad cor ipsum perueniat, febricitare hominẽ est necesse. At intemperies humida utcunq; accidat, facillimè omnium curatur. Cuius quidem, si sola consistat, remedia sunt cibi citra ualentem calefactionem, refrigerationémue siccantes: præterea consuetæ potionis parcitas. Eius autem quę cum caliditate coniuncta est astringentium tum ciborum, tum potionum minimè calfacientium usus, necnon potus frigidæ, quemadmodum illius quę frigori est iuncta, optima præsidia sunt aeria omnia: quibus admisceri debent quæ acerba sint, minimè tamen euidenter refrigerantia: præterea potio exigua, eaq; uini insigniter calidi, ueterisq;. In uniuersum autem, calida intemperies uentriculi refrigeranda est, frigida calfacienda, humida siccanda, sicca madefacienda. Ad eundem modum quæ ex duabus qualitatibus intemperantiæ constant, reliquis contrarijs sunt retundendæ. Pessima autem omnium est intemperies, inter simplices quidem, sicca: inter compositas uerò, sicca simul & frigida. Atq; hactenus de uentriculi intẽperantijs, citra humoris affluxum.

*Ventriculi intẽperantias quibus copulatus est humor, qua ratione curari conueniat.*

Vbi uerò aliquis humor aut in ipso sinu uentriculi delitescẽs, aut imbibitus in illius tunicis, autor intemperantiæ extiterit, expurgandus ille est. Quòd si ab alijs partibus transmittatur (id quod ex toto corporis habitu, ac tum singularũ partium exploratione, tum ex uacuationibus solitis retentisq;, necnon cõsueta uictus ratione cognosces) primò illis est succurrendũ: dein uerò roborãdus uentriculus, quò eorũ quæ ad sese confluunt, minus promptè quicq̃ admittat. Verùm si quidẽ ex minus momẽtaneis facta translatio sit, quod superfluũ est, rursus ad ea reuelles. Sin ex ijs quę maioris momenti sunt, ambobus simul cõsules, eum semper affectũ submouens, qui fluxionẽ excitet. Fiet id, si omnes corporis partes ad bonam reduxeris habitudinẽ: omnesq; expulsiones naturæ, fluxiles semper reddideris. Quòd si ob æqualiũ in toto corpore redundantiã humorũ, uentriculus fluxione tentetur, totum corpus est euacuandũ. Si propter mali succi abundantiã, ea purgãda est: atq; hinc ad uentriculum cõuertenda curatio. Quæ igitur in sinu eius cõtinentur, cõmodè expurgantur per uomitum.

*Absinthij potio quibus sit congruens præsidium.*

Verùm si quòd plures dies prauus humor decubuerit in ipsum, uẽter aliquid sibi uitij cõtraxerit, haud intempestiuè, qui sic laborat, absinthij potione utetur. Per contraria aũt corrigi inducta intemperies debet.

*Aloẽm purgare humores in tunicis ventriculi imbibitos.*

*Aloes elota facultas.*

*Hiera picra duplex.*

*Hiera picra cõpositio.*

*Hiera sicca vsum ex aqua vnicè Galenus cõmendat, contra vitiosos succos ventriculi.*

Si uitiosus succus in uentriculi tunicis sit receptus, curari is affectus debet pharmacis quæ modicè purgẽt. Cæterùm quæ ex aloẽ componuntur, omniũ sunt longè aptissima: nec secus ipsa sola aloẽ. Quę quidem si illota sit, ualentius uacuat: elota aũt, purgat quidem minus, sed roborat uentriculum magis. Expedit ergo paratam habere hierã, tum ex aloẽ illota, tum ex elota confectam. Admiscentur aũt huius drachmis centenis, cinnamomi, xylobalsami, asari, spicæ nardi, croci, & Chiæ mastiches, singulorũ sex drachmę. Præstantissimũ hoc medicamen est contra uitiosos succos, qui in tunicis uentriculi habentur: utiliusq; fuerit eo sicco ex aqua uti duûm paruorum cochleariũ mensura, ubi mediocriter illo uti studemus. Siquidem maximus eius modus, est magnorum duûm cochlearium potio, in aquæ temperatæ cyathis tribus: ut minimus, unius parui. Vtendum uerò hoc tempore & ptisanæ cremore est, qui primus à balneo sumet. Nam medicamen ipsum solito purgantium medicamentorũ tempore dabitur. Post id uerò, ubi modicè inambulauerit, de reliqua uictus ratione nihil est immutandum.

*Hiera cum melle confecta minus ventriculũ roborat, sed magis aluum subducit.*

*Attenuandos esse prius crassos succos, quàm euacuandos.*

*Vomitus quibus & per qua prouocandus.*

Sunt qui reponunt medicamentũ, excipientes id despumato melle: & fit quidẽ sic durabilius, cæterùm nõ perinde ad propositos hoc loco affectus utile, quũ & minus uentriculum roboret, & magis aluũ subducat. Verùm quibus lenta pituita est infixa uentriculo, ijs prius sunt exhibẽda, quęcunq; eam dissecẽt: pòst deinde purgandũ. Quòd si ad uomendũ sint apti, nõ inutile fuerit per radiculam ex oxymelite uomere. Sin uerò nec lentus humor sit, nec crassus, utiq; abundè fuerit à ptisanæ solius cremore uomuisse: item à mulsa. Quo casu sumendũ utriusuis plus est, q̃ uel nutrimenti, uel etiam deiectionis causa sumeretur. Idoneũ uerò est, etsi mulsa, in qua coctum absynthium sit,

*Affectui omniũ maximè urgenti, dirigi semper curantis consilium debet.*

bibatur. At uerò si plures affectus in unũ coëant, ad eum qui magis urget, dirigi primùm curantis consilium debet. Vbi aliud efficiẽs est, aliud quod ab eo efficitur, ipsa causa spectanda. Sin autem curari hoc ante illud non licet, ad id quod ordo dictat, est respiciendum. Atq; in eo quidem curationis consilio, quod ab urgente initur, affectus magnitudo perpendenda est: quę sanè triplex existit.

*Affectus magnitudo est triplex.*

Alia nanq; ex læsæ actionis præstantia spectatur, alia ex propria affectus essentia. Tertia præter has, ex facultate quæ læsum corpus gubernat. In eo uerò consilio quod ex causæ ratione initur, animaduertendum est, quidnam eorum quæ inter se sunt coniuncta, augere aut gignere reliqua possit: quę rursus uel gignant, uel incrementũ ab alio accipiant: at in eo quod ordo pręscribit, quid ante quod, uel quid cum quo, uel quid post quod, sanari possit.

*Ventriculi grauissimè laborãtis ob defluxum humoris à capite descendentis, curatio.*

Fingamus igitur in uentriculum defluere ex cerebro superfluũ quendam humorẽ frigidum: atq; eius occasione intemperiẽ quandam in uentriculo contractã iam esse: uel potius malũ iam succũ per totum eius corpus media omnia similariũ particularum spacia occupasse: ab eoq;, si placet, etiam mordicationis sensum, ac proinde tum deliquiũ animi, tum sudores, cum syncopes quadã dissolutione excitari. Manifestũ uniq; est, in primis esse occurrendũ ei, quod uires resoluit. Vbi aũt uires firmatæ erunt, nec plurimũ uitiosi succi in uẽtriculo aderit, tunc nimirũ ad fluxionis causam nos cõuertemus: illud pro cõperto habentes, nõ posse ad perfectionẽ ullum affectũ sanari, manente adhuc ipsa, unde natus est, causa.

*Affectum nullũ perfectè sanari posse, manente adhuc ipsa, unde ortus est, causa.*

Ergo si sic persanarimus cerebrũ, ut sensibilẽ amplius redundantiã non creet, ueluti fontẽ fluxionis in uentriculum euertemus. Cæterũ si neq; copia notabilis excrementorũ in uentriculo sit, nec eorum quę in capacitate ipsius cõtinentur, nec eorũ quæ in tunicis, sed nec mordicatio quę officiat uiribus, tum omniũ primum sanandum ipsum cerebrũ est. Ab hoc, sinus ipse uentriculi uacuandus, extergendusq; est: postea expurgandæ tunicę. Postremò intemperiei medendum. Ac reliquarũ etiam partiũ intẽperantiæ, similiter ijs quas in uentriculo proposuimus, sanabuntur, adhibentibus semper nobis remediũ affectui contrarium, illiq; remediorũ indicationẽ, quæ à laborantis membri natura sumitur, adijcientibus.

*Indicatio remediorũ à natura partis laborantis desumpta, est multiplex.*

Ea autẽ indicatio est multiplex. Vna quidem ac prima indicatio à laborantis loci temperie sumitur, quę mensuram introducendæ qualitatis præscribit. Secunda ex eo sumitur, quòd actio eius omnibus animalis partibus sit communis, aut quòd cõmunem uirtutem subministret. Tertia, ab ipsa partis figura. Quarta, ab ipsius positura: cuius portio est ad uicinas partes societas. Tum pręter hæc omnia, ipsa sentiendi uel acrimonia, uel hebetudo. Porrò quæcũq; calidiores natura partes ex frigore laborãt, hæ & liberalius, & diutius calfieri postulãt. Si uerò calido morbo ægrotent, exiguã breuisue temporis refrigerationem desiderant.

*Recessibus à naturali temperie exiguis, exigua mutatione esse opus ut corrigantur: maximis uerò maxima.*

Siquidem paruus hic est in id q̃d præter naturã, lapsus: quare & in id quod secundũ naturã, reditus. Eatenus nãq; redeat ad naturã suã unũquodq; est necesse, quatenus à natura recessit: ac ueluti quadã uia retrò feraẽ, quæ in diuersum agat ei, quæ facta in ipso est, transmutationi.

*Cognato naturæ suæ morbo laborãtes minus periclitari.*

Minus itaq; periclitantur, quicũq; cognato naturæ suo morbo laborant. Quemadmodũ autem reducendam esse ad mediocritatẽ diximus calidam & frigidam intemperiem, sic reducentur & cæteræ, siue ex simplices sint, siue cõiugatę. Porrò in ijs temperaturis quæ sunt ex humoribus ortæ, si particula sibi soli inseruiat, audacter euacues licet, prout affectus suadebit, sed tamen etiã uirtuti attentus.

*Partes affecta quando audacter, & quando trepide vacuari debeant.*

Sin necessariũ opus eius sit omnibus animalis partibus, ueluti uentriculi & iecinoris, nõ leuis habẽda solicitudo de robore uirtutis est, ne hanc, magna semel uacuatione usus, dissoluas. Est autem cõmune opus & uenarũ, & arteriarum, & cordis, & thoracis, & renũ, & utriusq; uesicę. Cerebri uerò opus, quũ sani sumus, ad uoluntarias actiones est necessarium, ijs scilicet instrumentis, quibus eiusmodi actiones obimus.

*Partium officia quanã sint necessaria vitæ, & quæ duntaxat vtilia.*

Quum ægri sumus, necessarium non est, nisi ijs tantùm, quę ad respiratũ sunt deputata. Reliquorũ uerò organorum actio certè non est: ministerium tamen est ad uitam necessarium, ueluti pulmonis, & asperæ arteriæ, & gutturis. Ergo ex eiusmodi particulis quamprimũ uacuare redundantiam licet, prout uolueris. Ex uentriculo uerò & iecinore utcunq; uacuare nõ licet, sed cum cautione, ut ne quid uirtuti officias. Habenda præterea est & dignitatis actionum ratio. Maxima autem est cordis officij dignitas, ægrotantibusq; omnium maximè necessaria. Cerebri uerò ad uitam par est momentum: nõ tamen par robur eius in ægrotis requirimus, quum necesse omnibus non sit neruorum ac musculorum opera uti. At iecinoris opus omnibus particulis pernecessarium est: non tamen adeò saltem perpetuam necessitatem habet, sicuti ipsius cordis. Ad portionem autem iecinoris, etiam uentriculi opus se habet. Itaq; ex partium functionibus facilè intelliges, quatenus cuiusq; robur custodiri expediat. Ad eundem modũ, & quæcunq; partes alijs sunt facultatũ authores, harum quoque robur seruate decet, pro facultatis earum usus portione. Etenim cerebrum neruis ac musculis, cor arterijs, iecur uenis facultatem suppeditat.

*Cerebrum. Cor. Hepar.*

*Vacuationis modus quomodo à figura partis affecta sumatur.*

A figura uerò, indicatio ipsius modi uacuandi excrementi, ad hunc modum suggeritur. Ventriculus uomitu, deiectioneq; inanitur. Intestina deiectione tantũ: sicuti & iecinoris caua. Renes uerò, & uesica, & iecinoris gibba, si multo uitioso succo redundent, per deiectiones & pharmaca deiectoria expurgãtur: sin mediocri, per urinarios meatus. Cerebrum, per palatum, & aures, & nares. Pectus & pulmones, per asperam arteriam, & fauces.

*Situs partis affecta quas uacuationes exhibeat.*

A situ indicatio dabitur, tum ad solidarum intemperies, tum ad succorum uitiũ, non leuis. Nam qui per summa corporis intemperie laborant, ijs medicamenta quæ intemperies requirit, applicabimus. Quibus autem in summo corpore intemperies est, in ijs rationẽ interualli inibimus. Si enim medicamẽtis ijs utêre, quæ intemperies postulat, utique multò imbecilliora, quàm pro usu tuo, ad affectum locũ peruenient. Iam ad uacuationes quoq; situs nõnihil indicat, dum societatẽ laborantis particulæ cum alijs docet.

*Sensus partis affecta quas præbeat indicationes.*

Non spernenda uerò indicatio est, & ea quam sensus partium acuitas, hebetudoq; suppeditant. Quandoquidem omne medicamen cõtemnunt, quæ tardi sunt sensus, etiam si non leuiter mordeat. At quę acuti sunt sensus, earum uires dolore soluun-

soluũtur. Expedit igitur his, nec cõfertim, nec semel, ualentibus auxilijs mederi tentes, sed tutò potius io tempore. At ubi tardus est sensus, in his etiam celeriter obire quod iustum est, licet, semel usus remedio qood sit idoneum.

## *GALENI PERGAMENI DE methodo medendi lib. VIII.*

*Similariũ partiũ natura ex quibus constet.*

QVòd igitur ex calido, frigido, humido, & sicco, similarium particularũ natura constet: quodq́ ipsæ simplices atq; primæ particulæ secundum tales temperaturas inter se dissideant, alibi à nobis est traditum:

*Similariũ partiũ duo esse morborum genera.*

quemadmodum etiam duo esse morborum genera, quę simplicibus ipsis particulis accidunt: alterum, quod compositis est etiam cõmune, & dicitur unitatis solutio: alterũ peculiare ipsarum, quod in calidi, frigidi, humidi, & sicci temperie consistit.

*Intemperantiarũ genus est duplex.*

Quarum sanè intemperantiarum, quatuor diximus esse simplices, quatuor uerò compositas. Simplices quidem, quæ secundum unam qualitatem à naturæ ordine aberrant: compositas oerò, in quibus secundũ oppositionem utranq; ipsa natura uariatur.

*Febris quando gignatur.*

Febris autem, unus morborũ est, quos iutemperies gignit: utiq; quũ adeò immodicè est aoctus calor, ut & offendat hominẽ, & eius functiones lædat.

*Febrium prima differentia.*

Porrò primarũ differentiarũ febrium, una illa est, in qua causa adhuc adest febrim creans: aut febrẽ excitata, iam desijt. Altera uerò, qua ęgrè solubiles, à solutu facilibus febrib. distinguunt: illas hecticas, has Gręci schiticas uocant.

*Hectica febres. Schitica febres.*

*Febris indicationes.*

At uerò prima indicatio omnis febris, ueluti à morbo est, ablationem eius præscribens. Secunda autem, ueluti à tali est morbo, quæ certam quandam sublationem indicat: nempe intemperiem febrilem, qoum sit caloloris excessus, per occursum refrigerantiũ tollendam esse.

*Excessus omnes per cõtrarios excessus sanandos esse.*

Omnis quippe excessus per contrarium excessum sanat. Ergo si febris ipsa sit genita, causa autem quæ eam excitauit, iam desijt, huc tantùm sanandę eius dirigetur consilium, ut refrigeretur. Si uerò in generatione adhuc febris est, causa quæ accendit illam, est submooenda. Sin pars eius iam genita est, pars etiamnum gignitur, cõsulendum utriq; fuerit: primùm quidem, submouendo quæ eam accendit causam: dein extinguendo, quæ ab hac accensa est, febrem.

*Constipatio meatuũ quando febrim gignere possit.*

Excitare autem uel maximè febrem solet constipatio meatuum, in ijs corporibus, quibus quod transpirat, halituosum nõ est, sed mordax, acre, & fuligini simile.

*Febris à constipatione productæ curatio.*

His igitur corporibus saluberrima est ex aqua dulci temperataq́ lauatio, tum frictio quæ rarefaciat, & exercitationes medioeres, & uictus qui dulces efficiat succos. Aduersissima uerò sunt lauatio frigida, & aluminosa, & lauationis abstinẽtia, & exercitatio acuta, & frictio uel planè nulla, uel dura, & uictus mali succi, & uigiliæ, & ira, & tristitia, & cura, ostioq́ in sole, & fatigatio. Grauissimè aũt peccare mihi uidentur, à carnificibusq́ nihil differre, qui medici hominibus natura biliosis, tenuissimam per morbos rationẽ uictus iniungũt, eosq́ tridui inedia conficiunt:

*Biliosas naturas, ex longiori inedia febribus acutissimis corripi.*

quum nimirũ tales naturę, ex longiori abstinentia cibi, acerrimis acutissimisq́ febribus corripiantur, à quibus promptus est in hecticas transitus, atq; ab his rursus in marasmũ torridum, aut (si os uentriculi est iniurijs obnoxium) in eum qui syncopen infert. Etenim in quorũ temperie siccum prævalet humido, & calidũ frigido: his corporis habitus gracilis, hirsutus, & nigrior est: ac reliquis tribus iotemperantijs, quæ hac minus calidę sunt, tactu calidior aduertiẽ.

*Calida & sicca temperatura indicia.*

Plurima quoq; his flaua est bilis, urinęq; ac deiectio bili satura, & pulsus magni, & somni leues & pauci, & animi impetus uehemens. Quare his tum refrigerationẽ, tum aquę potionẽ, atqueadeo requiẽ & cibum largiorẽ congruere profitetur Hippocrates. Quum aũt refrigeratio ipsa conciliETur corporibus tum ex alijs quibusdã, tum nõ minimè ex ciborũ exhibitione: cõueniet utiq;, ubi corpus calidius sicciusq́ solito est redditum, frigidum humidũq́ outrimentũ ei exhibere:

*Calidæ & sicca naturæ qua his uictus ratio conueniat.*

sed quod nec medicamentosam ullam sensu perceptibilem facultatẽ obtineat: nec ipsom quod nutrit, plurimum: quemadmodum neq; minus quàm sit ex usu. Cõmodissimus itaq; tali corpori est ptisanę cremor ad unguem coctus, in quo nullum sit condimentum superfluum: utpote qui & refrigerare, & humectare, ac sine siti seruare hominẽ potest, cum eo quòd nec halituosum, nec humidũ, nec siccum detinet exerementum: quum nec astringendi, nec obstruendi, aliquam uim sortiatur.

*Ptisanæ cremoris facultas.*

Ac quòd non astringat quidem, uel gustus ipse docet, cuius unius id iudicare est propriũ.

*Gustus quid proprium.*

Quòd uerò nec obstruat meatus, hinc licet etiã conijcere, quòd non secus quàm aphronitrum, sordes cutis extergeat: uomituq́ à uentriculo mediocrem pituitã eliciat, nihilo infelicius quàm mulsa: quæ sanè nec sitim restinguit, ot ptisana: & in naturis biliosis bilescit facilè.

*Ptisanæ inesse uim detersoriã.*

*Mulsa in naturis biliosis bilescit facile.*

At uerò si multa, & uehementer glutinosa & crassa pituita uentriculo adhæreat, hanc radicula ex oxymelite, non mulsa, aut ptisana detergere est habilis. Optimũ itaq; biliosis temperamentis nutrimentũ est ptisana. Proximum huic, alica, cui paululum aceti ad faciliorem distributionem adiectum fuerit.

*Alica biliosis naturis conuenit.*

Tertium, quæ sine aceto liquida existit. Iniecisse uerò huic, dum coquitur, aliquid porri, satius est. Nam quòd tum anethi, tum salis aliquid necessariò habebit, neminem latet. Quinetiam panis in furno coctus, est utilis cibus: sicuti etiam omnes pisces saxatiles: nec ipsis minus aselli. Proxime asellos sunt, solea, torpedo, lupus, mullusq́: pòst, mugil è pelago.

*Pisces biliosis naturis congruentes.*

*Pisces damnandi qui sint.*

Omnis autẽ piscis deterior est, qui prope lacum qui mari iungitur, aut magni fluminis ostium, pascit. Ex uolatilibus optimi sunt perdices, ac montanę omnes auiculę. Ab his, gallinacei, & phasiani, & columbæ iuuenes.

*Volucria biliosis congruentia.*

Sed nec hæ tamen intus claudendæ, quum exerementosa sint omnià, quæ exercitatione carẽt.

*Exercitatione carẽtia esse maximè excrementitia.*

Excrementosa uerò non minus sunt, tum lacustria, tum palustria omnia. Quo fit, ut ex ipsis etiã suillis carnibus, optima sit montana. Ab his deinceps sunt hœdi.

*Hœdi biliosis apti.*

In omnibus autem fugienda tum uetula, tum recens ædita sunt: illa nanq; duriora, concoctuq́ difficiliora sunt: hæc immodicè humida, & excrementosa.

*Animalia uetula, recensq́ ædita, esus esse ineptissima.*

Igitur, quibus acre aliquid quotidie transpirat (reuertamur enim rursus ad institutum) ij, si cutis eis constipetur, facilè corripiuntur febri. Stipant uerò ipsam, tum quæ astringunt omnia: tum quæ lentitia, crassitudineue sua, in exiguis hærent meatibus.

*Stipantia cutem quæ sint.*

Aliquando etiam ipsius cutis immoderatior siccitas, exiguos meatus densat. Qui ergo ex stipata cute febri laborant, ij inclinante prima accessione, ducendi om-

*Febrientes à cõstipata cute, qualiter sint fricandi & abluendi.*

nes ad balneum sunt: tum pinguiter, molliterq; fricandi, si quidem ex aliquo, quod astrinxit cutim, laborent. Nam si ex siccitate, fricandi quidem & ipsi, sed parcius: lauandi autẽ uberius. Respiciendum uerò ad uirtutis modum semper est, in huiuscemodi auxilijs. Atq; iræ quidem, tristitiæ, uigilię & curæ, nec frictione, nec lauatione multa indigent. Sed omnibus qui ex eiusmodi occasione febricitarint, oleum infundendum est tepidum largeq;, cui minimè astringens uis insit: tum paululum fricandi, ex consuetudineq; lauandi. Vstio uerò protinus ab initio refrigerationẽ desiderat: tum crebriorem lauationem: minimè tamen aut oleum largum, aut frictionem crebram. Sunt autem quæ refrigerent, & rosaceum, & omphacinum, salis omnino expertia. Efficies hęc magis frigida, si ita uas, in quo cõnentur, in puteo suspendas, ut aquam tangat. Præterea si defluxus frigidæ aquæ uasi se illidat, magis humorem refrigerat: magisq; adhuc nix circumposita. Infundere autẽ oleum ipsum syncipiti, sublata in altum manu, per mediocrẽ lanæ modum oportet. Hæc usque ad inclinationem faciens, in balneum duces. Si uerò qui memorato est temperamento, ex frigore febriat, etiam ducendus ad balneum in remissione is est. Si autem cum grauedine & destillatione febricitet, prius quàm hæc sint concocta, lauandus non est. At qui ex ustione febricitant, ij uel quum hæc adsint, lauari debebunt. Post lauacrũ uerò ijsdem quibus ante madefaciẽda amborum capita sunt: eorum quidem qui ex ustione febricitarunt, refrigerantibus: qui ex frigore, calfacientibus: cuiusmodi sunt irinum & nardinum unguentũ. Porrò qui ex ustione febricitant, ijs intendenda, quę ex refrigerãtibus cõstat, curatio est: ijs uerò qui ex frigore, quæ consistit in calfacientibus, remittenda fuerit. Omniũ autem conditionum comprehensarũ in proposito temperamento, ubi febri diaria laborat, uictus cõmunis est ijs, qui & sit boni succi, & cõcoctu facilis, & qui nusquam exiguis cutis meatibus hæreat. Sed ijs qui exusti sunt, cum eo quod refrigeret, & humectet. Pari modo ijs, quos ira mala habuit. Iis uerò qui refrigerati fuerunt, cum eo quod calfaciat modicè. Iis qui peruigilio, & tristitia, & nimia cura confecti sunt, uictus esse debet humectans, atq; somnum concilians. Ad eundem modum ijs qui defatigati sunt, magis nutriens: minus autẽ, ijs qui refrigerati. Reliquis, qui medius sit amborũ. Vinũ uerò ipse his omnibus exhibere soleo, sed quod tum aspectu, tum uiribus sit aquosum. Id enim ad omnia utilius quàm aqua est: utpote quod & concoctionem iuuet, & urinas ac sudores prouocet. Etenim constat Hippocratem, non in diarijs modò febribus, uerùm etiam in acutis, uinũ porrigere. Cæterùm naturæ calidæ, magnopere frigidæ potione iuuatur: neq; in diaria febri, ijs quibus in usu fuit, ipse eam circuncido. Si quis uerò non assueuit, huic per febrim dare nõ inceperim, nisi pristina sanitate prius reddita. Porrò si propter obstructionem morata sit transpiratio, si parua quidem ea sit, qui rectè deterserit, secundam fore accessionem uerabit: sin momentanea, nõ possis ita promittere. Quòd si & multi, & crassi, & glutinosi impacti sint succi, quæ hos excipit febris, fieri non potest ut intra fines diariarum consistat: quandò ex necessitate huic in mali succi naturis, ea quæ ex putredine humorum accenditur, succedet. Nam in alijs saltem temperamentis, quę in sequentibus exponam, excitari ex tali causa potest, citra humorum putredinem, aliqua cõtinentis febris species. Itaq; nisi uitiosus succus transpiret penitus, necesse est ut putrescat: ut transpiret autem, ualido auxilio est opus. Ac si quidem uel puer, uel senex sit, sanguinem detrahere non licet. Inter has ætates, ubi robur ægro non deest, secanda uena est, uel si plenitudinis signa non adsint. Præstat enim uitiosi succi maiore parte emissa, ad detergendas obstructiones accedere: quum alioqui uerendum sit, ne si obstructionibus liberandis, prius q̃ uacuaueris, studeas, ipsas multò magis impingas. At soluunt quidem obstructiones, quæ detersoriam obtinent facultatem, seu foris admota cuti, seu intrò in corpus accepta. Periculum uerò etiam est, ne quæ foras trahunt, unà cum ijs quæ obstruunt, etiam aliud quippiam attrahant: & quæ ab interno sursum feruntur, aliquid secũ ex ijs quę in uasis continentur, rapiant. Quod ipsum si tenax & crassum sit, obstructionem planè geminabit: sin aliter, multitudine certè sua, non parum omnino nocebit. Ne igitur hæc contingant, utilissimum est inanisse corpus. Discernitur autem magnitudo obstructionis ex ipsa magnitudine febris, ut quę ex maiore obstructione, maior: ex minori, minor inciderit. Vbi uerò modicè iam uacuaueris, haud multò pòst aut nutrimentum aliquod, aut pharmacum ex ijs quæ detergeant, exhibebis. Atq; in alimentorum quidem ratione sunt ptisana & mulsa: in pharmacorum, oxymeli, & quæcunq; incoquere in mulsa licet, ceu calamintham, hyssopum, origanum, serpyllum, irim, & apium. Verùm hæc omnia iusto sunt calidiora, ideoq; febres accendunt, æquè ut uinum. Oxymeli uerò solum nec febres accendit, & strenuè deterget, sic ut ea quæ glutinosa crassaq; sunt, dissoluat, & meatus obstructos liberet. Inter mulsam & oxymeli medium locum habet quod apomeli dicitur. Nec immeritò arbitror & saccharum inter hæc numerandũ. Ex hoc uictu obseruabis, quantùm de febrili calore minuitur. Etenim si tertio die manè uideris minimum esse quod de febri relinquitur, ac nec putredinis humorum in pulsu nota subsit, neq; in urina cruditatis, suspecta uerò hora, qua primo die febris occupauit, extra meridiem sit: audacter hominem quamocyssimè lauabis, longè ante sextã horam. Abundè tamen sit, si intra tertiam horam lauationem compleueris. Ad eundem modum & si decimam horam suspectam habueris, usq; ad septimã laues licet: quum tres æquinoctiales horas quatuórue, inter balneum accessionisq; tempus interponi abundè sit satis. Debet autem in balneo corpus prius unctum ac moderatissimè frictũ, mox detergeri extrinsecus, abluiq;. Moderatissimè detergent tum erui, tum hordei, tum fabarum farina. Præterea mulsa quæ sit aquosa. Magis uerò quàm hæc, iris, & panacis radix, & aristolochia, & mulsa quæ mediocri est mistura: ueluti etiã hac magis quæ meracissima est. Possunt autẽ uel hac magis detergere, tum spuma nitri, tum nitrum ipsum, tum aphronitrum. Sapo etiam ex ijs est, quæ maximè detergere ualent. Egressis balneum, præter

*Febris ab animi affectibus.*

*Febris ab ustione inducta, curatio.*

*Rosaceum refrigerãdi modus.*

*Capitis refrigerandi ratio.*

*Febris à frigore orta curatio.*

*Diariarum febrium in bilioso temperamento, tum cõmunis omnium, tum cuiusq; propria uictus ratio.*

*Diaria febre detentis uinum esse propinandum aquosum.*

*Vinum acutis febribus Hippocrates porrigit.*

*Calidæ naturæ frigida potione iuuantur.*

*Aquam in febribus non esse propinandã ijs, qui eis illa non consueuerunt.*

*Continentis febris speciem aliquam excitari posse absq; humorum putredine.*

*Sanguinem nec puero, nec seni detrahendũ esse.*

*Sanguinem detrahendum interdũ esse, absque plenitudinis notis.*

*Obstructiones soluunt, quæ detersoria facultate sunt prædita.*

*Vacuandũ cur prius sit corpus quàm obstructionibus liberandum.*

*Oxymeli esse aperiẽdis obstructiõibus quàm aptissimum.*

*Apomeli.*

*Saccharum.*

*Balneum initio corpori febricitantis, prius unũgi debẽt, moderatissimeq; fricari, ac dein detergeri.*

*Detergentia quæ sint.*

*Diarias ex cruditate fieri sæpe in biliosis temperaturis.*

ter aquam quæ parum apij incoctum in se habuerit, nihil est offerendũ. Iam uerò diariæ febres (de quibus tantùm in præsenti cõmentario agere est animus) in propositis corporum temperamentis sæpenumero etiam cruditatibus solent superuenire.

*Cruditatũ differentia.*

Est autem pessima in eiusmodi temperamentis cruditas illa, citissimeq; febrẽ accendit, in qua cibus in nidorulentam & fumosam qualitatẽ corrumpitur: quandò ea quæ in acidam uertit, ut rarò talibus naturis contingit, ita minus nocet. Nidorosa tamen cruditas, si aluus lubrica sit, minus est noxia: sin astringitur, grauis existit. Febricitant etiam nõnulli & ex ijs, quos diarrhœa ex cruditate malè habet.

*Febris ex desurgendi frequentia.*

Quibus utiq; non minimè proritat febris ex desurgendi frequentia. Est autem eorum quibus clausa aluus est, & quibus fluens, non eadem sanatio.

*Febris à diarrhœa orta curatio.*

Si igitur ea tantùm quæ corrupta fuere, per diarrhœam uacuata esse uideantur, tum lauandum, tum nutriendum in remissione febris est: sed ijs quæ circa uentriculum sunt, prius consulto. Sin ita multa inanitio aut prius facta sit, aut nunc etiam in homine duret, ut uirtus iam sit defessa, satius est omissa lauatione cibare, sed cõsulto prius ijs quæ circa uentrem sunt.

*Fomento ex oleo et absinthio quãdo utendum.*

Consuletur ita laborantibus, si modò uacuatio amplius non perseueret, fomento ex oleo & absynthio. Quòd si quis morsus, aut doloris sensus in uentriculo adhuc supersit, amiciri peniculo post fomentum debet, qui uel calidus sit, & siccus: uel ex oleo in quo absynthium incoctum fuit, uel ex unguento nardino madens, ac plurimum expressus.

*Purpura marina.*

*Purpura Tyria.*

Iam multò etiam satius sit, si purpura marina is fuerit: atq; etiam longè optimum, si optima sit Tyria.

*Ventriculũ imbecillum quæ roborent.*

Quòd si os uentriculi imbecillius sit, tanta portione Chiæ mastiches in nardino tunsa, unde sordium crassitudo existat, madefactã ex eo purpurã imponemus.

*Tepida, si admoueantur, dissoluere uentriculi firmitudinem.*

Esto autem abundè calens talium quodq; quum primùm admouet. Nam quę tepida sunt, dissoluunt uentriculi firmitudinem.

*Vnguenta esse calfacienda in duplici vase.*

Vnguenta autem ipsa calfacere in duplici uase soleo: quandoquidem aliter calfactis, uitiatur eorũ facultas.

*Aluo fluẽti quæ conferant.*

Cæterùm fluente adhuc aluo, utilius est optimo recenteq; melino, simili modo quo nardino, uti. Vtile autem ad omnia talia est & mastichinum: nec in postremis conferunt spicata & foliata unguenta, quę Romanorum luxus inuenit.

*Romanorum luxus quæ unguẽta inuenerit.*

*Ceratum roborando uentriculo commodum.*

Mirè etiam uentriculũ roborat hoc ceratum quod subdam. Ceræ Tyrrhenicæ, unguenti nardini, singulorum unciam j. Aloës, Mastiches, singulorũ drachmas ij. Fiat ceratum. Si uerò intus uratur uentriculus, ita ut affectus quidam phlegmonæ similis consistere in ipso uideatur, utilius est ceratum quod ex melino conficitur.

*Aluo fluenti uictus ratio conueniens.*

Porrò cibandi sunt, fluente quidem etiamnum aluo, polenta & pane, qui pauxillum aceti receperit. Quòd si plus æquo aluus excernat, inspergere oportet polentam succo cotoneorum malorum, uel (si ægro magis arrideat) pirorum, aut malorum, aut myrtorum decocto. Sin uenter non amplius excernit, suffecerit tum alica, similiter ptisanæ præparata, hoc est, aceti habens pauxillum: tum ex ea sine aceto sorbitio: tum gallinaceorum testiculi: & saxatiles ex albo iure pisces: præterea fructuum aliquis ex ijs qui astringant, uel solius, uel cum pane.

*Appetentiam restitui usu medicamenti ex succo cydoniorũ cõfecti.*

Quòd si appetentia deiecta sit, ex medicamento quod ex succo, uel ex carne cotoneorum conficitur, unum aut duo cochlearia exhibebis. Atq; ita sanè in prima remissione ijs qui ex cruditate febricitant, uentre excernente, mederi conuenit. At si omnino uenter astringitur, si quidẽ in superioribus intestinis, uel etiam in ipso uentriculo cibus crudus consistat, aliquid diatrion pipereon propina, eius uidelicet quod in opere de tuenda sanitate laudauimus, ceu & simplicissimum, & aptissimum ijs qui cruditate laborãt.

*Diatrion pipereon esse medicamẽ cruditatib. uẽtriculi aptissimum.*

Pòst deinde pręcordia, omnemq; uentrẽ perfundes. Hoc uerò, etiam si inferius descẽderint quæ uitiosa sunt, facies, pluris minorisq; ratione id uarians. Siquidẽ plus & temporis & perfusionis exigunt ad pręparationẽ eorũ quæ deinceps sunt agenda, quib. in superioribus uẽtris corruptũ nutrimentũ adhuc manet. Sin motũ id notabiliter ad inferiora sit, adiuuandum aut glande subdita, aut leui per inferna infusione est. Vtiq; si morsus simul adsit, hũc mitigantibus nobis. Sin flatus, hunc cõprimentibus. Sin neutrum fuerit, ex melle, aqua, & paululo olei ipsum clysmum facientibus.

*Intestinorum morsus lenientia.*

Vbi uerò morsus uehementior urget, Sabinum oleum, in quo aliquid seui anserini, uel gallinacei, uel caprilli liquatum sit, est utilius. Quorum copia si desit, iniiciendum oleo parum cerę est eloto.

*Flatus discutientia quæ sint.*

Flatus uerò sanandi sunt oleo in quo ruta, & semina quæ flatus discutiunt, incocta fuere: cuiusmodi sunt, apij, cumini, marathri, sinonis, aliaq; id genus. Vacuata aluo, nutriendum protinus in cęteris quidem ijs quos memorauimus similiter est, astringentibus tamen amotis. His igitur prima & secunda die obitis, si secunda die febris desiit, hominem lauari permittes: ac ubi sequenti nocte citra offensam dormierit, sanum iam hominem prorsus existimabis. Si uerò qui cruditati successit dies cum sequente nocte febrim attulerit, ueluti in secundo die, ita tunc & accurandus, & nutriendus homo est. Quòd si nox tertiæ diei febrile quiddam paulũlũ afferat, ne sic quidem est formidandum, sed hos quoque postridie lauabis, nutriesq;, ac reliqua omnia in illis, ut antè definitum est, ad portionem exequêris.

*Acidã cruditatẽ non contingere in temperaturis biliosis, nisi admodum rarò, neque accendere febrem diariam.*

Acida autem cruditas non contingit in biliosis temperamentis, nisi admodum rarò, idq; ex cibis qui promptę acescunt: nec accendere febrem diariam solet, æquè ut nec concoctionis tarditas: quandoquidem sicubi ob talem cruditatem febricitant, quibus amara bilis abundat in temperamento, obstructionis & humorum putredinis est suspicio.

*Fumidum halitum non excitari ab acida cruditate.*

Ad hæc, fumidus uapor ex tarditate concoctionis, aut cruditate, in qua ructus sentiuntur acidi, nunquam excitatur. Quippe frigidi halitus abs talibus succis ascendunt, hique omnino paucissimi: minimè autem uapores multi, humidiq;, ac fuliginosi, quum neq; in ijs quæ sunt extrà, aliter aut fumum edi, aut fuliginem uideas, quàm fumum ex materijs semiustis, fuliginem ex immodicè assis, ustisq;.

*Fumus ex materijs semiustis nascitur.*

*Fuligo ex immodice ustis materijs gignitur.*

Est nanq; fuligo uapor terrestris. Fumus mistio quædam ex terrestri, aqueaq; substantia. Absoluta iam in ijs naturis, quibus amara bilis redundat, diariarum febrium disputatione, ad aliud corporum temperamentum transeamus, in quo ut calidum frigido, sic sicco humidum præualet.

*Intemperiẽ calidam atq; humidam, esse maximè obnoxiã morbis putredinis.*

Est enim hæc intemperies omnium maximè obnoxia putredinis morbis, propterea quòd per ipsam sanitatẽ ad putredinem proximè accedit: id quod tum ex sudori-

bus conijcere est, qui grauiter his olent: tum uerò ex urinis, deiectione, atque adeo ipsa etiã expiratione. Etenim qualis est hircorum, talis est harum naturarum temperies. Ideoq; prompta est ex qualibet occasione, tum alijs morbis, tum uerò febribus corripi. Siquidem quum eorum cutis est stipata, effugere febrem non possunt. Sed nec quū ualentem cruditatem contraxerunt, aut perusti fuerunt, aut tale quippiam aliud perpessi. Iam uerò à cruditatibus nidorosis obstructionibusq; naturæ calidæ & humidæ, q̃ siccę, promptius læduntur. Itaq; omnes diarię febres accenduntur promptissimè in istiusmodi temperamentis, idq; ex qualibet earum causarum, quas in biliosis naturis retuli: curationemq; persimilẽ illis habent, ac in paucis omnino dissidentem. Nam quum hæ naturæ humidiores sint, magis quàm illæ famem & sitim perferunt. Est igit̃ illis ex usu balneũ, quod cutim laxet, non aũt quod corpus humectet. Quæcunque uerò de eiusmodi natura sunt dicta, eadem & de acquisito habitu dicta esse censendum.

*Natura calida & humida, magis quàm calida & sicca, famem & sitim perferunt.*

Quum autem octo intemperies existant in uniuersum, opportunissima ad febres est calida & sicca: ac nisi quis illam (ut dictũ est) cibet, ocyssimè in ea diaria febris in acutam mutatur. Propinqua huic est quatenus ad febrem spectat, quamuis sit ad alia deterior, intemperies calida & humida. Tertia ab his intemperies est, ea simplex intemperantia, in qua tantùm exuperat calidum. Huic proxima est simplex altera, in qua siccum humido præualet. Ab hac deinceps media omnium est, scilicet quæ mediocritatẽ in utraq; oppositione tuetur. Quatuor quæ reliquæ sunt intemperies, neq; facilè febribus, occasione iam dictarum causarum, patent: neq; diaria tentatę, si inediam tolerent, in plurium dierum febres transeunt: imò aliquæ saltem earum, ubi citra corruptelam contraxerunt redundantiã humorum, utilitatem ex inedia sentiunt, ac potissimum quæ frigida est & humida. Ab hac quæ humida est. Tertio loco quæ frigida. Quarto, quæ simul frigida & sicca.

*Intemperies calida & sicca est ad excipiendas febres opportunissima.*

*Intemperantiarũ omniũ, quanam sint magis obnoxiæ febrib.*

*Intemperies frigida et humida quando ab inedia iuuetur.*

In eiusmodi ergo omnibus temperaturis, temperamenti quidem ratione, uictus ratio uarianda est. Nam ex eo quòd eadem febri febricitant, non diuersam, sed omnino eandem sortientur indicationem. Siquidem quod secundum naturam est, semper similia postulat. Quod autem prẹter naturam, contraria: quum nimirum quod se naturaliter habet, custodire: quod præter naturam est, tollere expediat. Porrò febris omnis præter naturam est: ideoq; uictus rationem frigidam & humidam exigit. Temperamenta uerò ipsa, aliàs similia, aliàs contraria postulant. Quæ enim uitio carent, similia perpetuò: quippe quæ seruare expedit. Quę uitium habent, aliàs similia, aliàs contraria. Similia quidẽ, tum in alijs de quibus mox dicemus, tum in ulceribus omnibus. Cõtraria autẽ in eo uictu qui per sanitatem adhibetur, dum corrigere eorum intemperantiam est animus: necnon ubi eiusmodi uitiosæ naturę à longo tempore contrarię uictus rationi assueuerunt: gaudent enim naturæ cõsuetis semper. Duplex itaque nobis in ijs qui sani sunt, finis proponitur. Nempe uel corpus sanũ in pristina eius temperie tueri: uel hanc meliorẽ efficere. In ea tamen natura quę haud dubiè in medio temperamento cõsistit, ab ipsa febri

*Naturalem seruãtia ordinem, semper similia postulant, ut cõtraria, quæ à natura ordine aberrant.*

*Febris requirit uictus rationẽ frigidam atque humidam.*

*Temperamenta inculpata similia postulant.*

*Temperamenta uitiosa, quando requirant similia, & quando contraria.*

*Natura gaudẽt semper cõsuetis.*

contrariorum indicatione accepta, eatenus humidum frigidumq; adhibebimus uictum, quatenus siccius calidiusq; quàm antea iam redditum corpus apparet. Humidus igitur uictus (ut testatur etiam Hippocrates) febrientibus omnibus conuenit: maximè uerò pueris, & alijs qui sic cibari assueuerunt. Etenim febrientibus, quatenus febriunt, ex ipsa contrariorum indicatione humidus uictus conducit: pueris ex similiũ. Nam quũ ætas ex ijs sit quæ natura nobis insunt, similem sibi uictum postulat.

*Humidus uictus febrientib. omnibus conuenit, maximè uerò pueris.*

Quę uerò à consuetudine indicatio sumitur, sic sumpta est, sicuti & quæ ab ætate. Quippe seruare quoq; hanc iubet Hippocrates, perinde ac proprium ętatis temperamentum. Sed à regione etiam & anni tempore interdum indicationes sumuntur. Cæterùm à consuetudine quidem semper est indicatio similiũ, quoad scilicet ægrotant homines. At ab ætate, natura, regione, anni tempore, & statu cœli, ubi temperata hæc sunt, similium semper præsidiorum est indicatio, siue ualeant homines, siue etiam ægrotent. Contrà ab intemperatis, anni tempore, statu cœli, & regione, contrariorum est indicatio. Verùm ab ætate & natura non absolutè, sed cum consuetudine.

*Consuetudinem esse seruandam nõ secus ac proprium temperamentum.*

*Indicatio ab ætate, natura, regione, anni tempore, et statu cœli, quando similium, & quando dissimilium habeatur.*

Porrò nihil in contrarijs indicationibus tam conuenit expendi, quàm magnitudinem eorum quæ ad indicationem conferunt: quæ quidem duplex existit: altera, quæ ex *eorum dignitatibus spectatur, altera quæ ex ipsorum proprijs substantijs. Quas sanè ex collatio[illegible]e cum mediocri, & quod secundum naturã est, esse accipiendas liquet. Omnibus igitur conspirantibus in unum indicationibus, unam prorsus uictus rationem constituemus. Dissidentibus uerò inter se, quę ualentiores & plures fuerint, eas pręferemus, ita ut uictus speciem, quam hæ præscribent, anteponamus: minimè tamen negligamus contrariam.

*Indicationibus oppositis occurrentibus, expendendam esse magnitudinem eorum quæ ad indicationem conferunt.*

Porrò quæ à febri sumitur indicatio, ea reliquis, quando omnes contrarium esse faciendum dictant, numero quidem inferior est: magnitudine tamen quæ ex dignitate spectatur, uniq; superior existit, potissimum si longè à natura recessit. Quippe duplex tunc ei magnitudo accedit: & quæ ex febris genere prouenit, quę omnibus est cõmunis: & quę propria, suaq; ipsius existit. Sin uerò parua sit febris, fas est reliquas omnes coniunctas indicationes unà cum ipsa conferri. Ac si quidem pares uideantur, media uictus ratio eligenda est. Sin altera indicatio exuperet, tantùm recessisse à temperato & medio uictu par est, quantùm ea quæ pollent, sua contraria superant.

*Indicationem à febri sumptam reliquis superiorem existere.*

Ac diariarum quidem febriũ indicationes ex his capiuntur generibus, raroq; à laborantis uirium modo. At febrium, quæ pluribus diebus affligunt, indicationes, tum uirium respectum necessariò adhibent, tum causarũ quæ ipsas excitãt: exceptis tamen hecticis, utpote quas nulla accendit causa: quemadmodum neq; corpus id quod iam habitu calorem ignis in se recepit, siue id lapis sit, siue lignum. Illud nanq; commune cum diarijs habent, quòd uidelicet non amplius fiant: differunt autem in eo, quòd diariæ in leui affectu calorẽ habent, hecticæ in habitu qui ægrè soluatur.

*Indicationes tũ diariarum febriũ, tum earũ quæ pluribus diebus affligunt, ex quibus capiãtur generibus.*

*Hecticas febres nulla accendit causa.*

*Hectica cũ diarijs in quo conueniant, & in quo discrepent.*

## GALENI PERGAMENI DE medendi methodo liber IX.

*Diariarum accessio est unica, unico circumscripta die.*

*Diarias transire in putridas, hecticasq́;, nisi rectè tractētur.*

*Putridæ febres quæ.*

*Hectica febres.*

Diariarum igitur curationem præcedenti libro exposuimus. Quarum sanè febrium unica accessio est, unico plurimũ die, ex ipsarum saltem natura, circumscripta. Cæterùm nisi quis eas commodè tractet, in reliqua duo genera febriũ, uempe in putridas & hecticas, transeũt. Putridas enim appello, quæ ex humorũ putredine: hecticas uerò, quæ ex immodica solidarũ partium nascunt̃ calfactione. At uerò in illo trãsitu à diarijs in reliqua illa duo febriũ genera, alterum quoddam febrium genus mediũ licet imaginari, quod neutri extremitatũ sit idem. Cæterũ mediũ id, quũ inciderit, nec nosse ij possunt, nec reprimere, qui extremitatũ, quarum existit mediũ, speciem ignorant. Ergo ex adustione, cruditate, lassitudine, uigilia, perturbatione animi, uel bubone ab euidenti causa aliqua oborto, nunquam ad tertiũ usq; diem progredieť febris accessio, nisi quid delictũ circa laborantẽ fuerit. At quibus stipatio febris occasio est, ijs etiã ultra hos porrigi accessio potest. Etenim stipatio fit, uel obstructis exilibus meatibus, propter glutinosos, uel crassos, uel copisos succos: aut cõniuentibus, ob ea quæ corpus siccarunt: uel deniq; improbè condensans, ob occursum causarũ refrigerantiũ. Quas igitur febres uel conniuentia meatuũ, uel recens corporũ densatio excitãr, hæ & post primã accessionẽ desistũt, si quis rectè ipsas tractet: & uerè diariæ tum sunt, tum dicunť. At quę ex obstructione creanť, si hæc quidẽ pusilla sit, solui quoq; ipsæ similiter ut aliæ diarię possunt, si quis eas legitimè sanet. Sin aũt adeò uehementer sint humores impacti, ut ualentius aliquid quod eos eximat, postulent, id genus febres porrigi ultra unum diem necesse est, ac proinde diariarum genus uideri egressas. Verùm si neq; humor putrescens subsit, neq; ipsum corpus febrilẽ calorẽ susceperit tanquam habitũ, uniq; genus id febris, ab alijs duob. diuersum erit. Quare huiuscemodi febris natura quidẽ eadẽ est cũ diarijs, nomen uerò non idem. Siquidẽ quę febres ab initio ad finem usq; unicã accessionẽ sortiunť, in multos dies porrectã, ex synochi, hoc est, cõtinentes uocanť. Quarũ natura est duplex. Quędã nãq; earũ manifestã habent putredinis notam: quædã prorsus non habent: quas nimirũ ex diariarũ esse genere cõstat. Quũ enim accessionis remissio ex feruentiũ humorũ transpiratu contingere soleat, nõ transpirent aũt prorsus in stipatione uehementi: necesse hauddubiè est, multorum dierum fieri accessionẽ. Igitur ubi in tali febri nulla subest occasio, quæ alterius accessionis principiũ excitet, non modò multorum dierum euadit febris, sed absq; inuasione ullius accessionis, ab initio ad finem una febris persistit, nec quotidianã, nec tertianam, nec quartanam referens. Quoniam igitur ex duobus his foueri febris potest, & quòd totus uapor nõ transpiret, & quód idẽ uapor ea quę contingit excalfaciat: necessum est tres esse synochorum differentias in uniuersum: nempe uel pari permanente magnitudine ea, quam in primæ accessionis uigore habuit: uel adijciente semper exiguum aliquid, minuentéue: atq; hæc uel æqualiter faciente, uel inæqualiter. Ac si quidem quod accenditur, ei quod transpirat par fuerit, nec augeri nec minui febrilis calor cernetur. Verũm si eorum alterum uicerit: utiq; si quod uacuatur, necessariũ est febrim minui: sin quod adijcitur, omnino increscere. Hæc itaque est continentium febrium species una, quæ eandem naturã cum diarijs sortita, absque humorum putredine in plures dies extenditur. Altera uerò contingit, ubi in omnibus uasis, ac potissimum maximis, æquabiliter succi putrescunt. Quarum sanè febrium in gracili & frigidu corpore neutra solet cõsistere, sed plurimum in ijs qui sanguine abundant, & corpulentis: quandò nec obstructio citra putredinem excitare febrim ualet, nisi id quod transpirat, & copiosum, & calidum sit: nec humorum putredo in omnes quæ inter inguina & alas intersunt uenas, æquabiliter ac citò porrigi in frigido habitu potest. Debent enim quæ putrescunt, tum calida & humida esse, tum difficilem habere transpirationem. Eoq; fit, ut neq; in frigida ætate, neq; in frigido corporis temperamento, continens excitetur febris: quemadmodum neq; in gracilibus, uel qui raro sint corporis habitu: sed prorsus in temperamentis, corporibus atq; naturis contrarijs. Proinde fit, ut qui ita febricitant, ijs & pulsus maximus fit, & æqualis, & uehemens, arteriæq; consistentia inter molle & durum mediocris. At celeritas atque frequentia pulsus, pro ipsius magnitudine febris. Hæc itaque sunt ambarum febrium communia. Alteri tamen priuatim insunt notæ putredinis, non modò in lotio, sed in pulsu etiam, calorisq; qualitate iniucunda. Quarum sanè febrium dignotionem & curationem ipsi tum ratione, tum experientia didicimus, qui statim ab adolescentia philosophię studio capti, primũ nos ad eam contulimus: mox patris euidenti insomnio moniti, ad medicinæ studium excolendũ accessimus. Est porrò continentium febrium præsidium maximũ, si modò uires ualentes sint, sanguinis diminutio, uel usq; ad deliquium animi. Primùm nanque in contrarium statum agitur corpus, celerrimè ex animi defectu refrigeratũ. Hoc uerò nihil inueniri possit neq; ipsis ægris, nec naturæ quę animantes gubernat, iucundius utiliúsue. Postmodum in corporibus ipsis necessariò superuenit alui deiectio, nonnunquam & uomitus bilis. Quas res statim à toto corpore madores sudorésue excipiũt. Etenim uel sola sanguinis detractione sic obita, restitui olim ipse quendam adolescentem ardentissima laborantem synocho. Cui sanè post duas à sanguinis missione horas paulum nutrimenti exhibui, permisiq; ut quiesceret. Iam uerò eorũ quos ex sola obstructione febricitantes mihi uidere contigit, nemo in putredinis febrem incidit, qui sanguinem prius detraxisset. Quem quidem, ubi ualida uirtus subest, & ætas permittit, usq; ad animi defectũ (ut diximus) mittere expedit. Vbi horum alterũ haud satis respondet, tutius est, quantùm satis uisum fuerit, tantùm principiò detrahere: quod defuit, iteratione supplere. Quo quidẽ pręsidio omisso, in summũ ægri discrimen ueniunt: nisi eos uel uiriũ robur, uel largum profluuium sanguinis, uel sudor copiosus, ex manifesta pernicie eripiat. Agimus itaq; impręsentiarũ de ijs febribus, quæ ex stipatis per obstructionẽ meatibus oriũtur. Quas, si siue putredine

*Stipatio quotupliciter fiat.*

*Diariæ febres quando & sint, & dicantur.*

*Synocha febres quæ vocentur.*

*Synocharum febrium genus duplex.*

*Synocharum febrium tres differentia.*

*Putredini quæ requirantur.*

*Cōtinentes febris in quibus non posint gigni corporibus.*

*Galenus patris insomnio admonitus Medicinæ nauauit operã.*

*Continentiũ febrium præsidium maximum est, missio sanguinis vel ad animi deliquium usq;.*

*Sanguine detracto in ardentissimis febribus, interpositisq́; horis duabus, esse modicè alendũ ægrum, permittendũq́; ut quiescat.*

*Sanguinis missio quando sit celebranda usq; ad animi defectionem.*

cultates ſeruare, nihil planè eſt aliud, quàm uitam ſeruare. Siquidem qualibet earum amiſſa, neceſſum eſt reliquas ſimul perire. Ac proinde in opere de ſanitate tuenda, huc omne cõſilium direximus. In hoc uerò, primum propoſitum eſt, morbi ſublatio. Nam cuiuſmodi in illo eſt ſanitatis tuitio, eiuſmodi in hoc eſt morbi ſublatio. Quorũ utriꝗ cõmunis eſt ipſa uitę cuſtodia. Hoc tamen teteſt, quòd quæ ſecundę ualetudinis tuendæ gratia geruntur, eadem ſtatim uitam tueotur: quæ uerò affectiones præter naturam in morbis diſcutiunt, ea non omnino uitã cuſtodiant. Quippe aliqua eiuſmodi prędita ſunt facultate, ut ſi immoderatè aut intempeſtiuè utare, uitã adimãt: qood ſolent uacuationes immodicæ. Ergo quum uirtus tantopere neceſſaria ſir, cam autem lædant omnia uacuantia remedia, ſi quis ipſis parum moderatè otatur: utiꝗ aduerſæ inter ſe faciendorum indicationes in talibus corporibus ſunt, in quibus affectus, quò expugnetur, notabilem uacuationẽ deſiderat: oirtus autem hanc ferre non ualet. Cæterùm quemadmodum nihil quod ſanitatem tuetur in ualentibus uires corrumpit: ſic in ægrotis aliquaodo uirtus ſuccedit ijs, quæ ueluti in perniciem eius adminiſtrantur: ut ſi euacuemus in plenitudine quæ eſt ſupra uires, aliquando ab ipſis diſſoluitur. Etenim in ſyoochis febribus, ex meatuum ſtiparione ortis, quoniam ualida plerunꝗ oirtus eſt, citra periculum uacuatio adhibetur. In alijs uerò quæ ex corruptela humorom gignuntur, exiſtit maximè periculoſa. Siquidẽ quod corruptum eſt, alienum à natura quum ſit, id ſe auferendom dictat, uel uena inciſa, uel purgatione. Horum autem præſidiorum neutrum feret imbecilla facultas, ſi quando cum corruptela coioerit. Oportet igitur, ubi indicationes ita ſibi aduerſantur, paulatim quod uitioſum eſt, uacuare: paulatimq́ꝫ, quod ſalubre eſt, in eius locum reponere: quam curationem uitioſi ſucci, Medici epicraſin nominant. Quum igitur ſectio uenæ, ſanguinis ſit uacuatio: ſanguis autẽ ipſe utilis, poſſeſsio naturæ exiſtat: ſic utique oportet oenæ ſectionem fieri, ut quod inutile ex ſaoguine ipſi naturæ eſt, emittatur. Fit porrò ſanguis biſariam naturę inutilis: uel quum propriam qualitatem ad unguem nõ ſeruat, nec amplius nutrire, ſicut prius, poteſt: oel dum ita multitudine creuit, ut premat uires, aut diſtendat uaſa, uel rumpat ea, uel obſtruat. Atque in his quidem miſsio ſanguinis utilis eſt, ceu uacuantium præſidiorom unum: in alijs autem, ceu quod humorum uehementiorem impetum ad partem diuerſam reuocet, uel ad latera deriuet. Poſtulat autem ſemper ualentes uires, quæ modo uacuationis eius reſpondeant. Quoties igit̃ uirtuti notabilis ex uacuantibus auxilijs noxa incidet, toties ipſa utile aliquid indicabit, æquè utique, ut quum manifeſtè iuuabitur. Vbi uerò ex ijs quæ affectum ſubmooent, nec commodum illi accedit ollum, neque incommodum, ibi ueluti inutilis prætermittitur. Porrò quicqoid aliquam præſtat indicationem, ſi natura id ſimplex ſit, etiam quod iodicatur, utique ſimplex erit. At ſi illud compoſitum ſit, & hoc erit quoque compoſitom. At ſanè quędam cuſtodiam ſui, quædam amotionem indicant. Virtus itaque ſemper unam rem indicabit, utiꝗ ſui cuſtodiam. Cuſtodietur autem, primò qoidem, ſi quod ex ſubſtantia ipſius uel inanitum, uel alteratum eſt, correxerimus. Secundò uerò, ſi quæ ipſius ſubſtantiam uacuare, alterareq́ꝫ poſſunt, prohibuerimus. Aeſtimari autem debebit interim, quod magnitudine, dignitatéue antecellit. Maxima igitur dignitas uirium ipſarum eſt, quandò uiuere ipſum nobis ex harum cuſtodia conſtat: utpote quum uitam, aot ipſas eſſe uires, aut earum actiones, neceſſe ſir. Virtus ergo omnium prima cuſtodienda hominibus eſt. A uiriũ indicatione proxima exiſtit, quę ab affectibus, qoos curare conamur, ſubminiſtratur: poſtea deinceps reliquæ. Quicquid igitur indicationi, quam uires præbent, aduerſatur, id ſecundi eſt loci. Quæ uerò com ijs quę conducunt uiribus, in idem competunt, hæc otrunꝗ calculum referunt, & eorum quæ primæ ſunt notæ, & eorum quæ ſecundæ. Quare citra controoerſiam facienda. Quę uerò aduerſantur, aliquando adminiſtranda prorſus non ſunt, aliquaodo paulatim. Prima igitur indicatio omnium eſt, quę à uirtute ſumitur: non tamen ſic prima, ut curationem nos doceat, quum ex numero curatriciũ indicationum non ſit, ſed uitalium. Nam neque ut ualeamus, neque ut à morbis liberemur, ab ea quicquam primùm deſumimus, ſed ut uiuamus: quamuis ex accidenti interdum uirtutis roboratio ad affectus curationem couducat. At uerò medicatrices indicationes à morbo ipſo ſumuntur, & à temperie corporis, & ab ambiente nos aëre, qoi cauſæ ſine qua non, rationem obtinet: quum ſine ipſo nec tolli morbus, nec teoeri ſanitas poſſit. In omni itaque curatione agendorom, indicationes in his tribus ad ſummum conſiſtunt. Reliquæ autem omnes ab his in partes diductis, oriuntur. Cæterùm affectus ipſe haudquaquam in cauſas diduci eſt aptus, quemadmodum temperies atque ambiens aër, ſed tantummodo in differentias. Nam aut in ſimilaribus conſiſtit partibus, aut in inſtrumentarijs. Ac in ſimilaribus quidem, uel ſimplex eſt intemperies, uel compoſita. In inſtrumentarijs, circa ſimplicium partium uel poſituram, uel formam, uel numerom, uel magnitudinem, tum quæ horum ſigillatim traditæ ſunt differentiæ, conſiſtit. Porrò affectuum qui ſimplices partes occupant unus, eſt intemperies calida. Quæ ſi in totum corpus diffuſa ſit, appellatur febris. Ideoq́ꝫ omnis febris, quà febris eſt, humectatio refrigeratioq́ꝫ remedia ſunt. Ac ſi ſola quidem ſit febris, ad refrigerandum humectandumq́ꝫ, ueluti ad finem, dirigetur omne medentis conſiliũ. Quare materia inuenta, opportunum tempos ex quatuor febris temporibus ſumes: quantitatem uerò, ex conferendo com naturali habitu morbum. Quippe quantùm is receſſit à naturali habitu, tantùm opus eſt ægrum refrigeres & humectes. Ambiens autem aër (cuius fugere commerciom non licet) ſi contrariam morbo temperiem habeat, è præſidiorum numero eſt unum: ſin ſimilem, una eſt morbificarũ cauſarum. Idcirco tunc inhibenda eius noxa eſt, ſcilicet reliquorum auxiliorum humiditate ac frigore intenſis, adauctisq́ꝫ. Ipſe autem arte reddendus eſt talis, qualis ad profligaodam febrim, aut aliam quampiam diſpoſitionem, deſideratur. Si igitur morbus ſiccus & calidus ſit, humidiores frigidioresq́ꝫ domos

*Curatiua pars artis, & ea quæ ſanitatem tuetur, quæ in re cõueniant, & differant.*

*Vacuãtia remedia omnia uirtutẽ exoluunt.*

*Epicraſis quid.*

*Sanguis probus eſt poſſeſſio naturæ.*

*Sanguis dupliciter inutilis redditur.*

*Sanguinis miſſio interdum eſt utilis ut præſidium uacuans, interdum ut reuellens, aut deriuans.*

*Vires quando præbeant indicationes utiles, & quando minimè.*

*Virtus ſemper cuſtodiã ſui indicat.*

*Virtus quot modis ſeruanda ſit.*

*Indicantium dignitates eſſe æſtimandas.*

*Vitam eſſe aut uires ipſas, aut ipſarũ actiones.*

*Indicatio omnium prima eſt quæ à uirtute ſumitur, non ſic tamen ut curationem nos doceat.*

*Indicationes medicatrices unde ſumantur.*

*Morbi differentiæ.*

*Febris quid.*

*Febris remedia humectatio, refrigeratioq́ꝫ exiſtit.*

*Aëris commercium nos fugere haudquaquam poſſe.*

*Febrientibus quales ædes eligere, præparareq́; debeamus.*

& eligemus, & præparabimus. Sicuti è diuerso, si frigidus, humidusq́, eas quę calfaciant & siccent. Sunt itaq; deligendæ quæ ex seipsis eiusmodi sint: alioqui industria nostra pręparabimus ipsas, per æstatem quidem eas subterraneas molientes, & ad Septentrionē conuersas: ac pauimenta ipsarū assiduè humore aspergētes: tum ut ex euripo aliquo aura expiret, machinantes: flores præterea & germina, quæ frigidæ humidæq́; sint facultatis, per aream disseminantes: per hyemem uerò, contraria horum facientes, præsertim ubi morbus suadet: ubi non suadet, excessus tantùm utriusq; temporis remittentes. Poterunt rursus tres illæ indicationes prædictę ad duas tantùm reduci: nempe ad morbum & sanitatem. Neq; enim aliud ipsa sanatio est, quàm morbi in sanitatē translatio. Qui affectus contrarij quum sint, necesse est per contraria fiat eorum alterius in alterum transmutatio. Atq; ita rursus una erit sola curationum indicatio generalissima, uidelicet contrarietas. Cæterùm ad accuratam contrariorum administrationem, necessum est curandorum corporum prius & naturas & temperamenta cognoscere: quæ quidem tum ex ijs quæ in libris temperamentorum tradita sunt, noscuntur: tum ex ætate, & tota anteacta uita, quę nimirum in uictus & exercitij ratione consistit: præterea, in hac regione, & hoc anni tempore, & hoc cœli statu, conuersatione. Ex ipso autem temperamento inuento, adminiistrando rum indicatio suppeditabit. Sed neq; paruū quid negligendúmue, ad remediorum inuentionē consuetudo adfert: ueluti nec ad sanitatem tuendam, quum singulorum corporum etiam naturam ostendat. Nos siquidem uia rationeq; ab ea procedentes, inuenimus ipsarum partium affectum: de in ex illo rursus peruenimus ad faciendorum indicationem. Consuetudo itaq; curationis rationem indicat, per corporis naturam intercedentē, quemadmodum ætas: quæ & ipsa temperamenti interuentu, præstat indicationem. Aduertere autem oportet, corpora frigida & sicca, quæq; exter restri natura cōstant (cuiusmodi sunt mineralia) quamægerrimè solui. At quæ calida & humida sunt, eorum substantiā celerrimè dissipari in ambientem. Quæ uerò in medio horum, ex diametro pugnantium, consistunt, ea corpora quo magis ad hæc uel ad illa accesserint, eò uel aptiora ut dissipentur erunt, uel contumacia magis. In summa, citra calorem non potest in halitum digeri corpus ullum, quandiu substātia eius coacta densataq; manserit. Puerorum autem substantia, facillimè omnium digeritur, dissipaturq́, propterea quòd est ut humidissima omnium, sic nulla frigidior. Quo minus uacuantis præsidij eget, quum ex se ipsa naturaliter abundè uacuetur. Fit autem profectò & propter calidam siccamq; regionem, & tempus æstiuum, & statum cœli impensè siccum & calidum, notabilis per cutim uacuatio. Ita que hac de causa, qui sanguinis detractionem desiderant, ijs aut prorsus nō secabimus uenam, aut parum detrahemus. Erunt q; in hac detractione quoq; spectanda, natura ab initio, consuetudo, ætas, locus habitationis, anni tempus, cœli status, necnon is, quem curamus, affectus: aliaq; ratione ante hunc, laborātis facultas. Quū uerò affectus sint numerosi, cuiq; ipsorū sua est curationis per

*Sanatio quid.*

*Indicatio curationis generalissima, est unica uidelicet cōtrarietas.*

*Contrariorū ex habitione, quarum rerum desideretur cognitio.*

*Cōsuetudinem ad inuentionem remediorum, & ad sanitatē tuendam plurimum posse.*

*Cōsuetudo quomodo curationis rationem indicet.*

*Corpora dissipatu facilia et difficilia quæ sint.*

*Puerorū substātia cur omnium facillimè digeratur.*

*Puerilis substantia cur minus uacuantis egeat præsidio.*

*Sanguinis detractionem prohibentia.*

*Sanguinē detrahentes quæ sint consideranda.*

contraria indicatio. Quocirca, octo intemperamenta quum sint, octo erunt etiam morborum, quibus simplicia corpora sunt obnoxia, particulares indicationes. Vltraq; has, una eius affectus, qui instrumentalium cōmunis est, diciturq; continui diuortium: cuius sanè est indicatio curationis, unitio. Est igitur unum morbi genus, quod similares & simplices animalis uexat particulas, quam intemperiem uocant. Huius aliquæ differentiæ oriuntur, ubi corpora nudis qualitatibus alterantur: aliquæ ubi accedente etiam humorum affluxu. Qua sanè dispositione utraq;, uel affi citur una pars corporis, uel plures, uel uniuersum corpus.

*Intemperies simplicium partiū esse octo, totidēque illarum particularis indicationes.*

*Solutionis continui indicatio est unitio.*

*Intemperiei differentiæ.*

## GALENI PERGAMENI DE medendi methodo liber X.

Ergo in diarijs febribus simplex quidam est in corpore præter naturam affectus: utpote caussis quæ primùm eas excitarunt, iam ademptis. In quib. uerò causa quæ eas accendit adhuc manet, in ijs neq; affectus simplex, neq; sanatio est. Siquidem quod febris iam receptū in corpore est, id ex propria ipsius curandi indicatione discutere oportet: q̄d adhuc est futurū, id propulsare, ac ne fiat, uitare. Verabit aūt, si quæ id excitat causa prorsus summota sit. Itaq; in diarijs faciēdo rū indicationē maximè ex ipsa febre ea piemus. In reliquis uerò, quæ accensionis suæ causam intus habent, prima indicatio ab ipsa sumet causa. Quare si febriū quę multos dies cōtinuant, rectè often dimus putredinē esse causam, hæc nimirū sananda est prima. Sed nec interim extinguendæ febris, quæ per eam iam accensa est, ratio non habenda. Ac si quidem in idem consentiant, & quæ febrem extinguunt, & quæ oppugnant causam: in quod utraq; cōspirant, quum unum sit, sine cunctatione est agendum. Sin febris, quæ iam accensa sit, sanatio, causam quæ hanc excitauit, est auctura, aut quæ causam submouent, febrem exasperabūt, diligens habenda consideratio est de remediorum specie. Etenim si intolerabilis ægro sit magnitudo febris, committendum non est, ut per ea quibus causam adimimus, febrem augeamus. Sin ita mediocris sit febris, ut quo tempore contra causam tantùm pugnas, obruendæ interim uires ægrotantis nō sint, utiq; contemnendus is curationis modus non est. Non contemnendus autem nec ille est, qui contra id, cuius maius momentū est, instare iubet: nec tamen alterius omnino negligentem esse. Quum autem in examinandis ijs, ad hominis salutem non parum momenti facultas habere uideatur, tria nimirum erunt, quæ in proposítis iam ob putredinem febribus, agendorum indicationem nobis prima largiant: febris uidelicet: eius effectrix causa: præterea naturalis facultas. Cæterùm priora duo submouenda sunt, tertium est custodiendum. Erit itaq; rursus & hic necesse, ut tum febrem, tum eius causam, cum facultate ipsa conferas. Mox si eadem ambo remedia requirāt, ea promptè exequaris. Sin indicationes pugnabunt, unam præferas, uel quę à uiribus sumitur, uel quæ à causa, uel quæ à febre: sic ut quæ cæteris sit ualentior, hanc magis sequaris, nec tamen cæteras negligas. Nunc uerò ad particularium præsidiorum differentias nos conuertamus,

*Diariarum affectus simplex.*

*Indicatio ipsa quando à febre, & quando à febris causa sumēda sit.*

*Putredinem esse causam febrium quæ plures subsistāt dies: ac proinde primo tollēdam esse.*

*Indicationes agēdorum in putridis febrib. fumi à febre ipsa, & ab effectrice causa, & à facultate.*

uertamus, reperita tamen mentione diariarum:

*Diarias febres, dum imperitè tractantur, diuturniores fieri.*

quum & ipsę, inscitia medicorum, in plurium dierum febres aliquando degenerent: idq; uel earum effectrice causa abeunte, uel etiamnum persistente.

*Diariarũ causa quando recedant, & quando persistant in corpore.*

Porrò abiit effectrix causa, quoties ab ira, dolore, uigilia, cura, æstiuo sole, fatigatione, & bubone qui iam desiuit, citra stipationem febris est excitata. Manet, quoties uel ab externa causa, uel ab ipsa febre, stipatio aliqua est orta. Nam & frigiditas, & astringentium usus, per mediam stipationem semper febrem excitãt. Vstio prætereà nunquam cõstipat corporis habitum.

*Stipationẽ quæ faciant.*

Iam ipsum febris principium, ubi cum horrore inuasit, stipationem subinde fecit. Quinetiã glutinosi, & crassi, aut etiam copiosi succi, ubi mediocriter obstruxerunt, diariam aliquando febrem accendunt.

*Diaria febres cur sic dicãtur.*

Dicuntur autem id genus febres omnes diariæ, quia solui uno die sunt aptæ: computata cum hoc unà & nocte.

*Diariarũ affectus multiplex.*

Cæterùm non est idem diariarum omnium affectus: sed ab aliquibus inseparabilis stipatio est: ab aliquibus minimè inseparabilis, sed uel ut plerunq; simul adest, uel ambigua sorte, uel rarò. Inseparabilis stipatio est iis, qui ex aluminosa aqua, uel chalcanthode, uel tali quapiam alia, aut ex frigore, aut leui obstructione febricitarunt. Plurimum uerò iis adest, qui ex ustione febricitant. Ambigua sorte, iis, qui ex fatigatione. Quicunq; uerò ex ira, uel tristitia, uel uigiliis, uel pertinaci studio, uel cruditate, uel bubone febricitant, iis rarò adiuncta stipatio est.

*Ephemera febres cũ quibus excretionib. desinant.*

Atq; harum omnium febrium nulla (quod utiq; ex ipsa fit) ad secundam usque accessionem perdurat, sed intra quatuor & uiginti horas omnino desinit: idq; cũ sudore, uel madore, uel transpiratu quodam halituoso.

*Diarias produci unde accidat*

Aut si quando earum aliquæ (quod tamen rarius contingit) longius trahunt, duæ iis accedunt causæ quæ ipsas solui uetant. Earum una frigus est, quod uel ex ambiente aëre, uel ex unctione quapiã extrinsecus admota proueniat. Altera egregia illa diatritos est, si qui uidelicet hanc transire, medicorum inscitia coguntur.

*Diatritos.*

Multæ igitur apparent diariarum esse febrium differentiæ particulares.

*Diariarũ multiplex differentia.*

Vna, quando iam prorsus recessit ipsarũ effectrix causa: ueluti ustio. Altera, quando hæc etiã adest: sicuti stipatio.

*Stipatio duplex.*

Cuius duæ sunt differentiæ: nempe exiguorum meatuum & densitas, & obstructio.

*Densitudo meatuum unde accidat.*

Sanè densitudo ipsa, aliàs ex siccitate prouenit, aliàs ex frigore, eoq; uel simplici, uel cum astrictoria ui.

*Obstructionũ differentiæ.*

Iam uerò obstructionũ ipsarum, alia est quæ abundantia, alia quę ex qualitate succorũ, scilicet qui aut lenti, aut crassi sint, incidit. Præferetur autem inter remedia, in ea quã copia facit, sanguinis missio: in ea quæ ex humorum qualitate consistit, attenuantium usus.

*Indicatio à uiribus sumpta, in diariis quidem exigua, in plurium autem dierũ febribus, maximi solet esse momenti.*

Consilium uerò sumptum à uiribus, ut in diariis sanè est exiguum, ita in iis qui pluribus diebus urgent, satis magni est momenti, eoq; maioris, quò hæ sunt longiores. Enimuero ubi naturaliter uires se habent, ne minimũ quidem in diuturnis febribus uacuationum usum morantur: ubi autem sunt infirmiores, pro magnitudine imbecillitatis, impeditur usus auxiliorum uacuantiũ.

*Vires prima aut secũda die ab initio morbi, unde resolui accidat.*

Rarius autem accidit, ut protinus in primo, secundóue die, uires imbecillæ cernantur: id quod tamen interdũ accidit, uel propter ægrotantis malum corporis habitum, uel propter senium. Nõnullis etiã fatigatio, ubi tristitia, uigiliæq; præcesserũt, & inedia per totum secuta est diẽ, dein febris prius quàm homo cibaretur, circa uesperã occupauit, & nox insomnis est acta, uires impensè resoluit.

*Nutriendi etiã in prima inuasione accessionis qui sint.*

Porrò quibus temperies corporis ad siccum calidumq; conuersa, febrem accendit, ii interdum uel in prima inuasione accessionis nutriendi sunt, nedum ante illã. Eis autem soleo ipse sorbitionẽ ex alica exhibere, iniectis in eam mali punici granis: qui cibus bilioso stomacho est optimus.

*Punicum mâlum. uentriculum roborat.*

Nam & roborat hunc malum punicũ: & alica, quũ diutissimè in eo citra corruptionẽ maneat, sensim cõcoquitur, idq; nec acescens, nec etiã innatans. Igit mordens halitus, succusq;, ubi per sensibilia corpora fertur, horrores & inæquales totius corporis cõcussiones facit, in iis, quibus cute stipata, quæ prius transpirabat, iam sunt detenta. Quæ quidem, si fuliginosa sint, febres accedũt.

*Succos acres quæ gignant.*

Eiusmodi autem halitus, succosq;, tum multa & uehemens dimotio, tum uigiliæ, & ira, & dolor, & cura, augent: tum proximè ab istis, unũ illud per se interdum augere eos sufficit, utiq; si cibũ quis nõ sumpserit. Efficitur nanq; corporis halitus in iis naturis, quę facilè amaram bilem gignunt, ex longa inedia biliosus.

*Rigor unde accidat.*

Cõcussio itaq; siue rigor succedet, propter eorũ quæ feruntur excrementorũ, tum multitudinẽ, tum acrimoniam, tum impetus celeritatem, tum laborantis uirium imbecillitatem.

*Horror unde proueniat.*

Horror uerò fiet, ubi & qualitas eorum, & impetus uelocitas est remissa: tum copia minor, ac potissimũ quũ uires tristanti obsistant.

*Vlcerosus sensus quãdo fiat.*

Quòd si largius remittant iam dicta, ne horror quidem cõtinget: sed uel quidam ceu ulcerosus sensus, uel tantùm inæqualitas.

*Horrorẽ inuadentem in principio accessiõis, inhibet panis ex uino diluto & calente exhibitus.*

Porrò quibuscunq; uirtute existẽte imbecilla, squalidoq; ipsius corporis habitu, incipientis adhuc accessionis uidi adesse symptomata, iis omnibus panem ex uino diluto & calente, maturè exhibens, horrorem statim inhibui. Quantò uerò hos citius cibaueris, tantò scilicet magis febrem prohibueris.

*Nutriri interim dum horrẽt, qui possint.*

Sin duæ horæ ab initio inæqualitatis interpositę sint, nutries tunc quoq;, modò adhuc duret horror: prædicens tamẽ, quòd hi febricitabunt, cæterùm innoxia febre, & cui cutis mador succedet: quo facto, tum lauare, tum nutrire debebis. Quòd si horror pręterierit, ac iam planè febricitent, id tẽporis non sunt cibandi: sed decrescente iam accessione, atq; interdũ in summo uigore, nutriendi sunt, solutionis integritate nõ expectata. In nullo nanq; squallido affectu cõmodè finitur accessio, priusq̃ illi uel ex lauacro, uel humido uictu, humectatio accesserit.

*Inedia aduersatur calidis & siccis naturis.*

Calidis itaq; & siccis naturis, siue à primo ortu sint tales, siue sint etiã acquisititię, maximè inedia aduersat, febriũ paratissima causa. Inter alia aũt, calidus in summo, siccusq; cœli status, iam dictã temperaturã efficit. Hic aũt status alio anni tempore, q̃ æstate, planè incidere nequit: sicuti nec humidissimus pariter frigidissimusq;, in alio q̃ hyeme. Corpora igitur calida & sicca, ex inedia facilè in febres ardentes incidũt: à quibus, nisi prius mors occupet, in hecticas transeunt: atq; ab his, in marasmũ: uel protinus ab initio, ardentibus præteritis abeũt in hecticas.

*Hecticis febribus à principio corripi calidas & siccas dispositiones.*

Maximè autem siccas, calidasq; dispositiones corporum, à principio febris hectica corripit: id quod olim cuidam iuueni contigit, qui ex ira febricitauit. Cui quidem, quoties nutritus est, fontanæ planè gelidæ dedimus

interim binos cyathos, interim ternos: quandò frigidam simul multam sibi dari, qui ita sunt affecti, citra noxam non ferunt. Quocirca utilissimũ fuerit, ubi febris ideam perspexetis, in prima statim occasione, minori cũ periculo, copiosiori frigida uti, corporibus ad ualidam siccitatem nondum perductis. Iam uerò quemadmodum in quibus febris accenditur propter mordentem acrimoniam excalfacti attenuatiq; à Sole, inedia & laboribus, succi, maximum eius remedium est humidum nutrimentũ: sic è diuerso, ubi ob copiam, uel obstructionem, uel phlegmonem, uel humoris alicuius putredinem, febris est orta, maximo malo est cibus. Quare hos quidem, nec in febris inclinatione, citra noxã nutrias, nedum ipsa accessione inuadente: illos uerò, omni certè tempore, sed potissimũ per inclinationem. In summa uerò, illa duo à primo statim die, sunt tibi in omni ægro spectanda: morbi summus uigor, & ægrotantis uires, à quibus cibandi consilia petas. Postea si transiri summum incrementũ sine omni cibo potest, in cibi abstinentia hominem ipsum seruabis. Sin exiguum adminiculum requirat, abunde erit sola mulsa. Quòd si maius desiderat quàm sit ex mulsa, ptisanæ cremor satis erit. At si fas non est summum morbi incrementũ aut tenui uictu, aut inedia transmitti, id agendum, ut homo statim in prima accessionis inclinatione nutriatur. Aliquos uerò ipsorum, & quum inuasura adhuc est, & quum incipit, cibabis. Sunt porrò hi sicco temperamẽto & calido, oportet, tum uiribus necessariò imbecillis: quum fieri nequeat, ut abunde siccum calidumq; corpus, si febricitet, uiribus sit ualentibus. Si autẽ cum eiusmodi febri & corpore, momentanei membri phlegmone sit coniuncta, omnino æger morietur: magisq; id certum est, si uel peripneumonia, uel pleuritis, uel angina, uel uentriculi, uel iecinoris phlegmone infestet. In quibus sanè affectibus una salus est, uirium robur. Nam quod ad phlegmonem quæ in iis est partibus attinet, minimè planè est cibandum. Quod ad uirium infirmitatem, uniq; sæpe. Ac proinde necessum est, aut resoluantur uires, aut phlegmone augeatur. Quoties igitur uel ex lassitudine, uel ira, uel pluribus curis, uel uigiliis, uel tristitia, uel longa inedia, uel uniuersis una coëuntibus, siccatũ corpus est, ac febris inuasit, quæ & aridam reddit cutem, & igneum calorem refert: utiq; hunc talem timor est hectica febri correptum iri, potissimum in æstate, ac cœli statu sicco calidoq;. Oportet autem quamprimum ptisanæ cremore, & sorbitione ex alica nutritum, paneq; pòst oblato, aquæ frigidæ potione hominem cures. Quippe protinus extinguitur, ac cessat omnino febris, modò nec phlegmone aliqua ei sit adiuncta, nec putridus humor. Quanquam ego etiam uel si hæc aderant, ægrotorum non paucis aquam frigidam dedi, tutius esse ratus, phlegmonas in præsens augete, quàm sinere hominem in hecticam febrem prolabi. Cæterùm si magnũ fore incõmodum, uel humori putri, uel phlegmonæ sit suspicio, à frigida quidem danda abstinebis: refrigerãtibus autem remediis, quæ foris applicantur, uteris: modò ea super os uentriculi, aut tota præcordia, modò super pectus imponens, ubi scilicet plurimum subesse caloris, maximè iudicabis. Balnea etiam iis qui siccato plurimum corpore sunt, & citra humorum putredinem febriunt, non incõmoda existunt. At phlegmonas subsequuntur febres propter putredinem humorum, qui in ipsis impacti habentur. Possunt tamen uel citra phlegmonem, in ipsis uasis aliqui humores putrescereq; aut in una animalis particula, in finibus ipsorum impacti: aut etiam in totis eorum capacitatibus, quæ inter bu bones & alas sunt, comprehensi. Vbi igitur citra putredinem squallenti corpori febricitare contigerit, caput totius curationis in iis remediis quæ refrigerent humectentq;, statuere oportet. Porrò duplex genere est harum rerum prima materia. Vna, eorum quæ foris incidunt: altera, quæ intus in corpus sumuntur. Extrinsecus corpori incidunt, tum aër ipse qui nos ambit: tum pharmaca, quæcunq; humectandi refrigerandiq; uim obtinent: & tertium præter hæc, dulcis aquæ balneum. Intrò in corpus sumuntur, quæ eduntur, ac bibuntur, & inspiratus aër. Ab his generibus tentandum est propositis hoc loco febribus, tum humiditatem, tum refrigerationem comparare. Verùm refrigeratio, quoniam per efficacissimam qualitatem inducitur, & parui temporis est, & periculosa. Contrà siccitatis, per ea quæ humectent, curatio, ut longi temporis est opus, ita minus est, quàm refrigeratio, periculo exposita. Si igitur temperatus sit aër, qualem se exhibet, tali eo est utendũ, nihil amplius de eo nobis solicitis. Sin uerò admodũ calidus, uel admodum frigidus sit, pro calido inducendus arte contrarius est, subterraneis inuentis domibus, quę & frigidissimę sint, maximeq; perflatæ, & ad septentriona conuersæ: tum auris quibusdam suauibus opera nostra paratis, aliàs ex euripis, in quos multi se aquarum fontes præcipitent: aliàs aqua frigida ex uasis in uasa transfusa, id quod etiã conciliat somnũ: præterea domo assiduè aqua, quæ prorsus frigida sit, aspersa: ac rosis plurimis humi fusis, aut uitium capreolis, aut ruborum clauiculis, aut lentisci ramis, aut denique reliquarum, quæ refrigerent, stirpium aliquibus: turba quoq; hominum ingredi prohibita, ut quæ domũ similiter calfaciat. Ac sic quidem calidissimum aërem, qui scilicet in æstate calida & sicca accidit, refrigerare est tentandũ. Qui sanè si modicè frigidus sit, hoc esse contentos oportet, nihil de eius temperie alterãtes. Qui uerò frigidissimus est, utiq; quatenus respirando attrahitur, admittendus est, ut qui admodum calorem cordis refrigeret: non tamen quatenus extrinsecus ægrum contingit. Quippe densat cogitq; cutim, putrilaginosorumq; humorum effluxum, atq; transpirationem cohibet. Siquidem per pulmonẽ, quod rarum est uiscus, difficile non est, ut tum qualitas ipsius, tum etiam substantia, facilè ad cor perueniat: per cutim uerò, utpote densatam, fieri id non potest. Cæterùm ex frigida inspiratione maius sequitur cõmodum, quàm incommodum ex cute densanda, præsertim cùm operimentis hanc nobis calfacere liceat. Porrò utendum maximè eiusmodi aëre est in iis hecticis, in quibus primũ quod afficitur, ipsum est cor: æquè ut si uentriculus primũ affligeretur, ipsi per comesta & bibita succurrendũ esset. At iecinori ex inspirato aëre nulla certè accedit utilitas: à comestis uerò

*Nutriendi qui non sint, ne in ipsa quidem accessionis declinatione.*

*Nutriendi consilium sumendum esse à summo uigore morbi, & uiribus ægrotantis.*

*Hectica febris quando sit expectanda.*

*Balnea quibus conueniant.*

*Phlegmonas quæ febres sequantur.*

*Putredo humorum quomodo citra phlegmonem accidere possit.*

*Remediorum refrigerantium humectantiumque, duplex est materia.*

*Refrigeratio in febribus curbreuis sit temporis, atque periculosa.*

*Aedes febricitantibus quales esse conueniat.*

*Somnum conciliari ab aquarum strepitu.*

*Turba hominũ incalescere ambientem.*

*Aer calidissimus quomodo refrigerandus.*

*Aëris frigidi effectus.*

*Iecinori ex inspirato aëre nulla accedit utilitas.*

uerò & bibitis, minor planè quàm uentriculo, ali qua tamen haud obscurè aduenit. Cōmunis autem omniū sanatio est, per ea quæ extrinsecus applicata refrigerant, & humectant. Atq; ob hæc quidem uiscera, magna ex parte hecticas maras-modesq; febres accidere contemplati sumus. Superueniunt tamen aliquando & pulmonum intemperantiæ calidæ & siccæ. Incidunt præterea & pectori, & mesenterio, & ieiuno, & colo intestino, rim uerò, & utero, & renibus. In septo autē transuerso marasmū non uidi, febrem hecticam uidi. Eiusmodi autem affectum, & spirādi difficultas, & delirium excipere solet. Ex quibus magna ex parte prius moriuntur, quàm hectica sit prorsus perfecta. Est autem eorum agnitio facillima, tum ex pulsus duritia, tum ex eo quòd præcordia plurimum trahuntur sursum, tum ex difficultate respirationis, quæ illis est inæqualis, & uaria: interdum admodum rara magnaq;, utiq; quum delirij malum præcipuè dominatur. Frigidus itaq; aër tunc uel maximè confert, quum quod primum afficitur, ipsum est cor: quamuis confert & in his quis febribus non parum: quandoquidem in his quoq; necesse est cor similem intemperiem recipiat. Pulmones etiam ubi ij sunt qui primùm patiuntur, plus cæteris omnibus aërem refrigerantem postulant. Porrò ex medicamentis, quæ admota extrinsecus in eiusmodi affectibus, refrigerandi humectandiq; uim possident, deligenda ea sunt, quæ non modò citra astrictionem refrigerent, sed etiam corporis substantia sint tenui. Ac quæ quidem absolutissimè tenuium partium sit, substantiā exactè frigidam inuenisse fortasse non est. Dixi exactè, propter acetum: quod quum omnium (quæ nouimus) potestate refrigerantium, planè tenuisimarū sit partium, admistam sibi aliquam habet caliditatem. Præterea corpora quæ contingit, siccat: quamuis ad imaginationē sit humidum. Quo fit, ut ad eos affectus, quos humectari & refrigerari expedit, solo eo non utamur, sed tanto aquę frigidę admisto, ut possit bibi. Hoc autem medicamen quod subdam, humectantium & refrigerantium omniū simplicissimū est, optimumq; ad erysipelata, & pudendorum phlegmonas inter initia, prius quàm depascens aliqua subindicetur putredo. Olei rosacei ex omphacino oleo citra salem confecti, uncias iij. uel iiij. Ceræ albæ, & elotæ, unciam unam. Liquentur simul in uase duplici, ac fiat cerotū humidum: cui abundè refrigerato, misceatur paulatim in mortario tantum frigidissimæ aquæ, quantùm in se, dum cum ea mollitur, accipere possit. Quòd si aceti quoq; admodum tenuis & clari paululum adijcere uelis, utiq; magis adhuc tum refrigerans, tum humectans medicamentum efficies. Non debebit autem medicamentum hoc eousq; super ægrum corpus manere, dum manifestè incaleat, sed assiduè subinde mutari. Aliud: Oxalidos, aut oxylapathi succus, cum exigua polenta mistus, excipiatur duplicato & detrito peniculo, aut linteo, assatimq; frigidum totum id admoueatur. Quinetiā portulacæ, & semperuiui, & uuæ immaturæ succus similiter polentæ miscentur. Ad hæc lens palustris, & uiridis tribuli, & polygoni, & lactucæ, & intybi succus, aliaq; refrigerantia, cū tenui polenta miscentur. Licet etiam absq; polenta uti

*Marasmodes febres ob quæ uiscera maxime ex parte soleāt accedere.*

*Hecticam ex septo trāsuerso et cū dyspnœa & delirio excipit.*

*Hectici ex septo transuerso quo modo dignoscātur.*

*Aër frigidus quando maximè conferat.*

*Refrigerantia extrinsecus, in febribus qualia esse debeant.*

*Aceti facult.*

*Aceto quomodo utendum.*

*Refrigerantis humectātisq; cerati descriptio.*

*Frigido Galeni cerato, quomodo utendū sit.*

*Refrigeratoria præsidia uaria.*

integris herbis tusis. Iam uerò quod epithema ex pinguibus conficitur palmulis, salutare medicamentū est. Porrò coquere oportet harū carnem, omni membranoso exempto, aliàs ex solo claro aceto, aliàs aqua ipsi permista: atq; hac, ubi tenera satis reddita est, tunsa uti. Est uerò salutare medicamen ad talia, etiam succus rosarum frigidus, unà cum polenta. Salutares similiter sunt & ipsæ rosæ contusæ. Præterea stirpiū quæ moderatè astringunt, ermina trita. Ad quem modū uti aliquando lic herbis mediocriter astringentibus, ut solano. Huiusmodi tamen refrigerantia omnia, illi tantùm admouenda sunt parti, quæ primariò est affecta: non alijs quæ refrigerari non postulant. Ego nanq; hominem scio, qui imposito præcordijs refrigerante medicamento, laborarit statim dyspnœa: sicuti alterū, qui tussierit protinus. Verùm ex remedijs ipsis, nonnulla quidem per se, neque intercedente alio, refrigerare sunt nata: ut, gratia exempli, frigidę potio, necnon succus uuæ immaturæ. Alia autem ex accidenti: ut sanguinis missio, quæ calidam aliquando intemperiem sanat. Ad eundem modum & clystere, & purgatio, & fomentum, & cataplasma: quòd uidelicet digerant, concoquantue. Vtranq; uerò facultatem in se comprehensam habet dulcis aquæ balneū temperatum: utpote ex partibus uaria facultate præditis constans. Siquidem quum primùm in id ægri ingrediuntur, in aëre uersantur calido: postea in calidam aquam descendūt. Mox ab hac egressi, in frigidam. Postremò sudorem detergent. Potest autem prima eius pars materias per totum corpus tum calfacere, tum liquare: præterea quæ inæqualia sunt, æquare: & cutim laxare: & multa, quę sub hac ante detinebantur, uacuare. Secunda eius pars, ubi quis in sicco corporis affectu ea utitur, potest madorē utilem solidis partibus immittere. Tertia balnei pars potest, ubi quis frigida utitur, & totum corpus refrigerare, & cutim densare, & uires firmare. Quarta uerò, corpus per sudores, citra refrigerationis noxam, uacuare. At ubi quis intempestiuè lauatur, in horrores, cutisq; densitudinem incidit. Est autem continens ipsius horroris causa, mordentium excrementorum, aut etiam crudorum humorū, confertim actorum, citatior motus. Proinde quibus horum est abundantia, caro uerò ac cutis densæ, siue balneum sint ingresi, siue steterint in sole, siue quoquo modo uel gestati, uel perfricti, uel exercitati, uehementius dimoti fuerint, utiq; ijs horror incidit. Contrà, quibus hæc pauca sunt, & corporis habitus ut remittatur laxeturq; à balnei calore, promptus, ij non modò non horrent, sed etiā meliores redduntur, utpote excremētis per id uacuatis. Quo rationabilius, neq; in primo inuasionis initio, nec in incremento, quisquam ægrotantē lauit. Quippe densata est hoc tēpore, coarctataq; & cutis ipsa, & quæ sub hac habetur carnea substantia. At in febris inclinatione uel incipiēte, uel procedente, uel amplius progressa, sæpenumero nos ægrotos lauantes, non parū eis cōtulimus. Si quis igitur balneum ingressus, minimè inhorruit, sed laxata illi, necnon rarefacta est cutis, huic succedent planè excrementorū uacuatio, æqualis per uniuersum corpus calor, exiguorum meatuū rarefactio, tensorum laxatio, densatorū fusio. Ac ua

*Refrigeratoriū ex palmulis.*

*Rosarum succus.*

*Rosa.*

*Refrigerantiū remediorum alia quidem per se, alia ex accidenti refrigerare.*

*Balnei dulcis aquæ, temperatæq; facultas.*

*Balnei partes diuersæ.*

*Balneū intempestiuum horrores, cutisq; densitudinē gignit.*

*Horroris causa.*

*Lauandū nec in accessiōis initio, nec in ipsius incremento, febrientem esse.*

*Balneum cōtulisse persæpe in accessionum declinationibus.*

*Balnei tempestiui usus.*

coatio quidem excrementorũ, omni febri est utilissima. Pari modo & rarefactio, & relaxatio. Fusio tamen, & calor, non item: sed calor omni febri inimicus est. At fundi æqualiter, id solidis quidem animalis partibus non est alienũ: succis certè non perpetuò est utile: sed quoties in animali uel phlegmone, uel affectus phlegmonæ similis constitit, uel utrauis plenitudo, omniũ inimicissimũ. Nam phlegmonæ quidem, quũ calfacti & liquati succi ad ipsas confluunt, augentur. Tunicæ uerò uasorum, impares plenitudini, quæ iam ex liquatione est repleta spiritu, distenduntur, ac uires hoc nomine malè habent. Ergo calidis illis siccisq; affectibus, effusio mordentiũ est salubris, liquatioq; eorum contingit citra periculũ. Calfactio tamen noxa non caret. Atq; hæc quidem ex prima balnei parte optimè administrata sumunt. In secunda autem (quæ lauacrum erat) ut febrilia corpora ex humectatione iuuantur, sic ex calore nihil illis cõmodè accedit. At in tertia refrigerant innoxiè quæ fuerant excalfacta, & uires firmantur. Si qua uerò & laxata, & iusto plus sunt remissa, ea in naturalem redeunt mediocritatẽ: id quod quarta balnei pars, quę detersio est, indicat. Quippe quibus ritè sunt omnia adhibita, ij post frigidæ usum adhuc sudant, & omnia ipsis excrementa uacuantur. A balneis igitur (ut unam omniũ uelut summam colligã) uacuatur quicquid in corpore uel fumidum, uel fuliginosum præfuit. Reducuntur ad naturalẽ symmetriã, tum caro ipsa, tum cutis: corrigitur solidarũ partium ariditas: & calor nõ modò is qui ex lauacro accessit, sed qui etiã præfuit, ex frigidæ usu extinguit. Maximo huius rei documento est præsidiũ, quod sentiunt homines ex huiuscemodi balneo, ubi à feruenti sole exiccati, lauantur. Quippe quum accedant ad id, ritu stipulæ aridi, egressi è frigida, illicò in naturalem habitum redeunt. Si itaq; certam febricitantium naturæ haberemus notitiam, non dubitaremus eorum aliquos assiduè in aquis frigidis citra balneũ lauare. Quia uerò exacta nobis dispositionũ non est notitia, ac maxima ex errore impendet noxa, utiq; eiusmodi recusamus præsidia, potissimũ in febribus hecticis: quãdo per has & pauci sanguinis, & nudũ carne, & expers adipis, corpus est redditũ. Etenim iuuenis corpulentus, æstatis tempore, ac in febris summo uigore, modò nulla uiscerum phlegmone subsit, sudabit, si in frigidam se coniecerit. Quòd si sit frigidæ lauationi assuetus, securè remedio utetur. Qui autẽ ex calida & sicca intemperie febricitant hectica, ac potissimum qui iam marasmodes fiunt, ijs ubi tale præsidium petunt, tutum non est in totam conijci: æquè ut nec gracilibus & imbecillis, qui æstate calida & sicca, longa uia peracta, refrigeratione indigent. Nam neq; his tutus est frigidi solij usus, nisi prius fuerint in balneo æqualiter excalfacti. Siquidem simile quiddam nobis uidetur accidere, quum in frigidum solium post balneũ ingredimur, et quod ferro accidit, quum tingitur. Etenim tum refrigeramur, tum roboramur: quemadmodum & illud, ubi candens iam redditum frigidæ mergitur. Atq; huius rei causa ad imbecilla corpora inuentæ sunt balneæ, quæ ea præcalfaciant, atq; ad frigidum solium præparent. Non dissimile quiddam faciunt, & qui sine balneo frigida utuntur, quum scilicet se ab exercitatione in eam saltu demittunt. Siquidem quod nobis balneum, id præstat illis exercitatio: ut quæ non calfaciat tantùm, sed etiam insiti caloris motum à profundo corpore extrorsum concitet, sic ut & frigidæ impetui occurrat, & quo minus uiscerum aliquod feriat, aduersetur atq; prohibeat. Neq; enim ipsam frigidæ substantiam, neq; eius qualitatem omnino integram, usq; ad uiscera pertingere est salubre. Imò satius & tutius fuerit, solam qualitatem, eamq; retusam calidorum occursu, descendere. Iam uerò qui hectica febricitantes ad balneum accedũt, nisi in frigidam sint demissi, nihil iuuantur, contrà quàm alijs correpti febribus. Nam quum ijs solidarum partium affectus candenti ferro fit similis, calfecisse duntaxat eos humectasseq; haudquaquã uidetur satis (sic enim alimentũ incrementumq; præbuerimus febri) sed opus est, ut mersis in frigidã, extinguamus calorem. Quòd si ex uiolento ipso subitoq; frigidæ usu malè fuerint affecti, utpote in contrariam qualitatẽ mutati, hos licet in toto quod sequitur tempore, calfaciendo sanare: quũ neq; par periculum sit in frigido affectu, nec in remedijs quæ illi adhibentur. Quum autem insanabilis solidarũ partium summa siccitas sit, ad quam per hecticas febres oĩa expeditissima patet, melius est hominem in frigidam intemperiem transferre, ac cui curationem adhibeamus habere, quàm tendentem rectà ad interitum sinere, desperatamq; illi salutem facere. Ergo eos qui hectica febriunt, illicò omni ratione refrigeremus, antequàm progressi in marasmum perueniant. Nam quem iam occuparit marasmus, hunc neutiquam sanare tentaueris. Ipsum tamen in alterum transferre marasmum, quem appellant ex morbo senium, licebit: ac sic superstitem, non tantòm plures dies, sed etiam menses, seruare. In cæteris autem febribus, quas uel phlegmone, uel putrescentes succi accenderunt, nihil offendes, etiam si in frigidam ægrum ipsum non merseris. At in hecticis, id quod remedium affert, calidæ solium non est, sed frigidæ. Quicunq; igitur hectica febre laborant, atque ex ijs præcipuè, qui iam marasmode tenentur, modò his nulla alia febris, uel ex solo putrescente humore, uel cum phlegmone sit adiuncta, eos omnes audacter lauabis: sed prorsus citra omnem laborem, ne resoluantur uires. Sint ergo tres domus balnei: in quarum primam, quæ satis esse calida debet, in lectulo cubans ducatur, ibique nudetur. Illinc autem ualida sindone in secundam portari debet: quæ non tantùm situ sit media, sed etiam temperie: tantò scilicet prima calidior, quantò est tertia frigidior. In ea itaq; oleo tepido super sindone perfundatur. Hoc facto, ad tertiam ducatur domum, ubi nimirum est solium. In cuius quidem moretur aqua mediocriter: idq; sustentus sindone, nullaq; infusione aquæ, cuiusmodi in alijs uti solemus, adhibita: imò nec capiti eius quicquam infundi uelim, quum sit satis id quoque, bis terue unà cum toto corpore in aqua mergi, demissa mediocriter deorsum sindone, ac rursum per quatuor iuuenes, qui eum portant, leuata. Mox hinc eductus, in frigidam semel totus tingatur, ne uel breuissimo quidem spacio illic moratus. Protinus uerò alter paratam habens

*Calor omni febri inimicus est.*

*Phlegmonæ quando augeantur.*

*Balnei singulæ partes quos usus præstent.*

*Balneum frigidum quibus intrepidè, & quibus cautè debeat administrari.*

*Balnea calida ad solij frigidi usum corpora præparant.*

*Exercitatio præparat corpus ad balneũ frigidum.*

*Exercitiorum usus.*

*Hectici, dum ad balneũ accedunt, nihil iuuari, nisi in frigidam sint demissi.*

*Siccitatem summam solidarũ particularũ esse insanabilem.*

*Hecticos statim esse omni ratione refrigerãdos.*

*Marasmum esse incurabilem.*

*Senium ex morbo.*

*Balnei partiũ descriptio.*

*Hectici quomodo sint per quatuor partes balnei tractandi.*

bens calentem ſindonem, ipſi iniiciat. Deinde æger ſuo in lectulo collocatus, primũ ſpongijs detergeatur: dein mollibus linteis, quoad fieri poteſt, blandiſsimè. Poſtea uerò unctus, amictuſq; ueſtibus, rurſus ſuper lectulo reducatur in aliquã aliam domũ uicinam, ubi cibari conſueuit, inibiq; nutriatur.

*Hecticis requiri humidum & frigidum nutrimentum.*

Porrò humidum eſſe ac frigidũ, quod hecticis ſebribus ſit conducturum, nemo neſcit. Eiuſmodi uerò ſunt tum cremor ptiſanæ, quũ frigidus ſumitur: tum alica, ſimiliter ptiſanæ cremori condita: id uerò eſt ex aqua, & exiguo porri, & anetho, tum ſale, oleo, & aceto.

*Hecticorum uictus ratio.*

Cõmodus præterea ijs qui ſic laborant, eſt & exiguus in aqua frigida panis. Cæterùm nullius horũ pura frigiditas eſſe debebit, ſicuti potionis. Quippe hæc maturè tum incaleſcit, tum per corpus digeritur. Illa, quũ pluſculum temporis in uentriculo morentur, ipſum fortaſsis refrigerant, ſi fuerint immodicè frigida. Vbi autẽ febris iam traxerit, dandum quoq; aſininum lac eſt: ſed diligenter obſeruato, ne in uentre concreſcat.

*Lac aſininum cum melle ſumptum non cogitur.*

*Mel eſſe inimicum hecticis.*

Cauebitur aũt id, ſi mel illi admiſceas: aut ſalis, quo ueſcimur, exiguum. Abſtinendum tamen in hecticis, quoad fieri poterit, à melle eſt: atq; idcirco etiam à mulſa: quippe protinus in bilem cõuertitur, & ſicciores, acrioriſq; caloris ſebres reddit. Dandus itaq; principiò aſinini lactis eſt nõ plus cyathus: ſed inducta in ipſum cubiculum aſina, quò nullum tempus interponatur: æger autem id protinus bibat.

*Lactis in uentre corrupti nota.*

At uerò ſi corruptũ in uentre lac ſuerit, pulſus paruos atq; inæquales inuenies, quales accidunt in compreſſione uentriculi. Sin aũt nõ ſit corruptũ, & maiores & ualentiores eos, q̃ pro conſuetudine, inuenies. Qua ratione obſeruata, licebit tũ lactis, tum aliorum ciborum omniũ modum ſenſim augere. Qui igitur iam maraſmo uexantur, eos, ſicuti dictum eſt, lauabis. Quos uerò hectica premit, nondum tamen maraſmo tentantur, eos licet etiã lanes ſine ſubiecta ſindone, utpote uiribus adhuc ualentes. At qui ex his minus ſunt ualentes, eos non tutum eſt permittere in frigidam natationẽ deſcendere, ſed foris ipſos potius perfundere, primùm tepida, ſecũdò frigida, qualis fontana eſt. Ac ſi quidem omnia curioſè adminiſtrentur, utiq; ſanandi iam eius quem maraſmus cõſumit, ſpes eſt. Sin error uel in uno cõmittatur, is reliqua ſubuertit omnia.

*Hecticas febres ne leuiſsimum quidem tolerare errorem.*

Quippe quum exitialis horum affectus ſit, ne leuiſsimũ quidem errorẽ tolerat. Ac ſi quis talium eſt ſeruatus, huic carnoſam tantùm portionem maraſmus iam occupauerat. Ipſis uerò ſolidis reſiccatis, fieri nequit ut homo prorſus ſaneτur.

*Hectica febris ſpecies.*

Etenim primùm eiuſmodi ſebris propriã partium humiditatẽ, ex qua nutriunt, depaſcit: hinc tranſit ad genus carnoſum: deinde ſolidas populatur particulas.

*Caro quæ dicatur.*

*Parenchymata*

Vocatur aũt caro tantùm ea quæ in muſculo eſt. Nam quæ in uiſceribus cõſpiciuntur, non carnes, ſed parenchymata nominantur. Porrò ſingularũ particularum ſubſtantiæ moles, ex tali maximè cõpleta eſt natura, quæ & perire, & regigni poſsit. At uerò nec fibroſa, nec neruoſa, membranoſáue natura eandem generationẽ habere cernitur: nec fas eſt eiuſmodi ſingularũ partiũ fibras, à ſebribus malignis liquari, perinde ut carnes: quandò animal ipſum, priuſq̃ hæ prorſus ſint exiccatæ, interemerit.

*Maraſmodes à colliquantibus febribus quomodo differant.*

Sanè ſunt & quas maraſmodes febres uocant, uniuerſæ ex earũ genere quæ colliquant: ſed in eo differunt, quòd in his, quæ portio carnis colliquatur, ea ſemper uaporis uice digeritur: in illis defluit in uentrẽ. Nam quẽadmodum quo magis animal uel adipe, uel carne abundat, eò, quod ab ipſius carnibus, dum in craticulis torrentur, defluit, copioſius cernitur: ad eundem modũ in calidiſsimis febribus, ſi carnes humidæ ac molles cum adipis copia fuerint, eas ſenſu liquari deprehendas. Sin abſque adipe & ſiccæ ſint, inſenſibiliter abſumuntur, & in febres maraſmodes tranſeunt.

*Colliquantium febriũ curatio.*

Hæc præmonitus, colliquantium febrium iiſdem methodis curam ages, tum ad frigidã exhibendam, quamprimũ properans, tum ijs quæ refrigerent & humectent, nutriens. Mulſam uerò inimiciſsimã illis eſſe cenſebimus.

## GALENI PERGAMENI DE *methodo medendi lib. XI.*

Modum igitur curandarũ ephemerarum, in octauo huius operis cõmentario: continentium, in nono: hecticarum deniq; in decimo, ſatis accuratè expoſuimus. Nunc uerò, quemadmodũ quæ ex putreſcentibus humoribus excitantur, methodo ſint ſanandæ, aggredi eſt animus.

*Curationis ſcopi ſunt duo: affectus & ægri temperies.*

*Temperies laborantis quid indicet.*

Duo aũt ſunt ſcopi curatiõis in uniuerſum: affectus nempe ipſe, atq; ægrotantis tẽperies. Affectus quippe, ex ijs quæ ſibi contraria ſint, adhibenda eſſe remedia indicat. Laborantis uerò temperies, ſimul cum ipſo morbo, menſuram contrarietatis definit.

*Aer unde ſuas mutationes ſortiatur.*

Poteſt etiam ambiens nos aẽr (qui ex cœli ſtatu, anni tempore, ac regionis natura ſuas mutationes ſortitur) unam efficere indicationẽ, ac uel ægritudinis cauſis, uel ſanitatis, annumerari. Porrò auxiliũ, quo ad morbos tollendos utimur, prima & ultima dicitur ſanitatis cauſa, diuerſis tamen rationibus.

*Auxiliũ cur prima & ultima ſanitatis cauſa dicatur.*

Dicitur quippe ultima tempore: quandoquidẽ & natura, & ars, & fortuna, priores, ſecundũ tempus, eo ſanitatis exiſtunt cauſæ. Prima uerò eſt, quatenus id primò laborantis corpus tangit, alteratq; eius effectũ.

*Fortuna per auxilia morbos profligat.*

Ars ſiquidem artifexq; & fortuna, nõ per ſe primùm, ſed per auxilia morbos profligant, materiæq; interuentu operantur: quemadmodum per ſeipſam natura.

*Natura ex quibus conſtet.*

*Solidæ partes ex ſemine generantur.*

Quæ nimirum ex tum ſpiritus, tum ſolidarũ particularum (quæ ex ſemine genitali oriuntur) tum carnoſarum ſubſtantia, conſtat. Quarum trium ſubſtantiarum ſingulæ propriam pro natura ſua tum qualitatem, tum quantitatẽ habent. Ac qualitas quidem earum, ex congrua temperie humidi, ſicci, calidi, & frigidi efficitur. Quantitas uerò ſolidarum partium par ſemper manet: ſed ijs qui adhuc inaugentur, numero duntaxat: qui uerò abſoluti iam ſunt, etiam magnitudine. Carnoſæ uerò ſubſtantiæ magnitudo uariatur, etiam ſi iam nõ augeatur animans. Pari modo & ſubſtantia ſpiritus * propèmodum quolibet momento tum maior, tum minor cõſpicitur.

*Virtutem eſſe unum ex curationis ſcopis.*

*Temperies eſt duplex.*

Ergo ad duos illos ſcopos prius traditos, etiã unica uirtus addetur, iuxta earum trium ſubſtantiarũ enumerationem: aut temperies per ſe diſtinguetur, quæ & ipſa rurſus bifariã ſcinditur, nempe & in originalem naturam, & in acquiſititiam diſpoſitionem: ſic nimirũ, ut ex iſtis, & alijs quæ prius dicta ſunt, propria quædam cuiuſq; remediorũ ſit indicatio.

*Indicationes remediorũ unde ſumantur.*

Ex ætate etiam, uitæ ſtudijs, conſuetudineq;, remediorũ indicationes ſumuntur, Proponatur igitur

*Intemperiem per contrariam aliam sanandam esse.*

nobis intemperies quædam curanda: ea utiq; per contrariam intemperiem sanabitur. At quoniam uniuersi febrium generis intemperies est calor, utiq; per frigiditatem curabitur. Quemadmodum autem ab affectu ad materias præsidiorũ peruenimus, eodem etiam modo à singulis reliquorũ generum primorum, ad eas est descendendum: uelut à uirtute, quæ morbo ceu aduersatrix opponitur, & cui omni ratione opitulari & subuenire est consilium. Quare uirtus quidem ipsa erit unus ac primus scopus: alter aũt atq; secundus, quod ab ea significatur, nempe custodia ipsius. Pari etiã ratione, morbus quidẽ dicitur esse primus scopus: secundus autẽ, sublatio ipsius. At uerò custodia, similium indicabit exhibitionẽ: sublatio, contrariorum. Quoniam uerò uiriũ substantia tum ex spiritu, tum ex carnosa specie, tũ solidis ipsis completur: ex ijs quæ similia sunt, moliri cuiq; suam custodiã oportet. Spiritui, ex respiratione, transpiratione, & uapore qui ex sanguine attollit. Solidorum uerò generi, ex solido nutrimento. Carnoso generi, per eam naturam, quæ in medio humidorũ ac solidorum corporũ est. Porrò cuiusque horum modum ex conseruandæ substantiæ modo inuenies: qualitatem uerò, ex ipsius temperie.

*Custodiam fiere per similia. Sublatio morbi fit per cõtraria.*

*Partium singula per quæ custodienda sint.*

*Temperies optima, semper seruanda. Intemperies uitiosa quãdo seruãda, & quando sit alterãda.*

Quũ autem horum cuiusq; temperies, uel optima sit, uel aliquatenus uitiosa: quæ quidem optima est, semper seruari debebit. Quç uerò omnino uitio nõ caret, hęc in sanis quidẽ uel seruanda est, uel alterãda: in ægris uerò seruanda. Quũ autem diuersitas nõ parua sit in partiũ animalis temperamento, propriã cuiq; mensurã, eorũ quæ ipsi similia sint, oportet accõmodare. Nempe ei quç terrea est magis, eorũ quæ magis sint terrea: & ei quç humidior est, eorum quæ sint humidiora: ac sic de cæteris constitutionibus. Hinc uerò iam materiæ particulares omnes in cibis, potionę, aëre, & omnibus peragi solitis, inueniẽdæ sunt.

*Indicantiũ scoporum dignitates esse expendendas.*

Quòd si mutuò inter se pugnent aliquæ indicationes, perpendenda* indicantiũ scoporũ tum magnitudo, tum dignitas est, efficiendũq; id, q̃d tum maiores, tum digniores scopi admonent. Quorũ dignitas quidẽ iudicanda est, uel uitæ, uel sanitatis respectu. Magnitudo aũt est duplex: uel propriæ substantiæ ratione, uel declinationis à naturali habitu. His igit̃ pręmissis methodis, iam in febriũ genere exercitemur, quod ex putredine nascit̃. Ac primũ ab illa febri exordiamur, quæ ex putredine humorũ in maximis uasis, uel in omnibus simul, cõputrescentiũ oritur: quã q; necessum est synochon, hoc est, continentẽ existere.

*Synochos febris quæ dicatur. Synochorum curatio.*

Fieri aũt nequit, ut talis febris sanetur, nisi inhibita prius ipsa putredo sit: quç sanè inhiberi, causa manente nõ potest. Quare submouẽda ipsius causa est, si modò putredo ipsa prior, mox post ipsam, febris sanari debeat.

*Putrescunt calida & humida, quæ in simili loco conclusa, perflari nõ possunt*

Ostensum aũt est, illa tantũ putrescere corpora, quæ quũ calida humidaq; natura sint, neq; perflata, neq; uentilata, in calido humidoq; loco includunt̃. Quòd si in motu sint, ut uentilentur, q; ac perflentur, posse ea nõ putria, integraq; seruari: potissimũ quæcunq; corpora sua ipsorũ natura reguntur, ut animaliũ, stirpiumq;. Ea nanq; ab initio cõgenitos secũ motus habẽt, quibus superflua excernũt. Nec minus etiã est demonstratũ, quanta sit tum respirationis, tum pulsuũ utilitas, ad perflatũ, uentilationemq; corporis, atq; eius natiuũ calorem tuendũ. Itaq; si

*Transpirationes unde prohibeti contingat.*

*Stipatio in finibus uasorũ unde contingat.*

quid in eo manifestè putrescere debeat, dictas transpirationes esse impeditas oportet. Fieri aũt non potest, ut illę per totũ sistantur animal, nisi uel finibus uasorũ stipatis, uel tota cute. Porrò accidere iq; finibus uasorũ stipatio potest, uel ex uehementi extrinsecus refrigeratione, uel ex succorũ, qui extrorsum in ipsos confertim ruerint, crassitudine, multitudine, uel lentitia. Accidit hoc illis & ex ijs exercitationibus quę in palęstra, uel alijs obeunt, & itinere laborioso: uel ambientis statu, quũ ex rigore in æstum mutatus est subitò. Nõnullis uerò feruẽtes ex ira succi, ac foras simul impetu ruentes, effecerũt dictas stipationes. Quisquis igit̃ propositam sanaturus est febrẽ, hic simul causam eius oportet adimat: simul calorẽ qui in animali excitatus ab ea est, refrigeret. Ac quemadmodũ quidem ille refrigerandus sit, prius est dictũ. Causam uerò adimi oportebit, propria cuiusq; naturæ inuenta contrarietate. Vtiq; si ex frigida causa stipatum, densumq; redditũ corpus est, relaxato eo, omniq; ratione rarefacto.

*Stipationis curatio.*

Sin ex obstructione ita est affectum, hac reclusa. Quod uerò recludet, hic quoq; ad cõtrarietatis indicationẽ attentus inuenies. Vbi nanq; abundantia humorũ est, hos uacuabis. Vbi crassi, glutinosiq; sunt, eos tenues & fluxiles reddes. Si plures causæ aliquando coibunt, omnibus per contraria occurres. In eiusmodi aũt dictarum causarũ complexu, cœpisse à sanguinis missione conueniet: ac abundantia uacuata, tum ad extenuandos humores uenire. Ab hoc ad remittenda quæ sunt constricta, & rarefacienda quæ sunt densata. Atq; hæc quidem à morbi affectu indicatiuè sumenda sunt.

*Nutrimenti quantitatem à uirtute, qualitatem à temperie sumendam esse.*

Quũ autem ciborum atq; potionũ, necnon spirituũ decens quantitas qualitasq; uirtutẽ ipsam custodiant: ac modus quidẽ quantitatis ipsorũ à uirtutis substantia inueniatur, qualitatis uerò à temperie: nimirũ æstimari debebit, quemadmodum uires quæ corpus regunt, se habeant. Quæ quidem si sint ualentes, audacter uacuantibus præsidijs uteris. Sin infirmiores sint redditę, uacuantia remedia cautius administrabis. Sed & nutrimenti modus hinc tibi desumendus est.

*Tenuissimo cibo quando sit utendum.*

Quippe quum uires legitimũ robur suum habent, & morbi summus uigor breui expectatur futurus, tenuissimo cibo uti licet. Vbi uerò infirmiores fuerint, non licet sine graui noxa: sed adijcere ad nutrimẽta tantùm oportet, quantùm est de robore uirium detractum.

*Nutrimẽti qualitas ab affectu & temperie est sumenda.*

At nutrimenti qualitas, ex morbi affectu, unà cum solidorum corporũ temperamento præsenti, sumenda est. Tempus autem nutriendi, quod quidem ad reliquas febres pertinet quæ ex putredine oriuntur, in progressu sermonis dicetur.

*Nutriendi tempus quale sit in synochis aptũ.*

Quæ uerò unicam tantùm à principio ad finẽ usq; accessionem habẽt, synochiq; dicuntur (de quibus impræsentiarum est sermo) in ijs tunc offerendus est cibus, dum ægri melius se habent: eoq; potissimũ diei tempore, quo in sanitate prius cibari erant sueti.

*Frigida quando sit propinanda ijs qui laborant synocho.*

Est autem frigida quoque ijs propinanda, quum succi & iam concoquuntur, & crassitudo eorum est extenuata. Cæterùm iam operæpreciũ est explicare, quot sint febrium, quas putredo accendit, in uniuersum differentiæ. Dein, quænam sit ipsius generis earum cõmunis utilium auxiliorum indicatio. Mox, quæ sit singulatim cuiusque propria. Quod igitur ad differentias pertinet,

*Putridarum febriū differentiæ.*

net, prima sanè ex eo est, quòd causę ipsius putredinis uel adsunt, uel non adsunt. Secunda ex eo, quòd per totū animal, aut eius partē aliquā, diffusa putredo fit. Tertia, quatenus cum phlegmone, aut citra hanc. Ergo ordiamur ab humorum putredine, quę primū indicans in diuisione fuit. Cuius quidem natura, ad curationē erit inuentionis principiū.

*Putredo est mutatio corporis ad corruptelā à calido externo facta.*

*Calor naturalis auget atq; cōseruat omnia, illisq; uitam largitur.*

*Calor naturalis quomodo conseruetur in corpore.*

Porrò natura putredinis est mutatio totius putrescētis corporis ad corruptelā, à calido externo. Non enim profectò à proprio calore corrumpit quicquā: imò prorsus contrà, quicquid in rebus subsistit, id augetur, roboratur, sanū est, ac uiuit, dum proprio calore regitur: ueluti nimirū ipsa animaliū corpora, quandiu seruatur proprius eorū calor, in cordis quidē corpore, per respirationē: in reliquis omnibus partibus, tum per cōmunitatem quam habent cum corde, tum per aliam quādam respirationis speciem, quæ per totam agitur cutem, & transpiratio, perspiratióue dicitur. His uerò læsis, unà etiā calor natiuus læditur. Alter uerò quidā alienus, ac præter naturā in corporibus excitatus, primū quidem ipsos succos propter humiditatē putrefacit corrumpitq;. Spacio uerò, tum adipem inuadit, tum etiam carnem.

*Putredo quomodo sit sananda.*

Putredinē in corporibus ortam sanabimus, id quod iam corruptum est, omni ratione uacuantes: quod reliquum est, moderatis motibus, & refrigerāte perspiratu ad exactam symmetriā reducentes.

*Putris humor quomodo sit uacuandus.*

Ac uacuationē quidem illius per urinā, deiectiones, sudores, uomitumq; moliemur, si putridus humor ad os uentriculi aliquādo sua sponte impetum faciat. Post hanc dimotiones mediocres, unà cum ambientis bona temperie adhibebimus. Causam uerò putredinis, si adhuc perseueret in corpore, per cōtraria tollemus. Itaq; quoniā transpirationis prohibitio fuit occasio putredinis, hanc submouere oportet. Quia uerò ea (quemadmodū exposuimus) à uarijs causis est orta, ipsarū singulis cōtraria medendi ratione occurremus. Sciendum tamen est, nō easdem omnes partes uacuationes, medicamentaue requirere: cùm & temperamentis, & posituris, & forma, & omni deniq; cōstitutione, naturaq; inter se dissideāt.

*Vacuantiū medicaminum maior pars febres ipsas adauget.*

*Vacuantia medicè quæ sint.*

Cùm autem maior pars medicamentorū uacuātiū, febrem ipsam adaugeāt, utpote facultate calida & sicca: deligenda medico sunt, quæ citra calfactionem siccationemq; ualentem, ipsas uacuationes moliant: cuiusmodi sunt, cremor ptisanæ, aqua mulsa, oxymeli, apomeli, & apij radix, in aqua, quæ potui datur, incocta. Hæc autē ipsa uentri sunt quoq; idonea: qui si nihil reddat, injiciēda per clysterem mulsa cum oleo est.

*Rarefaciendum non esse corpus prius, quàm sit uacuatum.*

Sanè totū corpus, priusquā id uacuaris, rarefaciendum nō est. Vbi uacuatū sit, utiq; licebit id medicamento aliquo, cui calor tepidus insit, rarefacias: cuiusmodi est quod ex chamæmelo conficit.

*Vinū aquosum promouet omnes euacuationes.*

*Continenti febre detentis, nec balneo, nec uino nec unctionibus rarefacientibus esse utendum.*

Hoc tēpore si uinū quoq; aquosum bibat, id omnes uacuationes promouerit. Idem faciet & temperatū dulcis aquæ lauacrū. Cæterū ubi magnitudo febris obstat, sicuti in cōtinentibus, nec uino est utendum, nec lauacro, nec ijs, quæ habitū rarefaciāt, unctionib. Iam uerò id genus ardentissimis febribus, potus frigidæ confert: nisi subsint putrescentes humores, per aluum, urinas, uel sudores uacuandi. In uniuersum autē, dum plura simul coëunt symptomata, id q̄d maximū omniū est, aggredi oportet, atq; ei uel soli, uel magis q̄ cæteris, subuenire. Porrò ad corrigendos putrescentes humores, non tantū requirimus uires ipsius pulsus firmas: sicuti nec eius facultatis quæ uoluntariū motū largitur, sed multò magis ipsius cōcoctricis.

*Frigida quando sit propinanda intrepidè febri synocho afflictis.*

*Frigida natatione quando possimus uti in cōtinentibus febrib.*

*Vinum quando exhiberi possit per continentes febres.*

Ergo si & uires cūctæ ualentes sint, & ardentissima febris, & cōcoctionis notæ plane euidentes, frigidam intrepidè propinabis. Quòd si etiā æger bona corporis habitudine sit, tum status cœli calidus ac siccus, etiam si in frigidam natationē hunc dimittas, haudquaq̄ lædet. At si mediocris est febris, & uires nō ualidæ, sed cum notis cōcoctionis, ijs qui ita se habent, balneum prodest, & uini potio: tum uerò ex unctionibus eæ quæ rarefaciūt: idq; multò magis, cùm ambiens est frigidus. Neq; enim aut frigidam in balneo lotionē, aut frigidam potionē in eiusmodi cœli statu ferè expetunt, utpote inspirationib. assiduè refrigerati.

*Letalia signa in synocho.*

cùm si quando in frigido ambiente uehementer uri ægrotū cōtingat, exigua salutis eius habenda spes est. Si uerò nec coctionis habeat signa, nec uires ualidas, seruari is plane nō potest. Quo minus aut idem lauandus in balneo est, aut medicamentis ijs quæ rarefaciāt, ungendus, aut uinū illi dandum, frigidaúe offerenda.

*Infamanda salubria medicamenta non esse ubi salus est deplorata.*

*Febris, ut febris, aqua frigida est perpetuò remedium.*

In quo enim desperata omnino est salus, imprudentis consilij fuerit apud uulgū infamare præsidia, quę multis fuere saluti. Febris igitur, prout febris est, aqua frigida est perpetuò remedium. Quod uerò ad alia pertinet, nō perpetuò. Veluti cùm ex obstructione glutinosi & crassi humoris putredo nascitur. Ponatur autem cum hoc, & redundantiam in toto esse corpore, tum uirtutē nō imbecillam. In eiusmodi etenim complexionibus, cùm multa præter naturā in corpore sint, quædam eorū præcedentes causæ erunt: ueluti redundantia cum glutinosis & crassis humoribus.

*Obstructio quid.*

*Putredo est antecedens ipsius febris causa.*

Horū nanq; uitio obstructio est orta: quæ morbus instrumētalis est, eorū quæ obstructa sunt corporū. Hanc symptoma sequutū est, ipsa transpirationis cohibitio: quā rursus putredo humorū excepit, antecedens quædā ipsius febris causa. Ergo qui febrē curare uult, necesse est inhibeat putredinem. Ac sic duæ indicationes se exhibent, altera à febri, altera à putredine. Atq; à febri rursus duæ: scilicet ut portio febris, quæ iam accensa est, percuret: quæ uerò etiamnū gignitur, inhibeatur. Aliæ autem duæ rursus à putredine erunt indicationes: ut & quod putredinis iam factum est, sanes: & quod in generatione adhuc est, sistas. Porrò q̄d in generatione est, id perspiratio impedita facit. Ita ab hac rursus aliæ duæ indicationes nascentur: tum ut quod retentum est, uacuetur: tum quod retinendum est, prohibeatur. Prohibebitur sanè, si obstructioni medeamur. Cuius quoq; ipsius, quod iam occupauit, sanandū est, per ea quę obstructa liberant: quod futurū est, propulsandum, per ea nimirū, quæ affluxum obstruentium succorum compescunt. Ergo quod ultimū in ipsa methodo resolutiua est inuentum, id primū omnium in curatione tibi est peragendum. Etenim si ijs auxilijs, quæ obstructiones eximant, uti, non uacuata

*Obstructa non esse aperienda, prius quàm plenitudo vacuetur.*

prius abundantia, uelimus, nō modò nihil proficiemus, sed maiorem etiam reddemus affectũ. At si uacuata prius multitudine ad curandā obstructionem accedamus, medicamentis ijs utemur, quæ citra calorem obstructiones expedire sint apta.

*Obstructionum curatio.*

Vbi autem quæ obstruunt detersa, dissectaq; sunt, per aluum, urinas, atq; sudorem, ea uacuare tentandũ, idq; medicamentis, quoad licet, minimè calfacientib. Hoc uerò tempore etiā uires roborare, quò & putredinē superent, & succos concoquant, studebimus. Quod autē febris ipsius iam accensum est, refrigerabimus. Itaq; in auxiliorũ inueniendorũ ordine, ultima est quæ ab hac sumitur indicatio: quàuis alia ratione sit prima, cùm à febre uidelicet cœperit inueniendorũ præsidiorũ methodus. Ac si nullum quidem interim uehemēs symptoma incidat, prohibeatq; quo minus auxilia ab initio morbi ad finem ita procedant, celerrimè febris finiet. Sin tale quippiam inciderit, quod totam ad se curationem reuocet, producetur & curationis finis. Expendere autē oportet medicamentorũ tum usum, tum noxam.

*Mulsa facultates.*

Quippe aqua mulsa, quatenus crassos succos extenuat, glutinosos deterget, atq; excretionem promouet, optimũ in ijs synochus medicamen fuerit, quos habitus coarctatior, & putredo excitarunt. Quatenus uerò calorē febris adauget, est noxia. Quare si hic immodicus sit, parcendum mulsæ est, utendumq; cremore ptisanę. Quòd si difficiles & cōtumaces iudicaueris esse obstructiones, etiā oxymelite.

*Oxymelitos noxa.*

At hoc ipsum rursus, si immodicè utare, & intestina radit, & tussim excitat, & neruosa lædit.

*Contrariorũ esse remedia contraria.*

Perpetuò autem dogma illud existit uerũ, Contrariorũ cōtraria esse remedia. Quādoquidem fieri nō potest, ut eorũ quę pręter naturā sint, quicq̃ per aliam ullam remediorũ speciem curetur. Non tamen ex usu est, semper omnibus quæ præter naturā sint, mederi: sed cùm sola per se subsistũt. Nam si cum alijs unà incidant, alijs sæpe est ante illa medendũ: sicuti in cauis ulceribus, ubi ea simul cũ phlegmone sunt cōiuncta. Siquidē uerũ in his quoq; manet, quòd per ea quæ carne implent, curantũ. Cæterũ his uti nō licet prius q̃ curaueris phlegmonem. Quæ itaq; præter naturā sunt, omnia ab ijs quæ ipsis sunt cōtraria, curantur.

*Rerum præter naturam differentia duplex.*

Cùm autē eorum quæ præter naturam sunt, duplex prima sit differentia, alijs per se subsistentibus, utpura affectibus: alijs in generatione suam essentiā habentibus, ac umbræ ritu affectus concomitantibus, nempe symptomatis: utiq; sanatio quidem, affectuũ sublatio est. Hanc uerò symptomatũ amotio sequitur.

*Contraria quorum dicātur esse.*

Quare affectuũ ipsorũ, qui uerè & primariò curantur, potissimũ dicuntur esse contraria remedia: symptomatũ autē, ex accidenti.

*Contraria quæ.*

At uerò contraria dicunt, quæ sub uno eodemq; genere, plurimũ inter se dissident. Si autē in illo genere q̃d mediocre est, hoc est, mediũ inter duo extrema, intellexeris, infinitā quandam cōtrariarum rerũ multitudinē, quę maioris minorisq; ratione inter se dissideāt, ex eo inuenies. Nō enim in corporũ modò qualitate, uerumetiā in quantitate, eiusmodi contrarietatem inuenias: quam utiq; Aristoteles nō contrarietatem, sed oppositionem nominat.

*Oppositio quæ.*

Verùm Hippocrati, omnia id genus contrariorũ habent appellationem: sicuti etiam Platoni, qui ex contrarijs esse dicit generationes. Contemnere tamen nomina oportet, minimè autem scientiam rerum. Cuius nō ignarus Hippocrates, ait: Medicina appositio est, & detractio: deficientium quidem appositio, redundantium autem detractio.

*Medicina est appositio & detractio.*

Porrò deficiunt, redundantq; nōnulla quidem in quantitate, quædam autē in qualitate. In quantitate, cùm sanguis immodicè est auctus, aut rursus minor redditus. In qualitate, cùm uel calidus, uel frigidus, uel crassus, uel tenuis, plus iusto, minúsue, est effectus. Verũ ad medendi indicationes propositi nobis febriũ generis reuertamur.

*Causarum genera præter naturam.*

Genera causarũ quæ in nobis præter naturam oriuntur, sunt, multitudo, crassitudo, & lentor humoris. Causa simul atq; symptoma est, transpirabilis excrementi retentio. Simili modo causa pariter & affectus est ipsa putredo. Morbus uerò tum obstructio, tum febris ipsa. Symptoma est, transpirabilis excrementi retentio. Ergo indicabit præcedentiũ causarum quęlibet propriũ aliquid, poscens nimirũ ablationem sui per opposita.

*Causarum præcedentium febrē putridam, quid singula indicēt.*

Nempe multitudo ipsa, quæ ex eorum est numero, quæ sunt ad aliquid, in prædicamento quantitatis, uacuationē. Lentitia uerò & crassitudo, quæ sunt in qualitatis affectu, incisionē & abstersionē. Obstructio autē, qui morbus instrumentalis est, reclusionē. At transpirabiliũ retentio, excretionē eorũdem. Sicuti & humorũ putredo, excretionē, refrigerationem, uentilationē, & concoctionē semiputridorum: quæ omnia illi ex aduerso respondent. Ipsius uerò febris, refrigeratio oppositio est. Singulæ itaq; res semper unā indicationē exhibent. Ac si præter naturā ipsum indicans sit, semper indicabit contrariũ: sicuti nō contrariũ, sed simile, si secundum naturā se habeat.

*Sanguis in principio statim mittendus est si putrida febre laborans validis viribus sit, nec cruditas subsit.*

Igitur si uires eius qui ex putredine humorũ febricitat, ualētes sint, mittēdus statim morbo incipiente est sanguis, si cruditas uentris nō adsit. Sin uires infirmæ sint, aut ætas dehorteť, incidenda uena nō est.

*Synochus non incidere in imbecillas vires.*

Eiusmodi tamen febris in uirtutē imbecillam nō incidit. Quippe synochos bene habiti corporis, & calentis ętatis est propria.

*Pueris ante annum quartumdecimũ cur non sit sanguis mittēdus, vel si laborent synocho.*

At si in puerũ incidat, qui quartũdecimũ annũ hactenus nō attigerit, mitti illi sanguis nō debet: propterea quòd tantillis, cùm præsertim calidi & humidi sint, plurimum corporis substantię quotidie defluat, ac digeratur. Ita q̃d ex incidenda uena moliendũ nobis fuerat, id ultrò nobis ex curandi corporis natura præstať.

*Pueris post quartũdecimum annum quādo mittēdus sit sanguis & quando minimè.*

Quòd si corpus quartũdecimũ excesserit annũ, æstimandũ est, qualis eius natura sit, num gracilis, & spissa, & dura, & copiosi sanguinis, an contrà. Atq; ita in priori missionē sanguinis adhibebis: in secunda, nequaq̃. Quinetiā modus uacuandi sanguinis ex ijsdem sumeť indicationibus. Si enim cui sanguis mittiť, triginta annos sit natus: sed laxus, & mollis, & pinguis, & albus, & gracilibus uenis: huic aut planè sanguinē nō mittes, aut parũ detrahes. Et omnino quidē nō mittes æstiuo tempore, regione æstuosa, & cœli statu calido & sicco. Parũ detrahes in reliquis tum anni tēporibus, tum regione, tum cœli statu. Iam uerò si neq; obstructio, nec putredo subesset, sed sola reduudantia succorũ, protinus

nus à misſione ſanguinis, pro naturæ ſuæ ratione homo ſe haberet. Verùm quoniã nec obſtructio, nec putredo per ſolam curari miſsionẽ ſanguinis poteſt, reponi ſanguinis aliquid ad ſpacium curationis debebit, quo minus intempeſtiuè nutrire neceſsitate ulla cogamur. Quantùm

*Synochã febrẽ requirere tenuisſimã victus rationem.*

nanq; ad huiuſmodi pertinet febrẽ, prorſus nutriendum nõ eſt. Siquidẽ oſtenſum prius eſt, ſolum uirtutis reſpectũ eſſe, qui nutrimento præbeat indicationẽ. At uerò euacuationis ratione,

*Vires indicant formam nutriendi.*

nutrire oportet. Ita neceſſum eſt duorũ alterũ, aut febrem, ſi nutris, augere: aut uires, ſi non nutris, deijcere. Satius itaq; fuerit aliquid ſangui-

*Sanguis cur nõ ſit in ſynochis detrahendus immodicè.*

nis, quòd propriũ partibus animalis nutrimentum ſit, relinquas, ac ipſe paucisſimas ſorbitiones, potionesq; exhibere cõtentus ſis: quibus utiq; ceu medicamẽtis, potius q̃ nutrimentis egemus. Porrò cùm ars ipſa tota ſit magna, nõ leuisſima eius pars eſt, ſcientia ordinãdi uictus: quæ

*Victum instituens pars artis, ex quibus cõſtet.*

utiq; ex his maximè remedijs conſtituitur, cibò, potione, perfuſione, cataplaſmatis & clyſterib. Cæterùm calfacere pręcordia cataplaſmatis aut

*Præcordiorum perfuſiones quãdo ſint perniciosæ.*

perfuſionibus, nõ eſt perpetuò tutum: ſed in ijs tantũ ægris, quibus in toto corpore nullum erat ſuperfluũ. Cæteris omnibus extrema eſt pernicies. Nam ſiue redundantia utrauis ſit, uel ad uaſa, uel iuxta uires: ſiue etiam in una parte pluribúsue uitioſa excremẽta habeantur, omnia ad partem excalfactam trahuntur, inibiq; ſępe phlegmonas excitant. Quare in eiuſmodi morbis di-

*Diuites quàm pauperes cur interdum soleant deterius curari.*

uites potius q̃ pauperes perperàm ſolẽt curari. Nempe & quòd raró illis mittatur ſanguis, uel ſi maximè tali egeant auxilio: & quòd medici, ut agere aliquid ſemper uideantur, de perfundendis præcordijs maximè ſint ſoliciti. Itaq; accidit, ut illo ipſo tempore phlegmone incipiant diuitibus, quo iam pauperibus morbus propémodũ

*Sanguinẽ mittere in omnibus putridis febrib. quando ſit ſaluberrimum.*

perductus ad finem. Saluberrimũ igitur eſt in febribus uenam incidere, non ſynochis modò, uerum etiam alijs omnibus, quas putreſcens humor concitat: ubi præſertim neq; ætas, nec uires prohibent. Leuata enim quæ corpus noſtrum regit natura, exonerataq; eo quo ueluti ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum eſt, uincet: cõcoquens quod cõcoqui eſt habile, & excernens quod poteſt excerni. Porrò ubi humor ad locũ affectum confluit, remittere repellereq; hunc expedit, nõ ad ipſum trahere. At repellentia reme-

*Repellentia remedia eſſe idonea phlegmonis incipientibus.*

dia, quæ certè aſtringendi uim obtinent, in principijs idonea ſunt duplici ratione: & quòd robur affectis particulis inferãt (unde minus prõptè affluxũ excrementorũ in ſe recipiũt) & quòd eorũ quæ in ijs iam recepta ſunt, tenuiſsimũ ex-

*Relaxantibus quãdo ſit nobis utendum.*

trorſum exprimãt. Quòd ſi tum fluxio humorũ per ea remedia cõpeſcitur, tum denſitas quæ in affecta particula relicta eſt, craſsiora detinet, iam tempeſtiua relaxatio eſt, quò ea quę retenta

*Aſtringentibus quãdo utendũ.*

ſunt, uacues. Pręcipuè autẽ aſtringentib. eſt utendum, ubi in iecur aut uentriculũ, ſuperuacuũ aliquid profluit: quandò & è primoribus admodũ hæ partes ſunt: & ut munus ſuũ obeant, uel in ipſis morbis eſt neceſſariũ, cùm alimentũ corpori uniuerſo cõficiant. Quare ciborũ cõcoctio, ſiue ea in iecinore, ſiue in uentriculo ſit improſpera, febres intẽdit, ac ſucci uitio exacerbat. Quo ma-

*Concoctioni ciborum magnopere proſpiciendum eſſe in ſingulis febribus.*

gis in omni febri, ciborũ cõcoctioni proſpicere magnopere oportet. Atq; eius rei gratia, roboris quoq; inſtrumentorũ quibus perficit, non leuis habẽda eſt cura. Si ergo uel minima ſit ſuſpicio iecur aut uentriculũ laborare, abſinthiũ pro-

*Abſinthium hepati opitulatur.*

tinus oleo incoquemus, ac eas particulas perfundemus. Cùm autẽ duplex in omni abſinthio

*Abſinthij duplex facultas.*

facultas ſit, utiq; in pontico aſtringendi facultas nõ parua eſt. In reliquis omnibus amara quidẽ qualitas eſt uehementiſsima: aſtrictio uerò, aut planè obſcura, aut prorſus nulla ſentitur. Proin-

*Abſinthium põticũ eſſe eligendum ad iecoris & ventris phlegmonas.*

de ponticũ ad iecinoris & uentris phlegmonas eligi præſtat. Eſt autẽ id tum folio, tum flore longè q̃ cætera abſinthia minore. Odor quoq; huic nõ modò nõ inſuauis, uerumetiã quid aromaticum referẽs. Reliquis omnibus planè eſt fœdus. Quare hæc fugere oportet, uti autẽ ſemper pontico. Enã reliquorũ medicamentorũ, in quibus miſta cum amaritudine aſtringendi uis eſt, aliquid in oleũ cõijcere, atq; ad eundem modũ uti

*Amara qualitas viam aſtringenti facit.*

licet. Amara ſiquidẽ qualitas præit, uiãq; aſtringenti facit. Ac ſi quidẽ intendere aſtrictionẽ ſtu-

*Olei ſpecies diuerſa.*

des, oleũ ipſum etiã aſtringendi uim habeat: cuiuſmodi eſt q̃d Hiſpanũ uocant, & quæcũq; cum oleæ frondib. pręparanť. Sin leuiore uti aſtrictione placet, aliud olei genus præparabis, præcipuè quod tenuiũ ſit partiũ: quod genus Sabinũ eſt. Optimũ tamen ubi aſtringere uehementius expedit, eſt hiſtricũ oleũ. In penuria uerò abſinthij, inter initia uel melinũ, uel maſtichinũ, uel lentiſcinum ſatisfecerit. Quòd ſi exigua febris ſit, etiam unguentũ nardinũ: quod unq; ualentius ijs omnibus calfacit. Quare ſi aliorũ copia nõ eſt, inualeſcente febre roſaceũ illi admiſcebis. Sanè myr-

*Myrtinum oleũ eſſe craſsiorum partium, quàm vt altè deſcendere poſsit.*

tini aſtrictio idonea nõ eſt: cùm craſsiorũ ſit partium, q̃ ut altè deſcendere poſsit. Ad eundẽ uerò modũ & cataplaſma cõpoſitam uim obtineat, ex ea quæ tenuiũ ſit partiũ, ac relaxet: tum etiã ex amara, aſtringenteq;. Superet autẽ in ijs, ubi ſcilicet tum reprimere, tum robur addere ſtudemus, quod aſtringat. Vbi tenuare ac digerere, amarũ: ubi euocare, quæ ex relaxãtibus tenuiũ maximè ſint partiũ. Siquidem quæ craſſæ ſubſtãtiæ ſunt, ea pus mouentib. ſunt accõmoda. Cataplaſmate autẽ quod ſequiť fuimus nos feliciter uſi, cõtra

*Phlegmonis hepatis cõmodiſsimũ cataplaſma*

iecinoris phlegmonẽ. ℞. olei in quo abſinthiũ decoctũ fuerit, & cydoniorũ decocti, ſing. unc. ij. myrobalanorũ & rad. ireos, pulueriſatorum, ſing. drach. ij. ceræ quod ſit ſatis. Fiat emplaſtrũ iuxta artis præcepta. Coquiť & in uino auſtero cydoniũ, ex ipſiusq; carne aliquid eiuſmodi cataplaſmatis inditur: ubi uidelicet & quod cõfluit copioſum eſt, & particula ipſa infirmior: tunc ſiquidem aſtringentẽ uim inaugemus. At uerò

*Aſtringentibus in quarum partium affectibus non ſit vtendũ.*

nec colo laborante, nec reliquorũ inteſtinorum quouis, nec muſculis qui in præcordijs habenť, aut ipſo peritonæo, miſcenda aſtringentia ſunť. Sed nec cùm ueſica malè habet, uterúsue: modò nihil ultrà ad locum fluat, nec ſanguinis redundantia, nec excrementorũ copia, in toto ſit corpore. Porrò renes & pectus in media prædictorum cõditione cõſiſtunt: quantũ ſcilicet à uentriculi iecinorisq; ſolicitudine abſunt, tantùm reliquis antecellentia. Siquidẽ in uentriculo iecinoreq; reſolui robur perniciosiſsimũ eſt, minimè in

illis periculosum. In his uerò est quidem periculosum, nō tamen perinde ac in illis: nisi pus educere ex pectore aut pulmone, aliquādo fit opus. At in liene curando, si uel æger ex ijs sit, qui atræ bilis excrementū naturaliter congerant, uel etiā eo tempore succus is in eo redundet, necesse est reliquis astringentia permisceas, quò uisceris robur custodias: ita enim & excrementa ad se trahet, & cū corpus expurgarit, ipse rursus per uentriculū excernet. Sin atræ bilis sit omnino excrementum nullum, aut prorsus astringendum nō est, aut parcissimè.

*Phlegmonas quarū calor tumorem superat, quib. curare medicamentis debeamus.*

Ad hæc, si in quauis phlegmone obsessa particula, calor tumorē superet, agendum ut sensim per ea quæ tepentē calorem obtinent, digeratur: quod genus est tum lini semen, tum chamæmelū. Quibus adijci uel hordei, uel fabarū farina debet: quippe quorū neutrū excalfacit.

*Artomeli.*

Sæpe uerò & artomelite ad eiusmodi phlegmonas utimur: cui aquæ aliquid admiscemus. Ad lienē uerò etiā aceti aliquando aliquid.

*Phlegmona quarum tumor calorē superat, qua ratione curāda sint.*

*Acetum quādo miscendū phlegmonarum medicamentis.*

Si uerò laborantis phlegmone partis calor nō multū à natura recesserit, tumor autē ipse fuerit notabilis, digerere haud timidè sine aqua debebis, etiā fœnigræci aliquid supradictis immiscens. Si ueluti scirrhosa duritie phlegmone sit, propter humoris quē cōtinet uel crassitudinē, uel lentorē, tum aceti aliquid, tum amara medicamenta, simul immiscenda curabis, potissimū in liene. Etenim uiscus hoc, propterea q̃ ab iecinore crassum humorē trahit, eiusmodi humoris occasione plerunq; laborat.

*Lieni affecto quæ medicamēta conueniant.*

Quo magis cataplasmata quæ ex oxymelite, & absinthio, & cappari fiunt, illi sunt idonea.

*Putrida febre detentos, nec lauandos, nec relaxandos esse, antequàm corpus uacuatum fuerit.*

Cæterū nec eorum qui ex putrescente humore febricitāt, quenq̃ ipse lauabo: nec relaxantibus cataplasmatis, prius q̃ superuacua purgarim, utar. His uacuatis, non solū audacter lauem, sed etiā cataplasmatis utar: in alijs quidē membris, ijs quæ relaxent: in iecinore uerò ac uentriculo, additis etiam quæ astringant mediocriter.

*Hepatis cataplasmatis miscenda astringētia.*

*Pectore affecto parcius miscenda esse cataplasmatis astringētia.*

Parcius autē ad pectus, q̃ ad ea, utendum astringentibus est: quandò talia humores qui phlegmonē excitāt, in pulmones & cor nōnunq̃ reprimūt. Ac cibis potius horum firmitudini est consulendū. Neq; enim sicuti in iecinore & uētriculo phlegmone laborātibus, ita hic tenuissimo uictu est utendū.

*Pulmone inflāmato, abstinendum ab astringentibus.*

Ac longè quidem magis in pulmonis phlegmone abstinendū ab astringētibus est: quādò in eo ipsis quoq; relaxantibus admiscendum aliquid acriū quodāmodo, & euidenter calfacientiū est. Quippe foras trahere, potius quàm reprimere, in eo debemus.

*Pulmoni inflāmato, applicandam cucurbitulam esse, si prius fuerit corpus uacuatum.*

Itaq; etiā cucurbitula, in ijs qui sic laborāt, si prius sint uacuati, applicabit. Si uerò abundantia succorū adsit, nō magis ex pulmone in pectus aliquid excremēti transferet, q̃ ex toto corpore attrahet in utrūq;.

*Cerebri & mēbranarum eius inflammationibus, quando cucurbitæ conueniant.*

Eadem ratione, neq; in cerebri & eius membranarum phlegmonis, cucurbitulis in morbi initio utemur: uerū ubi nec influit adhuc quicq̃, & totū corpus prius est uacuatū. At reprimētibus in his quoq; inter initia utendū.

*Tenuia quando miscēda sint astringentibus.*

Sed cùm per cranij ossa mediā occupātia regionē, in altū descendere reprimentiū uim cupimus, eorū quæ præire, ac deducere ea possunt, aliquid reprimētibus admiscebimus. Ea sunt, quorū substantia ex tenuibus partibus cōstat.

*Aceti facultas.*

Sanè acetū nō modò tenuium partiū est, sed etiā nō mediocrē reprimendi uim obtinet. Quo profectò rationabilius in principijs affectuum ipso utimur, rosaceo admiscentes. Procedente uerò tēpore, etiā spōdylij & serpylli aliquid miscēt: quo scilicet tēpore transire ad ea quæ cōcoquant, ac digerant, cōuenit. Sanè ad eum modū & castoreo utimur: cùm tamen ipso in alijs phlegmonis minimè utamur, q̃uis etiā in summa inclinatione consistant. Est nanq; calidius id, q̃ ut phlegmonis sit idoneum.

*Castoreū esse calidius, quàm ut conueniat phlegmonis.*

*Partium singularū meatus esse reddendos fluxiles.*

Soleo autē ipse singularū particularū meatus, qui ijs ad excrementorū emissionē sunt destinati, fluxiles reddere. Intestino, uentriculo, mesenterio, & iecinoris cōcauis, intestinū rectū. Renibus, uesicæ, iecinoris gibbis, uenæ cauæ, arteriæ magnæ, & omnibus quæ in lumbis habent, eum qui uesicę inseruit. Pulmonibus & pectori, arteriā asperā, atq; fauces. Cerebro & eius inuolucris, eum qui per palatū & nares descēdit.

*Fluxibilitas meatuū quibus medicamētis paretur.*

*Mulsa quibus nō sit cōueniens.*

Paratur fluxibilitas ijs quidem quæ per sedem excerni debent, mulsa, & cibis ijs qui uentrē liquant, & pharmacis quæ modicè proritare possunt. Ad uentriculum uerò, iecur & lienē, si quādo phlegmone fiunt uexata, nec mulsa ipsa est utilis: quoniā ilicò in bilem transit, ac uiscerū phlegmonas auget. Excrementa autē, ut cum urina excernant, diureticis promouebis: quemadmodū quæ in pectore & pulmone hærēt, ijs quæ tussim excitant, euacuabis.

*Balneum quando conducat.*

Porrò balneum in remissione febris administratū, corpore iam mediocriter transpirante, nō exiguū cōmodum affert, omnia ex eo tum fuliginosa excrementa, tum humida educens.

*Balneum quomodo administrandum.*

Curandum tamen est primò, ut citra horrorē administretur. Secundò, ut nullū primæ notæ uiscus sit imbecillū. Tertiò deniq;, ne multitudo crudi humoris in primis uenis cōtineatur. Horror siquidem & auget, & gignit febrē. Partes uerò imbecillæ, per balneum liquatos humores multò facilius alliciūt: & quòd succi liquati sint, & quòd uię dilatatæ. At crudorū humorū copia in totū corpus digerit.

*Balnei usus duplex.*

Horū si nihil obstet, ex balneis duo hæc ægro cōpendia accedēt: & quòd redundantiæ humorū uacuabitur aliquid, & quòd multū transpirabit caloris febrilis. At uerò cùm particula, quā obstructio, aut putredo, aut phlegmone obsedit, febris ipsius ueluti focus sit: si ei propter calorē sua sponte trahenti, alia quæpiā occasio extrinsecus, ex ijs quę potestate excalfaciant, accesserit, necesse est affectū intendi. Si quis autē prius toto uacuato corpore, relaxantibus curet, ubi scilicet maxima febris nō adest, utiq; prodesse aliquādo potest. Quo tēpore etiā lauare citra noxā licet. Cauendū tamē à frigido solio ijs est: quādò & crudi & putrescentes succi, minus apti sic ad exhalandū redduntur. Itaq; in progressu morbi, ubi & absumpta iam superuacua sunt, & tum cruda, tum putrescentia cōcocta, & cataplasmatis relaxantibus, & balneis sine periculo utare.

*Balneo aptissimum tempus in febrib. intermittentibus, quodnam sit.*

*Nutriendi tempus unde sit coniectandum.*

Porrò aptissimū in febribus quæ intermittūt & repetunt, tempus est, cùm exhalare febrilis calor iam cœperit. Statim siquidem corpus ad nutrimentum præparant: huius quoq; opportuno tēpore ex duplici coniectato respectu, tēpe summo præcedentis accessionis uigore, & futuræ principio. Ad hęc nanq; spectantes, operā dabimus,

mus,ut q̃longiſsimè ab utroq; nutriamus. Verũ ſi febris ipſa ſit cõtinens, cõſtat eam breui finiendam. Si igitur ultra ſeptimũ neutiq̃ progreſſura uidet,prorſus cõtinendus à cibo æger eſt, ſi uirtutem nõ defuturã coniicimus.Sin ad nonũ,aut undecimũ, aut quartumdecimũ uſq; progreſſura uideatur, aut etiam finienda ſeptimo, cæterũ æger uires infirmiores habere, quàm ut in tantum tempus ſofficiat, neceſſum erit nutrire, ac deligere id,quod minus ſit noxium.Etenim ubi uel iecur, uel uentriculum phlegmone prehendit,perniciofiſsimũ eſt ante acceſsionem cibare. Vbi hæc abeſt,quibus infirma eſt uirtus,utiliſsimum. Porrò ſummũ uigorem febrilis acceſsionis expendes, an circa magnitudinẽ febrilis caloris ſit ſiccus,ſqualensq;, an citra ſiccitatẽ urẽs. Priorem nanq; humectante uictu q̃primum madefacere oportet.In ſecundo,dum plurimum ſeſe calor remittat,manere. In principij uerò acceſſionis more æſtimabis, an corporis extrema refrigeret,&magnam ſanguinis reuocationem ad interna corporis faciat : an omnino corpus non premat. Quippe ſecundum hoc,ceu facilè manſuetum,contemnes. In priore diſtinguas oportet. Nam ſi abſq; uiſceris phlegmone,aut ſuccorum redundantia motus ad interiora in acceſſionibus pollet, nihil offendes paulò antè cibans. Sin uel phlegmone, uel redundantia ſubſit,cauenda eſt ante acceſsionem cibatio,ceu res maximè noxia.

*Continuã febre detentus,quandiu abſque cibo ſeruari debeat.*

*Phlegmone affligente ventriculu,hepáræ, perniciosiſſimũ eſſe ante acceſſionẽ cibare.*

## GALENI PERGAMENI de medendi methodo lib. XII.

QVæ cum ſymptomatis conſiſtunt febres, non ſunt ad febrium genus ullum, aut ſpecies,aut differẽtias diſtincta.Porrò grauiorum ſymptomatũ, & quæ rarenter febrientibus incidunt, primæ differentiæ ſunt tres. Aut enim in læſione actionũ cõſiſtunt, aut in retentorum uacuatorúmue immodico exceſſu,aut in corporum ipſorũ affectu. Ex quibus duę quidem differentiæ priores, ſi cõtriſtent, ad ſe totã curationẽ cõuertunt,affectumq; deſerere cogũt. Tertia uerò,alterius quidem quẽ curare oportet,affectus eſt ſignum:nullam tamen ſeorſum curationẽ exigit, utpote cum affectu, unde naſcitur, unà ceſſans. Nullũ autẽ ſymptoma, quà ſymptoma eſt, nec curationis rationẽ indicat,nec primũ immutat:licet ex accidenti interdũ id faciat,ubi ſcilicet cauſæ locũ ſortitur. Porrò eorũ omniũ, ubi ueluti cauſæ curationẽ immutant, unũ caput eſt,ipſa læſio,ſiue uirtutis ſit,ſiue diſpoſitionis. Lædunt autẽ uires, uigiliæ,dolor, atq; uacuatio immodica. Affectui uerò eadem,nõ utiq; ſemper,cæterũ magna ex parte,nocẽt:ac potiſsimũ cùm fuerint immodica. Qua de cauſa, quandoque cogimur prius ſubmouere ſymptoma, q̃ morbũ, mutato uidelicet inſtituto. Ergo ſi labant uires,nõ tamẽ uehementer ſint reſolutę,ſed adhuc reſiſtunt,ad ſymptoma tantũ ſumus attenti, atq; id q̃primũ tollere maturamus. Sin iam reſolutæ uehemẽter ſint uires, non modò ſymptoma ſedare,ſed illas etiam firmare cõtendimus. Vbi uerò uirium roboris fiducia eſt,adeò nunq̃ cõtra ſymptoma pugnamus, ut (quod prorſus contrariũ eſt ) per ea nonnunq̃ præſidia,quæ dolorẽ afferũt, morbos ipſos curemus : ueluti profectò dyſenteriæ ipſi, mordentibus maximè medicamentis tum potiſsimũ medemur, cùm otiq; eſt grauiſsima. Eſt autẽ duplex medicis contra dolorẽ inſtandi ratio. Altera, qua delicijs cubantium ſubſcribunt: altera,ex artis ratione. Quippe ſi licet ęgrum doloribus obnitentẽ ualentibus remedijs uno die perſanari, qui tota curatione neglecta dolori tantũ intentus eſt,nõ ex artis ratione,ſed in gratiam ægrotantis id facit. At ſi ex dolore uires ſoluuntur,atq; ex eo impendet periculum,mitigari dolor,& roborari uires debebunt, quò & morbo reſiſtere,& curationis ſpacio ſufficere ualeãt. Eſto igitur terminus in ægrotantibus,quem nõ tranſibit is, qui ex arte geneross̃è cõtra morbum pugnat,ut tutò medicetur. Ei uerò qui dolorem mitigat,ut uires cuſtodiat. Porrò dolorem mitigant,quæ ex papaueris ſucco,uel alterci ſemine, uel radice mandragoræ, uel deniq; ſtyrace conſtant. Cæterũ ſi fas ſit,ijs remedijs quę morbum ſanent, utendo, quod optamus efficere, cauendum ab id genus ſoporiferis medicamentis eſt. Sin uerò ex uigilijs & uiribus reſoluendis, æger ad mortis diſcrimen tendat, tum profectò ipſis tempeſtiuè utare:nõ ignarus ſcilicet corporis habitũ nõnihil ex eis lædendũ, eligendã tamen potius læſionẽ ipſam, q̃ mortem. Hac nimirũ perſuaſione ipſe quoq;, tametſi omniũ maximè ab uſu grauiter ſopientiũ abhorrens ( quòd rebellẽ ualentemq; in corpore frigiditatẽ relinquãt) aliquando tamẽ ea & colicis exhibeo, & ijs qui uel oculorũ,uel auriũ, uel aliarũ partiũ uehemẽtiſsimo dolore cruciant. Interim uerò, & cùm æger ex tenui deſtillatione,uigilijs,&uehementi tuſsi urget,pauxillũ eiuſmodi medicamẽti offero:facilè noxã eiũs,ſi quis ſemel ſit uſus, ſpacio emendatũ iri ratus. Omnia tamen id genus magis ſalubria ſunt, ſi poſt annũ à cõpoſitione ſumant: ueluti quod ad Philonẽ refertur, quod ad dolores*ſtupefaciendo ſedandos,nullo minus eſt celebre. Id uerò etiã ſi duorũ,triũmue aut quatuor annorũ ſit,multò ſanè fuerit præſtãtius: ſed neq; inutile tamen ſequẽtibus annis,ad decimũ uſq;. Ergo ſicuti cauẽdus eſt,quoad fieri poteſt, eiuſmodi medicamẽntorũ uſus : ita ſi neceſsitas urgeat,nec admodũ recentia ſunt offerenda:quòd frigida quæ in his ſunt,prçoalentes uires adhuc habeant : nec ita antiqua,ut ſpem noſtrã fruſtentur: ſed tandiu dimittẽda ſunt, quoad uiolentia refrigerantiũ, ab eorũ quæ calfaciũt ui mitiget. Et taliũ quidem medicamentorũ uſus, eorũ qui aduerſus ſymptoma pugnãt,eſt proprius,potiſſimũ ubi ex frigida cauſa dolor eſt excitatus. Obſunt enim talia plurimũ toti affectui,curationiq; contumacẽ eum reddunt. At ſanguinis miſsio, quæ ſcilicet uires nõ deijcit,ſymptoma ſpectãtis medici opus nõ eſt,ſed eius qui totũ affectũ adimere ſtudet. Ad eundẽ modũ & balneũ,&purgatio,& fomẽta calida,& uini potio. Quæ omnia, dum affectus ſanant, unà cum ipſis etiã dolores ſedant. Eodem modo &nutrimentũ exhibitom, ubi ſicco & ſqualente morbo os uentriculi afficitur, dum affectum ipſum ſanat, hominem prehendi ſyncope prohibet. Porrò qui ex copia cru

*Symptomatum grauiorum tres differentiæ.*

*Symptomata ex ſe nec curationis rationem indicant, nec primũ immutant.*

*Vires à quibus lædantur.*

*Symptomata ſubmouere, quãdo neglecto morbo cogamur.*

*Dyſenteriam grauiſsimã curari maximè mordentibus medicamentis.*

*Doloris expugnãdi ratio duplex.*

*Medendum tutò eſſe.*

*Vires eſſe ſeruãdas.*

*Dolorem quæ mitigent.*

*Soporifera, ſi fieri poſsit, uitanda.*

*Soporiferis quãdo utendum.*

*Stupefacientibus medicamentis Galenus utebatur interdum in doloribus acerbiſsimis,et in tenuibus deſtillationibus.*

*Stupefacientia medicamẽta utiora eſſe,ſi poſt annum a compoſitione ſumãtur.*

*Philonium ſtupefaciens.*

*Stupefacientia medicamenta, cur nec recentia nimis, nec vetera impenſè exhibenda ſint.*

*Vacuatio per frictionem solã, quib. debeat administrari, & quomodo.*

dorum humorũ, un[illegible] cum oris uentriculi offensione febricitant, ĳ ne[illegible]sionẽ sanguinis, neq; purgationẽ tolerãt, cùm [illegible]men uacuationẽ desiderent. Quare eis uacuatio per frictionẽ solã administratur. Ergo linteis mediocriter asperis statim in ipsis auspicĳs morbi fricandi sunt, à cruribus supernè deorsum. Debet enim radi ab his cutis, cùm simul & calfieri per eam, & digeri corpus postulet. Dein tota brachia, simili modo ab humeris supernè deorsum. Vbi uerò artus omnes abundè calere iam uidebunt, & metus fuerit ne quis ex multitudine frictionis, cõtusa iam carne, superueniat lassitudinis sensus, oleo relaxãte utẽris: q̃d genus est Sabinũ: Ab astringente uerò abstinebis, cuiusmodi Hispanũ existit. Hyems uerò si fuerit, nihilo deterius sit, si ad digerentium aliquod transieris, quale Sicyoniũ est, aut etiam chamæmelinũ.

*Oleum Sabinũ.*
*Oleũ Hispanũ.*
*Oleum Sicyoniũ*
*Oleum chamæmelinum.*

Vbi igitur oleo membra ipsa abundè fricueris, oleum est detergendum, atq; ad spinam dorsi transeundũ: quam totã pariter fricare, primũ quidẽ sicca frictione, pòst oleo, expedit. Ab hac rursus ad crura te conferes, & ab his ad brachia, denuoq; dein ad spinã: sic totũ diem agens, in domo & lucida, & temperata. Sanè mulsa, in qua coctũ hyssopum fuerit, his est aptissima: qua sola primis tribus diebus utentur. Ipse uerò eo tantũ tempore dictã intermittes frictionẽ, quo somnus hominẽ occupauerit. Ad quẽ etiã alliciendũ, & frictio uberior facit. Cæterũ somnus uberior his minimè est salutaris: cùm nec crudos succos digeri sinat, & uiscera reddat grauiora. Sed si quis alius affectus est, qui somnũ & uigilias modicas postulet, hic profectò in his est. Quippe somnus cõcoquit, uigiliæ digerunt. Quorum utroq; est opus ĳs qui ex multitudine crudorũ succorũ ęgrotãt.

*Frictio uberior allicit somnum.*
*Somnus diutur nus crudos succos digeri prohibet, & uiscera reddit grauiora.*
*Somnus concoquit.*
*Vigilia digerũt.*

Ac si pulsus his paruus admodũ infirmusq; sit, aut etiã supra hæc uehementer inæqualis, extremũ periculũ indicat: nec quicq̃, præter iam dicta, moliendũ est. Sin uerò mediocriter sit robustus, nihilq; intercisus uideatur, si sua quidẽ spõte aluus cõmodè nõ deĳciat, soluenda est, mulsa iniecta. Quòd si maior iusto superfluorũ impetus ad aluũ citet, principiò quidem percoquere mulsam amplius oportet. Ea nanq; sicut minus aluum subducit, ita magis nutrit. Post hæc, si superuacua largius descendant, ne sic quidem sistenda: sed exhibẽdus pro aqua mulsa ptisanę cremor est. Si uerò fluere pergant, alicæ sorbitione ægrũ nutries. Si pulsus interim ad imbecillitatẽ, uel inęqualitatẽ, uel paruitatem mutent, panẽ imbutũ diluto uino porrigere conuenit: utiq; si nec uentriculus, nec iecur laborent phlegmone: quandò si hac infestentur, corpore crudis succis referto, salus deplorata est, pulsib. sic immutatis.

*Mulsa exhibitio*

Minimè autẽ utendũ cataplasmatis aut perfusionibus est, prius q̃ superuacua magna ex parte partim uacuata sint, partim concocta. Interimq; sola mulsa, in qua coctum hyssopum sit, usq; ad septimum diem utantur. Siquidem longissimã sic affecti cibi abstinentiam ferunt, corpore scilicet ex crudis ipsis, quos continet, succis cõcoquendis alto. Verùm si aluus impensè fluat, uel æger mulsam fastidiat, ad ptisanæ cremorem est transeundum. Sin hunc quoq; auersetur, alica ad eundem quo ptisana modũ ei præparabit. Neq; enĩ eis qui sic sint affecti, acetũ incõmodum est.

*Cataplasmatis utendum nõ esse priusquàm superuacua partim sint uacuata, partim concocta.*
*Inediam lõgissimam ferũt, quibus corpus crudis succis redundat.*

Imò sicubi crudos affatim succos esse animaduerteris, oxymeli assiduè pro mulsa dabis: si quidem æstas sit, & æger frigidæ assuetus, frigidum: sin hyems autẽ, omnibus calidum. Maximè uerò pulsus paruus, tardus & rarus, frigidos subesse succos ostẽdit. Sanè propositis aduersissima sunt tum balneum, tum aër ambiens, quoties uel nimiũ calidus est uel frigidus. Itaq; ut lauandi hi nõ sunt, sic & reclinandi in domo sunt: æstate quidem, quę frigeat: hyeme, quę caleat. Lædunt nanq; nõ parũ ab utroq; excessu. Atq; hæc quidem agenda sunt tibi, ubi à primo die curationẽ susceperis.

*Oxymeli congruere illis qui crudis succis redundant.*
*Frigidos subesse succos quis pulsus indicet.*

Si aũt ad eos quos iam premit syncope accitus fueris, si ea quæ retuli loca phlegmone uacẽt, panẽ exhibebis nõ multũ, eumq; ex uino aliquo, quod celerẽ in corpus digestionẽ adiuuet: statimq; ad frictiones uenies, quas ut diximus administrabis. Ac si quidẽ cœli status sit uehemẽter calidus, cum frigida uinum dabis: cum calida autẽ mediocriter, si tẽperatus. Quæ tamen secundò & tertiò dabitur potio, omnino calidam exhibendam curabis, ut quę succorum crudorũ concoctionẽ adiuuet.

*Syncopes à cruditate curatio.*

At quib. ex flaua bili, quæ os uẽtriculi infestet, syncope incidit, ĳs frigida exhibenda potio est. Vinũ tamen quod & calidum natura sit, & deductionẽ in corpus promoueat, omnib. quos syncope malè habet, offerre cõuenit. Constat autẽ ex uinis ea deligenda esse, quæ & flauo colore sint, & substantia tenui, & ætate uetera. Talia nimirũ & boni odoris cõtinuò fuerint. Quinetiam si paululũ ubi mista sunt, gustes, senties calorẽ per totũ corpus transmitti. Cæterũ amara præ uetustate uina ne sunto, præsertim quæ ĳs exhibebis, quibus stomachus flaua bile urgetur. Cõmodissima igitur his uina sunt, quæ cùm naturaliter sint austera, sensilem iam astringendi uim, propter uetustatẽ nõ amplius exhibent: calorẽ tamen admodũ euidentem habẽt.

*Syncope laborantibus omnibus quale uinũ sit exhibendum*

Huius igitur generis uinorũ optima sunt, Surrentinũ, Signinũ, Sabinum, Tiburtinum, & Marsum, omnia quidẽ Italica, astringentiaq;. Quibus tamen ex crudis humorib. syncopes periculum imminet, sanè Falernũ tantò iam memoratis pręstat, quãtò tum melioris est succi, tum etiã calidius: utpote q̃d & uelocius illis digeretur per corpus, & crudis succis concoquendis auxilio erit. In summa uerò, quibus ex abundantia crudorũ humorũ syncope incidit, ĳs crassa uina, ceu noxia: aquosa, ceu parũ efficacia, fugiẽda sunt. Deligenda autẽ eorũ sunt media, quæq; flaua existãt & calida.

*Vinorum genera uaria.*

Neq; enim inuenias ex albo uinorũ genere calidũ ullum: quãdò etiã austera, & mediocriter alba, cùm inueterauerint, quodã modo fuluiora reddunt. Quotquot autẽ in ipsis calidissima sunt, omnia profectò sunt flaua. Reliquorũ uini generũ, austera quæ mediocriter alba, crassaq; sunt, certè nullũ ad digestionẽ in corpus est idoneum. Si tamen abundè inueterarint, nec aliorũ copia sit, uti illis licebit, quòd stomachum roborent.

*Vinum album quod calidũ sit, reperiri nullũ.*

Cæterũ uina quæ calfaciunt immodicè, ĳs offerenda nõ sunt, quibus caput est imbecillũ, facileq; ab id genus uinis replet. Porrò uina quæ odora fuluaq; sunt, quantũ ex ipsorum est natura, oĩa caput grauãt. Eoq; tum Falernum,

*Vina impensè calida, ĳs offerẽda non esse, quibus caput est imbecillum.*

lernum, tum Tmolites, tum Lesbiũ, infirmo capiti noxia sunt. At uina austera uentriculum roborant, capitiq́; inter omnia uina minimè tentant: digestionẽ tamen in corpus nõ promouent: quò magis fugienda tibi in syncope prehensis sunt, nõ secus quàm aqua. In penuria uerò uini quod accõmodũ utriq; syncopę sit, ei inquã quę ex multitudine crudi succi oritur, & ei quæ ex bile incidit, coactus uti uino, uteris aquosis, magisq; si antiqua fuerint. Talia nanq;, tametsi non ualenter excalfaciant, facilè tamen deducunt in corpus: quo nomine urinas præter cætera omnia promouent. A quibus secundum locũ obtinent, quæcũq; fuluorũ maximè sunt tenuia: quæ etiam ad syncopas præcipuè sunt deligenda. Est autẽ syncope, præceps uirium lapsus. Cùm autẽ essentia uiriũ, quibus regitur corpus, tum in spiritu, tum in solidorũ corporũ temperamẽto consistat, hæc nobis, & ubi integra sunt, seruari: & ubi corrupta sunt, ad integrum reuocari omnino debent. At uerò substantia spiritus, ipsaq́; solida corpora, sic nobis sunt custodienda in morbis, ut tum qualitate, tum quantitate, quoad fieri licet, se naturaliter habeat. Curandum itaq; est, ut quæ substantię portio ab eis defluit, hanc per appositionem sarciamus: quod in ipsis uerò alterascit, in debitam temperiem per cõtrariam alterationẽ restituamus. Si igitur tum uacuatio, tum alteratio sensim paulatimq; fiant, etiã correctio utriusq; sensim administrabitur: quod munus ad artem sanitatis tuendæ pertinet. Sin cõfertim & semel, ac magna aliquando uacuatio, uel etiã adiectio incidat, sic sanè & efficietur morbus, & medendi methodum ad eorũ sanationẽ desiderabimus. Porrò animalis spiritus, à cerebro, ueluti à fonte, nascitur. Qui partim ex inspirando, partim ex eo quod reticularis plexus suppeditat, irrigatur aliturq;. At uitalis spiritus continetur in corde, & arterijs: nutriturq; tum ex aëre inspirato, tum ex sanguine halituoso. Quòd si naturalis quoq; aliquis spiritus sit, utiq; continebitur in iecinore & uenis. Viriũ igitur lapsus, qui quidem solidorũ corporũ substantiæ resolutæ succedit, in longissimis morbis subinde incidit, animante ex frequenti atrophia extenuato: præterea in colliquantibus febribus. Qui uerò ex substantiæ temperie mutata prouenit, is, uel ubi immodicè ipsa fuerint calfacta, frigefacta, madefacta, uel exiccata, uel horũ aliquib. copulatis affecta, prouenit. At alteratio spiritus, tum ex uitiosis oritur succis, tum ex ambientis aëris malitia: præterea uenenatis facultatibus, aut animalium quę uirus eiectant, uenenis. Ipsius uerò essentiæ spiritus corruptio (quæ tum ob animi affectus, cuiusmodi sunt, timor subitus uehemensq;, necnõ mœror, ira, curæ, atq; summa uoluptas, tum ob ingentem dolorẽ: præterea ob plures motiones uigiliasq;, obq; immodicam ipsius tenuitatem, & continentiũ eum uasorum raritudinem, atqueadeo ante hæc omnia, ob respiratũ prohibitum, & nutrimẽti defectũ incidit) diligentius corrigi postulat. Sciendum autẽ est, in omnibus perturbationibus, ipsam per seipsam moueri animam: quę nimirũ in alijs actiuis functionibus mouet etiã & ipsa corpus. Ob idq; resolui ẽ eius

*Vina austera uentriculum roborant, capitiq́; minimè tentãt: syncope tamen prehensis nõ cõferunt.*

*Syncope est præceps uirium lapsus.*

*Essentia uirium in quibus consistat.*

*Spiritus animalis à cerebro nascitur.*

*Spiritus uitalis in corde & arterijs consistit.*

*Spiritus naturalis si quis sit, in iecore cõtinebitur.*

*Lapsus uirium quibus succedere soleat.*

*Spiritus à quib. alterari soleat.*

*Spiritum quæ corrumpant.*

*Animam per seipsam moueri in perturbationibus.*

robur, utroq; motuũ suorũ genere, si modum excedant. Ergo nec rarefaciendũ immodicè ægrotantis est corpus, si spiritũ retineri in ipso studes: sed nec quæ in eo sunt, per comesta & bibita ualenter extenuanda. Est etiã ad uiriũ robur tuendum, ciborũ atq; potionũ habenda ratio, ut sint tum quantitate modici, tum qualitate exquisiti. Aër præterea quẽ inspiramus, debet esse ut optimè temperatus, sic ab omni corruptela & inquinamento alienissimus. Curandũ similiter est, ut ipsa corpora solida, in quibus uel maximè consistere uirium substantia uidetur, sint sano temperamento. Quippe ad conseruandum uirtutis robur, & syncopalem accessionem prohibendam, singulare præsidium est temperamenti custodia: ante omnia quidem, trium principiorũ: mox uerò reliquarũ partium, quæcunq; in consortium affectus, principia secum ex facili trahũt. Cuiusmodi est os uẽtriculi, quod propter exquisitum sensum, accersit syncopas. At uerò si humores crudi uires sua copia premant, ac propter multitudinem simul & crassitudinẽ exiguos animalis meatus obstruant, is affectus multis nominibus exitialis est, ac syncopæ opportunos reddit. Quippe succi crudi nutrire prius quàm sint concocti, nequeunt. Quòd si nec obstruant, nec onerent, syncopen ij certè nõ inferunt, sed deliquia animi. Siquidem resoluunt ęgrotantes huiusmodi, nisi frequentius nutriant. Sunt autẽ nutriendi hi extenuantibus calfacientibusq;: idq; nõ copiosè, nec semel. Medicamenta similiter sint extenuantia calfacĩetiaq;, sed moderatè. His & aquosum uinum idoneũ ab initio est, nisi tamen uehementer febricitent. Etenim qui laborant ex huiuscemodi succis, hos quotidie accessiones exercent, præcipueq; ad uesperã, noctuq;. Qui uerò ex tenuissimis succis urgent syncope, diuersa à iam dictis ratione curãdi sunt. Illos nanq; paulatim & assiduè uacuamus. At qui sic se habẽt, hos paulatim & assiduè nutriemus. Quòd si uiribus imbecillis, aliquod his uiscus phlegmone obsessum sit, eorũ salus est deplorata: quando nec ipsos licet assiduè nutrire, sed tantũ in remissionibus: & seruari nõ possunt, si nõ nutriant. Non solùm autẽ extenuatis ad eum modũ spiritu & sanguine soleut sæpe uires resolui, sed etiã facultate expultrice per uniuersam corporis molẽ immoderatius concitata: id quod accidere maximè solet, ob retentricis imbecillitatem. Ergo nutrire, quicquid horum inciderit, est necesse: sicuti etiã corporis summa densare, non secus q̃ priorũ rarefacere. Frigidũ itaq; ijs aërem astringentemq; comparabimus. Vngendi præterea sunt astricto rijs unguentis. Tum cibi ijs dandi, qui nõ admodum promptè diffluant: cuiusmodi sunt, panis, sorbitio ex alica, fructus austeri, & qui non facilè corrumpantur, ouorum uitelli (quandoquidem album ægrè concoquitur) gallinaceorum, qui lacte alti sint, testiculi, ac denique suillum cerebrũ diligenter assum, uel in albo iure legitimè elixũ, porro & anetho iniectis. In summa, omni ratione agendum, ut & succorum materiam crassiorem reddas, & cutim denses, & exhalationẽ inhibeas. Vinum uerò ipsis aquosum, necessarium inter initia est, sumptum post cibos. Quòd si ex

*Virium robori custodiẽdo quæ requirantur.*

*Syncopes ab ore uentriculi ortæ, curatio.*

*Vires resolui etiam ob excretricem uim immodicè concitatam.*

*Vires imbecilliores redditæ ob excretricis motus immoderatos, quomodo reficiendæ.*

*Albumen ouorũ ægrè concoqui.*

ſententia nobis omnia reſponderint, etiam carnei ijs aliquid nutrimenti poſt alia dabimus, potiſsimũ poſt quartũ diem, ſuccis qui febrem excitauerunt, iam ad concoctionem uenientibus. In omnibus autẽ eiuſmodi curationibus, ſi iam adſit ſyncope, omnis ſolicitudo medentis ad ſymptoma uertetur. Sin expectetur, utriuſq; curam habebit, & ut ſymptoma non incidat, & ut paulatim diſcutiatur morbus: quem celerius diſcuteremus, ſi nullus ſymptomatis ſubeſſet metus. Quippe qui multitudine crudi ſucci grauat, hũc ſi modò iuſtam ſemel uacuationem ferre poſſet, nec metus aliquis ſyncopes impenderet, ſemel, arbitror, uacuatũ explicaremus à morbo. Eum uerò cuius ſpiritus & ſucci facilè exhalant, ſi ante acceſsionẽ cibare nõ cogeremur, longiorem illi morbum certè non redderemus. Sunt & aliæ

*Syncope quibus ſuccedat cauſis.*

quinq; occaſiones quibus ſuccedunt ſyncopæ: nempe dolor uehemens, uigiliæ, immodica uentris inanitio, motus in delirantibus, ac denique principiorum intemperantia, uel nuda, uel cum humorum affluxu. Si igitur cauſam ipſam unde excitatur dolor, adimere poſsis, ita utiq; contra ſymptoma non pugnaueris, ſed curaueris ægritudinem. At ſi qua occaſione prohibitus, affectui ſubmouendo intentum eſſe non licet, uehementiam mitigabis doloris. Dolent porrò tantùm particulæ ſenſibiles, idq; uel ob continuitatis diuortiũ, uel ob aliquam alterationẽ, nõ ſenſim, ſed confertim & uiolenter factam. Quippe

*Doloris cauſa.*

uidentur corpora, nõ ſolùm cùm in non naturalem habitum confertim aguntur, triſtem mutationẽ ſentire, ſed etiam in ipſo ad naturalem ſtatum ſuum reditu, niſi is ſenſim fiat, torqueri. Ac ex alterantibus quidem dolore afficiunt, omnia uehementer calfacienna, atq; refrigerãtia. Ipſam autem ſolutionem cõtinui, neceſſe eſt uel ruptionem, uel cõtuſionem, uel eroſionem exiſtere. At ruptio ex diſtentione quadam, contuſio ex grauante aliquo, eroſio ex mordente prouenit qualitate. Ergo cùm nihil extrinſecus ſit, quod uel diſtendat, uel grauet, uel erodat, ſed ex ſeipſo horum aliquod corpus ſentiat, neminem latêre poteſt, diſtentionem ab aliqua intrinſecus ſubſtantia, quæ multitudine ſua corpus ſe continens diſtendat, aut immodica ſiccitate, prouenire: contuſionem, ex eo quòd aliquod corpus occurſarit extrinſecus, quod uel durum, uel magnũ, uel graue, uel ſimul ambo extitit: eroſionẽ uerò, ex ſucco aliquo, cui mordens natura inſit. Qui quidem ſi ſit in tunicis inteſtinorũ imbibitus, commodiſsimè hiera picra expurgatur. Quòd ſi aliquam exulcerationẽ pepererit, nutriendus certè æger eſt calente alica, ſed iniectis mâli punici granis. Potus autẽ illi offerendus eſt, mâli punici cremor. Porrò ſi ſanguinis abundantia ſit q̃d diſtendit, protinus ſanguis mittẽdus eſt, modò uires ægri non ſint infirmæ. Sed ſi is uel ſanguinis miſsionẽ timeat, uel uiribus ſit imbecillis, tum reuellẽdus in diuerſum eſt ſanguis, tum per propinqua deriuandus. Quòd ſi his peractis dolor etiã perſtat, patet profectò in ægrotante particula impactũ eſſe quod cõtriſtat. Patet uerò nõ minus, & quòd curatio ipſa per digerentia medicamẽta molienda ſit. Similiter etiã curantᷓ dolores

*Solutio cõtinui quotuplex ſit.*
*Ruptio.*
*Contuſio.*
*Eroſio.*
*Diſtentio ſpontanea unde accedat.*
*Contuſionis cauſa.*
*Eroſio unde fiat*
*Hiera picra expurgat humores acres tunicis inteſtinorum imbibitos.*
*Dyſenteriæ qualis uictus conueniat.*
*Diſtentionis à ſanguinis copia curatio.*
*Reuulſionẽ eſſe in cõtrariũ molienda.m*
*Deriuatio fit per propinqua.*

à flatulento ſpiritu orti: magis tamẽ ij extenuantia remedia deſiderant. Si moles aliqua grauando, contundendòue dolorẽ excitet, moli ipſi eſt medendum. Sin mordens humor, aduerſiſsima huic ſunt, quæ extenuant & calfaciunt. Poſtulant nanq; huius generis affectus, ut ea quæ cõtriſtãt uacuentᷓ, aut alterentᷓ, aut medicamẽtis torporẽ inferentibus retundantᷓ. Ea quippe minus hos affectus lædũt, q̃ alios, qui à craſsis glutinoſisq; humoribus proficiſcuntᷓ. Huiuſmodi tamen ſuccos, dolor uehemens nõ comitatur, niſi aliquis eis halituoſus ſpiritus copuletur, qui ex ijs corporibus quibus cõtinetur, erũpere prorſus non poſsit. Nam ſic, grauiſsimi ſolent excitari dolores. Etenim cùm tunicæ inteſtinorum ſint duplices, ſi in medio ipſarum ſpacio frigidus ac uiſcidus humor collectus ſit, à calore liquatus in flatulentũ mutatur ſpiritum: qui craſſus frigidusq; cùm ſit, acerbiſsimos dolores inducit. Ac ad tẽpus quidẽ, poſt bibitũ medicamen ſtupefaciens, prorſus indolentes reddunt ægri, cæterùm affectus ijs uarijs modis fit maior. Nam & inteſtinorũ tunicæ medicamentorũ frigiditate denſiores, minusq; flatui tranſmittẽdo habiles redduntur: & humor ipſe tum craſsior, tum ad motum ineptior euadit. Quare id genus dolores omnes, per ea quæ incidant & concoquant, præterea flatus diſcutiant, deſiccentq; citra ualentem calfactionem, curandi ſunt. A nullo autem in eiuſmodi ſuccis tam eſt metuendum, quàm à calore qui & eos liquet, & in flatum uertat, ſed nõ ualeat diſcutere. Porrò agreſtis quidam, allio comeſto, uinoq; ad ueſperã meraciori bibito, à dolore colico fuit liberatus: neq; id iniuria: allium ſiquidem flatum diſcutit, ac minimè ſitim infert. Quamobrem ipſe allium theriacem agreſtium appello: eſtq; cõmodiſsimum ijs omnibus, qui regionem frigidam incolunt. Quos igitur ex ſupradicta cauſa uehemens inteſtinorum dolor citra febrem exercet, ijs & allium eſſe licet, & theriacem bibere. At ſi cum febri unà talis dolor aliquando incidat, principiò quidem, ſi id ferunt, fomentum ſiccum ex milio adhibendum eſt. Si ab hoc non quieſcant, ſemen aliquod, quod flatum diſsipet, in oleo quod tenuium ſit partium, coquere, mox per linteũ, quò purum ſit, oleum colare, dein anſeris, aut gallinaceum ſeuum, nec ſalſum, nec admodum uetus, in ipſo oleo liquare, & per ſedem infundere oportet. At ſi neq; ex hoc remittantᷓ dolores, ſecundò rurſus inijciendum eſt idem, adiecta etiamnum caſtorei & papaueris ſucci, utriuſq; fabæ non amplius magnitudine. Olei uerò hemina modus eſto. Excipitur & lanula ex hoc medicamento aliquid: quæ appenſa forti filo, quampenitiſsimè in rectum inteſtinũ inſeri debet, quò utiq; & cùm libet, id facilè recipiatur, & euidentẽ utilitatẽ cõferat. Similiter & oculorũ, & aurium dolores, qui ab ijſdem cauſis in febri excitantᷓ, ſedare conueniet fomento ex milio. Sed infundimus etiam auribus medicamentũ id q̃d ex caſtoreo & papaueris ſucco conficitᷓ, ſapa liquatũ. Quod ſanè auri inſtillatũ, oculorũ etiam ac dentiũ dolores lenit. Iam uerò ſi cataplaſma imponi aliquãdo res ipſa ſuadeat, papaueris capitibus in aqua coctus, ac fœnigræci,

*Doloris à flatulento ſpiritu orti curatio.*
*Doloris à mordente humore orti, curatio.*
*Inteſtinorum tunicas eſſe duplices.*
*Stupefacientia medicamenta, obtundunt quidem dolorẽ, affectum tamen maiorem reddunt.*
*Dolores inteſtinorum à craſsis ſuccis producti qua ſint ratiõe curandi.*
*Allium auxiliatur dolori colico*
*Alliũ flatus diſcutit.*
*Allium dicitur theriace ruſticorum.*
*Theriace quib. utilis.*
*Colici doloris cui ſit iuncta febris, curatio.*
*Peſſarij conficiũdi modus, ad leniendos dolores colicos.*
*Dolores oculorũ & aurium qua ratione leniendi.*
*Auribus inſtillatum medicamen ex caſtoreo ſucco papaueris & ſapa conſtans, oculorũ atq; dentiũ dolores lenit*
*Dolori mitigando cataplaſma optimum.*

uel

uel hordei, uel lini seminis farina aquæ immissa, cataplasma conficies. Porrò collyria ex opio cõfecta, uehemẽtissimos oculorũ dolores laxant: utendumq; his est, cùm maxima necessitas urget. Nam tametsi imbecilliores ex frigiditate in reliquam uitam ipsas reddant particulas, occurrunt tamen præsenti discrimini: ac postea frigiditatem ab opio relictã, licet nobis corrigere, tum oleis calidis, tum etiã collyrijs. Nempe auribus oleum id quod solum castoreum recipit, instillamus: oculis uerò, ex cinnamomo collyriũ. Qui à solo spiritu flatuoso cruciantur, ilicò cucurbitula admota, tum à dolore liberi, tum omnino sani redduntur, in quacunq; corporis parte dolor sit excitatus. Quibus uerò non spiritus modò flatuosus, sed etiam humor quispiam, unde is oritur, uentris dolorẽ excitat, ijs ilicò ad tempus dolor sedatur: redit tamen uel in sequenti nocte, uel postridie, uel etiam tertio die similis dolor. Quare in his primũ doloris accessio est curanda, admota scilicet cucurbitula. Postea uacuandus humor, infuso per sedem aliquo medicamento calfaciente simul & attenuante. Ego uerò oleo quopiã tenuis substantiæ uti assueui, rutam in eo præcoquens. Quo iniecto, nõnulli ægri paulò pòst excernunt humorẽ uitreũ: atq; ex hoc protinus simul & à dolore, & ab affectu liberantur. Si dolor ex tenui acriq; excitet humore, qui cõuulsiones uehementes etiam inducere solet: si quidem in uentriculo talis humor consistat, uomitu expellendus est, aqua tepida propinata: sin autẽ in intestinis, injcere per sedẽ oportet aliquod medicamen, quod blandè eluere, detergereq; eiusmodi humorẽ possit. Cõmodissimus itaq; ad id fuerit cremor ptisanæ. Cibi uerò exhibendi his sunt, qui & boni sint succi, nec facilè corrumpant. Qui ob siccitatem uehementem distenduntur, & discruciantur, si curari ij debeant, humectationẽ desiderant. Cæterùm si affectus is, sit febris occasione cõtractus, percuratu est difficilis, uel potius curationem non recipit. Quippe conuulsiones quæ ex plenitudine neruosarum partium, uel ex humore mordente, uel denique ex ingenti frigore oriuntur, curari possunt. Quæ uerò ex neruosarum particularũ ariditate proueniunt, nullus certè ijs ad sanitatem est locus.

*Opium recipientia collyria, uehemẽtissimos oculorũ dolores laxant, tametsi imbecilliores ex frigiditate ipsas relinquant particulas.*

*Cucurbitula admota, dolorẽ à flatu excitatum soluit.*

*Rutaceum oleũ auxiliatur ijs quos dolor colicus à frigido succo ortus, discruciat.*

*Doloris à tenui humore excitati curatio.*

*Conuulsiones à plenitudine quidem orta, curari possunt: à neruosarum autem partium ariditate, minimè curationẽ admittunt.*

## GALENI PERGAMENI de methodo medendi lib. XIII.

IN hoc tertiodecimo cõmentario acturi de tumoribus præter naturam, primò quidem tractemus de phlegmone, quòd hæc & frequentius incidat, & febres inferat, grauissimaq; indicat symptomata. Gignitur autem omnis phlegmone ob confluxum sanguinis, copiosioris scilicet, quàm pars postulet: quo tumore obsessa particula, auctior, quàm pro naturali habitu, calidior & rubicundior, redditur: tenditurq;, ac tangenti renititur, cum dolore ac pulsatione sensibili. De phlegmones tamen generatione, uarij uario modo opinantur, licet ipsa curandi ratio omnibus cõmunis existat: nempe uacuatio sanguinis, in particula inflammata contenti. Cæterùm phlegmones quæ etiamnũ gignitur, est duplex curationis scopus: quippe quod ex ea generatum iam est, id profligare oportet, præsidio illius medicinæ partis, quæ morbos curat: quod uerò superest generandũ, inhibendum est prorsus, beneficio alterius, quam præcautricem uocamus. Porrò sanguis copiosior influit, alia quapiam, alijsúe particulis aliquando eum mittentibus, ac ea quæ phlegmone laborare incipit, recipiente: aliquãdo particula quæ affligitur, ipsum ad se trahente. Sanè quæ mittunt partes, aliàs uel copia superuacuũ, uel qualitate molestum: aliàs utroq; nomine succum propellunt. Quæ attrahunt, ea morboso calore trahunt. In doloribus, incipit quidem causa ab eo quod affligitur: sed quicquid est phlegmones, id superpositæ partes efficiunt. At uerò tumorũ omniũ, qui præter naturam sunt, uarietas, ex eius quod influit, natura nascitur. Vbi enim flatulenta materia uberior accessit, flatuosi magis tumores fiunt. Phlegmonæ magis similes, ubi sanguis: sicuti erysipelati, ubi flaua bilis: & œdemati, ubi pituita. Similiter scirrhosi, ubi uel crassus, uel uehementer lentus humor parti fuerit infixus. Cæterùm crassus humor quodammodo iam melancholicus est. Lentus autem, ex glutinosis prouenit cibis. Vbi igitur particula aliqua, phlegmone urgeri cœperit, uidendum est, an propter calorem aliquem, qui in illa præter naturam sit ortus, an propter dolorem uel ipsius, uel propinquæ alicuius partis, hanc ipsam cõtraxerit, quò scilicet adempta causa, phlegmone non amplius increscat. Dein proximè expendendum est, nunquid uicina aliqua pars sanguinẽ largius ad particulam phlegmone obsessam transmittat. Postea uerò, num totũ corpus plenitudine succorũ laboret. Siquidem superuacanea, quæ expelluntur à ualentioribus, ea semper in imbecilliores procumbunt. Vnde accidit, ut glandulosa corpora, imbecillima omnium cùm sint, facilè fluxiones ipsas recipiãt, tumoribusq; præter naturam (quos bubones appellant) celerrimè corripiantur, cùm aliàs, tum uel maximè, ubi propter magnã arteriam aut uenam, fuerit ulcus aliquod ortum. Quòd si scirrhosior earum partium phlegmone aliquando fuerit, hæc & curationi renititur, & struma uocatur. Ergo si uel totum corpus plethoricũ sit, uel prauo succo redundet, difficilis bubonum curatio redditur. Sin sanum planè sit, facilis. Quippe excalfacere & humectare modicè totum membrum, quò dolor mitigetur, oportet, lana quidem imbuta calente oleo, id circundantes: ipsi autem ulceri tetrapharmacum liquatum oleo rosacco, calidum, aut etiam Macedonicum pharmacum (quod solo thure tetrapharmaco præstat) ex linicinio imponentes: atq; insuper calidum cataplasma ex farina uel hordeacea, uel triticea, uel ambabus, aqua & pauxillo olei cõfusis constans, extrinsecus applicantes. Non secus uerò ipsi adeni, qui phlegmone urgeri cœpit, prima quidem die imponi debet lana oleo calente madẽs, sed citra salem. Cuius postea nõnihil indemus, ubi & tumor per totũ membrũ remissus fuerit, & ulceris dolor sedatus. At si uel plethoricum corpus sit, uel uitioso succo redundet, curatio per ea quæ sic calẽt, fluxionẽ ad mẽbrũ citat:

*Phlegmones generatio.*

*Phlegmones generalis curatio.*

*Tumorum præter naturã uarietas, pro differentia fluentiũ humorum nascitur.*

*Phlegmonem curaturo quæ sint consideranda.*

*Superuacanea expelli semper à fortiorib. ad imbecilliores particulas.*

*Glandulæ cur sint maximè obnoxiæ fluxionibus.*

*Struma quid.*

*Bubonis curatio.*

cogimurq; aliàs ſanguinẽ mittere, idq; aut uena inciſa, aut membris ijs, quæ læſa nõ ſunt, ſcarificatis. Manu etenim laborante, ſcarificabis crura. Altero crure malè habẽte, reliquũ. Has nanq; uacuationes indicat ipſa copia: ſicuti etiam ſuccorum uitium, redundantis ſucci purgationẽ. Sed quæ etiam græcè dicuntur phymata, glandulis, ſicubi fluxio in eas procubuit, citra ulceris occaſionem accidunt. Vbi ergo diſtentę uehementer glãdulæ ſunt, aut alia quæuis particula, quã premit phlegmone, cogimur, toto corpore prius uacuato, ipſam ſcarificare. Sanè uacuamus totũ corpus, etiam cùm mediocritatem ſuccorũ continet, ſi morbi magnitudo id ſuadeat. Siquidem dolor, & membri inflammati calor, etiam ſi purum ab excrementis ſit totum corpus, fluxionis cauſæ fiunt. Tunc tamen parcius uacuare expedit: idq; habita ratione ætatis, naturæ, anni temporis, regionis, ac denique conſuetudinis ipſius ægrotantis. At ubi iam phlegmones ipſe ueluti feruor ſubſedit, mitigatorijs emplaſtris dimiſſis, ad ea quæ digerunt, paulatim eſt tranſeundum. Ac primũ cum mitigatorijs ipſis paulùm mellis miſcendum. Mox triticea farina in totum eſt auferenda, contentus hordeacea cum melle uberiore. Deinde ad aliquod eiuſmodi digerentium medicamentorũ ueniendum, quæ uel humida conſiſtentia ſint, uel cerati ſpecie. A duris autem eſt abſtinendum: nam & phlegmonarũ reliquias contrahunt, & rurſus phlegmonem in ægra particula excitãt. Quòd ſi pus aliquod notabile in ſuppurante particula ſit contentũ, non expedit incidere protinus, ſed digeſtionem moliri medicamentis ad id ualentibus. Cùm autem quod ex phlegmone ipſa relinquitur, ſcirrhoſum effectum uidetur, fidenter iam ualentibus medicamentis uteris. Si quãdo ergo ægram partem medicamenti acrimonia irritatam uideris, mitigabis eam interea fomento, quod per ſpongiam adminiſtrabis. Id autem aliquãdo ex aqua dulci eſto: aliquando etiam ſal habente, ubi ſcilicet ſcirrhoſiores ſunt phlegmonæ. Sin aliquando puris copia medicamenta ſuperet, nec ea uideantur tibi totum digerere poſſe, quod ſic abſceſsit ſecare, eo potiſsimũ loco oportet, quo eſt editiſsimum: obſeruata interim effluxus indicatione: quippe tenuiſsimam illic etiam cutim inuenies. Poſt ſectionem uerò, medicamentũ aliquod, eorum quæ ſine morſu ſiccent, impone. Quòd ſi cõputruiſſe portio aliqua ſuppurantis partis uidebit, excidi eam eſt neceſſe. Sectio igitur qua utemur in ſuppurante particula, myrti imitetur folium, ſitq; planè nõ magna: quali nos ſemper cõtenti fuimus. Cæterũ cùm in tali inciſione longitudo maior q̃ latitudo ſit, eſto in inguine longitudo per tranſuerſum ducta, nõ autem per rectitudinem membri. Quippe ita dum membrũ inflectimus, naturaliter cutis ſibi applicatur. Poſt exciſam cutim, medicamento, quod mannã uocant, affectam partẽ implebimus. Eſt enim ea purgamentũ thuris, leui aſtrictione prędita: quo nomine etiam thure ipſo ad nonnulla utilior. Thus ſiquidem puris tantũ mouendi facultatem obtinet, utpote nullam aſtringẽdi uim habens. Magisq; id facit, quod pinguius ex eo eſt, & magis albicans. Sicuti quod magis eſt flauum, potentius ſiccat. Mannæ uerò, etiam corticis thuris paululum eſt admiſtum, unde aſtrictoriam uim habet. Ipſe autẽ cortex thuris, tum aſtringit, tum ſiccat inſigniter. Itaque eo ſolo utimur ad ſanguinis perfuſiones. Quinetiã mitigare prius inciſam partẽ oportet, fomentis primũ, dein cataplaſmate, mox humectante aliquo medicamine, aut nõ ſiccante, ſingulis ſcilicet extrinſecus impoſitis. Nam in ipſo ulcere tum mannam, tum pus mouentia, dein quæ expurgant, ſunt imponenda. Poſt quæ ſi cauitas etiamnũ adſit, quæ impleant adhibenda ſunt. Sin minus, ea quæ cicatricẽ inducant: ueluti quod ex cadmia cõficitur. Vtendũ uerò medicamentis id genus eſt prius, q̃ ulcus ad æqualitatẽ prorſus impletũ fuerit, ne ipſa fortè cicatrix circũpoſita ſit cute eminentior. Porrò ubi æquabiliter inter ſe ſucci omnes ſunt aucti, plethora, ſiue plenitudo is affectus uocatur. Vbi uerò uel flaua bile, uel nigra, uel pituita, uel ſeroſis humoribus refertum corpus iam fuerit, eum habitũ cacochymiã uocamus. Ergo plethora tum ſanguinis miſsione curatur, tum balneo frequenti, tum exercitatione, tum frictione: præterea digerentibus medicamentis, atq; etiam inedia. At ſuccorũ uitium, purgatione, quæ redundanti ſucco ſit accõmodata, corrigitur. Cæterùm ſi iam æger febricitet, nec exercitatione uacuare licet exuperantiam, nec unctione quæ calefaciat, ſed nec multa frictione, nec balneo: imò ſanguinis miſsione, unà cum inedia, uel purgatione aliqua. At ſi non febricitat, omnibus iam dictis utare, optimum quodq; ad id quod inſtat, deligens. Verùm cui crura laborãt phlegmone, ambulatione uel curſu exercitandus non eſt: ſed nec ſtare iubendus. Satius quippe eſt, ut ſedens fricetur plurimum, moxq; manuum motu exerceatur. At ſi quæ ex ſupernis partibus urgeri uideatur phlegmone, huic motus ex inambulatione aut curſu eſt admodum ſalutaris. Similiter & frictio ea tunc potior eſt quæ cruribus adhibetur, illis quæ in ſupernis partibus adminiſtrantur. Siquidem in omnibus talibus reuulſio debet fieri in contrarium. Neq; igitur cùm uel circa ſedem, uel aliquã huic partem uicinam, initium phlegmones incidit, aluum deijcies. Neq; cùm in ueſica, uel cole, uel renibus cœpta eſt, pharmaca quæ urinas prouocent, bibenda dabis. Nec ſi mulieri in utero, uel pudendo inſedit, mẽſes huic prouocabis, ſed ad partes quæ maximè longinquæ ſint, ſemper reuulſionẽ molieris, æſtimata tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius ſtatu. Nam ſi plurima ſuccorũ abundantia ſit, nec exercitatione, nec balneo ſine periculo utare. Sin exigua ſit, licet & per hæc uacues. Iam uerò, ſi phlegmone oborta ſit ab affectu partis quam uexat, primò quidem affectus ille ſanãdus eſt: mox quicquid ex phlegmone eſt genitum. Quæ ambo interim iiſdem præſidijs tolluntur. Cæterũ ad incipientes phlegmonas, frigidis aſtringentibusq; magis utendum eſt, quàm ijs quæ digerunt: atq; etiamnum magis, ubi craſſum quod confluit non eſt. Sed ſi ſanguis in inflammata particula uehementer impactus fuerit, nõ eſt amplius utendũ repercutientibus:

*Manu laborãte ſcarificanda eſſe crura.*

*Crure altero affecto, reliquum ſcarificãdum eſſe.*

*Phymata.*

*Phlegmone affectas particulas quando ſcarificare cogamur.*

*Vacuare quando ſoleamus corpus, etiam ſi mediocritatem ſuccorum cõtineat.*

*Fluxionis cauſa ſunt dolor & membri calor.*

*Phlegmone quãdo ſit digerẽda.*

*Phlegmones curationi aduerſari dura medicamenta.*

*Phlegmonem ſuppurantẽ non eſſe incidendam protinus, ſed digerendam medicamentis ad id valentibus.*

*Abſceſſus quando ſecandus ſit, & qua in parte.*

*Sectionis forma qualis eſſe debeat in ſuppurãte particula.*

*Inguinis ſuppurati ſectionem per trãſuerſum eſſe ducendam.*

*Mannã thuris bubonis ſecto inſpergendã eſſe.*

*Thus puri mouendo idoneum nullam aſtringendi vim habet.*

*Thuris cortex aſtringit & ſiccat.*

*Inciſas partes eſſe aliquo fomẽto circa inciſionem leniendas.*

*Vlceris in parte ſecta relicti curatio.*

*Cicatricẽ inducentibus medicamentis utendum eſſe prius, quàm totum ulcus prorſus impletum fuerit.*

*Plethora quid.*

*Cacochymia quid.*

*Plethora curatio.*

*Cacochymia correctio.*

*Crura phlegmone obſeſſa quomodo ſint curãda.*

*Phlegmone ſupernarũ partiũ quomodo ſit curanda.*

*Reuulſio debet fieri in contrarium earũ partium, quæ phlegmone vrgẽtur.*

*Phlegmonis incipientibus, frigida & aſtringentia magis quàm digerentia conueniunt.*

*Phlegmone quãdo ſint digerenda.*

cutientibus: sed tunc digerere est tempestiuum.

*Phlegmones à punctu morsúue animalis excita ta curatio.*

Quód si ex animalis punctu morsúue dolor incidit, à quo exorta sit phlegmone, duplex sanandi doloris ratio est, uel uirus ipsum uacuãdo, uel quod dolorẽ excitat, alterando.

*Virus à bestia relictum, qua ratione vacuandũ.*

Ac uacuabis sané id, eorum medicaminũ ope, quæ uehementer attrahunt: alterabis ijs quæ sunt contraria. Vacuant itaq; tum calfacientia omnia, tum quæ ad se citra calfactionẽ alliciũt: ut cucurbitulæ, & cornua quædã. Sunt qui & ore suo uirus extrahant. Huc pertinet & cauteriũ, & medicamenta quæ cauterijs similiter escharam efficiunt. Alterũ auxiliorũ genus est eorum, quæ qualitatẽ per contraria alterant.

*Medicationes variari pro laborantium particularum diuersitate.*

Variantur autem medicationes, pro laborantium particularum diuersitate. Vna quippe indicatio ex similaribus sumitur partibus, altera ex instrumentarijs. At ea quæ ex similaribus sumitur, modum calfaciendi, refrigerandi, siccandi & humectandi determinat. Quæ uerò ex instrumẽtarijs, tum locũ ipsum, per quem uacuare oportet, tum uacuationis rationẽ, tum uerò in similis speciei medicamentorum usu ipsum pluris minorisq; modum. Porró uacuationis indicatio in phlegmone, refrigerationis indicationem uincit, contrà q̃ in erysipelate.

*Erysipelatis curatio.*

In hoc nanq; refrigerationis indicatio magis urget, q̃ uacuationis: etsi ubi refrigeratũ erysipelas est, ad ea quæ digerũt medicamenta cõuertimur.

*Refrigerationis usus in phlegmone.*

At in phlegmone tantisper refrigerandum est, quatenus & ad incrementũ eius sistendum, inhibendumq; est cõmodum. Quippe refrigeratio repercutit id quod affluit, & ex eo quod in laborante continet particula, aliquid in proximas partes repellit.

*Calfacientia modicè, dolorem sedant, & cõtenta in parte inflãmata digerunt.*

Simili modo & quæ modicè excalfaciũt, utraq; interdum ratione prosunt: quód & dolorem sedent, & cõtenta in parte ægra digerãt. Siquidem mitigando dolorẽ, augeri phlegmonas uetant: digerendo, quod earũ iam conceptũ est, sanant.

*Hepatis inflammati curatio.*

Si iecur inflammationẽ contrahere cœperit, ac totũ corpus egeat inanitione, uirtusq; ualida sit, atq; æger pubertatẽ attigerit

*Pueri sectionem venæ non ferũt.*

(puer enim, quæ per dissectam uenam fit uacuationem non feret) pariter tum reuellendus, tum educendus,

*Sanguinem vacuari & reuelli ab hepate, secta interna dextri cubiti vena.*

qui ad ipsum fluit, sanguis est, interna in dextro cubito insecta uena: propterea quód & è directo, & ampla uia, cum uena quæ caua dicitur, societatem habet.

*Vena interna non apparente, mediam aut humeralem secandam esse.*

Hac nõ apparente, media secanda est. Quód si nec illa se ostẽderit, reliqua & tertia incidenda uenit. Ac modum quidem uacuationis, ex redundantiæ modo, ætate, natura, anni tempore, regione, consuetudineq;, atq; ante hæc, ipsa laborantis uirtute, inuenies. Venæ autem secandæ electio à parte laborãte indicatur.

*Reuulsionẽ esse moliendã quàm longissimè à tentata fluxiõe particula.*

In uniuersum autem, q̃ longissimè à tentata fluxione parte quod redundat reuellere, nequaquã ad eam trahere, conuenit. Hac ratione, nec si hepar, aut uentriculum, aut intestina phlegmone occupare iam cœperit, medicamine quod aluũ deijciat, uti conueniet. Eandem cum his indicationem & uterus sortitur, sicuti cum urinæ uasis pudenda. At uomitu uti pudibundis laborantibus, in diuersa reuellens auxilium est. Eadem ratione in omnibus quæ circa caput accidunt, alui subductio in contrariũ auertit. Si qua uerò circa fauces, & palatum, aut linguam, aut denique in ore phlegmone laborare cœperint, in his omnibus cauenda sunt, quæ pituitam per os euocant, Græci apophlegmatismos appellãt.

*Apophlegmatismos fugiẽdos esse, ubi partes oris sunt inflãmatæ.*

Satius nanq; tũc fuerit deriuare ad nares, incidereq; humeralem in manu uenã: uel, si ea nõ cernitur, mediam.

*Phlegmone occupante oris particulas, diuertendum ad nares esse, secandámque humeralẽ in manu venam, aut mediam.*

Vbi iecur, pectus, pulmo, aut cor sic afficiuntur, internã. In angina primas in manibus: secundas eas quæ sub lingua habent. At ijs quæ in occipite sunt afflictis, etiã eam quæ in cubito est, necnon eam quæ habet in fronte.

*Venæ secandæ ratio in iecoris, pulmonis, pectoris, cordis, fauciũ occipitis, renum vesicæ, pudendi, & vteri affectibus.*

Renibus uerò, & uesica, & pudendo, & utero sic habentibus, eas quæ in cruribus sunt sitæ, ac potissimũ quæ sunt circa poplitẽ. Sin minus, eas quæ sunt iuxta malleolum. Ac perpetuò quidem in omnibus, eam quæ è directo est. Vbi iecur phlegmone inuadit, quę in dextra sunt manu: ubi lienem, cõtrà. Itaq; statim prima uacuationis diuersitas pro particularum diuersitate uariatur: constatq; cõmunem, quód sit uacuandum, indicationem, nõ magis esse utilitatis quàm noxæ causam. Porrò ubi pectus, aut uẽtriculus, aut partes circa collum capútue laborant phlegmone, etiam excogitatũ est artus uincire. Quippe ipsum quod infestatur phlegmone, haudquaq̃ uinciendum est.

*Vincula non esse iniicienda inflammatæ particulæ, sed illi quæ opposita est.*

Sed si in manibus sit phlegmone oborta, crura. Sin in cruribus, manus. Iam uerò nec refrigerare inter initia, aut astringere, citra laborantis particulæ indicationem, utilitatis magis quàm noxæ sunt causæ. Nam particulis quidem quę iuxta artus sunt sitæ, tutò ministrare possis frigidam aliquam fomentationẽ.

*Iecinori, si phlegmone infestari cœperit, nihil actu frigidum esse applicandum.*

Iecinori uerò, si phlegmone infestari cœperit, non licet imponere actu frigidum, aut fomentum, aut cataplasma. Rursus astringens oleum, nec oculis, nec oris partibus admouebis, sicubi hęc tentari phlegmone cœperint.

*Auri inflammatæ nihil nocebis, vel si acetũ cũ rosaceo infundas.*

Auri uerò, etiam si acetum cum rosaceo infundas, nihil offendes.

*Victus pro partium ratione variatur.*

Victus etiam pro partiũ ratione uariatur. Quippe ijs quibus glandulæ, aut aliquid circa artus tentat phlegmone, tot & talia exhibenda sunt, quot & qualia facilimè concoquent.

*Victus iecori uẽtriculoq; inflammato cõueniens.*

At si iecur uentriculúsue infestet phlegmone (cùm munus eorum sit toti animali cõmune) uictu exquisitissimo est opus, qui uidelicet meatus aperiat detergeatq; citra rosionẽ, ac breuiter omnis tenacitatis sit expers: qualis utique in cibis est ptisana, & in pharmacis oxymeli, aqua distemperatũ.

*Dulcibus intumescit tum iecur tum lien.*

Cæterùm dulcibus omnibus tum iecur, tum lien intumescit. Iam uerò astringentia omnia, mala iecinoris phlegmonis sunt incõmoda, præsertim ijs quæ in cauo eius consistunt. Similiter ea quæ mordent, phlegmonas quæ in cauo sunt uisceris, q̃ quæ in gibbo cõsistunt, magis irritant. Iis quippe quæ in gibbis sunt, mutata iam ueniũt quæ assumpta fuerũt: & quód prius concocta sint, & quód sanguini, qui in iecinore prius erat, admista.

*Cauo hepatis phlegmone obsesso, venas mesaraicas similiter inflammari.*

Cauo autẽ iecinoris phlegmone obsesso, protinus etiã uenas quę in mesenterio sunt, unà phlegmone laborare est necesse, cùm ex uena portæ exoriant: pronnusq; etiam, quæcunque osculis earum incidunt, uim suam ostendere.

*Iecur phlegmone obsessum, cur mediocriter astringendum sit, per cataplasma mistæ materiæ.*

Porrò ubi iecur phlegmone obsessum est, mediocriter astringi per cataplasmata mistæ materiæ debet, quód altricis facultatis principiũ animalibus sit, & uenosum ab hoc exoriatur genus. Vt autẽ iecinoris cauum per aluũ

*Hepatis partes per quas vias, et quibus purganda remedijs.*

purgatur, sic gibba eius, per ea quæ modicè urinas mouent. Cuius generis apium existit. Procedente autem tempore, ubi phlegmone iam concoquitur, etiã ualentioribus uti licet: ut asaro, Celtica nardo, phu, petroselino, smyrno, & meo: sicuti etiam per uentrem uacuare, si cauum afficitur, cnico cibis admisto, & urtica, & mercuriali, & epithymo, & filicula: omnibus præterea quæ modicè aluum deijciunt. Magisq; in remissionibus, tum his ipsis audacius quàm antè utendũ: tum uerò quæ ijs sunt ualentiora, partim in ptisana incoctis, partim tunsis, ac in mollissimum puluerem redactis. Exhibenda uerò & hæc sunt uel ex ptisana, uel ex aqua. Ego nanq; etiam filiculæ aliquid in ptisana aliquando incoxi, & nigri ueratri corticem. Sed clystere etiam ipsos uacuare expediet: inter initia quidem, uel sale, uel nitro, uel aphronitro cum mulsa distemperatis contentis: in remissione uerò, potissimumq; si quid scirrhosum relictum è phlegmone est, etiã ualentiora medicamenta miscentibus nobis.

*Hepati obsesso phlegmone quales clysmi conueniant.*

Quippe hyssopum eo casu aquę incoquimus, & origanũ, & colocynthida, & minus centauriũ. Opportunissima nanq; ad scirrhum sunt iecur, lienq;, si quis, parum habita de his ratione, glutinosis cibis utaẽ. Etenim substantia lienis, tametsi rarior quàm iecinoris sit (est enim illis substantia lutosa) crebrius tamẽ scirrhosis uitijs affligitur, propter nutrimẽti, quo alitur, speciem. Siquidem crasso nutritur sanguine, qui ueluti limus purioris est, facillimeq; nigra bilis efficitur.

*Scirrho esse opportunissimũ hepar lienemq;.*
*Lienis substantiam quàm hepatis, esse rariorem.*
*Lien crasso nutritur sanguine.*
*Renes facile scirrhũ contrahunt*

Renes etiam facilè scirrhis deprehendi, atq; idcirco nephritidas alias omnino solui non posse, alias ægrè solubiles esse, ratio docet: cùm & crassa substantia sint, & nõ careant excrementorũ uitio. Quo fit, ut qui crassi succi cibis uescunẽ, calculi uitio uexentur. Medicamina igitur horũ affectuum ea esse constat, quæ dissecent, dissoluãt & frangãt: quæ utiq; ex eorum sunt genere, quæ obstructiones eruunt atq; detergent: cæterũ uiribus ualentiora. Curationẽ autem una coindicant, uirtus, natura, ætas, anni tempus, regio deniq;, cõsuetudoq;.

*Calculos quæ soleant gignere.*
*Calculis quæ medicamenta congruant.*

*Hepatis inflammati curatio.*

Iecinore itaq; laborante phlegmone, quæ extrinsecus applicanẽ, ea mistæ esse facultatis esse debent: idq; non in generatione phlegmones modò, sed etiã cùm nec affluit amplius quicq̃, nec repelli quod in laborante particula cõtinetur, potest. Quo quidem tempore duplex nobis indicatio suggeritur: altera quidem à phlegmone, sui euaporationẽ poscente, nimirũ digerentia: altera uerò ab affecta parte, quæ per astringentia robur eius seruari iubet. Quare coëuntibus unà contrarijs indicationibus, compositum quoq; esse medicamentũ oportet: nempe astringens simul atq; relaxans. Verũ tuendi roboris indicatio, in ijs tantùm partibus est cõmunis, quarum munus ex usu est uniuerso corpori.

*Lien nutritur ex melancholico sanguine, quem expurgat ab hepate.*
*Lien obstructũ, aut inflãmatũ, qualia medicamenta postulet.*

Igitur nec lienem tantũ relaxantibus curare oportet, cùm hic quoq; ex iecinore quicquid limosum & melancholicũ est expurget, propterea scilicet, quòd ex eo humore nutritur. Idcirco quoties obstructio aut phlegmone, sed pręcipuè scirrhosa, in eum incidit, tum ea quæ obstructiones eximant, tum quæ dissecent, uehementiora exigit. Nam quale medicamentum iecinori absynthium est, tale est lieni capparis cortex. Quale rursus iecinori est eupatoriũ, tale scolopendriũ lieni. Siquidem similia genere medicamẽta, quẽadmodum & nutrimenta, ambo uiscera postulant: cæterùm tantò ualentiora & acriora lien, quantò crassiore utitur alimento. Iam uerò cùm gibba iecinoris expurgari per renes oporteat, sicuti caua per inferiorem uentrem: lieni sanè per renes nulla administrari potest uacuatio, sed tantummodo per intestina. Proinde ubi phlegmonę premiẽ, deiectorijs ipsum medicamentis tum detergemus, tum lacessimus, quò demittat deponatq; superflua.

*Lien heparq; similia nutrimenta & medicamẽta requirunt.*
*Lien crassiori utitur alimento quàm hepar.*
*Hepar per quã regionem vacuetur.*
*Lien per intestina vacuatur.*

Est autẽ duplex ratio eiusmodi medicamentorũ usus. Nempe, ubi partes superius sitæ laborant, per ea quæ eduntẽ bibunturq;: cùm inferiores, per id quod fit per clysterem infusum. Quando quidem quæ eduntur ac bibuntur, eorum uis, anteq̃ ad inferiores partes perueniat, resoluitur. Quæ infusa sunt, ea omnino ad ieiunũ usq; ascendere nequeũt.

*Clysmos non posse usq; ad ieiunũ ascendere.*
*Gula affecta, cataplasma esse applicãdum super spinã dorsi.*

Porrò gula (quæ stomachus propriè uocatur) affecta, cataplasmata super dorsi spinam imponimus: nõ autẽ in anteriori parte: quod facimus, ubi phlegmone os uentriculi urgetur. Siquidem spinæ gula superiacet, per collum & pectus deorsum usq; ad uentriculum exporrecta. Iam quemadmodũ lien & iecinoris caua, per intestina: gibba illius & renes per urinas purgãtur: sic pectus, ubi interna eius tentantur phlegmone, per succingentem membranam, aliquid in mediũ sui pulmonumq; spacium transmiserit. Id autẽ expurgari per eandem qua pulmo uiam debet.

*Pectus per quã regionem purgetur.*
*Pectori phlegmone obsesso quæ medicamẽta conueniant.*

Propitiãda igitur ijs qui sic affligũtur, sunt, quandiu quidẽ ipsa inualescit phlegmone, medicamẽta quæ mediocriter uias aperiant, & crassos humores dissecent: ut ptisana & mulsa: in exquisita autẽ declinatione phlegmones, dum educi iam excrementa postulant, quæ id ualentius moliantur: ut urticæ semen, & mulsa, in quam fuit cõiectum paululum acrium herbarum: quales sunt, origanum, hyssopum, calaminthe, pulegium, & Illyricæ ireos radix. Oxymeli etiam quod ex marrubio cõficitur, crassiora pectoris pulmonisq; excrementa incidere potest.

*Inflammatiões altius sitæ, cur paulo medicamenta acriora postulent, quàm pro ipsarum ratione.*
*Cucurbitula quorsum inuẽta*
*Cucurbitula quando utenda*

In uniuersum autẽ quæ in alto corpore affliguntur phlegmone, eæ partes paulò acriora, q̃ pro phlegmones natura, medicamenta desiderant. Resoluuntur siquidem eorũ uires, dum altè descendunt. Hac ratione & cucurbitula (strenuum planè auxilium) est inuenta, tum ut foras euocentur quæ sunt in alto, tum ut eximãtur & eruantur, quæ iam in scirrhum abeunt. Verùm utendum cucurbita in ipsa parte quæ phlegmone urgetur, inter initia non est, sed posteaq̃ uniuersum corpus uacuaueris, *atq; ex usu iam esse uideatur, eorum quæ in inflãmata particula continentur, aliquid aut uacuare, aut uersus exteriora reuellere. Proinde ubi affectus *etiamnum in generatione consistunt, minimè ipsis membris quæ laborare incipiunt, sed ijs quę continua his sunt, cucurbita imponi debebit, auellendi in cõtrarium causa. Sic nanq; ad mamillas cucurbitas imponimus, cùm sanguis ex utero profluit, defixo maximè in ipsis cõmunibus pectoris & uteri uasis, eius ore. Sic si è naribus sanguis profunditur, præcordijs maximas cucurbitas affigimus.

*Cucurbitula quorsum ad mãmas affigi soleãt*

Sic &

*Cucurbitulas sanguinē à parte revellere, atq; ad ipsam si fuerit opus, attrahere.*

Sic & omne aliud sanguinis profluuium, ad contrarium per communes uenas auertimus: quemadmodum rursum & sanguinem (si ita est opus) attrahimus. Siquidem quum menses euocare in animo est, pubi & inguini cucurbitam affigimus.

*Cucurbitula pubi affixa, menses evocat: oculorum autem fluxiōes revellit occipiti admota.*

Ad hæc, in occipite cucurbita defixa, efficax est remedium ad oculorum fluxiones. Vacuari tamen prius totum corpus expedit. Nam si refertum sanguine corpus sit, in quacunque parte capitis cucurbitam defixeris, totum ipsum implebis.

*Cucurbitula nō esse vtendū prius, quàm vniversum corpus vacuetur.*

Aduerte autem, ubi dicimus, astringere incipientē phlegmonem esse opus, non quodlibet astringens in ijs quæ deuoranda sunt, exhibendum esse: sed ea tantùm, quibus nulla corruptrix admista uis insit. Nam chalcanthus inter præcipua astringit: sicuti etiam misy, & sori, & chalcitis, & diphryges, & æs ustum, & squama eius, & flos. Verùm hæc medicamenta, noxia deuorata sunt: quocirca stomaticis ea miscere tutum non est. Defluit nanque interdum ex his aliquid ad uentriculum.

*Aloën miscendā non esse medicamentis quæ gratia phlegmones propinantur, nisi alvū velimus deijcere.*

*Alvū intò emollientia.*

Sed nec aloën probè miscueris ijs medicamentis, quę phlegmones alicuius causa, quæ intus constiterit, deuoranda sunt: quandò huic quoq; purgandi uis quædam inest. Cæterùm ubi phlegmone prorsus inclinauerit, si quis paululum aloës admisceat, deijciendi uentris gratia, qui prorsus non deiecerit, nihil lædet. Quanquam satius fuerit mercuriali, ut urtica, aut cnico, aluum sic laborantium subducere. Admodum itaque necessaria est indicatio quæ à particulis sumitur. Quæ nec ipsa sat est ad curandos morbos, nisi etiam methodos de medicamentis didiceris. Vt autem ad affectus capitis iam nostra reuocetur oratio, oxyrhodinum quo caput phreniticorum perfundimus, sanè uniuersos redarguit, quicunque principem animæ partem in corde statuunt. Siquidem per id genus affectus, nō capiti, sed pectori præsidia admouenda essent.

*Lethargus est affectus contrarius phrenitidi.*

*Animam rationalem cōsistere in capite.*

Atqui non in phrenitide modò, sed in lethargo etiam (quod uitium illi contrarium quodammodo secundum speciem existit) uniuersi applicant ipsa remedia capiti, in quo scilicet princeps animi pars residet. Ergo quum humor qui in capite redundat frigidus est, insensibilitas immobilitasq; hominem opprimunt: quum uerò calidus est, perpetuus potius motus, unà cum rationis noxa.

*Principis animæ facultatis singula symptomata vnde proficiscantur, & qua ratiōe sint curanda.*

Accidit enim segnitia ex frigore: ex calore, immodicus motus: ex humoris uerò uitio, dementia. Igitur in eiusmodi affectibus, si uirtus ualida sit, ac nihil aliud prohibeat, ut crudi humoris copia, uel ætas puerilis, uel anni tempus, uel regio in qua sit extremus calor, uel frigus, statim ab initio uena tundenda est. Atq; hoc quidem commune utriq; uitio, & ei quod cum sopore, & ei q̃d cum uigilijs incidit.

*Oxyrhodinum quib. conveniat affectibus.*

Commune præterea utriusq; est, ut oxyrhodinū in principio admoueas. Nam repellendus à capite humor est, quisquis is fuerit. Quæ sequuntur, contraria sunt. Nam quæ cum uigilijs coniuncta sunt, ea lenire expedit: quę cum immobilitate, excitare. Iure ergo quum in summo incremento sunt, ijs uitijs quæ peruigilio & delirio infestant, perfusiones ex papaueris capitibus applicabimus.

*Affectuum qui cum peruigilio & delirio infestant, curatio.*

*Affectuum qui cum sopore invadunt, curatio*

Odorem quoq; naribus obijciemus: ac narium alas intus, uel frontem ex similibus medicamentis illinemus. Quippe sopire, ac stupefacere principē facultatem oportet, cerebrū scilicet, quod supra modū incaluit, refrigerando: in contrarijs autē uitijs excitare: ac noxij humoris, qui citra putredinem, & citra febrim, altos sopores inuehit, crassitudinem incidere, excalfacereq;. Tales nimirum altos sopores, Græci apoplexias, caros, & catochas appellant.

*Lethargus quid*

Quòd si quando humor putrescat, utiq; cum febri incidunt ea genera, uocaturq; morbus græcè lethargus. Incoquentes igitur in aceto thymum, & pulegium, & origanū, aliaq; id genus, naribus sic affectorū admouebimus, quò uapor sublatus ad cerebrū, humoris crassitudinē dissecet. Mox etiā palatū ualentibus & acribus medicamentis ungemus. Ab his uerò etiā sternutamentis utemur: tum capiti similes præsidiorū facultates imponemus, adaucta semper eorū, etiā ad ipsum usq; sinapi, uehementia, si uitiū diu perseueret. Quinetiā cucurbitis ad utrūq; uitiū, si diutinū sit, utemur: itemq; castoreo, quippe quod ipsum probè cōcoquit, debitè administratū.

*Coronali suturæ esse applicanda medicamenta, quorum vim exactè ad cerebrum descendere volumus.*

Quoties aūt medicamenti alicuius uim exactè ad cerebrū descendere uoles, ad coronalē uocatā suturā (cuius plurima diuersitas in hominibus est) id applicabis. Nam præter reliqua, tenuissimū, & rarissimū eo in loco est craniū. Commodius etiā fuerit, si & cum infrictione id facias, aut tonsis capillis, aut etiā planè abrasis.

*Capiti instituta fomenta humido, esse illidēda ab alto.*

Quòd si humidū sit quod applicandū est, si id ex alto effundas, ac ueluti fontis ritu illidas: quippe penitus intrò ab ictu magis impellit. Sicuti aūt hic uehementior humoris casus cōducit, ita in oculis aduersat. In capite nanq; insensile os est quod ferit: in oculis mēbranosa quædam & imbecilla, maximeq; sensilia corpora. Et in capite quidē, aliud est q̃d ictū excipit, aliud quod curat: quodq; ut ictū non sentit, ita facultate, quæ ex incussu ad ipsum peruenit, fruitur. At in oculo, quod est curandū, idem ualenter feritur. Quare infundere huic sensim medicamenta, liquata humoribus mitissimæ facultatis, oportet, attollentes palpebrā superiorem blandissimè.

*Oculorum phlegmonas iuvat albumen oui.*

Meritò autem cōmendatur ad phlegmonem oculorum, ex oui humore, id quod tum glutinosum est, tum minimè mordens. Cæterùm quæ terrea corpora ocularijs medicamentis miscenda sunt, ea læuigari exactissimè debent.

*Oculorum dolor vnde exoriatur*

Dolent porrò uehemēter oculi, aut ex uehemēti acris confluentis humoris morsu, aut quòd eorū tunicæ plenitudine distendantur, aut propter crassorum humorum, flatuosiue spiritus extensionem.

*Oculorum morsus curatio.*

At morsum quidem, tum purgantibus medicamentis, deorsum nempe reuellendo, & uacuando, curare conuenit: tum ipsi particulæ oui humore infuso, quò per eum acris fluxio sine offensa eluatur.

*Oculorum inflāmationis quando, & cur balneum cōducat.*

Vbi autem concocta iam ipsa phlegmone fuerit, & simul corpus uacuatum, tum utique lauationes in balneo his sunt aptissimę. Nam & dolorem statim sedant, & fluxionem quæ ad oculos fertur, sistunt, maxima quidem eius parte inter lauandum per totum corpus excreta, reliquo uerò contemperato.

*Oculorū distentionis à plenitudine curatio.*

At distentionem quæ ex repletione prouenit partis, missione sanguinis, & alui deiectione, & infernarum partium frictione, curare conueniet. Quòd si necessitas aliquando urgeat, etiam ligandis artubus: mox fomentis ex aqua dulci modicè calida, laboranti particulæ adhibitis.

*Oculorum à flatulenta substantia extensorum curatio.*

At humorum, uel flatuosi spiritus extensiones curabimus, uacuato prius in his quoque toto corpore: sed & humorum momen-

to auerso deorsum. Moxlocalibus remedijs utendum: non tamen medicamentis ijs quæ repercutiant, ac reprimant, sed potius ijs quæ discutiant.

*Fœnogræci decoctum oculorum tensioni confert.*

*Digerentibus nõ esse vtendum fidenter priusquã vniuerso corpori, aut parti quæ excrementũ trãsmittit, consultũ fuerit.*

Igitur fœnogræci decoctum ijs infundendũ est: quòd omnium maximè sine offensa digerat. Verùm tum reliquos morbos, tum phlegmonas, sicubi curas, nullo euaporante auxilio prius fidenter utêris, quàm totum corpus, aut pars quæ excrementum transmittit, uacuetur, aut contrarijs qualitatibus alteretur, si aliquam intemperãtiam sortiatur, quæ ipsius fluxionis existat causa. Sic enim diutinas oculorum fluxiones curamus, oculis ipsis dimissis, atque ad capitis custodiam conuersi. Plurimum autem uel frigida intemperies caput uitiat, uel humida: nec dubium est, quin etiam ambæ congrediantur. Rariores sunt, quæ propter calorem, acrem oculis fluxionem immittũt. In quibus oleo crudo, & Hispano, & rosaceo, uti expedit: tum frequenti ex aqua dulci in balneo lauatione.

*Oculis vasa adiacentia præcidenda tunc esse, dum imbecilliora reddita, aliorum vasorũ excrementa recipiunt.*

Quòd si arteriç, uenæúe quæ iuxta oculos sunt, imbecilliores sint redditç, adeò ut aliorũ uasorum superuacua recipiant, aliqua earum parte excisa, aut etiam totis abundè altè præcisis, dura cicatrice quod interest intercipiemus. Cæterùm in reconditis uasis hoc fieri nequit, ac proinde eorum uitia ægrè curationem recipiunt.

*Vasa conspicua posse absq; chirurgia corroborari, illitis medicamentis quæ robur inferant.*

Vasa uerò conspicua, uel absque chirurgia licet corroborare, illitis medicamentis quæ robur inferant. Est & quando calidus sanguis, ac uaporum plenus, ad caput ascendit, ac maximè in arterijs redundat. Cui uitio saluberrimum est remedium, ut eæ incidantur arteriæ, quæ circa caput & calidiores apparent, & maiorem exhibent pulsum. Quæcunq; uerò & paruæ, & prope cutem resident, harum uel si partem aliquam excideris, uelut facere in uaricibus crurũ solemus, aptius erit.

*Vasa excidendi ratio.*

Quòd si inter nudandũ appareat tibi uas magnũ, aut magnũ exhibere pulsum, tutius fuerit uinculo id prius excipere, mox quod in medio est, prçcidere. Sunto autem eiusmodi uincula ex materia aliqua minimè putrescibili, potissimum si ijs arteriæ sint excipiendæ. Etenim quæ caro in abscissis uasorũ partibus coalescit, ea pro operculo est, atque ipsorum oscula cludit. Quod quidem ubi factum iam cernimus, decidere tunc tutò uincula possunt.

*Varices qua ratione curentur.*

Ac sic etiam uarices curamus, quç dilatatæ sunt uenæ, potissimũ circa crura & testiculos.

## GALENI PERGAMENI DE methodo medendi lib. XIIII.

*Erisipelas vnde gignatur.*

*Erysipelas quomodo à phlegmone differat.*

HAud longè uerò abest à phlegmone alius morbus erysipelas dictus: qui quidem ex succo bilioso ortus, tumorẽ calorẽq; cum illa sortitur communem. Dissident inter se tamẽ affectus ij, primùm maximèq; colore. Quandoquidem si is ruber sit, uitium uocatur phlegmone. Sin pallidus, flauúsue, uel ex pallido flauoq; colore mistus, erysipelas.

*Phlegmones generatio & symptomata.*

Præterea pulsatio est magnæ phlegmones proprium symptoma: quippe quç copioso sanguine in aliquam particulam procumbente, orta, altè magis in corpus dimittitur: inibiq; dolorem pulsatilem, cum tensione & renixu excitat. Erysipelas uerò in cute potius consistit, ob tenuitatem ipsius pallidæ bilis. Ac corpore quidem pro naturæ modo se habente, amaræ bilis succus exhalat insensibiliter. Vbi uerò is uel longè copiosior, uel crassior, quàm pro modo naturæ, redditus, uniuersus ad cutim compulsus fuerit, eam tum perurit, tum in tumorem attollit, aliquid etiam subiectç partis occupans.

*Erysipelas quid.*

Hic itaq; affectus erysipelas nuncupatur. Qui quidẽ interdum cum exulceratione supremæ cuticulæ accidit, ubi scilicet bilis ipsa crassior simul atque acrior existit. Interdum autem sine hac incidit. Vbi uerò nec planè biliosa, nec sanguinea fluxio est, sed ex ambabus conflata: utiq; ab eo quod in miscella exuperat, nomen tumori indatur, dicaturq; de eo id quod præpollet, sic ut uel phlegmonẽ erysipelatosam affectum ipsum uocemus, uel erysipelas phlegmonosum.

*Phlegmone erysipelatosa.*

*Erysipelas phlegmonosum.*

Cçterùm ubi neutrũ uincit, ibi uitium phlegmones erysipelatosq; medium uocet. Ergo omnibus qui sic præter naturam consistunt tumoribus, cõmunis indicatio uacuatio est: quæ nimirũ administrat dupliciter: una repellentium ad alias partes, altera per halitum digerentium.

*Euacuatio in tumoribus præter naturã, duplex.*

At quouis erysipelas nõ quantitate modò affligit, sed etiã ob uehementẽ inflammationem qualitate ipsa cruciat, requirit ampliorem refrigerationem quàm phlegmone. Cauendũ tamẽ est interim, ne in princeps aliquod membrum ipsam bilem repellas.

*Erysipelatis curatio.*

Ac proinde, quemadmodũ in phlegmones curatione, post totius corporis uacuationẽ auxilijs repellentibus utimur, sic facies in erysipelate: sed pro sanguinis missione medicamento quod bilẽ trahat purgãs, ipsam uerò afflictam partem refrigerans. Cuius sanè refrigerationis terminus esto, ipsa coloris mutatio.

*Erysipelatis refrigerãdi terminus sit ipsa coloris mutatio.*

Etenim quod purũ erysipelas est, statim cum hoc conquiescit. Quod non purũ, sed quodammodo phlegmonodes, si plusculum refrigeres, liuidã cutim præfert: nigricatq;, si magis. Quamob rem satius fuerit, ubi laborãtis particulæ alteratũ colorẽ uideris, à refrigerantibus astringentibusq; ad cõtraria trãsire, prius quàm uel liuida uel nigra prorsus fiat.

*Erysipelati refrigerãdo medicamenta idonea.*

Refrigerant porrò, solanum, semperuiuũ, portulaca, umbilicus ueneris, psyllium, altercum, lactuca, intybum, palustris lenticula, cerata ex aqua admodum frigida, & alia id genus. Vbi uerò inflammatio ægrotantis membri iam desijt, cataplasma illi, prius quàm liueat, ex hordei farina imponendum. Quòd si liuor iam occuparit, id incisa prius cute imponatur, perfundendusq; locus plurimum quidem ex aqua calida. Sed & marina aqua, & muria conducet interim. Quinetiã ipsi cataplasmati eiusmodi aqua, uel acetũ, uel oxalme misceatẽ. Nullũ aũt ualẽter calfacientiũ est medela erysipelatis, prius quàm id quod mutatẽ, desinat esse quod antea fuerat, atq; alterũ iam, illiq; cõtrariũ, euaserit.

*Erysipelas œdematosum vnde accidat.*

Interdũ etiam erysipelas miscetur œdemati, diciturq; erysipelas œdematosum: quemadmodum ubi ex nimia refrigeratione durum ægreq; solubile est redditum, erysipelas scirrhosum uocabitur. Quod igitur ad curationem pertinet, potissimum contra exuperans est pugnandum, non neglecta interim altêrius indicatione. Sicuti autem ex biliosa fluxione erysipelas, ita ex pituita constat œdema, existens laxus quidam tumor & indolens.

*Oedema est tumor laxus et indolens, ortus à pituita.*

Qui quidẽ in aquæ inter cutim dispositionibus, necnon in phthoẽ, solet etiam pedes affligere. In illis tamen affectibus, quum talis tumor symptoma sit, nullam seorsum propriã curationem requirit. Nam satis erit tunç perfri-

*Oedematum curatio.*

care

care crura, aliàs oxyrhodino, aliàs oleo cum sale, aut etiam oxyrhodino sal habente. At si ex pituitoso humore in particulam influente œdema constitit, abundè aliquando satisfacit spongia recens, potabili oxycrato madidata. Deligare uerò ipsam debes, ab inferiore parte incipiens, ac suprà desinens. Si recentis copia non sit, antiquam detergebis, expurgabisq́ nitro, aphronitro, & aqua lixina. Quòd si sic œdema non subsidat, ubi rursus deligabis, pusillum aliquid aluminis cõijcies, ac nouam spongiam admouebis: aut etiã ellychnion molle, madensq́ ex posca, quæ aluminis nõnihil receperit. Sit autem arctatio mediocris, ueluti in ossis fractura. Ac primæ quidem fasciæ iniectiones, quæ scilicet infernè incipiunt, magis arctandæ: quæ deinceps sunt, sensim remittendæ. Idoneum etiam medicamentum ad hæc est glaucium ipsum, liquatum in posca: nostrũq́ medicamen, quod ex eo conficitur: quodq́ non œdemata modò, uerùm multò etiam magis tum erysipelata, tum phlegmonas incipientes sanat, ac potissimum calidas. Porrò scirrhosis affectibus (qui à glutinosis, aut crassis, aut utriusque rationis participibus humoribus trahunt ortum) nullum uehementer excalefaciens, siccánsue medicamentum est aptum. Nam quæ eiusmodi sunt, digerunt quidem subtilia: quod uerò reliquũ est, multò magis impingunt. Qua ratione etiam calculi gignunt in renibus, asso scilicet in his crasso glutinosoq́ succo. Quare ea tantùm sunt admouenda tumoribus induratis, quę molliendo digerere possunt: cuiusmodi sunt, tum cerulna medulla, rum uitulina, tum seuum hircinum, taurinum, & leoninum. Ad hæc, ammoniacum thymiama, & bdellium utrunq;, sicuti etiam styrax. Sed ex his, humentiora sunt præferenda. His igitur attentus indicationibus, etiam complicatos affectus sanare poteris. Cæterùm si tendones & ligamenta indurata fuerint, aliquid incidentiũ emollientibus admiscere oportet: cuiusmodi uel in primis acetum est. Equidem pyriten lapidem, aut molarem, sed candentem, in aceto quam acerrimo extinguere soleo: dein scirrhosum ligamentum, uel tendonem exponere, ut calentem uaporem excipiat, in eoq́ dimoueatur. Postea uerò medicamẽ quod emolliat impono, oleoq́ aliquo tenui, à principio curationis, particulam laborantẽ perfundo. Itaq; curatio quæ per acetum administratur, utilis est uitio iam adulto: & quum pręparata iam sub mollientibus pars fuerit. Ad ligamenta autem & tendones, nec sæpe, nec inter initia, nec longo tempore, medicamentis quæ ex aceto componuntur utendum est: quamuis in liene & carnosis musculi partibus tutus eius sit usus. Ac ammoniacum quidem thymiama liquatũ aceto, ad luti scilicet crassitudinem, complures lieni imponunt: idq́ solum ei curando sæpe fuit satis. Induratis etiam musculis, ubi emolliri per alia medicamenta iam fuerint, ammoniacum aceto liquatum maximi usum præstat. Sufficit autem eo uno alteróue die usos, rursus ad emollientia reuerti. Ego uerò medio tempore cataplasmate ex althea sum usus. Cuius radix seuo anserino, aut gallinaceo, aut suillo liquata, salutare ad emolliendos scirrhos medicamen existit. Syluestris quoq; maluę, quę passim nascitur, folia, cum supradictorum aliquo tunsa pro

*Alumen œdemata discutit.*

*Glauciũ & diaglauciũ, œdemata, erysipelata, & phlegmonas sanat.*

*Scirrhis non conueniunt medicamenta uehemẽter calfacientia & siccantia.*

*Calculi quomodo generentur.*

*Scirrhis sunt admouenda, quæ molliendo digerere possunt.*

*Induratos tendones qua ratione oporteat curare.*

*Aceti usus quãdo induratis cõferat.*

*Ammoniacum aceto liquatum lienis indurato conducit. nec aliter induratis musculis.*

*Althea radix seuo anserino liquata, salutare ad emolliendos scirrhos medicamen existit.*

ficient. Meliora tamẽ crudis sunt, quæ modicè ante sunt cocta. Variat itaq; curationis modus pro differentijs particularũ. Quippe laborãtibus præcordijs œdemate, nemo ex posca frigidã applicuerit spongiam: nec absynthiũ oleo incoquens, genu quisquam perfudit. At iecinori ægrotanti & lieni, cum maxima utilitate adhibetur. Vocat igit scirrhus impręsentiarũ tumor durus & indolens, nõ tamen omnino absq; sensu. Talis enim nõ est sanabilis. Reliqui omnes, sicuti ęgrius sensilẽ ipsam partẽ affectã reddũt, ita omnino insensibilẽ nõ efficiũt: utiq; si sensilis sit natura. Ligamẽta nãq; scimus insensilia esse. Sed iam ad inflationes nos cõuertamus, quæ quidẽ ex flatuoso spiritu in aliqua cauitate collecto oriunt. Differt aũt inflatio ab œdemate, quòd ille tumor sit laxus & digitis cedẽs, utpote à pituita exortus: inflatio aũt maximè renitatur tangenti, sonitumq́ ueluti tympanũ reddat. Scopus autem omnium inflationũ communis est, ut quod præter naturam est, uacuetur, in quocunq; id contineat: proprius uerò, ut tenuissimis & calidis potestate medicamentis. Atque in uentriculo quidem, inflatisq́ uisceribus, oleum quod tenuium sit partium, quodq́ rutam habeat incoctam, aut semen cumini, aut apij, aut petroselini, id præstabit. Aliquãdo uerò & cucurbita magna bis terue sine incisione medio uentri affixa. At in artubus & musculis, qui sub cute, aut etiam membranis quæ ossa uestiunt, sunt, inflatione orta, si citra dolorem sit, lixiuium noua spongia exceptum, abundè fuerit. Sin dolor quoque urgeat, ungenda pars est oleo, quod relaxandi, remittendiq́ uim habeat. Musculi uerò simul & inflati & dolentes ob contusionem, satius est, ut in principio sapa cũ uino & aceti pauxillo, mediocriq; olei portione, omnibus unà modicè calfactis, atque lana succida exceptis, foueant. Quòd si succidæ facultas nõ sit, ipsius œsypus inijciendus supradictæ miscellæ est. Ceratũ etiam quod ex œsypo componit, ad idem non inidoneũ fuerit. Debent enim contusi musculi leniri medicamento, cui mista facultas sit, quæ simul concoquat, digerat, & modicè astringat. Quandoquidem si nihil astrictionis sortiat, auget aliquãdo phlegmonas, præcipuè in ijs corporibus, quæ sunt plethorica. Igit si dolor uehemens urgeat, mitigatiua magis medendi ratione utẽris. Sin uerò ille absit, maiori ui contra inflationẽ instabis, per ualentiora medicamenta: cuiusmodi sunt lixiuiũ, acetũ, & post hæc, uinũ. Quoties ergo de mitigando non laboras, illorũ plus in misturam conijcies. Rursus ubi repellere studes, uini nigri, austeriq́, plus quàm ipsorum, immittes. At si digerere malis, lixiuij plus indes. Acetum uerò si his miscebis, ad ambo erit utile, propterea quòd mistas habet facultates. Quòd si musculus prorsus sine dolore sit, licet in lixiuij penuria, pro illo aphronitrum immittere, idq́ minimè lapidosum, sed spumosum magis. Inflationes aũt inueteratas, primò quidem aliquo ex ijs quę ex lixiuio constant, souebis. Secundò uerò strigmentis gymnasiorum feruefactis, & mox colatis, pollinem calcis uiuæ inspergito, usq; ad crassitudinem luti, ac tandem cataplasma id affectæ sedi admoueto. Salutare etiam his medicamẽ est, quod ex sycomoro conficit. Est & alius inflationis affectus, priapismus dictus: quo detentis,

*Curationis modum variari, pro differentijs particularum.*

*Scirrhus quid.*

*Ligamenta esse insensilia.*

*Inflatio ab œdemate quomodo differat.*

*Inflationũ scopi.*

*Inflationes viscerũ quomodo discutiantur.*

*Cucurbitula flatus discutiendo est idonea.*

*Lixiuium ex spongia applicitũ, extremarũ partium flatus discutit.*

*Musculorum cõtusioni quæ conferant.*

*Oesypus.*

*Contusis musculis medicamenta qualia nam esse debeant.*

*Acetum mistas facultates sortitur.*

*Inflationes inueterata qua ratione curandæ sint.*

*Priapismus quid.*

uel inuitis, pudendum arrigitur. Etenim quum neruus propriã colis substantiam constituens, natura cauernosus existat, ubi halituoso spiritu implet, eiusmodi affectum excitat. At halituosus spiritus in animalis corpore gignit, ex succis sensim excalfactis.

*Halituosus spiritus gignutur ex succis sensim excalfactis.*

*Priapismi curatio.*

In primis ergo ea uacuatione uniuersum uacuandũ est corpus, quę maximè uidebitur ex usu fore ægrotanti. Dein uerò imponendũ ipsi laborãti particulæ medicamentũ est, si ea calidior sit effecta, quod ad portionẽ caloris abundantis refrigeret. Sin aliter, inter initia quidem, omnino quod modicè refrigeret: postea uerò id necessum non est. Pari modo & quæ circa lumbos sunt particulæ omnes, eiusdem facultatis medicamento cõprehendendæ sunt. Etiam reliquus uictus exhibendus, qui & flatui aduersetur, & siccet. Equidem quendam adolescentem sic affectum curaui, primùm quidem sanguine misso: dein cerato, facto ex rosaceo simplici, imbutoq́ aqua frigida, pudendo ac lumbis imposito. Simili modo & alium, qui post missum sanguinem, humido medicamento, quod ex chamæmelo conficitur, est usus. Porrò istis etiam nymphęæ aliquid potandum exhibeo, saltem in principio. Mox uiticis semen: ac si traxerit adhuc uitium, rutæ semen copiosè comedendum.

*Nymphæa.*

*Viticis semen.*

*Rutæ semen.*

Est enim illud commune præceptũ omnium fermè, quos uitiosus succus creat, morborum, quòd in fine calfacientibus & siccantibus sit utendum: quippe hæc, quod reliquum humoris est, prorsus absumunt. At uerò maximè tumefactam cuiusdam linguã curauimus, cataporijs ex aloë, scammonia, & colocynthide, uesperi datis, illum purgantes: lactucæ autem succo ipsam linguam colluentes.

*Linguam maximè tumefactam qua ratione curarit Galenus.*

Quòd autem in priapismo uomitorijs medicamentis potius quàm subducentibus sit utendum, in linguæ uitio contrà, id ex partium situ indicari perspicuum est. Nam auersionis in contrarium, non à substantia, sed à curandi membri positu, inuentio præstatur.

*Auersio est molienda in cõtrarium.*

Porrò ex tumoribus rubeus quidẽ, subesse humorẽ sanguineum indicat: sicuti flauus & pallidus, persimilem ipsis bilem. Subalbidus uerò & laxus, pituitam.

*Color tumoris humorem à quo est ortus, declarat.*

Sunt & alij tumores fusci, liuidiue, tactui admodum renitentes. Quòd si membrum sortiatur euidentiores uenas, exaltatas eas iuxta hosce tumores à crasso & nigriore quodammodo sanguine, uidere licet. Qui humor, ubi incaluerit impensius, aut propter putredinem, aut febrem phlegmonodem, nigram efficit bilem, quam ne mures quidem ipsi gustauerint.

*Atræ bilis generatio, & facultas.*

Terra quoq; ab ea raditur: ac partes quæ raduntur, omnes attolluntur in altum: uocaturq́ is affectus tum feruor, tum fermentatio.

*Fermentatio quid.*

Est nanque is humor talis, quale esse acetum docuimus: in uomitionibusq́ non rarò percipitur acidus: ut amarus, qui pallida dicitur bilis. Quæ igitur uerè dicitur atra bilis, acida certè est, atque terram fermentans, omniq́ animanti iniucunda. Quæ uerò ut talis fiat est apta, ea dicitur melancholicus humor, uel nigra etiam bilis: ita tamen ut distinguatur ab altera quæ ex assatione oritur.

*Melancholicus succus.*

De nominibus tamen anxia disceptatione neglecta, nonnulli prȩter naturam tumores ex eiusmodi naturę succo proueniunt, cuiusmodi est fæx in uino, & amurca in oleo. Qui quidem spatio temporis putrescente humore, propterea quòd sit impactus in uasis, exulcerantur. Atq; huiusmodi sanè affectum communiter omnes cancrum appellant.

*Cancri generatio.*

Quod uitium, perinde ut reliqua omnia, plurimam habet in maioris minorisq́ ratione differentiam. Igitur communis cancri curatio, est melancholici succi uacuatio. Mox prohibitio, ne de cætero talis humor colligatur in uenis: particulæq́, ne amplius redundantem succum recipiat, corroboratio.

*Cancri curatio*

Soluemus autem melancholicum succum, drachmis quaternis epithymi, in sero lactis, aut mulsa exhibitis: aut propinato medicamine nostro, quod ex duobus & triginta simplicibus constat.

*Melancholicum succum purgantia.*

Post purgationem, dictum iam de omnibus eiusmodi affectibus est, quòd uel repellere humorem qui in membrũ procubuit oportet, uel ipsum digerere: prȩterea quòd in principio quidem tam in ipso purgationis tempore, quàm ante id, repellere: ubi iam totum corpus exquisitè purgaueris, digerere. Vbi tamẽ mediocris tantùm purgatio præcesserit, mistum esse quod applicabitur pharmacũ, ex repellente digerenteq́ facultate conueniet. Cæterũ ad discutiendos cancros, mediocrium uirium medicamentis est opus, quę nec propter imbecillitatem uincantur, nec propter effectus uehementiam, ipsum sanguinem crassent. Quia uerò ipsius uitij malignitas, ab ijs quæ mordent irritatur, & efferatur: ob id utiq; non modò mediocria uiribus, sed etiam minimè qualitate mordentia, eiusmodi affectibus sunt idonea: materia quorum, ex ustis elotisq́ metallicis desumetur. Quippe quæ medicamenta ex his componuntur, ad sanandos incipientes cancros, magnam uim obtinẽt.

*Metallica medicamenta sanandis incipientibus cancris idonea.*

Maiores uerò sat fuerit, si his prohibeantur augeri. Cæterùm si quando cancrum per chirurgiam curare audebis, cœpisse quidẽ ab euacuando per purgationẽ melancholico humore oportebit.

*Cancri per chirurgiã curatio.*

Vbi uerò quod uitiatum est, totum prorsus excideris, sic ut nulla supersit radix, sines effluere sanguinem: nec properè eum inhibebis: imò premendo potius quæ circùm sunt, uenas, exprimes ex his crassiorem sanguinem: mox alijs ulceribus similiter curabis. Est aliud uitium, carbũculus appellatus, quod ex humore crasso, feruenteq́ nascitur.

*Carbunculi descriptio.*

Incipit hoc plerunq; à pustula: aliquando uerò & sine hac. Cæterùm inter initia, quibus hoc instat, scabunt omnino particulam. Mox oritur pustula quædam, modò cineris colorem referens, modò etiam nigrior: qua rupta, ulcus cum crusta gignitur. Omnibus præterea his circumposita caro, in summam peruenit inflammationem: colore, magis quàm phlegmone, nigricans. Necessariò autem sic affecti febricitant: quare ab incisa uena incipienda curatio est, detrahendusq́ sanguis ad animi usq; deliquiũ: nisi aliud aliquid obstet.

*Carbunculum absq; febre non reperiri.*

*Carbunculi curatio.*

Imponi uerò sibi ægra particula, quod ad humorũ inflammationem spectat, refrigerantia desiderat: propter crassitudinem tamen humoris, atq; etiã malitiam, nec fluxionem auertere unquam poteris: & si quando id feceris, aliud quippiam, quod in alto sit corpore, offendes. Atqui nec affluere is permittendus est. Quin potius inquirenda remedia sunt, quæ cum modicè reprimendo, etiã digerere possint. Tale profectò est tum cataplasma quod ex plantagine conficitur, tum quod ex cocta lente: scilicet miscentibus nobis his teneram micam panis, & miscellanei, & in clibano cocti. Etenim panis omni no

*Tenuis puri substantia in cutis meatibus hæret.*

no puri substantia in cutis meatibus hærere est apia. Furfuraceus autem, crassiorum est partium. Super ipsum uerò ulcus ualens aliquod imponendum est medicamen: cuiusmodi est Andronis, Pasionis, uel Polyidæ: liquarique id cum uino aliquo dulci ad sordium crassitudinem debet. Quæ autem pharmaca reliquis adhiberi ulceribus solent, nempe quæ côcoquant & pus moueant, ea nunc adhibenda non sunt, quandò ita particulæ putredinem auxeris. Scarificare etiam eiuscemodi tumores post sanguinis missionem alienum nô est. Sunto autê incisiones altiores mediocribus, propter infestantis humoris crassitudinem. Inflammatione cessante, ulcus ad cicatricem similiter reliquis, est perducendum. Atque hactenus de carbunculis.

*Carbunculos post sanguinis missionem esse scarificandos.*

Nunc uerò de strumis disseram, quas chœradas Græci uocant: quæque fiunt, glandulis in scirrhosum affectum mutatis. Est autem duplex ipsa glandularum natura. Quippe nonnullæ earum in quorundam uasorum medio, diductorum in uarios ramos, ad tuendum eorum robur, sunt constitutæ: quarum haud magnus usus animantibus est. Aliæ uerò ad excipiendam saliuam, uel lac, uel semen, uel aliquem humorem alium gignendum, sunt fabrefactæ. Atque harum sanè maior est usus: nec aliter sanandæ sunt, si contraxerint scirrhum, quàm cæteræ omnes corporis partes. At quæ medium uasorum spacium implent, in iis alia curationis indicatio præstat, qua simul cum uitio etiam pars ipsa tollitur: idque dupliciter, uel excisione, uel medicamento quod putrefaciat.

*Chœrades.*

*Strumarum ortus.*

*Glandularum natura est duplex.*

Sed tempestiuum mihi iam est, ut nonnihil de abscessu etiam dicam: cuius duplex est genus. Vnum, quum phlegmone in pus uersa, pus ipsum tanquam in aliquo est sinu collectum. Alterum, quum nulla præcedente phlegmone, humor aliquis acris, isque aliàs specie alius, statim ab initio in aliqua parte colligitur, circumposita corpora excorians. Frequentissima uerò huius morbi sunt tria genera: nempe atheroma, steatoma, & meliceris: à similitudine contentarum in tumoribus substantiarum, sic appellata. Est enim aliud eorum ueluti seuum, aliud ueluti mel, aliud pulticulæ, quam atheram uocant, simile. Curationis ipsorum indicationes sunt communes: nempe id quod continetur, uel digerere, uel totum putre reddere, uel excidere. Aliqui igitur eiusmodi tumorum triplicem curationis rationem admittunt, quotquot scilicet ex tenuiore humore constant, ut meliceris. Aliqui duplicem tantùm, ueluti atheroma: quippe quod tum excidere, tum putrefacere licet. Steatoma uerò, sola manuum opera curatur, quum nec putrefieri possit, nec digeri.

*Abscessuum duplex genus.*

*Atheroma.*
*Steatoma.*
*Meliceris.*

In iis porrò abscessibus, qui in alto corpore delitescunt, ac potissimum in uisceribus, medicamenta quæ ex aromatis componuntur, maximè sunt ex usu: utpote quorum uis collectum humorem tum in halitum resoluat, tum digerat. Theriace etiam, Athanasia, Ambrosia, medicamenque nostrum, ex Cretica calamintha confectum, unicè commendantur.

*Abscessibus qui in uisceribus delitescunt, medicamenta quæ ex aromatis côponûtur maximè sunt ex usu.*

Quicunque igitur ex tumoribus toto genere existunt præter naturam, ii sui ablationem indicant: ut, exempli gratia, myrmecia, acrochordon, calculus in uesica, hypochyma, & mola in utero, hoc est, caro quædam informis. Siquidem omnia eiusmodi summouere in totum contendimus.

*Tumores omnes præter naturã, sui ablationem indicant.*

Quorum uerò etiam locus ipse affectus una quæpiam naturalium est partium, prima indicatio est, ut affectus sanetur. Secunda ab hac, si is insanabilis sit, ut unà cum uitio pars quoque ipsa excidatur: sicuti in cancro, & ulceribus omnibus, quæ curationem respuunt. E contrario uerò in suffusione, quod hypochyma uocant, uicti in prima indicatione, ad alium eam locum, qui minoris sit momenti, transferimus. Non desunt tamen, qui hanc quoque euacuare conentur.

*Hypochymatis transpositio.*

Iam uerò humor qui in hydrocelis uisitur, alienus à corporis substantia, tota natura est: sicuti etiam quæ in ascitis hydropibus continetur aqua. Quarum certè uacuationem uel medicamentis quæ digerant, molimur, uel chirurgia: in hydrocele quidem, immisso siphone: in ascite uerò, punctione adhibita.

*Hydroceles curatio.*

*Ascites curatio.*

Quemadmodum autem in iis quæ antè comprehensa sunt, cum affectu ipso exciditur etiam affecta pars, sic & in herniosis aliquid peritonæi. Pari modo & columella aliquando unà cum uitio amputatur: itidemque in cruribus & in testiculis unà cum uaricibus ipsæ uenæ. Ad hæc tunica in naso cum polypo, & foratus dens cum foramine. Verùm ex his nullum est, quod ad naturalem habitum reduci possit. In columella uerò id omnino est conandum: nec properandum ad eam excidendam, sed quando ad lori uidetur tenuitatem redacta, tunc auferenda est. Similiter & excrescentias carnis reducere ad mediocritatem oportet.

*Partes, quæ unà cum affectu amputentur.*

*Columella quãdo sit excidenda.*

Danda autê in hisce semper opera est, ut tum breui tempore, tum citra dolorem, tum quamtutissimè cures. Verùm ut tutò cures, tribus sis intentus oportet. Vnum primumque est, ut omnino absolutionem operis consequaris. Alterum, ut sicubi hanc non consequaris, saltem cubantem nô lædas. Tertium, ut uitium non facilè reuertatur.

*Medicis dandã operam esse ut cito citra dolorê & quamtutissimè curent.*

Ex horum autem consideratione facilè cognitu est, quando ipsius chirurgiæ, & quando medicamentorum ope pugnandum sit. At chirurgiæ quidem studium, in iis præsertim quæ nunc sunt proposita, ad interemptionem eorum festinat. Quod uerò ex medicamentis petitur, primum huc tendit, ut quod præter naturam est, tum uacuet, tum digerat: aut si per membri naturam, aut rebellionem uitii non licet, ut id tum in pus uertat, tum putrefaciat.

*Chirurgiæ studium.*

Similem curationem desiderant iis quæ comprehensa sunt, etiam ea quæ in numero & magnitudine conuenientem naturæ modum excedunt, quæque in iis ambobus deficiunt. In quibus amputare quidem conueniet quod magnitudine redundat uel numero: reficere autem & fingere, quod deest, ubi uidelicet fieri id licet. Quintum namque digitum non licet medico gignere, sed unius naturæ opus sunt omnia tal a.

*Naturæ opera quæ.*

Vt autem à prodigiosæ corpulentiæ curatione auspicemur, si quis adeò obesus existat, ut nec incedere, nec respirare possit, ei calidior sicciorque temperies (quandoquidem hæc corpus exile reddit) est procuranda: adhibitis nimirum acutis exercitationibus, tenuante uictu, & id genus medicamentis, ac denique cogitationibus animi. Porrò quæ ad articularia uitia medicamenta adhibentur, quæ scilicet ualentem incidendi facultatem habent, iis tu quoque, quum nimiam obesitatem curabis, utitor. Sunt autem talia, rutæ syluestris semen, aristolo-

*Obesitatis curatio.*

*Extenuãdis corporibus, uitiisque articularib. commoda medicamenta quæ sint.*

chia rotunda, minus centaurium, gentiana, & polium. Præterea ex urinam cientibus, ea quæ pollentes habent uires, ut petroselinum.

*Sal Theriacus extenuat corpora.*

Sed & sal quod ex combustis fit uiperis, potenter etiam extenuat.

*Obesum iuuenē qua victus & medicinæ ratione extenuarit Galenus.*

Ego uerò iuuenem quendam quadragenarium, oppidoquàm obesum percuraui, usus tum antidoto, quæ aduersus articularia uitia est composita: tum sale theriaco, ipsaq́ theriace, ac reliquo extenuante uictu, & pro exercitatione, cursu ueloci. Præparaui tamen hominem ad cursum, perfricando primùm linteis asperis, quoad cutis ruberet: dein statim cum oleo, quod in se digerens aliquod medicamentum habebat: qualia sunt syluestris cucurbitæ radix, althea, gentiana, aristolochia, panacis radix, polium, atq; centaurium. Per hyemem autem etiam à balneo reunxisse hominem iam dicto oleo profuerit. Verùm cibum exhibere non statim à balneo, sed interposito somno, expediet. Quòd si uelit rursus etiam ante cibū lauari, permittes. Magis etiam ad rem pertinebit, si aquæ ipsi digerendi facultas, aut insita, aut etiā acquisititia insit. Verisimile autem est, aliquādo ex multo simul obito motu, febri hominem corripi: quę tamen ad rem propositā neutiq̄ erit aliena, utiq; si medicus rectè omnia peregerit.

*Vina extenuando corpori apta quæ sint.*

Sanè fugere in obesis curandis conueniet uina quæ multū nutriūt, cuius generis crassa sunt: uti uerò, uel aquosis, id est, colore albis, & substantia tenuibus, uel quibus aqua marina sit mista.

*Extenuata corpora reficiēdi ratio.*

At ubi eos qui extenuati sunt, reficere in animo est, ijs uinū exhibebimus crassum, cibū uerò q succū efficiat crassum, exercitationes paucas, frictionē mediocrē, ac breuiter omnia iam comprehensis contraria moliemur.

*Picatio macilentis conducit.*

His uerò etiam picari est commodum, *idq́ tribus aut quatuor diebus. Hoc quippe ad carnis generationem optimum est præsidium, quum humectet & calfaciat, sanguinis multitudine accita. Ergo nec assiduè picari corpus ægrotans oportet, nec quum oportet, sæpe illinire: uerùm in hyeme bis, in æstate semel id fecisse est satis.

*Frictionis terminus, dum reficere est animus, sit tumor partis.*

Itaque quibuscunque particulis bonam habitudinem reddere cupimus, has & fricare, & perfundere, & percutere, & picare oportebit, tantisper dum intumescant. Hoc ubi factum est, protinus desistere conuenit, prius quàm digeri cœperint. Etenim quæ calfaciūt omnia, sicuti attrahere, sic sunt etiam digerere apta. Iam uerò quibus totum corpus est extenuatum, ijs lauari quoque post cibum est congruum: quanquā timendum sic est, ne iecur eis obstruatur, potissimum propter eiborum speciem: quum nimirum aliter quoq; obstruere soleant, quæ succum crassum gignunt, si quis his liberalius utatur. Incidit etiam ex tali uictu diutius exhibito, calculi in renibus generatio.

*Cappari ex oxymelite cōfert obstructioni iecinoris.*

Quòd si is qui dicto modo cibatur, grauitatis sensum in dextris præcordijs aut circa lūbos percipiat, protinus cappari ex oxymelite in principio cibationis donec cōstiterit grauitas, dabit. Ad membra uerò quæ ægrè reficiebant, ac plusculū iam refrigerata erant, usus aliquando & thapsia sum, aliàs ea ex melle membrum illinēs, aliàs etiam ex cerato.

*Thapsia sanguinē attrahit ad partes quib. fuerit applicita.*

Siquidem attrahit ea quoq; partibus quibus superposita fuerit, sanguinis copiam.

*Præputij reficiēdi ratio.*

Quibus autem exiguum aliquid pudendi præputio de naturali deest quantitate, ijs non rarò sola tensione debitum modum restitui, membranulam mollem, firmamq́ *ex charta, cuiū gummi illitæ extrinsecus circumuoluens. Ex interna tamen parte præputio ipsi rotundū aliquid ac mediocre, aut ex plumbo, aut ex charta, ueluti fulcrū, supponi prius oportebit: quod uidelicet, posteaquàm agglutinata membranula fuerit, facilè eximas.

*Præputij instaurandi duplex ratio chirurgica.*

Porrò imminutio præputij, duplici chirurgiæ rationi subijcitur: interim in superna pudēdi parte circulo incisa cute, quò uidelicet eius unitate soluta, eatenus deorsum trahatur, quoad glandem cooperiat: interim uerò scalpro ex interna parte, qua glandis innnū est, excoriata, mox deorsum tracta, ac deinde molli uinculo deligata.

*Colobomata.*

Similiter quæ in labijs, aut narium alis, aut aure deficiunt (Gręci colobomata uocant) curanť: primùm quidem excoriata utrinq; cute: dein adductis, cōiunctisq́ inter se cutiū oris, atq; utriusq́, quod callosum est, detracto: mox quę reliqua sunt, assutis agglutinansq́. Eiusdem generis sunt, & quas in maiori oculi angulo rhædas Græci uocant: uriq; uel impensius minuto, uel ꝓrsus perdito ipso angulo. At prorsus quidem perdito eo, omnino insanabile relinquitur uitium.

*Angulorum imminutiones in oculis quo modo sint curandæ.*

Minuto uerò, ijs quæ modicè astringunt curatur, si tamē totum corpus primùm antè purgaueris, dein caput. Sunt mediocriter astringentia medicamenta, quæ ex glaucio componuntur, & croco, & quæ nardina uocanť: itē in primis & quæ ex uino sunt confecta. In summa uerò, quib. aliquid perit substantiæ, maximè quidem curandum est, ut ei quamsimillima substituatur. Si id fieri nequeat, saltē aliquid quod eundē præstet usum machinabimur: ut, exempli gratia, producentes callum pro osse.

*Venas sensibiles regeneratas vidit Galenus.*

Porrò uenas sensibiles regeneratas aliquando uidimus: uerùm has, non tam similes ijs quæ antea perierant, quàm easdem renasci dixeris, ueluti in cauis ulceribus carnē.

*Cicatrix adnata vlceri nō est cutis.*

Cicatrix uerò quæ in hac, calli modo durata, gignitur, ea cuiū quidē est quamsimillima, cutis tamen nō est. Nunc autem ad alia trāseamus morborū genera.

*Herpes eiusdem est generis cum exulcerato erysipelate.*

*Ramex.*

Serpens ulcus, qui herpes dicitur, eiusdem est generis cū exulcerato erysipelate. Ramex uerò (quā sarcocelem uocant) cum scirrhis. Etenim herpetas biliosus procreat succus, sub cute hærēs. Quo fit, ut eatenus affectus is, eiusdem sit cum erysipelate generis: atq; huius quoque magis etiam cum eo quod exulceratum est.

*Herpes ab erysipelate quomodo differat.*

Differt autem ab erysipelate, humoris tenuitate. Est enim admodum tenuis qui herpetem excitat. Ex eo autem quòd alter humor altero sit tenuior, crassiórue, ulcerum differentiæ, quæ ex profunditate spectantur, proueniunt.

*Phagedæna.*

*Cancri exulcerati.*

Huius certè generis est, & quæ phagedæna græcè dicitur, & exulcerati cancri. Quorum omnium communis curatio est, ut inhibeatur primùm humoris confluxus, pòst sanetur ulcus. Propria uerò cuiusque tum ex membri inuenitur natura, tum ex humoris non solùm specie, sed etiam quantitate. At tenuissimus quidem in eiusmodi humoribus est is, qui exulceratum herpetem excitat: crassissimus, qui cancrum. Proximum ab his locū occupat, quod ad crassitudinē attinet, qui phagedænas producit.

*Chironiū vlcus.*

*Telephium*

Harum species quædam sunt, quæ Chironia, & Telephia dicuntur.

*Herpetis curatio.*

Si quis igitur, toto prius purgato corpore, mox quæ influentem humorem reprimant, regerantq́, medicamentis utatur, iam curauerit herpetem. Sin neutrum horum fecerit, sed tantùm

tùm ea quę cicatricem inducunt, adhibuerit, uniq; exulceratam cuticulam sic sanauerit: proximę tamen illi, quo minus exulcereretur, non consuluerit. Postmodum uerò illa quoq; cicatrice inclusa, quę ipsi continua est, exulceratur: idq; longo spacio, ceu malo ipso serpente, fit, donec humor, unde oritur, fit inanitus. Vacuandus itaque est per eiusmodi affectus semper is qui redundat humor, aliquando medicamento quod flauam purget bilem: sæpe eo quod nigram: modò eo quod mistæ sit facultatis, quodq; simul bilem & pituitam educat: ueluti in miliari herpete, qui nō protinus ulcus facit, quemadmodum alter: sed admodum exiguas pustulas ad speciem milij, quæ ipsa interposito spacio in ulcus etiam degenerant. Adeò non absq; ratione quibusdam est uisum, in eiusmodi uitio bili esse aliquid pituitæ cōmistum. Cæterùm ad generationē ulceris, in ijs quæ extrinsecus admouentur, exuperare debebūt, quæ repellendi facultatem habent. Vbi uerò non amplius confluit in ægrotantem particulam uitiosus humor, quæ digerunt. Siquidem exiguum uitiosi humoris etiam si quis ad uiscera reprimat, leue damnū committet. At si eius quātitas sit momentanea, in princeps aliquod membrum aliquando procumbit. Ac repellunt quidem, non solùm ea quæ astringunt, sed etiam quę sine astrictione refrigerant: digerunt uerò quæ calfaciunt. Porrò flauæ quidem bilis uacuatio est facilis: pituitæ uerò & nigræ bilis, difficilior, quo magis purgantis medicamenti ope indigent. In herpete autem, quoniam tenuis est humor qui ipsum creat, abundè est etiā aluum soluisse: uel urinas, per ea quę id modicè efficiunt, citasse. Quod uerò ad acrochordonas & myrmecias curandas pertinet, non deest Romæ qui eas apprehensas primoribus dentibus exterat. Sed & scalpro ad myrtacei folijs speciem formato, & ferramento quod scolopomachærion dicitur, eas facilè quispiā excidere possit. Aequè uerò & ualente aliqua pinna circulo myrmecię imposita, ipsam educimus. Debet tamen pinnæ fistula esse myrmeciæ crassitudini par, ut eam undiq; prorsus constringat. Quæ postea circūacta, ac simul deorsum impulsa, celerrimè ita myrmeciā totam enā cum ipsa radice educet. Iam uerò, quòd uehemēter attrahentibus sursum myrmecia uelletur, & putrefacientibus enecabitur, ratione ab aliquo inuentum est. Quum igitur interdum quædam partes deficiant, quæ adesse debuerant: quædam uerò redundent, quorum nō erat opus: adimere quidem quod superuacaueū est, sanè haud difficilè fuerit: aliud uerò producere, quod simile ei sit, quod desit, id in quibusdā quidē est facilè, in quibusdā difficilè, in alijs planè fieri nō potest. Si nanq; carnosum sit quod deest, haud magno negocio id reficias. Sin os sit, ipsum quidē instaurare nō licet, cæterùm aliud pro eo durum efficere. Diximus autem uidisse nos uenas alias sensibiliter generatas. At si digitus desit, is restitui non potest. Cæterùm quæ in naso, uel aure, uel labio sunt curta, ea quidem ut refecisse nō licet, sic decorem aliquem his adijcere licet, si quis diuisam utrinq; cutim, mox in unum conductam queat agglutinare. Porrò quemadmodum in sinuosis ulceribus generatio carnis, sic in capite & palpebris productio pilorum, opus naturæ existit. Etenim ex succis qui per cutim transpirant, quod limosum est, id pilos tum à principio gignit, tum de cætero uelut succrescendo auget. Hoc igitur, quoties uel prorsus perijt, uel redditū est uitiosum, toties pilos corrūpi est necesse. Corrūpuntur nanq; & stirpes ipsæ duplici de causa: aliàs nutriente succo destitutę, aliàs non idoneo usæ. Ac prorsus quidem perdito eo qui pilos alat succo, caluities oritur. Eodem uitiato, ophiases & alopecię proueniunt. In quibus & inhibere quod influit, & absumere & digerere quod iam occupauit languentem locum, conueniet. Ergo ceu in ulceribus illis purgationem nocentis succi primùm adhibuisti, eodem modo in pilis ipsis ab hac primùm exordienda curatio est: scilicet æstimato prius cutis colore, cuius cernis corruptos pilos. Nam si is albidior quàm pro naturę habitu sit, pituitosi humoris purgationem molieris: sin pallidior, eiusmodi bilis purgationem: non secus quàm si nigrior conspicitur, quæ nigram detrahunt bilem offeres. Quū autem iam planè purum ex purgatione corpus æstimas, eum qui in cute continetur humorē digerentibus medicamentis discuties: sic tamen ut in his caueas, ne adeò calida, acriaq; admoueas, ut cutis exulceretur. Quinetiam ea quæ ualenter siccant, cauere conueniet: ne uidelicet cū uitiato humore, utilem etiam absumas. Ego uerò ijs medicamentis quæ alopeciam sanarent, exiguum thapsiæ admiscui. Cæterùm ubi uel nimefactum plusculum, uel excoriatum ex ipsius usu, pericranium conspexi, illo quidem die à medicamento abstinui: illeui autem particulam, uel galli, uel anseris liquato seuo: deinde postero die, si nihil tale apparuerat, rursus eodem medicamento sum usus. Iam eos quibus periere ciliorum pili, similibus genere medicamentis sanabis: neutiquam tamen cōmittes, ut medicamentū intra oculorum tunicas confluat. Quare sicca longè tutiora existant. Porrò pterygium, tametsi à sanitatis habitu sit alienum, non tamen substantiæ ratione, quemadmodum atheroma & meliceris, à natura alienum existit. Eius uerò sanatio, siquidem paruum & molle sit, per ea medicamenta quæ detergent, perficitur. Vbi magnū durumq; euasit, chirurgiam postulat. Simili ratione & aquularum quæ magnæ sunt, chirurgia curabis. Quæ paruæ existunt, siccantibus medicamentis curantur. At chalazion, quū toto genere sit à natura alienum, auferri postulat. Ad eundem modum & oculorum pus. Verùm id plerunq; medicamentis digeritur. Hypochyma uerò iam incipiens digeritur: ubi diu constitit, non potest. Iustus medicus ætate nostra concussione capitis multos hypopios sanauit. Mansit enim horum pus deorsum, propter grauitatem substantiæ. Hypochyma autem leuius quum sit, nebulæq; similius quàm pus, haud ita dehiscere potest. Cæterùm quod serosioris naturæ est, id punctione ad præsens discutitur: interposito tamen haud longo spacio, ceu uini fæx quædam reuertitur. At quando pus oculorum digerere est animus, collyrijs quæ myrrham habent, maximè utemur. Quæ uerò uehementer siccant, ad præsens certè ualenter uacuant, sed quod reliquum est, ita cogunt, ut ægrè resolui possit. Multum autem puris uacuabimus, diuisa tunica ceratoide, paulò supra coronam. Sunt præterea ex genere eorum

*Herpeta miliarum descriptio.*

*Humores qui facilius & qui ægrius uacuentur.*

*Acrochordones. Myrmecia.*

*Verrucarū curatio.*

*Carnosa refici facilè.*

*Os instaurari non potest.*

*Natura opera quæ.*

*Pilorum generatio unde.*

*Pilorum corruptela unde accidat.*

*Stirpes duplici de causa corrumpi.*

*Caluities.*

*Ophiasis.*

*Alopecia.*

*Pilorum uitijs quomodo succurrendum.*

*Thapsia utebatur Galenus ad alopeciam curandam.*

*Pterygij curatio.*

*Aquularum curatio.*

*Chalazij curatio.*

*Oculorū pus.*

*Hypopios sanabat Iustus capitis concussione.*

*Hypochyma semel discussum punctione, reuertit.*

*Oculorum pus collyria ex myrrha discutiunt.*

*Pus oculorum uacuari diuisa tunica ceratoide, paulo supra coronam.*

*Ascarides.*
*Helminthes.*
*Vermes perimũtur ab amaris medicamentis.*

quæ tota substantia præter naturam dicuntur, & ascarides, & helminthes, siue eæ rotundæ sint, siue latæ. Quocirca expelli prorsus eas è corpore expedit. Expelles autem, si prius enecaueris Enecabis amaris medicamentis. Ac teretes quidem absinthium perimere potest. Latæ uehementiora medicamenta desiderant, sicuti & quę ascaris græcè uocatur.

## *GALENI PERGAMENI DE arte curatiua ad Glauconem lib. I.*

CAP. I.

*Naturā cuiusq; propriam medicum agnoscere oportet.*



On cõmunem tantùm omnium hominum naturā medicum cognoscere oportet, sed etiā uniuscuiusq; propriam. Non tamen propriam singulorum naturam, æquè atq; communem, possibile est scribere. Quum igitur ad rectè medendum plurimũ cõferre temporis occasio, & quantitas auxiliorum uideatur, hæc autem propria in unoquoq; ægro se cõtemplanda obijciãt, nec quicquam proprium possit sermone explicari: ob id nimirum quod cõmune est, scribere cogimur, quamuis id sit usu secundum. Etenim quantùm quisq; à naturali recessit habitu, ad tantā morbus magnitudinem peruenit. Distantiam uerò recessus, facilè deprehendet is, qui naturalē uniuscuiusq; ægri statũ exquisitè cognorit. Quod quidem quum nobis non liceat, confugimus ad communes notiones, in quibus artifex plus aliquid, q̃ inertes, assequitur. Porrò qui omnia quæ secundũ naturam & præter naturam sunt, diuisione artificiosa complexus fuerit, atq; ab ijs omnibus, quæ sufficienter diuisa erunt, indicationes sumpserit, solus is, quantũ humanis permittitur uiribus, minimè errabit medendo. Atq; illos quidem quorum habebit notitiam, melius curabit, quàm cæteros. Ignotos uerò, proximè illis, quoad fieri poterit, ad sanitatem perducet. Si quis enim primùm distinxerit differentiam ætatum: postea eam quæ secundum temperaturas, potentias, colores, calores, habitudines, pulsuum motus, assuetudines, industrias, animiq; mores habetur: atq; his quoq; adiunxerit maris fœminæq; discrimen, expenderitq; regionũ, temporũ, atqueadeo ambiẽtis aëris temperies, hic ad propriam laborantis naturam agnoscendā proximè accedet. Nunc uerò de his solùm ægrotis dicere proposuimus, quorũ natura, antequā morbum contraherent, nobis erat exquisitè perspecta. Cum quibus tamen reliqui omnes intelligentur, qui nobis erant ignoti.

*Errare inter medicũ quàm minimè possit.*

De febribus ephemeris. Cap. II.

*Ephemerarum causa.*

Primò igitur de ephemeris febribus, utpote simplicissimis disseramus: quæ nimirum ob lassitudinem, ebrietatem, iram, excandescentiā, mœrorem, atque alias uehementes animi solicitudines excitantur. Ex quarum genere sunt, quę ab inguinum inflãmationibus trahunt ortum, præterquàm si absq; ulcere fiant manifesto: tunc siquidem & suspectæ sunt, minimeq; mites apparent. Vigiliæ plerunq; induxerunt simplicem febrem: sicuti frigefactio, & exustio quandoq;. Atq; hæ omnes febres soluuntur facillimè, in hunc modum. Oportet enim ipsos confestim ducere ad balnea, deinq; ad consuetū uictus rationem. Nam qui triduanũ terminũ absq; cibo expectant, sæpius acriores febres efficiunt. Quũ igitur ad ægrum accedes, primùm à maximis quæ circa ipsum sunt, est cõsideratio inchoanda: deinde & ab alijs, adeò ut nec minimũ quicq̃ omittas. Nam ut magis aut minus ei quę fit ex maximis indicationi credamus, ex aliorum fit adiunctione. Maxima quidē in omnibus febriẽtibus signa in pulsibus atq; urinis cõsistunt. His uerò addere oportet, quæcunq; alia circa faciem scribit Hippocrates: accubitũ quoq; & respirationē. Item ea quæ ab ore excernuntur, atq; alui sedimina: et si quid aliud accidere circa aliquā corporis partem, aut operationē uideris. Quę omnia cõmunia sunt omnibus febribus. Postquā itaq; ex pulsibus atq; urinis febris naturā perceperis, quũ pulsus nullum inflãmationis signũ habuerit, neq; omnino inæqualitas in aliqua arterię cõpulsione se ostenderit, aut si hoc adfuerit, omnino sit imbecille: urinæ aũt, aut prorsus similes ijs quæ secundum naturā se habent, aut nõ multũ à naturali statu recesserint: tunc sanè & ad omnia illa quæ nuper à nobis exposita sunt, accedere oportet: & quũ ueluti chorus quidā omnia concinnè loquuntur, tunc certè fidere oportet, ac, si libeat, interrogare, nunquid aliqua manifesta antecesserit causa. Si quid enim huiusmodi æger fateaē, expectata prima febris solutione, statim oportet lauare: quum tunc certior sit tibi facta cognitio, ex ipso solutionis modo. Nam arteriarũ motus in hoc in totum assimilatur ei, qui in sanis deprehenditur, quũ in nulla alia febre ad naturalem habitũ reuertatur. Iam uerò plurimis ephemerarũ humidi quidā uapores, & quibusdam etiā sudores utiles cõspiciuntur, accessione cessante. Quo tempore etiā urinæ multò meliores, q̃ circa febris initia, uidebunē: & si capitis aut alterius partis dolor simul inuaserit, neq; hic amplius persistet. Aegrotãtis quoq; in tolerando facilitas, magnũ & ipsa signũ, febris suauitatē tibi indicabit. Et si dum lauantur, nec horror aliquis insolitus molestauerit, nec alia tristitia adfuerit, post balneumq; & deinceps bene se habere perseueret, tunc ne uerearis offerre cibũ, & uinum, adhibito tamen pro tempore modo. Cõmuniter aũt omnibus derentis ephemera, urinæ rufæ excernũtur. Adiungitur uerò his qui propter tristitiā febricitãt, aeritudo potius q̃ abundantia caloris: quemadmodũ è diuerso ijs, qui propter furorem. Sed & extenuatio corporis in ijs quos tristitia aut cura uexarunt, cõspectior existit: oculorũ præterea cauitas, & quędā incõsueta decoloratio. Hæc quidē sunt & ijs qui quouis modo aliter cogitarunt, cõmunia. Maximè itaq; ex oculis distinguere oportet. Nam ex his etiam in sanis animæ mores conijcere possumus. At eos qui diu uigilarunt, arguit quędam palloris forma, faciesq; subtumens,* necnon ipse oculorom motus, quo uix palpebras, humore quodā imbutas, attollere possunt. At qui tristantur, aut cogitationibus detinentur, ijs exiccantor palpebræ. Cauitas est commune accidens omnibus, mœrori, uigilijs, cogitationibus, non tamen furori. In hoc enim, nec oculorũ cauitas, nec manifestus pallor, & plus caloris atq; celerius ex imo prorumpit: nec pulsuum magnitudo destruitur, quemadmodum in uigilijs, tristitia, & cogitationibus. Eorum etiam qui ex lassitudine in febrem incideront, cutis est siccior, quàm in aliqua alia ephemera. Quæ autem

*Febres cum bubone, si absque vlcere oriantur sunt suspectæ.*
*Ephemerarum curatio.*
*Inedia triduana ex ephemeris reddit acriores febres.*

*Signa maxima in omnibus febribus à pulsibus et vrinis petuntur.*
*Ephemerarum signa.*
*Pulsus in nullius febris intermissione ad naturalem statũ reuertit præterquàm in ephemeris.*
*Diariarum solutionis quæ accedant.*
*Ephemeras ex tristitia & solicitudine indicat extenuatio corporis.*
*Mores animæ ex oculis etiam in sanis cognosci.*
*Vigiliarum nota.*
*Cauitas oculorum quid indicet.*

*Ephemeras à densata cute & sternêdi ratio.*

ex densata cute accidunt febres (densatur enim aut ex frigore, aut ex aliqua qualitate astringête) hæ quidem solæ inter omnes febres passio attracta existunt: ac uel solo tactu noscuntur, tum ob densitatem cutis, tum ob differentiam caloris, qui mitis quidem in primo tactu sentitur, acris autem, si plusculum tardemus. Non tamen & his urinæ sunt ruffæ: neq; moles corporis côcidit: neq; oculi redduntur aut caui, aut aridi: sicuti nec pulsus minores, quemadmodum in mœroribus, curis, uigilijs, aut exercitijs immoderatis.

De febribus ex inflammationibus inguinum. Cap. I I I.

*Ephemeris ex inflammatione inguinum, quæ accidant.*

Febres quæ ex inguinũ inflammatione fiunt, pulsus habẽt maximos, ueloces, atq; frequẽtes: plurimusq; illis calor inest: ac postquã febris constiterit, statim ex profundo quædam emergit humiditas, calida quidem, sed mitis. Atq; in totum facies rubicunda illis, & magis tumẽs, urinęq; subalbidæ. Cõmunis autem omnibus huiusmodi febribus est pulsus æqualitas. Curare igitur omnes quidem oporte: balneis. Cæterũ qui ex cutis densitate, aut inguinis inflammatione febricitãt, si in aëre balnei immorari iusseris, haudquaquã nocebis. Reliquos omnes quamcitissimẽ oportet ab aëre semouere. Si uerò diutius in aqua immorari uoluerint, permittere. Oleo autem multo, & tepido, & manibus mollibus perfricare uamplurimum, sed eos præsertim, qui ex labore febricitant. Secundo autem loco, qui meatus habẽt astrictos: at tertiò, qui inguinum pan untur inflammatione: quos nimirum sępius lauare expedit. Cibum autem côcocto facilem assumere qui ex labore febricitant, possunt multoties: non æquè tamen, qui ex densitate cutis, aut inguinis inflãmatione laborant, quorum etiam utrisq; tenuis uictus est utilis. Sed & uinum potare quantùm possunt conuincere sunt permittendi, quibus labor febris occasio extitit. Mensuræ autẽ ratio, ex uiribus & ætate sumitur ægrotantis: necnon ex naturali temperie, consuetudine, anni tempore, & regione, alijsq; id genus. Qui uerò ex inguinum inflammatione febricitãt, arcendi sunt à uini potu, donec inflammationes soluantur. At qui cutis foramina habent astricta, aut refrigerati sunt, si quidem non multùm hoc affectu laborẽt, nec plenum corpus habeant, non sunt à uini potu prohibendi. Qui autem supra modum refrigerati sunt, aut pleniore corpore, prohibere utile est. Rursus, qui ex uigilijs, aut aliquo animi affectu febriunt, postquã balneaueris, cibo humido ac boni succi reficere oportet: uinum uerò omnibus ijs qui uigiliã passi sint, intrepidè offerre, nisi capitis dolore premantur, aut pulsum uenarum in temporibus sentiant. Sed & ijs qui ex ira aut mœrore aliquo, aut cogitatione febricitant, uinum est exhibendum: sicuti & illis, qui forore perciti fuerunt, quando omnino perturbatio fuerit refrigerata: nam prius sanè usus uini erit periculosus. Tentare autem oportet semper adferre contrarium ei quod infestat: Iæ bori quidem, quietem: uigilijs, somnum: iræ, furori & tristitiæ, sermonibus, actionibus, spectaculis, enarrationibus, animi iucunditatẽ. Sic qui ex cogitatione laborat, omnino ratiocinationes omittat. Et qui ex inguinum inflammatione febricitat, eius curationi intendat: ac multò prius

*Ephemeris uictus ratio conueniens.*

*Mensura rationis exhibitione alimenti per ephemeras febres, ex quib. sumatur.*

*Vini potus quibus conueniat ephemeris.*

*Ephemerarum causis côtrarias esse admolienda.*

*Ephemera cum bubone infestans, ab vlcere origine ducit.*

*Ephemerarum curatio.*

ulceris, unde originẽ habuit. Atq; hactenos de ephemerarũ indicijs, remedijsq;. Reliquæ uerò febres, nõnullæ ex inflãmationibus, nõnullæ ex humoribus accenduntur. Et quę ex inflammationibus fiunt, sunt ueluti symptomata quædam partium inflammatarum.

*Febres ex inflammatione sunt symptomata partiũ inflammatarum.*

De febribus putridis. Cap. I I I I.

At quæ ex humorum putredine accenduntor febres, ex & dicuntur putridę, & sunt non morbo rum symptomata, sed ipsę morbi. Ex his uerò nõnullæ quidem absq; accidentibus accidunt, & mitissimæ sunt: nonnullæ item cum accidentibus ur gent. Earum igitur quæ accidentibus carent, paucæ quidem ad exactam sui cognitionẽ, diem quartum desiderant.

*Febrium putridarum differentia.*

De signis febrium intermittentium. Cap. V.

Quę igitur cum rigore inuadunt, non ab re ex earum esse numero iudicabis, quæ per circuitus infestant. Tertianæ enim atque quartanæ in totum cum rigore accessiones faciunt. Sed tertianæ quidem in primo insultu cum nimio sæpe rigore incipiunt: quartanam autem non uidimus cum uehementi rigore incipientẽ, sed procedente tempore magnitudo ei superuenit, præter id, quòd nec statim ab initio hæc febris ut plurimũ solet inuadere, sed alijs quæ antecesserint, subsequi. Quartana itaque solet errabondis febribus superuenire. Quotidiana uerò, rarò accidit absq; læsione oris uentriculi. Rursus quartana ex male affecto splene gignitur: ut tertiana ex affectu iecinoris. Quæ uerò cum ualido rigore incipit, magis febris tertiana, quàm aliqua aliarũ febrium fore speratur. Quòd si reliqua etiam signa attestentur, hanc dubio procul in prima statim die tertianam esse cognosces. Etenim calor multus & acris adesse debet: pulsus autem magni, calidi, uehementes, ueloces, atq; frequẽtes, omnisq; inæqualitas, præterquàm febrilis, expertes. Rigor porrò, ueluti si à re aliqua acuta, plus quàm frigida, corpus perpungeretur: quum ij qui quartanã aut quotidianam intermittentem pationtur, potius frigidum rigorem percipiant. Tempus autem anni æstiuum: sicuti & locus, & præsens status calidus. Sit autem & ægrotantis natura calidior, & biliosior, & ætas adolescentis: & exercitationes potius quàm ociositas antecesserint: magisq; deustio, quàm frigefactio, & parcitas cibi, ponus quàm crapulæ. Vigiliç quoq;, mœrores, atq; labores, & intensę cogitationes, ad eundem affectum perducũt. Quòd si multos alios eodem tempore laborantes contigerit tertianis corripi febribus, hoc quoq; maximum aliquod, præter ea quę nuper diximus, signom erit. Si igił hęc omnia adfuerint indicia, aut saltem quæ maxima sunt, & sins quoq; uehemens adiungatur, oomitusq; bilis, aut sudor, uel utraq; superuenerint, tunc nulla dubitatio relinquitor. Quòd si inter hæc à febri quieuerit homo, hac inquam quæ ex suo motu est omnibus nota, propria uerò febrium inæqualitas in arteriarum motu relinquatur, tunc firmiter poteris esse tertianã febrem ostendere, ac si tertio iam die accessionem fecisse uidisses.

*Quartana non solet vt plurimum statim à principio inuadere, sed alijs intermittentiũ singula, quarũ partium comitentur læsiones.*

*Febrem tertianam qua argoant.*

De signis quartanæ. Cap. V I.

Dum rigent qui quartana tenenẽ, pulsos habẽt satis tardos & raros. Quũ autem consistit febris,

*Quartanarum indicia.*

atq; etiam augetur, necesse quidem est ut ueloces fiant, atq; frequentes. Seruatur tamẽ & tunc propria ipsius tarditas raritasq;, si additam uelocitatem atq; frequentiam in accessionibus mediteris. Iam quæ omnibus cõmunis est febribus, in uno pulsu inæqualitatẽ, in hac manifestissimè licet cõprehendere. Multò nanq; uelocius principium, finemq; motus inuenies, quàm medium. Præterea æstum, & deustionem, & quendam ueluti feruorem, qualis in tertianis uidet, in quartanis haudquaquam inuenies. Sed & ægrotantis natura inspiciunda est, an atra in ea bilis abundet: & tempus quoq; anni, an sit autumnus: & præsens status, an inæqualis. Sic uerò & loci natura, & morborum peruagantium uulgariter, & an lien intumuerit, febrisq; antecesserit inordinata, & ætas senior quàm consistentium, & an cum sudore febres desinant. In his uerò bilis flauæ uomitus minimè expectandus est: quemadmodũ nec in quotidianis intermittentibus. Hoc etenim tertianarum est proprium signum. At quum febris cessauerit, si adhuc uestigium febris remanserit, pulsusq; ijs, qui secundum naturam rariores atq; tardiores fuerint, quartana proculdubio erit huiuscemodi febris.

De signis quotidianæ intermittentis.

Cap. VII.

*Quotidianarum indicia.*

Quotidianæ intermittentis calorem humidiorem cum quadam acrimonia esse oportet, non quũ primùm manus admouetur, occurrentem, sed per moram. Nam quædam fumosa caliditas cum multo uapore cõmista, perspirare uidebitur. Sed & his lõgè minores sunt pulsus pulsibus quartanarum, quàm istarum pulsus pulsibus tertianarum. Rursus uerò, tantò rariores sunt in quotidianis intermittentibus pulsus, his qui in tertianis, quantò illis pulsus quartanarum. At tarditas in utrisq; eodem modo se habet. Minus uerò sticulosa hæc febris est, tantumq; eam quartana excedit, quantùm istam tertiana. Humidissimum etiam totum corpus in his febribus est, & uomitus pituitosi. Quæcunq; autem excernuntur per uentrẽ, frigidiora, humidiora, crudiora, & pituitosiora existunt. Et quidem ætatibus, naturis, annisq; statibus, & temperaturis humidioribus, hę febres accidunt. Nam adolescentem biliosa & sicca tẽperatura, nunq̃ uidi quotidiana corripi febre.

*Quotidianæ quos præcipuè soleant corripere.*

Pueri autẽ, præsertim minores natu, & ex adultis pituitosi, & habitudinis crassæ, atq; ocio plurimo dediti, necnon crapulis, ebrietatibus, balneis assiduis, post cibum præsertim, utentes, facilè à quotidianis capiuntur. Loca etiam humidiora, atq; ex anni temporibus hybernum, ex statibusq; humidiores, hanc præcipuè conciliant febrem. Quòd si populariter etiam grassetur, hoc quoque non parum ad eam dignoscendam conducet.

*Quotidianarum declinationes non terminantur sudoribus.*

*Vrina intermittentium singulis propria.*

Non tamen harum febrium declinationes, quemadmodum tertianarum & quartanarum, sudoribus terminantur: quare neq; ad integram quietem, exceptis paucis, perueniunt. Quotidianarum urinæ sunt albæ, & tenues, uel crassæ & turbulentæ, uel rubicundę. Tertianarum rufæ, uel subrufæ. Quartanarum uariæ quidem, sed crudæ omnes.

De signis febrium continuarum.

Cap. VIII.

*Febrium continuarũ indicia.*

Febres autem cõtinuas hinc cognosçes, quòd nullum eis adest signum, ex ijs quę adesse intermittentibus diximus: & quòd intra quatuor & uiginti horas non cessent. Si uerò inæquale incrementum habuerint, hoc quidem præter alia signa, longius etiam tempus ostendit: necnon si proprium febriũ signum in pulsibus manifestũ adsit. Quòd si inordinatio etiam ac inæqualitas ipsis uel inconcinnitas insit, & hoc etiam indicium simul magnitudinis atque continuitatis. Si uerò in hoc statu permanentes, tertio die maiorem accessionem ostenderint, aut excrementa & urinæ omnino crudæ apparuerint, non possunt huiuscemodi febres ante septimum diem terminari. Ad hæc, si quarta dies tertiæ diei similis fuerit, & febris uehemens durens, nec facies, aut reliquum corpus collabitur quicquam, huiuscemodi febris ad longius extendi tempus consueuit. Ac tales quidem sunt differentiæ earum febrium, quæ accidentibus carent. Curatio autem cuiusque earum deinceps scribetur: primùm tamen intermittentium, dein continuarũ.

*Tertiana est breuissima mitissimaq;.*

*Quartana est longissima, minimeq; periculosa.*

*Quotidiana est prolixa, neque uacans periculo.*

*Acuti & uelocissimi morbi, tenuissimã uictus rationẽ postulant: uberiorem, longiores.*

Ex intermittentibus igitur breuissima minimaq; est tertiana. Longissima autem, & quantum in ipsa est, haudquaquam periculosa, quartana. Quotidiana uerò, & longa, & non sine periculo. Porrò * ubi morbi existunt acuti, celeriterq; ad statum perueniunt, etsi ualde tenuem uictum exhibeas, non multum lædes. Vbi uerò sunt diuturniores, nisi ab initio cibo uberiore reficias, hominem simul cum morbo perimes, aut intempestiuè uictus modum commutabis. Neq; enim oportet statu accedente offerre largiorem cibum quàm prius: sed contrà, potius tenuissimũ uictum, qui in toto morbo exhibeatur, in statum reseruare. Distinguendum autem est, num exquisita, an minimè exquisita sit febris.

*Tertiana exquisita ad maximum septem circuitibus iudicatur.*

Etenim exquisita tertiana, ad maximum septem circuitibus indicatur, estq; minimè periculosa. Alteram uerò nõ exquisitam, quandoq; uidi, quum in autumno incepisset, in uere desijsse. Quantùm autem hæ natura inter se differunt, tantùm rationabile est & rationem uictus mutare. Ergo si quę in principio sermonis tertianarum febrium indicia scripsimus, omnia adfuerint, exquisitam reddunt tertianam.

*Tertianæ exquisitæ accessio, duodecim ad summum horas complectitur.*

Cuius accessionis tempus breue, quatuor, aut quinq;, aut sex: at longissimum, undecim aut duodecim horas complectitur. Atque huiusmodi febrium urinæ, tertio die, aut ad summum quarto, coctionis signum ostendunt.

*Exquisitæ intermittentes, à non exquisitis quomodo distinguantur.*

Quibus sanè indicijs exquisitam, à non exquisita tertiana distingues. Eadem quoq; ratione exquisitam quartanam & quotidianam. Cui enim omnia insunt indicia, quæ in quartanis febribus antea descripsimus, hæc uera & exquisita est quartana. Cui uerò minimè, spuria & non exquisita existit. Quotidiana etiam cui omnia quę diximus insunt, exquisita est: quę autem eam naturam non habet, spuria. * Non igitur quemadmodum exquisitæ quotidianæ & quartanæ, sic etiã non exquisitæ, sunt longæ. Nam quemadmodum exquisita tertiana est breuis, sic & quotidiana & quartana diuturnæ.

*Præcognoscere illis nõ licet, qui morbi & uiriũ magnitudinem nõ expendunt.*

Cæterùm non licet uobis bene prænoscere, nisi quantitatem morbi atq; uirium accuratè expendamus. Etenim si uires adeò ualidæ fuerint, ut morbum uincere possint, necesse est ægrotum euadere. Sin uerò contrà, omnino morietur.

## De cura exquisitæ tertianæ. Cap. IX.

*Tertiana exquisita curatio.*

*Contrariorum contraria remedia sunt.*

*Flaua bilis qualis sit humor.*

Exquisitam ergo tertianam, ut quæ ex flaua bile cōmota inualescat, quàm maximè fieri potest refrigerare, atq; humectare oportet. Nam contrariorum cōtraria remedia sunt: quæ quidem quod superfluū est, reprimāt: quod uerò deficit, suppleāt. At flauæ bilis humor, omniū qui in corpore sunt, aridissimus, calidissimusq; existit. Hunc igitur, quum ad uentriculum repit, per uomitum educere oportet. Quū uerò uergit ad inferiora, eodem modo per aluum: id quod fieri solet sponte in exquisitis tertianis. Per urinam quoq; & sudores oportet ipsum uacuare. Ac uenter quidē, mollibus

*Vrinam quæ prouocent.*

clysteribus inaniēdus est: urina uerò, potionibus, in quibus apiū, aut anethū maduerit, prouocanda. Quòd si tibi coctionis signa monstrentur, iam cum fiducia aliquid absinthij exhibebis: quod a-

*Absinthiū esse remedium summum contra bilis molestias.*

*Balnea dulcia cur tertianæ febri auxilietur.*

lioqui summū est remedium, ubi infestauerit bilis, si præsertim ex ipsius coma, quantùm sit satis, accipiens, melicrato intinxeris. Balnea uerò calida ex aqua potabili, prosunt: tum quia aliquid bilis educunt: tum quia sua qualitate & humectāt, & potentia refrigerant. At marinæ aquæ salsæ, nitrosæ & sulphureæ, plus quidem bilis educūt, sed magis sua qualitate nocent, quàm euacuationi-

*Alterare inualescentes qualitates febriles, quàm uacuare, magis cōducit.*

bus iuuent. Semper aūt oportet contrarias qualitates, illis quæ inualuerint præter naturam, opponere: quū hoc multò plus iuuet, quàm quomodolibet euacuare. Hic itaq; in balneis scopus sit, ut corpus madeat, atq; humectetur. Vbi igitur plurimum olei calidi infuderis, ad aquā perducere, ac madefacere oportet. Quòd si in ea natare uoluerint, quantùm id facere possunt, permittendum. At qui balneis admodum delectantur, si etiam bis in die lauari permiseris, non aberrabis. Sed illud semper habeto in memoria, ut tempestiuè id faciant. Si uerò etiam coctionis signa ostendan-

*Vinū correptis tertiana propinandum nō esse, antequā appareant signa coctionis.*

tur, si sæpius laueris, nihil deliqueris. A uino autem, antequàm morbus coquatur, prorsus est abstinendum. Verùm ubi concoqui is cœperit, dandum est ab initio tenue, aquaticum, atq; paucum. Vbi uerò iam propè est ut morbus soluatur, am-

*Tertianis exquisitis quæ uictus ratio conueniat.*

plius est offerendum. Cibi autem quicunq; humectant, atq; refrigerant, omnes utiles sunt exquisitis tertianis. Cæterùm quantitas in ipsis sit tanta, ut bene concoqui possint. Ex oleribus quidem, atriplex, blitum, lapathum, malua, lactuca, & cucurbita. Ex alijs uerò, ptisanæ succus, sorbitio ex alica, ex piscibusq; saxatiles. Ex uolatilibus deniq; ea, quæ mollibus constant carnibus. Quæ autem

*Suum pedes & cerebra conferre tertianis, nec non assas porcelli carnes.*

*Vitelli ouorum facilius quàm alba cōcoquuntur.*

talia non sunt, eorum alæ: testiculi quoq; gallorum, & suum pedes, & cerebra. Paruorum uerò si etiam dederis carnes assas, nihil nocebis. Sed & oua ad sorbendum sunt offerenda, & præsertim uitelli eorum: nam hi facilius quàm pars alba coquuntur. Ex fructibus autem illos tantùm degustent, qui non sunt omnino difficiles coctu. Oportet abstinere à melle, sinapi, salitis & acribus omnibus: sicuti & à uinis satis uetustis & calidis.

## De cura tertianæ nothæ. Cap. X.

*Tertiana nothæ curatio.*

In ijs uerò quæ nō adeò exquisitæ sunt, prouidendum est, ne morbus augeat, néue ægrotantis uires corruant, quæ laborare longiori tempore debent. Quare operæprecium est scire, ad quantam magnitudinem morbus ipse sit peruenturus, & quantæ sint ipsius ægri uires: ut ad ea inspiciens quæ maius auxilium postolant, inedia quidem in ualentioribus utaris uiribus, & morbo cōcoctu difficili: largiori autem cibo, ubi uires sunt infirmiores, nec morbus admodum ad cōcoctionem cōtumax. Iam uerò in tertianis nō exquisitis, nec statim circa initia balneare expedit, sed quum primùm coctionis signa apparuerint. Nec cibū quotidie offerre expedit, sed alternis diebus. Quies uerò & calfactio circa præcordia iuuāt, & sorbitiones quæ concoquuntur facilè, & clysteria nō admodum mollia. Quòd si sanguinē mittere oporteat, neq; hoc quoq; omittendum est: sed ab initio statim tantum sanguinis detrahendum est, quantum præsens status exigit. Sit autem totius uictus

*Tertianis nothis uictus ratio conueniens.*

ratio, non quæ humectet, atq; refrigeret uniuersum corpus: sed quæ aliquem modum etiam assumat, ad calfaciendum, incidendumq;. Plurimum igitur eos iuuat ptisanæ succus pipere adiecto. Ad hæc, hyssopum, uel origanum, uel spicam nardi mulsa infundens, & decoquens, ad bibendū propina, & quæcunq; alia prouocantia urinam, exceptis illis, quæ præter modum calefaciunt, exiccantq;. Maximè uerò post diem septimam danda eis iugiter est absinthij coma. Et quidem oxymel potione plurimos iuuat: & aliquid ex ijs quæ mol

*Tertianis nothis confert plurimū uomitus prouocatus post cibum.*

liter uentrem subducunt. Vomitus etiam post cibum, adeò his quibus hæc febris perdurauerit, utilis est, ut multos sciam solis uomitibus statim fuisse curatos.

## De cura quartanarum. Cap. XI.

*Quartanas in principio esse tractandas leniter, nullamq; tum moliendā esse fortem euacuationem.*

*Sanguinis missio in quartanis quatenus celebranda.*

Quartanas ab initio mediocriter, ac leniter tractare oportet, nullū forte medicamen, aut euacuationem exhibentes: nisi fortè sanguis uehementer superabundans appareat. Cæterùm si uena incisa, is qui fluit, niger & crassus uideatur (qualis in ijs præcipuè uisitur, qui liene laborant) audacius mittendus est. At si flauus, aut tenuis cernatur, subitò supprimendus. Venam uerò secare oportet, uel interiorem, uel mediam, quæ est in sinistro cubito. Victum deinceps instituere sine flatibus, ac optimum: uentremq; emollire, ijs quæ usitata sunt, expedit. Quòd si hæc nihil proficiant, clysteribus utendum est, à principio quidem mol

*Quartanis uictus ratio conueniens.*

libus, postmodum uerò acrioribus. Arcendi sunt autē à suillis carnibus, ab omnibusq; edulijs quæ tenacia sunt, & tardum habēt exitum, quæq; tum refrigerant, tum siccant corpus. Vino uerò utendum est albo, tenui, & mediocriter calido, & uolatilibus quæ boni sunt succi, nec in paludibus degunt. Pisces sunt adhibendi, qui facilè cōcoquantur, ac molles carnibus, nihilq; tenax habentes. Vtendum est autem salsamentis, & sinapi: ac cer-

*Diatrion pipereon quartanis utile.*

*Piper cū aqua singulis diebus bibitū, ad quartanas facere.*

tis diebus medicamē diatrion pipereon, uel diospoliticum est assumendum. Quòd si quotidie piper tantùm cum aqua biberent, rectè etiam facerent. A frictionibus autem, ambulationibus, atq; balneis, nō sunt penitus prohibendi. Quanquā si omnino possent à balneo abstinere, solis contenti frictionibus, inde plurimum iuuarentur. Iam si quartana ipsa sit breuis, nec admodum uiolenta, nihil nocuerit si diebus interiectis ad cōsueta exercitia se transferant. Hæc igitur ab initio, & usq; ad

*Quartana detentis ungenda esse uiscera unguentis, cataplasmatisq; emollientibus.*

statum sunt peragenda. In statu autem subtilior uictus ratio adhibēda est, quàm ante, uel pòst. Statim uerò æger continendus in quiete est: ac uisceribus prouidendum unguentis & cataplasmatis,

quę mollire & laxare posint. Deinde medicamētis utendum, quæ ciendi urinā uim habeant. Vbi uerò coctionis signa apparuerint, tunc sanè purgare oportet ijs quę humores atros inaniant, non semel tantùm, sed sæpius, si uideatur necesse. Vtendum autem & uomitibus statim à cibo: & si nihil prohibuerit, elleborū album est exhibendum: primò quidem, permistum radiculis: quòd si nihil profecerit, ipsum per se. Cæterùm qui nequeunt euomere, ꝗ uehemētius per inferiora purgent: ac postmodū offeratur eis in potu, medicamen confectum ex uiperis: necnon quod succum cyrenaicum recipit. Quicunq; uerò ab initio aliquid ex hisce medicamentis exhibuerūt, aut omnino ante statum, quartanam quæ erat simplex, duplicem reddiderūt: aut omnino maiorem, atq; difficiliorem: ex duplici autem triplicem, aut omnino ambas difficiliores.

*Quartana detentos, esse plures purgandos, sed apparentibus iam signis coctionis.*

*Quartanis prodesse uomitum.*

*Theriace in quartanæ principio exhibita quod molatur.*

De cura quotidianæ. Cap. XII.

*Quotidianæ curatio.*

Quotidianā autem quum uolueris curare, oxymelite utitor post primos dies, & illis quæ probè possunt urinam ciere: uniuersumq; totius uictus caput sit ad incidendum efficacius. Circa statum uerò, de uentriculo est habenda solicitudo, ac de ipsius ore præsertim. Deinceps iubendum est, ut post radiculas & cibos assumptos uomant. His etiam quæ pituitam subducunt, utendum.

De cura febrium continuarum, quę carent accidentibus. Cap. XIII.

*Febrium continuarum quæ sola citra accidētia infestant curatio.*

In continuis autem febribus, quibus nō ultra septimum futurus status est, si uires ualidę sint, & ætas cōsentiat, admodum exquisitus & tenuis uictus est instituendus. In quibus uerò uel status totius morbi longius abest à septimo, uel uires robustæ nō fuerint, uberiori cibo ægri sunt reficiendi: quemadmodum prope statum tenuiori. Quū autem iam adest status, tenuissimū uictum seruare oportet: deinde rursus semper uberiorem. Sanguinem uerò mittere oportet, & ob morbi magnitudinem. Quibus autem rubor multò intensior, quàm pro naturæ ordine, & maior, quàm pro consuetudine, totius corporis moles, uenæq; eminentes, extensæq; fuerint, ijs etiam est auferendus, nisi uires, aut ætas, aut aliquid cōmemoratorum, prohibuerit. Quòd uerò humidus uictus in febribus acutis omnibus iuuat, rectè iam dictum est. Cremorem igitur ptisanæ, ijs quibus non acescit, exhibere oportet: & melicratum quibus non bilescit, & sorbitiones ex alica, & panem ex aqua. Porrò in febribus præter modum calidis, urentibusq;, quum primum coctionis signa apparuerint, tunc audacter aquam frigidam propinabis. Modus uerò in quantitate seruetur, quemadmodum tempus anni, regio, ætas, natura, consuetudoq; exigunt.

*Victus humidus in febribus omnibus acutis conducit.*

*Aquam frigidā propinandā esse in ardētibus febribus quum primùm apparuerint signa coctionis.*

De curatione febrium cum accidentibus. Cap. XIIII.

*Febriū cum accidentibus infestantium curatio.*

Quæ febres cum accidentibus urgent, non æquè simplicem exigunt curationem: sed pro uiribus metiendum est, quanta sit ipsa febris, quantumq; ex accidentibus immineat periculum: atq; ad id quod uehementius fuerit & difficilius, intendendum, non posthabita omnino etiam alterius cura. Etenim ubi simul cum ipsa febre sentitur circa os uentriculi anxietas, morsus, & imbecillitas, prius sanè uacuandi humores non sunt, quàm os ipsum uentris corroboretur, etiamsi cruditate aut cacochymia æger ipse laboret. Sed nec si fuerit febris cū uentris profluuio, alia est opus euacuatione. Verū hęc sola sufficit, quāuis non sit pro ratione ipsius plenitudinis. Iam uerò si quis simul & distentione neruorū laborauerit, & sanguinis eguerit missione, neq; huic tantùm semel mittere oportet, quantùm exigit morbus, sed aliquid etiam accidenti est linquendum, cuius causa sæpe sudores eueniunt, & uigiliæ molestant, & uires ægroti debilitantur. Ita etiā si uehementes uigiliæ, aut dolor intensus ægrotum cruciāt, cauendæ sunt subitæ euacuationes, ac multę. Ipsa præterea ambiētis aëris tēperies, loco accidentis cuiusdam habēda est, dum exquisitè calida & sicca fuerit: qualis est tēpore medio inter Canis & Arcturi ortum. Si etiā ualde frigida fuerit, tunc quoq; sanguinem mittere formidandum. Ob hæc etiā neq; in locis admodum calidis, aut frigidis, sanguinē mittere audemus. Quòd si regioni tēporis status consentiat, etiā omnino abstinemus: si uerò non cōsentiat, euacuamus quidē, sed multò minus, ꝗ̄ si neutrū prohiberet. Tolerātia etiā ægri, ceu quoddam accidens, expendenda uenit: nec secus ipsa temperatura. Nam quicunq; calidi & sicci natura sunt, hi omnes facilè ab integris euacuationibus offenduntur. Cōsuetudo quoq; nō parui momenti est, quū ad omnia alia, tum præcipuè ad euacuationis indicationē. Quidam enim nunꝗ̄ prius fuere uacuati, & multis cibis sunt usi. Nōnulli cōtrà nec multis cibis sunt usi, & euacuationibus assueuerunt. Hos igitur intrepidè euacuare oportet, si reliqua etiā cōsentiant: alios uerò, ne si reliqua omnia id suaserint. Eodem pariter modo & corporis habitus considerandus. Nam qui densa & solida carne constant, nō offenduntur facilè. Quare nō oportet uereri ipsos uacuare ex toto, si quidem & alia id iubēt. At qui mollem, & tenellā, & diffluentem carnē sortiunt, ꝗ mirū in modum sunt ad patiendum habiles. Quare uel si reliqua omnia sanguinem esse mittendū suadeant, nō tamen id facere audendum est, sed utendū alijs euacuationibus moderatè. Eodem modo & in ijs qui supra modū crassi aut macilēti sunt, ab incidenda uena supersedendum, cæterasq; integras euacuationes uereri oportet. His etiā & ætas annumeranda est, ueluti quoddā symptoma, quod prohibendi integrā uacuationē uim habet. Neq; enim pueri, neq; seniores hanc sine noxa tolerāt. Hosce igitur omnes, si dispositiones hortentur, nō semel, nec ex toto, sed paulatim oportet uacuare, inedijs moderatis, frictionibus, clysteribus mollibus, perfusionibus, atq; balneis. Quòd si duo contraria symptomata aut morbi cocāt, aduersus id quod magis urgeat instandū, nec interim alterū negligendum. Eas uerò quæ habentur ex accidentibus & morbis indicationes, non simpliciter, sed secundum causam à qua singula fiunt, cōsiderare oportet: qualia sunt defectus animi, & exolutio: quæ duo nomina de unica re dicunt, cuius plures existunt causę. Siquidem nō solùm per uarios affectus corporis, sed etiam in uehemētissimis perturbationibus animi, nōnulli exoluti fuerunt: præcipueq; senes, & natura imbecilli. Etenim plures eorum tristati, aut lætati, aut irati, animo defecerūt. Qui aūt magis robusto sunt corpore, ex immodicis euacuationibus

*Febribus quæ cum alui fluore infestant, non esse alia opus euacuatione.*

*Euacuationes subitæ ac multa, quando cauenda sint.*

*Sanguinis missionem prohibet aëris constitutio impēsè calida aut frigida.*

*Calidi & sicci offenduntur ab immodicis uacuationibus.*

*Cōsuetudinem plurimum posse ad uacuationis indicationem.*

*Habitudines corporum quænam facilè missionem sanguinis ferant, & quæ difficulter.*

*Pueri seniesq; integras uacuationes nō ferūt.*

*Animi uehementissimis affectibus, senes præcipuè atq; imbecilles exoluunt.*

bus

bus idem patiunt. Iam uerò si abscessus quispiã rumpat, uires uehemẽter lædit, ac tum præcipuè, cùm materia simul tota ad uentriculũ, uel ipsius os, aut thoracẽ defluxerit. Quòd si quãdo etiam nos abscessus secantes, totũ simul emittere pus uoluerimus, animi defectũ subsequi est necessarium. Nec uerò laborantibus aqua inter cutẽ, tota simul humiditas (q̃uis ea præter naturã sit) potest sine noxa uacuari: sed tunc quoq; necessum est, hominẽ deficere animo. Ex dolorũ etiã uehementia, similiter dissolutiones accidunt. Quin etiam neruus percussus, & musculi caput, & maligna in articulis ulcera, & immoderata quædã frigiditas aut caliditas, uitalisq; roboris exolutio, præterea insignis cruditas, obstructióq;, aut inflammatio alicuius præcipuæ partis, aut os uentriculi malè affectũ, aut improbæ euacuationes, aut deniq; alia multa, de quib. postea dicemus, inferre possunt defectũ animi. Quarũ sanè causarum singulæ propriã curationẽ desiderãt. Porrò eos qui ex choleris, & alui profluuio, & alijs tum largè, tum uno impetu factis euacuationib. dissoluuntur, frigida spargere oportet, & nares cõprehendere, & os uentriculi perfricare, iubereq; ut uomãt, stomachũ irritando digito uel pennę immissione, ac deniq; alligare pedes & manus. Oportet autẽ nexus fieri, plures quidem ac fortiores circa manus, quando per inferiorẽ partẽ fiũt euacuatiões. Nam si uacuatio per superiora fiat, plures ac uehementiores ligaturæ cruribus admoliendæ sunt. Sitũ quoq; aliquẽ parti fluxionẽ patiẽti expedit inuenire, in aduersum tendentẽ, sed moderatè. Nam si nimiũ tendat, atq; ex hoc fatiget, nihilo minus irritatur, ꝙ si inclinaret ad eundẽ. In uniuersum autẽ, aut ad cõmunia membris patientib. in aduersum trahere oportet, aut ad ea in quib. est fluxionis origo. Atq; ideo uehementes euacuationes quæ ex matricib. fiunt, cucurbitulæ *iuxta mãmas appositæ, statim sedãt. Quæ uerò ex naribus, hepati ac spleni, secũdum narẽ patientẽ. Quòd si ex ambabus narib. simul plurimus sanguis effluat, utriq; uisceri applicandæ sunt. Vinũ etiam aqua frigida temperatũ, curat eas, quæ ex magnis fiũt euacuationib. dissolutiones: ac tũc pręsertim, quãdo humores fluũt ad uentriculũ. Cæterũ si aliquod uiscus sit inflãmatũ, aut caput doleat uehementius, aut aliqua alienatio animi affuerit, aut febris ardẽs in morbo crudo, magna & penè insanabilia ex potu uini, huiuscemodi affectib. nocumẽta proueniũt. Iam uerò qui frigidũ potare nõ sunt assueti, aut manifestè ex ipso læduntur, quiq; natura sunt frigidiores, & qui in extrema sunt senectute, & loco degũt natura frigidiori, & tẽpore hyberno, cauere à potione frigida debent. At qui cõtrario modo se habẽt, ijs intrepidè illã offerre licet. Sit autẽ uinũ, in fluxionib. quæ ad uentriculũ fiũt, calidũ simul & tenue, quale Lesbiũ. In sanguinis uerò fluxibus, crassum & nigrũ, & acerbũ. Ipsis autẽ locis imponere oportet, ueluti uẽtriculo, matrici, stomacho, & thoraci, quæ corroborandi uim habent: capiti aũt & fronti, præter hæc, illa etiã quę refrigerẽt. Et quibus uel in superficie, uel in naribus, uena aliqua disrupta est, medicamen aliq̃d ex ijs quæ sanguinẽ supprimere possunt, est imponendũ. Porrò balneæ in fluxionibus ad uentriculũ quidem aptissimæ sunt: at sanguinis fluxum acriter irritãt. Et quicũq; ob sudoris copiã animi defectũ patiunt, his etiã plurimũ nocent: ut quas potius astringere oporteat, atq; refrigerare. His etiam uinũ frigidum exhibendũ est, ac nihil omnino calidũ. Sed nec etiam artus ipsorũ ligare oportet, neq; cogere ad uomitũ, neq; ullo modo mouere. At uentis refrigerantibus aditũ præparare: aërem quoq; domus alterare frigida & acida qualitate, myrtorũ frondibus, & uitium capreolis, ac rosis pauimentũ consternentes. Nihil uerò horũ confert, ubi fluxiones ad uentriculum fiunt. At qui exoluunt ob plenitudinẽ, eorũ artus q̃plurimum perfricare oportet, calfacere, ac deligare. A uino uerò & cibis sunt abstinendi, & à balneis, si febriant. Sufficit autẽ, si eis dederimus melicrati potũ, in quo ebullierit thymus, uel origanũ, uel pulegium, uel hyssopus. Conuenit quoq; oxymel. Quæ ex matrice laborãt, atq; exoluunt, non aliter sunt curandæ, excepto oxymelite. Fricare autẽ ac deligare magis earum crura oportet, quàm manus. At quibus uterus aut sursum, aut ad latus reuellitur, inguinibus & coxis cucurbitulas applicamus: & naribus quidẽ, ea quæ fœtidissimũ habent odorem: matricibus autem odorata, & ea quæ laxare calfacereq; possunt, medicamẽta offeremus. Si uerò ob imbecillitatẽ uentriculi, animi sequat deliquiũ, ea quæ roborandi uim habent, oportet emplastra adhibere: quale est quod fit ex palmulis, uino, farina hordei, croco, aloë, & mastiche. Madefacere autẽ ijs quæ constant ex absinthio, oleo melino & mastichino, necnõ nardo, uino, & œnanthe. Quòd si exurantur, miscere ex refrigerantibus aliquid cõuenit, ueluti cucurbitæ, lactucæ, portulacæ, solani, intybi, atq; uuæ acerbæ succũ. Aqua etiã frigida plerunq; iuuat malè affectos stomacho, si tempestiuè, hoc est, in declinatione, exhibeatur: alioqui plurimũ obest. Atq; his qui os uentriculi imbecillũ habent, uinũ calidũ exhibere oportet, si nihil prohibeat. Plurimum uerò iuuat eos qui sic laborant, etiam frictio extremorũ. Quòd si ex ijs remedijs nihil melius se habuerint, eos quidem qui adusti sunt, quamprimũ ad balneas ducere oportet. Qui uerò aliquid frigoris sentiunt, medicamen diatrion pepereon, ipsumq; piper solum, atq; etiam absinthiũ bibant. At qui exitiosis humoribus os uentriculi mordicantibus exoluunt, hos post aquæ calidæ, aut hydrelæi potũ, fac uomere. Vacuatis humoribus, partem læsam oportet modis omnibus roborare, partim ijs quę admouent extrinsecus, partim absinthij potione. Cæterùm si humores adhuc in uentre cõsistant, minimè sanè astringere, sed tantùm concalfacere oportet. Vbi uerò multa pituita in ore uentriculi aceruata fuerit, fouere quidem plurimũ oleo, in quo ebullierit absinthiũ: postea melicratũ exhibere, in quo hyssopũ, uel quid simile infusum fuerit: item oxymeli, & piper, & diatrion pepereon, & diospoliticon medicamen. Victus ratio in summa, incidendi uim habeat. Quæ uerò ex nimia frigiditate eueniunt exolutiones, eodem modo curãdæ sunt, quo bulimi, omnimodo calefacientibus. Vinum igitur

*Pus per sectionem abscessuum, si totum simul vacuetur, vires deijcit.*

*Hydropis aquã non posse totam simul vacuari, absque deliquio animi.*

*Dolor vehemẽs vires exoluit.*

*Deliquium animi quæ inducãt.*

*Deliquij animi à vacuatiõe immodica, curatio.*

*Profluuia muliebria sedant cucurbitula iuxta mammas apposita.*

*Sanguinis fluxum è narib. cucurbitula præcordijs admota compescit.*

*Vinum frigida temperatum, vires exolutas ob immodicas euacuatiões instaurat.*

*Vinum quibus non dandum.*

*Frigida potio quibus cõueniat minimè, & quibus sit propinãda.*

*Partes per quas fit fluxus, corroborandas.*

*Caput esse refrigerandum, vbi sanguis fluit per nares.*

*Deliquij animi ob sudores curatio.*

*Exoluti à plenitudine quomodo sint curandi.*

*Vteri suffocationis curatio.*

*Exolutionis ob ventriculi imbecillitatem curatio.*

*Ventriculum roborantia.*

*Vinum calidũ propinandũ imbecillo ventriculo.*

*Exoluti ob prauos succos, ventris os infestantes, quomodo curandi sint.*

*Exolutionis ob refrigerationem curatio.*

eis exhibere oportet, calida temperatū: ac cibos qui calfaciendi naturā habeāt. fricareiq; & calfacere ad ignē simul. Quę ex calore nimio accidūt deliquia animi, ijs quę refrigerādi & roborādi uim habēt, curanť. Statim igitur ipsos corroborabis, si aqua frigida sparseris, & flabellaueris, & os uētriculi perfricaueris, & agitaueris, uinoq; & cibo refeceris. At qui ob inflāmationis magnitudinē, aut uehemētis febris malignitatē, animi defectū patiunť, & in principijs accessionū refrigeranť, ijs artus fricare fortiter, & calfacere, cruraq; ac manus alligare, & uigilias, cibiq; & potus omnimodā abstinentiā pręcipere oportet. Optimū uerò in his, quid futurū sit pręcognoscere. Eos etiā qui ex siccitate in principijs accessionū, defectū animi sunt incursuri, optimū est pręuidere. Nam si duabus aut tribus horis ante accessionē exhibito cibo concoctu facili, manus ac pedes constringi iusseris, nō interibūt. Quòd si magnū imminere periculum suspicatus fueris, uinū in alicam elixam infusum, dare anticipabis: aut panē quoq; ex alica. At si mediocris expectatur defectus animi, parcendum est uino: sed sufficit tunc māla punica, aut pira, cibis ipsis miscere. Iis qui præter expectationem in periculum inciderunt, uinū calidum, & panis est exhibendus: parumq; aliquid cum eo alicæ calidæ. Qui ob præcipui membri obstructionem linquuntur animo, ijs oxymel dare oportet, atq; ex hyssopo, origano, pulegio, & melle potum. cibosq; incidendi naturam habentes. Sed nec deterius fuerit artus perfricare, deligareq;. Prodest etiam huiusce potibus uti, qui urinam ciendi uim habent. ueluti qui anethum, fœniculum, apium, petroselinum, ammi, daucum, & spicam nardi recipiunt. Quæ ubi manifestè iuuerint, iam uino albo & tenui, nec admodū antiquo, est utendū. Fiunt uerò & in huiuscemodi dispositionibus, cùm uehemētes fuerint, pulsus inæquales intercidentesq;. Qui ex abscessus disruptione, aut sectione exoluuntur, aut ex superflua aquæ inter cutim manitione, ij quidem cōfestim optimis odoribus sunt fouendi. Paulò autem pòst, sorbitionibus cōcoctu facilibus sunt reficiendi. Si uerò ob tristitiā, aut gaudium, aut timorem, aut iram, aut terrorē, exolui uideanť, odoribus, & narium apprehensionibus eeuocandi sunt, cogendiq; ad uomitū. Eodē pariter modo, qui ex uulneribus, aut purgationib. aut dolorib. qui in articulis, neruis, & musculorum chordis euenīūt, exoluunť, reuocādi statim ab eo affectu sunt: postmodum uerò, cōueniens passioni cura afferenda. Defectus animi quæ ex intestini laxioris doloribus, aut ilei, aut similib. cruciatib. fiunt, ex patientiū locorū calefactione frictioneq; extremorū curanť. At quæ ex propria imbecillitate uiriū, quæ regunt corpus, eueniūt exolutiones, ex intemperie uidelicet ortę, partiū à quibus uires proficiscunť, cōtrarijs intemperaturis curādæ sunt. Virtus ergo uitalis quę ex corde nascitur, ex pulsuū imbecillitate cognosciť. At quę ex hepate oritur, & naturalis diciť, ex sanguineis egestionib. ab initio aquosis atq; tenuibus, postmodū uerò crassis, ad modū fæcis. Quæ ex cerebro originē ducit, quā animalē appellant, ex motuū uoluntariorū imbecillitate depręhendiť.

*Exolutionis à calore orta curatio.*

*Exolutionis ob febris, aut phlegmones magnitudinē, curatio.*

*Exolutionis ob siccitatem futuræ, præcautio.*

*Exolutionis præter expectationē obortæ curatio.*

*Exolutionis ob mēbri præcipui obstructionē factæ, curatio.*

*Exolutionis ex immodica puris aut aquæ intercutē euacuatione, curatio.*

*Exolutionis ob animi affectus ortæ, curatio.*

*Exolutionis ob dolores intestinorum, curatio.*

*Exolutionis ortæ à uirium imbecillitate, curatio.*

*Facultas uitalis, naturalis, et animalis unde proficiscātur, et ex quibus dignosci earum imbecillitas possit.*

De cura capitis à uarijs occasionib. læsi. Ca. xv.

Igitur symptomatū causæ, congruam curationem ostendunt. Veluti si quis doleat caput, simulq; fastidiat cibos, ex fameq; sentiat mordicationem, iubendus est ut euomat: nam uel bilem uomet, uel pituitam, uel utrunq;. Porrò qui cum grauitate dolores capitis fiunt, multitudinē indicant. Qui autem cum mordicatione, uaporis humoris'ue acritudinē. Cum pulsu uerò, inflammationem. At cum tensione, si quidem sine grauitate ac pulsu, spiritus flatulenti & crudi multitudinem. Si uerò cum pulsu, inflammationē corporis membranosi. At si adsit grauitas, multitudo intra membranas cōtenta significatur. Cùm igitur omnia distinxeris, causam ex qua horum singula fiunt, cōsiderare oportebit. Veluti si multitudo uaporis atque humoris contineatur, aduertere oportet, nūquid ob magnitudinē febriū humores diffusi, ac ueluti efferuescentes, ad caput ascenderint, aut propter eius partis imbecillitatē, aut ob totius corporis plenitudinē: hanc enim totius corporis euacuationibus haud difficulter curabis. Eam uerò quæ ex partis imbecillitate cōtingit, partim quidem in cōtrarium trahendo per totū corpus, partim ipsi capiti remedia adhibendo. Atq; in contrarium quidem trahes, clysteribus acribus, nexibus, frictionib. plurimis infernarū partiū, &, si expediat, sanguinis aliquātula detractione. Partem autē sanabis eo tempore quo ad uniuersum corpus retrahis, ijs utens asperginibus, quæ à capite uim repellendi habent: ac dein euacuantibus: postremò deniq; corroborantib. Repellit autē oleū quod immaturum dicitur, ac tum oxyrhodinum, tum rosaceum, & quæcunq; ex capitibus papaueris, & teneris oliuæ germinibus, & hederæ corymbis, menthaq; uiridi, & sisymbrio fiunt. Vtendū uerò ipsis, in multitudine crudiori & frigidiori, tepidis: in calidiori autem & biliosiori, frigidis. Euacuat etiā dissoluitq;, oleum calidum, ipsum per sese: & magis si antiquū fuerit, & Sicyonium, aut anethū feruefactū in ipso fuerit. Quòd si spōdylion, uel serpyllū, uel pulegij comā, uel calaminthæ, uel mēthę, uel sisymbrij, intus decoxeris, ita etiā crassiores succos uacuaueris. Hęc uerò ipsa, uirtū etiā aliqd mēbro imbecillo adijciūt. Quòd si etiā ex usu uideať, per nares atq; palatū expurgatio moliēda est, sternutamentūq; excitandū. Si ad balneas hominē duxeris, siccis sindonibus caput est perfricandū, salq;, & nitrū, & synapi, sine oleo imponendū. Hæ itaq; sunt ex particulę imbecillitate, doloris capitis medicinæ. At quando ex magnitudine febris accidit, & medicamēta adhibere cōuenit, frigidę qualitates ac uires, & quę ex hydrelæo & oxyrhodino, & papaueris capitulis, perfusiones cōstant, expediūt. In dolore autē capitis, q sanguinis fluxū, aut uomitū decretoriū significat, remedia inuestigāda nō sunt: cū nō accidēs, sed talis dolor bonū existat signū. Siquidē ubi natura excretionē aliquā, ac præcipuè uomitum, aut sanguinis per nares fluxū moliť, horū inseparabile indiciū est capitis dolor. Cōsiderandę igitur ad cognoscendā crisim, primū quidē sunt febriū species, an calidę sint, * atq; urentes: nā hæ per excretiones iudicari cōsueuerunt: quēadmodum

*Capitis dolentis per cōsensum curatio.*

*Capitis dolorū species uariæ.*

*Capitis doloris ob imbecillitatē contracti, curatio.*

*Reuulsionis modi diuersi.*

*Repellere humores à capite, quæ cōmodè possunt.*

*Vacuare discutereq; capitis humores quæ commodè possunt.*

*Capitis doloris ex magnitudine febris orti, curatio.*

*Capitis dolor, quarū excretionum sit signum inseparabile.*

*Ardentes febres consueuerunt iudicari per excretiones.*

dum quæ molliores ſunt, ac ueluti *fumigantes, diu durãt, & ſæpius in abſceſſus cõtendũt. Secũdo loco, an morbus ſit ſalutaris. Nam quis, obſecro, bonã criſim in morbo pernicioſo expectauerit? Tertiò ad hæc totius morbi tempus conſiderandum. Nam ſi principij uel augmenti adſit ſignũ, minimè autẽ ſtatus, nec concoctionis ſigna in urinis, uel ſputis, uel alui excrementis cernantur, nõ eſt quòd bonã ſperes criſim. Porrò difficilis tolerantia antecedere omnẽ criſim ſolet. Quę quidem ſi in die accidat, criſis ſequetur noctu. Si aũt noctu, in die. Si igitur tale aliquid uideas, conſiderandum eſt, quotus ſit ægritudinis dies.

*Criſim omnem præcedit difficilis tolerantia.*

Etenĩ ſeptimus dies, etiã ex paruo naturæ apparatu, ad criſim per exeretionẽ mouet. Sextus uerò magno apparatu indiget, & ſæpe neq; ulla in eo ſit criſis, nec ſine periculo, nec fideliter accidit. Ergo ſi dolor capitis ſtatim ab initio nõ inuaſit, ſicuti quoddã ipſius morbi ſymptoma, ſed * in ipſa ante criſim perturbatione: dein ſi collũ etiã aliquid condoleſcat, & præcordia retracta ſint, aut repẽtè ſuperuenerit difficilis reſpiratio, pulſusq; in tumorẽ ſubitò elati, nõ reciderint in paruitatem, neq; debiles fuerint, ſtatim criſis per ſanguinis fluxũ è naribus expectanda eſt. Si uerò nõ modò nõ deciderint, ſed etiã in altũ attollantur, & uehementiã aſſumpſerint, faciem iam ęgrotantis inſpicere oportet. Nam ſi quod in ea membrũ *palpitet, aut uenæ quæ ſunt in temporibus pulſent, aut malũ, uel naſus, uel oculus rubidior ſit factus, magis etiã talis criſis eſt expectanda. Quòd ſi etiã inuiti illachrymẽt, uel imagineñ ſe ſplendores cernere, ac nares ipſas ſcalpant, tunc nõ iam fluxurũ, ſed iam fluentẽ cõſpicies ſanguinẽ. Nec uerò ex his perterrearis, ſi hominem deſipientẽ, aut reſilientẽ uideris. Nam & hæc humorũ repentiũ ad partes ſuperuas indicia ſunt. Præterea ſi ægrotus ſit adoleſcens, aut alioqui natura calidus, aut multo ſanguine abũdans, magis adhuc de hoc ſperãdum erit. Quòd ſi ſæpius etiam antea illi ſanguis è naribus fluere eſt uiſus, hoc uel ſolum ſufficit fluxus ſanguinis ſpem cõfirmare. Si uerò & tempus anni æſtas ſit, uel calidus cœli ſtatus, & ſi plures eo tempore criſim ex ſanguinis fluxu habuerint, ægriq; corpus pleuũ extiterit, & conſuetæ exeretiones retentę, hæc inquã omnia ſpem uehementius augebũt.

*Septimi diei natura.*

*Sexti dies natura.*

*Sanguinis creticam excretionẽ per nares, quæ indicent.*

Has itaq; & alias excretiones omnes prænoſcere licet, ſi hæc duo tantũ explorauerimus, & unde naturæ motus agatur, & in quam partem. Siquidem quæ deficiunt adiuuabimus, & quæ immoderatè feruntur, coërcebimus, ſi iſta nouerimus. Veluti cõfeſtim ſanguinis fluxus ex ſplene magnæ cucurbitæ ſiniſtris præcordijs ſuperpoſitæ, facilè retrahunt. At qui ab hepate proficiſcit, dextris. Qui ab alijs membris, eadem ratione.

*Excretiones prænoſcet facilè, qui vnde motus natura agatur, & in quam partẽ, inueſtigarit.*

*Sanguinẽ fluentem ab hepate & ab ſplene, cucurbitula admota illis viſceribus retrahunt.*

## GALENI PERGAMENI de arte curatiua ad Glauc. lib. II.

### CAP. I.

DE ijs autẽ quæ in ſingulis corporis partibus fiunt paſsionibus, deinceps ſumus dicturi, ab inflãmatione auſpicati: quòd ſæpius hæc accidat, plurimæq; ipſius ſint differentiæ, ex quarũ ſingulis ſolent febres oriri. Cõmunis igitur in omnibus eſt immoderata caliditas, & ueluti quædam efferueſcentia, unde & phlegmones nomen de ipſis efferre ueteres cõſueuerunt. Propriã autẽ quandam in ſingulis differentiam inuenies, ex qua eius ſpeciem agnoſces, & conuenientẽ aſſequêris medelam. Porrò prima inflãmationis differẽtia eſt, ſecundũ quam hanc quidem humidam, illam uerò eſſe ſiccam cõtingit. Humidã quidẽ, quæ ex calida fluxione membrum occupante accidit. Siccã uerò, quando nullo humore influente, calor naturalis efferueſcit. Hæc autẽ, uſq; ad aliquid quidem, ueluti febris eſt membri. Cùm uerò iam ad immoderatã caliditatem ac ſiccitatẽ peruenerit, corruptio atque extinctio omnimoda ſit. Rurſus illius differẽtiæ quæ cum humorũ affluxu accidit, multæ ſpecies exiſtũt. Nam fluente ſanguine, altera: flaua bile, altera: ambobus ſimul, alia tertia. Et quidẽ in earum ſingulis, uel iam putruit id q̃d influxit, uel in membro impactũ putreſcit. Pręterea uel craſſum eſt, uel tenue, uel optimum, uel deniq; aere.

*Inflammationibus omnibus eſt communis caliditas.*

*Inflãmationis prima differentia.*

*Inflãmationis quæ cum affluxu humorũ inſtat, multiplex differentia.*

Sanguine igit̃ optimo ac mediocriter craſſo ad particulã aliquã cõfluente, atq; ob multitudinẽ cõculcato, uehemens dolor arripit hominẽ, niſi hebetis ſenſus ipſa fuerit particula: pulſusq; in profundo permoleſtus ſentit̃, tendiq; omnino et cõtundi membrũ apparet, cum uehemẽti incendio, renitentia & rubore. Quæ ſanè paſsio totius generis nomen recipit, inflãmatioq; uocat̃, ex omni ferè occaſione proueniens. Quippe uulneribus, diſtentionibus, diſruptionibus, contuſionibus, ſciſsionibus, exercitiorum laboribus, exarticulationibus, ac præterea fracturis, & ſpõtaneis ulceribus aduenit. Quinetiam ſi quando immodicã plenitudinẽ uenæ ipſæ contrahant, tunc id quod ſuperfluũ eſt, effundunt ad aliquam partẽ, quæcunq; eo tempore fuerit aptior ad recipiendum. Eadẽ nanq; erit reliquis omnibus imbecillior, uel rarior, uel ad motum procliuior, uel minus nobilis.

*Inflãmationis ortæ à ſanguine indicia.*

*Inflãmationis cauſæ.*

*Recipientes ſuperuacua particula, quales neceſſariò eſſe debeant.*

Flaua uerò bilis, quando propriam naturã ſeruans, unà cum ſanguine per totũ corpus defertur, morbum regiũ producit. Cùm autem ſecernitur ſola, in aliquamq; decumbit partem, herpetem gignit. Cæterùm ſi ſit cõſiſtentia craſſa, totam exulcerat cutim, uſq; ad carnẽ ſubiectam, qui affectus herpes exedens uocatur. Si uerò tenuior fuerit, id quod in ſuperficie eſt tantùm, ueluti deurit: quæ ſpecies generis ſortitur appellationẽ, quum ſimpliciter herpes dicatur. Nam ex reliquis ſpeciebus duabus, * illa quidẽ cuius nuper mentionẽ fecimus, uocatur herpes exedens: altera uerò, miliaris, quòd in ea puſtulæ paruæ ac multæ, per ſummã cutem ſimiles milio, excitentur. Fit autem herpes huiuſmodi etiã ex bile quidem, ſed minus calida & acri, q̃ * illæ ſpecies priores. Quòd ſi ex ſanguine & flaua bile calidioribus quàm oporteat, miſta ipſa fluxio fuerit: aut ex ſanguine quidẽ, ſed feruido, & ſubſtantia tenuiſsimo: eryſipelas hic affectus uocatur, multò inflãmatione calidior, magisq; flauũ colorẽ referens. Non dolet tamen affectus hic, quemadmodũ inflãmatio: nec ut aliqua inflammationis ſpecies pulſum, aut compreſsionẽ, aut ſimilem inuehit tenſionem. Cæterũ interdũ miſcetur inflãmatio cum eryſipelate. Si igitur in mi

*Regij morbi productio.*

*Herpetis generatio.*

*Herpes exedens vnde accidat.*

*Herpes miliaris vnde exoriatur.*

*Eryſipelas vnde gignatur.*

*Eryſipelas phlegmonodes quando accidat.*
*Phlegmone eryſipelatodes quando fiat.*

ſcella ipſa exuperẽt propria eryſipelatis accidentia, affectus is eryſipelas inflammationis particeps nominatur. Si uerò inflãmationis accidentia pæpolleant, dicitur inflammatio eryſipelatodes. At ſi accidentia utriuſq; eſſe appareant ęqualia, tunc eryſipelas & inflammatio ex æquo miſceri dicuntur.

*Eryſipelas ſolius cutis eſt paſsio.*

Exquiſitum itaq; eryſipelas, cutis ſolius eſt paſsio. Non tamen ipſa inflãmatio pertinet tantùm ad cuti ſubiectas partes, ſed ad has quidem præcipuè: nonnunquam uerò etiam ad cutim.

*Carbunculi generatio.*

At uerò ſi ſanguis influẽs calidus ſufficiẽter fuerit & craſſus, quodcunq; membrum inuaſerit, hoc exurendo, ulcus cũ cruſta excitat: quicquid autem circũiacet, in inflammationẽ attollit efferueſcentẽ, grauiterq; dolentẽ: qui affectus carbo appellat̃. Similiter etiã, ſi ſanguis influens niger extiterit, craſſusq; & fæculentus, & feruẽs, ſimul autem & ſaniem quandam tenuem admiſtam habuerit, puſtulas per ſummam cutis excitat, ſimiles ijsquę ex igne fiũt. Quibus diſruptis, cruſtoſum ſub ipſis ulcus inuenit̃. Qui affectus etiã eſt carbo. Phlegmone itaq; in haſce ſpecies uniuerſales diſtinguit̃, ad quas nimirum referũtur aliæ omnes particulares. Etenim bubo, phyma, & phygethlon, glandularũ affectiones exiſtunt:

*Bubo quid.*
*Phyma quid.*
*Phygethlon.*

bubo quidem, inflammatio: phyma, quod ſtatim auget̃, atq; ad ſuppurationẽ feſtinat. Phygethlon autẽ eryſipelas particeps inflammationis, aut inflãmatio eryſipelatis particeps nominatur.

*Ophthalmia quid.*
*Pleuritis quid.*
*Synanche.*
*Peripneumonia*

Sic etiã & ophthalmia, eius mẽbranæ quę corneæ inhæret, eſt inflammatio. Pleuritis uerò, coſtas ſuccingentis membranæ. Quemadmodũ & ſynanche gutturis: atq; peripneumonia, pulmonis. Eas igitur quę in partibus apparentibus conſpiciuntur inflammationes, promptũ eſt quidem cognoſcere. Quæ uerò in occultis, & febres omnino afferunt, non æquè diſcerni poſſunt.

De cauſis inflammationum. Cap. II.

*Inflãmationis cauſa una eſt fluxio.*

Eſt autem una quidem apparentiũ inflammationum cauſa, eaq; non uſqueadeo occulta, quæ fluxio appellatur: niſi quandoq; eis cõiungatur, quæ aliqua alia ex cauſa euidente, factæ uidentur. Cùm enim nulla ex his præcedente, repentè membrum inflãmationem patitur, ea quæ hunc affectum gignit cauſa, fluxio uocatur. Affectus autem ipſe, diſpoſitio rheumatica. In curatione cuius, duo magni cõmittuntur errores, ubi ſtatim in ipſis auſpicijs, uel nulla de toto corpore prouidentia habetur: uel ipſum calfit, atq; humectatur membrũ. At qui rationẽ ſimul & experientiam ſequunt̃, ij totũ in primis corpus uacuare

*Inflãmationis curatio.*

quibuſcunq; euacuationibus cõſulunt: ipſam uerò inflammatã partẽ, perfundere, ac ſuperlinire eis, quæ id quod influit repellendi uim habent: ac deniq; quod in membro patiente cõtinetur, educere. uimq; ac robur adiungere ijs, quæ iam

*Euacuationis corpus quæ ſint prius cõſideranda.*

affectæ ſunt partibus. Verũ ut rectè quis uacuatione utatur, ætatem, anni tempus, regionẽ, præſentem aeris ſtatum, robur eius qui afficitur, habitumq; & conſuetudinẽ, necnõ ipſius morbi naturam oportet conſiderare. Ex his nanq;, quando uacuandũ ſit, aut minimè, & unde, & quomodo, inuenitur.

*Genu inflãmati curatio.*

Si igitur ad genu fluxio ferat̃, atq; id plurimũ attollatur, præterea totũ corpus ſanguine plenũ appareat, & ualida laborantis uis, tempusq; anni ſit ver, & temperata regio: æger uerò ſit adoleſcens, aut iuuenis: is ſanguinis euacuatione ex ſuperioribus partibus indiget: oporteatq; eius incidere in cubito uenã, aut ſcilicet interiorem, aut mediã: cũm ſemper fluxionis motum ad contrariũ reuellere oporteat.

*Reuulſionẽ fluxionum humerum eſſe in cõtrarium moliendam.*
*Genu inflãmato emplaſtrum commodum.*

Ipſi autẽ laboranti particulæ, ſi quidem nõ admodũ doleat, emplaſtrũ ex ſemperuiuo, & corticibus punicorum malorum in uino decoctis, & rhu, & farina hordei cõſtans, eſt admouendũ. Hoc ſiquidem repellit quod influit, atq; id quod continet̃ exiccat, & circumiacẽtia membra corroborat.

*Genu inflãmati dolorem magnum leniẽtia, hyeme quidẽ calida, æſtate ſunt admouenda frigida.*

Cum magno autẽ dolore fluxu incidente, ſufficit uehementiã doloris lenire, cum aliquo ex ijs, quæ ex uino dulci, oleo roſaceo, & pauca cera, in utroq; liquata, cõſtant. Oportet autẽ hæc lanis excipere pinguibus, quæ plurimũ habeant œſypi: & æſtate quidem frigida, hyeme autẽ tepida apponere. Sic etiã cataplaſmata ex arnogloſſo, lente, pane, & roſaceo oleo adhibere:

*Repercutientia eſſe applicanda paulò ſupra patientes particulas.*

paulò uerò ſupra patientes particulas admouere ſpongiã uino auſtero intinctam, aut aqua frigida, cui miſtum parum aceti fuerit. Quòd ſi ex hac medendi ratione magnus uſus ſentiat̃, nec alicubi pus ſe oſtendat, mollibus medicamẽtis ad fluxiones utendum.

*Fluxioni diſcutiendæ quæ medicamenta conueniant.*

Optima uerò ex his ſunt, quæ exiccandi & repellendi ꝙd fluit, ſine dolore uim habent. Quemadmodũ ea quæ uehementer cõtendunt, atq; idcirco dolorẽ afferunt, plus doloribus obſunt, q̃ exiccando proficiant. Tale igitur ſit medicamen, quale eſt quod ex chalcitide conſtat, remiſſum oleo roſaceo. Si uerò lanam mundam uino acerbo humectaueris apposueriſq;, plus iuueris. Quòd ſi pus ſe in particula oſtenderit, cataplaſma offerre oportet ſemel aut bis. Plus uerò ad pręſens iuuat farina hordeacea. Adiungendum tamẽ aliquid uel aceti, uel uini.

*Vlcus, uiſſo pure, quibus ſit abluendum.*

At poſtq̃ ſecueris, & pus euacuaueris, cauendum eſt deinceps, ne oleũ aut aquã imponas. Quòd ſi quando uulnus abluere oporteat, melicrato, uel oxycrato, & uino, & mulſo eſt utendũ. Superponendum uerò, ſi adhuc inflammet̃, ex lente cataplaſma. Si uerò abſq; inflãmatione fuerit, aliquod ex ijs medicamentis, quæ emplaſtica nominant̃, & præcipuè quod ex chalcitide cõſtat. Imponenda autẽ ſuper hæc extrinſecus, ſpongia, aut lana uino acerbo infuſa: ad quæ quidem opportunũ eſt, ꝙd aquã marinã recipit. Vulneri autẽ, nullũ ex pinguibus medicamentis eſt admouendum: quandoquidẽ exquiſitè exiccare expedit. Ac ſic ſanè ſanare oportet inflammationes ex fluxione ortas. Quę uerò alia de cauſa fiũt, humectare calfacereq;, nihil prohibet.

*Supperandæ inflãmationi congruere cataplaſma ex farina triticea, quæ in oleo & aqua ebullierit.*

Quas quidẽ ſi perducere ad ſuppurationẽ uolueris, cataplaſma ex farina triticea, quæ in oleo & aqua ebullierit, eſt apponendũ. Quòd ſi quando ſcarificare oporteat, ne hoc quidẽ uerendũ eſt. Si uerò eas quæ ex fluxionibus fiunt inflãmationes ſcarificaueris, magnũ adferes malũ, ac per initia præſertim.

*Inflãmationes quando ſcarificandæ.*

Quæcunq; autẽ ex ipſis, iam inueteratæ exiſtẽtes, poſt totius corporis euacuationẽ, quaſdam durities atq; nigrities retinent, ab his per ſcarificationẽ ſanguinẽ auferre nil prohibet: & emplaſtrũ ex farina hordeacea, & ceratum, & aliud aliquod medicamen ex diſcutientib. admouere. Non tamen

ex uena

ex uena in talibus sanguis necessariò mittendus est: sed uentrem tantummodo expurgare sufficit, medicamine quod bilem flauam educat: uel solo clysteri acri, si affectus ipse sit paruus. Quæ uerò ex ulceribus fiunt erysipelata, & quæcunque adeò manifestas causas sortiuntur, si statim uolueris cataplasma apponere ex farina hordeacea, & præsertim si antè scarificaueris, nihil nocebis. At inflammationibus quæ cum erysipelate sunt coniunctæ, & erysipelatis cum inflammatione, adhibenda mista curatio est: semperq́ue illi, quod magis præpollet, resistendū.

*Herpetis curatio.*

Herpetes autem, quantū ad totius corporis euacuationē attinet, ut erysipelata curare oportet: quantū uerò ad * eam quæ patienti debetur particulæ, nō omnibus similis cura adhibetur. Nam qui exedentes sunt, refrigerari quidem desiderant, quemadmodum alij herpetes, & erysipelata: nō tamē ea ferunt medicamenta, quæ præter id quòd refrigerant, humectare etiā sunt apta: sed sola admittunt refrigerātia, quæ maximè exiccare possunt. Quare superimponere ipsis oportet, ab initio quidem ex uite capreolos, & folia rubi, & rubi canini, & plantaginis. Post hæc uerò & lentē adiungere oportet, & aliquando mel, & hordeaceam farinam, quodq́ue antea scripsimus ad inflammationes quę ex fluxione eueniūt cataplasma, dempto ab eo semperuiuo. Ipsas uerò partes exulceratas inunge medicamentis, quæ ad herpetas in pharmaceuticis libris descripta sunt: quę quidē, ubi uti uolueris, ex uino dulci, aut tenui & albo, & subaustero, minimè tamen acri, liquefacere oportet. Quòd si posca aquosa uice horū aliquando usus fueris, nihil deterius feceris. At in longum tēpus protractis ulceribus, ad id uina sufficienter austera cōueniunt: præcipuè uerò nigra. Quo tempore ipsis etiā medicamēta congruūt, quæ ad Polyidam, Pasionem, Musam, & Andronem relata extāt. Herpetas uerò qui summa tantummodo exulcerāt, nisi diu perdurauerint, nullo horum inungere oportet (adurunt enim fortiter, & uehementer exiccant) uerùm istis sufficiunt, quæcunque uim glaucij habent medicamenta. Quæ quidem aqua diluenda sunt, uel aceto, si nil ex aqua profecerint. Quòd si etiā solani succo intinxeris, uel arnoglossi, plus etiam cōferes.

*Vlcus omne exiccari postulat.*

In summa uerò, omne ulcus exiccari poscit, idq́ue medicamento neutiquā irritante, nisi ubi malignum, putrilaginosumq́ue ipsum ulcus fuerit.

*Vlcera maligna qualia medicamenta postulēt.*

Talia siquidem, acriora medicamina postulant, & quæ igneas uires possideant: quale est misy, chalcitis, arsenicum, calx, atq́ue sandaracha. Sæpe uerò ubi ista cesserint, admouemus ignē.

*Carbonib. qualia medicamenta conueniant.*

Eadē ratione uocatis carbonibus, super ipsam crustam, huiuscemodi medicamentorū est natura cōueniēs. Non tamen loca circumiacentia tangere expedit, alioqui dissolues ea, exulcerans quę minimè expedit.

*Andronis trochisci.*

Sed Andronis trochiscis potius utendū est. Si quando uerò inualuerit rubor, plurimaq́ue inflammatio, medicamentū ipsum dulci diluendum est, uel succo plantaginis: quemadmodū si magnus tumor simul infestet, uino quidem acerbo in principio, postmodum uerò & aceto. Cataplasma etiam ex orobi farina & oxymelite confectum, est apponendum: atq́ue ante hæc omnia, statim ab initio tantùm sanguinis auferendum, quantū sit satis, nisi quid aliud prohibuerit. Hæc itaq́ue sunt passionū per genera curationes, quæ pro naturæ instrumentorū patientium uarietate mutantur.

*Indicationes quatuor sumo ab affectu partibus.*

Quatuor autē ab his indicationes sumuntur: ab eorum nempe temperie, à formatione, à situ, ac deniq́ue à facultate. Oportetq́ue in curationibus intentionem habere ad membri naturam: hæc enim, quousq́ue infrigidandū, aut exiccandum sit, docet.

*Natura partis affecta quid indicet.*

*Partium inflāmatarum quanam magis, & quæ minus sint exiccanda.*

Nam si carnosæ partes inflammationē patiantur, paulùm sunt exiccandæ. Venosæ quoq́ue, quamuis sint carnosis longè sicciores, nō tamen & ipsæ multū exiccari desiderant. Sed quæcunq́ue natura arteriosæ sunt, magis uenosis sunt exiccandæ: atq́ue his amplius neruosæ: & multò magis cartilaginosæ, osseæq́ue. Etenim priusq̄ ad propriā naturā particula redeat, nondum curationi est impositus finis. Porrò sicciorē temperaturam inducunt, quæ siccissima sunt: & frigidiorem, quę frigidissima: & secundum alias qualitates eodem modo. Ad mediocrē uerò habitum referūt, quæ sunt in unaquaq́ue mediocria.

*Temperatura partiu. curationes affectuū variant.*

Ac sic sanè partium temperaturę, curationes affectuum uariant. At formationes hoc modo.

*Formationes particularū quo modo curatiōes varient.*

Nam quædam intra sese habent cauitates: quædam extrinsecus, quædam utrobiq́ue, quædā neutra in parte. Quæ igitur neutra ex parte cauitates possident, in quas fluxio recipi possit, eas partes fortiter exiccare oportet, uel si nō fuerint natura sicciores: ut neruos, & præcipuè qui in artubus sunt. At quæ intus & extrà relaxare aliquid possunt inflammationis, nō multùm huiuscemodi fortiter exiccantibus egent: si pręsertim laxam carnē habuerint, quemadmodū pulmo.

*Situs partis affecta quam indicationem exhibeat.*

*Reuulsio est fluentium humorū medela, ut deriuatio, eorū quæ iam obsederunt partem.*

*Reuulsio & deriuatio à matrice quib. fiat modis.*

Indicatio autē ex positu, loca per quæ fit uacuandum, & quo pacto, demonstrat. Fluentium ergo humorum, reuulsio medela est: deriuatio autē, eorum quæ iam obsederunt membrum. Vtrūq́ue autem euacuationis genus per cōmunes uenas moliendum est. Siquidem à matrice reuelles, si eam quæ in cubito est, uenā secueris: aut * iuxta mamillas cucurbitas admoueris: uel manus cōcalfeceris, fricueris, deligaueris. Deriuabis autē, * si eas quæ in poplitibus sunt, aut in talis, uenas diuiseris, & * feminibus cucurbitas admoueris, & crura calfeceris, perfricaueris, atq́ue uinculo exceperis.

*Liene inflāmato, interiores in sinistra manu uenas secandas esse: ut in dextra, si hepar affectum fuerit.*

Et si quidem in parte dextra matricis ipse affectus consistat, à dextra manu, uel crure, sanguis est detrahendus. Sin uerò in sinistra, à membris quæ illi è directo sunt. Cæterùm interiores uenas tūc incidere oportet, quòd uiciniores, magisq́ue è directo sint patiētibus membris. Similiter si liene inflāmato sanguinē uis detrahere, interiores in manu sinistra uenas secato: ut si hepate, eadē ratione in dextra.

*Supernis partibus inflāmatis, externas uenas directas illis secandas esse.*

Si quid uerò ex superioribus inflammationē patiatur, ueluti in ophthalmia, & angina, in cæterisq́ue infestātibus caput, eas quæ extrinsecus sunt, atq́ue è directo, pertundito.

*Artubus inflāmatis, à coniugatis esse mittēdum sanguinē, nisi passio fuerit inueterata.*

Si uerò artus patiantur, à * coniugatis membris sanguis detrahendus est, siue reuellere, siue deriuare sit animus: præterq̄ ubi passio fuerit inueterata: tunc quippe à membro ipso patiente detrahimus.

*Angina protrahēte, uenas sub lingua secādas esse.*

Sic ergo in angina eas quæ sub lingua sunt uenas incidimus, ubi totum corpus uacuū cùm sit, * producitur ipse affectus. Sic

*Scarificatione quãdo vtẽdum.*

aliud quodcunq; membrum affectum scarificamus, si non amplius humores influant (tunc enim magis irritaueris, ipsumq; duplicaueris malum) uerùm ubi uniuersum corpus iam expurgatum fuerit, nec quicq; præterea influit, sed quod prius influxerat, iam hæret in membro impactum. Et quidem laborantibus conuexis hepatis partibus, quòd per urinam trahere oporteat: concauis autẽ, per subductionẽ alui, situs ipsius uisceris indicat. Atque etiam thoracem, pulmonemq; per tusses expurgari debere: uentriculum & stomachum, per uomitum: intestina per dejectiones: quemadmodum per urinas, & splenem, & renes: matricem autem, per menstrua: cerebrũ atq; eius membranas, per palatũ, gargareonem, nares & aures. Sed & quòd his quæ in superficie sunt partibus, talia medicamẽta apponere oporteat, qualibus eget passio: ijs autem quæ in profundo sunt sitæ & quas per multa interposita debent eorum uirtutes attingere, non qualia nunc sint, sed qualia futura sint, ex situ membrorum agnoscimus. Tantum quippe aduentitij roboris attingere oportet medicamentis, quantùm in transitu exoluitur: ut quod relinquitur, æqua le remaneat ei, quod tactu iuuat. Ob id igitur in thoracis inflammationibus, quæ in superficie consistunt, ea quæ solùm laxare possunt, sufficiunt: intrinsecus autem, sicuti in costas cingentem membrana, requiruntur acriora. In uniuersis autem uisceribus eadem habenda est ratio. Sæpius enim ex medicamentis impositis ulceratur cutis, quamuis durior, minusq; ad patiendum habilis sit, quàm uiscera. Quòd si ipsis uisceribus medicamenta applicare possemus, quibus frequenter indigent, tantò molliora oporteret esse, quãtò ipsorũ natura, ut afficiatur, est promptior. Quia uerò hoc neunquam nobis datur, ob id nimirum, quæ eduntur ac bibuntur medicamenta, conferentia affectibus uiscerũ, ea multò acriora & potentiora esse cõuenit ijs, quibus indigent ipsæ partes affectæ: exceptis tamen illis, quæ uentriculo stomachoq; auxiliantur. Hæc siquidem sola talia exhibentur, qualia à passionibus exiguntur. Reliqua uerò omnia, acriora & fortiora sunt, & præsertim quæ uel renum, uel pulmonis occasione sumunt. Sed indicatio quæ à facultate sumitur, etiam curationem immutat. Nam ex partibus corporis nonnullæ ab influentibus uirtutibus gubernantur, quædam uerò à proprijs atq; natiuis. Atq; ex ijs ipsis, quædam si bi ipsis duntaxat, quædam etiam alijs fons & origo sunt facultatum. Et aliæ quidem opus peculiare habent, aliæ autem cõmune. Permutare itaque opus est curationis formam, pro ratione harum omnium differentiarum. Nam pleraque ex remedijs dictis, morbum quidem finiũt, sed natiuas membrorũ facultates offendunt: quæ quidem offensio ad totũ perueniet corpus, idq; ratione duplici: uel quia membrum est alicuius uirtutis origo, omnibus partibus cõmunicatæ: uel quia ipsius opus uniuerso corpori est utile. Etenim hepar, cor, cerebrum, atq; testes, cõmuniter uniuerso corpori principia sunt facultatum. At uentriculo matricisq; propriæ facultates insunt, nulli alteri parti cõmunes. Opus tamen uentris quidem toti corpori confert, matricis autem ne quaquam. Quæ igitur immodicè laxant, exoluunt robur, quàre & facultatem particulæ. Quæ autem supra modum refrigerant, natiuum calorem extinguunt, qui fortasis substantia facultatum existit, aut certè primũ & maximè necessarium instrumentũ ipsarum. Nõnullæ etiam aliæ qualitates * immoderatæ, facultates exoluere possunt. Ad hanc autem indicationẽ, quispiam referre posset & facilem & difficilẽ sensum. Etenim quæ facilè sentiũt partes, acria medicamenta non tolerant, sicun neque acres humores. Ob idq; os uentriculi, atq; eo magis oculus, infestatur ab erodentibus medicamentis. At quæ sensu n obtusum habent, cataplasmata grauia sustinent, atq; medicamenta mordacia. Qui igitur se eundum solam, nudamq; intemperiem absq; humorum affluxu fiunt morbi, per contrarias qualitates curantur. vt (exempli grana) calida intemperies, per refrigerantia, siue primò, siue ex accidenti refrigerent. Perfusio siquidem frigidæ, calfacit ex accidenti, ubi caloris reuocationem fecerit: calidumq; refrigerat, ubi calorem naturalem discusserit. At quæ ob materiæ influxum laborant, si quidem fuerint optimè temperata, solam euacuationem desiderant: si uerò distemperata sint, unà cum euacuatione, per contrarias qualitates alterationem postulant. Sed iam dicamus de œdemate.

*Vacuari in quẽ modum singulæ partes debeant.*

*Altius recondi ti affectus valẽtiora medicamẽta exigũt, quàm si in sup rficie cõsisterent.*

*Ventriculo stomachoque affectis, sola talia exhibẽtur, qualia ab affectib. exiguntur.*

*Partiũ differentiæ.*

*Principia facultatum vniuerso corpori sunt, hepar, cor, cerebrũ atq; testes.*

*Laxãtia immodicè, exoluunt robur, atq; facultatem particulæ.*

*Calor natiuus quid.*

*Sensu acutissimo prædita, acria medicamẽta nõ tolerant, vt ea quib sensus obtusus inest.*

*Intemperies simplices per contrarias qualitates curantur.*

*Frigida perfusio calfacit ex accidenti.*

*Calidum ex accidenti refrigerat.*

## De œdemate. Cap. III.

*Oedema quid.*

Oedema est mollis quidam tumor, atq; doloris expers, ex pituitosa substantia, uel spiritu uaporoso ortus. qualis in cadaueribus, & pedibus hydropicorum & tabidorũ plerunq; cernitur. In hisce tamen morbis œdema symptoma est, propria curatione nõ indigens. Sola quippe frictio ex oxyrhodino, aut ex sale & oleo, compescit ipsum. Cùm uerò propter influxum pituitæ in aliquam partem gignitur is affectus, spongia recenti, imbuta oxycrato, quod poßit bibi, eum sedat. Quòd si ex his non discutiatur œdema, aluminis parum est adijciendum. Si uerò in aliquo artuum tale fuerit œdema, inchoanda ligatura est ab imis partibus, finienda uerò in altioribus: uniuersam iniectionem & compreßionẽ facientibus nobis, uelun in fracturis. Quòd si morbus dictis remedijs non cedat, aliquid fortiorum medicaminũ adijcere oportet, cui discutiendi simul & constringendi facultas insit.

*Oedema in quibus symptoma existat*

*Oedematis ex influxu pituitæ curatio.*

## De scirrho. Cap. IIII.

*Scirrhus quid.*

Exquisitus scirrhus est tumor præter naturã, insensatus durusq;. Non exquisitus uerò, non omnino insensibilis est, difficulter tamen omnino sentit. Porrò insensibilis scirrhus minimè curationem recipit. Qui uerò cum difficultate sentit, nec incurabilis est, nec facilem curationem admittit. Fit autem ex humore uiscido & crasso *tenacissimè partibus induratis infixo. Scirrhus itaq; interdum ab initio concrescit, atq; augetur paulatim. Crebrius uerò inscitia medicorum paratur, ubi uehementer erysipelata & inflammationes astringunt refrigerantq;. Quòd si quis fortiter discutientia induratis medicamenta adhibeat, digeret quidem tenuiora: quod uerò reliquũ est cõpactum, lapidis instar, relinquet. Non igitur

*Scirrhus insensibilis, minimè curationẽ recipit.*

*Scirrhus vnde contrahatur.*

*Scirrhus quomodo ob ineptã curationem generetur.*

*Induratis qualia medicamenta conueniant.*

igitur curandæ sunt induratæ particulæ medicamento siccãte immodicè, sed emollienti, quodq; calorem possideat tepidum, humiditatem uerò nec multam, nec omnino minimã. Siquidem quod superfluum humorem habet, nihil omnino dissoluit: quod uerò minimum, plus quàm oportet exiccat.

*Medulla ceruina ac uitulina.*

Ergo medicamenta idonea scirrhis sunt omnes medullę atq; adipes. Ex medullis primas partes obtinet ceruina, dein uitulina.

*Adipu differentia.*

Ex adipibus, anserinus leoninusq;. At uerò qui ex gallina sumitur, anserinũ: qui ex pardo, leoninum sequitur: postea uerò ursinum, atq; taurinum. Cæterùm qui ex capris accipitur, & crassior, & siccior prædictis est: idq; magis, si ab hirco capiat.

*Induratorũ tendonum curatio.*

Porrò tendonibus induratis oportet unà cum præsidijs ijs quæ simul & emolliunt & digerunt, (cuiusmodi sunt, bdellium, ammoniacum thymiama, solutũ in quàm acerrimo aceto, opopanax, chalbanumq;) etiam pyritem lapidem candentem, aut (si eius copia nõ sit) molarem, acerrimo aceto aspergere, ac dein super ipsum dimouere partem affectam, ut à uapore sursum elato, scirrhus dissolui possit.

De splene iecoreq; induratis. Cap. V.

Induratum splenem, nõ tantũ foris, fortibus medicamentis curare conuenit, sed intus etiam potionibus uehementissimis: nam eas sine molestia tolerat.

*Lien uehementissimas potiões tolerat.*

*Lieni indurato congruentia remedia.*

Inter quæ sanè primas sibi uendicant partes, cortices radicum capparis, & scolopendrij, & myricæ tum radix, tum germina, omnia uidelicet hæc in aceto & oxymelite cocta. At sæpenumero splen, cùm tangitur, reniti uidetur, nõ ob scirrhum, sed ob flatulentũ tumorẽ.

*Lienis ob flatum distenti curatio.*

Tunc igitur ubi ipsum absinthij decocto foueris, aliquod cataplasma mistis facultatibus præditum superimpones: quale est quod ex sulfure & alumine constat. Verùm ubi lien in scirrhum obduruit, prępollere uim digerentem oportet: parum autem eius quod astringendi possidet facultatẽ, est admiscendum.

*Salis flos in uesica appositus, induratos lienes sanat.*

Meritò igitur salis flos induratos splenes sanat, si extrinsecus ipsis in uesica apponatur.

*Hepatis scirrhus inueteratus est insanabilis, cùm eũ subsequatur necessariò hydrops.*

*Hepatis indurati curatio.*

Porrò hepatis scirrhum, initio quidem sanauimus: inueteratũ autem, neq; ipse potui sanare, neq; aliũ uidi qui posset. Quippe omnibus ita affectis omnino aqua inter cutem subsequit. Nec uerò perfert hoc uiscus fortia medicamenta, ut splen. Quare si sit induratum, augere oporteret ea quæ ratione inflammationis illius apponuntur, in mistura emollientiũ: adhibita etiam cõgruente uictus ratione, unà cum potionibus & dissipantibus, & abstergentibus eum, qui in uiscere continetur, humorem. Admiscere autem oportet, & ex ijs quæ ciere possunt urinam, aliquid.

*Flatulenti tumoris curatio.*

Iam uerò in omni flatulento tumore, astrictum corpus est relaxandum, extenuandus autẽ ipse crassus spiritus. Si igitur subtiliori aliquo medicamine anodynoq;, ubi dolor adsit, calfeceris, id quidem quod densatũ est, rarefacies: extenuabis uerò, quod crassius est redditũ.

*Natura patientium particularum, auxiliorũ materias indicat.*

At patientium particularũ natura, coindicabit conuenientem auxiliorũ materiam, in ipsaq; maioris minorisq; rationem. Ac secundum differentiã earundem, materia etiam curationis uariatur, intendit urq; atq; remittit.

*Doloris à crasso spiritu in uentre oborti, curatio.*

Si igitur à crasso spiritu oboriatur dolor in uentre inferiore, subtile oleũ per ima, unà cum medicamentis quæ in ipso ebullierint, per clysterem inijciens, statim dolorem sedabis.

*Flatus discutientia medicamenta.*

Quæ uerò debent bullire in oleo medicamenta, cum partium tenuitate calfacientia, sunt cuminũ, apij, petroselini, marathri, sinonis, anesi, libystici, seseleos, dauci, atq; spondylij semen. Quòd si coniectura comprehenderis frigidam esse dolentium partium dispositionem, rutam & marathrũ, & grana lauri intus decoques: miscebisq; asphaltum, ipsumq; oleum laurinum, & si quæ similiter calfaciũt. At si inflammationem dolori adiunctam putaueris, auferes ea quæ admodum acria sunt, quæq; calfaciunt impensius: ad relaxãtia uerò, quæ uires illas mediocres possident, transibis. In oleo itaq; anethum coques, miscebisq; adipem anserinũ, uel gallinaceũ.

*Dolores uentris mediocres uel extrinseca tantũ calfactione sedantur.*

At uerò mediocres dolores extrinseca tantùm calfactione iuuantur, ea præcipuè quæ ex milijs fit, uel ex sale calfacto, uel ex lini semine crudo.

*Cucurbitula umbilico admota, uentris dolores sedat.*

Cucurbita etiã magna cum multa flamma absq; cutis scarificatione, sæpius statim dolorẽ amouit, umbilico admota.

*Opiũ recipientia medicamenta dolorem tollunt, ipsam tamen dispositionẽ relinquunt.*

Quòd si etiã tum dolores permanserint, uti medicamẽtis ex opio ne dubites, quale est quod ad Philonẽ refertur. Sic enim hominem liberaueris à cruciatu, & sequentibus diebus noxam ex opio contractam, corriges. Auferunt enim id genus medicamenta dolorem, nõ tamen dispositiones sanant, sed uim sentiendi quodammodo stupefaciunt.

*Opio constantibus esse utendũ post tempus compositionis ad minus semestre.*

*Intestinorũ dolores ubicunque sint, iuuari à bibitis, & per sedẽ iniectis medicamentis.*

Vti autem oportet Philonis medicamento, omnibusq; ex opio confectis, non statim, sed post tempus compositionis annuum, aut omnino semestre. Non modica uerò fit uirtutis distributio, & ex ebibitis ad inferiores intestinorũ partes, dum afficiuntur: & ex ijs quæ iniciuntur per sedem, ad superiores, ubi dolore cruciantur. Porrò discutiendo flatui in partibus carnosis collecto (qui & nonnunquã uacat dolore, & longiori tempore durat) ea medicamenta congruunt, quæ insigniter subtili constant substantia: cum quibus misceri debent, quę molliendi facultatem sortiuntur.

De abscessibus. Cap. VI.

*Abscessus quid.*

Dispositiones in quibus à se inuicem distant, quæ prius se contingebant corpora, cõmuniter abscessus uocantur. Spacium igitur uacuum in medio fieri oportet, quod aliquam substantiam spirituosam, aut humidam, aut mistam ex utrisque comprehendat. Quæ substantiæ ubi diutius hærent, uarias alterationes suscipiunt.

*Abscessibus qualia soleãt inesse corpora.*

Nam & lapidibus, & arenis, & testis, & lignis, & carbonibus, & limo, & amurcæ, & permultis alijs id genus similia in abscessibus corpora sæpe contineri inueniuntur. Transeunt uerò in abscessum inflammationes quædam, atq; erysipelatosæ phlegmones, sicuti & erysipelata phlegmonosa non pauca: nimirum ab uno loco humoribus translatis in alterũ. Quæ igitur per summa, sub cute consistunt, facilè dignosci possunt: neq; est sanatio ipsorum difficilis, cùm solis medicamentis quæ extrinsecus applicantur, curentur, nec medicamentis intrò assumptis indigeant, ueluti quæ in uisceribus accidunt.

*Abscessuum curatio.*

Curatio igitur earũ quę in superficie cutis abscedũt inflammationũ, fit incipiente quidẽ iam abscessu, per ea quæ dolorem sedant relaxantq;: procedente uerò tem-

pore, ad ea quæ cõcoquendi, suppurandiq; uim habere dicunt, transferri oportet. Statim igitur aqua abundanti in qua fuerint decoctæ althææ radices, perfundere, atq; oleo calido partem inflammatam conspergere, necnon ex farina triticea, quæ in aqua & oleo moderatè ebullierit, cataplasma imponere oportet. Si autẽ suppurationem prohibere sit animus, panẽ in oleo & aqua plurimum ebullire permittito, postea uerò subigens admoueto. Sit tamen aquæ ad oleum proportio multiplex. Plus autem quàm hoc suppurationẽ prohibet hordeacea farina, similiter præparata. Si uerò per summa cutis in parte inflammata tensio ualida fuerit, multis ac mediocribus scarificationibus in superficie incidere oportet: ac postmodũ ex farina hordeacea (ut diximus) elixata, cataplasma apponere. Cæterũ in quibus difficultet ad suppurationem peruenit, nec facilè discuti tumor potest, sed suspicio est humores crassiores & tenaciores ibi impactos existere: in ijs tantùm dispositionibus conuenit ea quæ fit per profundiores scarificationes curatio. Cõuenit etiã id quod ex caricis pinguibus, dulcibusq; & decoctis, cõficitur cataplasma. Quarum sanè decocto, aliquando hordeaceam farinam adijcimus: aliquando panẽ syncomistum, hoc est, miscellaneum, sed qui ex generoso confectus sit tritico. Porrò farina triticea maximè ad suppurationem promouet. hordeacea uerò resoluit plurimum. Si igitur resoluatur tumor, minus tamen quàm optes, cum caricis hyssopum & origanũ simul coquere oportet. Quòd si uehemẽtius exiccare tumorẽ uolueris, sal decoctioni adijcias: dein farinã hordeacea, detracto prius surfure, insperge: & postq̃ plurimũ ebullierit, appone cataplasma. Si uerearis ne tumoris reliquiæ in scirrhum durescãt (quod cõtingit, ubi quis fortiter exiccãtibus utitur) radicem agrestis cucumeris, aut bryoniæ, aut asari, in aqua decoque: sæpius quidem per se solas, nõnunq̃ caricas pingues adijciens. Deinde aquæ farinam admisce, inijciens aliquid adipis anserini, uel gallinacei, uel etiam suilli. Eædem quoq; radices, atq; etiã quę producit altheam, si post moderatam decoctionẽ cum pane & adipe contundant, huiusmodi discutiũt tumores. Fortior autẽ hisce omnibus est draconitij radix. Verũ fortiter resoluẽtibus medicamentis semper sunt miscenda emollientia, ne tumores ipsi in pertinaces scirrhos degenerent.

*Scarificationes profundiores quando conueniant.*

*Emplastrum ex caricis.*

*Farina triticea quidem, maximè ad suppurationẽ promouet: hordeacea uerò discutit.*

*Tumoris in scirrhum abeuntis curatio.*

*Discutientibus fortiter, cur semper sint miscenda emollientia.*

De tumore suppurato. Cap. VII.

*Tumoris suppurati curatio.*

Porrò ubi suppurandi tumorẽ amissa spes est, ex farina triticea utere cataplasmatib. Dein uerò postq̃ suppuratã secueris, si uideris ea quæ circa sectionẽ sunt omnino ab inflammatione libera, emplasticis medicamẽtis utitor, sed quibus exiccandi resoluendiq; citra morsum facultas insit. Equidem sæpius in huiusmodi usus sum medicamento ex fermẽto & ostreis cõbustis cõfecto. Si uerò pars aliqua circa sectionẽ inflãmata uideatur, quod ex chalcitide cõstat, liquabis oleo: atq; ubi sensim refrigeratũ fuerit, infundens uinũ, in mortario emollies & subiges, ac deniq; usui accõmodabis. Vbi uerò cutis per suppurationes plus quàm par sit, colliquata & ueluti lacerata fuerit, nõ facilè subiectis corporibus agglutinat: quare necessũ est ut per linicinia latiora uulnus ipsum curetur.

De sinu. Cap. VIII.

Sin autem amplius agglutinandi cutim subiectis partibus creuerit difficultas (qui sanè affectus uocatur sinus) satius est fistulã directè perforatam, uel ex ære, uel ex cornu factam, habere in promptu: aut etiã aliquod ex ijs instrumẽtis, quibus pus extrahi cõsueuit, quod foramen latissimũ habeat: ac per id, exiguũ medicamẽti nostri, quod ex charta cõbusta cõstat, liquatũ oleo rosaceo in ipsum sinũ infundere: ac deniq; linamento cõcerpto, ipsius os claudere. Cæterũ quę sic liquant medicamẽta, oportet ut sint acriora, quàm quæ linamẽtis excepta illinunt: qualia nimirum sunt quæ omnibus sunt in usu, colore uiridi. Nam cùm hæc ipsa oleo rosaceo nõ pauco soluere expediat, ut inijci possint in sinũ, necessariò certè ipsorũ uirtus exoluitur. *Quæcũq; igitur medicamenta exquisitè emplastica, quale est Machærionis, Epigoni, & q̃d Isis cognominat, ubi ad emmotorũ usum perducunt, cerati indigent admistione, eadem etiam ad curãdos sinus sunt cõmoda. Siquidem qua ratione ipsis ceratũ miscetur (nempe quòd uires mordaces haberẽt, si per se sola liquescerẽt) eadem sunt ad sinus utilia. Vbi uerò sinus mediocriter fuerit oppletus carne, tunc agglutinantia medicamẽta apponere oportet: ueluti si recenti, & sanguinolento uulneri medicareris. Sciendum autẽ est interim, omnia metallica medicamenta subtiliorũ partiũ existere: sortiriq; maiorẽ uim exiccandi, ubi pluscũlum ebullierint. Quantò uerò subtiliora medicamenta fuerint, habuerintq; maiorẽ uim exiccandi, tantò plus in sinũ operabunt. Porrò cùm ad superiorem locũ ipse sinus extenditur, facilè per os humor uitiatus elabitur. Si uerò ad ima declinet, cùm retineatur intus, partem aliquam cõtinuam erodit. Quare in huiuscemodi sinibus, nisi prius ad effluxum sectionẽ feceris, nihil proficies, nec cùm carnem gignere, nec cùm agglutinare uolueris. In alijs uerò nõ est opus sectione, si modò cõuenientem figuram in patiente parte seruaueris. Ex qua figura potes aliquãdo sinum ad partem superiorem uergentẽ, facere ut deorsum inclinet: sicuti & uergentem ad ima, conuertere ad superiora. Aduerte autem melicratũ esse aptum ad conglutinandas penitiores ipsius sinus particulas. Post cuius usum, prius quàm aliud glutinans medicamen adhibeam, aliquando uino solo, aliquando uino mulso, ipsum soleo sinum abluere. Etenim ad abstergendam, expurgandamq; adhærentem saniem, melicratum est præstantius: ad cõglutinandum uerò, uinum est melius, & efficacius: præcipuè quod in medio dulcis & austeri cõsistit. Et quidem post medicamenti agglutinantis appositionem, spongia recens ex mulso, aut uino, circumijciatur, quã mollissimè fieri possit. Atque alligatio quidem incipiat à fundo sinus: desinat autẽ ad os. Linteorum uerò circunductiones constringantur quidem in fundo sinus, sed non ita ut dolorem inferant: paulatim autem laxentur, usq; ad os sinus: quod quidem habeat laxam alligationem, emplastrumq;, quod ei extrinsecus admouetur, adeò discissum forficibus, ut ex ore ipso, humores

*Sinus quid.*

*Sinus curatio.*

*Medicamen ex charta cõbusta.*

*Sinui curando utilia medicamenta quæ sint.*

*Metallica omnia fortiri maiorem uim exiccandi, ubi pluscũlum ebullierint.*

*Effluxui prius esse faciendam sectionẽ aptam.*

*Melicratum esse aptũ sinus cõglutinando.*

*Sinus quando abluẽdus ex uino.*

*Vinũ sinus glutinat.*

*Sinus quomodo deligandus.*

humores uitiati, si qui excernuntur à sinu, facilè effluere possint, paruo aliquo alio ipsi imposito emplastro, usq; ad solutionẽ: quam tertia quaq; die faciens, auferes hoc ipsum, quod ueluti operculum hæret: id quod per totũ sinum circumiectum est medicamentũ relinquens. Iam uerò ex quãtitate, & qualitate emanãtis humoris, prætere a ex dolore, uel indolẽtia, tumore, uel depressione partis affectæ, cognosces num pars ipsius sinus profunda sit probè cõglutinata.

*Sinum glutinatum esse ex quibus signis colligi possit.*

Siquidem si neq; in ipso sinu dolor sentiatur, neq; tumor appareat, sed totus locus depressus, siccus, atq; expers doloris existat, uiderisq; ad osculũ pus exactè concoctũ, necnon quantitate paucum, bene sperandum est de sinus glutinatione. Si autẽ cõtraria se ostendant, nõdum sinus cõglutinatur.

*Medicamenta sinus circumlinenda, esse debent vehementer siccantia.*

Sit uerò medicamentũ quod circũlinitur sinui, uehementer siccans, citra tamen mordacitatẽ: quale utiq; nostrum existit, sine cera confectum ex metallicis medicamentis elixatis, & oleo cicino, & aceto: quod nimirũ uulnera cruenta conglutinat, sinusq; sine molestia siccat, si lixiuio prius sordes ablutæ fuerint. Porrò ubi qui abscesserunt tumores tardè secti fuerint, cutis ipsa admodũ extenuat, redditurq; laceræ uesti persimilis.

*Cutis laceræ in abscessibus medicatio.*

Quo tempore utendum medicamẽtis est, substãtia quidem humidis, potentia autẽ siccis: quale est quod cõstat ex lithargyro, & suillo adipe antiquo, & chalcitide, quibus additum sit uetustissimũ oleum. Cõfert etiam in lacera cute nõ minus mel, si usq; ad consistentiam emplastri elixetur. Satius tamen fuerit ei myrrham subtiliter tritã, aut aloen, aut thus, aut aliquod ex his, uel omnia simul aspergere, tum præcipuè, cùm linteo inunctũ humidius apparet. Vsus etiam sum aliquãdo & tenui centaurio, q̃d mirũ est ad eiusmodi medicamen. Post ipsum uerò & symphytũ utile est: deinde ireos Illyricę radix. Postea farina ex orobis: omnia hæc & per cribrũ subtile transmissa, & inspersa melli, dum ab igne amouetur.

De gangræna. Cap. IX.

*Gãgræna quid.*

Nunc uerò opportunum uidetur de gangrænis aliquid dicere. Sic enim uocant mortificationes eas, quæ ex magnitudine inflammationum fiunt, nondum tamen absolutè sunt factæ.

*Membrum mortificatum, quatenus sit abscindendum.*

Etenim cùm ita membrum effectum est mortuum, ut nec punctionẽ, nec sectionẽ, nec etiam ustionem sentiat, statim ipsum recidere oportet, quà uicinam sanam partem attingit. Cæterùm quod sic affectum est, denigratur. Quod uerò in medio consistit ut ad mortem proficiscatur, appellatur gangræna.

*Gangrænæ curatio.*

Curatur autem, euacuantibus quidem nobis plurimũ sanguinis, qui in patiente membro compingitur (cuius causa mortificationes fiunt) reliquo autem, exhibentibus transpirationem. Igitur aut cutem uniuersam multis sectionibus profundis secare oportet, unà cum subiecta substantia: aut plurimis scarificationibus profundis incidere. Vbi uerò sanguinem effluere permiseris, imponendũ aliquod medicamen est, ex ijs quæ ad putrescentia conducunt:

*Putrescentibus apta medicamẽta quæ.*

cuiusmodi est ex oxymelite farina orobi, loliiue. Si uerò talia non adsint, fabarum farinam adhibe, atq; ipsum oxymel solũ. Quòd si fortius medicamen apponere uis, adijce sal, aut ex trochiscis aliquẽ exquisitissimè tritum, qualis Andronis, & Polyidæ, & Pasioois, & Musæ existit. Verùm qui duras natura carnes sortiunt, ij fortissima medicamenta desiderant: mollia uerò, qui teneras. Ad maiorem autem securitatem, quãdo abscindis aut circũcidis id q̃d iam putruit, satius est ipsius mali radicem, parti sanæ coniunctam, adurere, uti sæpius cõsueuimus in pudendis facere, nonnunq̃ ipsis affectis partibus admouentes cauteria, nõnunq̃ linamentũ interponentes.

*Adurendã esse radicẽ putrescẽtis particulæ.*

Facta uerò adustione, solemus uti succo porri, aut, si is non adsit, recitatis trochiscis: ad detrahendam autẽ crustã, medicamento dicto Cephalico, ex melle utere: aut pane ex hydrelæo decocto.

*Escharam quæ detrahant.*

Iuuat etiã hordeacea farina similiter præparata, aut cum ipsa triticea mista, illitaq;. Præterea tetrapharmacum, & Macedonicum nominatũ sunt crustarum suppurationibus, atq; earũ excidentijs accõmodatissima: & quæcunq; uim habent perducendi ad suppurationẽ. Panis etiam cum apio, uel ocymo tusus, optimè crustas disrumpit, & à sanis partibus eximit. Ex simplicibus autẽ medicamentis, iris, uel radix panacis, uel aristolochiæ, uel acori ex melle. In mollibus uerò corporibus sat est farina orobi, cum melle, uel thure. Aufert etiam crustas Machærionis medicamentum. Cùm uerò exciderint crustæ, atq; huiusmodi ulcera idoneis medicamentis carne repleta fuerint, debet induci cicatrix.

De Cancris. Cap. X.

*Cancri ubi & ex quo humore gignantur.*

Carcinosi tumores in omnibus consueuerũt fieri corporis partibus, sed præcipuè in mamillis mulierum, * quæcunq; naturali sua purgatione priuant. * Nam quandiu hæc, ut oportet, adfuerit, tandiu mulier integra sanitate fruetur. Hi uerò tumores omnes ex atræ bilis recremento gignũtur.

*Atra bilis expurgatur à liene, quem alit.*

Qui humor fæci uinariæ similis, dum sanguis in hepate fit, ab splene expurgatur, cui est nimirũ nutriendo. Cùm igitur naturalis temperatura hunc humorẽ paucum genuerit, optimaq; uictus ratio præcesserit, & ex ipso qui generatur, splen abundè satis attraxerit, nulla huiusmodi superfluitas coaceruatur in uenis. Si uerò contraria accidant, tunc succus is melancholicus multiplicatur in uenis, à quibus nonnunquam, facultate expellendi extranea præditis, per hæmorrhoidas excernitur. Sæpius autem & ad uarices decumbit.

*Atra bilis quos morbos excitet.*

Quandoq; ad cutim uniuersam expellitur, ubi gignit elephantiasim. Est cùm ad alias corporis partes, quæ cæteris imbecilliores sunt, humor iste decumbit. Quo tempore euidenter apparent quæ in loco affecto sunt uenæ, crasso & nigro sanguine imbutæ. Qui quidem quãtò crassior fuerit & nigrior, tantò deterior est passio. In mamillis autẽ sæpe uidimus tumorẽ figura animali cancro persimilẽ.

*Cancri duplex curatio.*

Hunc igitur morbũ per sui initia sæpe sanauimus, medicamentis quæ atram bilem educerent. Vbi uerò in molem insignẽ attollit, curari sine chirurgia nõ potest.

*Cancri medicatio periculosa.*

At scopus in huiusmodi curatione est, totũ qui circunstat tumorẽ præter naturam, quà partibus sanis adhæret, abscindere: ob uasorum tamen magnitudinem, præsertim si fuerint arteriæ, profluuij sanguinis statim periculũ imminet. Quòd si laqueis ipsa excipias, * per consensum

afficient cõtinuæ particulæ. Si uerò radices mor bi exurere animus sit, neq; huic rei maximũ periculum deest, * si prope loca principalia insignis adustio fiat. Porrò in Alexãdria plurimi, ob crassam uictus rationẽ, atq; regionis feruorem, elephantiasi corripiũtur. At in Germania & Mysia, rarisima hæc pasio uidetur: & apud Scythas lactis potatores, nunq̃ ferè apparuit. Huic igitur morbo melancholici succi conferunt purgationes. Quòd si ætas atque uirtus permiserint, sanguis prius mittendus est. Sed neq; in cancris inutile est, ubi nihil prohibet, primò sanguinẽ mittere, ac dein purgare enocareq; mẽstrua, si sint mulieres, nec attigerint quinquagesimũ annũ. Ipsi autẽ patienti particulæ, succus solani imponat, uel medicamen ex pompholyge cõstans, quo utor ad cancros exulceratos: uel etiam quod ex chalcitide fit, si copia illius nõ detur. Quod pertinet ad uictus rationẽ, succus ptisanæ abundanter est exhibendus, & serũ lactis: at ex oleribus, malua, atriplex atq; blitum. Cucurbitis etiam, si occasio ferat, utendum, & piscibus saxatilibus, auibusq; omnibus, exceptis palustribus.

*Elephantiasis in Alexandria inualescit plurimum.*

*Elephantiasim in Germania repertri rarisimè Gal. affirmat.*

*Cancri exulcerati remedia.*

*Cancri uictus ratio cõueniens*

De elephantiasi. Cap. XI.

At iis qui elephantiasim patiunt, mirabile auxilium est uiperarũ esus. Quas quidẽ, ubi caput, caudamq;, usque ad digitos quatuor abscideris, excoriaueris q;, ac deniq; interanea exemeris, in olla prius ablutas coques, donec exquisitè molles reddant. Adiicere tamen debes aquæ, in qua illæ elixantur, porrũ, anethumq;, & olei nõnihil. Ipsum etiam medicamentũ confectũ ex uiperis, confert in potu exhibitũ, iis qui huiusmodi morbo laborant, uel cuti etiam illitum. Porrò ad sanandas strumas, optima sunt quæ astringere & exiccare, & pus etiam facere possunt. Ad meliceridas autẽ, quæ ipsas dissoluendi uim habent, & quæ pus discutiunt medicamenta. At uerò curatio hydropũ, ad has tres reducitur intentiones: ut sanemus durũ tumorẽ, quo uiscus affligit: & apponamus ea quæ humiditatẽ dissoluãt: & propinemus medicamenta quæ moueant urinas.

*Elephanticis esu ducit uiperarũ esus.*

*Vipera concinnatio.*

*Theriace elephanticis cõfert comesta, illitaq;.*

*Hydropis curationes sunt tres.*

ILLVSTRISSIMO ET SAPIENTISSIMO VIRO, D. D. IOANNI FVRTADO A MENDOZZA, APVD VANETOS ORATORI CAESAREO LONGE DIGNISsimo, Andreas Lacuna Secobiensis, Doct. Med. miles S. Petri S. D.



*Ix maximã ingratitudinis notam, aut declinare, aut eluere, semel inustam, possem, uir illustriss. si ex lucubratiunculis meis, sub umbra amplitudinis tuæ ad absolutionẽ perductis, portionẽ aliquam tibi nõ impertirer. Nam cùm ex mercimoniis singulis, quæcunq; inter subditos Cæsaris in hac Venetorũ urbe splendidissima cõtrahuntur, ad egregiũ & consularem uirum Thomam Sornozzam, uel Cæsareo decreto, nõnihil frugis pertineat, quòd perpetuò illis patrocinetur, eorumq; uniuersas lites cõponat: multò magis, mea quidem sententia, rationi cõsentaneum uidetur, ut optima quæq; ingenia, quibus cõtigit huc suos labores aduehere, ex meditationibus suis aliquod dignationi tuæ literariũ etiã tributũ pendant, à qua nimirũ fouentur, aluntur, locupletantur: cuiusq; in studiosos omnes patrociniũ atq; benignitatẽ sum ipse omniũ maximè expertus. Consiliũ imprẽsentiarũ est præterire silentio immortales istas uirtutes tuas, prudentiã, temperantiã, cõtinentiam, cõstantiam, animi magnitudinẽ, multiplicemq; doctrinã, quibus totus splendes: ne aut earũ sublimitatẽ claudicante oratione nõ assequar: aut reluctari uidear singulari modestiæ tuæ, quæ ut popularem semper auram cõtempsit, sic nihil magis exosum habet, quàm huiuscemodi encomia. Amplissimũ quippe integritatis tuæ, uel me tacente, argumentũ est, quòd CAROLVS V. Imp. te præter expectationem uocauerit, ut in hac tam augusta Repub. uices suas gereres, grauissimaq; administrares negocia. Cùm igitur minimè cõtemnẽda artis medicæ pars, in uacuatione redũdantiũ consistat: ac uacuatio quidem ipsa, partim per uenæ sectionem, partim per purgantis pharmaci exhibitionem, partim per hirudines, cucurbitulas, atq; scarificationẽ soleat administrari: haud ab re me facturũ existimaui, si Galeni tres cõmentarios de phlebotomia, quorũ primo titulus est de uenæ sectione aduersus Erasistratũ: secundo, de sectione uenæ aduersus Erasistrateos Romæ degentes: tertio, de curandi ratione per uenæ sectionẽ: ac præterea alios tres, unum de hirudinibus, cucurbitulis, & scarificatione: secundum, de purgantiũ medicamentorũ facultatibus: tertiũ demũ, in quo docetur, quos nam purgare, & quando, qualibusq; medicamentis oporteat, offerrem amplitudini tuæ: hisq; etiã ueluti auctarium quoddam adiungerem libellum de ptisana, consiliumq; à Galeno conscriptum puero cuidã epilepsia laboranti. Nihil ergo iam superesse uidetur, nisi ut ipse, Pater obseruandiss. hosce octo cõmentariolos, pusillos quidem, si chartularũ tantũ ratio habeatur, sed mortaliũ uitæ admodum salutares, pignora quædam officij erga te mei, quam benignissimè excipias, munerisq; tenuitatem non asperneris, memor eos qui thure carerent, fuisse olim diis mola salsa litare solitos. Vale, Musarũ hospitium amplissimum. Venetiis, ex ædibus tuis, III. Idus Aprilis, M. D. XLVIII.*

GALE-

## GALENI PERGAMENI
### de venæ sectione aduersus Erasistratum, lib. vnus.

Ihi quidem illud inquisitione q̃ diligentissima dignũ esse uidetur, cur nam Erasistratus, cùm cætera quæ ad artem spectant omnia, etiã minima quæq;, satis superstitiosè tractarit, de uenæ tamẽ sectione, præsentaneo illo unicoq; remedio, & quod apud ueteres fuit maximi ponderis, ne minimũ quidem, nisi obiter & per transennã, sermonẽ fecerit. Nam dum ait, inflammationes (exempli gratia) quę uulneribus superueniunt, uacuatione quæ per inediam fit, esse curandas, miror sanè, quòd auxilio expeditissimo omisso, ad tardissimũ, minimeq; tutũ cõfugiat. Ego uerò, quandoquidẽ per inflãmationes necessaria uacuatio est (uel Erasistrati testimonio) eam omniũ facillimã promptissimamq; uenæ sectione perfici arbitror, utpote per quã ipsas etiã phlegmonas solas, celerrimè curare possimus: cùm è diuerso inediæ, præterq̃ quòd longũ tempus requirant, æqualiter etiã uniuersum corpus euacuant, id quod certè nõ est expediens: ut interim alia reticeam incõmoda, quæ inedias *longas necessariò sequuntur: cuiusmodi sunt uirtus defatigata, succi biliosiores atq; amarulentiores effecti, morsus cordis frequẽtes, inquietudines, deiectiones suppressæ, ac breuiter, omnia recrementa * mordaciora & acriora reddita. Quorũ Erasistratus nihil animaduertens, cęcorũ more, qui amplam cõpendiosamq;, & planam uiam in propinquo habentes, sæpenumero angustã, prolixam, asperamq; errabundi ineunt, & ipse propinquam admodũ, satisq; expeditã & amœnã semitã aspernatus, ad impeditã illam, salebrosam, & longam se cõtulit: quippe qui hoc tantũ considerauerit, num quò ipse contendit, uia eò uergat: nõ autẽ, an cõpendiosè, & sine periculo ducat. Nam quòd uel inedia ad plenitudinis uacuationem cõferat, ego nõ eo inficias: uerùm longo tempore, magnoq; cum nocumento, eam efficere id profiteor. Iam uerò cùm Erasistratus perpetuò admiretur naturã, ceu artificiosam, prouidamq; animaliũ gubernatricem, nusquã tamen eam imitatur. Aut cur illam plurimis morbis sanguinis euacuatione medentẽ cernens, ne in uno quidem, ipse tali præsidio utitur? Itaq; mihi aut modis omnibus demẽs, aut in naturæ operibus quàm minimè uersatus esse uidetur. At omniũ bonorum, quæ ad medicam artem spectant, nobis autor Hippocrates, nos monet accuratissimè (id quod etiam Erasistratus nos monere debuisset) ut quandiu natura fortis atq; uegeta existens, sese ad crisim accingit, nõ perturbemus quidẽ motum ipsius, perficiamus autem ea, quæ superata morbosarũ causarũ uehementia, nõ potest ad integritatem perducere. Quæ iudicanť, & iudicatã sunt (inquit) integrè, nec mouere, nec nouare, sed sinere. Istud quidẽ habes propriũ naturæ integrè mouentis præceptũ. Quod uerò huic succedit, naturæ & ipsum, uerũ diminutè ad crisim mouenti congruit: eamq; ob rem ut illi simus auxilio iubens, ait: Quæ ducere oportet, hæc quò maximè natura uergit, per loca cõferentia, ducẽda sunt. Natura siquidẽ tum temporis expellere aduersariũ conatur: cùm autẽ præ imbecillitate imponere operi finẽ nõ possit, auxiliũ nostrum implorat. Propterea etiã laborantes dolore lateris, iugulũ affligente, aut regionẽ quæ supra præcordia est, secta interna cubiti uena dicit esse uacuandos. Vbi uerò dolor sub septo transuerso fuerit, ut subducať aluus uel nigro ueratro, uel peplio, cõsulit. Similiter in quopiã renũ affectu, uenam quæ in poplite est, incidendam censet. Idem etiã Margei famulam, cui ob contortũ ad uertebras coxarũ os, uteri purgatio suppressa erat post partum, atq; inde grauis dolor secutus, restituit, uenam prope malleolũ secans q̃uis tremores totũ corpus iam occupassent. Sed neq; ex ijs qui rationalem empiricamq; sectam amplexi sunt, quisquã à uenæ sectione abstinuit. Vt autẽ naturæ opera producamus, an nõ ipsa cunctas mulieres singulis mensibus, quòd ob ignauiã & ociũ, multitudinẽ humorũ coaceruẽt, superfluo sanguine euacuat? An nõ etiam idem post partũ molitur, q̃uis fœtura ipsa quędam species uacuationis existat? Ad hæc uerò, postquàm fœtus æditus est in lucem, lactis generatio in mamillis non parua & ipsa euacuatio plenitudini existit. Vna siquidem & lactis & menstruorum substantia est: amborumq; (ut quispiam dixerit) riuorũ fontes cõmunes, sunt uenæ. Quamobrem quibuscunq; per ætatem menses fluere cessarunt, ijs neq; in mamillis lac amplius gignitur. Quæcũq; etiam purgandi tempora adhuc habent, atq; interea lactant, eæ nõ purgantur. Præterea cùm lactanti mulieri sanguis per locos erumpit, ilicò huic lac euanescit. Insuper quæ animalia non gerunt utero, ijs neq; lac unquam adest: rursus quibus id suppetit, illa etiã ad cõcipiendum idonea sunt. Porrò si mulier per excretionẽ illam menstruã probè expurgeť, nec podagris, nec articulorum doloribus, nec pleuritide, nec peripneumonia, nec alijs deniq; ex plenitudine affectibus infestabiť. At mẽstruis retentis, eam cuilibet malo implicari facilè est: huicq; rursum euacuationes medenť. Ex hominibus etiã, quibuscũq; pro consuetudine superflua per hæmorrhoides uacuanť, ij omnes uitã morbis minimè impeditam agũt: quibus item supprimunť inanitiones, hi in perniciosissima quæq; labunť. Ac proinde cùm uel in tremorẽ, uel in hydropem, uel in aliũ affectum frigidum, mas quidem ob hæmorrhoidũ, mulier uerò ob mensiũ retentionem, inciderit, Hippocrates cõmendat meritò euacuationẽ sanguinis, per cõuenientia loca, cùm nimirũ cõtrariorum contraria remedia existant. Natura quippe (quã ille uir imitatur) inediam adiectione, repletiones euacuationibus, frigus calfactionibus, caloresq; refrigerationibus curat. Nam (ut alia multa subticeam naturæ miracula) frequenter conspexi canem sese prouocantem ad uomitum. Vidi & auem Aegyptiam, quæ clysmũ imitabatur. Grues etiã, aquilasq;, prælongo usq; ad ultimos terrarũ fines uolatu, partim frigus, partim æstum uitantes, quò cõtraria cõtrarijs propulsent, uidere licet. Sectio itaque uenæ (ut eò unde digressa est, nostra reuocetur oratio) ob

*Erasistratus ne minimum quidem sermonem fecit de sanguinis detractione.*

*Phlegmonas vacuari facillimè promptissimeq; per sanguinis detractionem.*

*Inedia vt euacuent phlegmonem, longũ tempus desiderant, ex aquoq; vniuersum corpus maninut.*

*Inedijs longis quæ incommoda soleant superuenire.*

*Inediam vacuare, sed longo tempore, & cum periculo.*

*Natura plurimos morbos soluit per excretionem sanguinis.*

*Naturam non esse impediendã sed iuuandam, monet Hippocrates.*

*Pleuriticí quomodo sint vacuandi ex doctrina Hippocratis.*

*Menstrua cur mulieribus profluant singulis mensibus.*

*Lactis & menstruorũ vna substantia est.*

*Lac ijs non gignitur, quibus menses cessarũt.*

*Lactantes non purgantur.*

*Lac ijs non adest quæ non gerunt vtero.*

*Mulier cui menses probè fluunt, quib. morbis nõ infestetur.*

*Hæmorrhoides fluentes suppressæq;, quorum bonorum atq; malorum existant causa.*

*Contrariorum esse cõtraria remedia.*

*Bruta sibijpsis natura duce, medentur.*

*Sanguinis detrahendi menſurã. quàm aliorum auxiliorũ, multò facilius deprehendi.*

cauſas dictas perperã ab Eraſiſtrato omittitur. Quòd autẽ menſura in uenæ ſectione multò facilius deprehendatur, q̃ in cæteris quibuſuis auxilijs, hinc declaratur. Nam & coloris mutationem, nunc quidẽ in ipſo fluente ſanguine, nunc uerò in ægrotantis corpore, diſpicere licet. Animi quoq; defectio in plurimis affectibus uacuationis terminum obtinet: quemadmodũ ſanguinis fluentis uigor langueſcens, & pulſus mutati.

*Sanguinis euacuationis ſiſtendæ, medicus habet liberam poteſtatem, aliarũ autẽ nequaquã.*

Adde quòd & medicus huius ſolius euacuationis liberam habet facultatem ſiſtendę, quandocunq; illi placuerit: aliarum autem nullius. Nam ubi propinandũ ſit aliquod medicamen, prima exhibitio in tua poteſtate ſita eſt: cætera uerò, fortuna adminiſtratrice obtingunt.

*Purgationi ſuperuenientia diſcrimina.*

Ingens præterea in propinationibus pharmacorum periculum eſt, cùm uel non cõmouetur purgatio, uel quod in aluũ attractum eſt, nõ facilè excernitur, uel cum dolore, torminibus, refrigeratione, pulſuũ euaneſcentia, ac defectu animi exprimit: uel cùm corpus uehemẽter perturbatur, interimq; paulùm admodũ euacuatur, aut euacuatio modum excedit: id quod ſępius, ceu extremũ malũ, contingit. Neq; enim ut uenæ inciſæ fluxũ mox digito ſuperpoſito ſiſtes, ſic ſiſtere alui profluuiũ poteris.

*Cibi in menſura erratum, grauiſsima incommoda inducit.*

Cibi etiam cuiuſq; in menſura erratum grauiſsima incommoda inducit: ut in hominibus extenuatis & imbecillibus cõſtat. In quibus ſi quid minus, q̃ par ſit, nutriat, uirtutem tabidã reddet. Si uerò modum exuperet, naturę potius oneri, q̃ nutrimento, fuerit, illamq; penitus & extinguet & ſuffocabit. Vt autem funditus Eraſiſtrati opinionẽ euertam, ſolam inſtituentis inediam, ad euacuandas omnes inflãmationes, nemo ignorat, mea quidem ſententia, inediam ipſam priuationem quandam exiſtere, ac proinde nec nutrire, nec euacuare poſſe, cùm inter inanitionem & uacuationem ſit media.

*Inedia, priuatio cùm ſit, nec nutrire, nec inanire poteſt.*

Nec uerò exiſtimandum eſt, aliquem unquam periſſe ob inopiam ciborum: alioqui animantia deliteſcentia in latebris ſine ciborũ copia, perdurare nequaq̃ poſſent, quemadmodũ certè perdurant: quia nutrimento non indigent: quandoquidem ob deſidiam atq; torporem, in quo uerſantur, necnon ob aſtrictam cutem, nihil ab eorum corpore exhalat, quod cibo inſtaurari poſtulet. Itaq; nõ inedia, ſed raritas cutis euacuat: quam ſi frigore & quiete denſaueris, quid commodi fuerit ex fame expectãdum? Cæterũ dum Eraſiſtratus cuiq; inſtituere inediam contendit, uidetur mihi ipſemet affectuum qui inedia opus habeant, autor & promotor exiſtere.

*Interijſſe ob ciborum inopiam neminem.*

*Latentia abſq; cibo durare.*

*Inediam nõ, ſed raritatem cutis uacuare.*

## GALENI PERG. DE VENÆ ſectione aduerſus Eraſiſtratæos Romæ degentes, lib. Vnus.



Vm Romam initiò ueniſſem, incidi in medicos quoſdam, qui à uenæ ſectione tantopere abhorrebant, ut cùm aliquando æger quiſpiam propter plenitudinẽ iam præfocaret, ne tum quidem hoc auxilio uti uellent: idq; ſecuti Eraſiſtratũ, qui nuſquã uenæ ſectionẽ probans, omnes inflammationes ſola inedia euacuandas eſſe cenſebat.

*Inflãmationes omnes ſola inedia euacuãdas eſſe cẽſebat Eraſiſtratus.*

Qua in re quãtopere uir ille hallucinatus fuerit, quis nõ cernat? Etenim ſi ob id inedias probamus, quòd uacuatis per eas uenis, affectũ minui cõtingat: multò hercle cõmodius fuerit, ut ſemel adhibita euacuatione, potiſsimũ quæ per ſectam uenã adminiſtraſ, ab inedijs abſtineamus, ut quæ & ægrotos ingẽti moleſtia ſoleat afficere, & uigilias, & inquietudines, afflictionemq; oris uentriculi, tum corruptionẽ ſuccorum, necnõ alui, atq; interdum urinæ ſuppreſſionẽ inferãt.

*Inedia, quę inducere ſoleant ſymptomata.*

Quamobrem nõnulli in Romana urbe medici, præcipuè qui medebanſ mulierib. cùm exploraſſent infelicẽ cuiuſdã puellæ, ob nõ ſectam uenã, ſucceſſum, in quibus ſanguis ferebatur ad ſuperiora, tempore quo eruptio menſtruorũ expectabaſ, uenæ ſectionẽ iam uſurpabant. Nec uerò quietẽ, nec inediã eis iniũgebãt, ſed melicratũ propinabant: nictuq; humectante ac lauacris affatim uti eis permittebãt. Ab his enim, ſi uel mediocri quantitate ſanguis fuerit detractus, purgationes exoriri cõfeſtim ſolent, pręſertim ſi infra poplitem, aut iuxta talum uenæ ſectio fiat.

*Menſes euocant uenæ ſectæ infra poplitẽ, aut iuxta talum.*

Sin autẽ quis uena ſecta iniunxerit ipſi mulieri inediam, menſes prius fluentes cohibebit, inculpabilesq; reprimet purgationes. Sãguis namq; ciborũ inopia areſcit, ac denſior ſeipſo redditur: eamq; ob rem, ad fluxum ineptus euadit. Quæ igitur tum lotæ fuerint, melicratumq; & cibos idoneos ſumpſerint, ac uinum neq; auſterũ, neq; craſſum biberint, his purgationes proculdubio cõtingent: ob idq; ego inedias poſt uenæ ſectionem nõ fruſtra tantũ, uerumetiam adhiberi cum magno damno profiteor.

*Inedias poſt uenæ ſectionẽ cum magno damno adhiberi.*

Iam uerò cùm noſtra hac tempeſtate mulieres quædam Romanæ frigidiſsimã ex niue potarãt, ob idq; aut nullo pacto purgarentur, aut diminutè: eas tamen medici ſectione uenæ adeò incolumes ſeruauerunt, ut nec ſanguinem ſpuerent, nec pleuritide, peripneumonia, aut angina unquã corriperentur.

*Menſtrua quibus ſuppreſſa ob niuis potionem fuerãt, uenæ ſectiõe ſuccurſum fuiſſe.*

Porrò in auſpicijs inflammationum, omnis ſorbitionũ ciborumq; adiectio ſubtrahenda eſt: ntendum uerò uenæ ſectione. Siquidem inflammationes quæ febres faciũt, ut plurimũ ex plenitudine fiunt. Quamobrem ſi naſa nutrimẽto impleantur, maiores ac uehemẽtiores ipſæ inflãmationes reddenſ.

*Inflammationũ curatio.*

Cæterũ ſi adoleſcentes qui neq; de ſanguinis detrahendi menſura, nec de uenarum ſecandarũ ratione quicquã audiuerint, ad præſidium hoc ſeſe accingant, ægros in exitium perducent. Plures namq; ob perperàm ſectam uenam perierunt, q̃ quibus adhibitũ id auxiliũ nõ fuerat. Quippe ſeniores medici tum tẽporis uenas ſecantes, utebanſ alijs euacuatorijs auxilijs, quæ idem q̃d & uenæ ſectio, uerũ longiore tẽpore, efficere poterãt: niſi quòd quandoq; ob principem partẽ affectã, aut ob plenitudinis exuperantiam, æger morte præoccupabaſ.

*Vena ſectione perperàm adminiſtrata periſſe plures, quàm quibus adhibitum id auxiliũ non fuerat.*

Verũ qui febres cunctas in principio uenæ ſectione indigere autumant, nõ mediocri eriã noxa ægrotos afficiunt. Itaq; minus aberrare eos conſentaneum eſt (ut Plato ait) qui nõ aggrediunſ illa quę ignorant, quàm qui ea tractant, quæ didicerunt nunquam. Porrò quòd uas aliquod ruptum poſsit abſq; inflammatione coaleſcere, dummodo nos cętera ritè adminiſtrauerimus, ſanguinisq; quantum nobis uiſum fuerit, in tempore euacuauerimus,

*Febres cunctæ in principio nõ egẽt uenæ ſectione.*

*Peccare qui plus aut minus docetur.*

mus, liquidò constat. Frequēter siquidē uidimus, quum quibusdam pugnantibus singulari certamine* totum crus brachiúmue dissectum esset, coaluisse tamen uulnus, anteaquàm inflammatio oriretur: quod quidem multò magis continget, si (ut Hippocrates ait) illicò sanguis copiosus fluxerit. Sæpius etiā uulnus in cauas thoracis partes illatum, triduò conglutinatum uidimus. Quòd autem Erasistratus nusquam fuerit usus uenę sectione, hinc perdiscere licet, quòd in plenitudine omni semper inediam iniungat: id quod neutiquam facturus esset, si eam sanguinis detractione uacuaret: quum minimè consentaneum rationi sit, ut quis circa unum eundemq; ægrum, utraq; auxilia, nempe inediam, & uenæ sectionem, usurpet. Nec uerò existimandū est, phlethoricos omnes sanguinis esse detractione uacuandos. Prius siquidem distinguenda natura plenitudinis est, habitudoq; & ętas ægri expendēda: tempus item, regio, & aëris constitutio consideranda: necnon quæcunque antecesserunt, quæq; ipsum ægrum etiamnum infestant symptomata. E conuersò alios plerosque tibi ob oculos ponam, qui absque repletione quum sint, nihilominus uenæ sectione opus habent.

*Inediam & uenæ sectionem simul circa unum eundemq; ægrū, minimè esse usurpandam.*

*Plethorici omnes nō egent uenæ sectione.*

*Venæ sectione pleriq; indigent qui tamē extra plenitudinem sunt.*

## GALENI PERGAMENI DE curandi ratione per missionem sanguinis, liber Vnus.

*Sanguinem detracturo quæ cōsideranda.*



QVi de sanguinis missione speculant, primò quidē inuestigare debēt, quænam corporis affectiones euacuatione indigeant. Secundò, quæ illa, quæ per sanguinis fit detractionem. Tertiò, qui innoxiè hanc ferre possint euacuationem. Quartò, quonam potissimū tēpore ipsa molienda sint. Quintò, quā ex uenis secare oporteat: quum & in hoc nimirū haud parū intersit, hánc ne, an illā incidas. Porrò hac quoq; contēplatione absoluta, succedit de scopis oratio. Quibus mentem adhibens quis, uacuationis modum facilè per coniecturā inuenerit: nec non in quibus semel auferre præstet, & in quibus repetitā ablationē moliri: tū in quibus nam inanire usq; ad animi expediat deliquium: & in quibus id, ceu summū malū, uitare. Cùm autem per omnē uitam, omnia quæ in quæstionem ueniunt, duo inuentionis organa obtineant, nempe rationem & experientiā: necesse esse arbitror & nunc quoq; me, aut ratione sola, aut sola experientia, aut iunctis ambabus, quæ proposita sunt, scrutari. Si quis ergo affectiones quæ uacuatione indigent, uelit experientia collectas exponere, sola opus est ad explicationem memoria. At si uia rationali id efficere instituat, necesse est, ut prius cōmune ac generale inueniat, ex illiusq; deinde in species differentiasq; sectione, usque ad species ultimas, affectuum numerum, uacuationem desiderantium, inueniat. Etenim ratio ipsa, hæc quidem, ex cōmunibus tantùm progrediens notionibus, inuenit & demonstrat: hæc autem, etiam quæ ex istis inuenta sunt, ad demonstrationem adhibet. Ac priori sanè ratione, omnes artes, omnesq; homines uti assolent. Secunda uerò, non omnes homines: nam propriè ad artifices pertinet. Eam igitur nos impræsentiarū sequuti, utemur multis, quæ in alijs cōmentarijs sunt demonstrata. Nempe complures esse facultates quę animalia gubernant: quarum alias naturales, alias animales uocari. Generationis autem principijs pro materia, quatuor elementa subijci: eaq; tota per sese mutuò misceri: esseq; inuicem in se agere nata, idq; per qualitates suas effectrices, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem: ex quibus utique omnium temperamenta constantur. Præterea dari duplicem plenitudinem, nempe secundum uasa, & secundum uires: primariasq; actiones, à similaribus corporibus perfici: ut secundarias ab instrumentarijs. Quum igitur plenitudo bifariam & fiat, & dicatur: uno quidē significato, ut ad uires: altero, iuxta laxitatē continentium uasorum: utriq; sanè opus est uacuatione, siue ea in homine ualetudinario, siue etiam in ualente contigerit. Voco enim plenitudinem iuxta uasa, magnam humorū colluuiem, ipsa uasa tendentium. Iuxta uires autem, eam quę uel si minimè uasa distendat, uires tamen grauat, & premit, hominemq; reddit ad motiones pigrum & tardum. Quòd si simul adsit ulcerosus etiam aliquis sensus, ac potissimum dum mouemur, signum est affectum ipsum uitiosi succi esse sobolem. Quandoq; autem & in partibus quibusdam corporis, non in tota mole, plenitudines adsunt similes ijs, quæ uniuersum corpus solent opprimere. In omnibus igitur id genus affectibus, maximè ex usu sunt uacuationes humorum, aut uaporum, aut spirituum peccantium: minimè tamen semper sectio uenæ desideratur, sed sufficit interdum purgatio, frictio, balneum, inunctioq; ex aliquo digerente medicamento. Quæ autem affectiones uenæ sectione indigeant, deinceps dicemus. Non solùm nutrimentum animantis partibus præstat sanguis, sed calorem etiam naturalem conseruat. Itaque ipsius cordis calor interdum quidem seipso minor efficitur, aut propter sanguinis copiam, à qua nimirum extinguitur, aut propter ingentem inopiam, aut propter frigidam qualitatem: interim uerò maior, aut propter calidam sanguinis qualitatē, aut propter exiguā inopiam. Quicquid autem cor in caliditate frigiditateq; perpetitur, eius quoque & aliæ corporis partes protinus participes fiunt. At quæ membratim accidunt caliditates, aut frigiditates, eas quæ parti quidem affectæ uicinæ sunt, unà alterant, in totum tamen extendi corpus, priusquàm cor immutent, non possunt. Cæterùm quandoquidem omnia simul calida & humida* citissimè computrescunt, sanè si quod nutrimentum suggeritur à uentriculo ad hepar, à natura non superetur, inq; probum sanguinem non conuertatur, aliàs aliam perpetietur putredinem. Quum autem quæ ex materia putrescunt calida, quàm antea calidiora reddantur, calidior profectò erit ipse sanguis putrescens, ac proinde etiam particula, in qua ei putrefieri contigerit. Quia uerò ab insigniter calidis, simul quę uicina sunt incalescunt, utique calor ille acris & mordax (qualis à putredine oritur) illis quæ ulterius sunt, communicabitur. Ergo si pars quæ hoc pacto incaluit, insignis sit, aut calorem suum in cor extendere ualeat, unà & ipsum accendet, ut quod natura calidissimum sit. Quòd si semel illud accensum fue-

*Inuentionis organa duo, ratio atq; experiētia.*

*Ratio duplex.*

*Facultates animal dispensantes sunt plures.*

*Elementa quatuor subijci principijs generationum, eaq; tota per tota misceri.*

*Plenitudo est duplex. nempe iuxta vires, & iuxta vasa. quarum vtraq; eget euacuatione.*

*Plenitudo iuxta vasa quid.*

*Plenitudo iuxta vires, quid.*

*Sanguis non solū alit animal, sed calorē eius naturalem conseruat.*

*Cordis calor unde minor atque maior reddatur*

*Cordis intemperies protinus cæteris partibus cōmunicantur.*

*Putrescunt citissimè calida & humida.*

*Putrescentia reddi calidiora quàm antea.*

*Febris quid.*

rit, facilè totum ipsius iam corpus simul excalfiet: qui affectus uocatur febris. Nonnunquam uerò, prius quàm computrescat sanguis, ingens ipsius uis decumbit in partem aliquam: quam aut extinguit omnino, ita ut actio ipsius pereat: aut illi certè noxam non contemuendam infligit. Hoc siquidem pacto apoplexiæ proueniunt, multo nimirũ sanguine incumbente cõfertim in animãtis principium. Quòd si in aliam particulam ruat, tumorem inibi præter naturam excitat. Cuius generis phlegmone existit. Verùm si crassior sit, atræq; bilis magis naturã referat is qui decubuit sanguis, scirrhosior tumor efficitur: sicuti si pituitosior sit fluxio, laxus: & si biliosus, tumor erysipelas dictus. Quum itaque plenitudo (quemadmodum exposuimus) sit duplex: & ex ipsis, ea quidem quæ ad uires refertur, facilè in putredinem abeat, interdumq; in partes quasdam ingruens, inibi tumores præter naturam excitet: altera autem, quæ iuxta uasa dicitur, sæpe etiã in partes quasdam decumbat, tumoresq; & apoplexias, uenarumq; ruptiones moliatur: utranq; celeriter euacuare tentandum, prius quàm aliquam perniciem concilient. Si igitur qui plenitudine grauatur, aut tenditur, nec puer sit, nec senex, an illi uenam secare oporteat, expendes, præ oculis habens hosce principales scopos: plenitudinis nempe tum quantitatem, tum qualitatem: uirium robur, atq; earundem infirmitatem: naturalem totius corporis habitum, tempus, regionem, anteactam uitam: tum, an cibi potusq; copia, & præcipuè affatim nutrientium, qui sic affectus est, fuerit usus: ad hæc, cõsuetudinem, & res præter consuetudinem actas: quousq; motus exercuerit, quas excretiones habuerit, aut præter solitum compescuerit. Præter omnia aũt hæc, num gracilior, aut crassior euaserit. Porrò utriusq; plenitudinis quantitas, ex propriorũ signorũ magnitudine definietur. Quantò enim grauior sibi homo uidebitur, tantùm & plenitudinẽ quo ad uires creuisse constat. Ad eundẽ modum, quantùm auctus fuerit tensionis sensus, tantùm & auctam alteram plenitudinem, quæ secundum uasa uocatur. At utriusq; plenitudinis qualitatem, partim ex coloribus iudicabis, memor colorem humorum esse, si quidem ab externo calore uel frigore totum corpus haud immodicè affectum fuerit: partim ex iis, quæ humorum naturæ coniuncta sunt. Etenim calidiores, calidior totius corporis sensus sequitur, ut frigidiores, frigidior: tum eos qui in uenis quidem aceruantur humores, uasorum tumor atq; distensio: qui uerò in carne, sensus in ea uel grauitatis, uel tensionis, uel etiam caliditatis. Porrò dispensantium nos facultatum infirmitas atque robur, propriis indicant functionibus: uoluntariis quidem, illius quæ in neruis cerebroq; consistit: pulsificis autem, eius quæ in corde ac per arterias mouetur. Nam secundum bonam nutritionem aut abolitam, & colorem probum, aut prauum, tertia facultas, quæ nutrix est, & à iecore proficiscitur, cognoscẽda uenit. Vbi ergo extantibus plenitudinis signis, ualentes facultates extiterint, incides uenam: uidelicet si tensiua quidem sit ipsa affectio, nihil distinguens: magisq; etiam in phlegmonode: sin uerò degrauans sit plenitudo quæ infestat, haud semper sanguinis molienda detractio est, Nam fieri potest, ut crudus per corpus collectus sit humor, à quo talis affectio gignatur. Quem succum sanguinis missione uacuare non expedit, sed frictionibus, unctionibusq; mediocriter excalfacientibus: necnon potionibus cibisq;, & humoris crassitudinem incidentibus, & calfacientibus modicè. Siquidem quę ualenter excalfaciunt, nimis subitò uires deiiciunt, sæpe etiam uires adaugent. At uerò qui sanguine reiecto ex pectore, in præsens quidem curati, cæterùm eam sortiti sunt thoracis pulmonisq; structuram, ut uel pauculo plus collecto sanguine, protinus aut uasis alicuius osculum reseretur, aut ipsum rumpatur: iis, uel si nullum in corpore etiamdum adfuerit symptoma, ineunte tamen uere sanguinem mittere oportet. Similiter in iis qui promptè morbum comitialem, aut apoplexiam, aut peripneumoniam, aut pleuritidem, aut anginam incurrunt, eiusmodi affectus anteuertendi sunt sanguinis detractione. Eodem modo quibus hæmorrhoides retentæ sunt, potissimum si natura sint atrabilaria, quiq; quotãnis æstate plethoricis morbis corripi assolent, & hos quoque ueris initio uacuare expedit: nec secus eos, qui ipso etiam uere illiusmodi malis uexantur. Cæterùm intemperantes & uinolentos, uentriq; & gulæ deditos, nec purgatione, nec missione sanguinis magnopere iuueris: nam per uitæ intemperantiam rursus crudorum humorum copiam quamocyssimè colligunt. Quare iis ne manum quidem admoueas. Eis uerò qui præceptis salutaribus obsequentur, summopere profueris, si principio ueris primùm quidem euacuaueris: dein autem ad exercitia, salubremq; uictus rationẽ perduxeris. Sed nec tantùm ubi adest plenitudo, siue ea secundum uires sit, siue secundum uasa, mirificè prodest uenæ sectio: uerumetiam citra plenitudinem initio phlegmones, quæ aut propter ictum, aut propter dolorem, aut partium debilitatem prouenit: quippe dolor sanguinem ad se trahit, & sæpe partium debilitas phlegmonem, absque corporis plenitudine, contrahit: quum uidelicet partes fortiores, per uenas, ceu per canales quosdam, propria excrementa semper ad imbecilliores expellant, donec tandem ad partem imbecillimam omnium defluxerint, & quæ ex se amplius propellere, quod in ipsa redundat, nequeat: id quod accidit illis partibus, quæ uim excretricem uicinis omnibus imbecilliorem possident. Quamobrem omnium primæ infirmiores partes corripiuntur excrementitiis morbis: quemadmodum glandulæ, quæ sunt fluxionibus excipiendis idoneæ, tum ob substantiæ laxitatem, tum quia inter omnes partes minimè robustas naturales facultates (excepta alteratrice) sortiuntur, sicuti & pinguitudo. Post glandulas sequitur pulmo, fluxioni recipiendæ promptissimus. Nam & hic tres facultates infirmas possidet, corpusq; laxum. Deinde est lien. At cerebrum, aut perinde ut illi, aut etiam plus, excipiendo fluxui est habile: constructionem tamen habet eiiciendis iis quæ recepit, appositissimam. Quibus ergo carnoso genere pulmo, lien, ac cerebrum, natura sunt robustiora, in iis ac glandulas carnesq; perueniunt fluxiones, ubi totus nimirum habitus infirmus fuerit, ueluti in rheumaticis affe-

ctibus

*Apoplexia fiunt multo sanguine incumbente in animantis principium.*

*Plegmones generatio.*

*Scirrhus.*

*Oedema.*

*Erysipelas.*

*Plenitudo iuxta uires facilè in putredinẽ abit.*

*Sanguinem detracturo quæ sint prius expẽdenda.*

*Plenitudinis utriusq; quantitas qualitasq; quibus signis sit definienda.*

*Color humores indicat.*

*Facultatum nos dispensantiũ robur imbecillitasq; ex propriis indicantur functionibus.*

*Sanguinis detractione quando sit plenitudo uacuanda.*

*Crudus humor qua ratione uacuandus.*

*Sanguinis detractione quib. sit prospiciendũ ineunte uere.*

*Intemperantib. cur medendum non sit.*

*Phlegmone incipiente, etiam si plenitudo non adsit, cõfert sanguinis missio.*

*Dolor sanguinẽ trahit.*

*Imbecilliores particulæ à fortioribus humores recipiunt.*

*Imbecilliores partes cur omnium primæ corripiantur excrementitiis morbis.*

*Glandulæ cur promptè excipiãt fluxiones.*

*Pulmo.*

*Lien.*

*Cerebrum.*

ctibus accidit. Meritò igitur in his curandis scopus est, non euacuatio, sed totius corporis roboratio: quamuis tamen curationis initium illis oriatur à misso sanguine, & si excrementa prauam qualitatem habuerint, unà etiam adhibeatur purgatio. Rectè autem admonemur in libro de uictus ratione in acutis morbis, ut si magnus sit ipse morbus, & æger floreat ætate, adsitq; robur, sanguinem detrahamus.

*Sanguinis mittendi principes scopi qui sint.*

Cæterùm principes scopi mittendi sanguinis, sunt duo: nempe magnitudo morbi præsentis, imminentisúe, & cum ea uirium robur: quibus si adijcias etiam florentem ætatem, nihil sermoni defuerit: modò sub ætate florente, præcedens sequensq; illam intelligãtur, excipianturq; distinctione, tantùm senilis atque puerorum ætas. Quamuis ætas senilis in uirium uerbo comprehendi potest, quum eorum nulli adsit robur.

*Senes omnes carere robore.*

Si itaque magnum fore morbum timemus, aut iam præsens est, aut incipit, uenam secabimus, uiriũ habita ratione, tantumq; ex oratione exemptis pueris.

*Pueris secandã non esse venam*

*Crudis succis refertos nõ admittere venæ sectionem, quia carẽt robore.*

Nec uerò ubi tanta humorum crudorum copia accumulata est, ut secandam uenam *prohibeat, sermo hic redarguitur, quum ipsis uirium robur non adsit. Estq; hoc indiciũ eos haud posse sanguinis missionem perferre,* quòd præter colorem totius corporis, degenerantem in ipsis ab eo, qui solet sanguinis copiam ostendere, etiam ipsorum pulsus inæqualis in uehementia & magnitudine existit: præpollentibus secundum ipsam inæqualitatem, imbecillis simul & paruis. Itaq; ex morbo, ætate & uiribus, minuendus esse sanguis cognoscitur.

*Vacuationis quãtitas ex quibus metiẽda sit.*

At uacuationis quantitas, cùm ex istis, tum etiam ex plethorica uocata syndrome, aëris nos ambientis temperie (quæ in tempus & regionem diuiditur) anteacta uictus ratione, excretionibusq; factis, aut impeditis, commodè deprehenditur.

*Sanguis quibus sit detrahendus*

Igitur ad hæc omnia respiciẽs, tum podagricis, tum arthriticis, tum morbo comitiali obnoxijs: præterea melancholicis, quiq; sanguinem antea expuerunt, aut thoracis structuram sortiti sunt ad id malum idoneam: uertiginosis etiam, quiq; assiduè corripi solent angina, peripneumonia, pleuritide, hepatitide, ophthalmia uehementi, ac breuiter morbo aliquo insigni, sanguinem detrahere consueui. Porrò in redundantia melancholici humoris, sanguinem mittere oportet, aut certè medicamento uti expurgante atram bilem.

*Crudos succos quando vacuare oporteat, & quãdo minimè.*

*Crudorum humorum indicia*

At ubi crudi succi exuperant, antequàm morbus inuaserit, cautè euacuabis: ubi uerò iam corripuerit febris, nequaquam. Indicium autem crudorum humorum est color plumbeus, aut albus pallescens, omniaq; potius quàm rubeus: tum inæqualis pulsus.

*Hæmorrhoidibus, aut menstruis suppressis, sanguinẽ detrahendum esse.*

Verùm si ob hæmorrhoides suppressas cumulatus alicui sit sanguis in corpore, audacter uenam incides, etiam si antea expertus grauem morbum nõ fuerit. Sed nec euacuatio ijs proroganda est, quibus restitit menstrua purgatio. Non tamen necesse est, illis semper secare uenam, quum malleolorũ scarificationes quandoq; superfluitati uacuãdæ sint satis.

*Menstrua esse euocãda per crura: reuellenda per venã in cubito sectam.*

Plenitudines tamẽ à suppressis mensibus ortas, omnino per crura euacuabis, siue uenam secare oporteat, siue etiam scarificare. Sectæ quippe in cubito uenæ, muliebrem purgationẽ reuellunt. Iam uerò quæ ex mulieribus albidiores sunt, aceruare tenuem sanguinem solent: quocirca scarificationibus malleolorum adhibitis, maximè solent iuuari.

*Scarificatio quibus sit adhibenda mulieribus, & quib. sectio venæ.*

At quæ nigriores sunt, eas uena secta curabis, quum tales crassiorem sanguinem, ac magis melancholicum gignant, præcipuè uerò si magnas habere uenas appareant: id quod accidit illis, quæ graciliores simul atque nigriores fuerint.

*Venæ quib. latæ, & quibus exiguæ insint mulieribus*

Etenim carnosis & candidis paruæ insunt uenæ, ac proinde ipsis malleolos scarificare, quàm secare uenam, præstiterit.

*Sanguinis eruptionẽ venæ sectio compescit.*

Porrò ualidam sanguinis eruptionem, uenæ sectio solet sæpe compescere, tanquam reuulsorium auxilium.

*Sanguinis eruptio per nares qua ratione curanda.*

Secare autem in cubito uenam, si ex dextra nare prorumpat sanguis, in brachio dextro expedit: sin ex altera, in sinistro: minimè tamen usque ad lapsum uirium detrahendus est sanguis. Simul autẽ, quum agis, artubus uincula inijcito, aut ex lana, aut ex canabe, hypochondrioq; directè supposito, cucurbitulam admoueto: quandoquidem his remedijs semper erumpentem è naribus sanguinem compescuimus: quum antea quę inferuntur in nares, atque fronti illinuntur, infirma omnia comperiremus.

*Quantitas remediorum præcipuè reddit artem medicã coniecturalem.*

Nihil autem æquè artem medicã in agendo coniecturalem efficit, ut cuiusque remedij quantitas. Siquidem interdum exploratum habemus, quid nam ægro, quale, & quando sit exhibendũ: at quantùm exhibere oporteat, non nouimus.

*Sãguinis detractionis quæ commoditas insit.*

Hoc tamen summum bonum in sanguinis missione habetur, quòd potes sistere euacuationem, dum opportunum uidetur: ac rursus si quando animus sit, sinere ut fluat, quousque uidebitur tibi rectè se habere negocium: id quod non licet in purgantis pharmaci exhibitione.

*Purgãtia pharmaca, vbi deuorata semel in vẽtrem sunt, reuocari non posse.*

Nam quod semel in uentrem deuoratum est medicamen, quo minus omne sit deuoratum, fieri non potest: neque possibile est, ubi plus quàm conueniat, purgetur homo, partem oblati auferre. At uerò dum alicui sanguinem mittimus, nisi quid urgeat, præstat priori missione minus detrahere, iterumq; illam repetere, imò, si lubet, tertiò.

*Euacuationem quando partiri expediat.*

Vbi igitur multa euacuatione est opus, sed uires sunt imbecillæ, in ijs euacuationem partiri expedit, uti & me fecisse uidisti, in ijs quibus crudorum inerat humorum copia.

*Sanguinis missio, in quibus adest crudorũ humorũ copia quomodo celebranda.*

Nam detracto pauculo sanguine, protinus exhibeo melicratum, probè coctum, cum incidentium medicaminum quopiam: ueluti hyssopo, origano, nepita, pulegio: aut certè cum melicrato oxymeli, aut oxyglycy: ac sic rursum sanguinem minuo, uel ipso eodem nonnunquam die, interdum die postero: in quo rursum exhibito propositorum medicaminum quopiam, aliquid de sanguine aufero: ac rursum tertio die similiter bis.

*Sanguis quando mittendus sit ad animi vsque deliquium.*

Cæterùm ubi feruescentis inest sanguinis plenitudo, acutissimam febrem accendens, subitò ac simul uacuare expedit, eamq; priusquàm in principem aliquam partem ingruat, inanire tentandum, uel ad animi usque deliquium: uirium tamen inspecto robore. Quare nec per noctem sanguinem detrahere uerearis.

*Sanguis dum fluit, pulsus esse explorandos.*

Vtile autem fuerit, fluente etiamnum sanguine, expendere pulsuum diminutiones: ne uidelicet, nobis non aduertentibus, pro animi deliquio mors hominem occupet.

*Reuulsio per sectam venã, quãnã sit efficacior.*

Quinetiam & reuulsionem, non leue & ipsam auxilium, quodq; sæpe secta adhibetur uena, quantò maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tantò efficaciorẽ effeceris. Ergo si magnitudo morbi, missionem sanguinis

*Sanguinis detrahendi scopi.*

*Vacuandi qui sint liberalius, & qui parcius.*

postulet, adsitq; uiriũ robur, nulla potest esse tanta crudorum humorum copia, quæ inhibere id auxilium possit. Cæterùm quibus amplæ sunt uenæ, quiq; modicè graciles sunt, nec candidi, nec tenera carne prædidi, eos copiosius uacuabis: contrarios autem parcius, quum exiguum habeant sanguinis, carnemq; facilè transpirabilem.

*Pueris ante quartũdecimũ annum sanguinem nõ esse mittendum.*

Qua ratione nec pueris pertundes uenam, ante quartumdecimum annum: post quem, si multus congestus sanguis appareat, tempusq; anni sit uernum, & regio temperata, puerq; natura sanguinea, aut alicuius acuti morbi discrimen impendeat, sanguinem minues, in primis quidem ad cotylam usq;: quòd si postea uires ualidæ permanere uideantur, dimidium eius adijcies iterata missione.

*Vires robustas quis pulsus indicet.*

*Septuagenarijs quando mittendus sit sanguis.*

At uehemẽs, æqualis, & magnus pulsus, incorruptum uirium robustarũ est signum. Quare si in septuagenarijs is adsit, affectusq; iubeat, etiã secabis uenam. Proinde non tantùm annorum numero, sed corporis etiam habitui animus intendendus est. Ad hæc, ubi incisa uena effluit sanguis, mutationẽ eius, & maximè quum adest phlegmone, labascensq; fluxionis robur, expendere oportet: sed potissimum alterationem pulsuum:

*Sanguinẽ fluentem per sectam uenam supprimendũ esse, quũ alterantur pulsus.*

quibus quidem alterascentibus, aut in magnitudine, aut in quauis inæquabilitate, cõtinuò quiescendũ est. In quibus aũt iuxta sectam uenã phlegmone est ingens, optimũ est sanguinis & in colore, & in consistentia expectare permutationẽ. Id quod sentiens Hippocrates in curatione pleuritidis, ait: Secãda uerò in cubito uena interna.

*Sanguinem detrahendũ per inflãmationes esse, donec rubrior, flauiorue, aut liuidus conspiciatur.*

Nec uerearis multùm detrahere, donec rubrior, flauiórue multò effluat: aut pro puro ac rubro liuidus: utrunq; enim accidit &c. Eius siquidem trãsumptionis, qua nonnihil sanguinis à parte phlegmone obsessa rapitur in uulneratã uenam, constituit signũ, ipsius sanguinis mutationẽ.

*Sanguinis mutatio post sectã uenam, quando expectanda non sit.*

Quæ tamen nõ omni ex parte expectãda est, quũ aliquando, priusquàm ipse sanguis mutetur, cessandum sit, nimirũ duplici nomine: uel ob uires infirmas, uel ob malignitatem phlegmones, à qua interdũ nihil emittitur, sed inibi fortiter impactus est sanguis. At si ex uacuatione uires minimè resolui uideantur (id quod ex pulsu cognosces) æger autem sit ætate florenti, expectanda mutatio sanguinis est, potissimum si ambiens sit temperatus. Minus autem detrahimus, quàm plenitudo commonet,

*Gallis parum sanguinis detrahendum.*

secundum ætates quidem, in pueris: secundum corporum habitus, in cãdidis, & carne mollibus, cuiusmodi Galli existunt: secundum tempora uerò, sub Cane: ac similiter secundũ regiones, constitutionesq;, in ijs quæ calidiores iuxtà & sicciores existunt: quum nimirum hęc omnia, quàm maximè ad resolutionem sint apta.

*Sanguinem esse parcius detrahendũ sub Cane, & in regionibus calidis simul et siccis, ut in frigidis etiã constitutionib.*

Alia autem ratione in contrarijs, hoc est, temporibus & regionibus frigidis, largam fugimus uacuationẽ, propter insequentem refrigerationem. Quare unum uacuationis modum in dictorum singulis definire nõ licet.

*Sanguinis sex libras tutò detractas fuisse.*

Memini enim quibusdam ad sex usque libras sanguinem fuisse detractum, ita ut febris protinus extingueretur, citra ullam uirium iacturam: quibusdam uerò sesquilibram tantùm, nec id absq; insigni damno. Porrò ex uenis quæ ad magnos oculorum angulos conspiciuntur, aut sub lingua, quod certè mentione sit dignum, effluere non solet: sicuti nec si quis summa in manu, aut pede uenam secet: quemadmodum putant ij, qui lienem curari aiunt, à sectione uenæ sitæ iuxta secundum ex digitis paruis.

*Saluatella uulgò appellata si dissecetur, credi tur curare lienẽ.*

*Sanguinis eruptiones è directo factæ, sunt utiles laborantibus, alioqui nõ iuuant.*

Quod uerò ad differentiam uenarum pertinet, quibuscunq; κατ' ἶξιν, hoc est, è directo eruptio sanguinis accidit, summum id commodum laborantibus adfert. Quibus autem contrà euenit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet: quòd uires scilicet, citra morbi leuamen, deijciat. ut, si liene turgente, dextra nare sanguis effluerent: aut hepate, ex sinistra.

*Sanguinis fluxus per nares, quomodo supprimendi.*

Dextra igitur nare sanguis erumpẽs, ad dextrum hypochondrium fixa cucurbitula, clarè, celeriterq; sistitur: sicuti ad sinistrum, si ex sinistra profluat. Similiter si uenam reuulsionis studio seces, secundum rectitudinem quidem secta, oppositis sanguinis eruptionibus citissimè conspicuam utilitatem adferet. At si contrà seces, nihil sanè profuerit.

*Lienem afflictũ iuuari secta uena in sinistra manu iuxta annularem digitũ.*

Quare liene affecto, perinde adiuuerit uena secta in sinistra manu, *iuxta annularem digitum, ac si internam cubiti uenam secueris. Plurimum namq; iuuat afflictum lienem, sanguinis ex sinistra manu interdum usque ad libram unam, detractio.

*Vacuatio quando sit in duos dies partienda.*

Præstat autem non semel quantùm cõueniat, detrahere: sed in duos dies ipsam euacuationem partiri.

*Pleuriticis esse secandã uenam in cubito partis affectæ.*

Pleuriticis etiam, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio, clarissimam sępe utilitatem attulit. Quæ uerò ex brachio opposito, aut omnino obscuram, aut certè post temporis interuallũ.

*Oculorum dolores compesci secta humerali, aut media.*

*Iterandam esse sanguinis detractionem.*

Ad hæc, oculorum persæpe dolores grauissimos è directo uenæ humeralis sectio, aut medianæ, quæ ab ea deriuata est, intra horę unius spacium compescuit. Conari autem in omnibus affectibus præstat, post modicã missionem sanguinis, iteratò mittere, interim eo die, interim postridie: nisi quando ad animi usque deliquium, uacuationem ducere oporteat.

*Venarum cubiti quæ in quib. affectibus sint secandæ.*

At dolente latere, aut pulmone, aut septo transuerso, aut liene, aut iecore, aut uentriculo, secta uena, quę per axillas ad cubiti iuncturam pertingit, aut etiam quæ illi & humerali est communis, luculentam utilitatem adfert.

*Venæ tres in cubito conspiciuntur, interior, exterior (quæ humeralis est) & media.*

Sunt etenim eæ tres uenæ, ex quibus in cubito mittitur sanguis, interior, exterior, & media. Inter quas sanè interior utilis est, in ijs quibus inferiores collo partes patiũtur. Exterior uerò, in ijs quibus, quę his superiores sunt: ut facies, aut caput. At media, medio genere ambigit: quum inter utranq;, uersus anteriorem manum, suos ramos producat.

*Venis cubiti obscuris, posse uenas in ulna ab iis deductas secari.*

Quare si uena quæ parti affectæ propria est, aliquando fuerit obscurior, cogarisq; ob id aliquam mediarum incidere, conare ut quæ à propria diducitur, eam potius pertundas. Interdum etiam, eas quæ inferiores flexura cubiti sunt, nempe quæ in ulna consistunt, nihil prohibet uenas secare, sed tamen recto tramite particulis affectis correspondentes: idq; ubi uenæ quæ in cubito sunt, non appareant.

*Oculorum maximam inflammationem qua ratione curarit Galenus.*

Equidem diuitis cuiusdam œconomum, oculorum maxima inflammatione, atq; fluxione afflictum, quamocyssimè in pristinam sanitatem restitui, detractis primùm ex humerali uena, libris sanguinis ternis: ac dein, modico interposito tempore, alia. Qua ratione, soluta phlegmone, postea in palpebris relictam asperitatem abstersi, aliquo ex medicamentis mordacibus: quod neutiquam æger ferre potuisset, nisi fuisset prius *euacuatus. Siquidem acria omnia medicamẽta parti cuiuis admota,

*Acria omnia partis cuiuis admota, fluxionem augent, nisi purum corpus repererint.*

admota, nisi uacuum excrementia uniuersum corpus repererint, fluxionem attrahunt, phlegmonemque producunt. Quemadmodum igitur supremæ omnes iam dictæ partes, secta in cubito uena iuuantur, sic ijs inferiores, incisis quæ per poplites & malleolos decurrunt.

*Malleolorum poplitumque venæ dissectæ, quarum partium affectib. auxilientur.*

Sunt autem inferiores dictia, coxendix, uterus, uesica. At renes, quarum collegio adscribi debeant, ambigunt. Quare misso ex cubito sanguini, interdum ausculitant: si uidelicet & recens ipsa phlegmone sit, & copia sanguinis adsit.

*Renibus male affectis, quæ venæ secandæ sint.*

Vbi uerò propria nephritis infestat, eam quæ in poplite est, secare conuenit uenam aut certè quæ in malleolis sunt.

*Vteri inflammationes à venis in crure sectis iuuantur.*

Sed uteri inflammationes, magis etiam quàm renum, à uenis in crure sectis iuuantur. Nam quæ ex cubito fiunt euacuationes, purgationes menstruas reprimunt, sanguinemque retrahunt ad supernas corporis partes.

*Menstrua supprimuntur secta in cubito vena.*

At quæ fiunt ex cruribus, tantùm abest ut retrahant, ut etiam menses promoueant, si tribus quatuórue diebus, ante tempus consueti mulieri circuitus, administrentur: idque aut uena incisa, aut scarificatis unius cruris talis, atque inde exiguo sanguinis euacuato: quod sanè postero die in altero crure similiter etiam faciendum est, sic tamen ut in ipsis diebus in quibus uacuas, atque in alijs ante eos quatuor aut quinque, mulieri extenuantem uictum instituas.

*Menses promouentur sectis in cruribus venis tribus quatuórue diebus ante tempus consueti circuitus.*

Sed mulieribus abundè menses prouocant nepita, pulegiumque, si redacta in pollinem, coctaque in melicrato, propinentur. Conuenientissimum autem potui tempus est à balneo, adhuc inuolutis linteo. Valentiora medicamenta sunt sauina, & dictamnum: quorum usus est antedictis similis.

*Menses prouocant nepita, pulegium, sauina, dictamnumque.*

Datur autem hoc tempore & hiera picra, *illa scilicet in cuius compositione centum aloës drachmis, cuiusque aliorum medicaminum senæ tantùm miscentur. Quod sanè medicamentum optimum est, ubi cinnamomum receperit.

*Hiera picra menses promouet.*

Porrò ischiadas siue coxendices, ubi non à frigore, sed impletis sanguine quæ in coxa sunt uenis, proueniunt, secta in poplite uena curabis.

*Ischias à sanguine orta, secta in poplite vena curatur.*

Scarificatio autem nihil perspicuè eis prodest. Igitur, ut summatim dicam, incipientes phlegmonas reuulsu euacuare oportet: quæ uerò inueteratæ iam sunt, ex ipsis, si fieri potest, affectis particulis: aut, si id fieri nequeat, saltem ex uicinis.

*Phlegmonas incipientes reuulsu: inueteratas ex ipsis affectis partibus vacuare oportet.*

Etenim in incipientibus auertere quod influit, expedit: in inueteratis autem, ipsum tantùm, quod affectæ parti infixum est euacuare. Atqui euacuabitur optimè per uenas diductas ab ijs, quæ in partibus ipsis sunt sitæ. Quocirca quæ in gutture & aspera arteria, graui torquentur inflammatione, ijs in principio quidem aperta in cubito uena, post principium autem in ipsa lingua, magnificè prodest: incisis uidelicet uenis, quæ sub ea sunt, ambabus.

*Venas sub lingua secandas esse in gutture et aspera arteria inflammatis, post apertam in cubito venam.*

Sic induratæ phlegmonarum in oculis reliquiæ, incisa quæ ad magnum decurrit angulum uena, exoluuntur: sicut capitis grauitates, & inueteratos in eo dolores ex plenitudine, leuare manifestè solet secta in fronte uena.

*Vena iuxta magnum oculi angulum, & quæ in fronte est, secta, quibus auxilietur affectibus.*

At incipientes, aut etiam uigentes, per cucurbitam in ceruice procurata retractio, interim quidem solam, interim cum scarificatione. Cæterùm prævacuatum esse corpus uniuersum oportet. Eadem ratione incipientes in occipitio dolores, aut etiam uigentes, incisa frontis uena solatur.

*Cucurbitula ceruici admota, capitis sedat dolores.*

Quippe reuulsiones unà cum euacuatione adhiberi magis debent, in fluxionibus incipientibus: eas uerò quæ fiunt ex ipsis affectis partibus, aut illis uicinis, in phlegmonis, quæ ueluti scirrhi naturam referunt.

*Reuulsiones vna cum euacuationibus, incipientib. fluxionibus adhibendæ sunt.*

In quibus autem corporibus nulla dum particula affecta est, cæterùm uacuatione Vere ineunte anteuertimus: in ijs, si quidem talis sit homo, ut quotannis æstiuo tempore corripiatur morbis febrilibus, atque in eo exundantis euacuare studemus, æquè pars quæuis, ut ex ea detrahatur sanguis, est commoda: quemadmodum etiam, si arthriticus omnibus articulis affligatur.

*Sanguini detrahendo quamuis partem esse æquè appositam in ijs qui solum præcautionis gratia vacuationem desiderant, vt in illis qui ex æquo omnibus articulis affliguntur.*

Quibus autem eximiè pars quæpiam, ubi prius euacuati non fuerint, infestatur, haud perinde licet ex quauis parte euacuationem moliri, uerùm sicuti in ijs, qui parti iam occipiunt. Quamobrem podagricos * euacuabis ex cubito: comitialibus uerò morbis, uertiginibusque obnoxios, potius ex cruribus.

*Podagricos esse vacuandos ex cubito.*

*Epilepsiæ obnoxios, esse vacuandos ex cruribus.*

At si retentæ hæmorrhoides mittendi sanguinis occasionem præstiterint, si quidem cohibere eas uoles, quæ in brachio sunt: sin prouocare, quæ in cruribus consistunt uenas, secare conuenit. In ijs uerò qui repressi sunt menses, semper in cruribus.

*Hemorrhoides supprimuntur sectis cubiti venis: prouocantur autem, ijs quæ in crurib. sunt pertusis.*

Iam uerò ad sanguinis detractionem, dierum numerus considerandus non est. Siquidem quocunque die mittendi sanguinis scopos in laborante inueneris (nempe morbum ingentem, & uirium robur, excepta ætate puerili, & ambiente admodum calido) auxilium illud non prætermittes, uel si is uigesimus à principio extiterit. Nam exoluitur in plerisque morbis temporis tractu uirtus, ac proinde mittendi sanguinis occasio, numero dierum deperditur.

*Sanguinem detrahturo, dierum aut horarum numerus non est considerandus.*

Poteris etiam quis sanguinem mittere uel quacunque die noctisque hora, scopum sibi proponens, in febrientibus quidem, particularium (quæ expectanda est) circuituum declinationem: in quibus autem aut ob oculorum lippitudinem, aut aliud simile citra febrem, hoc est opus auxilio, magnitudinem aut doloris, aut phlegmones, aut totius affectus, in quo secta uena desideratur.

*Sanguinem mitti debere per febres quidem, in ipsarum declinatione. per inflammationes autem absque febre ortas, dum magis vrgent symptomata.*

Vbi uerò nihil eiusmodi aut urget, aut prohibet, præstat manè uenam incidere, haud protinus ex somno excitis, sed circiter horam unam iam aut ea uigilantibus.

*Sanguinem mitti debere, ubi nihil aliud vrget, aut prohibet, manè haud protinus ex somno excitis.*

Atque iteratæ uacuationis tempus, in quibus simpliciter quidem uacuare conamur, eodem die esto: in quibus autem reuellere, si uel post duos deinceps dies fiat, melius fuerit. Interim tamen animus sit circa laborantis uires intentus, manu iugiter arterijs illius admota.

*Sanguinis iterata vacuatio quando facienda sit.*

Consueuerunt etiam medici interdum secare arterias, quæ in temporibus, & quæ secus aures consistunt: illas quidem, infestantibus oculos fluxionibus tum calidis, tum spirituosis: has uerò quæ secundum aures, in uertiginosis maximè, & ijs qui calidis & diuturnis, spirituosisque capitis doloribus infestantur.

*Arteriæ in quibus secentur affectibus.*

Etenim ubi calidus, spirituosusque sanguis in arterijs coaceruatus infestat, illic communibus parti affectæ sectis arterijs est opus. Verùm quia uulneratæ arteriæ ægrè supprimi possunt, ob id ipsas medici incidere metuunt, quum si quis dum uenam secat, arteriam conuulnerarit, difficillimè compescere eruptionem sanguinis possit: aut si res optimè cedat, ad cicatricem perducta diuisione, tamen aneurisma contingat.

*Arteriæ vulneratæ ægrè supprimi possunt.*

*Aneurisma quando accidat.*

Quanquam possumus sanè arteriam uel magnam, absque aneurismate ad cicatricem perducere, totam

*Arteriam inter indicem pollicemq; quum secuisset Galenus ab insomnio monitus, liberatus est diuturno praecordiorum dolore.*

transuersim secantes. Ego uerò aliquando monitus per quędam insomnia, secui dextrae manus arteriam, inter indicem & pollicem sitam: permisiq; ut inde flueret sanguis, donec sisteretur spontè: subitoq; diuturnus mihi extinctus est dolor, qui in illa maximè parte erat fixus, qua iecur septo trãsuerso committitur. Minister etiam Dei Pergami, à diutino cruciatu lateris, similiter liberatus est, arteria in summa manu incisa, idq; monitu insomnij.

*Arteria in malleolo dissecta, diuturnũ coxae dolorem soluit.*

Porrò alteri, cui ex uulnere in malleolo inflicto, dissecta fuerat arteria, sanguinis quidem cursus haud quieuit, donec ipse dissecui totam: ac medicamento ex aloë, manna, ouorum albumine, & leporis pilis imposito usus, absque aneurismate ulcus ipsum curaui. Vir autem ille prorsus sanus relictus est à coxae dolore, quo iam diu fuerat exiguis temporum interuallis uexatus.

## GALENI PERGAMENI DE *hirudinibus, reuulsione, cucurbitula, & scarificatione, libellus.*

### DE HIRVDINIBVS.

*Hirudines asseruandi, alendi, & applicandi ratio.*



Vae hirudines sunt recens captae, eas diem unum asseruare oportet, paucu lo sanguine in pastum exhibito. Sic enim prorsus earum uenenum exprimitur. Pars autem cui iam admoueri debent, nitro prius perfricetur, aut unguibus scalpatur: nam sic promptius eam apprehendent. Inijciendae autẽ sunt in aquae tepidae uas purum, lotiq; oris: deinde spongia eas comprehendẽtes, uiscositatemq; ab eis detergentes, tandem manu applicabimus. Vbi autem adhaeserint, infundendum particulae oleum tepidum est, ne scilicet refrigeretur. At si manibus aut pedibus admouendae sint, ipsam partẽ, aquae cui insunt sanguisugae, immergere oportet. Quòd si parum depascantur, forfice caudam praecidito, secundum rectitudinem filamentorum.

*Hirudines ut depascantur inexplebiliter, praecidendas in cauda esse.*

Nam effluente semper sanguine, trahere non desistent, donec salem, aut cinerem, ipsarum ori insperserimus.

*Hirudines auelli, sale aut cinere ipsarũ ore resperso.*

Vbi uerò deciderint, cucurbita uenenum est auellendum, aut pars fouenda ex spongia. Quòd si particula emorsa lachrymet, cuminũ, aut farinam inspergito: superq; lana madidata oleo pauxillo, inuoluito.

*Hirudine iam delapsa, cucurbitulam esse parti admouendã.*

Sin sanguis erumpat, lintea ex aceto inijcito, aut gallam ustã, aut spongiam liquida pice madentem, posteaq; ustam imponito.

*Hirudines sanguinem tantum carnis exugere.*

Sciendum autem est, hirudines haud eum qui in profundo est sanguinem, sed tantùm quo caro est imbuta, exugere. Vtimur eis pro cucurbitulis: detrahimusq; ipsas, ubi dimidiam sanguinis partem iam extractam cõijcimus. Prohibemus autem, & nõ permittimus effluere, quousq; quod satis est euacuetur:

*Hirudines natura esse frigidas.*

quandoquidem particula tum à sanguisugis ipsis natura frigidis, tum ab aëre nos ambiente refrigeratur.

### De reuulsione.

*Reuellendi modi diuersi.*

Vehementissimos humorũ influxus remedijs reuulsorijs prohibemus. Qualia sunt, incumbente in pectus aut in uentrem humore, ad manus retractio. Vomitus, ubi deorsum decũbit. Sicuti in uomitu, per acriores clysmos reuulsio. Duo uerò haec momenta, quae ad superiorem inquam uentrem, & inferiorem uergunt, ad urinam, sudoresq; reuelles. Quin & urina, ad sudores, & deiectionem trahitur. Reuulsorium quoq; auxiliũ est, *iuxta mammas cucurbitula admota.

*Cucurbitula hypochondrijs affixa, sanguinis ad nares impetum reuocat, immodicumq; ex utero effluxum.*

Caeterùm hypochondrijs affixa, sanguinis ad nares impetum reuocat: sicuti & immodicũ ex utero effluxũ. Porrò uergẽtes ad caput aut uiscera humores retrahunt acria in sinus imposita medicamina. In summa, reuulsio moliẽda est, humoribus sursum fluentibus, deorsum: deorsum uerò, in contrariũ. Rursus, intrò uergentibus, foras: sicuti si foras ruant, ad interiora.

*Reuulsionẽ esse semper in cõtrarium moliendã.*

Similiter si ad dextram inclinent, ad sinistram: ad sinistram uerò abeuntibus, in partem aduersam. Sic quae retrò concedunt, antè: quae uerò antè, retrò reuocabis.

### De cucurbitula.

*Cucurbitulis utendũ esse ubi corpus est abundè vacuatum.*

Cucurbitulae ijs qui antè euacuati sunt, conueniunt. Nam in plethoricis, minimè sanè ipsis utimur. Eadem ratione neque in cerebri aut meningum phlegmonis incipiẽtibus utimur cucurbitulis: sicuti nec alia in parte ulla plegmone obsessa: uerùm ubi nihil praeterea etiã influat, fueritq; totum corpus antea uacuatũ, atq; opus nobis iam sit, aut mouere, aut amoliri, quod in phlegmone obsessa particula infixum est, aut deniq; foras extrahere.

*Cucurbitulis utimur dum euellere est animus, quod in partes phlegmone obsessas est impactum.*

Porrò dum affectus etiamnũ fiunt, haud in ipsis iam laborare occipientibus partibus, sed in eis quae illis cõtinuae sunt, reuulsionis causa est cucurbita imponenda: in principio autẽ utendũ repellẽtibus est.

*Inflammatione incipiente, repellentibus est utendum.*

*Cucurbita facultas.*

Cucurbitula potest euacuare materiam, dolorem soluere, minuere phlegmonem, inflationem discutere, reuocare appetentiam, uentriculo infirmo robur recuperare, animi liberare deliquio, ab alto fluxiones transferre resiccareq;, sanguinis eruptiones cohibere, facultates mensium corruptrices extrahere, ac deniq; menses ipsos leuare.

### De scarificatione.

*Scarificamus quas & in quẽ usum partes soleamus.*

Scarificamus partes corporis aut phlegmone scirrhóue tentatas, aut tensas, aut dolore uexatas, aut fluxione affectas, sed quae iam restitit: aut acri imbutas materia, aut ubi extrinsecus aliqua uirulenta facultas in corpus incidit, aut ubi materiã ex alia parte in aliã traducere est animus. Veluti crura scarificamus affecto capite, aut materiã in corpore exundantẽ minuere statuentes, potissimũ ubi exundãtia prouenerit à suppressa materia, quae solenniter euacuari consueuerat.

*Scarificanda crura, prius esse fouẽda per spongiam calente aqua.*

Sic suppressis hęmorrhoidib. scarificamus crura, prius ea per spõgiam fouentes calida.

*Venam saepius in anno incidere non expedit.*

Nam saepius uenam incidere in anno, haud expedire arbitror, quũ unà cum sanguine uitalis exhauriat spiritus.

*Scarificatio quibus morbis conueniat.*

Prodest autẽ scarificatio & oculis diutina fluxione afflictis: tũ capitis affectibus, quiq; pectori atque dorso eueniunt: ad haec anginae, atq; impactis humoribus,

## GALENI DE PVRGANTIVM *medicamentorũ facultatibus libellus.*



Adẽ de causa medici uetustissimi prauas opiniones reliquisse irreprehensas uident, qua grauissima etiam delicta antiquissimi legũlatores impunita fiuerunt.

*Delicta grauissima cur antiquissimi legum latores impunita reliquerint.*

Quũ enim eo tẽpore minor esset malitia hominum, ut qui nec maxima crimina perpetrare aggrediebantur, nec manifestissimis impudenter contradicere, quomodo aliquis punitionem ijs quae nondum admissa erant, praescriberet, uel redargueret ea quae nemo prorsus

sus

*Prauitatem in dies creuisse.*

sus dixisset. At quia temporis spacio eò creuit hominum prauitas, ut nihil non aut facere, aut dicere ausi sint, legum quidem latores multas punitionum rationes nouas adinuenerunt, quibus facinorosos plectãt: ueritatis autem studiosi, uarias contra sophistas reprehensionum species excogitãt, quibus ipsos coërceant: id quod nos impræsentiarum quodammodo facere cogimur, improbaturi eos, qui medicamentis purgantibus, uim attractricem humorum quos euacuant, inesse negant: mutatricem uerò quandam omnium ex æquo illorum, quæ ipsis appropiuquant, eis tribuunt. Qua nimirũ facultate aiunt medicamentum quod flauam efficit bilem, quencunq; humorem contigerit, hunc in propriam sui speciem mutare: uocariq; medicamen id cholagogum, quod bilem flauam & efficiat, & moueat: alijsq; similiter medicamentis sua esse indita nomina, nõ quidem ab humoribus quos naturaliter uacuant, sed ab ijs, quos suo contactu efficiunt. Ex cuius sanè opinionis absurditate sequitur, siue bilem ducẽs, siue pituitam, siue atram bilem, siue serosam humiditatem, aliquis medicamentum assumpserit, uniuersos ex uenis humores uacuari. Neq; alia ratione purgatio ab huiusmodi medicamento petita, differet à sanguinis euacuatione per uenæ sectionem, quàm quòd in hac quidem, ille qualis prius erat, excernitur: in purgationibus autẽ, inalterarur, non colore tantùm, sed etiam consistentia: id quod maximè ridiculum est. Siquidem per detractionem sanguinis æqualiter omnes, qui in uenis sunt, humores uacuantur. Per purgationẽ uerò (quæ scilicet sanguinẽ ipsum purificat) non æquè omnes, sed unus aliquis, præcipueq; is, ad quem naturaliter educendum medicamen ipsum est aptum. Atq; hæc sanè existit optima Asclepiadarum sententia, cui etiã ratio simul & experientia patrocinantur. Nam si ex tribus absq; febri laborantibus morbo arquato, uni quidem sanguinem detrahas, alteri autem medicamen quod atram educit bilem exhibeas, tertio deniq; propines pharmacum eliciens diffusam illam bilem per corpus, certè duo illi priores longè deterius habebunt: tertius autem, cui exhibitum medicamen fuerit familiaris succi attractiuum, natiuum colorem recuperabit. Atqui iuxta illorum insaniã, perinde erit siue missione sanguinis, siue medicamento quod bilem ducat, arquato morbo laborantem inanias. Idem etiam & in reliquis morbis est in eundũ iudiciũ. Igitur opinionibus ipsorum ualere iussis, singula medicamenta purgantia initio familiarẽ humorem trahunt: postea uerò illum qui ut sequatur, habilior atq; aptior fuerit. Exempli gratia: medicamen quod flauę bili ducendæ est, primò quidem illam expurgat: dein aquosam humiditatẽ: pituitam tertiò: mox atram bilem: ultimò deniq; sanguinem, quòd sit is naturæ familiarissimus. Reperiunt tamen aliqua medicamina, quæ statim ab initio sanguinẽ ducant: cæterùm ijs nemo utetur, quandoquidem hoc iugulare esset hominem, nõ purgare. Siquidem purgantia, hoc nomine talia dicuntur, quòd repurgent sanguinem ab illis recrementis iam dictis. Quare inter deleteria, id genus omnia medicamẽta annumerant, quę sanguinis euacuationem, per uenas uentris, & intestinorum, moliuntur.

*Sanguinis detractione uniuersi humores qui sunt in uenis, ex aequo vacuantur.*

*Purgatio purificat sanguinem.*

*Regij morbi curatio.*

*Purgantia medicamẽta principiò quidẽ familiarẽ humorem trahũt, postea uerò illum, qui ut sequatur est promptior.*

*Medicamenta nõnulla statim ab initio sanguinem ducere.*

# GALENI PERGAMENI, QVOS

## *purgare, qualibus medicamentis, & quando oporteat, liber vnus.*



Vi sano sunt corpore, purgationes grauiter ferũt. Nam quum purgans medicamentum familiarem sibi humorẽ attrahere desideret, sanè dum eo destituitur, sanguinẽ & carnes eliquat, consumitq;, ut quod illis propriũ est, trahat. Porrò qui sani quidẽ sunt, uerùm ægrotaturi, nisi fuerint uacuati, inaniri uere ineũte debẽt: idq; uel sanguinis detractione, si plethoricis corripiantur morbis: aut purgatione, si factis ex corruptione affligantur. At melancholia, cancer, elephantiasis, cæteriq; id genus affectus qui ab humore atro proficiscuntur, atrę bilis purgatione indigẽt: quã non uere tantum, sed autumno etiam ipse moliri consueui. Iam comitiales morbi, apoplectici, suspiriosiq;, uacuationem pituitæ postulant. Articulares affectus, qui quidem unà cum insigni caliditate affligunt, biliosorum: qui autem cum tumoribus frigidis, pituitosorũ uacuatione iuuantur. Quidam æstiuo tẽpore tertianis febribus semper corripi solitus, iam multis annis non febricitauit, quòd bilis flauæ purgatione ad finem ueris à nobis administrata, illi prospectum sit. Sic enim satius est tales uacuare: quemadmodum comitiales, articularios, melancholicos, quiq; ob humores crassos ægrotant, ineunte uere melius uacuantur. Cæterùm humores crassos & uiscidos prius attenuare & incidere oportet: meatusq; per quos transumuntur, atq; trahuntur ij, aperire, ante medicamenta purgantia, si purgatio modis omnibus optima sit futura, prę sertim in ijs qui ueratrum assumunt. At uerò qui ægrè per superiora purgantur, ij, nisi prius reddantur habiles, præparenturq; ad uomitũ, minimè assumant ueratrum. Præparabuntur aũt medicamẽtis uomitorijs mediocribus, necnõ cibo uberiori, & quiete. Etenim nos radiculas ex oxymelite propinauimus, quas arundine perforatas, ac ramulis ueratri albi trãsfixas, per totũ diẽ atq; noctẽ reliquimus. Atq; eiusmodi ex elleboro facta purgatio erit imbecilla. Verùm qui angustũ habent pectus, eoq; etiã cõpressum, ineptissimi ad purgationes existunt, quæ per uomitoria medicamẽta fiunt, ac potissimũ per album ueratrũ: siquidem thoracis aliquod uas, ipsis rumpit. At bilis suprà, pituita per inferna uacuari debet. Est quãdo cõtrario modo accidat, si quidem in uentriculo pituitosus, biliosus aũt in intestinis humor resideat. Melancholicũ uerò semper per inferiora uacuare oportet. Sic æstate quidem superiores uentres, hyeme uerò inferiores mouere conuenit, ut autor est nobis Hippocrates. Sed regionis etiã, anni tẽporis, ætatis, cõsuetudinisq;, non exigua ratio est habenda. Siquidẽ qui (gratia exempli) uomere soliti sunt, facilius purgationes ferunt per superiora: qui nõ assueuerunt, haud citra periculum: magisq; ex ueratro. Morbi etiã species examinanda est. Nam in hydrope, leucophlegmatia, medicamento quod pituitam ducat, egemus: prius sanè per inferiorem uentrem, dein per uomitum, tertiò per apophlegmatismos. Vbi enim id quod redundat, per uniuersum corpus dispersum est, omnes uacuationes sumemus.

*Sani cur purgationes grauiter ferant.*

*Vacuandi qui sint vere ineunte, & quomodo.*

*Atra bilis purgatione qui affectus indigeãt.*

*Vacuationẽ pituita qui morbi postulent.*

*Crassos succos prius tenuãdos esse quàm euacuentur.*

*Vomitui qualiter præparari ægri debeant.*

*Vomendo inepti qui sint.*

*Flaua bilis per superiora, pituita per inferiora maiori ex parte vacuari debet: vt atra bilis semper per inferiora.*

*Hydropicos euacuãdi ratio.*

*Ictericos purgandi ratio.*

Porrò in ascite, medicamentū aliquod aquæ ciendæ idoneum, exhibebimus: sicut etiam in arquatis, quod bilem eliciat. Nam & in his etiam bilem multifariam suprà & infrà, per urinas, palatum, & nares, purgare conuenit. Morbi itaq; dispositio & uacuandum humorē indicat, & locum per quem debet uacuari.

*Hepatis partes affectæ qua sint regione vacuandæ.*

Verbi gratia, ijs qui in iecore habent inflammationē, ubi tumor concuctus fuerit, eius expurgationē molimur, per inferiorem sanè uentrem, ubi cauas ipsius partes affectus occupat: per urinas autem, quum gibbas.

*Tenues humores statim esse vacuādos: crassorum & viscidorū esse expectandā coctionem.*

Accedit his omnibus tēpus & occasio. Per initia nanque serosos tenuesq; humores uacuabis: in crassis autem & uiscidis, expectabis coctionem.

*Vacuandum in accessionib. quidem per superiora, in remissionibus autē per inferiora.*

Ad hæc, in accessionibus quidem, per superiora uacuabis: in remissionibus autem, per inferiora. Atque hæc sanè, si sponte accidant, iuuant: in accessionibus quidem, dum multi & uomūt, & per nares sanguinem fundunt: in remissionibus autem, dum urinæ deiectionesq; excernuntur.

*Dierum accessoriorum decretoriorumq; tēpus cauendum esse, dum per inferna purgamus.*

At tempus dierum accessoriorum & decretoriorū, quum infrà copiosè purgare aggrederis, cauere oportet. Vbi enim humorum impetus sursum uergit, medicamenti purgantis facultas impeditur. Porrò in morbis diuturnis, semper eorum maturatio expectanda est: in acutis autem, quum turgent, ac pruriunt, uel per initia uti medicamentis licet.

*Purgantia omnia facultate esse calida.*

Verum quum omnia purgantia medicamenta facultate calidita existant: febris autem sui ratione humectantia & refrigerantia postulet: certè non ipsius caloris gratia purgatio à nobis administratur, sed humorum causa, qui nimirum illum accendunt. Igitur ut ij euacuentur, primùm sanè dispiciendum uenit, num æger sit ad eiusmodi purgationem idoneus.

*Purgationibus inepti qui sint.*

Nam qui ex cruditatibus multis, aut uiscosis crassisue cibis laborant, item quibus præcordia intenta sunt inflataq;, aut supramodum calida & ignea, aut aliqua inflammatione laborent, omnes hi ad purgationes inepti sunt.

*Humores esse tenues reddendos ad purgationē.*

Proinde hæc abesse, & humores quàmmaximè licet fluidos facere oportet, hoc est, tenues, & nullius lētoris participes, meatusq; per quos purgatio futura est, adapertos.

*Acuti morbi rarò per initia indigēt purgatione.*

In acutis autem morbis rarò per initia purgantibus medicamentis egebimus, eò quòd nec frequenter noxij humores per initia turgeāt, pruriāntue: nec, si hoc detur, æger sit ad purgationē idoneus, ac ne tempus quidem nobis præbeat præparandi idoneum.

*Turgere quando humores dicantur.*

At humores prurire, seu turgere dicuntur, quum motu uehementiori agitati, & à particulis in particulas transfluentes, per morbi initia mulestant, hominem dolore afficientes, irritantes, & quiescere nō permittentes.

*Humores quando vacuandi.*

Tales igitur euacuare conuenit. Particulę autem alicui infixos, nec alio quodam præsideo mouere oportet, nec medicamentis sollicitare, priusquàm fuerint concocti. Tunc siquidem & naturam uacuationi opitulantem habebimus: quippe quæ post coctiones & discernere humores, & superfluum deponere apparet:

*Crises quando accidant.*

quo tempore etiam crises accidunt. Quòd si natura ipsa absolutè moueatur, nihil tunc est opus medicamentis.

*Naturam adiuuandā esse medicamentis.*

Vbi uerò imbecillius actionem obit, id quod deest, oportet nos per medicamēta adijcere. Sciendum autem est, transfluxiones humorum ab una in alterā partem rarò accidere: sed maiori ex parte ipsos in unico loco hærere, inibiq; per totum morbi tempus ad solutionem usq; concoqui. Si nun acutus modò sit ipse affectus, sed etiam cum febre uehementissima accidat, medicamen purgans exhibendum non est, præsertim si quis non habuerit naturam ægri exploratam.

*Cathartica medicamenta.*

At si febris uehemens non fuerit, notisq; ægrotantis naturam minimè abhorrere à catharticis, elleburo nigro utēris, aut hiera diacolocynthidos, quæ elleborū recipit, absq; scāmonio.

*Pharmaco assumpto esse ptisanæ cremorem sorbendum.*

Assumpto pharmaco, cōducit mox supersorbere cremorē ptisanę: ut qui id quod in transitu affixū applicitumq; est, abstergere, & deorsum trahere: qualitatem uerò medicamenti, particulis insidentem, contemperare & inalterare possit. At ubi purgatio fieri incipit, ptisanam amplius non dabimus, ne actio medicamenti exoluatur.

*Pharmaco aluus cur interdū non cedat.*

Porrò aluus nonnunquam medicamento purganti non cedit: uel ob ægri naturæ proprietatem, uel ob medicamenti exhibiti paucitatem, uel ob stercus durum, atq; in aliquo intestinorum impactum, quod clystere euacuari potuisset, ante pharmaci exhibitionem. Fieri etiam potest, ut natura impetum ad urinas faciente, pharmacum nihil proficiat. Ex ipsis autem catharticis quæ sua actione frustrantur, hæc quidem interdum non modò nihil offendunt corpus, sed alimentū illi etiam fiunt: hęc uerò in corruptelam atq; exitium uertuntur.

*Odorata commodè immisceri pharmacis.*

Quum autem omnia purgantia medicamenta uentriculum uitient, præcipueq; os ipsius, quòd maximè sit neruosum & sensile, odoratorum mistura commodè excogitata est, ne uidelicet sola, ac syncera ipsorum facultas, os uentriculi attingat. Conuenit itaq; ea quæ miscentur semina, eiusmodi esse, quæ & malignitatem possint obtundere, & actionem ipsorum non impedire, extenuatoria & incidenti facultate prædita, qua crassos humores dissecent, & uias ipsorum aperiant.

*Purgantia quæ mutuò miscentur, congenera esse oportet.*

At purgantia quæ miscentur, sibi inuicem congenera esse, & nulla ex parte dissidere oportet. Dissident autem, non quū aliud bilem, aliud pituitam euacuat (ambo enim eodem modo uacuari possunt) uerùm ubi hoc statim, illud multò pòst quàm assumptū est, purgationem mouere solet. Ita enim inæqualis fit euacuatio ex illis simul assumptis. Dico inæqualem, quum una cessante, altera uacuatio incipit.

## *GALENI PERGAMENI CONsilium puero comitiali morbo laboranti.*



Ametsi nec filium tuum uiderim, nec ab initio quæ fuerit eius natura ante morbum cognouerim, nec etiamnū, ut in ipso morbo se habeat, mihi cōpertum sit, Ceciliane charissime, sed id tantùm ex te intelligam, comitialibus eum accessionibus infestari: ut tamen obsecundem tuis uotis, curabo quàm dilucidè fieri poterit, eam tibi uictus rationem præscribere, qua si (ut par est) utatur puer, tum non parum iuuabitur, tum ab eis etiam quæ sibi inopinatè accidunt, minus lædetur. Etenim nonnunquam necesse est homines in frigus atque æstum incidere: ad hęc in ualidiores uentos, uitiosa balnea, alimenta stupefacientia, reuolutiones uertiginosas, coruscationes, tonitrua, uigilias, cruditates, tristitiam, iram, lassi-

laſsitudinem, atque id genus alia, quæ uehementer cõmouent atque perturbant corpus, & morbi tum memoriam innouant, tum eius acceſsionem accerſunt. Quare omnia id genus multò antè ſunt præcauenda. Quòd ſi quãdo ubi illa præceſſerint, ſubſequatur dein morbi acceſsio, tum tẽporis puer penitus ab omni motu ſe abſtineat, domiq; ſeſe contineat, ac uictu ualde tenui utatur, quouſq; corpus exacerbationis moleſtia prorſus deſtituatur.

*Morbi qui per interualla redeunt, vere præcipuè mouentur.*

*Epilepticos eſſe inter veris initia purgandos.*

*Epileptico puero victus ratio conueniens.*

Igitur inter ueris initia (tunc enim propè contingit eos morbos moueri, qui per interualla redeunt) puerum purgandum cenſeo, idq; purgatione mediocri. Poſt purgationem autem, hac uictus ratione utetur. Manè quidem, ubi è lecto ſurrexerit, priuſquàm ad præceptores accedat, modicè inambulet, non admodum tamen citato greſſu. Dein uerò uſq; ad palæſtræ tempus, diſciplinis ex eius more incumbat. Cumprimùm autem illinc diſceſſerit, ubi rurſus inambulauerit modicum, ſic ad prudentem pædotribam commeet. Quippe totius curationis ſumma in hiſce duobus eſt ſita: nempe uſu medicamẽti olim tibi à me dati, & idoneis exercitationibus. Reliqua uerò, tanquàm præparationes quædam ad iſta exiſtunt. Cæterùm exercitationum ſcopi, quo ad earum modũ, ſunt hi: nempe ut prius quàm fatigetur puer, quieſcat: utq; corpus illius calfiat, necnon moderatè euacuetur.

*Exercitatio excedens modum colliquat corpora.*

Quòd ſi ultra hos terminos producatur exercitatio, nonnihil iam attingit ſolida corpora, atq; habitudinem ipſam colliquat: in articulis autem potiſsimũ, atq; in muſculis, colliquationes congregat: unde uirium infirmitas ſequitur: deinde ulceroſus ſenſus, quando æger conatur aliquam mouere particulam.

*Laſsitudo quid.*

Atq; hoc eſt, quod laſsitudo appellatur. Scopi autem exercitiorum, quo ad qualitatem, in eo præcipuè conſiſtunt, ut inde omnes corporis partes, & caput præſertim, & uentriculus, roborentur: potiſsimumq; illæ partes, quæ ad os ipſius pertinẽt.

*Exercitationes vehementes caput replent.*

Quũ igitur uehementes exercitationes caput repleant, ab his illum abſtinere præcipio. Quibus ſi quando ſit opus, erecto capite conſtitutus partes inferiores cõmoueat, & potiſsimum crura. Verùm à paruis tardisq; motibus pædotriba orſus, ad uehementiores & celeriores ipſum puerũ conducat.

*Frictio eſt exercitatio, imbecillioribus præſertim corporibus.*

*Fricandi epilepticos ratio.*

Sed & frictio exercitatio quædam exiſtit, imbecillioribus præſertim corporibus. Imò nonnunquam ſi ſola ea decenter fuerit adminiſtrata, nullis alijs præterea motibus indigent. Proinde primùm linteis corpus rubefacere oportet, à ſupernis ad inferiora ſenſim manus detrahentes, à brachijs manibusq; ſumpto initio: ita deinde ad pectus & uentrem eſt procedendum. Poſtea uerò & crura exactius fricanda ſunt, ut aliquid huc à ſuperioribus defluat. Vltimò deniq; ipſum caput eſt perfricandũ, ſi abſq; aliqua pinguitudine adminiſtretur frictio. Nam ad ipſum ſtatim accedere, admodum periculoſum exiſtit. Si uerò oleum in frictione admoueris, nihil prohibet caput ſimul cũ alijs membris fricari, ita ut hic quidem caput fricet, alij uerò duo pectus & uentrẽ, duo item alij crura: atque eodem pariter modo poſt exercitationes: imò & tunc magis ſimul mẽbra omnia fricare cõuenit. Nanq; citius hoc pacto conquieſcit corpus, & minus refrigeratur: cuius eſt non leuis habenda cura.

*Epilepticos eſſe abſtinẽdos a lauacris.*

A lauacris autem ut plurimum abſtinere cõuenit. Nec palæſtram confeſtim puer ab exercitatione egrediatur: ſed ubi ſpiritus exactè conquieuerit, & quæ exercitationem ſequitur perturbatio prorſus ſedata fuerit. Tunc uerò caput linteo diutius eſt cõfricandum, ſæpiusq; pectine utendũ. His ſic peractis, ad prandium debet accedere, in quo aliquid olerum uentrem mollientium, aut ſalſamentorum, aut ptiſanæ, aut oliuarum, unà cum tertia panis parte ipſi offeratur: in cœnam tertias duas partes reliquas cum ualentioribus opſonijs reponentibus nobis. Ex oleribus itaq; nec lactuca, nec malua, nec atriplici, nec blito, ut prorſus abſtineat, iubeo. Verùm non ſemper idem, ſed modò hoc, modò illud, moderatè ſumendum eſt: nec diutius eorum uſui aſſueſcendum. Huius autem generis eſt & beta, & braſsica. Nam & hæc modicè deguſtare opus erit. Pariter & porrum, & apium, & ſmyrnium aliquando cõducet attingere.

*Fructus epilepticis dandi.*

Ita ex autumnalibus etiam fructibus, quicunq; non omnino crudi, & natura coctu difficiles ſunt. Igitur mora, & quę præcocia appellantur, & ficus, & ſi qua alia id genus ſunt, citra moleſtiam deſcendunt: ad hæc & ſatiua cucurbita, nulli mollisſimorum olerum eſt inferior: parì modo & ſyciopepones. Præterea & uuis maturis, & mâlis, & piris, & palmulis poteſt ueſci nonnunquam puer: parcè tamen, & rarò. Quos fructus & in arbore, & domi maturuiſſe priuſquàm edantur, oportet. Pituitoſa autẽ cibaria ſummopere illi uitanda ſunt. A fungis etiã ut omnino abſtineat, cõſulo: quemadmodum & à rapis, & à reliquis alijs, quorum radix eſt eſculenta. Sunt enim hæc ex ijs quæ craſſos humores gignunt, & perq; difficulter intra corpus elaborantur: exceptis quibuſdã, quę nonnihil acris & calidi in ſeipſis continent, quemadmodum paſtinacæ & raphani. Verùm raphanos ex aliquo dierum interuallo deguſtare non prohibeo: hortor tamen, ut pro uiribus à paſtinaca abſtineat: & magis etiam à rapis.

*Cibaria epilepticis apta qualia eſſe debeãt.*

At eorum cibariorum copioſus uſus, ſalubris erit, quæcunq; acris quippiam atq; incidentis obtinent, citra inſignem praui ſucci notam, aut odorem aliquem, capiti adferre noxam ualentem. Sunt autem & in hoc genere, quæcunq; ob caliditatem caput replent, ſicuti uinum, ſinapi, petroſelinum, paſtinaca, cæpa, & ſmyrnium. Hæc ſiquidem plus quàm par eſt, excalfaciunt, uitioſosq; ſuccos producunt.

*Oxymeli epilepticis dandum.*

*Capparis epilepticis congruit.*

*Acetum ſcilliticum.*

At oxymelite audacter utendum eſt: ex quo etiam capparis poteſt ſumi, pauxillo olei inſtillato. Quòd ſi acetum ipſum ſcilliticum fuerit, oxymeli longè magis iuuabit. Cæterùm ſi oxymel bibere puer uelit, tẽperetur copioſiori aqua: & hyeme quidem, calidum: æſtate autem, frigidum offeratur: ſic ſiquidem præter cætera, maximè ſitim ſedat.

*Pueris cur permittendum ſit veſci illis quæ nõ inſigniter lædunt.*

Permittere autem ei palàm & in tempore conuenit, quæcunq; non inſigni noxa ipſum poſſint afficere, ne clàm atque intempeſtiuè eis potitus, multò magis lædatur. Quippe uoracius & largius implentur ijs quæ deſiderarũt, qui palàm eis non prohibentur. Porrò à prandio, ubi modicum quid interquieuerit, priuſquàm ad ſtudia literarum accedat, nonnihil ipſum leuitè inambulare præcipio. A quibus ubi redierit, rurſum ante cœnam deambulet modicè: ac deinceps panis offerantur portiones reliquæ: aliorum uerò

*Epileptici quibus uesci carnibus debeant.*

unumquodq;. Verùm carnes omnium ferè uolatilium conuenient, exceptis ijs quæ in stagnis degunt. A quadrupedum autem omnium carnibus abstinere debet. Quòd si & quandoq; his opus sit uti,

*Suis extremas partes conferre epilepticis.*

suis quidē domestici extremis atq; uentre uescatur. Sed syluestris etiam suis carnibus uti poterit. Hœdos etiam gustare licebit, atq; nonnunquam lepores, probè tamen conditos, aut citra nidorē assatos.

*Condimentum simplex ex quibus constet.*

Simplex cōdimentum fit ex aqua, quæ anethum, porrum, oleum, atq; salem receperit. Quantum uerò ad marina pertinet, omnia testis intecta sunt perniciosa. Ex piscibus autem, saxatiles cæteris omnibus præstant. Torpedo autem sola ferè ex cartilagineorum genere illi conueniens est.

*Legumina congruentia epilepticis quæ.*

Inter legumina, ptisana quidem primum locum obtinet: deinceps lentes, alica & pisa conueniunt: reliqua noxia existunt. In uniuersum autem, quæcunq; glutinosa sunt, & crassi succi, quæq; inflant, & excrementa gignunt, necnon quæ ægrè coquuntur, ea prorsus uitare debet.

*Medicamen ex scilla confectum cōferre epilepticis.*

At uerò medicamento confecto ex scilla, post purgationem, quæ aduentante uere molienda est, utetur singulis diebus, priusquàm palæstram accedat. Et sanè, nisi ualde rebellis sit morbus, spero quadraginta dierum spatio ipsum, sola eius medicamenti ope, prorsus solutum iri. Post purgationem tamen, antequàm eo medicamento utatur, absinthium & semel & bis in potu accipere cōuenit.

*Oxymelitos differentia.*

Cæterùm oxymel quod acidissimum quidem est, quartam ad mel aceti portionem habet: quod uerò dulcissimum, octauam recipit. At crassis & glutinosis existentibus succis, acidiori atq; meraciori est utendum. Sin autem minus sint tales, dilutiori, atq; dulciori.

*Scillæ succum excipiendi ratio.*

Quo pacto autem ipse scillæ succum excipiam, iam adijciā. Primùm uase melitero præparato, in ipsum scillam frustatim manibus cōmmutam inijcio: deinceps angusto operculo cooperiens, & extrinsecus corium uniuerso corpori uasis circunducens, & diligenter ligans, in locum omnino ad meridiem conuersum repono: ita tamen ab aquilonijs flatibus communitum, ut nullatenus ab ipsis perfletur. Id autem eo anni tempore efficio, in quo exoritur Canicula: nempe ante illius quidem ortum, uiginti diebus, postq; ipsum etiam totidem. Tunc igitur per aliquot dies paulatim situm uasis permuto, ut æquè quacunq; sui parte incalescat. Quo tempore exacto dissoluens uas, in eo scillæ corpus perinde ac decoctum inuenio, atq; adhuc ex ea humorem quendam effluere, quem excipiens optimo melle condio.

*Scilliticum medicamē optimū epilepticis.*

Et huius quotidie plenum cochleare unum, in fantibus quidem paruum, adultis uerò magnum, exhibeo. Quinetiā quod totius scillæ corpulentum superest, exquisitè contundens, & cum melle leuigans, eius quoq; cochleare unū, ut prædictum est, porrigo: istud tamen uiribus est longè inferius.

*Scillā aceto incoctam, esse non innoxiā neruis.*

Qui uerò scillā in aqua coquentes subigunt, planè illius uires dissoluūt. Quemadmodum quicunq; ex aceto eam decoquunt, calidum quidem medicamentum abundè efficiunt: at neruis sanè non innoxium.

# GALENI PERGAMENI DE
## *Ptisana liber vnus.*

*Ptisana ex quibus constet.*



QVandoquidem composita quædam res est tum ptisana, tum eius cremor (ex hordeo enim probè decorticato, & aqua, & certa quadam coctione conficitur) prius de illius partibus summatim aliquid dicere est animus, quàm de eius compositione atq; usu disseram.

*Aqua optima qualis nam esse debeat.*

In primis igitur ad conficiendam ptisanam, aquam optimam deligere oportet, quæ nimirum nec olfactu, nec gustu, ullam extraneam qualitatem referat. Præterea sit pellucida & pura, operæpreciū est: minimeq; limosa, sed ueluti exactè colata. Porrò huiuscemodi aqua, quo ad usum quidem, satis erit accōmoda:

*Elementum nullum esse prorsus syncerum.*

natura autem ipsa, neq; hoc pacto prorsus syncera fuerit, sicuti nec ullum aliud sensibilium elementorum. Erit tamen tenuium partiū, atq; ad concoctionem, distributionemq; prompta: nec tantùm à naturali calore alterabitur facilè, uerumetiam igni externo admota, protinus calefiet:

*Aqua quæ sit leuissima.*

quod etiam testatur Hippocrates, aquam quæ calfit citò, & citò refrigeratur, leuissimam esse existimans: idq; nō æstimatā pondere, sed quòd partium tenuitate præpolleat, facileq; contrarias qualitates recipiat. Itaq; huiuscemodi aqua, frigida & humida, proprieq; omnino aqua censenda est.

*Hordeum refrigerat, exiccatq;*

Hordeum autem ipsum, refrigerat exiccatq;: habet tamen nōnihil detergētis & flatuosi. Quòd si inspiciatur particulatim, illius extremus cortex furfuraceus, & siccior existit, & magis detergendo accōmodus. Quod uerò intus, ceu carnis uicem gerens, atq; nutriendo idoneum habetur, deterget quidem & id, sed furfure longè minus, & pariter quippiam flatuosi in se continet. Quamobrem furfure quidem abstergit minus, ualentius autem hordeo.

*Hordeum conficienda ptisana aptū, quale nā esse debeat.*

At uerò, quod hordeum ad ptisanam conficiendam eligimus, esse plenum oportet, nec admodum recens, neq; antiquum ualde, & quod omnis ascititiæ qualitatis sit expers: in tumoremq;, dum coquitur, attollatur ingentem.

*Hordeum decorticandi ratio.*

Vbi aquam & hordeum delegeris, ipsum hordeum crudum in aqua præmacerato: deinde ita manibus uersato, quousq; deglubatur tenuis membrana. Postea rursus ualentius etiam manibus eousq; confricato, ut quicquid paleaceum inest, decidat:

*Hordeum haudquaquam decorticatū ptisanā magis abstergētem efficit.*

nisi quis fortè uelit eam magis detergentem efficere: tunc siquidem satius fuerit ipsum unà cum membrana decoquere. Ipsius autem decoctio sit talis, ut primùm quidem ebulliat plurimum: posterius autem lento igne, quousq; abundè in succum uertatur.

*Ptisana facultas.*

Hac enim ratione percocta ptisana, quicquid inerat flatuosi, deponit, restinguit sitim, deterget, abluit, facilè coquitur, atq; absq; astrictione aliqua humectat. Iam uerò quum cætera uiscida quo ad gustum nullam sanè suauitatem obtineāt, ptisana gustui nescio quid suauis & blandi affert, & præsertim ægrotis. Facilè etiam in thoracis partes descendit: estq; ad deiectionem, atq; distributionem, accōmodata.

*Ptisana maximè ex usu est ardentibus febribus.*

His de causis maximè ex usu est ardentibus febribus: quòd nimirum eis quacunq; ex parte obsistat, refrigerans & humectans, necnon putridos humores detergens, & corpori non exiguum nutrimentum suppeditans: eos uerò humores qui ex dimidio putruerunt

runt concoquens, atq; in optimum succum permutans. Præter has itaq; uires omnes, nullam habet aut astrictionem, aut stomachi subuersionem ptisana. Nam astrictio quantùm ad uentriculum roborandũ idonea est, tantũ ad incrassandos humores prompta: at ea humiditas quæ quód crassescat non habet, facilè subuersionem molitur. Ptisanæ sic confectæ, læues, æquales, atq; ex æquo omnes partes continuæ & unitæ existunt. Cæterùm nec eam ijs qui in discrimine sunt, porrigere conuenit: nec ijs qui uenæ sectione, aut purgatione, aut clystere, aut fomento indigent: nec eis qui excrementa plurima in regione uentriculi congesserũt, aut ingenti dolore uexantur. Sed neq; in siccissimis etiã morbis eam dare conueniet: quòd scilicet ualentioribus egeãt potionibus quàm sit ptisana, ut humectentur uberius. Tempus sorbitioni opportunum tunc fuerit, quando æqualiter dispositum corpus redditum est: id quod tantùm morbo inclinante accidit. Porrò morbi sicci sunt, lateris pulmonisq; inflãmationes, atque adeo quicunq; morbi in thorace fiunt, si nihil per excreatum excernant. At morbi qui circa iecur, & uentriculum, & intestina accidunt, tunc sanè sicci dicuntur, quum nihil excernunt, aut dura, & non ut necesse est, neq; effatu digna. Siccitates uerò quę in uenis & arterijs consistunt, ex lingua & exteriori cute noscuntur: pariter & affectus qui in capite sunt, si nihil per palatum excernatur, aut nares. Eadem etiam ratione, & inflammationes & ulcera esse contingit sicca, ex quibus nihil per saniem excernitur. Igitur in huiuscemodi morbis ptisanam minimè propinare conueniet, quòd satis eos humectare non ualeat. At uerò quando corpus humidius extiterit, aut ex pulmone aliquid exercatur, tunc eis semper sorbitionem augere, atq; adijcere oportet. Verũ neq; ipsam statim ptisanã offerre expedit, sed prius sanè eius cremorem solum, aut cremoris quidem plus, ptisanæ autem parum, mox utriusq; æqualiter: deinceps & solam ptisanam: idq; non ignorantes, ad corporis robur & nutritionem, maximè conducere ptisanam: ad facilem uerò coctionem, atq; in corpus distributionem, cremorem ipsius.

*Ptisana quibus exhibenda non sit.*

*Morbi sicci qui dicantur.*

*Siccitates particulares quibus notis deprehendantur.*

*Ptisana cur in siccis morbis nõ danda.*

*Ptisana cremor.*

SECTIONIS TERTIAE FINIS.

# EPITOMES OMNIVM GALENI OPERVM SECTIO QVARTA.

## ILLVSSRISSIMO ET REVERENDISSSIMO D. D. PETRO PACHECO, GIENENSI EPISCOPO, ATQVE S. R. ECCLESIAE SENATORI VIGILANTISSIMO, ANDREAS LAcuna, Secobiensis, Doctor Medicus, Miles Sancti Petri, S. P. D.



*I Vt corpus erectum sortitur homo, sic animum ad sublimia erigeret, neutiquam caducarum (vt solet) rerum teneretur admiratione, Pater obseruandiss. sed perpetuò & diuina suspiceret, & assiduè in eorum exerceretur meditatione. Cæterùm quum ita sit natura comparatũ mortalibus, vt pars quidem victi, ac veluti captiui ducti à suis cupiditatibus, illis tantùm inseruiant: pars autem adeò ignaui stupidiq; sint, vt animã habeant necne, ignorent penitus: cõtingit sanè, vt perpauci eorum sursum aspicere queant (lux enim lippos maximè offendit) sed omnes ferè humi serpãt, instar crocodilorũ. Id quod certè est in causa, vt si quando videant canem transilientem per circulum, aut tripudiantem simiam, aut deniq; fœdissimũ Scytham supra funem saltantem, vniuersi, sui ipsorum obliti, confertim ad id genus spectacula confluant, atq; ea quidem admirentur stupefacti: negligant autem & aspernentur cõditoris illius nostri opera: quæ si, vt decet, expenderentur, omnium spectatorum animos in maximã admirationem sui, cõmendationemq; conuerterent. Nam ut impræsentiarũ prætercam ordinatas illas orbium cœlestium lationes, constantissimos ortus syderum, vicissitudines temporum, animaliumq; generationes & incrementa, quæ captum humanum superant, de ijs autem disserã quæ indies calcantur pedibus, quid obsecro admirabilius possit vnquam cõtingere, quàm ex erucæ, nasturtij, aut alio vix perceptibili semine, oriri herbam bicubitalem? ex nucleoq; aliquo exiguo, nasci prodigiosæ magnitudinis arborem? Etenim postcaquàm semen in terram, veluti in matricẽ quandam, coniectũ est, attracti humoris copia intumescit, intumescensq; rumpitur, ac duo de se emittit germina: vnum quidem, quo terræ adhæret, ab eaq; sibi alimentũ sugit, quæ est radix: alterum verò, quod solem versus, à quo viuificatur, erumpens, ab vno caudice in varios tandem ramos diuaricatur. Atq; hic sanè plantarum est ortus: quas quidem vniuersi Philosophi & Medici, animatas esse dixerunt, neq; id iniuria: quòd nimirũ animantiũ ritu gignantur, crescant, viuant, atq; senio absumãtur. Primò siquidẽ sunt molliusculæ, ductilesq;, et tractabiles, vt infantes. Dein processu temporis adolescunt, suisq; articulis roborantur. Postea verò iam consistentes, vbi crescere desti-*

terunt, & renituntur trahenti, & solida fructuum vbertate pinguescunt: donec tandem concedentes naturæ, hominum instar senescunt, atq; fatiscentes dehiscunt. Reperitur etiam, vt in animalium generibus, sic sexus vterq; in stirpibus. Discernitur autem à fœmina masculus, quòd folia huius prius germinent, folijsq; fœminæ sint minora. Quòd si masculus adeò cōiunctus sit fœminæ, ut folijs mutuò sese contingant: aut si ex fragrantia masculi portio aliqua ad fœminā, ventorū beneficio peruenerit, ipsius fœminæ fructus citò ad maturitatem perueniunt. Sunt autem stirpes vt cæteris rebus omnibus longè amœniores & iucundiores visu, sic earum vsus mortalium vitæ multis numeris necessarior: vtpote à quibus non modò alimenta ipsa, sed etiam medicamenta, quibus vtimur ad profligandos morbos, multaq; alia pertinentia ad vitæ cōmoditatem, proficiscantur. Vnde non immeritò Marcus Curius, Lucius Quintius Cincinnatus, Marcus Valerius Coruinus, Cyrus Persarum Rex, alijq; viri grauissimi, allecti plantarum amœnitate, plurimū agriculturæ indulserunt. Quum igitur vndecim cōmentarios Galeni de viribus medicamentorum simplicium: septem, de compositione pharmacorū secundum genera: ac deniq; decem alios de compositione medicaminum iuxta singulas nostri corporis partes (in quibus non modò vniuersæ dotes, ac facultates plantarum, sed varia etiam morborū genera, eorumq; absolutæ curationes exaggerantur) superioribus diebus ad græcorū exemplarium fidem restituissem, restitutosq; contraxissem in methodum vt breuiorem, sic multò studiosis aptiorē: statui equidem hos ipsos viginti-octo cōmentarios, Naturæ thesauros quosdam opulentissimos, tibi, Antistes Reuerendissime, nuncupare: idq; non vt ex hac ipsa dedicatione aliquid splendoris accederet Tuæ Celsitudini, quæ iampridem ob insignem prudentiam, variam eruditionem, raram incredibilemq; clementiā, ac deniq; summam pietatem, conciliauit sibi omniū bonorū animos, atq; extra omnē ingenij aleam est posita: sed vt tui nominis fulgore illustrati, inirent multò maiorem gratiam eruditorum hominū: sub tuoq; patrocinio, veluti sub clypeo Aiacis delitescentes, nō tam facilè impeterentur à virulentis quorundam morsibus, quibus alienæ famæ detrahere, & exercitium, & summa voluptas est. Siquidem quum olim summi Imperatores & Principes, aduersus impendentes fluctus & tempestates fortunæ, cōmunirentur literis: nunc ingenuæ artes & disciplinæ, vt tutò prodire possint (proh dolor) fautoribus & Mecœnatibus egent. Cæterùm si T. C. hasce nostras lucubrationes defendendas susceperit, nulla inuidia, aut calumnia, in nos quicquā moliri poterit. Quòd si quæ barbarorum ac sophistarum cohors (hi nanq; præcipui sunt, infestissimiq; bonarum disciplinarū hostes) accedat propius, vt facessat nobis negocium, confestim in pedes se conferet, vel solius nominis tui fulmine perterrefacta. Adeò siquidem heroicas illas ac nondum satis laudatas virtutes tuas, quadam seueritate grauitateq; prudentissima adornas (quod passim de te omnes prædicant) vt non minus tetris ac flagitiosis hominibus, terrori ac formidini sis, quàm ingenuis omnibus admirationi. Quibus quidem rebus adductus Diuus Carolus V. Imp. Tridentinæ synodo te vnum inter alios omnes præfecit, vt singulari sapientia tua Ecclesiæ causam tuereris: sibi nimirū persuadens, te præsente, nihil transactum iri, quod non pium, non æquum, non sanctum, non deniq; vniuersæ Christianæ Reip. maximè salutare futurū esset. Quam prouinciam adeò alacriter suscepisti, eaq; fide & pietate suam pacem, religionemq; Ecclesiæ restituendam curasti, vt S. D. N. P. III. P. M. te inter purpuratos illos Patres censuerit tandem annumerandum: sentiens hauddubiè se nō minus accessu tuo illustraturum Senatum illum Patrum amplissimorum, quàm exornaturum amplitudinem tuam tam splendida, tamq; iusta pietatis tuæ, atq; integritatis corona. Quocirca Illustrissimi illi, Reuerendissimiq; omnes collegæ tui, summo desiderio tenētur visendæ T. Celsitudinis, in eaq; suos pascendi oculos: sed inter omneis præcipuè Illustrissimus & Reuerendissimus D. D. Franciscus à Bouadilla & Mendozza, Cardinalis Cauriensis, meusq; Mecœnas maximus. Qui quidem tuarū virtutum præco, vt est studiosissimus tui, iam vellet vt morā rumperes, quò liceret sibi ac cæteris frui isto conspectu tuo, splendoreq; illis tam exoptato. Cui nec potuissem equidem (quod certò scio) rem vnquam gratiorem facere, quàm si hosce labores meos, futuros ceu testimoniū quoddam arctissimæ illius necessitudinis, quam inter vos mutuò alitis, consecrarem tuo numini: nec poterit Tua Celsitudo, quàm si ipsos singulari suo patrocinio dignetur. Deus Opt. Max. amplitudinē istam tuā, Antistes obseruandiss. diu nobis quàm florentissimam seruet, vt tum pietas, tum religio, tum bonarum literarum studia, sub tali coryphæo & protectore inualescant. Vale. Venetijs, ex ædibus Illustrissimi & sapientissimi viri, D. D.

Ioannis Furtadi à Mendozza, in hac Rep. Oratoris Cæsarei vigilantissimi.

XV. Cal. Maias, M. D. XLVIII.

# GALENI PERGAMENI DE SIMPLICIVM
## *medicamentorum facultatib. lib. I.*

CAPVT I.

*Simplicium medicamentorũ cognitio ad quid conferat.*

*Medicamentũ quid.*

*Nutrimentum quid.*

*Medicamen simplex quid.*

*Facultas quid.*

*Facultas est duplex, actu scilicet & potentia.*

*Medicamentis singulis propria quædam facultas inest.*

*Essentiæ facultatũ sunt qualitates ex quibus corpora cõstant.*



Edicamentorũ simplicium facultates exquisitè cognoscere, cùm ad uariorũ cõpositionẽ, tum ad inuetirorũ opportunũ usum, admodum necessariũ est. Porrò medicamentum omne id dicimus, quod alterare nostram naturam potest: sicuti nutrimentũ, quicquid substantiam augere. Refertur enim utrunq; ad aliquid. At uerò medicamentum simplex, & ipsum per oppositionẽ ad compositum nuncupatur. Estq; id quod secundum naturam suam, syncerũ est. At facultas, causa quædam est effectrix: eaq; partim actu, ut calefaciendi in igne, partim potentia, siue futuro tempore: quali nimirum calefacit pyrethrum. Cùm autẽ singulis medicamentis propria quædam effectrix facultas insit, aut purgatoria, aut uomitoria, aut alterius generis alia: nosq; alibi demonstrauerimus, ex calido, frigido, humido, & sicco, corpora uniuersa constari, certè facultatum effectricium essentias (de quibus neq; inter medicos, neq; inter philosophos conuenit) tum in alijs omnibus, tum in medicamẽtis, has ipsas qualitates statuemus.

CAPVT II.

*Facultatũ iudicandæ experimentum sumendum esse ab ea re, ad quam dicitur.*

*Aqua frigida calfacit ex accidenti, ut calida sæpe refrigerat.*

*Calida & frigida facultate, quæ dicantur.*

In primis autem ac maximè sumendum est iudicandæ facultatis experimentum ab ea re, ad quam dicitur. Nam quã uim in homine aliquod medicamen habet, in alio animali eandem non necessariò sortietur. Proximũ est, ut quod ex accidenti est, distinguatur ab eo quod primariò & per se. Nam aqua frigida calorem quandoq; reuocat, cutem refrigerando contrahendoq;: ad quod sanè consequitur reuocatio caloris. Rursum calida quoq; ipsa refrigerat sæpenumero, digerendo excalfacientem humorem. Quæ igitur admota corporibus nostris, primariò ac per se excalfaciunt, ea sanè facultate dicuntur calida: si uerò contrà refrigerent, frigida: non autẽ quòd alba uel rubra sint, tali facultate sunt prædita.

CAPVT III.

*Examini medicamẽtorũ quid requiratur.*

*Tenuiũ & crassarum partium quæ dicãtur esse medicamẽta.*

Etenim quod ab initio ad finem usque dum applicatum est, magis semper calfacit, aut refrigerat, id nõ ex accidenti, sed ex sua natura est tale. Danda autem opera est, ut quodcunq; medicamen in iudicium uocare uelis, diutius hæreat applicitum, omnisq; sit alienæ tum frigiditatis, tum caliditatis expers, ne natiuam facultatem illius ascitina adulteret qualitas. Porrò quædam tota substantia in sese mutuò & agunt, & patiuntur: quædam una duntaxat, aut duabus qualitatibus. Ad hæc, alia quidem tenuiũ partium sunt, alia crassarum. tenuium quidem, quæ facilè in tenues comminui partes possunt, crassarum uerò, quæ contrà.

CAPVT IIII.

*Aquam esse ad uitam maximè necessariam.*

Si igitur primò aquam, quæ & cõmunissima uniuersis hominibus tam sanis quàm ægris est, & ad uitam maximè necessaria, nec frigidam insigniter, nec calidam, corpori temperato applicueris: dein ijs quæ natura sint intemperata. tertiò, quæ aliquo affectu tenentur: temperato quidem admota, plusculo tempore omnino ipsum refrigerabit: intemperato uerò, citius quidem refrigerabit id quod frigidius natura fuerit, tardius autem quod calidius: semper tamen refrigerabit, cùm uidelicet talis existens, nequeat reuocare calorẽ, quemadmodũ summè frigida, quę si quadrato, aut iuuenilis corporis naturæ pauculo fuerit tempore admota, caloris molietur reuocationem. Sin aliter utaris, semper refrigerabit: id quod etiam facit admota ijs, qui simplici laborant affectu. Nam ubi affectus compositus fuerit, contingit aliud primariò à medicamento fieri, aliud ex accidenti: ut licet cernere in phlegmone, quæ calidæ copiosæq; fluxionis est soboles. Siquidem quæ modicè excalfaciunt pharmaca, dum superfluitatem euacuant, id quod affectum est, protinus frigidius efficiunt. Aqua itaq; potabilis utrobiq; uidetur frigida: id quod non licet de ijs asserere, quæ sulfureę, bituminosæ, atque nitrosæ existunt. Imò uerò neq; marina ipsa, priusquàm ascititium frigus summũ acceperit, admodũ refrigerare conspicitur. Ergo quæ exactè ac syncerè aqua est, omnis alterius substantię mistione uacans, ea necessariò ex sua facultate est frigida. Si qua uerò per bituminosa, sulfurea, nitrosa, aut aluminosa loca distillans, aliquid secum eius substantiæ absterserit, mista iam ea est, nõ autem exactè aqua. Quòd si etiam ipsi aquæ potabili igneam aut essentiam, aut qualitatẽ adieceris, sic etiam quodammodo compositam illam effeceris. Quinetiam aqua limosa, quali apud Aegyptum utuntur, composita quadantenus est: sed ea per fictilia uasa optimè percolata, quampurissima efficitur.

*Aqua summè frigida in quib. calorẽ reuocet.*

*Aqua potabilis frigida existit.*

*Aqua omnis syncera, est naturaliter frigida.*

*Aquæ mistæ quæ sint.*

*Aqua limosa apud Aegyptum utuntur.*

CAPVT V.

*Aqua debet iudicari gustu, uisu, & olfactu.*

*Elementum purum minimè reperiri.*

Iudicatũ autẽ aqua gustu, uisu & olfactu. Siquidem gustu est pura, si omnis qualitatis expers uideatur. Visu, si syncera & pellucida fuerit. Sic nec odoratu ullam præ se ferre qualitatem debet, ut sunt quædam prauitatis extremæ, quæ aut aciditatem, aut acrimoniam, aut salsedinẽ, aut putredinem præferunt. Igitur aqua, quæ absq; his est omnibus, ut ad naturã certè, ne ipsa quidem ad amussim syncera fuerit, sicuti neq; aliud ullũ sensibilium elementorũ, sed ut ad sensum & usum, syncera est. Quæ itaq; examinanda uenient medicamina omnia, omnis extraneæ qualitatis ualentisq; aliena sunto.

CAPVT VI.

*Aqua omnis dulcis refrigerat.*

*Ceratum humidum ablutũ frigida, calidos omnes affectus refrigerat.*

Quòd autẽ omnis aqua dulcis manifestò refrigeret, hinc discas licet, quòd si cerã oleo liquaueris, humidumq; ceratũ confeceris, ac postea ipsum refrigeratũ, largiorisq; affusione frigidæ ablutum admoueris, ualenter eos qui febre uruntur refrigeret, si hypochondrijs supponatur: nec non omnem phlegmonem, herpetes, carbunculos, erysipelata, phygethla, & breuiter omnes calidos morbos: id quod non contingeret illi per aliquam nuper dictarum aquarum, quæ calidis aduersantur affectibus, calidæ nimirũ cùm sint.

CAPVT VII.

Cæterùm quòd aqua quoq; potabilis sola sit

*Aqua potabilis sola est humida.*

inter propositas humida, ex eadem disces methodo. Nam si ulcera supra modum sicca, hac irriges, statim admodũ humida & mollia reddentur, cùm aliæ aquę uniuersæ ulcera desiccent, nõ nullæq; etiam ob acrimoniam exasperent. Quin etiam sitienti, dulcis aqua remedio est: cęteræ uerò, acerbiorẽ etiam sitim relinquunt. Tum aqua inter cutem laborantibus aduersissimũ est & poculum & lauacrũ aquæ dulcis. Salsarum uerò, nitrosarum, sulfurearũ, bituminosarumq; omniũ, sanè perutile. Imitari autẽ potes, sicuti marinã, sic aliarum quamlibet, substantia uidelicet admista, quæ in quaq; uincere cernitur.

*Aqua dulcis restinguit sitim.*

*Hydropicis quarum usus aquarum sit utilis.*

CAPVT VIII.

*Aqua natura. Aquam summè humectare.*

Aquæ igitur propria natura humida & frigida est. Cæterũ summè quidem humectat, siue tepida, siue temperata ea sit: non autẽ calfacit summè, nisi quæ extremè ferueat. Quòd si corpus aliquod eucratũ, calida moderatè perfundas, in ipso quidẽ perfusionis tempore, calidius simul atq; humidius efficies: paulò uerò pòst, id seipso euadere frigidius, nõ tamen siccius, conspicies. Nam tametsi humores qui in uasis, alijsq; cõmunibus spacijs sunt, per id genus perfusiones uniuersi exhauriant, ipsa tamen uasorũ corpora, & uniuersum genus carnosum seipso humidius redditur. Quale exemplũ, q̃uis ratione diuersa, licet uidere in senibus: qui cùm genuinas partes, quàm adolescentes, magis siccas sortiant, pluribus tamen excrementis redundant. Hanc itaq; humectandi uim solã, nunq̃ aqua deponit: neq; enim siue feruens sit, siue etiam extremè frigida, partẽ cui affusa fuerit, sicciorẽ efficit: quanq̃ ob euaporationẽ quę à calida perfusione excitari solet, perfusa particula nonnullis longè siccior uideatur, cùm præsertim uapor, humor sit extenuatus.

*Senes partibus quidem solidis sunt sicci, excrementorũ autem copia humidi.*

*Vapor humor est extenuatus.*

CAPVT IX.

*Ignis potentia est, quod facile in ignem vertitur.*

*Facultate aliquid, ex aduerso diuiditur ei quod actu.*

Nec uerò usqueadeo absurdũ fuerit, q̃d facilè in ignẽ uertitur, id calidũ facultate putare. Vnũ quippe ex ijs quæ facultate talia dicunt, est id q̃d ex propria eius quod dicitur materia, tale est facultate. vt, si quid facilè in ignem uertitur, id nõ actu, sed facultate est ignis. Nam hoc quod est facultate, ex aduerso ei diuidit, quod est actu: sicuti & quod est per se, huic q̃d ex accidẽti cõtingit.

CAPVT X.

At quibus consiliũ est, tutò à rebus extraneis, ad corpora transire animaliũ, uidere primũ debẽt, an tenuis sit essentiæ, an crassæ, q̃d explorandum uenit. Secundò, an sibi continuũ, densumq; ac solidum: an interuallis interceptũ, an rarum.

CAPVT XI.

*Calida potestate, vt nos calfacere possint, debent prius in tenuia comminui.*

Eorum autẽ quæ in confesso est facultate esse calida, nullum omnino apparet nos calfacere, priusquã in tenuia sit cõminutum. Nam si quis piper integrũ cuti inspergat, nullam planè caliditatem percipiet: si uerò pollinis instar cuti insper gatur aut linguæ, excalfaciet utiq;, ac potissimũ si fricueris. Quare multa quidem facultate sunt calida, facileq; in ignem uertunt, quę nos tamen haud facilè excalfaciũt. Ignis siquidẽ, ut qui omnium tenuissimus & calidissimus sit, minimo negocio penetrat illa, atq; uincit. Nostra autem caliditas, præterq̃ quòd crassæ est essentiæ, halituosaq;, adeò existit infirma, ut ægrè quod cõtingit permutet. Quare nihil eorum quę calfacere nos uidentur, perinde ut ignis calfacere potest, sed tanq̃ materia quæ accenditur facilè. Siquidẽ mutationis principium à nostra caliditate accipientia, ut calami aridi ab igne, nos cõtrà recalfaciũt, & ueluti partes fiunt quædam natiui caloris, ut ignis illi. Quare mirandũ non est, si quædã medicamenta primæ quidem mutationis principiũ à nostro calore nacta, inde iam pergant, cum quoque qui mutabat, uincere & superare.

*Piper calfacit.*

*Ignis omnium tenuissimus & calidissimus est, ob idq; facile penetrat.*

*Caliditas nostra crassa est essentiæ.*

*Calfacientia corpus, ab eo natiuum calorem assumere.*

CAPVT XII.

*Corpus uniuersum esse transpirabile.*

Porrò cutis omnis in primo statim ortu sibi continua cùm sit, temporis spacio pertundit, sic ut uniuersum corpus fiat perspirabile, arteriæq; ipsæ (quæ in cutis meatus, quemadmodũ uenæ, aperiunt) undequaq; se dilatantes, per poros attrahant, nõ aërẽ modò, halitumq;, sed quicquid etiã trahi facilè potest, ac præ tenuitate sua, motum ipsius spiritus consequi. Quamobrem quicquid piperis ad exactissimũ fuerit redactũ pollinem, uerisimile est, simul cum ambiente aëre, ab ipsis arterijs attrahi, protinusq; à calore natiuo alterari, idq; tum ob paruitatem, tum ob ingenitam ut à calore alteretur aptitudinẽ. Quod quidem si semel illi insit, per totum corpus, temporis progressu, perlatum, ipsum recalfaciet: prius tamen calfaciẽs sibi proximiores particulas. Vnde liquet, crassorũ nullum, priusquã ad unguem cõminuatur, neq; ipsum à nostro corpore quicquam perpeti, nec rursus in nos posse agere. Quod uerò in pipere adduximus exemplũ, idem licet ad alia transferas, siue ea calefaciendi, siue etiam refrigerandi facultatem sortiantur.

*Medicamenta omnia quo pacto in corpore suas vires exerceant.*

CAPVT XIII.

*Rara quæ sint.*

*Rara quàm spissa cur accendantur facilius.*

Considerandũ autẽ est nõ solùm, crassarũ'ne sit partiũ, an tenuiũ, explorandorũ medicamentorum substantia: uerumetiam, rará ne an spissa, densáue. Voco sanè rarã, cuius partes inanibus spacijs sunt interceptę. Vbi igitur spacijs eiusmodi multis, quæ plena semper sunt aëre, corpus fuerit distinctũ, facilius q̃ spissum accendit, etiã si calidius illo nõ fuerit. Nam qui in ijs spacijs cõtinetur aër, primo statim ignis occursu accenditur, atq; inflãmatur (aër enim accensus est flamma, quemadmodũ terra, carbo) unà uerò secum corpus uniuersum accẽdit. Sic itaq; calamos aridos ignis exurit celeriter, tametsi minus alia substantia calidos, idq; ob meatuũ multitudinem, quos prius aër occupabat, quorũ argumentum summũ, calamorũ leuitas est. Nam siccũ natura corpus, leue esse alioqui nõ posset. Quæcũq; autem fistulosa sunt, multumq; uacui obtinẽt, pondere existunt leuia. At calamus à nostro corpore ægrè calfieri potest, quòd essentiæ sit crassæ. Si igitur alicuius medicamẽti substãtia tenuis sit & cõtinua, eandem in nos naturã ostendet, quam prius in ignẽ: sin autẽ rara sit & crassa, fieri poterit ut ab igne quidẽ alteretur perfacilè, nõ tamẽ à calore nostro, ac proinde nec nos recalfaciat.

*Flamma est aer accensus.*

*Carbo est terra succensa.*

*Fistulosa omnia sunt leuia.*

CAPVT XIIII.

*Aqua igni aduersissima, utpote frigida & humida.*

Quãuis aqua ipsa tenuis substantiæ sit, nõ tamen ob id ex sua natura nos calfacit: nec propriũ est ignis nutrimentũ, sed potius extinguit illum, ut quod illi sit aduersissimũ. Nec mirum si cũ igne tum calidissimo, tum siccissimo pugnet

aqua,

*Oleum cur obscurè nos calfaciat.*

aqua, frigida & humida existens. Porrò oleum, tametsi in flammã uertai facilè, nõ tamen admodum celeriter, nec manifestè nos calfacit, ob lentorem substãtiæ, quo tenaciter inhæret ijs, quæ semel cõtigit: neq; ab ambiẽte facilè aut extenuari, aut augeri ualens, nec prõptè intus in corpus transumi. Aqua uerò & celerrimè in halitũ soluitur, & expeditè digerit. Quòd si in idem uas coniectam aquã, oleumq; decoquas, prior aqua absumetur.

*Aqua feruens simul cum oleo, citius quàm illud absumitur.*

CAPVT XV.

*Calfaciẽs actu & potẽtia, unũquodq; dupliciter dicitur.*

Vt autem calfacientium, aliud est simpliciter calidum, ut ignis: aliud exuperantia, ut qui in nobis est calor: sic eorum quę facultate sunt calida, aliud quidem ad id quod primò & absolutè est calidum, aliud uerò ad id quod per exuperantiã refertur. Non ergo quod citius accenditur, protinus ad nos simpliciter apparet calidius.

CAPVT XVI.

*Concrescentia in glaciem faciliùs, tẽperamenti sunt frigidiorῖs, si utrobique eadem consistentia insit.*

Sed neq; citra limitationem, ex eo quòd aliquid in glaciem cogatur, debemus frigidum esse colligere. Nam in ijs quæ eandem habent aut tenuitatem, aut crassitudinẽ consistentiæ, quod ocyus à frigore cõgelatur, temperamenti est frigidioris. Si uerò alterum sit tenuius, puta (exempli gratia) uinum: alterum crassius, ut oleum: nõ est necesse aut citius aut magis cõcrescere quod est frigidius: nisi frigiditatis excessus, quæ huic inest, excessum crassitudinis, quæ inest alteri, superet.

CAPVT XVII.

Est autem refrigerari, frigidam qualitatem recipere: at congelari, durescere est præ frigore. Quæcunq; igitur corpora tenuis essentiæ sunt, promptè tum incalescunt, tum refrigerantur: at non æquè congelantur, ut aër & ignis. Nam hic planè non congelatur: ille autem, nempe aër, nõ perinde ut uitrum, pix, cera, resina & bitumen: cuius quidem tametsi calidissimũ sit, terrenitas tamen crassitiesq;, ad congelationis celeritatem adiuuat. Porrò aquam quæ celeriter & incalesceret, & refrigeraretur, meritò leuissimã esse dixit Hippoc. Nam quantò tenuior fuerit, tantò patt erit prõptior. Atqui quæ tenuior est, minimũ habet limi terrestris. Non ergo absolutè ex materię passionib. ad ignẽ, cõijcere eius ad nos facultatẽ oportet: cùm multò securius sit hoc iudiciũ, quo ad nostrũ corpus quippiã examinamus. Quòd lac similare nõ sit, nec undequaq; sibi simile, coagulano indicat, qua serosæ partes à caseosis facilè separant. In uniuersis etiam liquoribus, qui à fructibus exprimunt, crassum defertur quippiã, quod spacio temporis subsidet, uocaturq; fæx in uino, in oleo autẽ amurca. In aceto uerò est eiusmodi quippiã, ac forsan ipsum est, q̊d caloris est particeps. Nam quod frigoris, id q̊d tenue est. At acetũ maiori ex parte frigidius est, q̃ calidius.

*Tenuia corpora promptè incalescunt, atque refrigerantur.*

*Ignis non congelatur.*

*Aqua quæ dicatur leuissima.*

*Lac non esse similare.*

*Fæx.*

*Amurca.*

*Acetum maiori ex parte frigidius quàm calidius existit.*

CAPVT XVIII.

Perperàm igitur faciũt, qui usqueadeo calidũ esse acetũ pronunciant, ut cauterio illud assimilent: cùm tamen nec tantã sensu percipiamus in aceto caliditatẽ, nec ipsum crustas, instar cauterij, excitet. Constat siquidẽ, ubi per cauteria cõsilium est sanguinẽ sistere, crustam relinqui haud exiguã, quæ uelut operculũ fit corporibus sanguinem profundentib. Ac proinde illis cauteria planè candentia applicamus, quæ haud quidem quòd calfaciant, sed quòd urant, atq; subiectis partibus operculum, quam Græci uocant eschàram, relinquant, fluentẽ sanguinẽ supprimunt. Itaq; acetũ, haud perinde ut crustas facientia medicamenta, sed potius ut astringentia, citra crustam, sanguinis fluores cohibet: qua ratione nõ excalfacere, sed refrigerare potius ipsum existimandum est.

*Cauteria sanguinem supprimunt, quòd relinquant escharam*

*Acetum qua ratiõe fluentẽ sanguinem sistat.*

CAPVT XIX.

*Idiotarum iudicium cur incorruptum.*

Si uerò idiotam aut plebeium aliquem (nam horum in istiusmodi rebus incorruptũ est iudicium, quia nulli dogmati seruiliter sunt addicti) tẽperato aceto ex spongia fouerimus, dein autẽ interrogauerimus, num calorem an frigus percipiat, fatebitur quidẽ se, primò sanè frigus percipere: postea autem, nempe spongia sublata, sensim nascentis in parte quandam caloris phantasiam sentire. Vnde perspicuũ est, omnino quidẽ frigidum esse acetum, obtinere tamen quẽdam calorẽ, qui acrimoniæ ratione per accidens successu temporis corpora calfacit: nisi fortè ubi laxus ac doloris expers tumor infestat. Si quis etiã illo ab illata thapsia utat, ardor aceto restinguitur: non quòd acrimoniam & mordacitatẽ obtundat, ut oleum atq; rosaceũ, sed quòd euidenter refrigeret. Quare nisi molesta facultatis asperitas illi inesset, non alio utendum ad refrigerationem foret.

*Acetum est frigidum, quãquam caloris particeps.*

*Acetũ ardorem à thapsia excitatum sua refrigeratione restinguit.*

CAPVT XX.

Cùm autẽ alij ob acrimoniam ipsius, calidissimum esse acetum contendant: alij contrà, maximè frigidum, quòd putent ipsum grumos constringendo dissoluere, uerisimile est id iuxta medium cõsistere. Quippe si longè ab extremorum utroq; distaret, non tanta incidisset de facultate ipsius controuersia.

*Aceti tẽperaturam non longè à media distare*

CAPVT XXI.

*Neutra dici tripliciter.*

Quia uerò quæ neutra sunt, dicuntur tripliciter, secundũ diuisionẽ Herophili, partim amborum extremoꝝ participatione, partim neutrius, partim nunc illius, nunc huius: mihi sanè tum acetum, tum etiã rosaceũ, utriusq; extremi necessitudine, esse neutra uident: & quòd nũc quidem sensibiliter calfacere, nunc refrigerare cernant.

*Acetũ qua ratione dicatur neutrum.*

*Rosaceum qua ratione dicatur neutrum.*

CAPVT XXII.

*Aëris tenuitas unde iudicetur*

Quod uerò ad aërẽ spectat, iudicatur eius tenuitas, ex sola in tenuia diuisionis celeritate. Cæterùm si ea ratione ignis sit tenuis, haud omnis ignis tenuis existimabit, cùm æs & ferrum fiat ignis, nõ tamen q̃ antea tenuius. At flãmæ, cùm aliud sint ignis genus, reuera tenues existunt. Quocirca nõ omnis ignis est tenuis, nec quicq̃d tenue, protinus & ignis fuerit. Nam pruna ignis quidẽ est, & nõ tenuis: & aër tenuis, uerùm non ignis.

*Ignem omnem nõ esse tenuem.*

*Tenuia omnia non esse ignem.*

CAPVT XXIII.

Quocirca minimè cõcedendum arbitror, acetum, quòd mordax & tenue sit, calidũ continuò esse. Nec enim quicquid mordax fuerit, id & calidum est: fortè uerò, nec quicquid mordax fuerit, & tenue.

*Mordacia omnia non esse calida.*

CAPVT XXIIII.

Eorũ igitur medicamentorũ quæ uehemẽter aut refrigerant, aut calfaciũt, nõ sunt facultates ambiguæ. Verũ ea de quibus dubitare cõtingit, neutra omnino esse necesse est. Pleraq; autem, ut ad sensum simplicia, ex pugnantibus facultatib.

*Neutra esse de quibus dubitare contingit.*

cōstant: ob quas quidē fieri potest, ut acetū uim illam obscurè calfaciendi, quam ostendit, sortiatur, existens alioqui tenue, refrigeratoriū atque exiccatoriū medicamentū. Etenim quidā efflorescere rubor in partibus ab aceto irritatis conspicitur.

*Aceti facultas.*

CAPVT XXV.

*Facultatum medicamētorū excessus et gradus discendos esse.*

Cæterùm nō sat est generaliter uires medicamentorū cognoscere, quòd hoc uidelicet calfaciat, illud autem refrigeret, nisi etiam ipsarum facultatum excessus & gradus, accuratissimè didicerimus. In qua quidē cognitione, tum artificialis simplicium usus est constitutus, tum ratione proficiscens ac methodo compositio: ipsorumq; compositorum recta usui accommodatio.

CAPVT XXVI.

*Composita cognosci nō posse, simplicib. ignoratis.*

Perperàm autē superioris seculi homines à cōpositis orsi medicamentis, eorū quę in illa ingrediuntur medicamentorū simpliciū uires dijudicabant, cùm nō liceat rectè cōposita ipsa cognoscere, priusquam simplicia sigillatim examinarimus.

CAPVT XXVII.

Atq; hi quidē, cùm citra iudiciū simpliciterq; compositis omnibus facultatibus fidem habēt, uel Empiricis ipsis reprehensionis locum & occasionem exhibent.

CAPVT XXVIII.

*Sensus cur non sint contēnendi.*

Cùm autem non aliunde ignem calidum esse, ac glaciem frigidam cognoscamus, quàm ex sensu ipso: omnino stupidi sunt, qui sensus esse contemnendos existimant.

CAPVT XXIX.

*Oxycrati uires.*

*Aquam ab aceto deduci per uniuersum corpus.*

*Aqua uino permixta, quàm sola, cur efficacius restinguat sitim.*

*Vinum semper dauget sitim.*

Porrò æstiuo tempore oxycrati potu, quidā planè refrigerant, atq; sitis expertes permanent. At nōdum constat, an id aceti causa cōtingat. Dixerit tamen aliquis, aquā, tardioris distributionis cùm sit, ab aceto, tanq̄ uehiculo, duci digerique in uniuersas partes. Sic etiam si cum uino bibatur aqua, sitim efficacius extingui, q̄ si sola. Refrigerationē itaq; sitisq; sanationē ab aqua prouenire, ut quæ frigidæ humidæq; naturæ sit: cæterùm adminiculo esse, ac ueluti alas illi ad omnes corporis partes permeandas, tum uinū, tum acetū: quæ ipsa nequaq̄ frigida sunt & humida: alioqui ad restinguendam sitim, præstaret ea sola, q̄ cum aqua, exhiberi. Porrò ut à uino apparet homini semper sitim increscere, sic ab aceto epoto, interim quidē augeri, interim uerò sedari.

CAPVT XXX.

*Sitis unde excitatur.*

*Acetum cui siti remedium sit.*

*Oxycratum ex aqua & aceto constat.*

*Aqua humidorū omniū est humidissima.*

Cùm igitur sitis, partim humoris inopia, partim caloris copia proueniat: neq; à sicca dispositione prouenientē sitim, neq; à calida & sicca, epotum sanare unquam potest acetū. At si quando in unū coēant humiditas atq; caliditas, eiusce sanè sitis, acetū medela optima existit. Siquidem humectare nequit: at refrigerare, non instrenuè. Verùm siti quæ ex composita affectione, uidelicet calida & sicca, nascitur, composita medela est oxycratum, quod ex aceto cōstat tenuiū partiū, atq; refrigerante: & ex aqua, quæ non modò refrigerat, sed humidorū etiā omniū est humidissima. Nihil enim aqua est humidius.

CAPVT XXXI.

*Medicamenta quæ indicare uolumus, qualiter expendere oporteat.*

Per se autē solum, quod iudicandū est, expendere oportet, tum in sanis temperatisq; corporibus, tum etiam in intemperatis: ac prȩterea in ijs qui alicui sunt morbo obnoxij. In tēperatis quidem, ut suprà: in intemperatis autē, sicuti dixit Hippocrates: Naturis picrocholis utilissimū esse acetum, at melancholicis aduersissimū. Porrò in morbo aliquo affectis, si simplex fuerit, in simplici exploretur affectu: sin mistum alicui, necessum est id cui miscetur, temperatura sit mediū. Siquidem quod medio coniunctū fuerit, ipsum eorū quæ perficient, existet causa. Quare si acetū simplici cerato cōmisceas, cerato ipso longè frigidius medicamen effeceris: eritq; tibi id remedium uel optimū, ad erysipelata, phlegmonas, herpetes, & carbunculos. Sin autem quod mistū est, tanq̄ simplex expendas, hallucinaberis. Nam quemadmodum ærugo nequit carnem producere, sed ceratum quod illam recipit: sic ulcerum glutinatorium, non acetum, sed oxycratum est. Quippe acetū per se, ulcera erodit & mordicat.

*Acetum biliosis esse utilissimū, aduersissimum melancholicis.*

*Ceratum simplex aceto ablutum, contra tumores calidos optimū esse præsidium.*

*Oxycratū uulnera glutinat.*

CAPVT XXXII.

*Astrictoria omnia haudquaquā conglutinare, neque glutinantia omnia astringere.*

Iam uerò cùm liceat ex astrictorijs complura offendere, quæ minimè sanè conglutinent: sicuti ex cōglutinantibus haud etiam pauca, quæ minimè astringentia uidentur, falluntur q̄ absurdissimè, qui astrictoria omnia conglutinare, cōglutinantia omnia astringere profitentur.

CAPVT XXXIII.

*Astringētia omnia haudquaquam refrigerare.*

Miserè etiam hallucinantur, qui astringentia omnia refrigerare dictitāt: cùm si nihil aliud, saltem chalcitis, chalcanthos, & misy, quæ ualenter astringunt, tantam assequuta sint caliditatem, ut nos etiam exurant.

CAPVT XXXIIII.

*Dioscoridem sugillat Galenus.*

*Caprillus adeps contra succos intestina erodentes, cur sit salutare præsidium.*

*Astringentium opus.*

Herodotus autē & Dioscorides, quòd medicamenta quædā profluuijs alui, atq; dysenterijs medeantur, ob id astringentia ea esse colligunt: cùm tamen ne minimū quidem astrictionis sortiantur, sed potius rarefacientia & laxantia sint. Nam (exempli gratia) caprinus adeps, omnibus quæ & gustu & facultate sunt astringētia, aduersissimus est: ijs tamen quæ acria & mordacia per aluum fluunt, manifestè efficaciterq; auxiliatur: quòd scilicet concrescat facilè, inungaturq; intestinis, ac plurimo tempore inhærens, illa demulceat & foueat: cùm uidelicet condensare, constringere & constipare, opus sit astringentium.

CAPVT XXXV.

*Tangibiles qualitates.*

*Visus quæ subijciantur.*

*Gustus quæ subijciantur.*

Vnaquæq; sensibilium natura, priuatim subiecta est, tactui quidē caliditas, frigiditas, durities, atq; mollities: albedo uerò, nigredo, atq; ut summatim dicam, uniuersum colorū genus, uisui: amaritudo, dulcedo, austeritas, acerbitas, aciditas, salsedo, acrimoniaq;, gustui. Planeq; demens uideat, si quis gustu colores iudicare tentet, aut sapores uisu: similiterq; & de alijs sensib. Siquidē tactu iudicandæ sunt differentiæ tangibiles, auditu audibiles, odoratu odorabiles. Omnis autem inuētionis demōstrationisq; principia sunt, quæ sensui atq; intellectui euidentia existunt.

CAPVT XXXVI.

*Saporum diuisiones ex doctrina Platonis.*

Porrò Plato in Timæo, sapores (quos Græci χυμὸς appellant) duos primùm assignat, eosq; ut speciei eiusdē, sic ratione maioris & minoris inter se differentes. Quorū sanè alterū austerū, alterum acerbum (qui ex illius intensione procedit) nominat. Secundam speciem facit, eorū qui illis opposita

oppoſita ſunt, nitroſorū uidelicet, ſalſorum & amarorū. Et to his quoq; amarus ex nitroſi prouenit intenſione. Salſus uerò, aut nitroſo imbecillior eſt, aut aſtrictionis quoq; aſſumens aliquid. Deinde à Platone acris expoſitus eſt: mox acidus: poſtremò dulcis. At à Theophraſto additus eſt unctuoſus, quem nimirum omiſit Plato, ot qui ad guſtum nihil attineret.

*Vnctuoſum ſaporem nihil attinere ad guſtū.*

CAPVT XXXVII.

*Sapores exactè exponere eſſe impoſſibile.*

Exponere autē hos ſapores exactè, impoſsibile eſt: quandoquidē neq; aliam ullam ſenſoriam paſsionē: cum tamen qui tali ſenſu cōmunicat, recordari fuerit poſsibile. Igitur qoando quod linguæ noſtræ fuerit admotū corpus, uehementer deſiccat, contrahit, & in multam profunditatem uſq; illam exaſperat, ſicuti pira ſylueſtria immatura, & corna, eiuſmodi omne appellat acerbum, ab auſteris tantū intenſione diuerſum. At quod aſtringens uocamus, idem uidetur ſignificare quod auſterū, aut etiam acerbi. Cōmune eſſe genus tum huius, tum etiam acerbi. Quæ uerò linguā, dum cōtingunt, nō contrahunt, neq; cōſtipant, ſed detergunt potius & abluunt, etiamſi aſtringentium quippiam permiſtum habeant, hęc omnia ſalſa cognominamus. At quæ his etiam magis detergunt, ita ut etiam moleſtè exaſperent, amara uocantur. Porrò quæ mordicāt roduntq;, idq; cum ualida quadam caliditate, dicunt acria: ſin hæc abſit, acida: cæterùm hæc fermenrandi quoq; uim obtinēt. Rurſus, quæ ueluti inungūt atq; implent, in ſtatumq; ſuū reſtituūt exaſperatas ac ueluti eroſas linguæ particulas, hæc, ſi cū ooluptate manifeſta cōtingant, dulcia: ſin hac ſine, pinguia uocant. Quòd ſi ex calido, frigido, humido & ſicco, coeuntibus, uniuerſa conſtent, uerſimile profectò eſt, dictarum quanq; qualitatum, ex horum etiam miſcella conſlari.

*Acerba quæ.*

*Aſtringens eſſe commune genus auſteri & acerbi.*

*Salſa quæ dicātur.*

*Amara quæ.*

*Acria quæ.*

*Acida quæ.*

*Dulcia quæ.*

*Pinguia quæ.*

*Sapores omnes ex miſcella quatuor qualitatū primarū naſci.*

CAPVT XXXVIII.

*Medicamenta ſingula talia dici, qualia erga nos ſunt.*

Verùm nō quale unumquodq; ex ſe ſit, & ad totam naturā, ſed quale ſecundum corpus noſtrum, conſideramus. Alioqui nec acetū, nec marina aqua nos exiccare poſſent, ſicuti nec ſicca dici, cùm utrunq; illorum ſit actu humidum. Cæterùm ſi nos exiccare appareant, ſicca dicentur, ad nos oidelicet, & noſtram naturam, parem ſiccandi uim obtinentia: de cæteriſq; qualitatib. idem eſt ferendum iudiciū. Quare facultatum omniū quæ medicamentis inſunt, experientia erit certiſsima iudicatrix. Quam qui relinquunt, nō ſolùm falſa pro ueris ducūt, ſed tractanonis etiam utilitatem deſtruunt. Idcirco prius delendi ſunt diſpungendiq; omnes paralogiſmi à diſcentium animis, quàm uera diſciplina imbuantur. Nam quemadmodū corpora impura, quantò magis nutries, tantò magis lædes: ſic quoq; ſi impuris animis nutrientes ſermones offeras, nō modò nihil profis, uerumetiam magnopere obſueris.

*Experientia eſt certiſſima iudicatrix facultatū quæ medicamentis inſunt.*

*Impuros animos prius eſſe à paralogiſmis purgandos, quàm vera doctrina imbuendos.*

## GALENI PERGAMENI
### de ſimplicium medicamentorum facultatibus lib. II.

CAPVT I.

Non deſunt qui nobis, mortales cùm ſimus, à ſenſibus auſpicandum eſſe contendant, ad facultates omnes examinandas: in illis tamen perpetuò immorandū nō eſſe, ſed ad partem diuiniorem accedendum, nempe rationē. Senſum quippe & animantibus ineſſe rationis expertibus: rationem autem ſolam, hominibus eſſe cum dijs cōmunem. Qui ſophiſtæ nō ſentiūt, ſi à ſenſibus recedendum ſit, demonſtrationis primordia futura eſſe longè incertiora, quàm ea quæ demonſtranda ueniunt.

*Rationē ſolam eſſe nobis communē cum Dijs.*

*Senſus deſerendos non eſſe.*

CAPVT II.

Equidem optarim nullas nō res clarè ſub ſenſus noſtros cadere, nec quicq; eſſe qood illos fugeret. Hoc enim pacto nihil ambiguū unquam aut anceps foret. Verùm quoniā illos quædam effogiūt, rationē ipſis ſuperinducere conandum eſt, ſic tamen ut nec confuſa, nec infinita colligamus, ſed ante omnia, nominū ſignificata diligēter definiamus: deinde qood ex ſe quid agit, ab eo quod per accidens, ſeparetur. Irridendi autē meritò ſunt, qui de olei aut roſæ colore nimis anxiè ratiocinant, cùm rebus ipſis uariè uti liceat, de illiſq; periculū facere. Ac tales mea quidē ſententia, perinde factitare uident, atq; ij qui ex aliqua imagine cognoſcere quempiam conantur, quem etiam uiuū intueri, maximè illis eſt licitū.

*Ambiguū nihil eſſet, ſi omnia ſub ſenſus caderent.*

*Ratio cur interponēda ſenſibus*

CAPVT III.

Tribus ergo modis in ſermone peccant, qui aiunt roſas tēperatura eſſe calidas, quòd ſint rubræ. Primū, quòd nō demonſtrata hac propoſitione, Omnis ignis rubet: cōuertere ex hac aliā, uidelicet, Omne rubrū eſt ignis, tanq̃ ueram conantur. Secundò, quòd neſciunt, propoſitiones quæ ex mutuò ueris conuertunt, nō autē ſimpliciter cōuertentes, ueras exiſtere. Tertiò, quòd etiamſi mutuò conuerterent, nō tamen omne q̃d colore ſit rubro, calidum eſſe, ex mutua illa conuerſione ſequatur, ſed rubrū omne eſſe ignē: id quod minimè inueſtigamus. Eodem errore tenentur, qui ex odoribus, medicaminū facultates conijciūt. Nec enim quicquid bene redolet, calidum eſt: nec quicquid calidū eſt, bene olet. Quin etiam nec ſi quid graueolens eſt, calidum etiam fuerit: nec ſi calidum, etiā graueolens. Sic nec ſi qois, quicquid grauiter oleat, frigidū dicat: nec ſi quicquid frigidum ſit, olere grauiter, uerū dixerit. Siquidem calidorū innumera ſunt, partim bene olentia, parnm grauiter, partim neutra: atque frigidorū ſimiliter. Quanq̃ quid calida dico, ac frigida, cùm dicere debeam nos calfacietia, & refrigerantia? Etenim aliud eſt facultate calidū, aliud actū. Et huius quod actū calidū eſt, aliud abſolutè dicitur calidum, aliud per exuperantiā, aliud ad ſymmetrū ſui generis, aliud ad quiduis obuium collatū. Homo autem nō abſolutè calidus, quemadmodū ignis, ſed exuperantia calidos dicitur: quòd maior in eo portio calidi ſit, q̃ frigidi. Ergo & quæcūq; ad hunc modū dicunt calida poteſtate, illū dicunt excalfacere: facileq; de ipſis iudicium ſumitur per experientiā ſolam, cui adiunxeris paucos quoſdam epilogiſmos. Quare neq; à calore, neq; ab odore, neq; à conſiſtentia, aut huius generis aliquo, de medicamentorum facultatibus eſt opus ratiocinari.

*Roſas quòd rubræ ſint, calidas eſſe dicētes, quotupliciter peccēt*

*Propoſitiones quæ ex mutuò veræ cōuertuntur, ſunt veræ.*

*Odores non indicant facultates medicamentorum.*

*Calidum multipliciter dicitur.*

*Homo non abſolutè ſed per exuperantiam calidus dicitur.*

*Calor non ſat eſt ad indicandas medicaminum vires.*

CAPVT IIII.

Taceo ſophiſtas minimè quidem rationibus ſcientificis uti, ſed aut inductionibus, aut exem-

*Sophiſta vtuntur inductionibus & exemplis.*

plis. Differt autem, ex exemplis quippiam ſuadeas, an ex ioductione. Siquidem qui ex exemplis fidem facit, unum aut duo geoeris eiuſdem affert, aut certè planè paucula, pleriſque cæteris præteritis. Qui uerò ex inductione, omnia comprehendere nititur, quæ per experientiam ſunt cognita. Quare talis inductio uehemens eſt, ac plurimum perſuadet.

*Inductio quàm exemplum ualidior.*

CAPVT V.

*Olei effectus varij.*

*Oleo incocta redduntur ſicca*

*Oleum oculos mordicat.*

*Oleum aluum ſubducit.*

*Oleum inſecta perimit.*

*Oleum laſſitudinem leuat.*

Quod oerò ad oleũ ſpectat (quo de multa Archidamus citra demonſtrationẽ atq; ineptiſsimè prodidit) quæ in ipſo coquuntur omnia, ſicca & friabilia efficit, contrà quàm in aqua contingit: quæ uerò ſunt illo imbuta, magis propriam humiditatem conſeruant, q̃ ſi eo madidata non eſſent. Quinetiam ſcillæ & urticæ morſus oleũ perſanat: & cùm reliquũ uniuerſum corpus demulceat, tantũ oculos mordicat, necnon guttur exaſperat. Subducit autẽ aluum, laſsitudines tollit, tueturq; inunctos à frigore, atq; lora emollit, inſectaq; animalia perimit. Quorũ omniũ cauſam reddere debuiſſet Archidamus. Porrò coci oleo tum carnes, tum piſces, interim dum aſſant, obliniunt, quòd ſiccæ aduſtæq; extimæ eorũ reddant partes, ſi aſſentur citra talem unctionẽ. Athletas etiã oleo gymnaſtæ inungũt, quòd præſentẽ quidem laſsitudinẽ ſoluat, occurrat autẽ futuris: ac breuiter frictionem tum æqualem, tum mitem efficiat, corpusq; ad motus futuros præparet.

CAPVT VI.

*Archidami opinio conuellitur.*

*Olei vires qualiter expendendæ.*

*Qualitatẽ propriam ab aliena obſcurari.*

At Archidamus nõ ſolùm quæ in multis perſpicuè apparent cõtemnit, ſed hac etiam parte iure taxandus eſt, quòd dicat, meliorẽ eſſe frictionem ſiccam ea quæ cum oleo adhibet, quia corpus durius & ſiccius ijs qui inunguntur, euadat: mollius autem ijs, qui fricantur ſicci. Falli præterea mihi in hoc uidetur, quòd ſimiliter affici putet tum ea quæ in illo coquũtur, tum eos qui fricantur. Neq; enim eadem agere dixerim oleũ calidum, frigidum, temperatum, tepidum, aut feruens, ſicuti neq; aquam ipſam. Nam qui obſcuro ſimile fuerit, herbas in oleo feruente coquere, ac exercitantiũ corpora oleo temperato fricare.*Eteoim ſi quis uelit expendere oleum, ab omni prius aliena qualitate (à qua ſemper propria obſcuratur) ipſum liberum reddat, atque ita demum ad explorandum ſe accingat.

CAPVT VII.

*Olei refrigerandi ratio.*

*Olei perfuſio calidi, quibus conueniat.*

*Oliua. Olea. Oleum ſimpliciter & per abuſum dici.*

Præparare oleũ ſolemus, nõ aliter atq; aquam, nempe prius excalfacientes, ac deinde in aquam mergentes ſummè frigidam. Quòd ſi etiã fons in ipſum cum ſtrepitu decidat, uaſculo cui ineſt oleum, antè diligenter occluſo, magis quoq; ac magis ita reddetur frigidum. Multũ item frigeſceret, ſi præcalfactum ita in puteum demittas, ut aquam contingat. Ac ſic oleum reddimus frigidum:* contrario autem modo, calidum. Quo ſanè utimur in refrigeratis corporibus, in alueum olei calidi demittentes, quibus pars quæpiã obſtupuit, aut qui tremuli ſunt, aut cõuulſione, aot tremore, aut motus ſenſúsue oblæſione tentantur. Porrò fructus ex quo premitur oleum, oliua nuncupatur. & arbor, olea: atq; hoc quidem ſimpliciter & primariò oleum dicitur, reliqua autẽ omnia per abuſum & tranſlationem,

CAPVT VIII.

*Olei differentiæ complures.*

Cæterùm ueri olei plures ſunt differentiæ. Secundum ętatem quidem, cùm aut recens eſt, aut ætate uigens, aut inueteratũ. Secundum præparationis modum, cùm ſimplex atq; impermixtũ fuerit, aut præparatum cum ſale. Secundum fructus diuerſitatẽ, cùm is aut immaturus, aut maturus extiterit. Secuodum inductam arte alterationem, cùm ut ab initio fuit, ſic relinquitur, aut candidum redditur.

CAPVT IX.

*Experiri quæ & quomodo medicamenta debeamus.*

Experiri autẽ ſolùm oportet, quæ impermixta ſunt, & ab omni extranea qualitate aliena: eaq; primũ in optima corporis cõſtitutione, deinde in intemperatis, demum in morbis ſimplicibus.

CAPVT X.

*Oleum laſſitudini confert.*

At nonnulli medicorum noo ſolùm in explorandis medicamentorũ uiribus hallucinantur, oerumetiam in opinionibus quas habent de affectibus. Nam oleum quòd laſsitudinis remedium ſit, omnes propémodum confitentur, cæterùm quis affectus ſit laſsitudo, nõ conſennũt: ac proinde ſecundum ipſorum doctrinam, nihil certi de olei facultate colligi poteſt.

CAPVT XI.

*Oleum expers ſalis, & ſalſum, qua ratione ſubducant aluum.*

Nec uerò parũ intereſt, an iniiciatur in uentrẽ pituita ſcatentẽ oleum expers ſalis, an quod plurimum accepit ſalis, in uentrem purum. Vtrunq; enim aluum ſubducit, facultatibus tamen diuerſis: nempe illud quod ſale uacat, in pituitoſo uentre per lubricitatem: quod uerò ſalem habet, in puro per acrimoniam, perinde ut muria, & marina aqua. Idcirco ſanè hoc radet, alterũ nõ radet.

CAPVT XII.

*Salſuginoſa ex accidẽti nõnunquam mordicationes ſanant.*

*Dolentibus inteſtinis qua ſoleat opitulari.*

*Cera elota eſt mordicationis expers.*

*Vacuandos protinus eſſe, qui ab ijs quæ temperandi naturã habent, exaſperantur.*

Nonnunq̃ autem mordicationes ex accidenti quod ſalſuginoſum eſt, ſanauerit, unà ſecum educens acres & mordaces humores, perinde ot cætera omnia quæ abluunt. Sed non ſtatim ubi immiſſa ſunt id geous medicamenta morſus ſanant, quin potius tunc etiam magis exaſperant. Siquidem euacuationis, haud miſtionis ratione, ſanationem moliũtur. At ceratum ex roſaceo & adipe infuſum, ſępenumero morſibus continuò ſuccurrit, idq; cõmiſtionis ratione. Oleũ etiam ſolum, ſed dulciſsimũ, idem frequenter pręſtitit: ſicuti certè adeps hirci, aut ſuccus chondri, aut ceratum ex oleo dulci. Nos autem ſæpenumero quibus ex frigore torquebantur dolore interna, iniecto oleo calido liberauimus: atq; ubi maius eſſe frigus cõiecimus, addidimus & anethũ: ſi uerò adhuc etiam maius, rutam quoq; & bitumen. Cæterũ occurrunt interdum quædam affectiones permiſtæ, ex intemperie uidelicet atque mordicatione, in quibus conſueuimus nos anethinũ, aut rutæ oleum infundere, anſerino in eo liquato adipe: is ſi non adſit, ſaltem gallinaceo, aut aliquo aliorum, aut cera mordacitatis experte, qualis nimirũ eſt lota. Vnumquodq; autẽ medicamentorũ temperantium, ubi ualentius euaſit humoribus mordicantibus, morſum eorũ retundit. Verùm ſi aut ualentioribus facultatibus, aut multis, paucũ permiſtũ fuerit, unà & ipſum corrumpitur, alitq; cacochymiã. Quamobrem protinus euacuandi ſunt, qui ab ijs quæ temperandi naturam habent, exaſperantur.

CAPVT

CAPVT XIII.

Sic sanè lac frequenter simulatq; sumptũ fuerit, alĳs acescit, alĳs in nidorẽ uertitur, priusquã probè concoctũ, corruptionẽ temperet. In quibus utiq; primũ cacochymiæ pars euacuari debet: atq; inde sumendus chondrus, & ptisana, & lac, & alia: quæ ubi probè fuerint cõfecta, conferunt ad boni succi generationẽ. Porrò ptisana, ex sua propria natura boni quidẽ est succi: uerũ interdũ unà cum ĳs succis, qui excitant mordicationes, corrumpit, atq; ipsum auget symptoma.

CAPVT XIIII.

*Cacochyma qua ratiõe mordicationes sanent.*

Cæterùm cacochyma, nõ temperando, sed id quod mordicat educẽdo, mordicationes sanãt. Ac proinde, donec uacuentur, hominem mordicare non desinunt: & insuper euacuata, in partibus asperũ sensum relinquũt, aliud medicamen desiderantẽ: quod nõ faciũt quæ boni sunt succi & dulcis, cuiusmodi existunt chondrus, lac, atq; ptisana, quæ in id genus affectibus & edenda præbemus, & per sedem inĳcimus, ubi aut melle, aut quopiam eiusmodi, quod infestabat exterserimus. Quo tempore opportunus est & adeps, & ceratũ dulce, & oleũ dulce. Quatuor itaq; indicĳs, cùm possis quod per se leniens est distinguere, ab eo quod per accidens, facilè cuiusq; talium medicamentorũ facultatem inuenies. Primũ indicium est, an statim mitiget, an nõ. Secundum, an simul cum lædentibus euacuetur, an nõ. Tertium, an asperitatẽ quandam in corporibus ipsis relinquat, an non. Quartũ, an nõ ita affectis cõmodũ utileq; uideatur. Nam cùm nec protinus mordicationẽ sanat, nec intus leniẽdo remanet, molestamq; asperitatem parti affectæ relinquit, quam, si denuò offeratur, exasperat: argumentũ est rodentis, ac mordicantis ipsum esse naturæ, ex accidenti tamen quandoq; morsus sanare. At quod cõtinuò mitigat, & nullã excretionẽ prouocat, sed nec exasperat dum intus manet, imò exasperatorũ medela existit, ipsum quidem natura bonũ est: uerùm interdum à cacochymia quæ ipsum alterat corrumpitq;, mordax efficitur.

*Mordicationibus cibi apti qui sint.*

*Lenientia per se, ab ĳs quæ ex accidenti id faciũt, quatuor indicĳs distingui posse.*

*Lenientia interdum à cacochymia uicta, mordacia redduntur.*

CAPVT XV.

*Lauanda quæ sint medicamẽta, & quomodo.*

Lauanda porrò est nõ modò cera, sed pix, resina, & oleũ, omniaq; breuiter, quæ calfieri & fundi cùm possint, aquæ misceri nequeunt. Singula igitur modicè calfacta, in uas latioris* orificĳ & magnũ, cuiq; insit aquæ copia qualitatis expertis, infundito. Dein tundito & frangito, manibusq; impẽsè subigito. Postea effusa priori aqua, rursus quod abluitur excalfaciens, in aliam ęquè synceram aquam inĳcito: rursusq; in aliam & aliam, donec aqua nullam ex eo qualitatem recipiat: quod quidem gustu datur cognoscere. At si quę sunt lapidosa & dura, ut cadmia, & æris squama, & æs ustum, ea cõminuentem exactè in tenuia plurimũ terere in aqua fontana & purissima oportet, idq; sæpius aqua priori effusa, aliaq; denuò instillata, donec nihil in eo innatet, maneatq; aqua prorsus à contriti medicaminis qualitate immunis. Sic itaq; abluta omnia quæ elui possunt, expertia mordacitatis reddunt. Ac præter id sanè, oleũ etiã candidius reddit: mitius tamen id uerberari, quàm alia, debet, ne uidelicet adeò ipsi aquæ misceat, ut ægrè postea secerni possit.

*Lapidosa abluẽdi ratio.*

*Abluta reddi mordacitatis expertia.*

*Oleũ ablutum cãdidius reddi.*

CAPVT XVI.

*Oleum omphacinũ astringit.*

Oleum autem quod immaturũ nõ fuerit (hoc enim astringit) nec præparatũ sale, nec recens, ac ueluti etiamnũ feruens, ad hęc adamussim lotũ, id neq; epotũ, neq; infusum, excitabit mordicationem. Quòd si guttur ad tussis impetũ prouocet, nõ idcirco mordax dicendũ erit. Nam quicquid mordax est & acre, ad tussim incitat: nõ tamen quicquid ad tussim incitat, existit mordax & acre: cùm & pinguia mouere impetũ ad tussim appareant. Sequitur itaq;, si quid nõ cieat ad tussim impetum, id haudquaquã mordax existere: non tamen perinde constiterit, quicquid ad tussim impetum moueat, cõtinuò mordax esse, nec si categoricas, nec si hypotheticas conficiamus propositiones: quòd scilicet ex duabus uniuersalibus affirmatiuis, nihil cõcludi in secunda figura possit, nec conclusio ex necessitate sit uera.

*Tussim excitantia non esse necessario mordacia.*

*Tussim minimè prouocantia, esse mordacia nõ possunt.*

CAPVT XVII.

*Sternutationis usus.*

*Tussis usus.*

*Tussis causæ.*

Natura hominibus sternutandi uim indidit, ut præsidio ipsius, quæ in naribus infesta molestaq; sunt, propulsarent: tussiendi uerò, ut quę in gutture. Contingit autẽ hæc affectio dupliciter: aut resiccata exasperatáue, quę in arteria est mẽbrana: aut à delato corpore, inæquali reddita. Hinc siue panis micula, aut alterius cuiuspiã edulĳ, nobis inuitis in spiritus meatũ decidat, tussire adigimur: seu si bibentibus affatim ipsius potus quippiam eò influat, similiter ad tussim compellimur. Percolatur tamen per asperam arteriã perpetuò in pulmonem ipsius potus tam exile quippiam, ut protinus ab instrumentis raptum, perfacilè quocunq; distribuatur, nec animal ad tussim irritet. At ubi uel id ipsum plusculum, uel aliud quodpiam seu liquidum, seu solidum corpus, per asperam defertur arteriã, iam inde tussire est necesse, donec à spiritus uehementia molestũ id excutiatur. Mordacia itaq;, gutturis exasperatione: oleosa uerò & pinguia, illitu, inęqualitatẽ, & ad tussim impetũ faciunt. Spiritus siquidem in eminentia quadã impingens, efficit inæqualem concussionẽ in gutture, ad tussimq; animal prouocat. Cæterũ nõ eo inficias, ex oleis esse mordicantia pleraq;, qualia tum salsa, tum recentia uident: atq; hæc quidem nõ propria essentia, sed quòd omnibus plantarũ succis geminũ excrementũ insit, alterũ crassius, tenuius alterũ. Quæ ambo cùm reperiant etiam in oleo, ad concoctionẽ & discretionẽ tempus sanè postulant. Procedente uero tempore, quod crassum quidẽ est, nuncupatũ amurca, subsidit: quod uerò tenuius & ueluti aquosius, & ipsum compositũ quodãmodo est, ex acri scilicet essentia, & tenui serosa.

*Potionis deštillare semper aliquid in pulmones per arteriã asperam.*

*Succis plantarũ omnibus duplex excrementum inesse.*

*Olei partes.*

CAPVT XVIII.

Cæterũ serosum istud rufi coloris est, à crasso illo scilicet qualitate absterfa. At oleum ipsum, tum minimè mordax, tum candidum sua natura existit. Quapropter ubi tenue hoc excrementũ secretũ fuerit, candidius & dulcius reddet. Separant autẽ ipsum, aut insolantes oleum, cõchisq; attollentes in altũ, aut uasculis in quibus est oleum, calidos subĳcientes cineres, aut oliuarum nucleos, aut frumentũ circa ipsa apponẽtes, aut deniq; medicamenta in uasa ipsa inĳcientes. In summa, quod aqueũ est consumũt: reliquũ uerò

*Oleũ repurgandi ratio.*

*Olei dulcis natura & vires.*

reponunt. Tale igitur oleum, si salis expers, lotumque sit, medicamentorũ omniũ minimè mordax erit, maximeque humectat & mollit, si nec summè frigidum, nec calidum applicetur. Porrò cui iniectus sal est, nõnulla quoque necessariò mordacitas inest. Frictio itaque ex oleo, magis quàm sicca, lassitudinẽ tollit: emollitque corpora, cohibẽs occludensque quicquid è nobis foras effluere est natum, haudquaquam digerens & exiccans.

*Frictionis ex oleo usus.*

CAPVT XIX.

*Frictionem ex oleo quidem æqualem, siccam vero inæqualẽ.*

Quæ autẽ ex oleo fit frictio, prorsus æqualis existit: inæqualis uerò quæ sicca. Cutim siquidẽ per siccam frictionẽ manus coadducũt, ac ueluti duplant, uiolenterque ac præter naturã complicant. Deinde ubi nõ amplius prior ueluti duplicatio labentes sequi manus potest, ipsa quidem recurrit, atque ad continuum reuellitur: manus autem semel ac uno impetu in alteram cutis partẽ transeunt, inferiorem transgressæ ipsius duplationis partem: ac proinde inæqualem, duram & laboriosam talem frictionem sentimus. Quòd si læuis lubricaque exactè fit cutis, nec duplicari facilè poterit, nec inæquabiliter admittere ipsos manuum decursus. Quare externo aliquo medicamento indiget, quod rugas impleat, manibusque lubricitatẽ cõciliet: quas ad res oleo nihil aptius inuenias.

*Oleum frictionibus accõmodatissimum esse.*

CAPVT XX.

*Oleum experiundũ esse in hominibus.*

Cùm autem liceat in hominibus de ipso oleo periculum facere, nescio equidem quanam occasione ducti cõplures ueteres, ad diuersa alia uertuntur, ut illius facultates explorent.

CAPVT XXI.

*Experiendi rationes diuersæ.*

At rectà experiundi ratio, in primis quidẽ ea est, quę in corporibus fit temperatis: dein ea quę in intemperatis: mox, ut sæpenumero antea monuimus, quę in simplicissimis fit, hoc est, calidis, frigidis, humidis atque siccis affectibus: distinguentibus semper nobis id quod per se fit, ab eo quod ex accidenti. Curandum enim est, ut oleũ de quo experimentũ sumit, alienæ qualitatis sit expers: id quod est in omni medicamento obseruandum. Si igitur ita oleum adhibeas, manifestè comperies, refrigeret'ne, an sit calfacere natum. Atque hæc quidem summa est rationis. At opus ipsum quod perficitur, experientia cõmonstrat. Nam qui ardore tenentur, tantum abest ut à calore liberentur, ut etiam magis æstuent, & processu temporis calidiores euadant. At algentibus ex olei inunctione, perspicua nulla aut noxa, aut utilitas conspicietur. Ex quo liquet, calfacere quidem ipsum, non tamen admodum, nec euidenter, ut resina, pix, & bitumen, quæ uidelicet spontè fluũt. Nam quę sicca sunt, ut eis inungi nõ possumus, sic nec simplicia, nec spontè nata medicamẽta existunt. Cæterùm in ardoribus, si salis sit expers oleũ, perfundaturque frigidum, nonnullum sanè solatium adfert. In erysipelatis autem, sicuti in omnibus quæ à pura bile fiunt fluxionibus, quantumuis sit frigidum, uel maximè lędere est natum. Quæ uerò ex sanguine fiũt misto cum bile, eas fluxiones minus aliquãtulo affligit: uideturque calorem parem eis quibus applicatur, accendere: quandoquidem modicè calida, calfacit mediocriter: immodicè autem illa, quæ magno ardore æstuant.

*Medicamenta quæ experiri volumus, debent esse aliena qualitatis expertia.*

*Oleum calfacit quidẽ, sed non euidenter admodum.*

*Oleum quibus sit noxium fluxionibus.*

*Oleum videtur calorem parem in quibus applicatur accendere.*

CAPVT XXII.

*Medicamẽta facultate calida, quomodo nos calfaciant.*

Igitur medicamenta omnia quæ facultate dicuntur calida, caloris sui à nobis accipiẽtia principium, partim similiter nos recalfaciũt, partim ualentius. Atque ex iis sanè quæ nos æqualiter recalfaciunt, oleum esse mihi uidetur: ac proinde nec cõuulsiones, nec tremores, nec sensum tum difficilẽ, tum deperditũ magnopere aut iuuare, aut lędere potest, nisi ascititiũ sibi cõpararit calorem: tũc siquidẽ plurimũ proderit. Vnde meritò ueluti materia quædam cæterorũ medicaminũ fuerit. Nam si frigida illi cõmisceas, frigidũ efficietur quod mistum erit: sin calida, calidũ. Quippe quod ex media temperie est, utrisque summis inseruit. Porrò non calfacere oleum hac ratione quis dixerit, quòd caliditatem quam reperit, nõ augere, sed conseruare uideatur.

*Oleum est veluti materia reliquorum medicamentorum.*

*Medium temperie, utrisque extremis inseruit.*

CAPVT XXIII.

*Calfacere nos quæ dicantur.*

Calfacere itaque nos dicunt, & quæ energia, siue actu, sunt calida, ut ignis: & etiã quæ potestate. Hæc tamen partim alimenta sunt, partim medicamenta, partim tegumẽta. Sed & calidũ actu est, quod simpliciter calidũ est, ut ignis: & quod per exuperantiam, ut animal: & quod ad sui generis symmetriã cõparatur, & quod ad quiduis obuiũ. At quod potestate dicitur, primò quidẽ distinguit ab eo, quod ex accidenti est. Deinde totidem habet significationũ differentias, quot actu calidum. Etenim cùm sit ueluti quędã apta materia ei quod est actu calidum, partim ad ea quæ absolutè calida nuncupantur, partim ad ea quæ per excellentiã quandam, tum ad quiddam sui generis, aut speciei denique, & ad obuiũ quoduis collatum, propria fuerit materia. Quocirca cùm ea calida quæ ad hominẽ referunt expendimus, ut alia omnino omittant, æquum existimamus.

*Calidum facultate & actu, utrunque quotuplex accipiatur.*

CAPVT XXIIII.

*Oleum multifariam dicitur nos calfacere.*

Accidit autẽ fortassis oleo, ut tanquã alimentũ nos excalfaciat, ubi intrò in corpus assumitur: cùm probatis medicis quibusdam uideatur, sicut ex cibis, ita ex oleo fieri corpori appositionem. Accidit etiam illi, ut tanquam medicamen, sit mediũ inter nos calfacientia & refrigerantia: tum ut ipsum nos ueluti tegumentũ excalfaciat. Nam quemadmodũ uestimenta à nobis excalfacta, nos excalfacere consueuerunt, ita & oleum. Et quemadmodũ illa excalfaciente corpore calidiora minimè euadunt, ita quoque neque oleũ. Mediæ siquidem aëris nos ambientis temperaturæ similis est tum qui à uestimẽtis, tum qui ab oleo proficiscitur calor. Quamobrem tum uestimenta ipsa, tum oleum, calfacere nos nõ propriè, sed per abusum dicuntur, quòd frigori obsistant. Quemadmodum si duos æquè temperatos adolescentes, qui contingantur mutuò, sese dixerimus calfacere, tametsi haudquaquam excalfaciãt, sed duntaxat arceant frigus ambientis. Quæ enim similia undequaque corpora sunt, à se mutuò nullam mutationẽ accipiũt. Respõdet itaque calidiori aëri pyrethrũ, & piper: moderato autẽ, oleum & pinguitudo: actu tamen aëres sunt calidi, potentia uerò, medicamenta. Siquidem à nobis accipientia excalfactionis principium, partim nos recalfacere sunt nata, partim plus, partim minus. Oleum igitur ex genere eorum, quæ æquè recal-

*Vestimenta à nobis calfacta, nos recalfaciunt.*

*Olei cum vestimentis collatio.*

*Oleum et vestimenta nõ propriè nos calfaciunt, sed obsistentia frigori.*

*Similia corpora à se mutuò nullam mutationẽ accipiunt.*

*Medicamenta quomodo nos calfaciant.*

re calfaciũt nos, existens, duplici ratione ut excalfacere uideatur euenit, quòd nimirũ instar uestimenti, aut munimenti illinatur: & quòd meatus infarciat, prohibeatq́ foras effluere magnam uaporosi intus caloris partẽ. Hac ratione, quos largius sudare uolumus, non protinus ijs ab initio admouemus oleũ. Verũ eos quidem qui morbo laborarũt, ubi sudare inceperint, tum excalfacto perfundimus: eos uerò qui etiamnũ laborãt, ubi abundè iam satis sudauerint. Porrò sanis quauis occasione exhaustis, inungi & ante sudorẽ permittimus. Verũ quib. cruditas inest, aut corpus laborat plethora, his neq; in balneo inungi concedimus.

*Oleum corpori illitum, caloris & sudoris effluxum prohibet.*

*Oleo vngendi qui sint, & quo numinè.*

CAPVT XXV.

Quemadmodũ inter calfaciẽtia & refrigerantia, sic oleum mihi inter humectantia nos, & siccantia, medium esse uidetur. Atq; humectat quidem aqua: exiccat uerò tum laurinũ, tum cedrinum oleum. At expers qualitatis alienæ oleũ, talem seruat nostrã temperiem, qualem scilicet accepit, uaporosas omnes expirationes uel maximè prohibens. Quòd si plusculũ membra oleo frices, cõparabis ascititiũ calorem: qua ratione lassos non parũ iuuabis, quòd uidelicet in minutos corporis meatus pingue ingrediatur, ac sic quæ durata sunt, molliat: & quòd acrem & subtilem humiditatẽ, quæ latebat sub cute, per halitũ digerat. Nam cùm in lassitudine similares quidẽ animalis partes siccentur, spaciola autẽ uacua, tenui, acri, & mordaci humore impleant, ea certè corpora remedijs indigent, quæ & siccitatẽ irrigent, & humorẽ acrem discutiant. Cui negocio aqua per se sufficeret, si inhærere posset corporibus. Quia uerò facilè diffluit, ob id nimirũ illi cõmodissimè oleũ miscet: maximeq; ex utroq; frictio auxiliat siccis ęqualibusq́ corporibus, cùm ipsius olei ratiõe diutius aqua adhærescat. Quare humectantiũ & exiccantiũ, sicuti calfacientiũ atq; refrigerantiũ, oleum ueluti materia existit. Nam si exiccanti cõmisceas, totũ effeceris exiccans: sin humectanti, & ipsum humectans, ac plerunq; magis q̃ antea reddideris: ut in aquæ exẽplo docuimus. Cùm itaq; omnibus quæ sibi cõmiscentur subseruiat oleum, recta ratione ueluti omniũ materia existit: nam licet eorũ necessariò propriam actionẽ retundat, ac minuat, nõ tamẽ utilitatẽ: imò est ubi eam quoq; adaugeat. Quippe cõtusa cum oleo aqua, magis auxilio est lassitudinibus, q̃ si esset sola: nõ sanè quòd intendat uiribus, sed quòd ijs quibus opus est, diutius inhæreat.

*Oleum esse medium inter humectãtia & siccantia.*

*Oleũ talem seruat nostrã temperiem, qualem illam accepit.*

*Lassitudini discutienda qualia requirantur remedia.*

*Frictio ex hydrelæo cur siccis corporibus auxilietur.*

*Oleum est aliorũ medicamentorum materia.*

CAPVT XXVI.

Quòd autẽ, nisi mediam habeat temperiem, id quod ea quæ primariò affectibus auxiliantur ueluti deuinciet, sæpenumero ipsorum repugnabit actionibus, generatim quidem ex ipsa rerum omnium natura: speciatim autem, ex medicamentorũ historia licet addiscere. Etenim generatim, quoniam id quod miscetur, si in contrarium retrahat, admisti sibi facultatẽ medicamenti uincere interim poterit, & in alteram planè speciem id quod ex ambobus miscetur, transferre. At speciatim, sic etiam id ipsum cognosces. Nam si excalfacientiũ resiccantiumq́ medicamentorũ cuipiam aquam miscere uelis, non modò nihil eorum quæ agere nata est, fieri uidebis, sed omnino obscuratam esse, perinde ac si admista nõ esset. Omnino ergo constat mediam obtinere temperaturam debere, quod utrisque extremis tanquam materia inseruiet. Quem in ordinem si oleum statuas, utiq; nihil peccaueris.

*Medium esse debere, quod utrisque extremis est futurũ materia.*

CAPVT XXVII.

Cùm igitur oleum ueluti media quædam materia sit medicaminũ calfacientiũ atq; refrigerantium, cõstetq; tantum ex oleo & rosis rosaceum (quod saltem exactum & simplex est) utiq; & ipsum talis temperaturæ fuerit, qualis rosarũ succus existit. Quare illos qui adustione tentantur, experieris ab eo refrigerari, protinusq; aliquam utilitatẽ percipere: qui uerò refrigerati sunt, omnes lædi. Non tamen ualida in ipso apparebit refrigeratio, sed quæ in primo refrigerantium gradu collocari mereatur.

*Rosaceum ex oleo & rosis conficitur.*

*Rosacei temperies est, qualis succo rosarũ inest.*

*Rosaceũ in primo gradu refrigerat.*

## GALENI PERGAMENI
### *de simplicium medicamentorum facultatibus lib. III.*

CAPVT V.

CORporum unumquodq; aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum, & dicitur & apparet, interim quidem ex sua natura, hoc est, primariò, & per se: interim autẽ aduentitia qualitate assumpta, quod est per accidens. Porrò eorum quæ propria sua natura calida, aut frigida, aut humida, aut sicca dicunt, quædam actu siue energia talia existunt, quædam potentia. Sed & eorum quæ actu dicuntur, aliud quidem absolutè est calidum, frigidũ, humidũ, siccum, ueluti elementa: aliud excessu, ut homo, equus: aliud ad symmetrum, seu generis sui, seu speciei, ut leo cum homine cõparatus, homo autem ætate florens cum puero: aliud ad quiduis obuium, ut Dion ad Theonem. Quin & corpora quæ potẽtia talia aut talia dicunt, unũquodq; ut ad id quod est actu relatũ dici necessariò monuimus: id quidem quod facilè accenditur, ad id quod actu est absolutè calidum: hoc uerò quod alia calfacit, ad id quod per exuperantiam.

*Calidum, frigidũ, humidũ, siccum, quot modis unũquodq; eorum dicatur.*

CAPVT II.

In eo igitur corpore periculũ est sumendum, ad quod unumquodq; tale & est & dicitur: à cæteris autẽ recedendum. Elementa nanq; huiusce tractationis, in primarũ quatuor qualitatũ, uidelicet caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis cognitione cõsistunt. Porrò alimentũ à medicamento differt, quòd hoc quidem alteret in qualitate, illud autẽ substãtię corporis assimilet.

*Alimentũ à medicamento quo differat.*

CAPVT III.

Verùm cùm duplices sint in genere alterationes: aliæ specificæ, quæ propriè sanè & primariò dicuntur alterationes: aliæ uerò quæ contundunt & contrahunt corporis nostri particulas, quas uniq; per abusionẽ potius quàm propriè alterationes cognominant: in primo sanè genere, contineri uires medicamentorũ censemus. Nec enim quicq̃ mutari ex specie in speciem possit citra excalfactionẽ, refrigerationem, humectationem & resiccationẽ, etiam si cõstringatur, cõtundatur, cõuulneret. Dico autẽ mutari ex specie in speciẽ, ueluti cùm ex pane fit sanguis, aut ex hoc

*Alterationes sunt duplices.*

*Medicamentorũ vires sub quibus contineantur alterationibus.*

caro. Itaq; nō ab alio q̃ à calore, frigore, humiditate, ficcitateq; ſpecificas alterationes ſinguli corporis affectus accipiũt. Qua ratione quatuor excæ qualitates elementares, primæ & ſpecificæ nominantur. Earũ igitur quã unumquodq; medicamentũ in mixtura pollentẽ ſortiatur, inueſtigamus.

*Qualitates ſpecifica quæ ſint, & cur ſic dicantur.*

CAPVT IIII.

Cùm autem totius naturæ reſpectu bifariam unumquodq; dicatur calidum, frigidum, humidum, atq; ſiccum, partim abſolutè, ut ſingula elementorũ: partim per exuperantiam, ut homo, equus, & bos: minimè profectò nos medici inueſtigamus, an in aqua marina humidi ſimpliciter plus ſit quàm ſicci (id enim clarè cõſpicimus) ſed an corpus humanũ facultate ſua æqualiter reficcare ualeat. Cuius ſanè rei ſumemus periculũ, ſi eam admoueamus corpori, per fomenta aut emplaſtra: id quod ex accidẽti, ab eo quod propria medicamenti ui proficiſcitur, diſtinguentes.

CAPVT V.

Cæterũ quod per exuperantiã dicitur, id philoſophi accipiunt dupliciter: aut enim ſecũdum ſubſtantiæ molem, aut ſecundum qualitatũ effectum. Atq; hi quidem calidum uincere in omnibus plantis, pronunciant, ob incremẽta earũ & germinationes id iudicantes. Quibus ſanè, cùm de tota natura ſcrutentẽ, rectè hæc & ſimilia alia dicuntur: medicis autẽ nõ rectè. Siquidem nulla plãta, quód plãta ſit, calida dici debet, ſed quòd hominẽ calfaciat. Sic enim & ſalamandram, & cicutam, ad hominẽ frigida eſſe dicemus: qua ratione ſunt alia omnia etiã dijudicanda. Nam cicuta nõ modò ſturnos non refrigerat, & enecat, uti nos, ſed alit quoq;, ob idq; nimirũ etiã & calfacit. Inſunt quippe omnib. rebus amicitiæ quædam, & qualitatum pugnaotiæ. Præterea quod familiare eſt, promptiſsimè aſsimilatur: quod uerò contrarium, ad internicionem ducit, tum animalia, tum plantas. Cæterũ familiaritates illæ, à totius ſubſtantiæ proprietate exoriuntur. Porrò cùm acetum & roſaceum nos primariò & per ſe refrigerent, nemo ea calida dixerit.

*Salamãdra eſt frigida reſpectu hominis.*

*Cicuta ſturnos alit & calfacit.*

*Conſenſus quoſdam & diſcrepãtias qualitatum neſſe vniuerſis rebus.*

*Familiaritates vnde exoriantur.*

CAPVT VI.

Quod applicitũ nobis uidet actu eſſe calidũ, eodem gradu quo nos, aut ex contactu ſimiliter calidũ reddit, id ex media eſt temperie, nobiſcũ collatum: ac per ſe etiam calidum ſecũdum exuperantiam, quemadmodum nos. At ſi quid nõdum adeò calidum eſt ſicut nos, nec tale admotum redditur, id temperie humana frigidius eſt, quantumcunq; in eo caliditas exuperet: ac proinde admotum, noſtrum calorem minuet.

*Media temperie praditum, quomodo cognoſcatur.*

CAPVT VII.

Ea autem eſt cõmunis alterabilium corporũ omniũ natura, uti in ſe agant & patiantur admota: quodq; minus eſt calidũ, à magis calido calidius reddatur: quod uerò magis calidum, à minus calido remittatur. Nam id uel ex ipſo tactu clariſſimè diſcas. Etenim eadem ſubinde illi tum calida, tum frigida eſſe uident: calidiori quidem facto, frigida: frigidiori uerò, calida. Quæ ſanè cauſa eſt, ut in balneis quidem frigida uideatur nobis urina, foris uerò calida: cùm tamen ſemper ipſa reddatur tepida. Similiter dum rigemus frigore, aquã ex puteo profundiſsimo hauſtam, calidam iudicamus: quæ eadem nobis in balneo, aut balneum egreſsis, apparet frigida. Itaq; tactum calidi frigidiq; dignoſcendi normã ponentes, atq; eius diſpoſitioni cuiuis iudicium omne tribuẽtes, meritò ſanè crebrò fallimur: ut qui quod haud ex ſe eſt frigidum, id frigidũ eſſe dicamus: quod uerò calidum ex ſe nõ eſt, id calidum pronunciemus. Abſolutè autẽ & urina, & aqua putealis, qualis ad nos optimè temperatos, atq; ab aliena qualitate immunes uidetur, talis profectò & eſt, & dici etiam poteſt.

*Alterabilium omnium natura quæ ſit.*

*Vrina cur appareat nobis frigida in balneo.*

*Putealis aqua cur appareat rigẽtibus frigida.*

*Tactum debere eſſe ab omni aliena qualitate immunẽ, ſi ſenſibilus ſit recte iudicaturus.*

CAPVT VIII.

Cùm igitur nec an abſolutè unumquodq; calidum ſit, ut ignis: nec an per exuperantiã, ut ſanguis: nec denique an cum ſymmetro ſui generis aut ſpeciei collatum, conſiderare nobis propoſitum ſit, ſed an ad hominẽ ſit tale uel tale: nec rurſum ad hunc, tanq; id quod ad aliquid aliud cõparatur: ſed an admotũ ipſi, eam partem quam tetigerit, reddat aut calidiorẽ, aut frigidiorẽ, aut humidiorẽ, aut ſicciorem: certè in experientia omnis iudicandi & dignoſcendi conſiſtet ratio: per quam nimirum docemur, & roſas (exempli gratia) & roſarũ ſuccũ euidenter refrigerare.

*Medicamentorum facultates in quẽ modum examinentur à medicis.*

CAPVT IX.

Siue enim in iis qui inculpata ſanitate fruuntur, ſiue in iis qui laborãt ſimpliciſsimo affectu, uidebitur tibi planè oleũ quidem in media temperie exiſtere: quod uerò componit ex ipſo roſaceum, ex primo eſſe ordine refrigerantiũ. Siquidem roſarum ſuccus frigidioris naturæ eſt q̃ oleum: ſed nõ ita multò, cùm tepidam quandam in ſe caliditatẽ poſsideat. Eiuſdem cum illo ordinis eſt, quod ad calorẽ quidem tepidum attinet, linoſpermon: ab eo tamen haud minimũ tenuitate relinquit. Nam roſarũ ſuccus eſt exquiſitè tenuis eſſentiæ: proinde q̃celerrimè areſcit, odoreſq; aliorũ unguentorũ exoluit. Eſt & chamæmelum tenuitate quidem, roſæ per ſimile: calore uerò, ad olei uires magis accedens, homini tum familiares, tum temperatas. Quapropter laſsitudini, ut ſi quid aliud, in primis cõfert, doloreſq; ſedat. Præterea tenſa remittit & laxat: mediocriter dura emollit, cõſtipataq; rarefacit. Ad hæc febres quæ citra uiſceris inflãmationẽ infeſtãt, cõcoctas diſcutit ac diſſoluit: & potiſsimũ quæ ex cutis denſitate & humoribus biliofis proueniũt: ob idq; Soli à ſapientiſsimis Aegyptiorũ eſt conſecratũ. Eſt autem hypochondriis gratiſsimum. Quibus etiã lini ſemen eſt gratũ: minus tamen q̃ chamæmelũ, cùm & minus calidum ſit, & eſſentiæ craſſæ. Cæterũ ad aſcenſus, augmentaq; inflammationũ, chamæmelo roſaceum præfertur, cùm hæc tepida caliditate cum leui aſtrictione indigeant. In principio ſiquidem, quæ refrigerant atq; aſtringũt: per incremẽta uerò, tepida, & mediocriter cõſtringentia: at in uigore ac ſtatu inflammationũ, quæcũq; tum moderatè calfacere, tum laxare poſſunt, magis cõperunt: ſicuti in declinationibus, quæ ualenter calfacereq; & diſcutere.

*Roſas roſarũq; ſuccũ, euidenter refrigerare.*

*Oleum eſſe medium temperie.*

*Roſaceũ eſſe ex primo refrigerãtium ordine.*

*Roſarum ſucc u tepidã quandã caliditatẽ poſſidet, adoreſque aliorũ vnguentorum exoluit.*

*Chamæmeli facultates inſignes.*

*Chamæmelũ Soli ab Aegyptiis eſt conſecratũ.*

*Linoſpermon.*

*Inflãmationes qualia medicamẽta deſiderẽt.*

CAPVT X.

Cæterũ quæ mediæ temperaturæ ſunt, & quæ utramuis in partem declinant leuiter, interim calfacere uidebuntur, rurſuſq; refrigerare: interim talia ſeruare corpora, qualia in principio accepe-

*Vrina videtur in balneo frigida.*

*Rosaceum refrigerat & calfacit diuersa corpora.*

acceperunt. Nec mirum sanè, cùm aqua tepida, urinaq; in balneis quidem frigidæ, algentibus uerò calidæ appareant. At rosaceum, oleo quidem minus, succo autem rosarū magis existens calidum, refrigerat sanè exustos, idq; suæ caliditatis tepore: algentes uerò, paulatim etiam excalfacit: qui effectus etiam caloris est tepidi.

CAPVT XI.

*Reducenda ad temperiem non mediocria, sed cōtraria, et quæ aquè à medio recedāt, præsidia postulant.*

*Eucraton.*

Quocirca si aut refrigerantibus medicamentis, aut calfaciētibus rosaceū indideris, sicuti nec magnopere obfueris, ita nec admodum profueris. Nam caliditas tepida, nec est sufficiens quæ refrigerata sunt lædere, nec eadem curare potēs. Siquidem quod curari debet, tanq̃ quod ab immoderatione ad symmetriam reducitur, non id quod probè temperatum sit postulat, uerùm id quod contrariam habet temperaturam, & æquè recedentē à media. Etenim si quod curari desiderat, multò frigidius sit, necessariò oportet quod ipsum curabit, multò etiam calidius existat: sin paulò frigidius, paulò etiam quod curabit calidius erit: ac de cæteris intemperaturis, pari iudicio. Porrò si exquisita utamur nominū appellatione, quod medium in singulis est, id eucratum siue temperatū dicemus: quod autē ab huius excedit modo, si ad calidius quidē, tum plus, tum minus calidum: sin ad frigidius, plus minusq; frigidum: nec de alijs alia ratione. Quādoquidem igitur corpora humana, tum ijs quas ab ortu nacta sunt temperaturis, tum ijs quas ab ætate postea acquirunt, tum ijs quæ ex uitæ cōsuetudine adueniunt, plurimū inter se differunt, ab ijsdem ea medicamentis uariè alterentur necesse est.

CAPVT XII.

*Gradus uirium medicamētorū, quomodo inueniendi sint.*

*Temperatū medicamē quod dici debeat.*

*Rosam esse frigidam in secundo excessu.*

Medium ergo horum mihi quempiam intelligas, qui & natura sit temperatus, & moribus & consuetudine conuenienti, hanc ipsam eucrasiā tueatur. Deinde hos tres optimæ temperaturæ scopos concipiens animo, secundum corpus illius, ueluti secūdum regulam quandam, uires omnium medicamentorū explores. Quodq; simile illius temperiei caliditatem accendit, temperatum uocetur, etiam si uel maximè excalfacere senem refrigeratū uideatur. Quod uerò calfacit aut refrigerat corpus eiusmodi, illud quidē calidum, hoc uerò uocetur frigidū. Esto autē ipsorū excessuū ordo, ad frigidum quidem, primus, cuius esse dicas rosaceū: secundus, cuius sit ipsa rosa: post hunc tertius & quartus, quoad sermone ad frigidissima pertigerimus, nempe cicutā, succum papaueris, mandragorā, hyoscyamū. Rursum ad calidum, anethum quidem & fœnūgræcum, prima: secunda uerò deinceps, tertiaq;, & quarta, donec ad exurentia peruentū sit. Ad eundem modum in medicamentis humectantibus & exiccantibus est ineundum iudicium.

CAPVT XIII.

*Medicamenta propèmodū omnia esse composita, contrariasq; in se facultates sortiri.*

Verùm omnia propèmodū medicamenta, licet sensu simplicia appareant, natura tamen cōposita sunt, diuersissimasq; in se facultates possident, excernendi, sistendi, incrassandi, extenuandi, atque alias id genus uniuersas oppositiones. Nec mirum id esse debet, cùm uni eidemq; medicamento, uim calfaciendi & refrigerandi esse appareat, aut exiccandi humectandiq;. Quæ primæ efficacissimæ uirtutes nisi hoc pacto cōplicarentur, haud sanè quæ ex illis sequunt, similiter cōplicatæ forent. At si nos ipsi rhu succum melli misceamus, quod ex ambobus conficit, astringendi simul & abstergendi uim possidet: sicuti & cohibendi uentris, atq; laxandi. In lacte autē duas esse facultates, nempe sistendi uentrem atq; euacuandi, nō item concedimus: tametsi caseus quidem secretus, uentrē sistat, serum autē resoluat.

*Caseus sistit ventrem. Serum aluum laxat.*

CAPVT XIIII.

*Brassica bis terue elixa succum ventrē soluere, ipsam autē supprimere.*

*Gallorū veterū ius ventrē subducit, caro autē cohibet.*

Quòd uerò & brassica duas easq; contrarias in sese facultates obtineat, neq; id quidem promptè cōcedimus. Nam tametsi succum eius planè aut solum, aut ex melle purgare cernamus, attamen quoniā quod reliquum est, edere minimè possumus, astrictoriū esse id diffidimus. Quanq̃ si bis terue aut quater elixam, ipsam brassicam edamus, comperiemus sanè, succum eius qui in aqua fuit relictus, purgare: ipsam uerò uentrem astringere. Eadem est ratio in beta, lente, atq; in ijs quæ testa pro cute integunt: ac breuiter in omnibus fermè illis, quibus sapor aut acris, aut salsus, aut nitrosus inest. Gallorū etiam ueterū ius, uentrē subducit, tametsi caro eundē sistere possit. In æris autem squama, sicuti duplex qualitas, ita gemina quoq; facultas inest: nam & astringit & mordicat: cæterū si intra corpus sumatur, purgat quidem uentrem, uerùm non cohibet. Quippe uincitur eius astringendi facultas, ab acri purgatoriaq; potentia, quemadmodum si rhu succum scammoniæ cōmisceas. Sic enim cum mâli cydonij carne, aut cum alio quopiam eorū quæ & astringentia & grata uentriculo sint, non pauca purgantium medicamentorū dum mista exhibentur, gustum quidem fallunt, at effectu solo quid ualeāt cōmonstrant. Persæpe siquidem lingua à materiæ uicta est copia: at actio, pro facultatis robore, uiribusq; perficitur. Itaq; cùm substantia exigua quidem, sed ualidis prædita uiribus, mista alteri substātiæ plurimæ, eidemq; imbecillæ, corpus ingreditur, gustū quidem fallit, attamen effectum, q̃ illa, efficaciorē exhibet. Porrò si ab aloë quod purgat, ab eo quod est astringens, eluatur (id quod fieri potest per exactā lotionem) tunc certè aut debiliter, aut planè nihil purgabit: id quod usu etiam uenit æris squamæ, ærisq; usto. Iam uerò ipsius quoq; qualitatis medicaminosus sapor, primo statim gustu facultatis mistionē demōstrat. Nam si unica semper qualitas, unicuiq; gustu astringentiū medicamentorum inesset, haud sanè inter ipsa, alia esui apta, alia medicaminosa existerent, sed tantū intensione aut remissione astrictionis differrent. At nō ita res habet: cū uideamus æris squamā mâlo cydonio astringentē minus, gustu tamen eo longè insuauiorē existere: quā gustus absurditatē proficisci à uehementia astrictionis, dicere id quidē non possumus. Si itaq; ut astrictio, ita etiā astringens unum perpetuò esset, sanè unum quoque perenniter eius esset opus. Verùm cùm præter astrictionem insuper alias qualitates, neq; paucas, sortiatur, semper quidē omnibus illis aget: sed euidentius aliàs per aliam, nempe uincentem: idq; ut ad corporis cui admotum est affectionem. Astringens igitur hac ratione, non est

*Aloë lota aut nihil aut parum purgat.*

*Astringens non esse contrarium purganti.*
*Rosa partes quaternæ.*

ei quod purgat contrariũ: quanq̃ si quis illa esse contraria statuat, nihil inde absurdum sequetur. Etenim in rosæ succo, aliud quidem grauissimũ est, amurcæ & fæci proportionale: aliud leuissimum, & ipsum proportione respondens flori in quoq; succo supernatanti: aliud tertiũ, quale est quod in musto feruet: ad hęc quartũ, ipsum uide licet purissimũ ac syncerissimũ, cuius hęc tria excrementa existunt.

*Succos alios acescere, aut cõputrescere. sola autem, oleum, mel & vinum, in lõgum tempus durare.*

Euenit autẽ alios quidẽ succos aut acescere, aut corruptos putrescere: sola uerò, oleum, mel & uinũ, in longum tempus durare. Quare nec per ebullitionẽ, nec per secretionem in alijs succis, has excrementorũ differẽtias inuenire perspicuè licet: uerũ protinus ab initio coctione quadam illis est opus, aut saltem alicuius perdurantis succi mistura.

*Rosarũ succum asseruãdi ratio.*

Nam sic rosæ succum melli miscẽtes, aut totas rosas ei immergentes, reponimus. Cùm autẽ rosa nõ astringẽs modò, sed enã dulcis atq; amara gustanti appareat, satis apertè ostendit, se habere illorũ succorum quatuor miscellam. Quinetiã uel ex hoc tantũ, quòd nõ extremè astringat, aliorũ quoq; saporũ misturam intelligere in ea possemus. Quippe si solus sapor austerus illi insit, summus itidem fuerit: quo modo si sola corpori cuipiam caliditas summa inesset, id ignis utiq; foret: at si non summus, sequiť quòd neq; etiã solus.

*Sũmitates frangunt contrariorum mistura.*

In uniuersum enim contrariorum misturæ, summitates ipsas frangunt.

CAPVT XV.

*Similariũ inter se ac dissimilarium differẽtia unde nascãtur.*

Atq; in similaribus quidem corporibus calor, frigiditas, siccitas, & humiditas, particulares differentias efficiũt: in dissimilaribus uerò acrimoniæ, siccitates, austeritates, acerbitates, dulcedines, amaritudines, salsedines, aquositates, & pinguitudines. Quare unũquodq; corporũ similarium, hoc est, quæ nõ ex diuersis substantijs constant, in ipsis partibus nõ multas, sed unã ex his qualitatẽ obtinet: quod uerò totum est dissimilare, complures: quarũ hæ quidem astringunt, hæ laxant, aliæ aliam facultatem ostendunt, sic

*Linguam secundũ diuersas partes à diuersis saporum qualitatibus affici.*

ut omnes quidem linguã partibus diuersis, pro contactus ratione afficiant: affectio tamen ipsa, ex eo quod primò affectum est, in totam eam q̃ celerrimè diffundatur. Cuius simile in trãquillis aquis uidere licet. Nam si in duas eius partes duos conieceris lapides uno eodemq; tempore, ij sanè duos efficiẽt circulos, qui mutuò per sese ferenť, cõtrariosq; cernes in quauis ipsius aquæ particula motus. Quòd si unum pedem in calidam, alterum uerò in frigidam simul demittas, haud dissimile habebis etiam exemplũ. Quippe in totũ corpus utriusq; affectionis motus peruadit, cõtrarijq; inuicẽ sibi occurrunt: id quod etiã

*Lipyria febres. Hepiala feb.*

euenire autumo in lipyrijs, & hepialis febribus, nisi quòd in illis nõ extrinsecus, sed ex ipso corpore caliditatis frigiditatisq; affectus oritur. Si uerò parẽ absinthij portionẽ melli exquisitè cõmistam, linguæ imponas, simul dulce & amarũ, quod ex ambobus mistũ fuerit, uidebiť: cùm nõ

*Saporũ qualitates afficiunt reliquas etiam partes, vt linguam, licet non perinde ab ijs percipiantur.*

alio tempore mellis saporẽ lingua ipsa sentiat, alio autẽ absinthij, sed utrũq; simul. Quemadmodum igitur ab ijs lingua afficitur, ita necesse est quanq; aliarũ corporis partiũ ab eis similiter affici, etiã si qualitates ipsas nõ sentiat. Neq; enim in patiendo, aut nõ patiendo, ab alijs linguã differre est putãdũ, uerũ eò quòd ipsam familiariũ affectuũ, ob exquisitã sentiendi facultatẽ, nihil latère possit.

*Lingua cur sensum habeat exquisitum.*

*Ad q̃d sanè nõnihil ipsius cõducit raritas, sic enim succi facilius penetrant. Porrò si solano & anthemide alicui parti simul applicitis, neq; ita densa, dura, tensa, liuidaq; reddatur, ac si solo usus solano esses: neq; adeò rara, mollis, tepida & rubens, ac si anthemide sola usus fuisses, sed dictorũ mediam accipere affectionẽ particula conspiciatur: consentaneũ certè est, utrunq; medicamentũ secundum suam facultatẽ esse operatũ, ac proinde particulam ipsam eodẽ tempore cõtraria simul perpessam fuisse. Igitur quemadmodũ mirũ non est,

*Simplicia medicamẽta affectus cõtrarios gignere non est mirũ, cùm natura cõposita sint.*

*si à medicamentis compositis contrarij simul affectus corporibus infligant, ita nec si à simplicibus: cùm & ipsa sensui quidem simplicia appareant, natura autẽ cõposita sint. Siquidem quemadmodũ nos in ijs quæ indies componimus, sic natura in simplicibus ipsis, contrarios temperare succos consueuit: quorũ sanè actiones, si pari facultate & portione ipsi in mistura coëant, euadent similes: si dispari autẽ, diuersæ. At uerò, ut astrictio quidẽ una res est, ita astringens, duplex.

*Adstringens duplex.*

Aliud quippe summũ existit, ut alumen & galla: aliud autem quod astrictionis sit particeps, ut pirum, uinum, & rosa: nam huius minimũ est id quod astringit, quare medela existit inflammationum.

CAPVT XVI.

*Rosaceum quãdo conueniat inflãmationibus.*

Rosaceum uerò (utpote cuius natura olei rosæq; in medio est) in inflammationũ augmentis, hoc est, in illarum medio, optimũ est pręsidium. At oleum cõmodum est, ubi inflãmationes maximè uigent.

*Inflãmationum curatio.*

Etenim per initia repellere comprimereq; influxus oportet: in uigore autẽ ita per halitus digerere, ut morsus absit: at in incrementis, repellere simul ac digerere. Vtrunq; autẽ rosaceum præstare potest.

*Rosacei facultas.*

Nam præterq̃ quòd tenuium est partium, leuem quandam astrictionẽ sortitur, nimirum inter oleum & rosam existens medium.

*Medium omne ex cõtrarijs mistum existit.*

Quippe medium omne ex contrarijs mistum existit, ijsq; totis per tota cõtemperatis, aut per exiguas particulas, sensum effugiẽtes eorum quibus admouentur. Etenim quæ magnopere austera acerbaq; sunt, primo statim contactu superficiem densantia, humorẽ ingredi prohibent. At quæ modicè astringunt, cæterùm plurimum in se continent essentiæ tum tenuis, tum tepidæ, tantùm abest ut præ astrictione ingredi altius corpora admota prohibeant, ut etiam ab ea, magis scilicet impellente, iuuentur. Quæ autem penitus tenuia calidaq; sunt, magis digerũt humores ex corporibus quibus admouentur, quàm alios ipsa apponant. At quæ frigida sunt & essentiæ crassioris, omnino nullum introducere humorẽ queunt.

*Humectare quæ possint omnium efficacissimè.*

Quæ itaq; humida, tenuia & modicè astringentia sunt, ea inter omnia humectantia efficacissimè humectant.

CAPVT XVII.

*Calor innatus ad quid conducat.*

Ad hæc autem omnia nõ mediocriter cõfert innata nobis caliditas, & intrò ad sese attrahens, & cõminuendo extenuans.

*Frigida & deleteria medicamẽta, cur citius, magisq; in calidis naturis vim suam exerant.*

Hinc est quòd frigida deleteriaq; medicamenta, utputa cicuta, papauer, hyoscyami semen, mandragora, & alia id genus, citius magisq; in calidis naturis uim suam exerant.

exerant. Nam quum sit impossibile ut talia interficiant, nisi prius cor refrigerent, necessum sane est, ut intrò comminuta ingrediantur: id quod ex sua natura præstare nequeunt, crassa & inepta ad motum quum sint. Quare ascititiam caliditatẽ requirunt, quæ in minuta extenuet, ac ueluti manu ducat in subtiles meatus. Itaq; si quãdo ea absit, cunctantur, in maioribus hærentia meatibus, in ipsisq; fluctuantia arterijs & uenis, temporis spatio aliquid perpetiuntur. Siquidem qualitates omnes quadantenus in sese agunt. Nam & lapis ab assiduo stillicido excauatur: gladiusq; ceram secãdo hebescit. Quandiu igitur solidæ partes (à quibus perficiuntur actiones) à refrigerantibus medicamentis nondum refrixerint, tandiu animans superfit, est necessarium: refrigerari autem nequeunt, prius quàm illa subierint proprios harũ meatus, id quod sua ex natura non possunt. Deducit quippe succos, ut causa quidem primaria, arteriarum attractio: ut secundaria uerò & materialis, ipsorum tenuitas: qua destituta quum sint, frigidiora & crassiorum partiũ medicamenta ijs opus habent, quæ præbeãt. Cæterũ corpora frigidiora tractum arteriarũ imbecilliorẽ possident, medicamentorũq; substantias cõminuere nequeũt: proinde medicamenta ipsa cunctari est necesse, processuq; tẽporis tum immorari, tum cõcoqui: quod solet succus lactucæ: qui si integer ad cor perueniret, non secus ac cicuta perimeret. Hæc igitur & similia, nisi celeriter perimãt, nullius tandem effectus redduntur. At quæ aut erosione aut putredine enecant, ijs ut tempore uires acquirant, accidit: quum temporis spacio putrescãt omnia, eoq; magis, quò fuerit humidior atq; calidior locus. Meritò ergo fit, ut quæ frigore suo noxã inferũt, ijs actionis celeritas ad perniciẽ proficiat: quippe quæ alioqui spacio excalfacta, uim per quam agebant, deperdãt. At quibus in putredine actio consistit, ijs tempus actionem adauget, quoniã & putredinẽ. Nullum autẽ animal interire potest, nisi cor ab agendi munere cesset: at fieri ut cesset non potest, citra maximã intemperiem. Cicuta itaque hominẽ è medio tollit, tum ob meatuum amplitudinem, calorisq; multitudinẽ, tum ob ualidã arteriarum in attrahẽdo uim, usq; ad cor ipsum perueniens. Sturnos uerò ob causas contrarias haud enecat, utpura quum & retineatur, & cuocetur, ac sese temporis tractu concoqui, præparariq; à corde patiatur: quemadmodum & in ipsis lactucis accidit, quæ moderatè quidem sumptæ, alunt hominem: si uerò quispiam expressum earum succum largiter hauriat, non secus proculdubio morietur, quàm qui aut cicutam, aut papauer sumpserint. Ad eundem quippe modum cicuta hominem quidẽ celeritate distributionis interficit: sturnos autẽ tarditate ipsa, nutrit. Sin autem exiguũ quippiam sumat, mortem homini haudquaquã inferet: id quod anus illa Atheniensis experimẽto docuit, quæ ab exigua cicutę portione auspicata, nullo detrimento ad permagnã progressa est copiã: adeò cõsuetudo uidetur esse adscititia natura.

*Qualitates omnes quadantenus in se mutuò agunt.*
*Lapis ab assiduo stillicidio cauatur.*
*Gladius ceram secando hebescit*
*Succi à quibus deducantur per corpus.*
*Lactuca succus, si integer ad cor perueniret, non secus ac cicuta perimeret.*
*Deleteria quæ putrefaciẽdo enecant, quomodo ab ijs differãt quæ sua extinguũt frigiditate*
*Interire nullũ animal posse, nisi cor à munere agendi cesset.*
*Cicuta cur minimè sturnas enecet.*
*Lactuca succũ liberaliter sumptum esse letalẽ.*
*Vetula quędã Atheniensis alebatur cicuta.*
*Consuetudo est adscititia natura.*
*Necantia frigore, non genere, sed sola quantitate dicuntur letalia, contrà quàm ea quæ putrefaciendo aut erodendo interimunt.*

CAPVT XVIII.

Eorum ergo medicaminũ quæ frigore interimunt, nullum genere letale est, sed sola quãtitate: quum si exigua portione sumantur, mortẽ non inferant. At in erodentibus, putrefacientibus, & calfacientibus, haud ita res sese habet. Ad hæc, quẽadmodũ frigida medicamenta, nisi calorẽ offendant ualidum, qui cõminuat atq; deducat ipsa, nõ perimunt: sic si quod comminuit deducitq;, multò ualẽtius fuerit, deuincet prorsus, mutabitq;, ac alimento ut sibi sit medicamentum, efficiet.

CAPVT XIX.

Quum igitur medicamenta refrigerantia quadantenus à nobis accipiãt suam refrigerãdi uim, sicuti & calfaciendi calida (neq; enim quicquam moliri possent, absq; corporis patiẽtis auxilio) iure potestate dicunẽ frigida. Nam ut actu nos refrigerent, non prorsus ex sese obtinent. Eapropter meconium & cicuta, si cum modico eoq; minimè generoso uino bibantur, ocyus quidem interimunt. Si quis uerò papaueris succum, quantus interficere potest, hauserit, ac etiamnũ tamen superfit, huic largè epotũ uinũ uetus generosumq; & calidum auxiliabiẽ. Cæterũ quod tenui pellucidaq; substantia est, colore uermiculo aut flauo, odore gratũ, quodq; multam aquæ misturam postulat, id tum admodum excalfacere est natum, tum facilè undiq; per corpus uniuersum deferri. Tale ergo natura uinum, ætate uetus, multum atq; impermistum, non modò perfrigeratorum omnium, sed eorum etiam qui aut ex oris uentriculi, aut cordis dolore, animi deliquium patiuntur, præsentaneum remedium existit.

*Medicamenta calida & frigida à nobis sumunt initiũ actionis suæ, ac proinde potestate dicuntur talia.*
*Cicuta si cũ modico & minimè generoso uino bibatur, ocyus perimit.*
*Vinum uetus, generosumq;, & calidum, auxiliatur uenenis refrigerantibus.*
*Vinum refrigeratis omnib. utile, quale nã esse debeat.*

CAPVT XX.

At earum medicamentorum quæ erosione atque putredine interimunt, pleraq; sanè perinde ut illorum quæ potestate dicuntur calida, actu etiã calida existunt: sed idcirco nos fugiunt, quoniam aut ipsi plurimum habemus caloris, aut crassa est ipsorum substantia. In balneo quippe urina nobis uidetur frigida, quemadmodum algentibus hyeme, aqua putealis, calida: cæteris autem frigida. In summa enim, pro suo unumquodque affectu, admota consueuit sentire corpora. Sic ergo si manum habens frigidam, eam in tritici aceruum immiseris, luculenter calorem percipies. Sin calidam, nequaquam. At si columbino stercori accumulato, potissimum columbarum syluestrium, manum inseras, etiamsi calidam, manifestam tamen senties caliditatem. Sic misy, sori, chalcitis, ærugo, calx, aliaq; id genus innumera, si illis aceruatis manum altius inijcias, protinus uidebuntur excalfacere. Cæterùm si bolum ex eis unum acceperis, cuius extrema superficies ab ambienti fuerit refrigerata, meritò nullum percipies calorem. Quam ob rem fieri etiam potest, ut quæ respectu nostri sunt potestate calida medicamenta, ea secundum alterum animantium genus calida esse actu uideantur.

*Quisq; pro suo affectu admota consueuit sentire.*

CAPVT XXI.

Quæ igitur nos contactu per putredinem aut erosionẽ enecant, ea recta quidem ratione deleteria humanæ naturę toto genere existimantur, nõ ut refrigerantia, quantitate duntaxat. Hæc enim interdum uincuntur, & nutrimentũ animali redduntur: putrefacientia autem, uel si sumantur portione minima, omnino tamẽ corrumpunt, quòd uidelicet quæ putredini obnoxia sunt, calore humiditateq; putrescant, calidus autem humidusq; fit sanguis. Proinde longo etiam pòst tempore à quo sumpta sunt, nonnulla interimunt, potissi-

*Deleteria humana natura quæ sint.*
*Putrefacientia uel si sumantur portione minima, corrumpũt animal.*

mũm quæ crassa terrenaq; essentia sunt prædita.

CAPVT XXII.

*Erodentia.*

Interdũ aũt ipsa erodentia medicamenta adeò exigua sumuntur, ut excerni cum excremẽtis possint, prius quàm iniuria corpus afficiant. Interdũ etiam qui illa sumpsit, opportunis remedijs usus, asseritur. Nam ubi grauis ab ijs noxa illata est, malum ipsum sisti nullis præsidijs potest. Cæterùm cantharides medicamentis diureticis commodè permiscentur: sicuti alexipharmacis alia pleraq; letalia. Feruntur enim alioqui sponte sua per urinam ad uesicã cantharides, ac sic rodendo illam exulcerant, nisi ubi copia modica induntur. Ex quibus patet, quæcunq; frigiditate interimunt, si exigua sumantur, nutrire corpus posse: at quæ putrefaciendo, nequaquam, quum naturæ humanæ aduersentur.

*Cantharidas commodè misceri diureticis.*
*Alexipharmacis commodè misceri interdũ letalia.*
*Cãtharides vesicam exulcerãt.*

CAPVT XXIII.

Vt igit in alimentis mistos esse uarios sapores diximus, sic in medicamentis intelligere oportet, multas diuersi generis mistas esse substantias: id quod inuenias facilè, si consideres granum cnidium solùm hoc à cnico differre, quòd plurimum habeat caliditatis. Porrò attractio quę in ipsis cernitur, à qualitatum proprietatibus, quæ sunt in substantijs, perficitur. Idcirco purgantium medicamentorum, ubi fortè purgatione frustrantur, quędam pręterquàm quòd noxam corpori nullã inferunt, etiam alimentum corpori præbent: alia uerò in corruptionẽ ac uenenum uertuntur. Omnino siquidẽ medicamentũ purgans, uel cum uno saltem humorum, qui in nostro corpore sunt, similitudinem habet: non autem perpetuò mista est uis uirosa. Quamobrem nec perpetuò, licet nõ purget, iniuria afficiet, uerùm & concoctionem admittet, talemq; producet humorem, qualẽ erat natum educere.

*Medicamentis multas diuersi generis substantias esse immistas.*
*Purgãtium medicamentorum discrimina.*
*Purgantia, ubi à natura uincuntur, talem gignunt humorẽ, qualem ducturæ erant.*

CAPVT XXIIII.

Pleræq; itaq; attractiones fiunt qualitatis familiaritate: ac proinde singulæ animalis particulæ familiare sibi alimentũ attrahũt: ad quam sententiã sequitur, medicamenta purgantia familiaria esse purgandis humoribus quodãmodo efficaciora, ualẽtioraq;: sicuti magnes ferro, quippe qui ad ferri naturam accedat, reperiaturq; in ferri fodinis, eiq; specie magnopere sit persimilis: uerùm fortior est quodãmodo, ut attrahere sit aptior, quàm trahit. Cnicus etiam (quem carthamum uocant) colore quidẽ pituitæ similis, calore illam superat, sic ut trahere quàm trahit sit promptior. Ad eundẽ modũ granũ cnidium, si quãdo à corpore nostro uincat, uice purgationis alimentũ efficitur: ueluti ueratrũ semper coturnicib. Verũenimuero quoniam attractiones, substantiarũ similitudine fiũt, necessum est ut si quod purgat pituita est, id quod trahit sit non pituita, sed pituitosum. Differt siquidem similitudo ab identitate.

*Purgantia medicamenta esse familiaria purgandis humoribus.*
*Magnes ferro est specie similis, eo tamẽ fortior.*
*Cnicus est pituitæ similis.*
*Veratum alit coturnices.*
*Atractiones fieri substantiarũ similitudine.*
*Similitudo differt ab identitate.*

CAPVT XXV.

Ad hęc, purgantium medicamentorum quędã iam actu possident idoneam ad attrahendum similitudinẽ: quædã ab animantis illam corpore accipiunt. Præterea in unoquoq; medicamento, permisti similibus sunt alij succi dissimiles, qui partim quidem medicamentosi sunt, partim minimè. Quare ubi purgationem haud assequuntur, quædam in perniciem, quædam in alimentũ uertunt.

*Purgantiũ medicamentorum differentia.*

CAPVT XXVI.

Cæterùm ubi purgãs pharmacum usqueadeo inualuit, ut in uasorum ad uentrem pertinentium osculis mordicationem apertionemq; multam relinquat, assidueq; irritans, conuellensq; corpora, uasorum facultates dissoluat, uacuationes immoderatæ contingunt: ita, ut si quod pituitam educit medicamentum exhibitum fuerit, prima quidem omniũ ipsa euacuetur, dein flaua bilis, mox atra, quarto deniq; loco sanguis. At si quod flauã bilem detrahat, pituita consequetur: post quam atra bilis, quartus demum reddetur sanguis. Sin atram bilem purgare sit natum, eam quidem primam eliciet: post quam, flauam: dein pituitam, ac omnium ultimò sanguinẽ, tanquam ex inanimis uasis effluentẽ, ut quę summa iam imbecillitas occupet, quæq; ad extremam osculorum apertionẽ peruenerint. Ex quibus manifestũ est, postremũ in immodicis purgationibus uacuari humorem qui familiarissimus est: aliorum autem singulos, prout crassi existunt, aut tenues.

*Vacuationes immoderatæ quando & quomodo accidant.*
*Sanguinem uacuari omnium ultimũ, qui naturæ familiarissimum.*

CAPVT XXVII.

Quum igitur uascula non amplius in se continere succos possint, & oscula eorum reclusa fuerint, neq; irritare medicamentũ desinat, nec possit amplius familiarem succum attrahere, necessum est reliquos quoq;, quo diximus ordine, sequi. Fit autem orificiorum apertio, ob medicamenti uiolentiã, ob quam uidelicet mordicatio etiam prouenit. Vasorum autem imbecillitas, tum ob ingentem defatigationem, tum ob intemperantiã, quæ immodicas purgationes præcedit.

*Vasorum reseratio imbecillitasq; unde accidant.*

## *GALENI PERG. DE SIMP. medicamentorũ facultatibus lib. IIII.*

CONstat igitur uniuersas corporis partes perperi afficiq; ab alterãtibus qualitatibus, quemadmodum lingua afficitur: sed passionum sensum non exactè percipere: at linguam ob perfectionem quam habet sensus, posse naturas earum omnium dignoscere: tametsi passionum similitudinem inuenire sit etiam in alijs partibus uniuersis, ac præcipuè in exulceratis: quandoquidem cutis duritas densitasq; prohibet, quo minus foris incidentium facultates intrò in carnem penetrent.

CAPVT I.

Sic enim & illud ab Hippocrate dictum est, Vlceribus frigidũ mordax: tametsi cuti prius quàm exulceraret, mordax nequaquam esset. Porrò quęcunq; frigus contingit, eorum & contrahat, & cõdenset, & constringat substantiam, primumq; tenues tum excernantur humiditates, sicuti ex oculis lachryma, ex naribus mucus, necesse est: postea uerò etiam mordax appareat, licet alia ratione, quàm in calido. Nec enim erodendo quod continuum est, sed diuellendo, mollemq; substantiam in arctũ contrahendo, ac breuiter ipsius partis cõtinuitatem per diuulsionem soluendo, molestum, ac mordax est frigidũ. Cæterũ ut in his protinus contractionis cõdensationisq;: sic in illis quæ calore suo mordicant, dissolutionis & fusionis sensus percipitur. Ad hęc, in refrigerantibus quidem utcunq; tardior est atque cunctantior mordacitas: in excalfaciẽtibus uerò quamcelerrimè penetrat.

*Vlceribus frigidum mordax.*
*Frigidum qua ratione sit mordax.*

*Mordicantium alia sunt facultate calida, alia frigida.*

trat. Quam ob rem medicaminum mordicantiũ, alia sanè calida facultate, alia necessariò sunt frigida. At quæ moderatè calida sunt, quæq; temperata potius quàm calida dici deberent, ut poculum atq; balneũ, dum mediam temperiem sortiunť, nobis grata & amica existũt. Funditur enim per ea, quod in corporibus nostris constiterat atq; concretum fuerat, unde animantibus uoluptas maxima oritur. At si quis in eis immoretur diutius, sensim quidẽ & ipsa molesta euadunt, idq; non quòd mordicatione infestent, sed quòd substantiam nostram soluentia digerentiaq;, deliquium animi, ac tandem mortẽ inducant. Quę autem his calidiora sunt, secant, distrahuntq; substantiam: quare necessariò mordacia uidentur, ut tum aqua feruẽs, tum ignis. Igitur subiectam materiam cõtrahere condensareq;, frigidi semper est proprium: fundere autem atque liquare, calidi: utriusque uerò immoderatius aucti, communis est mordicatio. Verùm quæ à summa frigiditate, aut caliditate absunt, minimè cutem mordicãt. Plurimum autem ad id genus affectiones facit essentiæ medicamentorum uel tenuitas, uel crassitudo. Siquidem frigida quæ tenuium partiũ sunt, quum magis in profundum transeant, uehementius mordicant. Calida uerò quę crassarum sunt partium, quoniã plus ulcerant, uehementius idcirco affligunt. Tenuiorum itaque partium aër est: crassiorum terra: medium eorum tenet aqua. Sed aër accensus fit flamma: terra autem pruna: at aqua uehementem sanè caliditatem recipit, sed nec flamma nec pruna, propter innatam humiditatem, efficitur. Siquidem flamma & pruna ignis sunt genera: ignis autem omnis, calidus est & siccus: at aqua sicca ut fit, fieri nequit. Nullum autem est aded calidum pharmacum, ut flamma, aut pruna, aut aqua feruens. Procedit tamen usq; ad ustionem ipsa medicamẽtorum caliditas, ubi in crassa consistit essentia. Quæ uerò subtiliũ partium sunt calida, nonnunquam omnino nõ mordicant, sed calfaciunt duntaxat. Est ubi mordicent, non tamen urant.

*Condensare materiam, frigidi semper est proprium.*
*Liquare est proprium calidi.*
*Aër accensus fit flamma.*
*Terra accensa fit pruna.*
*Ignis genera sunt flamma et pruna.*
*Aqua esse sicca non potest.*

CAPVT II.

*Tenuium & crassarum partium quæ esse dicantur.*

Porrò quę celeriter in tenuia soluuntur, tenuiũ dicunť partium: quæ id perperi nequeunt, crassarum. Quòd ergo ea soluantur, calor animalis, cui applicantur, est causa: quòd in tenues crassásue partes comminuantur, id à propria natura obtinent. Quocirca refrigerantium medicaminum ea quæ crassarũ sunt partium, mordicare nequeunt, quòd extimam cutis superficiem penetrare non ualeant. At quæ tenuium sunt partium, maximeq; si inæqualem temperiẽ sortiantur, ualenter mordicant. Sed suprà demonstratum est, inæquabilia esse propemodũ omnia: ubi ostenderemus, & in uino, & in oleo, quatuor reperiri succos diuersos, in summaq; uniuersa medicamenta facultatibus cõtrarijs constare. Enimuerò acetum, tametsi ingenitam uini caliditatem amiserit, ex putredine tamen sibi aliam adeptũ est. Quippè uinosæ uini partes, dum ipsum in acetum transit, refrigerauit: at aqueum recrementum putrescens, ascititiã caliditatẽ acquirit, ueluti quæ putrescunt omnia: fitq; acetum quiddam ex cõtrarijs facultatibus mistũ, partim refrigerantibus, partim calidis: sicuti ustorum lignorũ omnes cineres, qui ex adustione nõ nullas partes igneas conseruant, quas macerati postea solent in aquam deponere. Hanc enim aquam marinæ & muriæ per omnia correspondentem, uulgò lixiuium appellant. In uniuersum autem, quod tantùm est acidum, quicquid id fuerit, planè frigidum est, eoq; uti contra omnes calidos affectus commodissimè poteris, ut omphacij succo. Qui quidem quum omnino acidus sit, perfectè etiam refrigerat, uniceq; ardoribus prodest, inimicus affectionibus frigidis, quemadmodum omnia exquisitè refrigerantia. Ea autẽ quę quũ acida sint, habent etiam saporem quendã acrem permistum, qualis planè inest aceto, haud dublè nõnihil caliditatis possident. Verùm si frigiditati astrictio coniuncta sit, aliud est frigiditatis genus. Quippè acida frigiditas tenuium est partium: at astringens, crassarum.

*Mordicare quæ ualeant.*
*Medicamenta omnia facultatibus constant contrarijs.*
*Acetum ex contrarijs facultatibus constat.*
*Lixiuium*
*Acida omnia sunt frigida, quatenus acida.*
*Omphacij facultas.*
*Acida frigiditas tenuium est partium.*
*Astringens frigiditas crassarũ est partium.*

CAPVT III.

*Sensus quo pacto exercere debeamus.*

Non igitur sola ratione per methodos logicas nos exerceri oportet, sed exercere etiã sensum in saporibus singulis: quod fiet, si omnia ea sedulò experiamur lingua, quæ unamquãq; qualitatem præ se ferunt manifestissimam. Vt, si acrimoniam cogitatione complecti uelis, in allio, cæpis, atque his similibus, ea sæpe gustando te exerceas oportet. Sin astrictionem, in galla, rhu, & similibus. Si amaritudinem, tum in nitro, tum felle. Si qualitatem saporis expertem, in aqua immuni ab omni qualitate ascititia. Nam hinc exorsus, promptius ad aliorum obscurorũ omnium saporum cognitionem peruenies.

CAPVT IIII.

*Emplastica medicamenta quæ dicantur.*

Sin autem qualẽ prębet sensum aqua planè omnis qualitatis uacua, talem in re aliqua sicca inuenias, ea nimirum medium constitutionem sortietur, aut certè ad frigidius paululum inclinabit. Quòd si talis quum sit in caloris & frigoris differentia, insuper consistentiã nacta sit siccam, terrestris sit, ac citra morsum desiccet, est necesse. Atq; huius generis medicamẽta omnia, medici appellant emplastica.

CAPVT V.

*Emplasticorum natura duplex.*
*Olei partes.*
*Adipis differentia.*
*Cera elota est emplastica.*

Duplex autem est emplasticorum natura: altera exactè terrea & sicca: altera uiscosa quidem omnino, sed ex aqua & terra, & plerunq; etiam aëre, commista, sicuti oleum dulce. Hoc siquidem ex aërea, terrea, aqueaq; essentia constatur. At oui albumen, ex ijsdẽ quodãmodo, sed magis terreũ est oleo. Quin & quod lactis est caseosum, emplasticum quoq; est: & suillus adeps. Nam tauri, & hirci pinguedo, acrimoniam & multam, & igneam possidet: bouis itẽ, ouisq; adeps acris existit. Porrò anseris & gallinacei calidior est pinguitudo, & siccior quàm suum: necnõ subtiliorum partium, & minimum terrestris, sicuti & auium omnium. Quæcunq; ergo pinguedines nondum ullam nactæ sunt acrimoniam, emplasticã & illinendi poros possident facultatẽ, eamq; tantò efficaciorẽ, quantò sicciores, magisq; terrenæ fuerint. Huiusmodi enim est cera elota, quæ ex melle tum aquosiore, tum minimè mordaci conficitur.

CAPVT VI.

*Astringentium natura.*
*Acidorum natura.*
*Fructuum sapores.*

Astringẽtia porrò terrena sunt, & crassa corporis consistentia: qualitate uerò frigida. Acida autem, tenuitate pollent corporis, sed perindeat astringentia refrigerant. Etenim arborũ fructus, quotq; nobis, ubi maturauerũt, dulces apparent,

*Fructuum differentia.* *Fructus omnes coquuntur, & maturescunt calido.* *Calidũ duplex.* *Acerbus sapor acido magis terrenus existit.* *Acerbus sapor est frigidus.* *Acerbi & acidi saporis discrimẽ*

nuper enati, acerbi sicciq́ sunt cõsistẽtia: progressu uerò tẽporis, humidiores reddunt, acquirũtq́ ad acerbitatem, aciditatẽ quandam: quam exuentes sensim, postea dum perficiuntur ac maturescunt, dulces euadũt. Sunt qui non in arboribus, sed posteaquàm repositi aliquandiu fuerint, dulcedinem indipiscantur. Alij nõ interueniente aciditate, paulatim in dulcedinẽ transeũt. Omnes tamen coquuntur & maturescunt calido: quod quidem duplex existit: alterum nempe & propriũ, & cuiq; ingenitum: alterum externum, à sole uidelicer, sed naturæ ipsorum conueniens & familiare. Si igitur quum initio acerbi essent, tempore maturescentes dulcescunt, sequitur ex calore ipsis prouenire dulcediuẽ: acerbitatem uerò aciditatemq́, ex frigore. Ad hæc etiam, initio quidem lignosi quum sint, necnon sicci & acerbi, postea uerò humore adueniente reddantur acidi, palàm est, saporem acerbum acido magis terrenum existere. Quinetiam, si ab acerbo sapore manifestè linguam contrahi, siccari, asperariq́ contingit (quæ unius frigiditatis sunt opera) liquet planè frigidum esse saporem acerbum. Quoniam uerò inæquabiliter etiam desiccat (id enim est quod exasperat) fuerit utique omnino etiam terrenus: nam aqueus, omnia æquabiliter penetrat. Præterea, uelox quidem acidorũ saporũ transitus in partibus fit sentientibus, acerborum autem tardus: tum acida quidem in alto magis agere apparẽt, in superficie autem acerba. Quæ omnia, crassarum esse partium acerba indicant: acida uerò tenuium. Cæterùm utraq; dicuntur astringere, tum quæ acerba sunt, tum quæ austera: sed in maioris minorisq́ ratione differunt. Insunt autem ipsis medicamentis qualitates complures, non diuersæ modò, sed pugnãtes etiam, atq; interim subcontrariç. Quare ubi astringentiũ (exempli gratia) diligenter explorare actionem cõtendis, ea tantùm disquiras, quæ gustui exquisitè acerba uidentur, nullamq́ saltem manifestam habent qualitatem admistam. Quæ quidem ubi nactus fueris, tum in optima sanorum corporum constitutione, tum in affectibus simplicissimis, de illis facies periculum. Nam si corpus sanum manifestè cernatur refrigerare, et calidis prosit affectibus, intrepidè sanè poteris de astrictione ipsa, quòd refrigeret, pronunciare. Sin cõtrà appareat, taleq́ medicamẽ acerbum in illis conspicuam caliditatem inducat, calidum natura putandũ est, in cçterisq́ saporibus pari iudicio experiundum. Ego uerò, etsi facultates medicamentorum, uel citra sapores, sola experientia noscuntur, usus tamen prædicta methodo, omne exquisitè astringens, frigidum perpetuò comperi: nonnullaq́ modicè dulcia, aut amara, aut acria, simul cum astrictione sum expertus etiam apertè refrigerantia. Item quæ astringunt pariter atque acida sunt, ea quoque manifestè refrigerare experientia didici. Sola uerò dulcia omnia pro dulcedinis modo, protinus etiam calorem continent. Quocirca eorum quæ admodum dulcia sunt, nullum omnino est frigidum. At amara omnia, calidam possident facultatem.

*Astringens omne exquisitè, esse frigidum.* *Dulcium esse nullũ frigidum.* *Amara omnia calida.*

CAPVT VII.

*Acerbũ corpus exolui tripliciter.* *Acerbitatis in alias qualitates mutatio.* *Saporum differentia in uarijs fructibus.*

Austerus igit sapor, exolutus acerbus est. Quũ autem corpus acerbum, terreum sit atq; frigidũ, tripliciter necessariò exoluitur: nempe aut incalescens, aut humescẽs, aut utrunq; simul perpetiẽs. Si ergo incalescat duntaxat, solidam dulcedinem contraher, qualis castaneis inest. Sin tantùm humescat, si quidem ea crassarum sit partium, & aquea humiditas, austerum euader: sin uerò aëria, acescer. Si pariter humescat & calfiat, humiditate quidem aquea, iu dulcedinem: aërea uerò transibit in pinguitudiuem. Ac sanè secundum propositarum qualitatum misturas, uarias fructus mutationes sortiũtur. Cæterùm acerbus ad extremũ perseuerat fructus ilicis, arbuti, fagi, & corni. Acerbus simul & dulcis, myrti fructus est, piri agrestis, & roboris. Austerus uuà & dulcis palmarum fructus. Pinguis exactè, tũ fructus, tũ succus oleç.

CAPVT VIII.

*Fructuum qui nam sint esui, & qui minimè.* *Amara edi nequeunt.* *Dulcis saporis natura.* *Nutrimentorũ duplex genus.*

Quicunq; ergo fructus oleosi duntaxat sunt, edendo ij sunt, & dulces. Quibus uerò alterascentibus amaror aduenit, ij edi non possunt. Quippe amarum omue edi nequit: taleq́ efficitur a caloris excessu. Verùm dulce omue calidũ est, uec immodicè calorem nostrum exuperat, sed inter limites se contiuet fundentis, læuigantis, mollientis, Quum autem quædam sint quæ una, quædã quæ duabus in sese qualitatibus & agunt & patiunt, quedã uerò etiam totis substantijs suis: iu horum certè numero medicamenta non pauca ponunt, sicuti & nutrimẽta uniuersa: quorũ duplex est genus. Siquidem quædam sunt pinguia, ut ipsa pinguedo: quædam dulcia, magis minúsue, ut omnia illa quibus nutrimur.

CAPVT IX.

*Nutrimentum omne esse dulce.* *Nutritio quid.* *Nutrimenta esse mediocriter calida.* *Iucundum esse duplex genere.*

Est tamen & pingue ipsum, & quicquid nutrit, dulce. Nam quum nutritio euacuati repletio fit: quod euacuatum autem est, familiare & benignum esser: certè etiam id quod nutrit, familiare, iucundum, & amicũ fit est necesse: ac proinde calidum modicè, respectu illius quod nutritur. Sed in hoc uon parua est maioris minorisq́ ratio: quandoquidem nec ad cibos accedimus exactè secuudum naturam affecti. Corpus siquidem eorum qui cibos appetunt, sit duntaxat inanitum oporter, si absoluti futuri sint familiaris ipsorum qualitatis cognitores. Nã si prçter id calidiores quàm conueniat, aut frigidiores euaseriut, non solùm quæ nutriant, uerũ etiam quæ refrigerent aut calfaciãt, postulabũt. Quocirca cibi quoq; illis alias alij iucundiores uidentur. Nam quum duplex sit genere iucundum: alterum quod impleat id quod uacuatum est, cuiusmodi est nutrimentum: alterum quod medeatur ei quod alteratũ est, id quod medicamentum existit: euenit utiq; cibis, ubi uon modò uacuatis exhibentur corporibus, sed etiam qualitate aliqua mutatis, ut duobus nominibus delectent, ut cibi scilicer, & ut medicamẽta. Quãobrem nec eduliorum nec medicamentorum una est animantibus omnibus species: siquidẽ pro sua unaquçq; familiari substantia simul & affectione, tum delectant, tum iuuant ab utrisq;. Sed si hçc sic habent, id quod in cibis minus erit dulce, minus quoq; erit calidum: quod dulcius, tantò uimirum erit calidius, quantò uidelicer dulcius: siu ad immodicum recidat calorẽ, nec eiusmodi dulce erit, sed iam apparebit amarum.

CAPVT X.

*Dulcedo à moderato calore prouenit.*

Etenim ut à moderaro calore bifariã cuiq; corpori dulcedo prouenit: partim enim sunt proprio

&

& insito calore dulcia, partim uerò ascititio: ad eundem modum amara. Alia nanque sunt, quæ sua pte natura excalfaciunt: alijs autẽ id accidit ab acquisititio calore accẽsis. Porrò dulcia omnia proximè accedunt ad naturam eorum quibus apparetit dulcia: idque aut proprio calore, ut mel: aut acquisititio, ut sunt omnia quæ ab igne præparantur. At mustum non suo modo, sed etiam ascititio calore dulce esse uidetur. Siquidem haud parũ ueluti ardoris ex solari calore tum acinis, tũ alijs inest fructibus, à quo id quod illis aqueum ac ueluti semicoctum inest, ad concoctionem ducitur. Nam ex quibuscunque pomis, si succum exprimas, eum protinus non secus atque mustum feruescere deprehendes: tanto tamen feruoris discrimine, quanta erit unius fructus ab alio in calore diuersitas. Cæterùm ubi quod semicoctum erat, transmutatũ iam fuerit, euanuerit que is qui excitabat feruorem calor, iam tum denique synceræ succorũ proprietates cernunt, propriaque uinorũ natura agnoscitur. Iam uerò quæ inueterant uina omnia calidiora redduntur: ac primùm quidem quandam dulcedinem acrimoniamque asciscunt: quæ uerò prius inerat illis astrictio, austeritasque, tempore ipsam deponunt. Dein rursus acrimonia increscente, dulcedinem indies abijciunt, paulatimque amarescunt. Vnde constat, dulce esse calidius austero, sicuti & dulci amarum. Atqui si uerũ est dulcedinem prouenire à moderatione caloris, patet astrictionem à frigido uincente perfici.

*Dulcia proximè accedunt ad naturam eorũ quibus talia uidentur.*
*Mustum.*
*Succum cuiusuis pomi feruescere, ut mustum.*
*Vina uetera calidiora.*
*Dulce est calidius austero.*
*Amarum esse calidius dulci.*
*Astrictio à frigido oritur.*

CAPVT XI.

Vt igitur uinum acerbum, tempore dulcius primùm, mox acrius amariusque, ultimò uerò planè amarum naturaliter redditur: ad eundem modũ quod ueluti rigorem præter naturam perpessum est, protinus acidius efficitur: ac si prorsus refrigeretur, acescit penitus. Præterea quod in uindemia ipsa per assiduam pluuiam, aliena humiditate fuerit imbutum, leui occasione acescit. Contrà uerò accidit ijs quæ talia quum sint, igni admouentur: nam & protinus, & progressu temporis dulciora redduntur: tandemque si perdurauerint, alijs similiter amarescunt. Quum itaque omphax sit acida, uua uerò dulcis, ac fructibus omnibus maturatio à solari calore proueniat, planum est, imperfectius & frigidius esse quod acidũ: perfectius uerò & calidius, quod dulce fuerit. Cæterùm diuersis uiribus acetum atque succus omphacis constant. Nam acetum proprio quidem uini calore, est frigidum: ascititio autem, contractoque ex putredine, calidũ. At omphacis succus calorem non habet, ac proinde nec acrimoniam. Præterea omphacis succo acetum tenuius est. Quamobrem frigiditas quæ ab aceto infligitur, excellit eam quæ procedit à succo omphacis, idque & uehementia, & mistione. Nam tametsi succo omphacis ne minima quidem caliditas insit, aceto autẽ acrimonia quædam excalfaciens: hæc tamen satis non est, ad superandam ab aciditate prouenientem frigiditatem: sed potius ueluti sternens uiam, atque aperiens meatus, illius celeritatem promouet. Caliditas siquidem quæ à præcedente aceti acrimonia orit, protinus à frigore insequẽtis aciditatis extinguitur, ita ut multò maior ex aceto frigiditas percipiat. Ad hæc aũt, si pari mole acetum melli permisceas, aceti frigiditas superabit mellis caliditatem eoque magis, quo fuerit maior aceti copia. Quòd si multò plus mellis quàm aceti indideris, parem calorem atque frigiditatem in ea mistura comperies. Siquidem multis numeris acetum plus ab ijs quæ moderatè sunt calida, ad frigiditatẽ recessit, quàm mel ad caliditatẽ. Porrò omphacis succus, qui & ipse (ut omnes fructus in primo sui ortu) est acerbus, ad ardentia hypochondria longè præstantior est, quàm acetum: quòd nec uiolentam, nec ferientem, nec mordaci calori iunctam frigiditatem sortiatur.

*Vina igni admota, dulciora redd.*
*Maturatio fructibus omnibus prouenit à solari calore.*
*Aceti facultas.*
*Omphacium et acetum in quibus differant.*
*Acetum magis refrigerat quã mel calefaciat.*
*Fructus omnes in primo sui ortu esse acerbos.*

CAPVT XII.

Porrò quòd uina quædã inualida Vere atque æstate acescant: quodque uehemẽtius mota, in meridianisque locis reposita, idem etiã patiant: contrà uerò hyeme atque uersus aquilonem defossa, integra & secundũ suas uires seruent: nonnulli à calore nasci aciditatem existimarunt. Se autem ij falsos esse deprehendent, ubi uiderint non calida & uetera uina, sed quæ principiò sunt frigidiora, sic per calorem acescere.

*Vinorũ quandò acescant.*

CAPVT XIII.

Persimile autem quid uinis accidit, quæ natura frigidiora aquosioraque sunt, quale flãmis exiguis & imbecillis. Quippe si eas ad feruidum solem exponas, prorsus obscurari, aut etiã extingui cõspicies. Quòd si ualido etiã flatu concutias infirmã ac paruã flammã, citius illam extinxeris quàm inauxeris. Natura enim infirma, ualidum nec motum, nec calorem sustinet. Cæterũ multis in locis fortiora uina ex industria commouent & transportant, necnon soli exponunt, & calfaciunt, ac denique ad meridiẽ obuertũt cellas, ut citius sic maturescant, & potui idonea euadant. Nam quod multo tẽpore alijs, hoc ijs quæ sic excalfacta sunt, breuissimo accidit. Quemadmodum igitur exercitia ualida & sol, calida & robusta corpora, etiã ualidiora efficiunt: prosternunt autem, digerunt, & refrigerant quæ non sunt eiusmodi: sic uina natura calida, motus ueluti uentilans, sol excalfaciẽs, flammæque iuxtà ardentes, celerius concoquunt: quæ uerò frigidiora & aquosiora existunt, eorum arguunt omnia id genus imbecillitatẽ, celeriusque perpeti cogũt, quæ alioqui pòst passura essent: quũ nimirũ res quælibet in propria natura seruet calore proprio: corrumpatur aũt ab immoderatione extrinseca, non minus caloris, quàm frigiditatis.

*Flammulas extingui à feruido sole.*
*Infirma natura ualidum neque motũ, neque calorem sustinet.*
*Vina calida à quib. concoquãtur celerius.*
*Calore proprio seruantur singula, corrumpũtur contrario.*

CAPVT XIIII.

In uniuersum aũt aciditas nascit calore quidẽ mutante, non aũt uincente siue alimentum, siue medicamentum: quemadmodum uidere est in acidis ructibus, qui à semicoctis cibis oriuntur. Quòd autem opus sit calore alterante, argumento sunt lac, & ptisanæ succus, quæ tempore æstiuo citius acescunt quàm hyeme. Quum enim sapores acidi sint essentiæ simul tenuis & frigidæ, quẽadmodum constitutio borealis, nasci certè sine calore nõ possunt, sicuti nec ille ipse aër: ac proinde licet frigidi sint omnes sapores acidi, nullũ tamẽ eorũ quæ extremè refrigerando enecant, acidum est. Exploranda porrò acidi saporis natura est in oxalide & oxylapatho, ut in quibus reperiatur maximè syncerus & simplex. Etenim quod propriè in saporibus appellat acidũ, à sola lingua percipi potest, sicuti & acre: cæterùm quod utrique est cõmune, nempe mordacitas, etiam à tactu sen-

*Aciditas unde oriatur.*
*Acidi sapores sunt essentiæ simul tenuis & frigidæ.*
*Acidus sapor syncerus in oxalide et oxylapatho reperitur.*

*Generationes omnium corporũ ex quatuor elementis cõstare.*

ritur. Porrò ex quatuor elementis impari mistura coëuntibus, particulatim omnium corporum cõstant generationes. Ex ea autem imparitate perficiuntur proprietates corporum particularium. Quippe ex elementorum inæquali mistura, plantarum: ex plantis autem, animalium proprietates oriuntur. Ac transeunt sanè quædam protinus in se mutuò: nonnulla mediantibus alijs: ueluti terra in triticum, hordeum, & alia id genus: rursum horum singula in carnem humanam: quum tamen ipsa terra caro ut fiat sit impoßibile, transiliendo eam quæ in medio est mutationem. At eorum quæ in sese mutuò transeunt, quædam celerem, quædam diuturnã alteratione obtinent.

*Similium faciliorem esse transitum in se inuicem.*

Verùm quæ maximè sunt inter se similia, celerẽ: quæ dißimiliora, tardiorem.

*Linguæ facultas.*

*Linguæ cur plures nerui tributi.*

Lingua igitur exactißimo sensu prędita, omnes qualitates dijudicat, necnon familiaria & similia, ab ijs quæ sunt contraria discernit. Cuius usus gratia in hanc solam particulam complures nerui inseruntur: quũ in aliarum singulas inseratur aut unus tantùm, aut alter, nec is magnitudine insignis. Quum igitur quædã naturę nostrę magis sint familiaria, quędã minus: atq; hæc quidẽ tẽperamento huic, illa autẽ illi: necessariò plures qualitates ipsius gustus existunt.

*Dulcedo est communis omnium quæ nutriunt.*

Cæterùm omnium quæ nutriunt cõmunis dulcedo est: quandoquidem quicquid nutrit, necessariò plus aut minus sit dulce oportet. Quę uerò non nutriunt, ea aut non dulcia, aut salsa esse, est dicendum.

*Familiare cuiq; esse unicũ. aliena autẽ, plura.*

At uerò id quod cuiq; rerum familiare est, unum est: nam & natura eius est una: quę autem aliena, complura, partim plus, partim minus à substantia eius dißidentia. Porrò quæ dulcia simul & acerba sunt, ea crassioris essentię sunt, & temperaturæ frigidæ. Quæ acida simul & dulcia, tenuiora sunt quàm acerba, refrigerãt tamen & ipsa.

*Acria amaris calidiora.*

At amara, calida sunt: sed acria his calidiora. Nutriunt ergo hęc omnia, si iunctam habeant dulcedinem. Per se autem nullum dictorum nutrit, quorum saporum mistiones minimè quidem fiunt subitò: sed in alteratione consistunt. Nam ijs quę à natura mutantur, sensim fiunt alterationes. Sicuti igitur quod est summè dulce, aptum esui est: quod uerò exquisitè amarũ, ineptum esui: ita quæ in medio sunt eorum, nutriunt quidem, uerùm minus quàm dulce. Eadẽ ratio est in cæteris qualitatibus: siquidem præter dulcem, nulla nutrire potest.

*Elementa nec nutriũt, nec ullam gustui qualitatem offerũt.*

At elementa multò sanè etiam minus nutriunt, nullamq; gustui qualitatem offerunt.

## CAPVT XV.

Sed quemadmodum edulia quæ nutriendorũ naturæ quamsimillima sunt, ea & dulcedinẽ præ se ferunt, nec ullam præparationem requirunt: sic quæ temperaturam nacta sunt remotiorem, alia condimentis, alia coctione, alia utroq; indigent.

*Condimentorũ usus.*

Etenim condimenta, quum ex se edendo nõ sint, suauitatem tamen ijs quæ per ipsa præparantur, conciliant, quòd illa reducant ad medium. Apparet etiam natura calidi, quibus admota fuerit, ea celeriter alterare, atq; in aliam mutare speciẽ. Quędam tamen suauiora, quædam insuauiora igni applicata redduntur: sicuti & quædam longo tempore, quædam minimo ut coquant, indigent. Etenim quæ nutriendorum corporum temperaturis similia sunt, ea uel citra coctionem, aut præparationem, iam dulcia apparent. Quæ uerò dissimilia existũt, omnia insuauia sunt, antequàm præparentur.

*Alimẽta intemperata quomodo corrigenda.*

Atq; ea quidẽ quæ nimis calida sunt, frigido corrigi debent: quæ uerò impensè frigida, calidorum mistura obsoniorum, & igni. Ad eundẽ modum humiditate, quæ terrea sunt & sicca: siccitate, quæ humidiora sunt quàm expediat. Maximam eorum quæ dicta sunt, faciet fidem, quæ in ore fit transmutatio. Nam qui plusculũ sustinuerunt ieiuniũ, ijs saliua salsa redditur: qui uerò plurimũ, amara. Sic etiã uniuersum corpus biliosum redditur.

*Humorum qui in corpore sunt sapores.*

Est autem ipsa flaua bilis amara: atra autem, acida: sanguis qui secundum naturã est, dulcissimus. At pituita linguam contingens, nunc dulcis, nunc acida, nunc salsa uidetur.

## CAPVT XVI.

*Mel quibus in bilem uertatur.*

Nihil igitur mirum, nec cur rerum omniũ dulcißimũ mel, succum generet amarißimũ: nec cur id maximè ætate florentibus & calidis natura, & febrientibus accidat.

*Mel plusculum igni admotum, amarescat.*

Nam ut foris quum plusculum igni admouetur amarũ efficitur, ad eundem modum in animantium corporibus, ubi syncerũ ualidumq; nactum calorem fuerit, biliosum succum procreat. At in temperaturis & affectib. frigidioribus, facilè in moderatum sanguinem uertitur.

*Mel temporis spacio amarescit.*

Nec uerò ab alieno tantũ calore, sed à suo etiam proprio, mel amarũ temporis spacio redditũ.

*Lac nunquam amarum effici.*

Porrò lac, etiamsi gustu sit dulce, ex se tamen nunquam amarũ efficitur. Vincitur enim in eo caliditas à frigiditate, ac proinde acescit repositũ.

*Lac ex tribus substantijs constat.*

Constat autem ex tribus substãtijs, qualitate diuersis: prima quidem crassa, ex qua caseus conficitur: secunda pingui, ex qua butyrum: tertia aquea, quã nominamus serum. Ex quibus pinguis quidem, maximè temperata est: crassa uerò, paululũ ab ea declinat: excrementum autem illud serosum, frigidum est & humidum. Si igitur gustari lac posset, ubi in uentre & per uenas concoctum est, ipso melle dulcius inueniretur. Nam quod foris & ex sese mel obtinet, id dum coquitur lac accipit.

*Lac incidens in ventriculi ingẽtem calorẽ, tantam dulcedinẽ contrahit, quãtã amittit mel.*

Et quum admodum ingens calor in animante extiterit, tantam acquirit lac dulcedinem, quantam deperdit mel. Rectaq; id ratione euenit. Etenim quod summè dulce est, ac proinde nihil apponi ad eius dulcedinem potest, id ut in cõsequentem uerti pergat qualitatem est necesse. At cui quid deest, id per concoctionem acquirit.

*Lac quomodo in alienas qualitates mutetur.*

Verum lac ubi cruditatem in uentre perpetitur, in frigidiori quidẽ acescit, in calidiore nidorosum amarũq; efficit: nunquã autem inter coquendum mel aciditatem contrahit. Porrò utraq;, tum quod acidũ est, tum quod amarum, linguam mordicant. Cæterùm mordacitas ipsa, à tactu propriè, non à gustu sentitur:

*Mordicatio acido, amaro, & acri sapori est cõmunis.*

tribusq; istis saporibus, acido, amaro, & acri, est mordicatio communis: uerùm acido quidem, ut frigido simul atq; subtili: amaro uerò & acri, ut calidis.

## CAPVT XVII.

*Acer sapor est calidus.*

Quòd sapor acer sit calidus, non est cur in demonstrando sim anxius: quãdoquidem id nemo addubitat: & euidentia sensus, demonstrationis fidem præuertit.

*Acria obsulenta necessariò habent admistam dulcedinem.*

Porrò quę ex acribus idonea sunt esui, dulcem quandam, etsi obscuram, necessariò habent qualitatẽ admistam. Proinde multis ipsorũ pro obsonio utimur: multis uerò ut condimentis tantùm: at ut cibo, ipsorũ omnino nullo, idq; ob uirium uehementiã. Eorum autem quæ non eduntur,

*Acrium medicaminum differentia.*

eduntur, alia mortifera sunt, alia simpliciter medicamenta: omnia *tamen cuti nostræ imposita, celeriter ulcus moliuntur. Sunt & quæ ne gustare quidem audeas, cuiusmodi sunt cantharides, thapsia, & ea quæ erosione aut putrefactione interimunt. Multa uerò etiā ipso statim odore pugnantiam cum homine indicāt: ueluti & hæc ipsa quæ nunc diximus, & ex summè refrigerantibus, cicutæ, papaueris, mandragoræ, lycopersij, & hyoscyami succus. Terminus autem siue finis saporis amari, est abstergere: acris uerò, urere: at dulcis, nutrire: ubi in sua quisq; natura absolutus fuerit, hoc est, minimè alienis qualitatibus offuscatus. Porrò quud in ulceribus nati sunt præstare amari sapores, id ipsum assumpti in corpus efficiunt. Abstergunt quippe & expurgant, quæq; in uenis est crassitiem incidunt. Quamobrem menses mouent, educendoq; ex pectore & pulmone puri auxiliantur: comitialiq; etiam competunt morbo, si modò naturam deleteriā non habeant. Iis tamen qui sanguinem expuunt, sunt noxij. Aristolochia autem, iris, & panax, adeò amara sunt, ut proximè ad saporem acrem pertingant: ob idq; nec abstergant tantùm, sed etiam exedant & mordicent. Staphis agria etiā, nihil ab istis amaritudine uincitur, estq; iam adeò & acris & calida, ut non modò sordem ulceribus auferat, sed ipsam etiam carnem colliquet.

*Saporum singulorū qualis sit finis aut terminus.*

*Amari saporis facultas.*

*Amara quibus morbis conueniant.*

*Staphis agria colliquat carnem.*

CAPVT. XVIII.

*Acrium saporū facultas.*

Igitur sapores acres, primùm exactè esse calidos dicimus: dein exedētes, urentes, crustam molientes, & colliquantes, si uel ipsi cuti imponantur. Nam intra corpus assumpti, si quidem tota substantia animanti aduersentur, ipsum putrefacientes corrumpunt: sin uerò caloris immoderatione duntaxat, si crassæ sint essentiæ atq; terreæ, interna exulcerant: sin tenuis, urinam atq; sudores promouēt, in summaq; incidendi & digerēdi in halitū obtinent facultatē. Ex quo genere quidam tum expuitionibus ex thorace, tum mensiū motibus auxiliantur. Nec uerò sola uehementi caliditate ab amaris acres sapores differūt: sed quòd amari omnes non modò calidam habeant facultatem, sed etiam siccam & fuligini assimilem: nimirum à dulcibus excalfactis & exiccatis suā suscipientes generationē: acres autem, quicunq; amari non sunt, admistam nullam humiditatē sortiantur: quo fit, ut eiusmodi corporum à nobis non pauca esitentur. Cæterùm astringentibus medicamentis non parum tenuiora sunt medicamenta amara: acribus uerò, crassiora. Quare nec facilè crassos uiscidosq; humores pertranseūt, ueluti ea quę tenuiori essentia sunt prædita: nec ad incidendum inepta sunt, perinde ut crassiora. In medio siquidem sint utriusq; excessus oportet, quę incisura sunt. At uerò ferro lapidiq; ignito, ea quæ per erosionem interimūt medicamenta similia sunt: quæ à corporis nimirū calore huc perducuntur: ueluti chalcitis, misy, sori, arsenicū, hydragyros, lithargyros, & alia innumera. Crassarum enim sunt partium id genus omnia, & potestate calida: proindeq; temporis spacio accensa, per eam quæ ab animante proficiscitur mutationē, non aliter quàm lapis ferrumq; ignitum, uentrem tum exulcerant, tum exurunt: quū scilicet in corpus distribui prę grauitate nō possint. His tamen tenuiora sunt, calx, cantharis, lepus marinus: necnō aristolochia, & iris: quę quidem hæc ultima duo, & magis sunt illis acria, minimeq; deleteria existunt. Cantharis autem modicè sumpta, quibusq; oportet admista, non modò nihil offendit uesicam, sed renes etiam expurgat.

*Acres sapores quomodo ab amaris differāt.*

*Incidentia qualia esse debeāt.*

*Erodentia medicamenta ferro esse ignito similia.*

*Erodentiū species varia.*

*Cantharis commodè exhibita, expurgat renes.*

CAPVT XIX.

Quòd itaq; amarus sapor siccis temperie corporibus insit, hinc colligere est, quòd & minimè omnium amara putrescant, minimeq; tum uermes, tum animalcula illa, quæ in radicibus, herbisq; & fructibus putrescētibus oriri solent, producant. Maximè nanq; uidemus in humidis nasci corporibus uermes ac putrilaginē. Quamobrem quæ exactè amara sunt, animantibus propemodum uniuersis sunt esui inepta: quum nimirū animal omne sit humidum. Porrò absinthium non solùm amarū est, sed astringit: marina uerò aqua, salsa potius est, quàm amara. At aqua quæ est in lacu Syriæ Palæstinæ, quem alij uocant mare mortuum, alij stagnum bituminosum, alij deniq; Sodomenum, gustantibus non salsa modò, sed amara uidetur: estq; adeò grauis & corpulenta, respectu aliarum, ut ne si coneris quidem insiliens, in profundum deferri possis. Inest enim ei salis substantia admodum grauis & terrea: ac proinde tantò est aqua quæ in eo lacu est, marina grauior, quantò marina fluuiali. Poteris autē ipse aquam marinam efficere, colliquato sale in aqua fluuiali: cognoscereq; simul quantò grauior reddatur aqua eiusmodi, quàm sit dulcis. Quin & modum iam inuenerunt moderatā ad saliendū conficiendi salsuginē, si in ea ouum natare uideatur. Quòd si decoquere salsuginem ipsam uelis, protinus amarior reddetur. Nam quicquid salsum pluscululum excalfeceris, amarum euadet. Ergo in eo Syriæ lacu, quòd nimirum aqua quæ in eo est amaricet, nullum neq; animal, neq; planta inesse conspicitur. Imò quum duo in eum longè maximi fluuij confluant, pisciumq; copia scatentes, prçcipuè qui prope Ierichontem fluit, quem Iordanem appellant, nullus omnino piscium fluuiorum ostia excedit: & si captos quis in lacum inijciat, celeriter eos mori conspicit: adeò est omnibus tum hominibus, tum plantis aduersum, quod amarum existit. Omni autem sali obscura quædam astringendi uis inest, qua eas quæ condiuntur carnes constringit ac densat, potissimum ubi durus, & minimè fragilis fuerit. Talis est exactissimus quidem fossilis ferè omnis: minus autem illo, marinus: tum qui multis in locis aquis leuiter salsis arescentibus prouenit, tertium locum obtinet, abstergere magis quàm astringere contrahereq; potens. proximas his uires Sodomiticus habet, æquè atq; marinus durus.

*Amara minimè omnium putrescere.*

*Amara cur animalibus uniuersis sint esui inepta.*

*Animal omne esse humidum.*

*Maris mortui aqua cuiusmodi sit.*

*Salsuginē eam esse ad saliendum optimam, cui ouum innatare videatur.*

*Salsa amarescere amplius, excalfacta.*

*Mare mortuū, cur nec plantā nec animal ullam alat.*

*Amara esse hominibus atque plantis aduersa.*

*Salis vires & differentia.*

CAPVT XX.

Propinquus est sapor salsus amaro, quum terreni sint ambo, & calidi: nō obscura tamen diuersitate dissident: quòd uidelicet amarus à calore ardo magis sit extenuatus, & elaboratus. Sic in genere salis, qui durior, densior, atq; terrestrior est, qualis ferè est uniuersus fossilis, minus existit calidus, subtiliumq; minus partiū: qui uerò rumpi facilis, laxiusq;, tenuior simul atq; calidior est: in quo genere & subamarus cōsistit, mediam naturā inter salem durum & aphronitrū obtinens. At uerò

*Salsi & amari saporis discrimē*

*Salis genera.*

spuma nitri omnium est iam dictorū tenuissima: ueluti & Asię petrę flos, qui aphronitro tamen minus est calidus: quare hic excrescentias carniū minori cruciatu colliquat. Mordicat uerò eas nitri flos siue spuma: mordicat etiam tum aphronitrū, tum nitrū. Cæterùm quæ sont crassa essentia, plus rodunt, ubi quendam fuerint calorem nacta.

CAPVT XXI.

*Odores plerique similiter saporibus nos afficiūt.*

Plerique odores similiter saporibus nos afficiūt. Siquidem acida omnia, & præcipuè acetū, similiter odoratum gustumque mouet. Tum acria quoque, ueluti allia, cæpę, & ipsa nō minus quàm gustum, odoratum offendunt, mordicantque. Itaque nonnullorum corporum, etiam non gustantes, qualitatē cognoscimus, ueluti fimi: proinde ne gustare quidem aggredimur, quòd maxima fides odoratui habeatur. Quinetiā si qua boni odoris edulia putrilagine corrupta, odore nos suo offendāt, ne gustare quidē illa dignamur: fereque in omnibus mutuò consentiunt odoratus & gustus. Attamen in odore suauissimis, ueluti rosa, plurimū sanè dissident. Tantū enim abest ut gustantibus suauia sint, ut amaritudinē nō uulgarem exhibeant. Tametsi quod amarum est, nunquam sit odoratum. Siquidem generatio amari saporis ex dulcibus proficiscitur à calore extenuatis: ac proinde amara calidiora simul & tenuiora sunt dulcibus. Porrò sensus odoris in cerebri collocatur uentriculis anterioribus: odorabiliumque uaporosa est substantia. Ea quippe quæ à corporibus defluunt, aëri ambienti permista, in cerebrumque per narium inspirationē delata, sensum mouent. Rectè ergo ratione odorata omnia, eadem & calida sunt quadantenus, quum uaporum copia à calore excitetur. At non quicquid odoratum est, suaue continuò erit: siquidem non omne id spiritui contento in uentriculis cerebri, familiare existit. Iam uerò in beneolentia & graueolentia odorabilium plerique reducimus, appellantes beneolentia quidem proportione quadam ad ea quæ linguæ sunt dulcia: graueolentia autem, ad ea quæ omnino insuauia. Cæterùm ab iis quæ exactè tum salsa, tum acerba sunt, aut nihil, aut omnino parum uaporis defluit.

*Amara odorata non esse.*

*Odoris sensum in cerebri uentriculis anterioribus collocari.*

*Odorabilium esse uaporosam substantiam.*

*Odoratum omne non esse suaue.*

CAPVT XXII.

*Odor nō perinde ut sapor sensibilium temperaturas indicat.*

Itaque haud solida res est, ex odore de sensibiliū temperatura cōiicere, perinde ut gustu: nimirum ob substantiarum inæqualitatem & differentiam. Etenim quæ odore carent, crassam quidem essentiam obtinent: cæterùm quæ sit eorum in calore & frigore constitutio, id nondum constat. At quę odorata sunt, tenuia utique sunt quadantenus calidaque. Porrò quū in rosæ succo (præter ipsius rosæ corpus durum terreumque) tria excrementa inueniantur: unum crassum, quale est in uinis fæx: alterum aerium, quod uini flori respondet: tertium aqueum, quod in omnibus bullitionem corruptionemque molitur: certè gustus id genus omnia dijudicat. Siquidem rosam gustantibus aliud quidem acerbum est: id quod terreum ut sit, & crassum & frigidum, est necesse: aliud uerò amarum, quod tenue est & calidum: tertium denique aqueū, necessariò quidem frigidū, sed in tenuitatis crassitudinisque oppositione, quodammodo extremorum, quorum uires exoluit, medium. Hæc itaque omnia de succo rosę per gustum ipsum discernas: at per odorem, haud æquè: quum nō perinde omnes eius partes euaporēt, nec perinde sensum moueant. Multò minus ex coloribus de uiribus medicamentorum licet ratiocinari: quum in coloribus singulis, calida, frigida, humida & sicca reperias. In particularibus autem seminum, radicum, aut succorum generibus, aliquam ex coloribus licet sumere indicationē. Vt si dicas, cępam, scillam, uinum, quantò fuerint albidiora, tantò & minus calida: quæ uerò subflaua fuluaque, calidiora. Idem usu uenit tritico, milio, ochris, phaselis, ciceri, ireos radici, asphodeloque, & aliis compluribus. In quoque enim genere in uniuersum fulua, flaua, rubraque omnia, albis sunt calidiora. Itaque etsi hinc quoque coniectura fieri queat, optimum tamen fuerit per experientiam discretam facultates inuenire medicamentorum. Siquidem in hac falli nō possis: licet prius quàm experientia uirtutem agnoscas, gustus plerumque indicet, pauculum etiam approbante ipso odore.

*Rosæ inesse excrementa tria.*

*Rosa partium examen.*

*Colores ad medicamentorum uires dignoscēdas parū conferūt.*

*Calidiora sunt albis fulua, flaua, rubraque.*

## GALENI PERG. DE SIMP. medicamentorū facultatibus lib. V.

*Qualitates primæ quæ sint.*

SVnt ergo (quatenus dictū est) qualitates primæ, caliditas, frigiditas, humiditas, atque siccitas. Quæ uerò ab illis denominantur corpora, ea sunt tum cōmunia omnium elementa: tum ea quæ per harum excellentiam, calida, aut frigida, aut sicca, aut humida nuncupantur: tum ea quæ ad cōueniens siue symmetrum generis eiusdem, aut speciei conferuntur: quæque ad quiduis obuium. Diximus præterea nutrimentum uinci ab eo quod nutritur: medicamentū autem uincere ac superare alterareque corpus cuius fuerit medicamentum: idque aut una qualitate, aut coniugatis duabus, aut uniuersa substantia, ut complura letalium medicamentorum, nec pauca etiam amuletorum: cum purgantia omnia, & pleraque eorum quæ attrahentia uocantur. Quæ uerò uno duabusue qualitatibus in uniuersum nostrū corpus agunt, ea hoc in libro exponemus, hinc sumpta hypothesi, quòd simplicium medicamentorum pleraque dissimilarium sunt partium, reliqua uerò composita, tametsi appellentur simplicia, quòd cuiusmodi sint, talia natura sint, nec quicquam ex nostra industria assumpserint.

*Nutrimentum uinci ab eo quod nutritur.*

*Medicamentū uincit alteratque corpus cuius medicamentū est.*

*Simplicium medicamentorum pleraque dissimilariū sunt partium.*

CAPVT I.

*Medicamentis quorsum utantur homines.*

Medicamentis frequenter utuntur homines, tum ob alterationē quā qualitatibus primis moliuntur, dum uidelicet calfaciunt, refrigerant, humectant, & siccant: tum ob eam quæ à secondis proficiscitur qualitatibus: quarum nimirum ratione, alia emollientia dicuntur, alia tendentia, alia laxantia, atque alia denique aliter nominantur. Siquidem quum particulatim unumquodque medicamentorum non pari modo ex illis primis qualitatibus suam temperaturam acceperit, inde fit, ut hoc quidem ex iis uim laxandi, tendendi illud, aliud aliam facultatem sortiatur. De quibus sanè siue secundis, siue tertiis facultatibus, agere in hoc quinto cōmentario est animus. Porrò ad simplices intemperies facilesque affectus pellendos, sæpe natura duce plerique idiotarum ipsa remedia inueniunt. At phlegmones, scirrhi, œdematis, erysipelatisque, nullus ex illis sibi remedium ducit peruestigandum:

*Medicamentorum tāta in agendo diuersitas unde oriatur.*

tanquam unumquodq; eorū maius iam sit, quàm pro captu hominis plebei, ac scientiā requirat uenerabiliorem, quam Medicinam appellant, sicuti & illius professorem, Medicū. Atq; hucusq; & ipsi procedunt, ut sciant ulcus cauū impleri carne, sordidum purgari debere, æquabile cicatrice induci: non tamen norunt, quid carne impleat, quid purget, quid cicatrice inducat: sed ea inuenire, unius opus est Medici. Cæterùm quū ferè numerari nequeant omnes particulatim uires medicamentorum, si secundum singula quę ab eis perficiuntur, dum huic aut illi morbo auxiliātur, imponamus ipsis deflexa nomina: multò sanè præclarius uidetur, missa omni prolixitate, cōmodis speciebus cōpositas definire ipsorū facultates compendiosissimè, sub quibus cæteræ omnes quæ dici possunt, cōprehenduntur. Vt si dixerimus, non puris mouendi, aut doloris sedandi in triticeæ farinæ cataplasmate (exempli gratia) facultatē inesse, sed modicè tum humidam, tum calidam.

*Vlcerarum cognitio quousq; progrediatur.*

*Medicamentorum vires particulares numerari non posse.*

CAPVT II.

Quæ in cōmentario hoc discutienda ueniunt, iis quæ in aliis exposita sunt, magis ad medendi cationem pertinent. Igitur ab emollientibus & pus mouentibus orsi, dicamus utraque calida & humida existere: cæterùm hæc quidem, ceu simillimum corpori in pus mouendo calorem producere, absque ulla existentis in eo humiditatis aut consumptione, aut adiectione: illa uerò, ceu maiorem quàm pro natura accendentia, nōnihilq; humiditatis contrahentia. Est autē suppuratio idem quod in pus motio.

*Pus mouentia ab emollientib. quomodo differant.*

*Suppuratio quid.*

CAPVT III.

Sed nec de emollientibus medicamentis, nec de ipsa emollitione, simpliciter loqui licet: quandoquidē nec de corpore duro, uel molli. Siquidē partim absolutè durū dicitur, ut terra: partim per excessum, ut unguis: partim ad symmetrum sui generis uel speciei, ut elephas nimirum ad Herculem: partim ad quiduis obuium, ut Diogenes ad Aristotelem: ac de molli pari iudicio. Omissis tamen significatis cæteris, de mollibus durisq;, ut ad cutem hominis temperatissimi, contemplemur: quàm sanè regulam & mensuram statuimus, omnium quę ita dicuntur. In idem autem recidit, si quod per excessum ad totam substantiā dicitur, sic durum molleq; appellites: quandoquidem medium quoddam est tactus noster, ut & Aristoteli uisum est, & Plato quoq; sensisse uidetur, ubi ait: Dura quidē, quibus caro nostra cedit: mollia uerò, quæ cedunt carni. Quod uerò in comparatione ad quiduis obuiū durum ac molle est, id in eo quod magis minusq; cedat, iudicari uidetur. Porrò corporum præter naturam induratorū ad statum naturalem ceditus, emollitio est.

*Cutem hominis temperatissimi esse regulam secundum quam omnia dijudicantur.*

*Tactus hominis tēperati medius est omniū tangibilium.*

*Durum quid.*

*Molle quid.*

*Mollitio quid.*

CAPVT IIII.

Verùm quū uariè quidq; efficiatur durius, nempe aut siccescens, aut concrescens, aut nimia repletione, sic ut uehementer tendatur, aut deniq; aliqua coniugatione: sequitur ut & propria suaq; cuiq; emolliendi sit ratio. Cæterùm quod in se cedit, molle est, si quidem corpus id simplex fuerit. Nam quod ex pluribus constat, ac sese inuicem contingentibus, ut tritici aceruus: aut inuicem implicatis, ut lana, simul & cedere potest, nec tamen esse molle. Contrà, in iis quæ summè plena sunt, ut utres, neutrum latus in se cedit: nec tamen quod continetur est durū, sicuti neq; id quod continet, quàm antea durius, etsi sit tensius effectum. Ac talia sanè non dura, sed renitentia appellamus. Vt aūt non est una induratorum natura, ita neq; una medela. Nam quod à siccitate induratū est, humectari postulat: quod à cōgelatione, excalfieri: quod à repletione, euacuari: quod à siccitate simul cōcretioneq;, humectari simul & incalescere, per ea scilicet quę tantò sunt calidiora & humidiora, quātò ipsa intēperies fuerit frigidior & siccior: quod à congelatione simul & repletione, pariter & calfieri & uacuari. Siccantur porrò corpora citra congelationem, tum in ualidis exercitiis, tum in sole feruenti, tum in ingenti inedia, tum in ardenti febri, & medicamentis quę ita siccant, ut nō refrigerent. Congelantur à uehementi duntaxat frigore: sicuti & implentur à largi tantū humoris affluxu. At siccantur simul & congelantur, coëuntibus quę simul cōuenire possunt causis: ut si quis supra modum laboret in frigore. Sic quoq; replentur simul & cōgelantur ab influxu frigido ac pactis refrigeratione. Frigoris rursus causa triplex est: una, à foris incidentibus: altera est propria particulæ patientis tēperies: tertia ab influente in ipsam humore prouenit. At emollientia pharmaca peculiariter congruunt iis, quæ cōcretione induruerunt, magisq; si in eis collectus sit humor præter naturā, ueluti in scirrhosis. Nam si à siccitate indurerint, humectanda, non emollienda sunt. Similiter quæ sunt impleta, nō molliri, sed euacuari postulant: idq; aut refrigerātibus, aut calfacientibus, aut resiccantibus. Vacuant siquidem frigida repellendo, simulq; cum calore exprimendo uaporis plurimū: excalfacientia autem, humorē contentum discutiendo in uaporē: quæ uerò propriè sicca appellantur, in halitus digerendo: idq; aut ebibendo humores, aut totam alterando particulam. Porrò oleum & aqua calida humectāt simul & calfaciunt, idq; multò magis, in unū coëuntia, quàm si singula per se adhibeantur. Idem efficit eduliorū qualitas, si similiter habeat. Quę quidē ob id fami caninæ auxiliatur, quòd affectus is sit frigiditas siccitati coniuncta. Cæterū cataplasma ex farina triticea in temperatis naturis pus mouens, nec naturalem partium humiditatem minuit, nec quicquā illam adauget: sicuti nec calorem intendere potest, nec hebetare, sed tantùm illius substantiam augere. Id igitur genus medicamenta humida & calida dicimus, ceu similem habentia nobis temperiem, quæ calida existit & humida.

*Durius quibus modis reddatur aliquid.*

*Molliendi ratio nes plures.*

*Cedētia omnia non esse mollia.*

*Renitētia quæ.*

*Induratorū varia medendi rationes.*

*Frigoris causa triplex.*

*Emollitētia quibus cōueniant.*

*Vacuationum modi diversi.*

*Fames canina qualis sit affectus.*

*Cataplasmatis è triticea farina vires.*

CAPVT V.

Medicamenta igitur quæ pus mouent, substantiam similarium particularū secundum naturam se habentium, tueri potius quàm alterare sunt nata, quū nimirum eis similem temperaturam obtineant: humiditatē autem ipsam quæ in uacuitate restat, atque adeo etiā contusam carnem immutant. Etenim quum tres in animalium corpore fiant alterationes, una planè secundum naturam est, qua cibi in cremorem nutritioni aptum uertuntur: altera contraria huic, præter naturā, qua computrescūt omnia: tertia ex utraq; mista, & media est, partim quidē cum prima illa cōmunicans, partim aūt cū hac secunda, quā præter naturā dicimus. Siquidem alterationi secundū naturā, duo hæc insunt,

*Pus mouentia, tueri, nō immutare substantiā partis sunt nata.*

*Alteratio in animalibus triplex.*

*Alterationi naturali, præter naturā, & media, quæ insint.*

* ut & ex familiari materia animantis naturæ alteratio fiat, & materia ipsa à calore ingenito superetur. Ei uerò quæ præter naturam est, & ab aliena caliditate mutatio accidit, & ad nihil utile. At media earũ, quæ comitatur suppurationes, ab ingenito quidem calore fit, sed non planè uincente. Præterea nec ex materia prorsus benigna peragitur, nec etiam omnino aliena. Itaq; quemadmodũ naturales alterationes, quę ab innato calore proueniunt, à simili iuuantur extrinsecus (nam quid æquè concoctioni uentris conferre nouimus, q̃ illi humanum corpus admotũ: unde nonnulli tum puellus tum catellos, per quietẽ uentri imponũt) pari modo & quæ in mouendo pure conspicitur.

*Concoctio quæ fit ab innato calore, ab externo calido iuuatur.*

Cæterùm tale esse debet quod mouendo puri adhibetur medicamentum, qualis est in naturis temperatis calor natiuus. Quare si iusto calidior natura fuerit, in eo corpore, medicamen quod pus mouebit, tantò oportet sit tẽperato calidius, quantò & natura eius temperatam in caliditate exuperat. Quare cuiusq; singulatim hominis suũ proprium est mouendo puri medicamentum. Explorandæ autẽ sunt uniuersæ facultates medicamentorum iuxta hominem optimè temperatum: quo quidem proposito canone, quæ mouendo sunt puri, calida & humida dicimus, quòd illius calidę & humidæ temperatæ sint cõsimilia: sicuti calidiora multò, quæ indurata emolliunt.

*Pus mouentia qualia esse debeant.*

*Pus mouens medicamen, qualem habet calorem cum corpore, in quo pus mouetur.*

*Pus mouentia esse calida & humida.*

CAPVT VI.

*Scirrhus quomodo fiat.*

Initium autem sumit induratorum affectio ex fluxione uiscida & crassa, paruis particulæ poris impacta. Digesto uerò per halitũ q̃d in ea fluxione est tenue & subtile, ac deinde quod reliquũ est refrigerato, ac ueluti cõcreto, uocata sequitur scirrhosis. In qua quidem quoniã cum frigiditate humor redundat superfluus, idcirco etiam compositam eius esse oportet medelam: ob refrigerationẽ scilicet excalfacientia poscẽte affectu, ob superuacaneam autem humiditatem, uacuantia. Quia uerò quę immodicè tum calfaciunt, tum siccant, fluxionem ipsam magis impactam reddunt, manifestum est sola ea quæ non admodum calfaciunt, quæq; non magnopere exiccant (uocant enim talia emollientia) eiusmodi affectus posse sanare.

*Scirrhũ tollentia qualia sint.*

CAPVT VII.

Quapropter calida sunt id genus medicamenta, nec admodũ sicca, à pus mouentibus eò dissidentia, quòd calidiora sint & slicciora. Illa enim cognatã ac simillimam corporibus nostris caliditatem possident: emollientia uerò, licet ualidiorem habeãt, non tantã tamen, ut attractionis uiolentia deficcent reliquum. Præterea quæ pus mouent, humorẽ qui præfuit in partibus induratis conseruant. emollientia aũt, paulùm quidem eius absumũt. In summa, illa quidẽ quantitate potius q̃ qualitate caloris agunt: quæ uerò indurata molliunt, qualitate potius q̃ quantitate. Itaq; si in parte quæ suppuratione indiget, assiduè impositas liceret seruare manus, celerrimè suppuratio perficeretur. Porrò inter emollientia cõnumeratur bdellium, styrax, galbanum, ammoniacũ thymiama, medulla tum ceruina, tum uitulina, adeps caprinus, taurinus, & quæ eiusdem sunt generis.

*Emollientia & pus mouentia quomodo differant.*

*Pus mouentia humorẽ qui præfuit in partibus induratis conseruant.*

*Manibus assiduè appositis perfici suppurationem celerrimè.*

*Emollientia.*

CAPVT VIII.

*Pus mouentia debere esse emplastica.*

Quinetiam quòd emplasticũ esse debeat id genus medicamentũ, ut exactè puris generatiuum sit, liquidò constat. Nam si substantiam innati caloris augere, non intendere qualitatẽ ipsum conueniat, poros corporis obstrui est necesse, quò uidelicet halituosos trãspiratus includant. Siquidẽ ea cataplasmata quę aut detergentia, aut ualidius excalfacientia halitus diffiari permittunt, exiccãt quidem, sed pus nõ mouent. Talis est hordeacea, cicerum, fœnigræci, fabaceaq; farina: amplius etiã ẽruina, eruina, panici, lupinorum, milij, omniumq; similiter exiccantiũ. Per detergẽtia quippe, quòd meatus reserent, particulæ calor euolat: ab immodicè aũt calfacientibus, etiã natiui caloris substantia minuitur, sed qualitas ipsa intenditur: quũ tamen halituosus quidam exuberansq; spiritus desideretur, caliditate tamen cõmoderatus. Qui quidem quũ in pueris copiosissimus sit (quod nimirum intellexit Hippocrates, crescentia dicens plurimum habere calidi innati) eorũ omnes actiones naturales adauget. Verũ nihil prohibet, sanguineam substantiã, simulq; aëream, unà cum spiritu, calidũ inaudire innatũ. Qui spiritus in omnibus animantis cõtentus partibus, licet nõ undequaq; sui similis, si nõ sit essentia animæ (ut Stoici quidẽ existimant) at certè primũ eius est instrumentum. Continetur aũt in spacijs inanibus quædam ueluti spiritus ipsius materia, etiamnũ mutationem exposcens leuiculã, ut spiritus innatus euadat, nihilo secius tamẽ cõducens admodũ ad naturalia opera: ex quibus unũ est quę in pus fit conuersio, quũ in ipsa quædam etiã perficiatur concoctio. Quũ igitur aliquid concoquere nobis consilium est, quamplurimũ spiritum intus seruare oportet, non aũt discutere: quod faciũt illa quę nuper commemorauimus. Porrò omniũ ad puris generationem aptissimũ est, ex ijs quidem quæ irrigantur, aqua temperata, aut hydrelæũ: ex ijs uerò quę perfunduntur, oleum temperatũ. At ex ijs quæ ex hydrelæo illinuntur, farina triticea, & panis ipse, qui uidelicet modicè est coctus. Nam qui plurimũ coctus est, quodãmodo siccior est, aptusq; phlegmonis, quę ægrius concoctionẽ admittunt: qui uerò minus, ijs quę feruentes sunt. Et sanè quod ex pane conficit cataplasma, difficulter coctioni cedentibus plegmonis idoneũ est. Siquidem pani, tum sal, tum fermentũ miscetur. Quod uerò ex triticea farina præparatũ est, calidioribus utilius est. Et ipsius etiam triticeæ farinæ quæ pura est, tum panis quoq; qui purus est, puri mouendo cõgruentior existit: quũ furfur & minus sit calidum, & magis desiccet. Farina autem pura, humida est & calida: qualia certè ad pus mouendum conferunt. Itaq; medicamenta quæ phlegmone tentatis imponuntur partibus, si calida sint & humida, ad pus mouendum cõducunt, uti adeps suillus & uitulinus. Nam taurinus caprinusq; illis acrior existit: quãobrem phlegmonis tum frigidioribus, tum durioribus, magis cõgruit. Est & adeps gallinaceorum phlegmonis coquendis familiarissimus, magisq; etiam anserum: quodammodo tamen ad digerendum potentior. At agrestium omnium animaliũ adeps multò acrior & siccior est, quàm domesticorũ, maximeq; pardalis, atq; leonis. Quare horum nullus mouendo puri est idoneus. Porrò pus mouent & pix. & resina: ad feruentes quidem phlegmonas, ex rosaceo: ad frigidiores uerò, ex calfacientiũ aliquo oleo liquatæ, utputa cicino, ra-

*Pueris inesse plurimum halituosi spiritus.*

*Innatũ calidũ.*

*Spiritum esse aut substantiã animæ, aut primum illius instrumentum.*

*Puri mouendo quæ cõgruant.*

*Furfuris facultas.*

*Adipis differentia.*

phanino,

phanino, ueteri, aut sicyonio. Quum autem cera per se minus sit calida, quàm ut pus mouere possit, solis feruentibus phlegmonis apta est, cui calidorum oleorũ quopiã liquata. Igitur quę pus mouent, naturã modicè excalfacientẽ & humectantem sortiuntur. Cæterùm medicamẽ puri mouendo idoneũ, facultate quidem est tale: ubi uerò corpori nostro est admotum, fit actu tale, siue energia. Ergo scirrhum uocant tumorem præter naturam, doloris uacuum, sed durum: interdum etiam sensus expertẽ. Oritur scirrhus ex humore crasso & frigido, quales sunt duo duntaxat: bilis uidelicet atra, & superexiccata pituita. Proinde tumores scirrhosi omnino aut pituitosæ substãtię sunt, aut atrabilariæ, aut ex utraq; misti. Propriè autem emollientia dicũtur, quæ medentur scirrhosis tumoribus, ex pituita exiccata, crassiaq; humoribus ortis. Consueuerunt enim ij potissimũ in musculorum capitibus gigni. At quæ ab atrabilario succo durruerunt, cancrosa sunt omnia, & ab emollientibus medicinis exasperantur. Sed his quo pacto prospicere oporteat, in cõmentarijs methodi medendi docebimus. Quæ uerò à lento crassoq; humore concreto indurata sunt, calida in secundo aut tertio ordine, sicca autem in primo, medicamenta desiderant. Sed quum non exigua sit in corporibus induratis maioris minoriaq; latitudo, necessum est medicamentorum illis medentium non paruam etiam latitudinem esse. In uniuersum autem, ex emollientibus medicamentis præstantiora sunt, quæ recentia existunt. Siquidem inueterata, ualidius quàm expediat exiccãt. Porrò radix altheæ & cucumeris agrestis, nõnullæq; aliæ plantæ, partim in oleo, partim in aqua decoctæ, emolliũt: sicuti maluę agrestis folia, tum cruda, tum cocta. Atq; hoc simplex medicamentum est, sicut porcinus adeps inueteratus, cui salis nihil indere oportet, sicuti nec emollientiũ ulli. Valde siquidem sal exiccat. In summa uerò, quæcunq; alia emollire possunt, calida sunt ex secundo, & interdum ex tertio ordine: leuiter uerò sicca. Sed & his etiam emplastica uis insit oportet, non secus quàm pus mouentibus: at quæ non perinde meatus obstruat, quòd magis, quàm illa, euacuare sint nata.

*Pus mouentia modicè excalfaciunt, humectantq;.*

*Scirrhus quid, & unde gignatur.*

*Scirrhũ quo gignant succi.*

*Emollietia quæ.*

*Cancrosi scirrhos ab usu emollientiũ exasperari.*

*Scirrhis à uiscida pituita ortis, qualia medicamenta conueniant.*

*Emollientia.*

*Sal emollientibus inciendus non est, quòd exiccet ualde.*

*Emollientia debent esse etiam emplastica.*

CAPVT IX.

At indurantia frigida sunt, & humida, ut sempervivum, portulaca, psylliũ, lenticula palustris, solanum: quanquã hoc, in medio exiccantium & humectantiũ consistit, duplicem iu se habens substantiam, nempe terrenam, & aqueam. At uerò si quid simul & refrigeret & desiccet, sanè & ipsum indurabit omnino: impropriè tamen, quò concretione potius quàm euacuatione induret corpus. Illa siquidẽ potius siccitas est, ac proinde nõ emollitione, sed humectatione curatur: quemadmodum tensio relaxatione, & relaxatio tensione.

*Indurãtia sunt frigida & humida.*

*Solani natura.*

CAPVT X.

Porrò laxatio iu articulis fit, humectatis immodicè quæ circa eos sunt ligamentis, pariter & tendonibus: tensio uerò, nõ etiam simpliciter, sed aut pluculũ exiccatis, aut refrigeratis, aut phlegmone affectis, aut scirrho. In cute autem non tantùm ita, sed musculis quoq; subditis quoquo modo in tumorem sublatis: quemadmodũ etiam iu inflammationibus accidit. Quamobrẽ non simpliciter una est species remediorũ laxantiũ: utpote quum alia humectando, alia calfaciendo, alia emolliendo, quædam uacuando, nonnulla tumores prçter naturam purgando, alia etiam per coniugationẽ, horum quippiam agendo, laxare assolent. Est autem emplasticum medicamentũ, quod terrena uiscidaq; substantia, minimeq; mordaci præditum, illitum meatibus corporis tenaciter hæret.

*Laxatio ubi fit & quomodo.*

*Tensionis causæ.*

*Laxantium species uaria.*

*Emplasticorũ essentia qualis.*

CAPVT XI.

Quod emplastico contrariũ est, dici queat poros repurgans, & infarctu liberans: estq; nec uiscidum, nec mordacitatis expers, sed subtile & nitrosum. Nam iu ratione tantùm maioris ac minoris differunt, tum emplastica ab ijs quæ sordes nutriunt, tum repurgantia ab extergentibus. Nam quæ poros obstructos reserant, subtiliora extergentibus sunt, emplasticisq; cõtraria. Sunt autem hæc, tum nitrosa, tum amara. Cæterùm ad extergenda ea quæ in superficie sunt, requiritur ut cuti extimæ imposita medicamẽta ipsa, solã exactamq; nitrosam qualitatẽ possideant. At intrò in corpus assumpta, etiã si adiuncta sit quædã astrictio, possint tamẽ sic quoq; magnos purgare abstergereq; meatus, cuiusmodi iu uasis consistunt. Nam foris meatuum exiguitas prius ab astrictione occlusa, quàm probè queat expurgari, non etiam inde in altum abstergentem substantiã recipit, nec expurgatur. At quæ circa uentrem uisceraq; sunt partes omnes, quũ maximos in se habeãt meatus, maius accipiunt cõmodum ex uasorum corroboratione, quàm propter osculorum exiguitatem lædantur. Proinde intus absinthium repurgare potest, foris non potest: quippe quod ex amara acerbaq; facultate est compositum. Quæcunq; igitur reperis nitrosa & amara, ea ad purgandos meatus omnes, ualere noueris. At cutis & ulcerũ sordes, non hæc tantũ, sed & uiribus minora possunt auferre: qualia sunt dulcia quę tenuium sunt partiũ. Porrò scilla, iris, nitrum per se, aphronitrum, spuma nitri, seriphon, abrotonum, cum cibo potuq; assumpta, crassos uiscidosq; humores extenuandi uim obtinent. Quam ob rem lentis ac pituitosis thoracis pulmonisq; humoribus, aut purulentis & incidendis, & extenuandis, & educendis, aptiora inuenire alia præ istis medicamenta non possis. His ipsis & iecinoris obstructiones expurges, & modicas etiam lienis. Nam quæ maiores sunt, uehementiora desiderant: nempe capparis corticẽ, radices tamarices, scolopendrion, & sellam, & asplenon. Sed tamen istis utendum est, ad iecur quidem ipsis per sese duntaxat: ad lienem uerò, mistis aceto, aut ei incoctis: ad thoracem pulmonemq;, melicrato, ptisanæ, oxymeliti, aut dulcium uinorum cuipiam.

*Emplastici oppositum quale.*

*Extergentia cutim quidem, debent esse exactè nitrosa: uiscera autem, uel si aliquid astrictio nis sortiãtur, nihil nocuerint.*

*Absinthium intus repurgat meatus, foris nequaquam.*

*Medicamenta ad crassos uiscidosq; humores expectorandos commoda.*

*Obstructiones iecoris et lienis, quæ potissimũ tollant.*

CAPVT XII.

Quum autem plurimã urinam mouere est consilium, non admodum dictis utendum est pharmacis, sed quæ acriora sunt, & magis excalfaciũt. Est enim omne acre calidum: cuius generis sunt, semen apij, petroselini, fœniculi, dauci, agrioselini, smyrnij, ipsumq; seseli, ammi, phu, meon, asaron, & cum his acoron: à quibus sanguis nõ extenuatur duntaxat, sed & funditur & secernit: nempe seroso & tenui seorsum segregato ad renes, crasso uerò in sese coeũte. Quamobrem puris ex thorace expuitioni ea omnia aduersantur, quũ nimi-

*Acria omnia esse calida.*

*Diuretica medicamenta quæ.*

rum excalfactoria exiccatoriaq; sint, necnon secretoria & coactoria. At quę expui debēt, mediocrem caliditatem desiderant, ne uidelicet impensē exiccent: ac proinde medicamenta illis congruentia, eiusdem utilitatis gratia cū sorbitiunculis potionibusq; exhibentur. Quę uerò renes expurgāt, & ipsa incidendi uim possidentia, larga humiditate non indigent. Porrò quę callosas consistentias sunt incidere idonea, admodum quidem incidunt, sed minimum sanè caloris possident. Caliditas quippe callum pœrōnue gignit, nō incidit, nec diuidit. Cæterùm quæ & incidunt & mediocriter calida sunt, meliora existunt: ut radices regiorum asparagorum, & rubi, & beronica, & polium, tum ocltra, & uitrum ustum, & ex scilla confectum acetum, & consimilia.

*Expuitionibus quę sint idonea.*

*Callu incidētia discutientiaq; congruentia, qualia esse debeant.*

CAPVT XIII.

*Rarefacientia.*

Quæ cutis meatus reserant, ea rarefacientia dicimus: quæ uerò uasorū oscula, aperientia. Quin & illis contrariorū, quod poros cōtrahit, condensans dicunt: quod autem osculum claudit, occludens siue obstruens nominant. Cæterùm rarefacientiū quidem natura modicè calida est, ac tum minimè siccās, tum tenuium partium: aperientiū uerò, tum crassarum partium, tum acris ac mordax. His porrò contrariorum, condensantium quidem, frigida sanè & aquea: occludentium autem, tum frigida, tum partium crassarū. Rarefacit igitur chamæmelū, & althea, quodq; ex ipsis cōficitur oleum: nec minus quod ex agrestibus cucumeribus. Quin & uerus, & cicinum, & raphaninum, ex eadem sunt nota. Aperiunt autem cyclaminus, allia, cæpæ, fel taurinum, unguentumq; irinum & amaricinum, quæ & occæcatas hæmorrhoidas aperiunt. At condensantia sunt, aqua frigida, semperuiuū, portulaca, tribulus uiridis, psyllium, auricula muris, lenticula palustris, ac deniq; quæcunq; refrigerant, sed non astringunt. Proinde mandragora, cicuta, altercum, papauer, si eis quis modicè utatur, cōdensandi uim obtinent: sin liberalius, non modò cōdensandi, sed stupefaciendi, & necandi. Occludunt porrò meatus omnia quę ualidè astringunt, nec tamen acrimoniam habent adiunctam: quum nimirū essentia talium sit simul terrena & frigida. Medicamenta uerò quæ frigida quidē sunt æquè, aut amplius, sed substantiam sortiuntur aqueam, ea in quam debiliter & contrahunt & constringunt, uidelicet propter ipsam mollinē: quare condensantia potius quàm obstruentia dicuntur. Quippe quicquid ualenter tum constipare, tum constringere debet, robur quoddam renitens, & durum, habeat oportet.

*Aperientia.*

*Condensantia.*

*Occludentia.*

*Hæmorrhoidas aperientia.*

CAPVT XIIII.

*Rarefacientia.*

Quę itaq; citra molestiam excalfaciunt, ea sola omnium sunt rarefacientia. Si uerò non modò calida fuerint, sed etiam cōsistentia crassa, si quidem uehementia sint, & caustica, hoc est, urentia, ignis instar corpus colliquāt, & sæpe escharas ritu cauterij inducunt. At si debilius q̄ut urere possint, excalfaciant, anastomoticam, siue aperiendi uim obtinent. Quod autem causticum, non tamen uehementer, est, præterea essentiæ tenuioris, id prorsus ab omni mordicitate aberit: aut cum exiguo, tum dolore, tum morsu eliquabit partes carnosas. Nam quod non confertim alterat, ut quæ uehementer sunt calida, quodq; non ægrè penetrat, ut quæ crassæ sunt essentiæ, ea latentem actionem obtinent. Porrò alterationum subitæ confertæq; mutationes, sicuti & penetrationum quæ uiolentæ sunt, quales proficiscuntur à causticis & escharoticis, maximè sensibiles sunt. Cæterùm de quibus nunc agimus, minimè faciunt escharas, uocanturq; putrefacientia, licet impropriè, atq; ob symptomatis tantū similitudinem: quū ab utrisq; nullo doloris sensu corrupno fiat. Nam quæ uerè putrefacientia sunt, humectant simul & calfaciūt. Multis autem modis corrumpi quid potest. Corrumpuntur siquidem plus nimio refrigerata, aut excalfacta, aut humectata, aut exiccata. Non tamen quicquid corrumpitur cōputrescit, sed quibus id cum fœtore accidit. At medicamēta de quibus nunc sermo est, putrefacientia, qualia sunt auripigmentum (quod arsenicū uocāt) sandaracha, chrysocolla, dryopteris, pityocampe, & aconitū, omnia colliquare sunt nata, & potissimū carnem tenellam, idq; absq; dolore. Ex quibus quidē nonnulla imbecilliora cæteris, ut ustæ petræ flos, extimam tantùm superficiem, quam contigerint, exedendo, ulceribus excrescentibus cicatricem inducunt: quanquā medicamenta quæ uerè ad cicatricem perducunt, nec detrahere, nec liquare carnem, sed durare, & siccare sunt nata: ut alumen, galla, omphacitis, æs ustum, ac maximè lotū, cum eiusq; fructus spinæ Aegyptię, siccaq; mali granati putamina.

*Colliquantia.*

*Anastomotica.*

*Corruptionis modi diuersi.*

*Putrefactioni fœtor necessariò accedit.*

*Putrefacientia quę carnē absque dolore liquant.*

*Cicatricem inducentia medicamenta quæ.*

CAPVT XV.

Id igitur est in planis ulceribus ad cicatricēducendas consilium, ut caro alteretur, fiatq; cutis: id quod perficitur per ea quæ illam contrahere, constringere, constipare, densare, siccare, & in callum cogere ualeant: quum nimirū cutis, ueluti in callum durata caro sit. Ea ergo medicamēta quæ sic agere possunt, primariò proprieq; dicuntur epuloticà, siue ad cicatricē ducentia: cætera uerò quæ exedunt carnem, secundariò, & per accidens: sicuti & ea quæ absq; astrictione desiccandi uim habent mordacitatis expertē. Nam & hæc quoq; ex accidenti cicatricē inducūt: cuiusmodi uriq; medicamentum est, myrrha, lithargyrus, ostreum, & diphryges combusta: quandoquidem & ipsa cicatricem sæpe inducunt illita. At uerò medicamenta citra morsum mediocriterq; abstergentia, caui tates ulcerum implent.

*Epulotica quę dicātur primò, & quę secūdariò.*

CAPVT XVI.

Porrò attrahentes facultates sunt, quæ ex alto uehementius extrahunt: repercutientes uerò, quę in altū occurrentes sibi succos repellunt. At essentia illis quidem calida est & tenuium partium: his uerò frigida, & crassarū. Attrahit enim perpetuò calidum: repellit uerò frigidum. Verùm quod calori iunctam partium tenuitatem sortitur, trahit uehementius: quod autem crassitudinem frigori, uiolentius repellit. Atq; astringentiū quidem nota est essentia. Attrahentium autem, alia spontè est nata, ut dictamni, propoleos, thapsiæ, sagapeni, succiq; Cyrenaici & Medici essentia: alia uerò * à putredine exasperātē suam ducit originem, qualis tum fermento, tum stercore inest. Quòd si fimis quoq; ex putrefactione generatio constat, utiq; omnes attrahendi facultate pollebunt: sed non par ua illis differentia inest. Nam columbinus admodum attrahit. Ex æquo aūt utrinq; ab eo recesserunt,

*Attrahit calidū repellit frigidū.*

*Attrahentiū essentia duplex.*

*Fimus omnis attrahit.*

runt, ad calidius quidē anserinus, ad frigidius uerò gallinaceus. Hoc etiam magis uincuntur humanus & suillus. At canum stercus simile est medicamentis extergentibus, maximè si uescant ossibus. Crocodilorum autem stercus magis etiam id perficit. Est & aliud attrahentium medicamentorū genus, quod qualitatis familiaritate attrahit: id quod aliud est nihil, quàm totius essentiæ similitudine, ceu quę nutriuntur, familiaria nutrimenta attrahūt. Talium enim medicamentorum sunt purgantia omnia, & amuletorum nonnulla. Cæterùm calida ut sint id genus omnia est necesse. Quinetiā inter ea quæ essentijs similia sunt, quod calidius fuerit, id potentius attrahet.

*Trahentia similitudine essentiæ.*

*Calidiora trahere potentius.*

CAPVT XVII.

*Alexipharmacarū facultatū natura duplex.*

Iam uerò facultatum alexipharmacarum natura est duplex. Quædam siquidem alterant, quædam euacuant uenenum lædens, aut deleteriū medicamentum. Alterant igitur una qualitate, idq; ratione cōtrarietatis: aut duarum coniugatione: aut deniq; tota substantia. Euacuant totius substantiæ similitudine, & caliditate subtilium partium. Cæterùm alexipharmaca medicamēta, sanè facultate sunt media inter corpora quæ oblædun tur, & medicamenta lædentia: ut uidelicet eadem sit proportio corporis ad facultatem alexiteriam, quæ illius ad deleteriā. Quamobrē omnia propémodum quæ deleterijs aduersant medicamētis, si largius sumpta fuerint, grauiter animantis corpus offendunt. Quapropter ea exhibeantur moderatione, ut nec copia nimia corpus oblædant, nec exiguitate sua à deleterijs uincant. Euacuatur autem omne deleterium uenenum à foris impositis medicamentis, nempe aut caliditate attractionem molientibus, aut totius substantiæ similitudine. Quū igitur omnia deleteria medicamenta aduersissima secundū temperiē sint corporibus quæ ab ipsis læduntur, certè si à similibus temperie medicamentis uacuent, erunt utiq; & hæc corporum naturis contraria: ut sunt haud dubiè aliqua ex parte contraria, non tamen adeò ut interimant, sed in corporis perpetientis, & medicamenti lædentis medio librentur.

*Alexipharmaca esse media inter oblæsa corpora, & lædentia medicamenta.*

CAPVT XVIII.

*Anodynæ facultatis natura.*

At facultas quę uerè & est & dicitur anodyna, eorum est, quæ primo ordine excalfaciūt, tenuēq; essentiam sortiuntur. Quæ uerò impropriè anodyna uocatur, ijs medicamentis inest, quæ suo ingenii frigore partem stupefaciunt. Est autem stupor pauld minus quàm insensibilitas, ac sensus priuatio. Cæterùm quæ affectum sanando dolorē sedant, nec meritò dici anodyna possunt: nam id est omnium curantium commune. Quæ itaq; reuera sunt anodyna, partium sint tenuium, & calidiora quàm quę symmetra sunt, est necesse: ut scilicet euacuent, digerant, rarefaciant, extenuent, concoquant, & æquabile reddant, quicquid partibus doloris est causa. Quare nihil prorsus astrictionis habeāt oportet, ne si pars quidem aut affectus exposcāt. Ex quibus liquet, quòd interdum affectionem non iuuabunt, sed tantummodo mitigabunt dolorē, quando uidelicet uerè anodyna dicentur. Interdum adiuuabant affectū, dicentūq; simul anodyna, & salubria. Igitur medicaminum anodynorum quædam ex primo sunt calfacientiū ordine, quæ propriè anodyna dicunt, ut anethinū oleum: quædam similiter ut corpus nostrū, qualia sanè pus mouentia. Quæ uerò soporem ε-pora inducunt, temperiem sortiuntur uel summè aduersam ijs quæ reuera sunt anodyna. Refrigerant siquidem omnia corpus, & sensum eousq; stupefaciūt, ut si paulò liberalius bibantur, mortem afferant. Cæterùm ad usum propositum optima sunt quæ desiccant. Quæ uerd existentia frigida, humiditatis etiā copiā obtinent, ut cicuta, ea potui non sunt utilia. Talis est mandragora, excepto eius cortice sicco: & altercū, pręter semen. Sunt tamen & quæ nobis tota essentia aduersent. Proinde si uel minimum eorum assumptū fuerit, omnino lædat necesse est: ceu dryopteris, pityocampe, thapsia, solanum manicum, hydrargyros, & fungorum nonnulli: præterea saliua & fel animaliū uenenatorū. Nam talia omnia genere sunt deleteria, nō quantitate: ac proinde nihil eorū in alexiterias antidotos indit, ut solet papaueris succus, myrrha, styrax, & crocus. Nam tametsi quædam horum dementent largius bibita, quædam mortem inferant, mensura tamen conuenienti permista alijs, adiuuant. Eorum porrò qu mentem lædunt, pleraq; etiam caput degrauant, uaporibus ipsum implentia. Sunt quæ id affligant, oblædentia uentriculum. Communiter uerò cerebrum uniuersa duobus modis infestāt: aut totius substantiæ contrarietate, aut quum una duabúsue qualitatibus illius temperaturam immutant.

*Stupor quid.*

*Anodynorum opera.*

*Anodynū nihil debere inesse astrictionis.*

*Anodynorum differentia duplex.*

*Deleteria, tota substantia.*

*Deleteria genere quæ sint.*

CAPVT XIX.

*Purgans medicamē multiplex habet significatum.*

Vocabulū hoc, purgans, una quidem, eaq; cōmuni ratione, de ijs omnibus dicitur, quę quouis modo animalis excrementa expurgant: alia uerò de ijs tantùm enunciatur per excellentiam, quæ aut per uomitum, aut per alui deiectionem, purgationem moliuntur: ita ut ab his diuersi generis sint ea quæ tum per nares, tum per os à capite humores eliciūt. Eiusdem cum istis sunt generis, quæ uuluæ admota, ui quadam attractrice illius excrementa repurgant. Quæcunq; siquidem purgare animaduertimus, ea trahendi uim possidēt, alia unum quempiam succum, alia duos, aut etiam plures: idq; illis inter sese commune existit. Nam quę crassos humores extenuando, aut urinam ciere possunt, aut ex pectore pulmoneq; eijciendis excreationibus auxiliari, aut menstruas purgationes ciere, purgant sanè & ea aliquo pacto, uerùm antedictis non similiter nuncupantur, sed alia dicuntur diuretica, alia bechica, alia menses mouentia, hac re à superioribus diuersa, quòd nō habeant uim familiariū succorum attractricē, ut illa. Bifariā autem dicūtur bechica: partim quòd tussim prouocent, partim quòd eandem sedent. Atqui contrariæ horum sunt facultates. Alia enim extenuandi naturam habent, alia incrassandi. Atq; extenuandi quidem facultas, in calidis & tenuium partium substantijs sita est: incrassandi uerò, frigidis, & crassarum partium essentijs inest.

*Purgantium alia duos trahūt humores.*

*Bechica dici bifariam.*

CAPVT XX.

Lactis & seminis effectrices facultates sunt, partim in medicamētis tantùm, partim in alimentis. In medicamentis quidem, quum succos pituitosos excalfacientes in sanguinem uertimus: in alimentis autem secundum substantiæ totius similitudinem, ubi uidelicet boni sunt succi, & humida,

*Humorum corporis humani temperies.* *Lactis temperies.* *Lactis gignendi ratio.*

& tepidè calida, ceu ipsum lac. Siquidem sanguis est caloris mediocris particeps: plus uerò quàm mediocris, bilis: sicuti pituita frigiditatis. In medio autem pituitæ & sanguinis lac ipsum consistit, propius tamen sanguinem uersus inclinans. Vbi igitur ob penuriam sanguinis parum lactis in mammis conficitur, humectante simul & calfaciente uictus ratione est opus. Si uerò quòd biliosus fuerit, in primis purgationem ipse sanguis desiderat: mox uictum quem nuper diximus. At si quòd pituitosus, medicamenta requirit excalfacientia aut primo, aut secundo ordine, non tamẽ exiccantia Verùm inter ea potiora sunt, quæ non tantùm medicamenta sunt, sed & nutrimenta, ueluti eruca, fœniculum, anethũ. Intelligo enim ipsas herbas etiamnum uirentes & humidas: nam quæ siccæ sunt, plus quàm par sit & excalfaciunt & desiccant. Huius generis est smyrnion, apium, sion, polion, eaq; prius quàm exiccentur. In summa uerò, quæcunque calfaciunt plus quàm expediat, quæq; desiccant aut refrigerant, partim qualitatem ipsius sanguinis uitiantia, partim ipsum minorem reddentia, lactis prohibẽt generationẽ.

*Lactis generationem quæ prohibeant.*

CAPVT XXI.

*Sanguis est materia mensium & lactis.* *Venas esse communes uberib. & matrici.*

Porrò dictis adsimilem facultatẽ obtinent, quæcunq; prouocare aut sedare menses possunt. Vtrorunq; enim cõmunis materia est, nempe sanguis in uenis contentus. Quare ubi hic fluxilis fuerit, & qualitate contemperatus, utriq; abundantem copiam suppeditat. Cõmunes præterea uberibus uteroq; uenæ sunt non exiguæ. Itaq; ubi ad alterutram partem sanguis defertur, altera siccescit. Proinde quibus menses mediocriter deferuntur, ijs lac minimè in mamillis colligitur. Quibus uerò hoc largè supperit, ijs planè menses cohibentur. Quocirca mirandum non est, si tum uictus, tum medicamenta similia sint, nempe & ea quæ gignunt, & sedant menstruas uteri purgationes: & ea quæ lactis in uberibus generationem tum procurant, tum supprimunt: quanquam hactenus differant, quòd & calidioribus, & magis incidentibus nonnunquam menstrua purgatio indigeat: quum nimirum ea in parte sitæ uenæ magis aperiri debeant, quàm quæ tendunt in mammas, & sanguinem fluxilem magis requirant, utero ad delationem eius nihil conferente. Mittuntur enim in uenas quæ comittuntur illi, non attrahuntur menses. At sanguis in ubera non tantùm mittitur, sed etiam trahitur: ac proinde leuiori subsidio medicaminum opus habet, quum non abundè in mammas is confluit. Medicamenta etiam quæ iuuant ut sanguis in mamillas feratur, imperfectas etiam purgationes promouent. Sin autem nimis oblæsæ sint, aut planè retentæ, nullũ eiusmodi eas sanare potest: uerum sabina, meion, iris, calaminthia, pulegium, dictamnum, asarum, costus, casia, cinnamomum, amomum, aristolochia, bunium, & eius generis reliqua, exactas uteri purgationum retentiones persanãt: taliaq; etiã urinam promouent. Sed ab ijs quæ diuretica tantùm dicuntur, hoc quidem differunt, quòd non uehementer desiccent. Etenim quæ non desiccant, & modicè calfaciunt, lacti sunt generando utilia: quæ uerò plus excalfaciunt, non tamen ualenter desiccant, mensibus eliciendis sunt cõgrua. Verùm & utraq; hæc urinas prouocant, necnon In primis ea quæ desiccantia, etiam calfaciunt. At præter alia & reddendis ex pectore pulmoneq; excreationibus incõmoda sunt desiccantia. Poscunt quippe & ipsæ incidi quidem, non tamen exiccari, ceu & renum uesicæq; calculi.

*Lactis mensibúsque gignendis, eandem uictus & medicinæ rationem desiderari.* *Menses demitti in uterum, non ab illo attrahi.* *Menses & urinas quæ eliciãt.* *Menses ducẽtia à diureticis quo modo differant.*

CAPVT XXII.

*Semen quæ gignant, extinguantq;.* *Semen prouocãtia supprimentiaq;.*

Semen generant cibi qui probè nutriunt, & flatulẽti sunt, familiaresq; totis substantijs: medicamenta uerò flatulenta etiam & calida. Extinguũt autem desiccantia & refrigerantia omnia, quæq; totis substantijs contraria sunt. Porrò prouocant quæcunq; calida sunt & flatuosa absq; desiccatione: supprimunt uerò contraria. Etenim quum seminis substantia ex bona superfluitate generationem sortiatur, sitq; etiam flatuosa: bene nutriãt & flatulenta sint, necesse est, quæcunq; semen aut procreare, aut prouocare possunt. Quare bulbi, cicer, fabæ, polypodes, cornus, edulia multi seminis & dicunt & sunt. At scincus & satyrion medicamẽta ad id apta existunt. Porrò simul cibi & medicamina multi seminis sunt, lini semen, & eruca. Cæterùm quæ refrigerare sunt nata, tam edulia, quàm medicamenta semen cogentia, incrassantia, & stabile reddentia, uim habent ipsum supprimentem, non aũt corrumpentem: ut lactuca, blitum, atriplex, cucurbita, mora, melopepones, cucumeres siue maturi, siue immaturi. Iam uerò quæ desiccant, ne esse quidem semen permittunt, etiamsi natura calida sint: ut ruta. Quòd si etiã nõ calfaciãt, multò minus: ut nymphæa. Eandem proportionẽ tum esculentorum, tum medicamentorum est inuenire, circa lac & menstrua. Sub idem genus cadunt, quamuis alio modo, quæ respirantiũ instrumentorum reijciendis excreationibus auxiliantur, quæq; urinam ciere possunt. Hæc enim omnia extenuandi facultatem obtinent, uti contraria incrassandi.

*Semen supprimunt omnia refrigerantia.* *Semen ne esse quidem permittunt, quæ siccãt.*

CAPVT XXIII.

*Ocularia medicamenta.*

Tametsi collyrio diarhodon, & diapompholygos, & cygnio, & thure, uti possimus ad aures, aut os, aut nares affectas, necnon ad pudendum & anum: quia tamẽ frequentius ad oculorũ morbos ijs utimur, ob id nimirum ocularia medicamenta uocantur: sicuti alia hepatica, alia spleneti ca, stomachicáue, secundum differentiam particularum quibus solent auxiliari creberrimè.

CAPVT XXIIII.

Dum autem ij qui Methodici nominantur, metasyncriticas quasdam materias & facultates appellant, præterquàm quòd obscura & falsa loquuntur, etiam suæ ipsorum hæresi maximè repugnantia astruunt.

CAPVT XXV.

*Gustus qualitates quæ sint.* *Saporum temperatura.*

Ex operibus autem contrarias iudicare facultates oportet: dicentes quasdã esse facultates emplasticas, & his contrarias, tum extergentes, tum farctu liberantes: præterea emollientes, indurantes, laxantes, & contendentes. Nam astringentes, acres, amaras, acidas, atq; dulces, non facultates medicamentorum, sed gustus esse qualitates monstrauimus. Quanquã & harum etiam tum actiones, tum temperaturæ nobis ueniunt inuestigandæ. Etenim astringens, terrestre & frigidum: acidum, subtile & frigidum: amarũ, terrestre & subtile: quòd insignis qualitatis expers, frigidũ simul & aqueum: acre, igneum: salsum, terrestre & calidum,

dum,nondum tamen igneum:similiter dulce,calidū,ſed nondum urens:quę deniq; oleoſa ſunt, omnia aquea ſunt & aërea. Sequuta ſanè ſunt temperaturas eorū, & opera. Nam aſtringens, contrahere,cōſtringere,denſare,repellere,incraſſare,omniaq; refrigerare,exiccareq; eſt natom: acidum uerò, incidere, extenuare, farctu liberare,& purgare citra calfactionem, & cum aliquantula repercuſsione poteſt. At acre ſimiliter ut acidum extenuatq; & perpurgat,necnō perrumpit,attrahit,& eſcharam inducit:cæterùm calfaciens,& digerēs. Sic amarū quoq; meatus perpurgat, abſtergit,extenuat, incidit humorum craſſitiē abſq; manifeſta excalfactione. Quod qualitatis eſt expers, incraſſat,cogit, contrahit,extinguit,ſtupefacitq;. Porrò ſalſum cootrahit, conſtringit, condiendo ſeruat, deſiccat citra apertam aut frigiditatem, aut caliditatem. Dulce uerò cōcoqoit,laxat,rarefacit:oleoſum deniq; humectat, emollitq;, & laxat. Ex quibus ſaoè facilè iouenire licebit, qoi nam ſapores temperie,& qui ſint operibos cootrarij.

*Gustatiliū qualitatum facultates & opera.*

CAPVT XXVI.

*Symmetrū quid dicatur.*

Symmetrum appellare medicamentum conuenit,quod nec excalfacit, nec deſiccat, nec refrigerat, nec humectat:nec calidū, frigidum, humidū, ſiccúmue exiſtit. Quod uerò aut calidius,aut humidius,aot frigidius, aut ſiccios eſt, à uincēte, ſeu excedente facultate cognominatur. Porrò per unumquenq; exceſſum quatuor poſuiſſe ordines, quod ad uſum ſpectat,ſufficit : calidum quidem, exempli gratia, nominantes primi ordinis,quod nos excalfacit,nō tamen euidenter,ſed ita ut opus ſit rationali demonſtratione. Quæ uerò manifeſtè calfacere nos dicuntur, ea ſecundi ordinis eſſe dicent. At quæ iam uehementer quidē, non tamē ſummè,tertij. Quę autē adeò excalfacere poſſunt, ut eſcharam moliant & urant, quarti : ſimiliterq; in alijs exoperantijs exiſtimandum. Nam quæ adeò oehementer refrigerāt, ut extinguant,& ipſa quarti ſuot ordinis. Cæterùm nullū inuenire eſt, quod quarto deſiccet ordine,quod noo etiā urat. At tertij ordinis exiccantium quippiam eſſe poſſit,quod minimè urat, ceu omnia quæ uehementer aſtringunt:ex quibus eſt omphaciū,rhus,alumen,balauſtia, galla omphacitis. In his autē ipſis quædā uicina ſunt adurētibus, ut ſquama æris,& æs uſtum,quaſi inter tertiū quartumq; ordinē hæreant. In medio tertij eſt æs uſtum, ſi lotum ſit:in principio tertij hypociſtis. Sic in ſecūdo & quarto differentias licet cōſtituere triplices : quum nō perinde urant caoteriū & napy,licet ambo quarti ſint ordinis.

*Ordines,ſiue gradus exceſſuū quatuor.*

*Exiccātia quarto ordine,etiam urunt.*

## *GALENI PERGAMENI DE ſimplicium medicamentorum facultatibus liber VI.*

GEneralis igitur ſermo de facultate medicamentorum ſimplicium , uniuerſus iam ſuperioribus libris finem ſuum conſeqoutus uidetur. Tempus uerò iam eſt ad ſermones particulares,ſiue ſpeciales tranſire , hoc ſolūmodo repetentes:primùm quidem,in natura temperatiſsima:ſecundò,in intēperata:poſtea deinceps in ſimplicibus morbis,faciendum eſſe periculum de facultate ipſorū medicamentorū. Cæterùm quoniā medicamenta omnia,partim quidē ſunt animaliū partes,aut plantarū,aut fructuū, aut horū liquores,aut ſocci:partim aūt ex metallis ſumūtur: optimū mihi uiſum eſt de plātis ante omnia diſſerere: dein de metallicis pertractare,ac ultimò ad animaliū partes tranſire, idq; obſeruato literarū græcarum ordine. Curabimus autem ſemper,ut(quod moouit primo oraculo Hippocrates, uitam pronuncians breuem , & artem longam) feſtinantes quammaximo ſtudio,uiam incedamus compendioſiſsimam,per ea nempe quæ ſunt in arte utiliſſima. Inter omnes porrò Dioſcorides perfectiſsimè mihi oidetur confeciſſe tractatum de medicamentorum materia. At qui aggrediuntur figuras herbarum deſcribere , quas ne per ſomnium quidem uiderunt,ij certè uident præconibus ſimiles, qui notas ab alijs acceptas fugitioi mancipij publicant,quem ipſi nunquam uiderunt,imò quem ne agnoſcere quidem poſsint, ſi propè aſſiſteret. Illos etiam non poſſum nō accuſare,qui primi herbarum formas,ſcriptis docere conati ſunt,qoum melius exiſtimem ab ipſo prǽceptore oculis diſcere,ac non aſſimilari ijs, qoi ex libris prodeunt gubernatores.

*Medicamenta in quibus experiri debeamus.*

*Vita breuis. Ars longa.*

*Dioſcoridem exactiſsime tradidiſſe hiſtoriam plantarum.*

### Abrotonum.

*Abrotoni temperatura & eſſentia.*

Abrotonum calidum & ſiccum eſt facultate,in tertio receſſu, aut ordine,qui ad temperatā natoram expenditur,ſitum. Valde ſiquidem eſt amarū: qui ſapor,quum eſſentiæ terrenæ ſit, à largo eſt calore extenuatus. Porrò ſi quibus per circuitus redeunt rigores , ante inuaſionem rigorum eos abrotono confrices,minus utiq; concotientur,ſubitoq; ſenſum caloris percipient . Qoòd abrotonum etiam lumbricos perimat , par quidem eſt, quum ſit amarum. Cæterùm & digerendi & incidendi quandā uim habet, ipſoq; abſinthio maiorem:quandoquidē paucifsimæ acerbitatis particeps eſt abrotonū,haud autem exiguæ abſinthiū. Vnde inimicum ſanè eſt uentriculo abrotonū, ueluti etiam ſeriphum:gratū uerò & amicum abſinthiū. Per ſe quippe amarū omnifariā eſt infenſum uentriculo : auſterū uerò, aut acerbū,aut in ſumma aſtringens,amicū & familiare. Abrotoni duæ ſunt ſpecies : quarum alteram ſanè marem,alterā fœminam uocant. Similiter & abſinthij tres ſpecies,aot differentiæ aſsignantur. Quarum onam eodem cum genere ipſo nomine appellant abſinthium : cuiuſmodi eſt Ponticum . Secundam autem Santonicum : ac tertiam denique Seriphum. Quibus omnibus abſinthium quidem minus eſt calidum , nempe plurimam aſtrictionem obtinens. Noo tamen minus deſiccatorium exiſtit. Cæterorum aotem, Santonicū à Santonia regione, in qua naſcitur, nomen ſortitum, proximam habet facultatem,Seripho paulò imbecillios in extenuando, calfaciendo , deſiccandoq;. Porrò ipſum Seriphum Abrotono minus eſt calidom, uerùm calidius abſinthio, ſtomacho impendiò inimicum, nempe cum amaritudine, præ ſe etiam quaodam ferens ſalſedinem . Sed nonnullam tamen, etſi minimā,aſtrictionem ſortitur. Sic Abrotonom & Santonicum admodum ſont infeſta uētricolo. Solom enim inter ea abſinthium,& maximè ponticum,gratū ſtomacho exiſtit. Abrotonum uſtum, calidū ſiccūq; facultate eſt,magis etiā quàm cucurbita ſicca uſta, & anethi radix. Illa

*Abrotono ſi quis perfricetur ante inuaſionem, minus à febrili rigore infeſtabitur.*

*Abrotonum uermes perimit.*

*Abrotonum inimicum uentriculo.*

*Abſinthium uētriculo gratum.*

*Aſtringentia ſunt amica uentriculo.*

*Abſinthij tres ſpecies.*

*Ponticum.*

*Santonicum.*

*Seriphum.*

*Cucurbita usta praeputij ulceribus congruit.* *Abrotoni cinis ex aliquo oleo calido, barbam tardius nascentem elicit.*

enim ulceribus humidis simul & citra phlegmonem callo induratis conueniunt: ac proinde maximè praeputij ulceribus congruūt. At cinis abrotoni ulceribus omnibus mordax est: atq; idcirco ex oleo aliquo tenui, cicino scilicet, aut raphanino, aut Sicyonio, aut ueteri, & maximè Sabino, ad alopecias accōmodatur. Tum barbam tardius nascentem, in eorum aliquo, nec minus lentiscino maceratum, elicit.

Agnos, Vitex.

*Agnos. Vitex.* *Viticis semen capitis grauitatē parit.* *Vitex venereas intemperantias compescit.* *Rutae facultas.* *Vitex obstructis confert, menses q; promouet.*

Agnos, aut uitex, fruticosa illa planta, calidus quidem & siccus est tertio ordine: uerùm multum tenuis substantiae, tum gustu acris simul & astringens: ipsas tamē urtices ad medicinam habet inutiles. Caeterùm folia, semenq; & flos, calida siccaq; sunt facultate, necnon tenui substantia: quare saepe nobis sunt usui. Porrò semen edendo est: tam perspicuè tamen calfacit, ut capiti dolorem hoc nomine pariat: quanquā si id frigatur, minus caput tentat. Vtcunq; autem sumatur, flatus uentris discutit. Praeterea tum semen, tum flos, tum folia, uenereas intemperantias compescunt. Quare nō tantùm esa potaq; conferre ad castitatem uidentur, uerumetiam substrata: unde planta ipsa, agnos, hoc est, casta uocatur. At ruta quàm agnos, magis quidem excalfactoria & exiccatoria existit. Ad haec, agni quidem semen ac germina, modicam astrictionem ferunt: at ruta ubi aruerit, exactè amara est & acris: quandiu uerò humida fuerit, subamara. Nulla tamen austeritas aut acerbitas illi inest, aut illa certè obscurissima. Quocirca & ad iecur & lienem indurata & obstructa, agni semen potius quàm rutae competit. Praeter dicta autem agnos & menses mouet, & indurata digerit, & lassitudinem tollit.

Agrostis, Gramen.

*Agrostis. Gramen.*

Graminis radix modicè frigida est & sicca, mordacitatem quandam exiguam, & partium tenuitatē obtinens. At herba ipsa primo quidem recessu refrigerat, in humiditate uerò & siccitate existens quammoderata.

Gramen esculentum.

*Graminis esculenti radix cruēta vlcera glutinat, frangitq; lapides.* *Graminis semē.*

Eius radix est modicè frigida & sicca: proindeq; cruenta ulcera glutinat. Ipsa autem herba illita non uehementer refrigerat, in medio constituta humiditatis & siccitatis. Radici porrò mordacitas & tenuitas quaedam exigua inest, qua nimirum lapides frangit, si quis eam decoctam bibat. At semen alterius quidem imbecillum est: eius uerò quae in Parnaso nascitur, urinam ciet, ac fluxus uentris & stomachi reficcat. Vis enim eius est exiccatoria, tenuium partium, & subacerba.

De quatuor Anchusis.

*Anchusae quatuor species.* *Onoclea quib. morbis cōueniat.* *Lycopsis.*

Onoclea quam uocant, radicem habet admodum refrigerantem, desiccantem, astringentem, & subamaram, corporibus condensandis & modicè extenuandis idoneam: tum abstergēdis quoque & abluendis biliosis & salsis succis. Quare aurigini & lienosis est utilis. Praeterea cum polenta illita, iuuat erysipelata, & abstergit non modò epota, sed etiam admota extrinsecus: proinde aceto macerata uitiligines & lepras sanat. At folia ipsius herbae imbecilliora radice sunt, non tamen à reficcatione & astrictione aliena. Itaq; profluuiū sanant cum uino pota. Lycopsos nominata, refrigerans etiam & siccans, similiter erysipelatis congruit. Caeterùm radicem quàm onoclea magis astringentem sortitur. Onochilo cognominatq; uis & calidior & medicamentosior inest. Quare eos qui à uiperis morsi sunt, admodum iuuat, tum illita, tum suspensa, tum esa. Reliqua uerò quae quarta est, & parua, caeteris est calidior, amarior, & medicatior: ac proinde ad latos lumbricos idonea, oxybaphi mēsura cū nasturtio & hyssopo epota.

*Onochiles.* *Anchusa quarta species anonymos, latos lumbricos perimit.*

Agarici radix.

*Agaricum radicem esse credit Galenus.* *Agarici facultates insignes.*

Primò quidē gustu dulcis, sed paulò pòst subamara apparet, acrimoniq; & astrictionis leuiculae quandam speciē temporis spacio inducit: estq; consistentia laxa. Quare composita haec radix est ex substantia aërea & terrea, à calore extenuata. Minimum autē habet essentiae aqueae. Hac ratione & digerendi uim possidet, & crassitudinem incidendi, tum anfractus uiscerum expurgandi. Idcirco regio morbo laborātes ex obstructione iecinoris, necnon morbo comitiali obnoxios, sanat: tum rigores per circuitus recurrētes, ex crassis uiscidisq; humoribus ortos exterminat. Iuuat & morsos à bestijs frigore laedentibus, aut compunctos, tum foris in affecta parte impositū, tum intrò in corpus assumptum, pondere drachmae unius cum uino diluto. Est etiam & purgatoriū.

Ageranton.

*Ageranton.*

Facultatem digerendi habet, & leuiter quadantenus phlegmone liberandi.

Adiantum, Polytrichum, Callitrichum.

Vulgò capilli Veneris.

*Adianton. Polytrichon. Capilli Ven.*

In calore & frigore symmetrū est, siccat tamē, & extenuat, & digerit. Caput ex alopecia glabrū, capillis uestit: strumas & abscessus digerit: epotum lapides frangit: uiscidorum crassorumq; è pectore pulmoneq; excreationibus, non mediocriter confert: ac deniq; uentris profluuium sistit.

Aizoon, Semperuiuum.

*Aizoon. Semperuiuum.*

Aizoon utrunq;, tum maius, tum minus, desiccat quidem leuiter, utpote astringens modicè: est tamen ex tertio ordine refrigerantium, in eisq; aquea essentia praepollet. Quare ad erysipelata, herpetes, & phlegmonas à fluxione ortas accōmodatur.

Aegilops, Auena.

*Aegilops. Auena.*

Digerēdi uim obtinet, existens leuiter acris. Vnde phlegmonas induratas, et aegilopas sanat.

Aera, Lolium.

*Aera. Loliū.*

In principio tertij ordinis excalfacientiū, secundi uerò extremo exiccantium consistit, sic ut accedere magis quàm iris, naturae acrium uideatur: à qua tamen essentiae tenuitate relinquitur.

Aegyrus, siue populus alba.

*Aegyrus. Populus alba.*

Populi flores calidi sunt in primo recessu, pauloq; ad siccius declināt, subtiliorūq; potius quàm crassiorum sunt partium. Floribus similia sunt folia, licet imbecilliora. Resina etiam floribus similem facultatem, sed calidiorem obtinet. At semen, tum resina, tum floribus subtiliorū est partium, et exiccantius: non tamen multò calidius.

Acacia.

*Acaciae facultas.*

Acacia & planta ipsa acerba est, & fructus, & succus: qui lotus acrimoniā deponit. Porrò si parti illinatur, protinus eam ficciorem atq; contractam reddit: estq; tertij ordinis exiccantium, & secundi refrigerantium, ubi quidem elotus fuerit: alioqui si illotus sit, primi. Est autem consistentia terreus, habetq; in se partes quasdam aqueas,

acnon

necnon alias tenues & calidas.

Acalephe, Vrtica.

*Acalephe.*

*Vrtica extimulat venerem.*

Huius herbæ tum fructus, tum folia, admodũ digerentis sunt facultatis, adeò ut phymata & parotidas sanẽt. Sed & quiddã flatuosum exhibent, dum coquuntur, quo extimulant venerẽ, & maximè ubi semen cum musto bibitur. Quòd nõ csl faciat uehemẽter, sed nimis tenuium sit partium, testimonio est crassorũ ex pectore eductio: tum pruritus quem in partibus excitat. Porrò subducit uentrem titillatione magis quàm purgatione. In uniuersum, quę exiccari citra mordicationem postulant, ea conuenienter persanat.

*Vrtica subducit aluũ titillatione magis quàm purgatione.*

Acanthos, Spina uulgaris.

*Acanthos. Spina.*

Folia quidem mediocriter digerentem facultatem obtinent: at radix exiccatoria est, & leuiter incisoria, & tenuium partium.

Acanthium.

Radix huius & folia facultatis sunt excalfactoriæ, ut & ijs qui conuelluntur auxilientur.

Acanthos leuce, Spina alba.

*Acanthos leuce Spinæ albæ facultas.*

Radix eius desiccatoria est, modiceq; astringẽs: quamobrẽ & cœliacos & dysentericos iuuat, & sanguinis reiectiones cohibet, œdemataq; illitu cõtrahit, ac dentes dolentes iuuat, si decocto eius colluant. Semen tenuis essentiæ & calidæ facultatis est: itaq; potui dari ijs qui conuellunt cõuenit.

Spina Aegyptia.

*Spinæ Aegyptiæ facultas.*

Validius quàm spina alba, tũ astringit, tũ siccat. Quare profluuiũ muliebre radix eius supprimit. Fructus uerò & columellæ prodest, & ijs quæ in sede inflata sunt: ulceraq; ad cicatricem perducit.

Acoron.

*Acori facultates.*

Huius radice utimur, quę gustu modicè amaro est, odoreq; non iniucundo. Itaq; facultatis calidæ est, & consistentiæ tenuis. Quare & urinã mouet, & lienes induratos discutit, ceratoidisq; crassitiẽ detergit, extenuatq;. Ad quod succus præstantior existit: calfacit enim & siccat in tertio ordine.

Aconitum pardalianches.

*Aconitum pardalianches.*

Hoc putrefacientis & deleteriæ facultatis existit: quare in cibo potuq; fugiendum.

Aconitum lycoctonum.

*Aconitum lycoctonum.*

Est & hoc similis alteri facultatis: sed peculiariter lupos interficit, ut illud pardos.

Acte, quam sabucum: Chamæacte, quam Ebulum uocant.

*Acte. Sabucus. Chamaacte. Ebulus.*

Vtraq; potentiam habet & desiccandi, & conglutinandi, necnon digerendi modicum.

Alimum.

*Alimum.*

Semen simul & lac hæc planta gignit, estq; gustus acris & subastringentis: ex quibus constat ipsam esse dissimilarem. Maior tamen pars eius temperatè est calida, cum humiditate inconfecta, & leuiter flatuosa.

Aloë.

*Aloës facultates.*

*Aloë est grata ventriculo.*

Hęc herba, optima in India nascit, cuius liquor est id quod ad nos importaĩ, cognominatũ aloẽ, medicamentũ ad plurimas res, propter siccitatẽ mordicationis expertẽ, utile. Quod quidẽ astringit modicè, sed fortiter amarũ est: ac proinde subducit uentrem. Est autem tertij ordinis exiccantium: calfacientium autem, aut primi intensi, aut secundi remissi. Ad hæc uerò, gratum est uentriculo medicamen, ut si quid aliud: & sinus glutinat. Sanat ulcera quæ ægrè ad cicatricem perduci possunt: & maximè quæ in ano sunt & pudendo. Confert similiter si maceretur aqua, ad eorum phlegmonas, necnon eas quę in ore, naribus, oculisq; oboriuntur. In summa, repellere & digerere simul potest, cum hoc ut paulùm extergeat, quantùm uidelicet ulceribus puris non sit molestum.

*Aloë quibus affectibus cõferat*

Alysson.

*Alysson morsos à cane rabido, rabientemq; ipsum sanat.*

Nuncupata est hæc herba Alysson, quòd mirificè iuuet morsos à cane rabido. Sed rabienti quoq; data, sæpe in totum sanauit, ob totius substantiæ similitudinẽ. Siccat autem digeritq; mediocriter, ac præterea detergit nonnihil. Qua ratione uitiliginem, & ephelim purgat.

Alsine, Auricula muris.

*Alsine. Auricula muris*

Hæc quum essentiæ sit aqueæ, citra astrictionẽ tum refrigerat, tum humectat. Quare ad feruẽtes phlegmonas & medioeria erysipelata confert.

Amaracon, Maiorana.

*Amaracon. Maiorana.*

Calfacit quidem in tertio ordine: in secundo autem siccat.

Ambrosia.

*Ambrosia.*

Illita uim habet astringentem, ac repellentem.

Ami.

*Ami.*

Eius semen est admodum utile. Quum enim sit subamarum & acre, constat ipsum & digerere, & prouocare urinas. Calfacit autem, resiccatq; in terno ordine intenso.

Amaranthum.

*Amaranthon.*

Facultatis est incidentis & extenuantis. Quare coma eius cũ uino pota, menses educit: omnesq; pota fluxiones desiccat: stomacho infesta. Grumos etiam sanguinis dissoluere creditur.

Amurca.

*Amurca vires.*

Ex secundo est ordine calfacientiũ: at siccantiũ intenso quodãmodo magis, terrestris substantiæ quum sit. Sic & ulcera corporum temperatura siccorũ curat: quæ uerò in alijs omnibus sunt, exasperat, perinde ut resina, pix sicca, & bitumen.

Ampeloprason, Porrum agreste.

*Ampeloprason.*

*Agrestia omnia esse acriora hortensibus.*

Est enim herba hæc porrum agreste: ob idq; acrius eo, atq; siccius, ut agrestia omnia hortensibus. Proinde stomacho quàm illud, nocentius. At crassos & lentos humores potẽtius incidit, ualentiusq; infarcta organis obstructione liberat. Hac quoq; ratione sępe prouocauit urinas, ubi à crassis & lentis retinebantur humoribus. Adeò uerè est calidum, ut illitũ cataplasmatis ritu, exulceret.

Ampelos agria, Vitis agrestis.

*Ampelos agria. Vitis agrestis.*

Racemi eius extergendi uim possident: ac proinde cutis extimæ ulcera purgare possunt. Sed astrictionem quandam sortiuntur extrema germina, quæ & sale condiri assolent.

Ampelos hemeros, Vitis satiua.

*Ampelos. Vitis.*

Vitis cultæ assimilis facultas est agresti, sed ad omnia imbecillior.

Ampelos leuce, uitis alba, Bryonia.

*Ampelos leuce. Vitis alba. Bryonia.*

Prima huius germina vere edi solent, edulium uentriculo propter astrictionẽ acceptũ. Cæterùm subamaram, & modicè acrem astrictionem possident: quare & urinam modicè cient. At radix & abstergentem, & desiccantem uim habet, & moderatè calidã. Quam ob rem & lienes induratos liquat epota: cum ficubusq; foris imposita, psorã & lepram sanat. Porrò fructus eius, racemi speciem præferens, ijs qui coria depsant, est utilis.

Ampelos melæna, Vitis nigra.

Vocatur autem hæc propriè bryonia, prædi-

ctæ ad omnia similis,nisi quòd imbecillior.

Amygdala.

*Amygdalorum vires.*

Quæ quidem palàm amara sunt, omnino extenuandi uim posside nt. Siquidẽ ephelim purgant, & excreationibus ex pectore pulmoneq́ crassorũ lentorumq́ humorũ mirè auxiliant. Obstructiones præterea iecinoris à crassis & uiscidis succis ortas expediũt. Quin & lateris, & lienis, &coli, & renũdolores, ab huiusmodi causa natos persanãt. Ipsius arboris etiã radices coctæ illitæq́, epheles purgãt. Porrò amygdala dulcia, quæ & ipsa nõnihil sortiũtur amaritudinis, moderatè sunt calida.

Ammoniacum.

*Ammoniacum.*

Cuiusdã ferulæ est lachryma,intẽsam emolliendi uim possidens, adeò ut articulorũ tophos dissoluat,& lienes induratos sanet, & chœradas per halitũ digerat.

Amomum.

*Amomum.*

Acoro similẽ facultatẽ obtinet, nisi quòd acorũ siccius sit,maiore autẽ concoquẽdi ui amomũ.

Anagallis.

*Anagallis utriusq; facultates.*

Anagallis utraq;,& quę cœruleũ,& quę purpureũ fert florẽ,extergentis est facultatis. Habet uerò nonnihil etiã caloris,& quandã trahendi uim, qua corpori infixa extrahunt. Succus earũ ex naribus purgat eadem de causa. In summa, desiccandi uim habent citra mordicationẽ. Quam ob rem uulnera glutinant, & putrida corrigunt.

Anagyrus.

*Anagyri facultas.*

Frutex est grauiter olẽs, & digerẽtis, excalfaciẽtisq́ facultatis. Cuius folia uiridia tumores reprimũt: at resiccata, incidẽtis sunt exiccãtisq́ potẽtię. Similẽ ferè uim habet eius radicis cortex. Semẽ autem subtiliorũ est partiũ, uomitũ tamẽ prouocat.

Androsęmũ, Officinis Milleperforata, Hispanis Coraconcillo, hoc est, corculum.

*Androsæmon. Milleperforata.*

Planta est fruticosa, natura duplex. Vnũ enim dicit Ascyron, species hyperici : alterũ à quibusdã appellatur Dionysias. Est autem semen eorũ purgatoriũ : foliorũ uerò facultas modicè extergens & desiccans, ut & ambusta curare credantur. Cæterùm in uino austero decocta, uinum ipsum uulnerum grandium glutinatorium efficiunt.

Androsaces.

*Androsaces.*

Amara & acris est herba. Potest autẽ resiccata ebibitaq́ tum ipsa, tum fructus eius, magnopere prouocare urinam, & nimirum etiam digerere & desiccare.

Andrachne, Portulaca.

*Andrachne.*

Frigida & aquea est tẽperie, paucę particeps austeritatis: proinde fluxiones repellit, maximeq́ biliosas & calidas. Estq́ tertij ordinis refrigerantiũ: humectantiũ autẽ secũdi. Quare maximè æstuantes adiuuat, tũ uẽtriculo imposita, tũ hypochõdrijs: ac pręcipuè in febrib. hecticis. Præterea dentium stuporem lenit. Quoniã aũt restringit, utiliter dysentericis editur, & muliebri profluuio, & sanguinis reiectionibus. Sed ad hæc sanè multò est quàm herba succus ipsius efficacior.

*Portulaca dentium stuporem lenit.*

Anemone.

*Anemone.*

Radix cõmansa pituitã euocat: succus è narib. purgat, & oculorum cicatrices extenuat. Insuper sordida ulcerũ anemonæ expurgant, & lepras detrahunt, mensesq́ appositæ eliciunt, & lac trahũt.

Anethum.

*Anethi facultates.*

Adeò excalfacit anethum, ut habendũ sit aut secundi ordinis intensi, aut tertij remissi. Exiccantis uerò ordinis est secundi incipientis, aut primi finientis. Itaq; meritò in oleo decoctum digerit, dolorem sedat, somnum conciliat, crudos humores concoquit. Vstum autem, tertij ordinis tum calfacientium, tum exiccantium fit. Proinde ulceribus nimis humidis prodest, potissimũ ijs quę in pudendis cõsistunt. At quæ in præputio sunt inueterata, ea probè cicatrice inducit. Cęterùm uiride humidius & minus calidum est: itaq; magis cõcoquit, & somnum conciliat, sed minus discutit.

*Anethum ustũ, pudendorum ulceribus confert.*

Anthyllis.

*Anthyllis utraq;*

Anthillis utraq; modicè desiccat, ut & ulcera glutinet. At quæ chamæpityi assimilis est, subtiliorum est partium, magisq́ detergit, præterea comitialibus competit.

Anthemis, Chamæmelum.

*Anthemis. Chamæmelum.*

Calfacit, & desiccat in primo ordine, estq́ tenuium partium, ac proinde digerendi, laxandi, & rarefaciendi uim obtinet.

Anisi semen.

*Anisi semen.*

Calfacit & siccat in tertio ordine. Proinde urinam mouet, ac digerit, flatusq́ uentris reprimit.

Antirinum, Anarinum.

*Antirinum.*

Semen habet inutile, estq́ cum bubonio similis facultatis.

Aparine, Philanthropos.

*Aparine. Philanthropos.*

Modicè extergit & desiccat, habetq́ nonnihil subtiliũ partiũ.

Apios, Pirus.

*Apios. Pirus.*

Piri folia pariter & turiones, austera sunt. Ex fructu autem, pars una terrea est, alia aquea. Cæterùm utraq; frigida, necnon alia temperata. Proinde esu pira stomacho grata sunt, & sitim prohibent. Illita autẽ desiccant, modiceq́ refrigerãt. Vnde etiam uulnera glutinant.

Achrades, Pira syluestria.

*Achrades. Pira syluestria.*

Magis quàm pira reliqua astringunt et desiccant : ob idq́ maiora uulnera glutinant, fluxusq́ reprimunt.

Apocynum, Cynocrambe, Cynomorum, Syluestris mercurialis.

*Apocynum. Cynocrambe. Cynomorum.*

Canibus iuxtà & hominibus est uenenum, herba grauiter olens, ob idq́ uehementer calida: non tamẽ proportione desiccat. Itaq; illita, admodũ digerentis est facultatis.

Argemone.

*Argemone.*

Et huius herbę facultas abstersoria est, & digerens.

Arisaron.

*Arisaron.*

Multò minus est aro. Radicẽ habet oliuæ magnitudine, sed multò est ipsa acrius.

Aristolochia.

*Aristolochia triplex.*

Radix eius est amara & subacris. Sed ex illis omnium subtilissima est, quæ rotunda. Aliarum uerò duarũ, quæ clematitis appellatur, fragrantior est, infirmior tamen. At longa, tenuitate quidem à rotunda uincitur, abstergendi tamen calfaciendiq́ et ipsa potentiam obtinet : minus sanè quàm rotunda abstergens et digerens, sed non minus calfaciens, imò forsan plus. Itaq; in quibus usus est modicæ abstersionis, commodior est longa: utputa in ulceribus carne implẽdis. At in quibus crassum humorẽ ualidius extenuare oportet, illic usus est rotundæ. Proinde dolores à crasso spiritu inductos, rotunda exactius persanat, extrahit spicula, putredines corrigit, ulcera sordida purgat, dentes et gingiuas splẽdidas facit: auxilio est asthmaticis, singultientibus, comitialibus, podagricisq́, si cum aqua bibatur. Tum ruptis & conuulsis, ut si quid aliud, medicamen idoneum est.

*Aristolochia rotunda admirãda opera.*

Arceuthus,

### Arceuthus, Iuniperus.

*Arceuthus. Iuniperus.* Calida & ſicca eſt tertij ordinis. At fructus, ſimiliter calidus eſt: ſiccus tamen in primo ordine.

### Arctium.

*Arctium.* Quod Thapſo Verbaſco eſt ſimile, radice tenera, candida, dulci, caule oblongo & molli, ſemine cymino ſimili, tenuium eſt partium: ob idq́ facultatis modicè exiccantis & extergentis. Quamobrem radix ac ſemen eius in uino cocta, quadantenus dentium dolores mitigant. Porrò ambuſta & chymethla non horum modò decoctũ, ſed & caules teneriores ſanare poſſunt.

### Arctium aliud, Lappa maior, Bardana.

*Lappa maior. Bardana.* Digerit ſimul & deſiccat: aſtringit tamen nõnihil: unde folia eius antiquis ulceribus proſunt.

### Arnogloſſon, Plantago.

*Arnogloſſon. Plantago.* Refrigerat pariter & ſiccat in ſecundo gradu: habetq́ nonnihil auſterum, ratione terrearũ partiũ. Porrò medicamenta, quę cum hoc quòd refrigerant, unà etiã aſtringunt, ea & ad ulcera rebellia omnia, & ad fluxiones & putredines cõueniunt, ac proinde & ad dyſenterias. Nam & ſanguinis profluuia ſiſtunt, & ſi quid aduratur, refrigerant. Tum ſinus quoq́ glutinant, & alia ulcera recentia ſimul & uetera. Atq́ in omnibus ferè id genus medicamentis primas tenet, aut certè nulli ſecundũ eſt arnogloſſum, ob tẽperaturæ ſymmetriã & conuenientiã. Nam ſiccitatem obtinet morſus expertem, & frigiditatẽ quæ nondum ſtupefaciat. Fructus etiã & radix ſimilis ſunt facultatis, niſi quòd tum ſiccioris, tum minus frigidæ. Quin & ſemen ſubtiliũ eſt partium: radices uerò craſsiorũ. Arlier hæ folia exiccata ſubtiliũ partium exiſtunt, & minus frigidæ facultatis. Radicibus utuntur ad dentium dolores tum mandentes, tum collutionibus incoquentes: præterea ad iecinoris renumq́ obſtructiones non has tantùm adhibent, ſed folia quoq́, & multò magis ſemina.

*Refrigerãtia ſimul & aſtringentia quibus morbis conueniant.*

*Plantaginis radicibus ad dolores dentium utuntur.*

### Arum.

*Arum.* Mediocrem extergendi uim poſsidet, eſtq́ primi ordinis calfacientium & exiccantiũ. Radices eius comeſæ mediocriter humorũ craſsitiem incidunt, ita ut ſint excreationibus ex pectore idoneę.

### Artemiſia.

*Artemiſia utraq́.* Duplex eſt, utraq́ tamen calfacit ſecundo ordine: intenſo autem primo, aut ſecundo remiſſo deſiccat: eſtq́ tenuium partium: unde calculis renum, uteriq́ fomentatiooibus haud mediocriter congruunt.

### Aſarum.

*Aſarum.* Radices eius facultate ſimiles radicibus acori ſunt: intenſiores tamen.

### Aſclepias.

*Aſclepias.* Huius nondum nos periculum fecimus.

### Aſpalathos.

*Aſpalathos.* Acris ſimul & aſtringens eſt. Quare partibus quidem ſuis acribus excalfacit, auſteris uerò refrigerat. Itaq́ utriuſq́ ratione deſiccat: unde ad putredines & fluxiones eſt utilis.

### Aſparagus petræus.

*Aſparagus petræus.* Abſtergendi uim habet citra manifeſtam caliditatem aut frigiditatẽ. Hinc renes ac iecur infarctu liberat, & maximè radices eius, & ſemen: quia & dentium dolores ſanat.

### Aſplenum.

*Aſplenum.* Tenuium quidem partium, non tamen calida eſt herba. Hac utiq́ ratione lapides frangit, & lienes liquat.

### Aſtragalos.

*Aſtragalos.* Radices aſtrictorias ſortitur: quare non inſtrenuè ſiccat. Nam & ulcera glutinat, & aluum fluentem ſiſtit, ſi quis in uino decoctam radicẽ bibat.

### Aſter atticus, Bubonium.

*Aſter atticus. Bubonium.* Partim quidem digerens eſt, partim autem refrigerans: uerùm id non aſtringit.

### Aſtaphis, Vua paſſa.

*Aſtaphis. Vua paſſa.* Culta quidem, concoquendi, aſtringendi, & leuiter digerendi, facultatẽ obtinet. At agreſtis, uehemẽter acris exiſtit, adeò ut ex capite purget, abſtergatq́ ualenter. Itaq́ ad pſoram accõmoda eſt. Sed & urendi uim habet.

### Aſphodelus.

*Aſphodelus.* Huius radix extergentis eſt facultatis. Vſtæ aũt cinis, calidior, exiccantior, ſubtilior, ac digerere potentior exiſtit: ac proinde alopecias ſanat.

### Attractilis, Cnicus agreſtis.

*Attractilis. Cnicus agreſtis.* Facultatem habet deſiccandi, & modicè digerendi: exq́ ſpinarum eſt genere.

### Atraphaxis, Atriplex.

*Atraphaxis. Atriplex.* Humida quidem eſt in ſecundo ordine, frigida uerò in primo: eſtq́ aquea ſimiliter maluæ. Quin & uentrẽ celeriter permeat, ut illa, ob lubricitatẽ. Hortenſes aũt atriplex & malua, q̃ agreſtes, tum humidiores ſunt, tum frigidiores: proinde phlegmonis & phygethlis incipientibus, hortenſes: uigentibus aũt & declinantibus, agreſtes magis conueniunt. Semen eius abſtergendi uim habet. Itaq́ icteritiæ ab obſtructione iecinoris ortæ auxiliaſ.

### Aphace.

*Aphace.* Aſtringit, editurq́ ut ipſa lenticula: ægrius tamen concoquitur. Cęterùm ualentius deſiccat, & moderati caloris eſt.

### Abſinthium.

*Abſinthium.* Aſtrictoriã, amaram, & acrem qualitatem ſortitur, excalfaciens, extergens, roborãs, & exiccãs. Proinde bilioſos uentris humores deijcit, ac per urinas euacuat. Verùm contentam in uentre pituitam nihil adiuuat ſumptũ. Sic nec ſi io thorace aut pulmone cõtineatur: nam aſtringens in eo facultas, quàm amara, ualentior eſt. Eſt autem calidum in exceſſu primo: ſiccũ uerò in tertio. At ſuccus longè quàm herba eſt calidior.

### Balanus Myrepſica, Glans unguentaria.

*Balanus myrepſica. Glans unguentaria.* Succo eius, qui calidus eſt, unguentarij utunſ. Reliquiæ aũt unde expreſſus eſt ſuccus, uincentẽ habent qualitatem amaram, cui admiſta eſt quædam aſtrictio. Proinde extergentem, incidentem, contrahentem, & ſtipantem effectum poſsident. Quòd ſi quis carnẽ eius drachmæ pondere, cum melicrato bibat, medicamen experietur uomitorium. Sæpe etiam per infernã aluum ſubducit largiter. Sed lienes liquat, iecurq́, iodureſcentia: ad quorum uiſcerum expurgatiooem, ex oxycrato ipſam exhibere cõſueuimus. Ex aceto etiã lepras, pſoras, lentes, uitiligines, ionthos, ephelim, exanthemata, achoras, aliosq́ id genus cutis affectus exterit. Abſtergentẽ itaq́ & incidentem cum aſtrictione obtinet facultatem. Cortex autem eius admodum aſtrictorius exiſtit.

### Balſamum.

*Balſamum.* Balſamũ deſiccat & excalfacit ſecundo exceſſu; eſt autem & tenuiũ partium, adeò ut odoratũ ſit. Eius lachryma ſubtiliorum eſt partiũ quàm ipſa

*Opobalſamũ.*

*Carpobalsamū*

planta: non tamen adeò calida ut nonnulli existimant. Fructus eius persimilis facultatis est, longè tamen in subtilitate partium inferior.

Balaustium.

*Balaustium. Cytinus.*

Flos est agrestis punicę, sicuti domesticarū cytinus. Valenter gustum astringit. At uerò si omne astringens terrestre est & frigidū, meritò quis dixerit ipsum ualenter & exiccare, & refrigerare. Quo nomine ulcera ad cicatricem perducit. Quinetiā ad sanguinis reiectiones, dysenterias, necnō uentris uteriq; profluuia, nemo est qui non hoc medicamento utatur.

Batus, Rubus.

*Batus, Rubus.*

Rubi folia, germina, flos, fructus, & radix, qualitate astringente, neq; obscura, participāt. Sed folia germinaq; recens nata plurimum in se habent substantiæ aqueæ, parū uerò astrictionis. Quare uulnera glutināt. At fructus maturus, nō parū liber succi calidi tēperati, qui existit dulcis: ob idq;, & ob modicam astrictionem, non est insuauis gustui. At immaturus, acerbus est, & ualidè exiccatorius. Ac sanè uterq; reconditur, ualidius quàm recens desiceans. Flos eandem uim fructui immaturo posidet. Vtraq; ad dysenterias, uentris profluuium, robur deperditū, sanguinisq; expuitionem sunt idonea remedia. Radix pręter astrictionem, nō paucam habet substantiā in sese tenuem, per quam & lapides renum cōminuit.

*Rubi radix cōminuit lapides.*

Batrachium, Ranunculus.

*Batrachium. Ranunculus.*

Huius omnes quatuor species adeò acres existunt, ut cum dolore exulcerēt. Quare si cōuenienter utare, psoras & lepras excoriant, & ungues diuellunt. Tum leprosis stigmata digerunt, & uerrucas detrahunt. Quin & alopecias iuuant exiguo tempore admotę. Radix arefacta sternutationem prouocat. Sed & dentes dolentes iuuat, sic ut eos frangat. Est itaq; ualde calida & sicca, tum radix, tum uniuersa herba.

Bdellium.

*Bdellium.*

Quod Scythicum nominant, estq; acrius & resinosius, emollientis admodum & efficacis uirtutis est. Arabicum autem, quod splendidius est, magis quàm emollientia exiccat: uideturq; in potu sumptū calculos renum frangere, tum urinas ciere, & crudorum flatuum discursus, prætereà laterum dolores, rupturasq; sanare.

Bechion, Tussilago, Vngula caballina.

*Bechion. Tussilago. Vngula caballina.*

Tusses & orthopnœas iuuare creditur, si quis folia arida aut radicem in prunis urens, ascendentem inde fuliginem inspiratu attrahat. Est autem modicè acris: ut sine molestia, noxáue, omnes thoracis affectus credatur rumpere. Folia oirentia partem recenti phlegmone obsessam illitu adiuuant.

Blitum.

*Blitum.*

Holus est esculentum, humidę frigidæq; temperaturæ in secundo ordine.

Bulbus satiuus.

*Bulbus satiuus.*

Frigidior quidem & crassior agresti est, lentūq; succum procreat. Nam & coctu difficilis est & flatuosus, & venerē prouocans. Attamen illitus ob amaritudinem simul & astrictionem abstergit simul & glutinat, & nimirum etiam exiccat.

Bulbus uomitorius.

*Bulbus uomitorius.*

Multò est calidioris temperaturæ q̄ superior.

Bubonium, Aster atticus.

*Aster atticus. Bubonium.*

Creditur sanare bubonas & illitū, & alligatum inguini. Digerit enim mediocriter, quia modicè est calidum. Cæterùm non ita siccat, ut tendat.

Buglosson.

*Buglosson uino iniectum hilaritatem parit.*

Humidæ calidæq; temperiei est. uinisq; iniectū hilaritatis causa esse creditur. Sed gutturis etiā lenit aspredinem, si melicrato coctum sumatur.

Bunium.

*Bunion.*

Adeò excalfacit, ut & urinas moueat, & menses prouocet.

Buphthalmos.

*Buphthalmos.*

Flos eius floribus chamæmeli est tum maior, tum acrior: uehementiusq; digerit, adeò ut & durinas sanet, cerato mistus.

Brathy, Sabina.

*Brathy. Sabina.*

Quantùm in acrimonia cupressum uincit, tantùm ab eo superatur in astrictione: quare illo & calidior est, & potētius digerit. Quin & similiter cupresso putredinibus accōmodari potest, maximè ubi rebelliores fuerint, & diuturniores. Carbunculos itē soluit: mensesq;, ut si quid aliud, essentiæ tenuitate prouocat, & sanguinem per urinas mouet. Fœtum etiam uiuentem interficit, & mortuū educit. Esto autem hoc medicamen tertij ordinis tum excalfacientium, tum exiceantium, ex numero eorum quę uel maximè tenuium sunt partium.

Bretanica.

*Bretanica.*

Huius folia astringentia sunt, & uulnerum glutinatoria, similia agrestibus lapathis. At expressus ex illis succus perinde natus est astriogere, uideturq; sanare iam putrescentia.

Bromus.

*Bromus.*

Illitum desiccat, digeritq; mediocriter & sine morsu. Temperiem autem habet paulò frigidiorem. Nonnihil etiam astrictionis obtioet, ut uentris profluuia iuuet.

Bryon thalattion, Alga.

*Bryon thalattion. Alga.*

Compositum est ex terrea & aquea essentia, utraq; frigida. Siquidem & gustum astringit, & calidis quibusuis illitum, ea refrigerat, adiuuatq;.

Bryon aut Splanchnon, Muscus.

*Bryon. Splanchnon. Muscus.*

Vim haber astringentē inualidam, cæterū mediocriter frigidā. Nam & digerendi, & emolliendi facultatis est particeps.

Gallium.

*Gallium.*

Inde nomen sumpsit, quòd lac coagulet. Facultatem autem obtinet exiccatoriam, & subacrem. Flos eius competere sanguinis profluuijs uidetur, & combustis mederi. Est autem boni odoris, & coloris lutei.

Gentisna.

*Gentiana.*

Huius radix efficacissimè extenoat, purgat, abstergit, liberat obstructione, utpote impensè amara existens.

Gigarta, acinorum uuæ nuclei.

*Gigarta. Acinorum uua semina.*

Ex secundo exiccantiū sunt ordine: refrigerantium uerò, primo. Omnibus autem uentris cum profluuio iunctis affectibus, impendiò cōferunt, utpote quum acerbi appareant.

Gingidium.

*Gingidium.*

Gustu amarum & astringens quum sit, temperie calidum frigidumq; uidetur. Secundū utranq; uerò qualitatem desiceatorium est. Cætera porrò stomacho amicum existit.

Glaucium.

*Glaucium.*

Astringit cum quodam fastidio: tum adeò insigniter refrigerat, ut solum sæpe erysipelata, si ualentia non fuerint, curare posit. Constat enim ex aquea terreaq; substantia, utraq; frigida.

Glaux

Glaux herba.

*Glaux herba.*

Ex lacticinijs quum fit, calida quodammodo humidaque fuerit.

Glechon, Pulegium.

*Glechon. Pulegium.*

Quandoquidem acris & subamara est, ualde extenuat & calfacit. Quare & illita rubricat, & exulcerat si diutius hæreat. Quinetiam humida, crassa, & lenta, ex thorace & pulmone excreatu facilia facit, mensesque mouet.

Glœos, strigmenta balneorum.

*Glœos. Strigmenta.*

Modicè emolliendi uim obtinet.

Glycyrrhiza, Dulcis radix.

*Glycyrrhiza. Dulcis radix.*

Similiter radici ipse succus, dulcis leuiterque astringens existit. Proinde non modò asperæ arteriæ, sed uesicæ etiam scabritiē lenire potest, idque temperaturæ mediocritate. Quare fuerit sanè natura eius familiaris nostræ temperaturæ. Cæterùm tepidam quandam caliditatem sortitur. Porrò quoniam temperie quoque est humidum, id quod modicè est dulce, iure sanè etiam siti congruens medicamentum est, nimirum modicè humidum, humanaque natura frigidius. Dioscorides ait, arefactæ radicis pollinem unguibus oculorum mederi.

*Dulcia modicè esse humida. Glycyrrhiza sitim lenit.*

Glycysida, Pæonia.

*Glycysida. Pæonia.*

Radicem habet leuiter astringentē, cum quadam dulcedine: ac si plusculum dentibus mandas, acrimoniam item quampiam subamaram subesse percipies. Proinde mēses cier ex melicrato, amygdali pota quantitate. Expurgat porrò etiam iecur obstructū, & renes: uentrisque sistit fluxiones, si in aliquo austero uino cocta sumatur. Est præterea omnino resiccatoria: quare ex collo pueris suspensa, meritò comitialem morbum persanat: idque aur aliquem à se fluorem per infantuli inspirationem immittens, aut aerem assiduè mutans, atque alterum reddens. Nam hoc pacto succus Cyrenaicus columellam phlegmone affectam iuuat: & melanthium frictum palàm catarrhos & coryzas desiccat, si quis id in calidum linteum rarum liget, assidueque calorem ex eo per inspirationem in nares attrahat. Quinetiam si compluribus linis, & maxime marinæ purpuræ, collo uiperæ iniectis, illis uiperam præfoces, eaque postea cuiuspiam collo obuincias, mirificè profueris, tum paristhmijs, tum omnibus ijs quæ in collo expullulant. Pæonia itaque & exiccat, & tenuiū est partium: calfacit autem mediocriter.

*Pæonia appensa comitialem morbum persanat. Cyrenaicus succus. Melanthium. Vincula quibus præfocaueris uiperam, conferre tumoribus gutturis.*

Gnaphalium.

*Gnaphalium.*

Folia eius modicè astringunt: quare ex aliquo uino austero dysentericis prosunt.

Gongilis, Rapum.

*Gongilis. Rapum.*

Gongilidis semen uenerem excitat, utpote spiritum flatuosum gignens. Sic & radix coctu difficilis est: inflatque & semen generat.

Damasonium, Alisma.

*Damasonium. Alisma.*

Decoctum radicis eius calculos renum comminuit. Quare abstersoriæ facultatis est particeps.

Daucus, Staphylinus.

*Daucus. Staphylinus.*

Domesticus eius aptior, sed imbecillior, acrem calidamque facultatem sortitur: ac proinde etiam extenuat. Ac radix sanè flatuosum quid obtinet, ac uenereum. Semen autem, domestici quidem, & ipsum quandam ad Venerē ciendi potentiā possidet: agrestis uerò planè flatu caret, ac proinde urinam mensesque ciet.

Dauci semen.

*Dauci semen.*

Adeò uehemēter excalfacit, ut inter prima, tum urinam, tum menses prouocet. Multùm etiam digerere per halitum foris impositum ualet. Ipsa uerò herba, moderatè calida est, similemque etiā uim obtinet, cæterùm infirmiorem.

Daphne arbor, Laurus.

*Daphne. Laurus.*

Huius folia calfaciunt & siccant uehementer: at fructus adhuc uehemētius. Radicis cortex minus quidem acris est & calidus, cæterū plus amarus: habetque etiā astrictionis nonnihil. Quamobrem & calculos confringit, & iecori prodest. Bibitur ex uino fragrante trium obolorum pondere.

Daphne herba, quam Alexandrinā appellant.

*Daphne herba.*

Euidenter est calida, acris, & subamara, potaque tum urinas, tum menses prolicit.

Chamædaphne.

*Chamædaphne.*

Persimilis quidē est uiribus daphnæ Alexandrinæ: sicuti & quod daphnoides uocant.

Dictamnum.

*Dictamnum.*

Tenuiori essentia constat quàm pulegium, cætera illi simile. At pseudodictamnū ad omnia imbecillius existit.

Dipsacos.

*Dipsacos.*

Dipsaci spinæ radix ex secundo ordine exiccatoria est, habetque nonnihil & abstersorium.

Dorycnidion.

*Dorycnidion.*

Aquea excellit frigiditate. Quamobrem paucu lum quidem soporem conciliat: plusculum uerò sumptum, perimit.

Dracuntium, Dracunculus.

*Dracuntium. Dracunculus.*

Quiddā aro persimile obtinet, tum folijs, tum radice. Cæterū illo acrius est, & amarius: ac proin de calfactorium magis, & tenuioribus partibus. Habet etiam & astrictionem leuiculam. Radix omnia uiscera expurgat, optimumque remedium est contumaciū ulcerum. Verùm exterget etiam cætera omnia quæ exterfionē desiderant. Folia præterea similem facultatem sortiuntur, ob idque si sint uiridia, recentia uulnera glutināt. Fructus ualentior est, non folijs tantùm, sed radice. Itaque & cancros, & polypodas creditur eliquare. Succus eius quoque uitia oculorum expurgat.

Dryopteris, Filicula.

*Dryopteris. Filicula.*

Dulcis, acris, amara, & in radice etiam acerba existit. Habet aūt facultatem putrefaciendi: proinde pilis glabram cutim efficit.

Drys, Quercus, Robur.

*Drys. Quercus. Robur. Fagus. Ilex.*

Exiccandi astringendique possidet facultatem, cum mediocri quadam tepidaque caliditate. Cæterùm plus cæteris eius partibus astringit, quæ in trunci cortice membrana subest: tum quæ ipsius fructus conuestit carnē. Quamobrē ad profluuiū muliebre, sanguinis expuitiones, dysenterias, & diuturnos uentris fluxus esse credunt accōmodam. Valentius tamen astringunt fagus & ilex. Quarum plantarum folia tenella illita non infirmè desiccant, necnon uulnera glutināt. Eandem folijs uim habet & fructus roboris: eoque Medici nonnulli utuntur ad incipientes atque crescentes phlegmonas.

Ebiscus, Althea, Agrestis malua.

*Ebiscus. Althea. Malua syluestris.*

Facultate digerendi, laxandi, phlegmone liberandi, mitigandi, & concoquendi difficiles coctu affectus est prædita. Cæterùm & radix & semen quàm folia, & tenuiorum sunt partium, magisque

exiccatoriam & exterſoriam facultatē oſtendunt, ut & uliligines detergant, & ſemen renum calculos frangat. At radicis decoctum, ad dysenteriā, diarrhœam, & sanguinis reiectionem est aptum, quum uimirum etiam nonnihil astringat.

Ebenus.

*Ebenus.* Ex ijs lignis est, quæ trita in aqua soluūtur. Vis ei inest excalfaciendi, extergendi, & tenuium partium. Quamobrem, quæ pupillas offuscant, extergere creditur: miscetur'q; alijs ocularibus medicamentis.

Elæa, Olea.

*Elea. Olea.* Oliuæ rami quantū habent astrictionis, tantæ sunt frigiditatis participes. Fructus uerò, si quidē ad unguem maturuit, moderatè calidus est: sin immaturus, magis tum astringit, tum refrigerat.

Elæon, oleum.

*Elæon. Oleum.* Oleum quod ex oliuis exprimitur, humectatorium esse, & moderatè calidum, iam suprà docuimus. Eiusmodi est, quod est dulcissimum: fitq; potissimum ex oliuis quas druppas appellant. *Olei differētia.* Cæterùm quod omotribes & omphacinum nuncupant, quale ab Hispania uehitur, id quantū in se habet astrictionis, tantum etiam illi inest frigiditatis. Porrò oleū uetus quod quidem ex dulci inueterato efficitur; & calidius est, & potentioribus ad euaporandū uiribus: quod uerò ex crudo, id, dum reliquum quippiam seruauerit astrictionis, mistæ permanet facultatis: ubi uerò illam prorsus abiecerit, reliquo euadit simile. Quinetiam quicunq; in præparando ramos inijciunt, ij omphacino simile oleum efficiunt. Porrò quòd oleum lotum minimè omnium mordacitatem contineat, suprà etiam traditum est. *Oleum lotum est minimè mordicans.* Sunt autem uaria oleorum genera: quibus sanè cicinum & tenuius, & ad discutiendum potentius est, quamsimillimum oleū ex oliua uetusto. Raphaninum autem, cætera huic est simile, sed calidius tamen. At hoc etiam calidius sinapinum: cui simile est quod ex melanthio conficitur. Pugnant cum istis myrtinum & sesaminum, tum quòd astringant, tum quòd crassarum sint partium. Mistæ facultatis est lentiscinum, terebinthinum, & masticinū. Non enim tantùm emolliunt, sed & astringunt. Amygdalinum porrò amaritudinem exuperautem possidet, cæterùm cuiusdā astrictionis est particeps: non tamen caryinum, sed id uel maximè simplicis est digerendi facultatis. Calidius eo est laurinum, & hoc etiam magis, cedrinum. Proximum ei est quod ex nigra pice conficitur. Dadinum, minus quidem laurino calidū, uerùm ualentius desiccans. Hyoscyaminum uerò mistę facultatis est, emolliendi uidelicet, ac refrigerandi. Oleum porrò cicinum, uentrem subducit. Hoc uerò magis, quod fit ex Gnidio grano. Quod ex agresti oliua exprimitur, extergit, simulq; astringit. Squalidissimum enim id est ex omni olei genere: & pòst, Istricum quoq;, deinceps illis Hispanum. Pinguissimum est Lybicum, & Cilicium: simul autem pingue & tenue, Sabinum. In medio comprehensorum omniū sunt, tum id quod per Cycladas insulas nascitur, tum quod per Græciam, Asiamq;. *Oleum pingue, tenueq; qua ratione æstimetur.* Etenim oleum pingue æstimatur uiscositate: tenue uerò, si pellucrat, si purum sit, si plurimū minima eius portione iuungatur, si facilè à cuti combibatur. Omne autem oleum pro cuiusq; inlectorū natura uariari contingit.

Elatine.

*Elatine.* Modicè tum refrigerat, tum astringit.

Elaphoboscos.

Excalfacit, & tenuium est partium: ob idq; exiccat, maximè in secundo ordine.

Elenium, Enula campana.

*Elenium. Enula campana.* Radix eius calida & sicca est cum recrementitio humore. Quare eclegmatis quæ faciūt ad educendos crassos ex pectore succos, idoneè miscetur. Iuuat etiam ad rubrificandas partes uexatas frigidis diuturnisq; affectibus.

Elelisphacos, Saluia.

*Elelisphacos. Saluia.* Euidenter excalfacit, ac leuiter subastringit.

Helleborus, Veratrum.

*Helleborus. Veratrum.* Tam albus quàm niger helleborus extergentis calfacientisq; est potentię. Quamobrē ad alphos, lichenas, psoras, leprasq;, accōmodi sunt. Quinetiā niger si in fistulam callo induratam infundatur duobus tribúsue diebus, callū detrahit. Dentibus prodest cum aceto colluentibus. Sunt autē in tertio ordine excalfacientium & desiccantium. Porrò niger gustu calidior est, candidus amarior.

Helxine, quam Parthenium uocant.

*Helxine. Parthenium.* Abstergit, constringitq; cum humiditate subfrigida: unde phlegmonas incipientes usque ad augmentum sanat, maximè si calidæ fuerint. Incipientibus etiam phygethlis cataplasmatis ritu illinitur: ad auriumq; dolores phlegmonosos succus eius instillatus, sicuti ad paristhmia gargarizatus, conducit.

Helxine, quam cissampelon uocant.

*Helxine altera Cissampelos.* Digerendi obtinet facultatem.

Elynus, Meline, Panicum.

*Elynus. Meline. Panicum.* Facultate pauci nutrimenti est, & exiccatoria. Sistit nonnihil uentris fluxus, ut milium. Si uerò foris illinatur, exiccat atq; refrigerat.

Empetron.

*Empetron.* Ad solas purgationes esse uidetur commodū, bilem ac pituitam educens: iuuat tamen ad alia, gustu salsum existens.

Epithymum.

*Epythmum.* Thymi facultatem habet, ad omnia efficacius. Exiccat & calfacit in tertio gradu.

Epimedium.

*Epimedium.* Refrigerat moderatè, cum aquea humiditate. Vberibus illitum, surrecta ea seruare potest. Aiunt uerò, si potu hauriatur, sterilitatem părere.

Epimelis, Pomus syluestris.

*Epimelis. Pomus syluestris.* Fructus eius acerbus est, stomacho tamen ingratus, & capitis mouens dolores.

Erebinthus, Cicer.

*Erebinthus. Cicer.* Legumen est flatuosum, copiosi nutrimenti, aluo mouendę habile, ciendæ urinæ idoneum, lacti & semini generando aptum. Prolicit uerò & menses. Cæterùm quod arietinum dicitur, efficacius urinam prouocat: cuius decoctum renum calculos frangit. Reliquum erebinthorū genus eadem ui pollet, puta attrahendi, digerendi, incidendi, extergendi. Sunt enim calidi & modicè sicci: participes item amaritatis, cuius ui & lienē, & iecur, & renes expurgant, psorasq;, & lepras, & lichenes extergunt, tum parotidas & testes induratos discutiunt, tum ulcera maligna cum melle sanant.

Erebinthus agrestis.

*Cicer agreste.* Calidior & siccior domestico est, quantò & acrior & amarior existit.

Erice,

### Erice.

*Erice.* Digerendi per halitum facultatem obtinet: sed præcipuè flore eius ac folijs utendum.

### Herpyllus, Serpyllum.

*Serpyllum. Herpyllus.* Vsquea deo calfacit, ut urinas & menses moueat. Estq; & gustu admodum acre.

### Erysimum.

*Erysimum.* Semen eius igneum est, & calfactorium. Vtile est cum eclegmatis ad promouendas crassorū ex pectore expuitiones. Quin & parotidas induratas, & duritias antiquas uberum & testiculorum, iuuat: & ut Dioscorides ait, etiā occultos cāceros.

### Erythrodanum, Rubia passiua.

*Erythrodanon. Rubia tinctorum.* Est autem tinctorū rubia, radix acerba & amara: quare lienē, & iecur expurgat, & urinas crassas, multas, & interdum sanguinolentas promouet. Quin & menses ciet, extergitq; mediocriter. Proinde uitiligines albas cum aceto illita iuuat.

### Eupatorium.

*Eupatorium.* Tenuium est partium, incidendiq; & extergendi uim, citra manifestam caliditatē, obtinet: quocirca obstructiones iecoris aperit. Inest ei quædā etiam astrictio, per quam robur uisceri addit.

### Euphorbium.

*Euphorbium.* Vrentem & tenuiū partium facultatē sortitur.

### Ephemeron, Iris agrestis.

*Ephemeron. Iris agrestis.* Astringit quidem, estq; suauis odoris. Quare & repellit, & per halitum digerit. Non inefficaciter autem radix eius in dentium dolore colluitur. At folia cocta in uino, phymatum augmento & statui congruunt.

### Echinus herba.

*Echinus herba.* Fructus eius acerbus est, atq; idcirco repellentis facultatis & exiccatoriæ. Vtuntur eo ad oculorum auriumq; fluxiones.

### Zeia, Spelta.

*Zeia, Spelta.* Vniuersa sua facultate, quodammodo in medio est tritici & hordei.

### Zingiberis radix.

*Zingiberis radix.* Excalfacit, sed non primo statim occursu, ueluti piper: unde sanè & minus esse subtilium partium, quàm piper existimanda. Etenim illaboratam quandam, & crassam retinere in se uidetur humiditatem, quemadmodū piper longū. Quare diutius perseuerat quæ proficiscitur à zingibere, aut pipere longo caliditas, quàm quæ ab albo, aut nigro. Porrò ubi totum corpus celerrimè calfacere cōsilium est, ea tunc exhibenda sunt, quæ & celerrimè à caloris nostri contactu incalescant, & promptissimè undequaq; ferantur. Verùm ubi partem quamuis refrigeratam recalfacere studemus, contrà agendum: nimirum quæ tardè calescentia, plurimo tempore perdurēt, ea præbendo. Cæterùm licet zingiber & piper * longum hac ratione à nigro pipere differant, non magna tamen est differentia. At nasturtium, napy, thapsia, & agrestium columbarū stercus, maiori tēpore perfectè accenduntur, & plurimo tempore perdurant.

### Zythus.

*Zythus.* Non parum est acrior hordeo, succiq; praui, quum ex putredine oriatur. Est & flatuosus, ac partim acris & calidus: parte uerò plurima frigidus, aqueus, acidus.

### Zyme, Fermentum.

*Zyme. Fermentum.* Tenuium est partium, & mediocriter calidum: proinde citra molestiam quæ in profundo sunt extrahit & digerit. Particeps autem est aciditatis cuiusdam frigidæ, & caliditatis ex putredine natæ: Cui accedit ea quæ à sale est, * & quæ etiam à farinæ natura.

### Hedyosmos, Mentha.

*Hedyosmos. Mentha.* Tam mentha, quàm calamintha, gustu acris, & facultate calida est, ex tertio calfacientiū ordine. Infirmior tamē est mētha, & minus excalfacit: cæterùm mediocriter ad Venerem excitat: id quod omnibus accidit, quæ humiditatem semicoctam & flatuosam continent. *Calamintha.* At calamintha, quum ualentius calfaciat & exiccet, habet etiam quiddam amarum in se, atq; acerbum. Quare illo quidem lumbricos perimit: acerbitate uerò, si cum oxycrato bibatur, recentes sanguinis reiectiones reprimit. Substantia est, ut si qua alia herba, tenuium partium.

### Hedysarum.

*Hedysarum.* Huius semen amarum & subacerbum apparet: ob idq; potum stomacho gratū existit, uiscerumq; obstructiones expurgat. Idem præstant totius fruticis germina.

### Hemerocalles.

*Hemerocalles.* Radicem habet lilij radici similem, & figura & uiribus: prodestq; ut illa, igni ambustis, nimirum tum leuiter digerens, tum nihil astringens.

### Hæmionitis.

*Hæmionitis.* Astrictionem simul & amaritudinem possidet. Quamobrē cum aceto pota lienosis auxilio est.

### Erigeron.

*Erigeron.* Refrigerat & modicè digerit.

### Eryngion.

*Eryngion.* Calore quidem est temperatū, non paruam tamen siccitatē sortit, consistentē in tenui essentia.

### Thalietrum.

*Thalietrum.* Folia habet coriandro similia: caulem crassitudine rutæ. Vis eis inest citra morsum exiccatoria. Itaq; ulcera inueterata ad cicatricem perducit.

### Thapsia.

*Thapsia.* Acrē habet ac ualenter excalfacientē facultatē cū humiditate coniunctā. Quare ex alto uiolenter extrahit, & q̊d extraxit, digerit: celeriter tamen corrūpitur.

### Thermus, Lupinus.

*Thermus. Lupinus.* Præmaceratus aqua, amaritudinē exuit, ediq; potest, sed nutrimentum fit crassi succi. Vbi uerò natiua etiamnū amaritas permanet, extergendi, digerendiq; uim obtinet. Interficit autem lumbricos, tum illitus, tum addito melle linctus, tum ex posca epotus. Quin & decoctum eius lumbricos eijcere potest: tum etiā foris identidem perfusum, uitiligines, achoras, exanthemata, psoras, gangrænas, malignaq; ulcera, iuuat. Expurgat iecur & lienem cū ruta & pipere suauitatis gratia sumptum. Elicit menses & fœtū cum myrrha & melle impositum. *Lupinorum farina quib. morbis medeatur.* Lupinorum porrò farina, etiam mordicatione digerit: nec liuida tantùm, sed & chœradas & phymata curat, si in aceto, aut oxymelite, aut posca coquatur.

### Thermos agrios, Lupinus agrestis.

*Lupinus agrestis.* Amarior est, & ad omnia ualentior domestico, eiusdem genere cum ipso facultatis.

### Thlaspi.

*Thlaspi.* Semē eius facultatē acrem sortitur, adeò ut internos abscessus potū disrumpat. Menses ciet, & fœtum enecat. Per sedem infusum sanguinolenta

euacuans ischiadibus prodest: euacuatq; supernè & infernè bilem oxybaphi mensura epotum.

Thridax, Lactuca.

*Thridax. Lactuca.*

Humida & frigida est, secundum aquæ fontanæ frigiditatem. Proinde ad calidas phlegmonas, & ad parua & leuia erysipelata, est cõmoda: prætereà restinguit sitim. At semen potum, genituræ profluuiũ cohibet. Sic & agrestis lactucæ semen. Cuius holeris colligitur succus, argemas & caligines purgans, inungiq; ad adustiones cum lacte muliebri solitus.

*Lactuca semen genituræ profluuium cohibet.*

Thymum.

*Thymum.*

Incîdit & calfacit uehementer, ob idq; urinam & menses prouocat, fœtum euellit, potum uiscera expurgat, educendis ex thorace & pulmone confert, ac deniq; excalfacit exiccatq; in tertio ordine.

Idæa radix.

*Idæa radix.*

Admodum gustu est acerba. Quare sanguinis effusiones, lienterias & dysenterias, mẽsesq; fluentes supprimit, tum pota, tum etiã admota extrinsecus.

Ixos, Viscum.

*Ixos. Viscum.*

Ex plurima aërea & aquea, paucissima terrena substantia constat. Quare ex alto humores extrahit, eosq; diffundit & digerit. Tempus autem ut calfiat postulat.

Ios, Viola.

*Ios. Viola.*

Violæ folia aqueã & subfrigidam substantiam superantẽ possident. Proinde tum per se, tum cum polenta illita, calidas phlegmonas mitigant. Imponuntur & ori uentriculi æstuanti, & oculis.

Hippuris, Cauda equina.

*Hippuris. Cauda equina*

Astringentem cum amaritudine facultatẽ possidet, ac proinde ualenter exiccantẽ, sed citra morsum. Itaq; uulnera etiam maxima glutinat, uel si persectos esse neruos contigerit. Præterea uocatas enterocelas glutinat: necnon sanguinis reiectiones, fluentes menses, dysenterias, cæterosq; alui fluxus coërcet. Succus uerò eius prodest sanguinis eruptioni per nares, & fluxui obnoxijs in uentre passionibus, ex austerorũ uinorum quopiam epotus: ac si febre teneantur, ex aqua.

Hippomarathrum.

*Hippomarathrum.*

Vnà cum fœniculo & de ipso differemus.

Isatis.

*Isatis.*

Domestica quidem qua utuntur tinctores, facultatis est ualenter exiccantis, nondũ tamen mordentis: est enim simul amara & astringens. Proinde magna uulnera corporum durorum glutinat: & sanguinis profluuio laborantibus partibus utiliter illinitur: tumores laxos mirificè digerit, simul ac reprimit, & aduersus omnia maligna ulcera mirabiliter resistit. At isatis syluestris manifestè iam acre quiddam, tum gustu, tum actione præfert. Proinde quàm domestica magis desiccãs, ualentius etiam putredinibus obsistit: ad cætera iam comprehensa deterior.

Isopyron, Phasiolon.

*Phasiolon. Isopyron.*

Semen habet amarum & subacerbum. Extergit itaq; & incidit humores crassos, cum hoc ut corpora contrahat, constringatq;. Quare excreationibus pectoris confert, & iecur expurgat, crediturq; iuuare hæmoptoicos.

Itea, Salix.

*Itea. Salix.*

Salicis folijs ad cruenti uulneris glutinationẽ uti possis. Verũ floribus eius maximè propè omnes utuntur ad exiccantis emplastri præparationem. Est enim uis eorum ita desiccatoria, ut morsu abstineat. Habet uerò etiam quandam astrictionem. Porrò succus expressus medicamen exiccatoriũ existit, expersq; mordacitatis. Nec enim inuenias aliquod medicamen ad plures res utilius eo, quod citra mordacitatẽ exiccat. Arboris cortex similẽ facultatẽ obtinet, tum floribus, tum folijs, nisi quòd temperaturæ siccioris existit, ueluti omnes cortices. Etenim cinere corticis macerato in aceto, nonnulli callos atq; myrmecias tollunt.

*Salicis corticis cinere macerato in aceto, callos atq; myrmecias exteri.*

## *GALENI PERG. DE SIMP. medicamentorũ facultatibus lib. VII.*

Calamintha, Nepita.

*Calamintha. Nepita.*

Essentia quidem est tenui, temperie autem calida & sicca, quodammodo in tertio ordine. Est enim acris gustu, paulumq; amaritudinis obtinet. Extrinsecus admota, primùm quidem ualde excalfacit & mordicat, cutemq; exugit: postremò etiam ulcus efficit. In corpus autem intrò assumpta, tum ipsa per sese sicca, tum etiam cum melicrato, perspicuò calfacit, atque sudores ciet, omneq; corpus tum digerit, tum exiccat. Idcirco ea contra rigores repetentes per circuitum nõnulli utuntur, sicuti & contra ischiadicos morbos: trahit enim quæ in profundo hærent ad superficiem, totumq; adeò articulum excalfacit, & cutem non obscurè adurit, mensesq; tum epota, tum apposita, admodum efficaciter prouocat, ac deniq; elephantiacis etiam probè auxiliatur. Præterea cicatricibus atris candorem restituit, & sugillata digerit. Præstat autem in huiusmodi, ubi in uino decoxerimus, ipsam emplastri ritu apponere, & uiridem magis quàm siccam. At sicca, ad uenenatarum bestiarum morsus assumitur: uelutì etiam cauteria, & quæcunq; medicamenta calida sunt & acria. Succus eius aut infusus, aut epotus, ascaridas, lumbricos, & aurium uermes enecat. Sic & conceptum interimit, eijcitq;. Igitur incidendi quidem ei uis adest, ob calorem, tenuitatem, amaritudinem: abstergendi uerò, propter solam amaritudinem. Quare asthmaticis atque ictericis conuenit. Ad omnia tamen dicta, montana efficacior existit.

Calamus odoratus.

*Calamus odoratus.*

Leuiculam quandam astrictionem, ac minimã acrimoniam possidet. Siquidem magna ex parte essentia quidem eius terrena est, & aëria: temperies autem, calida & sicca in secundo excessu, nisi quòd ualentius desiccat. Porrò moderatè mouet urinam: ac facultatibus quę iecori stomachoq; imponuntur, necnon ijs fomentis quæ inflammato utero, aut mouendis menstruis administrantur, cõmodissimè potest misceri.

Calamus phragmites, Canna.

*Calamus phragmites. Canna.*

Radix eius cum bulbis, aculeos stipitesq; infixos extrahere ex alto traditur. Etenim abstergentem, minimeq; acrem facultatem sortitur, quemadmodum & ipsa folia. Cortex uerò combustus, admodum tenuium partium & digerentis facultatis efficitur, cum nonnulla abstersione, ut exiccet & calfaciat tertio quodammodo ordine. Cæterùm eius flos est uitandus. Nam si in aures incidat, adeò tenaciter hærens affigitur, ut auelli non possit, auditumq; uitiat.

*Calami flos uitiat auditum.*

Canca-

Cancanus, Cacalia.

*Cancanus. Cacalia.*

Radix cancani, crassam, emplasticamq; & exiccantẽ habet essentiam, sed mordacitatis expertem. Quare macerata uino, sicuti tragacãtha, & lincta, aut cũmansa, arteriæ asperitates sanat.

Cannabis.

*Cannabis semen.*

Cannabis semẽ adeò flatus discutit exiccatq;, ut si largius edatur, genituram absumat.

Capnios, Fumaria.

*Capnios. Fumaria.*

Acris, amaræ, & acerbæ qualitatis est particeps. Quãobrem urinã biliosam, multamq; prouocat: sanatq; tum obstructiones, tum imbecillitates iecinoris. Succus eius oculorũ aciem acuit, nõ parũ trahens lachrymarũ, ueluti ipse fumus.

Capparis.

Capparis radicis cortex uincentẽ habet qualitatem amaram, proximam acrem, deinde acerbam: ob idq; pugnantibus facultatibus constat: quippe abstergere, purgare, incidere, potest amaritudine: excalfacere, incidere, digerere, acrimonia: contrahere, densare, astringere, acerbitate. Quare lienes induratos, si quid aliud, maximè potest iuuare, tum foris medicamentis quæ illinuntur admistus, tum intra corpus assumptus, siue decoctus in acetu oxymelitéue, siue cõtusus atq; illis permistus: cùm nimirũ crassos lentosq; humores apertè hoc pacto sumptus euacuet: nec eos tantũ per urinas, sed per uentrem etiam sæpe sanguinulentos defert: unde & lienes adiuti sunt, & coxarum dolores. Quinetiam menses promouet, ex capite purgat, auxiliatũ ruptis atq; cõuulsis, necnõ malignis ulceribus, cataplasmatis modo impositus. Præterea dentium dolores adiuuat, interim cum aceto coctus, interim cum uino, sæpe solus dentibus mansus. Ad hæc uitiligines cum aceto detrahit, & chœradas, & duros tumores digerit, idoneis ad eas medicamentis mistus.

*Capparis radicis cortex intus & foris adhibitus, quæ moliatur.*

*Capparis fructus & folia.*

Radicis cortici fructus proportione respondet, nisi quòd ad omnia sit imbecillior. Imò & folia, & caules similem etiã uim obtinent. Admiscemus tamen illis aliquid, quod eorum uehementiam obtundat. Nec mirum est, quòd auriũ uermes sua perimant amaritudine.

Cardamum, Nasturtium.

*Cardamum. Nasturtium.*

Nasturtij semen adurentis facultatis est particeps, ueluti napy. Proinde omnia quæ rubrificationem postulant, eo excalfaciũt. Miscetur quoque remedijs quæ exhibentur asthmaticis, tanquam ualenter crassos succos incidere ualeat. Porrò & herba arefacta, semini similem facultatem sortitur. Nam quæ humida est & uiridis, multis numeris inferiorem.

Cardamomum.

*Cardamomum.*

Quantò suauius magisq; fragrans nasturtio est, tantò & imbecillior ei calida facultas inest. Nec enim ulcerare est idoneum. Habet autẽ adiunctũ quiddam amaritudinis, qua lumbricos interficit: & cum aceto ualenter psoras detergit.

Caron.

*Caron.*

Cari semẽ calfacit & exiccat tertio quodãmodo ordine, moderatè acrẽ possidens qualitatẽ. Itaq; & flatus extinguit, & urinas ciet, tum semẽ, tum planta.

Casia.

*Casia.*

Exiccat & calfacit tertio quodammodo ordine: sed & tenuiũ admodum partium est, habetq; acrimoniæ plurimum, ac leuiter nonnihil astringens. Incidit itaque simul & digerit, roburq; instrumentis addit. Quare mensibus est mouendis idonea, ubi à copia simul & crassitudine illi suppressi fuerint.

Carya, Nuces.

*Carya. Nuces.*

Arbor tum in folijs, tum in germinibus astrictionem quandam possidet, cæterũ euidentem multamq; in nucis putamine recenti pariter & sicco. Eius autem succo expresso, ac melle decocto, nos uice stomatici medicaminis utimur. Oleum quod ex fructu elicitur inueterato, admodum per halitum digerit. Quare nõnulli eo gangrænas, carbunculos, & ægylopas sanant. Sunt qui ad neruorum uulnera utantur. Cæterũ si recens sit, astringentis nõnihil qualitatis obtinet. Nucleus arefactus & ustus, tenuium partium & exiccatoriũ citra morsum est medicamẽ.

*Nux pontica. Auellana.*

At pontica nux, quam λεπτοκάρυον & auellanã appellant, plus habet essentiæ terrestris ac frigidæ. Itaq; austerior tum cortex, tum planta, tum fructus apparet.

Caucalis.

*Caucalis.*

Excalfacit & desiccat. Præterea urinam ciet, muriaq; ad repositionem conditur.

Carpesium.

*Carpesium.*

Simile est ualerianę, tum gustu, tum facultate: sed plus habet tenuitatis. Proinde magis ea uiscerum obstructiones extergit, urinam mouet, renesq; calculis degrauatos expurgat.

Cenchrum, Milium.

*Cenchrum. Milium.*

Primo ordine refrigerat. Exiccat uerò tertio exoluto, aut certè secundo intenso. Paululum etiam tenuitatis sortitur. Quibus de causis inter omnia frumentaria edulia minimum nutrimẽti largitur. Ventrem tamen desiccat, forisq; admotum in sacculis, idoneum fomentum est ijs, quæ citra morsum exiccari postulant.

Cedrus.

*Cedrus.*

Cedrus specie est duplex: altera fruticosa iunipero assimilis: altera arbor non exigua. Vtraq; est calidæ siccæq; temperaturæ tertij quodãmodo ordinis secundũ utrunq;.

*Cedrea.*

Cæterũ cedrea (uocatur ita cedri oleum) quartum etiam ordinem attigisse uidetur, admodum calida & tenuiũ partium. Quare mollem uiuentiũ carnem promptè citraq; dolorem putrefacit. Nam mortuorũ corpora exiccat, simulq; à corruptione tuetur, utpote humiditates eorũ depascens, at solida haudquaꝗ attingens corpora. Nec mirum uideri debet, si cùm tanta ui polleat, lendes, pediculos, tineas, auriũq; uermes interficere ualeat: tum fœtum uiuentem quidem interimat, extinctum autem eijciat: quẽadmodũ & ipsum semen, si coeũdi tempore, pudendo ea circumlinatur. Proinde partui aduersum est medicamen. Quod etiã dentium foraminibus instillatũ, eos & confringit, & à dolore liberat. Extenuat quoq; oculorũ cicatrices, & uisus hebetudini ab humorũ crassitudine ortę medetur. Vtuntur autem ea plebei, cùm ad uulnera ouibus inter tondendum à forfice illata, tum etiam contra ipsarum scabiem & ricinos, quos κρότωνας uocant.

*Cedri fructus.*

At fructus moderatiores existunt, adeò ut comedi possint. Quanꝗ si ijs liberalius utare, capiti dolorem inferent, ardoremq; ac morsum in uentre percipies.

### Centaurium maius.

*Centaurium maius.* Radix eius gustui acris simulq́; astringens apparet, cum leuicula quadam dulcedine. Quod uerò ad actiones pertinet, menses prouocat, uiuum fœtũ extinguit, extinctumq́; propellit. Præterea ulcera glutinat, sanguinemq́; reijcientibus prodest. Exhibentur autem eius binæ drachmę, febrientibus quidem cum aqua: febri uerò liberis, cum uino. Quinetiam ruptis, conuulsis, dyspnœæ, inueteratęq́; tussi est auxilio. Eadem quæ radix, & succus ipsius præstat.

### Centaurium minus.

*Centaurium minus.* Huius radix planè inefficax est: at caulis & folia, & flores, utiliora sunt. Vincit enim in eis qualitas amara, paululum habens & astrictionis: obidq́; admodum exiccatorium est medicamen, expers mordacitatis. Vlcera itaq; magna herbæ ipsius recentis illitu glutinantur: & uetusta, quæq́; ęgrè ad cicatricem perduci queunt, cicatrice obducuntur. Arefacta uerò glutinatorijs & deficcatorijs miscetur facultatibus. Miscetur etiã ijs quæ rheumaticis medentur affectibus. In quibus ea medicamina præstantissima sunt, quæ uehementer desiccantia cum quadam astrictione nullam habent mordacitatẽ. Decoctum herbæ quidam infundũt ischiadicis, ceu biliosa & crassa extrahẽs: nam & talia purgat. Succus eius prę ter dicta, cum melle oculis illinitur, mensesq́; & fœtum euocat. Iecinoris quoq; obstructiones optimè aperit, bonumq́; durato lieni est remediũ, & impositum foris, & bibitum.

### Cerasia.

*Cerasiá.* Quæ dulcia sunt, magis aluũ subducunt, sed minus grata stomacho sunt. Austera uerò, contrario modo. At acida, pituitosis excrementosisq́; stomachis sunt idonea. Siquidem austeris magis exiccant, & nonnihil etiã inciduut. Ipsius *Cerasi gummi.* arboris gũmi, arterias asperas lenit, calculisq́; uexatos adiuuat.

### Ceratonia.

*Ceratonia.* Exiccantis astringentisq́; facultatis est, tum arbor ipsa, tum fructus. Qui quidem si sumatur humidus, magis uentrem subducit: si autem siccus, magis eundem sistit.

### Cestrum, Betonica, Psychrotrophon.

*Cestrum. Betonica. Psychrotrophon.* Vim habet incidendi, ut gustus indicat: est enim subacris & amariuscula. Quare calculos renum frangit: pulmonem, pectus, & iecur expurgat: menses promouet: comitialibus prodest: rupta conuulsaq́; curat, omnibusq́; bestiarum morsibus illita auxiliatur. Postremò acidum ructantibus & ischiadicis, bibita prodest.

### Cecis, Galla.

*Cecis. Galla.* Quæ omphacitis dicitur, admodũ acerbum est medicameu, pleraq; sui parte essentię terrenę & frigidę, per quam desiccat, repercutitq́; fluxiones. Esto uerò tertij in desiccando, secũdi autem in refrigerando ordinis. Altera autem galla, flaua illa & magua, laxaq́;, & ipsa desiccat quidem, sed tantò minus, quantò minus acerbæ qualitatis est particeps. Cocta itaq; ipsa per se in aqua, aut si magis astringere uis, in uino aliquo austero, ac dein trita, cataplasma est non instrenuum sedi inflammatę, procidentiq́;. Gallæ combustæ, extinctæq́; in aceto aut uino, sanguinis reprimẽdi facultatem acquirunt.

### Cera.

*Cera.* Inter primas quatuor qualitates mediũ quodammodo obtinet. Habet uerò quiddam crassę essentiæ & emplasticum. Quamobrem aliorum medicamentotum materia existit. Ipsa autem per se ex genere fuerit debiliter cõcoquentium. Habet tamen quiddam digerentis, calidæq́; potentiæ, quæ plurima melli inerat.

### Cici, Ricinus.

*Cici. Ricinus.* Vt fructus eius expurgat, detergit, & digerit, sic etiã foliũ, sed undequaq; debilius. Oleum q̃d ex semine conficitur, calidius atq; tenuius est, q̃ cõmune oleum, ac proiude potentius digerit.

### Cinnamomum.

*Cinnamomũ.* Summè tenuiũ est partiũ, atq; ex tertio ordine calfacientiũ. Nihil autem æquè desiccat, eorum quæ pariter calsaciũt, propter tenuitatẽ esseutię. At Cinnamomis, ueluti imbecillũ est cinnamomum. *Cinnamomis.*

### Circæa.

*Circæa.* Dioscorides ait radicem eius ex uino dulci potam, secũdas purgare. Est enim boni odoris, & calfactoria. Semen autẽ eius in sorbitione exhibitum, ad lactis generationem conducit.

### Cisthus.

*Cisthus.* Frutex astringens est. Folia eius & parua germina trita adeò desiccant astringuntq́;, ut ulcera glutinare ualeant. Sed flores efficaciores sunt, adeò ut cum uino pon dysenterias, uentris imbecillitates, fluxusq́; & humiditates persanent. Cataplasmatis ritu illiti, ulcerũ putredinosa iuuãt. Desiccant enim secũdo excessu. Hypocistis multò est magis astrictoria quàm folia, admodũ efficax remedium ad omnes fluxionum affectus. *Hypocistis.* Quin si quam partem roborare consiliũ sit, quæ uidelicer plusculo humore exoluta fuerit, robur ac firmitudinẽ illi haud segniter addit. Quo nomiue autidoto ex uiperis inditur.

### Cisthos, Ladanum.

*Cisthos. Ladanum.* Primo excessu medicamen est quodammodo completè calidum, ita ut secundum attingat, habens etiã astrictionis nonnihil. Est præterea substannia tenui, & emolliens, necnon moderatè digerens, concoquensq́;. Peculiariter igitur ad uteri uitia est aptum. Diffluentes tamen capillos retinet. Cæterùm alopecias & ophthalmias sanare non potest, quòd hi affectus ualentiora medicamenta desiderent.

### Cissos, Hedera.

*Cissos. Hedera.* Ex contrarijs facultatibus cõstat. Habet enim quiddã astringentis substantiæ, quæ terrea & frigida existit: habetq́; nõnihil acris, quam calidam esse uel gustus comprobat: pręterea si uiridis sit, obtinet etiam quandam aqueam & tepidam. Virida igitur folia in uino decocta, grandia ulcera glutinant, malignaq́; ad sanitatẽ reducunt. Igne factas exulcerationes cicatrice obfirmant: cum aceto decocta lienosis opitulantur. Flores autẽ quodammodo ualidiores sunt. Succus medicamen est errhinon: uetustas aurium fluxiones sanat, necnon uetera ulcera tum aurium, tum nariũ. Lachryma hederæ perimit lendes, pilisq́; nudat. Adeò quippe est calida, ut etiã obscurè adùrat.

### Clinopodium.

*Clinopodium.* Calfacit simulq́; siccat in tertio ordine, estq́; subtilium partium.

Clenatis

Clematis.

*Clematis.* Huius folia acrem & adurentē obtinent facultatem, adeò ut lepras excorient. Fuerit itaq; in quarti ordinis excalfacientiū initio. Dicitur etiā Clematis illa herba, quam nonnulli polygonoidem appellant: quæ tantùm abest ut exulceret, ut profluuijs & dysenterijs cum uino pota auxilietur, mansaq; dentium dolores mitiget, ac deniq; doloribus uteri in pesso admota sit usui.

Cnicos.

*Cnicos.* Cnici semine duntaxat ad purgationes utimur. Estq; tertij ordinis excalfacientium, si quis foris eo uti uolet.

Coccus cnidius, Granum gnidium.

*Coccus cnidius.* Et ipsum quoq; purgat, sed acris est, adurentisq; facultatis.

Coccus baphicus, Granum tinctorium.

*Coccus baphicus. Granum tinctorium.* Astringentē simulq; amaram possidet qualitatem. Vtraq; sine morsu desiccat. Proinde ad ingētia uulnera cōgruit, & ad neruorū uulnerationes.

Coccymelea, Prunus.

*Coccymelea. Prunus.* Pruni fructus uentrem subducit, recens quidem plus, aridus minus. Minus tamen subductiua sunt Damascena pruna ijs quę ex Iberia adueniuntur. Quin & ipsæ arbores fructibus proportione respondent. Porrò quorū in germinibus astrictio quædā manifesta inesse apparet, ijs decoctis phlegmonæ in columella aut tonsillis cōsistentes idoneè colluuntur. Iam uerò agrestium fructus, euidenter est astrictorius, uentrēq; sistit.

Colla, Gluten.

*Colla. Gluten.* Gluten quod ad libros præparant ex similagine & garo, emplasticæ, concoctoriæq; facultatis existit.

Colocynthe, Cucurbita.

*Colocynthe. Cucurbita.* Humida & frigida est in secūdo ordine. Quare succus eius rosaceo mistus, auriū dolori contracto ex phlegmone, est utilis. Præterea restinguit sitim.

Colocynthis.

*Colocynthis.* Gustu amara est, uehementerq; purgatoria facultate prædita. Ipsius uirentis succus intritus, ischiadicis prodest.

Comarus, Arbutus: cuius fructus Vnedo.

*Comarus. Arbutus. Vnedo.* Fructus unà cum arbore acerbus est. Est autem hic & infensus stomacho, & capiti dolorem concilians.

Commi, Gummi.

*Commi. Gummi.* Lachryma est cōcreta in truncis arborum ipsam producentiū: estq; exiccatoriæ & emplasticę facultatis, asperitatibusq; medetur.

Conia, Lixiuium.

*Conia. Lixiuium.* Omnium maximè abstersoriū exiccatoriumq; est, quod ex cinere ficus & tithymalorum efficitur: fereq; putrefacientis est facultatis.

Conyza.

*Conyza.* Conyza & maior & minor adsimilis sunt tum temperaturæ, tum facultatis: gustu amaræ & acres. Luculenter autem excalfaciunt, siue quis folia cum teneris ramulis parti infricet, siue ubi oleo incoxerit, eo utatur. Siquidē rigores per circuitum redeuntes, sanare tale oleū uidetur. Consimilis quoq; flores sunt facultatis. Quos quidem nonnulli ex uino propinant, ad educendos menses, atq; pellendū fœtum. Est & tertium conyzæ genus in locis humidioribus nascēs, utrisq; illis graueolentius & imbecillius. At primę memoratæ calfaciunt & siccant in tertio ordine.

Coriannon, Corion, Coriandrum.

*Coriannon. Corion. Coriandrum.* Hanc herbam refrigeratoriam esse Dioscorides prodidit, quòd mista pani aut polentæ, illitaq;, erysipelas curet. Quanquam certè exactum aliquod erysipelas, quod utiq; inflammatū est, & flauum, haud unq̃ à tali cataplasmate persanabitur: sed illud tantum quod refrigeratum iam fuerit. Coriandrum itaq; ex contrarijs facultatibus constat, plurimum habens essentiæ amaræ, quæ tenuium partium est & terrena. Nec parum etiam aqueæ humiditatis obtinet, quæ tepentis est facultatis. His adiunctum est quoq; astrictionis pauxillum. Quòd autem longè à refrigeratione absit coriandrum, hinc constat, quòd chœradas siue strumas, cum lomento discutiat: id quod nullum refrigerantium medicamentorū facere est aptum.

Coronopus.

*Coronopus.* Coronopodis radix cœliacis prodesse creditur manducata.

Costus.

*Costus.* Leuiculam planè amaram, plurimam autē acrem & calidam in se qualitatem simul & facultatem obtinet, adeò ut etiā exulceret. Quare in quibus excalfacere partem quāuis, aut ex alto in superficiem extrahere quippiam est opus, ad costū confugit. Eadem de causa urinas mensesq; prouocat: & ad rupta, conuulsa, & laterum dolores congruit. Porrò ob amaritudinem quæ illi inest, latos lumbricos enecat, maculasq; à sole contractas exterit, illitus cū aqua aut melle. Inest item flatuosa quædam illi temperiei humiditas, per quam & venerem excitat cum uino mulso.

Cotyledon, Vmbilicus Veneris.

*Cotyledon. Vmbilicus Veneris.* Humidam, subfrigidam, obscurè astringentē, ac leuiter amaram obtinet facultatem. Vnde refrigerat, repercutit, abstergit, & discutit. Itaque phlegmonas erysipelatodes, & erysipelata phlegmonode persanat: æstuantiq; uentriculo cõmodissimum cataplasma existit.

Crania, Cornus.

*Crania. Cornus.* Fructus eius admodum acerbus est, esuiq; aptus: proinde ualenter aluum restringit, quemadmodum & mespila. Folia quoque & germina peracerba sunt gustui, ualenterq; desiccant. Itaq; maxima uulnera glutinare possunt, potissimùmq; durorum corporum.

Crambe, Brassica esculenta.

*Crambe. Brassica esculenta.* Desiccandi uim habet, tum esa, tum foris imposita: non tamen admodum acrem. Præterea & uulnera glutinat, & maligna ulcera sanat, phlegmonasq; iam induratas, atque ægrè solubiles, necnō erysipelata id genus, epinyctidasq; & herpetes curat. Habet quiddam etiam in se abstersorium, quo lepras elicit. Porrò semen eius potū, amarum cùm sit, lumbricos perimit. Eadem facultate ephelidas, lentes, & quæcunq; modicam abstersionem postulant, adiuuat. Cineres cauliū brassicæ desiccant usqueadeo, ut causticæ facultatis participes esse uideant. Quibus sanè cū adipe mistis, cōtra inueteratos laterū dolores utuntur. Sic nāq; ualenter digerēs pharmacū reddit.

Crambe agria, Brassica agrestis.

*Brassica agrestis.* Calidior sicciorq; & amarior q̃ domestica est: quamobrem nec citra noxam intra corpus su-

mitur. Extergit autem & digerit quàm domestica etiam ualentius.

Crambe thalattia, Brassica marina.

*Brassica marina.* Non solũ aluũ deijcit, subsalsa & subamara existens, sed etiã est ad externos corporis usus idonea.

Cratæogonos.

*Cratægonos.* Fructus eius & acris gustanti est, & utenti frigidus, similis milio.

Crethmon.

*Crethmon.* Gustantibus salsum est, cum paucula amaritudine: quãobrem uis eius est exiccatoria & abstersoria.

Crithe, Hordeum.

*Crithe. Hordeum.* Primi est ordinis in exiccando & refrigerãdo. Habet etiam abstersionis pauxillũ. Præstat in cibo fabis, quòd flatuosam naturam exuat. Quantumcunq; enim fabas coxeris, flatuosa semper illis natura remanet. Sunt quippe crassioris essentiæ quàm hordeũ, ob idq;, eo plus etiam alunt. At polenta multò plus hordeo desiccat.

Crimnon.

*Crimnon.* Plus nutrit quàm polenta, sed ægrius concoquitur. Sorbitio quæ ex eo conficitur, si ex zea fiat, leuiter uentrem sistit.

Crinos, Lilium.

*Crinos. Lilium.* Lilij flos temperaturã mistam obtinet, partim ex tenui, partim ex terrena essentia, partim ex aquea, eaq; temperata. Quare quod ex eo conficitur oleum, digerẽdi, emolliendiq; citra morsum facultatem sortitur: unde fit, ut uteri sit duritiebus aptissimũ. Porrò radix foliaq; per se trita, desiccant, abstergunt, & digerunt moderatè. Proinde quoq; ambustis competũt. Radicem ergo tostam, ac dein rosaceo contritam, ambustis quoad obducatur cicatrix, imponunt: cùm sit etiam ulcerum aliorum remedium. Emollit præterea uteros, mensesq; prouocat. Cæterũ cùm aut uitiligines, aut psoram, aut lepram, aut achoras, aut aliquid id genus extergere uolumus, cõmiscemus illi aliquod aliorum medicaminum ualidius extergentium, cuiusmodi est mel. Imposuimus uerò etiam quandoq; & foliorũ succũ cum melle & aceto coctum. Eratq; respectu utriusq;, portio ipsius succi quincupla. Atq; ita cõficiebatur insigne medicamentũ ad omnia ulcera, quæ exiccari absq; morsu postulant.

Crocodilion.

*Crocodilion.* Crocodilij semen acre est, atq; odoratum, urinam mensesq; ciens: itaque facultatem habet calidam, digerentem, & exiccantem. Succus tum caulis, tum seminis, ut quæ similis sint facultatis, nephriticos adiuuat. Radix pectoris excreationibus ualenter conducit. Trahit uerò etiam per nares sanguinem.

Crocus.

*Crocus.* Secundi quidem est ordinis excalfacientium, primi uerò exiccantium. Proinde concoquendi quoq; uim obtinet, adiuuante etiam ad id, quadam exigua astrictione.

Crommyon, Cæpa.

*Crommyon. Cæpa.* Cæpa ex quarto est ordine excalfacientium. Essentia eius potius crassarum est partium. Vnde etiam hæmorrhoidas aperit, tum apposita, tum cum aceto inuncta. In sole alphos abstergit, tum alopecijs attrita pilos halcyonio citius restituit. Succus eius ijs qui suffusi sunt, aut aciẽ oculorum obtusam præ crassitudine humorum habent, inunctus prodest. Ob huius temperaturã tota cæpa flatuosa est, manducata. Itaq; quę temperie ficciore sunt, minus flatuum generant.

Cyamos, Faba.

*Cyamos. Faba.* Mediocriter exiccat, refrigeratq;. At caro eius paulùm quoq; abstergentis facultatis continet: sicuti putamen nonnihil adstringentis. Porrò ut edulium, flatulenta est, & coctu difficilis, si quid aliud: excreationibus ex pectore & pulmone idonea. Vt medicamentum uerò, foris imposita, desiccat innoxiè. In podagricis ea sæpenumero usi sumus ex aqua decocta, & ita adipi suillo admista. Ad neruorum tum contusiones, tum uulnera, farinam eius cum oxymelite imposuimus. Ad eos quos ex ictu iam occupauerat phlegmone, cum polenta. Sed & testium & uberũ aptum est cataplasma. Quo quidem & lac ipsum extinguitur, & puerorum pubes farina fabacea illita, plurimo tempore glabra permanet.

Cyclaminus, Rapum, Tuber terræ.

*Cyclaminus. Rapum. Tuber terræ.* Abstergit, incidit, ora uenarum aperit, attrahit, & digerit. Succus eius hæmorrhoidas reserat, uiolenterq; ad secessum prouocat, in floccis appositus. Sic etiam facultatibus phymata, strumas, aliasq; durities digerentibus cõmiscetur: ac suffusis cum melle illitus cõpetit. Ad hæc per nares expurgat. Adeò uehemẽs eius facultas est, ut abdomine illito, subducat aluum, & fœtũ perimat. Tota autem radix succo imbecillior est, quanquam & ipsa uehemens satis. Nam & menses siue epota, siue apposita, euocat, & aurigini prodest. Modus eius bibendi est drachmarum trium, siue cum melicrato, siue cum passo. Cutẽ detergit, ac tũ alopecias, ephelidas, omniaq; exanthemata curat: necnon auxilio est lieni indurato. Fructus etiam alterius cyclamini, quã nonnulli cyssanthemon nominant, cum uino pluribus diebus potus, sanat lienem, urinas mouens, atq; aluum subducens. Locos quoq; eijcit, atque asthmaticis auxiliatur. Qualitas eius gustui acris est & sublenta. *Cyssanthemon.*

Cyminum, Cuminum.

*Cyminum. Cuminum.* Cymini semen calfacit in tertio ordine: urinã mouet, extinguitq; flatus.

Cynosbatus, Sentis canis.

*Cynosbatus. Sentis canis.* Huius fruticis fructus nõ segniter astrictorius est, folia uerò mediocriter. Lanugo fructus, arteriam uitiat.

Cyparissus, Cupressus.

*Cyparissus. Cupressus.* Cupressi folia, germina, pilulæ recẽtes & molles, magna ulcera glutinãt in duris corporibus. Quare resiccandi uim habent absq; insigni acrimonia aut calore. Tãta enim ei acrimonia inest, caliditasq;, quanta satis sit deducendæ in altum acerbitati. Proinde in alto latẽtes in flaccidis putrescentibusq; affectibus humiditates, innoxiè depascit & populatur. Sic enterocœlicos iuuat, exiccans, roburq; addens corporis partibus pręhumiditate laxatis. Quidam ea utuntur ad carbunculos, herpetesq;, polentæ miscentes. Sunt qui ad erysipelata utantur.

Cyperus, Iuncus quadratus.

*Cyperus. Iuncus quadratus.* Cyperi radices excalfaciunt pariter & siccant absq; mordacitate. Itaq; ulceribus inueteratis mi

rificè

rificè prosunt. Habent etiã qui p̄piã astringens: quapropter ulceribus item oris cõueniũt. Quin & incidendi uim quampiam illis inesse testificãdum est, qua & calculos exterunt, & urinã mensesq́ prouocant.

Cypros.

*Cypros.* Huius arboris folia summaq́ germina habent in se quiddã digerẽs cum aquea substantia modicè calida: habentq́ & astrictionem quandam ex terrena substantia frigida. Itaq́ eorum decocto quidam ambusta fouent, necnõ igneas phlegmonas, carbunculosq́. Nam absq́ molestia siccant. Sed spontè ortis in ore ulceribus commansa folia commodissima sunt.

Cytisus.

*Cytisus.* Cytisi folia digerendi facultatem obtinent, aqueæ & temperatæ mistam, ut malua.

Conion, Cicuta.

*Conion. Cicuta.* Quòd extremè sanè refrigeret, omnes norũt.

Conos.

*Conos. Strobilus. Cocalus.* Coni fructus, quem cocalum & strobilum appellant, uiridis totus, habet cum humiditate amaritudinem quampiam & acrimoniam. Proinde purulentis, & iis quibus facilè expuere est opus, accommodatur. Quod esculentũ est, nutrimentum est coctu difficile & ualidum. Vt medicamen autem asperitati leniendæ cõgruit, si præ maceratus in aqua, omnẽ acrimoniam exuerit. Nam reliquũ sic minus mordax efficiĩ, in medio calidæ & frigidę qualitatis cõsistens, ex aquea & terrea mistũ substãtia, minimũ participans aërię.

Lagopus.

*Lagopus.* Facultatis est desiccantis, adeò ut fluxus alui probè exiccet.

Lathyris.

*Lathyris. Esula.* Et succo, & purgatoria ui tithymalũ refert: nisi quòd semen apparet dulce, licet maximè sit purgatorium.

Lampsane.

*Lampsane.* Esa quidem succos prauos procreat. At illita, abstergendi, digerendiq́ nonnullam facultatem sortitur.

Lapathum.

*Lapathum. Oxylapathum.* Digerit moderatè. At oxylapathum nõnihil etiã repercutit. Manifestè ipsorũ semen astringit, ita ut dysenterias & dyarrhœas persanet.

Limonium.

*Limonium.* Eius fructũ, utpote acerbũ, ex uino exhibent cœliacis, dysentericis, & hæmoptoicis. Iuuat & profluuiũ muliebre. Satis est oxybaphi mẽsura.

Lichen.

*Lichen.* Lichenas curat, extergentem, modiceq́ refrigerantem, ac siccantem obtinens facultatẽ. Nascitur enim in humidis roreq́ perfusis saxis.

Leontopetalon.

*Leontopetalon.* Radix eius digerendi facultatẽ, & exiccandi, calfaciendiq́ in tertio ordine possidet.

Lepidium.

*Lepidium.* Ex quarto est ordine excalfacientium, simile prorsus nasturtio, nisi quòd minus desiccat.

Leucas.

*Leucas.* Acrem possidet qualitatem exuperantẽ: temperaturam uerò calidam, siccamq́ in tertio quodammodo ordine.

Leucacanthon.

*Leucacanthon.* Huius radix amara est, ac proinde incidit, exiccatq́ in tertio ordine. Calfacit autẽ in primo.

Leucoion.

*Leucoion.* Extergit, ac tenuium est partium: plus tamen flores, ac præcipuè qui sunt sicciores: hi quippe & oculorũ crassas cicatrices extenuant. Pręterea menses eorum decoctum mouet: secundas, & partum emortuum elicit, bibitumq́ facit abortum, maximè amarum cùm sit. Quòd si eius uires multa mistione aquæ frangantur, erit contra phlegmonas, & difficilia ulcera, cõmodum medicamen. Semen etiam eiusdem est facultatis, radicesq́ similiter, nisi quòd hæ sunt crassioris essentiæ, terreæq́ magis. Cum aceto tamen lienes induratos persanant.

Leuce, Populus alba.

*Leuce. Populus alba.* Ex aquea, tepida, & terrena extenuata essentia conflatur. Quamobrem & abstergentis facultatis est particeps.

Libanotus, Thus.

*Libanotus. Thus.* Excalfacit secũdo ordine, desiccat primo: habet quoq́ astrictionẽ pusillam. Cortex eius euidenter astringit, desiccatq́ in secũdo ordine. Est autem crassiorũ partium quàm thus, & minimũ acrimoniæ possidet. Quare in hæmoptoicis, stomachicis, cœliacis, & dysentericis eo utimur. Ramus eius siccioris & calidioris est facultatis q̃ ipsum thus, adeò ut ad tertium usque excessum perueniat. Habet uerò etiam & abstersoriũ quiddam. Vnde expurgare & implere oculorũ ulcera potest.

Libanotides.

*Libanotides.* Libanotides tres existunt. una sterilis, duæ fructum ferentes. Omnes uerò emolliẽtis, digerentis, incidentis, & abstergẽtis sunt facultatis. Succus tum radicis, tum herbæ mistus melli, obtusam oculorum aciem ab humorum crassitudine emendat. Decoctum eius, quam rorem marinũ appellant, potum, regio morbo auxiliatur.

Lignys, Fuligo.

*Lignys. Fuligo.* Fuligo omnis exiccatoria est, ob idq́ terrenæ essentiæ, habens quasdam etiam ignis etsi pusillas reliquias: ratione quarum tenuium est partium. Cæterùm quæ speciatim in ea differentiæ sunt, eæ pro usta materia eueniunt. Thuris fuligine utimur ocularibus medicamẽtis permista, iis uidelicet quæ ad oculos etiamnum phlegmone tentatos, & qui adhuc fluxione affliguntur, exulceratiue sunt, accõmodantur. Nam & illa expurgat, & carne implet. Terebinthinæ etiã myrrhæq́ fuligo molestia caret, nõ secus quàm thuris. Sed styracis quodammodo ualentior est. Magis etiam picis liquidę. Qua adhuc magis cedri. Porrò acrioribus utuntur ad uitia superciliorũ uocata ptila, & erosos angulos oculorum, & citra phlegmonem humidos.

Libysticum.

*Libysticum.* Libystici radix & semẽ, ex genere excalfacientium sunt, adeò ut & mẽses cieant, & urinas prouocent, flatusq́ discutiant.

Linospermon, Lini semen.

*Linospermon. Lini semen.* Flatuosum est esum, etiamsi frangatur. At calfacit quidem quodãmodo in primo ordine, humiditatis & siccitatis in medio existens.

Linozostis, Mercurialis.

*Linozostis. Mercurialis.* Ea utuntur omnes ad subductiones alui duntaxat. Quanq̃ etiam admota, ualenter digerit.

Lonchitis.

Lonchitis. Radix eius, quæ semen gerit triangulare, urinam ciet. Folia eius quæ scolopendriæ similis est, uiridia quidem, uulnera glutinant: sicca autem, & cum aceto epota, lienes induratos persanant.

Lycion.

Lycion. Arbor est spinosa, ex qua lycium fit, medicamen id liquidum, quo ad sugillata, sedis, orisq; phlegmonas, ulcerationes, herpetas, putredines, ulcera cõtumacia, aures pure fluentes, intertrigines, & paronychias utuntur. Est enim facultatis exiccatoriæ, compositũ ex diuersi generis substantijs, altera quidem tenuium partium, digerente atq; calida: altera terrestri & frigida, ex qua astrictionem exiguam obtinet. Cæterũ digerit & siccat in secundo ordine: in calore autẽ medijs est proximum. Est porrò lycium Indicũ ad omnia ualentius.

Lysimachios.

Lysimachios. Superantem astrictionem sortitur, per quam omnes sanguinis fluxus reprimit, tum pota, tum cataplasmatis modo admota.

Lychnis.

Lychnis. Semen eius calidum & siccũ est, secundo quodammodo, aut etiam tertio ordine.

Lotos herba.

Lotos herba. Trifolium. Lotos domestica, quam trifolium nominant, ut mediocriter concoquendi, sic etiam exiccandi uim possidet, in caliditatis frigiditatisq; coniugio media quodammodo existens. Semen agrestis loti, secundi est ordinis calfacientium: habetq; nonnihil absterforium. Porrò Aegyptiæ loti semen etiam in panes fingitur.

Lotos arbor.

Lotos arbor. Non ita multæ astrictoriæ qualitatis est particeps: sed & tenuium partium est, & exiccatoria. Cuius siccæ ramenta profluuio muliebri, dysenterijs, capillorum effluuio, cœliacisq; affectibus accõmodant, aut in uino, aut in aqua concocta.

Macer.

Macer. Cortex est qui ex India aduehitur, gustu multum acerbo, cum leuicula quadam acrimonia odorata. Constat autẽ ex mista essentia, pleraque terrena frigida, paucula uerò calida & tenuium partiũ. Itaq; ualenter desiccat, astringitq; ob idq; cœliacis & dysentericis medicamentis miscetur, in tertio exiccantium cõsistens ordine: in caloris frigorisq; discrimine, neutrũ insigniter præstãs.

Malabathrum.

Malabathrum. Malabathri folium cum spica nardi simillimã obtinet facultatem.

Malache, Malua.

Malache. Malua. Agrestis quidẽ, digerẽtis paululũ & emollientis leuiter est facultatis: hortensis uerò, quantò plus habet aqueæ humiditatis, tãtò facultate imbecillior est. Fructus eius tantò ualidior est, quãtò & siccior. Cæterũ Althea omniũ efficacissimè digerit.

Mandragora.

Mandragora. Refrigerat tertio excessu. Nõnihil tamẽ pomis caloris atq; humiditatis inest. Vnde soporẽ conciliant. Radicis cortex nõ tantũm refrigerat, sed etiam siccat. Quod eo includit, imbecillimũ est.

Marathrum, Fœniculum.

Marathrum. Fœniculum. Calfacit in tertio, desiccat in secundo ordine: proinde lac gignit, auxiliatur suffusis, mensesq; & urinas promouet. Radix & semen hippomarathri, amplius quàm domestici siccant: quare et uentrem uidentur sistere. Possunt etiam & calculos frangere, curare ictericos, mensesq; & urinas mouere: minimè tamen lac gignere.

Mastiche.

Mastiche. Candida quidẽ & Chia, astringit simul emollitq;. Proinde stomachi, uentris, intestinorum, iecorisq; inflammationibus competit, utputa secundo ordine excalfaciens & siccans. Nigra uerò, quæ Aegyptia dicit, magis desiccat, minusq; astringit: quamobrem aptior est ad ea quæ ualidiorem digestionem per halitum postulant. Porrò oleum, quod præcipuè ex Chia conficit, similis est cum mastiche facultatis.

Melanthium, Nigella.

Melanthium. Nigella. Excalfacit & siccat in tertio ordine, estq; amarum, atq; tenuium partium. Quare catarrhos sanat in linteo admotum, atq; assiduè olfactum: flatus potum extinguit: lumbricos enecat, non esum modò, sed etiam foris applicitum: lepras, clauos, atq; myrmecias exterit: orthopnœam iuuat, & menses prouocat. In summa uerò, ubi sectione, extersione, desiccatione, excalfactione est opus, præstantissimum id remedium existit.

Melilotum.

Melilotum. Quiddã habet astringens, digerit tamen, concoquitq;. Copiosior enim in eo est substantia calida quàm frigida.

Mel.

Mel. Desiccat excalfacitq; secũdo ordine: ac detergentem facultatem obtinet. Porrò coctum, minus acre absterforiumq; redditur. Itaq; ad sinuosorum ulcerum glutinationem eo utuntur. Cæterùm quod mel est amarũ, mistæ facultatis existit.

Saccharum. At Saccharo, quod ex India & Felici Arabia conuehitur, cõcrescit in calamis, estq; mellis species, minus certè nostrate dulcius, sed similes ei uires obtinens, quod ad abstergendũ, desiccandum, & digerendũ pertinet. Quatenus uerò nec inimicum uentriculo est, ut nostras, nec sitim adferens, eatenus ab illo substantia differt.

Melissophyllon, Citrago.

Melissophyllon. Citrago. Marrubio similis est facultate, sed plurimũ ab eo uincitur. Quamobrem nec utitur eo quispiã, cùm larga marrubq; copia suppetat.

Mespilũ, Tricoccon, quòd tria grana gerat.

Mespilum. Tricoccon. Fructus eius admodum est acerbus, uixq; edi possit, uentrem extremè coërcens. Quin & in germinibus & folijs acerba hæc qualitas nõ pauca reperitur.

Medion, Trifolium odoratum.

Medion. Trifolium odoratum. Radix quidẽ eius austera est, omnesq; fluxiones cohibet. At semen tantũ abest ut id moliaf, ut etiam menses cieat: nimirũ tenuium partium cùm sit, & facultate incidendi præditum.

Mecon, Papauer.

Mecon. Papauer. Cùm quatuor eius insignes species sint, facultas omnium existit refrigeratoria. Cæterùm sati ui semen, mediocriter somnũ conciliat, usu candidum: proinde pani ipsum inspergunt, ac melle maceratum esitant. At ex syluestribus, eius q̃d

Rhœas. rhœas dicitur, quia flos ipsius celeriter defluit, semen ualidius refrigerat: itaq; nequaq̃ eo quis innoxiè solo uti possit. Illius uerò quod calicem incidentem

incidentem sustinet, atrum existit semen, medicamentosumq́, atq; impensè refrigerās. Quod autem longiorem emittit calicem, medicanſsimū omnium est, admodumq́; refrigerans, idq́; omnibus partibus suis. Adeò quippe refrigerat, ut stuporem ac mortē etiam inducat. Est enim ex quarto & ultimo refrigerannum ordine.

Mecon ceratitis, Papauer cornutum.

*Papauer cornutum.*

Vim habet incidendi extergendiq́. Itaque radix eius in aqua ad dimidium decocta, hepaticos affectus adiuuat. Folia & flores sordidis & contumacibus ulceribus prosunt. Sed ea reijcere oportet ulceribus iam repurgatis: alioqui sanam carnem exedent.

Mecon Heracleia, Papauer Herculeum.

*Papauer Herculeum.*

Semen habet pituitam expurgans.

Melea, Mâlus.

*Melea. Mâlus.*

Mâlus non omnis eiusdem naturæ est, sicuti nec eiusdem fructus. Succi siquidem, cortices, foliaq́; arborū, etiam inter se dissident. Itaq; si acidiora austerioraq́; sint, illis uulnera glutinare possis, tum in phlegmonarū initio repercutere influxum, ac uentriculum exolutum & languidum roborare: at aquosioribus, mediocres phlegmonas incipiētes & gliscēres remittere. Quòd autem plurima pomis omnibus recrementitia frigidaq́; insit humiditas, hinc liquet, quòd nullus eorū succus seruari possit: uerū acescant corrumpanturq́; uniuersi. Solus enim cydoniorū & struthorū (quæ propter astrictionem uehementem, cæteris minus sunt humida) succus coctus cum melle durare potest: per se autem minimè.

*Succi qui seruari possunt, et quomodo.*

Melea Persice, Persica mâlus.

*Persica mâlus.*

In germinibus & folijs uincentem habet qualitatem amaram. Proinde folia eius trita, & super umbilicum posita, lumbricos enecant: estq́; digerens medicamen. Fructus humidior est, & temperie frigidior.

Melea Armenice, Mâlus Armenica.

*Mâlus Armenica.*

Fructus humidior frigidiorq́; est, utrunq; secundo quodammodo excessu.

Melea Medice, Mâlus Medica, Citrium.

*Mâlus Medica.*

Quod in fructu semen amplectitur, tertij est ordinis resiccantium atq; refrigerantium. Cortex desiccat quidem in excessu secundo, non tamen frigidus est, sed temperatus, aut paulò infrà. Caro eius pariter crassi succi est, & pituitosa, frigidaq́. Semen amarū est, digerereq́; & exiccare potens, secundo quodammodo ordine à temperatis recedens. Folia exiccandi & digerendi uim obtinent.

Meum.

*Meum.*

Radices eius sunt calidæ tertio excessu, In secundo siccæ. Proinde urinas mensesq́; mouent. Quòd si liberalius sumanť, capiti dolorē conciliant.

Milax tracheia, Milax aspera.

*Milax aspera.*

Varijs clauiculis suis arboribus circūuoluitur. Folia eius & acria gustāri, & utenti calida existūt.

Milax læuis.

*Milax leuis.*

Quodāmodo iam dictæ similes uires obtinet.

Morea, Morus.

*Morus.*

Mori fructus maturus quidem aluū subducit: immaturus uerò, ubi aruerit, restringit admodum. Quare ad fluentes affectus est cōmodus. At maturorū succus, propter astrictionē quam habet, ad stomatica medicamenta est utilis. In radicis cortice purgatoria uis cum quadam amaritudine exuperat, ita ut latos uermes enecet.

Myagros.

*Myagros.*

Oleum quod ex semine ipsius funditur, emplasticam facultatem obtinet.

Mycetes, Fungus.

*Mycetes. Fungus.*

Frigida humidaq́; admodū planta est, quare proximè ad enecantē facultatē accedit. Et sanè inter eos sunt qui interficiant, maximè qui ex natura mistam habent qualitatē putrilaginosam.

Myle.

*Myle.*

Radix eius cōtrahentis est facultatis: quam cum farina lolij apertā uuluā sanare ait Diosc.

Myosotis, Auricula muris.

*Myosotis.*

Desiccat secundo ordine, cæterū nullam euidentem caliditatem sortitur.

Myrice, Tamarix.

*Myrice. Tamarix.*

Abstergit & incidentis est facultatis, absq; perspicua desiccanone. Habet uerò etiam astrictionem nonnullam. Igitur cum aceto decocta prodest lieni indurato. Sanat etiam dentium dolores. Fructus & cortex non paucam possident astrictionem. At cinis myricæ, admodum desiccatoriæ facultatis est, plurimam habens abstergendi uim, astringendi pauxillam.

Myriophyllon.

*Myriophyllon.*

Adeò exiccat, ut uulnera glutinet.

Myrrhis.

*Myrrhis.*

Radix eius est odorata & dulcis, mēsesq́; mouet, necnō thoracem atq; pulmones purgat. Calfacit itaq; secundo ordine, cum partiū tenuitate.

Myrrhine, Myrtus.

*Myrrhine. Myrtus.*

In hac planta uincit terreum & frigidum. Habet tamen aliquid tenue & calidum. Quare ualenter desiccat. Porrò quod ramis & trunco adnascitur tuberosum, quantò siccius cæteris partibus est, tantò desiccat & astringit uehemētius. Folia item arida uiridibus plus desiccant. Itaque omnes partes eius restringunt, tum foris imposita, tum intrò assumpta.

Moly, Ruta syluestris.

*Moly. Ruta syluestris.*

Radicē habet nigram, & florem lacteum. Vis eius tenuium partium est, & calida tertio ordine: unde crassos humores desiccat, digeritq́; & urinam mouet.

## *GALENI PERGAMENI de simplicium medicamentorum facultatibus lib. VIII.*

Nardu stachys, Spica nardi.

*Nardu stachys. Spica nardi.*

Calfacit excessu tertio, desiccat secūdo complero. Constat ex astringenti, acri, & leuiter amara substantia. Quare radix iecori & uentriculo cōuenit, & pota, & admota extrinsecus. Vrinam ciet: morsus stomachi sanat: uentris, capitis, & thoracis fluxiones desiccat. Valentior tamen est Indica, quę nigrior quàm Syriaca existit.

Nardus Celtica, hoc est, Gallica.

*Nardus Celtica.*

Ad omnia est imbecillior dictis, præter quàm ad prouocandam urinam. Nam calidior illis est, sed minus astringit.

Nardus orea, hoc est, montana.

*Nardus montana.*

Plurima in Cilicia nascitur, sed prædictis infirmior.

Narthex, Ferula.

*Narthex. Ferula.* Semen eius calfacit & tenuat. Medulla autem astrictionis est particeps. Vnde hæmoptoicis & cœliacis conuenit.

Napy.

*Napy.* Calfacit desiccatq; ordine quarto.

Narcissus.

*Narcissus.* Eius radix desiccat adeò, ut uel maxima tendonum uulnera glutinet. Habet uerò quiddam abstersorium & attractorium.

Neuras, Poterium.

*Neuras. Poterium.* Desiccat citra morsum, adeò ut incisos neruos glutinare credatur, ac præcipuè radices eius.

Nerium, Rhododaphne.

*Rhododaphne.* Foris quidem illitus is frutex, digerendi uim obtinet. At si intra corpus sumaт, uirulentus homini & plerisq; pecudibus est.

Nymphæa.

*Nymphaa.* Tum radix eius, tum semen, desiccandi citra morsum uim habet. Itaque uentris profluuia, semenq; immodicè profluens sistit. At cui adest candida radix, ea & muliebri medetur profluuio, ex uino nigro & austero epota. Vtraque autem abstergendi quandam uim possidet. Quare maceratæ quidem aqua, sanant alpios: liquida uerò pice, alopecias. Ad hæc tamen aptior est ea, cuius radix est nigra.

Xanthion.

*Xanthion.* Semen eius digerendi uim obtinet.

Xyris.

*Xyris.* Tenuium partium, attractoriæ, digerendi & desiccandi facultatis est, cùm radix, tum multò magis fructus: qui quidem & urinam ciet, & lienes induratos sanare potest.

Xyphion, Gladiolus.

*Xyphion. Gladiolus.* Xyphij radix, maximè altera quæ superior est, attrahit, digerit, desiccatq;.

Oë, Sorbus.

*Oë. Sorbus.* Astringentem uim obtinet, at multò quàm mespilus imbecilliorē. Proinde fructus eius gustui iucundus est, minusq; uentrem quàm mespilus cōstringens.

Oenos, Vinum.

*Oenos. Vinum.* Ex secundo est ordine calfacientiū: sed quod admodum uetus est, ex tertio: sicuti mustum ex primo. Caliditati proportione respōdet siccitas.

Olynthi, Grosi.

*Olynthi. Grosi.* Acrem facultatem sortiuntur. Cocti itaq; duros tumores discutiunt: crudi myrmecias & thymos eijciunt.

Olostium.

*Olostium.* Desiccādi uim obtinet cum astrictione: ideoq; propinatur ad rupta.

Olyra.

*Olyra.* Mediam tritici & hordei naturā possidet, tam ut nutrimentum, quàm ut medicamentum.

Onagron.

*Onagron.* Huius radix arefacta uinosum quiddam redolet, maximeq; ad uini facultatem accedit.

Onosma.

*Onosma.* Acri & amara substantia constat. Cuius folia in uino pota, fœtum extinguere expellereq; creduntur.

Onobrychis.

*Onobrychis.* Rarefaciendi digerendiq; uim obtinet. Proinde folia eius uirentis illita, phymata digerunt: arefacta uerò, & cū uino pota, strāgurias sanant: sudoresq; eliciunt, cum oleo uncta.

Ononis.

*Ononis.* Radix eius calfacit quodāmodo in tertio ordine, abstergitq; & nōnihil incidit. Itaq; non tantùm urinas prouocat, sed & lapides frangit, & crustas detrahit. Præterea ad dolores dentium, oxycrato in quo fuerit cocta, colluuntur.

Oxos, Acetum.

*Oxos. Acetum.* Ex frigida calidaq; substantia cōstat: utraq; tamen tenuium partium. Verùm calidam frigida exuperat. Desiccat porrò in tertio gradu.

Oxyacanthos.

*Oxyacanthos.* Vt specie, sic facultate hęc arbor piro syluestri est similis. Cæterùm piri syluestris fructus, prorsus * acerbus est: oxyacanthes uerò, & tenuium est partium, & nonnihil inciforium sortitur: estq; rubeus & rarus. Qui quidē affectus omnes fluxionum cohibet.

Opos, Succus.

*Opos. Succus.* Cyrenaicus quidem reliquos omnes caliditate & tenuitate exuperat: ideoq; omniū maximè per halitum digerit. Quāquam sanè & cæteri admodum calidi sint, & spirituosi. Porrò licet complures etiam sint alij succi, qui effluunt, incisa radice: ob excellentiam tamen sic dicitur Cyrenaicus, & Medicus, & Syriacus.

Origanus.

*Origanus.* Heracleotica quidem efficacior est onitide: agrestis tamē est ualentior utraq;. Omnes uerò incidendi, extenuandi, calfaciendi, & exiccandi obtinent facultatem, in tertio nimirum excessu. At Tragoriganus etiam quippiam astringit. *Tragoriganus.*

Orobus, Eruum.

*Orobus. Eruum.* Desiccat quidem excessu secundo intenso, calfacit uerò primo. Porrò quatenus amaritatis est particeps, eatenus incidit, extergit, atq; obstructiones expedit. Cæterùm si sumatur copiosè, sanguinem per urinas euocat.

Orobanche, Eruangina.

*Orobanche. Eruangina.* Siccæ frigidæq; temperaturæ est, in primo ordine.

Oryza.

*Oryza.* Habet astrictorium quippiam, quare mediocriter aluum sistit.

Orchis, Testiculus canis.

*Orchis. Testiculus canis.* Radici eius bulbosæ & geminæ, uis inest humida & calida, gustantibusq; dulciuscula. Cæterùm maior radix multam habere uidetur humiditatem excrementitiam, & flatulentam: quapropter epota venerē excitat. Minor uerò, cùm ad calidius & siccius uergat, tantū abest ut ad coitū stimulet, ut etiā cohibeat, & reprimat. Eduntur bulborum more, tostę.

Orchis Serapias.

*Orchis Serapias.* Siccat ultra primum excessum. Quare non ita est ad venerem cōmodus. Oedemata illitus discutit. Vlcera sordida expurgat. Herpetes sanat. Siccatus multò amplius desiccat. Nam putrescētia contumaciaq; restituit ulcera, & substringēs cùm sit, uentrem sistit ex uino potus.

Osiris.

*Osiris.* Amara est, & aperiendi uim obtinet. Quare iecur obstructum adiuuat.

Pancratium.

*Pancratium.* Radix huius, scillæ similem gustum refert, & uires, multò tamen imbecilliores. Ea itaque pro scilla, ubi hæc non adest, utuntur.

Paliu-

### Paliurus.

*Paliurus.*

Folia eius & radix adeò perſpicuè aſtringunt, ut fluxum uentris cohibeant: adeoq; digerunt, ut mitiora phymata curent. At fructus, tantam incidendi uim poſsidet, ut calculos ueſicæ comminuat, & pectoris pulmonisq; excreationibus auxilietur.

### Papyrus.

*Papyrus.* *Charta cinis.*

Oxycrato uinó ue macerata, recentia ulcera glutinat, maximè in circulũ circumpoſita, ut materia ſanantia medicamina excipiẽs. At ubi uſta fuerit, medicamen exiccatorium exiſtit, ut chartæ combuſtæ cinis.* Hoc tamen cinis papyri eſt infirmior.

### Panax Heraclium.

*Panax Heraclium.* *Opopanax.*

Ex hoc conficitur opopanax, radicibus & caulibus eius inciſis. Porrò opopanax ipſum tum mollit, tum digerit. At calfacit quidem in tertio ordine, in ſecundo autem ſiccat. Cortex radicis excalfacit etiam & ſiccat, minus tamen q̃ ſuccus. Cæterùm abſtergendi nonnullam facultatem ſortitur. Quare eo utimur & ad nuda oſsiũ, & ad ulcera contumacia. Sufficienter ſiquidem quæ talia ſunt, carnem procreant. Fructus calidus eſt & ipſe, ac menſibus mouendis accommodus.

### Panaces Aſclepium.

*Panaces Aſclepium.*

Minus eſt calidum ſupradicto panace. Quare floribus eius & ſemine melli miſtis, ad ulcera, phymata, & phagedænas utuntur.

### Panax Chironium.

*Panax Chironium.*

Prædicto ſimilem facultatem obtinet.

### Paronychia.

*Paronychia.*

Paronychias & fauos ſanat, digeritq; ea quæ diſcuti poſtulant Calfacit enim et deſiccat in tertio ordine, eſtq; tenuium partium, & ſine mordacitate.

### Pentaphyllum.

*Pentaphyllon.*

Radix eius deſiccat uehementer, nimirum in tertio ordine, citra mordicationem tamen. Minimum ſiquidem habet cùm acrimoniæ, tum conſpicuę caliditatis.

### Peplos.

*Peplos.*

Succũ habet ſimilem tithymalis, cùm in alijs, tum quia purgat ceu illi.

### Peplium.

*Peplium.*

Etiam fruticulus hic ſuccũ habet ut tithymali, ualidumq;, non tamen admodum utilem. Radix eius uidetur ſuperuacanea. Semẽ utile eſt, & flatulentum, pepli ſemini ſimiliter purgans.

### Peperi, Piper.

*Peperi.* *Piperis differentiæ.*

Piperis radix uires coſto ſimiles obtinet. Fructus nuper germinantis, longũ exiſtit piper: quare maturo eſt humidius. At fructus qui ueluti omphax eſt, piper album eſt, nigro quidẽ acrius. Nam illud iam ueluti ſuperaſſatũ uidet. Vtrunq; tamen ualenter & calfacit, & deſiccat.

### Perſea.

*Perſea.*

Perſeæ ſolia modicè aſtringũt, ita ut nõnunq̃ ſiſtere queant ſanguinem erumpentem.

### Periclymenos, Volucrum maius.

*Periclymenos.* *Volucrũ maius.*

Fructus eius & ſolia adeò uehementer incidunt & calfaciũt, ut ſi diutius bibantur, urinam ſanguinolentam efficiant: principiò tantùm urinam mouentia. Foris cum oleo illita etiã excalfaciunt. Iuuant & lienoſos, & difficulter ſpirantes. Competens menſura eſt drachmæ unius cum uino. Deſiccat etiam ſemen, & (ut quidam tradũt) ſi liberalius bibatur, ſterilitatem inducit.

### Periſtereon.

*Periſtereon.*

Vim habet hactenus deſiccantem, ut & uulnera glutinet.

### Petaſites.

*Petaſites.*

Ex tertio eſt ordine deſiccantiũ: quamobrem ad cacoethe & phagedęnica ulcera eam adhibẽt.

### Petroſelinum.

*Petroſelinum.*

Eius ſemen eſt guſtu acre, cum amaritudine. Sic & in operibus calidum, unà cum incidendi effectu. Hinc mẽſes & urinas affatim prouocat, flatusq; diſcutit. Calfacit itaq; & ſiccat in tertio ordine. Tota herba ſimilem, ſed imbecilliorem poſsidet facultatem.

### Peucedanum.

*Peucedanum.*

Succus eius admodũ excalfacit & digerit, eſtq; tenuium & incidentium partium. Quare omnibus neruorũ affectibus creditur opitulari: tum morbis in pulmone & thorace ex craſsitudine humorũ ortis.*Nec uerò intra corpus ſumptus duntaxat, ſed olfactu etiam prodeſt. Ad hæc ſæpe ſoratorum dentium dolores, cauitati impoſitus, protinus mitigauit. Quinetiã induratos lienes iuuat. Ad quæ omnia, licet etiam uti radice, quæ & ſquamas celerrimè ab oſsibus detrahit, & arida illita ulceribus contumacibus remediũ eſt optimum: minus quidem quàm ſuccus excalfaciens, nempe in ſecundo ordine iam completo, deſiccans uerò in tertio incipiente.

### Peganon, Ruta.

*Peganon.* *Ruta.*

Agreſtis quidem in quarto ordine excalfacit, domeſtica uerò in tertio. Eſt autem non ſolùm guſtu acri, ſed & amaro. Ex quo ſanè digerere, incidereq; craſſos & lentos humores poteſt, atque mouere urinas. Quin & tenuium eſt partium, flatusq; extinguit. Quare ad inflationes competit, ac veneris appetentiã inhibet: digeritq; atq; exiccat ſtrenuè.

### Piſſa, Pix.

*Piſſa.* *Pix.*

Sicca quidẽ ſiccat & calfacit ſecundo ordine. At plus ſiccare ualet q̃ calfacere. Humida uerò cõtrà, plus calfacit q̃ ſiccat. habetq; partiũ tenuitatem nõnullam, qua aſthmaticos & purulentos adiuuat. Satis eſt autẽ cyathi linxiſſe menſuram melli miſtæ. Abſtergendi etiã, cõcoquendi, digerendiq; quandã uim habent, ueluti in guſtu leuem amaritatẽ & acrimoniam. Sic leproſos ungues eximunt miſtæ cum cera. lichenasq; detergunt. Coquunt item duros & crudos tumores, cataplaſmatis inditæ. Atq; ad ea omnia, humida ualentior eſt: arida uerò glutinandis uulneribus aptior.

### Piſſelæon.

*Piſſelæon.*

Ex humida pice efficitur, genere quidem ei ſimile, ſed eſſentiæ tenuioris.

### Piſtacium.

*Piſtacium.*

Fructus eius quodammodo tenuioris eſſentiæ eſt, ſubamarum quid & odoratum retinens. Obſtructiones itaq; omniũ uiſcerum aperit, ſed præcipuè iecinoris.

### Pityides, Picearum fructus.

*Pityides.* *Picearum fructus.*

Aſtringit, ſimulq; acris eſt, cum amaritudine quadam. Vnde thoracis pulmonisq; expuitionibus confert.

### Pitys, Picea.

*Pitys.* *Picea.*

Piceæ cortex uincentem facultatẽ aſtrictoriã ſortitur, ſic ut intertrigines ſanet, uentremq; potus ſiſtat. Sed & ambuſta cicatrice includit. Tedę

*Tedæ cortex.* cortex illi adsimilis est, uiribus tamen moderatioribus. Vtriusq; arboris folia glutinant ulcera. In coni folijs & cortice ualidior facultas est, adeò ut cum molestia mordicet. Fuligo quæ ex dictis colligit, ad pilos supercilioꝝ est cōmoda, itemq; ad angulos oculoꝝ erosos, lippientes, & lachrymantes.

Pityusa.

*Pityusa.* Viribus est similis tithymalo, succumq; sortitur similem, & similiter purgat.

Platanus.

*Platanus.* Humidioris frigidiorisq; est essentiæ, non ita multò quàm symmetra. Proinde folia uiridia trita & illita, non obscurè nascentes phlegmonas adiuuāt. Cortex & pilulæ magis desiccantē uim obtinent: ut ille quidem in aceto coctus ad dentium adhibeat dolores: pilulæ uerò cum adipe, ad ulcera ambusta. Vitandus est puluis folijs arboris insidens. Alioqui si attrahatur spiritu, arteriam offendit, ualenter siccans, exasperansq;. Necnon uocem lædit, sicuti & auditū & uisum, si in oculos aut aures inciderit.

Polygonon, Centinodia.

*Polygonon. Centinodia.* Vti astrictionis est particeps, ita in eo frigidū, aqueum uincit: ut secūdo excessu refrigeret, aut etiam initio tertij. Itaq; æstuanti uentriculo, erysipelati, atq; calidis phlegmonis, si illinatur frigidum, auxiliatur. Sistit præterea uniuersas fluxiones: qua ratione uidetur exiccatoriū. Quare ad herpetas, ulceraq;, bonum remedium est. Quinetiam crueta uulnera glutinat, auriumq; puri & ulceribus confert. Stillicidio & stranguria affectis exhibitum, urinam mouet, ut Dioscorides ait. Fœminæ ad omnia mas præstat.

Polygalon.

*Polygalon.* Eius folia modicè astringūt, uidenturq; si bibantur, lac generare. Itaq; superauerit in eo calidum humidumq;.

Polygonatum.

*Polygonatum.* Astrictionis pariter & acrimoniæ habet quippiam, cum fastidiosa quadā amaritudine. Quare nō usqueadeo est uescū. Sunt qui radicē eius illinant uulnerib. Alij eo næuos in facie detergunt.

Polemonium.

*Polemonium.* Tenuium partium est, & desiccandi uim obtinet. Vnde quidā radicē eius cum uino ad ischiadas, dysenteriam, lienemq; induratū propinant.

Polium.

*Polium.* Amarū est ac modicè acre. Obstructione itaq; omnia uiscera liberat, urinamq; & menses promouet. At uiride magna enā uulnera glutinat, & maximè species eius fruticosa. Aridum sanat rebellia ulcera, præcipuè quod minus est.

Polium minus.

*Polium minus.* Acrius & amarius est hoc quàm maius, adeò ut ex tertio sit ordine desiccantium: ex secundo autem completo calfacientium.

Polycnemon.

*Polycnemon.* Desiccat & calfacit secundo excessu: itaque & ipsum uulnera glutinat.

Potamogeiton.

*Potamogeiton.* Astringit & refrigerat similiter polygono, sed essentia eius crassior quàm polygoni est.

Polypodium.

*Polypodium.* Dulcē simul & austerā uincentē obtinet qualitatem, ut facultatis sit citra morsum admodum exiccantis.

Prasium, Marrubium.

Prasium amarum cùm sit, iecur ac lienem liberat obstructione, thoracem & pulmonem expurgat, ac menses promouet. Sed illitū etiam detergit & digerit. Calfacit itaq; secundo excessu cōpleto: siccat autē tertio ineunte, aut completo. Succo eius ad aciei oculorum claritatem utuntur cum melle: per naresq; auriginem purgat, ipsumq; ad inueteratos auriū dolores adhibent. *Prasium. Marrubium.*

Propolis.

Modicè quidē extergit, cæterū ualidè trahit. Est enim essentia tenui. Excalfacit porrò ordine secundo completo, aut certè incipiente tertio. *Propolis.*

Ptarmice.

Flores eius ciendæ sternutationis uim obtinent. Sugillata & cæteras ecchymoses digerit. Viridis porrò calfacit secūdo ordine, tertio autem siccat. *Ptarmice.*

Ptelea, Vlmus.

Vlmi folijs quandoq; recens uulnus conglutinauimus, confidentes astringentem simul & abstergentem inesse eis facultatem. Cæterùm cortex magis amarus est, astrictoriusq; magis. Itaq; cum aceto & lepras sanat. Quòd si uiridis circūligetur uulneribus, ea glutinare potest. Radices etiam eandem uim obtinent. Quarum decocto sunt qui perfundant fracturas, quæ callo obduci desiderant. *Ptelea. Vlmus.*

Pteris, Filix.

Radix eius latum lumbricū perimit, si in melicrato pondere drachmarum quatuor bibatur. Quare ipsam partum uiuum necare, mortuum autem expellere, non est mirum. Siquidem amara existit, paulūq; astrictionis obtinet. Vnde ualidè ulcera desiccat, citra morsum tamen. Similem ei uim habet Thelypteris. *Pteris. Filix.*

Pycnocomum.

Radix, fructus, & folia eius, digerendi attrahendiq; obtinēt facultatē: acria nimirū cùm sint. Folia eius phymata furunculosq; discutiūt. Fructus ualentior est: nam & palos, & tela infixa, ad extimam cutem elicit. Radix ad supradicta est infirmior, cæterùm flauam bilem expurgat. *Pycnocomum.*

Pyrethrum.

Radix eius causticam possidet facultatē, qua dentes refrigeratos mitigat. Porrò ad rigores ante periodum cum oleo cōfricatur: stupidosq; & resolutos adiuuat. *Pyrethrum.*

Pyros, Triticum.

Foris impositum, primi est ordinis calfacientium: * cæterùm nec siccare, nec humectare manifestò potest. Habet uerò etiam quiddam lentoris, obstruentisq; naturæ. Quod ex eo amylum conficitur, ipso est tum frigidius, tum siccius. Quod ex pane fit cataplasma, magis digerit, q̄ quod ex tritico, salis & fermenti ratione. Fermentum quippe uim attrahendi habet, digerendiq;, quæ in alto resident. *Pyros. Triticum.*

Rhamnus.

Desiccat & digerit excessu secūdo. Refrigerat in primo cōpleto, aut secūdo incipiēte. Proinde herpetes sanat, & erysipelata nō magnopere calida. *Rhamnus.*

Rhaphanis, Radicula.

Excalfacit excessu tertio, desiccat uerò secūdo. Agrestis in utroq; efficacior est. Semen etiā efficacius est planta. Ei enim inest digerēdi facultas. *Rhaphanis. Radicula.*

Rheum,

### Rheum, Rha.

*Rheum. Rha.* Quiddam habet terreſtre frigidum, ceu indicio eſt aſtrictio: adiuncta eſt illi tamen quædam caliditas. Siquidem ſi mandatur pluſculum, ſubacre conſpicitur. Eſt etiam aëriæ cuiuſdam ſubſtantiæ ſubtilis particeps: quod indicat laxitas, leuitasq;. Quare cõuulſis, ruptis, orthopnœæq; prodeſt. Sic quoq; liuentia & lichenas cum aceto illitum perſanat. Aſtrictionis ratione, ſanguinem expuentibus, cœliacis, & dyſentericis confert.

### Rhetinæ, Reſinæ.

*Rhetinæ. Reſinæ. Maſtiche.* Reſinæ omnes deſiccant & excalfaciũt. Lentiſcinæ tamen (quam uocant maſtichen) primę debentur partes. Nam præterq̃ quòd paucula ei ineſt aſtrictio, qua ſtomachi, uẽtrisq; & iecoris imbecillitatibus, phlegmonisq; etiam accõmodatur, deſiccat inſuper citra mordacitatẽ. Minimũ enim acris eſt, & maximè tenuium partiũ. *Terebinthina.* Inter cæteras præfertur terebinthina, manifeſtam quidem, nõ tamen ſimiliter atq; maſtiche, aſtrictionem poſsidens. Verũ adiunctã habet quandam amaritudinẽ, per quam magis q̃ maſtiche digerit. Per eandem etiam uſqueadeo abſtergit, ut pſoras ſanet. Quinetiã quę in profundo reſidẽt, magis cæteris extrahit, ob maiorẽ tenuitatẽ partium. Attamen pinea, & hac etiam magis ſtrobilina, acriores ea ſunt, ſed nõ magis tamen digerunt, attrahuntue. Media inter has ſunt picea & abietina. Habet porrò & emolliens quiddam terebinthina. Secũdum locũ habet in emolliendo lentiſcina, ſicuti cypariſsina in ipſa acrimonia.

### Rhodos, Roſa.

*Rhodos. Roſa.* Ex aquea ſubſtantia calida, duabus alijs qualitatibus miſta, aſtringenti uidelicet & amaræ, compoſita eſt. Flos tamen magis, q̃ ipſa roſa, eſt aſtringens: ac proinde etiam exiccatorius eſt.

### Rhodia rhiza, Radix rhodia.

*Radix Rhodia.* Tenuium partim & digerentis eſt facultatis. In calfaciendo uerò ſecundi ordinis eſt cenſenda, aut certè tertij incipientis.

### Rhododaphne.

*Rhododaphne.* Tota ſua eſſentia uenenũ eſt & homini & pleriſq; pecoribus. Porrò calfacit exceſſu tertio: primo autem deſiccat.

### Rhœa, Mâlum granatum, ſiue punicum.

*Rhœa. Mâlum granatum, punicum.* Omne mâlum granatũ aſtringentẽ qualitatẽ ſortitur: non tamen in omnibus ea exuperat. Nam inter ea quædam ſunt acida, quædam plus dulcia q̃ auſtera. Pro ratione quarum qualitatũ uincentium, ſuos uſus pręſtãt. Porrò acini aſtringentiores, & exiccantiores ſunt ſucco. Sicuti & his putamina, quæ ſidia dicuntur. Adſimilem illis uim habent flores qui cytini dicuntur.

### Rhus, Sumach.

*Rhus. Sumach.* Ad deſiccandum & aſtringendũ coriarij hac planta fruticoſa utuntur. Medicis in uſu ſunt fructus eius & ſuccus, auſteræ admodũ qualitatis. Exiccat itaq; in tertio ordine, refrigerat uerò in ſecundo.

### Rhypos, Sordes.

*Rhypos. Sordes.* * Sordes quæ à gymnaſiorũ ſtatuis æreis abraditur, digerendi emolliendiq; uim obtinet: quæ autem ab ijs qui in palæſtra exercentur, quantũ accepit pulueris, tantũ ab ea eſt diuerſa: atq; hãc ſordem πάτον Græci nominant. Prior igitur, quę ob contractam æruginem, acrior etiam exiſtit, cruda phymata digerit. Secunda autem, optimũ eſt phlegmones mamillarũ remedium. Conſtat enim ex puluere repercutiente, oleo emolliente, ac deniq; ſudore & ſordibus digerentibus.

### Sagapenum.

Liquor eſt calidus & tenuium partiũ, ſicuti & alij liquores. Sed abſterſionẽ quandam obtinet, qua oculorum cicatrices expurgat, extenuatq;. Suffuſionibus etiam & hebetudinibus oculorũ, quæ à craſsine humorum proueniunt, non malum eſt medicamen. At planta ex qua prouenit, ferulæ aſsimilis, imbecilla eſt & inutilis. *Sagapenum.*

### Sampſychon, Maiorana.

Tenuium partium & digerentis eſt facultatis: deſiccat enim & calfacit ordine tertio. *Sampſychum. Maiorana.*

### Saprotes σαπρὸν, Caries lignorum.

*Caries eorum præcipuè lignorum quæ participia ſunt aſtrictionis & abſterſionis, ut ulmus, expurgat, impletq; ulcera humida. *Caries lignorum.*

### Sarcocolla.

Miſtam uim habet ex emplaſtica quadã ſubſtantia, & paucula amara. Itaq; citra morſum deſiccat, ac proinde glutinare ulcera ualet. *Sarcocolla.*

### Satyrion, Triphyllon.

Humidũ calidumq; eſt temperie, ob idq; dulce. Recrementitiam tamen & flatuoſam humiditatem poſsidet. Quocirca ad venerem incitat. *Satyrion. Triphyllon.*

### Selinon, Apium.

Adeò calidũ eſt, ut & urinam & menſes cieat. Flatus quoque digerit, & magis ſemen quàm herba. Oreoſelini & hipposelini ſimilis uis exiſtit. Verùm Hipposelinum imbecillius eſt, oreoſelinum ualentius. *Selinon. Apium.*

### Seris, Cichorion.

Holus eſt ſubamarum, & magis quod agreſte eſt. Id nanq; eſt frigidæ & ſiccæ temperaturæ, ſecundo exceſſu. Cæterũ domeſtica magis quàm agreſtis refrigerat. Porrò utraque aſtringentis qualitatis eſt particeps, ut chondrilla, quæ eſt etiam ſereos ſpecies. *Seris. Cichorium.*

### Seriphum.

Abſinthio eſt tum ſpecie, tum guſtu ſimile. Cæterùm nõ æquè aſtringit: ſed calfacit ualentius, necnon amaritudinem quandam ſalſuginoſam refert, uentriculoq; eſt infeſtum: magisq; abſinthio lumbricos enecat. Calfacit itaq; ſecundo ordine intenſo, ſiccat autem in tertio. *Seriphum.*

### Seſeli.

Adeò excalfacit tum radix, tum fructus, ut moueat urinas. Eſt etiã tenuiũ partiũ, ut & comitialibus morbis, & orthopnœis competat. *Seſeli.*

### Seſamum.

Viſcoſum & pingue cùm ſit, emplaſticũ etiam exiſtit, emolliensq;, ac modicè calidum. Oleum quod ex eo conficitur, & ipſius herbæ decoctũ, eiuſdem ſunt facultatis. *Seſamon.*

### Seſamoides magnum.

Semen eius ut helleborus purgat, ſimiliterq; abſtergit, calfacit, & deſiccat. *Seſamoides magnum.*

### Seſamoides album.

Huius ſemen nonnullam *acrimoniam ſortitur, uehementerq; eſt amarum. Excalfacit itaq;, rumpit, extergitq;. *Seſamoides paruum.*

### Sideritis.

Nonnihil abſtergit, ſed plurima pars eius eſt *Sideritis.*

humida & mediocriter frigida, cum exigua aſtrictione, qua phlegmonē ſedat & glutinat. Sideritis autem Achillea, dictam ſuperans aſtrictione, ſanguinis eruptioni, dyſenteriæ, & muliebri profluuio eſt aptiſsima.

Sicyos, Cucumis.

*Sicyos. Cucumis.* Maturus, tenuioris eſſentiæ eſt: immaturus, craſsioris. Sed incidendi & abſtergendi facultas eis ineſt. Quare & urinā mouent, & corpus ſplēdidum reddūt. Sunt enim humidi frigidiq́; quaſi in ſecundo ordine. At areſacta tum radix tum ſemen, ſiccant primo, aut ſecundo incipiente, ordine: magiſq́; abſtergunt, q̃ ipſius melonis caro.

Sicyos agrios, Cucumis agreſtis.

*Cucumis agreſtis. Elaterium.* Tum ipſe, tum eius ſuccus, quem elateriū uocant, aut ex folijs & radicibus preſſus, perutilis ad medicationes exiſtit. Elaterium itaq; menſes ciet, fœtumq́; perimit applicatū, ceu alia omnia amara & tenuium partium. Summè ſiquidē eſt amarum: calfacitq́; in ſecundo ordine, ac proinde etiam digerit. Sic enim eo angina laborantes inungūt quidam cum melle aut oleo ueteri. Bonum item eſt regio morbo affectis infuſum cum lacte in nares: ſimiliter dolores capitis ſanat. Radicis atq; foliorū ſuccus ſimilem, ſed imbecilliorem facultatem ſortitur. Radix etiam abſtergit, digerit, emollitq́;. Cortex potentius deſiccat.

Silphium, Laſerpitium.

*Silphium. Laſerpitium.* Silphij liquor calidiſsimus eſt. Necnon folia, caulis, & radix, ſtrenuè etiam ſunt calida: omnia tamen flatulentæ magis eſſentiæ ſunt, ac proinde difficilia concoctu. Foris autem impoſita corpori, efficaciora, liquor præcipuè, admodum trahentem facultatem poſſidens. Attamen & excreſcentias exterit, & quandam liquandi uim poſſidet.

Siſion.

*Siſion.* Calidus & ſubamarus exiſtit. Vnde urinā mouet, concoquit, menſes prouocat, omneſq́; uiſcerum obſtructiones reſerat.

Sion.

*Sion.* Quantum guſtu * aromaticū eſt, tantū etiam excalfacientis facultatis eſt particeps. Quare & digerit, & urinam mouet, & calculos renū frangit, & menſes euocat.

Siſaron.

*Siſaron.* Siſari radix cocta ſtomacho grata eſt, & urinam mouet, ſecundo ordine excalfaciens, cum amaritudine & aſtrictione leuicula.

Siſymbrium.

*Siſymbrium.* Tenuium eſt partium, facultatiſq́; digerentis, calfacientis, & exiccantis in tertio ordine. Quidam ſemen cum uino exhibent ſingultientibus, torminaq́; patientibus.

Siſymbrium, quod Cardaminen uocant.

*Cardamine.* Si ſiccum ſit, tertij eſt ordinis calfacientium & exiccantium: ſi humidum, uirideq́;, ſecundi.

Scandix.

*Scandix.* Agreſte eſt olus, ſubacre & amarum. Calfacit itaq; & ſiccat ſecundo ordine intenſo: ualenter mouet urinā: uiſceraq́; liberat obſtructionibus.

Scilla.

*Scilla.* Admodum quidem incidit: calfacit autem ſecundo ordine. Porrò præſtat eam aſſam aut elixam ſumere, quòd ſic eius uehementia exoluat.

Scolymos.

*Scolymos.* Radix eius, ſi quis illam in uino coctā bibat, graueolentem urinam abundanter elicit, fœtoriq́; alarum medetur. Sucus enim eius eſt purgatorius. Calfacit porrò ſecundo & completo ordine, aut tertio incipiente: ſiccat uerò ſecundo.

Scordion.

*Scordion.* Nonnihil amarum obtinet, & acerbum, & acre: ipſiuſq́; acrimonia, allij acrimoniæ eſt perſimilis. Expurgat igitur, excalfacitq́; uiſcera: menſes urinamq́; prouocat. Conuulſa, rupta, doloreſq́; laterum ab obſtructione & frigore obortos, epotum ſanat: illitum uiride, magna uulnera glutinat: purgat ſordida: inſperſumq́; aridum, contumacia ad cicatricem perducit.

Scorodon, Allium.

*Scorodon. Allium.* Deſiccat & excalfacit exceſſu quarto. Porrò ophioſcorodon, alliū agreſte eſt, domeſtico ualentius.

Scorodopraſſon.

*Scorodopraſſon.* Vt guſtu & odore, ſic uiribus inter allium & porrum mediam naturam ſortitur.

Scorpiodes.

*Scorpiodes.* Excalfacit ordine tertio: deſiccat ſecundo.

Smilax, Cactus arbor.

*Smilax.* Facultatis eſt ueneno ſæ.

Smyrna, Myrrha.

*Smyrna. Myrrha.* Secundi eſt ordinis calfacientiū & exiccantiū. Vnde capitis uulnera glutinat. Ineſt illi amaritas non exigua, qua fœtum & lumbricos enecat, eijcitq́;. Habet etiam & abſtergendi uim moderatam. Quare ocularibus miſcetur medicamentis, & ijs quæ ad ueterem tuſsim, atq; anhelationem adminiſtrantur.

Smyrna Boice, Myrrha Bœotia.

*Smyrna Bœotia.* Vim habet calfaciendi, fundendi, emolliendi.

Smyrnium.

*Smyrnium.* Ex eodem genere cum apio eſt & petroſelino: fueritq́; apio quidem ualidius, imbecillius uerò petroſelino. Itaq; & urinas & menſes proritat: calidum ſiccumq́; tertio ordine.

Sonchus.

*Sonchus.* Dum uiridis eſt, aquea terreaq́; eſſentia conſtat, utraq; leuiter frigida: iam & aſtrictionis cuiuſdam eſt particeps, & manifeſtè refrigerat, tum illitus, tum eſus. At areſactus, terreſtrior redditur, modicam aſciſcens caliditatem.

Sparganium.

*Sparganium.* Deſiccantis eſt facultatis.

Spartum, Geniſta.

*Spartum. Geniſta.* Sparti (quo & uites alligāt) tum fructus, tum ſuccus uirgarū, ualentē trahendi uim poſsidet.

Staphilinus, Paſtinaca.

*Staphilinus. Paſtinaca.* Satiua imbecillior, agreſtis ad omnia potētior eſt. Vrinas menſeſq́; prouocat, abſtergitq́; nōnihil, cùm herba quidē tota, tum uel maximè ſemē & radix.

Stachys.

*Stachys.* Guſtu eſt acri & amaro, tertijq́; calfacientium ordinis. Vnde menſes rationabiliter prouocat. Facit tamen abortum, atq; ſecundas eijcit.

Stœbe.

*Stœbe.* Fructus eius & folia aſtringunt citra mordacitatē, deſiccātq́; in tertio ferè incipiente ordine. Quare decoctum eorū iniicitur dyſentericis, auribuſq́; purè fluentibus: quod etiam magna uulnera glutinat, præcipuè cū uino atro & auſtero.

Valenter

Valenter enim deficcat omnes prẽter naturã humiditates. Folia uiridia illita erumpentẽ sanguinem supprimũt, suffusionibusq́ oculorũ ex ictu medentur.

Stœchas.

*Stœchas.* Amara est & mediocriter subastringens, cũm nimirũ ex terrena essentia frigida exigua, & externa altera terrena copiosa, constet. Quare obstructione liberat, extenuat, extergit, roboratq́, & uiscera & uniuersum corpus.

Stratiotes.

*Stratiotes.* Aquaticus quidem humida & frigida facultate est: terrestris uerò, nõnihil habet astrictionis. Proinde & ulcera glutinat.

Struthion.

*Struthion.* Radix eius est acris, calida, siccaq́ temperamento, ex quarto propémodum ordine excalfacientium. Sed & abstergit, & irritat: proinde & sternutationem prouocat.

Styrax.

*Styrax.* Excalfacit, emollit, concoquit. Quamobrem tussi, catarrho, pituitæ destillationibus, raucedinibusq́ auxiliatur. Tum menses, seu potum, seu admotum prolicit. Combusti eius suligo, thuris fuligini est similis.

Syca, Ficus.

*Syca. Ficus.* Aridæ excalfaciũt ordine primo aut secundo incipiente, habentq́ partium tenuitatem quandam: quare tubercula dura concoquunt, digeruntq́, tum ipsæ, tum ipsarũ decoctum. Verùm ubi magis concoquere consilium est, miscetida est farina triticea: ubi uerò plus digerere, hordeacea. Panis horum in medio. Porrò quæ sunt pinguiores, magis possunt concoquere: quæ acriores, magis tum extergere, tum digerere. Ficus uirides, imbecilliores sunt. Vtræq; tamen & siccæ & humidæ aluum subducunt.

Syce, Ficus arbor.

*Syce. Ficus arbor.* Calidæ, tenuiumq́ partium temperaturæ est, sicuti indicant tum liquor eius, tum foliorũ succus. Valenter enim calfacit uterq;. Itaq; nõ mordicat tantũ, aut uehementer abstergit, sed & ulcerat, & ora uasorum reserat, & uerrucas extirpat. Quin & uim purgatoriam habet. Porrò lachryma & succus agrestis ficus, quam caprificũ uocant, ad omnia, q̃ satiuę, ualentior est. Cæterũ ipsarũ surculi adeò calidi sunt, atq; tenuium partium, ut carnes bubulas duras, si coquendis adijciantur, friabiles ac teneras reddant.

*Caprificus.*

Symphytum petræum.

*Symphytum petræum.* Habet quandam uim incidendi, qua collectũ in thorace pulmoneq́ pus expurgare potest: ac simul contrahendi facultatis est particeps, qua eiectionibus sanguinis auxiliatur: estq́ humidum, ac non immodicè calidum: unde & dulce apparet, atq; odoratu iucundum. Ad hæc, mansum sitim extinguit, & arteriæ sanat asperitates. Liquet igitur ipsum etiam & digerere, & cõstringere posse. Vnde & enterocœlijs imponiť, & ad conuulsa & rupta cum oxymelite bibitur.

Symphyton magnum.

*Symphytum magnum.* Similem dicto uim habet. Cæterũ neq; uidetur dulce, neq; odoratũ. Est uerò secundũ uiscositatem mordacitatemq́ scillæ simile.

Spondylon.

*Spondylon.* Fructus eius acris & incidens est: itaq; ad asthma & comitialẽ morbũ aptum est medicamen. Prodest & aurigini. At radix ultra iam dicta, fistularũ callos tollit, si sit circumrasa. Floris succus, ad diuturniora aurium ulcera cõueniens reponitur.

Schinos, Lentiscus.

*Schinos.* Ex aquea essentia leuiter calida, & terrena frigida nõ pauca, constat. Desiccat itaq; secũdo ordine cõpleto, aut tertio incipiente, in caloris frigorisq́ medio cõsistens quodammodo. Astringit autem ex æquo, moderateq́ omnibus partibus suis. Succus bibitur & per se, & cum alijs medicamentis, quæ dysenterias & alui affectus sanant. Quin & ad sanguinis expuitiones, flores muliebres, necnon sedis uuluæq́ procidentias idoneus est, utpote ad hypocistida nonnihil accedens propè.

Schinu anthos, Schini flos.

*Schini flos.* Modicè calfacit, modiceq́ etiam astringit, nec planè à tenuitatis natura est alienus. Quare urinam & menses mouet, siue potione, siue fomẽto adhibitus. Prodest etiã iecoris, stomachi, & uentris inflammationibus. Cæterùm magis astringit radix, quanq̃ flos etiam astringat omnibus partibus suis. Proinde medicamẽtis quæ hęmoptoicis exhibentur, miscetur.

Schœnos leia, Iuncus læuis.

*Schœnos leia. Iuncus læuis.* Quidã oxyschœnos, alius oligoschœnos dicitur: gracilior duriorq́ oxyschœnos, crassior laxiorq́ oligoschœnos. Fructus huius somnũ cõciliat. Oxyschœni autẽ duæ sunt species: altera sterilis, cuius nullus usus in medicina: altera quę fert semen somni cõciliatiuũ, sed minus q̃ oligoschœni. Vtrunq; si cum uino bibatur, uentris fluxus desiccat, & muliebre profluuiũ rubrũ sistit. Est itaq; eorum temperies composita ex terrena essentia leuiter frigida, & aquea leuiter calida.

Terminthos, Terebinthus.

*Terminthos. Terebinthus.* Cortex, folia, & fructus eius astringunt, & secundo ordine excalfaciũt: unde etiã quòd siccet, liquet. Porrò fructus aridus propinquus est tertio ordini desiccantiũ, calfacitq́ ualenter. Quare & urinam prouocat, & lienibus auxiliatur.

Teutlon, Beta.

*Teutlon. Beta.* Nitrosæ facultatis est particeps, qua tum digerit, tum extergit, & per nares expurgat. Cæterũ cocta nitrositatẽ exuit, euaditq́ leniter digerẽs. Ad detergendũ tamen digerendũq́ ualidior est beta alba.

Teucrium.

*Teucrium.* Incidit & tenuium est partiũ: quare lienes sanat. Ac exiccat quidem in tertio, calfacit autem secundo ordine.

Tephra, Cinis.

*Tephra. Cinis.* Ex partibus cũm terrenis, tum etiã fuliginosis (quæ & tenues sunt, & cum aqua in qua macerari prius fuerint cineres, excolant) constat. Pro materiæ tamen cõbustæ differentia, cineris temperies uariať. Quare haud scio qua ratione Dioscorides astringere cineres omnes prodiderit, cũm ficulnens cinis eiusmodi omnis qualitatis sit expers, nimirũ ipsa arbore nulla parte sui acerbam qualitatem reddente. At ex acerbis lignis cõfectus cinis, nõ parũ quidem astringit: meminiq́ me eo aliquando sanguinis suppressisse eruptionẽ. Verũ nullus unq̃ ad tale uti ficulneo audeat. Siquidẽ hic acrimoniæ plurimũ, ut ὀriq́ sa

*Dioscorides suggillatur.*

*Calx.* cultatis obtinet, mistæ abstersioni. Est & calx cineris quædā species, cæterū tenuioris essentię, q̄ qui ex lignis fit. Porrò elota, medicamen est citra morsum desiccās, magisq́ʒ si bis térue lauet. Cæterū si marina aqua abluta sit, admodū digerit.

Telephium.

*Telephium.* Exiccandi & detergendi facultate est, nō tamē insigniter calida, sed forsan secundi ordinis. Desiccat etiā secundo, intenso tamen, aut tertij principio. Proinde ad putrida ulcera cōgruit, & cum aceto utranqʒ uitiliginem sanat.

Telis, Fœnumgræcum.

*Telis. Fœnumgræcū.* Calfacit secūdo ordine, desiccat primo. Proinde feruētes phlegmonas irritat: quę uerò minus sunt calidæ, & magis duræ, eas digerendo persanat.

Tithymali.

*Tithymalus.* Tithymali omnes uincentem habent acrem, calidamq́ʒ potentiā, cum amaritudine quadam. Validissimus eorum est liquor: dein fructus & folia: postremò radix. Hæc aceto incocta, sanat erosorum dentium dolores: liquor in ipsa foramina inditur. Cæterū si aliam partem cōtingat, cōtinuò adurit ulceratq́ʒ illam, ex quarto existēs calfacientium ordine, qui ad exurentia pertinet. Sic pilos quoque, & uerrucas, & myrmecias, & pterygia, & thymos, cum oleo inunctus succus euellit: detergitq́ʒ lichenas & psoras, propter amaritudinē: necnon ulcerum phagedænica, anthracode, & gangrænode, quia ualenter calfacit & desiccat, aliquando iuuare poterit. Ad hæc fistularū callos eximit. Prędicta omnia folia & fructus præstare possunt, sed imbecillius. Quibus sanè & ad pisces in aqua stagnali capiendos, uti assolent. Celerrimè enim ab illis in uertiginem acti, ac semimortui redditi, ad aquæ superficiem feruntur. Porrò cùm septem sint tithymalorū genera, ualentissimus est quē characiam maremq́ʒ nominant: & fœmina nuncupata myrsinites: & qui in petris nascitur arborescens. Deinceps qui phlomo assimilis est, & cyparissias. Dein marinus: ac deniqʒ helioscopius. Pro portione autem facultatis ipsorum, & cinis & lixiuium existet.

*Pisces redduntur vertiginosi, capiunturq́ʒ facilè, foliis fructibusq́ʒ tithymali gustatis.*

Tragacantha.

*Tragacantha.* Emplasticam facultatem similem gummi obtinet, necnon obtusiorem acredinem. Ac sanè similiter illi desiccat.

Tragion.

*Tragion.* Tragij folia, fructus, lachrymaq́ʒ, trahentis digerentisq́ʒ sunt facultatis. Est uerò & tenuiū partium, & facultate in principio tertij ordinis calida. Stipites, & infixa corporibus extrahit, lapides frangit, menses mouet, drachmæ pondere potum. Porrò in Creta sola nascitur, lentisco simile. Alterum minus, cuius folia scolopendrio similia sunt, uisitur quidē multis in locis, sed nō parum habet facultatis astringentis, ut & ad fluxionum affectus conueniat.

Tragoriganon.

*Tragoriganum.* De hoc in sermone de origano diximus.

Tribolos.

*Tribolus.* Ex humida essentia modicē frigida, & sicca nō mediocriter, cęterū similiter frigida cōstat. Vnde cōtra phlegmonarū generationes, & cōtra omes influxus cōgruit. Porrò terrestris ipsius fructus, cū tenuiū sit partiū, potus renū calculos cōterit.

Tripolion.

*Tripolium.* Radix huius est acris, & facultate calida in tertio excessu.

Triphyllum.

*Triphyllum.* Calfacit & siccat in tertio ordine, ut bitumen, cui odore est simile. Proinde potū laterū dolores ab obstructione natos iuuat: & urinā mensesq́ʒ prouocat.

Trichomanes.

*Trichomanes.* Eadem præstat quæ adiantum.

Trychnon, Solanum, Strychnon.

*Trychnon. Solanum. Strychnon. Halicacabum.* Esculentū quidem astringit, refrigeratq́ʒ in secundo ordine. At eorū quæ esui nō sunt, unum quidem dicitur Halicacabum, fructū habens rubeum, acino uuæ persimilem. Alterū uerò est fruticosum, à cōciliando somno Hypnoticū appellatum. *Solanum Hypnoticum.* At tertiū, quòd ad insaniam adigat, omnes Manicū nomināt. *Solanum manicum.* Halicacabū igitur, fructū fert ciendæ urinæ idoneū, compluribusq́ʒ facultatibus quæ ad iecur, uesicam, & renes accōmodantur, miscetur. Solani uerò hypnotici cortex radicis, si cum uino bibatur, somnū accersit, drachmæ pondere sumptus, existens succo papaueris similis, nisi quòd imbecillior, utpote tertij refrigerantiū ordinis, cùm ille sit quarti. Huius solani semen urinā ciendi uim habet. Si plus tamē duodecim corymbis hauseris, dementiā asciscet. Quod reliquum est ex solanis propositis, est ad medicationes intra corpus inutile. Nam si quatuor eius drachmæ offerant, mortē inferent: si pauciores, insaniā. Vnacertè innoxię sumitur: nihil tamen utile pręstat. At foris corpori illitū, ulcera maligna persanat. Verùm ad talia, radicis cortex præfert, desiccans secundo ordine iam cōpleto, aut tertio incipiēte: secūdo autē incipiente refrigerans.

Hyacinthus.

*Hyacinthus.* Radix eius bulbosa est, desiccans primo ordine: secundo autem, aut initio tertij refrigerans. Fructus leuiter extergit astringitq́ʒ: unde & regio morbo laborantibus exhibetur in uino, ordine quidem tertio desiccans, at in medio caloris frigorisq́ʒ consistens.

Hydnon, Tuber terræ.

*Hydnon. Tuber terræ.* Substantiam habet uincentē terrestrem quidem, sed cum paucula tenuitate permistam.

Hydropeperi.

*Hydropeperi.* Non usqueadeo calidum est, ut piper. Viridis ipsa herba cataplasmatis instar imposita, fugilla & tumores induratos digerit.

Hyoscyamus, Altercum.

*Hyoscyamus. Altercum.* Cui semen atrum est, insaniam ac soporem inducit: cui uerò mediocriter flauum, propinquā ei obtinet facultatē. Vtriqʒ tamen fugiendi sunt, ut deleterij & inutiles. At cui semen & flos est candidus, sanitati idoneus existit, ex tertio quodammodo refrigerantium ordine.

Hypericum.

*Hypericum.* Calfacit & siccat, essentia tenui, adeò ut menses urinasq́ʒ prouocet. Illitū uiride, ad cicatricem omnia perducit ulcera. Siccum cōtusumq́ʒ si inspergas, mollia, humida, & putrilaginosa sanabis. Sunt qui & ischiadicis bibendum propinēt.

Hypecon.

*Hypecon.* Refrigerat tertio ordine, parumq́ʒ à papauere distat.

Hypoglosson.

*Hypoglossum.* Radix eius & succus emolliēdi uim possidet.

Hysso-

### Hyssopum.

*Hyssopum.* Desiccat & excalfacit ordine tertio, sed tenuiũ est partium.

### Phaci, Lentes.

*Phaci. Lentes.* Valenter astringũt, mediumq́ tenent inter calorem & frigiditatẽ. Desiccãt tamen in secundo ordine. Ipsum itaq; earũ corpus, siccat & sistit aluum. Cæterũ decoctũ prouocat. Proinde prior aqua abijcitur, ubi retentionis causa exhibent.

### Phacos, Lenticula palustris.

*Lenticula palustris.* Humidæ frigidæq́ temperaturæ existit, utrinque ex secundo ordine.

### Phaleris.

*Phaleris.* Succus, semen, & folia rius, commodè potari creduntur cõtra uesicæ dolores, ceu in se habeat tenue quiddam & calidum.

### Phalangites.

*Phalangites.* Sic dicitur, quòd morsis à phalangijs auxilio fit. Est autem facultatis tenuiũ partium, & excicantis, quare tormina lenit.

### Phlomus, Verbascum.

*Phlomus. Verbascum.* Huius herbæ duæ sunt species. Quarũ enim folijs est candida, quædam uerò nigra. Rursus, albæ quidem mas est, cuius folia angustiora: fœmina, cuius maiora uisuntur. Est & alia phlomus agrestis, flores habens aureos & luteos: necnon alia quam phlomida appellant. Priorum duarũ radix acerba gustu est, & fluxionum affectibus prodest, atqueadeo dentium doloribus: quanq̃ folia digerendi uim habent. Similiter & aliarum folia. Omnium quippe folia desiccandi & detergendi uim possident.

### Phœnix, Palma.

*Phœnix. Palma.* Astrictoriæ facultatis est particeps omnibus partibus suis. Igitur ramorũ succus austerus est, ex aquea substantia tepida, & terrea frigida constãs. Similis facultatis est eius cerebrũ, esui aptũ. At fructus, & maximè dulcis, non paruam obtinet caliditatẽ. Qui quidem cùm edendo sit, magno est usui, non tantùm foris impositus, ubi roborare, desiccare, contrahere, stipareq́ est consilium, sed tanquam cibus sumptus, & simul cum alijs, & per se. Porrò tenerũ palmæ germen, eandem cum eius cerebro facultatẽ sortitur. At cortex astringit quidem, ac plus quàm dicta omnia desiccat: *utpote minimũ habens humiditatis. Quare ad ulcera putrescentia, laxatos articulos, hepatis & uentriculi imbecillitates, eo intus & foris administrato utuntur. Radix citra morsum desiccat, cum nonnulla astrictione.

### Phormion.

*Phormion.* Phormij semine cum melle ad leucomata *utuntur. Sed spicula etiam extrahere creditur, uelun & ipsa herba. Quare tenuium partium, & attrahendi digerendiq́ potentiam obtinet.

### Phu.

*Phu.* Odorata quodammodo eius est radix, uardo uiribus similis: ad pleraq; tamen infirmior. Mouet autem urinam, ut nardus gallica.

### Phycos, Alga.

*Phycos. Alga.* Ex mari exemptus & uireus, siccat refrigeratq́ in secũdo ordine: habet enim quiddam modicè acerbum.

### Phyllitis.

*Phyllitis.* Acerba cùm sit, meritò & diarrhœas & dysenterias epota iuuat.

### Phyllon malabathru, Folium malabathri.

*Folium malabathri.* Nardo similem possidet facultatem.

### Chalbane, Galbanum.

*Chalbane. Galbanum.* Succus est plantæ ferulaceę, molliendi & digerendi ui: calfacit enim ordine tertio incipiente, aut completo secundo: siccat uerò secundo incipiente.

### Chamædrys.

*Chamædrys.* Vincentem habet qualitatem amaram. Est & quodammodo acris: quare meritò lienes colliquat, urinas & menses prouocat, crassitudinem humorum incidit, uiscerumq́ obstructiones repurgat. Calfacit itaque & desiccat tertio ordine: plus tamen calfacit quàm siccat.

### Chamæcissos.

*Chamæcissos.* Flos eius admodũ amarus cùm sit, iecur obstructũ aperit: daturq́ & coxendice laborantib.

### Chamælea.

*Chamælea.* Vincentem habet qualitatem amaram: quare admodum sordida ulcera, & quæ maximis inducta sunt crustis, purgare cum melle est potens.

### Chamæleuce.

*Chamæleuce.* Calfacit quodãmodo tertio ordine, siccat primo.

### Chamæleon.

*Chamæleon.* Nigri quidem radix, letale quiddam obtinet. Quare foris usus eius ad ea quæ abstersionẽ postulant, administratur. Præterea digerentibus & emollientibus pharmacis commiscetur. Etenim siccat tertio ordine, calfacit autem secundo absoluto. At albi radix quòd nõ sit perinde acris, potui datur cum uino austero, mensura oxybaphi, laborantibus aqua inter cutem.

### Chamæpitys.

*Chamæpitys.* Magis amara est quàm acris: quare abstergit, purgatq́ uiscera, magis quàm calfacit. Proinde auriginosis, & quibus facilè iecur obstruitur, bonum remedium est. Quin & urinam, & menses ducit tum pota, tum illita cum melle. Viridis uulnera magna glutinat: ulcera putrescentia sanat: durities uberũ discutit. Est enim in siccando tertij ordinis: in calfaciendo, secundi.

### Chamæsyce.

*Chamæsyce.* Abstergẽdi simul & acrem uim possidet. Itaq; acrochordonas & myrmecias, caules eius teneriores intriti, quiq́ ex eis profluit liquor, auferunt. Cum melle crassas oculorũ cicatrices detergunt: hebetudinem uisus à crassitie ortam, adiuuant: sicuti & suffusionum principia.

### Chelidonium.

*Chelidonium.* Admodum extergit & calfacit. Succus eius ad acuendum uisum est cõmodus. Quidam radicẽ eius ad aurigine ab obstructione iecoris ortam, in uino albo cum aniso propinant. Mansa etiam confert dentium doloribus. Chelidonium minus, cùm maiori sit acrius, celeriter cutem exulcerat, unguesq́ scabros eijcit. Succus eius per nares purgat. Hæc itaq; siccat & calfacit in quarto incipiente ordine: at chelidoniũ maius in tertio.

### Chondrilla.

*Chondrilla.* Eiusdem ferè est facultatis cum seri: nisi quòd amariuscula est, ac proinde siccantior.

### Chondrus.

*Chondrus.* Nutrimentũ quidem est optimũ, sicut triticũ. Vt medicamen autem, emplasticæ est facultatis, tẽperie tritico similis, nisi quòd uiscosior existit: qua ratione plus illo nutrit. Est porrò hoc semẽ

ueluti materia quædã idonea excipiẽdis medicamentis ficcantib. Ipsum uerò ex numero concoquentiũ existit, ut triticũ, quæ minimè profectò desiccant.

Chrysocome.

*Chrysocome.*

Radix uincẽtes habet acrem & astringentem qualitates: quare non admodum multi usus est. Quanq̃ cocta in melicrato, peripneumonijs & morbis hepaticis auxiliat̃. Sed & menstruis purgandis est utibs.

Pseudodictamnum.

*Pseudodictamnum.*

Vim dictamni, sed imbecillam sortitur.

Psyllium.

*Psyllium.*

Semen habet admodum utile ex secundo refrigerantiũ ordine. In desiccando uerò & humectando, quodammodo est symmetrum.

Ocimum.

*Ocimum.*

Ex secundo est ordine calfacientiũ. Habet autem recrementitiam humiditatem: proinde nec cõmodum est, ut in corpus sumatur. At foris illitum, concoquit digeritq́;.

Ocimoides.

*Ocimoides.*

Semen tenuium est partium, & citra morsum, facultatis desiccatoriæ.

## GALENI PERGAMENI *de simplicium medicamentorum facultatibus lib. IX.*

QVotqnot plantarum sunt partes, fructus, succi, & liquores, suprà dicta sunt omnia. Nunc autẽ de reliquis medicamentis, quæ ex metallorum sunt genere, quæq́; species ipsius terræ existunt, disserere propositũ est. Post quæ deinceps nonnihil tractabitur de partibus animalium, quibus ceu medicamentis ad curationes utimur. Meminisse autẽ in uniuersum oportet, astringentibus medicamentis facultatem inesse cum acribus pugnantissimam.

*Astringentium facultas.*

Astringentia siquidem contrahunt, constipantq́;, & condensant substantiã nostram: ac proinde in quamuis corporis nostri partem extrinsecus imposita, cõtinuò illam & rugosam, & cõtractam efficiunt:

*Acrium facultas.*

contrà quàm acria, quæ admota cuti, perspicuò eam excalfaciũt, atq; in molem attollunt, rubente colore: ac si diutius immorentur, exulcerant. Hæc itaq; euidenter apparent incidere, excalfacere, à uicinisq́; partibus ad sese sanguinẽ trahere. At astringentia, refrigerando, cõtrahendo, constringendoq́;, in illis etiam contentũ repellere. Porrò combustorum nõnulla calidiora q̃ antea reddũtur, & ad gustum, & ad tactum, & ad eam quæ in usu cernitur, facultatẽ.

*Vstorum differentia.*

Quædam contrà, ab ustione minus apparẽt calida, id quod tactu & usu manifestè discernit̃. Igitur acria multũ caloris amittunt usta: quæ uerò nõ sunt eiusmodi, assumunt.

*Combustorum nullum est frigidum.*

Cæterũ combustorũ nullum planè est frigidũ: relinquitur enim in illis ueluti acrimonia ignis, quæ per ablutiones extergitur: ita ut aqua in qua medicamentum ablutum fuerit, calidam facultatem comparet, eamq́; tenuium partium: quod reliquũ uerò est, fit terreum simul & frigidum, ac desiccare citra molestiam possit.

De differentijs terræ.

*Terræ differentiæ.*

Terra cõmuniter ac secundum agricolas, dicitur illa quæ agriculturæ est aptissima, quæq́; humore macerata, lutũ efficitur. Atq; in ea sanè plures differentias constituunt. aliam (exempli gratia) pinguẽ esse dicentes, ex qua lutum fit uiscosum & lentũ: aliam cõtrario modo dispositam, hoc est, quæ lutũ efficiat friabile. Atq; hoc unum uocabulũ terræ est omnibus usitatũ.

*Elementa corporum.*

Alterũ est solis Philosophis usurpatũ, cùm aiunt, elementa corporũ esse terram, aquã, aërem, & ignem. Corpus nanq; extremè siccũ & frigidum, terrã nuncupant. Secundũ quos nullum compositorũ corporum terra censetur elemẽtaris. Aiunt tamen, quantò corpore fuerit duriore, tantò magis ea esse terrea: contrà quàm agricolæ, qui eam exactissimam esse terram cõtendunt, quæ q̃longissimè à saxi consistentia recessit. Pro hoc itaq; secundo significato, quod à Philosophis celebratur, tribus claudunt̃ generibus differentię ipsius terræ: quorum unum genus est lapis, alterũ corpus metallicum, tertium terra quæ colitur.

De differentijs nominatæ passim terræ.

*Terræ passim vocatæ differentiæ complures.*

Terra itaq; uel Latinis etiã dicitur usitatè, quę iniecta aqua soluitur, & fit lutũ. Quæ sanè quasdam differentias sortitur: secundum propriam quidem rationẽ, ut uidelicet pinguis si sit & uiscosa, quæ utiq; omnino & atra colore est: aut contrà friabilis, & pinguitudinis expers, quam argillam appellant, quæ quodammodo candidior existit: aut si inter has maximè cõtrarias habeatur. Secundũ misturam autẽ alienorũ corporum, ut dum dicimus lapidosam aut arenosam hanc esse terram.

*Terræ purgandæ ratio.*

Porrò talis substantia admista, segregatur larga aquę affusione, macerationeq́;, donec uniuersum perfluat. Sic enim quod lapidosum & arenosum est, subsidit, & terra exacta superuarat: in quẽ modum præparat̃ etiam & terra Lemnia, quam alij sphragida Lemniã (ob impressum illi sigillum Dianæ sacrũ) cognominãt.

*Lemnia sphragis.*

*Lemnia rubrica.*

Quæ quidem à Lemnia rubrica differt, quòd cõtactu nõ cõtaminet, perinde ut illa: quodq́; secũdum collem in Lemno, qui totus colore est fuluus, & in quo nec arbor, nec saxũ, nec planta nascitur, tantũ huiusmodi terra uisitur.

*Lemniæ tres differentiæ.*

Cęterũ eius tres differentiæ assignant̃. Vna quam Lemniam sphragidem diximus: quamq́; alij nemini, prætereq̃ uni sacerdotissæ, cõtingere fas est: altera uerò eius, quæ miltos est, siue rubrica: ac denique tertia, quæ detergendi uim habet. Vtuntur autẽ priore illa ad uulnera uetera & cõtumacia, ad omnesq́; ferarum morsus, sicuti aduersus medicamenta letalia. Distinguere itaq; ab ea terra quæ colitur, medicamentosam oportet, qua ad curationes utimur. Tametsi eius quoq; quæ colitur, si qua pinguis est, utilis ad curationes existit earum omnium partium, quæ desiccari postulant.

*Terra quæuis desiccãdi vim possidet.*

Desiccandi nanque uim terra quæuis possidet. Cùm enim eius corpus natura sit siccum, omninoq́; igneæ substantiæ expers, citra mordacitatẽ exiccat. Ad quod quidem etiam ablutio iuuat.

De terræ lotione.

*Terram abluendi ratio.*

Ac lauatur sanè terra omnis, ut Lemnia. Primò siquidem maceratur aqua, quæ nullã habet medicamentosæ qualitatis suspicionẽ. Dein effunditur quod innatat, colligiturq́; id quod est à lapidosis & arenosis secretũ. Gustus autem docet, quænam terra lotione indigeat, aut quæ minimè. At Lemnia, cùm sit à sacerdote abluta, rursus elui non exigit.

## De terra Samia.

*Samia terra. Samius aster.*

At Samiam ne lauari quidē est opus. Vtimur autē altera eius specie magis, quā Samiū astera cognominant, ad sanguinis expuitiones, muliebriaq́ profluuia, ueluti & Lemnio sigillo, necnō aduersus ulcera dysenterica, priusq̃ putrescentia euadant. Quanq̃ etiā & putrescentibus, quæ depascentia uocant, interdum Lemnia ipsa profuit, iniecta quidem per arnoglossę succū, bibita uerò ex oxycrato aquoso: prius tamē ablutis ulceribus: idq́ primò quidem, melicrato: dein autem muria. Cæterū Lemnia terra q̃ Samia nō parum efficacioribus esse uidet̃ uiribus. Quare ab ea, quæ phlegmone tentari cœperūt partes, exasperantur, cùm tamen à Samia iuuentur. Ex qua & oleo rosaceo mitissimū conficitur pharmacū, etiā cōtra alias feruentes phlegmonas, incipientesq́ bubonas & fluxiones podagricas, & ad ea breuiter, quæ refrigerare cum mitigatione est animus. Vnde constat Samiā refrigerare. Quin & magis aërea eius essentia existit, collata ad Lemniā, cuius argumēto est leuitas. Aestimabis porrò omnē terram medicaminosam, tum leuitate, tum grauitate: præterea circa gustū asperitate & lenitate: ad hæc tenacitate & abstergendi potentia. Tenax enim & uiscosus est Samius aster, cùm & Lemnia sphragis eiusmodi paululū quiddā habeat. Abstersoriā quoq́ facultatē moderatā obtinent & Selinusia terra, & Chia: quamobrem mulieres quædam ijs ad faciem utunt̃.

*Selinusia terra. Chia terra. Abstergentia leuiter, producendæ esse carnis idonea.*

Porrò quicquid abstergit leuiter, producendæ ulcerū carni est idoneū. Quòd si etiā siccet, cicatrici inducendæ est habile. At omniū aptissima sunt & ad ulcera quæ in summa cute cōsistunt, & ad ambusta, illa quæ citra morsum exiccāt, nec manifestò excalfaciūt, nec refrigerant. Quocirca terra Selinusia & Chia, pulcherrima sunt ad ambusta ulcerum remedia.

*Cimolia terra.*

Iam uerò Cimolia terra cùm mistę sit facultatis, partim sanè refrigerat, partim leuiter digerit, operaturq́ pro natura illorū quibus miscet̃.

*Ambustis quæ conferant.*

Verū unicè ambustis cōuenit, ueluti & aliæ omnes, illitæ ex aceto, aut oxycrato: nimirū bullas existere prohibentes. Aduertendū tamen est, corpora mollia ualentem medicaminū uim haud posse perferre: dura uerò posse. Terra itaq́ mistionis expers, uim habet citra morsum siccādi.

*Corpus nullum dari à mistione alienum.*

Cùm autē nullū reperire sit corpus à mistione alienum, inspiciundum est, qualem nam miscellam ipsa terra sortiat̃. Si qua ergo in ea astrictio sentiatur, tantū frigiditatis assumpsit, quantū habet astrictionis. Sin acrimonia, tantum scito illi inesse caliditatis, quantum & acrimoniæ. Similiter, quantò leuior terra ipsa fuerit, tantò acrior existit. Quātò grauior, tantò etiam syncerior terra.

*Terra igni admota non soluitur.*

At propriū terræ est, quòd igni admota non soluitur, aut liquescit: id quod accidit plumbo, stanno, auro, & argento. Cùm igitur audis nominare terram argenteam, aut auream, minimè intelligas ipsum argentū, aut aurū, per totū terræ corpus misceri: sed particulas quasdam exiguas tum auri, tum argenti, illi coniunctas, atq́ contiguas existere: easq́ ab ignis in fornacibus fusas coire inuicē.

*Vitrum continens terra. Aurum reperiri in arenis.*

Eundem in modum quæ uitrū continet terra, arenosa est. Sed & auri quoq́ glebulæ exiguę frequenter nō paruo numero in quibusdam reperiuntur arenis. Terrarū autē id genus omniū quæ in metallis sunt, ubi ab eis separatur id metalli aut æris quod continent, reliquiæ uidentur lapideæ: nec macerari, rigariue, aut humectari per totam substantiā possunt: ut medicaminosa illa, quæ cum aqua in lutum degenerat: quæq́ uiti circūlita nascentes in ea uermes interimit, unde Ampelites uocatur.

*Ampelites terra. Cadmia. Cretica terra.*

Cadmia etenim ex illarū lapidearū est genere, neq́ rigari potest. Terra Cretica admodum imbecilla est, multū habens substantiæ aëreæ. Inest tamen ei quædā citra morsum uis extergendi.

*Eretriensis terra.*

Eretriensis, q̃ Lemnia, ualentiorē possidet astrictionē, hactenus tamen ut nōdum mordicet. Expedit uerò hāc terram bis terq́ lauare, ut Cimoliam, quò moderatior reddatur. Eam etiam urunt, ut subtiliorem, acriorem, & magis digerentē efficiant. Quòd si posteaq̃ combusta fuerit, abluatur, replendis & cicatrice inducendis ulceribus multò magis opitulatur. Cæterū quæ colore cineritio est, illi quæ alba existit, pręfertur.

*Pignites.*

Est & alia terra dicta Pignites, tota quidem facultate terræ Cimoliæ assimilis, cæterū atra colore, quēadmodū Ampelites.

*Boli Armeni descriptio.*

At terra, siue lapis, siue bolus Armenus, colore est pallido, promptissimeq́ soluit̃ in læuorē omnino æqualem, ut calx, ualidamq́ desiccādi uim possidet. Siquidem ad dysenterias, uentris profluuia, sanguinis expuitiones, catarrhos, & putrescentia oris ulcera, in primis cōpetit. Quin & illos magnificè iuuat, quibus ex capite in thoracem fluxio decumbit. Quare & ijs quibus ex tali occasione anhelitus difficilis est, ualde auxiliat̃. Sed & eos qui tabe laborāt, adiuuat: ulcus enim ipsorū desiccat. Maximè etiā cōfert Armenus bolus contra pestilentes affectus. Ii siquidem usu eius nō persanantur, qui prorsus immedicabiles sunt. Cæterū bibitur ex uino albo, cōsistentia tenui, modicè diluto, si is qui morbo est correptus aut planè febri careat, aut leuiter ea teneat̃. Sin grauius febriat, admodum aqueo.

*Febres pestilentes non esse vehementer calidas.*

Non sunt tamen calore uehementes febres pestilentiales.

## De lapidibus.

Ex corporibus spontè natis sunt lapides, hi à diuersi à uulgo nuncupata terra, quòd rigari nō sustinent. Vires habent partim secundum totius substantiæ proprietatē, partim secundū qualitates effectrices. Nunc autē sermo nobis esto de illis uiribus, quæ secundū effectrices agunt qualitates: in quibus sanè est & utendi ratio & methodus.

*Facultates quæ proprietatis ratione insunt, esse à methodo alienas.*

Nam facultates quę proprietatis totius substantiæ ratione insunt, à methodo sunt atq́ ratione alienæ, & per solam experientiam noscuntur. Nam cur hic lapis tacto uulnere unde sanguis prorumpit, cursum eius reprimat, haud nouimus.

*Hæmatites lapis cōmodè ocularibus medicamentis miscetur.*

At cur hæmatites lapis in oculares facultates indatur, nouimus: quòd sit rationis inuentum. Nam si in cote oculari cum aqua eum teras, donec accipiat crassitudinē mellis, astringētem facultatem percipies.

*Phlegmonarum generalis curatio.*

At didicisti, quòd gliscentes etiamnum phlegmonas restringentibus medicamentis repercutere oporteat: ubi autem iam sanguis nō fluit, astringentibus medicamentis digerentia adiungere, & sensim ad ipsa sola transire. Itaq́ de ijs lapidibus prius disserā, qui mortarij aut cotis attritu, in liquorem soluunt̃.

Ciseris, Pumex.

*Ciseris. Pumex. Smiris.* Pumex quidem abstergit. Sed Smiris acrimoniæ quiddam obtinet. Proinde causticis & desiccantibus facultatibus additur, eisq; quæ curant gingiuas laxas. Pumex autẽ si cõburatur, haud erit inferior Smire, eosdem ad usus.

Lapides qui in spongijs reperiuntur.

*Spongiarum lapides.* Frangendi uim obtinent, non tamen ita ualidam, ut lapides in uesica cõminuant. Rumpunt eos tamen qui coguntur in renibus: ueluti qui aduehuntur ex Cappadocia.

Ostracites.

*Ostracites. Geodes.* Hunc lapidem aiũt desiccandi ualenter facultatem habere, temperatã ex astrictione, acrimoniaq;: ut Geodem expurgare pupillas, uberumq; & testiũ sanare phlegmonas, inunctum ex aqua. *Cotis Naxiæ ramentum.* At cotis Naxiæ ramentum uirginibus mãmas prohibet tumescere: sicut & testes puerorũ: tanquam facultatis refrigeratoriæ sit particeps.

Ophites.

*Ophites.* Extergẽdi cõstringẽdiq; uim possidet, ceu etiã uitrũ. Admodũ enim ipsum ex uino albo ac tenui epotũ lapides uesicę conterit, atq; cõstringit.

Iaspis uiridis.

*Iaspis viridis.* Ventriculũ adhęsu, ipsiusq; os adiuuat. Porrò Ophitem lapidẽ suspensum, iuuare morsos à uipera tradũt. Sed eiusmodi facultates nõ cõstant methodo. Veluti enĩ cùm Hieracites & Indicus *Hieracites Indus lapis.* profluentẽ ex hæmorrhoidib. sanguinẽ sistunt.

Sapphirus.

*Sapphirus.* Ictos à scorpione iuuare creditur.

Aphroselinus.

*Aphroselinus.* Liberat comitiali morbo uexatos: id q̃d nondum sumus experti.

Dioscoridis Thyites.

*Thyites.* Subuiridis est ut Iaspis, soluiturq; in succũ colore quidem lacteum, gustu uerò acrem: ac proinde nemo illum oculorum miscet medicamentis, nec fluxiones repercutientibus, nec ulcera sanantibus. Sed eo tantùm utũtur ad purgandum & abstergendum, quæ pupillam absq; phlegmone offuscant: quales sunt cicatrices recentes, & pterygia non nimis dura.

Iudaicus.

*Iudaicus lapis.* Colore est candido, specie cõcinna, lineas habens ceu torno ductas. Vtuntur ad uesicæ lapides in cote soluentes, & ex aquæ calidæ tribus cyathis potui præbentes. Præcipuè uerò ad eos qui in renibus hærent, est efficax.

Pyrites.

*Pyrites.* Validam possidet facultatẽ, eoq; utimur digerenti emplastro admisto. Adijcitur etiã ei & schistos. Ab hoc medicamine & pus sæpenumero, & consistentia grumosa in spacijs intermedijs musculorum nata, per halitum sunt digesta. Nisi autem dum in usum ueniunt, pollinis instar cõminuantur hi omnes lapides, ut profundũ corporum quibus applicantur subeant, assimiles manent istis marinis fluuiatilibusq; arenis: quæ & ipsæ cõmunem omniũ lapidum uim possident. *Arena quomodo exiccet tumẽtem ab aqua inter cutẽ carnem.* Siquidem exiccant tumentem ab aqua inter cutem carnẽ, si in ipsis excalfactis decumbat æger. Non tamen ad aliud quippiam eis utimur.

Phrygius.

*Phrygius lapis.* Hoc semper utor combusto quidem ad ulcera putrida: idq; ipso aut per se, aut ex aceto, aut œnomelite, aut oxycrato. Ad oculos uerò ex eo permisto alijs, medicamẽ siccũ efficio. Validè enĩ desiccat, habẽs quiddã astrictionis simul & mordicationis.

Ageratus.

*Ageratus.* Astringit simul & digerit. Atq; astrictione quidem euidẽter iuuat phlegmone columellas grauatas.

Asius.

*Asius lapis.* Colore & consistentia est tophio similis, friabilis, laxusq;. Innascitur ei quiddam instar farinæ tenuissimæ, qualis in molarũ parietibus adhæresit. Appellant hoc medicamen petræ Asiæ *Petra Asiæ flos.* florem. Est uerò & tenuium partiũ, ut sine morsu nimis fluidas carnes eliquet. At petra ipsa in qua nascitur, actionis uehementia est inferior. Habet etiam & salsedinẽ quandam ipse Asiæ petræ flos, ita ut inde uideatur ducere originem: quòd ros ex mari in petram residens, à sole postea exiccetur.

Gagates.

*Gagates.* Colore est atro, qui ubi igni fuerit admotus, pertinentem bituminis odorẽ exhibet. Confert autem ad discutiendos flatulentos tumores consistentes in genu, diuturnosq; & ægrè curabiles: ac prętereà cruenta uulnera glutinat. Est & lapis *Thracius lapis.* Thracius, cuius in hũc modũ Nicãder meminit:

*Si lapis uratur candenti Thracius igne, &c.*
*Post madefiat aqua, flagrabit totus: at idem*
*Mox oleo affuso penitus restinguitur. &c.*

Nullus tamen eius in medicina usus, nisi quòd suffitu abigit feras.

Magnitis, Heraclia, Magnes.

*Magnitis. Magnes.* Assimilem hæmatin uim obtinet.

Arabius.

*Arabius lapis.* Lapis est elephanto similis, desiccantis abstergentisq; potentiæ.

Alabastrites.

*Alabastrites.* Combustus in medicinæ usum ingrediẽ. Quidam eum bibendum dant stomachicis.

Smiris.

*Smiris.* Vehementer quidem abstergit: quare ipso ad annulos exculpendos utuntur, & ad dentes purificandos.

Hæmatites, Galactites, & Melitites.

*Hæmatites. Galactites.* Hæmatites & Galactites lapides, à colorũ similitudine, quos repræsentant, sic nominantur. Ille siquidem sanguini, hic in succum solutus, lacti uidetur similis. At Melitites, nõ à colore, sed *Melitites.* à sapore mellis talem uomenclaturam sortitur. *Dulcis succus omnis à temperato calore proficiscitur, ut astringens à frigore.* Cùm igitur succus omnis dulcis à temperato calore proficiscatur, astringens uerò à frigore, habebit sanè hæmatites lapis tantum frigiditatis, quantũ & astrictionis: Melitites uerò temperatã caliditatem: at mediam utriusq; temperiem Galactites. Meritò itaq; ocularibus medicamentis lapis hæmatites miscetur. Ac solo eo uti possis superciliis exasperatis: si quidem cum phlegmone sint aspera reddita, ex ouo ipsum diluens: ac si magis, etiam per decoctũ fœnigræci. Sin uerò citra phlegmonem, ex aqua. Hic idem lapis similiter in cote cõtritus, sanguinis exputioni cõducit, ulceribusq; uniuersis. Porrò siccus, redactusq; in tenuissimũ pollinẽ, reprimit excrescentia: ipsaq; oculorũ ulcera solus per se cicatrice includit attritus, cæterũ aut affusus, aut inunctus.

Schistos.

### Schiſtos.

*Schiſtos. Galactites. Melitites.*

Hæmatiti perſimilem uim obtinet, ſed infirmiorē Schiſtos: ac poſt eum Galactites. At Melitites nonnihil caliditatis aſciuit. Vt igitur unuſquiſq; leuiter ac ſenſim ab hæmatitis facultate recedit, ita in uſum oculorum accõmodatur: eſt tamen mitior. Etenim mitiora remedia partibus etiamnum phlegmone afflictis ſemper gratiora ſunt. Quæ quidem, liberis iam à phlegmone partibus, infirmiora ſunt, q̃ ut perſanare ualeāt. Porrò cùm lapidibus omnibus commune ſit ut deſiccent, quotquot ex ijs in ſuccũ ſoluti, aut redacti in polinē, nullam cõtinuò qualitatē in guſtu obtinent, hos putandum eſt eſſe tum infirmiſsimos, tum mitiſsimos, tum minimè mordaces. At qui manifeſtā qualitatē exprimũt, ij pro qualitatis ratione potentiā poſsident. Ac ſi quidem aſtringant, ad cõprimendũ, conſtringendũ, ſpiſſandum, & cõtrahendum: ſi uerò mordicent, ad excalfaciendum, digerendũ, & colliquandũ. Medij eorum ſunt, qui abſtergent citra mordicationem. Igitur Hæmatites, Schiſtos, Galactites, & Melitites, in ſuccũ uertuntur. Quanq̃ ſunt & alij in ſuccũ ſolubiles, ut Moroxus qui in Aegypto naſcitur, omniũ dictorũ minimè qualitatis particeps. Quare tantũ deſiccandi uim poſsidet.

*Lapides omnes communiter ſiccant.*

*Moroxus.*

### Metallica medicamenta.

*Metallica quæ dicantur.*

Metallica medicamēta appellare medicis mos eſt, quorũ generatio in metallis cõſiſtit, ſiue ſpõtanea, ſiue per fornacē facta. Vt igitur lapidibus uniuerſis, & terræ medicaminoſæ cõmune eſt ut ſiccent, ita metallicis quoq; medicamentis omnibus. Eſt enim eſſentia eorũ terrea, ſecundum elementaris terræ ſignificatũ. Porrò caliditate diutina, miſtam ex terra & aqua, nonnunq̃ etiā aëre, ſubſtantiā uniente, temperanteq́;, ac poſtea deſiccante, metallicorũ medicamentorũ conſiſtentiæ proueniũt. Quemadmodũ igitur in differentijs terræ, plurima eſſentia terræ elementaris habeẽ, paulùm uerò aëris, ita in metallicis multũ igneæ ſubſtantiæ eſt immiſtũ. In medio autē eorũ ſunt lapides. Proinde alia metallicorũ ſemel aut bis, alia frequentius lota, idonea ſunt, ut citra morſum exiccent. At locorũ, in quibus hæc proueniunt, natura, prout plus minusq́; eſt frigida, alia plus, alia minus, cogit, congelatq́;.

*Metallica omnia ſiccare.*

*Metallicis plurimum ignea ſubſtantiæ eſſe immiſtum.*

### Hales, Sales.

*Hales. Sales.*

Sal partim ex mari fit in ſalinis, partim è terra effoditur. Cæterũ utriq; uis eſt aſsimilis, impenſè uidelicet exiccatrix. Porrò aphronitri ſapor amarus eſt, & abſtergẽs: ſalis uerò, tantò in abſtergendo inferior, quantò in aſtrictione ſuperior. In utriuſq; medio ſapor nitri conſiſtit.

### Armeniacum.

*Armeniacum.*

Vim habet extergentē cum leuicula tum acrimonia, tum aſtrictione. Vnde meritò miſceẽ ocularibus facultatibus. Præterea ipſo per ſe redacto in pollinem, atq; ſicco, utuntur ad pilorum in ſupercilijs incrementum: ubi præ humorum acrimonia partim excidunt, partim nec creſcũt, nec nutricantur.

### Arrhenicum, Auripigmentum.

*Arrhenicum. Auripigmẽtum.*

Facultatis eſt cauſticæ, tam combuſtũ, q̃ uſtionis expers. Cæterùm per uſtionem tenuiorũ partium efficitur. Vtuntur porrò ipſo ad denudandam pilis quamuis particulam. Verũ ſi diutius hæreat, ne cuti quidem parcit.

### Aphronitrum.

*Aphronitrum.*

Aphronitrũ ab aphonitro differt. Nitri enim ſpuma medicamentũ exiccatoriũ exiſtit, aſpectu triticeæ farinę ſimilis. Etenim alba eſt, nõ ut Aſię petræ flos cinericea. Aphonitrũ uerò farinæ ſpeciem non habet, neq; ſolutum eſt, ſed cõcretum & congelatum. Quod quidem adeò extergit, ut non modò ſordes expurget, ſed etiam pruritum ſanet. At ſpuma nitri, eiuſdem cum nitro eſt tum naturæ, tum facultatis: licet eſſentiæ tenuioris. Dictum autem eſt paulò antè, in medio aphronitri & ſalis, facultatem nitri conſiſtere. Aphronitro enim ſola ineſt uis detergendi: ſali uerò etiā aſtringendi, ſed multò magis quàm detergendi.

*Aphonitrum.*

*Nitrum.*

### Gypſum.

*Gypſum.*

Gypſum quidem tum deſiccat, tum uires habet emplaſticas. Quare ſiccis medicamẽtis quæ ad ſanguinis eruptiones accõmodantur, utiliter cõmiſceẽ. Nam ipſum per ſeſe lapidoſum fit, coactum & congelatum. Ac proinde diluendum eſt oui tenui & cādida albugine, quæ & ad ophthalmias eſt utilis, admiſto illi tenuiſsimo farinæ triticeæ polline, qui reſidet in molarũ parietibus. Excipere uerò quod ſic maceratũ eſt, tenellis leporis pilis, aut qui perinde ſint molles, expedit.

*Albugo oui ad ophthalmias utilis.*

### Gypſum uſtum.

*Gypſum uſtum.*

Nõ habet æquè emplaſticā uim, cæterũ tenuiorum eſt partiũ, & ualentius deſiccat. Quin & repercuſſoriũ eſt, maximè ſi maceretur oxycrato.

### Diphryges.

*Diphryges.*

Miſtam habet tum qualitatē, tum facultatem. Habet enim in ſeſe quiddā & mediocriter aſtringens, & mediocriter acre: unde ulcerũ rebellium optimũ medicamen eſt. Eo ſiquidē ad putreſcentia oris ulcera, ſiue per ſe, ſiue cum melle, cùm detracta erat ſpuma, tum ad anginā, ubi iam per aſtringentia medicamēta cõſtitit q̃d influebat, ac breuiter ad columellam præciſam, pudendiq; & ani ulcera cicatrice obducenda, ſum q̃felicisſimè uſus. Porrò quo pacto adulterentur dictorũ medicamentorum ſingula, non uidetur preciũ operæ ſcribere, cùm talia poſſe diſcere homines ſceleratiſsimi in lucro ponant.

*Adulteria medicamẽtorum cur docenda nõ ſint*

### Theion, Sulfur.

*Theion. Sulfur.*

Sulfur omne trahendi uim poſsidet, eſtq́; temperamenti calidi, atq; eſſentiæ tenuis, adeò ut ad multa uenenatorũ animalium reſiſtat, ſi ſiccum ictui inſpergatur, aut cum ſaliua, aut urina, aut oleo ueteri, aut melle, aut reſina terebinthina illinatur. Quin & pſoras, & lichenas, & lepras, nõ raro hoc medicamento cum reſina terebinthina ſanaui. Extergit enim omnes id genus affectus, aliſq; hoc ut in profundum repellat.

### Ios, Aerugo.

*Ios. Aerugo.*

Guſtantibus acrem exhibet qualitatem, digerens, detrahens, & liquans non teneram modò, ſed & duram carnē. Hallucinantur igitur qui talia medicamēta, epulotica appellant, hoc eſt, quę cicatricem inducāt: cùm nimirũ epulotica pharmaca contrahant, conſtipent, & in calli morem ipſam carnem indurent. Quin & guſtum mordicat ærugo, non tantùm ulcera. Quòd ſi pauculum eius cerato nõ pauco admiſceas, id quod

*Epuloticorum opera.*

ex ambobus mistum est, citra morsum exterget.

Cadmia.

*Cadmia.*

Cadmia fit, ubi in fornacibus æs paratur: nẽpe tota terra, aut lapide ex quo æs gignit, in sublimem partẽ fornacis egerente, ueluti fuliginem aut fauillam quãdam In argenteis etiam metallis simili secretione efficitur. Quin & ex pyrite lapide in fornacibus usto fit cadmia. Cæterùm absq; fornace in Cypro cadmia inuenitur, quam iure quispiam lapidem uocet. At eius quæ combusta est, aliam botryitin, aliam placinn Medici nuncupant. Botryitin quidem, *quæ in editioribus ipsius fornacis muris colligitur. Placitin uerò, quæ in humilioribus. Ac liquet sanè botryitin partium esse tenuiorũ, crassiorum uerò placitin: utranq; autem ui deficcandi, ac mediocriter digerendi præditam. Quæ autem colligitur in fornacibus, igneæ qualitatis necessariò etiam aliquid habet. Meritò itaq; eam abluentes, medi camen efficiunt mediocriter tum desiccans, tum extergens absq; mordicatione: utile ad caua ulcera præhumida, & putrescentia, quæ in oculis & in toto corpore habentur. Igitur respicientes ad temperatã & mediam inter omnes excessus naturã, leuiter desiccatoriã abstersoriamq; cadmiæ inesse facultatẽ dicimus. In caliditatis autẽ & frigiditatis differẽtia, cadmia quodammodo temperata existit.

*Cadmia differentia.*

*Cadmia uires.*

Cinnabari.

*Cinnabari.*

Modicè acrem facultatẽ obtinet. Habet uerò & astrictionis quippiam.

Ciseris, Pumex.

*Ciseris. Pumex.*

In sarcotica medicamenta inditur, & ea quæ dentes extergunt, partim ustionem non expertus, partim etiã exustus: quandoquidẽ alijs omnibus combustis similiter, substantiæ tenuioris efficitur. Cæterũ ustione quiddam acquirit acrimoniæ, quam rursum lotione exuit. Videri autẽ poterit, & conciliare splendorem, non tantũ facultate, sed etiã asperitate: ueluti si smirin, aut testam tritam admoueas. Eundem in modum cornua deusta dentes reddunt splendidos.

*Exusta omnia reddi substãtiæ tenuioris.*

*Cornua deusta dentes reddunt splendidos.*

Conia, Lixiuium ex cinere.

*Conia. Lixiuium. Cinis.*

Abluto cinere fit. Cinerem autem, ustorũ corporum reliquias Latini nuncupant. Fit ergo lixiuium pro eius quod eluitur natura. Cineris siquidem qui acrimoniã igneam habet acerrimã, ipsum quoq; acerrimũ est: eius quod tale nõ est, etiã moderatius. Quare & putrefacientibus medicamẽtis miscet, utpote causticã facultatẽ possidens: sed propter substantiæ suę tenuitatem, citra dolorem adurens.

Cyanos, Cæruleus.

*Cyanos. Cæruleus lapis.*

Acrem possidet facultatem, ac tum detrahendi, tum digerendi, q̃ cinnabari, potentiorẽ. Inest quoq; ei nonnulla astrictio.

Lepis, Squama æris, & ferri.

*Lepis. Squama.*

Squama, alia est ęris, medicamẽ multò utilissimum: alia ferri, & stomomatis: alia deniq; quam nonnulli uocant helitin. Atq; omnes sanè uehementer siccant. Cæterùm helites principẽ io desiccãdo locum obtinet: nam subtilissimę omniũ substantiæ est, nimirum quæ æruginis nonnihil assumpserit. Maiorem obtinet astrictionẽ squama ferri, & hac etiam maiorẽ stomomatis. Quã obrẽ ad contumacia ulcera meliores sunt quàm squama æris. Detrahit & liqoat carnem potentius squama æris, & hac etiam oalentius helitis. Omnes autem squamæ nõ instrenuè mordaces sunt. Quare essentia ipsarum nõ est admodũ tenuis. Siquidem inter ea quæ parem uim possident, minus est mordax quod est tenuius.

*Helitis.*

*Mordacia minus esse quæ sunt tenuiora, si parem facultatem obtineant.*

Lithargyros.

*Lithargyros.*

Desiccat quidem, sed omoiũ moderatissimè: & secundũ alias tum qualitates, tum facultates, quodãmodo in medio consistit. Modica tamen astringendi, abstergendiq; facultas ei inest. Cæterùm ad intertrigines femorũ utilis medela est. Iure itaq; medij ordinis in metallicis habebiť. Proinde frequenter utimur lithargyro ceu aliorum materia: sicuti in liquescentibus ad pleraq; medicamenta adhibemus ceram, tanquam materiam mediã eorũ quæ ualentem possident facultatẽ.

*Cera.*

Nitrum.

*Nitrum.*

Inter aphronitrũ & salem uires medias sortiť. Cæterũ ustum propius ad aphronitrũ accedit, utpote ex ustione tenuius redditũ. Desiccat itaq; & digerit: quòd si intra corpus sumať, secat & extenuat crassos & lentos succos, multò potẽtius q̃ sal. Aphronitrũ uerò, nisi grauis urgeat necessitas, deuorandum nõ est, nimirũ inimicũ stomacho: quandoquidẽ plus etiã nitro incidit. Porrò ad suffocantes fungos, nitro usto simul & nõ usto, & multò etiã magis eius spuma, uti cõsueuimus.

*Aphronitrũ inimicũ stomacho.*

Melanteria.

*Melanteria.*

Valde quidem astringit, astringentiaq; omnia propémodum tenuitate superat.

Melan graphicũ, Atramentũ scriptorium.

*Atramentum scriptorium.*

Admodum & ipsum desiccat aqua solutũ. Vlcera autẽ igni ambusta protinus illitum iuuat: & si acetum quoq; habeat, multò magis.

Misy.

*Misy. Aerugo. Sori. Chalcitis.*

In metallis ipsis, super chalcitim nascitur misy, ut ærugo super æs. Ac suspicor etiam sori longo tempore mutationem in chalcitim posse accipere. Quare mirum non est, tria hæc medicamina eiusdẽ genere facultatis esse, sori dico, & chalcitim, & misy, tenuitate & crassitudine inter se diuersa. Crassissimũ enim est inter ipsa sori, tenuissimũ misy: mediam utriusq; facultatem habet chalcitis. Adurũt uniuersa hæc tria, & eschara efficiunt. Attamen nõnihil etiam astringunt. Cæterũ misy admotũ corporibus duris, minus chalcitide mordicat, tametsi ea nõ minus sit calidum: id quod beneficio tenuitatis sortitur. Porrò cùm utraq; hæc in decoctionibus fundantur, & magis chalcitis q̃ misy, sori tamẽ nõ liquescit: nimirũ quòd lapidosius sit, & uehementius cõpactum. sicuti rursus misy, quia à congenito calore elaboratius est, ac proinde siccius chalcitide, idcirco meritò quoq; liquescit ægrius.

Molybdena, Plumbago.

*Molybdena. Plumbago.*

Similẽ lithargyro uim possidet, tantũ à media tẽperie ad frigidius paulũ quid recedẽs. Sed neq; abstergentis facultatis est particeps. Vtrũq; autẽ medicamẽtũ liquari potest, celerrimeq;, ubi oleo nõnihil aceti est additũ. Liquanť tamẽ etiã admista aqua, sed coctione lõgissima. Vidi equidẽ molybdænã proiectã plurimũ cũ multis alijs lapidibus in ea uia quę ad ergasteria ducit à Pergamo.

Molybdos,

## Molybdos, Plumbum.

*Molybdos. Plumbum.*

Facultatis est refrigeratoriæ. Siquidem nõ modò multã habet substantiam humidam à frigore cõgelatam, sed & aëriam: paucam autẽ terream. Igitur quòd plurimũ habeat essentiæ humidæ coactæ à frigore, indiciũ tibi esto, quòd ubi admotum est igni, celeriter funditur fluitq́. Quòd uerò & aëriæ sit particeps, hoc habeto signum. Omniũ quę nouimus, unicũ plumbum tum mole ipsa, tum pondere augetur, si condatur in ædibus subterraneis, aërem habentibus turbidum, ita ut quæcunq; illic ponantur, celeriter sitũ contrahant. Iam uerò si in mortario plumbeo liquorem quemlibet plumbeo pistillo contriueris, ita ut ex pistillo ipso, atq; etiam mortario exprimatur etiam aliquis succus, id quod ex utroq; conflabitur, multò erit frigidius, q̃ liquor infusus fuerat. Cæterũ si uis magis refrigeratoriũ medicamen efficere, oleum omphacinũ, aut rosaceũ, aut melinum, aut myrtinum, sit liquor is, quem infundes: eritq́ remedium optimũ ad sedis phlegmonas cum ulcere aut rugis, & ad eas quæ in pudendis, testibus, uberibusq́ consistunt: similiter aduersus cæteras omnes fluxiones, quæ articulis accidũt. Sed & ulceribus rebellibus etiã utile est. Nam ad cancros eo utẽns, uirtutem medicamenti miraberis. Quòd si celeriter multũ succi plumbei uelis colligere, conare in sole terere, aut quocunq; certè modo aëre excalfacto. Multò autẽ utilissimũ habebis medicamentũ, si affuso refrigerantium succorũ aliquo teras, ut sempervini, cotyledonis, intybi, lactucę, condrilles, psyllij, omphacis, portulacæ. In laminam etiã ductum plumbũ, lumbisq́ admotũ, pollutionẽ per insomnia coërcet, nimirũ haud obscurè refrigerans. Sed & bractea tenuis probè ganglio illigata, ipsum dissipat. Illigabit autem probè quisquis ab Hippocrate didicerit, in ipsam noxã potius firmandum, q̃ hinc uel inde. Porrò plumbũ ustum, ac dein ablutum, refrigerat, confertq́ ad implenda ulcera, eademq́ cicatrice obducenda. Conuenit & chironijs dictis, & omnibus cancrosis ulceribus. Ante lotionẽ autem, ulceribus pertinacibus etiam auxilio est.

*Plumbum unicũ mole & pondere augetur.*

*Plumbum mortarium conferre ad conficienda medicamẽta refrigerantia.*

*Plumbi lamina admota lumbis nocturnas pollutiones coercet.*

*Plumbũ ustum quibus cõducat affectibus.*

## Ostracon, Testa.

*Ostracon. Testa.*

Desiccandi abstergendiq́ uim possidet, maximè quæ ex fornacibus est. Ex qua quidem præparata emplastrum, optimè cicatricem inducit.

## Pompholyx, Spodium.

*Pompholyx.*

Pompholyx fit & in æris fornace, ueluti & cadmia: fitq́ & dum in fornacib. cadmia uritur, nimirum ab ipsa cadmia in tectum fornacis quadam fauilla ascendente, quæ dum colligitur est pompholyx. Nam quod reflectens in pauimentum recidit, nominatur spodium. Cui uidetur similem habere facultatem, quod antispodiũ appellãt. At ego illo usus sum nunq̃, cùm largè mihi semper põpholyx suppeteret. Nec enim quisquam ubi hæc adsit, spodio uti uelit, nedum antispodio. Est autem pompholyx medicamentũ propè omnium quæ citra morsum desiccant, si elota fuerit, præstantissimũ. Quamobrem ad ulcera cancrosa idonea est, & ad alia omnia maligna. Itaq; inditur collyrijs quæ ad oculorũ imponunt fluxiones, quæq́ bullas in eis natas curant. Præterea ad pudendorũ & sedis ulcera optimum est remedium.

*Spodium. Antispodium.*

*Pompholyx quibus utilis.*

## Sandarache.

*Sandarache.*

Vrentis est facultatis, ut arsenicũ. Meritò itaq; digerentibus facultatibus & extergentibus cõmiscetur.

## Sandyx.

*Sandyx.*

Qua sit facultate prædita, in sermone de psimmythio explicabitur.

## Scoria.

*Scoria.*

Scoria omnis resiccatoriũ est medicamen, potissimũ autem ferri. Siquidem ad læuorem redigens ipsam in aceto q̃acerrimo, posteaq́ decoquens, ad aures iampridem fluẽtes pure, ea utor pro medicamento maximè exiccatorio.

## Stimmi.

*Stimmi.*

Cum facultate desiccatoria habet astrictionẽ adiunctam. Quamobrem & ocularibus medicamentis miscetur.

## Stypteria schiste, & strongyle, & hygra. Alumen fissile, rotundum & humidum.

*Stypteria. Aluminis differentia.*

Alumen uehementissimè astringit. Cæterùm cùm sit crassarum partium, tenuius quodammodo est quod uocatur fissile. Proximum est rotundum, & astragalotum. Admodum crassum est tum liquidum, tum placites & plinthites dictum.

## Titanos, Calx.

*Titanos. Calx.*

Viua quidẽ uehementer urit, adeò ut crustas efficiat. extincta uerò protinus etiã crustam molitur & ipsa: at post diem unum & alterũ minus urit, minusq́ inducere crustam potest. At uerò temporis progressu prorsum nec crustã quidem gignere ualet, tametsi etiamnum calfaciat, carnemq́ liquet. Porrò si lauetur in aqua, suã mordacitatem exuit, efficitq́ nuncupatum lixiuium. At ipsa absq; morsu desiccat.

## Hydrargyros, Argentum uiuum.

*Hydrargyros. Argentũ uiuũ.*

Non est ex sponte nascentibus medicamentis, sed ex ijs quæ parantur: ueluti psimmythiũ, ærugo, psoricum, lithargyros. Cæterùm interimát ne deuoratum aut admotum extrinsecus, nondum feci periculum.

## Phycos.

*Phycos.*

Facultatem eius, ubi de psimmythio agetur, exponam.

## Chalcanthos, Atramentum sutorium.

*Chalcanthos. Atramentũ sutorium.*

Chalcanthos, qui in Cypro ex uiridi quadã aqua concrescit, extima sui parte in chalcitim temporis processu degenerat. Habet autem cum astrictione maxima, caliditatem non uulgarem coniunctam. Vnde omniũ maximè condire seruareq́ carnes humidas potest: nimirum caliditate humiditatem absumens, astrictioneq́ substantiam contrahens, atque constipans. Constringit itaque, siccat, & contrahit in sese totius substantiam carnis.

## Chalcitis.

*Chalcitis.*

Mistas habet astringentem acremq́ facultates. Cæterũ uincit acris, utpote adeò uehemens, ut carnem urat, necnõ inducat escharam. Vstum hoc medicamen minus mordicat, nõ tamen minus desiccat. Verùm non parum astrictionis remittit. Itaq; melior est undequaq; chalcitis tum adusta, tum lota, cùm euadat sic minus mordax.

### Chalcos cecaumenos, Aes ustum.

*Chalcos cecaumenos. Aes ustum.*

Habet & acrimoniam quandam, sed & astrictionis est particeps. Proinde si lauetur, pulcherrimum est medicamen cicatrici inducendæ.

### Chalcu anthos, Flos æris.

*Chalcu anthos. Flos æris.*

Tenuioris essentiæ est q̃ aut æs ustũ, aut squama. Quare ex eo factis collyrijs extergunt, auferuntq́ superciliorum magnas asperitates.

### Chrysocolla.

*Chrysocolla.*

Carnem liquat, nõ tamen ualenter mordicat: quãquam sit facultate admodum digerente, exiccanteq́. Pręparare autem hanc chrysocollã debes tempore æstiuo, aut aëre prorsus calido: urinam pueri, mortario & pistillo, utroq́ ex rubro ære, contundens. Hoc medicamentum aptissimũ est ulceribus contumacibus, tum per se, tum alijs mistũ. Nam quantò plus q̃ chrysocolla metallica desiccat citra morsum, tantò etiam ipsam excellit tenuitate.

### Psimmythium, Cerussa.

*Psimmythium.*

Si ex acri aceto soluatur, gustu tamen neq́ acre erit, neq́ mordax, sed emplasticum, & refrigeratorium. Cerussa adusta, in sandyca transit, medicamentum seipso tenuius, non tamen excalfaciens. Phycos autem seruata cerussæ frigiditate, tenuitatem assumpsit.

*Cerussa. Sandyx. Phycos.*

### Psoricum.

*Psoricon.*

Conficitur dupla chalcite admista lithargyro: antè tamẽ utrisq́ acerrimo aceto solutis, sicq́ in ollam nouam coniectis, quam fimo æstate media diebus quadraginta obrutam sepelies. Hoc medicamẽ magis desiccatoriũ est, minusq́ chalcite mordax, cùm partibus sit tenuioribus.

## *GALENI PERGAMENI de simplicium medicamentorum facultatibus liber X.*

EXposuimus igitur quinque cõmentarijs prioribus, qualitates quas secundas appellant, in medicamentis quæ effectricibus qualitatibus agunt, pro earundem effectricium specificarũq́ qualitatũ mistura nasci. Ostensum præterea est, quo pacto uniuersalis facultas unica experientia inueniat: neq́ ea uulgari, sed quæ certis adhibeat limitationib. Porrò in sexto, septimo, & octauo libro, materiã quæ ad plantas pertinet, explicauimus: in nono autẽ, eam quæ circa terrena & lapidosa uersatur. Reliquũ uerò nunc est, ut eam quæ ab animalibus sumitur, in hoc decimo persequamur materiã. Nam ad finẽ undecimi agemus de ijs, quę prouenientia in aqua, nec plantę, nec terra, nec lapis, nec animalia sunt.

### Hæma, Sanguis.

*Hema. Sanguis nullus est frigidus.*

Pro natura animaliũ uariat. Huic siquidẽ animali est liquidior, siccior illi, calidior alteri. Nullus autem sanguis est frigidus.

### Sanguis suillus.

*Sanguis suillus, temperie est humano persimilis.*

Humidus & minus calidus est, temperie humano persimilis. Siquidem & carnes suum similes humanis existunt. Vnde quidam ab hospitibus prauis appositas, auidissimè humanas carnes ederũt. Etenim ex ipso sanguine, tum generatio prima, tum postea nutritio ipsis carnibus constat. Itaque quisquis humanum sanguinem morbo alicui utilem esse ait, in suillo primùm id comprobet. Nam etsi aliquatenus inferior is sit humano, saltem assimile quippiam efficiet: quo cognito, ab humano pleniorẽ fore utilitatẽ sperabimus. Porrò similia efficere posse similia, experti sumus. Nam colũbæ sanguinẽ, qui capitis ossa cõfracta perforant, in crassum cerebri inuolucrũ effundere assolent. Quidam autẽ, cùm nõ esset columba ad manum, palumbi sanguine est usus, feliciterq́ successit. Alius turturem eũdem ad usum applicans, nihil hominẽ lęsit. Similibus siquidem ad eosdem affectus utimur, ubi quæ antea experti sumus non adsunt.

*Columbinũ sanguinem infundi per cranij fracturas.*

### Hæma peristerâs, Sanguis columbæ.

*Sanguis columbinus hyposphagmatis confert.*

Eo ad hyposphagmata in oculis consistentia quidã utunt, uenis ad alarũ exortũ incisis, quò sanguis calidus effluat, ut sic ad multos usus idẽ perduret animal. Alij pullorũ tenerorum extractas pennas, quæ humore redundant, in ipsum oculum exprimũt. Quanq̃ sunt nobis collyria uaria hyposphagmatis oculorũ aptissima, cuiusmodi est quod plurimũ recipit myrrhæ, & quod multum thuris admittit: necnon quæ ex croco constant. Quin & fœnigræci succus sanguini columbino in hoc utiq́ præstat. Præterea sexcentos noui eorum quibus Romæ perforata fuere capitis ossa, nec quicq̃ ab usu rosacei, citra sanguinẽ columbinũ, offensos. Quare id calidũ sit æquè atq́ colũbæ sanguis, necesse est. Cæterũ præter moderationẽ caloris (cuius fortè cõtactu iuuat) leuiter etiã astringit. Itaq́ melius inuenire nihil possis in capite psorato, q̃ ut probo rosaceo utaris.

*Hyposphagmatis quæ conueniant.*

*Rosaceum commodè infundi per cranij fracturas, esseq́ nõ minus calidum sanguine columbino.*

### Hæma nycteridos, Sanguis uespertilionis.

*Sanguis uespertilionis.*

Si ubi hoc sanguine axillas illeueris, postea chalcanthon aut cicutæ semen inspergas, Xenocrates quidem ait, aut sub illis prorsum pilos nõ prodituros, aut certè lanuginosos. Alij uerò & puerorũ pudendis sanguinẽ uespertilionis illinunt, ut glabras illas partes cõseruent. Ergo ex refrigeratione partis uehementi, eiusmodi quippiam posse cõtingere, nõ est à ratione alienum. Nõ tamen adeò frigidæ facultatis est sanguis uespertilionis, cùm in totũ nullus sanguis sit frigidus. Porrò hœdinũ sanguinẽ feruefactũ cum pari aceti portione, hæmoptoicos iuuare prodidit etiã Xenocrates. Quod remediũ tutò experiri poteris, ubi nullum aliorũ ad manum suppetet.

*Sanguis nullus in totum est frigidus.*

### Sanguis uiridium ranarum.

*Sanguis uiridium ranarũ.*

Cùm assereret quidam, illitũ hunc prohibiturum quo minus euulsi semel palpebrarũ renascerentur pili, falsum esse id experimento didici.

### Gala, Lac.

*Gala. Lactis optima nota.*

Perfectissimũ lac, nempe quod ab omni aliena qualitate est immune (hoc est, odoris expers, aut exiguũ bonũ odorem referens, præterea gustu suaue, pauculam habens dulcedinẽ: sicuti & saluberrimus sanguis, ex quo & lacti generatio constat) ad acres & mordaces fluxiones est commodissimũ, non abluens modò eas ratione seri ab afflictis particulis, sed etiã ob pinguitudinẽ corpora illinens, ut nõ in nuda cadat, quod defluit. Porrò cùm lac omniũ alteretur facillimè, præsertim si ambiens fuerit calidus, multũ à dicta facultate amittit, nisi protinus quis ab uberibus effuso ipso calido utat. Maximè igitur mulieris bene habitæ & bonã uictus rationẽ seruãtis,

*Lactis usus.*

*Lac alteratur omnium facillimè.*

*Lac muliebre est hominis familiarissimum.*

lacte utendum: nam id humano corpori est longē familiarissimū. Deinde aliorū animaliū, quæ quidē ab humana natura nō longissimē absunt: id q̄d scies ex carniū odore. Nam fastidiosus est eorum quę multū diuersam habent temperiem, ut canis, lupi, leonis, pardalis, uulpis, hyænæ, ursi, & similiū. Non iniucundus est eorum quæ nō porrò absunt, ut suis, capræ, equę, bouis, ouis, & asinæ. Quocirca etiam homines docti experientia, caprino, ouillo, bubulo, asininoq́ue lacte utuntur, & caseos ex eis conficiunt, excepto asinino. Nam id planē tenue est, & plenū humoris serosi, ueluti bubulū crassum: cæterū consistentia medium caprillum est. At sus crudū aqueumq́ue lac obtinet. Iam uerò lac omne ex tribus constat essentijs, caseosa, serosa, & pingui. Hanc plurimam habere conspicitur bubulū, ex quo butyrū conficitur, facultatis cōcoquentis & relaxantis. Quare maximē illo utūtur ad parotidas & bubonas.

*Lac asininum est plenum humoris serosi.*
*Lac bubulum.*
*Lac caprillum.*
*Lactis substantia triplex.*

Serum lactis.

*Serū lactis quæ præstet.*

At serum extergendi potentiā possidet, adhibeturq́ue subducendi uentris gratia, ac per clysteres inijcitur, extergens & abluens sine mordacitate acrimoniam intestiuorū. Præterea si quis ulcera quæ sanie infestanē acri, uice aquæ sero colluat, optimē sanē fecerit. Quæcunq́ue etiam medicamenta digerere solent ecchymomata, & atra, ea pręstat sero quàm aqua diluere. At quod lacti caseosum inest, illitū adhæret magis: ob idq́ue acrimoniam retūdit. Atq́ue ubi aliam quampiam desiccantem facultatem habuerit adiunctam, optimum est dysenteriæ remediū, & omniū uentris acrium fluxionū. Eam autē accipit à lapidibus, aut etiam ferreis cylindris, qui prędecocto lacti inijciunt igniti. Ferrum siquidem astringentis facultatis etiam est particeps. Porrò lac totum ad acres oculorum fluxiones tum per se, tum cum mollium collyriorū quopiam, est utile: præterea ad hypopia & hyposphagmata. Quinetiam palpebris extrinsecus, ubi qui ophthalmia laborāt, somno sese dabunt, impositū simul cum rosaceo & ouo, phlegmonas eorū concoquet. Sed hoc esto lac mulieris recens ex mamillis expressum. Infundimus ipsum & utero exulcerato. Sic eo & ad sedis & pudendorū ulcera utimur, & ad omnia breuiter, quæ leniri postulant. Eapropter & cancrosis applicatē ulceribus, medicamentis anodynis cōmistum, qualia sunt quæ constant ex pompholyge. Collutū etiam, oris phlegmonas mitigat: necnon tonsillas, columellam, antiadas phlegmone affectas, ac proinde etiam anginam lenit. Est itaq́ue medicamen leniēs, totam quidem substantiam habens mordacitatis expertem, sed multò magis ubi concoctione moderata, potissima pars seri consumpta fuerit. Sic mihi uidentur etiam medici ad uenena quæ erosione interimunt, lac propinare: ueluti sunt lepus marinus, & cantharis. Sunt etiam qui & meritò id exhibent, ijs qui aconitum & thapsiam deuorarunt.

*Caseosa lactis substantiæ usus.*
*Ferri facultas.*
*Lactis usus.*
*Lac collutum anginam lenit.*
*Lac auxiliari ijs qui uenena erodentia uorarunt.*

Caseus.

*Caseus.*

Vbi pinguitudo cum toto lacte concrescit, seroso duntaxat humore per coagulationē secreto, pinguis caseus efficiē. Qui quidē qualiscunq́ue sit, temporis spacio acrimoniam acquirit, quam deprehendes gustu & olfactu. Cæterùm impense acris inueteratusq́ue iam redditus, maceratusq́ue decocto suillarum carnium, tophos arthriticorum discutit. At recens caseus & mollis, mirē uulnera glutinat: nam repercutiendi uim possidet, leuiter nimirum refrigerans. Cæterùm oxygalactinus, præter hæc, digerendi etiam quandam uim lenem obtinet.

*Caseus inueteratus est acrior.*

Butyrum.

*Butyri facultas*

Facultatis est cōcoquentis, paulùm etiam habens digerentis potentiæ, in medijs nimirū corporibus secundū duritiem atq́ue mollitiem. Nam corporum planē durorū tumores præter naturam, hoc nequit medicamen digerere. At quæ in mollibus sunt phlegmonæ, eas & cōcoquit & digerit facilē. Nam parotidas, & bubonas, & oris inflāmationes, prorsus illo solo curamus: nimirum puerilibus corporibus, muliebribusq́ue eas perpetientibus. Sęd & gingiuis puerorū dentientium assiduē illitū, nihilo imbecillius melle, extenuat exitū dentibus: cæterosq́ue omnes oris phlegmonosos affectus, posteaq̄ fluxio restiterit, digerit pariter, concoquitq́ue. Proinde cataplasmatis inditur quę extrinsecus imponuntur parotidibus, hypochondrijs, bubonibusq́ue. Deuoratū etiam, distributumq́ue, magnificē confert expuitionibus ex pulmone, idq́ue in pleuriticis peripneumonicisq́ue affectibus: cum hoc quòd eos etiā concoquat. Quòd si solum lingatur, magis quidē concoquit, uerū educit minus: sin cum melle & amaris amygdalis, plus educit, sed minus cōcoquit.

*Butyrum extenuat infantium exitū dentibus*
*Butyrum uoratum pleuriticis expuitionib. cōfert.*

Pytia, Coagulum.

*Pytia.*
*Coagulum.*

Coagulū omne acris & digerentis potentiæ est, atq́ue etiam exiccatoriæ: nam necessariò id superiora comitatur. Ac leporis quidem coagulū comitialem morbum, si cum aceto bibatur, præterea profluuium muliebre sanare proditum est: necnon coactū in uentre lac dissoluere: id quod nos sumus hauddubiē experti, non solùm in leporino, sed in aliorum etiam omniū animalium coagulo. Sed & sanguinem in uentre cōcretum simili modo epotum coagulum leporinū dissoluit, ac efficacius quidem cæteris: uerùm non solum, cùm hoc omnī sit commune coagulo.

*Coaguli leporini facultates insignes.*
*Coagulum omne dissoluit lac, & sanguinē in uentre cōcretū.*

Coagulum phocæ.

Huic nonnulli uires castorij tribuunt.

Chole, Fel.

*Chole. Fel.*

Hic succus omniū qui in quoq́ue sunt animaliū calidissimus est. Cæterū pro uaria animaliū temperie, calor eius uariatur. Sunt autem in uniuersum quatuor in singulis animaliū sanguine præditorum humores: sanguis uidelicet, pituita, & bilis tum flaua, tum atra. Verū dum absolutē dicimus bilem, semper intelligimus flauam, quę in iecoris uesica colligitur. At ipsam flauam bilem interdum medici pallidam nomināt. Sciendū tamen est, flauā tantò esse pallida calidiorē, quantò & crassiorē. Nam seroso recremento flauæ bili permisto, pallidam constitui cōtingit: sicuti & flauam plusculum excalfactā, consistentia reddi crassam, colore autē flauam. Quin & in animalibus apparet flaua quidem, ijs quæ magis sunt calida: quę uerò minus, pallida. Et ubi animalia calida, aut fame, aut siti torquentur, ad atrum colorem uergit, interim illū habens æruginosum, interim cæruleū, interim accuratē fuscū. Porrò ubi

*Humores sanguine præditorum omniū communes, quatuor sunt.*
*Flaua bilis pallidaq́ue discrimē.*

ocularia medicamenta præparant, callionymi, scorpij marini, hyænę, galli, perdicis, & aliorum quorũdam animalium bilem admiscent. Quare color eius est explorandus. Iam uerò taurorum bilis calidior & siccior est, q̃ boum castratorum: nam castratũ animal semper simile redditur fœminæ, & ijs quę sunt ætatis minoris. Itaq; ut hæc humore superãt adulta & perfecta, uincunturq́; ab ijsdem caliditate: ad eundem modum bos castratus à tauris. Vt igitur urina à modica potione modicè pallere: & sitim famemq́;, & multum laborem perpessis, flaua esse cõspicitur: impletis uerò atque inebriatis, albicans: ita bilis colores mutat. At uerò quòd hic humor sit acris, hinc discas licet, quòd reserat hęmorrhoidas, quodq́; illis ipsis qui utuntur, mordicare percipitur. Ac proinde cauemus, ne ad alium morbũ, aut symptoma, bilẽ usurpemus solam, atq; per se. Quippe dum oculis ipsam accõmodamus, miscemus illi tum mel, tum fœniculi succum, tum opobalsamum. Domesticarum suum bile (quæ imbecillima omnium, ac maximè aquea existit) utuntur quidam ad aurium ulcera: medicamento certè non reprobo. Cæterùm ubi ulcus diuturnũ fuerit, ac multam saniẽ & pus cõtineat, etiã sicciorẽ bilem perferet, puta ouium, quæ paulò est acrior suilla: hac etiã magis caprarum, cui adsimilis quodãmodo est ursorum & boum. At taurorũ his ualentior est, inferior tamen bile hyęnarum: & hæc quoq; inferior bile callionymi, & scorpij marini, & marinę testudinis. Volatiliũ biles omnes tum acriores sunt, tum sicciores q̃ quadrupedum: & inter ipsas quoq; uolucres, gallinarũ & perdicum biles ad medicinæ usum probatiores habentur. Miluiorum uerò & aquilarum, impendiò acres sunt, erodentesq́;: quamobrem colore æruginco uidentur, ac nonnunquam atro. Licebit itaq; tibi secũdum exigentiam affectuũ, hasce differentias bilis methodo ad experientiã reducere.

*Castratum animal reddi simile fœminæ.*

*Bilis quo pacto accõmodetur oculis.*

*Aures pure fluentes, quæ specie bilis iuuentur.*

*Bilis differentiæ pro animalium diuersitate.*

Hydros, Sudor.

*Hydros. Sudor.*

Eandem quam urina & materiam & modum generationis sortitur. Siquidẽ utriq; generatio ex bibito humore cõstat, excalfacto simul in corpore, & biliosæ nonnihil substantiæ adepto. Verùm sudor plus est elaboratus, utpote qui ad cutem usq; permeatis omnibus quæ intersunt partibus, peruenit. Sudores autẽ inter sese & urinas differre necesse est, tum pro animalium temperaturis, quę & natura, & ętatum ratione non parũ à se inuicẽ sunt diuersæ: tum pro ambientis nos aëris temperie. Quòd sudor salsuginosæ qualitatis sit particeps, gustus testimonio probat. Nam sæpenumero nolentibus in os defluens, dictam qualitatẽ indicat. Sæpe uerò etiam nõ obscuram præfert amaritudinẽ. Sed color etiam eius naturam designat. Nam sicuti urina naturalis modicè est pallida, sic & sudor. Porrò tenues exercitatorum sordes, plus repercutiunt q̃ sudor: minus autẽ digerũt. At ubi sudor illis permistus est, multum facultatis digerẽtis acquirũt. Quare tumores præter naturam discutiũt: ad phlegmonasq́; uberum, præstantissimo sunt remedio. Quòd si sicciores esse sordes uideantur, cyprinum superungito: aut eodem ipsas, si ualde sint siccæ, subigito. Si uerò cyprinũ ad manũ nõ sit, rosaceũ bonum miscuisse sufficit. Hoc medicamentũ est admodum utile, ad restinguendum & discutiendũ lac à partu in mammis concrescens.

*Sudorẽ esse salsuginosum.*

*Sordes exercitatorum.*

Vrina.

Quanta est in animalibus bilis diuersitas, tanta item est in urinis. Atq; omnes quidem facultate sunt calidæ, sed plus tamen animalium calidorum, minus autem frigidorum.

*Vrina omnis facultate est calida.*

Vrina humana.

Hæc aliarũ omniũ est imbecillima, excepta illa quam reddunt porci domestici, quibus execti sunt testes: quorum ut temperies, ita urina similis humanæ existit. At montanorũ aprorum ualida est, ut uel ex odore acerrimo cõstat. Sed & in animalibus cæteris ex odore uim eius conijcere licet. Nam degustare ipsorũ urinas, planè fuerit abominandũ: cùm ne pueri quidem urinam uir quidam honestus uita pariter & moribus, ebibere sustinuerit, etiãsi pestiferè ægrotaret in Syria, ubi multi ab humanæ urinæ potione sese liberatos profitebantur. Etenim urina hominum, ut si quid aliud, extergendi uim obtinet: id quod satis fullones indicant, qui sordida uestium expurgant usu illius, atq; extergũt. Quod cõspicati nõ nulli medici, ea psoras & lepras detergunt, perfundũtq́; ulcera præhumida & sordida, multoq́; magis cõputrescẽtia. Sed & pudendis ubi sic afficiuntur, urinã infundunt, & auribus pure fluentibus. Quin & achoras & furfures ea curant, caput identidem perfundentes. At nos hæc facere odimus, cùm ad manũ sint alia, quæ illis conducant, medicamenta. Quanq̃ ulcera digitorũ pedis, maximè quæ ex illisione inflicta essent, sæpe numero, ubi carerent phlegmone, & ipse urina curaui: idq́; in seruis, & hominibus rusticis. Cæterùm medicamentũ quod ex urina pueri conficitur, quod quidem Chrysocollam appellant, quia eo ad auri glutinationẽ utuntur, ad ulcera difficilia sanatu optimũ esse assero. Fit autẽ id, ubi in mortario æris rubei, pistillo etiã ex rubeo ære cõfecto, puerilis urina tandiu sub calido cœlo tunditur, donec ob eliquationẽ attritionemq́; pistilli & mortarij, mellis crassitudinẽ cõtrahat.

*Vrina humana.*

*Vrinæ humanæ potione multi se se liberatos à pestilenti morbo professi sunt.*

*Vrinæ humanæ facultas.*

*Chrysocollæ faciendæ ratio.*

Sielon, Saliua.

Vt urina & bilis, sic etiam saliua, sumpto quidem cibo, imbecilla est: ualida & acris eorũ qui ingenti aut siti, aut inedia premuntur: in medio utrinsq; est, eorum qui probè concoxerunt quidem, nondũ tamen cibum potum'ue hauserunt. Hac ergo saliua nutrices pueris lichenas curãt, paruũ uidelicet digitum rigantes, ac deinde cutem affectam confricantes. Sed & triticum mandentes rustici non pauci furunculis imponunt: nam celeriter eos digerit, concoquitq́;: cùm si macerarent aqua, non æquè prodesset. Ex quo liquet, saliuam iuuandi robur adferre. Atq; corporibus mollibus, aut puerorum, panem, nõ triticum, imponunt ore commansum. Porrò commansa omnia digerunt & sugillata, & cætera ecchymomata omnia, maximè ubi panis simul cum pauco radiculæ fuerit cõmansus. Iam uerò uniuersa substantia sua uel maximè aduersa est saliua bestijs hominem interficientibus.

*Sielon.*

*Saliua ieiuno ventriculi ad quæ conferat.*

*Triticum mansum furunculos quamcelerrimè concoquit.*

*Saliua humana aduersatur bestijs hominem perimentibus.*

Stercus caninum.

Stercus omne uim maximè digerentem obtinet.

*Stercus caninũ quibus affectib. conferat.*

net. Cæterũ canis, qui solis ossibus fuerit integrũ biduum nutritus, durum, candidũ minimeq; fœtens stercus est: quod quidem exiccatum, redactumq; in pollinem, ad anginam, dysenteriam, & summè inueterata ulcera optimè accõmodatur. Ad anginam quidẽ, ijs mistum, quæ alioqui huic affectui conueniunt: ad dysenteriam autem, iniectum lacti decocto, & quod silices candentes, aut cylindros ferreos extinxerit.

Stercus humanum.

*Stercus humanum.*

Stercus pueri siccũ, & cum melle Attico ad linorem tritũ, illitumq;, sanat gutturis phlegmonas.

Stercus lupinum.

*Stercus lupinũ quibus cõferat.*

*Lupi & canes quomodo et quo meiant, & cacent.*

Quidam lupinum stercus cãdidum, quale ubi ossa ederint, lupi solent excernere, quodq; non decidisset in terram (lupi enim ut canes suspenso altero posteriorum crurum, & meiunt & cacant, in eminente quopiam ex terra loco) aut uino albo, aut aqua distemperatum, colicis potandum dabat: nec tantùm in ipsis paroxysmis, sed etiam in interuallis, si quidem uacarẽt phlegmone: felicissimeq; cedebat illi negocium. Verùm illud etiã in eo mirabar, quòd uel appensum iljs uinculo confecto ex lana ouis à lupo laniatæ, aut ex ceruina pelle, euidenter aliquoties iuuisset.

Stercus caprillum.

*Stercus caprillũ*

Omnium creberrimè utimur caprillo stercore, digerẽtis & acris facultatis: adeò ut induratis scirrhorum in modũ tumoribus congruat, nõ lienis modò, sed etiam aliarũ partiũ. Miscere tamẽ illi solemus farinã fabaceam, necnõ oxycratum. Quin & ad aquam inter cutem, & ad spleneticos, uariè caprillo stercore utimur. Sed & ustum tenuioris quidem essentiæ, uerùm haud manifestò redditur acrius. Quamobrem sanè ad alopecias congruit, & omnia uitia, quæ extergentia medicamenta postulant, ut psoras, lepras, lichenas, & hoc genus alia. Miscetur & digerentibus cataplasmatis, quælia sunt quę accommodantur ad parotidas, & diuturniores bubonas. Est enim uis eius tum usti, tum non usti, abstersoria & digerens: nec eam paruam habet digerendi potentiam. Nam eo etiam

*Morsis à vipera stercus caprillũ auxilio est.*

ex aceto quidam medicus utebatur in agris ad uiperarum morsus, ac multò magis aliarum bestiarum: ac profectò ex ijs complures seruauit. Idem etiam ad auriginem spyrathos ipsas propinauit ex uino: & ad profluuium muliebre cum thure apposuit. Acrius tamen est medicamẽ, quàm ut mulieres urbanas, aut pueros, aut omnino qui tenera sunt carne, sanare possit. Iam uerò animalium temperatura sicciorum, exiccantius stercus est: sicuti & calidiorum, magis excalfactorium. Verùm

*Stercus nullum nec refrigerat, nec humectat.*

nullum omnino stercus refrigerat, sicuti neq; ullũ humectat. Pro natura etiam eorum quę eduntur, multa reperitur diuersitas. Proinde in hominib. maior est, quàm in cæteris animalibus: quandoquidem hoc animal diuersissimis maximeq; uarijs utitur cibis.

Stercus bubulum.

*Stercus bubulũ vesparum morsibus auxiliatur.*

Facultatẽ habet exiccatoriam, atq; attractoriã etiam, ut sanè ostendit, dum apum, uesparũq; morsibus auxiliatur. Quidam autem medicus aqua inter cutem laborantes bubulo stercore oblinẽs, in solem exponebat. Idem partibus rusticorum phlegmone obsessis, humidum illud vere collectum, dum herbam boues pascuntur, admouit. Est enim id moderatius alio, quod à paleis comestis excernitur: ac proinde accommodatius ad phlegmonas.

Stercus ouillum.

*Stercus ouillũ.*

Ille idem medicus, ouium utebatur stercore ad acrochordonas, & myrmecias, & thymos, & furunculos duros, aceto uidelicet diluens. Quin & ulcerum ambusta, ad cicatricem illo ducebat, id cerato rosaceo commiscens.

Stercus columbinum.

*Stercus columbinum quibus auxilietur affectibus.*

Stercore columbarũ nomadũ sicco, trito & cribrato, unà cũ nasturtij semine, uice napyos utor ad ea quæ rubrificari postulãt: nẽpe ad omnes inueteratos affectus, cuiusmodi sunt coxendix, hemicrania, scotomata, uertigines, cephalæa, & in lateribus, scapulis, ceruice, ac lumbis, antiqui dolores: necnon nephritides, affectus cœliaci, & podagricæ arthritides, quando in articulis nondum concreti sunt tophi. Est autem hoc stercus minimè fœtidum, præcipuè si sit arefactum.

Gallinaceum stercus.

*Stercus gallinaceum.*

Tritum, propinatumq; cum tribus quatuórue oxycrati aut oxymelitis cyathis, eos celeriter iuuat, qui à comestis fungis anguntur: nimirũ per uomitũ crassissimos humores eliciens. Est autem hoc stercus minus calidum columbino. Porrò ut

*Exercitata ociosis sicciora sunt.*

animalia quæ exercitantur, ociosis sicciora sunt: & quæ cibis utuntur calidioribus siccioribusq;, ijs quæ frigidis atq; humidis: sic etiam eorum & excremẽta, & partes. Quare columbarum domesticarum stercus multò imbecillius est eo, quod à montanis excernitur. Gallinarum præterea quæ conclusæ seruantur, & furfuribus aluntur, longè etiam infirmius stercus est, quàm earum quæ in agris pascuntur.

Stercus anserum, & ciconiarum.

*Stercus anserinum.*

*Stercus ciconiarum.*

Anserinũ stercus præ nimia acrimonia inutile est. Colligo enĩ ita esse & accipitrũ, & aquilarum. Sunt qui ciconiarũ stercus morbo comitiali mederi scriptitent. Quo epoto credulus quidã nihil adiutus est.

Stercus murium.

*Stercus muriũ.*

Sic enim & muriũ stercus alopecias curare proditum est.

Stercus crocodilorum terrestrium.

*Stercus crocodilorum.*

*Stercus sturnorum.*

Crocodilorum terrestrium stercus, & sturnorum, quum solam oryzam ederint, utrunq; abstergendi, desiccandiq; moderatam facultatem sortitur: ac multò moderatiorem sturnorum stercus. Porrò crocodilorum stercus, quod mulierum luxus preciosum reddidit, ut à facie ephelim tollit, ita & uitiliginem, & lichenas.

Rhypos, Sordes hominum.

*Rhypos.*

*Sordes hominũ.*

Quòd auriũ sordes paronychijs sit utilis, proditum est. Quæ uerò in tota cute prouenit, illius sordis quam paton uocant, nonnihil actionem adiuuat: utpote desiccandi uim habens, cum nonnulla caliditate. Porrò ea sordes quæ lanis ouium inhęret, ex qua œsypon conflatur, similem butyro

*Oesypon.*

concoquendi uim possidet: paulùm etiam digerentis facultatis sortita.

## GALENI PERGAMENI DE simpliciũ medicamentorũ facult. lib. XI.

*Carnem omne animal possidet*

PLeræq; partes sunt animalibus uniuersis cõmunes: nulla tamen est æquè cõmunis ut caro: hanc enim habet omne animal. Cæterũ

*Caro propriè quæ dici mereatur.* *Parenchyma.*

eam quæ reperitur in musculis, solam Medici carnis appellatione dignantur. Nam carnem uiscerum nonnulli parenchyma uocandam censent, propterea quòd ex uenis effusus sanguis, circũ uasa omnia (ut ipsi arbitrantur) concrescat. Sed nos nominũ contentione neglecta, persequamur proprietates particularum.

Caro uiperæ.

*Carnis uipereæ facultas & condiendæ modus.* *Elephantiasis curatio.* *Viperarum esus sitim maximã infert.* *Vipera cur appellentur dipsades.* *Carnes animalium cum cibis mutari.* *Viperæ caput nõ caudam abijcere oportet ad conficiendos artiscos theriacos.* *Artiscos theriacos conficiẽdi ratio.*

Non omnes animaliũ carnes hominẽ nutriũt, sed quorundam etiam letales sunt. Tum inter ea quæ hominem nutriunt, quędam tantùm sunt nutrimentum, quædam etiam medicamentũ. Nam uiperarũ carnes palàm uidere est excalfacientes & exiccantes, ubi conduntur, ceu anguillæ, oleo, sale, anetho, porro, & aqua: horum omnium seruato modo. Quòd autem totum corpus per cutim uacuent, uel hinc tibi discere licet, quòd elephantici quidam prorsus sint restituti, ex potu uini, in quo uipera quædã fuerat extincta. Præterea nos elephanticum quendã, missu prius sanguine, atraq; bile medicamento purgata, uiperis quas capiebat uti iussimus, præparatis in olla, anguillarum more. Atq; ita sanatus est, euaporato per cutem affectu. Porrò uiperarum caro adeò ualentẽ obtinet desiccandi uim, ut quidam qui eam esitarunt, uehementissima fuerint siti cruciati. Quãobrem eas dipsadas nominant. Sunt tamen qui dicãt demorsos à uiperis satiari potu nõ posse, sed dirumpi potius quam liberari siti. Cauendũ autẽ est, ne in locis mari proximis, salsuginosisue, uenemur uiperas, seu ad esum, seu ad Theriaces antidoti præparationem: quum uerisimile sit, earum quæ in id genus locis capiuntur, carnes salsas existere. Siquidem cum cibis etiam animalium mutantur carnes. Porrò quoniam ex more dum artiscos Theriacos paramus, non tantùm caput, sed earũ etiam caudam abijcimus, subijt mihi frequẽter rationabile fortassis esse, caput quidẽ totũ abijci, ob uenenum quod ore continent: uerùm à ratione alienum esse, adimere & caudam. Theriacos aũt ipsos artiscos sic præparamus. Purgatas illas in aqua cũ anetho elixamus tandiu, donec à carne separari facilè possint spinæ. Mox pani purissimo, probè cocto in clibano, salisq; & fermenti quod sit satis habenti, ac breuiter resiccato, & ad læuorem trito, necnon macerato cum ipso uiperarum decocto, carnem prius in mortario tusam miscemus. Postea uerò paruos artiscos fingentes, atq; in ædibus calidis & siccis siccantes, in talibus eos tandem reponimus. Hos ergo ineunte æstate cõficimus, sicut & salem ex deustis uiperis, quo potissimum tempore optima ipsarum est caro. Vtimur eis postea cõtusis denuò & cribratis, rursusq; ad læuorem redactis, adijcientes nonnihil & salis, ad suauitatem compositi, cuius etiam aliquid ipsi theriacæ inijcimus. Itaq; caro uiperæ siccat, ualenterq; digerit: excalfacit uerò mediocriter. Properat enim uia eius ad cutem, per eam uidelicet, quæ in corpore sunt recrementa exigens.

*Carnis uipereæ uires.* *Cacochymiæ symptomata.*

Quibus igitur copia mali succi in corpore abundat, ijs pediculorum numerosa multitudo exoritur: & à cute ceu quædam squama abscedit, deciditq; cuticula extrema, ad quam utique solent sisti crassi terrosiq; humores: à quibus sanè psoræ, lepræ, & elephantes nascuntur. Quòd autem ad animalia cætera pertinet, proportione qua in temperatura excedunt, & carnes quoq; eorum differunt atq; exuperant. Proinde talium animalium carnes perpetuò exhibere oportet, quale uolumus corpus humanum reddere. Nec parua existit carnium differentia, dum quasdam sale condimus. Nam interdum animalis temperie humidissimi caro salita, longè exiccantior euadit ea, quæ sicca natura exstitit. Verùm inter ea quæ saliteq; nõ sunt, siccior est assa, quàm quæ in aqua est elixa.

*Carnes assæ sicciores sunt elixis.* *Mustelæ caro epilepticis auxiliatur.* *Cochlearũ carnes, & succus.*

At uerò caro mustelæ arefacta, ualenter digerit, desiccatq;: proinde morbo comitiali afflictos iuuat epota. Salitorum etiam ἀλλάντων carnem ad læuorem contritam, palos & spicula educere aiunt, impositam: sicuti & mutulorum carnem ulceribus à mordente cane inflictis congruere. At cochlearũ caro, prius in mortario cõtusa, ac postea ad læuorem redacta, omnium ualentissimè desiccat partes superfluo humore grauatas, adeò ut conueniat hydericis. Ipse autem humor solus, thuri, aut aloë, aut myrrhę permistus, quoad cerati accipiat crassitiẽ, medicamẽ fit tenax, desiccatq; purulentos aurium humores. Sed & fronti impositum hæret, oculorum fluxiones exiccans. Quidam etiam ad palos eximendos utuntur tota una testa, ad lęuorem tritis: alij ad sistendos mẽses. Carnes etiam solæ cum farinæ polline tritæ, contusorum uulnera glutinant. Ipsa cochlearum humiditas pilos superciliorum præter naturam habentes glutinat.

Pinguedo & adeps.

*Pinguedo. Adeps.*

Differt à pinguedine adeps, quòd crassior sit, ac propterea animantibus totam naturam terrestriorem habentibus, ut bobus & capris, adeps prouenit: humidioribus autem, ut suibus bene habitis, ipsa pinguedo. Proinde pinguedo celeriter in ignem posita colliquescit: nec facilè ubi semel liquata fuerit rursus concrescit, aut cogitur. At adeps nec facilè funditur liquescitue, & fusus celerrimè cõgelatur. Porrò adeps suillus, aliorum omnium est humidissimus, ob idq; actione sua uicinam oleo uim possidet: quanquã oleo magis tum emolliat, tũ concoquat: quamobrẽ cataplasmatis quæ ad phlegmonas accõmodari solent, miscet. Qui uerò mordicationes perpetiunt aut in recto intestino, aut in colo, ijs potius caprillum adipem quàm suillũ inijcimus: nõ quòd plus acrimoniæ obtũdat, sed quòd cõcrescat citius, suillus autẽ instar olei defluat. Quare caprillus potius dysentericis & tinesmosis inijcitur, quando morsum eorum mitigare est consiliũ.

*Dysenteriæ auxiliatur caprillus adeps.* *Adipum differẽtia.* *Castratus masculus eiusdẽ generis fœminæ assimilatur.*

Quanquã ob tenuitatẽ essentiæ nonnulla magis acrimonias retundunt, ubi in alto mordicatiorum corporũ, quod molestũ est, hęserit. Hac ratione adeps anserinus magis obtundit quæ in alto corpore mordicant: præterea suillo calidior est. Horum tamen in medio est gallinaceorum & gallinarũ adeps. Porrò calidior semper & siccior est masculorum animalium adeps: & horum ipsorum exectorum minus tum calidus, tum siccus: quippe mas castratus eiusdẽ semper generis fœminæ assimilatur. Omnis igitur pinguedinis facultas est humectatoria & excalfactoria humanorũ corporum. Cæterum pinguedo suis, ut ad nos quidem, largius humectare potest, sed nõ æquè excalfacere, sicuti neq; oleum: talem quippe caliditatem obtinet, qualis spectatur in nobis. Taurorũ adeps suillo multò calidior & siccior

ficcior eſt. Sic & adeps uitulinus taurino minus tum calidus eſt, tum ſiccus: & hœdorum quàm caprarum. At caprarum minus quàm hircorũ. Rurſus taurorũ minus quàm leonũ. Nam horũ adeps omnium propemodum adipe potentius digerit: quippe & caliditate exuperat, & partiũ tenuitate. Quare nimis u'cera & phlegmonas irritat. Inueteratis tamẽ tumoribus, atq; ſcirrhi in morẽ duratis, tũ neruorũ curuaturis aptiſsimus eſt: in quibus ſanè ſuillus uidet̃ minimè efficax. Taurinus autem quãtò calidior ſiccior'q; ſuillo eſt, tantò ſuperatur à leonino. Itaq; tanquam in medio conſiſtens, meritò utriq; medicamẽtorum miſcetur generi, & ei ſcilicet quod ſcirrhoſis medet̃, & ei quod phlegmonas ad ſuppurationem perduci: cuiuſmodi eſt tetrapharmacum, ex cera, reſina, pice, & adipe cõſtans. Verũ omnibus quibus caro eſt mollior, adeps ſuillus conuenit magis. Duram autem & ſiccam habentibus, taurinus. At uerò adeps dum inueteraſcit, ſeipſo & calidior, & acrior, & tenuior efficitur: ac proinde ualentius ſiccans & digerens, id quod omnibus inueteraſcentibus accidit, niſi interim computreſcant. Porrò urſorum adipem alopecias curare uerè eſt proditum: quũ tamen ad eum affectum probatiora remedia habeamus.

Myelos, Medulla.

*Myelos. Medulla.* Vim habet corpora indurata & ſcirrhoſa emolliendi. Optimam ſemper ſum expertus ceruinam: dein uitulinam. At hircorum & taurorum, tum acrior eſt, tũ ſiccior: itaq; durities ſcirrhoſas mollire nequit. Ex uitulina igitur & ceruina peſſi cõponuntur ad emolliendos uteros. Et extrinſecus uteris medicamenta imponunt̃, quæ ex medulla parantur, uim emolliendi habentia. Accipitur autem non ſolùm medulla ex oſsibus, quæ ſanè reuera eſt medulla: ſed ex ſpina etiam, quę tũ durior, tũ ſiccior eſt altera. Vtranq; autem hyeme collectã, *Medullas reponendi ratio.* in ſicca editaq; domo cum folijs lauri ſiccis repono, ne uidelicet cõputreſcat. At ſi quando ambiente exiſtente calido, auſtrinoq;, medullas aut adipẽ uelis reponere, utéris ad id cubiculo quammaximè fieri poterit temperato, quodq; ad aquilonem obuerſum, apertas habeat paruas feneſtras, ut perpetuò flatus inſpirantes excipiat.

Caput mænidum.

*Caput mænidũ.* *Mænidũ ſale inueteratarũ capitibus uſtis, ad ſedis fiſſuras utebatur quidam: & ad columellam diu induratam. Videtur ergo uis illarum eſſe deſiccatoria, non admodum acris. * Nam ut acrimonia aduſtarum nonnullis ineſt, ſic omnibus uis exiccandi.

Caput leporinum.

*Caput leporis.* Allus capite leporis uſto utebatur ad alopecias cum adipe urſino.

Caput ſaurarum.

*Caput ſaurarũ.* Sauræ caput contritũ quidam palos & ſpicula extrahere prodiderũt memoriæ: tum myrmecias, acrochordonas, & clauos eximere.

Cerebrum leporis.

*Cerebrum leporis.* Id attritũ & eſum, unde dicimus eſſe pueris dentientibus. Quidã etiã aduerſus tremores utiliter edi cerebrum hoc prodidere.

Cornua ceruina & caprina, uſta.

*Cornua ceruina & caprina uſta.* Dentes candidos reddũt, fluidasq; gingiuas cõtrahunt. Quòd ſi ceruinum ab uſtione lauetur, dyſenteriam, & ſanguinis excreationem, prǣterea cœliacos affectus ſanat. Aurigini etiam dicunt id eſſe utile. Ex quo quidẽ duo exhiberi cochlearia ad omnia iſta prǣcipiũt. Quidã etiã ipſum miſcuerunt collyrijs deſiccantibus oculorum fluxiones.

Pulmo agninus & porçinus.

Intertrigines à calceamentis curare credit̃. At uulpinus ſi bibatur ſiccatus, aſthmaticos iuuat. *Pulmo agninus, porcinus, vulpinusq;.*

Iecur canis rabidi.

Si aſſum edat̃, remediũ exiſtere ijs qui ab ipſo rabiente cane fuerint emorſi, quibuſdã proditũ eſt. *Iecur canis rabidi.*

Iecur caprinum.

Quidam ipſum aſſantes, ſaniemq; excipientes fluentem, ea utuntur ad nyctalopas. Vaporem autem eius, dum elixatur, oculis apertis excipiendũ præcipiunt. Quin & aſſum ſi edatur, & ad eoſdẽ affectus accommodari aiunt, & eos qui comitiali morbo ſunt obnoxij, coarguere. Idem poteſt hircinum hepar. *Iecur caprinum*

Iecur lacertæ.

Eroſis impoſitum dentibus, eos dolore liberate nonnulli ſcriptis mandarunt. *Iecur lacertæ.*

Venter mergi.

Quod de hoc & de interna tunica uẽtriculi gallinarum proditum eſt, id uanam eſſe promiſsionem comperimus. *Venter mergi.*

Caſtorinm.

Teſticulos caſtoris, uocãt caſtoriũ medicamen & celebre & multi uſus. *Caſtorij vires.* Euidenter ſiquidem calfacit. Quum aũt calfacientia omnia, quæ cõſiſtentia ſunt ſicca, ubi cõtactæ ſubſtantię quippiã digerunt, continuò etiam illa deſiccent: manifeſtum utiq; eſt, caſtorium etiam deſiccare haud obſcurè: id quod illi cum multis eſt medicamentis cõmune. Quia uerò impenſe ſubtilium eſt partium, ob id plus ualet quàm alia, quæ ſimiliter ut ipſum tum calfaciunt, tum ſiccant. Nam quæ tenuium ſunt partium medicamenta, ijs quæ ſunt craſſarũ, efficaciora ſunt, etiam ſi parem ſortita ſint facultatem: uimirum quia magis penetrãt. In conuulſione igit̃ à plenitudine, quæ in neruis eſt, orta, & bibendum caſtorium exhibe, & cuti foris etiam impone. Vbi uerò ex ſiccitate nimia conuulſio obuenerit, ſcito hoc medicamen illic eſſe aduerſiſsimũ. Ad eundem modum ijs qui præ plenitudine aut tremunt, aut ſingultum patiuntur, eſt utiliſsimũ: aduerſiſsimum uerò ijs, quibus id ab inanitione, aut acrium humorũ morſu accidit. Vbi itaq; excalfactione, aut reſiccatione, aut utraq; ſimul actione eſt opus, maximam in uſu caſtorij experiere commoditatem: nec ullam parti alicui noxam afferet, potiſsimũ ſi homo non febriat, aut febrim non admodum calidam perpetiatur, ſed tepidam, qualis maximè in caraphoris & lethargis accidit. *Lethargicorum febres eſſe tepidas.* Ac multis ſanè caſtoriũ unà cum pipere albo, utrunq; menſura cochlearij, ex melicrato propinauimus: nec quiſquam ullam percepit noxam. Sed & retentis menſibus, ubi per uenam quæ in talo eſt, modicè euacuaſſem ſanguinem, oblato caſtorio unà cum pulegio, aut calamintha, ſemper medicamẽ hoc ſum expertus purgationẽ ciere, citra ullã aſſumentis læſionẽ. *Menſes educendi ratio.* Præterea locos morantes eijcit: eaq; omnia ex melicrato potũ efficit. At quibus ab occaſione frigida ita uenter flatu diſtendit̃ ut ægrè curationem admittat, eos ex oxycrato potum caſtorium adiuuat. Quæ porrò iuuat in corpus intrò ſumptum, ijs prodeſt quoq; cuti impo-

situm, cum Sicyonio, aut ueteri oleo. Quæ uerò ampliori calore indigent, ijs etiam per se infricari debet. Iuuat etiam, si quis suffitum eius prunis impositi, inspiratione hauriat: illos præcipuè affectus, qui in pulmone consistunt, aut capite. Attamē lethargicos & cataphoricos affectus, qui quidem habent adiunctam febrim, pręstat non dictorum oleorum aliquo macerantes curare, sed potius ex rosaceo capiti colloq́ imponere.

Lumbi scincorum.

*Scincorū lumbi. Semen quæ promaneant & arceant.*

Quæ circa renes scincorum sunt, bibunt, tanquam pudenda intendere ualeant. Contrarium aūt moliri uidetur semen lactucę potum ex aqua.

Vngues caprarum & asinorum.

*Vngues caprilli, asininiq́.*

Quidam ungues caprarum deustos, moxq́ aceto perfusos, alopecijs illinunt. Itaq; fuerit & talis cinis facultatis exiccatoriæ. Sunt qui combustos asinorum ungues comitialem morbum curare dicant, si scilicet assiduò bibantur. Si uerò macerati oleo applicentur, digerere choeradas. Sed & ipsum cinerem, si siccus inspersus fuerit, sanare perniones.

Ossa combusta.

*Ossa combusta.*

Admodum digerentem, exiccantemq́ uim obtinent, maximeq́ (ut quidam ferunt) humana. Noui siquidem nostratium quosdam* combusta ossa humana potui exhibuisse, ac multorum sic epilepsiam & arthritim curasse.

*Ossa humana.*

Senecta serpentis.

*Exuuium serpētis.*

Hanc scripsere quidam in aceto bullitam, dentium mederi doloribus.

Pellis ouina recens detracta.

*Pellis ouilla.*

Circumposita uerberatis, eos die ac nocte una persanat. Concoquit enim & discutit sub cute cōcretum sanguinem.

Equorum lichenes.

*Equorum lichenes.*

Eas aceto tritas comitiales curare scriptū quibusdam est. Alij uerò & ad cuiusuis feræ morsum adhiberi consulunt.

Tela aranei.

*Tela aranei.*

Hanc scribunt nōnulli à phlegmone tueri summæ cutis ulcera.

Coria uetera usta.

*Coria vetera vsta.*

Eorum cinis exiccatorius existit. Quare ulcera ex attritione, & ambusta, & intertrigines quæ in feminibus sunt, persanat.

Ostreia.

*Ostreia.*

Ostreia quidam nuncupant testacea omnia: ostreum autem, unam tantùm testaceorū speciem.

Buccinæ & purpuræ.

*Buccinæ. Purpuræ.*

Buccinarum & purpurarū testa usta, redactaq́ in tenuissimum pollinem (quod sit nobis commune præceptum in testaceis & lapidosis omnibus) desiccandi uim obtinet, ac proinde ulceribus malignis opitulatur: id quod etiam commune est omnium quę citra insignem morsum uehementer desiccant: quippe quum alioqui fluxionum causa existant. Hoc etiam est omnium id genus commune, quòd ex aceto, aut oxycrato, aut œnomelite, aut oxymelite, idonea sint ulceribus putrescentibus.

Ostrea.

*Ostrea.*

Ostreorum testa usta similis est facultatis buccinarum testis, tametsi minus crassę. Etenim omnia id genus cogendi quandā in se facultatē obtinēt, per quam condensata eorum essentia, dura terreaq́ sunt reddita. Quā ubi per ustionē posuerint, digerentē facultatem asciscunt. *Quod si ea, ubi usta fuerint, laueris, quicquid habebant igneum, in aqua ponunt. Quare aqua sanè ipsa excalfaciēs cum tenuitate redditur, adeò ut putrefaciat interdum: reliquum uerò terrosum, morsus expers efficitur: maximeq́ implendis & cicatrice claudendis humidis ulceribus auxiliatur. Cęterùm ulceribus cauis & fistulosis, fluxioniq́ obnoxijs ulceribus, ex suillo adipe inueterato foris circūpono ipsum: in sinum aūt aliquid eorū quę talia carne implent, impono, quale existit diaphanes ustum. Quin & dentes splendidiores testarum cinis efficit, nō tantùm extergendi potentia, sed & asperitate substantiæ: ueluti & pumex, & testa clibani. Verùm in usu eiusmodi, non est necesse quæ sic usta sunt admodum læuigare, sicuti dum insperguntur ulceribus. Porrò excrescentiam mediocriter exterunt, cōprimuntq́. Ad hæc, usta omnia id genus cum sale, dentium smegma efficacius reddunt, ut non modò laxitatem mollitiemq́ gingiuarum desiccet, uerumetiam ulcera putrescentia adiuuet.

*Testarum cinis.*

Sepiæ testa.

*Sepiæ testa.*

Sepiarū testa admodum laxa est, non ut ostreorum lapidosa. Itaq; abstersio illi cū alijs testis communis est, ueluti & desiccatio: cæterùm partium tenuitas eximia illi pręcæteris inest. Quocirca usta ea utimur ad uitiligines, ephelim, lentes, & psoras. Quin & fossili sali mista, in oculis existentes ungues, & sycoses uocatas eliquat. At anteq̃ urat, dentibus splendorē conciliat, & ulcera desiccat.

Opercula purpurarum.

*Purpurarū opercula.*

Ea quidam prodiderunt memoriæ turgidos lienes sanare: suffitu eas quæ uteri suffocatione periclitātur, iuuare: præterea retentos eijcere locos.

Lana succida.

*Lana succida vsus.*

Idoneè excipit irrigationes quæ adhibentur contusis, aut quouis modo percussis, ut quæ utilitatem ex illis proficiscentem promoueat: idq́ propter œsypon. Lota uerò, apta est humoribus qui irrigantur, excipiendis. Porrò usta uim habet acrem, pariter & calidam, unà cum partium tenuitate. Itaq; molles præhumidasq́ ulcerum carnes celerrimè eliquat. Inditur & in medicamen desiccatorium. Vrito eam tanquam alia plurima, ollam implens nouam, quam tegat operculū multis foraminibus pertusum.

*Oesypos. Lana vsta.*

*Lanam vrendi ratio.*

Pili usti.

*Pili vsti.*

Similiter ustæ lanæ excalfaciendi exiccandiq́ possident facultatem.

Ouorum facultates.

Oua partes animalium non sunt, sed proportione respondent ijs quę adnascuntur. Sunt aūt facta ad propagationem generis, perpetuitatemq́: ac sunt utilia, ceu nutrimenta. Porrò ouorum album & tenue illud, quo item ad ophthalmias utimur, ex numero est medicamentorū minimè mordicantium. At unam prauitatem solùm patiunt oua, quam scilicet affert uetustas: eamq́ facillimè effugias, si utaris recētibus. Est autem ouum symmetro temperie frigidius. Vtendum autem est oui albumine, non tantùm ad oculos, sed ad alia omnia, quæ medicamenta requirunt suauissima: ut sunt uniuersa sedis & pudendorū ulcera cōtumacia. Miscetur quoque idoneè medicamentis profluuium sanguinis ex cerebri inuolucris reprimētibus,

*Ouorum facultates.*

*Oui temperies.*

*Albumen oui quibus affect. sub. conferat.*

*Vitellus oui.*

tibus, quæ nimirum citra morsum illinuntur, astringuntq́. Cęterũ & ipse uitellus asimilis est naturæ, ac proinde miscetur ceratis morsus expertibus. Verùm quantò plus desiccant quæ sunt assa oua, tantò minorem mitigandi uim obtinent. Miscetur & cataplasmatis phlegmonem extinguentibus. Iam uerò crudo toto ouo utimur admisto rosaceo, ad palpebrarũ, aurium, mammarũ, aliarumq́ omniũ partiũ phlegmonas. Ad hæc, in aceto coctũ ouum si edaẽ, uentris fluxiones desiccat. Quòd si etiam eorum quippiam, quæ ad dysenteriam aut cœliacum affectum conueniunt, adiunxeris, atq; in igne modico, fumiq́ experte frixeris, edendumq́ ita præbeas, non minimè sanè ita laborantes adiuueris. Ad ambusta etiam ouum est, protinus impositum, utile: siue quis seorsum album duntaxat ipsum molli lana excipiat: siue etiam cum uitello confundens, commiscensq́, applicet. Mediocriter enim refrigerat, & citra morsum desiccat. Tale quum sit, & ad anacollemata uocata, quæ fronti imponunẽ, eo utimur, & pilos palpebrarũ agglutinamus: nimirum admisto idoneorũ quopiã, cuiusmodi est thus, potissimũ pingue, ac non inueteratum & siceum. Ouum igitur medicamentis quæ humiditates desiccant, aut elixũ, aut assum, aut frictum, tanquam materia misceẽ: ijs uerò quæ lentorem humorum in pectore pulmoneq́ incidunt, sorbile: id quod in aqua eousq; elixari debet, donec incalescat. Simili modo sumptum, gutturis, stomachi, uentris, intestinorum, atq; uesicæ medetur asperitatibus.

*Ouo toto ad quæ vtamur.*

*Ouum in aceto percoctum esum que, dysenteria auxiliatur.*

*Ambustis ouum opitulatur impositum.*

*Anacollemata.*

*Ouum sorbile quib. conueniat*

Echinus, hoc est, erinaceus, combustus.

*Echinus. Erinaceus.*

Erinacei utriusq; tum marini tũ terrestris corpus ustum, cinerem efficit facultatis tum extergẽtis, tum digerentis, tum extrahentis.

Cochleæ, siue limaces.

*Cochleæ. Limaces.*

Cochleæ si totę cum testis uranẽ, admista galla omphacitide, simulq́ pipere albo, mirè prosunt dysentericis, in quibus ulcera cõputrescere nõ cœperunt. Conuenit aũt ut piperis sit pars una, gallę uerò duæ, quatuor cochlearum. Hæc ubi ad unguem læuigaueris, cibis inspergito, bibendumq́ aut ex aqua, aut ex uino albo & austero, præbeto. Cæterùm absq; gallæ mistione cinis cochlearum admodum resiccantis est facultatis, obtinẽs item nonnihil ex ustione calidum. Porrò cochleæ quæ ustionem non sunt expertæ, si unà cum testis tritæ imponantur, & toti uentri aqua inter cutem laborantium, & in articulorum tumoribus, ægrè quidem diuelli poterunt, cæterùm impensè desiccant, uel si uiscidus crassusq́ humor in alto contineaẽ. Et sanè inhærere sinere oportet, donec sponte decidant. Idem faciendũ in tumoribus ex ictu natis, difficile solubilibus.

*Dysenteria optimũ medicamen*

Carcini, hoc est, cancri, usti.

*Carcini. Cancri vsti.*

Fluuiatilium cancrorum cinis, quamsimiliter prædictis exiccatorius est: substantiæ tamen proprietate mirabilis est eius in ijs qui à rabiẽte cane sunt morsi, effectus, isq́ tum solus, tum cũ gentiana & thure, multò præstantior. At thuris partem esse unam oportet, quinq; gentianę, cancrorũ decem. Ex quo quidem medicamine Aeschrion Empiricus, conciuis atq; præceptor meus, ijs qui à rabido cane emorsi fuerãt, quotidie diebus quadraginta mensuram cochlearis magni cum aqua bibendam dabat. At si non protinus ab initio, uerũ aliquot pòst dies, curã cœpisset demorsi, tunc quotidie duo cochlearia aquæ inspergebat. Ad ipsum uerò uulnus applicabat emplastrũ, quod ex pice brutia, opopanace, acetoq́ conficitur: habens picis libram unam, aceti acerrimi sextarium unum Italicum, opopanacis uerò uncias tres. Hæc itaq; monita uolui de cancris, quũ nullus eorum qui usi illo medicamento fuerunt, extinctus sit.

*Galeni præceptor fuit Aeschrion Empiricus.*

*Morsus à rabido cane curãdo ratio.*

Chelidones, siue hirundines, ustæ.

*Chelidones. Hirũdines vstæ*

Sed & hirundinum cinere permisto melli permulti utuntur, contra omnes affectus gutturis. Vtuntur & ad acuendum uisum nonnulli hoc cinere. At alij eas arefactas drachmę pondere bibendas exhibent.

Tettiges, hoc est, cicadæ.

*Tettiges. Cicadæ.*

Cicadis etiam nonnulli utuntur ad colicos affectus, cum paribus numero piperis granis. Alij assas edendas offerunt, quibus affecta uesica est.

Corydos, Galerita.

*Corydos. Galerita. Corydalis.*

Galerita, auis illa pusilla, quę in capite ueluti galerũ ex pilis habet conflatum, in iure elixa colicos adiuuat, ueluti & ipsa herba corydalis appellata. Verũ assiduè eam simul cum iure esse necesse est.

Alectorides, Gallinæ.

*Alectorides. Gallinæ. Gallorum ius.*

Gallinarum ius simplex retinendi uim possidet, uti gallorũ subducendi. Concoquendi autem sunt cum salè diutissimè.

Gale, hoc est, mustela.

*Gale. Mustela.*

Eius cinerem cum aceto illitum podagricos iuuare est proditũ: ipsam uerò arefactã prodesse comitialibus morbis.

Ranæ ustæ.

*Ranæ vstæ.*

Ranarũ inspersum cinerem sanguinis eruptioni mederi referũt: cum liquida autem pice sanare alopecias.

Hippocampus.

*Hippocampus.*

Huius etiã cinerẽ alopecijs prodesse est proditũ, facultatisq́ exiccantis & extenuantis existere.

Tellinæ salsæ.

*Tellinæ salsæ.*

Salsas tellinas ustas, adeò urentẽ efficere cinerẽ aiunt, ut is cum cedria euulsos radicitus ex palpebris pilos, instillatus in locum, eos renasci prohibeat.

Intestina terræ, siue lumbrici.

*Intestina terræ. Lumbrici.*

Contrita, neruisq́ diuisis imposita, mirũ in modum ea prodesse est proditum. Præterea cum uino pota, medicamen esse mouendæ urinę idoneũ.

Cimices.

*Cimices.*

Eas cum aceto bibiras, eijcere hirudines aiunt: quas nos semper esu alliorum eiecimus.

Cantharides.

*Cantharidarũ facultas.*

Cũ idoneis emplastris impositæ, adeò scabros ungues educunt, ut toti cadant. Præceptorũ meorum quidam, earum nonnihil solet diureticis medicamentis inijcere. At nõnulli solas alas & pedes inijciunt: alij cõtrà. Cæterùm nos totas indimus. Porrò aptiores sunt ex cantharides, quę inuẽtę in frumẽto, lutea trãsuersim in alis cingula obtinẽt.

*Cantharides eligendi ratio.*

Buprestis.

*Buprestis.*

Animal est cãtharidi tũ specie, tũ uiribus simile.

Pityocampe, Eruca picearum.

*Eruca picearũ.*

Eiusdem sunt facultatis.

Salamandra.

*Salamandra.*

Salamandræ cinerẽ quidã septicis, lepricis, psoricisq́ miscent facultatibus.

Narce, Torpedo marina.

*Narce. Torpedo marina.*

Si applicetẽ uiua cui caput dolet, fieri potest ut dolore liberet similiter alijs quę sensum obstupe-

Draco marinus, & Trigle, & alia id genus.

*Draco marinus. Trigla.*

Viuas etiamnum hasce animantes apertas, & protinus partibus affectis appositas, prodesse traditum est. Nempe draconem marinum in suum ipsius ictum impositum: similiter & Triglã in draconis: mures domesticos in ictum scorpij, ueluti & sauram: mygalem in suum ipsius: & saurã Chalcidicam, quam ex uino bibendã præbent, tanquã suum ipsius morsum sanet. Porrò scorpium suum ipsius morsum curare, si tritus imponatur, necnõ si assus edatur. Congruere autem aiunt & ijs qui à uipera sunt emorsi: ascalaboram uerò ijs qui à scorpio. Referunt etiam & in Aegypti regionibus arefactum asiracum exhiberi ijs qui à scorpio percussi sunt: & uocatum cybiũ, uuliter uulneri à cane inflicto adhiberi. Cæterùm in oleo frictis totis animalibus, ipso oleo utebantur nostratium Medicorum quidam: sed & superiorum nõnulli ad pilorum effluuium: nempe pityocampis, urticis marinis, lepore marino, & scolopendro marino. ad aurium uerò dolorem, silphis in oleo coctis, & ijs quos Græci oniscos, Latini mulipedes uocant.

*Mus. Saura. Mygale. Scorpius. Ascalabota. Assiracus. Cybius. Pityocampe. Vrtica marina. Lepus marinus. Silpha. Onisci.*

Vulpes, & hyænæ.

*Vulpes. Hyæna.*

Oleum in quo elixa uulpes est, nõ est potentioris in digerendo facultatis, quàm in quo hyæna: quæ si similiter in oleo elixetur, oleum ipsum longè potentissimæ facultatis in digerendo redditur. Talia autem medicamenta uim habent, ea quæ in alto corpore delitescunt, ad extimam cutem trahendi, atque eo nomine quandoque dolores sedandi. Quare qui utuntur uulpibus, & ipsi oleum digestorium efficiũt, atque inde implens eo alueolis, totos arthriticos in eos demittunt, multo tempore inibi immorari iubentes. Ex quo fit, ut nõ tantũ qui circa articulos sunt tumores uacuentur, sed etiam uniuersum corpus. Vnde certè magnum cõsequitur commodũ, quum nihil præterea amplius in affectas partes sit defluxurum, uimirum euacuato iam corpore.

*Oleum vulpiũ summè auxiliari morbis articularibus.*

Adarcion.

*Adarcion.*

Essentia quidem sua ueluti spuma est aquæ salsæ cõcreta, idque circa arundines & farragines. Est autem acerrimum, simulque calidissimum pharmacum: proinde & per se inutile. Verùm commisceri solet ijs quæ uim eius retundunt: sicque fit multò utilissimum in ijs affectibus, qui excalfieri postulant, foris impositum. Nam id intra corpus sumi impossibile est.

Alcyonia.

*Alcyoniorũ facultates & differentia.*

Alcyonia omnia detergunt ac digerunt, qualitatem habentia acrem & calidam. Est autem eorũ unũ densum & graue, odoris praui. Olet enim pisces putridos, spongiæ in specie simile. Alterum uerò figura longiuscula, leue, & rarum, odorem habens similem phycijs. Aliud tertium uermi simile specie existit, colore purpureo, cõsistentia molli: uocant id Milesium. Post quæ quartum, secundo quidem iam posito similiter & leue & rarum, uerùm lanis succidis simile. Denique & quintum, extima superficie læui, cæterùm interna substãtia asperum, nullius odoris, gustu tamen apparens acre. Quod sanè omnium alcyoniorũ est calidissimũ, adeò ut pilos deurere possit. Itaque quum duo prima lichenas, alphos, psoras, leprasque adiuuẽt, præterea cutem splendidiorem efficiant, idem præstare non potest hoc ultimo loco positũ. Nec enim perinde ut illa cutem duntaxat summã extergit, sed etiam excoriat, ita ut ulcera inducat. Porrò quod tertio ordine recensuimus, omnium tenuissimũ est. Quare ustum alopecias curat illitũ cum uino, colore quidem fuluo, tenui tamen essentia. Quartum autem eiusdem cum hoc speciei uires obtinet, uerùm haud parum imbecilliores.

Sal.

*Salis differentia.*

Sal eiusdem genere facultatis est, siue fossilis sit, siue marinus: uerũ hoc differũt, quòd salis è terra effossi substantia magis compacta sit, ac proinde in eo maior partiũ crassities, & astringendi potentia. Marinus itaque affusa aqua liquescit protinus: id quod non accidit fossili. Eiusdem speciei cum marino est qui in stagnis quibusdam salsuginosis nascitur, æstate uidelicet aquis ex ijs æstu absumptis: cuiusmodi est Tragasius, non procul à Sminthio. Igitur quum qualitas salsa digerat simul & contrahat contactam ab ipsa substantiam, aphronitrum in hoc differt, quòd in ipso unum saporẽ exuperantem sit uidere, quem uocant amarũ, uim habentem digerendi, haud item contrahendi, uti sal. Nam hic, quicquid in corporibus humidum est, id totum absumit: & quod reliquum est substantiæ solidæ, astrictione contrahit: ac proinde etiam conditura sua carnes seruat, à putredineque tuetur. Quippe quæ putrescunt, excrementitium humorem continent, substantiamque tum dissolutam, tum minimè compactã. Quibus ergo corporib. nulla prorsum inest superflua humiditas, ceu melli optimo, & substãtia solida & compacta est, ut lapidibus, ea ut putrescãt est impossibile. Quare in ijs salis non probatur usus: sed in illis tantùm, in quibus suspecta est putredo.

*Salsæ qualitatis facultas. Aphronitrum. Salis facultas. Putrescentium substantia. Putrescere qua nullo modo possunt.*

Sal ustus.

*Sal ustus.*

Digerit quidẽ potẽtius, quàm ustionis expers, quantò scilicet subtilius ipsius corpus accepta ab igne facultate, redditur.

Litrum, Nitrum.

*Litrum. Nitrum.*

Ostensum est hoc medicamen in medio salis & aphronitri uires habere.

Halos anthos, Flos salis.

*Halos anthos. Salis flos.*

Liquidum est medicamen, tenuiusque quàm sal ustus: præterea qualitatis acris, facultatisque admodum digerentis.

Halos achne, Spuma salis.

*Halos achne. Spuma salis.*

Spumosa est salis efflorescentia, multò tenuioris naturæ, quàm ipse sal. Quare & extenuare, & digerere quàm ille multò plus potest. Verũ quod substantiæ est reliquum, contrahere ut sal nequit.

Asphalton, Bitumen.

*Asphalton. Bitumen.*

Vnum & ipsum est ex ijs quæ in aqua marina proueniunt, & in alia quapiam quæ non est marinæ dissimilis, ut in Apollonia Epiri, ubi reperitur hoc medicamen in aquis spontè nascentibus, ueluti spuma quædam innatans. Quo sanè tempore est molle: postea uerò resiccatum, pice sicca durius efficitur.

Bitumen prouenìens in mari mortuo.

*Bitumen quod in mari mortuo nascitur.*

Optimum uerò bitumẽ in mari quod mortuũ uocant, prouenit. Cuius medicaminis uis est tum resiccatoria, tum excalfactoris in secũdo excessu. Meritò itaque utũtur eo ad cruentorum uulnerum glutinationem, & ad alia omnia quæ exiccari debent, ceu modica excalfactione.

Spongos,

### Spongos, Spongia.

*Spongia uſta.* Spongia uſta, acris eſt & digerentis potentiæ. Vtebatur ea præceptorum meorū quidam ad ſanguinis eruptiones, quæ manuali opera indigent. *Spongiam ardentē auxiliari eruptionibus ſanguinis.* Porrò admouebat eam partibus ſanguine profluentibus etiamnū ardentē, ut & cruſta parti induceret, & ipſum ſpongię corpus, ceu operculum adhæreret. At uerò ſpongia noua, non ſicut lana aut linamentum, materia duntaxat eſt quæ humores irrigandos excipiat, ſed etiam manifeſtè deſiccat. Quare uulnera glutinat, ſi aqua, aut oxycrato, aut uino admoueatur imbuta: à qua ſanè, quæ antiqua eſt, longo ſpacio relinquatur.

### Garus.

*Garus.* Facultatem habet admodum calidam atq; ſiccam. Proinde eo quidam ad ulcera uſi ſunt putreſcentia: tum dyſentericis iſchiadicisq; iniſciunt.

### Halme, Salſugo.

*Halme. Salſugo.* Similiter garo ad putredines accōmodatur: & ad iſchiadas & dyſenterias iniſcitur. Etenim acrimonia ſua humores coxā infeſtantes attrahit: ob idq; per inteſtina euacuat: putreſcentia uerò ulcera in dyſenteria colluit, & ſiccat. Maximè tamen ſalſugine ſalſorum ſilurorū & mænidum ad talia Medici utuntur.

## GALENI LIBER DE ſubſtitutis.



Vbſtituta medicamenta dicūtur, quę in alterius locum ſubſtitui poſſunt: quorū ſanè cognitio, plurimū ad medendi uſum cōſert. Plerunq; ſiquidē deſtituti Medici iis quæ ad morbum exterminandū maximè expedire arbitrantur, neque expendentes ea quę ſimilem ferè uim obtinentia, uice illorum aſſumi poſſunt, ægris opitulari neſciunt. Quod ne tibi aliquando contingat, en ſubdimus omnia pharmaca ſubſtituta, ordine literarum diſpoſita.

| PRO | SVBSTITVES |
|---|---|
| ABrotono | Origanum. |
| Abſinthio | Abrotonum. |
| Acacia | Succum lentiſci. |
| Acoro | Radicem aſari. |
| Aerugine | Atramentum ſutorium. |
| Amianto | Aphronitrum. |
| Agallocho | Calamum odoratum. |
| Agarico | Euphorbium, aut epithymum. |
| Alga | Anchuſam. |
| Aloë Indica | Aloës uiridis folia, folium, uel glaucium, uel fimum ibis, uel Lyciū, uel centaurium. |
| Alumine | Salem foſsilem. |
| Ammi | Aniſum. |
| Ammoniaco thym. | Propolim. |
| Ammoniaco ſale | Cappadocum ſalem. |
| Amomo | Acorum. |
| Amylo | Gyrin ſiccam. |
| Amygdalis amaris | Abſinthium. |
| Anchuſa | Hyacinthum. |
| Aniſo | Daucum. |
| Arace | Seſamum. |
| Ariſtolochia rot. | Ariſtolochiam longam. |
| Argemone | Siſymbrium. |
| Armenio lapide | Atramentum Indicum. |

| PRO | SVBSTITVES |
|---|---|
| Asbeſto | Adarcem. |
| Aſpalatho | Ericis ſemen, aut uiticis. |
| Aſphodelo | Succum betæ. |
| Aſaro | Zingiber. |
| Aſio lapide | Gagatem, aut ſalem ammoniacum toſtum. |
| Auripigmento | Sandaracham. |
| BAlauſtio | Malicorium. |
| Bdellio | Sphagnum odoratum. |
| Bitumine | Picem Brutiam humidam. |
| Brutia pice | Picem in aceto ſeruefactā. |
| Buccina | Oſtreum. |
| Bupreſti | Laſer, aut hirudinem. |
| Butyro | Lac bubulum coactum. |
| CAdmia | Leucographin Aegyptiā. |
| Calamo odorato | Sphagnum. |
| Canchri | Baccas lauri. |
| Cantharidibus | Phalangia. |
| Capparis radice | Ericæ radicem aut myricæ. |
| Cardamomo | Fructum myrti. |
| Caſia | Cinnamomi dimidium. |
| Caſtorio | Silphium. |
| Cedria | Ladanum. |
| Ceraunio | Leucographin. |
| Ceruina adipe | Anſeris adipem. |
| Cera | Fabam freſam cum propoli coctam & tritam. |
| Cerui cornu | Caprinum. |
| Ceruſſa | Scoriam plumbi. |
| Chalbane | Sagapenum. |
| Chamædry | Lapathi radicem. |
| Cicuta | Semen coriandri. |
| Cinerula Cypria | Cinerem foliorum oliuæ. |
| Cinnabari | Roſaceos paſtillos. |
| Cinnamomo | Caſsiæ duplum. |
| Clinopodio | Heliotropium. |
| Cnico | Viticis ſemen. |
| Colocynthide | Ricini ſemen. |
| Colophonia pice | Apochyma. |
| Corallio | Moly, aut ſymphytum. |
| Coſto | Cedri fructum. |
| Cotyledone | Anagallin. |
| Crinanthemo | Aphrodiſiam. |
| Croco | Crocomagma. |
| Crocomagmate | Agallochum Indicam. |
| Crocodili adipe | Canis marini adipem. |
| Cumino | Braſsicæ ſemen. |
| Cynosbato | Solani ueſicariæ ſemen. |
| Cyperi | Iuniperum magnam. |
| Cyphi | Caricam uſtam. |
| DAmaſonio | Eryngium. |
| Dauci ſemine | Sii ſemen. |
| Dictamno | Saluiam. |
| Diphryge | Phrygium lapidem. |
| Dorycnio | Alterci ſemen. |
| Dracontio | Aron. |
| EBeno | Loti arboris lignum. |
| Ebiſci radice | Folia mori. |
| Elaterii ſucco | Eiuſdem herbæ ſuccum. |
| Elleboro nigro | Papyri radicem. |
| Enneaphyllo | Potamogitonem. |

| PRO | SVBSTITVES |
|---|---|
| Epithymo | Colocynthidis semen. |
| Ericis fructu | Gallam immaturam. |
| Erini folijs | Stercus ibis. |
| Erucæ semine | Erysimi semen. |
| Erucis pini | Vespas cum cedria. |
| Erysimo | Struthij succum. |
| Euphorbio | Stercus columbæ agrestis. |
| Eupatorio | Chamæpityn. |
| Felle cameli | Fel Ascalaboti. |
| Felle mustelæ | Fel cameli. |
| Felle hyænæ | Fel perdicis. |
| Felle uiperæ | Fel ichneumonis. |
| Flore æris | Squamam æris. |
| Galla | Palæstræ sordes. |
| Gentiana | Radicem apij odorati. |
| Glycyrrhizæ succo | Mori succum. |
| Hederæ succo | Perseæ succum. |
| Hedychroo | Amaricinum. |
| Hyacintho | Florem Isatidis. |
| Hyænæ adipe | Vulpis adipem. |
| Hyoscyamo | Solani uesicariæ semen. |
| Hippuri | Aiugam. |
| Hyperico | Anethi semen. |
| Hypocistide | Acaciam. |
| Hyssopo | Thymum. |
| Iri Illyrica | Helenium odoratum. |
| Iunco odorato | Cardamomum. |
| Iunco palustri | Polygoni radicem. |
| Lapathi radice | Pyrethri radicem. |
| Lapide phrygio | Lapidem argyritem. |
| Lapide asio | Gagatem lapidem. |
| Lapide pyrite | Lapidem pyrobolon. |
| Lauri baccis | Serpyllum aridum. |
| Lathyri | Granum Gnidium. |
| Lentisco | Terebinthum. |
| Lepidio | Rubiam. |
| Lepidij radice | Folia capparis. |
| Lepore marino | Leporem fluuialem. |
| Lini semine | Fabulum. |
| Loti semine | Betæ semen. |
| Lupi adipe | Vrsi adipem. |
| Ligustico | Pastinacæ semen. |
| Lysimachio | Spinæ Aegyptiæ semen. |
| Magnete | Hematitem lapidem. |
| Malabathro | Nardum Indicam. |
| Malo cydonio | Melilotum. |
| Malua | Fœnumgræcum. |
| Mandragora | Dorycnium |
| Manna | Thuris corticem. |
| Mastiche | Lentisci caulem. |
| Medulla cerui | Vituli medullam. |
| Meliloto | Lotum herbam. |
| Melle | Sapam. |
| Melle Attico crudo | Mel despumatum. |
| Meo | Myrobalanum. |
| Myrsinite | Succum mori. |
| Molybdæna | Lithargyron. |
| Mori succo | Rubi folia. |
| Myrobalano | Glaucium. |

| PRO | SVBSTITVES |
|---|---|
| Myrrha Troglodyti-(de | Calamum odoratum. |
| Myrthi oleo | Mori succum. |
| Misy Cyprio | Ochram Cypriam. |
| Misy tosto | Diphrygem. |
| Nardo Syriaca | Iuncum odoratum. |
| Napi | Rapæ semen. |
| Nepita | Agrestem mentham. |
| Nucleis pineis | Cucumeris semen. |
| Nucepinca | Gallam. |
| Ochra | Misy Cyprium. |
| Ocimo | Sisymbrium. |
| Ocimoide | Mentham agrestem. |
| Oenanthes succo | Vitigineum succum. |
| Oesypo | Vituli medullam. |
| Oleo Cicino | Laurinum, aut uetus oleũ. |
| Oleo ueteri | Feruefactum duplum. |
| Oliuæ lachryma | Hypocistidis succum. |
| Omphace | Gallam immaturam. |
| Opobalsamo | Guttam myrrhæ. |
| Opopanace | Lac sycamini. |
| Oryza | Farinam hordei. |
| Orminio | Lini semen. |
| Ornithogali | Anthyllin. |
| Papaueris succo | Mandragoræ succum. |
| Phu | Sphagnon. |
| Pipere | Zingiber. |
| Pipere albo | Nigri duplum. |
| Polij semine | Erucæ semen. |
| Polypodio | Chamæleonis radicem. |
| Polytricho | Absinthium. |
| Pompholyge | Cadmiam ustam. |
| Populi gemmis | Sampsuchum. |
| Propoli | Ladanum. |
| Psyllio | Lentem palustrem. |
| Pumice | Terram Creticam. |
| Pyrethro | Zingiber. |
| Quercus uisco | Chamæleonis uiscum. |
| Rapa | Heliotropium. |
| Raphanino oleo | Ricini oleum. |
| Resina pini | Terebinthinam. |
| Roseis pastillis | Sinopidem. |
| Rosis siccis | Perseæ folia sicca. |
| Rhu Syriaco | Oxyacanthæ fructum. |
| Rubigine | Squamam ferri. |
| Sagapeno | Resinam pini siccam. |
| Saluia | Calamintham. |
| Salamandra | Lacertam uiridem. |
| Saleammoniaco | Salem Cappadocium. |
| Sambuco | Spinæ uiridis folia. |
| Sampsucho | Rhus coquinarium. |
| Santonico | Abrotonum. |
| Satyrio | Erucæ semen. |
| Scammonio | Ricini semen. |
| Scilla | Bulbum esculentum. |
| Scoria plumbi | Plumbum productum. |
| Scoria Cypria | Melanteriam Aegyptiam. |
| Semperuiuo | Lactucam. |
| Sepiæ crusta | Pumicem. |
| Sesamo | Lini semen. |

Sesamoide

| PRO | SVBSTITVES |
|---|---|
| Sesamoide | Amarauthi cremorem. |
| Sinapi | Nasturtium. |
| Sisone | Anisum. |
| Sisymbrio | Ocimum. |
| Solano uesicaria | Semen solani hortensis. |
| Sphagno | Iuncum odorarum. |
| Spondylio | Folia oliuæ. |
| Stercore uulturis | Columbinum stercus. |
| Stercore turturis | Stercus columbi. |
| Stercore felis | Ichneumonis stercus. |
| Stibio | Aeris squamam. |
| Struthij radice | Ellebori nigri radicem. |
| Succo calpasi | Succum myrti. |
| Succo peucedani | Glycyrrhizę succum. |
| Succo rhododaphnes | Viscum quernum. |
| Succo cyrenaico | Syriacum succum. |
| Succo papaueris | Mandragoræ succum. |
| Succo salicis | Hederæ nigræ succum. |
| Succo gallæ | Succum mori. |
| Succo panacis | Lac sysamini. |
| Succo polygoni | Succum plantaginis. |
| Sulfure uino | Sandaracham. |
| Symphyto | Centaurium. |
| Sert | Lithargyrum. |
| Terra Samia | Leucographen terram. |
| Terra eretria | Calcem Thebaicam. |
| Terra alana | Plumbaginem. |
| Terra asteri | Cimoliam. |
| Terebinthina | Mastichen. |
| Thapsiæ succo | Chamæleonis nigri succū. |
| Thymo | Satureiam. |
| Tithymalo | Chamæleon. |
| Thure | Ampelitin terram. |
| Verbenaca | Chamæleucen. |
| Viola | Florem radiculæ. |
| Vino Rhodio | Austerum uinum. |
| Vino Falerno | Vinum Mendesium. |
| Visco quercino | Chamæleonis albi uiscum. |
| Vulpis adipe | Vrsinum adipem. |
| Vulturis stercore | Columbinum stercus. |
| Vua domestica | Pulpam palmularum Syriacarum. |
| Xylobalsamo | Radicem uiolarū albarū. |
| Zingibere | Pyrethrum. |

## *GALENI PERGAMENI DE compositione medicamentorū secundum genera, lib. I.*



Quandoquidem ex cōmentario quem iampridem de compositione medicamentorum conscripsi, priores duo libri, qui exierant in lucē, una cum alijs in apotheca, quę ad uiam sacrā est, perierunt, dum Pacis delubrum totum, & ingentes Palatij bibliothecæ maximo conflagrarunt incendio: equidem amicorum precibus uictus, cogor nunc illos eosdē recudere: idq; ab eodem initio auspicatus, à quo in illis exorsus fuerā. Siquidem statim in auspicijs primi cōmentarij monebam, esse exterminandos sophistas, qui traditionem medicaminum compositorū è medio tollunt: nonnullisq; simpliciū peculiares quasdā facultates inesse inficiantur: eos etiā excipientes scōmate, qui de illis aliquid prodiderunt. Qui quidem adeò uires medicamentorū ignorant, ut nesciant prorsus, à marino lepore pulmonem solum exulcerari: uesicam solam à cantharidibus. At uerò Empirici cognoscunt quidem ex ærugine cerato simplici admixta, confici optimum sarcoticum medicamen: tametsi neutrum eorum per se, carnē gignere possit: qua autem ratione id contingat, ignorant.

*Pacis delubrum conflagrasse olim, & cum eo bibliothecas palatij, & nonnullos cōmentarios Galeni.*

*Sophistas exterminandos esse.*

*Sarcoticum optimum cōfici ex ærugine cerato simplici admista.*

Sunt igitur uires medicamentorū simplicium, nō generatim tantùm, sed particulatim etiam inuestigandæ. Siquidem non sat est nosse hoc pharmacum calfacere, nisi etiam quo gradu id efficiat noris. Calfaciunt quippe resinæ omnes: attamen maioris minorisq; ratione plurimum inter se earum calores differūt. Atqui in curatione particulæ impensè refrigeratæ, medicamē admouebimus admodum calfaciens: illi uerò quæ paululum ab habitu naturali recessit, calore modico præditū. Meritò itaq; nos quatuor excalfacientiū ordines statuimus, separantes à modicè calidis ea quæ euidenter eiusmodi qualitate præcellunt: tum quæ magna, tum quæ uehementi adeò, ut uirere iam uideantur: atq; in singulis hisce ordinibus latitudinem momentaneam constituentes: similiq; in excessibus reliquarum qualitatum, ratione. Porrò medicamentorum materiæ, quædam sanè à plantis, quædā à metallis, nōnullæ ab animalibus proficiscuntur. Iam uerò, præter simpliciū omnium medicaminum facultates, omnium etiam præter naturam affectuū differentias ad unguem nouisse expedit. * Quippe primus curationis scopus à morbificis dispositionibus nascitur: cum quibus simul indicat curationē natura particulę affectæ. Sed aëris etiam nos ambientis temperiem, constitutionemq;: præterea ætatem, tempus, regionem, uitæ studia, & mores, multi præstantissimi Medici unà cum illis inspiciunt. Ergo si simplicibus tantùm medicamentis, uniuersos præter naturam affectus curare liceret nobis, nunquam egeremus compositis. Quum autem sæpenumero aliquatenus calfacere corpus nolentes, simplex nullum, quod præstare id possit habeamus, ex uarijs unum cōficimus medicamen, quod eodem, quo affectus, gradu à mediocritate recedens, id quod ex usu est, moliatur. Taceo nonnulla simplicia, citra alterius medicamenti miscellam, non posse adhiberi in emplastrum: alia, nisi retundantur, aut mitigētur, administrari nō posse. In morbis etiam qui contrarias simul facultates desiderant, ut, repellendi & digerendi, detergendi ac læuigandi, uel attenuandi simul & incrassandi humores, maximus compositionis medicamentorum est usus: nec secus ubi unicum medicamen habere cupimus, quod multis uenenum eiaculantibus feris, ac pharmacis exitialibus aduersetur.

*Resinæ omnes calfaciunt.*

*Calfacientium ordines quatuor quos etiā reperire est in cæteris qualitatibus.*

*Medicamentorū materia unde proficiscantur.*

*Scopus curationis primus à morbificis dispositionibus nascitur.*

*Compositis medicamentis cur utamur.*

Quum autem oleum uetus & adeps, uim digerendi sortiantur: chalcitis autem & palmæ succus, repellendi, astringendiq;: ex his ipse pharmacum phœnicinum dictum composui, glutinandis ulceribus, cicatrice obducendis, & phlegmonis curandis accommodum: quo iam complures utuntur. Etenim ratio compositionem inue-

*Phœnicini pharmaci compositio & usus.*

nit: experientia, de inuentorum uirtute decernit. Cum prædictis autem debet coqui lithargyrus, donec consistentiam consequatur emplasticam. Adeps porrò ipse sit tum insulsus, tum uetus, quẽadmodum etiam oleum: quæ sanè quò uetustiora fuerint, eò digerẽt promptius, phlegmonæq; diuturniori atq; contumaciori erunt magis accommodata. Verùm ad incipientes atq; augescentes phlegmonas, ut quas astringere atq; refrigerare oportet, præstat emplastrum ipsum ex uino, uel aceto, uel aqua, uel oleo immaturo, uel astringente, liquare. Cõmunis autem compositionis modus est talis. Vetusti adipis li. 2. olei ueteris lib. 3. Lithargyri tantundẽ. Chalcitidos vnc. quatuor. Liquato adipi reliqua eleganter atque artificiosè misceantur, ferueſcantq; simul, ac rudicula palmę uiridi & succulenta moueantur, donec sibi emplastri consistentiam contraxerint. Quo quidem medicamine, ad ulcera quæ non facilè cicatrice obducuntur, & ad cruenta est utendum. Auxiliatur etiam inflammationibus, articulorum morbis, bubonibus, phymatis, ambustis, pernionibus, fracturis, contusionibus, rheumaticisq; uniuersis constitutionibus, cuiusmodi plures solent Romæ inualescere. Cæterùm in phlegmonarum principijs uim repulsoriam esse ualidiorem oportet: in incrementis uerò, hæc imminuenda: quę digerit uirtus, augenda est. Vigente phlegmone, pares inuicem esse conuenit facultates, nisi uehemens dolor pharmacum leniens requirat. At inclinãte phlegmone, uim digerẽdi augebis. Qua ex methodo licebit tibi secundum uarias indicationes uti prædicto emplastro, uarijs oleis atque succis liquato. Ego uerò ad phlegmonas erysipelatodes soluto ipso ex rosaceo utor. Cui etiam si æstas fuerit, uuæ acerbæ simul & portulacæ, uel semperuiui succũ immisceo. Quippe uuæ acerbæ liquor per se, plus q̃ oportet astringit: tanta autem astrictio lædit erysipelat, aut quæ calorẽ ipsorum, cutẽ densando, includat. Igitur in exactis erysipelatis, ea quæ aduentitia sua frigiditate auxiliãtur, ubi cœperint incalescere, sunt mutanda. Postea uerò quàm incendium conquieuerit, aut si nec perfectũ planè ab initio erysipelas fuerit, * haud amplius ascititiam frigiditatem desiderabimus: uerùm ijs succis diluemus phœnicinũ emplastrum, qui moderatè refrigerent. Ab his iam & lini seminis, & chamæmeli succum miscebimus: ipsoq; solo, sed fuso postea utemur emplastro, nihil aliud illi miscentes. Quòd si quando liuidum, ob refrigerantium usum, erysipelas ipsum euaserit, solum phœnicinum emplastrum, ueteri oleo liquatum, id discutere potest: quo tẽpore partes liuidæ, aqua fouentur calida, atq; etiam scarificantur. Sunt qui calcis uiuæ nonnihil ipsi pharmaco immisceant. Intrepidè itaq; in rheumaticis affectionibus hoc utitor medicamine: utpote quod tum astringat, tum digerat, tum robur particularum cõfirmet. Etenim non semper ob calorem immodicum fluxione affliguntur particulæ: sæpe siquidem ob propriam imbecillitatem, quæ ab intemperie frigida ut plurimum proficiscitur, tali corripiuntur affectu. Quare si humectet eas quispiã, calfaciatq; medicamentis laxantibus, dissolutę prorsus & imbecillæ fient. Sin tumores uehementer astringat, initio quidem iuuare uidebitur: cæterũ quod ex eis reliquum est, contumax atq; scirrhosum reddiderit. Sed neq; id genus dispositiones ferunt nimis astringentia medicamenta, ut à quibus dolore & tensione affligantur. Atqui omnis dolor inflãmata exacuit, irritatq;, & fluxionibus occasionem præbet, uel si rheumatica intemperie æger non afficiatur.

*Roma inualescere complures dispositiones rheumaticas.*

*Phlegmonarũ curatio.*

*Omphacij facultas.*

*Erysipelatis curatio.*

*Liuentis erysipelatis curatio.*

*Emplastri phœnicini facultas.*

*Fluxionum causa.*

*Dolor inflãmata exasperat, fluxionibusq; occasionem præbet.*

Sunt autem complura medicamenta, quę pharmaco cui miscentur, uim nullam aut perexiguam exhibent: cõmoditatem uerò materię præstant, ut uel emplastri, uel cerati speciẽ referat. Atq; ex eorum sanè genere existit argenti spuma, nullam insignem possidens facultatem, præter siccandi modicam. Qua ratione attrita femora ex itinere adiuuat. Est autẽ ex ijs pharmacis quæ liquefieri possunt, etiam argenti spuma, quam Græci lithargyron uocant: ut chalcitis quoq;, & misy. Cæterùm chalcitis quidem omniũ celerrimè funditur: tardissimè argenti spuma: at in horum medio ærugo & misy cõsistunt. Porrò candidũ medicamen, quo ad parua ulcera utor, ex oleo, aqua & argenti spuma cõficitur, ita ut libris duabus aquæ, tres quàm purissimi splendissimiq; olei, totidemq; spumę argenti injciantur. Debent aũt simul coqui ad ignẽ minimè fumidum, idq; in loco sub dio atq; soli exposito. Siquidem ut aër nubilus pharmacũ ipsum denigrat, sic syncerus ad candorem eius plurimũ confert. Hòc aũt fiet glutinantius id medicamen, quò plus liquoris indideris. Aqua etenim substãtia propria semper humectat, refrigeratq;. At oleum si recens sit, pharmaco minimè reluctatur. Permanet itaque humidum, ac modicè frigidum, quali maximè tenera corpora & cacochyma indigent. Ergo huiuscemodi emplastrum, pruritus, desquamata, & ut uno uerbo expediam, ulcera exigua persanat: utpote exulceratis partibus ne quid influat, impediens: & quod iam influxit, denuò ad partes circumstantes retrudens. Aduerte autem, nullum humectans nec propria ratione, nec ex accidenti esse ulceribus utile.

*Lithargyri facultas.*

*Chalcitis omnium celerrimè funditur.*

*Candidum medicamen Galeni.*

*Aërem nubilũ denigrare pharmaca, syncerũ conferre ad eorum candorem.*

*Aquæ propria facultas.*

*Candidi emplastri Galeni facultas.*

*Vlceribus nihil humectans esse utile.*

Conficitur etiam pharmacum id ex oxelæo & lithargyro. Cęterùm medicamen mediocriter siccans fit, si utriusq;, nẽpe olei & aceti, duplo maior portio quàm argenti spumę misceatur. Copiosior uerò duplo utriusq; mensura, ualentius facit pharmacum. Ipse enim triplam utriusq; nonnunquã miscens, tota die medicamen coquere soleo. Atq; hoc sanè modo confectũ, colore atro splendescit, maximaq; siccandi potentia pollet, ita ut curet ulcera cõtumacia, cruenta glutinet, fistulasq; in callum non induratas, adducat: ac breuiter, citra morsum exiccet.

Ex œnelæo etiam lithargyroq; similiter medicamen paratur. Equidem per æstatem sub sole ardenti, ex uino Falerno, aut alio tenuium partium, lithargyrum conterere soleo, idq; continuis quindecim diebus. Quibus exactis, medicamẽ ipsum exiccans, repono: quo postea ex oleo soluto, in rheumaticis affectibus utor, necnon ad uulnera glutinanda. Cruda itaq;, ac per se, argenti spuma, attritiones corrigit. Ex aceto autẽ aut uino trita, siccataq;, ulcerum quę ob humiditatẽ ægrè cicatricem recipiũt, remediũ fit. Quòd si ipsam cupis rosionis expertem, elota utitor. Ac minimũ quidem rosionis exhibet, si uino uel aceto abluat. Cõuenit tamẽ curiosè toto die contritã, cũ liquore per noctem

*Lithargyri praparandi ratio.*

*Lithargyri facultates.*

*Lithargyrus redditur expers rosionis, si ex uino uel aceto abluatur.*

tem relinquere: quem postero die manè effundemus, aliũ denuo instillantes, ac postea rursus tundentes: Id quod singulis diebus facere sub feruenti sole (hoc enim sit cõmune præceptum in lapidosis omnibus) minimè desistemus, donec unà cum humore ceu quidam flosculus ipsius argenti spumæ cernatur.

*Lapidosa omnia quæ abluimus, sub ardenti sole sunt ex humore aliquo lauiganda.*

Quæ ex lithargyro cõponuntur, fieri possunt etiam ex molybdæna. Cæterùm molybdæna substantię crassioris ac frigidioris quàm lithargyrus est: ac medicamenta quæ ex ipsa parantur, cinericia redduntur. Quum igitur discutere quid uolueris, lithargyro potius q̃ molybdæna utitor.

*Molybdæne facultas.*

At cerussam uel coloris causa ad emplastra candida conficienda medici lithargyro immiscent: uel ut quandam astringendi refrigerandiq; uim medicamento concilient. Sed resinam etiam inijcere assolent, quò sequax ac sibi continuum fiat pharmacum. Verùm quum mitissimæ omniũ resinæ sint tum terebinthina ipsa, tum illa quæ larix dicitur, has miscere præstiterit, dum conficere tale medicamen est animus. Multò etiam leniora tactu omnia fiunt, tum quæ resina constant, si ceræ quid adijciatur: tum quæ ex cera, si modicum resinæ recipiant. At candido emplastro alba cera desideratũ: quam, si sponte sit nata, prius abluere oportet: nimirũ liquãtes ipsam, ac mox in aqua fontis mergentes, cõmouentes, & repurgantes: qua ratione etiã pix, resina & physema, abluenda sunt.

*Cerussæ usus.*

*Terebinthina.*
*Larix.*

*Ceræ abluendæ ratio.*

Vbi igitur cerussæ, spumæq; argenti, adeò præcoctis ut minimè inficiãt manus, cera simul cum resina fuerit admista, candidum emplastrum habebis, cui aquã aut oleum miscere poteris. Ex oleis autem omphacinum, Hispanicumq; pharmaco uim astrictoriam adijciunt. Istricũ uerò cum exigua astrictione quandam amaritudinẽ refert. Atqui principio ulceris, finiq; potiora sunt astringentia: dulcia autem in medijs. Pondus ergo huiusce emplastri sit tale: Cerussę, lithargyri, singulorũ lib. j. olei lib. 2. ceræ lib. s. Terebinthinę unc. 3. Quibus omnibus licebit tantùm thuris, quantùm & terebinthinæ, aut etiã dimidiam portionẽ addere. Qua industria medicamen maximè anodynum reddetur, sed ad cicatricẽ inducendã ineptius: quandoquidẽ ex ipsius usu caro ulceri excrescet, quum thus sit facultate sarcoticum. Taceo laxantia medicamenta corporibus plenis & cacochymis admota, fluxum ad affectas partes citare. Satius itaq; fuerit, tum ad cicatricẽ inducendam, tum ad digerendũ exactius, aluminis scissilis, candidiq; unciam unam, piperis semunciã miscere.

*Vlceribus incipientibus potiora esse astringẽtia.*
*Anodynũ pharmacum.*

*Thus carnem gignit.*
*Laxantia plenis & cacochymis admota, fluxum ad affectas partes cõcitãt.*

Candidi ex pipere medicamenti, quod ad senũ ulcera, & eorũ qui mollem sortiuntur cuticulam, persananda est efficax, quodq; refertur ad Attalũ regem nostrum, qui olim Pergamensibus imperabat, compositio habet in hunc modum: Argenti spumæ, cerussæ, sing. lib. j. olei lib. 2. ceræ lib. s. terebinthinæ unc. 3. thuris uel tantundẽ, uel media pars, aluminis drach. 6. piperis drach. 3. Verũ apud Romanos librari quidem dicuntur solida, ut mensurari humida. Metallica in primis sub sole coquuntur, donec duriusculam consistentiam adipiscantur: quibus reliqua postea misceri debent artificiosè. Hoc pharmacum ulceribus humidioribus, atq; abrasis medetur.

*Attalus Rex Pergami, patria Galeni.*
*Candidi ex pipere compositio.*

*Librantur solida.*
*Mensurãtur humida.*

Alba quę oleo recenti & aqua citra piperis atq; thuris misturam confici docuimus, uehementer cõmorsas partes offendunt. At minus illis Attalicum lædere solet, eò quòd terebinthina, oleum uetus, thus, & piper, adiecta sunt. Ad commorsa namq; minimè alumen conducit: quum opus hîc sit non astringentibus, sed abundè extrahentibus ea, quæ in alto neruos punctos affligunt, & uenenatam animalium saliuam. Distinguenda autem sunt cacoëthe ulcera, ab ijs quæ non facile ad cicatricem perueniunt: quum non omnia cacoëthe ulcera ægrè cicatricẽ admittant. Porrò si blandius medicamentum, ad sedandumq; dolorem cõmodius, cõficere uis, aliquid adipis anserini, uel gallinacei, uel porcini immiscebis. Sic namq; magis anodynum effeceris: minus tamen idoneum cicatrici inducendæ. In uniuersum autem, nemo probè uti possit medicamento cõposito, qui simplicium uires prius non accuratè didicerit.

*Commorsis quæ conueniant medicamenta.*

*Cacoëthe ulcera nõ omnia esse dysepulota.*

*Compositis rectè nemo uti poterit, qui simplicium uires prius non didicerit.*

Aliud album Andromachi. Lithargyri, cerussę, sing. minam Atticam. j. ceræ partem quartam, resinæ terebinthinæ tantundem, olei heminas 3. aquæ heminas duas. Conficito. Nõnulli porrò uncias 20. minam continere tradunt: nonnulli sexdecim. Atqui miretur quispiã, quomodo Romæ degens, pro libris nominarit heminas: cui urbi sunt familiaria uocabula, libra, sextarius, & uncia. Ex multis autem medicamentis iampridem conscriptis, priusquàm potentia Romanorũ usqueadeò creuisset, sum cõiectura assequutus, quam illi uocarent heminam, fuisse æqualem nouem uncijs unius libræ Romanæ.

*Candidum Andromachi.*

*Heminam fuisse æqualẽ nouẽ uncijs libræ Romanæ.*

Aliud album Andromachi.

*Candidũ aliud Andromachi.*

Argenti spumæ drach. 160. cerussæ drach. 200. ceræ drach. 50. terebinthinæ drach. 24. olei heminam s. aquę cyathos 6. Conficito.

Alid candidum ab Hera descriptum. Ceræ albæ Pont. lib. 2. lithargyri chrysitidis lib. j. cerussæ tantundem: myrrhæ, medullæ ceruinæ, singul. unc. 2. thuris insectĩ unc. j. olei ueteris sextarium unum. Lithargyrus oleo incoquitur: ubi uerò sordium crassitudinem acquisierit, cera, mox cerussa, aspergitur, moueturq;. Vbi unita fuerint, nec iam polluant, ab igne extractis medulla inijcitur. Postquàm refrixerit medicamentum, myrrha & thus alijs miscetur. Deinde emollitũ, subactumq; manibus, ad usum seruatur. Etenim rabidorum morsibus auxiliatur, tum uulneri impositum, tum mole auellanæ nucis, cataporij instar exhibitum, quadraginta diebus. Ad hæc, abrasa, suggillata, & ulcera quæ difficulter admittunt cicatricem, persanat: ad aliaq; pleraq; est utile. Ego tamen propinare pharmacum hoc contra canis rabidi morsus, nunquam fui ausus: quum haberem aliud, nempe ex cancris confectum medicamentum, ad sanandos illos maximè efficax. Iis enim remedijs ipse uti semper conatus sum, quæ licet nonnunquam præsidij quod allatura essent, dubiam spem promitterent, neutiquam tamen obesse possent. Porrò Heras cum heminam scribit, sextarij Romani dimidium indicare uidetur, continentis uncias uiginti, quas cornibus maiori ex parte metiuntur, incisis extrinsecus lineis quibusdam orbicularibus. In uniuersum aũt, nisi metallica medicamenta plenius coquant, emplastrũ ex eis constans adeò friabile edetur, ut adhærere cuti absque deligatura non possit. At coquuntur

*Candidũ Heræ*

*Morsui rabidi canis auxiliari medicamen ex cancris cõfectũ.*

*Sextarium Romanum cõtinere uncias 20.*

*Metallica plenius coquenda esse, ut adhæreãt.*

largius, dum maiorem liquidorum menſuram in miſtura continent. Quod uerò ad adipis differentias pertinet, in omni animantium genere iuuenilia perfectis humidiorem, minusq; calidum adipem poſsident.

*Candidum Mnaſæ.*

Album quod ad Mnaſęum refertur, ad diuturna & difficilia conferens. Lithargyri, ceruſſæ, ſingulorũ drach. centũ: cerę drach. 50. terebinthinæ, thúris, ſing. drach. 25. aluminis fiſsilis drach. 12. olei heminas 2. Nec uerò differre putetis, ſi drachmas centũ alicubi ſcriptas loco unius libræ inueniatis. Libra ſiquidem drachmas ſex habet ad nonaginta. Selibra, octo & quadraginta. Sic & huius rurſus dimidium, uigintiquatuor.

*Libram conſtare drach. 96.*

*Dyſepulotica ulcera quæ dicantur.*

Porrò quæ ulcera ex humorum confluxu, uel multorum, uel acrium oriuntur, ita tamen ut locus affectus huiuſcemodi in ſe diſpoſitionem non habeat, qua influentem humorẽ, quamuis bonũ, corrumpat: ea dyſepulotica, hoc eſt, ægrè peruenientia ad cicatricem appello. At quæ dictam diſpoſitionẽ ſortiuntur, ſingulari uocabulo cacoëthe, hoc eſt, malignantis naturæ uocantur. Quibus ſanè omnibus illa medicamenta conueniunt, quæ abſq; roſione & morſu deficcent: quæq; præterquàm quòd non erodant, aut manifeſtò aſtringant, detergere etiam poſsint. Siquidem plurima eius generis ulcera, ceu ab exeſione malignorum humorũ ſint caua reddita, impleri poſtulant. Atqui omnia quæ carnẽ gignunt medicamenta, detergendi facultatem ſortiuntur. Multa etiam alia ſiccã poſsident uim, ulceribus id genus curandis cũmodam. Eorum tamẽ meminiſſe impræſentiarum oportet, *quę aut tueri cõfecti emplaſtri candorem poſsint, aut non uſqueadeo uitiare. Talia autem ſunt, cadmia, pompholyx, calx, oſtrea combuſta, purpura, buccina, & ſepiæ pars oſſea. Parũ officiet colori, & æris ſquama: & exuſta chalcitide, id quod cinereum eſt, aut ſubalbidum. At uerò dictorũ quodq;, ſi lauetur, totam roſionẽ amittet: quẽadmodũ tum cera, quæ medicamini cõficiendo admiſcebitur, tum reſina. Cęterùm ut cera Tyrrhenica uel Pontica eſt ad candidi emplaſtri præparationem præſtantior: ſic reſina, tum quę larix, tum quæ terebinthina appellatur, ad ulcera malignantia magis conducunt. Sed thuris aliqua portio etiam indenda eſt, ut ulcerum malignorũ ipſa diſpoſitio coquatur, & ad ſuppurationem perueniat. Iam uerò ad prætumida ulcera, ex aceto & marina curioſè læuigari debent metallica. In quibus autem acre & mordax eſt quod in ulcera fertur, ex aqua potius maceranda ſingula ſunt: quẽadmodũ magis ex uino, ubi copioſus humor ulceribus influens apparet. Vbi igitur lithargyri ceruſſæq;, utriuſq; libram unam cum tribus olei, & ſelibra aquæ ſimul & accuratè coxeris, reſinæ terebinthinæ, aut eius quę larix dicitur, ternas uncias iniicito: ceræ autem duplum ſufficit: nam thuris ſat erit ſi unciam & ſemiſſem poſt ceram & reſinã indideris. Deinde metallicorũ tres uncias addes, quas drachmæ quatuor & uiginti cõſtituunt. Imponees autem duorũ, trium, plurium, atq; omniũ quæ numeraui: ita ut ſi omnia habeas, æquam ſingulorum portionẽ iniicias, cadmiæ nempe, pompholygis, buccinarum cineris, uel oſtreorum, & æris ſquamę, ſingulorũ denarios ſeptem, qui tres uncias abſoluũt. Quòd ſi calcem lotã immiſceas, ſingulorum drachmæ quinæ ponentur. Si uſtam chalcitidem, ſingulorum drachmæ quaternæ: ſic ut ex omnibus in unum coëuntibus, tres tantùm unciæ conſlentur.

*Vlceribus dyſepuloticis atque malignis, qualia medicamenta conueniant.*

*Cera Tyrrhenica.*

*Metallica abluendi modi diuerſi.*

*Vnciã conſtare octo drachmis.*

Candidum emplaſtrum Damocratis, ad abraſa, ambuſta, & ulcera ſumma in cute ſuborta.

*Candidum Democratis.*

Ceruſſæ lib. j. lithargyri, trypheræ, ſing. unc. 16. ceræ Ponticę unc. 5. terebinthinæ puriſsimæ unc. j. thuris mannæ, uel thuris unc. 5. olei candidi lib. j. aquæ ſextarius. Cõficiatur ut decet. Porrò in iis qui molli ſunt carne, in ſenibusq;, aut iis qui malo ſunt præditi corporis habitu, aluminis licebit etiam quatuor uncias miſcere.

## GALENI PERGAMENI DE *compoſitione medicamentorũ ſecundum genera, lib. II.*

VT igitur ſi quando perdiderimus librũ, cui inſcriptæ inſint medicaminum conſuetorum compoſitiones, ſimilia reficere amiſſis ualeamus, neceſſariũ in primis eſt, nos uniuerſalem quandam uiæ formulam didiciſſe, qua propoſitum inueniamus: dein uerò ſecundum hanc in multis particularibus exerceri, ſcientes abſq; tali exercitio nullum poſſe rectè opus abſolui. Proponatur itaq; nobis cauum ulcus curandum. Etenim docti ab ipſa ratione, cauorum ulcerum curationem ſubminiſtrari ſuccreſcente alia carne loco deperditæ, ex ea uidelicet quæ ſubiecta eſt: cogitamus fieri hoc non poſſe, ſi in ulcere ſordes, aut copioſa humiditas ſubſit. Verùm ſordes medicamina detergentia auferunt: humorem, exiccantia diſcutiũt. Quocirca neceſſum eſt huiuſmodi pharmacorum materias cognoſcere, idq; non ſimpliciter ſecundum genus eorum facultates conſiderantes, ſed inuenientes etiam quo ordine, quóue gradu, aut exceſſu, ſingula ſuas uires ſortiant. Fingamus ergo nobis ad manum tantùm adeſſe ceram, æruginemq;, quibus cauũ ulcus replcamus. Quum enim compertum habeamus, ceram quidem ſolam, ulceris ſordes minimè prohibituram eſſe, ut quæ nec detergere, nec exiccare poſsit: æruginem autem per ſe adhibitam, excitaturam tum roſionem, tum phlegmonẽ: uniq; horum utrunq; uitabimus, mediũ autẽ ex ambobus cõſtituemus, ut imbecillius ærugine, ſic cera ualẽtius. Quia uerò paulo hæc interuallo relinquitur, ab eo quod cõmodè adminiſtrari poſsit, ærugo autẽ magno id ipſum excedit, ob id ſanè multæ cerę modicam æruginẽ admiſcebimus. At quantã quantę miſcere oporteat, certè ante experientiã exactè quidem nemo inuenire poterit: conijcere autem poterit, iudicareq;, & ita conficere pharmacum, ut primò nullum infelicem ſucceſſum ſit habiturũ: quemadmodum aliquando ego in quodam uico confeci, cum ceræ fuſæ ex oleo rhodino libra unica, unciam unam æruginis temperans. Cæterùm ualida corpora ualidiora medicamenta ſuſtinent: quę uerò imbecilliora exiſtũt, hoc eſt, humido & molli habitu prędita, haud item talia perferunt. Dura itaq; corpora ex copioſiori ærugine cerato admiſta, recipiunt carnem: mollia ex pauciori. Quare ipſa experientia docebit, quatenus uel augere, uel remittere, uel tueri pharmaci facultatẽ expediat. Sunt nanq; omnia medicamenta ei optima, qui affe-

*Caui ulceris generalis curatio.*

*Ceram per ſe non cõgruere ulceribus ſordidis.*

*Aerugo per ſe adhibita, roſionem & phlegmonẽ excitat.*

*Corpora ualida, ualidiora medicamẽta perferre poſſe.*

*Medicamenta omnia ei eſſe optima, qui affectus quibus exhibentur, cognoſcit.*

affectus quibus singula offeruntur, cognoscit.

*Viride medicamen Galli.*

Viride medicamen Galli, ad glutinanda maiora uulnera potentissimum, ab Andromacho scriptum. Resinæ strobilinæ drach. ccc. ceræ drach. c. æruginis rasæ drach. L. thuris drach. xxv. Aceti quod sit satis. Hæc Andromachus. Cæterùm quum strobilina resina aliarum omnium longè calidissima sit: ambabus autem qualitatibus moderatissima, quæ terebinthina uocatur: certè multò satius uidetur hanc omnibus medicamentis, quæ rectè curabunt ulcera, permiscere: quandoquidē primus, præcipuusq; in eis scopus est, ut id quod offertur, non mordicet. Cōmendanda est autē ipsius thuris cōmistio, quòd emplastri consistentiā adiuuet, dolorē simul leniens & cōcoquens. Quare si in ea cōpositione æqua ipsius portio coniuncta ærugini esset, tenacius & mitius ipsum redderetur medicamentum: æruginis tamen exiccantem facultatem exolueret, quæ ulceribus ægrè admittentibus curationem desideratur. Meminisse autem oportet, fortium medicamentorum ex aceto diebus plurib. contritorū, morsum & acrimoniā obtundi, uires augeri. Eadē ratio est in metallicis medicamentis combustis. Hæc tamen ex ignis cōmercio nonnihil mordax siue erodens perseruāt: quod elota deponunt, ac lenia prorsus redduntur. Proposito itaq; emplastro, si ex rosaceo liquefacto utaris, proderit sordidis, humidisq; ulceribus. Pura uerò erodit: ac proinde miscendū ei est ceratum liquidum ex cera & resina confectum, uel ex rosacco, uel oleo liquatum. Est autem olei nomen unum, qualitas & facultas diuersa. Quippe omphacinū frigidius est: ex maturis oleis pressum, calidius. Temporis autem progressu, calfaciendi uim auget. Sic etiam quod salem habet, quantùm ex illo sumpserit, tantò calidius est: magisq; siccat, quàm quod ipsius est expers. Iam quod surculos oleæ continet, uehementius astringit. Indicabit autem quod utilius est, & ulceris forma, & corporis ægri natura. Vlcus siquidem cōtrarijs remedijs curabitur: corpus ulceratum, similibus. Rosaceum uerò præstantissimum esse nosti, quod solis rosis pluribus, oleo citra salem præparato, plenius maceratis confectum est. Quæ omnia si quis memoriter teneat, nec oblitus sit uirium medicamentorum simplicium, is & uaria emplastra uiridia componet, & compositorū singulis quamrectissimè utetur. Porrò durioribus corporib. magis exiccātia medicamenta exhibēda sunt: minus aūt, mollioribus. Ad hæc intendemus exiccantis medicamenti uim, ubi opus esse uideatur, admisto melle: remittemus autem & mitigabimus, ex oleo, & cerato, uel oleoso quopiam. Igitur cauum ulcus in sano corpore, uiridi emplastro, quod ex ærugine, cera & resina conficitur, liquato ex rosacco, curabitur. In cuius medicamenti compositione, equidem ceræ & resinæ soleo portiones pares miscere: æruginis aūt duodecimā, uel decimā, uel octauam, nimirum pro ulcerum corporumq; diuersitate. Atq; erit sanè duodecima, si ceræ pondo, & resinæ tantūdem, æruginis uncias duas temperemus, decimaq; & octaua ad portionem.

*Terebinthinæ prærogatiua.* *Thuris facultas.* *Fortium medicamentorum ex aceto tritorum, morsum quidē obtundi, uires autem augeri.* *Elota acrimoniam amittere.* *Olei differentia.* *Vlcus esse curandum contrarijs, ulceratum corpus similibus.* *Rosacei optimi præparatio.* *Exiccantium uim intendi per mellis miscellā, remitti aūt oleo aut cerato.* *Viridis medicaminis optima temperatura.*

*Viride Hecatondrachmō dictū.*

Viride Hecatondrachmon dictum, quod centum drachmas medicamentorum recipiat, ad magna uulnera glutinanda, & purgāda sordida, maximè utile. Ammoniaci drach. viij. squamæ drach. xij. mannæ drach. viij. resinæ siccæ drach. xij. æruginis drach. viij. seui uitulini drach. xiiij. resinæ terebinthinæ drach. viij. ceræ drach. xxx. olei quartam cyathi partem, aceti quantū satis esse uideatur. Conficito.

Viride Epigoni, ad carnem gignendam efficax.

*Viride Epigoni.*

Aeris squamæ, æruginis, guttæ ammoniaci, aristolochiæ, thuris, sing. unc. j. Aloës, myrrhæ, chalbani, sing. unc. s. Aluminis rotundi drach. vj. resinæ colophoniæ drach. cc. ceræ drach. c. olei heminæ dimidium. Misceto.

Viride Pasionis ad extrahendū & digerendum utile.

*Viride Pasionis.*

Resinæ colophoniæ drach. ccc. ceræ drach. cl. æruginis drach. viij. aluminis rot. tantundē: squamæ æris drach. xij. thuris drach. xvj. æris combusti drach. viij. Salis Ammoniaci tantundem. Olei dimidium cyathi: aceti quod satis esse uideatur. Conficito.

*Viride Lite dictum.*

Viride Lite appellatum. Resinæ lib. xij. ceræ lib. viij. æruginis rasæ *lib. ij. Seui uitulini lib. ij. aceti lib. 50. Ego autem mannæ libram inijcio. Liquet igitur acetum cum duabus æruginis libris, & una ipsius mannæ, læuigandum esse, ac dein liquida ipsis miscenda. Hoc medicamentum emollit, concoquitq;, adipis atque mannæ ratione.

*Viridia cōficiendi ratio.*

Porrò ad efficienda uiridia medicamenta, æruginem non modicam immittere oportet, ut cætera in suum colorem permutet. Quare quæ pertinaciter proprium colorem tuentur, ea simplicia ab hac miscella abigenda sunt. Sed neque inter coquendum est inijcienda ipsa ærugo: uerum ubi in mortario unitas facta est, tunc miscenda.

*Vlcerum curandorum uniuersalia consilia.*

Consilia igitur curandorum ulcerum sunt, sordidis adhibere abstergentia medicamenta: profluentibus exiccantia: atque id quod in fluxu est, repellentia. At si copiosum & contumax sit quod fluit, fluoris causa prius est amputanda. Constat autem, inflammatorum ulcerum prius esse sanandam phlegmonem: carnem intemperatam, reducendam esse ad temperiem: cui sanè quatuor modis simplicibus, totidemq; compositis, per contrarias qualitates succurritur.

*Vlceris inflammati curatio.*

*Sinus implendi ratio.*

Porrò ubi sinum implere proponimus, medicamentum Isis uocatum, aut Machærionis emplastrum liquatum ex copiosiori oleo, per foratū cornu infundendum est: ad quod etiam pyulcis utimur. Est autem ipso medicamento tunc meraciori utendum, quum sinus oppletus est sordibus: ut soluto ex oleo largiori, dum magis purus existit. Cæterùm si paruæ adhuc phlegmones sinum infestantis suspicio adsit, medicamentum ex rosaceo liquabitur. Pari modo & medicamentum siccum, quod ex charta combusta constat, rosacco copiosiori diluentes, ipsi sinui infundimus. Quemadmodum uerò sinus liquidioribus pharmacis indigent: ita quæ superficiem corporis cauis ulcera infestant, crassius medicamentum postulant. Meritò igitur in id genus uitijs, ceratum ualidè abstergentibus admiscemus: in sinibus oleum, uel rosacei plurimum. At uerò medicamenta quæ ex salibus constant, ubi animus est carnem gignere, offerenda non sunt. Sal quippe magis astringit quàm purget: siccat uerò nihilo minus quàm nitrum ac aphronitrum.

*Sinus liquidiora pharmaca postulant.* *Salis facultas.*

### Melina emplastra.

*Melinorum atque viridiũ discrimen.*

Quemadmodum uiridium emplastrorum plurima, propter æruginem præpollentẽ talia fiont, ita quoq; melinorum nonnulla. Sed uiridia ærugi nem incoctam habent: melina oerò coctam, sed mediocriter.

*Melinum Andromachi.*

Andromachus igitur cõplura melina scripsit, ad glotinanda ulcera, carnem gignendam, inducendamq; cicatricem idonea: quale est qood subdam. Lithargyri drach. ciiij. olei hemioam quidem æstate, hyeme autem tres cyathos: ceræ drac. xlviij. colophoniæ tantundem: ammooiaci thymiamatis drach. xxiiij. æruginis rasæ, chalbani, myrrhæ, sing. drach. viij. Conficito. Aliud simplex. Lithargyri drach. c. axungiæ drach. lxxv. olei oeteris tantundem. Misce. Cõuenit enim carne molli præditis, digeritq;.

*Melinum Heraclidis.*

Aliud Heraclidis, interiores abscessus sine dolore discutiens. Lithargyri, cerussæ, sing. drach. c. ceræ drach. lxxx. resioę aridæ drac. lx. ammoniaci thymiamatis drach. L. chalbani drach. xvj. olei oeteris heminas ij.

### Melinom Menæti.

*Melinũ Menæti*

Lithargyri lib. iiij. olei lib. iij. terebinthinę lib. ij. cerę lib. j. æruginis, thuris, chalbani, sing. vnc. iiij. ammoniaci thymiamatis vnc. vj. Conficito.

### Melinum Serapionis, ad oulnera, & ad resoloendum.

*Melinum Serapionis.*

Lithargyri drach. c. ammoniaci thymiamatis drac. xxviij. ceræ drac. lvj. æruginis Cypriæ drac. ix. myrrhæ drach. j. colophoniæ drach. lvj. chalbani drach. viij. olei heminam s. Quòd si æstas sit, quartam partem heminæ. Adoerte autem, myrrham non sustinere coctionem: quam nec thus, nec aloë ferunt.

*Coctionem non sustinet myrrha nec thus, nec aloë.*

*Hygieni emplastrũ multi vsus.*

Hygieni emplastrũ ad multa: quo ad ulcera uix cicatricem ducentia nollum melius extat. Lithargyri chrysitidis minam: ceræ tantundem: chamæleontis nigri radicis drach. xxxvj. æruginis rasæ drach. xviij. chrysocollę drach. xl. olei ueteris hemioas iij. Cooficito. Pręparatur optimè argenti spuma, si intrita uioo Falerno sub æstu Caniculæ, dein assiccetur.

*Lithargyri præparandi ratio.*

*Emplastrum ex chamæleonte.*

Emplastrum ex chamęleonte, quod cicatricem ulceribus difficillimis, callosis, & inoeteratis inducit. Lithargyri minam j. ceræ mioas vj. æruginis minas iiij. chamæleontis minas viij. olei minam unam. Conficito ot decet.

### De ruffis emplastris.

*Ruffa emplastra fieri per longam coctionem æruginis.*

Quemadmodum propter crudam quidem æroginem fiont uiridia emplastra: propter mediocriter autem coctam, melina: sic ruffa euadũt, ubi liberalius ea coquitur. Manifestum igitur est, melina ruffaq; oleum copiosius, qoàm uiridia, recipere.

*Ruffum emplastrum Galeni.*

Ruffum porrò, quo semper mea industra parato utor, in hunc modum coqoitur. Argenti spumæ cũ oleo prius coctæ, metallica ex aceto læuigata immitto, & sic coquo, donec amplius manus non polluat. Impono itaq; olei oetustioris libras quatuor, argenteæ spumæ lib. iij. aceti quàm acerrimi lib. ij. Horom trium metallicorum, squamæ æris oigri, æruginis, chalcitidis, sing. vnc. ij. Cæterùm hyeme plus olei quàm per ęstatẽ miscendum est. Ac sanè hoc medicamen cruenta oulnera glutinat, magisq; in duris corporibus: curatuq; difficillima ulcera concoquit. In summa uerò, solum hoc sinus glutinat, astringit fistulas, exiccat, & prorsus claudit. Ipsum tamen iuuat spongia recens ueteri uino respersa. Deligatura in sinibus ab imo fiat, uersus ulceris osculum.

*Deligatura qualis sit adhibẽda sinibus.*

### De ijs quæ cicatricem obducunt.

*Cicatricem obducentia.*

Qoantò autem glutinãtia sarcoticis magis dicuntur siccare, tantò glutinantibus epulotica, siue cicatricem facientia. Ea tamen ex aliquo astringẽti oleo (cuiusmodi rosaceum, aut myrteum est) solent admioistrari. Porrò inter ea quæ apud omnes magnificè cõmendantur, ioducendæ cicatrici prę́stantissimom est quod ex cadmia, quodq; ex ladano constat.

### Emplastrom ex cadmia.

*Epuloticum ex cadmia.*

Cadmiæ ustæ, & ex uino præparatæ, chalcitidis tostæ, sing. drach. lxxx. picis colophoniacæ vnc. viij. uini Phalerni quod satis est. Conficito ut decet.

### Aliod etiam ex cadmia.

Cadmię tostę, chalcitidis tostæ, diphrygis, sing. drach. xvj. ceræ, resinæ frictę, olei myrtei, sing. selibram: uini Italici quod sit satis.

### Aliud ex cadmia.

Argenti spumæ, cerussæ, cadmię, diphrygis, resinæ, siog. drach. viij. chalcitidis drach. ij. ceræ, drach. viij. myrtei olei, & uini Aminæi quod satis esse uideatur.

### Emplastrum ex ladano.

*Emplastrum ex Ladano.*

Chalcitidis, argenti spumæ, ladani, singulorũ drach. xxiiii. bituminis drach. viij. ceræ vnc. ix. myrti heminam, oioi tantundem.

### Emplastrum Pyricauton dictum.

*Emplastrum pyricauton.*

Olei heminam, aluminis fissi, mannę, thuris, argenti spomæ, chalbani, singulorum drach. L. ceræ drach. xxiiij. anchusę drach. viij. medullæ ceruinæ, adipis suillæ, æruginis, cerussæ, sing. drach. ij. ouorum trium lotea. Conficiatur ut decet.

*Medicamen Magne dictum.*

Medicamen Magne dictum, ac uerè magnũ cõtra ulcera quæ difficulter cicatricem admittunt: quod ex rosaceo dilutum, etiam sedis affectus sanat. Argenti spomę drach. c. ceræ drach. L. Cerussæ drach. c. terebinthioę drach. xxv. thuris tantundem: aluminis fissi drachmas xij. olei heminas duas. Conficito.

*Emplastrũ Thelamonis.*

Aliud Thelamonis, accommodatum carbonculis, sinosq; exiccans. Pityinæ, cerę, calcis uiuæ, lithargyri, siog. drach. L. cerussæ drach. xxv. olei tres cyathos.

*Emplastrum Moschionis.*

Aliud Moschionis onicè cõferens ad amouendum ulceris callum, sanandosq; sedis affectus. Argenti spumæ, cerussę, calcis uiuę, sing. drac. viij. medullę ceruinæ, ceræ, utriusq; drac. xvj. olei myrtei quantum sit satis.

### Epuloticum medicamen Andromachi.

*Emplastrum Andromachi.*

Cadmiæ lib. j. chalcitidis ustæ, ceræ, sing. tantundem: resinæ aridæ lib. iij. myrtei tantundem. Vinum siccis immiscetur.

### Aliud eiusdem candidum epuloticum.

Argenti spumæ mioam j. cerussæ tantundem: ceræ, resinæ, sing. minas iiij. olei heminas iij. aquę heminam.

### Candidum Telephanis.

*Candidum Telephanis.*

Argenti spumę drach. lxxx. cerussę drach. cxx. myrrhæ drach. iij. obo. ij. Sagapeni drach. v. thuris drach. vj. obo. iiij. olei hemioas ij. s. Omnia simul coquito.

Aliud ad herpetas, carbunculos, cõdylomata, &

& rhagadaa maximè ualena:quod etiã phlegmonas arcet. Adipis ſuilli drach. lxxxviij. ceræ candidæ drach.xlviij. ceruſſæ drach.xij.argenti ſpumæ tantundem. Conficito.

*Cephalica pharmaca vnde dicta, & qua facultate prædita*

At uerò nonnulla emplaſtra cephalica, & catagmatica nominant, potiſsimũ à caluariæ fracturis, quibus ſolent opitulari. Sunt autem talia, abſtergendi, digerendi, & ſiccandi poteſtate prædita. Pleriq; tamẽ paululum ex aſtringentibus pharmacis admiſcent: ut id quod affectis partibus influit, repellatur, & abſtergentium facultas in altum uſq; deſcendat. Cæterùm niſi aſtringentia cõterantur in tenuiſsimum pollinem, magis obſunt, quàm proſint, iſta quæ trahendi uim obtinẽt.

Catagmaticum optimum ab Aſclepiade traditum, ad confirmanda fracta oſſa.

*Catagmaticum Aſclepiadis.*

Argenti ſpumæ, bituminis, ſing. drach. cc. picis aridæ, ceræ, ſing. drach. c. terebinthinæ drach. L. aluminis ſciſsilis, propoleos, ſing. drach. xxx. ammoniaci thymiamatis drac. xxiiij. æruginis drac. x. olei ſextarios quatuor.

*Catagmaticum Moſchionis.*

Moſchionis catagmaticum ad fracturas, contuſiones, atque recentia uulnera, alioſq; affectus complures celebre. Argenti ſpumæ minam j. picis tantundem: ſeui uitulini tantundem. Terebinthinæ drach. octoginta: mannæ thuris tantundẽ: ceræ drach. xl. æruginis, opopanacis, chalbani, ſing. drach. viij. olei cicini, aceti, liquoris ſycamini, ſing. heminam: picis liquidæ heminæ dimidium. Conficiatur ut decet. Pro mina in præſentiarum intelligo vncias uiginti: quarum ſingulæ pendent octo denarios. Sic itaque continebit mina, centum ſexaginta denarios.

*Mina continet vncias xx.*
*Vncia conſtat viij denarijs.*

Propriè autem dicuntur emplaſtra cephalica, ea quibus Medici in ijs capitis fracturis, quæ ad diploën penetrarunt, utuntur, ad extrahenda ex alto, ſuperficiem uerſus, non oſſa modò, ſed his multò magis humores craſſos & uiſcidos, intus deliteſcentes. Quare acrimoniam quandam ſortiantur oportet. Itaq; catagmatica cephalica generoſiora exiſtunt: quæ quidem miſta cerato, carnem poſſunt producere. Quocirca ſarcoticis quodammodo ſunt ſimilia.

*Cephalica ad quæ Medici vtãtur.*

Cephalicum optimum ad capitis fracturas ab Hera deſcriptum.

*Cephalicum Heræ.*

Squamæ æris drach. xxv. aluminis, ariſtolochię longæ, ſing. drach. xx. ammoniaci thymiamatis, thuris, ſing. drach. xxv. myrrhę drach. xij. ſeui taurini, terebinthinę, pityinę, ſing. lib. iiij. olei heminam. aceti quantum ſit ſatis. Conficito.

Aliud eiuſdem, arcẽs phlegmonẽ, maximeq; ad fracturas, & puncturas neruorum conducens.

Argenti ſpumę drac. xxv. bituminis aridi drac. c. picis aridę drach. L. cerę drach. L. reſinę pityinę drach. xxv. ammoniaci thymiamatis, æruginis, aluminis ſiſsi, propoleos, ſing. drach. xv. olei ueteris lib. iij. Conficito.

Andromachi catagmaticum.

*Catagmaticum Andromachi.*

Argenti ſpumæ, picis, cerę, ſeui taurini, thuris, ſing. minam: picis liquidę, heminę dimidium: liquoris ſycamini heminam: terebinthinę minam: opoponacis, chalbani, æruginis, ſing. drach. viij. ricini heminam. Ammoniaci thymiamatis drac. xxv. Ex uino auſtero diluitur.

De emplaſtris glutinantibus.

Quidam hęc ἔναιμα & τραυματικὰ nominant: eſtq; opus eorũ coniungere, & diuiſas partes conglutinare, reducereq; ad priſtinam integritatem. Sunt autem ſarcoticis ipſa glutinatoria ſicciora. Ad hęc, ſarcotica quidem detergendi uim, ſed abſque roſione poſſident. Glutinantia autem, tantùm deſiccantia eſſe debent. Cæterùm cicatricem inducentia medicamenta, præterquàm quòd aſtringunt, ſicciora etiã ſunt glutinãtibus. Etenim glutinantiũ eſt finis, nullã inter coitura ſubnaſci humiditatẽ permittere: cicatricẽ uerò inducentiũ, non modò hanc prohibere, ſed conſiſtentẽ etiã in ijs quę cicatricẽ ſunt receptura, cõſumere: pręterea callo obducere, & aſtringẽdo obdurare. At ſarcotica ſanguinẽ ad refectionem idoneum tam quantitate, quàm qualitate tuentur. Iam quòd nullius ſit mordicationis particeps medicamẽ, purum ulcus conſeruat, ſi quidem tale illud acceperit. Porrò molliora humidioraq; corpora, imbecillioribus medicamentis indigẽt: ut uehementioribus, quę prorſus contraria exiſtunt.

*Glutinantium medicamentum vſus.*
*Sarcoticorũ facultas.*
*Epuloticorum opus.*
*Molliora corpora imbecillioribus medicamentis indigent.*

Glutinatorium ab Andromacho ſcriptum, nomine Barbarum.

*Glutinatorium Andromachi, Barbarum nomine.*

Picis, reſinæ, bituminis, ſing. drach. cc. thuris drach. xxiiij. olei heminam. Conficito.

Aliud eiuſdem.

Picis lib. ij. bituminis, cerę, ſing. lib. j. Ammoniaci thymiamatis, mannæ, ſing. vnc. vj. ceruſſæ vnc. iij. olei heminæ dimidium: aceti heminas iiij.

Aliud enæmon Iuliani.

*Enæmon Iuliani.*

Argenti ſpumæ, bituminis, ceræ, picis brutiæ, ſingul. drach. L. reſinæ frictæ drach. xv. æris ſquamæ drach. xij. thuris drach. xiiij. chalbani drach. viij. chalcitidis drach. iiij. aloës drach. vj. gallæ drach. iiij. myrrhæ tantundem: ariſtolochiæ longæ drach. vj. ariſtolochiæ rot. drach. iiij. olei ueteris heminas. iiij.

Nigrum enæmon ab Hera conſcriptum.

*Enæmon nigrũ ab Hera.*

Ceræ, picis, bituminis, pityinæ, ſing. lib. j. mannæ vnc. vj. ceruſſę vnc. iiij. chalcanthi tantundẽ: opopanacis vnc. ij. olei ſeminam: aceti heminas duas. Conficito ut decet. Valet ad diuiſiones notatu dignas, maximè capitis: ad fiſtulas, ſinus, fracturaſq;. Cohibet mirificè ſanguinem erumpentem. Canum hominumq; morſibus auxiliatur: ac prorſus phlegmonem arcet.

## GALENI PERGAMENI DE *compoſitione medicamentorũ ſecundum genera, lib. tertius.*

*Putreſcentiũ curatio per quæ fieri debeat medicamenta.*

QVandoquidem quæ putreſcũt omnia, ex humiditate & calore id patiuntur: certè in uulneribus obnoxija putredini, curationẽ per ſiccantia & refrigerantia moliendam eſſe, ſemper mecum exiſtimaui. Rurſum apud me contemplatus, frigidum neruis ab Hippocrate inimicum dici: optimum fore medicamen neruorum uulneribus intellexi, quod & ſiccaret, & medium eſſet inter ea quæ calfaciũt & refrigerant: uel quod parum ad calfacientium latus ab ipſo medio recederet. Poſſe etiam calidum abundè eſſe pharmacum, modò ſiccandi facultate polleret. Quippe calor citra humiditatem humectare nõ poteſt. Cæterùm ubi nudatis neruis medemur, tunc prædictam auxiliorum integram indicationem aſſumi ratio eſt. Vbi uerò punctis, ita ut partes interiacentes ſint

*Nudati nerui quam medendi rationem requirant.*
*Puncti nerui qualia medicamẽta poſtulent.*

ſanæ,tenuius pharmacum inueniēdum eſt, cuius uirtus interiacentes particulas permeando non diſſoluatur, ſed in altum penetret. Hoc autem facere poterit pharmacum uehementer exiccans. Quod quidem, etiamſi non ſit in calore & frigore ſymmetrum, offendere neruum læſum non poterit: quum facultas calfaciendi aut refrigerandi (quæ illi ineſt) admodum imbecillior reddatur, dum particulas neruoſo corpori præpoſitas permeat.

*Aceti facultas.*

Porrò inter omnia quæ refrigerādi uim habent, tenuiorum partium acetum eſt quamacerrimū: quod etiam caloris modici eſt particeps.

*Succorum calfacientium differentia.*

Inter calfacientes autē liquores, qui partium tenuitate ſint præditi, primæ tribuuntur partes Cyrenæo ſucco. Cæterùm ſi eius facultas non detur, utemur Medico, uel ſagapeno uocato, uel euphorbio. Panacis etiam, & tithymalorum liquores, & opobalſamū, tenuandi facultatem ſortiuntur.

*Terreſtria, partium tenuitate prædita.*

Ex terreſtribus etiam nitri ſpuma, aphronitrum, beroniceū nitrum, petra aſia, eiusq́ flos, partiū tenuitate inſigniunt. Ex metallicis auripigmentū, & ſulfur, tū ſubtilia, tū calida ſunt. Quibus ſuccedit miſy, æris ſquama, & chalcitis, parum ſimul aſtringentia. Citra calorē uerò manifeſtū tenuis eſſentiæ metallica ſunt, ſpodium, pompholyx, & pſoricum. Subtilis abundè eſt & chryſocolla. Ex ſuccis, laurinus ualenter calfacit, ac præterea tenuandi uim poſsidet. Nihil autem minus eo cedrinus calfacit: calore tamen qui ſenſibus ſubijcitur, propter ſubſtantiæ tenuitatē, illi cedit. Eiuſdem generis cum cedrino eſt lixiuia, quam ſtacten uocant. *Quę quidem ſi ex tenuiorū patium materia uſta fiat, cedrinū oleum uirtute ſuperat. Iam ex cerealibus, ſubtiliſsimus eſt eruus, ſine inſigni calfaciendi ui: lolium uerò, cum inſigni. Hordeum nequaquam calfacit. Mediam inter ea materiā obtinent, qualitatibus amara: ut quę multum tenuibus ſubſtantia cedant, & craſsi nihil poſsideāt. Igitur medicamentorum materiæ non ſemel aut bis, ſed frequenter ſunt explorandæ:

*Senſibilium rerum cognitio, inſpectione ſedula confirmatur.*

quandoquidem ſenſibilium rerū cognitio, inſpectione ſedula cōfirmatur. Cuius rei indicium euidentiſsimum eſt, quòd gemelli per omnia ſimiles eſſe nobis uiſi, differētes appareāt ijs, qui nō per tranſennā, atq; obiter, ſed accuratè inſpicere eos conſueuerunt. Itaq; herbarum, fruticum, arborumq́; materiam, prius quàm è terra eximantur, cōtemplari pulcherrimum eſt, dum fructus uidelicet futuri ſunt, dum æduntur, dum augeſcunt, dum uigent. Ex hac nanq; ſpeculatione aſſequêris, quando excerpendi ſint, in ſiccisq́; domunculis reponendi.

*Medicamenta reponendi ratio*

Etenim commodè reponuntur in locis nec ſubterraneis, nec ſub tegulis conſtitutis: ſed medijs, atq; oſtia ad meridiē cōuerſa habētibus: prope quæ tamē reponi medicamēta nō debent. Amicos aūt omnes adhortor,

*Galenus ex omni regione curabat ſibi adferri omnigena medicamenta.*

ſi artis opera pulchrè obire uoluerint, ut me imitentur, qui ex omni natione quotannis præſtantiſsima medicamenta ut mihi adferantur curo, eò quòd perdiri illi omnigenarum rerum coëmptores, illa indies adulterio cōtaminant. Cōuenit pręterea medicum, non modò affectionis, quam ſingula medicamenta inducunt, qualitatem, ſed etiā ipſius (ut ita dixerim) quantitatem coniecturare. Quippe quod humore copioſo eſt auctum, non ſimpliciter humectari poſtulat, ſed opus eſt ut ſiccitatis quantitas, copiæ humiditatis reſpondeat.

*Neruoſarū partium doloribus quid medeatur.*

Porrò neruoſarū partiū doloribus à frigore obortis, unicè opitulatur emplaſtrum ex euphorbio, oleo, & liquata cera confectū:

*Putreſcentium circa articulos partiū curatio.*

ad computreſcentes autem circa articulos partes, confert cataplaſma ex hordei farina & ſtillatitio lixiuio paratum. Perfuudendæ aūt liberaliter partes circumiacentes ſunt oleo calente: poſtea uerò, ubi lana ſicca, totus mador fuerit exhauſtus, humido cerato, & cui euphorbiū admiſtū ſit, illinendæ. Porrò ſecunda die, pro hordeacea farina, miſcere eruinā cōſueui: atq; ubi iam totū quod cōputruit exemptum ſit, paulatim primò quidem ad carnem giguēria, dein ad obducētia cicatricē trāſire.

*Nerui uulnerati curatio.*

Quando aūt mihi neruus aliquis uulneratus occurrit, interim per liquida pharmaca curationē molior, interim per emplaſtra: lanā extrinſecus quammolliſsimā, imbutamq́; oleo calente, applicans. Quòd ſi medicamentum ex aceto uſurpem, aceti modicum oleo admiſcens, bis térue quotidie ſoluo, & oleo calente foueo. Si noctes longę fuerint, etiam in his ſoluere conſueui: idq́; magis, dum ulcus à medicamentis eroditur. Oleum autem quo fouebimus, ſatis calens eſto: uerùm ita, ne uulneratam partem offendat. Nam ut frigidū huiuſcemodi affectibus aduerſiſsimum eſt,

*Tepidum oleum caſsi neruis non congruit.*

ſic tepens non omnino utile. Nam quemadmodum aqua ipſa, quatenus calet, aut friget, maximè contraria facere nata eſt, ita quoq; oleū. Frigidum ſiquidem corpori admotum, perſpiratum ipſius obſtruit, & prohibet: calidum uerū digerit, extenuatq́;.

*Aquæ uſum uulneratis eſſe neruis inimiciſsimū*

Porrò ab aquæ uſu in tota curatione ita tēpero, ut ne attingat quidem ulcus. Proinde, quū ſanguis initio ſtatim à uulnerata parte abſtergendus eſt, ex oleo id facere expedit. Iam uerò acetum, ſi quando ipſo ad affectos neruos utamur, in ſe nihil uinoſum contineat. Oleum autem omni aſtrictione uacet, ſitq́; omni ex parte tenuiſsimum: quale Sabinum exiſtit. Memini autē me, quum alia remedia deeſſent, neruorū uulnera propoli recenti curaſſe, interdum etiam antiquiori fermento: quæ ambo aliquando commiſcui.

*Euphorbiū ad punctos tendines facere.*

Vetus etiam euphorbiū oleo læuigans, inſtarq́; cataplaſmatis adhibēs, aliàs tendinem punctum ſanaui: id quod, euphorbio recenti adhibito, neutiquam ſucceſsiſſet, quum calorē magnum, mordicationemq́;, atq; dolorem excitet. Eorum tamē euphorbium eſt, quæ calorem caducum, atq; ſtatim euaneſcentem ſortiuntur.

*Euphorbij uim cito euaneſcere.*

*Cęterùm alijs multis pharmacis accidit, ut pauculis annis eorum uis reſoluatur: id quod, poſt thapſiam, nullo minus euphorbio contingit.

*Thapſiā bimulā expirare prorſus.*

Quippe thapſia bimula expirat penitus, quū euphorbij uires ad ſextum uſq; annum ſeruari poſsint. Porrò ubi pharmacū conſiſtentia ſimile acópis dictis unctionibus habere uolueris, oleum ſit quadruplum cerę. Vbi uerò emplaſtri ſpeciem referet, parem ceræ portionem oleo expedit temperare, maximè ſi ſicca & uetuſta fuerit: ac tum ſanè ipſi ceræ ſic temperatę, poteris ſextam partem euphorbij recentis adijcere: ita ut illius ſex drachmæ, cerę ſex, atq; item olei ſex miſceantur. Licebit etiam reſinę aut picis aliquid emplaſtro ipſi adijcere, ut glutinoſius euadat: tunc tamen minus infundendum eſt olei.

*Reſinarum differentia.*

Ac reſinarum quidem omnium ſicciſsima eſt, quam alij phryctam, alij colophoniam appellant. Huic ſuccedit quæ ex figulinis impura ſumitur: quam ſi purges,

purges, in phryctem mutabitur. His ambabus sic cior est, quæ dicitur pityinon physema. Ego tamẽ ad rem propositam phryctę utor, & liquidis. Harum rursus nonnullæ diutius liquidæ permanẽt, quemadmodum terebinthina: aliç citò inarescũt, ut strobilina: media utriusq; est abietina. Quinetiã facultate calidior est quidem strobilina, mox uerò abietina, deinde terebinthina. Poteris autem medicamẽ quod euphorbiũ receperit, experiri in tuo crure, uel brachio: atq; ita ex affectu quem inferet, aut remittere ipsum, aut eius uires intendere: remittere quidẽ, mistura cerati: intendere uerò, apposito euphorbio. Quòd si propolim pinguem habueris, eam omnibus resinis aptiorem fore tibi intelligito: ut quæ uaporosam spiritus crassitiem, humoresq; superfluos eliciendi, atq; ex alto foras extrahendi, à natura uim habeat: quæ facultas ueteri etiam fermẽto inest. Iam uerò ad uulneratos neruos nonnunquã sum usus sulfure uiuo, sicuti & arsenico, & sandaracha, & calce tum uiua, tum extincta, lotaq; & illota: singulis nimirum horũ per se cum tetrapharmaco temperatis. Porrò Empirici ex casu unum aliquod simplex medicamentum utile ad proposita inuenerunt: at rationalis methodus plurima simul inuenit, & uarias ipsorum compositiones. Etenim quæ ex alto humores educere, digerereq; possunt, neruorũ uulneribus sunt ex usu. Quandoquidem uerò nonnulla horum qualitates habẽt immoderatas, alia eis immiscenda sunt, quæ ipsorũ excessus, illæsa facultate, retundant. At rectè hoc fieri nequit, nisi cuiusque medicamenti non modò qualitatis genus, sed ipsius etiã qualitatis gradum, quantitatẽmue cognoscas. Quocirca Empirici, quòd ignorẽt naturam simpliciũ, homogenia tantùm, atque similia commiscent: quemadmodum alij pleriq; quòd excessus quantitatem nõ assequantur. In uniuersum autẽ, pharmaca liquidiora minus molesta sunt, cùm alijs, tum uel maxime neruorũ uulneribus. Cauendum tamen perpetuò est, ne aquis læsa particula respergatur. Verùm qui pulchrè neruorũ uulneribus prospecturus est, etiam particularum naturæ sit peritus oportet. Est autem curatio communis, sicuti & periculum par, tum in contusis ac uulneratis neruis, tum in sic affectis tendonibus. Porrò in uulneribus iuxta se moris longitudinem factis, deligatura uulnerati musculi partibus inuicẽ cõtrahendis sufficit. Per transuersum uulneri accepto, nihil deligatura cõtulerit, sed sola sutura totũ opus absoluit. Has igitur nisi quis altas faciat, musculi partes permanebunt inglutinatæ. Consuendæ etiam sunt membranæ ipsæ cum musculis quibus cohærent. At tendines, membranarum instar extensos, & dilatatos, non mediocri cum periculo consues. Ligamenta autem quomodocunq; afficiantur, ab omni sunt remota periculo: utpote insensilia existentia, & ex ossibus, non ex musculis, ut tendines, orta: neque ex cerebro aut spinali medulla, ut nerui. Igitur medicinæ partes mutuam opem requirunt, tum quę manu, tum quę medicamentis, tum quę uictu medetur: maximeq; illa quę manu curat, reliquis duabus indiget. Porrò punctiones neruorum angustam cutis diuisionem habentes, non eodem curantur medicamento, quod nudato neruo auxiliatur: sicuti neque id quod puncturis medetur,

*Propolis uires.*

*Fermenti facultas.*

*Neruis uulneratis conferre, quæ humores ex alto educere, ac digerere possunt.*

*Empirici cur simulia tantùm medicamenta commisceant.*

*Aquam neruis læsis esse inimicam.*

*Tendinum atq; neruorum affectus æquè periculosos esse, eandemq; medendi rationem desiderare.*

*Femoris uulnera glutinãdi ratio.*

*Tendines non absque periculo consui.*

*Ligamentorum affectus cur periculo uacent.*

*Medicinæ partes mutuã opem desiderant.*

*Punctiones neruorum angustæ non iisdem medicamẽtis curãtur, quibus nerui nudati.*

neruo nudo est ex usu. Quippe multò calidiua est magisq; mordet, quàm ut nudus neruus ipsum perferre possit. Præcipuè autem danda opera est, ut oræ angustiorum punctuum apertę sint, quò calidum medicamen admotum extrinsecus, per eas uapores eliciat, attrahens humiditatem circa affectum locum intus delitescentem. Quamobrẽ orificium duabus in cute sectionibus ad rectos angulos diuidere oportet.

*Punctionum angusta ora quomodo dilatãda.*

Confectiones medicamentorum ad neruorum uulnera.

Ex metallicis astringentia uitanda sunt, præsertim ubi nerui sunt puncti. Detergẽtia autem conferunt: quæ tamen sub ęstiuo sole, ex acerrimo, ue tustissimo, substantiaq; tenuissimo aceto læuigare oportet, quò felicius crassitudo partium, qua omnia metallica prędita sunt, auferatur. Quantò autem longiori tempore attrita fuerint, hòc tenuiorem consequentur substantiã: eruntq; aptiora angustis uulneribus: quemadmodum in neruis carne nudatis, admodum tenuia, exedentiaq; cauẽda sunt: quibus sanè pastilli Andronis, Polyidę, & Pasionis congruunt, ex sapa, quam Siræum uocẽt, appliciti. Ad punctos autem neruos equidem cõpositis medicamentis omnibus illud præstantius semper esse usu ipso comperi, cui copiosa æris squama inesset: dein chalcitis cõbusta, postea misy. Porrò ubi neruus qui nudus erat, ab imposito medicamento iam rectus fuerit linamentis extrinsecus, unũ aliquod ex ijs quæ ad angusta con ueniunt uulnera, superponendũ est: aliudq; eiusdem materiæ toti affectæ particulæ circundandum, ita ut sanas quoque partes, præsertim superpositas, plurimum comprehendat. Quum autem permagna differentia humanorum corporum sit, ob idq; unicum medicamẽtum omnibus cõuenire nõ possit, duo semper in promptu habeto: alterum nempe ualentius, sed ex similibus genere confectum: alterum mitius & blandius: quæ inuicem temperans, dum postulabit usus, pro ua rietate misturę, permulta alia media inter ipsa constitues. Esto igitur ualentissimum metallicum tale: Chalcitidis crudæ partẽ j. misyos crudi partes ij. ęris squamę partes tres. Mitissimũ hęc recipiat: Misyos, chalcitidis, utriusq; cõbusti partẽ j. squamę partes quatuor. Mediũ sit tale: Misyos, chalcitidos, æruginis, cuiusq; usti partem unam: æris squamæ partes tres. Præterea ceræ in ualentissimo duplum: *in mitissimo duplum, atq; ipsius dupli dimidium misceatur: at in medio, duplum, ac ipsius dupli quartã partem miscere oportet. Quum igitur ualidissimum ex sex partibus constet, duodecim illi ceræ partes miscebis. Imbecillimum autem, quandoquidẽ ex senis etiam constabat, octodecim (quod duplum, ac dupli dimidium est) recipiet. Mediocri uerò dimidiũ harum partium omnium indes. Atqui octodecim & duodecim, triginta partes constituũt: cuius numeri dimidium continet quindecim partes. Tot igitur mediocri medicamento adijcientur ceræ portiones (id quod erat duplum, & dupli paes quarta) siue eæ drachmæ sint, siue unciæ, siue etiam libræ. Porrò mensura qua Romani metiuntur oleum, est cornea, discretaq; circularib. lineis, totam ipsam diuidentibus in duodecim partes. Atque integra quidem mensura ab eia appellatur libra: ut eius duodeci-

*Neruis uulneratis qualia medicamenta cõgruant.*

*Medicamenta duo, eiusdẽ quidem generis, sed facultatib. differentia, ad uulneratos neruos cur in promptu habere semper oporteat.*

*Mensura olei qua olim apud Romanos cornea.*

ma portio, uncia. Iam uerò prædictis pharmacis omnibus, iuxta ceræ portionẽ, addatur oleũ essentiæ tenuioris, minimeq; astringens, quod quidem ceram ipsam dimidio superet: ita ut octo illius uncijs, duodecim olei misceantur. Quinetiam ubi metallica pluribus diebus in mortario trita ex aceto fuerint, commodè illis thus candidissimum atq; pingue miscetur. Cuius quantitas mediç omnium portioni sit par: quam licebit tibi augere aut minuere, prout uolueris efficere medicamentum mitius, aut acrius. Ceræ etiam oleo liquatæ, poteris aliquã resinã ex prędictis inijcere: sciens acrius futurũ pharmacũ, strobilina iniecta: mitius, terebinthina: mediũ utriusq;, abietina. Ex harum genere quoq; est larix, cæterùm prędictis humidior, liquidæ piceæ substantia similis. Miscebis igitur ceræ, sextam unius dictarum resinarum partem, si uis ut medicamentum emplastri formam retineat. Chalbani uerò æquale thuri pondus indes, ubi mitissimum reddere statuis: dum ualentius, dimidium: quando ipsorum medium, id quod inter ęquale & dimidiũ est. Inest porrò chalbano, ut emollientibus omnibus, etiã putrificũ quid: quare nudatis neruis non usqueadeo conuenit. At si nudus neruus nõ sit, haud mediocriter permistio ipsius ad dolorem leniendũ confert. Omnia quippe metallica exasperant, doloremq; excitant: ut ex humidis etiam, acetum. Quare dolori ab his excitato, plurimum auxiliatur fotus ex oleo & chalbano mistis administratus. Nihil autem minus chalbano dolorẽ lenit adeps tenuitate substantiæ præditus: qualis à feris, & agrestibus animalibus sumitur. Nam animalium quæ conclusa in urbibus degunt, adeps est & humidior, & crassior. Ex his igitur quæ leniant dolorem, habere aliquod medicamẽ expedit, quod ex metallicis composito possis interdum miscere.

*Resinarum differentia.*

*Emollientibus omnibus inesse putrificũ quid. Chalbanũ punctis neruis cõducit.*

*Metallica omnia dolorem excitant.*

*Adeps tenuium partium, lenit dolorem.*

De medicamentis ex euphorbio confectis.

Verus euphorbiũ recẽtiori longè est inferius. Si igit̃ anniculũ sit, etiã Cyrenço succo, quẽ nunc habemus, & cuius irrigatione stirpes augẽt, & succulẽtas reddũt, magis excalfacit. Porrò colore quidẽ uetus recẽti flauidius pallidiusq; apparet: substantia, durius & siccius. Conficit̃ aũt ex recẽti euphorbio calfaciẽs medicamentũ in hũc modũ. Euphorbij vnc. j. ceræ vnc. iij. olei vnc. xij. quo smegmate intrepidè uti ad puncturas poteris, dum uereris ne oscula ipsa * conniueant. Quòd si imbecillius fuerit euphorbium ipsum, augenda eius mensura est, pro imbecillitatis ratione. Cæterùm confectura ceram euphorbij triplicatam continens, aliarum est ualentissima, quum illud recens miscetur: quincuplam autem recipiens, inualidissima. At quadruplã capiens, medio inter utrasq; gradu cõsistit. Quòd si unguenta proponas facere, qualia ἄκοπα nuncupantur, oleum cerę quadruplum immiscebis: si uerò, ut in fracturis, liquidumceratũ parare, duplũ. At emplaston medicamen cupiens conficere, oleum pari mensura ceræ immisceatur, si quidem ambiens fuerit calore temperatus. Sin autem ille frigidus sit, cera autem uetus & arida, paulò ampliori misceri debet. Vt autem tenacius hæreat, terebinthinam, aut colophoniam, soleo emplastro adijcere. Pix etiam, cerati consistentiam tuetur. Multò autem præstiterit medicamentum, si resinæ, picisq; loco, propolim ceræ parem adiunxeris. Quę si pinguitudine careat, cupimusq; ut adhæreat pharmacũ, terebinthinam, uel laricem, uel syncomistem pineam, uel resinas sua sponte fluentes, miscebimus.

*Euphorbium uetus recẽtiori esse inferius.*

*Medicamen ex euphorbio ad neruorum punctiones commodum.*

*Medicaminum uarias consistẽtias parandi ratio.*

Medicamen confectum ex liquabilibus.

Ex aceto citra ignẽ liquescit ammoniacũ thymiama, sagapenum, & opopanax. Igni uerò soluuntur, propolis, cera, resina, & consimilia. quæ in duplici uase liquare est melius: nempe quum in cacabo aquam calidam continente, incumbenteq; prunis, alterum uas consistit, præter liquabilia etiam chalbanũ continẽs. Valentissimũ igitur ad uulneratos neruos medicamentum sit huiusmodi. Opopanacem ex aceto dissolutum diutius conterito. Postea liquefacta illi super igne, propolim, chalbanum, & resinam terebinthinam misceto. Singulorũ itaq; aliorum pars una esto, propoleos recentis pinguisq;, sex. Qua si careas, eius loco picem pinguẽ indes, qualis est brutia. Quòd si hæc non adsit, utẽris terebinthina. Ego nõnunquam uel solum medicamentum ex pingui pice cõfectum imposui, quo etiam ad canum morsus utimur. Id autem recipit, picis lib. j. opopanacis vnc. iij. aceti, in quo illa coquuntur, sextariũ Romanum. Etenim puncturæ oras cõniuere non sinit. Sic tamẽ cõposito, in duris tantũ utemur corporib. Nã in mollioribus, ex aliquo molliori, sed digerente, unguento uel oleo liquandũ est. Quòd si loco opopanacis, sagapeno prius in pila trito ex aceto, liquefactã resinã, propolim, & adipem quandam acriorem adijcias, eiusdẽ generis medicamen habebis. Mollius tamẽ est quod ex resinis, propoli, seuis, ac cera colliquatis, absq; aceto, conficitur. Cęterùm quod indetur seuum, sit acre: quale est quod ab agrestibus animalib. sumit̃, quodq; uetustum existit. Porrò ex medullis, ceruina, uitulinaq; antecellunt.

*Liquandi medicamenta in duplici uase, ratio.*

*Medicamen ex pice, utile ad canis rabidi morsus.*

De pharmaco ex columbarum stercore confecto.

Columbarum turricolarũ stercus acre est: quo interim ruri sum usus in adolescẽte, nerui uulnere affecto. Cuius sanè tum compositio, tum usus, idẽ est, qui medicamini ex euphorbio inest: alijs quidem eodem modo se habentibus, sed euphorbij loco, stercore indito.

*Medicamen ex columbino stercore.*

De medicamento ex herbis confecto.

Ex herbis etiam tenuium partium, amaritudinem absq; astrictione, aut acorem modicum, referentibus gustu, haud inidoneum ad uulneratos neruos confici medicamẽ potest. Tales enim sunt dictamnum, amaracum, aristolochia, polium, argemone, chamæpitys, centaurium, atq; id genus aliæ: quemadmodum etiam radices omnium aristolochiarũ, dracunculi, cucumeris agrestis, bryoniæ, altheæ, iridis, acori, mei, asari, phu, gentianę, & panacis: quę omnes, perinde ut collyria arida, læuigari in tenuissimum pollinem debent. Nam quod crassa est substantia, neruis uulneratis conducit nihil. Læuigatum autem medicamen, alio quod cerati modũ habeat, est excipiẽdum: idq; ea tẽperatura, quæ in euphorbio prius indicata est.

*Medicamen ex herbis confectum.*

De sumptuosis pharmacorũ compositionibus, uulneratis neruis congruentibus.

Iis autem qui odoratis & preciosis oblectant̃ medicamentis, in hunc modum illa soleo conficere, Cinnamomi, dictamni, mari, singulorum drach.

*Medicamina sumptuosa uulneratis neruis cõgruentia.*

drach. xl. amaraci pauxillum. Hæc redacta in tenuissimũ pollinem, cum cerato ex opobalsamo optimo, & cera Tyrrhenica facto, confundo. Debent autem ceræ partes octo, opobalsami decem, in id ceratũ coire. Adiicio etiam partem unã terebinthinæ odoratæ, ut medicamen non sit friabile, sed sibi mutuò cohæreat. Sed ex eodẽ cerato, & liquore Cyrenaico, similiter aliud medicamẽ compono, mistura pro portione euphorbio facta: tertiumq́ aliud ex utrisq́ temperatis conflatũ: quartum deinde, quod in se myrrhã stacten recipit. In quibus autem neruus est nudus, ibi ceratũ ex cera quę uocatur myrepsice, & unguentis apud Romanos foliatis & spicatis dictis, compono, duodecimam partem pompholygis ei admiscens. Licet autem ex Tyrrhenica cera id conficere: quã solam nihil etiam prohibet ex nardo optima liquefacere, idq́ in duplici uase: quod in omnibus unguentis sit cõmune pręceptum. At raso cerato, spicæ nardi, amomi, folij malabathri, & elotæ pompholygis, pares singulorum portiones miscebis. Etenim in puncturis, acriora pharmaca ex usu sunt, quæ uulnus apertũ conseruent. Denudatis autem, mediocri astrictione, cum digerendi uirtute absq́ morsu, prædita offerre conuenit. At amomum, astrictionis cuiusdam est particeps. Magis autem ipso nardi spica, & malabathri folium.

*Vnguenta omnia liquãda esse in duplici uasa.*

*Punctis nerui, quàm nudi, acriora pharmaca postulant.*

Quæ alij scripserint ad sananda neruorum uulnera.

Quidam nostræ ætatis Medicus utebatur medicamento, similiter meis confecto, ex metallicis. Recipiebat enim ceræ unc. vi. olei unc. ix. misyos drach. vi. chalcitidis drach. j. squamæ æris unc. ij. s. thuris unc. j. s. chalbani unc. j. Cera & chalbanũ liquata, metallicis acero intritis superfunduntur. Porrò si neruorum uulnera non comitetur phlegmone, molliora humidioraq́ statim à principio fuut potiora medicamentis durioribus, ac ficcioribus: præstatq́ liquata ipsa in digerente quopiã, uel mitigatorio medicamine administrare. Voco digerenna quidem, uetus oleum, & ricininum, & sicyonium: mitigatoris autem, rosaceum, chamæmelinũ, & quod ex althea cõficitur. His fortiora, eoq́ durioribus corporibus magis idonea sunt, quod ex cucumeris agrestis radice oleo decocta exprimitur: & quod ex iride, bryonia, & aro paratur. His ualentius est, ex dracunculo, aristolochia, & panace factũ. Nos frequenter usi oleo sumus ex abietis semine, populiq́ flore confecto.

*Digerẽtia quæ. Mitigatoria.*

Claudij Philoxeni Aegyptia, neruorum uitijs, alijsq́ congruens affectibus.

*Aegyptia Claudij Philoxeni.*

Argenti spumæ, cerę, sing. drach. lx. ammoniaci thymiamatis drach. lxxx. propoleos drach. xl. resinæ siccæ, terebinthinæ, squamæ æris, thuris, sing. drach. xviij. lanæ succidæ exustę, squamæ stomomatis, sing. drach. viij. opopanacis drach. iiij. ricini heminas tres. Conficito artificiosè.

Fuscum Andromachi, contra puncturas.

Ammoniaci, cerę, terebinthinę, æris combusti, sing. drach. viij. picis aridæ drach. xl. lithargyri drac. iiij. aloës Indicę, aristolochiæ, chalbani, sing. drach. ij. æruginis drach. j. thuris drach. ij. olei hyeme quartam heminę partem, æstate octauam: aceti tres cyathos, quibus ammoniacum dissoluatur. Conficito.

## GALENI PERGAMENI DE compositione medicamentorũ secundum genera, lib. IIII.

Qvandoquidem ex dysepuloticis quædam, saniei humorumq́ ulceratis partibus influentium uitio, ægrè cicatricem admittunt: quædam ipsa affecta sede influentem succum quamlibet probum corrumpente, secunda ratione ulcera dysepulotica & cacoëthe propriè nominant: in quibus interim totam partem affectam excindere, uel adurere nonnulli coguntur, aut medicamentis crustam inducentibus, aut igne utentes. Quum autem ampla utrinque latitudo sit, in eo quòd alterum altero magis dysepuloticum malignumq́ est, tot sanè desiderãtur auxiliantia pharmaca, quot fuerint ipsorum ulcerum differentiæ. Quare duo ut minimum, quæ idem polliceantur, eandemq́ facultatem ostendant, differant tamen maximi minimiq́ ratione, in promptu adesse illi conuenit, qui omnia id genus ulcera constituerit curare. Cæterùm ubi nullus uitiosus succus ulceratas partes infestat, tale requiritur pharmacũ, quod influentẽ quidem humorẽ repellat, infixum autẽ parti, discutiat. Atq́ hæc sanè uires contrariæ præstant. Siquidem influxũ reprimunt astringentia: impacta digerũt, quę trahendi potestate sunt prædita. Porrò quæ astringũt, maiori ex parte exasperãt, atq́ hac occasione molesta sunt. Trahentia uerò ac digerentia ex alto humores, nõ citra acrimoniam id faciunt. Ac acrimoniã dolor aliquis necessariò sequitur, mordens ulceratam particulam: unde influentes humores irritari cõtingit, ac proinde in ulcere phlegmonem excitari. Ex quibus liquet, medicamẽta dysepuloticis malignisq́ ulceribus cõgrua, esse quamdifficillima inuentu. Inuenienda tamen aliqua eorum materia est, qua ulcus citra dolorem siccescat: quod accuratè fieri nulla ratione licet, ignorante medico, quem effectum admotum medicamen ostenderit. Quippe ex erodente simul & astringente, ualidũ conficitur pharmacum. Cæterùm sordes humorq́ ulceri incumbens, pharmaci rosionem exoluunt. Itaq́ perpendendum est, quantũ primus usus humiditatis ac sordium in ulcere deficcauerit: atque ita secundùm, tertiumq́ uti illo debemus, donec siccum & purum ulcus ipsum appareat. Vbi uerò id tale conspexeris, ad aliud medicamentũ te conferes, eiusdem quidem speciei, sed priore imbecillius. Scire autem oportet, medicamenta ipsa non alia ratione mederi ulceribus, quàm quòd in exulcerata particula eam siccitatem inducant, quam sortiebatur quum se haberet secundum naturam: id quod factum intelligimus, ubi neq́ tenuis amplius sanies influit, nec pus producitur. Reuocanda igitur ad memoriam sunt ea quę citra morsum exiccant, cuiusmodi complura metallica existunt. Meminisse etiam oportet, combusta, & lota, acrimoniã, quam prius habebant, amittere: ac proinde ipsis utendum esse, in ijs qui molli carne sunt præditi, admodumq́ ad sentiendũ prompti, necnon cacochymi. Nam in alijs corporibus illita etiam usurpari licebit. Siccant igitur modicè, Lemnis sphragis, cadmiaq́, præsertim quæ spontè nascitur: quam sub æstiuo sole pluribus diebus ex aceto, aut uino giluo pellucidoq́ interẽa, exiccan

*Dysepuloticorũ differentia.*

*Vlceribus tot desiderari pharmaca, quot ipsorum sunt differentia.*

*Vlceratarum partium, quas non infestat uitiosus succus, curatio.*

*Dysepuloticis congruentia medicamenta, cur sint difficillima inuentu.*

*Vlceribus qua ratione medicamenta medeantur.*

*Vsta & lota medicamẽta, acrimoniam quam prius habebant amittere, & ob id ipsis utendũ esse in mollioribus & cacochymis corporibus.*

*Chalcitis crustas excitat.*

tiorem reddo. Chalcitis combusta, quàm cadmia, ualentius siccat. Per se autem, nec combusta, si administretur, crustas excitat. Lotam igitur ipsam, deinde siccatam habere est satius. Minus enim lota quàm combusta desiccat, tum longè mitior est, minusq; mordax. Persimile huic medicamentum est etiam ærugo combusta. Nam quæ ignem non est experta, fortissimũ medicamentũ est, sicut chalcitis. Verùm hæc nonnihil etiam astringit, & ea

*Chalcanthum.*

multò magis chalcanthum, quod inter metallica maximè siccat. Misy autẽ & sori chalcitidi sunt cognata: tenuius tamen misy apparet, minusq; mordax & urens: crassius sori, & utrisq; siccat imbecillius: quemadmodum & stimmi maiorem astringendi, siccandiq; uim, ac sori, possidet.

*Diphryges.*

Porrò diphryges ulceribus ægrè humoris uitio ad cicatricem uenientibus, aptissimũ medicamen existit: ualidè nanq; siccat, etsi sit mordax modicè. Ad hæc, præter acrem tum qualitatem, tum potentiã, uim astrictoriam possidet.

*Alumine solo cur nõ sit ad ulcera utendum.*

Iam omnes differentiæ aluminis, ulcera satis exiccant, generosè astringentes: quare nemo solis iis ad ulcera utatur. Igitur quæ plethora, uitiosoq; succo laborãt corpora, quæq; tenera carne prædita, & ad sentiendum maximè prompta sunt, facilè ex morsu, rosioneq; phlegmonem cõtrahunt: quare mitiora medicamenta desiderant:

*Siccantia citra rosionẽ quæ sint.*

cuiusmodi sunt, sarcocolla, ichthyocolla, chrysocolla, plumbum ustum, sori, stimmiq; similiter etiam combusta. Insuper plumbi scoria, probè siccat: quemadmodum ferri squama, quæ etiam abstergit, purgatq;: unde pura ulcera reddit, quod reliquæ squamę non possunt. Quare si hæc omnia medicamẽta arida ulceribus malignis contumacibusq; insperseris, mirificè uidebis citra rosionem ea desiccari: sicuti ubi buccinorum testas cõcrematas, purpurarum, ostreorum, aliorumq; id genus similiter adhibueris. Lapis etiam diaphanes, siue specularius dictus, leniter ac sine morsu exiccat. Eiusdem facultatis est uitrum ustum.

*Siccantia simul & astringẽtia.*

Quinetiam Aegyptiæ spinæ fructus, galla immatura, rheon, malicorium, siccandi & astringendi facultatem sortiuntur. Aristolochia etiam, iris, acorum, artemisia, panacis radix, argemone, chamæleontis nigri radix, cyperus, dracunculus, & gladiolus, affatim siccant. His euidentius adhuc centaurium & polium: quibus paulò imbecillior est terra eretrias dicta: uti ualentior, uocata ampelitis. Porrò ærugo ignem non experta, calx uiua & illota, & molle aphronitrum (quod reuera aphronitrum est) sola per se non admouentur ulceribus.

*Vlceribus cõtumacibus aduersari tum oleosa, tum acria.*

Nihil autem nobis in prędictis ulceribus tam euitandũ est, quàm tum oleosa & mollia medicamenta, cuiusmodi sunt omnes adipes, & quæ scirrhos emolliunt: tum acria, ut piper, zingiber, sinapi, & alia id genus.

## Medicamentis prædictis quomodo sit utendum.

*Vlcera quomodo sint tractanda.*

Vbi igitur siccum aliquod pharmacum ulceri imponere est animus, sordes prius sunt exprimendæ, molli, puro, atq; sicco linteolo. Medicamento iam indito, platysma ex emplastro labris attenuandis cõmodo, extrinsecus superdandum est. Huic rursus linamentum undiq; æquale foris iniiciendum: cui spongiam ex aqua aut uino tinctam applicabimus: quæ ut frigida maneat perpetuò, per assiduum frigidæ fotum curabimus. Porrò

*Deligatura ulcerib. qualis sit adhibenda, & quando soluenda.*

deligatura ipsa in ulcere inchoanda est, atque illinc ducenda uersus partes supernas: quam tertio quoq; die, non singulis, soluere expedit. Tunc autem si ambientes ulcus partes aliquid phlegmones referant, meo Phœnicino emplastro liquato ex oleo, cui plurimum uini astringentis permistum sit, externas platysmatis partes quamlatè imbuere expedit. * Verùm non ex obuio quouis oleo phœniciuũ liquare oportet. Sed si rubor quidem, atq; omnino caliditas dominetur in adiacentibus ulceri partibus, ex aliquo astringentiũ atq; refrigerantium id solues: cuiusmodi sunt myrteũ, melinum, & omphacinũ. Sin durities aliqua conspiciatur, oleo ueteri, uel riciuino liquandum est.

*Repellentia esse applicanda regioni suprapositæ ulceri.*

Tutius autem fuerit, uel si nihil in ambiente ulcus loco uitiosi appareat, superpositæ regioni ipsum medicamen apponere, ut repellat si quid prius uel prauũ, uel plus quàm par est, influat: maximè quũ in crure ulcus obortum, superpositam habet uaricem.

*Varices quãdo excidendæ sint.*

Quę dum sanguine melancholico turget, excidenda uenit: quãuis iuxta excisionem ipsius, ulcus malignũ & contumax interdũ oriri solet.

*Vlceris cui uarix incũbit, curatio.*

Igitur in id genus uitiis præstat, uiribus ægri consultis, à sectione uenæ auspicari: dein pharmaco purgare melancholicum succum, simulq; etiam pituitosum uacuare: quoniã is quoq; interdũ unà cum melancholico influit, dum uarices gignuntur. Postea uenam ulceri suprapositam in longum scarificare cõmodum est. Vbi abundè uacuaris, ei ipsi uenæ sectæ prius medendum. Postquàm exactè iam cicatricem uidetur recipere, tunc aggredere maligni ulceris curationem. Iam uerò lien nonnunq̃ malè affectus, uitiosi talis humoris est autor: sicuti & iecur: quibus ubi in primis consultum fuerit, sic tandem accedere ad curandum ulcus oportet. Pari modo si uniuersum corpus plethoricũ, cacochymúmue existat, id prius uacuare, expurgareq; expedit, quàm ulceri medicamentum admoueas. Cui quidem dum mederis, à ualentioribus abstersoriis pharmacis ad mitiora, lenioraq; digredere, si ulcus adamussim esse purum uideatur: quemadmodum in sordidis ad magis abstergentia transire cõuenit, nisi ex rosione medicamenti sint facta sordida.

*Sordes ab acri medicamẽto excitata, quomodo discernenda ab iis quas ulcus propria ratione produxit.*

Sæpe siquidem ab acri medicamento colliquata & soluta caro, in uitiosam saniem degenerat. Cæterùm cauitas ulceris maior, oraq; rubentiores, & calidiores effectæ cernuntur, quum ob medicamenti acrimoniam ipsę sordes acrescunt.

## Compositio emplastrorum.

Quandoquidem malignorũ & difficulter admittentium curationẽ ulcerum, summus scopus est, ut medicamentum citra morsum exiccet, aqua uerò & oleum maximè omnium humectant, ab eis abstinere oportet.

*Vlceribus contumacibus, cur oleum & aqua aduersentur.*

At cera deligenda est recens & pinguis: qua in sole emollita, aut apud ignem subacta, & in calidam aquam immersa, arida medicamenta prædicta excipimus. Mediocre autem medicamentum fiet, si quarta pars metallicorum ipsi ceræ adiiciatur: ualentius autem si tertia. Etenim quũ haud exiguo discrimine inuicẽ corpora differãt, unum omnibus medicamentum rectè præparari non potest.

*Vlceribus cõtumacibus pharmacum temperatum describitur.*

Erit ergo temperati pharmaci cõpositio huiusmodi. Vtriusq; æruginis, æris combusti, sing. drach. j. aluminis scissi drach. s. ceræ drach. x. Conficito. Minus autem mordebit, si loco aluminis integrã diphrygis drachmam adiicias.

adijcias. Quòd si expurgare fordes consilium sit, sic conficiemus. Aeris, æruginis ustæ, diphrygis, sing. drach. i. æris squamæ drach. s. ceræ pinguis drach. x. Misceto. Cæterùm si cera ipsa sit siccior, emollienda est aliquo astringente oleo, uel larice, uel terebinthina.

Ad chronia & difficilia ulcera medicamen ab Asclepiade proditum.

*Vlceribus difficilibus, pharmacũ Asclepiadis.*

Aeris squamæ vnc. j. æruginis rasæ tantundem: ceræ selibram: resinæ laricis vnc. s. Quæ liquari possunt, aridis affundũtur: quibus exceptis, ac curiosè emollitis, utitor. Cæterùm platysma exiguũ soli affectæ parti, ut ulcus tantùm comprehendat, imponito. Ambientes autem particulas pharmaco quod phlegmonẽ arceat, circundare oportet. Inter curandum tertio quoq; die soluere, dein fomentis mitigare, ipsumq; emplastrum quod platysma uocatur à latitudine, abluendo emollire, ac rursus imponere, donec cicatricem inducere incipiat. Ego certè Attico nonnunq̃ œsypo cerã temperaui. Meminisse autem oportet, qualitates omnium uicinorum corporum, mutuò in se agere, etiamsi alterum ipsorum multò ualidius sit. Vnde processu temporis quodãmodo euadunt similes. At ubi qualitas medicamẽti curando corpori specie similis fuerit, maior utilitas sequitur. Porrò diphryges, si uel solum inspergatur ulceribus quæ difficulter cicatricem admittunt, probè illis medetur: item & æs combustum. Aerugo autem exedit atq; mordet insigniter. Itidẽ calx ignem nõ experta, quũ insigniter mordicet, exigua portione alijs medicamentis à nõnullis miscetur. Extincta mediocre est pharmacum. Eloia prorsus lene, & mordacitatis expers.

*Vicinorum corporum qualitates in se agere mutuò.*

*Aeruginis facultas.*

*Calcis vires.*

Pharmacum ad mitiora ulcera cicatrice inducenda, ab Andromacho scriptũ.

Cadmiæ tostæ lib. j. chalcitidis ustæ tantundem: ceræ lib. iiij. resinæ aridæ lib. iij. myrtei lib. iiij. Vinum miscetur aridis. Quũ autem ad maligniora ulcera ualentioribus utendũ remedijs sit, ut imbecillioribus ad mediocria: aliud medicamentũ subdam, quo utor ad dysepulotica. Aeruginis, & squamæ, sing. vnc. j. ceræ vnc. viij. misceantur. Si igitur cauũ sit ulcus, indito medicamento repleatur. Post hoc rursus aliud platysma superaccommodabitur, quod & labra comprehendat. Huic deinde linteus frigida madens tantus undiq; obijcię, ut medicamentũ occultet. Postremò spongia mollis, fascia ex linteo excepta, uel semel, uel bis, affectam partem orbiculatim ambiente, tantę magnitudinis, quò totum ulcus cum labris, ac superpositorũ ipsis aliquid, subiectorũq;, cõplectatur.

*Vlcera maligniora, ualentioribus egẽt remedijs: imbecillioribus autem, mitiora.*

Deligatio autem ipsa à duobus initijs fiat. Vocant sic quoties tota pars media uinculi affecto loco incumbit: utrunque autem crus in oppositam regionẽ deducitur. Vbi hæc primo die peregeris altero aquam frigidam per spongiam irrigato. Si ambiens aër calidus & siccus fuerit, bis hoc terue in dies singulos est faciendum, ac deligatura tertio quoq; die soluenda: per hyemem, quarto. Affectus autem ipse indicabit, num fortius, uel mollius, uel simile sit imponendum pharmacum. Emollies ipsum paululo myrtini, aut rosacei, aut melini, aut lentiscini, aut mastichini, aut cyprini instillato. Validius reddes, aliquid squamæ, aut æruginis addens.

*Deligatio exulceratis particulis qualis molienda sit.*

Aliud ad obducenda dysepulotica aptissimum.

Chrysocollę, squamę, sing. drach. ij. cerę drach. vi. diphrygis drach. ij. lithargyri drach. viij. Confundito. Aduertendum autem est, mitia pharmaca mihi dici sarcocollam, chalcitidem ustam, æs, æruginemq; combustam, atq; chalcanthon: quæ ignem non experta, acria omnia sunt: combusta, moderata: lota post combustionem, lenia, rosionisq; expertia.

*Mitia medicamẽta quæ sint.*

Aliud mitissimum.

Eloti plumbi drach. ij. spodij, cadmiæ, diphrygis, sing. drach. iiij. terebinthinę qua excipiuntur drach. vi. Zeno addit chalbani drach. s. Etenim satius est modica portione misceri pharmaca id genus, quũ nimirum cõfestim sibi saxeam duritiem cõtrahant. Porrò in hisce omnibus, illa quę liquari possunt, liquefacta & refrigerata, abrasaq;, siccis diligenter redactis in pollinẽ, admisceto. Nam si liquida ipsis affundas, in grumos concrescent, maximè ubi inualuerit frigus. In sole autẽ feruenti si mistura fiat, licet ea superfundere, mouendo rudicula primùm, dein cochleario: pręstat tamen ad omnia hæc, ramusculus palmę.

Aliud ad desperata ulcera ex collectaneis Primionis.

Soreos drach. xxiiij. aluminis scissilis, malicorij, calcis uiuę, sing. drach. xvi. thuris drach. xxxij. gallæ omphacitidis tantundem: cerę drach. cxx. seui uitulini (aut eius loco, adipis porcini & uetusti) drach. lx. olei ueteris heminam. Conficito. Porrò sori, alumen, malicoriũ, galla, non digerendi facultate, sed astringendi eximia, sunt prædita. Etenim sub astringentiũ genere cõtinentur austera & acerba: sed illa quidẽ astringunt mediocriter, hæc aũt, hoc est, acerba, uehementer. Omnia igiť astringentia cõtrahunt, ac densant meatus, uinciũtq; & cõtinent partiũ sibi cohærentium substantiã: quo fit ut altius ipsorũ uirtus penetrare non possit, nisi ab alijs acribus, atq; subtiliũ partium ducantur: id quod ipsis calx in præscripto medicamẽto pręstat. At uerò induratis ulcerũ labris multò utilius medulla ceruina adhibetur: quę si non adsit, uitulina. Porrò inueteratũ oleum ab adipe suillo (quẽ oleo cõmuni liquatum institores pro oleo uendunt) ex odore & consistentia discernes. Vtrunq; tamẽ inueteratũ, rosionem quandã acquirit: quo nomine ad ulcera præter modum maligna conueniunt. Talia enim appello, in quibus aut pars affecta tam uitioso habitu est prædita, ut uel optimũ sanguinẽ, qui nutritionis gratia confluit, corrumpat: aut id quod influit, adeò peruersum existit, ut etiamsi pars rectè se habeat, ab ipso tamẽ solo erodatur. Igitur ut citra rationalem methodũ medicamenta componere, ita uim illorũ certò & accuratè cognoscere sine experientia nemo potest.

*Astringens esse genus cõmune austeri & acerbi.*

*Astringentium facultas.*

*Vlcera malignantis naturæ quæ sint.*

Epuloticum διὰ λαδάνου à Critone cõscriptum, quod prætumidis, durisq; & cauis ulceribus conuenit. Picis aridę drach. c. æruginis rasæ drach. xxiiij. æris combusti drachmas xv. squamę rubrę drach. xxiiij. ladani vnc. ix. argenti spumæ lib. iij. olei sextarium j. s. Etenim arida pix euidenter siccat. Calfacit autem modicè: ob idq; pus mouentibus medicamentis miscetur. At quum aliquid calidum, frigidum, humidum, aut siccum dicimus, cum optimo corporis temperamẽto id con-

*Epuloticũ Critonis ex ladano*

*Picis aridæ facultates.*

*Vlcus cauum et purũ, à quibus sanetur medicamentis.*

ferimus. Igitur çauum & purum ulcus, à mediocriter ſiccantibus medicamentis curatur: ſordidum uerò & malignum, & oris duris & prætumidis quidem, ſed carne iuxta cutem fluida, ualidiſsimè ſiccantia requirit. Verùm quæ metallica, ut ſiccent ſine ullo morſu, præparas, coquere diutius oportet. Sic ſiquidem magis ſiccant, ac minus erodunt. Porrò ladanũ ipſum ſolum ex uino tritũ, ulceribus ægrè ad cicatricẽ uenientibus auxiliatur.

*Metallica diutius cocta, magis ſiccãt, & minus rodunt.*

*Medicamẽ Critonis ex chamæleonte.*

*Lentiſcini olei facultas.*

Medicamen ex chamæleonte à Critone deſcriptum, inducens cicatricem periculoſis & calloſis ulceribus. Lithargyri drach. c. ceræ drac. L. æruginis drach. xxiiij. chamæleontis drach. xij. olei minam. Conficito. Ego tamen huiuſcemodi emplaſtris adijcere lentiſcinum cõſueui, quòd emolliat nõuihil, digerat, & aſtringat: quæ omnia, difficilia ulcera cum labris induratis, deſiderant.

Aliud Heraclidis Tarentini aduerſus ulcera uetera.

Squamæ drach. j. æruginis raſæ drach. iiij. excipiantur drachmis octo myrtei cerati. Miſce. Etenim metallicorũ facultas à quouis cerato reſoluit.

Aliud. Squamę tritæ acetum affundito, eamq́; ſub Caniculæ exortu læuigato uſq; ad craſsitudinem mellis: uel etiam incoquito. Poſtea exiccatæ, redactæq́; in puluerem, cerati partes octo miſceto. Valet aduerſus recentia uulnera, & ulcera inueterata. Licebit etiam ad ignem exiccare ipſam ſquamam, ſi alio tempore medicamen id conficiamus. Porrò ſubtiliora fiunt quæ ex aceto læuigantur: atq; ob id melius purgant, attenuant, & ſiccãt. Verùm ad cicatricem inducendam ſunt ex uino trita meliora.

*Subtiliora fieri quæ læuigãtur aceto: quæ ex uino, magis cicatricẽ obducere.*

Aliud Andromachi cicatricem ducens.

Oſsium uſtorum drach. ij. mannæ drach. j. cadmiæ obolos. iiij. trinis utitor.

Aliud eiuſdem, quo malignis cicatrix inducitur.

Piceæ corticis drac. vj. cornu ceruini uſti drac. iiij. cadmiæ drach. xviij. mannæ drach. iiij. æruginis raſæ drach. ij. ſiccis utitor.

Aliud ad excreſcẽtia ulcera cicatricem abſq; morſu ducens.

Sandarachæ, chryſocollæ, arſenici, ſingulorum partibus æquis confuſis, aridisq; utitor.

Ad ulcera quibus callus obduci non poteſt. Ex Archigene.

*Archigenis ad ulcera cõtumacia, remedia.*

Cõmuni quodam oleo expurgatis, uetuſtiſsimum cũ linamentis imponit. Aerugo raſa cerato roſaceo, quod paulũ reſinæ habeat, excepta, imponitur. Item ſquamæ æris rubri quamplurimũ cerato myrteo exceptum uſurpatur.

Eiuſdem ad putrida & nomas.

Sori craſsiuſculè tritum, inſperſumq́;, conducit. Vel ariſtolochiã rotundam, & gallam, æquali pondere ex oleo inungito. Vel cucumeris agreſtis radicem cum folijs illigatam, calido cinere recondito: quum autem emollierit, contritã imponito.

Eiuſdem ad cancroſa.

Cancri fluuiatilis uſti, & cadmiæ, pares portiones tritas inſpergito. Vel cinerem cancrorũ cum cerato imponito.

Eiuſdem ad calloſa.

Nitrum torrefactum & calcem uiuam cum lotio pueri impubis læuigata circumlinito. Conferunt etiam cauſtica medicamenta.

*Andreæ emplaſtrum faciẽs ad excreſcentia ulcera.*

Andreæ emplaſtrũ ab Aſclepiade ſcriptum, omnem excreſcentiam reprimens, atq; arcens inflammationem. Argenti ſpumæ lib. iij. ſquamę æris, chalcitidis, æruginis raſæ, ſing. vnc. vi. aceti heminam: olei ueteris lib. viij. Miſce.

Aſteris medicamen ad idem.

*Aſteris medicamen.*

Lithargyri lib. i. olei ueteris lib. ij. s. æruginis, chalcitidis, ſquamæ rubrę, ſing. vnc. i. aceti heminam. Conficito.

Iſis emplaſtrum rufum, ad fluida, diuturna & maligna ulcera.

*Iſis emplaſtrũ.*

Argenti ſpumæ drach. c. minij ſinopici drach. viij. diphrygis, ceræ, chalcitidis combuſtæ, ſing. vnc. i. chalcitidos crudæ drach. ij. olei heminas ij. Conficito ut decet.

Aliud Scribonij Largi, ad eadẽ accõmodatũ.

Ceræ drach. c. lithargyri drach. L. olei myrtei heminam j. miſyos combuſti, chalcitidis uſtæ, aluminis ſciſsi uſti, ceruſſæ, reſinę terebinthinæ, ſing. drach. xij. Conficito.

Aliud ex chamæleonte, ab Aſclepiade ſcriptum ad fluentia & ægrè curabilia ulcera. Lithargyri lib. i. olei ueteris lib. ij. chamæleontis radicis trientem: ariſtolochię tantundem: chalbani vnc. ij. gallæ vnc. ij. thuris tantundem. Conficito.

Aliud ab Aſclepiade ſcriptum ad ulcera quę uix curationem recipiunt.

Squamę æris, æruginis raſę, ſing. vnc. i. cerę ſelibram, reſinę laricis vnc. s. Conficito.

*Cephalicum oſſa corrupta educens.*

Decleontis cephalicon ab Aſclepiade ſcriptũ, à quo educunt oſſa corrupta. Aeris ſquamę, mannę thuris, reſinę ſiccę, ſing. drach. c. aceti heminas xij. Terito ſquamam ex aceto, & quum læuis facta fuerit, thus in pollinẽ redactũ adijcito, reſinamq́;: atq; paſtillos fingito: quorum aſsiccatorũ in umbra miſcens partem unam cum cerati ex roſaceo cõfecti pari portione, ipſa utitor. Aliud Hygieni ſcriptum ab Hera, utile ulceribus ægrè ad cicatricem uenientibus, necnon paronychijs. Lithargyri chryſitidis, cerę, ſing. minam j. chamæleontis nigri radicis drach. xxxvi. æruginis raſę drach. xviij. chryſocollę drach. xl. olei heminas iij. Conficito ut decet. Aliud egregium. Cerę, picis, bituminis, ſing. lib. i. mannę, æruginis, gallę, ſpinę Aegyptię, iridis Illyricę, ariſtolochię rotũdę, chalcanthi, ſingulorum vnc. iiij. ariſtolochię longę, æris combuſti, utriuſq; vnc. ij. Conficito. Aliud. Bituminis, aluminis liquidi, ſing. lib. i. picis, reſinę pityinę, ceræ, ſing. lib. ij. mâli terrę rotundi, gallę, ſpinę Aegyptię, ſing. vnc. viij. malicorij, ęris uſti, mannę, mali terrę longi, ſing. vnc. iiij. olei ricinini, aut ueteris, lib. ij. Cõficito pro dignitate. Aliud quo utor in molli carne prędítis. Cerę lib. i. roſacei tantundẽ, ceruſſę vnc. viij. ſalis ammoniaci vnc. iiij. ſquamę Cyprię vn. ij. thuris, calcis uiuę, aluminis, æruginis, malicorij, ſing. vnc. i. Cõficito diligẽter.

## *GALENI PERGAMENI DE compoſitione medicamentorũ ſecundum genera, lib. V.*

*Polychreſta pharmaca ex contrarijs conſtare.*

*Qualitates primæ & ſecundæ quæ dicantur.*

POlychreſta medicamenta, ſiue ad multos uſus utilia (de quibus agere in præſenti commentario eſt animus) ex contrarijs pharmacis conſtant, etiã iuxta qualitates ſecundas, nõ tantùm primas. Etenim primas appello, caliditatem, frigi-

frigiditatem, humiditatem, & ficcitatem: tum ex harum contugatione compofitas: fecundas autem, quæ has ipfas primas fequuntur.

*Panacia Hera.*

Ex ijs eft emplaftrum defcriptum ab Hera, boni coloris, epuloticum, glutinans, implens, ualensq; ad Chironia ulcera: cuius temperies eft talis. Ceræ lib. ij. phryctæ lib. iij. æruginis rafæ vnc. vj. mannæ vnc. iij. olei heminas v. aceti fextarium. Conficito.

Panacia Heræ, ad omnem malignitatem ulcerum mirè cōducens. Rumpit atq; diffoluit quicquid corruptum eft: omnem fanguinis eruptionē fupprimit: hæmorrhoidas ipfas confumit & tabefacit: omniq; ulceri impofita, quamuis agrefti, mitius ipfum ftatim reddit. Chamæpityos, chamæleontis, fymphyti, marrubij, fingulorū drachmas iiij. polij, centaurij tenuis, fingulorum drachmas vj. helenij, ariftolochiæ, fingulorū drach. iiij. thuris drach. xij. s. myrrhæ drach. iij. aloës drach. vj. chalbani drach. vj. obolum unum: olei drach. clxxx. mellis drach. xxx. propolis drach. xij. s. aluminis fcifsi, terebinthinæ, chalcitidis, fing. drach. vj. obo. s. bituminis, terræ ampelitidis, lithargyri, drach. L. gallæ & pulueris iridis fing. drach. iij. Conficito diligenter. Porrò marrubio uel folo uti etiam queas in ijs qui carnē abundè humidam & fordidam circa ulcus habent. Helenion uerò haud item conuenit folum infperfum: ficuti nec aliud quoduis acre. Nofti fiquidem acria irritare, mordere, calfacere, & fluorem concitare ad affectas particulas: amara uerò exiccare citra morfum atq; calorem: eoq; exulceratis conducere. Iam uerò thus concoquit, & pus mouet intemperatis naturis: nam in corporibus humidioribus carnem producit. Nullum autem eorum quæ concoquunt, ac pus mouent, ualenter digerens eft: ficuti neq; acre. Siquidem eiufmodi mediocriter excalfaciunt: emolliuntq; magis, quàm exiccēt. Oleum lenit, ac ualida pharmaca obtundit. Terra ampelitis tum ficcat, tum digerit. Chalbanum emollit, cōcoquit, lenit, atq; dolorē fedat: quas uires thus, licet imbecilliores, fortitur. Terebinthina detergit, difcutit, & quodammodo cōcoquit. Bitumen cum calore non admodum uehementi, etiam ficcat. Propolis attrahit. Mel ficcat, & digerit, putrefcentibusq; eft maximè congruens, ex ijs exiftens quæ minimè computrefcunt: quare compofita huiufmodi à putredine feruat, præterquàm extremè ad putrefcendum prompta, quæ humida funt & calida. Myrrha & aloē citra rofionem ficcant. Cæterùm aloē aftringit: myrrha tenuiorum eft partium, magisq; ficcat.

*Acriū facultas. Amara cur exulceratis conducant. Thuris facultas. Pus mouentium facultas. Olei facultas. Chalbani vires. Terebinthina. Bitumen. Propolis. Mel non putrefcit, putrefcentibusq; maximè congruit. Putredini quæ fint aptiffima.*

*Ifis Epigoni, ad multa vtile medicamen.*

Ifis Epigoni ab Hera traditum, ualens contra omnia uulnera, puncturas neruorū, hominumq; atq; canum morfus. Venenū à beftijs illapfum extrahit: curat fracturas artuum cum uulnere, fiftulasq; & omnes abfceffus fanat: atq; omnē fluxionem fiftit. Ceræ drach. c. terebinthinæ drach. cc. fquamæ rubri æris, æruginis rafæ, ariftolochiæ rotundæ, thuris, falis ammoniaci, guttæ ammoniacæ, fingul. drach. viij. aluminis ufti drach. vi. æris ufti drach. viij. myrrhæ drach. xij. chalbani tantundem: olei ueteris heminam: aceti acris heminas ij. Cōficito. Etenim hoc medicamine Epigonus cōclufus in carcere, curauit quendam ex ualde potentibus, unde confeftim dimiffus eft. Ego uerò prædictis etiam radicem dracunculi adijcio, quæ uel per fe, in orbiculos fecta, afsiccataq; & redacta in pollinem, fi infpergatur, malignis ulceribus auxiliatur.

*Emplaftrum ex dictāno ad multa vtile.*

Emplaftrū ex Dictamno ad eadem faciens.

Olei ueteris heminas ij. lithargyri drach. c. æruginis rafæ drach. viij. fquamæ drach. vj. colophoniæ liquidæ drach. L. mannæ drach. xij. ammoniaci thymiamatis drach. xxvj. æris combufti drach. viij. diphrygis drach. vj. gentianę tantundē: aloēs drach. viij. chalbani drach. xij. propolis drac. viij. ceræ drach. xxv. ariftolochiæ drach. x. dictamni Cretici tantundem. Conficito accuratifsimè.

Emplaftrum ex utraq; ariftolochia, cephalicū enæmum, callofis ulceribus congruens, atq; articulos folutos confirmans. Picis, ceræ, bituminis, terebinthinæ, fing. lib. j. mannę, æruginis rafę, cerufsę, fing. felibram: chalcanthi, ariftolochię longæ, iridis Illyricæ, fing. vnc. iiij. malicorij, gallę immaturæ, æris combufti, fing. vnc. ij. fpinæ vnc. iiij. ariftolochię rot. drach. iiij. aceti heminam. Ricinini, uel olei cōmunis tantundem. Conficito. Porrò manna exiguā aftringendi uim pofsidet. Vocant enim ficquod à thure excutitur, nonnihil etiam illius corticis obtinens.

*Māna quid fit.*

Emplaftrum Azanitæ, malignis ulceribus, necnon ambuftis conueniens.

*Emplaftrum Azanita.*

Picis aridę vnciā: cerę, adipis fuilli, feui taurini, œfypi, fing. vnc. iij. refinæ piceæ vnc. v. Conficito.

Emplaftrū Haliei ex finopide, nihil minus quàm priora utile.

Ceræ, lithargyri, utriufq; minam: mannæ, terebinthinæ, chalbani, finopidis, fing. drach. viij. olei ueteris heminas duas. Conficito.

*Emplaftrū Macharionis.*

Emplaftrū Machærionis à Critone defcriptū, phlegmonē arcens, mireq; conducens ulceribus. Ariftolochię rot. chalbani, opopanacis, æruginis, iridis Illyricæ, ammoniaci thymiamatis, myrrhę, fing. vnc. j. terebinthinæ vnc. vij. s. ceræ vnc. lx. s. olei omphacini vnc. vij. s. Conficito.

Emplaftrum ex falicibus à Critone in multos ufus defcriptum.

Mifyos, chalcitidos, æruginis, cerufsę, gallę, aluminis fcifsi & rotundi, cretæ furorię, fing. vnc. vi. cerę, refinę pityinę, picis, bituminis, falicis foliorū, fing. vnc. ij. olei heminas ij. vnc. iiij. chalcãthi vnc. vj. malicorij tãtundē: aceti fextarios fex. Cōficito.

Emplaftrū uenatorū, ad quadrupedum ictus, morfusq;, & ad reliqua uenenata. Argēti fpumæ minā: olei ueteris, fquamæ æris rubræ, ceræ, refinę phryctę, fing. lib. ammoniaci thymiamatis trientem: chalbani, minij finopici, fing. vnc. ij. cōficito.

*Viride Alcimionis.*

Viride Alcimionis, cōueniens fiftulis, educens offa, & ftrumas difcutiens.

Chalbani drach. xvj. æris ufti drach. viij. fquamæ drach. xxiiij. ceræ drach. L. feui caprilli, uel uitulini, drach. xxx. thuris, refinæ ficcæ, ammoniaci thymiamatis, terebinthinæ, nitri, ariftolochiæ, fing. drach. xxv. bryonię drach. xij. orcheos drac. xij. iridis aridæ drach. iiij. aloēs Indicæ drach. xij. fcifsilis drach. viij. fellis taurini tantundem: aceti, olei, utriufq; heminam. Conficito.

Viride ad herpetas, & ad Chironia ulcera ab Andromacho fcriptum.

Hordei combufti drac. x. æruginis drac. xx. ceræ drach. lxxx. cyprini heminā. Cæterū hoc medi

dicamen æruginem multam continet. Porrò combustum hordeum, uel si per se inspergatur, chironia ulcera iuuat.

*Pastilli Aristarchi.*

Pastilli Aristarchi πολύχρηστοι, hoc est, ad multos usus. Nam præter alia utiles sunt in principio phthisicis, lienosis, cœliacis, & dysentericis, tribus obolis in potu datis. Myrrhæ drach. vj. croci, crocomagmatis, sing. drach. iij. citinorum, chalcanthi, aluminis scissilis, aloës, sing. drach. vj. excipiautur uino Falerno, finganturque orbiculi, & assiccati in umbra seruentur.

Polyidæ Sphragis.

Malicorij drac. vj. myrrhæ drac. viij. aluminis scissilis drac. v. thuris drach. iiij. chalcãthi drach. iij. fellis taurini drach. vj. Vino dulci excipiuntur.

Pastillus Threpti ad aures pure fluentes, carnis excrescentias, & narium ulcera.

Malicorij drach. x. gallæ omphacitidis drach. viij. aristolochiæ tantundem, aloës drach. iiij. myrrhæ drach. viij. fissi drach. ij. thuris drach. iiij. passo excipiuntur.

Pastillus διὰ τῶν χυλῶν ad nomas & scabiosos affectus.

*Pastillus diachylon.*

Licij Indici, aloës Indicæ, myrrhæ, æris, aluminis scissi, citinorum, thuris, sing. drach. iiij. succi myrti heminæ dimidium. Cooficito.

Pastillus niger, quo utor.

Malicorij drach. x. aristolochiæ, gallæ, singul. drac. viij. aluminis fissi, aloës, sing. drach. iiij. myrrhæ, chalcanthi, sing. drac. ij. thuris drac. iiij. Vino excipiunt, & quũ res exigit, uino dulci diluuntur.

Ad erysipelata.

Acaciæ drach. viij. misyos drach. iiij. opij drac. ij. thuris drach. iiij. cũ aceto excipiuntur. Faciunt etiam ad herpetas.

Ad herpetas, Tiberij Cæsaris.

Diphrygis, meconij, aluminis fissi, acaciæ, sing. vnc. iij. aceto uel aqua diluens utitor.

Aridum putrefaciens absque morsu, ex descriptione Andromachi.

*Putrefaciẽs absque morsu.*

Sandarachæ, arsenici, sing. drach. ij. calcis uiuæ drach. iiij. tritis utitor.

Pastillus sanguinem comprimens.

Chalcitidis, misyos, mannæ, sing. drach. iiij. tritis utitor. Ad ani uitia, alumine liquido nucis magnitudine cum mellis cyathis duobus cocto utitor.

Aridum cephalicum ab Asclepiade scriptum, quod tollit squamas, ossa corrupta educit, & caua implet. Iridis Illyricæ, panacis, sing. drach. iiij. Aristolochiæ drach. ij. mannæ tantundem: contusis cribratisque utitor.

Aridum Asclepiadis, cicatricem inducens.

Calcis uiuæ drach. vj. mannæ thuris, squamæ, siog. drach. iiij. redactis in pollinem utitor.

Crustas inducens, Asclepiadis.

Chalcitidis crudæ, cadmiæ, sing. drach. iiij. leiunus ex saliua excipito.

Medicamen Diatessaron.

*Medicamen diatessaron.*

Chalcitidis tostæ, misyos tosti, diphrygis, chalcanthi, sing. drach. iiij.

Ad nomas Asclepiadis pharmacum.

Sulfuris uiui, auripigmenti, squamæ, sing. drac. j. æris combusti quantũ color exigit. Arido & ex melle utitor, Etenim putrida ulcera, quũ ambientes partes depascuut, nomas propriè appellant. Qui affectus uehementissimis medicamentis indigent, ut sæpe in eis etiam cauterijs utamur.

*Nomæ qualia ulcera sint, & qualia medicamenta postulẽt.*

Apellis medicamentũ διὰ χάρτου, quod nomas nõ solum sistit, sed incipientes prohibet. Chartæ combustæ, plumbi usti, æris usti & loti, arsenici, squamæ stomomatis, singulorum æquas portiones, sulfuris uiui dimidium: tritis utitor, uel cum melle, uel ex rhodino.

*Medicamen ex charta combusta, nomas compescens.*

Ad carbunculos.

Nitri rubei, arsenici, sandarachæ, chalcitidis, atramenti sutorij, diphrygis, singulorũ parem mensuram aceto læuigans, exiccansque, postea eis tritis utitor. Etenim carbunculus ulcus est crustam citò cum ualida phlegmone circunstantium particularum excitans: adeò ut febres uehementes, & extrema pericula inferat. Quare ipsi crustæ ualidum medicamentum imponere expedit, & ex ijs quæ ad nomas conducunt.

*Carbunculus quid, & qualibus egeat medicamentis.*

## GALENI PERGAMENI DE compositione medicamentorũ secundum genera, lib. VI.

IN præsenti cõmentario ad ea πολύχρηστα, hoc est multi usus medicamenta, me conuertere est animus, quæ tum ad alia multa singulatim faciuut, tum ad putrescentes particulas aliter quidem affectas quàm illa ulcera, quæ difficulter curabilia appellantur. In putrescentibus siquidem ipsa putredo uagatur, ob idque tales dispositiones cõplures Medicorũ νομὰς, hoc est, depastiones appellant. In illis aũt, affectus secundũ unum locum est circunscriptus, absque ulla putredine: ita ut phagedænæ uocatæ, exedant quidem partes uicinas, non tamen putrefaciant ipsas, nec febres inferant, quæ consequi ad depascentes affectus cum putrilagine, consueuerunt. Hæc igitur quæ nunc scribentur omnia, mordacia sunt, si quis ipsis solis nõ cerato temperatis utatur. At quæ cerato miscentur, purgare quidem ulcus sordidum, & carne replere possunt, atque etiã duritiem quandam & tensionẽ discutere: nõ tamen difficilia curare. Quocirca tum plurimũ cerati miscemus medicamentis acribus, quũ ulcus purum & siccum est: corpus autem curandũ, & molle, & ad sentiendum promptum: paucissimum uerò, si ulcus quidem ipsum sordibus, humiditateque redundet plurima, ægri autem corpus sit durum, & parum sensile.

*Noma.*

*Phagedæna.*

*Cerati plurimũ quãdo acribus medicamẽtis misceatur, & quãdo contrà, paucissimum.*

Anicetos Critonis, quasi dicas insuperabile pharmacum.

*Anicetos Critonis.*

Extrahit, rumpit, purgat, glutinat, pus educit, duritias discutit, lassitudines lenit, fracturis cum uulneribus auxiliatur, curat hominũ atque ferarũ morsus, ad innumeraque alia conducit. Squamæ æris drach. lviij. pyrethri, staphisagriæ, cocci gnidij, sinapi seminis, cachryos, columbini stercoris, aristolochiæ tenuis, æruginis, cyperi, erucæ seminis, cumini, singulorum drach. xvj. nitri, salis ammoniaci, singul. drach. xxxij. baccarum lauri, mannæ, iridis, singul. drach. cxx. aceti acris sextarios sedecim, decocti caricarum cyathos iiij. & semis. Tusa cribrataque omnia simul cũ aceto sub æstu caniculæ læuigantur. Vbi siccum & uiride euaserit, ficuum decoctio adijcitur. & simul emollita tolluntur, & in olla æris rubei asseruãtur. Vtẽris

autem

autē una ipsius medicamenti parte aceto diluta, usq; ad consistentiā sordium, permista sex resinæ portionibus, cui nōnihil ceræ sit temperatū. Scribitur etiā impetigini agresti cōgruere. Sic enim uocant, quæ à medicamentis imbecilliter siccantibus nihil iuuatur: irritatur autē à ualidis. Porrò caricarū decoctum lenissimū est, & maximē concoquit, simulq; digerit. Acetū uerò efficaciā aliorum medicamētū iuuat. In quo quidē quæ macerantur sub sole æstiuo, tenuem substantiam acquirunt, eoq; altius uirtus ipsorum penetrat.

*Impetigo agrestis.* *Caricarum decoctum.* *Aceti facultas.*

*Serapionis emplastrum.*

Emplastrū Serapionis, cōtra omnia uulnera, punctus & parotidas maximē ualens. Educit etiam pus, glutinat, seniliaq; & chironia persanat.

Olei ueteris heminas iij. argēti spumę drach. cc. ammoniaci thymiamatis drach. clxviij. resinæ colophoniæ, pityinæ, singul. drach. lxviij. ceræ drach. clxviij. chalbani drac. xx. æruginis tantundem, myrrhæ drach. viij. Conficito.

Humidum Andromachi ad nomas.

*Humidum medicamen Andromachi.*

Ceræ, resinæ terebinthinæ, utriusq; drach. viij. adipis taurini curati, drach. iiij. chalcitidis drac. ij. squamæ æris drach. iij. mannæ thuris drach. ij. gallæ immaturæ drach. iij. olei myrtei heminas v. Arida aceto & melle excipiunt, dein liquida superfunduntur. Porrò quòd auxiliorū quędam à ratione sola inueniantur, quædā ab experientia, * quæ ad id ratione nō indiget, nōnulla utriusq; opem desiderent, persæpe iam uobis est demonstratum: sicuti & quòd ratione & experientia cōperta, coniecturali uia ad eorum quæ inquirunt inuentionē perueniunt: quæ uerò per rationem sperata sunt, confirmentur experientia. Cùm igitur omnia artium opera frequenti exercitio absoluantur, non satis profectò est generalia duntaxat ipsorum addiscere, sed etiam in particularibus subinde exerceri oportet. Nam actionū usus exercitatioq;, ad perfectorū possessionē est uia.

*Artium opera frequenti exercitio absoluuntur*

Aegyptia Andromachi.

*Aegyptia Andromachi.*

Argēti spumę drach. xliiij. ricini heminas vi. ceræ drach. cxliiij. ammoniaci thymiamatis drac. lxxij. terebinthinæ drach. xxxvi. lauę usq; drach. xviij. squamæ stomomatis, squamæ æris, aristolochiæ, thuris, singul. drach. viij. myrrhæ drach. iiij. opopanacis drach. ij. marinæ aquæ, ad conspergendam ceram, drach. L. Conficito. Etenim argenti spuma, quum medij temperamenti sit, quod pertinet ad calorē & frigus, paululum ad siccitatem inclinat. At cera, materiæ locum obtinet, non uirtutis efficaciam adiuuat: tametsi uis quædam ei perexigua emolliendi insit. Iam terebinthina, q̄ cera, magis mollit, calfacit, & digerit. Porrò ammoniacū inter emollientia principatum obtinet: in digerentibus mediū est. Quare compositum ex oleo ricinino & gutta ammoniaca medicamentū, abundē potest digerere, emollire, & nimirū etiā siccare. Iam lana cōbusta, aristolochiaq; plurimū digerūt, exiccantq;, thus autē digerit cōcoquitq;. Myrrha etiam nō ignauiter calfacit & exiccat: sed utrunque opopanax præstat multò absolutius. Cæterū squama æris, stomomatisq;, pręterq; quòd ualidē siccant, uim etiam astringendi sortiuntur. Consentaneū autē est, Andromachum pro hemina uncias nouem mensurales accipere, ita ut sex heminæ uncias quinquaginta quatuor mensurales absoluant: quod idem est ac si dicas, mensurę Romanæ lib. iiij. s. Ego uerò olei Romanā libram, quam per dissecta cornua metiunt, ponderaui quandoq;, discere cupiens quantū grauitatis pondus cōtineret, inueniq; duodecim mensurales, decem uncijs ponderis æquales existere. Præscriptum igitur medicamē, cruentis uulneribus, ulceribusq; alijs nō paucis bonum medicamentū redditur: sicuti & ad abscessus, & omnia quæ discuti postulant. Nec ignorans, medicamenta quæ simul cum digerentibus etiam astringentia recipiunt, longē tutiora esse: quæ uerò absq; adstringentibus digerūt, efficaciora quidē, nō tamē perinde tuta. Sæpe siquidē fluxiones attrahunt, dum corpus quod curatur, plethoricū est, aut prauis succis redundat. Adeò itaq; digerit generosē prædictum pharmacū, ut etiam pus, si nō admodum copiosum sit collectum, discutiat, absq; incisione cutis: emollireq; callosa, & quomodocūq; indurata possit. Cōgruit etiam nudatis neruis, & si in parte quapiam abscecti fuerint. Etenim præcisi nerui, tametsi periculo q̄d cōsortij lege oboriri solet, careant, tamen eas partes, in quas inseruntur, sensu destituūt: taleq; medicamen desiderant: nam quæ humectāt, facilē eos putrefaciūt.

*Ammoniacum inter emollientia principatū obtinet.* *Hemina.*

*Libram mensuralem olei, continere vnc. x. pōderales. Gal. expertus est.*

*Digerentia quibus adstringentia sunt mista, esse longē tutiora, sed minus efficacia illis quæ tantū digerunt.*

*Humectantia, præcisos neruos facile putrefaciunt.*

Medicamen fuscū Andromachi, Athene dictum, ad difficilia ulcera congruens.

*Athene Andromachi.*

Argenti spumæ drach. c. terebinthinæ drach. xxxvi. ceræ drach. xxv. minij sinopici drac. xxiiij ammoniaci thymiamatis drach. xxxvi. chalbani drach. xij. aloës drach. viij. diphrygis tantundem, æris combusti, mastiches, sing. drach. vi. aristolochiæ drach. v. propolis tantundem, mannæ drach. vi. squamæ æris tantundem. Lapidis asij drach. iij. trifolij seminis drach. ij. symphyti radicis drach. i. & obolos iij. olei heminas iiij. Conficito.

Hellespontia Andromachi, propulsans phlegmonem, strumas, panos, & parotidas curans: necnon pus maturans, abscessusq; rumpens & glutinans. Argēti spumæ drach. c. picis drach. L. ladani drach. xxv. æruginis rasæ drach. viij. æris combusti tantundem, squamæ drach. ij. olei ueteris drach. cc. Conficito.

*Hellespontia Andromachi.*

Tyria Damocratis, ulceribus ac morsibus quadrupedū congruens.

*Tyria Damocratis.*

Lithargyri lib. v. ceræ lib. ij. pityinæ pinguis lib. iij. æruginis, chalbani, æris combusti, squamæ, singulorum vnc. iiij. pinguis olei lib. xvi. curiosē conficito.

De emplastris digerentib. & attrahentib.

*Attrahentium digerentiūq; discrimen.*

Attrahentia medicamēta nōnihil etiam discutiunt: & quę discutiunt, pariter etiam attrahunt. Verùm in digerentibus medicamentis, discussoria uirtus: in trahentibus, attractrix præpollet.

Salsum Andromachi, digerens, extrahens, ad multaq; utile.

*Salsum Andromachi.*

Salis cōmunis lib. iiij. squamę æris vnc. iiij. magmatis lib. s. mannæ lib. i. ceræ lib. xiiij. olei Cyprini lib. xvi. quibus acetum affunditur.

Aliud Ctesiphontis, partim discutiens, partim enocans, atq; detergens.

Aphonitri lib. mānæ thuris tantundē, lixinæ factæ lib. Sunt qui addant etiam libram aceti.

Aliud ex baccis lauri.

*Medicamen ex baccis lauri.*

Resinæ, nitri rufi, ceræ recentis, baccarum lauri, colophoniæ, seui uitulini, ammoniaci thymiamatis, sing. drach. lxx. Cyprij decimamsextã heminæ partem. Conficito.

Aliud attrahens & digerẽs, ad multa utile.

*Digerens Alexandri.*

Argenti spumæ, cerussæ, chalbani, sing. librã: salis fossilis, æruginis rasæ, sing. selibram: olei sextarios tres, atramenti sutorij vnc. ij. Conficito.

Aliud digerens meliceridas, Alexandri.

Salis Hispani, argenti spumæ, cerussæ, sing. libram. Ceræ, terebinthinæ, utriusq; vnc. i. chalbani, uel opopanacis vnc. ij. sinapios vnc. vi. olei ueteris lib. iij. aceti sextarium. Confundito.

Aliud epispasticũ, discutiens strumas, parotidas, atq; omnes abscessus, conferensq; ad articulorum uitia. Salis fossilis lib. strigmenti purissimi lib. iiij. Chalbani drach. L. Conficito.

Aliud, quo usus est ad eadẽ Andromachus.

Cerussæ, salis fossilis, sing. drach. lxxx. chalcanthi drac. xij. olei ueteris heminas iij. aceti heminas iiij. Aliud Asclepiadis ad eadem, quod ualenter etiam mammarum abscessus digerit.

*Digerens Asclepiadis.*

Ceræ, terebinthinæ, nitri, olei ueteris, singulorũ libram, aquæ heminam. Nitrum in aqua solutũ igni admoueto, uaseq; cooperto, coquito, mouens ex interuallis. Cùm autẽ strepere adeò desierit, liquida infundito, mouens assiduè, donec non coinquinent. Postea in mortarium transfusa, rursus tundito: inde excipiens, utitor.

Aliud ad eadem.

Ceræ, terebinthinæ, singul. drach. c. nitri spumæ, olei ueteris, mannæ thuris, sing. libram: lapidis asij floris selibram: chalbani, propolis, ammoniaci thymiamatis, sing. drach. xij: aquæ lixinæ quod sit satis. Conficito.

## GALENI PERGAMENI de compositione medicamentorũ secundum genera, lib. VII.

*Malagmata quæ dicantur.*

MAlagmata siue emollientia uocant Medici, quæ partes præter naturam induratas emolliunt, calido omnia tẽperamento prædita: non tamen exiccantia, quemadmodum nec manifestò humectantia. Nam cùm exactè emollientia medium quendã ordinem inter humectantia siccantiaq; soetiantur, indurescentium substantiæ uelut fusionẽ quandã moliuntur. Vbi uerò fusa durities fuerit, digerentiũ medicamentorum usus succedit. Porrò leoninus adeps ualentissimè tum calfacit, tum digerit. Proximum locum habet pardi adeps, ut qui modicè emolliat. Vim minorem in calfaciendo ac digerendo habet anserinus: habet tamen aliquatenus maiorẽ in molliendo. Pari spacio ab hoc recedit gallinaceus. Suillus adeps, mollissimus, humidissimus, atq; aliorũ imbecillimus est: quare teneris corporibus conuenit. Caprarũ & boum adeps quãtò suillo est ualidior, tantò magis corporibus & natura durioribus, & inter duriora scirrhosioribus congruit. Taurinus hircinusq; adeps ualidioribus tum corporibus, tum affectibus auxiliatur. Est autem commune tum phlegmone, tum scirrho particulis laborãtibus, reni tentibus digitis: distinguũtur tamen affectus ij sensu doloris & indolentia. Igitur magna phlegmone cataplasmatis & humidis quibusdã medicamentis sanatur: parua, cui scirrhosa durities permista fuerit, tum cataplasmatis, tum medicamentis cerati modo cõfectis: liquidisq; emplastris atq; emollientibus.

*Digerentibus quãdo vtendũ.*

*Adipis differentia.*

*Phlegmone quibus medicamentis indigeat.*

Medicamen Parygron Heræ, quod medetur particulis exigua phlegmone afflictis, non multò post cõfectionem tempore. Si uerò duritiem absque dolore pars affecta contraxerit, aut si phlegmonode affectu sit libera, paulò etiam recenti uetustius utile fuerit. Eius itaq; compositio est talis: Adipis suilli recentis curati vnc. xliiij. ceræ vnc. xxiiij. cerussæ vnc. vi. argenti spumæ tantundem. Conficito. At duritiem in scirrhum abeuntem, ualentiora pręsidia persanant: cuiusmodi sunt, tum medullarum genus, tum bdellium utrunq;, Arabicũ nempe, & Scythicũ: necnon styraces, ex quibus eligendus est pallidus: nam niger deterior est. Iam ammoniacũ thymiama, inter ea quæ emolliũt durities annumeratur, præcipuè quod pingue est & recẽs. Medullarũ optima est uitulina. Ex resinis aptissima est, Chia uocata, & larix. Post has pinea. Inde abietina. Strobilina uerò uehemẽter est acris. Pityina, quã propriè physema uocant, pinguitudinis expers, exiccat admodum. Has igitur fugere, Chia uerò & abietina uti oportet, non ipsis per se, sed cum cera, & aliquo aliorũ, quę cõducere affectui uideant. Brutia pix & ipsa eandem obtinet uim, nõnihil pinguis & tenax. Pix alia nõ est miscẽda, sicuti nec bitumẽ, utpote iusto sicciora. Exiccantia quippe, mollientibus sunt cõtraria. Quoniã uerò & piceã, & phryctẽn resinã, & colophoniã appellare cõsueuerũt, sciendũ est & aliã colophoniam quandam haberi, Chiæ masticlıæ similem, quæ nõnihil molliens sortitur, quemadmodum ipsa mastiche & thus. Ad hæc Aegyptia mastiche nõnihil emollit. Thus etiam quandam molliendi uim obtinet: uerùm hoc quidem coctum ex usu est, ueluti & fœnigræci semen: hoc etenim probè coctum emollit, ac magis adhuc, si adipi temperetur. Quæ citra coctionẽ liquari, diluiq;, ob consistentiæ siccitatẽ, nõ possunt, oleoso aliquo indigent, cuiusmodi sunt, tum oleũ ipsum, cui nihil astringẽs inest: tum balneorũ strigmenta, & quod uocatur Susinũ, & hoc multò magis Comagenũ. Huius generis est butyrũ, altheæq; & fœnigręci decoctum. Porrò inter ea quæ sic emolliũt, & ea quę ualidissimè (cuiusmodi existũt styrax, & bdelliũ) ammoniacũ thymiama idem potest quod propolis. Cæterùm Scythicũ bdellium Arabico est multò ad emolliendũ præstantius. Chalbanũ & opopanax, præterq̃ quòd digerunt, etiã aliquid molliens sortiuntur. Opopanax tamen digerendo, chalbanũ molliendo, coquendoq; præcellit. Ex his igitur quæ produximus, ualida ualidis, imbecilla imbecillis sunt adhibenda affectibus. At ubi post primã pharmaci impositionẽ, denuò ipsum applicas, oleo pingui partẽ affectam fouere conuenit. Ex ijs autẽ quæ ἰξινάλλα (quòd tenacius hæreant) uocant, nullum auferendũ est prius, q̃ sua sponte abscedãt: *sed ut adhæreant semper sinenda sunt, etiamsi ægrotans lauetur. Vitanda autem omnino sunt medi-

*Parygron Heræ.*

*Styracis differentia.*

*Medullarũ optima est vitulina*

*Resinarum differentia.*

*Colophonia duplex.*

*Masti. he.*

*Thus.*

*Fœnigræci semen.*

*Bdellium.*

*Ammoniacum thymiama.*

*Chalbanum.*

*Opopanax.*

*Tenacia medicamenta nõ esse amouẽda prius, quàm sua sponte excidant.*

medicamentosarū aquarum lauacra: præsertim quæ chalcanthum, alumen, & sulfur referunt. Cùm igitur malacticorum sint uarij gradus, & differentię, certè malacticis primi ordinis ad exiguas durities, atq; in mollibus utemur corporibus: ut secundi, ad fortiores tum affectus, tum corporum habitus: ac similiter tum tertij, tum quarti, nimirum pro illorum ratione.

Malactica primi ordinis.

*Malactica primi ordinis.*

Butyrum, uel resina colophonia, & cera candida non uetusta, singula pondere æqualia, inuicem liquata, primi ordinis malactica sunt. Liquidum similiter medicamen, quod Parygron uocant, primi ordinis est. Emollientiū imbecillimū est cera cum butyro soluta, aut ex susino, aut comageno. At his imbecillius cerelæon dictum. Iam ex ouis cerata facta, exiguam quandam relaxandi uim possidēt. Valentiora his, uerùm imbecilla adhuc & ipsa, cerata ex œsypo, resina, & cera pari pondere liquefactis.

Malactica secundi ordinis.

*Malactica secundi ordinis.*

Emplastrū quod ad Mnasæū refertur, rectissimè secundo malacticorū ordini ascripseris: nimirum constans ex oleo ueteri, argenti spuma, & suillo adipe. Cæterùm si omnia illa fuerint recentia, imbecillimū pharmacum fiet. Validius autem, oleo quidem existente ueteri: adipe autem recente. At ualidius adhuc, ex uetustis ambobus constiterit. Quocirca secundum uetustatem quidem olei & adipis, pondus autē singulorū quæ induntur, uarias differētias ipsum medicamentum suscipiet. Copiosa siquidem argenti spuma iniecta, medicamē potestate mollius euadet: pauciore, ualidius: ac magis emolliet, si plus adipis immittamus: digeret fortius, si augeamus oleū.

Amythaonis malagma ab Asclepiade scriptum.

*Amythaonis malagma.*

Ammoniaci thymiamatis vnc. xxxvi. ceræ tantundem: terebinthinæ vnc. viij. bdellij tantundem: chalbani, thuris, myrrhæ, sing. vnc. iij. Cyprini heminas iij. Conficito. Discutit omnē duritiem. Valet contra præcordiorū tensiones, impeditosq; articulorum motus.

Malagma Dioscoridis, ad eadem.

*Malagma Dioscoridis.*

Ceræ minā unam: resinæ phryctæ, chalbani, iridis Illyricæ, sing. minæ dimidiū: irini fæculæ quod satis est. Vini quantū uolueris. Conficito.

Malagma Lucij omnē duritiem digerens, articulosq; impeditos relaxans.

*Malagma Lucij.*

Bdellij, seui uitulini, ammoniaci thymiamatis, iridis Illyricæ, sing. drach. xvi. opopanacis, chalbani, cachryos, styracis, thuris, sing. drach. viij. piperis grana clx. irinæ fæculæ quod sit satis: ceræ, resinæ terebinthinę, sing. selibram. Vini quod satis esse uideatur. Conficito. Est enim extremi emollientium ordinis, ut quo nullum durescentia magis emollire comperias.

*Malagma Neapolitæ.*

Malagma Neapolitæ ab Asclepiade scriptū, cōtra omnes durities: q̃d etiā pleuriticis auxiliat̃. Vini pisaitę sextarios sex: ceræ lib. vi. ammoniaci thymiamatis, phryctæ, utriusq; vnc. iij. terebinthinæ, thuris, myrrhæ, aloës, aphronitri, lapidis Asii floris, gentianæ radicis succi, sing. vnc. vi. sagapeni, sulfuris uiui, propolis, sing. vnc. iiij. panacis rad. sampsychi, piperis albi, sing. vnc. iij. Conficito, & utitor.

Malagma Andromachi.

*Malagma Andromachi.*

Picis lib. iiij. ceræ lib. ij. resinæ libram: chalbani vnc. ij. ammoniaci thymiamatis tantundē: mannæ vnc. iiij. aceti sextarios iij.

Malagma Andromachi ex meliloto.

*Emplastrum ex meliloto.*

Nardi Gallicæ drach. x. cyperi, cardamomi, ireos Illyricæ, myrrhæ, sing. drac. viij. croci drac. iiij. meliloti drach. xxv. ammoniaci thymiamatis drach. viij. terebinthinæ drach. L. ceræ recentis drach. c. cyprini heminæ dimidiū: aceti quod sit satis Conficito.

Malagma ex baccis lauri, Andromachi.

*Malagma ex baccis lauri.*

Ceræ, picis brutiæ, baccarū lauri, nitri, resinæ phryctæ, sing. drach. lxxv. chalbani, ammoniaci thymiamatis, cachryos, ameos, sing. drac. xij. piperis albi drach. xvi. cyprini hem. vi. Conficito.

Ad ischiadicos generosum.

*Ischiadicis cataplasma.*

Rutæ agrestis seminis, silphij, baccarū lauri, aphronitri, abrotoni, colocynthidis, cardamomi, ameos, sing. drach. iiij. Rutæ uiridis, picis, terebinthinę, ammoniaci thym. ceræ, seui, sing. minæ partem octauā: chalbani drach. vi. opopanacis drach. iiij. sulfuris uiui tantundē. Conficito.

Ad lienosos.

*Lienosis optimū cataplasma.*

Ceræ minam: ammoniaci thymiamatis minę dimidiū: aluminis liquidi drach. L. strigmenti heminam. Capparis rad. calaminthæ rad. myrobalani fæcis, quod magma uocāt, sing. drach. L. aceto aridis, oleo adiecto liquidis, utitor.

Malagma ad hepaticos.

*Hepaticis conueniens malagma.*

Ammoniaci thymiamatis, bdellij, sing. drach. cxliij. croci, myrrhę, sing. drach. xij. ceræ drach. cxliiij. aceti quartam partē heminæ: cyprini heminam. Conficito.

Malagma ad rheumatismum stomachi & intestinorum.

*Rheumatismis ventriculi & intestinorum, malagma.*

Oenanthæ vnciam: omphacij vnc. iiij. phœnicobalani carnis vnc. ij. acaciæ, rosarū, aloës, singul. vnciam: gallæ, aluminis, picis, sing. vnc. iij. ceræ vnc. iij. Vinum aridis affunditur.

Ad hydropicos & flatuosos.

*Hydropicis conueniens malagma.*

Picis liquidæ, ceræ, utriusq; librā: nitri, sulfuris uiui, aluminis fissi, sing. vnc. vi. Permisceto.

Malagma Antipatri ad colicos.

*Colicis malagma Antipatri.*

Silphij drach. ij. elelisphaci, casiæ, melanthij, staphidis agriæ, chalbani, struthij, sulfuris uiui, sing. drach. iiij. panacis, propolis, pyrethri, ammoniaci thymiamatis, nitri, sing. drach. vi. Asii floris drach. xxv. ceræ drach. cl. resinæ tantundem: olei heminam. Conficito.

Anodynon Nicostrati ad podagram.

*Anodynon ad podagram.*

Ceræ libram: ammoniaci thymiamatis vnc. iij. opopanacis vnc. iiij. s. meconij vnc. ij. cyprinum ad contusionem eorum adhibetur.

Aureum malagma ad arthriticos.

*Arthriticis aureū malagma.*

Resinæ strobilinæ lib. ij. chalbani drach. xij. axungiæ porcinæ tantundem: ceræ drach. xxiiij. baccarum lauri drach. xij. Incoquito ut decet.

Aliud ad laterum dolores.

*Pleuritidi conueniens malagma.*

Cyperi, cardamomi, mannæ, ammoniaci thymiamatis, terebinthinæ, ceræ, irini, sing. libram. Misceto. Porrò phlegmones, scirrhiq;, eadē quodammodo generatio & curatio est. Nascitur enim ex confluxu humorum uterq; affectus: curatur ijsdem uacuatis: quanquā euacuationis mo-

*Inflammationis curatio.*

*Scirrhi curatio.*

*Scirrhi incurabiles, ab iis qui possunt curationē suscipere, quo modo discernantur.*

*Phlegmona quādo in scirrhū degenerent.*

dus utrobiq; idem non est. Quippe inflammatis quidē particulis tum repulsoria medicamentorum qualitas, morbi initio, tum discussoria, semper ex usu est. Scirrhis autē sola discussoria, sine repellente. Itaq; summè indurata scirrho, prorsus insanabilia sunt. Dignosces autem ipsa hinc, quòd nullus sensus partibus affectis superfit. At in quibus sensus quidē est, sed obscurus, hæc curantur pharmacis digerentibus incrassatum humorē: non tamen ualidè, ac uniuersim hoc agentibus: quod epispastica solent. Quocirca minimè sanè oportet mirari, si partes inflammatę scierhum interdum contrahant, dum uidelicet humor quidē influens est simul crassus & uiscidus: curatio autē medicamentis ualde exiccantibus administratur. Nam quemadmodū in externis rebus, permulta corpora quæ ignē contingunt, ab ipso torrentur, atq; rursus ab aqua emolliuntur: ita in particulis inflāmatis, ex humore ipso, à calfacientibus & exiccantibus acerrimè desiccato, relinquitur quippiā crassum & uiscidum, nimirum omni tenui discusso. Atq; hac sanè ratione in morbis articularibus pori gignuntur: nec secus per nephritidas calculi. At si fluxio, quę phlegmonē gignit, tenui substantia fit, curatioq; eius per siccantia & calfacientia pharmaca administretur, nihil scirrhosum relinquitur: imò refrigerātia uehementer, astringentiaq;, scirrhos procreare tunc solent. Vnde multis per erysipelata uehementer refrigeratis, occallescere solent humores. Igitur optimus usus in dolentibus inflammationibus est, qui medicamentis abundè humidis simul & modicè calfacientibus administratur. Alter pauló crassioribus & siccantioribus constat. Tertius relaxantib. nominatis, quæ nōnulli inter malagmata collocant. Sunt autem inter ea, maximè emollientia quidem, quæ cōsistentiam cerati referūt, cùm ex butyro, cera, adipibus, oleoq; relaxante conflantur. Temperatur ipsis œsypi, resinæ, & picis, modicū: sicuti & thus & chalbanum, & nonnihil ireos Illyricæ.

*Pori quomodo generentur.*

*Calculi vt gignantur in renibus.*

*Refrigantia quando scirrhos producant.*

*Inflammationibus quæ medicamenta conuenire uideantur.*

De acopis, siue labores lenientibus.

*Acopa medicamina qualianā esse debeant.*

*Resinarū differentia.*

*Adipis differentia.*

*Dura corpora valentiora medicamenta postulant, quam quæ molli carne sunt prædita.*

Acopa medicamenta omnia, liquidæ cōsistentiæ necessariò esse debent. Inter quæ sanè oleum per se, eos laboribus qui summā cutē infestant, persanat: altius autem ingruentes, uehementioresq;, alicui relaxanti, & mediocriter calfacienti cōmixtū: ut chalbano, resinæ terebinthinæ, colophoniæq; phryctæ appellatę. Quibus calidiores sunt abietina, & strobilina. Terebinthinā uerò larix nōnihil calore superat. Cæterū id genus omnia relaxantibus oleis miscentur, quale est Sabinum, iniecta interdum & cera. Iam uerò ἄκοπον unguen est, ubi dolor altius infestat, medicamen ex semine abietis, chamæmeli, anethi, & floris populi: præterea susinum, gleucinum, & comagenum, & quæ tum ex medulla, tum adipe componuntur: suillo quidem, moderatissimè relaxāte: gallinaceo autē, his uehementius: & hoc adhuc magis anserino. At adeps leoninus, & pardi, ualidior est, ut iam uehementer calfaciat, eoq; discutiat insigniter. In medio horū, bubuliq; & caprilli, consistit uulpiū atq; hyænæ adeps. Meminisse autē oportet, dura corpora requirere ualentiora pharmaca: mollia uerò & humida, minimè talia medicamenta perferre posse. Nec ignoratur, quæ dicuntur myracopa medicamenta, ex acoporum cum unguentis temperatura fieri, nihilo cæteris præstantiora, nisi odoris fragrantia.

Acopon Themisonis ab Asclepiade scriptū.

*Acopon Themisonis.*

Sampsuchi, rorismarini foliorum, fœnigræci, sing. sextariū unū: cardamomi, brathyos, sing. sextarij dimidiū: uini dulcis sextarios tres: olei uenefrani trepōdo: ceræ lib. ij. Cōficito ut decet.

Acopon ex melle.

*Acopō ex melle.*

Mellis, irini, rosacei, cyprini, gleucini, ceræ, terebinthinæ, sing. vnc. iij. Conficito.

Acopon Aphrodæ δυσῶδες, hoc est, fœtidum appellatum.

*Acopon Aphrodæ, fœtidum.*

Ceræ, terebinthinæ, sing. drach. viij. chalbani drach. vi. olei ueteris heminas duas: medullæ ceruinæ drach. viij. Conficito.

Aliud ad omnem neruorum dolorem.

*Acopon ad omnem neruorum dolorem.*

Resinæ terebinthinæ drach. lvi. ceræ drach. xxviij. ammoniaci thymiamatis drac. xxxij. chalbani tantundem: medullæ ceruinæ drach. xxiiij. olei ueteris heminas duas. Conficito.

Aliud Διὰ τοῦ καστορίου, hoc est, ex castorio: quod solutis, & omni diuturno malo auxiliat.

*Acopon ex castorio.*

Oesypi vnc. iij. medullæ ceruinæ vncias iiij. terebinthinæ vncias iij. ammoniaci thymiamatis, chalbani, castorij, piperis albi, euphorbij, adarces, nitri spumę, opopanacis, sing. vnc. ij. olei styracis vnc. i. olei irini vnc. ij. olei ueteris heminā unam: ceræ selibram. Conficito.

Vnguentū dolores articulorū discutiens.

*Acopon ad articulares dolores.*

Thuris, piperis albi, sing. drach. x. aphronitri drach. viij. myrrhæ drach. iiij. ammoniaci thymiamatis drach. vi. aceti quod sit satis: olei Cyprini heminam unam.

Medicamen ex populo.

*Medicamen ex populo ad articulares dolores.*

Populi nigræ surculorū minam: cucumeris agrestis rad. lib. iiij. casiæ fistulæ lib. ij. unguenti crocini lib. ij. croci vnc. iij. uini odorati sextarios xij. olei Sabini sextarios x. sampsuchi, ceræ, sing. lib. iiij. Surculos populi diligenter cōtusos in uase duplici unguentario cōtineto: quibus sampsuchium, cucumerisq; radices cōcisas adijcito. His uinum superfundito. Omnia diebus nouem macerari finito. Sequenti die oleum adijciatur, & rursus accuratè tunsa, igne non acri incoquito. Postea liquori expresso ceram subactam, & medullam læuem factam indito. Igni imposita coquito. Vbi liquata fuerint, ab igne tollens, crocinum adiungito, mouetoq; continuè. Crocinum uerò læue factum, terrestris testudinis sanguine excipito, ut olei ueteris crassitudinē habeat. Liquata croco iniecta rursus tūdito, atq; exceptis ùtitor. Arthritide & ischiade liberat.

*Podagricum medicamen flauij.*

Aliud Flauij Clementis, cuius usu nouimus homines toto distortos corpore, conualuisse à podagra, chiragraq;. Olei Sabini lib. xij. cucumeris agrestis rad. lib. xij. ceræ, terebinthinę, medullæ ceruinæ, chalbani, sing. lib. i. Oleū diuidimus, & seorsum in eo ranas, seorsum item radices incoquimus. Dein liquore percolato, ad pharmaci confectionem utimur.

Acopon uiride Haliei.

*Acopon Haliei.*

Ceræ, terebinthinæ, olei ueteris, sing. selibrā: aphronitri vnc. iiij. chalbani, æruginis rasæ, sing. vnc.

vnc.iij.opopanacis vnc.vi. ammoniaci thymiamatis, mannæ, sing. vnc. iij. aceti, melini, cyprini, irini, sing. vnc. ij. seui caprilli vnciam. Conficito.

Casti Acopon, ad diuturnos affectus & conuulsiones.

*Acopon Casti.*

Pysselæi, Syriaci unguenti, utriusq; sextarium: ireos Illyricæ parem modum: terebinthinæ lib. axungiæ tantundē. Rasuræ naualis unciam. Incoquito, ruta uiridi mouens.

Gleucini confectio Andromachi.

*Gleucini confectio.*

Myrrhæ, nardi Indicæ, cuiusq; lib. ij. costi lib. iij. styracis libram: bdellij, sampsuchi, xylobalsami, iunci odorati, cardamomi, spathæ, ireos Illyricæ, misyos, asari, sing. lib. ij. meliloti, nardi Gallicæ, sing. libram: aspalathi, calami, sing. selibrā: aristolochiæ longæ tantundem: rorismarini seminis sextarios duos: thuris, casiæ, sing. lib. iij. fœnigræci sextarios duos: sphagni, amomi, sing. lib. ij. corticis thuris libram: rosarū siccarū lib. ij. carpobalsami tantundem: croci vnc. iij. baccarū lauri libram: piperis albi tantundem: opobalsami uascula tria: malabathri foliorum lib. ij. nucleos pineos uirides duos: rutæ uiridis vnc. ij. salis ammoniaci, nitri, cuiusq; vnc. iij. uini ueteris sextarios duos: musti boni uascula duo. s. olei ueteris lib. v. præparato diebus quinquaginta. Ad dolorē lassitudinemq; tollendam, medicamen est longè accōmodatissimum.

*Acopon Heræ.*

Acopon Heræ, ad diuturnos dolores coxendicis, articulos impeditos, & paralysin, admodum efficax. Olei ueteris, irini, laurini, pyracini, ceræ, sing. lib. vi. terebinthinæ, piperis, euphorbij, sing. vncias ij. ammoniaci thymiamatis vnc. iij. castorij, opopanacis, chalbani, medullæ ceruinæ, sing. vnc. ij. Liquabilia liquata siccis affundito, & unitis utitor.

## GALENI PERGAMENI *de compositione medicamentorū secundum loca, lib. I.*

*Curationē quæ indicent.*



Vòd non modò affectus ipsi, sed etiam ægri temperies, naturaq; partis affectæ, ipsam curationem commonstrent, alibi à nobis est demonstratum. In hisce autē cōmentarijs, de compositione pharmacorū ad singulas corporis partes cōgruente, disserere est animus: ad quod iam negocium accingimur, à uitijs capillorum exorsi. Porrò generatio pilorum, eadem est quæ plantarum. Nam quemadmodū ex istis quædam arte & arbitrio agricolæ, quædam iuxta naturales causas proueniunt: eodem modo & in animaliū corporibus, aruo quidem alicui triticum, aut hordeū, aut aliud quoddam cerealium seminū in se insita habenti, caput assimilatur: alijs uerò herbis quæ in *aridioribus crescūt regionibus, reliqui totius corporis pili similem generationem sortiuntur. Siquidem non secundum primam rationem, sed per accidens quoddam natura ipsos consueuit gignere. Igitur affectus pilorum sunt, tum deperditio omnimoda: tum coloris mutatio, qualis in uitiligine alba, quā leucen uocāt, fieri cōsueuit. In id genus autē affectibus, sicuti in alijs omnibus, summè curandum est, ut quæ præsidia adhibebimus, aut iuuent, aut certè non noceant. Atqui usus pharmacorum amethodos, non modò non prodest, sed etiam obest frequenter.

*Pilorum generatio eadē est quæ plantarum.*

*Pilorū affectus*

*Medicamenta sint semper talia, vt si nō prosint, nō lædant.*

De alopecia, caluitie, & ophiasi.

Quemadmodū ex plantis ipsis, nōnullæ quidem ob humorum inopiam resiccatæ exarbescunt: nonnullæ autem, quòd humoribus à sua natura alienis imbuantur: eodem etiā modo capilli, aut propter penuriam humorum à quibus consueuerunt nutriri, aut propter prauitatē, corrumpi assolent. Ac propter inopiam quidem, caluities accidit: propter uitium autē succorū, alopecia, & ophiasis. Etenim læsa capitis pars, serpenti similis in ophiasi apparet. Alopecias autē, ob id ita appellari ferūt, quòd uulpibus frequenter accidant. Iam uerò quales tandem sint ipsi corrupti humores, ex colore cutis in capite facilè licebit tibi discernere. Alijs nanq; albidior apparet, alijs nigrior, atq; pallidior alijs. Quare in istis primū totius corporis purgationem molieris, aut pharmaco pituitā ducente exhibito, aut quod bilem pallidam, aut nigram eliciat: coniectura redundātis humoris, ex colore cutis inita. Ego uerò hiera exhibita semper ipsos purgaui: aliquādo nigro ueratro adiecto, ubi melancholicum succum uacuare erat animus: aliquando scāmonio, si amara bilis purganda esset. Vbi uerò pituitosiorem exuperare humorē conieci, nihil admiscui. Tales siquidem, præsertim ex capite, hiera ex colocynthide purgare humores consueuit: simulq; cum ijs alios quosdam, etiāsi scammoniū, aut ueratrū nigrum, aut epithymū, non addatur. Catapotia etiam ex aloe, quę tum scammoniū, tum colocynthidem admixtam habent, cōmodius ita affectos purgare solent. Post totius autem corporis purgationē, apophlegmatismis pituitam è capite detrahere præstat, ac dein localibus uti auxilijs. Cæterùm incipiētes ophiases & alopecias, per astringentia & refrigerantia præsidia cohibere cōuenit: adultæ autē, digerentibus discutiendæ sunt. Ego uerò quendā adolescentē in principio affectionis curaui sola purgatione ex hiera diacolocynthidos. Prius tamē catapotia ex aloē undecim ei exhibuerā, cicerum magnitudine. Habent autē catapotia hæc, colocynthidis partem unam: aloēs & scammonij, utriusq; partes duas: quibus partem unam succi absinthij addo. Antea uerò etiam mastichem Chiam, & bdelliū immiscebā. Porrò pharmacū extrinsecus adhibendū, si præter hoc quòd uitiatos humores discutiat, etiam idoneū sit ad probum sanguinem attrahēdum, ueluti est thapsia, censendum sanè est optimū medicamen. At uerò cùm thapsia longè calidior sit, quàm affectus postulet, meritò eius per se usum uitamus. Exulcerationes quippe excitare consueuit, ac omnino quosdam inflammatos tumores. Quamobrem quædā quæ illius uehementiā mitigent, necessariò admiscemus: id quod ceratum ex oleo aliquo tenuium partium (cuiusmodi Sabinum est) præstare cōmodè poterit. Vsus quādoq; sum etiā sola thapsia, sed uehemēti illius facultate, larga aquæ affusione exoluta. Porrò ex pharmacis prædicto affectui congruētibus, uehemēter quidem calfacit euphorbiū: sufficiēter autē laurinū,

*Capilli à quibus causis corrūpi soleant.*

*Caluities.*
*Alopecia.*
*Ophiasis.*

*Color cutis qualitatem humorum subtus putrescentium indicat.*

*Pilorum corruptionis curatio.*

*Hiera ex colocynthide.*

*Catapotiorum ex aloe compositio.*

*Thapsia facultas.*

*Euphorbium.*
*Laurinum.*

siue oleum, siue unguen. Licet igitur ipsis per se uti, euphorbio quidem, oleo intrito, ac læuigato: laurino uerò solo, citra alterius admistionem illito. Si tamen nimis fluidum appareat, parum ceræ ipsi addatur. Cùm uerò multò calidius fit recens euphorbium, si quidem bimo, aut trimo ipso utaris, ad librã unam Romanã olei, euphorbij unciam unam inijcies: recenti autem euphorbio, ficuti & thapsia, & omnibus fortibus pharmacis, parcius utendum est. Peccatū siquidem infra modum, uullum detrimentū adfert: supra uerò, aliquando exasperat, exulceratq́ cutem, atq; inflammationẽ excitat. Similiter etiam fugienda sunt omnia ualde uetusta pharmaca: quandoquidem uel metallica ipsa, ubi nimis antiqua sunt, suas facultates amittunt. Vniuscuiusque autem medicamenti uigorem, ijs qui sæpe ea conspexerunt, licet cognoscere, tum ex odore, tum ex gustu, atqueadeo interdum ex colore, consistentiaq́. Est itaq; inter ea quæ alopecijs conferunt, calidißimum medicamen euphorbium: eo autem minus calidum est thapsia: post hanc, sinapi nasturtiumq́. Iuxta alium autẽ modum limnius (quę adarcium & adarce uocatur) nulli horum secundum est. Post hæc succedunt sulfur, & nitri spuma, ipsumq́ nitrum molle, ustum, & quod Berenicariū uocatur: quemadmodum & aphrolitron album, læue, atq; laxū. Dein de ueratrum utrunq;, & erucæ semen, & laurinū unguentum, aut oleum: ad hæc alcyoniū utrunque, ustum, & uon ustum: calamiq́ tum radices, tum cortex, ambo usta. Quin & pix liquida, & cedrinum, quod cedriam uocant, & murium stercus, ursiq́ adeps. Hyænæ etiam, leonis, pardalis, anserisq́ adipes congruunt: & quicunq; tenuium partiū substantiam sortiuntur. Amygdalæ etiam amaræ totæ ustæ, cõmodæ sunt: & thus acero acerrimo maceratum. His itaq; omnibus pharmacis licet utaris, fortibus quidem, ceratū liquidum temperans: debilibus uerò, laurinum oleum immiscens. Rursus inueteratas quidem, ac difficulter curabiles, cum fortibus persanare conaberis: incipientes autem & paruas, cum imbecillis.

*Peccata infra modum non adferũt detrimentum*

*Vetusta pharmaca suas facultates amittere.*

*Vigor medicamentorũ ex quibus notis expendi queat.*

*Alopecijs congruentia medicamenta simplicia.*

*Limnius.*

*Adarcium.*

## Ad alopecias composita.

Euphorbij, thapsiæ, laurini, sing. drach. ij. sulfuris uiui, ueratri, utriusq; drach. i. ceræ drach. vi. Misceto, utitorq́ hoc, ceu fortißimo pharmaco, ad inueteratas, ægreq́ curabiles alopecias. Si thapsia non adsit, pro ipsa licet tantundem adijcere seminis nasturtij, aut erucæ, aut ipsiusmet nasturtij. At loco laurini, picẽ liquidam pones. Admiscui etiam aliquando mel, nec deterius euasit pharmacum. Porrò quæ ex adipibus, ac modica item thapsia constant, similiter prosunt, præsertim si euphorbium & adarcium addatur. Sit autem adipis leonini, pardalij, & hyænæ, cuiusque pars una, quibus miscere anserinum atq; ursinum poteris: ita ut ad duodecim adipum uncias, thapsiæ aut ephorbij unciam unam inijcias: quanquam ambo etiam potes adijcere, si efficere fortius pharmacum uelis. Auspicari autem semper à leuioribus cõuenit, & respectu effectus, quem pharmacum primò admotum produxerit, sic facultatem eius aut lenire, aut augere. In alopecia igitur, primū quidem capillos nouacula tollere expedit: dein affectam cutem per linteolum nec asperum, nec molle uimis, confricare: ac uidere ad quantum ruborem per huiusmodi motionem peruenit. Magnam nanq; spem successuræ curationis tibi inijciet, si per modicas defrictiones rubefiat: quæ moderatæ affectionis significatio existit. Si uerò per multas frictiones tandem succedat rubor, grauiorẽ tum affectionem, tum curationem indicat: præsertim si quædam cuticulæ, etiam si multùm eoufricentur, uon rubescant. Præ omnibus autem cauendum est, ne in fortium pharmacorum admotione, cutis ultra quàm par sit, concalescat: id quod tum ex colore ipsius, tum tactu deprehendes. Colore nanque flauior apparebit, & digitorum contactu satis calidam agnosces. Quare tunc ad molliora transeundū: aut eodem utendum quidem, sed cerati, aut adipis, aut liquoris cuiuspiã oleosi, ui ipsius exoluta. Vtendum est & olei calidi dulcis irrigatione, & cataplasmate ex pane, fomentisq́ & scarificationibus: necnon cucurbitis, & cerati inunctionibus. Cæterùm perseuerante affectione, utendum est assidua rasura, & rubificatione ex sinapi, præscriptisq́ frictionibus: sequentibus autem diebus, illita pice, aut oleo cedrino, & post frictionem, scarificatu. Quidam uerò acicularū aceruo affectam cutim compungunt. Post hæc omnia, pharmacis quæ ex alto euocare, & meatus transmutare posſint, utendum. Curandum autẽ perpetuò est, ut in aëre calido, insolatoq́ (si id fieri poſsit) omne pharmacum applicetur. Hyemis uerò tempore, præstiterit in balneo his pharmacis uti. Porrò alcyoniū ustum, illitumq́ ex lucernarum oleo, mediocres discutit alopecias, pharmacum mediocre cùm sit. Est autem lucernarum oleum communi magis tenuium partium.

*Alopecijs inueteratis optimũ medicamen.*

*Leuioribus medicamentis esse in primis utendum, quãdo alopecijs medemur.*

*Alopecia facile curabilis argumentum.*

*Alopecia rebellis curatio.*

*Alcyonium.*

*Lucernarum oleum est tenuius communi.*

Aliud Heræ, ad molli carne præditos.

Sem. erucæ, & nasturtij, nitri, sing. partẽ unã: contritis affundito picem liquidam, utitorq́.

Aliud à Critone descriptum.

Erinaceorum cinere permisto ursino adipi, utitor. Aliud. Calami radices ustas, adipeq́ ursino exceptas, impone.

Aliud ad inueteratas.

Muscerdæ, thuris, cuiusque drach. ij. aceto acerrimo dissolutis utitor. Aliud. Cinerum ranarum minimarum in ollula ustarum, muscerdæ, ueratri albi, radicis calami ustæ, piperis albi, singulorum æquis portiouibus aceto exceptis, fricato.

Aliud ex libris Cleopatræ.

Sandarachã tritam, largoq́ uisco querno exceptam, loco per nitrū prius præparato, imponito. Aliud. Scillæ, ueratri albi, utriusq; drach. i. ex aceto trita, prærasis & nitro eoufrictis, imponito. Aliud. Muscarum capita contrita affrica.

Aliud præcellens. Murium domesticorū ustorum, panniculi ampelini usti, dentium equinorū ustorum, adipis ursini, medullæ ceruinæ, corticis calami, singulorum ęquis portionibus simul exceptis melle, utitor.

Aliud Archigenis, ad alopecias in altum progressas. Cum aceto, nitri gleba, aut fici folijs,

*Alopeciis altius progressis remedia Archigenis.*

liis, usque ad dilaniationem defrica: deinde deterso sanguine, betam ex uino coctam impone. Aut caricas ustas, cum uino, aut lentis farinã ex uino, pro cataplasmate adhibe. Aut cantharidas ustas, pice liquida exceptas, ad ceratiq; liquidi formam redactas, impone. Aut testudinis marinæ sanguinem illine. Aut thapsiæ succum cerato exceptum illine.

Aliud Asclepiadis Bithyni.

Spumę nitri partes duas: salis ammoniaci partem unã: quibus tom ustis, tum tritis, acerrimoq; aceto dilutis, prę scalptã leuiter alopeciã illinito.

Aliud Sorani.

Stercoris felis aut crocodili drach. viij. sinapis drach. iiij. ex acri aceto læuigatas imponito.

Aliud. Fici folia cũ aceto, donec lanugo prodierit, affrica: dein stœbes succũ illine. Aliud. Locũ per pumicẽ proritato, & sulfuris, spumę uitri, ammoniaci, sing. ęquas partes mixtas cũ aceto illinito.

Ad caluescentes præter ætatẽ, & ad menti pilos nõ nascentes, remedium.

*Caluescentibus maturius, remedium.*

Adipis taurini insolati lib. i. adarces vnc. i. succi thapsiæ vnc. i. s. myrrhæ vnc. i. polytrichi, callitrichi, sing. lib. s. membri asinini, splenis asinini, ladani, sing. lib. i. Ladanum in modico uino conterito: adipem ad aquæ uaporem liquefacito: dein asininum membrum assatum, donec insumatur, radito: splenem uerò cum polytricho & callitricho in noua olla torrefacito: omnia deniq; contusa gleucino, aut sabino excipito, & ante balneum iis utitor. Sciendum autem est, ladanum sordes esse ab hircorũ barbis desumptas, quas illi sibi ex cisthi madore contrahunt.

*Ladanũ esse sordes ab hircorum barbis desumptas.*

De capillorum defluuio.

*Capillorum defluuij causa.*

Est & alia pilorum affectio, quæ ad raritatem cutis, inopiamq; substantiæ pilos gignentis, consequitur, maximè superueniens à morbo conualescentibus. Quapropter curatio etiam hoc modo læsorũ nõ eundem scopum, quem alopeciæ, habet. In alopeciis siquidem, ut uitiatus humor consumatur, primariũ scopum habemus: in his uerò, ut capitis habitum roboremus, & alimentum boni succi attrahamus, cutisq; densitatem & raritatem moderatã restituamus. Quamobrem ad pharmaca humectantia aliquid moderatè astringens admiscere oportet, quale est ladanum, quod utraq; in se moderatè complectitur, quæ ad hoc symptoma conueniunt: caliditatem nempe mediocrem, & astringendi uim moderatam. Quare si capiti prius raso, perfricatoq;, aliquo mediocriter astringenti oleo (cuiusmodi Hispanum, & lentiscinum est) illinatur, maximè ex usu est. Nam quæ uehementer astringunt, omnia etiam refrigerant, & alimenti influxũ reprimunt: propter cuius inopiam capilli defluũt. Atqui intentio nostra est sanguinem affluentem non modò non præpedire, sed etiam prolectare: cogere autem sensim, & astringere rarefactam cutem. Quare ad defluuios capillos omniũ præstantissimum medicamen est, quod ex ladano, & lentiscino oleo conficitur. Quòd si largè defluant capilli, maiorq; uideatur esse raritas cutis, pro lentiscino, myrteo utendum. Licebit aliquando unguentum adhibere nardinum, in ætate frigida, & hyemali tempore: sicuti in diuitibus foliatũ, & spicatum. Debet autem ladanũ liquari in duplici uase, ac reliqua postea illi misceri. Atq; hæc sanè medicamenta mihi suffecerunt, unà cum refectoria, salubriq; uictus ratione, quæ in plerisq; etiam sola suffecit.

*Capillorum defluuij curatio.*

*Astringentia uehementer refrigerãt, alimentiq; influxum reprimunt.*

*Defluuiis capillis optimum medicamẽ est, quod ex ladano & lẽtiscino oleo constat.*

Archigenis remedium contra defluuios capillos.

Ladani & absinthij æquales partes, & iuniperi baccas x. tritas, in linteolum illigato, & in oleo per dies quinq; macerato, ex eoq; caput illinito, & neq; capilli decident, neq; gignentur furfures.

Aliud Cleopatræ, capillos augens citò, densansq; & denigrans.

Ladanum ex oleo, uinoq; dulci læuigatũ incrassatumq;, præfrictis illinito.

Comptoria ab exornatoria medicinæ parte, quomodo differat.

Comptoriæ quidem scopus est, inducere pulchritudinẽ. Exornatoriæ medicinæ partis, quicquid secundum naturam est, id omne in corpore custodire: ad quod etiam naturalis pulchritudo cõsequitur. Indecoro enim aspectu est caput alopecia uitiatum: sicuti etiam oculi ciliis & superciliis nudati. Non solùm uerò ad pulchritudinem, sed multò prius ad ipsam partium sanitatem, pili conducunt. At faciei colorem per pharmaca nitidiorem, aut rubicundiorem reddere, aut pilos capitis crispos, aut fuluos, aut nigros, aut auctos: hæc inquam comptoriæ prauitatis, non medicæ artis sunt opera.

*Comptoria & exornatoria artis pars quomodo differant.*

*Pili ad quid cõferant.*

De tincturis capillorum.

Quandoquidem tamen iam consuetudo hæc inualuit, ut uetulæ quidem passim capillos denigrent, tanquam turpe sit canos habere: mariti autem id probent, spectaculum permolestum censentes, uxorem aniculam cano capite habere: sanè quæcunq; præ deliciis seipsas ornant, earum nulli tale quippiam à me petenti, exhibui: quæcũq; uerò honestiores, tum ut notæ culpam effugerent, tum ut molestias maritorũ uitarent, capillos suos nigros reddere optarunt, iis certè, ne ex astrictoria ui nigrorem inferentiũ oblæderentur, consului, ut cedri liquore uterentur, ita ut tribus aut quatuor horis ante balneum illinerent, & postea detergerent: idq; per quatuor aut quinq; dies facere pergerent. Cedria siquidem non modò nihil lædit, sed etiam cõmoda est eis quæ facilè offenduntur à frigore, abundè uidelicet calfaciens. Ad hæc, defluentes capillos corrigit, & non defluentes, auctiores reddit. Contrà uerò, quæ ex austeris & acerbis composita sunt, magnopere lædunt. Cæterùm materia ex qua constant hæc, etiam quippiam tenuium partium habeat oportet, quò non in superficie tantùm, sed in profundo etiam cutem permutent, progrediendo usq; ad capillorum radices. Non solùm autem in periculo uersatas sæpe scio fœminas, sed & mortuas, ex perfrigeratione capitis ab huiusmodi medicamentis inducta. Offenduntur tamen citius, quæ frigidius capitis temperamentum sortiuntur. Frigidæ nanque particulæ frigidis affectionibus, calidæ calidis corripiuntur facilius. Verùm minus periculum subeunt, utpote cùm à minori causa lædantur, quæ frigidius habent temperamentũ. At calidæ,

*Aniculã & cano capite uxorẽ habere, spectaculum fastidiendum censetur.*

*Capillos denigrari cedri liquore.*

*Similibus affectionibus facilius singula corripi, minus tamen periclitari.*

propterra quòd ægrè & uix tandem lædi à frigidis causis possunt, si quando à magnis fuerint exuperatę causis, maiorem læsionem incurrunt. In morbis siquidem minus periclitant illi, quorum naturæ, ætati, habitui, ac tempori, ipsa ægritudo congruit.

*Periclitari in morbis minus, quibus cõtingat.*

Tingentia capillos, ab Archigene prodita.

*Capillos tingentia, ab Archigene prodita.*

Radicem capparis cum muliebri lacte uel asinino ad tertias cõcoquito, & ad noctem pro cataplasmate imponito. Aut urina canis in quinque aut sex dies asseruata lauato. Aut corticis salicis succum ex oleo affricato. Summè nanque denigrat. Denigrant barbam tuber aridum & plumbum ustum, cum betæ crudæ succo mellis spissitudine illita. Fuluos autem reddunt capillos lupini crudi cum aqua & nitro illiti.

Crispos reddes capillos, si spuma salis cum myrrha confricaueris.

De pharmacis corrumpentibus pilos.

*Pilos corrumpentia pharmaca.*

Ex pharmacis corrũpentibus pilos, quædam propriè psilothra nominantur: quædam capillorum attenuatoria: quędam penitus extirpantia. Atq; hæc sanè ultimò nominata, periculosi sunt usus. Ex liquidis igitur est lixiuium tali ui præditum. Ex aridis autẽ & metallicis, arsenicũ, & sandaracha, & calx non extincta. Manifestum itaq; est, uehementem ipsorum uim, per admistionẽ imbecilliorum pharmacorum frangi: quorum congruentem miscellæ modum cõijciet primò, qui ipsorum uires cognorit. Dein uerò per experientiam defectum corriget, aut etiam addet.

Psilothra Critonis.

*Psilothra Critonis.*

Calcis uiuæ partes duas: auripigmenti partẽ unam. Hęc in mortariũ plumbeũ coniecta, aqua aut ptisanę succo affuso terito: atq; ubi nigra reddentur, calfacta illini, maximè in balneo, iubeto.

Aliud. Amyli, calcis uiuæ, auripigmenti, sing. vnc. i. contritis utitor ex aqua dilutis.

Quæ pilos disperdant.

*Pilos disperdentia.*

Disperdentia pilos componunt ex lepore marino, hepate thunni putrefacto, cedria, ranarum cruore, marinę testudinis sanguine, lachryma uitis albæ, lachryma hederæ, similiterq; bryoniæ, atq; oleo insulso. Ex marinis item scolopendris, urticaq; marina, & stellis marinis, nitro, & amurca, ad hæc admistis. Quin & fortiora his ex erinaceis & salamandra cõponunt, in oleo coctis. Admiscent autẽ ipsis alcyonia, & sandaracham.

Quæ pilos attenuant.

*Pilos attenuantia.*

Attenuantia pilos, detersoriæ sunt facultatis. Igitur hordei, fabarũ, atq; erui farina, spuma nitri, atq; ipsum nitrum, familiaria pharmaca sunt, omnibus ad tollẽdas sordes usurpata. Assiduus autem eorum usus etiam pilos attenuat. Quæcunq; uerò fortius detergent, in ijs qui ualde duros & magnos pilos habent, adhibere oportet. Ac talia sanè sunt, nitrum ustum, nitri spuma, & aphrolitrum spumosum, pumex, testæ ustæ, os sepiæ, utrunq; ueratrum, struthium, bryoniæ & dracunculi radix, aristolochia utraq;, canchry, radix panacis, atq; id genus alia. Quòd si hæc ipsa odorata facere uis, cyperum, melilotum, rosas siccas, iunci odorati florem, iridem Illyricã, melissophyllum, & cydoniam herbam eis admiscebis. Si uerò pro diuitibus pharmacum præpares, spicam nardi Indicam, Celticamq;, & montanam inijcies: necnõ Eretriada terram, folium malabathri, amomum, myrrham, crocum, costum, & hedychroum.

De furfuribus.

*Furfures capitis à serosis succis oriuntur.*

Quibusdam se scalpentibus, furfuribus similia ex capitis cute decidunt: ob idq; medici hoc symptoma furfures uocant, à uitiosis ijsdemq; serosis succis proueniens: quos absumere propositũ est, ijs qui huic malo mederi uolũt. Manifestum igitur est, discussoria & extersoria pharmaca adhibenda esse, præparato prius uniuerso corpore, si uinosis succis redundet. Admiscuerũt quidam huiuscemodi pharmacis etiã astringentia nõnulla, quibus partẽ læsam ita corroborarent, ut non facilè influentes humores susciperet.

*Furfurum capitis curatio.*

Remedium Archigenis contra furfures.

Nitri spumã, & atramentũ sutoriũ æquis partibus, cum uino tundito, utitorq; ter aut quater in mense. Aut uini Rhodij fæcem, & pumicis, & nitri, pares portiones, cum lupinis affrica.

De phthiriasi, hoc est, morbo pediculari.

*Pedunculi in capite à quib. causis oriantur.*

Pediculi nõnullis in capite aceruatim gignuntur, ex multis humoribus calidis quidem, sed nõ ad tantam caliditatem progressis, ad quantam peruenĩũt acres atq; serosi humores. Quare manifestum est, in profundo cutis, pedicularis morbi affectionem fieri, ubi etiam animalcula huiusmodi gigni possibile est: nõ in superficie, in qua ipsi consistunt furfures. Pharmaca itaq; ipsorum necessariò exiccantia sunt, & quæ ex alto trahere & euacuare possunt, magis utiq; quàm ea, quę conueniunt furfuribus.

Remedia Archigenis contra morbum pedicularem.

*Pedicularis morbi remedia.*

Staphidis syluestris partes ij. sandarachæ & nitri, utriusq; partem i. cum aceto & oleo capiti illine. Aut oxylapathi radicem cum oleo. Aut ueratrũ album, & staphidem syluestrem, & nitrũ, pari pondere cum oleo in balneo adhibe.

De achoribus, hoc est, ulceribus capitis manantibus.

*Achores.*

Inter affectus inuadẽtes capitis cutem, achor annumeratur, ex genere tumorum præter naturam existens. quo affectu infestata particula, foraminibus quibusdam tenuibus eroditur, tenui humore modiceq; uiscido redundantibus. Ad similitudinẽ uerò eius proximè accedit alia cutis affectio, quæ Cerion Græcis, Latinis fauus uocatur, habẽs maiora foramina, in quibus humor hymettio melli similis continet. Generatio ipsis ex humore mixto est, qui partim tenuem, serosumq;, ac mordacẽ, partim crassum succũ in se habet. Tenuis itaq; humor, utpote mordax, primũ quidem ad scalpendũ ipsos impellit: progressu uerò temporis, ad scalpturam tum tumor augescit, tum foramina circa ipsum erumpunt. Manifestum igitur est, humores qui affectionem gignunt, debere uacuari. Qui si etiam fluant amplius, prohibendus in primis est ipsorũ influxus per capitis atq; uniuersi corporis euacuationẽ. At uerò si affectio ipsa sit parua, sola remedia localia sufficiũt, uel si minimè totũ corpus uacuet. Ea igitur pharmaca idonea erunt, quæ crassum humorem

*Cerion.*

*Achorum, fauorumq; curatio.*

hnmorem incidant, quæq́ꝫ facultate ſua neceſſariò diſcutiant repellantq́ꝫ. Atqui acetum ex incidentium ordine exiſtens, ultra hoc quòd diſcutit, etiã reprimit, depellitq́ꝫ id quod influit: *cùm nimirũ ſecundum ſubſtantiam ſuam habeat exiguum quid calidi: plurimũ autem frigidi, ſed tenuium partium. Eſſe autem debet acetum exquiſitè acidum, in quo nulla penitus uini qualitas perſentiatur. Ac tali profectò pharmaca metallica imbues, achoribusq́ꝫ ex ipſis medeberis. Incipere autẽ ab imbecillioribus præſtat, præſertim ſi ſimul dolor infeſtet. Apta igitur ad hanc rem ſunt, Cimolia, Cretica, Lemnia, Samiaq́ꝫ terra: præterea pompholyx, ſpodiũ, lithargyros, & cadmia tenella. Quòd ſi his remedijs malũ non cedat, pharmacũ ex charta ſiccũ, aceto dilutũ illinito. Prius tamen capillos abrades. Quòd ſi quando in ulcus manans inflammatũ ſimul & afflictum dolore incidas, lenies primũ dolorem ipſum per humectum concoctoriumq́ꝫ & emolliens pharmacũ, & quod acrimoniã arcere poſſit: cuiuſmodi ſunt tum uocatũ Parygron, tum quæ ſedis ulceribus, & cancris opitulantur.

*Aceti facultas.*

Remedia Archigenis ad achoras.

Cadmiã cum oleo ueteri illinito. Aut cinnabari ſimiliter tritũ imponito. Aut chalcitidem cũ myrteo oleo, uel ſuillo felle liquido inungito.

Remedia Apollonij ad achoras.

Caput ſucco betæ illinito, aut laurino oleo, aut crocino unguẽto, aut taurina, aut camelina urina. Vel furfurũ chœnicem dimidium in aquæ heminis duabus madefacito, poſteaq́ꝫ terito, cremoremq́ꝫ excolato, cumq́ꝫ dimidia aceti hemina ad lini ſpiſsitudinẽ coquito, & ex eo caput fricato. Vel cucumeris agreſtis radicũ coctarum ſucco partẽ læſam illinito. Vel argenti ſpumę drach. viij. foliorũ rutæ tenerorũ drac. v. olei drach. viij. aceti quartam partem heminæ, ſimul trita capiti illinito.

Quæ Crito ad achoras prodidit.

Ficulneæ ſurculos, aut folia tenera trita cum aqua imponito. Aut recrementi ferri, & roſarũ par põdus cum uino tundito, imponitoq́ꝫ. Vel lithargyri drach. I. foliorũ rutæ tenerorũ drach. xxv. aceto diluito: & roſaceo, aut myrteo excepta, cum penna illinito. Vel, ſi affectio fuerit inueterata, ladani, ceruſſæ, ſing. drach. viij. ſulfuris uiui drachmas iiij. uino & myrteo oleo ſubactis utitor.

Ex libris Cleopatræ ad achoras.

Fœnogræco tenui cocto, & in betæ nigræ ſucco macerato, caput eluatur. Poſt ablutionẽ uerò myrto cum uino & oleo trita, illinatur: ſuperneq́ꝫ betæ folia imponantur. Vel ceruſſæ, thuris, ſing. drach. ij. ſulfuris drach. i. trita ex oleo illinito.

Remedia Sorani contra achoras.

Plumbaginis, ſulfuris uiui æquales partes terito, & affuſo roſaceo, aut myrteo, aut lentiſcino, illinito. Vel ſulfuris uiui, lithargyri, ceruſſæ ſing. æquas portiones, croci dimidiũ, trita cum paſſo Cretico illinito.

Ad pſydracia & achoras, puſtulasq́ꝫ ulceroſas, & eruptiones in capite.

Ad affectiones præſcriptas, conuenienti uti oportet uictus ratione: corpusq́ꝫ atq́ꝫ caput purgare, catapotijs ex aloë, colocynthide, & ſcãmonio, ſucco braſsicæ coactis. Dein localia remedia adhibenda ſunt: cuiuſmodi exiſtit adiantum ex roſaceo illitum: aut fœnigræci decoctum affrictum: aut malua cum farina hordeacea pro cataplaſmate impoſita: aut melilotũ cum farina fœnigræci, cicerumq́ꝫ decocto impoſitũ: aut ipſummet cicer decoctum, impoſitumq́ꝫ: aut amarę nuces cõmanſæ & illitæ. Diſcutit autẽ maximè & lilij radix affricta: & thus cum uino & aqua, & lupinorum amarorũ decoctũ, & bulbi cum nitro affricti: thus præterea ex aceto illitum, putamen mâli punici cum laurino illitum, & anchuſæ radix uſta, tritaq́ꝫ cum oleo, & per pinnã inuncta.

*Puſtularũ capitis medicatio.*

## GALENI PERGAMENI de compoſitione medicamentorũ ſecundum loca, lib. II.

QVi citra diſtinctionẽ ſcripſerunt auxilia doloris capitis, maius detrimentum q̃ emolumentũ attulerũt ijs, qui eis fidem adhibuerunt. Nec enim omnes ob unã affectionẽ caput dolent: ſed tum ipſę affectiones plures ſunt, tum curatio ipſarum ſingulatim propria exiſtit. Vna etenim affectio eſt iuxta intemperiem ſimplicẽ citra humorũ affluxum: alia iuxta humorũ qualitatem uerſatur: tertia ſecundum eorum ſolam multitudinem accidit: quibus accedit quarta, cùm tranſitus liquorum atq́ꝫ uaporum ipſi humores obturant: ac præterea quinta, dum in quibuſdam capitis partibus, propter imbecillitatẽ ſpiritus flatuoſus innaſcitur. Eſt cùm ob cauſam aliquam procatarcticam (cuiuſmodi ſunt ardor extrinſecus, aut refrigeratio, aut ebrietas, aut ictus) dolor capitis accidit. Vehementiſsimi igitur capitis dolores fiunt iuxta caliditatẽ & frigiditatem, maximè cùm inæquales fuerint: moderati autẽ iuxta ſiccitatẽ: ad humiditatẽ uerò nullus conſequitur dolor. Eodem modo cùm ob redundantes humores capitis dolor oritur, uehementior quidem ob calidos & frigidos accidit: moderatior autẽ, ob exiccantes citra calorẽ aut frigus. Humectantes uerò, penitus nullũ dolorẽ inferũt, quantũ ad qualitatẽ quidem ipſorũ attinet: nam ob multitudinẽ ſanè, inſtrumentalium partiũ morbos efficiũt, nõ tamen ſimilariũ particularũ ullum aliquẽ: cùm nimirũ earũ morbi in pura intemperie conſiſtant. Ad hæc affectiones ob copiã humorũ ortæ, citra quidẽ obturationẽ caput grauãt: cum obturatione uerò, ſi quidẽ ea moderata fuerit, moderatè dolorificæ fiunt: ſin fortes, uehementer affligunt. Quòd ſi etiã mordacem qualitatẽ multitudo humorũ ſortiatur, etiam iuxta hanc dolorẽ augebit. Quod uerò ad naturam affectarũ particularũ pertinet, interdũ quidem extra caluariam affectio fit, aliquando intra: & interdum quidem omnes externas, aut internas partes infeſtat: interdum autem nõ omnes, ſed unam tantũ ſpeciem corporis, arteriam nempe, aut uenam, aut neruum, aut membranã aut cutem, aut ipſum deniq́ꝫ cerebrũ. In uniuerſum igitur, ſingularũ affectionũ curationis ſcopũ ratio nos docet. materię uerò facultates experiẽtia cõmonſtrat. Porrò aliquãdo ſola intemperie

*Capitis dolorũ diſcrimina, & generationes uaria.*

*Dolor capitis nullus ad humiditatem conſequitur.*

*Similariũ particularum morbi in pura intẽperie conſiſtunt.*

*Capitis dolorũ diſcrimina, ſecũdum differentiã affectarum particularum.*

calida ex insolatu laborat caput: aliquando cum ipsa intemperie accedit etiam humorũ affluxus, pręcipuè cùm uniuersum corpus laborat plethora, quæ fit ipsis quatuor humoribus ex ęquo auctis: aut etiã sanguine solo. Nam cùm alius quispiã humor redundarit in corpore, nõ plethorã, nec simpliciter plenitudinem, sed pituitæ, aut bilis flauæ, aut atræ, tunc plenitudinem dicimus.

*Plethorã fieri, quatuor ex æquo humoribus auctis, aut etiã sanguine solo.*

Igitur eis qui ex ardore caput dolẽt, cutis tactui aridior ad primũ contactum apparet: oculosq; rubros habent, ac frigidis tum perfusionibus, tum illitionibus, oblectantur. Principio itaq; repulsoria curatione est utendum, ex refrigerantibus, astringentibusq; cõstante. Postea uerò mitigatoria & concoctoria pharmaca, ad repulsoria miscere oportet. Deinde etiã ex discussorijs quippiam addendum, paulatim detractis pharmacis quæ repellunt. Optima sunt autem cẽsenda, quæ substantia tenuiũ partiũ sunt prædita. Quapropter in principio quidẽ melius est frigidissimum rosaceũ perfundere, iuxta frontẽ nẽpe, & tẽpora & occiput: nõ tamẽ longè inferius. Neq; enim facilè exuritur ea pars: neq; etiam citra noxam, refrigerantia sustinet, propterea quòd istlic principium medullę spinalis existat, ad stipitis modũ in ramulos cõplures diuisę, uidelicet in sexaginta (ut existimo) neruos. At uerò regio capitis iuxta sinciput, propter laxitatem coarticulationis ad coronalem suturã, & ob ossium tenuitatẽ & raritatem, facilè tum caliditatem, tum frigiditatem omnium quæ adhibentur pharmacorũ, intrò distribuit. Quare siue refrigerare oporteat ex caliditate ardorẽ, siue calfacere frigiditatẽ, aptissimus est capitis iuxta sinciput locus. Rosaceum autem ipsum, quo in exustis utemur, ex oleo crudo (quod omphacinũ appellant) citra salis admistionẽ, confici debet: nempe rosis q̃plurimis in eo maceratis. Sit autẽ rosaceum nõ uetus, sed eo ipso anno cõfectum. Proximũ à rosaceo chamæmelinũ existit, quo utendum in ijs corporibus est, quibus inducere uehementem frigiditatem ueremur: qualia sunt fœminarũ, eunuchorum, puerorumq;, ac breuiter eorum omniũ, qui molli carne sunt præditi, albumq; colorem sortiuntur. Refrigerabis autem quæcunque adhibere uoles, in aqua uehemẽter frigida collocata: quæ si non adsit, niuem uasculo circumpones. Etenim frigidorum fontium & niuis maxima Romæ est ubertas, quemadmodũ apud nos in Pergamo. In regionibus autem calidis, qualis Aegyptus est, ubi maxima fontiũ frigidorũ atq; niuis penuria, sub dio rosaceũ per integrã noctem exponi debet: eiq; semperuiui, aut portulacæ, aut lactucę, aut psyllij, aut polygoni succum inijcere oportet: sicuti & solani aliquando paululum, & pampinorũ uitis, & uuarum immaturarũ. A papaueris uerò & mandragoræ succo abstinendũ, cùm non citra damnũ refrigerent. Vitanda etiã sunt, quæ cum refrigeratione manifestè astringunt: aut perexiguũ quid ad refrigerantia miscẽdum, si quando necessitas postulet: propterea satiè & solani succũ aut nunq̃ penitus, aut modicè certè admiscemus: sic etiã & mâli punici, & mâli cydonij, & mespili. Ad hanc tamen rem mâlorũ punicorum acidorum succus præstantior est:

*Doloris capitis ab ardore contracti indicia, & curatio.*

*Occiput nec facile exuri, nec citra noxam refrigerari, principiũ spinalis medullæ cum sit.*

*Spinalem medullam in sexaginta neruos distribui.*

*Sincipitis regionem esse aptissimam ad transmittẽdas uires applicandorum medicaminum.*

*Rosaceum exustis cõmodum, qualiter confici debeat.*

*Chamæmelino oleo in quibus sit utendum corporibus.*

*Refrigerandi medicamẽta ratio.*

*Pergamus Galeni patria.*

*Stupefacientia, & quæ uehemẽter astringũt refrigerando, uitãda in capitis doloribus esse.*

*Refrigerãtium symna, quibus tuto uti in capitis doloribus possimus.*

magis enim refrigerat. Equidem aliquando cucurbitæ cremorẽ permiscui omphacio. Poterit etiã quis similiter seridis succo uti, necnon tum hortensis, tum syluestris lactucæ. Quin & mororum nõ admodũ maturorũ succus est aptus ad refrigerandum. Si igitur caluus sit æger, aut breues habeat capillos, uberrimè refrigerari poterit, tum per iam dicta, tum per omnia illa quæ erysipelatis auxiliant.

Qui ex frigore caput dolent, ijs facies decolor, minimeq; arefacta conspicitur: & frigidis neq; gaudent, neq; item iuuant. Si igitur frigiditas ipsa sit recens, solum rutaceũ oleum, si calidum affundatur sincipiti, perfectè hominẽ liberat. Si uerò uehementiori calore sit opus, euphorbiũ oleo indat, & pharmaca quæcunq; constant ex pipere. Inungenda autẽ est facies, ac tum aures, tum nares, præcipuè irino, amaracino, & nardino unguentis: necnon foliatis spicatisq; uocatis. At opobalsamũ sæpe experti sumus ad nullã affectionẽ calore indigentẽ, euidenter opitulari. Sampsuchinũ autem, laurinũ, & serpyllinũ cõmendo. Propinandum præterea ijs est uinum tenuium partiũ: & motus corporis præcipiendus, lauacraq; calida: & quandoq; à raphano uomitus.

*Doloris capitis ortis à frigore indicia, & curatio.*

*Opobalsamum ad affectiões indigentes calore, non magnopere opitulari.*

In capitis autem inueteratis affectibus necessariò pilos radimus, aut præsecamus ad cutim usq;: ac rasis quidem admouemus pharmaca emplastica: liquida uerò ijs, qui breuissimè habẽt capillos præsectos. Ac sanè medicamenta refrigerãtia, ex ijs quę erysipelata curant, sunt transferenda: calfaciẽtia uerò, ex pharmacis calfacientibus conficienda: quorũ simplicissimũ est ex euphorbio compositũ. Sufficit autem unciam euphorbij unam, ad tres ceræ liquefactæ in olei libra una, cõijcere. Atq; utendũ quidem astringenti oleo, ad affectiones quæ indigent calore, nõ est: sed aliquo tenuiũ partiũ, cuiusmodi Sabinũ existit.

*Dolorum capitis inueteratorũ curatio.*

Quibus autẽ ob potionem calidiorũ uinorum, caput repletum uaporibus aut humoribus calidis (solent enim hi uel absq; uini potu, suapte natura ad caput attolli) dolore affligitur, iubendi ij sunt, si crudũ adhuc in eis uinũ permaneat, ut hausta aqua tepida uomant. Quòd si etiam post concoctionẽ caput doleant, refrigerantibus ac repellentibus est utendum: quale est rosaceum per se, & cum aceto, aut hederæ & brassicæ cremore. Quin & ipsa brassicæ folia calida macerata, capitiq; circũposita, ac obligata, naturaliter ebrietati resistunt. Cæterũ somni quietisq; cura in primis habenda est: ubi uerò per totũ diem quieuerint, ad uesperam loti, cibis boni succi nutriendi sunt, non tamen calfacientibus. Sunt autẽ tales, ptisanæ succus, & sorbitio ex alica, & panis ex aqua, & oua sorbilia absq; garo. Admisceatur autẽ eis ex melle, uel ex sale condimentis aromatũ præparato, quantum sit satis ad suauitatẽ saporis. Ex oleribus congruit illis lactuca, utpote boni succi atq; refrigeratoria: necnon brassica, ut quæ uapores reficcet: sic & ex leguminibus lens. Potu uerò omnino aqua utendũ est. At quia nõnullis uentriculus à frigidæ potu subuertitur, mâlum punicũ ipsis superedendũ est, aut solũ per se, aut cum alica flaccida calida, probeq; cocta. Quin & mâla Cestiana appellata in urbe Roma, citra cocturã quidem

*Dolorum capitis ab ebrietate curatio.*

*Cestiana mâla*

quidem ſunt auſtera: poſt coćturam uerò, ſtomacho euadũt cõmoda. Coquenda autem ſunt ad uaporẽ aquæ ſuſpenſa. Abſtinendum uerò à palmulis eſt, ut quæ ex proprietate dolorẽ capitis excitent. Quòd ſi moderatè iam habeant, & aquam bibere nequeant, permittendus eſt eis potus alicuius uini diluti & aquoſi, quale eſt in Italia Sabinum, in Aſia Titacazenum. Quin & moderatè habentibus, gallorũ teſticuli & alæ, & ſaxatiles piſces, molleſq;, exhibendi ſunt: necnon columbarũ pulli. Hæc uerò omnia, citra garum & uinum, in albis ſimplicibuſq; coquantur iuribus, quæ ex aqua, oleo, anetho, ac modico porri conſtant: ad coćturæ finẽ, ſalis pauxillo adiećto. Cæterũ ante cibum quidem pluribus deambulationibus eſt utendum: poſt acceptũ uerò cibũ, breuibus ac lentis. Oportet tamen nec multa edisse, nec ſtatim poſt cibũ ſumptũ inambulare, ſed poſt duas, aut tres, aut plures horas. Quòd ſi quando à uaporibus aut humoribus in caput ſublatis, reliquiæ quædã ſuperſint, in poris ipſis, meatibuſq; anguſtis impaćtæ, & ob id etiã perſeueret capitis dolor, non roſaceo, ſed utendum primũ chamæmelino eſt, moderatè calido: poſtea uerò irino. In balneo uerò caput calida perfundatur, non modò ut aliquid eorum quæ circa ipſum conſiſtunt, diſcutiatur, ſed ſomni etiam conciliandi gratia. Quapropter ſecundũ etiam, aut ternũ, ad ueſperam, balneum apparandum eſt: poſt quod exhibendæ lactucæ ex aceto, cui pauxillum, aut omnino nihil gari additum ſit: uerùm aqua affuſa multa, ita ut acetũ exæquet: niſi acetum ſit planè aquoſum, quale utique illi deſiderant: quandoquidem quod acerrimũ eſt, aliquem calorem ſortitur. Poſt hæc uerò poſtera die, quæ magis caput calfaciant, adminiſtranda ſunt: ita ut ad irinum, aliquãdo amaracinum unguentum, aliquando nardinum addamus.

*Palmulas ex proprietate excitare dolorem capitis.*

*Albi iuris compoſitio.*

*Balneum conciliat ſomnum.*

At capitis dolor ob plagam conſpicuam ortus, nihil eſt aliud quàm inflammatio, quæ non ex plaga ſolùm aut caſu, ſed abſq; manifeſta etiã cauſa, iuxta omnes partes fieri ob affluxum humorum conſueuit. Si igitur plaga uulneris aut contuſionis exiſtat cauſa, plures ſcopi erunt ad inuenienda præſidia. Vnus qui circa uulnus uerſatur, quod, poſteaquàm fuerit conſtrićtum fibulis, glutinantia & arcentia phlegmonem medicamenta poſtulat. Secundus contuſioni eſt intentus. Tertius totus in doloribus eſt: qui interdum quidem in ipſis ſolis percuſsis partibus fiunt, plurimum autem ad uicinas etiam partes ſe extendunt. Etenim pericranium, & eius cutis exterior, propriam continuamq; ſubſtantiam habent, per totum caput extenſam: ob idq; ſanè contingit uniuerſum caput dolore affici, præſertim ſi ad perioſtion membranam, quæ cranio eſt adhærens, plaga ipſa penetret: cui medebimur diuidentes pericranium membranam, ſubditumq; illi os radentes, utq; illic rurſus concreſcat caro, curantes. Quòd ſi ob cõmercium illud quod per ſuturas perioſtion habet cum duro cerebri inuolucro, etiam intra caluariam diſtribuatur phlegmone, non abſq; periculo talis dolor contingit. Contingit autem non rarò, ubi quis ex ſublimi cecidit, ut aliquid circa cerebrum, aut membrana eius, rumpatur: quod ubi cõtigit, adhuc amplius inualeſcit ipſe capitis dolor, affećtioq; tota ægrè curabilis redditur, & periculum maius, magiſq; præceps imminet. Optimum itaq; fuerit in his, niſi ætas prohibeat, uitaliſue facultas appareat debilis, curationem à uenæ ſećtione auſpicari: & conuenientibus capitis irrigationibus ſubinde uti, oleo dulci imbuẽtes lanam, capitiq; illam circumponentes. Quòd ſi aut per ætatem, aut uires, non liceat ſanguinem ipſum detrahere, deijcienda aluus per clyſmum eſt, tum ut eius excrementa uacuentur, tum multò magis ut reuellantur humores ij, qui conſueuerunt ferri ad affećtas particulas. Poſtea uerò auxilijs utemur ad inflammationes congruentibus. Si igitur membrana cerebri uulnerata fuerit, egregiè ipſam conglutinat (ut ait Archigenes) calaminthæ ſuccus infuſus, & farina milij arida inſperſa: deinde butyrum & roſaceum, ac adeps ſuillus inſulſus, uetuſq;, omnia in unũ cõmixta, tepefaćtaq;, & infuſa. Hoc modo affećtos, à uino & cibis craſsioribus abſtinere oportet, maximè ſi correpti ſint febri. Etenim affećtio ipſa nobis auxilia indicat: quantitatem autem ſingulorũ, particularemq; materierũ differentiam, tum affećta particula, tum ægri temperamentum cõmonſtrat: necnon uitalis facultas, deinde ætas, ambientiſq; nos aëris temperies, iuxta regiones, anniq; tempora, & prædominantem anni conſtitutionẽ euarians. Porrò ad phreniticos, quando quidem omnia, quæ extra caluariam circa cutem atq; ipſum pericraniũ conſiſtunt, immunia ab affećtu ſunt, rećtè, mea quidem ſententia, alijs pharmacis acetum miſcuerunt ueteres. Siquidem ad affećtiones in profundo deliteſcẽtes, pharmaca diuerſa ab ijs, quæ affećtibus in ſuperficie hærentibus congruunt, debent adminiſtrari. Exoluitur nanq; omnium ipſorũ uis in tranſitu per profundũ: & ob id ad propria affećtioni auxilia, aliquando cõtrariæ, & nocentis facultatis pharmaca temperamus. Quippe acetum ex ſe, cùm nec mitigandi, nec laxandi uim habeat, præter rationẽ miſcetur auxilijs ijs, quæ ad dolentem inflammationẽ adminiſtrantur. Quia uerò per ſinciput pharmacũ penetrare uolumus, ob id ſanè aliquod eorũ, quæ in profundum deducunt, miſcemus: interdum quidem frigida facultate, ſed tenuium partium, præditũ, cuiuſmodi acetum exiſtit: interdum uerò calida, quale eſt euphorbiũ. Quocirca, dum craſſæ membranæ cerebri nudæ inſtillamus roſaceum (quod fieri ſolet, ubi oſsiculum aliquod eſt exemptum) ſolum ipſum leniter tepefaćtum infundimus. Cùm uerò citra denudationem, integra exiſtente caluaria, roſaceum cupimus ut per ſinciput ad membranã cerebri penetret, acetum illi, ut ipſum perducat eò, temperamus: cuius uehemens facultas, tum per uiarum tranſitum, tum per roſacei miſcellam, exoluitur. Iam uerò inflammationes quæ in capitis cute, aut etiam in pericranio conſiſtunt, ſi quidem citra uehementem dolorem accidant, per modici aceti ad roſaceum miſtionem iuuari poſſunt: læduntur autem, ſi & magnæ fuerint, & dolorẽ uehementẽ induxerint. Ad hæc, roſaceũ cum aceto,

*Capitis dolor ob plagã ortus, quot medẽdi ſcopos largiatur.*

*Dolor capitis ex ictu obortus, cur ſæpe extendatur per uniuerſum caput.*

*Capitis dolor ex plaga, quando exiſtat periculoſus.*

*Meningem cerebri uulneratam conglutinantia.*

*Affectiones ſitæ in profundo, diuerſa pharmaca ab ijs, quæ hærẽt in ſuperficie, deſiderant.*

*Acetum cur miſceatur roſaceo ad phrenitidẽ.*

*Fracto cranio, commodè inſtillari roſaceum tepens in craſſam meningem.*

*Acetum quando ſit roſaceo miſcendum ad affectiones capitis.*

*Acetum roſaceo miſtum, quibus proſit, et quibus obſit inflammationibus.*

incipientibus: in uigore uerò consistentibus, rosaceum solū administramus: quemadmodū etiā in induratis, absinthium ei atq; pulegium miscemus: nam quæ absq; duritie iam decrescunt inflammationes, pharmaca laxantia desiderant. Poerò ad dolores capitis, in quibus exiccare est animus, commodissimū cataplasma ex lolij farina & adipe anserino conficitur.

*Myrrha odorem conciliare dolorem capitis.*

Sciendum autē est, myrrhæ odorem plurimis etiam sanis dolorem capitis conciliare: unde eos ipsos qui iam caput dolent, non parum offendet.

*Opio quando ad capitis dolorem vti debeamus.*

Opio autem eo tantùm tempore uti cogimur, dum præ doloris uehementia æger de uita periclitatur. Extinguit siquidē sensus, maximeq; solidas partes offendit, adeò ut postea correctione sit opus.

*Hominem in multis hallucinari.*

Cùm autem difficile sit, ut qui homo est non in multis hallucinetur, quædā uidelicet penitus ignorando, quædā malè iudicando, quædā negligentius scriptis tradendo: mirum cuiquam esse non debet, si aliquando deliquisse comperiatur Archigenes, in ijs quę de curatione capitis doloris conscripserit.

De capitis dolore à uentriculo exorti.

*Capitis doloris ob ventriculū cōsortium oborti, & indicia, & curatio.*

Nonnulli autē uel si modicus humor in eorū uentriculo colligatur, & præsertim circa os eius, statim caput dolent: atq; ob id, si diutius à cibo abstineant, offenduntur. Augetur quippe esurientibus eiusmodi humorum malitia. Cùm igitur huiusmodi affectus capiti proprij non sint, sed ab humorum noxijs uaporibus à uentriculo uolitantibus exoriantur: quemadmodum etiam ob id genus succos, alijs suffusorum symptomata eueniunt: capiti adhibenda remedia non sunt, sed q̄celerrimè qui in uentre cōtristant succi, uacuandi. Vacuantur autem in ijs qui ad uomitum sunt procliues, facilè ab aquæ potu: ægrè uerò uomentibus, difficilius. His igitur conabimur q̄primum cibum boni succi, ac uentriculo cōmodum exhibere, si res ita ferat, à balneo: si non, ante balneum tantum cibi offeremus, ut non lædantur inde postea lauantes. A cœna autem modicum absinthij in potu dabimus: postridie uerò, in posterumq;, similem uictus rationem illis instituemus, donec exactissimè concoquant. Quo tempore iam licebit illis modicum panis præbere circa tertiam aut quartam horam, aut citius, aut tardius: sic tamen, ut satis amplum spacium ad consuetam balnei horam intersit. Quòd si qui panem absque obsonio edere nequeant, his oliuas, aut palmulas, aut uuas, aut tale quippiam addemus, iuxta naturæ cuiusq; proprietatem.

*Vitiosi succi in ventriculo colligendis, quæ conferant.*

Cæterùm ad prauorum in uentre colligendam succorum copiam, plurimū conducit tum imbecillitas cōcoctricis potentiæ, tum oris uentriculi infirmitas: quemadmodū etiam ad capitis hinc dolores gignendos, tum facilitas sensus, tum caput ad eiusmodi humorum uapores suscipiendos promptum: sicuti etiam & in nōnullis oculi.

*Famem aduersari ijs qui mordaces humores collegerūt in ore ventriculi.*

Qui igitur propter acres humores caput dolent, mordacem dolorem, non tensiuum, percipiunt: at fames in tensionibus commoda est: contraria autem ijs, qui mordaces humores collegerunt in ore uentriculi. Qum itaque hic mordax humor fuerit amarus, pallida & flaua bilis uocatur: quæ ob leuitatē insitam sursum fertur, ad os uentriculi: cùm uerò pituitosus, aut acidus, aut salsus fuerit, magis in totius uentris spacio cōtinetur: ac fuerit sanè optimū, si in fundo uentris is contineatur. Omniū autem est pessima constitutio, dum uitiosi humores, uentris tunicis inelubiliter sunt defixi, & imbibiti: quibus educēdis optimum remediū est hiera piera, cuius talis sit compositio:

*Hiera piera optimū medicamentū ad expurgandos humores tunicis ventriculi infixos, descriptio.*

Aloës drach. c. cinnamomi, spicæ nardi, xylobalsami, chiæ masticḥes, asari, & croci, sing. drach. vi. Præstantius autem est pharmacū, ubi minus de aloë additur, minusq; etiā ex croco: quandoquidem nōnulli ex usu ipsius oblæduntur capite, id quod sæpe ex solo eius odore perpetimur.

*Croci odorem ferire caput.*

Quare optima erit ea compositio, quæ aloës drach. xc. croci quinas receperit: qua sanè ipse utor. Præstat etiam pro asaro carpesiū conijcere. Propinatur ad summū ex pharmaco drachma una cum aquæ calidæ cyathis tribus: minimū uerò, dimidiū eius præbetur.

*Hiera piera quibus cōgruat affectibus.*

Cōfert autem hoc pharmacū ijs qui suffusorū afficiuntur symptomatis, & mulieribus quæ nō pro dignitate purgātur. Quemadmodū autem in uentris & intestinorū regionibus ob caloris quidē inopiam, interdum ex cibo ac potu uapor flatulentus producitur: propter imbecillitatē uerò facultatis comprehensiuæ, adeò inflantur atq; replentur ea organa, ut ipsius quidem repletionis ratione tendantur: ob tensionē autem impensè doleant: sic etiam in partibus quæ ad caput pertinent, possunt hæc eadem cōtingere.

*Dolor vnde exoriatur.*

Etenim ob dissolutionē continuitatis partium dissimilariū dolor oritur.

*Continuitatem quæ soluant.*

Dissoluunt autem ipsam, erodentia, dissecantia, distendentia, uehementer calfacientia, atq; refrigerantia. Si igitur erosionis, aut punctionis sensum percipiant ægri, acredo uel humorū, uel flatus, causa putanda est. Si uerò citra morsum tendantur, tensio ipsa uel ab spiritu flatulento, uel ab humoris colluuie, oboritur: quo in genere phlegmone erysipelasq; cōsistit:

*Phlegmone fit à sanguine.*

*Erysipelas oritur à flaua bile.*

phlegmone quidem, ubi plurimū sanguinis affectam particulam occupat: erysipelas uerò, ubi biliosus fuerit is humor.

*Tumores compositi.*

Quòd si ab utrisque redundantibus aliqua pars repleatur, aut inflammatio erysipelatosa, aut erysipelas inflāmatū talis affectio erit.

*Coniectura artis medicæ, in affectuū cognitione consistit.*

Maximè itaq; artis curandi coniectura in affectionū cognitione consistit: quæ ubi inuentæ fuerint, curationē nō coniecturaliter, sed scientificè indicant: cum hoc quòd etiam cognoscere datur, q̄ ægrè aliquæ affectiones medelis cedant: in quibus ut utamur semper remedijs ab indicatione profectis, rationi est consonum, tametsi nihil iuuare in principio uideantur.

*Præsidia optima cur sæpe in principijs nihil iuuare videantur.*

Aliquando enim adeò uehementer in angustijs meatuū flatus uaporosus, atq; eo adhuc magis uiscidus crassúsue humor impingit, ut multo tempore ad curationē sit opus. Ac sanè quæ sic infarcta sunt, attenuare oportet, dilatareq; meatus per quos excernant, habita simul prouidentia, ne quid aliud amplius influat: utq; pars affecta corroboret, ne ipsa etiam flatulentum gignat spiritū. Qui igitur primi ad eiusmodi affectiones pharmaca cōposuerūt, meritò habuerūt opus materia uaria: si quidem influentē substantiam, siue humor, siue uapor ea sit, repellere necessarium

*Impacta esse cõquẽda, attenuãda, discutiẽdaq;*

cessariũ existit: impactã uerò cõcoquere & attenuare, eandẽq; ipsam discutere: ac nihilominus, imò longè magis, affectæ parti robur inducere, ne uidelicet q̃d influit, suscipiat: utq; attenuatũ excernat, impactumq; concoquat, atque subtilius reddat. Ergo in proposita dispositione, si dolorificus calor unà cum spiritu flatulẽto præpolleat, in principio quidem repulsoria curatione est utendũ, quæ ex facultate refrigerante constat. Quod ubi factum moderatè est, ex mitigatorijs & cõcoctorijs quippiam ad repulsoria miscere oportet: dein discussoria addenda, ita ut paulatim repulsoria detrahamus, donec pharmacum ipsum plurimũ quidem digerens attenuatoriumq; reddatur, minus autem concoctorium & mitigatorium, minimum uerò repulsorium. Portulaca igitur refrigerantis & aquosæ substantiæ est: minus ea polygonũ: in solano tantum crassæ & terreæ est admistum, quantũ astrictionis.

*Aceti facultas.*

Acetum repulsoriam simul & attenuatoriam, imò & discussoriam facultatẽ sortitur: utpote quod secundũ temperiem, frigiditate quadam tenuium partiũ præpolleat, nõ secus q̃ exquisitè serenus boreas.

*Borea frigiditatem esse tenuiũ partium.*

*Rosacei facultas.*

Rosaceum porrò, repulsoriæ, cõcoctricis, mitigatricis, ac deniq; discussoriæ facultatis est particeps. Vt ergo sermonem iam habitũ repetam: neq; in biliosis causis iniungenda est inedia: neq; utendum uenæ sectione, si puer aut senex sit æger, aut uiriũ imbecillitas adsit.

*Inedia non esse utẽdum in causis biliosis.*

*Vena in quibus non sit secanda.*

*Clysmos fortes ualde reuellere à capite.*

*Capitis dolentis remedia.*

Licebit autem uti ualidis clysmis, quòd maximè hi possint reuellere à capite, uacuareq; non modò quæ circa uentrem & mesenterium consistunt, sed etiã quæ in simis hepatis hærent. Commendat autem Archigenes irrigationes ex ruta, oleo, & aceto intrita, ad dolores capitis: sicuti & succum baccarum lauri cum aceto & ruta. Sciendum uerò est, aridam rutam esse multò acriorẽ, & calidiorem uiridi.

*Capitis doloris à bile orti, indicia & curatio.*

Qui caput ob humorem biliosum dolent, ijs signa similia sunt eis quæ ab ardore proficiscuntur. Accedit his maior morsus, & faciei pallor, & nonnunquã oris amaritudo. Aetati autem uigoris, & temperaturis calidioribus, & uitæ solicitæ, & ijs qui flauam bilem accumulant, hæc affectio præcipuè contingere solet. Itaq; balnea temperata, & unctiones, & potus dilutus, eis exhibenda sunt, omnisq; uictus ratio tum *humidior, tum boni succi, cõstituenda.

*Bilis quibus medicamentis purganda.*

Euacuandus item biliosus humor per absinthij cremorem est, aut per aloẽ, & per ipsam picram antidotum, per se datam, aut modico scammonij adiecto: uel per catapotia ex aloẽ confecta. Illinenda frons pastillo croceo, aut appellato Trigono, aut aliquo alio his simili. Si cum uniuerso corpore caput consortij lege afficiatur, prospiciendum illi est. Igitur si plenitudo humorum, ac maximè circa uenas constiterit, tundemus uenam. Si uerò magis qualitas inualuerit, utemur purganti pharmaco. Si caput uni tantũ parti condoleat, ut hepati, uentri, aut ipsius ori, illis in primis opitulabimur: nempe calida in ipsis præpollente intemperie, panem ex diluto uino exhibentes, sorbitionesq; ex alica: ac foris etiam utentes irrigationibus, quæ tum refrigerent, tum firmitudinẽ addant. At si ob uiscidos & crassos in uẽtriculo cõtentos humores caput quis dolcat, etiam hos exturbabimus, acetũ mulsum in potu præbendo. Ex hyssopo etiam origanoq; potionibus, & quæ his adhuc ualentiores sunt, magisq; incidendi ui præditæ, utemur: nec non à radiculis uomitu, irrigationibusq; & cataplasmatis calidioribus.

*Capitis dolorũ cum febri ab initio affligentium curatio.*

In doloribus autẽ capitis qui ab initio inuaserũt cũ febribus, uena secanda est, post primã aut secundam remissionẽ, nisi quid impediat: & præsertim in corporibus bonæ habitudinis, & multo sanguine redundantibus.

*Cucurbitulæ quando affigenda occipiti.*

Quòd si serius post septimã diẽ dolor ipse prehenderit, aluo prius abundè per clysterem soluta, cucurbitulæ ad occiput, aut ceruicem, sunt affigendæ: caputq; irrigationibus ex oleo fouendum: rosaceo quidem, & cum modico aceto, in calidioribus, & tempore æstiuo: chamæmelino uerò, in frigidioribus habitudinibus, ac hyeme, quinta parte aceti illi adiecta. Illinenda frons in frigidioribus quidem est, ex cyphi: ex crocomagmate autẽ, in calidioribus.

*Capitis in omni dolore quæ sint uitanda.*

Porrò uitandæ sunt in omnibus capitis affectionib. ea quæ subduntur: nẽpe uiticis semẽ, absinthij succus, lac in potu, glandes quercinę in cibo, oliuæ nigræ, arbuti fructus, eruum, quod etiã exoluit articulos: amplius autem offendunt myrrha, thus, hederæ cacumina. Mentẽ etiã perturbant lentisci fructus, crocus, peucedanũ, ciclaminus sicca cum uino epota.

*Crocus perturbat mentem.*

*Styracis facultas.*

Styrax modicus quidẽ potatus, tristitiam uultus discutit: multus uerò, somnos turbulentos conciliat.

## De Cephalæa.

*Cephalææ descriptio.*

Cephalæa, inueteratus & ægrè cedens capitis dolor uocatᷓ, qui ex leui occasione maximas exacerbatiões habet, adeò ut neq; strepitũ, neq; uoces uehementiores, neq; lumen splendens, neq; uini potum, neq; odoramenta caput replentia, ægri perferre possint, neq; itẽ motũ: sed in quiete & tenebris decumbere ob doloris magnitudinem uelint. Etenim tanquam à malleo percuti sibi uidentur. Sunt qui ueluti contundi ac distendi sibi ea quæ circa caput sunt, sentiunt: non paucis uerò usq; ad oculorũ radices ipse dolor progreditur. Habet autẽ hæc affectio aliquãdo quidem continuos dolores, aliquando uerò exacerbationes, & interualla. Manifestũ igitur est, hanc affectionẽ consimilẽ aptitudinẽ capitis, ut oblædatur facilè, habere, quemadmodũ in cephalalgia.

*Cephalæa magis deijcit facultatem, quàm cephalalgia.*

*Cephalææ uaria symptomata à causis diuersis producta.*

Verùm ad maiorẽ imbecillitatẽ deueniunt in hac affectæ particulę capitis. Ac sanè quidã ex sic affectis, cerebri inuolucra dolitant: quidã pericraniũ duntaxat. Dolores igitur cum grauitate, multitudinem humorũ significant: cum mordacitate uerò, aut humorũ, aut uaporũ acredinẽ: ut cum pulsu, obortã inflammationẽ: at cum tensione, si quidẽ citra grauitatẽ & pulsum accidat, spiritus tenuis ac flatulenti multitudinẽ indicãt: cum pulsu uerò, membranosi corporis inflammationem: at si cum grauitate distentio accidat, humorũ multitudinẽ intra membranas contentam arguit. Rursus, dolores quidẽ in superficie hærentes, pericranij affectionẽ significant: qui uerò in profundo sunt, cerebri inuolucrorũ.

*Dolor capitis intra caluariam situs, cur extendatur ad oculorũ usq; radices.*

Quibuscunq; autẽ affectio intra caluariã est, ijs usq; ad oculorũ radices dolor extenditur, propterea quòd oculorũ tunicę ex cerebri inuolucris suam

ducunt originē. Si uerò putrefactus humor calidior fiat, cum febri capitis dolor inuadit. Febricitant autē omnino, & qui dolent propter inflāmationem. Si igitur totius corporis plenitudo fit in causa doloris, sanabis ipsum, corpore uniuerso uacuato. Si uerò imbecillū existens caput, sublatos ad se humores ac uapores susceptet, materiā reuellere oportet in totū corpus, atq; ita mederi particulæ.

*Reuellendi à capite modi diuersi.*

Reuellemus itaq; & clysmis, & uinculis extremorū, & pluribus infernarū partium frictionibus, interdum etiam sanguinis ex cubito detractione.

*Venam reseratam in naribus conferre ad dolorem capitis.*

Quid si amplius redundare sanguis uideatur, etiam reserata in naribus uena, & sanguine, quantū par sit, uacuato. Dein hieram dabimus exacutam: postea'q; apophlegmatismis elicientibus pituitam, & medicamentis quæ naribus inseruntur, utemur: qualia sunt quæ ex elaterio, & cyclamino, cum lacte & porro apparantur.

*Errhina.*

Caput autē curabis, quādo quidem reuulsorijs uti oportet, per repulsorias irrigationes. Cęterū post totius corporis euacuationē, uteris caput uacuātibus: dein ijs qui firmitudinē addant.

*Caput esse vacuandu post totius corporis vacuationem.*

*Repellentia.*

Repellit igitur immaturum oleum, rosaceumq; per se, & cum aceto, & ex papaueris capitulis, & oleæ teneris germinibus, & hederæ cacuminibus, & mentha uiridi præparatū. Applicentur autem remedia tepida quidem, ubi frigidior & crudior multitudo humorū extiterit: frigida uerò, ubi calidior, biliosiorq;.

*Digerentia.*

Digerit autē oleū dulcissimū calidum, & magis inueteratū, itemq; sicyonium. Si uerò crassior sit copia humorū, spondylium, aut serpyllum, aut pulegij comam, aut calaminthen, aut mentham, oleo incoquēs, multitudinē euacuabis. Eadem hæc parti etiam firmitudinē addunt: quapropter usq; ad perfectam curationem ipsis utendum est. Omniū porrò longè maximè discutit, perfectè corroborat, uerbenaca recta oleo incocta.

*Verbenaca recta facultas.*

Conijcienda etiā ad eam croco diliadis, præsertim iuxta aquas nascentis, radix. Maximè etiā conferunt sub hydrijs aselli nascentes, si oleo incoquantur.

*Aselli.*

*Papaueris capitibus quādo sit nobis utendum.*

Aduerte autē, capitum papaueris usum, tempestiuum esse incipiente affectione: nocere autē, si ijs in dolore inueterato utantur. Iuuant uerò non instrenuè fomenta tum ex semine lini & rosaceo, tum etiam confecta ex milio. nam quæ ex sale fiunt, ob grauitatē capiti negocium facessunt.

*Sal est ad capitis fomenta ineptum.*

Archigenes inter cataplasmata uaria, urticis semen, perseæ uiridis folia, & myrrhā æquis portionibus mista, exceptaq; Aegyptio unguēto, fronti admouere præcipit. Cæterùm in sola Alexandria ipse persicam arborē uidi, cuius fructū in Persis quidem letalem esse, in Aegypto autē innocuū, sunt qui cōtendant.

*Persea fructum in Persis letalē esse, in Aegypto autem innocuū.*

Porrò sanguinis à locis affectis detractiones cōuenire in affectibus inueterans, non Archigenes modò, sed omnes ferè medici confitentur. Verū cucurbitæ occipiti affixæ, ex reuulsorijs auxilijs sunt, cùm humores ad oculos, aut ad anteriorē capitis partem ferri consuetos, auertere properamus.

*Cucurbitulis in affectibus capitis quādo utendum.*

Iubet autem Archigenes ut sternutatorijs quatiamus caput, fasciolaq; circumposita collo, spiritu cohibitionē moliamur.

*Cohibitio spiritus.*

Iam uerò ad affectiones frigidas inueteratas, equidē medicamēta ex thapsia & sinapi soleo adhibere: minimè autem ad calidas. At chamæmeli (quā anthemiden uocāt) florem quidem, olfactu auxiliari dolenti capiti, ait Archigenes: folia autem nocere.

Sternutatoriū ab Asclepiade scriptum.

*Sternutatoriū ab Asclepiade scriptum.*

Veratri albi, rad. cucumeris syluestris, struthij, sing. partes ij. castorij, acori, nitri rubei, euphorbij, cumini Aethiopici, sing. partē i. trita insufflato.

Medicamen ab eodem traditū, quod mansum caput purgat.

*Apophlegmatismus Asclepiadis.*

Piperis albi, origani, staphidis syluestris, casiæ, sing. drach. ij. excipiantur passularū exacinatarū, aut caricarū carne, & mandenda exhibeantur. Cæterùm nō statim à principio efficacissima adhibere cōuenit, sed à debilioribus auspicari. Porrò fortia pharmaca, quibus ad mouenda sternutamenta utimur, mitigatoriorū admistione lenita, moderata fiunt.

*Errhina quibus leniri debeāt liquoribus.*

Ob id quædā ipsorū muliebri lacte recēti & aqua diluo: post hoc oleo dulci: dein betæ succo: & anagallidis quæ florē cœruleū habet, itidem succo: atq; ita sensim in usu eorū progredior, donec postremū etiā per opobalsamū talia dissoluo. Ego autē melanthiū soleo infundere naribus: aliquando quidem aceto acri præmaceratū, aliquādo oleo ueteri intritū. Interim uerò dum æger errhinis utitur, habeat os aqua plenum.

*Os aqua replendum esse, dum quis errhinis utitur.*

De hemicrania.

*Hemicraniæ descriptio.*

Hemicrania uerò affectio dolorifica est, dimidiam tantū capitis partē infestans, interdū quidem dextram, interdum autē sinistram: quæ sutura extensa secundum illius longitudinē, terminatur. Vt plurimū autē per circuitus exacerbatur, influxu uaporū, aut humorū, causam dolori suggerente. Quidā igitur ipsorū circa temporū musculos uehemēter dolitāt: quidam dolorē longè ulterius progredientē habent. Sunt qui adeò uehementer crucientur, ut ne manus quidē contactū facilè ferant: in quibus palàm est, pericraniū affectum esse, neq; eius cutē omnino immunē ab affectione existere. Rationi igitur cōsentaneū est, uaporū aut humorū, aut utrorunq; influxū, aut à cerebro & illius inuolucris, aut ab uniuerso corpore illuc trāsmitti.

*Hemicraniæ causa.*

*Hemicraniæ curatio.*

Quapropter ubi quis hemicraniam curare aggreditur, prius quali purgatione, aut uenæ sectione æger indigeat, consideret: atq; ita deinde ad capitis auxilia progrediendo, tum per digitos suæ manus, tum per linteū, dimidiā frontis partē, & eam maximè quæ circa temporis musculū est, confricando excalfaciat: id quod ante exacerbationis tempus faciundū est. Post exacerbationē uerò, pharmacis hemicranicis dictis utendum: si quidem multa caliditas in doloribus percipiatur, ijs quę refrigerans quippiam habent: citra uerò hanc, eis quę *sufficiēter excalfaciūt. Vtrisq; tamen aliquid ex ijs quæ robur & firmitudinē addunt, misceatur, quod astringentem uidelicet facultatē sortiatur. Porrò ex meis præceptoribus quidam ad hemicranias inueteratas utebatur piperis albi, & crocomagmatis, singulorum drachmis duabus, mistis cum euphorbij drachma dimidia.

*Hemicranijs inueteratis remedium.*

Cùm autē citò facultas euphorbij exoluatur, in huiuscemodi sanè medicamentis nō est utendū ueteri. Est autē candidius, quod recēs est: nam quod inueteratū existit, flauiorem aut pallidiorē sibi colorē cōtrahit.

*Euphorbium recens quidē esse candidius, pallidius autem inueteratum.*

Similiter etiā & columbarū turricolarū, sibiq; uictū quærentium, stercoris, & atramenti scriptorij, licebit

addere

addere utriusq; dimidiam drachmam, ex ipsisq; omnibus aceto acerrimo dilutis, cõficere medicamen hemicraniæ sanãdæ idoneũ. Ad hanc aũt rem, Pergamenũ nostrum atramentũ multò est præstantius.

*Pergamus patria Galeni.*

Aliud pharmacũ, ad hemicraniã, & omnẽ inueteratam capitis affectionẽ summè utile. Croci drach. xv. chalcanthi drach. x. aluminis scissilis drach. xiij. myrrhæ, opij, omphacij, sing. drach. iiij. gummi drach. xv. omnibus tritis uinum Falernum adijce, & rursus tanquam collyrium tere, deindeq; in pastillos redige. Postea uerò ex posca dilutis utere. Sæpe simpliciter euphorbij illitione misti cum oleo & cera, sum usus. Sufficit autẽ ad libram olei cuiuspiam tenuis, ceræ quadrantem inijcere, & euphorbij unciam vnam: quo quidem medicamine utendum in ea tantùm hemicrania est, quæ à frigidis caussis oritur. Iuuat etiam hos, si oleum tepidum instilletur in aurem, euphorbij vncia, cum libra olei prius temperata.

*Hemicraniæ frigidæ quæ opitulentur.*

## GALENI PERGAMENI
### de compositione medicamentorũ secundum loca, lib. III.

### De affectibus aurium.

*Dolores aurium quæ caussæ excitare possint.*

AVrium dolores nõnulli quidem fiunt ex frigiditate: nonnulli ob inflammationẽ, uel cutis meatũ auris ambiẽtis, uel etiam nerui auditorij. Qua uerò ratione inflammatio ipsa partes inflammatas distendens, dolorẽ excitat, eadem flatulentus spiritus, transitũ non habens, dolore cruciat. Consimilis etiam fit dolor à serosis humoribus* in toto corpore genitis, ei qui ex mordaciũ humorũ forinsecus aduenientium illapsu cõtingit.

*Doloris auriũ à frigiditate orti remedia.*

Dolores igitur à sola orros frigiditate, calfacientia quamcelerrimè curant. In quem usum solent nonnulli rustici exenteratas cæpas oleo replere, & in feruenti cinere modicè calfacere, atque ita auribus ipsum infundere. Alij nõ cæpas modò, sed allium etiam oleo frigentes postea ipsum instillãt auribus. Ego uerò euphorbio omnino modico, ad multũ uetus oleum admisto utor, ueluti etiam pipere exquisitissimè trito. Prodest etiã amaracinũ oleum ipsis infundi, & optimã nardum. Quòd si aliquod oleum tenuiũ partiũ, in quo rutã præcoxeris, auri infundas, magnopere iuueris. Magnificè autẽ eos mitigat oui candidũ: quo etiã ad lippitudines utimur: itẽq; lac muliebre. Plurimũ iuuãtur item ex adipe anserino, uulpinoq;: infundi tamẽ omnia debent mediocriter calida.

*Aurium inflammatarum curatio.*

*Basilicon pharmacum.*

*Tetrapharmacum.*

At si inflãmatio adsit, nardinũ unguentũ, cum pharmaco appellato Basilico, cõmodissimè infunditur. Porro medicamen Basilicon, alio nomine dicitur tetrapharmacũ. Est etiã & Comagenum perutile, & ex adipibus pharmacũ. Cogente uerò dolore, necessum est etiã ijs quæ sensum stupefaciãt, uti.

*Opium quibus misceri debeat ad aures inflãmatas.*

Miscet̃ autẽ opiũ muliebri lacti, & oui candido: quæ ipsa per se, sæpe auriũ inflãmationibus contulerunt. Miscetur etiam & castorio opium: uerùm multo ante usum tempore, præparatũ id esse oportet: & miscetur quidẽ, in uehemẽtissimis doloribus, pari: in minoribus autem, duplo.

*Sapa ex musto dolorem sedat.*

Liquor quo hæc diluent̃, sit sapa ex musto: multò nãq; magis hęc, q̃ dulcia uina, dolorẽ sedat. Verũ ego nullum pharmacũ dolore uexatis infundo, neq; etiã per lanam instillo: nimirũ experientia edoctus, quòd præstet neq; omnino contingere doloris tempore auditoriũ meatum.

*Dolore affligente, præstat omnino non tangere auditoriũ meatum.*

At remisso dolore, per auriculare specillum, obuolutũ lana mollissima, partẽ dolentẽ foueo, pharmacumq; inijcio modicè tepefactũ in aurifusorio specillo: postea uerò forinsecus tum orificio auditorij meatus, tum uniuersę auri, mollem lanam impono. Iam quæ ex fomentis crassa & spissa fuerint, cuiusmodi sunt spicata & foliata unguẽta, diluẽda sunt unguẽto nardino: uel (si æstas sit, & caloris sensus ægrum in aure inflãmata infestet) rosaceo, uel amygdalino.

*Rosacei optimi compositio.*

Conficitur bonũ rosaceũ ex oleo immaturo, salisq; experte, in quo plurimæ rosæ sint maceratæ.

*Doloris aurium à flatulento spiritu, aut à crassis humorib. excitati, curatio.*

Si uerò flatulentũ spiritũ, aut humorẽ crassum & uiscidũ, qui transitũ non habeat, inclusum esse conieceris, etiam ex pharmacis liberantibus ab obstructione, quippiam admisce. Porrò frigiditate antegressa, spiritus flatulentus colligitur: grauitate uerò capitis, cibisq; pituitosis & mali succi, frigidi & crassi humores: quibus si accedat frigiditas, dolores contingunt. In his igitur spuma nitri, & nitrũ ipsum molle, eiusmodiq; aphronitrũ, & oleum amygdalinũ, rationabiliter in pharmaca auricularia miscentur. Ex hoc genere est utrunq; ueratrum, & struthium, & amygdalæ amaræ, & ex tribus aristolochijs, quæcunq; fuerint ad manũ, & iris Illyrica.

*Aristolochia triplex.*

Inijcies autem & cinnamomũ si habueris: aut, si id non habeatur, casiam, tum eam quæ Zigir, tum quæ Motos uocatur: ac præterea Carpesium.

*Casia duplex.*

*Aurium meatus obstructos quæ reserent.*

Aurium etiam meatus ab obstructione liberant, quæ lapides in renibus atterunt: atq; omnia breuiter, quæ tenuium partiũ substantiam absq; mordacitate sortiuntur. Ex quorũ numero est etiam cucumeris syluestris radix, itemq; bryonię, & ari, & dracunculi, & centaureæ, & polij, & omnino amarorũ omniũ.

*Aurium moderatæ inflammationes rosaceo et aceto simul temperatu curãtur.*

Rursus, moderatæ aurium inflammationes, & nõ pulsatiles, rosaceo & aceto simul temperatis, tepefactisq;, atque infusis curantur. Glauciũ etiam ex aceto in cote medica tritũ, doloribus à modica inflãmatione ortis opitulatur.

*Pastilli ex glaucio, ad inflãmatas aures.*

Præstat autẽ pastillum ex glaucio, multæ sanè utilitatis pharmacum, prius præparatũ habere: qui fit ex glaucio probè cum aqua pluuiali trito, deinq; in pastillũ coacto, exiccatoq;. Licebit uerò decimãquintã gummi ad glauciũ portionẽ addere, ut melius compingi in pastillũ possit. Quin & collyria ex glaucio codẽ modo cum aceto trita, eis prosunt, auribus instillata: atq; his nihil minus collyria ex croco.

*Aurium vlceratarum remedia*

Vlcera auriũ recentia, tum glauciũ solum cum aceto tritum curat, tum collyria ex eo omnia, & collyria ex croco & ex rosis cõfecta: quemadmodũ etiam q̃d Nili dicitur. Curat item ea Damocratis collyriũ ex myrrha.

*Auriũ purulentarum curatio.*

Quæ uerò pure manãt citra dolorẽ, atq; id moderatè patiunt̃, ijsdem medicamentis curant̃. At quę fortiter affligunt̃, per eiusmodi qualis est pastillus Andronis, & qui ad Musam refert̃, sapa, modicoq; aceto dilutus. Quòd si hæc ab ipso morbo uincant̃, scoria ferri ad plurimos dies in sole ex acerrimo aceto cõtrita, lænigataq;, est intrepidè utendũ.

*Pastillus ex charta combusta.*

Huiuscemodi etiã ulcera pastillo meo ex charta combusta, ipse ali-

*Papaueris succus aurium dolores mitigat: affectionē autem non sanat, nisi ex accidēti quodam.*

quando curaui. Porrò per papaueris succum mitigantur aurium dolores: haud item affectiones iuuantur: nisi fortè ex accidenti quis eas iuuari dixerit, quòd nimirum sedato dolore, atq; inde somno sequuto, natura ipsa affectus dolorē gignentes concoquat. Per aurium autē inflammationes, gallinaceus atq; anserinus adeps, si quidem euacuatum corpus inuenerint, & humorē, qui inflammationē excitat, nō amplius influentem, dolorem leniunt, affectioniq; auxiliantur. Si uerò humore adhuc fluente adhibeantur, affectioni quidem nihil opitulantur, leniunt tamen doloris symptoma: ut si ob humorū acredinem aliquis morsus contingat. At pharmaca ex papaueris succo omnia, sensum stupefaciunt: & ob id sanè tunc solùm illis cogimur uti, ubi nullum aliud mitigatiuum doloris contulit. Miscetur autem castorium papaueris succo, ut uehementem eius frigiditatē retundat: quo nomine etiam meconium ipsum, & quidem rectè, nōnulli torrent: quanꝗ satius mihi uidetur uti illo minimè torrefacto, inueterato tamen, & cum castorio permisto. Porrò galbanum susino unguento dilutum, mellisq; & rosaceo cōmistum, discutit citra molestiam aurium inflāmationes, in quas nihil fluit iam amplius, doloribusq; à frigore opitulatur.

*Stupefacientibus quando cogamur uti medicamentis.*

Ad uehementes aurium dolores medicamen ab Andromacho scriptum.

Castorij drach. ij. succi papaueris drach. iiij. opopanacis drach. ij. spumæ lycij drach. i. passo excipito, & tepefactis utitor.

Aliud eiusdem ad purulentas aurium & ueteres affectiones.

Fabæ Aegyptiæ internæ amaræ, aluminis scissi, piperis albi, spumæ nitri, croci, opij, malicorij, myrrhæ, thuris, nardi, sing. drach. ij. castorij drachmā i. aceti & mellis quod sit satis. Conficito.

Aliud eiusdem, ad dolores flatulentos, & aurium sonitum congruens.

Nitri, myrrhæ, sing. drach. i. rosacei cyathū i. aceti tantundem: simul tritis utitor.

Aliud ad aurium sonitus.

Veratri albi drach. i. castorij obolum i. spumæ nitri sesquiobolū: tritis cum aceto optimo utere.

Aliud ad purulentas aures.

Alumen scissum ustum, & myrrham cum melle terito, & prælotæ auriculæ pharmacum lana exceptum imponito.

Auricularis compositio probata, ex Apollonij libris.

Myrrhæ, thuris, sing. drach. ij. nucum amararum drach. i. spumę nitri drach. ij. aluminis scissilis, malicorij, sing. drach. i. spicæ nardi drach. ij. aloës drac. ij. uini mulsi ueteris cyathos ij. Arida trita uino mulso admisceto, & cocta in stanneo uase reponito, ac tepido utitor.

Ad carnem excrescentē in auditorio meatu, quo usus est Heraclides Tarentinus.

*Aurium excrescentis ulceri remedium.*

Aeruginis rasæ drac. viij. squamæ æris drach. iiij. mellis heminæ dimidiū. Arida trita, ac melle excepta, donec rubefiāt, coqto, & ablatis utitor.

Aliud ad sanguinis ex auribus eruptiones, Heraclidæ Tarentini.

*Aurium sanguinem effundentium remedia.*

Marrubij succum exprimito, & acetum dilutum infundito. Aut mâli punici in aceto cocti succū exprimito, infunditoq;. Aut polygoni succum cum modico aceto. Ad uermes innatos auribus, ueratrum album cum melle immitte, aut aridum insuffla: aut rubi succum infunde.

*Aurium uermes exterminantia.*

De sonitu aurium.

*Sonituum in auribus causa.*

Ex sonitibus auriū, alij quidem, spiritus flatulenti sunt soboles: alij uerò ob exquisitā sensus audiendi subtilitatē fiunt: quemadmodū etiam in oculis oriri solent suffusorū imagines, ob uapores exhalantes ab ore uentriculi. Cæterū neutrius affectionis exacta cognitio haberi in principio potest. Porrò si in febribus sonitus fiāt, minimè interturbādi sunt: ut plurimū nanq; statim sedantur. Si uerò ob flatulentū spiritum, cui non pateat exitus, sonitum fieri suspicatus quis fuerit, & ob hanc rem dissecantibus, attenuatorijs, ac discussorijs admotis pharmacis, nihil cōtulerit: simulq; apophlegmatismis usus sit, & uniuerso prospexerit capiti: huic meritò in hāc suspicionem inclinatus animus erit, uidelicet sensus audiendi exquisitam facilitatē, causam eius rumoris existere, præsertim si acuto audiēdi sensu præditus esse æger appareat. In talibus igitur, ex sensum stupefaciētibus quippiam soleo admiscere: cuiusmodi est mādragoræ, & papaueris succus.

*Sonitus aurium per febres, nō esse compescendos.*

*Sonituum auris ob exquisitā sentiendi facilitatem ortorum, curatio per stupefacientia.*

Ad sonitum remedia ab Archigene prodita.

*Sonitui auriū remedia uaria ab Archigene prodita.*

In sonitibus repentinis acetū cum rosaceo instilla. Aut cuminum, & oleum, crassitudine mellis. Aut radicis syluestris cucumeris succū. Si uerò protrahat, omnibus amaris, acribus, attenuatorijs & discussorijs, quibus utimur ad dolorem ex crassis humoribus ortum, utaris, singulis in aceto coctis, admistoq; melle. Aut reclinato ægro, & nitro trito in aurem insperso, acre acetū infunde tepidum, ac postquàm feruere desierit, exterge lana, & nucū amararū succū infunde, lanaq; obtura. Cæterū quibus ob maximā ad audiendum facilitatē id genus sonitus fiunt, castorium & cicutæ semen cum aceto trita instilla.

Ad auditus grauitatem.

In surdastris, qui exiguas quidem uoces omnino non audiunt, magnas autē uix percipiunt, hoc ipsum symptoma ualde suspectū habere oportet: paulatim nanq; temporis progressu augescens, perfectā surditatē inducit. Quapropter per hieram purgādi sunt, & per catapotia ex colocynthide: pituitaq; eis per apophlegmatismos detrahenda, & caput resiccandum est, eiq; ut robur addatur, omni studio curandum. Vtendum etiā attenuatoria uictus ratione. At in ipsam aurem pharmaca inijcienda sunt, quæ crassos uiscidosq; humores cōminuant, & dissecent. Cuiusmodi existunt hæc, quæ Apollonius prodidit: Cæparū succo & resina oleo dilutis, utitor. Aut oleo nucum & resina mistis pariter utitor. Vel adipem anserinū, & fel bubulum, ac laurinū, ex æquo mista instillato. Porrò surdastri cōtrarijs pręsidijs habent opus, ijs qui aurium doloribus infestantur. Quippe in doloribus affectæ partes exquisitam quietem desiderant: surdastri uerò, uehementē motū postulant, trāsmutationemq; in contrariam ei, quæ iam adest, dispositionem.

*Auditus grauitatis curatio.*

Fomenta ad aurium dolorem ab Apollonio scripta.

*Aurium dolori fomenta.*

Fomentis porrò utendū est per spōgias aqua

calid

calida imbutas, ac sufficienter expressas: itemq; per cucurbitas affixas. Amplius uerò & per uaporem ex arundinibus perforatis allatũ. Oportet autem alteram arundinis oram, auriculæ cauitati adaptari: alteram uerò in ollam perforatum habentem operculum, & undiq; obturatũ, incumbere. Sit autẽ in olla absinthium in aqua feruefactum, quò uapor inde sublatus perferatur ad auditoriũ meatum. Confert etenim hoc fometitum etiam auditui graui.

Archigenis ad surditatem remedia.

*Surditatis remedia ab Archigene scripta.*

Chalbanũ cum aceto & melle feruefactum instilla. Aut collyrio ex nitro, ficu, & sinapi immisso, per triduum id non extrahimus. Postea uerò assiduis acutisq; uocibus, & uicissim grauibus inclamamus: & per tubam sonitu incusso, conamur malum depellere. Post hæc & asphodeli radices oleo ueteri incoctas, commodè infundimus, caprinaq; assiduè eluimus urina.

Eiusdẽ de corpusculis quæ auribus illabunt.

*In aures illapsa corpora quo modo ab eis excutienda.*

Quòd si aqua illabat aurẽ, auxiliatur acetum, & cum altero pede, qui respondet affectæ auri, exilire, aliqualiter se ipsum inclinãdo: hoc enim modo facilè excernitur. Quin & exuctio simplex per os, aut etiã per stipulã, egregiè aquam extrahit. Si uerò calculus, aut fabę, aut consimile quid in auditoriũ meatum illapsum fuerit, eluito: aut lana circa auriculariũ specillum obuoluta, & resina tincta, extrahito. Idem & per glutinosum aliquod pharmacum fieri potest. Quòd si neque sic sequatur, sternutatorio in nares iniecto, os ac nares obturato. Facta nanque spiritus inclusi extensione, id quod est illapsum, efflabitur: idq; assiduè, donec excidat, facito. Nam si intus manserit, aure inflãmata conuulsiones inducet. Optimè etiam confert ad eorum quæ illapsa sunt eiectionem, cõcussio. Si itaq; puer fuerit, pede comprehensum, & in caput sublatum, concutiens ipsum, uibrabis. Si uerò perfectæ ætatis quispiam ita fuerit affectus, ipsum in tabulam secundum affectam aurem reclinatum, caput ad tabulam firmare iubeto: dein leuata tabulæ iuxta caput parte, deferri sinito, idq; sæpius facito. Mouebit enim sic quod incidit, & ad expeditiores meatus partes progredietur. Atque ita angusta & concaua specilli parte immissa, scitè extrahito. Si uerò faba, aut cõsimile quippiam in aurem illapsum, in ea hæreat, madefactumq; & tumefactum dolores inferat, impossibile quidem est integrum ipsum eximere. Quare per specilli concauum diuidere id industriè expedit, atq; ita particulatim extrahere: deinde sapam, aut uinum dulce calidum infundere, ac lenire meatum ex lancinatione oblæsum. At uerò si animal aliquod sit illapsum, scammoniũ aceto dilutum, aut absinthij, aut peucedani succum, nitrumq; ac sulfur, cum radiculæ succo instillato.

De parotidibus.

*Parotidas esse glandularum secundũ aures inflammationes.*

*Inflãmationum incipientium curatio.*

Parotides è genere quidem inflammationum existunt. Fiunt autem, glandulis secundum aures affectis. Cæterũ prima parte curationis partium inflammatarũ in eis minimè utimur. In illis siquidẽ plurimum curatione reprimente, repulsoriaq; uti conuenit, præcipuè cùm nec malignum sit, nec multum quod influit: nec uniuersum corpus plethoricum. Sic nanq; spongia sola ex posca imposita, incipientes inflãmationes repressit. Verùm in parotidibus contrariam curationẽ molimur, nẽpe pharmaca attractoria adhibẽtes: & si hæc nihil memorabile efficiant, etiã cucurbitulas affigentes, aut fomenta assidua adhibentes, conantesq; ut infestans humor ad cutim ipsam trahatur, præsertim si affectio in capite hæreat.

*Parotidũ medicatio.*

Similiter cùm natura per acutas febres, redundantes humores ex uasis ad regionẽ inter cutem & subiecta corpora pellit, quandoquidem illis etiam glandulæ imbuuntur, multò satius uidetur tunc opitulari naturæ, febres per *abscessus curanti. Verũ si uehementi impetu influant humores, nihil nos curiosius agẽtes, omnia permittemus naturæ. Nam siue cucurbitã, siue aliud pharmacũ humores ex alio eliciens, admouerimus, uehemẽs dolor hominẽ apprehendit, unde & uigiliæ & febres oriuntur, atq; exoluuntur uires.

*Natura impetus quando minimè sit iuuandus.*

Mitigare itaq; tunc, & non influxum prouehere, oportet, per cataplasmatũ maximè lenitiũ usum: cuiusmodi est quod ex frumenti, aut hordei, aut seminis lini farina, cum mulsa, aut fœnigræci, aut altheæ, aut chamæmelorum decocto conficitur: & quæcunq; nõ modò humectam habent caliditatẽ, per quam mitigare dolores ualent, sed etiam influentes succos possunt cõcoquere, suppurareq;. Quòd si etiam sanguis redundare uideatur, per uenæ ipsum sectionẽ uacuabimus, pręsertim si liceat per uires.

*Cataplasma dolorem leniens.*

*Suppuratio quando & quibus medicamentis molienda.*

*Pus suppuratarum parotidum quib. modis uacuandum.*

Ergo si humor non discutiatur, suppurantibus pharmacis est utendũ: cuiusmodi est frumenti farina cum oleo & caricarũ decocto: item quod ex polline & fermento conflatur pharmacum. At si suppuratæ fuerint parotides, tunc aut per sectionem pus elicere oportet, aut per pharmacũ abscessum rumpere, quale est Smiliũ uocatũ, & q̃d ex allijs constat: aut tentare, ut ipsum per attractoria & tenuãtia medicamẽta discutiamus, bis in die ijsdẽ ablatis, & fomentis admotis, donec dolores remiserint. Vbi uerò iam plurimũ puris discussum fuerit, tunc iam primùm semel soluere ea medicamenta, & fomenta adhibere oportet: dein uerò neque ex re est id facere, sed ipsis pharmacis permittere, ut si quid reliquũ in profundo hæreat, ipsum discutiant. Quòd si durities adsit, ea ipsa quoq; mollienda est, emollientibus medicamentis ad attractoria admistis.

Archigenis ad parotidas.

*Parotidibus uaria remedia ab Archigene prodita.*

Rumicis radices in uino tenuium partium coctas, applicabis parotidibus citra uehementem dolorem ortis. Aut buccina marina, aut purpuras ustas, melle aut axungia exceptas imponito. Aut ficũ aqua marina muriáue incoctã, admoue: aut lanã etiã butyro imbutã. Cõmendat etiã usum plãtaginis, tametsi ex mistis facultatibus, discussoria nempe & repulsoria constet. Ego uerò nunquam pharmacis ad parotidas destinatis repulsoria admisceri operæprecium existimo, nisi fortè aliquando pauxillũ repulsorij multo discussorio addatur: idq; ubi citra uehementẽ dolorem ipsæ irruunt parotides.

*Plantago constat ex facultate discussoria simul & repulsoria.*

*Repulsoria quãdo miscenda medicamentis parotidum.*

Aliud Archigenis ad discutiendas parotidas.

Lupinorũ amarorũ farinam cum melle coctã, modica calce uiua addita, pro cataplasmate im-

ponito. Aliud. Picis brutiæ, mannæ thuris, utriusq; drach.i. terebinthinæ, palmularũ Syriacarum non uetustatũ, pinguium, carnis puræ, utriusq; drach.ij. omnibus simul unitis utitor.

Aliud. Caricarũ, chalbani, nitri, sing. drach.i. sulfuris tertiam unius drachmæ partẽ: terebinthinæ, opopanacisq; utriusq; pauxillum: simul unitis utitor. Quòd si medicamentis parotis nõ cedat, Archigenes consulit esse confugiendũ ad cucurbitulam, adhibita scarificatione. Porrò simplices parotidas curant, emplastrũ Mnaseæ, & quod ex succis cõstat, & quod ex ptisana. His molliora adhuc sunt, cerati forma, tum ex butyro, tum ex œsypo conflata, ostreis, aut buccinis, aut purpuris ustis additis, adipeq; porcino salis experte, singulis quadrantis pondere. Sic ipsum etiam licet conficere: Butyri unc.i. ceræ unc.ij.s. ostreorũ ustorũ, redactorumq; in pollinẽ, unc.ij. Cõficito & utitor: efficacissimũ nanq; est ad parotidas.

De affectibus narium.

*Polypodes.*

Ex genere tumorũ præter naturã polypodes in naribus generantur, ut ozænæ ex genere ulcerum. Secũdum genus autẽ excretionũ præter naturam, sanguinis effusiones contingunt in morbis acutis. Primũ itaq; de ozænis sermonem faciam, quæ ex humorum acrium, putrilaginosorumq; influxu gignuntur: nam si ij duntaxat sint acres, ægrè curabilia ulcera inducunt, graueolentia uerò non item. Cæterùm cura cõmunis tum his ambobus, tum etiam polypo est, primùm caput siccare, corroborareq;: cùm palàm sit ob redundantiam uitiosorũ humorum, fieri ab eo in ipsas nares defluxum. Capite roborato, naribus adhibenda curatio est, scopo in ozænis proposito, ut affecta pars per mixtæ facultatis pharmaca tum repellentia, tum discutientia, exiccet. Repellunt itaq; tum austera, tum acerba, quę cõmunem astringentiũ appellationẽ sortiuntur. Discutiunt calidam & siccam uim obtinentia.

*Ozænæ à quibus gignantur humoribus.*

*Ozænæ atque polypi communis curatio.*

*Repellentia quæ.*

*Discutientia quæ.*

Archigenis remedia ad ozænas.

*Ozænarum remedia.*

Obline eos chalcitide, uel atramento sutorio, uel psorico, ex melle tritis. Vel iridem & sandaracham cum melle illinito.

De polypo narium.

*Polypi descriptio, causa, remedia.*

Polypus tumor est qui præter naturã in naribus generatur, polypodis carni assimilis. Quæ affectio ex crassis & uiscidis humoribus gignitur: ob idq; mista medicamentorũ materia indiget, quæ partim astringat, partim secet & tenuet, partim etiam discutiat, condenseteq;.

Asclepiadis ad ozænas remedium.

*Ozænarum remedia varia.*

Aluminis scissi drach.ij. myrrhæ, sandarachæ sing. drach.iiij. gallæ drach.i. æris usti tantundẽ. Tritis utere, naribus prius uino odorato elotis, & pharmaco per specilli extremum admoto.

Lamponis ad ozænas, ægilopas, polypos, & quæcunq; uelis citra sectionem, ustionemue extirpare, remedium. Scobis æris rubri unc.i. salis ammoniaci sextantẽ: ammoniaci thymiamatis tantundẽ: aluminis rotũdi quadrantẽ: aceti acerrimi heminas sex. Arida terito, & affuso aceto, omnia in uas æris rubri cõijcito, in eoq; ad solem sub ardore Caniculæ cum rubri æris radio agitato, donec exarescat pharmacum: quod postea in mortariũ translatum, diligẽter terito, in fictiliq; recõdito. Vsu uerò exigente, aquam sorbendam dato, quæ ut ore contineat, præcipito: dein pharmacum per fistulam insufflato, uel etiam melle exceptum immittito. Cæterùm post huiusmodi pharmacorũ adhibitionem, etiam sternutatorijs utimur, quò uidelicet tectoria ulceri obducta excutiamus, quæ tribus aut quatuor diebus ferè excidere consueuerũt. Vbi uerò exciderint, adipe anserino, ac butyro cum cerato curantur.

*Escharas ingestas naribus, excutiendas sternutatorijs esse.*

*Punicorum succum ad ozænas polypósq; magni fuisse commendat Galenus.*

Porrò ipse in ozænis polypisq; præstantissimũ pharmacũ reperi succũ ex mâlis punicis tum dulcibus, tum austeris, acidisq;, & maturis & integris, pariq; magnitudine & numero maceratis, expressum. Cæterũ si humectior esse polypus uideatur, plus ex austeris mâlis est cõtundendum. At ex aridis pharmacis, diphryge citra mordacitatem aliquando per multũ tempus consumptũ polypum noui. Probatur etiam prædictũ ex mâlorum succis collyrium, si ubi exaruerit, redigatur in pollinem, indeq; exuffletur, aut etiam per specilli nucleum indatur. Omnia autẽ hæc assiduè facere oportet, ut nunq̃ ab affecta parte absit pharmacũ, cùm facilè ab humiditate eluatur.

*Rosarum puluis in quibus curare polypos soleat.*

*Narium ulcera quibus medicamentis curētur.*

Iam uerò rosæ siccę cõtusæ, inditæq;, in ijs qui molli carne sunt præditi, citra noxam curare aliquando solent polypos. Nam pleraq; eorũ quæ polypodas exterunt, eos exacerbant, si quando ab scopo aberrarint. Cæterùm ulcera in narium meatibus semper per pastillos curaui, Andronij uidelicet, & Pasionis, & Polyide, & Bithynum, & per eum quem ipse composui. In diuite uerò quopiam, qui odoratum pharmacum exigebat, hedychroi usum excogitaui, ipsumq; Falerno ueteri dilui, & mirum quàm breui affectio ipsa est curata.

Heraclidæ ad sanguinis è naribus eruptiones remedia.

*Sanguinis è naribus eruptionũ remedia.*

Vbi grumos sanguinis eduxeris, lanam specillo obuoluito, eamq; in lycio aqua diluto imbuto, & sanguine manantẽ locum illinito. Aut linamentũ ex ellychnio contortũ, madidatũq; aqua, & chalcitidis polline inspersum inserito. Aut menthã tritam indito. Iuuat etiam frontẽ spongijs refrigerare, extremaq; uinculo excipere, qua parte magis contracta uidentur: obturareq; aures, & os pluuiali aqua & frigida opplere.

Asclepiadis remedia ad sanguinis effusionem è naribus.

Spongiã cruda pice imbutã, & linamento exceptã indito. Aliud. Putaminis oui, & gallæ omphacitidis, utriusq; partẽ unam. Trita linamento intorto, aqua aut aceto madefacto, excipito, inditoq;. Andromachi ischæmon.

Chalcitidis drac.c. chalcanthi drac.L. misyos assati drac.xxv. æris usti drach.xij. & s. tritis utere.

## GALENI PERGAMENI

### de compositione medicamentorũ secundum loca, lib. IIII.

*Pompholyx optimum est medicamẽ oculorum fluxionibus.*

De oculorũ affectibus, ocularijsq; medicamentis, agere in præsenti cõmentario est cõsiliũ. Pompholyx igitur lota nulli pharmacorũ mordacitatis expertiũ inferior est: atq; ob id ea utimur ad tenues & acres oculorum fluxiones, sed uacuato prius capite & uniuerso corpore.

pore. At uacuamus quidem corpus uenæ sectione, purgationeq́ue: caput autem per apophlegmatismos uindicamus à pituita. Potest tamen pompholyx lota, quemadmodum etiam spodium, atq; amylum, simul & moderatè resiccare humores: simulq́ue ne per tuniculas euacuetur ea quæ in magnis oculorum uenis superflua humiditas continet, prohibere. Quare si quis prius q̃ caput ab humoribus ad oculos defluentibus purget, utatur obturantibus pharmacis, uehemẽtes dolores ob tunicas distentas inducet, & ob multitudinem influentiũ humorũ, aliquando ipsarũ rupturam aut erosionẽ pariet. Eiusdẽ generis cum prædictis pharmacis subtenuis ouorum liquor existit, abundè ualens humiditates oculorũ abluere, & exasperata lenire: obturandi autem tenues meatus non parẽ illis facultatẽ sortit, sicuti nec similẽ uim resiccandi. At fœnigræci succus, q̃d ad uiscositatẽ attinet, similis est ouorũ albugini: discussoriam tamen possidet facultatem, & moderatè calfactoriam: ob idq́; multos dolores mitigare cõsueuit. Maximè prædictis cõtrarij secundum genus existunt liquores acres, ut Cyrenaicus, Medicus, ac tum sagapenũ, tum euphorbium, omnesq́; breuiter, qui citra exasperationẽ calfaciunt uehementer. Forti autẽ facultate sunt prædita extergentia medicamẽta, cuiusmodi est æris squama, chalcitis usta, æs ustũ, flos æris, misy, sori, atq; stibium. His adhuc aliud genus adiacet, erodentium uidelicet, siue putrefacientium: quale est auripigmentum, & sandaracha, & Asiæ petræ flos: cuius facultatis misy etiam paululum particeps est. Est & aliud genus pharmacorum, quod in oculares cõpositiones iniicitur, eorum uidelicet quæ natura astringunt. Quæ igitur mediocriter hanc uim habent, influxus repellunt: quæ uerò uehementer, ampliorem dolorẽ infligunt, tunicas exasperando, q̃ iuuent influxionũ impetũ repellẽdo. Porrò quæ mediocriter astringunt, lippitudinibus cõmodissima existunt: conferunt autem & reliquis ferè omnibus affectionibus ulcerum, pustularũ atq; fluxionum. Sunt uerò huiusmodi, folia rosarum, & flores, & succus: ericæ fructus, spica nardi, malabathri foliũ, crocus, lycium, & hypocistis. Vehementiorẽ his astringendi uim acacia & omphacium habent, quæ & ipsa in succorum genere numerantur. Balaustiũ etiam, & cytini, & gallæ omphacitides, ex genere eorum sunt quæ multùm astringunt. Inflãmationes & alias affectiones concoquunt, myrrha, crocus, castorium, thus, & cremor fœnigræci decocti: quæ etiam discussoria facultate sunt prædita, & præsertim ex ipsis myrrha. Hæc itaq; sylua ocularium medicamentorũ existit. Porrò quæ medicamenta substantia terrestri sunt, citra manifestũ calorem aut frigus, ea emplastica nominantur, uim habentia contrariam ijs, quę ab obstructione liberant: quali facultate insigniunt samius aster, pompholyx lota, eiusq́; cinis elotus, atq; etiam cadmia tum usta, tum lota, cui detersorij etiã nõnihil inest. Pompholygi uerò & spodio parũ quid inest astringens, quemadmodum etiam plumbo post exustionẽ. Nam & hoc pharmacum omnis mordacitatis est expers, parum tamen quid astrictionis sortitur.

*Oculorũ fluxionibus cur non sint admouenda obstruentia pharmaca ante capitis uacuationem.*

*Albumen oui.*

*Fœnigræci decocti facultas.*

*Extergentia medicamenta quæ sint.*

*Putrefacientia medicamenta.*

*Lippitudini cõuenire, quæ astringũt mediocriter.*

*Astringentia uehemẽter quæ sint.*

*Ocularia medicamenta.*

*Emplastica medicamenta quæ & sint, & dicãtur.*

Amylum etiam exactè lotum, q̃ mitissimũ est, & medium, ut nec astrictionẽ nec acredinem habeat: hoc est, nec calorem, nec frigus. Quin & cerussa lota proximè accedit ad facultatẽ plumbi usti atq; eloti: manifestè tamẽ astringit: amylum autem & samius aster, quatenus ex gustu & odore licet colligere, sunt penitus qualitatis expertes. Igitur uniuersum huiusmodi pharmacorum genus, siue modicã in gustu aut odore qualitatẽ exhibeat, siue penitus nullam ostendat, ueluti aquę purissimæ, expers qualitatis uocat, moderateq́; per solã terrestrẽ substantiã secundũ propriã naturã siccat. Ac sanè sola hęc medicamẽta cõueniunt in erosionibus corneæ tunicę, ipsiusq́; rhagoidis prolapsibus, ob influxũ tenuiũ atq; mordacium humorum ortis: cùm nimirum astringentia cohibeant effluentes humores, atq; ob id dolorem ex mordacitate ipsorum ortum intendant: acria uerò affectionem simul adaugeant. In uniuersum tamen ipsi particulæ affectæ, quò facilius curationem recipiat, prospicimus, tum uniuersi corporis purgationibus, tum reuulsionibus: primùm quidem ad infernam corporis partem: dein etiam ad occiput, & ad capitis cutem. Vtimur etiã sectionibus arteriarum, interdum quidem incidentes eas quæ retro caput iuxta aures sunt exporrectę: interdum autẽ earum partem, quæ temporibus inest: idq́; ut medeamur dispositioni, quæ tunicis oculorum est genita, ob quã etiã optimus sanguis ad tunicas ipsas delatus corrumpitur. Ad has igitur solas dispositiones conuenire uidetur prædictorũ medicamentorũ genus, citra mordacitatem exiccans in affecta parte cacochymiã, à qua id quod influit corrumpitur. Vocant autẽ collyria quæ ex eiusmodi medicamentis constant, tum Libiana, tum Cygni: nempe ob candorem, qualem cygni possident. Præualet quippe in ipsis amylum, & terra Samia, & cerussa Rhodia, quæ præstantior est & candidior. Sunt qui collyria id genus in cotibus terant, lacte boni succi ex nutricis uberibus instillato: ut astrictoriam uim quæ ouillo inest, effugiant. Etenim cùm in lacte serosa quędam extersoriaq́; facultas insit, eius usus congruens est ad propositam curationẽ: quippe ulcera explenda, extergentibus citra acrimoniã habent opus medicamẽtis. Quòd si huiusmodi haberi lac nequeat, per fœnigræci decoctũ terere collyria prę stiterit, utpote quod extersoriã quandã uim habet, qua oua omnino sunt destituta.

*Amylum.*

*Aquæ purissimæ sunt qualitatis expertes.*

*Cornea tunica erosa, quæ medicamẽta cõgruãt.*

*Arteriæ secentur aures, & temporum, quando incidendæ sint.*

*Collyria Libiana & Cygni.*

*Collyria leuigandi modus.*

*Lactis muliebris usus cõmodissimus ulceribus corneæ existit.*

*Fœnigræci decoctum.*

De aspritudinibus palpebrarum.

Cùm ægrè curabiles prædictæ dispositiones existant, adhuc earum difficultatẽ adaugent palpebrarum asperitates: à quibus etiam in lippitudinibus, tunicæ oculorũ commorsæ, affliguntur dolore. In illis tamen audemus ad pharmaca inflãmationi congruentia, nonnihil ex detergentibus immiscere: ueluti est collyriũ ex uino, aspritudinibus accommodatũ, quò primùm ea quæ ad palpebras succreuere, deprimantur. Nam ubi oculi minus infestantur inflãmatione, ea quæ asperitates expurgare possunt, administramus. At dum cornea exulcerata est cum mordaci influxione, impossibile est tali aliquo uti pharmaco. Cornea siquidem ipsa amplius exasperabi-

*Collyrium ex uino.*

tur: uuea uerò impensius procidet, homioemq; uehemẽs dolor corripiet, augebiturq; ipsius fluxionis malignitas. In huiusmodi itaq; affectionum miscella, solent medici, præ inopia consilij, palpebras ipsas reuertere, atq; absq; medicamentis purgare, idq; tum specilli concauo, tum molli spongia. Quidam ex præceptoribus meis, ex pumice læuigato, cum tragacantha aut gummi, collyrium faciebat, eoq; ab extentis atq; reuersis palpebris, aspritudines deradebat. Vbi uerò temporis progressu per prædicta collyria fluxio fuerit sedata, audemus tunc iam ea quæ palpebras extergũt, paulatim adhibere medicamenta: quẽadmodum ubi fluxus omnino fuerit iam resiccatus, & palpebræ moderatè habuerint, caua ulcera sunt collyrio ex thure complenda.

*Aspritudinis palpebrarũ curatio.*

De lippitudine, siue ophthalmia.

*Lippitudo. Ophthalmia est inflammatio periostij tunica, quam barbari coniunctiuã appellant.*

Ophthalmia est inflammatio periostij membranę, quam etiam agnatam uocant, quòd alijs, quæ oculum ipsum constituunt, tunicis forinsecus agnascatur, ligamentum existens toti oculo, ad circumsita ossa. Ob id enim omnia quę circum oculos sita sunt, usq; ad malas quandoque simul per uehementẽ lippitudinem intumescũt. Igitur pharmaca omnia huiuscemodi affectionem curantia, ex genere eorũ sunt quæ medentur inflammationibus: assumunt tamen necessariò nonnihil, pro ipsius partis natura, quæ excellentem mollitiem, atque eximiam quandam supra omnẽ totius corporis cutem, ad patiendum facilitatem est nacta, ob sensus subtilitatẽ, ac raritatem substantiæ. Adhibenda itaq; sunt pharmaca repellentia, minimè tamen exasperantia, hoc est, non uehementem astrictionem sortita: sed quæ tum propria sua substantia moderatiora sint, tum lenitiui liquoris admistione adhuc magis talia reddantur. Voco autem lenitiuos liquores, oui candidum, & fœnigræci decoctum, magisq; adhuc ipsum lac. Vt plurimum uerò albumen oui cum accõmodatis pharmacis lippitudines curare sufficit, per collyria uidelicet uocata monohemera, hoc est, diaria. Sæpe siquidem magnas inflammationes, hæc adeò mitigauerunt, ut in uesperam quidem homo balneo uteretur: in sequenti uerò die, nardino collyrio ad instaurationem & corroborationem inungeretur. Admiscere autem ei circa primam inunctionem minimũ quiddam acrium & sistentium medicamentorũ oportet: ut circa secũdam paulò amplius quiddam priore. Sufficiũt nanq; hæ duę pharmaci adhibitiones, & deambulatiũcula aliqua nõ multa ante balneũ. Foueri tamen oculi per spongiam debent ex meliloti & fœnigręci decocto, semel quidem aut bis in die, si mediocris sit dolor: sæpius autem, si uehementior.

*Ophthalmia cõgruentia medicamẽta qualia esse debeant.*

*Lenientes liquores.*

De ulceribus oculorum.

*Oculorum ulcera, qualia medicamenta postulent.*

Oculorũ ulcera eandem secundum genus curationẽ requirũt, quam reliqua omnia: ob ipsius tamen partis naturam, q̃lenissima eis adhibenda sunt, quale est, quod ex lota pompholyge cõstat. Admiscentur ipsis etiam succi quidam non solùm mordacitatis expertes, sed qui etiam uehementissimos mitigare dolores possint, ueluti mandragoræ succus. Quidam etiam polygoni succum miscuerunt, ut alij ipsorum ouorum candidum. Quæ omnia, dum tempus utendi instat, miscenda sunt, propterea quòd facilè acescunt: quo tempore etiam rosarum additur succus. Eorum autem omniũ esse debet scopus, ut ulcus mundum seruetur: utpote partium natura ipsum replente, atq; ad cicatricem ducente. Si itaq; inflammatio adhuc oculũ urgeat, aut quispiam etiam dolor, collyria ex thure, & metallicis lotis, & succis mordacitatis expertibus, adhibenda sunt. Vbi uerò sordida reddita ob eorũ usum ulcera fuerint, ex repurgantibus quippiam miscendum est: quale existit Paccianum croceum, ex uino: quod etiam aspritudines extetit, pterygiaq; attenuat. At uerò ulcera quæ per erosionẽ tunicæ corneæ fiunt, ita ut aliquid ex ipsa rhagoide procidat, repellentibus & astringentibus pharmacis opus habent. Discussoria autem postulant tum pustulæ, tum pus intra rhagoidem contentum. Recentia igitur & adhuc inflammata, pharmacis ex myrrha, thure, & croco sedantur: uetustiora autem, nõnihil ex discussorijs desiderant, quemadmodum etiam induratæ tunicarum inflammationes.

*Paccianum collyrium.*

De ocularium pharmacorum uiribus.

*Ocularĩu medicaminum uires.*

Igitur omnimodæ acrimoniæ sunt expertes hi tres liquores, fœnigræci decoctum, lac, & candidum oui: ex quorum genere existimare oportet tum gummi, tum tragacantham. Quippe nisi prædicta illa tria, tum copia, tum usu, prompta & expedita essent, possemus utiq; parum gummi, aut tragacanthæ in multa aqua maceratum, in eundem usum ueluti illa assumere: & per ipsa etiam in medica cote collyria terere: & per sola infusa, serosos in affectis oculis generatos humores eluere. Ocularĩu itaq; pharmacorũ unum genus in illis tribus liquoribus, atq; etiam in tragacantha, gummi, metallicisq; elotis consistat. Alterum uerò genus eorum sit, quæ modicam mordacitatem sortiuntur, propterea quòd quædam eis sunt admista, quæ parum astringunt deterguntq;: qualia sunt, rosæ, & thus: illæ quidem, pauculam astrictionem: thus uerò modicam extergendi uim possidentes. Habet tamen ob moderatum calorem thus etiam & concoctorium quid, ac doloris mitigatorium. Ex eodem genere cum ipso, quantũ ad concoctionem & discussionem attinet, censendus est crocus & myrrha: quæ inter se in eo differunt, quòd crocus quidem moderatè astringat: myrrha uerò citra astrictionẽ non instrenuè discutiat, & resiccet humiditates. Suntq; hæc uiribus præstantiora thure, & ob id etiam maiorem discutiendi uim habent: cùm autem careant ui detergendi, ad ulcerum curationẽ thure inferiora existunt. Huius generis medicamentorũ, cõcoctorij inquam & discussorij, lycium quoq; est, & castorium. Sarcocolla etiam concoctoriũ & discussorium medicamentum existit: ac magis quàm ipsa, chalbanũ. Meliloti uerò decoctum ad concoctoriam facultatem assumpsit etiam quid astrictoriũ, eiusdem ferè generis cum croco existens. Injicitur etiam in oculares compositiones lapis hæmatites uocatus, humores resiccandi uim habens, ueluti & cadmia. Mitius tamen pharmacum lapis ipse quàm cadmia existit, utpote ex humida substantia,

*Gummi.*
*Tragacantha.*

*Ocularium medicamentorũ genera varia.*

*Thus dolorem lenit, cõcoquitq;.*

*Crocus moderate astringit.*
*Myrrha citra astrictionem discutit, resiccatq;.*

*Lycium.*
*Castorium.*
*Sarcocolla.*
*Chalbanum.*
*Meliloti decoctum.*

*Lapis hæmatites.*

*Cadmia.*

*Schistus lapis. Stibium. Aes vstum. Aeris squama, flosque. Chalcitis vsta. Lota euadere imbecilliora. Misy. Aerugo. Galla. Chalcanthum. Stomomatis squama. Thuris cortex et manna.*

stantia, non terrestri, ueluti cadmia, generationē indeptus. Huic similis est lapis Schistus dictus, sed fortiorem obtinet facultatē. Quod uerò stibium nocatur, illotū quidem, fortem astringendi facultatem ostentat: lotum autem, exoluitur, ut propè ad uim mordacitatis expertium accedat. At æs ustum uehementem extergendi possidet facultatem, itemque squama eius, & flos. Nec minus efficax, sed minus mordacitatis expers, chalcitis usta est. Quòd si lauentur talia pharmaca, extersoria quidem adhuc manent: tantò tamen imbecilliora, quantum amiserunt mordacitatis. Huius generis sunt etiam misy, & ærugo, fortissima pharmaca, ijs quæ sycosi & callis conueniunt, admista. Sunt qui etiam gallas admisceant, uehementer astringens pharmacum: sunt qui etiam chalcanthum, quod unà cum acredine uehementissimè astringit. Moderatius tamē redditur ustum, & lotum. Ad hanc syluam pertinet & stomomatis squama. At thuris cortex, astringit quidem & ipse admodum, prædictis tamen est longè inferior. Porrò māna thuris à thure ipso differt, quòd exiguum quid astrictionis sortiatur, ratione corticis thuris, cuius nonnihil contraxit. Quæcunque igitur ex astringentibus multam terream compagem habent, aspritudines, & sycoses, & callos consumunt. Cæterùm

*Omphacium. Hypocistis. Glaucium. Acacia. Ceruicornu vstum. Aloës facultates.*

quæ ex succorum genere sunt, ueluti omphaciū, & hypocistis, eluunt facilè in sublitionibus, diffluentia simul cum lachrymis. Ex hoc genere est glaucium & acacia. Citra mordacitatem uerò extergent ceruicornu ustum, ueluti etiam caprinū: non tamen dolorem sedant, nec concoctoria facultate sunt prædita, ut thus, frigidi nimirum & sicci temperamenti existentia. Mixtæ facultatis est aloë, quemadmodū rosa. Habet enim quod extergere est natum, aliquid in se amarum: sicuti & astrictorium quippiam, ut & cōmittat, & ad cicatricem perducat.

Quæ ad scabras affectiones conueniant.

*Scabris palpebris qua opē ferant medicamēta.*

Ex ijs quæ ad scabras palpebrarum affectiones cōueniunt, sunt sales ammoniaci, & lapis Asius, tum ipse, tum eius flos: & quod psoricū appellatur, nō simplex, neque spontè natum, sed præparationis modum indeptum. Admiscetur ijs & misy ustum, & sandaracha, & arsenicum. Ex medicamētis uerò aromaticis, casia, malabathri folium, & amomum, cinnamomumque.

Quæ induratis auxilientur.

*Induratis tunicis oculorū qua conferant.*

Compositiones quæ ad induratas oculorum tunicas congruunt, ex succis constant, & ammoniaco thymiamate. Miscentur autē eis myrrha, thus, chalbanum, & consimilia.

Quæ suffusis medeantur.

*Suffusorum remedia.*

Ad suffusos habetur compositū medicamen, ex succo fœniculi, hyænæ felle, ac melle Attico constans: cui nōnulli caprillum fel addiderunt. Nunc autē in precio habetur pharmacum ex felle scarorū compositū: sicuti & quod ex myrrha stacte conficitur: quorum omniū promissa magna, effectus autem interdum nullus.

Pharmacum aridum ad tuendam oculorū ualetudinem à me compositum.

*Oculos roborās pharmacum.*

Lapidis phrygij ter usti, totiesque extincti: sed prima quidem extinctione, butyro: secunda, uino odorato: tertia Attico melle, ad ipsum extinguendum, iniecto lib. i. æris usti, piperis albi, folij malabathri, sing. vnc. i. stibij drach. xij. Postquàm uerò omnia fuerint læuigata, & reponere medicamentum uelis, adijce opobalsami Syriaci vnc. i. s. Porrò usus ipsius ad solas palpebras competit cum specillo inducti, citra tunicarum ipsius oculi contactum.

Aridum ad circunrosos oculorū angulos ab Asclepiade scriptum.

*Ocularia medicamenta varia, à medicis varijs conscripta.*

Spodij Cyprij drach. iiij. omphacij aridi drachmas ij. nardi obolos tres: piperis fricti grana xv. tritis utere.

Pharmacū calliblepharon, exornandis palpebris accōmodatū. Facit & ad lippitudines inueteratas. Stibij usti ac uino extincti drach. xvi. plumbi usti & loti drach. viij. fuliginis thuris, spicæ nardi, myrrhę torrefactæ, croci, squamę æris, sing. drach. i. omnibus tritis ac repositis utitor.

Aridum Philoxeni ad pruriginosos & circunrosos angulos. Facit & ad obtusum uisum. Cadmiæ drach. iiij. salis ammoniaci drach. ij. piperis albi drach. i. tritis & læuigatis utitor.

Liquidæ oculares compositiones ad omnē extuberantiam carnis tollendam, & ad incipientem lippitudinem.

Cōpositio qua usus Philippus est in Cæsaria. Misyos assati drach. viij. myrrhæ drach. iiij. cadmiæ drach. viij. croci drach. ij. salis ammoniaci tantundem: nardi Indicæ, piperis albi, utriusque drach. i. mellis Attici cyathum unum. Misceto.

Panchrestos Erasistrati ad lippitudines omnes, & ad purulentas aures.

Aeris usti, myrrhæ, sing. drach. i. piperis obolos ij. misyos tosti drach. i. croci obolos iij. uini Chij heminam i. passi eretici heminæ dimidiū. Coquantur ad lentum ignem, ut decet.

Philoxeni liquida exacuens uisum, ac cicatrices & callos exterens.

Ammoniaci thym. drach. iiij. æruginis drach. ij. uino diluta, & contrita, melle Attico excipito.

Compositio Largi exacuens uisum.

Succi radicis fœniculi partē unā: mellis tantundem. Misceto. Alia. Succi radicis fœniculi, succi chelidoniæ, mellis Attici, sing. drach. i. Misceto.

Ad tingendas albugines.

Gallam tritam per specilli nucleū calfactū imponito: dein chalcanthū aqua dilutū admoneto.

Ad glaucos oculos, quò pupillæ nigræ reddantur.

Malicorij dulcis succum infundito: dein post temporis interuallū hyoscyami florem cum uino tritum instillato.

Ad paruos instar hordei oblongos circa pilos palpebrarum abscessus.

Chalbani partem unam cum modico nitro mixtam imponito.

Cataplasma Heraclidis Tarentini ad uehementes oculorum dolores.

*Oculorum vehemētes dolores soluentia cataplasmata.*

Rosarum uiridium, aut siccarū drach. iiij. croci drach. i. opij tantundem: excipito meliloti decocto, aut passo, utitorque. Aliud. Rosarū, uiolarum albarum, meliloti, capitū papaueris, sing. drach. ij. croci, opij, myrrhæ, sing. drach. i. oui assati uitellum. Tritis & passo subactis utitor,

Agglutinatorium ad repellendas fluxiones ab oculis.

*Oculorum fluxionibus repellẽdis agglutinatorium pharmacum.*

Pollinis, myrrhæ, mannæ thuris, singulorum drach. i. candido oui excipito, temporibusq; & fronti admoueto.

Collyrium Moschionis, ad epiphoram, dolores, atq; fluxiones cõgruens.

Glaucij drach. vi. sarcocollæ drach. viij. croci drach. iiij. gummi drach. ij. tragacanthæ, succi mandragoræ, sing. drach. ij. opij drach. i. Aqua pluuiali excipito, utitorq;.

Paccij sphragis.

Cadmiæ ustæ, & lacte caprillo, siue muliebri, extinctæ ac lotæ, assiccatæq; in umbra, drach. x. æris usti ac loti, acaciæ, utriusq; drachmæ x. opij drach. vi. croci tantundem: gummi drach. xv. aqua pluuiali excipiantur.

Collyriũ ad acerbissimos oculorũ dolores.

Cadmiæ ustæ & lotæ, acaciæ, stibij usti & loti, aloës Indicæ, sing. drac. viij. croci, myrrhæ, opij, sing. drach. iiij. gummi drach. viij. aqua excipe, utereq; ex ouo. Ego etiam pompholygis & thuris, utriusq; drach. iiij. adieci.

Malabathrinum nostrum ad uexationes dolorum.

*Malabathrinũ medicamentum vehemẽtibus oculorum doloribus.*

Cadmiæ drach. xvi. acaciæ drac. xl. æris usti & loti drac. xiiij. opij, lycij Indici, malabathri, nardi Indicę, castorij, croci, aloës, sing. drac. ij. myrrhæ drach. iiij. cerussæ drach. viij. stibij loti tantundẽ: gummi drach. xl. aqua excipito, & utitor ex ouo in principio affectionũ, & etiã in declinatione, *ubi panchrestum ab ipsa parte remoueris.

Collyriũ albũ tryphera dictum, admodũ lene, ad epiphoras maximè cõgruens.

*Collyrium tryphera nominatum.*

Cadmiæ lotæ drach. xvi. cerussæ drach. viij. amyli, gummi, tragacanthæ, sing. drach. iiij. opij drach. ij. aqua excipito, & cum ouo utitor.

Cygnus inscriptus Reginæ, ad maximos oculorum dolores.

Cadmię drach. xvi. cerussæ lotæ drach. viij. amyli, tragacãthæ, acaciæ, opij, sing. drac. ij. gũmi drach. xij. excipe aqua pluuiali, & dum uti uoles, adijce candida ouorum quatuor recentium.

Aerianũ pharmacũ ad ueteres ac recentes affectiones accommodatum.

*Aerianũ pharmacum affectionibus oculorum accõmodatum.*

Cerussæ drac. xxiiij. cadmiæ ustæ & lotæ, stibij usti & loti, thuris, singul. drach. x. squamæ æris drach. v. opij drach. iij. myrrhæ tantundẽ: gummi drac. xij. aqua pluuiali exceptis, utere ex ouo.

Collyriũ ex cornu ceruino, ad ulcera & pustulas, quod cicatrices exterit.

Cornu ceruini usti & loti, thuris, plumbi usti, sing. drach. iiij. squamæ æris lotæ drach. ij. opij drach. i. gummi drac. iiij. excipe ex aqua pluuia.

Collyriũ diarhodon, ad fluxiones atq; dolores oculorum congruens.

Rosarũ drach. c. croci drach. i. opij, myrrhæ, sing. drach. viij. gummi drach. L. uino odorato excipito, utitorq; ex ouo. Ego uerò pro folijs rosarum, tantundem earundem florum inieci, feliciterq; successit.

Lynceus, ad affectiones callosas, exacuens uisum.

Cadmiæ, æris usti & loti, ammoniaci thymiamatis, sing. drach. xij. myrrhæ drach. xvi. lapidis hæmatitæ drach. vi. opij tantundem: aloës, fellis taurini, chalbani, sing. drach. iiij. ęruginis drac. i. opopanacis drach. iiij. salis ammoniaci drach. ij. gummi drac. vi. Aqua omnia pluuiali excipito.

Melinũ Lucij pręceptoris, ad scabros & corrosos angulos, intẽsos pruritus, oculos humectos, omnemq; hebetudinẽ uisus, cicatrices etiã & callos exterens. Cerussæ, croci, sing. drac. xxiiij. ammoniaci thymiamatis, salis ammoniaci, nardi Indicæ, opij, myrrhæ, omphacij, sing. drach. vi. gummi drach. xxiiij. Excipiantur aqua pluuiali.

Quæ Archigenes ad oculos affectos scripserit.

*Oculorum affectibus remedia ab Archigene scripta.*

In fluxionibus oculorũ primo conuenit cibi atq; potionis parcitas, aquæ potus, ac maximè rei ueneræ abstinentia. Subducatur aluus, & facies assiduè primũ multa frigida, dein oxycrato abluatur. Fugiant odores acres, & pulueres, fumumq;, & tum solis, tum lucernarũ splendorem. Si augescat fluxio, dolorq; accedat, cõfert etiam phlebotomia. Circa frontem porrò & tempora conueniunt medicamenta astringentia. At super oculos lana pura oui candido madefacta imponatur: aut oui assi luteum, aut melilotum in passo coctum. Omnia enim ex astringentium genere in principijs conferunt. Ad plagas illatas oculis facit columbinus sanguis instillatus, & præsertim is qui ex teneris pennis exprimitur. Candidum etiam oui eodem modo in oculum instillatum, ac præterea lana exceptum, & supernè impositum. Prodest etiam melilotũ coctum cum uino, impositumq;. Ad tumores ex plaga in oculis ortos ualde cõuenit fomentum per mollem spongiam aceto diluto madentem.

*Oculorum plagis quæ opitulentur.*

Ad palpebrarum defluuia, æruginis tritæ partem unam, ammoniaci thymiamatis tantũdem, trita imponito. Ad inutiles atque pungentes palpebrarũ pilos. Vbi auulsi fuerint, illinito sanguinem cimicum, & nõ renascentur: aut chamæleonem albam & tritam, cui uiridium ranarum sanguis fit mistus, inungito. Offuscationẽ omnem, incipientemq; suffusionem, sanat fel omne, cum marrubij succo ac melle Attico. Ad pterygia. Chalcanthi, & salis ammoniaci æquales partes: gummi dimidium: cum aceto in collyria formato, illinitoq;.

## *GALENI PERGAMENI de compositione medicamentorũ secundum loca, lib. V.*

De suggillatione, quam Græci hypopion nominant.

*Hypopion. Suggillatio quid sit.*

HYpopion ex genere effusionum existit, estq; affectio cutis ipsi oculo subditæ, ubi contusis uenis quę in ea sunt, sanguis per fissuras effunditur: qui quidem nisi discutiatur citò, interdum progressu temporis liuescit & denigratur. Quare meritò ad eius curationem statim festinant medici. Cæterùm quum tunicula uenarum, ex quibus sanguis exilit, rumpatur, parum quiddam ex astringentibus ad discutientia admiscent. Vbi uerò ad propriam naturam redierint uenulæ, tunc discussorijs solis uti admodum opportunũ uidetur: ex quibus tamẽ imbe-

*Suggillationis curatio.*

imbecilliora quidem in primis ſunt adhibenda, fortiora uerò inueteratis & denigratis conueniunt. Ego igitur Nili collyrio diarhodon, in oculariorũ coticula ex aqua trito, partẽ ſuggillatã illino, ſertulæ campanæ ac fœnigræci decocto prius pro fomento uſus: quo ipſo decocto, poſtea etiã collyriũ diſſoluo: ac dein etiã ex folius fœnigræci decocto. Quòd ſi quæpiã affectionis reliquię reſtitẽt, in fœnigręci decocto collyria ex myrrha diſſoluo, illinoq́. Vbi uerò affectus his remedijs nõ cedit, collyriũ ex ſandyce eſt cõmodum. Archigenis pharmaca ad ſuggillata.

*Suggillatis pharmaca ab Archigene prodita.*

Summè facit ad recentia & liuida ſuggillata, ſpongia muria intincta, & aſsiduè impoſita, ſublataq́: poſt quam, fomentũ ex aqua calida prodeſt. Cataplaſmate autẽ utere faba freſa cõtrita, abſinthio, hyſſopo, origano, raphani cortice, uua paſſa exacinata, unoquoq; per ſe cum melle, aut aceto, aut aqua. Minimè tamen rectè mihi uidetur præcipere, ut indifferenter uno aut alio utamur. Aqua quippe acrimoniæ omnis expertiſſima eſt. Mel autẽ ulceribus mordax, cutẽ haudquaq̃ offendit: acetum uerò utriſq; mordax exiſtit. Aliud. Aut fabam freſam cõmanſam, cum melle imponito. Etenim fabæ lomentũ, etiam citra manducationẽ cum melle ſubactũ, liuida diſcutit. Ex manducatione autẽ, ſummè diſcuſſorium efficitur, nimirũ uiribus à ſaliua aſſumptis.

*Lomentum fabaceum.*

Aut ceruſſæ & lithargyri partes æquas cum melle terito, atq; admiſta faba freſa, ad cerati formam reducito, utitorq́. Aut hordeaceã farinã cum aceto mulſo coctã imponito. Aut thus & thapſiã æquis portionibus cum roſaceo cerato. Hæc Archigenes. Dictũ autẽ à nobis eſt, quòd ex diſcuſſorijs medicamẽtis in principio prętantiora ſunt, quæ modicã aſtringẽdi uim poſsidẽt: qualia ſunt roſæ, melilotũ & crocus. Apollonius autẽ ad inueterata ſuggillata, ari radicem raſam, melleq́ ſubactã impoſitãq; cõmendat. At Crito bryoniæ radicẽ tritam cum melle, aut roſaceo cerato exceptã, inter remedia ſuggillatorũ recẽſet.

Medicamen Heræ conſcriptũ ad ſuggillata.

*Suggillatis medicamen ab Hera ſcriptum.*

Succi cicutæ obolos ij. croci drach. ij. myrrhæ, acaciæ, ſing. drach. i. opij drach. ij. ſucci thapſiæ, gummi tragacãthæ, ſing. drac. i. cũ aqua cogito. Tribus enim horis (ut inquit Heras) ſuggillata diſpungit. Ego uerò nucẽ per ætatem iam oleaginoſam effectam expertus ſum aliquando ad cruentatos facientem.

De ægilope.

*Aegilopis deſcriptio & curatio.*

Inter naſi os & magnũ oculi angulum, paruũ quoddam exiguo abſceſſui perſimile tuberculũ naſcitur: quod ſanè ſæpe in ipſum angulũ rumpitur, ægreq́; curationẽ admittit, niſi maturè illi occurratur. Igitur mederi ipſi oportet medicamentis quæ abſq; mordacitate diſcutiãt. Quippe coafficitur ab acribus oculus, ac ſic inflammatio particulæ augetur.

Heræ ad ægilopas.

Maluæ folia cum ſale & melle trita imponito. Alica etiã in aceto cocta, incipiẽti ægilopi opitulatur. Archigenis remedia ad ægilopas.

Aegilopas eruo cum melle integimus, aut cinere urticis cum aceto ſubacto. Probè facit & thus cum recenti columbino ſtercore impoſitũ.

In nondum foratis, ſtaphidem ſylueſtrem, & ammoniacũ thymiama cũ melle, ueluti ſpleniũ, imponito: aut alumen ſciſsile cum terebinthina.

Si morbus his remedijs nõ cedat, diuiſo angulo, oſſeq́; nudato, cauteriũ admoue: ſic ſiquidem decedunt ſquamulæ, atq; ipſum malum curatur.

De varis.

*Vari deſcriptio & curatio.*

Tumor paruus & durus in faciei cute oborĩſ, varus Latinis, Gręcis ionthos dictus, à craſſo cõcretus ſucco, oſtendensq́; meritò ſuiipſius curationẽ futurã per emollientia & diſcuſſoria pharmaca. De ficoſis tumoribus.

*Ficoſus tumor à varo quo modo differat, & qualia medicamenta poſtulet.*

Vna quædã hæc affectio eſt ex ijs quæ in mento enaſcunĩ, differens à uaris in eo, quòd nõ ſolùm craſſus ſit qui hos tumores excitat humor, ſed ſeroſa etiã tenuitate participet, ob quã exulcerantur citò, ſi nõ, ut decet, curenĩ: & ob id magis exiccantibus pharmacis q̃ uari opus habent.

De lichenoſis in mento tumoribus.

*Lichenes à quibus gignantur humorib. et qualia medicamenta deſiderent.*

Et hæc affectio ex mixto quopiã generaĩ humore, ſeroſis nimirũ tenuibusq́; & acribus ſuccis cum craſsis mixtis: quapropter facilè etiã in pſoram ac lepram tranſit: indigetq́; etiam ipſa pharmacis fortiter exiccantib. Vbi uerò in pſorã aut lepram tranſierit, ultra hoc quòd reſiccantibus indiget, etiã repurgantia & exterſoria deſiderat. De menti eruptionibus.

*Exanthemata reſiccãtibus medicamentis indigent.*

Hoc eruptionum, ſiue exanthematũ nomen, quidam in cõmuni uſurpant de affectionibus ulceroſis & aſperis in mento ſua ſponte oborientibus. Indiget uerò & hæc ipſa affectio reſiccantibus medicamentis.

De furunculis.

*Dothienes.*

*Furunculorum ſpecies.*

Furunculi, Dothienes Græcis uocati, ex ſimilibus humoribus, ueluti uari, gignuntur, per uniuerſum corpus duplices exiſtentes: nonnulli quidem uaroſi, duri, & ægrè concoctiles: aliqui uerò inflammati: in quibus aliquando febres cõſiſtunt, & tumor excreſcit in magnitudinẽ, & in pus tranſmutatur. Vnde curatio ipſorum ut plurimum eadem quæ inflammationum exiſtit.

Critonis ad varos remedia.

*Varis remedia ſcripta à Critone.*

Mellis Attici, & acerrimi aceti, ſing. cyathum unum miſceto, ipſisq́; uaros illinito, cum digito perfricando. Vel amaras amygdalas aceto intritas, faciei illine. Aut alumen ſciſsile probè læuigatum terebinthina excipito, imponitoq́.

Ad varos calloſos.

Saponis gallici drach. iiij. ammoniaci thymiamatis drach. i. thuris drach. i. aqua diſſoluito, & cerati ſpiſsitudinem facito, eoq́; illinito, & poſt horæ interſtitium calida abluere iubeto.

Ad affectiones eminentiores, ac principium elephantiaſis.

*Elephantiaſi incipienti medicamen egregiũ.*

Gummi albi, ſpumæ nitri, thuris, ſulfuris uiui, ſing. æquales partes aceto dilutas ac probè tritas, in paſtillos redige, eoſq́; in umbra exicca: uſu uerò expetẽte, aceto dilutos illine: atq; ubi reſiccati fuerint, ſubſcripta cõpoſitione deterge. Saponis gallici lib. i. ammoniaci thym. tantũdem: thuris, maſtiches, ſpumæ nitri, ſing. vnc. iij. Saponem & ammoniacũ in fictile uas cõiecta, & aquę ſextarijs duobus affuſis, coquito: atq; ubi diſſoluta fuerint, arida contuſa atq; cribrata adijcito: deinde in mortariũ trãſfuſa, & probè cõquaſſata

in uase uitreo reponito. Vſu uerò poſtulante, faciem ex eo ſmegmate inquinato, et poſt modicũ tẽporis larga aqua molliter perfricãdo abluito.

Eiuſdẽ ad ficoſas menti papularũ eruptiones.

*Papulis in mento erumpẽtibus medicamẽta cõgruentia.*

Spumæ argenti, miſyos crudi, æquas partes tritas inſperge. Aliud. Atramenti ſutorij, ſulfuris uiui, ſing. drach. ij. æruginis drach. i. nitri rubri drach. ij. trita inſperge.

Andronis pharmacũ ad idem accõmodatũ.

Chalcãthi, myrrhæ, ſing. drac. ij. thuris, aluminis ſciſsi, ſing. drac. 4. malicorij, gallarũ, ariſtolochiæ, ſing. drac. viij. uino auſtero exceptis utitor.

Critonis remedia ad lichenas.

*Lichenum remedia ſcripta à Critone.*

Tritici grana multa imponito in incudem: deinde laminã æris candentẽ tritico ſuperponito: & reſolutũ ab eo liquorẽ, calidum adhuc, auferto, illinitoq́. Aut portulacæ ſuccum aſsiduè illinito. Quòd ſi inueterati ſint lichenes, capparis folia trita cũ aceto imponito. Aut corticẽ radicis hortenſis rumicis, ſimiliter ex aceto tritam.

Paſtilli lichenici.

Glutinis fabrilis, chamæleonis, ſing. drach. iiij. ſulfuris uiui, thuris, ſing. drach. ij. aceti heminæ dimidium. Glutinum aceto diſſoluitur, dein aridis affunditur. Vſus tepore, quantũ ſatis eſt, aceto diluo, calidumq́ impono.

Humida ad impetiginoſos affectus.

*Impetigini congruentia remedia.*

Miſyos peregrini, thuris, myrrhæ, aluminis ſciſsi, ſing. drach. viij. aloës, ſulfuris uiui, utriuſq; drach. iiij. Paſſo excipito, ad ſpiſsitudinem ſtrigmenti, & bis aut ter in die perfrictis illine.

Emplaſtrum lichenicum.

Ceræ, picis coctæ, terebinthinæ, ſulfuris uiui, ſing. libræ dimidium: liquida cõmittito aridis.

Excoriatorium lichenum.

*Lichenas excorians.*

Squamæ æris drach. vi. auripigmenti, ſandarachæ, utriuſq; drach. iiij. æris uſti, ueratri albi, ſing. ſeſquidrachmã: uentrium cantharidũ tantundem. Singula per ſe terito: dein ſimul miſta, cedria excipito, & ad ſtrigmenti ſpiſsitudinẽ reducta, pyxide æris cyprij reponito. Cæterũ antequàm excoriatoria imponãtur, circumſitas & uicinas licheni partes pharmaco aliquo inflammationem arcente in ſplenio excepto, integere ac tueri oportet. Poſt excoriatoriorum uſum emplaſtra uiridia & alba ſunt imponenda.

Emplaſtrũ uiride Pamphili ad lichenas.

Ceræ libram: æruginis raſæ quadrantẽ: reſinę pityctæ lib. ij. olei cyathos iiij. aceti acerrimi quod ſit ſatis. Conficito ut decet.

Viride Herophili.

Aeruginis drach. ij. mannæ drach. iiij. adipis uitulini drach. xij. chalbani drach. iij. cerę drach. lxxx. reſinæ drach. xx. aceti quod ſit ſatis.

Emplaſtrũ album, quo Magnus circulator eſt uſus ad excoriatos lichenas.

*Lichenas excoriatos ſanantia medicamenta.*

Lithargyri, ceræ Tyrrhenicæ, ſing. lib. i. olei ſextariũ i. ceruſſæ lib. i. aquæ ſextariũ i. Conficito.

Aliud. Lithargyri, ceruſſæ, plumbaginis lotæ, ſing. drach. xxv. ceræ, terebinthinæ, ſing. drach. xvi. olei hem. i. aquæ tantundem. Conficito.

Compoſitio Menecratis ſquamas decidere faciens, & corpora attenuans.

Picis brutiæ pellucidæ, ſiccæ, & electæ, drach. ij. s. reſinæ pinus pellucidæ lib. i. & quadrantẽ: ceræ ponticæ tantundem: chalbani quadrantẽ: aceti heminam unam. Conficito diligenter.

Heraclidæ Tarentini ad capitis & menti ficoſos tumores.

Elaterij ſalisq́ pares portiones cõfundito utitorq́.

De dentium affectibus.

*Dentes dolere & pulſare.*

Equidem in metpſo manifeſtè aliquãdo percepi, nõ dolentẽ modò, ſed etiã pulſantẽ dentẽ: quemadmodũ carnoſæ partes inflãmatione uexatæ conſueuerũt. Quare mirabar ſanè, quòd in dente oriri inflãmatio poſſet. Atqui cùm etiam alio tempore dentem dolerem, perſpicuè ſenſi, nõ ipſius dentis, ſed gingiuarũ inflammatarum, eum dolorem exiſtere: ita ut etiam citra coarctationem dolerent, ob uicinitatẽ tamen durorum dentium illis inaugereſ dolor. Vtriuſq; itaq; doloris ſenſum expertus, aliũ quidem in gingiuæ, alium in ipſius dentis ſubſtantia eſſe, clarè ſcio.

At uerò, & quòd neruus quidem ad radicem dentis ſubſtratus, aliquando etiam doleat: imponat autẽ nobis, ut credamus ipſum dentẽ dolere, conſentaneũ rationi eſt. Etenim quòd dente exempto remaneat adhuc exigua quædã portio doloris, id ob nerui inflammationẽ contingit: cùm nimirũ tunc dolor nerui leuior tantùm reddatur, eò quòd nõ amplius ab oſſe, cui cohærebat, tendatur: & quòd iam liberius perſpiret, fruaturq́ medicamentis quæ illi adhibenſ. Neq; enim per contactũ, neq; per diſtributionẽ poſsibile fuerit inflãmato neruo mederi, utrinq; à dentium locellis coarctato, & ab anteriori parte ab ipſo dente. *Iam uerò cùm liuidi tota ſubſtantia ſua interdũ reddanſ nerui, nihil mirũ fit, ſi phlegmone ſimile quid patianſ. Cui rei hinc maior accedet fides, quòd tum nutrianſ, tum augeanſ per totũ ferè ipſius uitæ curriculũ: id q̃d euidenter ſæpenumero in ijs dentibus liquet, qui ſunt exemptis oppoſiti, utpote qui ſemper augeſcũt. Siquidẽ quantũ augenſ dentes, tantũ in ciborũ læuigatione atterunſ. Cùm igitur illis abſq; nutrimento augeri nõ liceat, utiq; duabus affectionibus, & his contrarijs, obnoxij erũt, inopiæ ſcilicet & redundantiæ alimenti, q̃d ipſis ſuppeditatur. Inopia ergo, aridiores & tabidiores, atq; ob id tenuiores eos efficit: redundantia uerò, conſimilem in eis excitare affectionẽ poteſt, qualis eſt circa carnoſas partes phlegmone: ac proinde curandũ eſt, ut redundantia euacueſ, partim diſcutiendo, partim eam repellẽdo. At tenuitatis dentium ob alimenti inopiã, nullũ remediũ eſt, cùm tunc neceſſariò laxenſ moueanturq́: nempe cõpage ipſorũ laxiori reddita, ob tenuitatẽ nõ modò dentiũ, ſed locellorũ etiã eos amplectentiũ. Hæc itaque affectio ſenibus accidit citius aut ſerius, ueluti etiam magis aut minus. Quæ uerò phlegmonẽ refert, magis iuuenes corripit. Auxiliari tamẽ etiã oportet ſenibus, auxilio gingiuis adhibito. Eas autẽ aſtringentib. medicamẽtis robuſtiores, & magis circa dentem aſtrictas facere cõuenit: tanq̃ ipſæ ad ſtabilitatem & firmitudinem dentiũ, aliquid etiam conducant. Porrò forantur dentes ab humorũ acrium & erodentiũ influxu: quemadmodum etiam cutis citra externam cauſam ſolet exulcerari. Verũ cutis exulceratur aſsiduè & multis: oſſa autẽ rarius, quòd ob duritiem

*Dentes interdũ nonnihil ſimile inflammationi perpeti.*

*Dentes augeri et nutriri, quod liquet ex ijs qui ſunt exẽptis oppoſiti.*

*Dentes duabus ſunt obnoxij affectionibus.*

*Dentium tenuitatẽ ob alimenti inopiã eſſe incurabilem.*

*Dentes à quibus forentur humoribus.*

*Dentium foratorum curatio.*

duritiem ægrius quàm cutis ipsa patiantur. Igitur corporum erosorum medela, erit resiccatio uitiati influentis humoris: qui si paucus fuerit, per localia exiccantiaq; auxilia absumetur. Si uerò multus, uniuersi capitis prouidentia est habenda: quod quidem si ob uniuersum corpus affectum fit, huic etiam est prospiciendum. Etenim erosos ob mollitudinem dentes, duriores impatibilioresq; per austera & acerba medicamenta reddendi sunt. At liuidos redditos, per siccantia curare oportet, ut qui ex uitiosorum humorum influxu id patiantur: unde similem cum foratis curationem desiderant.

*Dentium liuidorũ causa & curatio.*

De gingiuarum medela.

*Gingiuas inflãmatas oleũ lentiscinum persanat.*

Gingiuis ex inflãmatione dolentibus, optimũ pharmacum est oleum lentiscinum recens, calfactumq; in duplici uase, atq; ore retentum. Repellit enim citra molestiam, discutitq; absq; mordacitate, cuius rei inflammatis præcipuus est usus.

Quæ Archigenes ad dentium dolores conscripsit.

*Dentium dolorib. medicamina ab Archigene prodita.*

Dolentes dentes colluant acri acero calido cũ galla. Aut pinguibus redis in aceto feruefactis. Aut myrti ramulis cum pice in aceto tepefactis. Aur hyoscyami cum aceto. Aur agrestis cucumeris radice, uel marrubio, singulis cum aceto, pipere, & nitro. Aut pulegij decocto. Mirificè facit dens caninus ustus & tritus, deinde cum aceto coctus, & ore retentus. Aut scillam, aut radicem hyoscyami in aceto coctã colluito. Aut pyrethrum cum hyssopo, & colocynthidis medulla similiter coquito, liquoremq; ex eis longo temporis spacio in ore tenero. Hæc Archigenes. Porrò solanum stupefaciendo sensum duntaxat, auxiliatur dentium doloribus.

Ad foratos atq; dolentes dentes remedia ex Archigene.

*Foratorum atq; dolentium dentium remedia.*

Sory Aegyptium resina terebinthina exceptũ obline, indeq; intra dentis cauernulã. Aur senectam anguis dentibus apprimito, et exciděr. Aut uermes terrenos tostos cauernulæ præmundatæ inspergito. Aut piper, uel rorismarini semen opio exceptum, in cauernulam inde. Aut in aurem denti uicinam oleum sesamiuum, in quo uermes terrestres concocti fuerint, instilla. Ipso autem dolente dente hyoscyamum cõterant. Erosis etiam atque dolentibus dentibus, candens admoueto cauterium. Præstat ad eliciendam pituitam, staphidem agrestem per se, & cum pulegio mandere.

Fomenta ad dentiũ dolores extrinsecus fiunt ex sale & millo, simul & torrefactis, & coniectis in sacculos. Dolenti autem denti affricetur origani ramulus, oleo feruido intinctus. Aur opopanacem & peucedani succum unita, linteolo illigato, & intra oleum feruefacta, denti dolenti apprimito. Aut bene contecto, & hiare iusso, hyoscyami semina in suffimentum adhibe.

Ad eximendos absq; dolore dentes.

*Dentibus eximendis citra dolorem remedia.*

Pyrethrum acerrimo acero ad dies quadraginta condito, terito, & reponito. Vsu uerò exigente, reliquis cera obturatis, dolentem ipso pharmaco integito. Deinde hora interposita, digitis extrahito, aut scalpello exigito. Dentes educunt fortiter tithymali succus, & sori, cum chalbano imposita. Apollonius autem radicis betę succum per se iubet instillari in nares, ad soluendum dentium dolorem.

Eiusdem, ne erosi dentes uacillent, néue fœtorem edant, remedium.

*Dentium fœtorĩ remedium.*

Veratrum nigrum erui magnitudine, melle cocto exceptum, cauernis inde.

Eiusdem ad dentes denigratos optimum dentifricium.

*Dentifricium optimum.*

Alabastritæ usti drach. viij. pumicis usti drac. iiij. salis torrefacti drach. iij. tritis utitor. Ab horum usu collutione utendũ est, ex uino odorato, in quo ad multũ tempus iris sicca fuit macerata.

Asclepiadis remedium ad dentes motos.

*Dentes confirmans remediũ.*

Cornu cerui usti drac. viij. Rhois rubri drach. iiij. omphacij drach. ij. balaustij drach. iiij. corticis pinus, myrrhæ, sing. drach. j. tritis utitor.

Collutio eiusdem ad molarium dolores.

Radices smyrnij cum aceto mulso coquito, & excolatum liquorem ore tenendum dato.

Ad erosos dentes præseruatiuum.

Zingiber cum aceto mulso coquito, ac probè terito, indeq; in cauernam indito, forisq; dentem ex eo integito. Aut hederæ lachrymam chalbano miscero: aut tithymali, uel ficus syluestris succo dissoluito, ac utitor.

De mobilibus & prominentibus dentibus:

*Dentes prominentes atterendi ratio.*

Vbi dentes absq; ictu pręcedente mouentur, uerisimile est neruos radicibus eorum adnatos, præ nimis humiditate laxatos esse: ob idq; siccantibus medicamentis eis esse opus. Quum autem emoti dentes prominentiores sint reliquis, præcipuè ubi ex plaga mouentur: sanè semper optimum iudicaui fore, si sic affecti, in tantum attererentur lima, quantùm super reliquos promiuent: idq; ne oppositos sibi offenderent, in loquendo, mandendóue: quod consilium semper mihi satis feliciter cessit. Oportet autem gingiuis linteolum molle usq; ad radices dentium circundare: dein digitis sinistræ manus leniter amplecti, simulq; tutè, & citra compressionem, ne concutiatur cui limulam adhibemus, chirurgiam ipsam aggredi: eamq; nõ una uice absoluere, sed pluribus. Imperandum etiam est ægro, ut nec loquatur, nec durum aliquem cibum accipiat: utatur autem alimento succo prisanæ, & sorbitione ex alica, & pane madido, atq; alijs id genus mollibus.

Ad firmandos dentes, ex Archigene.

Myrrhæ, pompholygis, aluminis scissi, amyli, æquales singulorum partes tritas admoue. Postea asininum lac colluant calidum, aut acetum, aut uinum, in quo malicorium & galla sint cocta. Ad dentium autem stuporem portulacam mauducent.

*Dentium stupori portulaca auxiliatur.*

De dentitione puellorum, eiusdem.

*Dẽtitioni puerorum congruentia medicamenta.*

Dentienti infantulo, si doluerit, canino lacte gingiuas obline. Aut si leporino cerebello gingiuas eius illeeueris, citò dentes prouenient. Mulcet gingiuas dolentes acetũ cui hyoscyami radix incocta fuerit. Quòd si enascens dens ęgrè erumpat, & compungat gingiuam, cyperum ex butyro & unguento susino iuxta exortũ illinito.

Præseruatiua dentium ab Archigene prodita.

*Dentes præseruantia citra erosionem.*

Alumine scisso & modice myrrha confricato, nec erodent unquã. Aut Iridem Illyricã mãdito.

Compositio Andromachi eadem hora dentium dolorem sedans.

Piperis, pyrethri, succi tithymali, chalbani, singul. drach. j. chalbano excepta in cauernã indito.

Alia. Seminis hyoscyami, opij, nitri, myrrhæ, pyrethri, piperis, sing. drach. j. chalbani drac. ij. tritis ex uino utitor.

Collutio ad motos dentes, Critónis.

Lentiscum, myrtum, gallam, in uino cocta colluenda præbeto. Eiusdem ad corrosos dentes. Capparis radicem cum acri acero ad dimidias coquito, & colluito tepidum.

Dentifriciũ ad gingiuas madore laxatas, putrescentes, & eruentatas, concussos dentes, ozænas, parulidas, dolores, & omnia oris ulcera.

*Dentifriciũ ad omnia gingiuarum & oris ulcera faciens.*

Perdicij recentis drach. x. mellis, aluminis scissi, iridis Illyricæ, sing. drach. iiij. piperis albi drac. viij. nigri drach. ij. pumicis, pyrethri, hyssopi, pulegij, seminis apij, sing. drach. ij. myrrhæ, menthæ siccæ, herbæ sideritidis, singul. drach. ij. salis fossilis drach. iiij. Perdicium, siderindem, mel, & salem, mista urito: alumẽ uerò per se ustum uino extinguito: deiu omnibus simul contusis utitor.

Smegma dentes reddens candidos, eosq; ab erosione defendens, oriq; bonum odorem cõcilians.

*Dentifriciũ insigne.*

Nitri, testæ sepiç, myrrhæ, sing. vnc. j. trins utitor. Aliud ad idem. Aluminis scissi sescũcem: mastiches vnc. j. comæ rosarum quadrantem: iridis trientem. Tritis utere, indeq; aquam tepidam colluendam præbe.

## GALENI PERGAMENI DE compositione medicamentorũ secundum locos, liber VI.

Quamuis plurimũ intereſt, ex uiuáne aliquis uoce, an ex libris discat, non tamen paruũ commodum studiosis ex commentarijs accedit: ob idq; ad hosce conscribendos me accinxi, quum rationalis auxiliorum inuentio præstet illi, quæ soli experientiæ innitit. Igitur in stomaticis pharmacis, de quibus agere in præsenti commentario est animus, primus medendi scopus est communis omnium partium inflammatarum: secundus autem, proprius illius cui medemur.

*Inuẽtionem rationalem auxiliorum præstare illi, quæ soli experientiæ innititur.*

*Inflammationis causa, & curatio.*

Porrò inflammationes, ex influxu calidi sanguinis fiunt: qui repellendus est, nisi uereamur ipsum ad partem aliquam principem recursurum, atque illic grauiorem aliquem morbum excitaturum. Vtimur igitur uenæ sectione, & purgatione, & clysteribus, etiam inedia, ubi totum corpus plethoricum, aut cacochymum extiterit. Si uerò neutrum fit horum, statim properamus ad curationem per localia remedia. Impossibile autem est, pharmaco ritè uti eum, qui uim ipsius non cognorit, secundum quam auxiliatur. Porrò medicaminum repellentium genus, quibus utimur in principijs inflammationum, in materia refrigerantium consistit: quorum sanè ea quæ astringendi natura prędita sunt, efficaciorem uim habent, ad ocyus repellendum influxum. Inest quippe ipsis statim etiam facultas cogendi & densandi superficiem corporis cui admouentur.

*Astringentiũ facultas.*

Communis itaque scopus in oris inflammationibus est, prohibendi eos dum incipiunt. Secundus autem ab ipsa particula sumitur, quum sciamus longè rariorem atque molliorem esse oris tunicam, cute qua uniuersum integitur corpus. Taceo tunicam oris, medicamentorũ insuauitatem percipere: posseq; medicamenta ori indita defluere in uentriculum & pulmones: quorum neutrum cuti reliquæ adest. Quare fortibus medicamentis, cuiusmodi chalcanthos existit, quęq; uenenosam facultatem sortiuntur, uti ad oris affectiones non licet, nisi magna urgeat necessitas.

*Oris affectionibus cur exhibẽda non sint fortia, nec uenenosa medicamenta.*

Ergo succus mororum solus, recensq; à fructu ipso expressus, ad incipientes oris inflammationes est melior illo, qui, ut asseruari diutius possit, ex melle coquitur: quanquam ad sequentia inflammationis tempora, utilior est qui ex melle est coctus.

*Oris inflammationibus quæ opitulentur medicamenta.*

Nam quemadmodum in principio utilia sunt pharmaca repellentia id quod influit: sic post principiũ usq; ad finem, pharmaco opus est ex utrisq; misto, repellente uidelicet facultate, & discutiente prædito: ac primo quidem tempore, astringens præcellere oportet: ad finem uerò discutiens: atque interposito tempore æquales utrorunque partes esse conuenit. Quando uerò ueluti induratum quippiam ex ipsa inflammatione relinquitur, penitus non conuenit astringens ad discussorium miscere, * si prius uniuersum corpus fuerit uacuatum. Similiter neque in principio bonum est discussoria miscere astringẽtibus.

*Digerentibus solis utendum esse, ubi durities aliqua ex oris inflammatione relinquitur: cæterùm prius corpore uniuerso uacuato.*

Meritò autem qui pharmacum diamoron composuit, parum ex croco & myrrha ei commiscuit, quòd communem habeant facultatem concoctoriam inflammationum: priuatim uerò crocus quidem astringat: myrrha autem calfaciat in tantum, ut sufficienter discutiat, tenuium partium etiam substantiam possidens, qua facilè in alium subire possit, uiresq; aliorum medicamentorum deducere.

*Croci facultas. Myrrhæ facultas.*

Soleo autem ipse in principio ad pharmacum diamoron miscere rhois succum, aut omphacium, aut florem rosarum, aut ipsas rosas siccas, necnon balaustium, cytinos, malicorium aridum, gallam omphacitin, pini, thurisq; corticem, hypocistidem, lentisci succum, ac breuiter astringentia omnia, præter ea quæ corrumpentem possident facultatem, quæ & deleteria dicitur, & letalium species quædam existit: quippe cùm non omne letale, necessariò etiam deleterium, hoc est, uenenosum existat.

*Diamoron medicamen.*

*Letalia omnia non esse deleteria.*

At ubi inflammatio iam constitit, sufficit ad mororum succum addidisse tantùm crocum & myrrham, ut ipsa inflammatio coquatur. Quæ ubi concocta fuerit, addere aliquid ex discussorijs licet, cuiusmodi sunt nitri spuma, nitrum Berenicarium, sulfur uiuum, sapa, origano interdum incocto, aut hyssopo, aut pulegio, aut thymbra, aut thymo, aut calamintha hortensi & agresti.

*Oris inflammationi concocta quæ congruant.*

At uerò Erasistratus, quum mororum succus illi ad manum non esset, rubi cremore usus, seipsum curauit.

*Rubi cremor.*

Ego autem pharmacum ex succo nucum uiridium confeci, facultate ad oris inflammationes cæteris omnibus stomaticis plurimum antecellens. Cuius compositio est huiusmodi. Succum externi nucum uiridium corticis cum mellis iusta portione coquo, donec ex utroque mellis crassitudo consistat. Hinc autem liquet, qualis sit eorum corticũ succus, quantaq; astringendi uis, quòd ne per fortissima quidem extersoria, nigredo elui possit ab eorum manibus

*Stomatici ex succo nucũ uiridium, ad oris inflãmationes conuenientissimi cõpositio.*

*Nucum succo uiridium adesse astrictio penetrans.*

qui

qui uirides nuces decorticaut. Atqui nisi in profundum manuũ illa facultaa descenderet, nou certè ægrè eluibilis esset. Quum autem descendat, indicat planè substantiam succi, tenuium partium esse. At rationi est consonum, astringendi uim esse maximè ex usu, ubi in eiusmodi cõtineatur substantia: ineptam autem existere, quæ crassarũ partium substantiæ est coniuncta.

*Astrictionem tenuis substantiæ iunctã, esse maximè ex usu ad repellendas inflammationes.*

Optimum itaq; ac simul suauem esse nucum succũ mihi persuadens, cum in quatuor partes diuido: & ad primam statim aliquid ex astringentibus misceo: ad secundam, ex croco & myrrha: ad tertiam, sulfuris & nitri nonnihil. Quartam uerò solam synceram seruo, ob dulcorem futuram utilem pueris, mulieribusq;, & uiris effœminatis.

*Stomatici ex succo nucum quadruplex compositio.*

Est autẽ quod ex succo rubi constat, fortius eo quod ex moris conficitur: quemadmodum hoc eo, quod ex musto paratur: omnibus tamen præstat quod ex succo fit nucum.

*Stomaticum ex succo nucum, cæteris omnibus præstare.*

Porrò in pharmacis quæ deglutiunt, maximè coniectare oportet naturam eorum qui ipsa sument. Nam quod cum molestia aut fastidiosè accipitur, os uentriculi euertit. In stomaticis autem medicamentis, eiusmodi synceritatem interdum contemnere licet. Si quis igitur medium aliquod medicamen conficere omnibus aptũ uelit, ut (exempli gratia) quod constat ex succo mororum, ad quinq; libras succi, unam mellis adijciat: croci autem & myrrhæ, utriusq; drach. j. s. Vini item austeri heminã unam: omphacij, drach. j. Quod si non adsit, pro ipso rhois succum inijcies: & si uolueris par pondus utriusq; imponere, nihil peccaueris. At Hera drachmam unam scissilis aluminis addit.

*Stomatici diamoron compositio apta omnibus.*

Quod uerò ad coquendi modum spectat, ego sanè censeo succum ipsum solum esse per se præcoquendum usque ad crassitudinem strigmentitiam: dein uerò adijciendũ mel: atque ubi iam cacabum ab igne uelis auferre, reliqua imponenda esse. Etenim ut spuma argenti, & plumbago, aliaq; multa metallica, per cocturam meliora euadunt, sic uis complurium aromaticorum exoluitur.

*Aromaticorum complurium uires, per cocturã exolui.*

Cæterùm ad induratas inflammationes, quum iam præterierit uigor, nec amplius influat quicquam, prædicto pharmaco discussoria miscere oportet: cuiusmodi sunt, spuma nitri, nitrũ, petræ asiæ flos, sulfurq; uiuum. Ac sufficit sanè nitri vnciã semis, sulfuris uncias duas, si addideris. Quòd si nihil horum sit præstò, in sapa aut mulsa origanum feruefacito, ipsamq; stomatico pharmaco adijcito, & gargarizare iubeto. Nihil autem refert, etiam si hyssopum conijcias pro origano, aut pulegium, aut thymum, aut thymbram, aut calaminthem, aut hedyosmũ.

*Oris induratis inflammationibus qualia sint apta medicamenta.*

In uigore autem inflammationum collutionibus & gargarismis concoquere inflammationem oportet, pinguium caricarum decocto, lentiscinoq; oleo tepefacto in duplici uase. Quin & ipsum stomaticum pharmacum in uigoribus gargarizare conuenit mulsæ dilutiori permistum, aut calidæ sapæ, aut etiam aquæ calenti. At meum ex succo nucum medicamentum, aliorum omnium est ualidissimum, utilissimumq;.

*Oris vigentes inflammationes quibus sint coquenda medicamentis.*

Quum aũt tres sint Punicorum mâlorum species, austerorũ nempe, dulciũ, & acidorũ, æquas singulorũ partes, unà cũ corticib. soleo ipse etiã cõtundere, expressumq; succũ cum melle coquere, ac sic conficere medicamẽ non solùm stomaticũ, sed ad multa alia utile.

*Punicorum malorũ species tres, austerorum, dulcium & acidorum.*

*Stomaticum èx punicorũ succo.*

Contunditur etiã cum illis & rubi fructus: cuius succus similiter præparatus succo mororũ, melius illo pharmacum redditur, sed minus ualidum eo, quod ex nucum succo paratur. Quin & mâlorum cotoneorum, & pirorum syluestrium, ac mespilorum succus, similiter præparatus, stomaticum pharmacũ redditur, aptumq; etiam ut deuoretur: quũ hoc quod ex nucibus cõstat, deuorare nõ liceat.

*Stomaticum ex nucib. deuorandum non esse.*

Verũ quod ex punicis constat pharmacum, aptũ est exoluto & cibos fastidiẽti uentriculo: deficit tamen ab eo quod ex mâlis cõstat. Innocuus est etiã rubi mororũ succus uoratus, ueluti & ipsorũ mororũ: sed succus rubi mororũ habet quid quod stomachum roborat: quod ipsum, mororum cremor non habet.

*Rubi mororum succus os ventriculi roborat, id quod succo mororum nõ inest.*

Iam uerò succus nucum plurimo melle opus habet: & post eum, rubi mororum: modico autem, mâlorum & punicorum, & pirorum syluestrium. Medius inter hos est mespilorũ succus. Ex cornis etiam, brabylisq; & prunis, stomatica præparantur.

*Succorum qui nã plus, & qui minus requirãt mellis.*

Cæterũ si crassus esse uideatur succus, statim mel admiscere oportet: sin liquidior, præcoquatur. Suscipit autem pirorum atque mâlorum succus parem mensuram mellis. Succus uerò eorum quæ nimis acerba sunt, ueluti est corni fructus, aliquando duplum, aliquando triplum mellis desiderat. Porrò si atramentum sutorium admistum sit, non admodum deglutire oportet confectum pharmacum, præterquàm si iuxta stomachum aut aluum ulcerosam affectionem fieri uereamur. Quin & si in ipso ore maligna ulcera fiant, præstant ex atramento sutorio medicamenta. Sufficit autẽ drach. ad prædictam compositionẽ admista, in qua unã mellis libram conijci dicebamus.

*Calcanthon quando stomaticis miscere expediat medicamentis.*

Iam uerò quum rhus sit duplex (alter enim obsonijs inspergitur, stomacho commodus: altero coriorum tinctores utuntur) uterq; sanè musto incoctus, stomaticum efficitur medicamen.

*Rhus duplex.*

Mustum etiam solum, citra mellis misturam in mellis compagem redactum, bonum fit pharmacum in principijs, augmentis, atq; uigoribus. Ad declinationem autem præstiterit, si in ipso diem integram tedas pingues præmaceraueris.

*Musto quando & qualiter preparato vtendũ in oris inflammationibus.*

Quòd si preciosius efficere pharmacum uis, inijcies etiam casiæ corticem, aut nardũ Indicam, aut malabathri folium, singulorũ nempe unam drachmam. Ad induratas autem inflãmationes conijciuntur quæ generosius discutere possint, trusa uidelicet, & cribrata: idq; ubi olla ab igne est exempta. Ac talia sanè sunt, costus, amomum, macer, Cyrenaicus succus, Medicusq;. Pauperibus tamen pro sumptuosis discussorijs pharmacis, aut dictamnum, aut acoron, aut meon, aut pyrethrum, aut cardamomum, aut sinapi inijciendum censeo, pari pondere: ita ut ad triũ drachmarum pondus, eorum mistorum moles perueniat ad prædictã symmetriã, in qua mellis libra habebatur.

*Discutientia pharmaca quænam sint.*

Verùm pro cõstitutionis affectuũ proportione augeri ac minui pharmacorum uehementiam oportet. Ergo pharmacũ cõficientes ex musto, ad decẽ musti heminas, tres inijciemus heminas rhois coriariorũ, aut eius qui obsonijs inspergitur. Si uerò utrũq; inijciamus, utriusq; una & dimidia inijcienda est. Iuxta proportionem etiam, ex discussorijs, quodcunq; tandem in promptu habeamus. Quòd si unum tantùm suppetat nobis astringẽdi uim habens, quod in principio inijcia

*Stomatici ex musto compositio.*

mus: aut unicum discussorium, quod iuxta finem: ex illo totum pondus explebimus, quod ex omnibus alioqui fuisset constandum. In uniuersum autem, austeriora quidem, in principiis, & uehementibus influxionibus congruunt: moderatiora in uigoribus: ut magis discussoria in declinationibus. Porrò ex astringentibus facilia paratu sunt, rosæ, baccę myrti, myrtus, lentiscus, rubus, canirubus, galla omphacitis, fructus Aegyptiæ spinę, omnia aluminis genera, unus & alter rhus, glauciū, omphaciū, cytini, & balaustia. Ex discutientibus moderatè, facilè parantur caricarum furfurumq; decoctum: aut mulsa, in qua origanum, aut hyssopum, aut thymus, aut calamintha, aut pulegiū, aut hedyosmum concocta sint: quæ si diutius coquantur, fortiora redduntur: amplius autem & nitri spuma, aut ipsum nitrum ustum. Fortius uerò his est sulfur uiuum. Rectè autem Andromachus medicamini ex succo mororum cōfecto addidit glycyrrhizam, ut exasperata leniret, asperitatemq; astringentium mitiorem redderet.

*Inflammationi incipienti, austeriora: vigenti, moderatiora: inclinanti, magis digerentia conueniunt.*

*Astringentia paratu facilia.*

*Digerentia mediocriter.*

*Digerentia valenter.*

Stomaticum Andromachi ex musto, quo utor.

*Stomaticū Andromachi ex musto.*

Gallas xxx. Rhois coriarii sext. ii. musti sext. vi. Gallas confractas per diem & noctem in musto macerato: dein coquito, donec ex toto quarta supersit portio: quam per linteolū colatam, expressamq;, in olla ad mellis crassitudinem spissato: dein trita addito, aluminis scissi, croci, myrrhæ, singul. drach. j. permista reponito, tandemq; eis utitor. Iam uerò, quod ex dulci confectum est musto, magis mitigatorium & moderatum erit, sed minus efficax: id autem quod ex acerbis fit uuis, uehementius quidem astringit, leniendi uim tamen non habet: ex medio uino paratum, mediam facultatem sortitur.

Stomaticum ex besasa, anginis congruens, ab Andromacho scriptum.

*Stomaticum ex besasa Andromachi.*

Sem. anisi, apii, ammii, floris iunci odorati rot. aluminis scissi, iridis Illyricæ, besasa (hoc est, seminis rutæ syluestris) cinnamomi, myrrhæ Troglodyticę, aristolochiæ longæ, casię, rosarum siccarū, crocomagmatis, sing. vnc. j. croci, cineris hirundinum tenellarum, utriusq; quadrantē: croci sesquiunciam: nardi Indicæ, amomi, utriusq; vnc. s. gallas viii. tritis cum melle utitor.

Stomaticum Asclepiadis.

Hirundinū syluestriū ustarum cineris drac. iiii. croci, nardi Indicę, utriusq; drac. j. melle excipito.

Aliud Andromachi, ad columellam laxatam.

*Columellæ laxatæ remedium.*

Aluminis liquidi lib. j. florum rosarum lib. s. succi hypocistidos quadrantem. Alumen in melle coquito, dein sicca inspergito, utitorq;.

Aliud eiusdem ad omnia uitia oris.

*Stomaticum ad omnia vitia oris.*

Crocomagmatis drach. ii. iridis drach. iiii. sandarachæ drach. s. terebinthinæ drach. ii. lycii Indici drach. j. uuæ passæ drach. viii. aloēs, omphacii, singul. drach. j. nucum pinearum tostarum drac. viii. succi glycyrrhizæ, aluminis scissi, balaustii, singul. drach. j. floris rosarum drach. ii. mellis hem. ii. s. Conficito.

· Stomaticum Asclepiadis.

*Stomaticum Asclepiadis.*

Succi hypocistidos drach. ii. balaustii, lycii, acaciæ, sing. drac. j. excipito oliuæ immaturæ succo, & postea melle subactis utitor.

Si uerò æger stomatica id genus fastidiat, in moderatis quidem inflammationibus sufficient succi soli fructuum iam dictorum, ut rubi, & mororum, punicorūq; mâlorum, & coroneorū. Quin & succus nucum ubi cum solo melle paratur, gustui suauis existit: itemq; mustum ex uuis acerbioribus pressum, si rhus in id coniiciatur, optimum pharmacum redditur. Ad eas uerò inflammationes quæ multa astrictione indigent, austerorū punicorū, aut coroneorum, aut utrorūq; succus, melli admistus, sæpe mihi fuit satis. Singulis autē horū succorū licet omphaciū adiicere. Vehementissimū medicamen reddet, si punica integra tundas unà cum corticibus, indeq; succū exprimas: atq; hoc magis si acerba fuerint. Acerbissimum etiam fiet, si ad punicorum austerorum ita tusorum succum, omphacium superaddatur cum moderato melle. Præstantius adhuc reddes pharmacum, si tota contusa punica mâla, passo cocta excolaueris. Ne uerò ualde exasperet, glycyrrhizæ succum admiscens, conficies optimū pharmacū.

*Acerbissima stomatica cōficiendi ratio.*

Si quid uerò induratū appareat, iis succis qui medias facultates sortiuntur, iniicies aliquid, dum coquuntur, ex pulegio, aut thymo, aut origano, hyssopo, mentha, aut calamintha: dein colabis, & habebis optimū medicamē. Quòd si calidius efficere uelis, piper addes. Omnibus tamen si glycyrrhizæ succus addatur, melius pharmacū efficiet.

*Induratis inflāmationib. apta stomatica.*

*Glycyrrhiza stomaticis addita ipsa meliora reddit.*

De crustis.

In calidis & humidis corporis partibus, qualis est os, ex quacunq; tandem causa fuerit exulceratum, citò putredo oboritur. Ad cuius ulcera fortissimis sæpe uti cogimur medicamentis. Atqui fortissima sunt, quæ escharam instar cauterii excitant. In externis igitur corporis partibus, ubi parti curandæ crusta fuerit inducta, à fortibus supersedemus pharmacis, transgredientes ad detersoria, quæ escharas tollunt. In iis uerò quæ in ore excitatæ sunt escharis, tutius mihi uidetur esse admiscere ad exteriora pharmaca, alia quædam fortiora, & quę per se admota, crustas etiā inurerent. Melli itaq; maxima extergendi ui prędito, crustifica medicamenta immiscemus: quemadmodū ad sordida quæ in corporis cuticula oriuntur, miscere illi leuiter extergentia solemus, ut thus, eruum, iridem, aristolochiam, & alia id genus. Porrò Andromachus, ad oris crustas, ex nucibus pineis, amylo, alumine scisso, flore rosarum, croco, & melle, composuit optimum stomaticum.

*Putredo oboritur citò in calidis & humidis partibus.*

*Oris pustulis extirpādis miscenda exterforiis esse vehementissima pharmaca, & quæ per se admota, excitare possent eschares.*

Critonis ad oris crustas medicamentum.

*Oris crustis delendis remedia varia.*

Misyos torrefacti drach. iii. mellis optimi cyathos sex: misceto & utitor. Idem etiam præstat chalcitis assata cum melle.

Archigenis ad crustas oris remedia.

Commodissimum est stercus canum, altorum ossibus, ex melle illitum: quod etiam in angina auxiliat. Aut rhus Syriacus ex melle. Aut hirundinum ustarū & stercoris humani par modus cum melle illitus. Aut hepatis lupi aridi cochlearia duo trita bibenda dato. Ego uerò medicamē ex rhoē damno, quòd astringentis sit facultatis, quæ minimè crustis cōuenit. At hepar lupinū eupatorio mistum, ad hepaticas etiam bibit affectiones.

*Crustis non conuenire astringētia.*

*Hepar lupinum confert hepaticis.*

Sorani stomaticum ad crustas, fœtentesq; gingiuas & humore prægnantes.

*Stomaticum Sorani.*

Misyos usti drachmas viii. iridis Illyricæ drachmas iiii. croci drach. j. Trita in pyxide lignea reponi-

reponito, & tum per se, tum ex melle utitor.

Aliud nomine Anthera.

*Anthera.*

Iridis Illyricæ, sandarachæ, cyperi, sing. drach. iiij. aluminis scissi, croci, crocomagmatis, singul. drach. ij. tritis & mistis utitor.

Stomaticum Heraclidis Tarentini ad uehementes putredines oris atq; reliqui corporis.

Chalcitidis partem j. calcis uiuæ tantundem: auripigmenti partem dimidiam: tritis & mixtis utitor. Aliud. Florum rosarum drach. iiij. aluminis scissi, gallæ, sing. drach. ij. myrrhæ drach. j. trita melli misceto, utitorq;. Quidam sale macerato in aceto, resiccatoq;, utunt. Si hæc remedia putredo ipsa respuat, utendum cauterio est: postea uerò colluendũ ulcus prædictis, imponendaq; anthera, donec crustæ abscedant.

*Cauterio utendum in putrilaginosis oris ulceribus, ubi reliqua incassum administrãtur.*

De columella.

*Columella. Gargareon. Cion. Columna. Staphyle.*

Caruncula illa quæ ad extremum oris dependens cernitur, à ueteribus quidem gargareon, & cion, hoc est, gurgulio & columna: à neotericis autem cionis, hoc est, columella, uocatur: cuius sanè affectionem quandam, staphylen, hoc est, uuam, dicimus. Raro tamen affectio hæc circa columellam contingit, licet ea sæpe inflammetur. Et sanè quemadmodũ in alijs omnibus, in quibus ex humorum influxu contingit morbus, sic etiam hic prima auxilia debent fluxionem ipsam repellere: quare astringentis sint facultatis oportet: uerùm si quidẽ influxus sit moderatus, moderatè astringentis, quam priuatim austerã uocant: si uerò uehementior, acerbę. Ambę quippe facultates astringunt, sed debilius austera, uehementius acerba. Porrò moderatæ collutiones fiunt ex palmularũ, rosarum, pampinorum uitis, rubi, canirubi, aspalathi, cyperi, cytinorum, siliquarum, radicum mori, hypocistidis, mâlorum austerorum, pirorum acerborum, ac sorborũ decocto. His fortiora sunt myrti & baccarum eius decoctum, & ex acerbis cotoneis mâlis, & uirgultorum tenerorum ilicis, arbuti, smilacis, fagi, & ipsarum glandium: mespilorum item, & cornorum, & fructus memæcili. Generosissimum autem est decoctum gallarũ, & rhois culinarij, & coriarij, fructusq; myricæ, & Aegyptiæ spinæ. Ex his singula tũ per se, tum etiã mixtim cocta ex aqua, gargarizare oportet. Mirũ enim quàm mixturę ipsorum utiliores sæpe fiunt ipso simplici usu. Quin & arida etiam columellæ insperguntur. Iam uerò moderatè astringunt etiã lapis Ageratus, aloë, cyperus, flos iunci odorati, radixq; nardi Indicę. Eximiè astringũt omnia aluminis genera: scissum uerò inter ea tenuiorum est partium, & ob id utilius. At atramentũ sutorium uehementem astringendi uim possidet: non est tamen expers calfactoriæ: ob idq; putrilaginosis ulceribus conuenit. Cæterùm gurgulionem exasperat, etiamsi iam scirrhũ contraxerit. Corrumpuntur autem succi omnino, si absq; melle reponant, aut resiccantur, si plurimũ fuerint cocti. Nõnulli tantam ariditatẽ asciscunt, ut conteri queant. Tales sunt hypocistidis, uuæ acerbæ, glycyrrhizæ, & centaurij succus. Ridiculum aũt est quęrere, inter duo eiusdẽ generis pharmaca, utrũ sit ipsorũ præstantius. Omnia siquidẽ medicamẽta respectu ad aliquid tum utilia, tum noxia dicunt. Quocirca si pronunciaueris pharmaca nihil esse sola per se, rectè dixeris: nihil enim sunt, nisi nacta fuerint utentẽ rectè. Si uero contrà, pharmaca deorũ esse manus fatearis, similiter rectè dices. Iuuant quippe maximè, si is qui eis utit, in rationali methodo fuerit exercitatus, atq; natura prudens. Porrò mistura pharmacorũ eiusdẽ generis, mediorũ pharmacorum usus sit gratia: ob idq; semper duo contraria medicamenta in unoquoq; affectu uos habere operæprecium duco: quę quidem permiscendo, multis pharmacis abundabitis. Quum autem rarò quis affectionem inueniat, quæ (exempli gratia) solis discussorijs, aut repulsorijs indigeat, cogimur etiam sæpe diuersi generis medicamenta miscere: quemadmodum ubi cum repellentibus aut anodynis discussoria confundimus: ut si gurgulione inflãmato, ad alumen iridem misceamus Illyricam, aut farinam eruinã, aut thus, aut myrrham. Etenim quũ discussoria sint multa, est semper à mitioribus auspicandum: quandoquidem inflammata exasperantur ab acribus.

*Columellæ inflammata curatio.*

*Acerba & austera facultates ut differant.*

*Collutiones moderatæ ex quib. fiant.*

*Collutiones ualde astringentes*

*Miscellas medicaminũ aliquãdo esse utiliores simplicium usu.*

*Aluminis omnia genera eximiè astringunt.*

*Chalcanthi facultas.*

*Medicamenta omnia respectu ad aliquid tum utilia tum noxia dici.*

*Pharmaca nihil sunt sola.*

*Pharmaca esse deorum manus*

*Discussorijs mitioribus cur sit in principijs utendum, ubi digerere est opus.*

Quæ Archigenes scripsit ad gurguliones inflammatos.

*Gurgulioni inflammato remedia secundum Archigenem.*

Vua laxata, succum Cyrenaicum dissolutũ illine: aut gallam tritam cum sale: aut ipsum sal dissolutum: aut lycij radicem tritam: aut omphaciũ cũ melle. Si fortius medicamentum uis, atramenti sutorij, squamæ æris, aluminis scissi, misyos, myrrhæ, gallæ, æquas partes tritas, ac uino exceptas illine. In principio tamen sale non est priuatim utendũ, sicuti nec Cyrenaica lachryma: sed ubi columellę inflãmatio indurata iam fuerit. De gurgulionis autẽ inflãmatione sic Hippocrates differit: Gurguliones cum periculo excindunt, urunt, ac resiccant, quãdiu rubri fuerint & magni: quo tempore alijs artibus graciles sunt reddendi. Quũ uerò totũ id quod appellant uuam, abscesserit, extremum autem gurgulionis maius, liuidumq; redditum fuerit, superior uerò pars tenuior, tunc sanè intrepidè curationi admoliendæ sunt manus.

*Gurgulionis affectis curatio secundum Hippocratem.*

Quę scripserit Archigenes ad uigentem inflammationem gurgulionis & tonsillarum.

*Gurgulionis inflammati curatio secundum Archigenem.*

Si uerò in uigorem affectio peruenerit, subducatur aluus, aut calidam lotionem furfurum gargarizet, aut ptisanæ succum, aut passum tepidum, aut radicis dulcis decoctum cum passo & hyssopo: aut ficus uino incoctas: aut succum ptisanæ, in quo uuę sint passæ incoctæ. Magnoperę iuuantur, si amygdalinum oleum in aures infundens, forinsecus spõgijs expressis leniter foueris. Quin & omelysis ex cruda hordeacea farina imponenda: aut ex farina seminis lini aut fœnigręci. Quòd si iam propè ad suppurationem accedere tonsillę uideant, coadiuuare assiduè per ficuũ decoctum oportet, propèmodũq; incessanter id gargarisma exhibere, similiterq; aquam mulsuũ calidam. At si nihil tale apparuerit, augescat autẽ malum ita, ut ægri uix transglutire possint, ac suffocationis principium sit nobis suspectum, aluus forti clystere, aut glande subducenda est, & secanda cubiti uena, cucurbitæq; cũ scarificatione collo ac mento affigendæ. Fomentis etiam & cataplasmatis robustioribus est frequentius utendum, gargarismisq; assiduis. Quòd si ne his quidẽ remedijs mitescat morbus, sed augeat indies, uenæ sub lingua secentur, aut iuxta angulos oculorũ, atq; illa quæ in fronte consistit. Illinatur autem assiduè fel tau

*Tonsillarum inflammatarũ curatio secundum Archigenem.*

*Vena sub lingua, uel iuxta angulos oculorum, inflammatis tonsillis quãdo incidenda.*

ri, & elateriũ cum melle: aut sal cũ oleo ueteri, melleq; & aceto: aut centaurea cum melle: aut absinthium cum nitro & melle.

Heræ medicamen ad columellam laxatam.

*Columellæ laxatæ medicamẽ Heræ.*

Gallæ omphacitidis, aluminis scissi, salis ammoniaci, sing. pares portiones conterito, inspergitoq;. Vel ageratum lapidem derasum in pollinem similiter columellæ imponito. Porrò Heraclides Tarentinus rectè sanè post usum medicaminum exacerbantium, iubet collusmus fauces lentium decocto, ad tollendam uehementem illam astringentium asperdinem.

Ab Asclepiade prodita.

*Faucibus inflammatis remedia ab Asclepiade descripta.*

Rosarum siccarum sextarium j. nardi Celticæ unà cum radicibus, & adhærente terra, fasciculũ j. nidi hirundinũ syluestrium aridi drach. iij. myrrhæ drach. viij. gallas omphacitidas numero xv. contosa & trita digitis apprime. Est enim hoc mistæ potentiæ pharmacũ. Aliud. Piperis albi, myrrhæ, sing. drach. j. aluminis scissi drach. ij. gallæ omphacitidis tantundem: trita admoue. Hoc tamen utendum non est in gurgulione uehementer rubente. Aliud eiusdẽ facultatis, quo & nos sumus usi. Lapidis agerati, Asiæ petræ, terræ samiæ, singul. drach. iiij. aluminis scissi, croci torrefacti, gallarũ omphacitidum, sing. drac. ij. tritis utitor.

Critonis medicamentum digerens.

Ossium palmularum, nucũ tenerarum immaturarum, siccarum, utrarunq; drach. iiij. Vrito, atque in puluillum terito, utitorq; arido admoto.

Aliud Sorani, maximè mitigatorium, ac proinde conuenientissimum ad uigentes inflammationes. Glycyrrhizam contundito, & mel & aquã pari mensura affundito: dein coquito, & liquorem ipsum gargarizandum præbeto.

De pharmacis ad ulcera oris aphthas appellatas.

*Aphthæ sunt oris ulcera, præcipuè innadentia infantes.*

Vlcerationes in superficie oris obortas, aphthas appellant, habentes quippiam igneæ caliditatis. Fiunt aũt plurimũ pueris lactentibus, quum aut uitiosum fuerit lac nutricis, aut non probè ipsum concoxerit infans.

*Aphtharũ curatio per moderatè astringentia.*

Curant facilè, utpote quę uel à moderatè astringentibus compescãtur. Quando que tamẽ diuturnæ fiunt, ægreq; solubiles, & progressu temporis nonnihil porrilaginosum sequiruntur: atq; hę sanè fortiora medicamẽta postulant.

*Aphthis uaria remedia à uarijs descripta.*

Andromachi medicamen ad aphthas malignas.

Aluminis scissi, usti, drac. ij. fructus ericæ drac. j. oleo excipito, & per digitum locis apprimito.

Eiusdem ad aphthas leuiores.

Lycium Indicũ uino tritum, circumlitũ, & ericæ fructus tritus, aut rosæ siccæ cum melle, auxiliantur. At Crito, adipem suillum, & mel, simul liquefacta, commendat: ut collutionem etiam ex asinino lacte: manducationemq; portulacæ intinctæ melle: quę omnia & simplicissima sunt, & pueris maximè idonea.

Quę scripserit Apollonius ad aphthas.

Ad aphthas albas, chalcitidẽ oleo tritã penna illinito. Postquàm uerò puræ factæ fuerint, myricæ fructum tritum, aut aqua mulsa, aut uino dilutum, illinito, maximè infantibus. Ad nigras aphthas, uuam passam exacinatam, & anisum, trita cum melle illinito. Vel atramento sutorio trito cum melle utitor. Vel æruginis uermiculatæ obolos tres in uini quarta heminæ parte gargarizandos præbe. Vel muriam oliuarum & acetum pari mensura mista, colluenda dato. Mandendę sunt etiam oliuæ muria conditæ. Hęc Apollonius. Etenim oliuæ sic asseruatæ, discutiunt, atq; uehementer astringunt.

*Oliuæ muria cõdita discutiunt & uehementer astringunt.*

Quæ Archigenes ad aphthas scripserit.

Ad aphthas faciunt collutiones ex decocto foliorum oleæ, aut myrti albæ. Facit & amurca, & marrubij succus, aut lentis decoctũ. Aut fæx uini dulcis cum melle illita. Summè facit ad depascentes, fœniculi radicis ustæ cinis.

*Aphtharũ causas ex colore dignoscendi ratio.*

Porrò ex colore ipso facilè licebit colligere, qui nam humores ipsas aphthas produxerint. Rubicundiores siquidem, sanguinem præcellere indicant: flauiores, amaram bilem: albescentes, pituitosum humorem: quemadmodum nigrescentes, melancholicũ succum. Qui autem hæc ritè discreuerit, noueritq; facultates singulorũ medicamentorũ simplicium, is unicuiq; aphthæ speciei, propriũ sciet administrare remediũ. Expendet aũt simul ipsas naturas corporum.

*Fortiora corpora ualidioribus egẽt medicamẽtis, ut imbecillora mitioribus.*

Fortioribus quippe corporibus fortiora medicamenta adhibenda sunt: debilioribus imbecilliora.

*Aphtharũ quæ infestant infantes, curatio.*

Ego porrò infantibus qui adhuc à nutricibus aluntur, lentem cum modico pane, & medulla cerui, aut uituli exhibeo. Admisceo etiam cibis nonnihil ex astringentibus fructibus. Quandoq; etiam de lactuca, seride, solano, & portulaca conijcio aliquid, si aphtha sit inflammata. Quòd si cibum assumere nequeant, nutricem eiusmodi uictu alo, utq; concoquat rectè, prospicio. Verum tamen etiam infantes illino, si quidẽ subrubras uidero aphthas: in principio quidẽ, ijs quæ moderatissimè astringũt, & frigefaciũt: dein uerò, eis quæ citra mordacitatẽ discutiunt. Si uerò subflauas uidero, ijsdem utor, sed magis refrigerantibus. At si pituitosiores, astringentib. ut si nigrescẽtes, discussorijs generosiorib. Cæterũ in maioribus pueris, eiusdem generis facultatibus pharmacorũ utor, auctis tantùm ipsorum uiribus: quemadmodum etiã in perfectis & duris corporibus, singulis relatis facultatibus fortissimis utor. Sufficit autem mihi in his per omnia misyos usus cum uino astringente, quod tum intendit, tum remittit uim suam, prout magis aut minus uinum fuerit astringens: & prout crassius aut liquidius efficitũ pharmacum ex misyos ac uini mistura. Quòd si sordida appareat aphtha, misy cum uino mulso tero. Iis uerò qui fortiora quàm misy, medicamẽta postulant, ærugo similiter dissoluta, est utilis. Commodum est etiam pharmacum ad hanc rem, chalcitis oleo trita. Atq; hæc quidem efficaciora. Moderata uerò, & maximè ad incipientes affectus, omphacium cum uino & œnomelite: similiter etiam rhus. In pueris sufficit rosarum flos, & ipsæ etiã rosæ siccę.

*Aphthæ moderatæ moderata medicamẽta desiderant: ut maligniores, fortiora.*

In summa uerò, moderatæ aphthę, maximè in corporib. teneris, moderatis pharmacis opus habent: fortes uerò & maximè in duris corporibus, curantur à ualidioribus. Fortia pharmaca intelligo, tum quæ astringunt uehementer, tum quæ etiam mordicant: sicuti moderata, quæ prorsus sunt mordacitatis expertia, nonnihilq; astringunt. Porrò oleum per se, infestissimum est aphthæ affectui: ueluti etiam chalcitis: quandoquidem alterum quidem humectat, & sordes gignit: mordet autem uehementer chalcitis.

*Aphthis fit optimũ medicamen ex chalcitide et oleo moderatè commistis.*

Verùm moderata mistura ipsorum, optimum pharmacum

macum

*Sarcoticũ optimum fit ex cerato & arugine.*

macum efficit. Nam quemadmodum ex cerato & ærugine incarnans effici pharmacũ solet, tametsi ambo per se sint contraria carni gignendæ: eadem ratione ex oleo & chalcitide aptum medicamentum conficitur.

## GALENI PERGAMENI DE compositione medicamentorũ secundum partes, lib. VII.

### De affectionibus contingentibus circa respirationis organa.

*Arteriaca pharmaca quæ dicantur.*

*Aspera arteria ex quibus constet particulis.*

*Vox quando intercipiatur.*

*Raucedo quando gignatur.*

*Vocis organa quæ.*

ASperę arteriæ pharmaca, mos est appellare arteriaca. Vocant enim arteriam asperam, uiã illã quæ ducit à larynge ad pulmones, ex cartilaginosis corpusculis, bronchis dictis, cõflatam: unde etiam tota arteria, interdum dicitur bronchos. Vestit autem ipsam intrinsecus quædã crassa membrana, quam ob crassitudinẽ nonnulli tunicã nominãt. Scripserunt porrò ueteres multa & diuersa medicamenta ad affectus organorum respirationis: ad uocemq; tum interceptã, tum raucam. Etenim ubi instrumẽta uocis ab humiditate uehementius atq; tenacius impacta fuerint imbuta, uox intercipitur: quũ uerò moderatius humecta sunt, oboritur raucedo. Organa uocis quũ dico, intellige arteriã, & laryngem, & pharyngem, siue epiglottida. Qui igitur ex uehemẽti clamore uocẽ amplius oblæsam habent, iis similis quædã affectio cõtingit in illa tunica asperę arterię interna, ei quæ manibus, cruribusq;, & musculis, ubi plurimũ laborarunt. Cæterùm curationis genus euariat. Siquidem crura & manus confricare per oleũ licet, quũ per cutem in adiacentes musculos penetrare ipsius possit facultas. Iuxta asperã uerò arteriã cartilagines post cutem sitæ, prohibent in subiectã pelliculam transitum facultatis unguentorum mollientium. Itaq; auxiliorũ materia congruentiũ respirationis organis, quũ ab aliis petenda est, tum etiã à balneis dulciũ aquarum, cibisq; & lenibus, & laxantibus. Si qua uerò aspredo sentiatur, cibis utendum est* qui diutius hæreãt partibus quæ cum loco affecto cõmercium habent, Est enim una, eademq; sibi continua & cohærens tunica, quæ pharyngem, laryngem, gulam, & interna ipsius asperæ arteriæ uestit, obducitq;. Quare cibi cõgruentes tunc erunt, qui ex lacte, amylo, alica, ouis, & libis dulciariis constant. Si uerò per hæc nõ curetur affectio ipsa, inuenta sunt à medicis pharmaca sub lingua tenẽda, ob idq; hypoglottides appellata: quę eadem facultate cum arteriacis uocatis prædita, ex uino Theræo, gummi, tragacantha, & glycyrrhiza conflantur: quę læuigãt quidem reprimũtq; omnes asperitates, quicquid uerò reliqui est ex inflammatione, concoquunt, & citò persanant. Qui autem pharmacum linguę subdet, patiens sit laboris oportet, ut ipsum paulatim liquescẽs, in laryngem excipiat, renitens interim tussi, si qua excitari uideatur. Impossibile tamen est, ut hi claram uocem elidant, citra usum pharmacorũ absq; acrimonia extergentiũ: qualia sunt faba fresa elixa, prisana, ac semen lini torrefactum. His magis detergunt resina terebinthina, thusq;, ac despumatum mel, & amygdalæ amaræ: quemadmodum istis rursus fortiora sunt farina erui, semen hormini, radix iridis, panacisq;. Cæterùm his omnibus uina mollia, & passum Creticũ, & Theræum, & Scybelites, & sapa, & decoctũ caricarũ, conueniunt. Est autem ab affectionis principio, usq; ad finem eiusdẽ, paulatim progrediendum à leuissimis tum cibis, tum medicamentis, ad ea quæ discutiãt detergantq; uehementius. Igitur primi ordinis sunt tragacantha, gummi, samius aster, amylum, sorbitio ex alica & trago, lac, panes dulciarii, oua sorbilia, sesama, & nuces pineę, quas strobilos uocant. Ab his autem deinceps est butyrum, & glycyrrhizæ decoctũ: id quod præstiterit ad sapam ex musto, uel ad Creticũ passum miscere, rursusq; coquere. Hæc itaq; in affectionibus inflammatis circa arteriam atq; laryngem ortis cõmoda in principio sunt, donec moderata inflãmatio fiat: ac præ omnibus à uini potu hoc tempore abstinendum est. Quum uerò moderatior facta inflammatio fuerit, uinum dulce Theræum, aut Scybelite bibere licet: quo tempore etiã butyrum est aptum, & sorbitio ex amygdalis, necnon ex lacte & melle diutius coctis, amyloq; iniecto, aut filigine. Qua sanè uictus ratione inflammatio quidem ipsa sedatur: relinquitur tamen humiditas multa, ob quam impossibile est claram uocem proferri. Quare transire tunc cõuenit ab his eduliis, ad omnia ex melle cocta, & ad fabam fresam elixam, & prisanam, & brassicam, & porrum probè coctum. Similiter etiam pharmacorum usus idoneus est, quo tempore inflammatio aut aspredo præcellunt, eorum quæ detinentur sub lingua: post hæc magis detergentia & resiccantia exhibemus: idq; gradatim facimus, donec ad ea quæ acredinis nonnihil sortiuntur, perueniamus. Deinceps igitur ex arteriacis quæ à ueteribus prodita sunt eligens præstantiora, huic methodo adiiciã: quæ quidem nec discernere, nec iis probè uti poterit, qui in cõmentariis simplicium medicamentorũ accuratè non fuerit exercitatus.

*Respirationis organis male affectis remedia unde petenda.*

*Tunica eadem uestiri gulam, pharyngem, laryngem, & interna aspera arteria.*

*Hypoglottides ex quibus conflentur.*

*Hypoglottidib. quomodo sit utendum.*

*Extergentia ad uocis puritatem facientia, quæ sint.*

*Voci aut impeditæ, aut raucæ, ob inflãmatas affectiones circa laryngẽ, aut asperã arteriã obortas, qualis uictus et medicinæ ratio conueniat.*

### De arteriacis ab Andromacho scriptis.

*Arteriaca, hoc est, ad affectus organorum uocis et respirationis cõgruentia, pharmaca Andromachi.*

Thuris, myrrhæ, croci, sing. drach. j. scillę drac. ij. passi Cretici sextar. iij. Scilla in passo coquitur, donec inspissetur passum: dein scilla abiecta, insperguntur reliqua: fitq; eclecton, hoc est, delingibile pharmacum.

### Alia arteriaca confectio.

Aloës sextantem: croci vnc. j. mastiches tantundem. Conficito. Soluit enim aluum, concoquitq; (croci ratione) ea, quorum gratia exhibetur.

### Alia leniens exasperata, concoquensq; & extergens.

Thuris, succi glycyrrhizæ, sing. vnc. j. tragacanthæ drach. vj. nardi drachmã j. myrrhæ, amomi, croci, sing. drach. iiij. mellis Attici quod sit satis. Conficito.

*Tabidis arteriacũ optimũ.*

Alia arteriaca, optima ad tabidos, & omnes inueteratos pulmonis & thoracis affectus. Cinnamomi, thuris, utriusq; vnc. j. succi glycyrrhizæ, myrrhæ, tragacanthæ, nardi Indicæ, amomi, sing. drach. iiij. croci drach. j. Melle Attico excipito.

*Hæmoptoicis arteriaca confectio.*

Alia ad arteriã affectam, ulcera pulmonis, puris & sanguinis reiectiones, fluxionesq; in thoracem, & ad ea quæ ægrè educi possunt uehementer efficax. Resinæ terebinthinæ, croci Cilicii, thuris, myrrhæ Troglodyticæ, cinnamomi, amomi, nucis pineæ, glycyrrhizæ absq; medulla, asteris samii, chalbani, costi, sing. drach. iiij. nardi Sy-

riacæ drach. ij. s. casiæ nigræ drach. ij. tragacanthæ, palmularum Syriacarum carnis, sing. drach. iij. Mellis Attici heminas iij. Conficito.

Hypoglottides, hoc est, orbiculi sub lingua tenendi, ad aspredines gutturis, interceptã uocem, & sanguinem reiectantes. Tragacanthę drach. vi. gummi drach. v. thuris drach. j. obol. j. myrrhæ drach. j. obol. ij. croci tantundem: succi glycyrrhizæ drach. j. obol. iij. aut rad. drach. ij. s. piperis albi grana xxv. palmularũ pinguium carnis drach. iij. Tragacantham passo maceratam & tritam reliquis tritis cõmittito, fingitoq; cataporia magnitudine fabæ.

*Hydropi recenti optimum medicamen.*

Arteriace delingibilis, ad tabescentes, purulentos, atq; hydropas incipientes, & tusses inueteratas cõgruens. Datur per diem & noctem cochlearij mensura. Succi scillę sext. iiij. passi Cretici sext. iij. vini Falerni sext. viij. mellis Attici sext. iij. myrrhę trientem: croci, thuris, utriusq; sextantẽ: aristolochiæ oblongæ minam j. s. glycyrrhizæ minam unam: radicis eryngij sextantẽ: casię, nardi Celticæ, singul. vnc. j. xylobalsami bessem. Lignosa illa contusa in uino macerato per triduũ, dein ad lentum ignem ad tertias coquito, atq; ita exprimito, & retrimentis abiectis, passum, mel, & scillæ succum conijcito, & ad mellis crassitudinem coquito. Crocum uerò, thus, & myrrham, cum uino terito, atq; ubi optimè habuerit pharmacũ, addito: postquã uerò fuerint modicè fusa, ab igne tollito, & reponito ad usum.

Alia arteriaca media, medijs congruens arteriæ affectibus.

Croci, uuæ passæ exacinatę, utriusq; drach. j. amygd. dulciũ drach. viij. myrrhæ obolos iiij. tragacanthæ drachmas iiij. piperis albi obolos iiij. melle cocto excipiantur.

Critonis Arteriaca, ad uocem interceptam.

*Voci intercepta arteriaca Critonis.*

Ficum & eryngium probè coquito, & ad decoctum ipsorũ gummi addito, ut melle durior confectio fiat: exhibetoq; ad noctem.

*Vlceribus auriũ pudendiq; medicamentum.*

Alia eiusdem, faciens ad affectus arteriæ, & ulcera tum aurium, tum etiam pudendi. Thuris obolos iiij. myrrhæ drach. ij. passi cyathos iij. Passum ad mellis spissitudinem coquito: dein myrrham & thus cum passo semicocto ablato, misceto. Facit etiam ad dysentericos & cœliacos. Rectissimè autem fecerit, qui arteriacas concoquentes atq; lenientes, in duplici uase coxerit: nempe uasculum quod coquendum pharmacum continet, in aliud plenum aquæ feruentis imponens.

*Coquenda esse arteriaca lenientia in duplici vase, & quomodo.*

*Diacodyon Critonis.*

Cõfectio Critonis ex capitibus papaueris, diacodyon dicta, ad affectus organorum respirationis conducens. Capita papaueris agrestis octingenta: aquæ sextarios lxxx. Coquito ad tertias, hoc est, donec flaccida appareãt: atq; expressis addito mellis lib. x. Si uerò uariam efficere uis, adde croci, myrrhæ, succi hypocistidis, sing. drach. xij. thuris drach. vi. acaciæ drach. xij. Optima tamen est simplicissima.

De usu confectionis ex papaueris capitibus.

*Diacodyon, hoc est, ex capitibus papaueris confectum medicamẽtum, quibus conueniat.*

Vsus eius est in ijs qui somno opus habẽt: quibus etiam ex opio confecta sæpe exhibere cogimur. Opus habent maximè huiusmodi pharmacis ij, quib. tenuis fluxus à capite ad asperã arteriã destillat, nõ permittens dormire ob consequentẽ tussim. In talibus ego etiam ex sapa, hoc est, hepsemate, siue musto cocto, quod etiam siræon uocãt, pharmaci compositionem parare soleo. Quin & per passum aut Theræũ Creticũ melius est quàm per mel cocturã fieri, ubi fluxus ualdè tenuis extiterit. Mel siquidem fugiendum tunc est, quum tenues fluxiones augeat, facultate tenuandi præditum. Admiscetur etiam huiuscemodi pharmaco glycyrrhiza, ita ut simul cum ipso coquatur. Si uerò in pulmone consistat copia humoris delapsi à capite, confectio ex melle est præstantior. Datur cõmoderata mensura duorum cochleariorũ satis magnorum copia. Augebis autem & minues hanc copiam, respiciens ad magnitudinem corporis cui exhibiturus es, necnon ætatem, anni tempus, atq; regionẽ. In omnibus enim his, frigidioribus minimũ dabis, calidioribus amplius.

*Mellis vsum fugiendũ esse, vbi tenuis fluxus à capite ad asperam arteriã destillat: recipiendum autẽ dum crassus.*

*Diacodyon medicamine vtendi modus.*

Arteriacæ ab Asclepiade scriptæ.

*Arteriaca medicamẽta ab Asclepiade relicta.*

Brassicæ succum melle coctum lingendum exhibe. Alia. Cremoris eryngij in aqua cocti, heminas ij. Cremoris caricarũ similiter coctarum, tantundem. His adde gummi subtilissimè dissoluti drach. viij. coquito diligenter ad arteriacæ spissitudinem, & inde cubitum ituris ad cyathi mensuram lingendum dato. Alia. Chalbani drach. vi. piperis drach. j. nitri tantundem, mellis Attici cyathos vi. Chalbanũ & mel coquito, densataq; adijcito cæteris, utitorq;. Alia insignis. Croci, myrrhæ, succi glycyrrhizæ, thuris, casiæ, singul. drach. j. piperis grana xxiiij. passi Cretici sext. iij. mellis Attici cyathos vi. utere.

Hypoglossis Dioscoridę.

*Hypoglossis, hoc est, medicamen sub lingua tenendũ, Dioscoride.*

Croci, myrrhæ, tragacanthæ, succi glycyrrhizæ, sing. drach. j. nuces pineas repurgatas, contusasq;, numero. lx. amygdalas mundas totidẽ. Excipiantur melle decocto. Datur nucis ponticæ magnitudine sub lingua tenenda.

Alia Mithridatia.

*Hypoglottis Mithridatis.*

Myrrhæ, croci, utriusq; drach. iiij. nardi Indicę, terebinthinæ, utriusq; drach. ij. thuris, casiæ, cinnamomi, sing. drach. j. passi Cretici heminas iij. Passum & terebinthinã ad perfectam compagem coquito, & cum ficcis cõmittito: indeq; ad nucis ponticę magnitudinẽ sub lingua tenendum dato.

Alia mirificè faciens ad affectiones thoracis.

*Hypoglottides variæ, multiq; vsus.*

Farinę fabaceæ tostæ hem. j. iridis Illyricæ quadrantẽ: nucum pinearũ tostarum sextantẽ: pulegij aridi cõtusi sesquidrachmã: seminis urticæ drach. j. piperis vnc. s. Mellis boni sext. ij. Farinam cum melle ad densitatẽ coquito. Seminis lini etiam tusi, tosti & cribrati heminam unam in promptu habeto, cum cæterisq; adijcito.

Alia ad tussim & spiritus prolationem, ualde probè expurgans.

Hyssopi, pulegij, utriusq; sextantem: iridis, sem. sinapis, nasturtij, anisi, piperis, sing. vnc. j. tusa & cribrata, melle cocto excipito. Datur cochlearis boni mensura.

Confectio ex marrubio Platonis.

*Marrubio constans medicamentum.*

Myrrhæ, styracis, opij, succi marrubij, chalbani, croci, æquales partes. Vtere melle cocto exceptis.

*Harmonia dictũ medicamen defluxus ad pectus conferens.*

Pharmacum Harmonia dictum, ad destillationes, insuperabilemq; defluxum conducens. Styracis, castorij, piperis, cardamomi, singulorum drachmas iij. opij, myrrhæ, seminis hyoscyami albi, sing. drach. iiij. passo excepto in cataporia redu

cito,

cito, datoq́ ciceris magnitudine ad somnum.

*Ambrosia Andromachi, febribus repetentibus per circuitus cōferens.*

Medicamen Andromachi, Ambrosia dictum, ad phthisicos & febres repetentes per circuitus. Nardi, croci, myrrhæ, costi, casiæ, cinnamomi, iunci rotundi odorati, piperis nigri & albi, castorij, chalbani, terebinthinæ, styracis, succi papaueris, seminis hyoscyami, sing. drach. j. tragacanthæ drach. vj. anisi, sem. lini, sing. drach. j. mellis quod sit satis: uini Falerni heminam. Tragacantham uino sufficienti macerato, & reliqua simul cũ melle cōmittito. Datur febrientibus sesquidrachma ex aqua mulsa: febre carentibus vncia dimidia cũ melle & acen cochleario uno, & uini Falerni cyathis duobus.

Aliud ad omnem tussim.

Anisi drach. ij. costi obolos iij. myrrhę, castorij, chalbani, piperis albi, sem. hyoscyami, opij, succi glycyrrhizæ, sing. drach. j. passo excipito, redigitoq́ in catapotia, ciceris magnitudine.

Aliud ad omnem tussim, & fluxionem, & abscessus internos.

*Tussi omnigenæ medicamē optimum.*

Sagapeni, gentianæ, myrrhæ, opopanacis, piperis albi, sing. drach. ij. baccarũ lauri mund. drach. iiij. trita, & aqua excepta, exhibeto ad græcæ magnitudinem fabę: ischiadicis tamen paulò plus, ex uini diluti cyathis tribus.

De reiectatione sanguinis.

*Hemoptoicorũ curatio.*

In reiectatione sanguinis primũ periculum est, ne immoderata eius uacuatio fiat. Vbi uerò suppressus est, curatio eius quidē, quę ex reseratione osculi alicuius uasis contigit, per obturationē fit osculi dilatati: eius uerò quæ ex uasis ruptura, per cōglutinationem eiusdem: quemadmodum eius quæ ex erosione, per erosorũ renutritionem. Obturatur igitur osculum reseratum, per astringentia: conglutinatur autem ruptum, per eadem, & quæcunq; ipsis in compositione miscentur, citra mordacitatem resiccantia, & glutinosum quiddam habentia, uelut est Lemnia terra, & Samius aster. Renutriuntur corrosa per cibos boni succi, & pharmaca carnem gignentia. Igitur iuxta primam rationem, ex talibus pharmaca componuntur congruentia ad curandam sanguinis eiectionem: iuxta secundam uerò, in ijs qui ex pulmone, aut thorace, aut arteria, aut larynge reiectant sanguinem, miscentur prædictis cōgruenti mensura calida & tenuiũ partium medicamenta, quæ infestissima sunt tribus illis affectionibus dictis: miscentur inquam gratia distributionis, ut uidelicet astringentibus medicamentis præparēt, ac ueluti sternant uiam. At quum ex locis circa stomachũ, aut aluũ, aut aliquod intestinũ, sanguis educitur, huiusmodi pharmacorũ mistura nō est opus. Infestissimũ tamen his est id genus pharmacorum, quod in tantum refrigerat, ut affectũ stupefaciat: quamuis & hæc misceantur medicamentis ad sanguinis reiectationes congruentibus: quũ alnorē somnum conciliant, & cōmodissima sint ijs qui tussi lancinantur, sistentia nimirum sanguinē qui ad uas affectum defertur: atq; hoc per suam frigiditatem. Atq; hi sanè sunt compositionis scopi.

*Obturatio vasorum à quibus fiat.*

*Glutinatio ruptorum vasorũ à quibus fiat.*

*Renutritio erosorum à quibus fiat.*

*Distributionis ratione misceri astringentibus medicamēta cōtraria dispositioni hæmoptoicæ.*

*Stupefacientia medicamēta qua ratiōe pharmacis congruentibus ad sanguinis reiectationes misceantur.*

Quæ Andromacho ad sanguinis reiectationem scripta sunt.

*Hæmoptoicis remedia ab Andromacho scripta.*

Acaciæ drach. iiij. rosarum siccarum, balaustij, singul. drach. viij. gummi drach. ij. tragacanthæ, drach. j. cum aqua pastillos facito, quorũ singuli pendeant drachmã unam. Dato ex aqua pluuia: habet enim uim astringendi. Aliud sistens sanguinem. Croci Cilicij, myrrhæ, irridis, nardi Indicę, thuris, acacię, sing. vnc. j. succi papaueris, costi, piperis, sing. vnc. s. rosarũ siccarum trientē. Melle excipito. Datur fabæ Aegyptiæ magnitudo.

Aliud. Succi hypocistidos, balaustij, acacię, gallæ, cytinorum, singul. drach. xij. succi papaueris drach. vi. croci tantundem. Redigito in triobolares pastillos. Aliud egregium. Balaustij, acaciæ, opij, myrrhæ, sing. drach. ij. tragacanthæ, succi hypocistidos, florum rosarum, seminis hyoscyami, singul. drach. iiij. thuris drach. ij. excipito succo polygoni.

Aliud ad hæmoptoicos & dysentericos.

*Dysenteriæ remedium.*

Floris rosarum, opij, acaciæ, gummi, balaustij, hypocistidos, sing. quadrantem: gallę vnc. j. seminis plantaginis, eiusdemq́ succi, utriusq; sextantē: lycij Indici, succi rosarum, utriusq; vnc. j. redigito in pastillos drachmales.

Quę Asclepiades ad sanguinis reiectationes scripserit.

*Hæmoptoicis remedia ab Asclepiade scripta.*

Radicis polygonij manipulum: rad. symphyti tantundem: rhois rubri acetabulum: aquæ sextarios iij. coquito ad tertias, & expressi liquoris cyathum unum dato, cum gummi tenuissimè triti & dissoluti drachma una. Aliud. Mororũ rubrorum nondum maturorũ lib. xvi. aquæ pluuiæ sextarios xvi. coquito ad tertias, & expressum liquorem reponito. Idem licebit facere etiam de corni fructu. Aliud. Balaustij, terræ Samiæ, corticis thuris, gummi, singulorũ æquale pondus. Trita & cribrata exhibe cochlearis mensura in aquæ frigidæ cyatho uno. Aliud. Succi hypocistidos, succi acaciæ, succi rhois Syriaci, balaustij, opij, gummi, sing. drach. iiij. Vini myrtitis quod satis est. Conficito, & utitor.

*Pastillorum ex Succino Confectio, quos Barbari trochiscos de Charabe appellant.*

Pastillus ex succino, hæmoptoicis, diuturnæ & recenti tussi, phthisicis, sanguinē reijcientibus, purulentis, cœliacis, dysentericis, & inflatis conferens. Psyllij mundi drach. xlv. iridis Illyricæ, mastiches, ramentorũ succini, croci, sing. drach. xxx. opij drach. xv. Psyllium in aquam calidam coniectum macerari finito. Vbi uerò suo glutine & mucilagine ipsam aquam infecerit, liquorem exprimito, & cum eo pharmacum in pastillos cogito: ex quibus obolos tres ad somnũ dato. Sint autem aquæ sextarij terni.

Pastillus ex corallio.

*Pastillus ex corallio.*

Corallij, terrę Samiæ, utriusq; drach. viij. Balaustiorum, amyli, terræ Lemnij, sing. drachmas iiij. seminis hyoscyami albi, opij, hypocistidis, singul. drach. ij. Excipe succo arnoglossæ, cogeq́ in pastillos, & exhibe.

*Anodyna Andromachi, ad affectus organorum respirationis, aliasq; internas dispositiones cōgruentia.*

Cōfectiones sedantes dolorē, tabescentibus & sanguinē reiectantibus, internorumq́ affectibus cōmodæ, ab Andromacho scriptæ. Radicis panacis, seminis dauci, castorij, sem. hyoscyami, opij, sing. drach. iiij. Mellis quod sit satis. Dantur oboli quatuor, cum aquæ cyathis tribus.

Alia sedans dolorem, ualens ad tormina, & dysenterias.

Sem. apij drach. ij. anisi drach. j. piperis albi tantundem: myrrhę, castorij, utriusq; obolos iiij. opij, croci, sing. obolos iij. gentianæ drach. ij. Pastillos triobolares conficito, uarieq; utitor.

Alia iucunda appellata.

Iridis Illyricæ, ſuccini, croci, maſtiches Chiæ, ſing. drach. xxx. pſyllij drach. xlv. ſucci papaueris drach. xv. cum aqua pluuia paſtillos, quorum ſinguli pendeant drach. j. s. conficito, & exhibeto. Pſyllium tamen per diem ac noctem aqua pluuiali macerato: dein coquito, & exprimito, cremoremq́ cum alijs miſceto.

Alia dolorē ſedans ad omnes internos affectus & ſanguinis reiectiones, undecunq; erumpant. Facit & ad nephriticos & hepaticos. Hanc ne prius dederis, quàm mercedem accipias. Cinnamomi, caſiæ, utriuſq; drach. ij. myrrhæ, piperis utriuſq; chalbani, ſing. drach. j. opij drach. ij. Trita cū melle pauco, in catapotia redigito, partim magnitudine fabæ, partim quātitate araci. Dato iuxta cuiuſque uires cum aqua, aut pro iudicio tuo.

Alia ad eadem, Myſterium dicta.

Croci, coſti, caſtorij, aſari, ſem. hyoſcyami, opij, ſtyracis, ſing. drach. j. Excipito melle, utitorq́.

Anodyna ad eaſdem affectiones ab Aſclepiade ſcripta.

*Anodyna ad internos affectus ab Aſclepiade ſcripta.*

Seminis cucumeris hortenſis decorticati drac. viij. amyli drach. iiij. ſem. lini, ſem. papaueris albi, utriuſq; drach. ij. Tuſa & cribrata excipe tragacanthæ cremore, & in drachmales paſtillos redige. Dantur oboli iij. non febrientibus quidem, ex uino: febrientibus uerò, ex ſucco rhois. Faciunt ad fluxiones thoracis.

*Panchreſtos Aſclepiadis, multi uſus ad uarios internorū affectus.*

Confectio Panchreſtus dicta, hoc eſt, multi uſus, ad tuſsim antiquam, purulentos, orthopnoicos, tabeſcentes, ad omnesq; inflationes. Pellit ſecundas & menſes, medeturq; ueſicę affectibus. Terebinthinæ drach. viij. ſtyracis drach. vi. myrrhę, drach. v. croci, iridis, chalbani, ſing. drach. iiij. Seminis hyoſcyami, corticis mandragoræ, irionis torrefacti, opopanacis, ſing. drach. ij. piperis, ſpumæ nitri, utriuſq; drach. j. paſſo excipito.

*Antidotus Ariſtarchi admiranda.*

Antidotus Ariſtarchi admiranda, cōferens ad affectiones prædictas, renitensq; uenenis, exterminansq; febres repetentes per circuitus, una hora ante exacerbationē exhibita. Cinnamomi, coſti, chalbani, caſtorij, ſucci papaueris, piperis nigri & longi, ſtyracis, ſing. unc. j. mellis ſextarium unum. Arida teruntur & cribrant. Chalbanū coquitur cū melle: excolatis uerò reliqua addunt, reponunturq́ in uitream pyxidem, argenteámue. Datur fabæ Aegyptiæ magnitudine, cum aquæ mulſæ cyathis duobus, inſtillatis digito guttis aceti nouem.

De orthopnœa.

*Aſthmatici cur ſic dicantur.*

Qui citra febrem denſe reſpirant, ob ſymptoma id dicuntur aſthmatici, hoc eſt, anheloſi. *Orthopnoici cur ſic dicantur.* Eoſdem etiam ob ſymptoma aliud orthopnoicos appellant, quòd thorace recto ſpirare cogantur, metu ſuffocationis. Minus eſt autem quod hi inſpirant, quàm pro uſu reſpirationis, etiamſi thorax *Orthopnœa cauſa.* ipſis plurimū dilatet. Ex quo manifeſtū fit, internam capacitatē coarctatā ipſis eſſe præter naturā: id quod ægri etiā haud obſcuro ſenſu perceptāt. *Purulenti.* Fit etenim & purulentis locorū coarctatio, ob collectū inter thoracē & pulmones humorē. Fit etiā *Peripneumonici.* peripneumonicis, ob pulmonis inflammationē. *Reſpirationis organorum anguſtiā qua efficere poſsint.* Reſtant autem adhuc affectiones duæ, quæ anguſtiam locorū faciunt in ijs per quas aër inſpiratur: quū aut humorū craſſorum & uiſcidorū multitudo pulmonis bronchijs fuerit impacta, aut tumor abſceſſui ſimilis in ipſo conſtiterit. Cæterùm curatio ambarum affectionū aliquid cōmune habet, aliquid priuatū, & alteri tantū proprium. Cōmune quidem utriſq; eſt, ut abſumat redundantia humoris affectiones gignentis: propriū, affectioni quidem uiſcidorū humorum, ut per attenuantia & extergentia pharmaca diſsipentur: ei uerò quæ propter tumorem accidit, ut per attenuantia & exiccantia eadem conſumptio fiat: quæ curatio rurſus omnibus in profundo abſceſsibus cōmunis exiſtit. Vini itaq; potus ambabus competit. *Potum eſſe debere modicum in quibus organa reſpirationis ab aliquo tumore anguſtātur: contrà multum illis, quibus bronchia à craſsis et viſcidis ſuccis obſtruantur.* Omnis autem potus modicus ſit in ijs qui alicubi abſceſſum habent: multus cōtrà, in illis quibus uiſcidis & craſsis ſuccis ſunt obturata bronchia. Quippe pharmaca eiuſmodi repurgātia humores, tuſſes neceſſariò excitant: non uerò facilè per ſputum reijcitur, quod expurgatum eſt, nimirum ob craſsitudinē: quapropter humectatione multa opus habet, quò efferatur facilè.

Quæ ſcripſerit Aſclepiades ad dyſpnoicos.

*Dyſpnœæ remedia ab Aſclepiade deſcripta.*

Scillæ crudæ ſuccum exprimito, eiq; parem Attici mellis menſurā addito, & ad prunas admotas coquito. Dato inde & ante & poſt cibum myſtri menſuram. Aliud. Origani drach. viij. comæ thymi, iridis Illyricæ, calaminthæ ſiccæ, piperis albi, aniſi torrefacti, ſingul. tantundem. Cribrata melle cocto excipito. Dato nucis ponticæ magnitudinem. Aliud. Vuæ paſſæ Rhodiæ, exacinatæ, acetabulum: fœnigræci loti tantúndem: aquæ pluuiæ ſextarium j. Coquito donec diſſoluantur, & liquorem excolatum reponito. Ex hoc præbeto aſsiduè, & iuxta ſingulas irritationes, cyathi menſurā calfactā. Aliud. Aniſi, ſulfuris uiui, utriuſq; quadrantem: ammoniaci thymiamatis, caſtorij, melanthij, ſingul. drach. iiij. aquà diluta in catapotia cogito, unūq; in aceti mulſi cyathis tribus propinato. Hæc omnia ſunt ab Aſclepiade ſcripta illis, quibus pulmonis bronchia craſsis & uiſcidis humoribus ſunt referta. At uerò abſceſſus qui attenuantibus & reſiccantibus opus habent, maximè gaudent aromatum facultatibus, quæ & tenuium partium ſunt, & reſiccatoriæ, præter hoc quòd calfaciūt. Porrò ijs qui propriè orthopnoici & aſthmatici nominantur, pharmaca conueniunt ſecantia citra calfactionem: ob idq́ iuuantur maximè ab ſcillitico aceto, necnon ab ſcilla, & ab aceto mulſo, eodemq́ ſcillitico. *Scillinum acetū orthopnoicis & aſthmaticis maximè opitulatur.* Quemadmodem autem in hac affectione uehementer cauendum eſt, ne calfaciamus, propterea quòd uiſcidi & craſsi ſucci non modò non iuuantur, ſed offenduntur etiam uſu calfacientiū: eodem modo quæ ualde refrigerant ſunt ómnino uitanda.

Quæ pharmaca ſcripſerit ad eiuſmodi affectiones Andromachus.

*Dyſpnœa remedia Andromachi.*

Ad dyſpnœam. Sulfuris uiui drach. j. Sem. rutę ſylueſtris tantundem: ariſtolochiæ, abſinthij, ammoniaci thymiamatis, abrotoni, ſing. drach. iiij. trita cum aceto in catapotia fabarum inſtar redigito. Dato mane tria, & ueſperi tondem. Aliud. Ammoniaci thymiamatis, abrotoni, ſing. drach. ij. ſulfuris uiui drach. j. formato cum aqua paſtillos, & cum aquæ mulſæ cyathis tribus præbeto.

Aliud. Scillæ, ſulfuris uiui, bituminis, ſing. partem unam. Dantur obol. iij. in aceto mulſo.

GALE-

# GALENI PERGAMENI DE compositione medicamentorũ secundum partes, lib. VIII.

## De pharmacis cõgruentibus ori uentriculi.

PORrò difficillimũ est, ad ueritatem eos reuocare, qui sese alicui sectę seruiliter addixerũt. At qui prudentes sunt, ueritatisq; ardenti desiderio tenentur, hi (ut spero) custodient ea quæ à natura nobis ueluti iudicandi instrumenta concessa sunt, ad actionum uitæ cognitionem, Experientiam nempe & Rationem: quorum semper alterum, ad perfectam disciplinam, altero indiget. Etenim falsę opiniones animos hominum præoccupantes, non solùm surdos, sed adeò etiam cęcos efficiunt, ut uidere nequeant, quæ ab alijs conspicuè cernuntur. Proinde fit, ut complures Empirici, nec pauci etiam ex ijs qui sese Methodicos iactant, per pharmaca relaxantia curantes inflammationes oris uentriculi & hepatis (quæ miscellã astringentium desiderant) ægros omneis ad unum occidant, atque in exitium adigant. Quippe nisi facultatem quæ firmitudinẽ addat, in illarum partium affectibus ad relaxantia permisceas, uita in discrimen uocatur. Igitur astringentia omnia quæ ad illarum partium affectus, partim emplastris atque ceratis mista adhibentur extrinsecus, partim intus uorantur, impræsentiarum ea ipse indicabo, auspicatus ab ijs quæ conueniunt inflammationibus: quòd maximè in ipsis ægri periclitentur. CERATVM ergo quo assiduè utor, ex aloë, mastiche, cera pontica, & unguento nardino constat. Cęterùm ad unciam unam mensuralem nardini olei, hyeme quidem octo, æstate autem septem ceræ partes induntur. Liquatis igitur in duplici uase, refrigeratisq; & derasis, addes aloës & mastiches, reductorum in pollinem, utriusq; drachmã j. & quandoq; plus, sic tamen ut ad sesquidrachmã non progrediaris. Quòd si ampliori opus sit astrictione, nimirum tanta imbecillitate existente, ut uentriculus retinere cibos non possit, addes drachmã unam omphacij: id quod primò inijci debet in cerati præparatione. Similiter licebit absinthij succum miscere, quandoq; etiam ambo: sicuti & tertiũ hypocistidis, & quartum œnanthes. Quin & rhois succum non raro admiscui. Cerati tamen augenda est copia, iuxta proportionem numeri aliorum pharmacorum. At inueteratis atq; induratis inflammationibus, magis uaria conueniunt pharmaca, & quæ ex aromatis quippiam habeant, nonnullisq; etiam emollientium atq; digerentium sortiantur: cuiusmodi est quod ex meliloto conficitur, congruens omnibus iuxta præcordia inflammatis. Porrò os uentriculi, nõnulli hodie cõmuniter stomachum nominant: quam partem olim frequentius cardiam, hoc est, cor, appellabant: unde uox cardialgia est deducta, quę minimè quidẽ cordis, sed oris uentriculi dolorem & mordicationem significat. Fiunt quippe in ipso tum morsus, tum inexplebilis fames, ut interdum etiam nauseosæ dispositiones: in quibus omnibus cõmunis quidam adstringentium pharmacorum usus inuentus est: admista autem sunt plerisq; ipsorum calfacientia simul & resiccantia. Verùm affectus in profundo sitos ut cognoscamus, maximis utamur coniecturis est opus: ob idq; utilissima Medicæ artis pars est, quæ cognitionem ipsorum indicat. Quum igitur octo sint in singulis partibus intemperantiæ corporis: atq; hæ omnes aut secundum solas nudas qualitates gignantur, aut accedente alicuius humoris complexu: certè earum singulæ per contrarias qualitates sunt reducendæ ad mediocritatem. Quia uerò plurimæ intemperaturæ hominibus ex redundantia humorum, magis quàm ex inopia fiunt, pharmaca resiccantia plerosq; magis iuuant. Quum autem resiccantia ipsa partim quidem astringant, cogendo astringendoq; substantiam eorum quæ contingunt: partim uerò discutiant, & in hoc substantiam eorum dissoluant: ob hoc ipsum sanè plures sunt qui astringentibus indigent. Verùm si humida intemperies coëat cum frigiditate, læduntur qui per sola astringentia curantur, quæ frigidæ facultatis existũt. Quare meritò plurima pharmaca per experientiã inuenta, ex miscellanea materia construuntur, astringente uidelicet atq; calfaciente: quorum omniũ differentiam cognosces, si simplicium pharmacorum facultates memoria tenueris.

*Instrumẽta duo nobis fuisse data à natura, necessaria ad uitæ actiones: experientiã nempe & rationem, quorum semper ad perfectam disciplinam alterum indiget altero.*

*Inflãmationes oris uẽtriculi et hepatis, cum relaxantibus miscellam astringentiũ pharmacorũ desiderãt.*

*Ceratum Galeni ad inflãmationes oris uentriculi & hepatis maximè congruum.*

*Os uentriculi, quod olim cor nominabãt, nonnulli hodie stomachum uocãt.*

*Cardialgia significat morsum oris uentriculi.*

*Affectus interni ut cognoscantur, opus est coniecturis.*

*Intemperantia particularum sunt octo, quas per contrarias qualitates reducere ad mediocritatẽ oportet.*

## Confectiones stomachicæ Andromachi.

Hiera ad stomachicos. Floris iunci odorati, xylobalsami, mastiches, croci, nardi Indicæ, asari, cinnamomi, singulorum drachmas vi. aloës loræ drach. centũ. Simul trita repone, præbetoq; ieiunis cochlearia ij. Sunt tamen qui ad aloës drachmas centũ, singulorũ aliorũ octo drachmas adijciant. Non desunt qui absque flore iunci odorati conficiant. Porrò ad uentris subductionem illota aloë est aptior: elota autem multùm de medicamentosa ui amittit: quam etiam febricitantibus dare aliquis possit, si febris sit ualde mitis. Infestissima autem est aloë, uel lota, ijs qui citra uitiosos succos intemperie affliguntur calida & sicca. Proximam ab his cladem percipiunt, qui siccam intemperiem habent, uel frigiditati etiam implicitam: & in uniuersum, qui ex sola qualitate particulam aliquam affectam ac læsam possident. Etenim intemperantiæ in humoribus consistentes, pharmacis ipsas euacuantibus egent: quæ uerò absque his infestant, penitus cõmigrant in tabem, ob pharmaci huius ex aloë constantis exhibitionem. At ubi uitiosa humiditas perrigat uentriculi tunicas, hiera ex aloë est utilis. Omnino autem sic affectis plus aut minus adsunt nauseę quędam symptomata. Iam uerò purgatio quam aloë molitur, imbecillior est, quàm ut uniuersum corpus purgare queat. Additur illi mastiche, ut uires eius refringat, uentriculo existens etiam grata, & odora. Cinnamomũ uerò, quum ob easdem causas, tum etiam ut partium suarum tenuitate aperire uentris meatus possit, extergeretq; atq; attenuare, si quid uiscosum aut crassum in humoribus insit. Crassos quippe succos ob purgatoriæ facultatis imbecillitatem aloë trahere non potest. Quapropter biliosarum uentris dispositionũ optimum pharmacum est. Ad hæc cinnamomum uim obtinet alteratricem uitiosorum humorum, in id quod naturæ modo respondet. Scire itaq; licet, eas dispositiones quę à prauis succis circa uentrem stomachumq; oboriuntur, maximè per medicamenta ex aloë iuuari: mirum autem in mo-

*Stomachica confectiones Andromachi.*

*Hiera picra uariæ cõpositiones.*

*Aloës lotæ & illotæ facultas.*

*Aloe est infestissima ijs qui citra uitiosos succos intẽperie affligũtur calida & sicca.*

*Aloes usu, laborantes intemperie citra redundantiam humorum, deducit in tabem.*

*Hiera picra quid in uitiis.*

*Hiera ex aloë est infirmior, quàm ut totum corpus purgare possit.*

*Mastiche uentriculo grata.*

*Cinnamomi facultas.*

*Aloë biliosarũ dispositionũ uẽtris optimũ est medicamen.*

*Astringentia esculenta potulentaq;, maximè ladũt dispositiones uentriculi a prauis succis obortas: uocãt aut eas quã à multis nõ prauis trahunt ortum.*

dum lædi, ab edulijs, potionibus, & pharmacis astringentibus. Cõtra uerò, ubi humores nõ qualitate, sed copia os uentriculi afflixerint, utilissimus astringentium est usus, nimirũ languida tunc existente ipsa particula affecta, instar laxatorum articulorum, quorum etiam per astringentia affectio corrigitur. Porrò polychresta, siue multi usus medicamenta apparantur, quũ unum habere uiginti affectionibus congruum malumus, quàm tot numero alia: quum tamẽ ad singulas affectiones unum aliquod destinatum, eo quod ad plures paratum est, melius existat.

*Polychresta, hoc est, multi vsus medicamenta, relinqui ab ijs quæ ad singulas affectiones parantur.*

Ad stomachicos hiera Antipatri.

*Hiera Antipatri faciẽs ad stomachicos.*

Aloës electæ drach. iiij. mastiches drac. ij. asari drach. iiij. rosarum siccarum, iunci odorati, mei, phu, casiæ, sing. semunciam. Tritis utitor.

Stomachica Galli, affectionibus quę calfieri & siccari postulant, utilis.

*Stomachica Galli.*

Corticis radicis fœniculi lib. s. aceti acris sextarium unum s. aloës quadrantem. Mellis Attici lib. j. Radices lotas ad triduum aceto macerato, deinde coquito: atq; ubi coctæ fuerint expressas proijcito, & affuso ad acetum melle, simul coquito. Dein aloën inspergito, & cochlearia tria cum aqua dato. Etenim ubi per profundum uentriculi, hoc est, altius, copiosa, sed nõ praua, fuerit defixa humiditas crassa simul & uiscida, opus est mistura pharmaci attenuatorij, perrosiuiq;, quale est tum acetum, tum oxymeli. Si uerò nec talis sit humiditas, nec altius imbibita, sola ad curationẽ astringentia suffecerint. Est autem sufficiens signum frigidę affectionis uentriculi, si æger se non sitire percipiat.

*Ventriculi tunicis humores crassi altius imbibiti, qualia medicamẽta desiderent.*

*Ventriculi frigidam affectionem significat, prorsus nihil sitire.*

Asclepiadis stomachica, ad roborandũ uentriculũ, exprimendasq; illius aduentitias humiditates cõgruentia.

*Stomachica ab Asclepiade scripta.*

Ad stomachi subuersiones. Nucleorum mâli punici tusorũ succi sextarios iij. succi menthæ sextar. j. mellis Attici tantundem. Coquito in fictili uase, assiduè agitando: & ubi densata fuerint, ab igne ablata reponito: porrigitoq; mystrũ unum, aut duo, ante cibum.

Cõfectio ex fructibus, ad stomachi subuersionem, cœliacos, & dysentericos faciens.

*Cõfectio ex fructibus Asclepiadis, subuersioni ventriculi, cœliacis & dysentericis faciens.*

Mâla cotonea numero x. sorba numero L. mespila totidem. Rhois rubri sextariũ unum. Aquæ congios vij. fructus tusos & in aquam coniectos, diligenter coquito: & ubi dissoluti fuerint, liquorem exprimito, ac rursus coquito. Quũ uerò tertia pars liquoris superfuerit, addito mellis Attici lib. iiij. & ad prunas assiduè agitando coquito, ac spissata reponito.

Catapotia ad subuersionẽ uentriculi.

*Catapotia ad subuersionẽ ventriculi.*

Rosarum recentium defectis unguibus, drac. viij. sem. papaueris albi drach. iiij. sem. hyoscyami drach. ij. aloës obolos iij. asari tantundem. Cum aqua diluta in pilulas redigito, præbetoq; ciceris magnitudinem.

Ad ardorem stomachi catapotium restinguens sitim.

*Catapotia ad ardorem ventriculi confictita, si sub lingua teneantur.*

Seminis satiui cucumeris drach. viij. sem. portulacę tantundem: tragacanthę drach. iiij. Tragacantham ouorum crudorũ recentium candido dissolutam, probè tritis reliquis addito, & ex eis mistis fingito catapotia, quorum assiccatorũ in umbra, sub lingua unum tenendum dato. Hæc Asclepiades. In uniuersum aũt fugiẽda ea pharmaca sunt in uentriculi affectibus, quæ chalcanthon, mandragorámue, aut alia id genus recipiunt.

*Ventriculo affecto fugienda esse ea pharmaca, quæ chalcanthon, mandragoráue recipiunt.*

Ad uoluulosas stomachi subuersiones pastillus Amazonum ab Asclepiade scriptus. Seminis apij, & anisi, utriusq; drach. vi. absinthij drac. iiij. piperis, myrrhę, opij, castorij, sing. drach. ij. cinnamomi drach. vi. cũ aqua pastillos fingito, & summum drachmã unam dato, stomachicis cum protropi diluti cyathis iij. cholericis & uomentibus cibum, cum frigida: cœliacis & dysentericis cum baccarum myrti decocto: spleneticis, cum hydromelitos cyathis tribus. Ego uerò, quòd myrrha aliquid medicamentosum cõtineat, sine illa maioris securitatis gratia hoc pharmacum præparare consueui, piperis quantitatem adaugens. Porrò per eiusmodi uoluulosas dispositiones, aliquando stercus per uomitũ redditur: ubi uidelicet particulę affectę, à serosis medicatisq; humoribus affliguntur magnopere. Quòd si etiam imbecilliores sint, geminatur malum. Erit itaq; in ijs curationis scopus, ut ad affectas partes odorata admoueamus, cuiusmodi sunt, anisum, apium, daucus, cuminum, & seseli. Nam quemadmodum grauеolentia omnia stomachũ subuertere solent, sic odorata corroborare. At absinthiũ miscetur in pręscripto pharmaco, quòd habeat uim extergendi, repurgandi, & subducendi uitiosos stomachi humores: quodq; constringat, & denset, roburq; affectæ particulæ addat. Cinnamomũ autem fœtidis omnibus, putrilaginosisq; humoribus aduersatur. Cæterùm si cinnamomũ non adsit, licebit casiam pro illo assumere.

*Pastilli Amazonum, ad voluulosas ventriculi dispositiones.*

*Myrrha vsum non esse admodum tutum.*

*Voluulosas ventris dispositiones esse per odorata curandas.*

*Graueolentia subuertunt stomachum.*

*Absinthij facultas.*

*Cinnamomi facultas.*

*Casia licet vti pro cinnamomo.*

Alia stomachica Asclepiadis compositio, utilis ardorem sentientibus, & ad intensos singultus, & stomachi uoluulosas dispositiones. Costi, spicæ nardi, chrysobalanorũ, rosarum uiridium, mastiches, sing. drach. iiij. aloës, asari, utriusq; drach. ij. opij drach. j. succo psyllij excipito, atq; ad pastillorum formam reducito, obolosq; tres exhibeto.

Dictum mihi tamen iam est, impossibile esse ut inueniamus pharmacum, ad affectiones multas optimum: multoq; præstantius esse, quod singulis earum destinatur. Porrò Hippocrates fieri conuulsionem prodidit ex repletione simul & euacuatione: quemadmodum etiam singultum. Quanquam hic aliquando excitari citra plenitudinem aut inanitionẽ solet, ubi uentriculus ab acribus, serosis, medicamentosisq; humoribus mordicatur: quos ubi quis uomitu eiecerit, singultu subitò liberatur. Multi etiam deuorato pharmaco diatrion pepereon, si uinum insuper bibant, omnino singultiunt. Similiter ex cibo in mordacem qualitatem corrupto, nõnulli singultiunt, confestimq; à uomitu liberantur: ut alij ex rigore oris uentriculi corripiuntur singultu. Verùm pueros maximè singultire contingit, tum ob alimenti corruptionem in uentre, tum ob partis frigiditatem. In uniuersum autem, uomitus est sufficiens medela eorum, qui ob copiam, aut mordicationẽ singultiunt: ut caliditas, eorum qui ob frigiditatem. Ex medicamentis quæ pharmacum illud cõstituunt, opium, rosæ, & psyllij succus, refrigerant. Spica nardi & chrysobalanus, digerũt & corroborant. Asarum per urinas deducit uitiosos succos. Aloë prauos humores purgat. Crocus concoquit, &

*Pharmacum vnum multis affectib. optimũ, reperiri nõ posse.*

*Conuulsio fit ob repletionem simul & inanitionem.*

*Singultus à quibus fiat causis.*

*Singultui quæ medeantur.*

partes

*Stupefacientib. miscen calfacientia, ut eorum malignitatẽ corrigant, eorumq; vires deducant.*

partes corroborat. Costus calfacit abunde, astringitq; mediocriter. Stupefacientibus miscentur calfacientia, ut eorum malignitatem corrigant, eiusq; sint instar uehiculi. Quippe uiuentium corpora mortificationi simile quid perpetiuntur ab eorũ medicaminum usu, quæ ex opio, hyoscyamo, & mandragora constant, ita ut infestantes causas non sentiant. Quare multi qui talibus assiduè utuntur, particulas ad immedicabilem frigiditatem perducunt.

Descripsit etiam Asclepiades Hieræ compositionem, in hoc ab Andromacho dissidens, quòd ille quidem aloës drach. c. ac reliquorum singul. indiderit drach. vj. hic autem octo drachmas scripserit, floremq; iunci odorati omiserit, quem alij miscuit Andromachus: quodq; non xylobalsamo (ut Andromachus) sed pro illo sit carpobalsamo usus. Confert autem huiuscemodi pharmacum ijs qui ob uitiosos humores, & præcipuè biliosos, tardè concoquunt. Siquidem quibus bilis altius tunicas uentriculi infestat, ij præstantius pharmacum non inuenient. Cuius moderata exhibitio ad quatuor usq; drachmas extenditur. Similiter auxiliatur uiscerum iam concoctis inflammationibus. Rectè autem hoc pharmacum tardè concoquentibus, aut bilem uomentibus propinatur ex aquæ cyathis quaternis: ut ex aqua mulsa, ad uiscerum inclinantes inflammationes: ac deniq; ex uino mulso, dum aut urinas ciere, aut promouere menses est animus. Aduerte autem nos appellare drachmam, quod Romani uocant denarium.

*Hiera quibus conueniat.*

*Hiera moderata exhibitio ad quatuor drachmas extenditur*

*Drachma & denarius Romanus est idem.*

*Stomachicum Asclepiadis, dictum Aster inexpugnabile.*

Stomachicum dictum Aster inexpugnabile, ab Asclepiade proditum, sedans dolorem, inducens somnum, ac uarios affectus sanans. Myrrhæ, styracis, nardi Indicæ, casiæ fistulæ, terræ Lemniæ, corticis mandragoræ, piperis, singulorum drach. iiij. Croci, succi papaueris, singul. drach. vj. seminis dauci Cretici, anisi, seselis, seminis apij, sing. drachmas octo. Myrrha, styrax, & opium, uino dissoluuntur odorato, & teruntur: arida uerò cribrata miscentur, subiguntur,q; in pastillos coguntur, quorum singuli drachmam dimidiam pendeant.

Quæ scripserit Archigenes ad affectus uentriculi.

*Ventriculi affectibus congruentia medicamenta ab Archigene prodita.*

Vbi ructus acidus editur, coriandrum cochleari j mensura edendum ante reliquum cibum dato: insuperq; merum bibendum. Ad exolutũ uentriculum absque febri, menthæ ramulum contritum bibendum dato. Aut œnanthen similiter tritam cum nardo Indica bibendam dato. Aut marrubij succum cum melle: & ubi paululũ quieuerint, uinum cum polenta exhibeto. Aut Chiæ mastiches cochlearium ex aqua frigida dato. Aut glaciem ieiunis quotidie porrigito. Dolores oris uentriculi lenit, ac maximè ijs quibus tristitia aut desperatio accedunt, lac asininum, aut muliebre, aut bubulum, silicibus incoctis, potatum. Si unà cum humectatione uentriculi etiã inflammatio adsit, œnanthen cum meliloto, aut rosam siccam cum cerato rosaceo, parum resinæ ustæ habente, imponito. Quibus autem ob atram bilem, quam gignunt, stomachus inflatione tentatur, spongias aceto acerrimo calido imbutas ad stomachum ipsum imponito. Quòd si tensio adhuc perseueret, alumen liquidum cum atramento sutorio trito, melle exceptum imponaa. Aut hæc & aloëm pari portione mista, & myrteo cerato excepta. Aut armentariæ bouis stercus aridum uino incoctum. Aut polij fasciculum coquito, & bibendum dato. Aut calaminthæ decoctum per noctem sub dio expositũ, modico melle & piperis drachma admistis, porrigito. Soluit autem dolores cuminum apiũq; tosta, si modica portione cum aqua bibantur. Aut aloës obolos duos, cũ uino mulso, aut uino, aut aqua, bibendos dato. Aut abrotoni & thymi, utriusque obolos duos, ex uino præbe bibendos. Ligaturas insuper extremorum fortiter adhibe, & circa ipsum stomachum cucurbitulis fomentis uarijs utere. Quòd si uehemens fit distentio, etiam uenæ sectio efficax erit auxilium, & alui solutio per glandem suppositiriam. Porrò eos qui ex ingenti fame linquuntur animo, reuocabimus odoramentis aceti aut pulegij, aut mália, aut piris. Excitantur etiam ad carnem suillam assatam, & ad omnia quæ multùm alunt, præsertim ea quæ nidorosum odorem exhibent. Instaurabis autem ipsos ijs quæ confertim uires reficere possunt: cuiusmodi sunt oua sorbilia, bulbi, cochleæ.

*Cucurbitulas admouendas esse dolenti uentriculo, monet Archigenes.*

*Deliquium animi patientes ex fame insigni, quomodo sint reuocandi.*

At singultientibus rutam cum uino dato, aut nitrum in aqua mulsa, aut opium, aut castorium, aut abrotonum, aut aristolochiam.

*Singultientibus quæ opitulẽtur.*

Medicamen ex cydoniorum succo, sanans mediocres oris uentriculi affectus.

*Diacydonion medicamen.*

Succi cydoniorum malorum sextarios ij. mellis Attici tantundem: aceti sesquisextarium, uel sextarium unũ. Zingiberis quadrantem: piperis albi unciam j. Arida insperges, ubi malorum succus cum melle & aceto coctus ad mellis crassitudinem fuerit.

Quæ pharmaca Asclepiades scripserit ad affectus oris uentriculi.

*Oris uentriculi affectibus pharmaca ab Asclepiade scripta.*

Emplastrum ad subuersiones oris uentriculi, doloresq;, atq; etiam inflammationes. Oenanthes drach. vj. croci, myrrhæ, floris rosarum, meliloti, mastiches, aloës, corticis mandragoræ, singul. drach. iiij. Carnis palmularũ quadrantẽ. Omnia cerato ex rosaceo cõfecto excipito, admouetoq;.

Aliud Nicerati, cœliacis, dysentericisq; admodum generosum.

Oenanthes vnc. ij. rosarũ siccarum, mastiches, aloës, gallarum omphacitidum, aluminis rotundi, acaciæ, sing. vnc. j. ceræ lib. j. picis brutiæ quadrantem: olei myrtei lib. j. Arida committito liquidis. Aliud ad eadẽ insigne. Oenanthes, omphacij, gallæ omphacitidis, aluminis scissi, acaciæ, cytinorum mâli punici, balaustij, mastiches, sing. vnc. j. Vini myrtitis, quantum satis est his subigendis. Carnis phœnicobalanorum sescuncem, excepta lentiscino cerato utitor. Etenim in his, quòd sint stomachica, meritò astrictoria uis dominatur. At in medicamentis hepaticis relaxantia misceri astringentibus debent: quemadmodum fit in his quæ iam subdã, etiã ab Asclepiade prodita.

*Stomachica medicamenta debent habere ad strictoriam uim prepollentem.*

*Hepatica medicamenta mista esse debent ex astringentibus et relaxantibus.*

Malagma Nilo inscriptum, faciens ad præcordiorum dolores, dissoluensq; omnem duritiem, spleneticis atq; hepaticis maximè salutare. Ceræ, ammoniaci thymiamatis, olei cyprini, singul. lib. j. croci semunciam: aceti quod sit satis. Ammo

niacum diſſolnito, deinde arida adijcito.

Aliud Nili Crocerũ, prædictis affectionib. accommodatum, faciens etiam ad eryſipelata.

*Nili Crocerum.*

Ammoniaci thymiamatis, ceræ, roſacei, ſing. lib. j. croci vnc. j. aceti quod ſit ſatis. Conficito.

*Malagma Hieraticon ex meliloto, viſcerũ doloribus accommodatum.*

Malagma ex meliloto, Hieraticon dictum, ad uiſcerum dolores accommodatum. Nardi Celticæ, cyperi, myrrhæ, ſingul. drachmas x. cardamomi drach. viij. meliloti drach. xl. croci, amomi, utriuſq; drach. viij. cyplicos ſacrificulorum drac. xvj. ammoniaci thymiamatis drach. xl. reſinæ terebinthinæ drach. octo: ceræ minam unam: olei cyprini drach. cxx. Vini odorati Italici heminam unam: præpara, & utere.

*Malagma Polyarchion.*

Malagma Polyarchion, peripneumonicis, ſtomachicis, lienoſis, hydropicisq; maximè ex uſu: faciens etiam ad affectiones circa ueſicam aut uterum, ad omnemq; neruorum per conſenſum affectionem. Ceræ, terebinthinæ, bdellij, ammoniaci thymiamatis, cardamomi, cyperi, ſing. minam unam: meliloti, amomi, nardi Indicæ, croci, myrrhæ, thuris, xylocinnamomi, ſing. drach. xxv. olei cyprini heminã j. Vini Italici quod ſit ſatis. Conficito & utitor.

Malagma Andromachi ex meliloto.

*Malagma Andromachi ex meliloto.*

Nardi Celticæ, cyperi, iridis Illyricæ, myrrhæ, ſing. drac. viij. croci drach. iiij. meliloti drac. xxv. ammoniaci thymiamatis drach. L. terebinthinæ tantundem: ceræ drach. c. Cyprini heminæ dimidium. Aceti quod ſit ſatis.

De hepatis affectibus & facultatibus.

Pleriq; idiotę quemadmodum ſtomachicas, ſic hepaticas affectiones, uocant complures diſpoſitiones iecinoris, tametſi maximè inter ſe contrarias, hoc eſt, ſub eodem genere plurimum inter ſe diſtantes. Non peccauerit autem quiſpiam dicens, propèmodum omnia contraria eidem eſſe generi ſubdita. Cæterùm contrariorũ notio contingit, ubi plurimum inter ſe diſtant. Atqui plurimum in quoque genere utrinque diſtant à medijs extrema. Porrò ipſius imbecillitatis iecinoris licebit nobis unicam aſsignare diſpoſitionem, ceu cauſam, nempe intemperiem: quæ quidem quum in octo intemperantias diſtribuatur, rurſus non malè dixero, intemperiem ipſam non unam, ſed octo diſpoſitiones exiſtere. Ad hæc iuxta aliã ſectionem duæ intemperierum differentiæ fiunt, ac iuxta aliam tres: dum uidelicet aut ſecundum qualitates tantùm alterantur partes affectæ: aut accedente etiam humorum affluxu, qui aut ſpacia tantùm occupent in particulis affectis contenta: aut etiam ſubſtantiam ipſarum imbuant. Igitur circa uentrem & inteſtina quidem, una in ſingulis canitas eſt, quæ poſsit uitioſam humiditatem ſuſcipere: circa hepar autem tot numero ſunt, quot habentur arteriæ & uenæ. Etenim quum hæ omnes oſcula anguſta poſsideant, qua parte huius uiſceris ſima cum gibbis coeunt, obſtructiones ab illis uitioſis ſuccis aliquando oboriuntur, breui in frigidis intemperaturis, ut temporis progreſſu in calidis: ad quas tandem obturationes putrefactio conſequitur. Quum autem hoc uiſcus tot facultates ſortiatur, quot actionum ſpecies, contingit ſæpe unam ipſarum præcipuè lædi, ſæpe duas & tres, atq; omnes quatuor ſimul. Eſt itaq; actio ipſius una quidem, ad ſe cibum & alimentum attrahere: altera uerò, ambire, continereq;, donec alterans ipſum, ſui ipſius illud partem efficiat. Atq; hæc ſanè dicitur alteratrix facultas, inter alias principaliſsima exiſtens, & cui ferè primæ debentur partes. Quæ uerò iuxta hanc alterationẽ remanent excrementa, ea per excretricem facultatem exterminantur. Oſtenſum autem eſt has quatuor facultates, uniuerſis, quandiu uiuunt, ineſſe corporis partibus. Vocatur autem alteratio ipſa, donec alimentum parti quę nutritur aſsimiletur, concoctio. Vbi uerò iam parti apponitur, nutritio. Quum igitur hepar præ imbecillitate ex uentre & inteſtinis alimentum trahere non poteſt, liquida per ſedem, & nondum exquiſitè exuccata excernuntur: ſimulq; cruda, ſi etiam cum hoc uiſcere uentriculus imbecillus exiſtat. Si uerò traxerit quidem alimentum hepar ex uentre ſimul & inteſtinis: in ſanguinem autem ipſum nequeat conuertere, ob facultatis languorem: quemadmodum in uentre multiformis corruptio contingit, eorum quæ cruda remanent, ſic etiam circa hepar. Eſt enim peior tranſmutatio in peregrinam qualitatem, iuxta cruditatem facta: moderatior uerò, in qua alimentum diu propriam naturam retinet, nullam dum alterationem indeptum. Atqui & tertia præter has, ſpecies fruſtratæ concoctionis exiſtit, ubi ſemicoctum alimentum relinquitur. Ac per hanc ſanè diſpoſitionem, quæ ab hepate deijciuntur, referunt prorſus aquam, in qua uictimæ recens mactatæ carnes ablutæ fuerint. Aucto autem affectu, nihil tale amplius excernitur, ſed multiformes aliæ qualitates conſiſtentiæq; expurgantur, ueluti à uentre dum cruditate laborat. Calida igitur intemperies ſi uiſcus affligat, colliquationes accidunt, primùm quidem humorũ, dein carnis ipſius hepatis: deijciturq; bilis craſſa, graucolens, atque admodum colorata: quemadmodum contingit in peſtilentibus febribus. Si uerò frigida intemperies præpolleat, neque aſsiduæ exeretiones, neque multæ fiunt: durat tamen affectus diutius, & per aliquos dies profluit ipſis uenter confertim magis: neque fœtor excrementorum ſimilis eſt ijs quę ex calore ſunt liquefacta: neque color aut conſiſtentia ſimilis: uerùm minus graucolentia ab his excernuntur, ſpeciem putrefacti ſanguinis, non colliquatę carnis, habentia. Aliquando uerò id quod deijcitur, nigrum ſanguinem refert: diligenter tamen conſideranti, nec ſanguis niger eſt, nec grumus, ſed ueluti limus quidam ſanguinis craſsi, qui propè ad atram bilem accedat: in ſumma, plures, ægreq; indicabiles colores circa huiuſmodi affectionẽ cernuntur in alui excrementis. SCOPVS igitur curationis in huiuſcemodi affectibus, communis quidem ſit iuxta contrarietatem intemperantiæ: peculiaris autem unicuique, per cuiuſque contrarietatem. In uniuerſum autem, affectio hepatica peculiariter appellata, ueluti etiam cœliaca, ſtomachicaq;, citra tumoris præter naturam circa ipſas partes ortum, contingit. Siquidem quum citra manifeſtum aliquod in uiſcere malum, in actionibus proprijs langueſcit hepar, tunc ægrum uocant hepaticum.

*Contraria eſſe quæ ſub eodem genere plurimũ inter ſe diſſidẽt.*

*Extrema plurimum vtrinq; diſtant à medijs in quoq; genere.*

*Hepatis imbecillitatis intemperies eſt cauſa.*

*Intemperies eſt octuplex.*

*Hepatis obſtructiones fieri qua parte eius ſima cum gibbis coëunt.*

*Hepatis facultates.*

*Alteratrix facultas hepatis eſt inter alias principaliſsima.*

*Facultates quatuor naturales ineſſe vniuerſis, dum viuunt, corporis partibus.*

*Hepatis languide ab inteſtinis trahẽtis ſymptomata.*

*Mutationem ciborum per cruditates in peregrinam qualitatem, eſſe aliarum omnium deterrimam.*

*Hepate imperfectè mutãte chylum in ſanguinem, qualia excrementa excernantur.*

*Hepatis intemperiem calidam quæ ſequantur ſymptomata.*

*Hepatis frigidæ intẽperiei ſigna & ſymptomata.*

*Hepatis intemperãtias, per cõtrarias ſanãdas eſſe.*

*Hepatici qui dicantur.*

Quæ

### Quæ pharmaca ad hepaticos ab Andromacho sint conscripta.

*Hepaticis remedia cõgruentia ab Andromacho scripta.*

Antidotus cyphoides, ad hepaticos & omnia thoracis uitia. Vuæ passæ carnis drach. xxv. croci drach. j. calami drach. ij. s. bdellij tantundem: casiæ sesquidrachmam: cinnamomi obolos iij. spicæ nardi drach. iij. floris iunci odorati drach. ij. s. myrrhæ, terebinthinæ, sing. drach. iiij. ramentorum aspalathi drachmas duas: mellis drachmas xvj. uini quod sit satis. Conficito. Etenim cinnamomum omnes putrilaginosas, uirulentasque corrigit facultates, quemadmodum casia, & post hanc omne aromatũ genus. Crocus astringens & cõcoctorium pharmacum, etiam putrefactiones corrigit. Vua passa astringit quidem quantùm requirit affectum uiscus: habetque uim aliquam concoquendi crudos humores, & coërcendi maligna, existens etiam secundum totam substantiam iecori familiaris. Quippe ad intemperantias uiscerum ea pharmaca optima sunt, quæ præterquàm quòd intemperiem corrigũt, etiam alimentum largiuntur. Quo nomine uinum conuenientissimum est, citra inflammationem, aut erysipelas, aut abscessum, aut intemperiem calidam, laborantibus. Nam & nutrit, & cõcoquit, & roborat, & putrefactioni aduersatur, & si intemperies ab humiditate & frigiditate proficiscatur, eam citra omnem molestiam, atque tutò persanat. Eadem est & mellis facultas, præterquàm quòd non condensat substantiam contacti corporis: sed pro hoc uim extergendi, & aperiendi, & puros reddendi meatus, urinamque ciendi, non parua sanè auxilia, possidet. At bdellium sufficienter emollit, concoquitque, necnon moderatè discutit. Consimilem fermè uim terebinthina sortitur, supra hoc quòd angustos meatus extergit, expurgatque: quibus auxilijs uiscus curandum indiget. Siquidem obstructio meatuum solet putrefactiones efficere. Nonnulli autem huiuscemodi pharmacis opium, aut hyoscyamum, aut aliud quippiam refrigerantium miscendo, ad calidas intemperies utilia medicamenta efficiunt: quanquam ex hepaticis pharmacis nullum esse debet uehementer refrigerans.

*Putrefactiones quæ corrigant.* *Vuæ passæ facultates.* *Viscerum intemperantijs ea esse optima medicamenta, quæ non modò intemperiem corrigunt, sed etiã alimentum largiũtur.* *Vini facultas.* *Mellis facultas.* *Bdellium.* *Terebinthinæ uires.* *Hepaticũ pharmacum nullum esse debet uehementer refrigerans.*

### Alia ad hepaticos & ictericos.

*Ictericis optimũ medicamen.*

Amygdalarum amararum drach. ij. anisi, absinthij, cumini, seminis apij, sing. drach. j. cornu cerui obolos iij. Trita cum aqua in pastillos triobolares redigito, ex eisque unum manè ac uesperi, cum uino mulso dato.

### Hepatica Athanasia, ad nephriticos & ictericos, copiosè sudorem promouens.

*Athanasia hepatica, nephriticis ictericisque cõueniens, copiose sudorem promouens.*

Croci drach. ij. nardi tantundem: cinnamomi, casiæ, myrrhæ, iunci odorati, sing. drach. j. Melle Attico excipito: datur fabæ Aegyptiæ magnitudine: febricitantibus ex aqua mulsa.

*Potio hydropicis, alijsque internorum affectibus summè utilis.*

Potio ad hepaticos, spleneticos, nephriticos, hydropicos, stomachicosque. Auxiliatur etiam molestijs ex partu, & cõuulsis. Prodest & conualescentibus: necnon ad humores uitiosos, ictericos, tussientes, pleuriticos, atque ad letalia uenena, & ferarũ ictus. Nardi Indicæ, costi, utriusque drac. ij. casiæ, croci, utriusque drach. j. piperis albi obol. v. seminis apij drach. j. obolos iij. iridis Illyricæ tantundẽ: acori drac. j. obol. j. opobalsami drac. j. succi ari masculi drach. tres: uuæ passæ exacinatæ drach. v. Terito cum passo, aut melle excipito, ac drachmã unam cum uino dulci dato, aut cum aquæ mulsæ cyathis iij. Nullum tamen horum medicamentorum calidis intemperaturis conuenit, sed aut humidis, aut frigidis, aut ex utrisque compositis.

### Confectiones hepaticę ab Asclepiade proditæ.

*Hepatica cõpositiones ab Asclepiade scripta.*

Succi cichorij cyathum unum cum aquæ calidæ cyathis tribus, & mellis Attici cochleari uno, porrigito. Aut filicis, aut seridis succi cyathum unum, cum aquę mulsę cyathis tribus dato. Porrò cichorium & seris ex genere cibariorũ existũt. Facultas autem ipsorum subfrigida & subamara est, moderatèque astringens: quarum qualitatum ratione, calidis hepatis intemperantijs summè conueniunt. Nam ultra hoc quòd moderatè refrigerant, uisceri firmitudinẽ addunt. Sed nec frigidas intẽperies magnopere lędunt, quemadmodũ quę frigidam humiditatem absque astrictione aut amaritudine possident, facere solent. Iam, ob miscellam mellis, humores per urinas eliciunt. Quare si siccata & tusa quis potioni inspergat, itidem iuuant. Ad uisceris autem expurgationem, apertionemque meatuum, citra manifestam calfactionem aut refrigerationem, filix optimum pharmacum est, amaram qualitatem habens prędominantem.

*Cichorium.* *Seris.*

### Catapotion hepatites.

*Hepaticum catapotium.*

Radicis chamæpityos drach. viij. rad. cichorij drach. iiij. contunde, & excipe melle cocto, præbeque nucis ponticæ magnitudinem: & aquæ calidæ cyathos iij. insuper bibendos dato.

### Pastillus hepaticus.

*Hepaticus pastillus.*

Anisi, sem. apij, asari, amygd. amar. mund. absinthij, sing. drach. iiij. macerata ex aqua in pastillos redigito, exhibetoque drachmã unã cum uini diluti cyathis iiij. febrientibus tamẽ cum hydromelite.

### Eclegma hepaticum Pauli . :auxiliatur confestim.

*Hepaticum eclegma.*

Chamæpityos siccæ lib. i. myrrhæ unc. i. passi protropi sextarios iij. Chamępityn & uinum dulce coquito ad tertias. Postea liquorem exprimito, eique mellis Attici librã dimidiã adijcito, ac rursus coquito. Dein uerò myrrham addito assiduè agitando: quæ ubi dissoluta fuerit, ab igne ablata reponito, & ante cibum mystrum propinato. Ad hæc cochlearũ trium carnẽ probè tritã, & cum tribus uini nigri cyathis calfactam porrigito. Hæc enim iuxta totã substantiã sunt efficacia, non secundũ unã aut alterã qualitatẽ. Similiter & lupini hepatis drachma una læuigata cum uino aliquo dulci, exhibitaque, manifestè hepaticis auxiliatur.

*Hepar lupi auxiliatur hepaticis.*

*Diureticum medicamen.*

Confectio ciens urinas. Facit ad induratas hepatis affectiones, ad spleneticos, & ægrè se à morbo recuperantes: necnon ad hydropicos. In uniuersum, probum colorem conciliat. Croci, nardi, casiæ, sing. drach. ij. costi, floris iunci odorati, cinnamomi, myrrhæ stactæ, sing. drac. i. mellis cocti drach. xxvi. datur fabæ Aegyptiæ magnitudine, cum uini mulsi cyathis iiij.

Alia eadem commoda prętans, ad aliasque internas affectiones, citra tussim, cõducens. Rad. gentianæ, chamæpityos, marrubij, seminis petroselini, fellis ursi, sinapis, sem. cucumeris, scolopendrij, panacis, rubrię sinopicę, rubiæ, seminis brassicę,

aristolochiæ longę, piperis albi, spicæ nardi, costi, sem. erucæ, eryngij, baccarũ iuniperi, sem. fraxini, chamædryos, dictãni Cretici, seminis cestri, sem. dauci, sing. vnc. j. mellis Attici quod sit satis. Conficito. Datur nucis ponticæ magnitudo, ex passi Cretici cyathis duobus. Hæc Asclepiades ad indurata uiscera. Miscenda tamẽ in hisce affectibus sunt cum discutiẽtibus etiam mollientia pharmaca, quæ præparent indurata corpora, aptaq́ȝ prædictis medicamentis excipiendis efficiant. Siquidem citra præmollitionem diffunduntur quodãmodo ea ipsa corpora, & euestigiõ manifestã imminutionem habent: sed quod reliquum ex affectu est, ubi exiccatũ improbè fuerit, immedicabile permanet. Cęterùm quum hepatis corpus sit consistentia humidũ, moderatis emollientibus eget.

*Discutiẽtib medicamentis qua ad indurata viscera proponuntur, cur miscenda emollientia.*

*Hepatis corpus moderatis emollientibus eget.*

Quæ Archigenes scripserit ad hepaticos.

*Hepatica medicamenta ab Archigene scripta.*

Vnguenti nardini cochlearia iiij. quotidie bibenda dato, &maximè in induratis. Aut aristolochiæ obolos iij. ex aqua quidem, febrientibus: febre autem carentibus, ex uino porrigito. Aut fel ursinum in uase leniter feruefacito, & in sole assiccato, atq; ex eo hepaticis cochleare unũ dato.

In magna duritia abrotoni succum quamcrassissimum da bibendum. Aut acori obolum unũ, panacis tantundem, propinato ex aqua. Aut spicæ nardi decoctũ assiduè exhibeto. Cataplasma hepaticũ fit ex mâlis cotoneis cum farina hordeacea, & fœnogræco concoctis. Aut ex semine lini trito cum polenta uino incocta. Aut ex capparis radice in aceto mulso percocta. Aut ex farina hordeacea cum ficubus. Aut ex palmularũ carne tusa, mistaq́ȝ pari rosacei cerati portione.

*Hepatica cataplasmata ex quibus conficiuntur.*

Malagma Andromachi ad hepaticos.

*Hepatica malagmata.*

Ammoniaci thymiamatis drach. cxliiij. bdellij drach. xxiiij. aceti heminas iiij. Cyprini heminam unam. Conficito.

Malagma Apollophanis.

Ceræ drac. lxxx. ammoniaci thymiamatis tantundem. Terebinthinæ drac. xl. mannę thuris tantundem. Cum irino contundito.

## GALENI PERGAMENI DE *compositione medicamentorũ secundum loca, lib. nonus.*

### De Ictericis.

*Ictericia per morborum iudicationes orta, curatio.*

Fiunt etiam icterici, ratione optimę iudicationis in febribus, proruente nimirũ ad cutem bilioso humore: ac facilè sanè hi curantur balneis potabilium aquarum, & olei discussorij affrictu, omniumq́ȝ rarefacientiũ cutem: quale est anethinum oleum, chamæmelinũ, atq; cicinum. Post hæc etiam unguenta faciunt, gleucinum, &comagenum: dein irinum atq; amaracinũ. Verùm alias confectiones priuatim ictericas appellatas, ne putes ad huiuscemodi ictericos cõuenire, sed ad eos, qui uasorum iuxta hepar obstructione laborant, necnon ad illos qui ex inflãmatione icterici fiunt. Cæterùm qui in regium morbum ex obstructione incidérũt, absq; febre permanent. Qui uerò ex inflãmatione, omnino febricitant. Quæcunq; igitur admodũ medicamentosa existunt, itidẽq; facultate calida, febrientes magnopere lędunt. Talia sunt gẽtiana, struthion, heleniũ, costus, aristolochia, polijũ, centaurea. Conueniũt aũt ictericis ex inflãmato hepate, quęcũq; sanant inflãmationes: quemadmodũ etiã ijs qui ex obturatione, omnia quæ strenuè extergent, etiã si medicamẽtosam substantiã, calidamq; facultatẽ sortiantur. Si uerò obstructio simul & inflammatio coëant, laxantibus simulq; extergentibus opus erit.

*Ictericia ex obstructione orta, absq; febre permanet: quod nõ cõtingit illi quæ ab inflãmatione ducit originẽ.*

*Ictericis quæ medicamenta conueniant.*

Ad ictericos absq; febri, medicamen Andromachi.

In colocynthidis calicem uinum fundito, calfacitoq; & bibendũ dato: subducit enim aluum.

*Ictericorum remedia varia, à diuersis conscripta.*

Aliud. Adianti obolos iiij. nardi obolos ij. absinthij drac. j. myrrhę obol. iij. Passo excipito, instarq; auellanę nucis ex aquę cyathis duobus porrigito.

Asclepiadis remedia ad ictericos.

Cichorij succi cyathos vj. febrientib. per se dato: febre uerò carẽtibus, cum uini cyathis tribus.

Aliud. Anchusæ tenuissimè tritæ cochlearia ij. cum aqua potabili exhibe. Aliud Nicerati, urinã ciens. Cicerum siccorum sextarium j. roris marini manipulum: aquæ sextarios vj. fœniculi manipulum j. rad. asparagorũ palustrium, manipulũ j. Decoctum excolatum porrigito assiduè, febrientibus quidem simpliciter, febri autem carentibus ex uino diluto. Aliud. Asari, absinthij, utriusque drac. viij. seminis anisi, fœniculi, apij, amygdalarũ amararũ repurgatarũ, sing. drac. iiij. Aqua subigito, atq; pastillos formato, ex quibus drac. j. cũ uini mulsi cyathis tribus nõ febrientibus exhibeto.

Errhinon trahens bilem per nares.

*Errhinon trahens bilem per nares.*

Nasturtij & roris marini uiridium succum, aut elaterium cum lacte muliebri tritum, infundito naribus, atq; attrahere iubeto.

Archigenis remedia ad ictericos.

Chelidoniæ herbę succum cum uino aut aqua mulsa propina. Vel adianti, uel rubię radicis obolos tres, cum aqua mulsa exhibe. Aut fellis ursini cyathum bibendũ dato. Aut stercoris canini albi sextantem, cum mellis quadrante ad triduum bibendũ dato. Aut adianti, & menthæ, & rubiæ parem mensuram in aqua feruefacito, & heminã inde bibendam exhibeto, diutius ad solem insolato, sitientiq; & anheloso, quò post acceptum potum exudet: quippe statim transmutat colorem.

De splenis affectibus.

Quum autem omnes corporis partes familiarem sibijpsis ex uenis humorem trahãt, lien certè id quod uelut fæx sanguinis est, ex qua gignitur atra bilis, ad sui alimoniam ascifcit: unde hoc uiscus minimo negocio cõtrahere sibi scirrhum est natum, sanguine nimirum in uenis ipsius obturato, & ob crassitudinem nec excerni, nec discuti facilè potente. Attenuantibus igitur opus habet pharmacis, citra manifestam caliditatem, ne impactus in ipso succus impingatur uehementius. Quò uerò actiones ipsius conseruentur, ex austeris aliquid eis admiscetur: quale etiam astringentiũ genus existit. Porrò quum uniuersæ particulæ, propriæ incolumitatis gratia, certas quasdam facultates possideant, attractricem uidelicet familiarium, ac tum alienorum expultricem, tum assimilatricem eorum quæ sibi attraxerunt: aliquibus ipsarum insuper inest, ut ex accidenti sint uniuerso corpori ex usu. Ex horum itaq; est genere lien, qui ex hepate ad se ueluti limum sanguinis trahit, quemadmodũ fellis uesica bilẽ, atq; renes uriñã. Si igitur præ imbecillitate eiusmodi sanguinẽ ad se at-

*Partes singulas familiare sibi alimentum trahere, lienẽ also sanguinis sedimenta.*

*Lien cur induretur facile.*

*Lienis affectio qualia conueniant medicamenta.*

*Liene trahente languidè, faculentus sanguis per uniuersum corpus digeritur.*

se attrahere sit minimè potens, per uniuersum corpus uitiosus humor dispergitur. Ob id itaq; naturalem ipsius firmitudinē custodire oportet, quò conueniens sibi alimentū alliciat: per quam actionem uniuerso corpori ad humorū bonitatē conducit, & excrementa genita in ipso demittere in uentrē potest, ut unà cum exerementis alui excernantur. Igitur hac ratione ipsi ualdè amara medicamenta exhibemus: quibus miscemus etiam ex austeris nonnulla: sicuti & alia quædam, ceu materiam congruentem ad unguentorū & cataplasmatū cōpositionem: cuiusmodi sunt cera, resina, pix, & bitumen. Nam primaria ratione acetum & oxymeli, uisceri cōmoda existunt, utpote secare & attenuare crassos humores ualentia, citra calfactionem. Deinceps itaq; eorum pharmacorum mentionem faciam, quæ lieni indurato auxiliantur.

*Lieni cur amara, quib. astringentia sint mista, medicamenta conueniant.*

Pharmaca potabilia ab Andromacho ad splenticos conscripta. Porio Antipatri.

*Lieni congruentia pharmaca, ab Andromacho scripta.*

Caruis myrobalani drac. iij. scolopendrę drac. vj. cort. rad. cap. costi, sing. drac. iiij. chamædryos drach. vj. polij drach. ij. rad. coryledonis drach. ij. corymborum hederæ nigræ grana xxv. ammoniaci thymiamatis drach. iiij. sem. hyperici drach. ij. chalbani tantundem: sem. periclymeni drach. j. aut rad. drach. iij. cardamomi nigri sesquidrach. succi scillæ drach. xvj. Dantur oboli duo in aceto mulso. Aliud stomachicum, spleneticumq;. Myrrhæ, nardi Indicæ, cort. rad. capparis, radicis panacis, rad. peucedani, dictamni, cort. rad. periclymeni, sing. drach. iiij. costi drach. v. polij drach. ij. rubiæ drach. iij. s. ammoniaci thymiamatis drac. iiij. s. iridis tantundem. Excipito aceto mulso, datoq; obolos duos cum oxymelite.

Pharmaca potabilia ab Asclepiade ad splenem conscripta.

*Lieni pharmaca ab Asclepiade scripta.*

Cynoglossi manipulum cum uini cyathis iij. terito, & expressum liquorem ante cibum bibendum dato. Colligere tamen oportet herbam sinistra manu ante solis exortum. Aliud. Trixaginis manipulū cum uini sextario uno coquito, & expressum liquorem reponito: atq; ex eo cyathos ij. ante cibum dato. Catapotiū spleneticum. Myricæ fructum tusum & cribratum chalbano excipe, in catapotiaq; redige, quæ exhibebis pro uiribus. Pastillus spleneticus. Fructus ericæ drach. iiij. piperis albi, nardi Syriacę, ammoniaci thymiamatis, sing. drach. ij. arida tunduntur & cribrantur. Ammoniacum dissoluitur aceto scillitico, & aridis additum in pastillos cogitur, quorum singuli pendeant drachmam. Daturq; drac. i. ex oxymelitis cyathis tribus.

Epithemata & emplastra eiusdem Asclepiadę.

*Lieni epithemata cataplasmataq; ab Asclepiade scripta.*

Foliorum tenerrimorū sabuci arboris lib. iij. aloës lib. j. cum aceto subigito, & linteolo infarcta admoueto. Vel: Ceræ, resinæ pinus, & frictę, sing. lib. ij. arsenici, aluminis scissi, calcis uiuæ, singulorum sextantem: aceti, olei, utriusq; cyathos viij. Conficito & admoueto.

Malagma Antiochidis, ad spleneticos, hydropicos, ischiadicos, arthriticosq; conueniens. Ceræ lib. iij. resinæ terebinthinæ tantundem: retrimentorū ab expressa myrobalano eliquorū, spumæ nitri, floris lapidis Asij, ammoniaci thymiamatis, singul. lib. i. olei Cyprini lib. iij. aceti quod fit satis ad ammoniacum dissoluendum.

Malagma aurei coloris.

Auripigmenti vnc. i. aluminis scissi, calcis uiuę, sing. sextantem. Ceræ, resinæ frictę, & pinus, sing. lib. ij. myrrhę sextantem. Arida increta, læuigataq; per affusionem aceti cyathorum viij. liquidis excipiuntur.

Pharmaca ad spleneticos ab Archigene scripta.

*Lieni pharmaca optima ab Archigene scripta.*

Potus sit aqua quę ferrū candēs extinxerit: sola quidē, febrientibus: uino aūt immista, ijs qui febre carent. Aut corticis radicis periclym ni, & seminis eius, quantū tribus digitis apprehendi possit, in uino albo meraco calido, ieiunis curriculo xl. dierum bibendum dato. Aut uulpis hepar siccū ex oxymelite propinato. Aut folia capparis arida & trita exhibeto. Cataplasmata aūt eadē spleneticis & hepaticis admouebis, ampliusq; cinerē ex ferraria officina cum aceto. Aut nasturtiū & fœnumgræcū, & calcem uiuā, & nitrū, cum melle emollita imponito. Aut fæcem acris aceti, aut capparis radicem cum aceto imponito. Perseuerante malo cucurbitas cum scarificatione affigito. Aut uenam retro sinistram aurem secato, & detracto sanguine confricato affectum lienem.

*Lienosis eadem cataplasmata opitulari, quæ hepaticis.*

*Lieni, si malum sit pertinax, cucurbitulas affigendas esse, cum scarificatione.*

Remedia ad hydropem ab Asclepiade scripta.

Malagma aut poteriū, resorbens humiditates ab alto, simulq; duritias discutiens. Cerę, picis aridę, utriusq; lib. j. aluminis liquidi, sulfuris uiui, mannæ, nitri rubri, sing. lib. i. resinæ frictæ lib. iiij. olei ueteris heminam j. Arida liquidis permisceto.

Malagma ex baccis lauri ad eadem.

*Hydropicis congruentia malagmata ab Asclepiade scripta.*

Ceræ, resinæ pinus, picis brutiæ, baccarum lauri siccarum, nitri rubri, ammoniaci thymiamatis, adipis uitulini subacti, sing. lib. i. Liquescibilia liquentur, & frigefacta misceantur aridis redactis in tenuissimum pollinem.

Emplastrū Tonsoris, ad spleneticos & hydropicos, quo etiam ischiadicos liberauit.

Picis aridæ lib. iiij. cerę, resinæ pinus, ammoniaci thymiamatis, nitri rubri, baccarum lauri aridarum, singul. lib. ij. adipis taurini lib. i. iridos lib. ij. canchryos vnc. xviij. farinæ fœnigræci, pollinis, radicis chamæleonis nigræ tenuissimè tritæ, sing. sextarium unum: cumini tenuissimè triti sesquisextarium: passi sextar. i. Conficito & utitor.

Cleophanti cataplasma ad hydropicos.

Ceræ, resinæ, spumę nitri, sing. drach. c. chalbani, propolis, ammoniaci thymiamatis, sing. drac. xij. s. cyprini cyathos ij. aceti tantundem. Cōficito cataplasma.

Archigenis remedia ad hydropicos.

*Hydropicis remedia ab Archigene scripta.*

Stercus bouis armētarię tritū, coctūq; in posca, inspersaq; sulfuris uiui quarta portione, redigito in cataplasma, idq; toti uentri admoueto. Aut elaterij, staphidis syluestris, hyssopi, fellis taurini, æquales omniū partes ficubus contusis excipiens, mulsaq; læuigās, similiter applicato. Aut ueratrū nigrum, fel taurinum, nitrum, piperq; ex æquo mista, melleq; excepta, per semihoræ tempusculum uentri imponito. Per omne autem curationis tempus, coryledonis, scillæ aridæ, sing. drach. i. in uino mulso diluto quotidie exhibe. Aut corticis rad. ari, similiter drach. i. Aut radicem calaminthæ coctam propina. Ad hęc hydropicos diutius ad solē, sed contecto capite, inungito ex oleo, cul

*Hydropicos esse sub ardenti sole fricādos oleo salsuginoso, perfundendosq; muria necnon talos illis scarificandos*

multũ falis admiftũ fit: ex multaq; perfundito falfugine calida. Inflatos uerò maximè locos, uesicis magnis probè inflatis quotidie continenter pulsato. Incisis item aut scarificatis ipforũ talis, & uninusculis impactis, in ferculo ipsos aut lectica circumuehito. Summè etiam faciũt Theriacę omnes urinã cientes, insuperq; potiones aquã ducentes.

De pharmacis dolorem sedantibus, anodynis, & colicis appellatis.

*Anodynis uti quibus de causis soleamus.*

Huiuscemodi pharmacis, ob dolores ingentes, aut uigilias, aut ne per uiolentam tussim lancinemur, uti consueuimus. Ad quas quidem affectiones, si modicæ sint, confectiones ex seminibus, priuatim tussiculares dictæ, sufficiunt: quæ & ipsæ aliquid ex soporiferis seminibus possident, uerùm modicum inter multa adeò semina, quæ odorata, & tenuium partium, ac urinam mouentia existunt: cuiusmodi sunt, cuminum, daucum, seseli, apiumq;, & anisum.

Philonis Antidotus, ad omnes graues dolores uiscerum, ad aliaq; multa conueniens.

*Philonis antidotus ad graues internorum cruciatus conferēs.*

*Opij uires.*

Croci drach. v. pyrethri, euphorbij, spicæ nardi, sing. drac. i. piperis albi & hyoscyami, utriusq; drac. xx. opij drach. x. Melle Attico excipito. Etenim opium ualidissimũ est inter ea quę sensum stupefaciunt, atq; soporem conciliant. Operatur autem hęc etiam solum, sapa dilutum, tomentoq; exceptum, ac sedi inditum, necnon illitum fronti & naribus. Si uerò cum alio quopiã uim ipsius moderante misceatur, moderatius hæc facit. Verùm

*Opio miscenda qualia esse debeant medicamenta.*

*Compositionis medicamentorũ opio constantiũ optimum scopũ tria sibi proponere.*

quæ admiscentur ipsi, aut concoquant, aut mitigent dolorificam affectionem oportet, aut humores affectionem gignentes discutiant, aut differant, aut attenuent, aut iuxta totam substantiã alterent. Quum igitur optimus compositionis scopus, tria sibi proponat: nimirum ut & sensus stupefiat, & nullum in posterũ circa particulam inde detrimentum remaneat, ampliusq; ut affectio ipsa inde iuuetur: ad hæc omnia respiciens Philo, prædictum composuisse uidetur pharmacum: ex opij quidem, hyoscyamiq; mistura soporem, sensitricisq; facultatis stuporẽ inducere uolens. Quò uerò hæc citius distribuerent, & totam affectarũ partium penetrarent profunditatem, calfacientia admiscuit, pyrethrũ, euphorbiũ, & piper, quæ nocentes humores discutere possunt, extergere uiscidos, incidere crassos, ac deniq; flatulentos attenuare & dissoluere.

*Nardi facultas.*

Est autem non modica concoctoria uis omnium frigidarum affectionum in nardo sita: quæ aut Indica, aut Celtica iniicienda est.

*Croci facultas.*

At crocus humorum crudorum est concoctoriũ, atq; item affectionum uirulentarum.

Colica medicamina Andromachi.

*Colica medicamina Andromachi.*

Anisi drac. vj. seminis apij drac. xij. nardi drac. iiij. castorij drac. iij. petroselini drach. iiij. piperis albi & longi, utriusq; drach. v. myrrhæ drach. vi. iunci odorati drach. tres: succi papaueris drach. vi. croci drachmas iij. Melle excipito. Datur ad summum, nucis regiæ paruæ magnitudo ex aquę calidæ cyathis tribus: minimũ, nucis ponticę magnitudo.

Aliud admirabile colicum ad uoluulosos, & stercus per os reddentes.

Piperis albi, sem. hyoscyami, utriusq; drach. xl. opij drac. xx. croci drac. x. spicę nardi, euphorbij, pyrethri, sing. drac. ij. Excipe melle cocto. Datẽ magnitudine fabę in aquę frigidæ cyathis iij. aut iiij.

Colica Isotheos dicta, ad stomachicos, oculorum dolores, uteriq; labores, ex aqua mulsa, ubi ruta fuerit incocta. Croci sesquidrachmam: nardi drach. ij. myrrhæ drach. viij. costi, piperis albi & longi, chalbani, sing. drach. j. opobalsami drac. iiij. cinnamomi, succi mandragoræ, castorij, sing. drach. ij. seminis dauci drach. iiij. s. sagapeni drac. iij. casię drach. iiij. Excipe melle Attico. Alia nõ minus admirabilis. Succi centaureę, castorij, scillę satæ, piperis albi & longi, myrrhæ, rutæ hortensis, hyssopi, abrotoni, iridis Illyricę, sing. drach. ij. croci, ammoniaci thymiamatis, rad. acori, phu pontici, zingiberis, ueratri albi, sing. drachmã j. Oxymelite excipito. Datur etiã drachma una ex aceto mulso.

Chariclis, ad coli inflationes remedium.

Cumini Aethiopici drac. vj. sem. apij drac. v. seminis dauci Cretici drach. ij. piperis albi drach. j. Tusa & cribrata reponito. Danẽ cochlearia duo, cum aquæ mulsæ cyathis tribus.

Confectio Lingonis colica, quæ data ex frigida, statim soluit dolores.

Sem. hyoscyami albi drac. xx. opij, seminis dauci Cretici, utriusq; drach. x. petroselini drach. vj. croci, spicæ nardi, pyrethri, sing. drac. iiij. euphorbij, opobalsami, cinnamomi, sing. drach. ij. Excipito melle cocto, ac fabæ Aegyptiæ magnitudinẽ exhibeto, cum aquæ tepidæ aut frigidæ cyathis tribus, in irritationibus.

DA DYSENTARICIS.

*Dysenterici ueri sunt, quibus est aliquod intestinum exulceratum.*

Deinceps medicamenta scribemus, quæ uerè dysentericis auxiliantur, quos nulla alia infestat affectio, præter ulcus intestinorũ, aut nudum, aut cum putredine obortum, quam nomẽ appellant.

Quæ ab Andromacho ad dysenteriam scripta sunt.

*Dysentericis remedia scripta ab Andromacho.*

Potio ad dysentericos & hæmoptoicos. Florũ rosarum, opij, acaciæ, gummi, sing. drach. iij. balaustij tantũdem: succi hypocistidos tantundem: gallarũ, seminis plantaginis, succi eius, sing. drac. ij. lycij Indici, succi rosarum, singul. drach. j. Confice pastillos drachmales, & uariè utere.

Ad dysentericos & cœliacos confectio ex fructibus.

Màla punica integra xx. cydonia totidem: erui sextarium j. prunorum syluestrium sextarios ij. Sorborum Ephesinorum tantundem. Rhois Syriaci sextar. iij. pira Terentiana xx. Cestiana xxx. siliquas xl. baccarum myrti nigrarũ sextarios iij. musti aminæi ad tertias decocti sextar. xlviij. Coquito simul ad mellis spissitudinem, & in figulino reponito. Alia. Nardi, croci, utriusq; drach. viij. aloës, thuris, singulorũ drach. ij. acacię, myrrhæ, succi hypocistidis, rosarum siccarum, lycij Indici, tragacanthæ, opij, sing. drach. iiij. piperis drach. ij. Aqua excipito, pastillosq; duarum drachmarum facito, & cum uino myrteo exhibeto.

Ad dysentericos, cœliacos, & hæmoptoicos, ex Cornelio medico.

*Hæmoptoicis medicamẽ Cornelij.*

Myrrhæ, thuris, aloës, croci, opij, rhois Syriacę & coriariæ, lycij Indici, acaciæ, malicorij, succi hypocistidis, gallæ, balaustiorum, singulorum par pondus in pastillos cogito, & ad noctem febre carentibus ex uino, febrientibus uerò ex frigida propinato.

Potio

Potio Apollonij ad fluxum muliebrem sistendum.

*Fluxui muliebri sistendo potio Apollonij.*

Coralliј, balaustij, utriusque obol. iiij. gummi obol. j. Excipe oui crudi candido, & dimidiū totius cum aquæ cyathis quatuor propina.

Infusa dysentericis cōmoda. Infusum Athenęi ad recti intestini ulcera.

*Clysmi dysentericis apti.*

Omphacij, aluminis scissilis, calcis uiuæ, squamæ æris, sing. drach. vi. auripigmenti drach. viij. sandarachæ drach. iiij. chartæ ustæ drach. xv. cum uino myrteo pastillos drach. iiij. aut trium, formato. Infunde autem cum uini diluti cyathis iiij. & aquæ tepidæ cyathis duobus.

Infusum Heræ.

Chartæ ustæ, cadmiæ, auripigmenti, singulorum unc. j. calcis uiuę extinctę succo plantaginis, unc. s. Omnia redigito in pollinem, & cochlearia duo, cum decocto baccarum myrti, aut uino myrteo, infundito.

Infusum Nicostrati.

Calcis uiuæ drach. j. gypsi drach. viij. acaciæ drach. ij. omphacij drach. ij. stibij drach. ij. thuris drach. j. gallę drach. iiij. tragacanthę drach. ij. cum uino myrteo in pastillos redigito.

Asclepiadia ad dysentericos remedia.

*Dysentericis remedia ab Asclepiade scripta.*

Rhois Syriaci, farinæ polentę, uuæ passæ, sing. drach. ij. malicorij tusi & cribrati drach. j. Excipito melle cocto, atque mystrum unum ante cibum porrigito. Aliud probatum. Gallarum redactarum in pollinem cochleare unum: piperis albi, rhois rubri, malicorij tenuissimè triti, singulorum tantundem. Omnia oui luteo excipito, & in uacuam mali punici testam conijcito, atque obturato cum farina osculo ipsius, ad prunas torreto: depurgata mali punici testa, cochlearium unum edendum dato.

Pastillus Philippi ad dysentericos inueteratos, dolorem sedans, qui bibitur, & infunditur. Balaustij, acaciæ, succi hypocistidis, rhois, apij, thuris, myrrhæ, baccarum myrti nigrarū, croci, gallarum, lycij, aloës, rhei pontici, malicorij, sing. drac. iiij. Excipito uino Italico, cogitoque pastillos pondere obol. iij. ac porrigito non febrientibus quidē, ex uino: febrientibus uerò, ex mulsa.

Epithema cœliacis dysentericisque.

*Dysentericis epithema commodum.*

Seminis hyoscyami albi, apij, utriusque trientē: anisi, floris rosarum, succi hypocistidis, balaustij, rhois Syriaci, sing. sextantem: succi papaueris, croci, utriusque unc. j. Singula cum uino myrteo terito: dein mista in pastillos redigito, quos in umbra asficcato. Inde uerò quantū sufficit tundens & cribrans, palmulis passis excipito, ac tandem linteolo imposita, uentri admoueto.

De affectibus sedis.

*Sedis ulcera cur ęgrè curationē recipiāt, & quæ his pharmaca profuient.*

Sedis uitia, ob ipsius partis sensum exquisitissimum, & ob crebrum per ipsam excrementorum decursum, ęgrè curationem recipiunt. Aptissima autem ipsi pharmaca sunt, quæ absque asperitate astringunt: qualia maximè sunt, quæ ex metallicis neque acria, neque acerba existūt. Hæc siquidem loia, citra mordacitatem (id quod requiritur) operantur.

Medicamenta sedis ab Andromacho scripta.

*Sedis medicamēta ab Andromacho scripta.*

Cerussæ, lithargyri, utriusque drach. v. thuris, aluminis scissi, utriusque drach. iij. croci obolos iiij. Vini & rosacei quod sit satis. Conficito. Aliud. Butyri, ceræ, utriusque sescunciam: medullæ ceruinæ, œsypi, thuris, singul. unc. j. aluminis scissi quadrantem: lycij sextantem: uini & rosacei quod sit satis. Misceto. Aliud. Adipis anserini curati, ceræ, thuris, medullę cerui, florum rosarū, pompholygis, cadmiæ, plumbi loti, sing. drach. iiij. cerussæ drach. viij. cerebri gruis drach. ij. succi papaueris sesquidrachmam: œsypi drach. v. succi seridis heminam, pro aceti heminam s. Confundito.

Pinguis compositio ad achoras & psoras.

*Psoris utilis compositio.*

Spumæ argenti, cerussæ, utriusque drach. xxxij. atramenti sutorij drach. xvi. sulfuris uiui drach. viij. Olei myrtei & aceti quod sit satis. Misceto.

Ad prolabentem sedem.

*Sedis prolapsæ remedium.*

Recrementi plumbi drach. viij. Rhois Syriaci tantundem: floris rosarum drach. iiij. myrrhę Minnęæ drach. ij. Inspergę siccum, ubi prælueris uino austero, aut uini decocto. Aliud. Gallæ omphacitidis, rhois coriarij, sing. drach. ij. plumbi usti drachmas iiij. spumæ argenti drachmas viij. trita inspergito.

Hæmorrhoidibus extrahendis pharmaca ab Asclepiade scripta.

*Hæmorrhoidibus ab Asclepiade scripta remedia.*

Piperis, nitri, utriusque drach. j. terito admoueto que. Aliud. Spumæ nitri, fellis tauri, staphidis syluestris, sing. drach. j. Trita, exceptaque modico melle, adhibeto. Postea uerò quàm eminentes fuerint, atque in propatulo, accipe cerussę unc. j. spumæ argenti quincuncē: pompholygis unc. j. olei myrtei bessem: uini boni tantundē: butyri unc. j. Confunditoque, & applicato. Cæterū ad ardentes sedis dolores, oui assati uitellum uino albo terito, & cerato myrteo exceptum illinito.

Ad pudendorum affectus.

*Pudendorum ulcera dignoscendi ratio.*

Exulcerati pudendi cognitio, ex manifesto circa ipsum dolore paratur: unà cum hoc, quòd etiā circa mictiones excernit quid ex corpusculis ulceri ipsi insidentibus. Discernuntur autē hæc ab ijs quæ ex uesica feruntur, quòd statim in ipso primo lotij exitu appareant: quæ uerò à uesica excernuntur, deferuntur cum urinis permista. Cæterū ulcera pudendorū, & circa sedē citra inflāmationem cōsistentia, reficcantibus ualde indigēt pharmacis: qualia sunt quod ex charta combusta constat, & anethū ustum, & cucurbita usta. Verùm siccis & recentibus ulceribus, etiam aloë bonum est medicamen. Omnium autem maximè dolorem sedat, nec ullo minus efficax est pompholyx. Si uerò humectiora sint ulcera, pinus cortex per se, & lapis hęmatites: ut si profunda, manna etiā prædicta addatur. Porrò quæ circa uterū aut uesicam consistunt ulcera, eisdem medicamentis indigent, sed instrumētis insuper opus habent, quæ ipsa intromittant, ut sunt metrenchytę, & cathereres uocati. Aptiora itaque sunt arida, qualia est crocus, pompholyx, & aloë, quæ facilè plantaginis, aut alteri tali succo miscent. Ad serotia & pudendi dolores. Butyri, & resinę pari mēsura utere. Aut semen lini cum aqua coquito, & admista myrrhæ semiē decima parte, & resinæ tantundem, imponito.

*Pudendorum ulcera ualde resiccantibus pharmacis indigent.*

*Pudendorum ulceribus siccis et recentibus, quæ pharmaca opitulentur.*

*Vlcera uesicæ uterique, ijsdem quibus pudendi ulcera medicamentis indigēt. Metrenchyta. Catheteres.*

Ad pudendum intumescens.

*Pudendo tumescenti remedia.*

Foliorum uitis tenerorū drac. j. cerussę drach. v. trita cataplasmatis uice impone. Aut lenticulā in aqua coquito, & cum mali punici cortice tritam imponito. Si uerò è sudoribus ulcera in

ſcroto fiant, gallam tritã cum alumine inſpergito.

*Pudendi fiſſuras, tuberculaq́ue quæ ſanent.*

Ad tubercula in pudendis naſcentia, piri ſemen inſpergito, & fel hircinum oblinito. Fiſſuras & rimas iuuat roſaceum, amylum, & thus, paribus portionibus miſta. Aut foliorum hederæ aridorum uſtorumq́ue cinis, cum oleo in plumbeo mortario triti. Ad pudendorum inflammationes, farinam hordeaceam hydromelite incoquito, & uitis folia tenera cum polenta terito, ſimulq́ue omnia imponito. Excreſcentem teſticulorũ carnem cinis ſarmentitius cũ nitro & aqua ſubactus ſanat, cataplaſmatis uice impoſitus.

*Pudendorum inflammationibus quæ opitulentur.*

De Priapiſmo.

*Priapiſmus eſt auctio colis permanens in latitudinẽ longitudinemq́ue, citra rei venereæ appetentiam.*
*Priapiſmi curatio.*

Priapiſmus eſt auctio colis permanens, In longitudinẽ atq́ue orbem tumefacti, citra rei venereæ appetentiam. Cuius affectionis eſt cauſa, flatulentus ſpiritus ex humoribus craſsis & uiſcidis genitus per moderatã caliditatem. Debent igitur refrigerari leniter partes per ceratum roſaceũ in aqua maceratũ, itemq́ue per chamæmelinũ ceratum, tum pudendo ipſi, tum lumbis impoſitũ. Victus & pharmaca eſſe debent attenuatoria, citra manifeſtam calfactionẽ. Præterea nymphæa in potu eſt danda, & uiticis ſemen: necnon ruta uiridis obſonijs miſceatur, poſt aliorũ tenuantiũ uſum. Quòd ſi euacuatione uti libeat, adminiſtretur per uomitum. Ad eos qui ſe in ſomno permingunt, ueſicam caprillam, aut ouillam uſtam, ex poſca bibendam dato: & ad ueſperã ſiticuloſos inire ſomnum iubeto. Facit & teſticulus leporis in uino odorato feruefactus, atq́ue ita potus. Aut calaminthiam & myrrham in uino ante cœnam bibendam dato. Oblinũt autem pudendum cimolia terra cum perdicij ſucco.

*Mingentibus inter dormiendum remedia.*

Ad uteri affectus.

*Vteri ſuffocationes quæ ſequantur ſymptomata.*

In uteri ſuffocatione contingit ſenſus ac motus priuatio, & pulſus obſcurus, & paruus, & penitus interceptus. In aliquibus uerò tum ſenſus, tum motus adeſt, ratioq́ue conſtat, cæterùm uix reſpirant. Aliquibus etiam uox intercipitur. Alijs contrahuntur artus. Fiunt igitur uiduis ſenſus & motus & reſpirationis interceptiones, ob frigiditatem: perſpirantibus ipſis tunc per arterias totius corporis, neq́ue utentibus illa quę per os fit reſpiratione. Etenim quũ prius probè repurgarentur, conciperent, atq́ue coirent uiris, uerisimile eſt, poſtea quũ omnibus his priuantur, humidum & frigidum in ipſis ſemen totum corpus perfrigerare. Ad uuluæ itaq́ue ſtrangulatus conuenit agarici drach. j. in potu accepta cum uino: & plantaginis ſemen & ſuccus cum uino: necnon acetum ſcillinum abſorptum. Olfactu excitant ſtrangulatas, bitumen, caſtorium, chalbanum, pix liquida, cedria, pili uſti, ruta, allium, cępa. Eandem in rem & cornu cerui ſuffitur: & ruta cum melle lana excepta in anum inditur.

*Vteri ſuffocatione affligẽte, per arterias tãtum fieri perſpirationes.*
*Vteri ſuffocationis cauſa.*
*Vteri ſuffocationis remedia.*

## *GALENI PERGAMENI DE compoſitione medicamentorũ ſecundum loca, lib. X.*

*Nephriticorum medicamentorum differentiæ.*

EX nephriticis antidotis, hoc eſt, renalibus, quædam calculoſos renes iuuant: quædam uerò inflammatos & ulceratos, quæ etiam ad ueſicam affectam conueniunt. Maximè autem contrariæ inter ſe ſunt prædictorum pharmacorum facultates. Siquidem quæ ad inflammatas & exulceratas affectiones cõponuntur, mitigatorijs medicamentis indigent. Cæterùm quum impoſsibile ſit hæc citò penetrare ad regionem renum, ob id ipſis miſcemus diuretica. At quæ calculoſis opitulantur, unicam facultatem poſtulant, quæ ſecare & extergere eſt nata, cum conſpicua caliditate. Sunt autem talia ferè omnia amara.

*Renum inflammationib. quæ-lia medicamenta conueniant.*
*Calculoſis congrua medicamẽta, omnia ferè eſſe amara.*

Confectiones Andromachi ad renum & ueſicæ affectiones. Potio ad ueſicam exulceratã, & urinæ emittendę difficultatem. Seminis lini, ſem. papaueris albi, ſem. cucumeris, tragacanthę, ſing. drach. ij. amyli drach. iiij. Cum aqua in paſtillos redigito, exhibetoq́ue.

*Veſicæ ulceri, et urinæ difficultati remedium.*

Alia ad eadem, & ueſicæ dolores.

Croci, ſeminis rutæ ſylueſtris, ſeminis maluæ ſylueſtris, ſing. drach. vi. ſem. hyoſcyami drach. xij. opij drach. vi. ſem. apij drach. xij. nuces auellanas xij. amygdalas xx. ſem. cucumeris drach. xij. mellis Attici q̃d ſit ſatis. Datur magnitudo ponticæ nucis cum uini mulſi cyathis iij.

Alia ad profluuia ſanguinis ex ueſica.

Aluminis drach. j. tragacanthæ drach. ij. gummi obolum j. Dato ex paſſo quandoq́ue obolum j. quandoq́ue duos.

*Sanguinẽ e veſica fluentem remedium ſupprimens.*

Alia calculos frangẽs, ita ut nõ renaſcantur.

Caſiæ, piperis albi, ſem. paſtinacæ, aniſi, ſem. papaueris albi, ſpicę nardi, ſem. ſmyrnij, cyperi, ſing. drach. ij ſeminis apij, thuris, ſtyracis, iridis Illyricæ, amygd. amar. aſari, ſing. drach. iij. myrrhę minnęæ drach. iiij. mellis Attici quod ſit ſatis. Conficito, & quotidie exhibeto nucis ponticæ magnitudinẽ ex aquę cyathis tribus, idq́ue ieiuno ſtomacho.

*Calculos frangẽs medicamentum.*

NEPHRITICAE compoſitiones ab Aſclepiade conſcriptæ.

Seminis ſatiui cucumeris toſti drac. iij. ſeminis maluæ drach. v. nucum pinearum drach. vi. ſem. apij drach. vij. ſeminis lini drach. j. amygd. amararũ mund. drach. ix. Excipe paſſo, & exhibe nucis ponticæ magnitudinẽ cum protropi cyatho j. & aquæ calidæ cyathis duobus. Alia. Maluę ſylueſtris, & rutæ ſylueſtris, & apij montani radices in uino coquito, & expreſsi liquoris cyathos ij. cũ pari aquæ portione exhibeto. Alia. Seminis balſami, lapidis qui ſpongijs ineſt, pulegij aridi, ſeminis maluę ſylueſtris, ocymi aridi, ſing. pares portiones tundito, inceruitoq́ue & reponito. Propinato autem cochleare unum cum uini diluti cyathis duobus.

*Nephritica compoſitiones ex Aſclepiade.*

Paſtillus ciens urinas, atq́ue expellens lapillos.

Aſari, petroſelini, phu, mei, ſing. drac. iiij. acori, ſem. aniſi, ſem. dauci, apij montani, carpobalſami, tragacanthæ, ſingulorũ drach. ij. Tragacantham paſſo diſſolutam aridis adijcito, & paſtillos formato, indeq́ue obolos iij. cum paſsi diluti cyathis ij. exhibeto.

De iſchiade, podagra, & arthritide.

*Arthritis.*
*Iſchias.*
*Podagra.*

Ex genere arthritidis eſt tum iſchias, tum podagra. Quod enim in omnibus articulis eſt arthritis, hoc in uno iuxta coxendicẽ quidem, iſchiada, iuxta pedem uerò, appellant podagrã. Incipit igitur plerunq́ue podagræ generatio ex uno articulo, temporeq́ue in omnes progreditur. Cõmunem habent hi tres affectus redundantiam humoris. Cæterùm aliquando irruens humor ſanguineus eſt, ut

*Articularium morborum communes cauſa.*

est, ut plurimum autem pituitosus, aut ex pituitoso & bilioso mistus: quibus etiam interdum miscetur sanguis. Porrò ubi pituitosus humor, qui propriè appellatur crudus, in articulis delituerit diutius, crassior atque uiscosior efficitur, tofisque aut callis dictis præbet generationem. Qui quidem postquam producti fuerint, non est quòd speres illos posse exactè dissolui. Differentia affligentium humorũ facilè ex colore dignoscitur. Præterea biliosus sanguis multę caliditatis sensum exhibet ægrotanti, à calorificiisque remediis exacerbatur, quemadmodum remittitur rursus à frigidis.

*Toforum generatio fit à pituitoso humore impacto in articulis, ob idque sunt incurabiles.*

*Articulares dolores à quib. gignãtur humoribus, quæ nota indicent.*

*Articularis morbi curatio.*

Curatio autẽ ipsa exordienda est ab euacuatione affligentis humoris: si quidem ex æquo humoribus redundarit corpus, uenæ sectione primò omniũ administrata: dein purgatione: quibus accedat pharmacorũ dicendorum cõueniens atque opportunus usus, ita ut in manibus pedibusque pharmacis repellentibus fluxionem utamur: iuxta coxendicem uerò, ea minimè administremus. Quũ enim iunctura ea in profundo sit sita, sanguis ex uicinis & ambientibus uasis à musculis ad illã trudit. Mitigatoriis igitur in principio medicamẽtis utendum est ad dolores coxendicũ, & quæ nec refrigerent multùm, nec fortiter calfaciant. Exacerbantur enim per ipsas fluxiones, caliditate nimirum plus attrahente ipsas, quàm impediente. Rarò itaque fit coxendicum dolor ex sanguinis multitudine: citissimeque curatur, uenis circa poplitem aut malleolos pertusis. Quemadmodũ autem solus sæpe sanguinis euacuatio sufficiens auxiliũ existit, sic contrà in omni dolore coxendicũ, & præsertim eo, qui ex humorũ copia est exortus, si quis ante euacuationem totius corporis acribus pharmacis circa affectam partem utatur, affectũ ægrè curabilem reddet, copia uidelicet indissolubiliter ibidem condensata. Ob idque ab euacuatione incipiendum est, non solùm à cruribus, sed à cubito etiam sanguinis detractione facta. Auxiliantur etiam uomitus ipsis ischiadicis, magis utique quàm euacuationes per uentrem, ut qui reuellant humorem repentem deorsum. Mouendi itaque sunt uomitus in principio ab accepto cibo: postea uerò, etiam per uomitoria medicamenta, initio à mediocribus facto. In quibus autem uehemens humorum densatio, quæ ægrè dissolui possit, à medicis intempestiuè utentibus acribus pharmacis facta est, iis maximè cucurbita affixa auxiliatur, & purgatio per clysmos efficaciores, qualis est qui ex colocynthide constat.

*Repellentibus quidem utendũ esse, si humores fluant ad articulos pedũ aut manuum: minimè autem, si in coxendicem irruant.*

*Ischiadi qualia remedia in principio conueniãt.*

*Ischias rarò oritur à sanguine, facillimeque curatur tunc poplitis uenis aut malleorum incisis.*

*Ischiade urgente, acribus medicamentis nõ est utendum, ante totius corporis euacuationem.*

*Ischiadicis confert uena secta in cubito, uomitusque.*

Compositiones ab Andromacho scriptæ ad ischiadicos. Emplastrum è profundo extrahens humores affligentes coxendicem. Seminis rutæ syluestris, silphii, spumæ nitri, baccarum lauri, abrotoni, colocynthidis medullæ, cardamomi, ammii, singul. drach. iiii. rutæ uiridis minæ octauam partem. Quidam horum singulorum drach. xx. accipiunt: necnon picis, adipis taurini, terebinthinæ, myrtei, ceræ, sing. tantundem: chalbani, ammoniaci thymiamatis, utriusque drach. vi. opopanacis, sulfuris uiui, sing. drach. iiii. Conficito, & admoueto.

Aliud ad coxendicum, capitisque dolores, atque ad alios omnes antiquos.

Ceræ drach. xxiiii. ammoniaci thymiamatis drach. vii. terebinthinæ tantundem: succi thapsiæ drach. viii. olei cyathum unum. Aliud. Ceræ drach. c. uisci quercini drach. xvi. myrrhæ drach. vi. terebinthinæ drach. xxv. chalbani drach. vi. iridis Illyricæ tantundem: ceræ heminiam s. Cyprini tantundem.

Asclepiadis malagmata ad ischiadicos.

Myrrhæ stactæ, bdellii onychis, medullæ ceruinæ, ammoniaci thymiamatis, iridis Illyricæ, sing. lib. ii. opopanacis, chalbani, styracis, mastiches, floris lapidis Asii, succi sycomororũ, canchryos, piperis albi, sing. lib. i. ceræ, terebinthinæ, utriusque lib. v. Tundendum est pharmacũ ita, ut qui tundit, fæcem unguenti irini adhibeat, quò mollius reddatur.

Aliud mirè iuuans ischiadicos, discutiensque omnem duritiem.

Ceræ, uisci quercini, terebinthinæ, iridis siccæ, myrrhę, chalbani, sing. drach. xlviii. Olei cyprini, aut unguenti Aegyptiaci quod sit satis. Cõficito.

Aliud. Picis liquidæ brutiæ lib. iii. fæcis aridæ ustæ lib. ii. nitri rubri lib. i. s. resinæ pini, ceræ, staphidis syluestris, sulfuris uiui, sing. lib. i. pyrethri lib. s. cardamomi sextariũ unum. Picem, ceram, atque resinam, soluito: arida tundito, cribratoque, & liquefactis cõmittito. Porrò Democrates, Archigenesque plurimum ad ischiadicos cõmendant malagma ex iberide herba (quam nasturtium syluestre uocant) cum adipe porcino tusa cõfectum: quod sanè imponi iubent ad horas tres, indeque ad balneum accedere.

De podagricis & arthriticis affectionibus.

Scopus in hisce affectibus est, si quidem adhuc fluant humores, ipsos per astringentia repellere: si uerò amplius non influant, discutere qui sunt iam impacti.

EPITHEMA Asclepiadis, ad arthriticos, mirè dolorem sedans.

*Arthriticis congruentia epithemata ab Asclepiade scripta.*

Succi papaueris drach. iiii. croci drach. i. cum lacte bubulo, caprillóue, & panis medulla cõtundito, læuigatoque, ac denique ex rosaceo emolliens, conficito cataplasma. Aliud. Styracis drach. ii. opii drach. i. Confice, uterenque. Aliud tofos & duritias discutiens. Farinæ fœnigræci, floris lapidis Asii, lomenti fabæ nigræ, farinæ lupinorum, singulorum sext. i. Omnia mixta & aqua subacta calida, imponito. Pastillus podagricus. Aloës lib. i. succi centaurii sescuncẽ. thuris masculi trientem: myrrhæ tantundem: floris lapidis Asii, opii, succi mandragoræ, aluminis scissi, singulorum sextantẽ: passo excepta in pastillos redigito. Vsu expetente, lacte dissolutos cũ penna illine, & supra illitionem linteolum passo imbutum impone. Aliud, quod auxiliatur confestim. Visci, terebinthinæ, utriusque lib. i. adipis taurini, floris lapidis Asii, calcis uiuæ, mannæ, singulorũ quadrantem: cypri ni lib. i. Conficito, utitorque.

FINIS.

*Ex industria omisimus libellum de facilibus parabilibus remediis, quòd omnia quæ in illo habentur, reperiantur in hisce cõmentariis longè cumulatiora.*

## ILLVSTRI ADMODVM, ATQVE ORNATISSIMO VIRO, D. D. ARIO GONZALO, COMITI PVGNI IN ROSTRO,

ANDREAS LACVNA SECOBIENSIS, DOCTOR Medicus, Miles S. Petri, Salutem.



*Aleni cōmentarios de Theriaca & de antidotis, hoc nomine dicare tuæ Dignationi statui, Vir citra controuersiam splendidissime, vt generosum istum animũ tuum, ex tam longa lite & controuersia defatigatum, varia eorum lectione, dulcissimaq; oblectarem: contra iudiciariasq; molestias, atq; ingentes difficultates (quæ optimorum ingeniorum veluti deleteria & exitialia venena existunt) salutari alexipharmaco cōmunirem, atq; corroborarem. Quanquam hercle adeò inuicta, insuperabilisq; tua ista est animi magnitudo, vt nullis tormentis succussa possit vnquam euerti, aut quoquo modo labefactari. Nam tametsi varij fortunæ fluctus, acerbissimæq; procellæ, & quæ vel fortissimum quenq; prosternere minimo negocio potuissent, iam ante multos annos in te maximũ impetum fecerint, adeò tamen fortiter sustinuisti omnes eius insultus, tam heroicè restitisti afflictionibus vndiq; tua mœnia circumuallantibus, vt ob nullam tempestatem ingruentem, vultum vnquam, aut colorem, mutaueris. Quam sanè tam insignem constantiam, animiq; raram serenitatem, non aliunde quàm à philosophia comparasti: cuius nimirum amator longè indulgentissimus es. Siquidẽ præter alias virtutes quibus te exornauit Deus Optimus Max. etiam inseuit tibi ardentissimũ quendam omnium disciplinarum amorem: quo accensus, adeò illis perpetuò indulges, vt ab ipsis reuocari non possis. Id quod ipse exploratum habens, non posse me Dignationi tuæ rem vllam gratiorem facere existimaui, quàm si ad eam mitterem hosce cōmentariolos Galeni, vt mole exiguos, sic plenos eruditione, varijsq; naturæ mysterijs auctos. Tuum igitur fuerit, Vir Clarissime, hoc nostrum quantulumcunq; munusculum, illius feruentissimi amoris, quo optimus pater meus prosequebatur olim totam familiam vestram, officijq; mei in tuam Amplitudinem, futurum veluti monumentum quoddam perenne, æqui boniq; consulere. Vale. Venetijs, Calend. Aprilis, M. D. XLVIII.*



## *GALENI PERGAMENI DE Theriaca ad Pisonem, lib. vnus.*



Edicamentum ex uiperis meritò est apud homines inter alia omnia celebrarissimum, Optime Piso, & quòd uim habeat efficacissimam, & quòd neminem promissis frustretur. Siquidem nullũ à feris cōmorsum, hac statim epota antidoto, perijsse, memoriæ proditũ est. Nullus etiã, eadem præsumpta, uel si paulò pòst impeteretur, morsu interijt: id quod in dies experiuntur prætores, in hominibus capitali supplicio damnatis. Cæterùm si epota theriaca non purgetur qui hausit medicamentum purgans, id tibi erit indicium, antidotum præstantissimam esse, quæ sæpissimè solet adulterari. Porrò Diuus Marcus Aurelius, qui legitimè aliquando gessit habenas Imperij, affatim & ueluti alimento quodam hoc utebatur medicamento: primusq; fuit, qui ipsius existimationem fidemq; auxit. Verùm illius quidem principis tempore, ad familiarium tantùm notitiam, theriaces perueniebat opus: sub hisce autem monarchis maximis, usus eius prodijt in publicum. Siquidem nobis omnibus licet eorum bonis probè uti, liberaliterq; alijs mederi, alio ab alio medicamentum capiente: quum non solùm hoc nomine cæteris omnibus antecellant, quòd Imperium à Dijs sint adepti, sed quòd etiam uniuersa bona cunctis libenter impartiant, ac non secus quàm Dij ipsi, tantũ ex æquo gaudij concipiant, * quantum illi qui ab ipsis seruantur: quum nimirum censeant maximam regni esse partem, communem omnium salutem. Quo sanè regio candore prædiri, adeò exquisitè & diligenter theriacem præparãt, ut ipsi quidem nihil prorsus omittant: antidotus autem, admiranda opera exhibeat. Igitur morbi cuiusq; natura comperta, differentiaq; simplicium pharmacorũ penes temperamentũ, cognita, singulis morbis quod congruũ sit medicamen compositum præparabimus. At simpliciũ medicaminum uires sensu & experientia cognoscimus: quibus postea rationem iungentes, eamq; ceu ducem sequentes, hallucinari non possumus. Etenim quum cernamus liquidò, scammoniã bilem flauam educere: epithymum, atram bilem: ac deniq; coccum gnidium, pituitam: nec credamus medicamenta ipsa purgantia, in suam naturã humores transmutare & conuertere (id quod Asclepiades somniauit) sanè persuasum habemus, quemadmodum magnes trahit ferrum, sic medicamenta singula, sua insita facultate conuenientẽ sibi succum attrahere: nimirum id ratione comprehendentes, quod proprietatem facultatis naturæ cuiusq; pharmaci uerè * testari atq; exprimere potest. Medicamentorũ itaq; alia per totas substantias agunt: alia in substantia sua miscellaneam facultatem sortiuntur, adeò ut sæpe in corpore effectus maximè contrarios producant. Siquidem lapathi folia comesta subducunt aluum, quam sumptum eius semen astringit. Similiter & succus brassicæ, & uetulorum gallorum ius, & cochlearum marinarum cremores, uentrem commouent: olus autem ipsum, atque illarum carnes comestæ,

*Theriaces commendatio.*

*Theriaca perfecta purgantiũ pharmacorũ operationem supprimit.*

*Marcus Aurelius Imp. auxit fidẽ Theriaces.*

*Seuerum & Luciũ eiusdem Imperij moderatores collegasq; magnifice commendat Galenus.*



*Regni maximã esse partẽ, communem omniũ facultatem.*

*Simplicium vires cognosci sensu experiẽtiaq; quibus admixta sit ratio.*

*Scammonium trahit flauã bilem.*

*Epithymum atram bilem expurgat.*

*Coccum gnidiũ soluit pituitã.*

*Medicamenta singula propriũ sibi succum attrahere.*

*Medicamenta plura, secundũ diuersas sui ipsorũ partes, varios effectus producere.*

mestæ, eundem comprimunt. Aloë, squamasq; æris, excrescentes ulcerum carnes astringunt: assumpta uerò per os, uniuersum corpus expurgãt.

*Lactis substantia diuersa.*

Lac ubi à nobis diuiditur, cõtrarias facultates ostendit. Nam serum ipsius bibitum, uentrem resoluit. Caseus ingestus, ipsum cohibet exactè.

*Trifolium affligit sanas particulas.*

Trifolium herba decocta, impositaq;, ferarũ morsibus auxiliatur: quæ si sanæ parti affricetur, non secus quàm ferarum morsus eam affligit.

*Cicuta sturnos alit, nos perimit.*

*Veratrum alit coturnices, homines enecat.*

*Lepus marinus pulmonem exulcerat.*

*Cantharis uesicam afficit.*

Cicuta sturnos quidem alit, nos autem è medio tollit. Veratrum coturnicibus cibus, homines malè perimit. Nõnulla præterea partes quasdam certas corporis uitiant. Nam lepus marinus pulmonem exulcerat. Cantharis uesicam peculiariter afficit. E cõtrario, affecto iecinori sæpe fuit herba eupatoria ex usu. Myrobalanus lienem adiuuat. Saxifragon & Betonica, renes optimè afficiunt. Quum igitur ueteres illi Medici reputarent secum, inenitabiles esse noxiarum ferarum morsus: necnon deleteriorum pharmacorũ symptomata esse omnino letalis: quumq; etiã perpenderent, hominũ naturas differre inter se plurimũ, aliudq; alij medicamentũ idoneum esse, meritò ipsius theriaces accuratam, exquisitã, & uariam, sunt moliti præparationẽ: ut hoc nomine ipsa in omnibus suum finem assequeretur, & ob usus necessitatem magno studio eam mortales omnes expeterent.

*Difficilius in uita nihil reperiri posse deleterijs medicamentis, ferisq; uirus eiaculantibus.*

Nihil siquidem inter uitæ incõmoda difficilius mihi uidetur deleterijs medicamẽtis, ac feris noxijs.

*Andromachi cõmendatio.*

Primus autem qui antidoto contra ferarum morsus immiscuit feras, fuisse perhibetur Andromachus, uir mehercule memorabilis, nec multò ante nos natus: quippe qui Neroni (cuius assec a fuit) ipsius uires atq; compositionẽ dicarit. Summa autem descriptionis habet in hunc modum.

*Theriace quibus cõueniat affectibus.*

Andromachi senioris, Neronis archiatri Theriace ex uiperis, cui nomen est Galene, maximè salutaris ad serpentium atque omnium ferarum ictus, pharmaca deleteria, affectiones uentriculi, anhelationes, dolores colicos, morbum arcuatũ, hydropem, phthisim, omnimodam conuulsionẽ, pleuritidem, uesicæ ulcera, suppressiones urinæ, cruciatus renum, pestiferos morbos, ac deniq; canis rabidi morsus, si pondere fabæ Aegyptiæ sumatur, cum ternis aquæ calidæ cyathis. Igitur captas uere ineunte uiperas, ceruices illis atq; caudas præcidito, quantũ arcta Pygmæi manus extenditur: nam utraq; parte uenenũ gerunt. Postea uerò excoriatas euisceratasq;, ab ipsisq; omni adipe amoto, in fictile uas conijcito, affundens aquę quod satis esse uideatur, addensq; germen anethi, ac pauxillum salis recentis, & finito coqui, donec

*Artiscorum theriacorũ præparatio.*

facilè à carne ipsæ spinæ amoueantur. Tunc itaq; carnes ipsas exemptas, cum sufficienti ad pastillos fingendos medulla panis purissimi, contundito & læuigato, affusoq; iusculi quod satis esse uideatur, manibus opobalsamo intinctis, conficito orbiculos, eosq; in umbra reponito ad totius antidoti compositionem.

*Pastillorum scillinorum præparatio.*

Dein fermento illine scillam recentem, non admodum magnam, eamq; in furno uel in patina coque, ut torreantur omnes eius partes ex æquo. Id ubi factum fuerit, partes eius internæ & tenerrimæ cum pari portione

*Theriaces antidoti secundum Andromachum compositio.*

optimæ farinæ eruinæ contundantur & læuigentur, atq; in orbiculos digerantur. Verùm Andromachus duplicem portionem eruinæ farinę adijciendam censet, quum tamen æqualis modus fingendis pastillis sit optimus. Hæc ubi facta fuerint, accipies pastillorum Theriacorũ drachmas xxiiij. pastillorum scillinorum drachmas xlviij. piperis longi, succi papaueris, magmatis, hedychroi, singulorũ drach. xxiiij. rosarum siccarum, iris Illyricæ, glycyrrhizæ, seminis napi syluestris, quem buniada appellant, scordij, opobalsami, cinnamomi, agarici, singul. drach. xij. myrrhæ, costi, croci, casię, nardi, schœni, id est, iunci odorati floris, thuris, piperis albi & nigri, dictamni, prasij, rheu, stœcados, petroselini Macedonici, calaminthę, terebinthinę, zingiberis, quinquefolij radicis, singulorum drachmas vi. polij, chamæpityos, styracis, amomi uuæ, meu, nardi Gallicæ, Lemniæ sphragidis, phu pontici, chamædryos Creticæ, foliorum malabathri, chalcitidis tostæ, gentianæ, anisi, hypocistidis succi, carpobalsami, gummi, marathri seminis, cardamomi, seselis, acaciæ, thlaspis, hyperici, sagapeni, ameos, sing. drach. iiij. castorij, aristolochiæ tenuis, dauci seminis, bituminis Iudaici, opopanacis, cẽtaurij tenuis, chalbani, sing. drachmas ij. mellis lib. x. Vini Falerni quod sit satis. Conueniebat tamen prius hedychroum unguentum describere, cuius apud Magnũ talis est præparatio.

*Hedychroi unguenti præparatio.*

Aspalathi radiculæ corticis, calami aromatici, schœni floris, phu, costi, asari, xylobalsami, sing. drach. vi. cinnamomi drach. xxiiij. amomi tantundem: amaraci drach. xx. nardi Indicæ drach. xvi. foliorũ malabathri drach. vi. myrrhæ drach. xxiiij. mastiches drach. vi. croci drach. xix. Excipiuntur uino Falerno, manibusq; opobalsamo intinctis, in pastillos coguntur, & asiccantur.

*Viperas alijs feris minus obtinere tabifica facultatis, ob idq; ad antidotũ ab Andromacho electas.*

Elegit porrò Andromachus ex alijs feris solas uiperas ad huius præparationem antidoti, quòd hæ minus alijs tabificam uim obtineant.

*Basiliscus conspectus auditusue, hominem perimit.*

Nam basiliscus, belua subflaua, & triplici frontis apice munita, uel si cernatur tantùm, aut sibilus eius audiatur, actutùm hominem perimit. Quòd si ex cæteris animalibus aliquod attigerit animal à basilisco extinctum, subitò etiam exanimatur.

*Dryinus serpens.*

Dryinus serpens tam esse perniciosus proditur, ut si qui ipsum per imprudentiam calcarint, eis pedum plantæ excorientur, totaq; crura intumescant, periclitenturq; etiam illorum manus, qui ipsis auxilium tulerint.

*Hæmorrhus.*

*Hæmorrhois.*

Hæmorrhus, & hæmorrhois, adeò inimici sunt homini, ut qui ab ipsis percussus fuerit, sanguine per os & nares, ac per uniuersum corpus effuso, uita fungatur.

*Dipsas sitim infert inexpugnabilem.*

Cõmorsi à dipsade, conficiuntur causonide. Nam & inexpugnabili siti, & æstu uehementi cruciati, interdũ & disrupti, diem obeunt.

*Acontias serpẽs ut perimat.*

Acontias serpens, ubi se multùm extenderit, ceu iaculum quoddam insiliens corporibus, ita perimit.

*Ptyas uenenũ corporibus inspuit.*

Inter aspides nominata Ptyas, ceruicẽ exporrigens, longitudinemq; interualli metita, uenenum corporibus inspuit.

*Aspidum tres species.*

Etenim harum ferarum una (tres quippe aspidũ sunt species, hæc uidelicet, & chersæa, necnon chelidonis) perhibent reginam Cleopatram, quum

*Cleopatra post uictum Antonium, ne uiua duceretur Romam à Cæsare, asside sibi mortem consciuit.*

uellet latêre custodes, citra suspicionẽ sibi mortẽ subitò consciuisse. Nam quum Augustus deuicto Antonio eam capere incolumem uellet, ac uiuere, studiosiusq; (sicut par erat) seruare, ut Romanis tam insignem mulierem in triumpho ostenderet, hæc, re intellecta, optauit regina adhuc ex humanis potius decedere, quàm priuata Ro-

manis cõspici. Quo consilio duas mulieres fidissimas, Naëram nempe & Carmionẽ, quas ad pulchritudinẽ corporis mundo subministrando habebat, ad se uocauit, eisq; iussit ut feram uuis ficubusq; tectam importarent, quò (ut dixi) custodes falleret, prius factura periculum in ipsis mulieribus, an subitò perimere posset. Quæ quidem quũ actutùm periissent, ferunt ipsam postea sibi exitium pariter conciliasse: fuisseq; tandem inuentã, manu dextra capiti admota, & diadema, sicut est consentaneum, tenente, ut uel eousq; spectatoribus uideretur esse regina: quemadmodum Polyxenam scribit Tragicus, quę & ipsa moriens, accuratè tamen dedit operam, ut cum decoro caderet.

*Polyxenam dedisse operam, ut cum decoro iam moribunda caderet.*

Qua ex re Augustum uehementer fuisse attonitum memorant, partim ob ancillarum erga reginam amorẽ, ut cum ea mori non dubitarint: partim quòd illa generosam potius mortem maluerit oppetere, quàm uiuere in seruitute. Recitaui hanc historiam, ut ex ipsa intelligeremus, quàm subitam id genus feræ nobis perniciem cõcilient.

Cæterũ uipera inter reliquas omnes feras caput habet ad inferendum exitium promptius. Aiunt autem ipsam os aperire ad excipiendam genituram à mare, qua excepta, illius caput abscindere: atq; hunc ipsis esse praui complexus modũ: deinde prolem ex semine genitam, matris uentrem erodere, forasq; erumpere, ac sic iniuriæ paternæ uindices, propriam matrem perimere.

*Viperam ore excipere geniturã à mare, eiusq; caput abscindere post semen exceptum.*

*Vipeream prolem iniuria paternæ uindicẽ, matris uentrem perscindere, atque sic nasci.*

Mirum autem esse nõ debet, si capitibus & caudis præcisis, reliquę uiperarum partes efficacius medicamentum reddant: præcipuè carnes ipsarũ, quibus ad seruandum facultas quædam est insita, quum reliquorum animalium etiam pleræq; partes, multis morbis opitulentur. Nonnullis quippe murium capita usta, ex melleq; illita, alopeciam sanare possunt. Milui quoq; caput absq; plumis combustũ, si quis ex eo quantùm tribus digitis comprehendi potest, bibat, aiunt podagræ opitulari. Cameli cerebrum arefactũ, potumq; ex aceto, comitialibus morbis medetur: & mustelæ similiter. Hirundinis cerebrum ex melle, ad suffusiones oculorum conducit: ut ouillum ad dentitiones infantium. Taurini cornu rasura cum aqua pota, sanguinis eruptionẽ cohibet: femoraq; combusta, etiam sanguinem supprimunt, ut sæpenumero aluum solutam. Ceruini cornu ramentũ adustum, & cum uino tritum, circunlitumq;, uacillantes dentes confirmat: id quod bonis talus etiam facere perhibetur: qui etiam ex lacte potus, educit rotũdos lumbricos: ex oxymelite, lienem consumit: & leucas tollit illitus, mediocriterq; uenereus existit. Testiculi castoris poti, cõuulsionibus auxiliantur. Stercus bubulum aridum combustumq;, trium cochleariûm mensura iuuat hydropicos. Muscerda ex aceto trita alopecias persanat: in potu autẽ sumpta, lapides uesicæ cõminuit. Adeps anserinus inflãmationibus cum rosaceo medetur. Cerui medulla mitissimum medicamen existit. Vaccini lactis potus dysentericos adiuuat. Fel hyænæ, uisum exacuit. Hippopotami cutis usta, & læuigata ex aqua, illitaq;, digerit phymata: quemadmodum pellicula uiperæ redacta in pollinem, alopeciisq; imposita, mirè pilos regenerat. Exuuiũ aspidis ex melle tritũ, illitumq;, acutissimũ uisum conciliat, Cancer fluuiatilis tritus, illitusq;, spicula & surculos extrahit. Cantharis similiter læuigata, cũ bryoniæ radice pota, educit uermes. Scorpius assus, atq; ex pane comestus, uesicæ lapides conterit. Terræ intestinum ex uino assumptum, idem molitur. Tritum & ex melicrato bibitum, arcuatum morbum explodit. Ex rosaceo cerato impositum, podagricis inflãmationibus conuenit. Accipiter in susino unguento decoctus, hebetudini oculorum medetur. Scarabeus in oleo frictus, auriq; instillatus, doloribus ipsius auxiliatur. Alauda usta si edatur, mirificè colicos iuuat.

*Murinũ capita.*

*Milui caput.*

*Cameli cerebrũ*

*Hirundinis cerebrum.*

*Cornu taurinũ*

*Cornu ceruinũ.*

*Castorium.*

*Stercus bubulum.*

*Muscerda.*

*Lac vaccinũ dysentericos sanat*

*Vipera pellicula mirè pilos regenerat.*

*Cancer fluuialis.*

*Cantharis.*

*Terræ intestinum.*

*Alauda.*

Multa etiam uel cõspecta duntaxat, uim suam ostendunt. Stellio quippe uisus à scorpionibus, substringit ipsos & perimit. Amphisbenam si quæ mulier grauida supergrediatur, facit aborsum.

*Stellio visus à scorpionibus, eos perimit.*

Itaq; non est mirabile, si uiperarum corpora, amputatis partibus illis, auxiliandi etiam robur obtineant: imò nec si morsibus ab ipsismet factis solæ uiperæ succurrere possint, uel si nobis inimicissimæ sint. Traduntur siquidem nonnulla animalia, si sanguinem quidem humanum ex uulnere manantem contingant, cõmorsos occidere. si uerò uorentur, nec sanguinem degustarint, uulneratos seruare incolumes posse: quemadmodum & de Helenio etiam proditum est, quo nimirum Dacas, Dalmatasq; aiunt cuspides telorum imbuere: quòd uidelicet postquàm sanguinẽ uulneratorũ attigerit, ipsa occidere possit: quum ab ipsis tamen citra ullam noxam edatur, ceruiq; à sagittarijs per contactum eius enecti, tutò etiam comedi possint.

*Vipera sola morsib. ab ipsismet factis opitulantur.*

*Helenij succo infectas sagittas, esse letales.*

Iam uerò à crocodilo oblæsis, ipsius adipem uulneri impositum, summo esse præsidio nouimus: murisq; aranei morsus æquè letales, ab ipso redacto in puluerem, superpositoq;, citra dolorem iuuari. Similiter qui à uipera sunt percussi, effugiunt periculum, si trita ipsarum corpora uulneribus imponantur. Etenim si quid ueneni in uiperea carne est relictum, id multiplex ea præparatio delet: plurimum autem illi facultatis auxiliatricis largitur.

*Muris aranei puluis sanat ab ipso emorsos.*

Cantharis nanq; sola exhibita, uesicam exulcerat, & inimicum est ipsi medicamentum, sæpenumeroq; sua facultate uehementi, hominem iugulat: mista uerò quibusdam alijs, salutaris uesicæ redditur, urinamq; uehemẽter prouocat. Succus etiam papaueris, quòd potus per se admodũ perniciosus existat, latêre neminẽ arbitror: sin autem cum nonnullis alijs fit præparatus, ægros ita subinde iuuat, ut maximè salutiferũ esse ipsis medicamentum uideatur. Itaq; phreniticorũ deliria sæpe generosè curauit: destitutosq; robore, ob diuturnas uigilias, cõcilians illis somnũ, manifestè restituit.

*Cantharis per se vesicam exulcerat, alijs autẽ admista salutare illum redditur medicamẽ.*

*Papaueris succi facultas.*

Quinetiam ab araneis cõmorsus ipsi aranei triti, & cum uino poti, malo liberant. Si igitur solum uinum feris mistum, à periculo reddit securos, nimirũ theriaca maximè salutare medicamen existet, utpote ex tot talibusq; confecta pharmacis, quorum qualitates totæ per totas miscentur, & alterantur, conspirantesq; in unam eandemq; naturalem temperiem, cõmunem quandam facultatem atque naturam acquirunt, ab ea diuersam, quæ antea singulis inerat.

*Aranei triti potiq; ex vino, morsos ab ipsis afferunt.*

*Theriacam constituentiũ pharmacorum qualitates, totas per totas misceri, cõspirareq; in naturalem quandam cõmunemq; omnium temperiem.*

Eligenda tamen sunt, exploranda'q; singula medicamenta, prius quàm antidoto indantur: solent quippe à fraudulentis hominibus quamcreberrimè adulterari. Vnius autem cuiuspiam uinum, subinde uniuersa contaminat. Porrò quũ uarij uariè hanc antidotum

præpa-

*Theriaca Andromachi præfertur cæteris.*

*Viperæ quando uenandæ.*

præparent, nos compositione Andromachi, ceu omniũ præstantissima utimur, in regiosq; usus eam præparamus. Venari autẽ oportet uiperas initio ueris, cùm latebris relictis, foras in apricũ prodeunt, & noti adhuc uirus tam exitiale retinent. Intus nanq; delitescentes, cùm nulla ex parte difflentur, magis sunt perniciosæ. At egressæ, exuuium, crassum tegumentũ solent deponere. Quare non statim ipsas capere oportet, sed permittere ut aëre aliquandiu fruantur, consuetoq; uescant cibo, hoc est, herbis, buprestibus, cantharidibus, & pityocampis.

*Viperæ quales sint deligendæ.*

Eligendæ autẽ sunt colore subflauæ, *eximia quadã agilitate mobiles, ceruices admodum extensas habentes, oculosq; tum inflãmatos, tum impudẽtes, atque adeo intuentes ferinũ. Sint etiã latiore capite, corpore autẽ atq; uẽtre crassiori, meatũq; habeãt magis ad extremũ caudæ locatũ: quæ nõ inuoluta, sed potius cõuersa esse debet: ac deniq; tranquillũ incedãt:

*Viperæ fœminæ masculiq; discrimina.*

qua sanè re à masculo distinguit fœmina, quodq; caninos dẽtes habeat plures duob. Iam uerò si caudis capitibusq; amputatis, exanguia protinus, immobiliaq;, ac prorsus mortua, ipsa animalia cernant, ad medicaminis cõpositionẽ nõ conferũt. At si motũ, sanguinemq; cõseruare aliquãdiu possint, tunc eas, ceu præstantissimas coques ad cõficiendos trociscos, quatenus dictum est.

*Theriaces conficiendæ ratio.*

Porrò medicamenta reliqua cõtundere, cribroq; incernere ꝗ subtilissimo oportet: nã læuia insigniter admodũ mihi iuuare uidentur, quòd facilius apponant corporibus. Quæ conspergenda læuigandaq; sunt, ea uino Falerno læuigent & conspergant. Deinde omnibus in hũc modum contritis, Hymettij mellis mediocriter cocti, libras denas adijcies. At resinam chalbanumq;, seorsum prius eliquata, in mortario postea ipsi medicamento immiscebis: omniaq; tandem manibus modicè opobalsamo intinctis, simul atq; accuratè confundes:

*Theriacam reponendi ratio.*

atq; itaq; antidotũ in uitreis aut argenteis uasis repones. Non autẽ uehementer ipsa replebis, sed relicto quodã spacio, quò medicamentũ perspiret. Quare frequenter operculũ detrahes, ut & liberius exhalet, & maturior tibi ipsius usus cõtingat. Quippe haud modico tẽpore ad concoctionẽ indiget, ut quãdo usus postulet, antidotus probè sit cocta.

*Theriacam duodecim annis ad perfectionẽ concoqui, esseq; ualidam usque ad annos triginta, iuuareq; etiam sexagenariam.*

Coquit autẽ plurimũ duodecim annorũ spacio. Cæterũ qui uigentiore ipsa uti uolunt, etiã quinto anno, septimoq; eam exhibent: præsertim ijs qui à uirulentis bestijs, & à cane rabido sunt cõmorsi: necnon in medicamentis letalibus. Est autem potẽs medicamentũ adusq; triginta annos. Nam in alijs affectibus, ubi tanta noxæ causa nõ est, sufficere uidetur, cùm usus exigit, etiã sexagenariũ.

*Theriaces probandæ ratio.*

Etenim ubi huius antidoti facultas est ualida, si sumatur post pharmacũ purgãs, eius operationẽ supprimit: si uerò imbecilla, minimè purgationem impedit. Iuxta differentias autem affectuum, ipsius medicamẽti quantitatẽ metimur, congruumq; misturæ modũ administramus.

*Theriace quib. opituletur affectibus.*

Siquidẽ præter affectus dictos, capitis diuturnos dolores atq; uertigines sanat, auditusq; difficultatem, & oculorũ hebetudinẽ corrigit. Comitialibus etiam opitulatur: reijcientesq; sanguinem plurimũ iuuat, si quis ipsam cum symphyto decoctã, dilutamq; ex aqua exhibuerit. Insuper intestinorũ uermes exterminat, hepaticos & lienosos restituit, dysenterias, lienterias, uoluulosq;, præsertim cùm intestina uacant inflammatione, persanat. Præterea cùm corpus multis & copiosis sudoribus diffluit, ipsiusq; robur est exolutũ, nec morbus uini potionẽ admittit, theriace epota sudorẽ sistit, & collapsas uires corroborat. Iam uerò in mulieribus etiam menses educit, & uteri sedisq; suppressas hæmorrhoidas subinde aperit. Nam cùm uaria mistaq; facultate sit prædita, ideo alia diffundẽs extenuansq;, cogit ut excernantur: alia ob uirtutis imbecillitatẽ præter modum fluentia, solet, uires instaurans, cohibere. Quinetiam uniuersis articularibus morbis auxilio est, cùm præterierit augmenti tempus, uigorisq; status accesserit: tunc nanq; fomentis dolorem leniens, antidotũ propinabis: quæ sanè fluxiones infarctas discutiet, & irruentes arcebit. Prodest Theriace & sanis, si crebrò ipsam assumant. Hoc auxilio usi sæpe succurrimus elephantiacis.

*Theriace corporis & animi affectibus auxiliatur.*

Nec uerò corporis tantũ, sed animi quoq; affectibus auxiliat. Quippe melãcholicis uitijs, si sæpe exhibeat, medetur, ipsam atram bilem exhauriens: quare pulchrè ad febrem etiam quartanam cõuenit, quandoquidem ab atra bile trahit ortum.

*Quartanæ febris curatio.*

Ego igitur multos laborantes quartana, hoc præsidio facilè liberaui. Nam uomitu prius secundũ cibum ipsos euacuans, deinde insequẽti die succũ absinthij exhibẽs, ita horis duabus ante accessionẽ propino antidotum, protinusq; æger frequẽter liberat ab accessione.

*Aquæ pauoris omnium morborum pessimi descriptio.*

Aquæ etiã pauorẽ, omniũ morborũ pessimũ, qui morsos à cane rabido sæpe inuadere solet, tollere hoc medicamen consueuit. Quo quidẽ morbo correpti, aquã timent, ac propter multã ariditatem, humidi desiderio tenentur, cæterùm à potu abstinent, quia mente alienati, id quod auxiliari possit, non considerant. Proinde fit, ut aquã fugientes, inarescant, & conuellantur, ob febrim qua intus urunt: miserrimoq; tandem mortis genere intereãt.

*Canis rabidi nota.*

Canẽ porrò furentẽ & rabidũ, ab eo qui nihil tale perpessus sit, facilè dignoscere licet. Siquidẽ si audieris gracilem corpore, siccũ, oculis inflãmatis, cauda demissa, spumante ore, lingua exerta, eaq; bilis colore infecta, obuium quenq; insilijsse, citraq; rationẽ cucurrisse: deinde rursus subitò nolentẽ cõsistere, furore quodã insano percitũ, momordisse nõ sibi antea præuisos: hæc inquã si in eo sic habere intellexeris, statim rabidũ esse canẽ intelliges.

*Morsus à rabido cane contracti curatio.*

*Morsum rabidi canis esse conseruandum apertum, ut minimũ quadraginta dies.*

Quare uulnus ab ipso illatũ longè uastius efficies, carne multo interuallo orbiculatim præcisa, ne facilè ad cicatricem perueniat: sed fotamen diu, quadraginta ut minimũ diebus, patescat, ut per ipsum canis uirus emanet.

*Theriacã etiam admotã uulneri, auxiliari canis rabidi morsus.*

Cauterijs igitur admodũ candentibus locũ solemus adurere, & alijs uti medicamẽtis, quæ extrahendi uim obtinent. Ego uerò antidotum ipsam rosaceo mistam aliquando in uulnus indidi, ut cucurbitulæ instar exugeret, ab altoq; uirus ipsum extraheret: ut quæ nõ modò epota, sed etiã admota extrinsecus rabidorũ morsibus præsentaneũ remediũ existat.

*Pestilentẽ luem esse ueluti ferã quandã, ab aëris putredine exortam, eiq; nihil efficacius Theriaca.*

Sed neq; ad pestilentẽ luem (quæ & ipsa ueluti fera quædam existens, ab aëris putredine exorta, per inspira-

tiones insiliens, haud unum aut alterũ hominẽ, sed plures quoq; ciuitates depascit, uastat, & populatur) reperire est aliud efficacius remedium. Nam quemadmodũ cõstat diuũ illum Hippocratem, per solam alterationẽ aëris, discusisse olim ab Athenis pestilentẽ eius constitutionẽ, nimirũ per totam urbem ex aromaticis lignis, & suauissimis floribus, uarijs pyris extructis, ut aërẽ purum hoc modo redditũ, inspirarent homines in mali subsidium: simili ratione theriace, ceu ipsa quoq; ignis quidam purgatorius existat, præsumentes quidẽ ipsam in pestilenti aëris statu, neutiquã malo corripi sinit: correptis autem mederi potest, malitiã inspirati aëris inalterãs, nec ipsam amplius grassari permittens. Quare in prospera quoq; ualetudine, ut crebrò utaris hac antidoto, consulo, sed pręcipuè dum per horridam hyemẽ iter facturus es. Iam uerò antidotus hæc sensus omnes cõfirmat, acuit mentẽ, adeoq; ob uarietatẽ miscellæ, ab iniurijs corpus securũ facit, ut ne à deleterijs quidem euinci possit: ut fertur de Mithridate, qui nõ theriace (ut quæ nondum erat) sed alia antidoto, quã Mithridarion appellauit suo nomine, præmunitus, nõ potuit ueneno interire. Cùm enim à Pompeio uictus, in extremis cogeretur sibi sano per uenenũ mortẽ cõsciscere, medicamento copioso epoto, ipse quidẽ ob præsumptã antidotũ defungi uita nõ potuit: filiæ autẽ, quæ ob eximiũ erga patrem amorem, oppetere cum eo mortẽ uolentes, idem medicamentũ hauserũt, subitò animã exhalarũt. Quod Mithridates sentiens, Pysto suo familiari iniunxit, ut ipsum iugularet: qui pharmaci opus absoluens ferro, eum mori uiolenter coëgit. At uerò theriace utendum est post absolutã coctionem, interdum quidem instar Aegyptiæ fabæ, cum binis aquæ cyathis, ubi exiguum ad concoctionẽ ipsius interuallũ erit: interim uerò auellanæ nucis magnitudine, ex tribus aquæ cyathis, cùm plus temporis ad pharmaci distributionẽ es habiturus. Cæterũ per æstatẽ neutiq̃ id pharmacũ capere consuluerim. Similiter ætate florentibus, calidissimisq; naturis, nec multũ, nec sæpe id exhibendum censeo: ijs uerò qui iam inclinant, & plurimum, & crebrò, nõ ex aqua, sed ex uino, ut propinet, suadeo. In pueris omnino uitandũ id medicamen est, ut quod facilè corpora eorũ dissoluat. Memini siquidem aliquando puellum ex intempestiuo usu antidoti dissolutum fuisse.

*Pestilentiam ab Athenis abegit Hippocrates per totã urbem uarias pyras ex materia aromatica extructis.*

*Theriaca ceu ignis purgatorius existit.*

*Mithridates præmunitus antidoto, uinci à ueneno nõ potuit, ac proinde opus medicamenti perfecit ferro.*

*Theriace utendum esse post absolutã coctionẽ.*

*Theriaces propinanda quantitas.*

*Theriaces usus quibus ætatibus & tẽporibus congruat, et quibus minimè.*

*Theriace corpora puerorũ dissoluit.*

De salibus theriacis.

Sales theriaci ad prædictos etiam affectus faciũt, modicè tamẽ ac longo tempore. Neq; enim euanescit ipsorũ facultas, tametsi ex cõbustis uiperis conficiant. Multa siquidem euadunt ignis cõmercio meliora, aut latentẽ naturã edunt. Aurum quippe iudicamus per ignẽ: adulteratumq; igne coarguitur: ac flamma exactè purgatũ, esse probum apparet. Ferrũ igne mollescit, flexumq; nobis ad multos uitæ usus est aptum. Nunquid etiam plurima quæ ingerunt in corpus, nutriendis nobis ignis beneficio idonea reddũtur? Etenim (ut alia pręteream) uinũ statim ab uuis pressum, est crudum: à Solis autẽ igne concoctũ, suauissimũ & maximè potabile redditur. Chalcitis etiam cruda quidem corpora exurit: cocta uerò cicatricem inducit corporib. Lapis Phrygius crudus acerrimus est: ignitus & cum alijs quibusdã tritus, fit oculorũ præsentaneũ remedium. Spongiæ combustæ cinis, sanguinis fluxionem potenter inhibet. Viperæ itaq; simul omnes integræq; combustæ, insitam prauitatẽ deponũt, ab igneq; salutares redduntur. Peculiariter autẽ sales medentur maximè affectibus per summam cutem obortis, leucis dico, lepræ, atque agresti impetigini: abiguntq; pedunculos, propriè ex corruptione enascentes. Præterea dentes optimè abstergunt, erodiq; ipsos nõ permittunt, ac flaccidas gingiuas condensant, earumq; fluorem atque putrilaginem reprimunt. Præparatio autem eorum est talis: Viperæ prædictis similes, & eodem tẽpore captæ, numero quatuor, nõ plus biduo post uenationẽ inanant. Pręstiterit tamen si eodem die quo sunt captę, ijs utaris. Dein salis ammoniaci, uel cõmunis, colore albi, & leniter splendentis, modius Italicus. Cum quo tunduntur minutatim, gentianę Creticæ lib. i. s. aristolochiæ rotundę tantundẽ. Centaurij tenuis comæ lib. ij. cardamomi, Armeniaci prasii, sing. unc. vi. Scordij mõtani, selini, chamędryos Creticę, sing. lib. i. rutæ satiuæ seminis tantundem. Melle Attico hæc uniuntur, & selibra ipsorum in ollam fictilem uacuam conijcitur. Postea quatuor serpentes uiuæ: mox scillæ teneræ, admodumq; recentes, quinq; numero, conciduntur minutim: ita reliqua aliorũ pars dimidia adijcitur: atq; ubi cooperueris ollam, lutoq; diligenter obleueris, quatuor foraminibus ipsam pertundes, ut per eam uapor coctionis mensurã indicet. Nam primùm fumus copiosus, obscurus, turbidusq; expirare uidebitur, notans ignem iam inuasisse bestias: quẽ quidem ne inspires ipse, tibi summè cauendũ est. Postea ubi uapor cessauerit, et tenuem quandam flammam per foramina exhibere conspexeris, tunc ipsa exquisitè esse cocta censeto: atq; ita ollam ab igne tollito, tota eam die ac nocte refrigerans. Deinde exemptos carbones, diligẽter eos tundito, & cum his quæ subdam, incernito. Rutæ agrestis seminis, hyssopi Cretici, sing. unc. ix. agrestis fœniculi seminis, nardi Celticæ, stachyos Scythicæ, sing. unc vi. petroselini Macedonici unc. iiij. amomi uuę unc. iij. origani heracliotici summitatũ unc. ix. hormini seminis torrefacti unc. iij. thymi Attici summitatũ unc. ix. Malabathri Indici fol. unc. iiij. baccarũ iuniperi Laconici carnis lib. ij. coriandri satiui sem. uncias vi. piperis albi & nigri, sing. unc. ij. silphij rad. unc. x. zingiberis lib. ij. satyrij sem. uel rad. pulegij montani, seselis Massaliotici rufi, tortili mõtani seminis, menthæ, sing. unc. vi. casiæ optimæ unc. ij. cinnamomi unc. i. Rursus omnia cõtundito, cõcernitoq;, & reponito in uitreis uasis: neq; utaris ipsis nisi post dies ferè denos. Porrò ego sales ipsos aliàs præparaui, non uiperas, sed earum loco tantundem theriacorũ pastillorum, unà cum alijs medicamentis comburens: qua industria ipsos longè præstantissimos feci.

*Aurum indicari per ignem.*

*Ferrũ igne mollescere.*

*Viperas combustas, salutares ab igne reddi.*

*Sales Theriaci quib. auxilientur affectibus.*

*Sales Theriacos præparandi ratio.*

*Quę habentur in libello de theriaca ad Pamphilianum, ea omnia huic qui ad Pisonem inscribitur, insunt longè cumulatiora. Quare illũ ex industria reliquimus.*

GALE-

# GALENI PERGAMENI de antidotis lib. I.

*Antidoti quæ dicantur.*

*Antidotorum tres differentiæ.*

Medicamenta quæ non extrinsecus corpori imposita, sed intra ipsum assumpta, affectibus auxiliant, antidotos Medici appellant. Tres autem in uniuersum differentiæ ipsarum existunt. Nonnullæ siquidem letalium medicamentorū gratia offerunt: quædam cōtra uirulentas feras opitulant: aliæ affectibus ex praua uictus ratione obortis succurrūt. Sunt quæ tres hosce polliceant usus, ut theriace ab Andromacho præparata, quę Mithridation dictam ab usu hominū relegauit. Siquidem cùm theriace haud exiguā uiperarū carnē cōtineat, hoc nomine ad uiperarū morsus præstātior q̄ Mithridation existit. Ad alia uerò Mithridation nihilo minus ualet: imò est etiā in quibus præstātius se exhibeat.

*Theriace, Mithridatium ab vsu expulit.*

*Antidotos dum post venenū dātur, liberalius esse exhibendas quàm si præsumuntur.*

At nō easdem uires obtinēt ipsæ antidoti, & post noxia medicamēta, & ante eadē assumptæ. Nam quæ ipsarū quantitas, cùm prę sumunt, sufficit ut hominem illæsum custodiat, ea quadruplo, aut quincuplo aucta, cùm post uenenū datur, auxilio est: idq; non semel quotidie, sed bis. Quòd si quis etiā singulis diebus, quemadmodū nostro sęculo Imperator Aurelius Antoninus, uel ut ipse Mithridates, medicamentū capiat, omnino à deleterijs uenenis erit securus: ut Mithridatē ferunt, cùm exitiali hausto medicamento, potius mortē oppetere, q̄ subijci Romano Imperio, elegisset, nihil reperisse q̄d perimere ipsum potuerit. Porrò Antoninus summo studio singulis diebus ex ipsa theriace, instar fabę Aegyptiæ, deglutiebat citra ullum liquorē: à qua postea, cùm in quotidianis actionibus premeretur sopore, detraxit papaueris succū. Rursus autē cùm cruciaretur uigilijs, coactus fuit ex theriace inueterata, cęterùm ex opio confecta, aliquantulū addere. Quippe eiusmodi medicamenta, si uetustiora sint, ipsam papaueris lachrymam longè miliorē obtinent. Danda autē maximè opera est, ut medicamenta ex quibus huiuscemodi antidoti prę parantur, q̄ exploratissima sint: quandoquidem passim solent adulterari. Quæ quidem ut exquisitissima haberē, ipse inuisi aliàs tum Cyprū, tum Palæstinā Syriæ: nauigauiq; in Lemnū. Porrò in quo singula medicamenta alijs gustu aut odore præstāt, in illo sanè, id quod ualidū est, principē inter similia specie, sibi uendicat locū. Sic enim mel dicimus præstantissimū esse, quod dulcissimum & acerrimū inter omnia alia fuerit: quodq; colore pallidum, media sit cōsistentia, defluēsq; sensim, suam cōtinuitatem tueatur. Danda autē opera est, ut quod uinū hisce medicamentis miscetur, ualidū atq; firmissimū sit, ita ut nō immutetur amplius. Etenim imbecillima & aquatissima uina, aut uehementer austera, maximeq; omnium uinorū acescentia (hęc enim sunt alba & tenuia) ubi præuenerint primis annis acescere, reliquo tempore permanēt. Hæc autē ut caput minimè feriūt, sic nec corpus manifestè calfaciūt, nec cōcoctioni in uētriculo & uenia quicq̄ perspicuè conferūt, nec alendo corpori subministrāt: q̄ uis inter omnia uina celerrimè inueterent, hoc est, promptè in ueterascentiū qualitatē mutentur: quæ qualitas, acrimonia est cum perspicuo calore: postea uerò, amaror, in quem acrimonia mutatur. Cæterū ut uina ipsa uel acorem, uel amaritudinē cōtrahāt, locus in quo asseruant reposita cōfert. Qui quidē optimus initio est frigidus: postea uerò calidus: aut è contrario, calidus per initia. Nam tepidus, facilè ipsa in acorē uertit. Nōnulla autem sunt adeò imbecilla & aquosa, ut ne initio quidē frigus tolerent. Ac taliū custodiendorū gratia, Pater meus strobe copiosa calidaq; in calidissimā domū cōiecta, uasa repleta occultabat: qua industria usus, nunq̄ habuit acidū uinum, sed celerrimè omnia ueterascentia. Quò autem nunq̄ ab scopo aberraret, uasis infundebat uinū nō nouis, sed ex quibus aliquod iam uetus uacuasset: curabatq; ut furni, fociq; in propinquò ipsi thecæ uinariæ essent: qua ratione etiā in multis Italiæ locis uinū calfieri intellexi. Verùm quæ in hunc modū parant uina, ut firma durabiliaq; sunt, sic capitis dolorē cōciliant, propter fumi qualitatē quam cōtraxerunt. Itaq; eiusmodi omnia uina in medicamentis cōponendis, quæ intra corpus sumenda sunt, euitabis. In emplastris uerò, & alijs quæ extrinsecus imponunt medicamētis, etiā talibus uti, si meliora desint, nihil prohibet. Ad antidotos ergo Falernū uinum, q̄d nōdum præ uetustate amaricet, optimū est. Præstat autē ad theriacen deligere id q̄d dulcius fuerit, gratia gustus gratioris: cuius solicitudo in medicamentis quę degluttiunt, habenda est. Iam uerò mel omne uetustū, redditur ex coctione amarum: neq; id mirū est, cùm uel citra cocturā, tempore amarius ex dulciori reddat. Quare q̄d fuerit inueteratū, fugiendū ad antidotos est. In uniuersum autē, Medicū debere esse peritū omnium stirpiū, aut plurimarū, oportet. Siquidem cōpositorū medicaminū uirtus, uires simpliciū sequitur, exigua quadam in ipsa cōpositurę ratione differentia obueniente. Differentię autem stirpium sunt, arbores, frutices, herbæ, spinæ, uirgulta. Porrò theriaces cōpositio quam descripsit carmine Andromachus, habet in hunc modum.

*Mithridates cōmunitus antidotis, perimere se veneno non potuit.*

*Antoninus Imperator singulis diebus vtebatur theriace, instar Aegyptia faba.*

*Antidoti vetustiores, papaueris lachrymam longè mitiorem possident.*

*Galenum medicamentorū conquirendorū gratia, varias perlustrasse regiones.*

*Medicamenta explorandi ratio.*

*Mel optimum quale nam esse debeat.*

*Vina quæ celerrimè omnium inueterentur.*

*Veterascentium vinorum qualitas est acrimonia cum perspicuo calore, cui postea succedit amaritudo.*

*Vina reponendi ratio.*

*Tepidus locus vina in acorem vertit.*

*Strobon conducere ad celerē concoctionē vinorū.*

*Vina quæ maturuerunt præsidio ignis, capitis dolorem conciliant.*

*Vina antidotis emplastrisq; cōmoda, qualia esse debeant.*

*Mel vetustum ex coctione amaricat, id quod tempore vel citra cocturā perpetitur.*

*Compositorum virtus, vires simpliciū sequitur.*

*Stirpiū differentia quæ sint.*

*Hinc recitat Galenus carmina Andromachi, ac deinceps rationem conficiendæ Theriaces explicat: quæ omnia consultò reliquimus, quòd sint prorsus eadem quæ habentur in cōmentario ad Pisonē. Itaq; ea tantū annotabimus impræsentiarum, quorum in illo non meminit.*

## GALENUS.

*Viperas venandi ratio.*

*Artiscos Theriaces cōficiendi ratio.*

Quod pertinet ad uiperarū capturas, neq; iuxta marina loca, aut aquas salsuginosas uenandæ sunt. Quippe antidotū ex huiuscemodi compositū uiperis, sitim conciliat. A fœtis etiā est abstinendū. Iam uerò, dum coquuntur, salis inijci debet, si quidē conuenienti tempore uiperas ceperis, modicū: sin autem æstate, nihil. Panis ad cōficiendos artiscos soleo miscere ipse uipereis carnibus quartam aut quintam partem. Qui nisi probè sit tostus, uerendum est ne pharmacum ipsum acescat. Satius autem est ut multò citius siccentur, aridum panem cum ipsis carnibus accuratissimè læuigare, ac sic tenues orbiculos fin

gere, quàm si etiam brodium uiperarum affundas. Reponi autẽ debent ubi assiccati fuerint, in uase stanneo, uitreóne, aut aureo. Cæterũ uitreũ quidem & aureum, nullum dolum admittit: stanneum uerò adulterat plumbi mistura. Tale igitur uitare cõuenit in uniuersis antidotis: ueluti & quod argento nõ purgato confectũ est. Celerrimè nanque & huic ærugo oboritur. Durat uigor ipsorũ orbiculorũ, si curiose sint resiccati, & repositi, tribus & quatuor annis. At scillini trochisci, ex tribus scillæ optimè tostæ partibus, & duab. tenuissimæ farinæ erui, similiter cõficiunt.

*Vasa vitrea vel aurea nullũ dolum admittere. Stannea autem adulterari plũbi mistura, ac proinde ablegãda ab antidotis.*

*Scillinorũ confectio.*

*Post hæc subdidit Galenus descriptionem magmatis Hedychroi, quam habes in commentario de Theriaca ad Pisonem.*

GALENVS.

Ex medicamentis quæ theriacem cõstituunt, longum piper solet adulterari. Cæterùm adulteratum quidem, affusa aqua soluitur: quod uerò adulterio caret, insolubile permanet. Contrà autem, uerum sagapenum statim aqua rigatum soluitur: quod nõ tale est, eliquescit minimè. Sciendum autem est, chalbani partem in sagapenum degenerare. Similiter etiam optima casia in cinnamomum transit. Nec secus in optima myrrha opocalpason reperitur, ab ipsa myrrha diuersum. At opocalpason est letale: multique, ob inscitiam myrrhæ, quæ opocalpason continebat, cõciliauit exitium. Nam de industria nonnulli antidotum præparantium, ipsam ut laudatissimam iniecerunt: quòd collyriis inditam, optimũ esse medicamentum uiderent. Quemadmodũ igitur in pueris gemellis inuicẽ similibus, qui quidem non eis assueuerunt, alterum ab altero nequeũt discernere: iis autem qui unà uixerunt, facillima est ipsorum dignotio: ita qui inter singula medicamenta est uersatus, facilè uel minimas eorũ differentias cognoscit: quæ latent illos, qui ipsa semel tantũ aut bis cõspexerint. Rosæ ad theriacem eligẽdæ sunt aliis omnibus rubentiores, atque odoratæ magis. Vnũquodque siquidem præstantissimũ est, quod proprium generis sui odorem ualentissimum possidet. Præstant etiam in quolibet genere, nõ rugosa, neque exilia, sed quæ probè nutritam, solidamque cõsistentiam sortiuntur. Scordium optimum, ex Creta nobis aduehitur: quod quidem cadauera supra ipsum iacentia, diutissimè tueri à putredine proditur. Opobalsamũ adulteratur plurimis modis, quos premo, ne quis fortè doctrina mea abutatur. Quare neque eos probo, qui scripturas letalium medicamentorũ inuulgant. Porrò cinnamomũ optimũ debet odoratissimũ esse, gustanti calidũ: colore autẽ tale, ut si quis lactis colorẽ fusco admiscnerit, cum cœrulei pauxillo. At agaricũ (quod sanè adulteriũ nullũ admittit) laudatissimũ est, quod leuissimũ: ut densum, graue, & lignosum, deterrimum. Crocus optimus est, qui flauissimus, odoratissimusque existens, longo tempore in uigore perdurat. Iam uerò in cinnamomi penuria, duplicata casiæ portio iniicienda est. Carpesio etiam sæpe loco phu utimur: est enim similis generе cum eo facultatis, sed ualentioris, nõnihilque odoratum refert. Sunt enim tenues festucæ, surculis cinnamomi persimiles. Nardus Indica, quæ radix quidem est (licet ob similitudinẽ formæ quã cum spicis habet, spica nardi uocet) nõ est emenda elota. Vnguentarii quippe, coquẽtes prius eam, ut ad alia ipsius decocto utantur, postea inutilem uendũt. Rheon quoque ipsum adulteratur. Quandoquidẽ statim in regionibus ubi gignitur, recens nõnulli capientes ipsum, decoquunt, donec totum cremorẽ reddat: quem postea cremorẽ, ubi accuratius percoxerint, ceu purum, atque ab aquæ mistura alienũ, ad nos transmittunt: sicuti & rheon ipsum siccatũ, tanquam neque id prius cocturam fuerit expertũ. Cognoscetur tamẽ facilè dolus: nam eiusmodi rheon nec densam, compactámue substantiam possidet, ut quod integrũ est, sed rarius apparet, astrictionẽque aut obscurã, aut planè nullam gustanti exhibet: quã tamen rheon uigens ualidissimam possidet.

*Piper longum adulteratũ affusa aqua soluitur.*

*Sagapenum aqua rigatum soluitur.*

*Chalbani pars transit in sagapenum.*

*Casia in cinnamomum conuertitur.*

*Opocalpasum est letale, reperiturque in myrrha.*

*Præstantissimũ esse medicamentum quod propriũ generis sui odorẽ valentissimum possidet.*

*Scordiũ cadauera incorrupta tuetur.*

*Letalium medicamentorum doctrinam inuulgandam nõ esse.*

*Cinnamomi optimi nota.*

*Agarici optimi nota.*

*Croci optimi nota.*

*Carpesii facultas.*

*Spica nardi radix est, sed ob similitudinẽ quã cum spicis habet sic appellatur.*

*Rheon adulterandi modus.*

*Rheon esse vehementer astringens gustus.*

*Deinceps Galenus modum præparandæ Theriaces tradit: qui quidem iam expositus est in cõmentario ad Pisonem. Subiungit etiam compositiones eiusdem antidoti, à Damocrate, atque etiam Critone proditas: quas quidem (quia descriptionem Andromachi unicè commendat Galenus, eique esse inhærendum censet) studiosi breuitatis omittimus.*

## GALENI PERGAMENI
### *de antidotis lib. II.*

QVandoquidem de Theriace toto priore libro tractauimus, in præsenti de cæteris antidotis disseramus, ab iis quæ Andromachus descripsit, exorsi.

Antidotus Mithridatia, ad letalia peculiariter efficax, ad omnesque internos affectus. Dulcis radiculæ drach. vii. s. obolos iiii. opii drach. iiii. obol. ii. castorei drach. vi. polii drach. v. obol. ii. costi tantundẽ: spicæ nardi drach. vi. obol. ii. casiæ drac. v. obol. ii. thuris drac. vi. seseleos drac. v. obol. ii. hypocistidis succi drac. vi. acori drac. ii. scordii drach. vi. obol. ii. folii drach. iii. salis drach. vi. cypheos drach. vi. obólos ii. myrrhæ drach. vi. croci drac. vii. obol. ii. cinnamomi tantundem: styracis drac. v. obol. iiii. dauci seminis drac. vi. obol. ii. zingiberis drac. vi. obol. ii. phu Pontici drach. ii. petroselini drach. iiii. obol. ii. nardi Gallicæ, fœniculi seminis, nardi Indicæ, singul. drach. iiii. hyperici, acaciæ, utriusque drach. ii. gentianæ drach. iiii. anisi drach. ii. Thlaspi drac. vi. obol. iiii. meu athamantici drach. iii. rosarũ siccarum, cardamomi, singul. drach. iiii. gummi drach. ii. iunci odorati rotundi drach. vi. obol. ii. opopanacis tantundem: opobalsami drach. vi. obol. iiii. chalbani drach. vii. scinci drac. ii. obol. ii. resinæ terebinthinæ drac. vi. obol. ii. uini Chii quod sit satis: mellis Attici cocti quantum sat esse uideatur. Conficito.

*Antidoti Mithridatia descriptio.*

Antidotus Aelii Gaii, ad letalia & uirulenta omnia: quæ, si inspergatur ubi frequentant serpentes, eos fugat. Facit ad omnẽ oculorũ fluxũ, & reliquarũ partium. Discutit omnes molestias animi, febresque longas & circuitu repetẽtes persanat. Ad hæc, menses, fœtusque absque difficultate educit, auxiliaturque pleuriticis, auellanæ nucis instar epo-

*Antidotus Aelii fugans serpentes ad compluresque affectus peruti lis.*

ſtar epota, cum aquę cyathis quaternis. Ad uipereos tamen morſus, ex uino exhibetur. Myrrhę drach. xĳ. croci, nardi, utriuſq; drach. xĳ. iunci odorati rotundi drach. xĳ. cinnamomi drach. ĳ. amomi drach. iiĳ. chalbani drach. ix. reſinæ terebinthinæ drach. v. piperis albi drach. x. longi drach. xxxĳ. coſti drach. viĳ. thuris drach. xĳ. lachrymę papaueris tantundẽ: ſcordĳ drach. i. polĳ drach. iiĳ. hypociſtidis ſucci drach. xĳ. petroſelini drach. viĳ. ſeſelis drach. xiiĳ. dauci ſeminis drach. xvi. opobalſami drac. xĳ. opopanacis tantundẽ: caſtorei drach. viĳ. mellis Attici ſextar. ĳ. Conficito.

Damocratis Antidotus ex ſanguinibus, ad uenena.

*Antidotus ex ſanguinib. à Damocrate ſcripta*

Sanguinis anſerini, & marinæ teſtudinis, & anatis, & hœdini, ſiccorũ omniũ, ſing. drach. ĳ. Myrrhæ ſtillantiæ, ſpicę nardi, ſing. drach. x. cinnammomi drach. vi. roſę ſol. ſic. drach. viĳ. iunci rotundi, thuris, coſti, ſing. drach. i. amomi, piperis albi, utriuſq; drach. iĳ. piperis longi drach. i. s. croci drach. xĳ. caſiæ drach. viĳ. trifolĳ radicis drach. v. polĳ tantundẽ: opobalſami drach. iĳ. petroſelini drach. iiĳ. baccarũ iuniperi, acori, rhei pontici, meu, dictãni, phu, ammoniaci thymiamatis, fœniculi, ſing. drac. ĳ. agarici drac. ĳ. s. ſaxatilis rutæ drac. iĳ. dauci drach. ĳ. aniſi, aſari, ameos, cumini, ſing. drach. i. s. ſem. napi ſylueſtris drach. iĳ. ſcordĳ Cretenſis drach. v. mellis optimi duplũ omnium. Detrita omnia, coctoq; melle excepta, uaſis indito.

Roſacei paſtilli confectio ex Damocrate.

*Roſaceorum paſtillorum confectio ex Damocrate.*

Roſæ uirentis foliorum lib. iĳ. iunci rotundi drach. xx. myrrhæ drach. xĳ. croci drac. viĳ. Cõtuſis roſis atq; per ſetaceum tranſmiſsis, addantur reliqua cõminuta: ac poſtea rurſus ſimul tundantur, rediganturq; in prægrandes orbiculos.

Crocomagmatis præparatio.

*Crocomagmatis præparatio.*

Croci Cilicĳ drach. c. myrrhæ pinguis, roſarũ ſiccarũ, amyli, gummi, ſing. drac. l. Omnia uino odorato, marinæ aquæ experte, excipiantur & læuigentur, ac deniq; in trochiſcos fingantur.

*Antidotus quã Præſagientẽ nominant.*

Antidotus Præſagiens nomine: qua ebibita, uenenũ cum cibo ſumptum, prorſus reddet uomitu. Lemniæ terræ drach. i. obol. ĳ. baccarum iuniperi drach. ĳ. lęuigentur exactè cum olei dulcis pauxillo. Propinatur ex mulſa, nucis ponticæ magnitudo.

Aſclepiadis, ad eos qui letalia biberunt, remedia.

*Remedia ab Aſclepiade ſcripta ad eos qui letalia biberũt.*

Papaueris lachryma epota, cõfert mouere uomitũ ex hydrelæo calente, uel ex oxycrato calido, aluumq; clyſmis ſubducere. Opio epoto, merum copioſius ſtatim bibitũ iuuat: aut piper cũ uino. Conducit etiam lac aſininũ hauſtum: atq; clyſmi minores. Sumpto aconito, iuuat manipulum rutæ, læuigatũ uino meraciori, ebibere.

Si altercum nocuit, lac aſininũ, uel quoduis aliud, cũ mulſa calida opitulaẽ. Si uiride coriandrum, auxiliaẽ uinũ meracũ potũ, & pingue ius gallinarum. Lepore marino aſſumpto prodeſt lac aſininũ bibere: ſin minus, uaccinũ, aut caprillum. Si toxicũ potum ſit, uinum dulce adiuuat, oleum roſaceũ, ſanguis caprillus, ſemenq; napi contritum ex uino. Quibus fungi obſunt, dari debent raphani crudi q̃plurimi: item uinũ meracum, & cineris ſarmentarĳ lixiuiũ: præterea nitrum aceto dilutum, aut fæx uini cõbuſta, tritaq; cum aqua: aut abſinthium ex aceto, aut denique ruta ex aceto trita exhibetur. Si ixia fuerit ingeſta, ſuccurrit abſinthium potum cum uino, caſtoreo, & ruta. Proderit & oxymeli potare, & uomitiones ciere. Bupreſti aſſumpto, paſsi plurimi potus, ac dein uomitus opitulatur: necnõ lac calidum bibitum, decoctumq; ficuum in potu datum. Si cantharides hauſtæ ſint, conducit paſſum ex oleo bibere, plurimumq; etiã lactis haurire, & plures nucleos pini eſſe: aut cantharidum alas, pedesq; cum melle detritos linctu aſſumere. Pſilothro hauſto, prodeſt calẽtis olei potio, & uomitio excitata: necnõ lac caprillũ, & maluæ coctæ ſuccus, ſi cum oleo hauriatur. Spuma argenti pota, auxiliatur piper, apiũ, myrrha, cum uino læuigata, bibitaq;. Gypſo ingeſto, dari debet potui, cineris ſarmentarĳ lixiuiũ, & thymus ex aqua tritus. Lacte in grumos coacto, iuuat acetum potio. Item coagulum ex aqua fontana bibitum. Vel ſulſuris, ſilphĳq; æqualis portio, læuigata ex poſca, bibitaq;. Hirudinẽ deuoratã, alĳ muriæ, alĳ niuis, alĳ aceti potu expellere tentãt.

Aſclepiades ſpongiam teneram frigida imbutam faucibus demittere iubet, ut hirudo ſpõgiæ infixa extrahaẽ. Qui ceruſſam hauſerint, ĳs confert olei calidi potus, uomitusq;: necnon lactis aſinini hauſtus. Cùm autẽ ignoraẽ ſpecies deleteriorũ quæ aut comeſta, aut bibita ſunt, aquam affatim calidã cum oleo propinare conuenit, ad uomitumq; incitare. Vtile etiam fuerit, & circumcidere ſomnum, ſubſcriptisq; cõfectionibus uti.

Apollonĳ pharmacum præſeruatiuum ueneni.

*Antidotus Apollonĳ à ueneno præſeruans.*

Rutæ folia xx. nuces iuglãdes ĳ. ſalis grumus unus, caricæ duæ. Offeranẽ ſimul ieiuno ſtomacho: noxã quippe à letalibus prohibẽt. Aliud. Baccarũ iuniperi drach. ĳ. lemnĳ ſigilli drach. ĳ. & obol. ĳ. trita exceptaq; oleo reponito. Porrigitur ex hydromelite inſtar auellanę nucis. Hac antidoto Nicomedes rex utebaẽ, ſi quando eorum qui *inuitaſſent ipſum, habebat fidem ſuſpectã.

*Athanaſia Mithridatis.*

Antidotus Mithridatis, Athanaſia dicta, ad letalia medicamẽta, & cuiuslibet uirulenti ictum. Auxiliatur etiam uentriculo, in quo cibus aceſcit: necnon ſanguinẽ ſpuentibus, diuturna tuſsi infeſtatis, ac breuiter iecorarĳs & lienoſis, ueſicæq; & uteri affectibus. Piperis albi grana xl. coſti, meu, aſari, acori, dauci Cretici ſeminis, petroſelini, nardi Indicæ, lapidis Neſtoritis, ſing. drach. iiĳ. croci, myrrhæ, ſing. drach. viĳ. cinnamomi, caſiæ, ſing. drach. xĳ. mellis Attici cocti quod ſit ſatis. Datur nucis auellanæ magnitudine, ex mulſo temperato.

Antidotus Zopyria uocata, ad prædicta omnia, ad aliosq; affectus efficaciſsima.

*Antidotus Zopyria.*

Opobalſami drach. iĳ. nardi Indicæ, myrrhæ Troglodyticę, iunci rotundi floris, cinnamomi, characĳ, coſti recentis, piperis longi, hypociſtidis, polĳ, piperis Peræanci, ſcordĳ, meu Cretici, cardamomi, ſing. drach. iiĳ. thuris maſculi, carpobalſami, dictamni, ſing. drach. vi. petroſelini, caſiæ rubentis, ſingul. drach. viĳ. croci Corycĳ

drach.viij.mellis Attici quod sit satis. Datur nucis auellanę instar, si febris abest, ex uino: febrientibus, ex hydromelite.

*Mithridatis regis theriace, qua praemunitus, cum postea ueneno extingui nō posset, sese gladio peremit.*

Mithridatis Theriace, qua rex Mithridates utebatur perpetuò, ut se à letali ueneno assereret. Cùm itaq; à Romanis captus esset, nec bis epoto uenenò mori posset, gladio sibiipsi mortē intulit. Confectio ipsius secundum Andromachū habet in hunc modum. Pastillorum scillinorū drach.xlviij. pastillorū theriacorū, piperis nigri, hedychroi magmatis, lachrymæ papaueris nigri, sing. drach. xxiiij. rosarum siccarum, iunci rotundi odorati floris, polij, scordij, seminis napi, iridis Illyricæ, agarici, cinnamomi, dulcis radiculæ succi, opobalsami, sing. drach. xij. roris marini drac. viij. myrrhæ, croci, zingiberis, rheu pontici, quinquefolij radicis, nepitæ montanæ, marrubij, petroselini, stœchados, costi, piperis albi, thuris, sing. drach. i. obol. ij. casię nigræ drac. iiij. piperis nigri drach. i. longi tantundem: meu, asari, acori, dauci seminis, anserini sanguinis sicci, anatis sanguinis, sing. drach. iij. Excipiantur melle Attico, & cocto.

Theriaca Aelij admodum efficax.

*Theriace Aelij.*

Bryoniæ radicis drac.xvi. trifolij seminis, opopanacis, sing. drac. viij. aristolochiæ tenuis drac. xij. roris marini radicis, iris Illyricæ, zingiberis, opij, sing. drach. viij. rutę syluestris seminis drac. xij. cumini Aethiopici drac. xvi. myrrhę, casiæ, castorei, seselis, eryngij radicis, serpylli, lachrymæ Cyrenaicæ, sing. drach. vi. Medicæ drach. xij. sagapeni drach. vi. croci drach. v. erui farinæ drac. xxiiij. Finguntur pastilli ex aqua triobolares, danturq; cum uino.

*Theriaca Euclidis.*

Theriaca Euclidis, ad internos dolores, aspidum morsus, pleuritidesq;, & quartanā febrem, si post uomitum, instar auellanæ nucis sumatur. Castorei drach. vi. opopanacis, sagapeni, seselis, cachryos, chamædryos, chamæpityos, marrubij, sing. drach. xvi. styracis, bituminis Iudaici, myrrhæ, singul. drach. vij. lachrymæ papaueris drach. viij. mellis lib. i. Conficito.

Alia ad febres omnes repetentes per circuitus, Harpalo autore.

Myrrhæ drach. iiij. piperis longi uel albi, opij, sing. drac. ij. castorei obol. iij. s. cardamomi drac. iij. sagapeni drach. ij. Trita cum aqua 10 pastillos cogūtur, qui obolos duos pendeant. Propinentur singuli cum cyathis duobus Adriani uini, & aquæ fontanæ coctæ, quaternis. Si febris urgeat, cum hydromelite.

Potio Cratippi ad morsus rabidi canis.

*Morsui rabidi canis potio Cratippi.*

Cancrorum ustorum drac. xx. myrrhæ drac. ij. croci drach. i. s. gentianæ drach. i. piperis albi grana x. uini quod ad excipienda sit satis. Datur drachma una, cū uini cyathis tribus tēperati.

*Candidum Baphulli.*

Album emplastrum Baphulli, quod rabidorum morsibus cōmodissimè extrinsecus admouetur: daturq; etiam catapotiū ex eo nucis auellanæ instar, ad dies xl. Est autem alternis diebus amouendū à uulnere, ac rursus, ubi elueris sordes, imponendū. Ceræ ponticæ lib. ij. spumæ argenti, cerussæ, sing. lib. olei ueteris sextariū: myrrhæ, medullæ ceruinæ, utriusq; drach. ij. thuris drachma. Argenti spuma oleo coquitur, & cùm mutata fuerit, cerussa inspergitur, ac cera miscetur. Vbi tam spissum euaserit, ut manus non inficiat, ab igne sublato, medullam, myrrham, & thus inijcito.

Diophanti medicamentū, ad scorpionum ictus, & phalangiorum morsus.

*Diophanti medicamētum ad scorpionū et phalangiorū ictus.*

Aristolochiæ drach. iiij. piperis drach. ij. opij drach. i. pyrethri drach. iiij. Fingantur pastilli fabæ Aegyptiæ magnitudine, denturq; duo deglutiendi, & uini meraci cyathi duo.

Aliud ad periculosos scorpionū & phalangiorum ictus.

Rutæ syluestris seminis, erucæ seminis, pyrethri, styracis, sulfuris uiui, sing. drach. vi. castorei drach. ij. Excipito testudinis sanguine, ac ternos oblos ex meraco uino exhibeto.

Aliud ad eadem optimum, conferens etiam parturientibus ægrè.

*Parturientibus ęgrè, medicamē conueniens.*

Myrrhæ, castorei, styracis, singulæ drachmæ. Opij drach. ij. chalbani drach. iij. Apij seminis acetabulū. Anisi tātundē. Piperis grana xxx. Fingitur ex uino, daturq; drach. una, ex uini hemina.

*Viperarum morsibus pharmacū*

Epithema ad phalangiorū ictus, & omnis serpentis: quod etiā in potu auxiliatur. Sulfuris uiui, chalbani, utriusq; denarij iiij. Liquoris Libyci, nucū auellanarū purgatarū sing. drac. ij. uino dissoluta, & melle excepta imponūtur. Ad uiperarum morsus optimum pharmacū ab Apollodoro compositū.

*Apollodori pharmacum.*

Cumini syluestris seminis acetabulū: testudinis marinę sanguinis drac. iiij. coaguli hinnuli, uel leporini, drach. iij. hœdini sanguinis drach. iiij. Omnia mista, uinoq; optimo excepta, reponito: atq; oliuæ magnitudinē, ex uini optimi cyatho dimidio, dum usus postulabit, porrigito. Heræ antidotus, qua Marcus Cathegetes est usus. Trifolij bituminosi seminis, aristolochiæ rotundæ, rutę syluestris, erui insolati, sing. drach. vi. Vino excipiunt, fiuntq; pastilli drach. iiij. daturq; unus ex uino & oleo.

Alia ad letalia, iecinorosos, inflationes uentris, & incipientes aquæ subter cutē suffusiones efficacissima. Myrrhæ drach. v. nardi Syriacæ drach. v. s. iunci rotundi floris drach. ij. s. casiæ drac. iiij. cinnamomi drac. iij. piperis albi sesquidrach. thuris drachma & obolus: costi drachma. Excipiuntur Attico melle, finguntúrq; nucis auellanæ instar, ac dantur ex mulso uel aqua.

FINIS.

*Complura alia ad eosdem affectus, ex diuersis autoribus congerit Galenus remedia. Nos uerò ex omnibus ea in tuam gratiam, Candide Lector, elegimus, quæ & præstantissima uidebantur, & facilius parari possunt. Habes itaq; omnes commentarios Galeni, in compendium enchiridionq; redactos, excepto fortè uno uel altero, ex quibus nihil succi exprimi potuit. Nam quod pertinet ad commentaria in Hippocratem, quicquid in eis continetur cremoris (nisi fatalia decreta consiliū nostrum hoc intercipiant) hoc est, uniuersas sententias, instar indicis atq; alphabeti digestas, breui in lucem edemus. Tuum igitur est, illis bene precari, qui in hoc sunt toti, ut tuis commodis seruiant, rectéq; tuis studijs consulant.*

# AD ORNATISSIMVM VIRVM, D. D. GASPAREM DE LA HOZ, CANONICVM SECOBIENSEM, SCRIPTOREM APOSTOLICVM, AC bonarum literarum cultorem maximum, Andreæ Lacunæ Secobiensis, Militis S. Petri, de ponderibus & mensuris medicinalibus commentarius.



*Etus prouerbium, & quamuerissimum est, mi Gaspar, Vir ornatissime, optimam esse mensuram in rebus omnibus: cùm nimirum omnia quæ in vita & sunt & geruntur, ab ea suam absolutionem, suam lucem, suumq́; ornamentum sortiantur: nihilq́; iustum, rectum, aut inculpabile sit, quod mensura (quæ sola virtus inest omnibus rebus) destituatur. Quamobrem si exquisitè expendamus singula, quæ cœlesti illa machina ambiuntur, quæq́; supra cœlos cõsistunt, omnia certè inueniemus exactam quandam mensuram, commoderationemq́; à suo conditore accepisse, quam perpetuò tuentur, dum naturæ leges non transgrediuntur. Quippe vniformes illæ orbium cœlestium lationes, perennes astrorum cursus, ordinatæ vicissitudines temporũ, conspirationes elementorum, generationes deniq́; omnium quæ supra terram & subter illam fiunt, non aliunde quàm à symmetria quadam, quæ in accurata partium mensura consistit, proficiscuntur. Iam verò, quòd sanitas quidẽ corporũ, aliud sit nihil, quàm debita & absoluta mensura eorum ex quibus constantur: morbus autem, ab hac symmetria recessus quidã & lapsus, quis ambigit? Nemini etiam est dubium, decreta & leges Reip. mensuras quasdam existere, quæ singulis suum ius dispensant. Vt autem ipsius mensuræ summam efficaciam & vim, exemplo familiarissimo exponam, poemata optimis documentis & sententijs exculta, si metro claudicent, hoc est, mensura non constent, cõfestim stomachum mouent, nauseamq́; & fastidium gignunt. Contrà verò, quæ symmetra existunt, etiamsi pudicitiã offendant, moresq́; iuuentutis corrumpant, magnificè ab omnibus celebrantur: tantum autoritatis vendicare sibi videtur emmetron. Cæterùm cùm in alijs omnibus humanis actionibus, si rectè perfici debeant, mensura quædam exquisita desideretur, tum vel maximè in arte Medica ea ipsa requiritur: vt in qua, vel minima à pondere ac mensura aberratio, soleat semper ægris perniciosa & piacularis existere. Nam cùm generatio nostra, incolumitasq́;, miscellæ quatuor elementorum debeatur, certa quadam mensura confluentiũ & conspirantiũ in vnam eandemq́; temperiẽ: sanè si quando rhythmus huius soluatur, necessum est ad recuperandum habitum pristinum, reducamur eò, iusta etiam, exploratissimaq́; mensura eius, quod lapsum corrigere possit, administrata. Qua neglecta, si quispiam admoliatur præsidia corpori, morbi seminarium augebit, aut affectum alium maligniorem inducet: ita vt non minus cauendum à tali medico sit, quàm à morbo ipso. Cùm igitur inter alia Galeni opera, redegissem nuper in succinctam periochen cõmentarios illos de compositione medicamentorum τῶν γενῶν ϗ τῶν τόπων, ditissimos naturæ humanæ thesauros: persuasumq́; haberem, neutiquã ex eorum lectione percepturos aliquid frugis, qui in ratione ponderum & mensurarũ non essent adamussim exercitati: sed potius occasionẽ capturos, qua sibi ignominiæ notam, ægris conciliarent summam internicionem: precium operæ me facturum existimaui, si quæ veteribus, ac præcipuè Galeno, circa pondera & mensuras medicinales conscripta sunt, aggerans, ea omnia paucis exposita, sub præfatione nominis tui, in publicam studiosorum cõmoditatem ederem: vt vel ex hoc argumento, amicitia nostra, & nunquam peritura necessitudo, omnibus innotesceret: tibi autem, si quis hinc fructus ab aliquo hauriendus esset, prorsus acceptus ferretur. Nec verò collectanea hæc de mensuris cuiquã aptius quàm tibi nuncupari potuissent, qui (vt cæteras ingenuissimas tui animi dotes impræsentiarũ subticeam) diu noctuq́; astronomicis studijs indulgens, in eisq́; felices tuas horulas haud oscitãter collocans, non modò plagas has inferiores, sed cœlos etiam ipsos metiris, menteq́; supra illos eueheris: contrà quàm faciunt pleriq́; alij, qui vbi semel quæ pertinent ad cutem curandam sunt nacti, adeò ingenuarum artium, bonorumq́; omniũ institutorũ infelices obliuiscũtur, vt ne inesse quidem sibi animã recordentur: ac proinde obruti, demersiq́; cœno suarũ cupiditatũ, corporisq́; mole depressi, eam quocunq́; tandem irruat, sequantur: tantum abest vt (exemplo tui) cœlum vnquam suspectent, aut in meditatione rerũ pulcherrimarũ asininas suas cogitationes exerceant. Hi tamen mancipia vmbilici sunt: à quorum ingenio tam abes ipse, quàm qui longissimè. Quippe ita vteris fortunæ bonis, quæ tuo marte acquisita, tibi quamlargissimè suppetunt, vt eorũ quidẽ quæ ex vsu sunt, nihil desit corpusculo, amicisq́; omnia communia fiant: animus autẽ ipse minimè ab eis præpediatur, sed ad altiora aspirans, excolatur atq́; locupletetur alijs ornamentis & opibus, quæ tantò illis splendidiores & augustiores sunt, quantò mens nostra corpori dignitate antecellit. Quo sanè tam admirabili amore sapientiæ*

*accensus, etsi fluctibus negociorum nunquam non obruaris, quæ maxima cum dexteritate administras: semper tamen philosophiæ studijs incumbis, in eisq; tam feliciter promoues, Vt diuinum istud ingenium tuum sæpenumero admirari compellar. Ne autem huic nostro commentariolo contingat, quod patriæ Vtriusq; nostrûm communi Secobiæ accidit, cuius quidē suburbia sunt ciuitate ipsa ampliora, non agam hic tecum pluribus, cùm tempestiuum iam sit, Vt promissis satisfaciamus.*





Orum quæ metiri homines solent, quędam solida, corpulenta, grauia, & sibi continua sunt, ut lapis, cera, lignum, & ferrum: quædā solida quidem & sicca, sed dissoluta & minutula, qualia accumulare cōsueuimus, ut hordeū, oryza, & triticum: quædam demum in liquidis fluidisq; consistunt, ē quorū numero est oleum, uinum, & mel. Quæ igitur sub prima differentia comprehenduntur, grauitate dijudicantur: cui negocio statera est inuenta. Quę uerò humidam consistentiam possident, uasculi cauitate expenduntur. At ea quæ cùm sint arida, aggerari in cumulum possunt, medio genere ambigūt: modò quippe ipsa librare, modò uasculis mensurare consueuimus: quemadmodū liquores fluentes. Quanq̄ hi quoq; sæpenumero reuocant ad stateram. Liquida quippe omnia quæ corpori administrant, uniuersi ferè iam pōderant, si Hispanos pharmacopolas excipias. Hi nanq; nō pondere, queadmodū in Italia, Gallia, Germania, & Anglia mos est, sed uasculi cauitate liquida medicamenta metiūtur: id q̄d equidē probare ullo modo non possum. Nam cùm ex liquoribus, hi quidem grauiores sint, illi autē leuiores, atq; tenuiū partium: certè necessum est, dum eos omnes ex æquo pari uasculi cauitate dispensant, grauissimè interdum hallucinentur, capitaliq; errore labant. Nemini siquidē in ambiguo est, quæ crassarum sunt partium, ea contracta & exigua mole plurimū continere substantiæ: ut pauxillum sub tumore laxiori, quæ raram consistentiā sortiuntur. Etenim si accipias unam heminam olei, uini aliam, ac tertiam deniq; mellis: cōperies planè oleum quidē ipsum, uncias ix. pendere, uinum autem x. mel tredecim cum dimidia: ita ut hoc ad uinū sit sesquiplum. Quod uerò aiunt, se nō una eademq; mensura, oleū, mel, atq; uinū metiri, sed eorum liquorū singulis habere suā destinatā: id illos non reddit à culpa immunes. Nam cùm in generibus singulis non paruum discrimen sit penes grauitatē & leuitatem (ompliacinū enim oleum, exempligratia, quod oliuæ immaturæ fuderunt, hyoscyamiuumue, tenuitate partiū & leuitate, multis numeris ab irino relinquitur) contingit sanè, ut dum cuiusq; indiuidui unciā unā sese administrare arbitrant, alterius quidē plus, alterius autem longè minus exhibeant, ac sic artis præcepta euertant. Deberent itaq; aut liquores uniuersos librare, aut singulis eorum speciebus, mensurā peculiarē præscribere: quam quidem inuestigare, esset nimis operosi negocij.

Porrò mensura olei erat Galeni tēpore apud Romanos cornea, pellucidaq;, & lineis quibusdam orbicularibus, quibus unciæ discernerentur, incisa. Sunt autē innumera ponderū ac mensurarum genera, secundū uarietates regionū ac morū. Quamobrē ea describemus impræsentiarum duntaxat, quæ urbi Romæ, antiquissimæ totius orbis metropoli, semper fuerunt familiarissima: cùm præsertim Galenus uniuersas ferè pharmacorū compositiones, ad mensuras Romanorū, ponderaq;, reduxerit: cum quibus, ubi exposita fuerint, facillimū cuiq; erit, quę apud alias ciuitates in usu habentur, conferre.

## De ponderibus.

Nomina ponderū medicinaliū, in quę medici passim incidunt, sunt, mina, libra, vncia, drachma, scriptulus, obolus, siliqua, & granū. Romana igitur mina continet libras xx. Nam Aegyptia, & Attica, xvi. tantùm constant. Libram autem xij. vnciæ constituunt, quarū singulę ex drachmis octo cōflantur. Porrò drachmā Galenus idem esse uult cum Romano denario: quis contendant aliqui, eam esse partem septimā unciæ. Constat autem drachma scriptulis tribus, quæ à Græcis γράμματα, scrupuli à neotericis, corrupta uoce, appellant. Quorū quisq; duos obolos continet: ut horum singuli, siliquas tres, quę & ceratia dicunt. At uerò unaquęq; siliqua, grana quaterna pendet. Reperiuntur etiā creberrimè inter nomenclaturas ponderum, faba Gręca & Aegyptia: ac præterea nux iuglans, & Pontica. E quibus Græca quidē faba, duos obolos pendit: Aegyptia autem, drach. i.s. At iuglans nux, siliquas lxxij. ut Pontica xviij. Quæ omnia ordine resolutorio explicata, facilè ex hac tabella discernes.

| | |
|---|---|
| Mina Aegyptia | vnc.xvi. |
| Mina Romana | vnc.xx. |
| Libra Romana | vnc.xij. |
| Vncia | drach.viij. |
| Drachma, siue denarius, siue olca, | script.iij. |
| Scriptulus, siue scrupulus | obolos ij. |
| Obolus | siliquas iij. |
| Siliqua | grana iiij. |
| Faba Græca | obol.ij. |
| Faba Aegyptia | drach.i.s. |
| Nux iuglans | siliquas lxxij. |
| Nux Pontica | siliquas xviij. |

Si igitur ubiq; locorū & gentiū, libræ, unciæ, & drachmæ, essent inter se eædem, liceret profectò nobis, iuxta Galeni dogmata, in quauis orbis plaga & regione, medicamenta citra discrimen præscribere. Cùm autem euariēt passim ea pondera, certè nisi quis omnia illa ad tabellam præscriptā reuocet, singulaq; adamussim expendat, priusquā alicui pharmacū catharticū porrigat, fieri ullo modo nō potest, quin ab scopo aberret, uidelicet aut plus q̄ sit ex usu, propinans, aut minus q̄ morbus postulet. Equidē experientia didici, Hispanicā unciam Romana esse obolis duobus maiorē. Parisiensem, ferè integra drachma. Coloniēsis, Bruxellensis, atq; Antuerpiensis unciq; sunt similes: quarū singulæ Romanam

tribus

tribus obolis superāt. Ab hac, uncia Veneta (quã experiundi gratia, nuper in officina quadam libraui) propemodū sesquidrachma relinquit. Siquidē Veneta libra medicinalis, Romanæ libræ uncias x. cum dimidia, plus minus, pendet. Pro ratione itaq; harū differentiarū possem ipse iam in singulis horū locorū, numerū drachmarū intrepidè & augere, & detrahere: id quod mihi nō perinde liceret absq; summa ægrotantiū clade, si proportionem ponderum quam habent inter se mutuò, accuratè prius nō explorassem. Quam cùm haberem perspectam, cuidam adolescenti, quem in ædibus illustrissimi D. D. Ioãnis à Mendozza, Cæsarei apud Venetos Oratoris splendidiss. suscepi curandum, unciam unam soluentis pharmaci exhibui: cuius in urbe Roma propinare drach. vij. ausus non fuissem.

De notis ponderum quibus Medici in officinis utuntur.

Vt autem Græcorū charactêres, quibus pondera exprimunt, impræsentiarū præteream, ceu nihil ad nos pertinētes: Medici recentiores pro uncia, hanc notam ℥ usurpant: quemadmodū hanc, ʒ pro drachma: similiterq; illam ℈ pro scriptulo: subdentes postea numerū quem expedire arbitrantur. Vt si ori uentriculi confirmando huiuscemodi unguen instituerimus: ℞. olei absinthij, & cydoniorū, ana ℥. ij. nardini vnc. s. ceræ elotæ drach. v. pul. coralli, & menthæ, ana ℈. i. perinde sonant ac si scribamus: Olei absinthij & cydoniorū, sing. vnc. ij. Nardini vnciam dimidiam: ceræ elotæ drach. v. pulueris coralli & menthæ, singulorum scriptulum unum, &c. Quippe uox, ana, quæ aliquando etiam in Galeni cōmentarijs occurrit, cuiusq; partes æquas significat. Præstaret autem medicamēta ipsa, quæ in se humani generis uitam, necemq; gerunt, minimè quidem notis aut numeris, sed literis extensis exprimere. Quandoquidem iota unū sublatum aut additum, imò uerò etiam apiculus unus, sæpe ęgros ipsos in exitiū atq; internicionē adegit. Porrò ut flores solēt dispensari pugillis, sic manipulis herbæ. Cōmuniter autem uolunt esse pugillum, quantū tribus digitis apprehendi posit: manipulum uerò, quantū tota manu. Ac pugillum quidem hac nota, P: manipulū autem hac, M, nostri Medici exprimunt.

Græcæ liquidorum mensuræ (quæ maximè sunt in usu etiam apud Latinos Medicos) partim ex Galeno, partim ex cōmentarijs Iacobi Syluij, Medici hac nostra ætate clarissimi, excerptæ.

Cadus, siue Ceraunium, capit choas, hoc est, Romanos cōgios xij. uel libras mēsurales cviij.

Choa siue Cōgius, sextarios sex capit, seu Atticas cotylas xij. seu libras ix.

Sextarius cotylas ij. seu libram unam & dimidiam, seu cyathos xij. continet.

Cotyla, quam nonnulli heminam appellant, quartarios ij. seu vncias mensurales ix.

Semicotyla recipit acetabula duo, uel uncias iiij. cum dimidia, existens quarta sextarij pars.

Acetabulū (Græci ὀξύβαφον uocant) sesquicyathum, seu vncias ij. & drach. ij. pendet.

Cyathus conchas ij. seu mystra iiij. seu chemas v. seu cochlearia x. seu sescunciam.

Concha mystra ij. seu chemas ij. cum dimidia, seu drachmas sex.

Mystrū chemen unam, & quartam eius partem, seu cochlearia ij. cum dimidio, seu drach. iij

Cheme cochlearia ij. seu drach. ij. script. i. & grana iiij. & quatuor quintas grani.

Cochlearium drach. i. scriptulum dimidium, grana ij. & duas quintas grani.

Porrò uinum nona parte pondus olei excedit. Mellis autem ad uinum proportio est sesquipla: hoc est, tertia parte mel ipso uino est grauius, ut liquet ex tabella subdita.

| | OLEI | VINI | MELLIS |
|---|---|---|---|
| Cerauniū Italicum habet | lib. xc. | lib. c. | lib. cl. |
| Congius | lib. vij. & semissem | lib. viij. vnc. iiij. | lib. xij. & semissem. |
| Sextarius | vnc. xv. | vnc. xvi. drach. v. script. i. | lib. ij. vnciam unā. |
| Cotyla | vnc. vij. drach. iiij | vnc. viij. drach. ij. script. ij. | lib. i. drach. iiij. |
| Oxybaphū | sescunciā drach. ij. | vnc. ij. script. ij. | vnc. ij. drach. i. |
| Cyathus | drach. x. | vnciam i. drach. ij. siliquas iiij | vnc. ij. scrip. ij. |

Mensuræ aridorum quibus Medici maximè utuntur.

Medimnus capit chœnicas xlviij.

Chœnix cotylas iij. uel sesquisextariū, seu libras ij. & quadrantem unum, & vnc. iij.

Sextarius cotylas ij. seu vnc. xiij.

Cotyls oxybapha iiij. seu vnc. ix.

Oxybaphum, sesquicyathum, seu vnc. ij. & drach. ij.

Cyathus cochlearia x. seu sescunciam.

Cochleariū drach. i. script. s. grana ij. & duas quintas grani.

Crebro autē usurpat Galenus hanc uocē Bessem, quæ quotiescunq; occurrerit, pro vncijs octo accipiatur.

*Hæc sunt itaq;, Vir Ornatissime, quæ sub tuo nomine uolui ut omnibus fierent communia studiosis: quare pro tua feceris dignitate, si ea cōtra uitilitigatorū morsus defenderis. Vale feliciter, plurimumq; saluta meo nomine cōmunes utriq; nostrûm amicos, atq; integerrimos uiros, D. Berrocalem, Scriptorē Apostolicum: necnon D. Falconeum à Gueuara, Iuris prudentiæ licentiatum absolutissimum.*

*Venetijs, III. Idus Aprilis,* M. D. XLVIII.

# CLARISSIMO ET SAPIENTISSIMO VIRO, D. D. IOANNI AQVILERIO, MEDICO PONTIFICIO, BOnarum literarum fautori maximo, Andreas Lacuna Secobiensis, Doctor Medicus, Miles S. Petri, S. P. D.



Vod accidere vniuersis parturientibus solet, vt dum in labore quidem versantur, se iurent amplius non pariturus: postea verò extra discrimen positæ, rursus & concipiant, & pariant: id nūc mihi planè contigisse videtur, Vir clariss. Nam cùm haud ita pridem Epitomen omnium Galeni operum, verè laboriosissimum partum, exarandam in publicam studiosorū commoditatem curarem: ac partim quidem immensis laboribus fractus, partim præli difficultates ac molestias summas pertæsus, constituissem, ac propemodum apud me deierassem, non futuram mihi amplius rem cum typographis: posteaquàm fœtus iam editus est in lucem, violare iusiurandum compellor, Galenique Pergameni vitam toti operi, ceu colophonem quendam, apponere. Reuocauit siquidem me ab instituto, cùm illius Viri dignitas, amplitudoque, tum mea in eum obseruantia, adeoque ipsius vtilitas operis. Sciebam quippe Galenum, ijs qui vitam illius, mores, atque instituta prælegerent, incredibilem quendam amorem sui excitaturū, vt multò ardentius, maiorique cum voluptate, in Epitome sese nostra exercerēt. Quocirca illum quidem ad viuam formam exprimere, expressumque vnà cum operibus suis edere, statui. Cæterùm quia verendum erat, ne Galenus noster, hospes & peregrinus cùm sit, si in quempiam nebulonem incideret, contumelia aliqua afficeretur, (sunt enim exteri maximè iniurijs obnoxij) haud perperàm me facturum existimaui, si ductorum illi & protectorem aliquem iungerem, qui eum contra insultus Arabum, ac Barbarorū insidias, tueretur. Cui muneri subeundo, dum quoqueuersus dispicerem, neminem te aptiorem inueni, Vir ornatissime, qui adeò illius semper fuisti studiosus, vt vel meipsum etiam impuleris, ad condendam illam omnium operum eius periochen: quam prouinciam, nisi victus instigatione tua (id quod ingenuè fateor) neutiquā suscepissem. Nam cùm de nulla re sis æquè solicitus, ac de salute publica (quæ tua summa bonitas, atque animi integritas est) semper aliquid meditaris, quod in communem omnium vsum redundet. Quo nomine vniuersi tibi debemus plurimum. Taceo singulares tuas istas animi dotes, prudentiam, temperantiam, lenitatem morum, constantiam, multiiugamque omnium disciplinarum peritiam, quæ nos adducunt, vt non minori admiratione, quàm amore, te prosequamur. Meritò igitur ob hasce tam insignes virtutes, quibus conspicuus eras, reuerendiss. & illustriss. in Christo Pater, D. D. Ioannes à Toleto, Cardinalis Burgensis (iudicio cuius exquisitissimo non solent placere nisi optima) ex Salmanticensi Academia, in qua olim cum maxima laude & gloria profitebaris artem Medicam, simul & Astronomiam, te allectum, nec vulgari conditione honestatum, vnà secum abduxit Romam. Qua in vrbe, quanta cum dexteritate, studio & pietate, artem Medicam exerceres, abundè exploratum habens Paulus III. P. M. vltrò accersiuit te, ascripsitque inter primarios Medicos suos, summisque tandem vitæ ornamentis auxit, atque locupletauit. Qui quidem non secus tua dicta amplexatur, acquiescitque consilijs tuis, ac si illa ab Apolline acceperit. Vt igitur eò vnde digressa est, nostra renocetur oratio, En mittimus tibi ceu strenulam quandam, Galeni Pergameni vitam, per quem ipse tantum honoris & dignitatis es consequutus. Quam quidem vbi diligenter perlegeris, non modò non pœnitebit te propensionis, qua in illum hactenus indulgentissimus fuisti, sed etiam multò ardentius posthac amore illius inflammaberis. Vale vir ornatiss. pergeque, vt cœpisti, de ingenuis artibus ac disciplinis mereri optimè. Venetijs, quarto nonas Aprilis, M. D. XLVIII.

GALENI PERGAMENI VITA, CVM 1294
EX IPSO GALENO, TVM EX HIERONYMO
*Gemusæo, aliisq́ variis autoribus, per Andream Lacunam medicum, militem S. Petri, summo studio collecta.*



*ON possum non excandescere in viros quosdam nouarum opinionum autores, qui Galenum, Pergamenum fuisse inficiantur. Cuius rei non modò apud varios historicos, sed etiam apud ipsum Galenum, innumera testimonia extant. Nam vt complura alia omittam, certè libro primo de Compositione medicamentorum secundum genera, apertissimè patriam suam Pergamũ esse testatur, hunc in modum pronuncians: Hoc medicamentum nõ ex eorum numero est, quæ à me primũ composita sunt: sed iam annis multis antè, à rege nostro, Pergamensibus imperante, Attalo, viro omnigenorum medicaminũ studioso, &c. Similiter libro secundo de Pharmacorũ compositione secundum partes, sic ait: Nam & frigidorum fontium & niuis, multa Romæ est vbertas, quemadmodum apud nos in Pergamo. Eodem libro sic rursus subdit: Atq; ad hanc rem nostrum Pergamenũ atramentũ scriptorium præcellit, &c. Fuit autem Pergamus Asiæ ciuitas nobilissima, ingeniorumq́ optimorum altrix: quæ diu quidem sub regibus Attalicæ familiæ florescens, postea Romanorum legibus paruit. Quare Galenus meritò ab illa oriundus gloriatur, contrà quàm faciunt Normani, qui declinaturi ignominiæ notam, passim nomen patriæ cõmutant. Porrò patrem habuit diuitem, Niconem nomine, geometram & architectum insignem, studiisq́ philosophicis deditum: qui ob modestiam suam & æquitatem, probis omnibus erat semper admirationi. Mater eius fuit pudicissima, admodumq́ circa augendam rem familiarem solicita: adeò tamen iracunda & viperea, vt vel ex leui occasione, mordicus ancillas impeteret: nec minus cõtumeliose cum Nicone viro suo contenderet, quàm Xanthippe, nequissima quidem illa, cum Socrate: quemadmodum ipsemet Galenus testatur libro de Cognoscendis curandisq́ animi affectibus. Fuit autem Galenus vsq; ad annũ decimumquintũ, arithmeticis, grãmaticis, logicisq́ disciplinis sub Nicone patre institutus: ad quas quidem capessendas, adeò erat natura promptus, vt vel ex primis illis auspiciis, de se maximam exhiberet expectationem. Dein verò ad philosophiam, seuerioraq́ promotus mathemata, audire philosophos optimos quosq; cœpit, qui haberentur Pergami: quorum omnium doctrinam & mores, vt rectè consuleretur filio, explorabat pater, assiduè ad illos vnà cum eo ventitans. At verò vbi iam annũ decimumseptimũ attigit, euidenti patris insomnio admonitus, studiis Medicinæ se dedidit, eiq́ adeò strenuam nauauit operam, vt paucułis quidem annis, facilè cõmilitones omnes, postea verò etiam præceptores suos superauerit. Quem feruorem augebat summa liberalitas patris, largè illi omnia suppeditans, quæ ad studia eius videbantur ex vsu fore. Sæpe siquidem ob inopiam & egestatem optima quæq; ingenia elanguescunt, & collabuntur. Nam, vt rectè ille monuit Poëta,*

*Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat*
*Res angusta domi, &c.*

*Præceptores habuit in philosophicis & medicis musis, primò quidem, Satyrum: dein Pelopem, apud Smyrnam. Post quos Numesiano Corinthi sedulam operam dedit. Cæterùm quamuis eorum omniũ amantissimus esset, eosq́ ceu parentes quosdam summa reuerentia obseruaret, noluit tamen eorum cuiquam addictior esse, quàm veritatis ipsius studiosior. Quocirca nec sectæ vlli se addixit: & ob id sæpe hominũ rusticorum iudicium in plurimis esse sequendum monuit, quòd incorruptum esset, ac liberum, vtpote ab hæresi nulla occupatum. Postquam verò in Græcia neminem iam haberet, ex quo discere quicquã posset: maximeq́ expedire Medico existimaret, varias orbis oras ac regiones lustrare, omnimodasq́ hominum temperaturas, ac vires medicamentorũ cognoscere, incredibilis tandem incessit illum peregrinandi cupiditas. Quare primò quidem ad Alexandriam se contulit. Qua in vrbe cùm aliquandiu hæsisset, totamq́ Aegyptum illi adiacentẽ lustrasset, ad Palæstinam Syriæ, exportandi opobalsami gratia, contendit. Nauigauit etiam in Lemnũ insulam, necnon in Cyprum, vt ex illa quidem, sphragidem terram: ex hac autem, cadmiam, pompholygem, diphrygem, aliaq́ metallica innumera, in vsum Pergamensium aduceheret. A quibus peragrationibus iam annos octo & viginti natus, in patriam rediens, omnia medicamenta quæ attulerat, amicis est impertitus, vt de illis periculum facerent. Postea verò ex omni natione curabat sibi asportari pharmaca exquisitissima, habens suspecta ea omnia, quæ ab institoribus venderentur. Cognita igitur summa peritia illius,*

*atque in curandis ægris rara quadam dexteritate, pontifex Pergamenus prouinciam gladiatores curandi soli ipsi credidit, quum vix annum vigesimum nonum attingeret: quod sanè munus antea ijs tantùm delegabatur, qui ætate, ac longo rerum vsu prouecti essent. Cæterùm non diu illic commoratus, quòd seditio quædam esset inter Pergamenses oborta, Romam profectus est: vbi ob incomparabilem doctrinam suam & probitatem, fuit statim notus & familiaris totius ciuitatis primoribus. In primis siquidem Eudemum Peripateticum, magni nominis virum, laborantem quartana triplici, ob pessimè administratam theriacem ab alijs Medicis, iamq; ingrauescentem ætate, ac media hyeme, restituit, tempestiuo vsu eiusdem antidoti adhibito: prædixitq; omnia quæ euentura essent: id quod nomen illius, existimationemq; per totam vrbem plurimum auxit, sic tamen vt inuidia pari etiam gradu cresceret. Postea ad Iusti vxorem vocatus, quæ absque manifesta occasione consumebatur, ex pulsu eam non modò amare, sed quem deperiret etiam, miro quodam artificio deprehendit. Simili etiam industria diuitis cuiusdam seruum, non ex morbo, sed metu, quòd eorum quæ administrauerat, pro dignitate reddere rationem non poterat, contabescere agnouit. Restituit etiam Boëthi vxorem, diutino fluore muliebri, & quem alij Medici non potuerant cohibere, laborantem. Ob quam quidem solicitudinem, aureos quadringentos, æquipollentes mille coronatis solaribus, Boëthus ad illum misit, ipsumq; per totam vrbem summis laudibus extulit.*

*At verò annum iam tricesimumseptimum agens, vbi audiuit patriæ seditionem sedatam, partim quidem vt suos necessarios inuiseret, partim vt Romanorum Medicorum declinaret odia & insidias, simulans se proficisci in Campaniam (ne fortè ab amicis detineretur) reuersus Pergamum est. Sed non multo interiecto tempore, à Marco Aurelio & Lucio, Romanis Imperatoribus, reuocatus, eo nomine vt sequeretur expeditionem, quam instituerant aduersus Germanos, Romam inuitus redijt. Quò dum peruenit, multis tandem precibus impetrauit à Marco Aurelio Antonino (qui æquus, pius, facilis, & clementissimus erat) vt liceret sibi manere Romæ, expectareq; illic reditum ipsius Antonini à bello: intelligens nimirum quantopere abhorrerent Musæ ab strepitu armorum. Memor autem prauitatis Medicorum atque philosophorum Romæ degentium, quandiu Marcus Aurelius abfuit, apud Commodum, filium illius primogenitum, sese continuit, qui extra vrbem educabatur sub Pitholao: cui etiam fuerat ab Imperatore iniunctum, vt si quando puer ægrotaret, Galenum accerseret, quò illi ferret manus auxiliatrices. Eo igitur tempore plurimum ocij nactus, varios commentarios conscripsit, ad philosophiam Medicinamq; spectantes. Quum autem interim febre corriperetur Commodus, ex pulsu agnouit faucium inflammationem causam illius extitisse: ac proinde congruis remedijs vsus, à phlegmone & febre confestim eum liberauit. Qua ex re Faustina matrimonio Imperatori coniuncta, cœpit Galenum ipsum laudibus vsque ad sydera euehere, alijsq; omnibus anteponere: quæ tamen commendatio, apud præcipuos Medicos illum magis exosum reddidit. Sexto etiam, alteri ipsius Imperatoris filio, quum similiter in febriculam incidisset, prædixit crisim, ac tum horam, tum solutionis modum, tum recidiuam.*

*Postea autem, quum reuersus ex bello Marcus Aurelius, crederet se aliquando febrire, nec minus Medici qui peregrinationis suæ comites fuerant, initium febrilis accessionis illi adesse putarent: ascitus Galenus, iussusq; arteriam contingere, dixit se nihil tale percipere, sed potius à cibo assumpto eius ventriculum opprimi. Quam agnitionem quanti fecerit Imperator, significauit ter repetens, Ita est vt dicis, Profectò idipsum, Vt dixisti res habet. Ventriculum igitur fouens nardino, bibénsque Sabinum vinum cum pipere, quemadmodum Galenus suaserat, minimo negocio fuit restitutus, Galenúmque postea magnopere commendare non desistebat, eum Medicum præstantissimum esse, ac tum virum ingenuum, tum summum philosophum prædicans. Nec verò argumentum vulgare Galenianæ doctrinæ, atque morum integritatis est, quòd à Marco Imperatore, omnium qui illum præcesserant, iustissimo simul & sapientissimo, quique ob singularem sapientiam suam est nomen Philosophi indeptus, celebratus encomijs fuerit, ascitúsque in suorum Medicorum clientelam. Taceo eundem ipsum Imperatorem, quum singulis diebus vteretur theriace, quam summa fide præparabat illi Demetrius, primarius Medicus, postea vita Demetrio functo, soli credidisse Galeno antidoti ipsius compositionem. Antonino è viuis sublato, successit ei filius Commodus, certè incommodus Romanorum reipub. vtpote iuuenis omni pollutus libidine, omniq; flagitiorum genere obsessus atque contaminatus. Quo quidem imperante*

*cessauit compositio atque vsus theriaces, vt aliorum omnium optimorum institutorum: donec postea Imperator Seuerus institit Galeno (quem diligebat vnicè) vt antidotum rursus ipsam in communem omnium vsum conficeret. Quod autem ad Galeni salubritatem pertinet, vsq́; ad annum quidem vicesimum octauum sæpius correptus est morbis: reliquum verò ætatis, saluberrima victus ratione vsus, sese conseruauit sanißimum, ita vt nullum morbum contraxerit, præter febrem ephemeram, in quam aliquando ob labores immodicos incidit.*

*Fuit autem perpetuò iam inde à pueritia sua, moribus innocentißimis præditus, adeoq́; blandus & mitis, vt nunquam propria manu famulos verberarit, ne lapsos quidem: sed tum minis, tum paternis admonitionibus, peccata semper eorum correxerit: irascentis impetum nihil differre ab insania & furore prædicans. In disputando tamen adeò grauis atque seuerus extitit, vt nunquã non suis antagonistis pudorem, sibi gloriam maximam conciliarit. Prætereo admirandam illam docendi facilitatem, puritatem atque elegantiam sermonis, sententiarum pondus & altitudinem, creberrimam historiarum atq́; exemplorum copiam, summum denique diuidendi, demonstrandiq́; artificium: quibus nimirum omnibus adeò accuratè Naturam rerum expreßit, adeò illam oratione exornauit, vt verus interpres eius solus ipse dici mereatur. Fuit porrò adeò constans atque inconcussus animo, vt ob nullam fuerit vnquam rerum vicißitudinem consternatus: sed fortunam & infortunium, honorem & contumeliam, sanitatem & morbum, pari semper alacritate exceperit. Gloriam & popularem auram sic perpetuò neglexit, vt ne libris quidem suis præscribi suum nomen sit passus. Quippe multitudinis laudem, commodum instrumentum nonnullis viuentibus aliquando esse dicebat: mortuis autem, nihil omnino prodesse: imò uerò nec viuentium quibusdam: quum eis qui plurimum philosophiæ indulgerent, non paruo impedimento esset apud vulgus fama, ipsos videlicet à rebus pulcherrimis plus iusto transuersos auferens. Quocirca, ceu diuino quodam afflatus numine, vulgarem illam gloriam contempsit, veritatisq́; solo studio flagrauit, nullam esse nec honestiorem, nec diuiniorem poßeßionem existimans. Tam studiosus autem fuit humanæ salutis, vt quum vel maximè optaret insignem illam sapientiam atque doctrinam suam facere vniuersis communem, veritus tamen fuerit exprimere, describereq́; pharmaca deleteria, ne quis fortè peßimus sycophanta in perniciem nostram illis abuteretur. Quo etiam nomine varios modos adulterandi medicamenta, sibi notos suppreßit, ne videlicet ansam & occasionem circumueniendi nos imposturis, daret flagitiosis & fraudulentis hominibus, si qui id genus artem in lucro ponerent. Extant eius pietatis amorisq́; argumenta complura, in deos, in parentes, in patriam, in artem ipsam, in vniuersum denique humanum genus. Dei quippe iustitiam, vim, & prouidentiam agnoscit, suspicit, maximaq́; cum reuerentia admiratur, quum aliàs, tum præcipuè in commentarijs de vsu particularum humani corporis, quos tanquam hymnos quosdam, Deo consecrauit: hoc esse sacrificium illi acceptißimum censens, non si ei hecatombas, victimasq́; offerret quispiam cruentas, aut casiam & thura accenderet, sed si mysteria illius, operaq́;, primùm quidem ipse cognosceret, expenderetq́;, postea verò alijs communicaret: in quorum ignoratione profitebatur summam impietatem consistere. Iam verò parentis sui cùm in alijs plerisque locis mentionem honorificentißimam faciat, tum vel maximè in commentario de cognoscendis, curandisq́; animi affectibus, illum commendat vnicè: quod sanè opus, veluti encomiasticum paternarum virtutum est. Patriam autem, conciuesq́; suos, tanto est prosequutus amore, vt quò eorum vsui inseruiret, fauores Imperatorum, amplißimaq́; stipendia neglexerit: idq́; meritò. Nam quum maiori ex parte nemo sit patriæ acceptus (sic siquidem natura comparatum hominibus est, vt peregrina quidem & aduentitia ingenia admirentur: sua verò, domesticaq́;, ob familiarem vsum, despiciant) Galenum certè Pergamenses tam studiose colebant, & obseruabant, vt ipsum & seruatorem suum, & Patrem patriæ, omnes communi ore vocarent: neq́; id iniuria. Siquidem non modò curabat sedulò, vt suorum ciuium rectè valerent corpora, sed quemadmodum legislator atq́; philosophus summus, etiam erat solicitus, vt eorum animi optimis documentis instituerentur. Quocirca varios cõmentarios conscripsit, ad excolenda iuuentutis ingenia admodum salutares. Conciliauit autem sibi maximè plebis animos, quòd medicamentis simplicibus, vulgaribusq́;, & quæ minimo negocio parari apud quemuis possent, plurimum vtens, eorum quos suscipiebat curandos, minimè facultates opprimeret: contra quàm faciunt hac nostra ætate plurimi pharmacorum aggeratores eximij, qui*

*vt admirandam suam illam sapientiam ostentent, adeò miscere sacra profanis assolent, vt quem morbum facilè depellere posset interdum radicula vnica commodè administrata, eum sæpenumero varia indigestáq; ac longè petita medicamentorum congerie, alant, foueant, adaugeant. Quòd si æger fortè bona quadam fortuna sua, vel Dei potius, quàm pharmaci, beneficio, aliquando ab affectu recuperetur, necessum hauddubiè est, si tenuioris fortunæ is sit, in alium rursus morbum, priori longè grauiorem, incidat: videlicet egestatem extremam: quum nimirum pro tot gemmis & margaritis, vel (quod plerunque contingit) calculis ex fluento aliquo allatis, satisfacere pharmacopolæ vrgenti non possit: ac proinde si quid reliquum illi suppellectilis fuit, totum id exponatur sub hasta, cogaturq; tandem miser, exosam habens vitam, medicinam, & medicos, in angustiam maximam rei familiaris adactus, vnà cum vxore & liberis, fame acerbissima contabescere: cui quidem præstitisset longè, si seruatus non fuisset. At Galenus noster, id genus aromatarijs, institoribusq; non indigebat: quippe qui propria manu singula medicamenta conficeret, confectáq; officiosissimè semper ægris administraret: in egenos interim non exiguam suarum facultatum portionem erogans: artémque ipsam, non auaritia ductus, aut quapiam cupiditate, sed propter solam virtutem, piè simul & religiose exercens. Fuit autem erga ægros semper moribus placidissimus præditus, quibus adeò illos exhilarabat, vt vel solo sermone videretur eos restituere. Quæ sanè gratia & venustas maximè desideratur in Medicis. Sunt quippe nonnulli etiam in aulis Principum, adeò tetrico aspectu, fastidiendoq; vt ex quartana simplici duplicem suo accessu reddant, soloq; visu, basiliscorum instar, interimant. Nec verò cuiquam pharmacum admonuit aut propinauit Galenus, cuius prius in seipso non fecisset periculum. Quæ omnia reddiderunt illum semper adeò inculpabilem; vt calumnia in ipsum moliri nihil vnquam potuerit. Scripsit autem Attico sermone & purissimo permulta opera & varia, non ad artem Medicam tantùm, sed etiam ad Philosophiam, grammaticen, rhetoricen, mathematicen, atque geometriam pertinentia: quorum non contemnenda pars, dum templum Pacis, simulq; omnes Bibliothecæ Palatij, olim conflagrarunt incendio (ô iacturam irreparabilem) nobis intercidêre. Quæ verò extant, atque inter eruditorum manus versantur, non secus suspiciuntur ab vniuersis, quibus mens falsis dogmatis corrupta & deprauata non est, ac si planè diuina oracula sint, ex tripode pronunciata. Nam qui in sophistarum scholis sunt alti, nugisq; & paralogismis referti, ijs certè nec placet, nec prodesse vera Galeni doctrina potest. Siquidem quemadmodum corpora impura, quò magis quispiam solido alimento nutriverit, eò magis læserit: sic animum opinionibus prauis imbutum, nisi prius ab eis expurgetur, ne Musæ quidem ipsæ recta docere possint: id quod fuisse in causa videtur, vt Galenus semper in operibus suis, primò quidem exterminarit iniqua dogmata, postea verò ipsam veritatem tradiderit: optimi agricolæ exemplo, qui prius quàm terræ sua semina mandet, spinas, herbas, sentes, radicesq; omnes euellit, omniaq; breuiter, quæ possint tritici germinationem extinguere. Fuit autem tam acris & vehemens in refellendis aliorum tam Medicorum, quàm philosophorum erratis, tantumq; valuit suadela, vt eorum quos persequutus est, vniuersa scripta perierint. Hippocratem verò ita semper & reueretur & colit, vt passim eum & prudentissimum, & sapientissimum senem, summumq; Medicinæ parentem, autoremq; & largitorem bonorum omnium institutorum, prædicet. Cæterùm quemadmodum Traianus olim omnes Italiæ vias inaccessas, præruptasq; aut rupibus inuias, refecit, instaurauitq; quò facilius peruadi possent: sic etiam fatetur se non quidem artem condere (quam laudem tamen iurè sibi vendicare potuisset) sed iam ab Hippocrate inuentam, incultam tamen & asperam, explanare, vt ab omnibus intelligi ac percipi queat. Vixit sub Marco Aurelio Antonino, Commodo, Lucio, & Seuero, Cæsaribus. Præcipuè tamen Marco Aurelio Antonino fuit summa familiaritate coniunctus. Quo extincto, tametsi postea esset Seuero Imperatori acceptissimus, detineri tamen diu apud vrbem Romam non potuit, quo minus in dulcissimam sibi patriam reuerteretur. In qua quidem iam factus septuagenarius, imperanteq; eodem Seuero, requieuit, magnam apud homines gloriam consecutus: maiorem etiam apud Deum habiturus, si CHRISTI institutis, cuius semel atque iterum meminit, credere atq; obsecundare voluisset.*

*Sunt tamen qui Galenum tradant vixisse annos C X L. Siquidem Ludouicus Cælius, lectionum antiquarum lib. xvi. sic ait: Galenum Philosophum & Medicum singularem, cuius scientissima & plurima extant ingenij monumenta, quæ geminam sapiunt eruditionem, memoriæ proditum*

à non-

à nonnullis est, C X L. vixisse annos, tantaq́; in cibo & potu abstinentia vsum, vt ad satietatem nunquam comederit, biberitue, nec crudum quicquam gustarit. Vnde sit factum, vt odoriferum semper anhelitum spiraret: sed, quod longè apud me mirabilius est, citra vllam omnino affectionem, sola defecerit senectute, quod est in humanis rarissimum.

Magis tamen testimonio Suidæ acquiescendum est, qui sic de Galeno pronunciat: Γαληνὸς ὁ διασημότατος ἰατρὸς περγαμηνὸς γεγονὼς, ἐπὶ Μάρκου καὶ Κομμόδου, καὶ Περτίνακος τῶν Καισάρων ἐν Ῥώμῃ, υἱὸς Νίκωνος γεωμέτρου, καὶ ἀρχιτέκτονος, πολλὰ συντεταχὼς ἰατρικά τε καὶ φιλόσοφα, ἔτι τε γραμματικὰ καὶ ῥητορικά, ἅτινα διὰ τὸ πᾶσιν εἶναι γνώριμα, καταλέγειν ἄκαιρον ἡγησάμην ἐν τῷδε τῷ παρόντι. ἐβίω ἔτη ο΄. σημαίνει δὲ καὶ τὸν ἥσυχον. Quæ sonant: Galenus Medicus celeberrimus, Pergami natus, Marci, Commodi, & Pertinacis temporibus, vixit Romæ. Patrem habuit Niconem, geometram, architectumq́;. Plurima non in arte Medica tantùm, sed in philosophia etiam, condidit: imò verò & in grammaticis, rhetoricisq́;. Quæ quidem quòd omnibus obuia & notissima sint, non videtur mihi operæprecium vt recitentur impræsentiarum. Vixit annos L X X. Porrò hæc vox Galenus, tranquillum, serenumq́; significat.

VITAE GALENI FINIS.

# ANNOTATIONES IN GALENI INTERPRETES: QVIBVS VARII LOCI, IN QVOS HACTEnus impegerunt lectores, & explicantur, & summa fide restituuntur: Andrea Lacuna Secobiensi, Doctore Medico, milite sancti Petri, autore.

ILLVSTRISSIMO ET SAPIENTISSIMO VIRO, D. D. DIdaco Furtado à Mendozza, apud Paulum III. P. M. Oratori Cęsareo, longè uigilantissimo, Andreas Lacuna Secobiensis, Doctor Medicus, miles S. Petri S. P. D.



*Vod non perinde nostros lapsus cernamus, ac errata aliorũ perspicimus, in causa est quidem ἡ φιλαυτία, Vir illustriss. Nam cùm vnusquisq; cæcutiat erga eam rem quam amat (vt sensisse diuinus ille Plato videtur) cuncti autem se omnium maximè diligant: optima ratione contingit, vt de se nemo rectè iudicium ferat. Idcirco pulchrè, mea quidem sententia, dictum est illud, Gestare nos duplicem manticã è collo suspensam: vnam quidem antè, alienorum: alteram verò post, nostrorum errorum plenam: ac proinde nos, peccatis proprijs relictis, ad aliena, quæ obiecta semper oculis sunt, examinanda inclinari. Quanquam sanè qui studio veritatis inuestigandæ, non autem lædendi quempiam, id faciunt, adhibitaq; omni moderatione: ij certè non venia modò, sed summa etiam laude sunt digni. Non desunt tamen nonnulli malè feriati, qui ex alienis contumelijs gloriam sibi aucupantes, in viros eruditos & candidos, quiq; nihil vnquam tam habuerunt in votis, quàm vt reipub. literariæ prodessent, veluti in proditores patriæ, in contemptores diuorum, cõmunesq; humani generis hostes, acerbè simul & impudenter, vel leuissima ex occasione inuehantur: cùm deberent potius illis bene precari, ob egregiè in cõmunem vsum nauatam operam. Inhumanũ quippe, maximeq; ferinum est, eos qui vt cõmunia studia iuuarent, sese obiecerunt sycophantarũ calumnijs, ob multa quidem ac varia, quæ ex Græca in Latinam linguam fidelissimè transtulerunt, non cumulare suis iustis laudibus: ob paucula verò in quibus sunt lapsi humanitus, probris & conuicijs opprimere. Vt autem reliquos omnes præteream, qui sua industria artem Apollineã locupletarũt, certè Ioannes Guinterius Andernacus, in quem plurimi præter meritũ debacchantur, vnus ex primis fuit, qui Galenum introduxerunt nobis latinè, purè, atq; ornatè loquentem. Quòd si ex ijs quæ iampridem vertit, nõnulla offendant aures delicatiores, id cuiquã mirũ esse nõ debet: quandoquidem superioribus annis, cùm Lutetiæ Parrhisiorũ politiores disciplinæ inciperent iam renasci & florescere, primumq; ipse ad transferenda Græca se accingeret: tum vt tyronum votis obsecundaret, qui sitientissimi Galenianæ doctrinæ, quemadmodum famelici pueri, qui semicrudas carnes deuorant, priusquàm accuratè coquãtur, incõfectos cõmentarios illi extorquebamus è manibus: tum vt satisfaceret importunis typographorũ precibus, coactus fuit tantũ singulis diebus vertere (id quod ipse testari possum) quantũ premi duplici torculari poterat: atq; ita suas tralationes, nondum integrè elaboratas, præcipitare. Quare (vt idem repetam) perperàm mihi videntur facere, qui virũ in vtraq; literatura absolutum, exquisitissimumq; Medicum & Philosophum (cuius studijs omnes debemus plurimum) tam insolenter infestant: cùm nullus extiterit hactenus adeò fidus Galeni interpres, qui interdum hallucinatus non fuerit: ac proinde ad veritatem ipsam inuestigandam, præsertim in rebus arduis & maximis, cuiusmodi ars Medica existit, necessariò ingenia plurium desiderentur: vt videlicet quæ hunc fugiunt, ille cernat exactius. Sunt enim difficilia semper, quæ optima. Cùm igitur superioribus diebus vniuersa Galeni opera in methodum longè breuiorem, ac faciliorẽ contrahens, obiter reperissem complura, hactenus animaduersa à nemine, in quæ lector facilè impingere poterat: rem haud inutilem me facturum existimaui, si omnia loca præcipua, quæ, iudicio meo, aliam requirebant expositionem, pauculis annotarem, arbitriumq; studiosis relinquerem, aut sequendi versionem nostram, aut consulendi Græca exemplaria. Neq; enim tantũ mihiipsi tribuo, vt velim illis ita meã sententiam probari, ac si Lycurgi, aut Solonis decretum esset. Nam & insitam mihi fragilitatem agnosco, & iudico omni ex parte difficile, vt qui homo sit, passim non decipiatur: id quod Galenus secundo libro de Compositione pharmacorũ secundum partes, non minus verè quàm eleganter confirmat, dicẽs: χαλεπὸν γὰρ ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίναντα, τὰ δ' ἀμελέστερον γράψαντα: quemadmodum certè aliquando mihi accidisse fateor, qui iuuenili pruriens olim scribendi libidine, nonnulla paulò maturius edidi, quæ optarem nunquã pro-*

*dysse in lucem. Quanquam animus hauddubiè est, ubi ocium fuerimus nacti, quæcunq; à nobis conscripta citra perfectum iudicium sunt, ea omnia recoquere, reuocareq; ad limam accuratiorem: idq; patrum grauissimorum exemplo, qui vel in sacris literis, in quibus maiori cum periculo erratur, retractare propria scripta non dubitarunt. Quòd si quis interim vir doctus iuxtà & syncerus, vel in hisce nostris annotationibus, vel in alijs omnibus, quæ aliàs à nobis sunt exarata, meliora in medium produxerit, ego primus omnium illa amplexabor, eiq; immortales gratias habebo, nec minores, quàm si mihi laboranti graui ophthalmia, oculorum aciem restituisset: modò eo vtatur candore & modestia, quæ viros philosophos decet, veritatisq; amantissimos. Semper nanq; à moribus Erasistrateorũ abhorrui: qui adeò pertinaciter suã tuebantur hæresim, vt censerent patriam potius prodendam esse, quàm proprium dogma. Quòd verò hic præsens labor mihi institutus non fuerit, vt ostentarem ingenium, aut vigilijs hominum doctissimorũ detraherem, sed vt publicæ vtilitati consulere, rationemq; redderem diligentiæ præstitæ in condenda Galeni Epitome, nouit quidem ille, qui animorum est scrutator, Deus opt. max. Porrò vt idipsum lucubrationum quod est, sub splendore nominis tui publicarem, me occasiones variæ impulerunt, vir clarissime. Vna & potissima, vt amor ille ardentissimus, qui inter Excellentiã tuam, & illustrissimũ atq; reuerendiss. D. D. Franciscum à Bouadilla & Mendozza, Cardinalem Caurien. patronumq; meum non vulgarem, indies magisq; consolidescit, ex hoc argumento innotesceret cunctis, simulq; obseruantia mea in vtrunq;. Secunda, vt vitiligatorum calumnijs ianuam detrectandi obserarem, tutumq; à rabidorum me canũ morsibus redderem. Quippe verisimile est, quæ tibi semel sunt consecrata, tuæq; protectioni se crediderunt, ea veluti in asylo quodam intemerato iam esse: cum nemo futurus sit adeò temerarius aut impudens, ut istam Amplitudinem tuam, autoritatemq; summan, non reuereatur. Tertia quæ me illexit causa est, quia docti studiosi omnes, te vnicum protectorem Musarum, doctorũ hominũ patrem, promotoremq; ingenuarũ omnium disciplinarũ, nunquã non confitentur: nempe multijuga ista eruditio tua, feruentissimusq; sapientiæ amor, claritudini generis, prudentiæ, humanitatiq; coniunctus: vt interim singularem ad omnia ingenij tui promptitudinẽ, admirandamq; in agendis rebus dexteritatẽ prætereeam. Quas insignes virtutes (quæ rarò in vnũ cõspirant) in te cumulatas sentiẽs CAROLVS V. Cæsar, indies concredit tibi maxima molimina rerum: quæ adeò feliciter consilio & sapientia tua illi confecta & expedita reddis, vt diuino planè ingenio præditus esse videaris: id quod etiamnum prædicare de te illustrissimus hic Venetorum senatus non desinit: qui & lugeret hodie recessum tuum, nisi illustriss. vir D. D. Ioannes à Mendozza, aureum quoddam tuarum virtutũ exemplar, dolorem ipsum foueret, leniret, ac mitigaret. Siquidem in eo præsente (cui eadem mens, idem candor, prudentia eadem, vt cognomentum idem) desiderium tui absentis exatiant: in eo suos oculos pascunt: qui tanta cum grauitate, sapientia, fide, studio, atq; sedulitate, fungitur Oratoris munere, vt minimè iam ipse hinc abesse videaris. Ne igitur diutius quàm par est, suspensam tuam Amplitudinem teneam, en offerimus tibi, vir illustriss. in Galeni interpretes hasce nostras annotationes. Quas quidem si tuo patrocinio dignatus fueris, ipsæ quidem omnes insultus atq; incursiones respuent: ego verò tuam semper Excellentiã suspiciam, quam in multos annos Christus nobis seruet incolumem. Venetijs ex ædibus illustriss. Viri, D. D. Ioannis Furtadi à Mendozza, apud Venetos Cæsarei Oratoris splendidissimi. Decimo Calen. Decemb. M. D. XLVIII.*

## AD LECTOREM.

ADVERTAS *Candide Lector, numerum illum qui passim occurret tibi in nostris annotationibus, referre paginas eorum Galeni commentariorum, qui in octo classes digesti, repurgatiq; ab innumeris mendis, anno 1 5 4 1. sub formula octaua fuerunt Venetijs excusi: idq; industria clarissimi & eruditissimi uiri, Victoris Trincauelij, Doct. Med. necnon diligentia Augustini Ricci, Medici etiam absolutissimi. Quod sanè minimè omittendum esse censuimus, quin tibi indicaremus: ne & illi, quibus talium exemplariorum copia esset, sua commoditate fraudarentur: & illi, quibus etiamsi hæc non esset, aliquam tamen & in suis inquirendi occasionem sibi præbitam esse, cernerent.*

# SECTIONIS PRIMAE, PARTE PRIMA,

pagina prima.



STatim in auspicijs libelli de exhortatione ad artium liberalium studia, sic habet dictio Galeni: ἆρ' οὖν μηδ' ὅλως λόγου μέτεστι τοῖς ἀλόγοις ὀνομαζομένοις ζώοις, ἄδηλόν ἐστι. ἴσως γὰρ, εἰ καὶ τοῦ μὴ κατὰ τὴν φωνὴν, ὃν καὶ προφορικὸν ὀνομάζουσιν, ἀλλὰ τοῦ γε τὴν ψυχὴν, ὃν ἐνδιάθετον καλοῦσι, μετέχει πάντα, τὰ μὲν μᾶλλον, τὰ δ' ἧττον. Quæ sanè sic uertit Erasmus Roterodamus: An animãtia quę dicunt̃ bruta, prorsus expertia sint rationis, nõdum satis liquet. Fortassis enim, tametsi non habent eam rationẽ, quæ iuxta uocem intelligitur, nobiscum cõmunem, quam uocãt enunciatiuã, certè eam quę secundum animã accipitur, quam rationem appellant affectuum capacem, habent nobiscũ cõmunem omnia, licet alia magis, alia minus, &c. Constat itaq; τὸν ἐνδιάθετον λόγον, ab Erasmo uerti rationẽ affectuũ capacem: cùm potius internam, siue intus delitescentẽ, uertendũ fuisset. Siquidẽ eo in loco Galenus, tam brutis, quàm ipsis hominibus, rationẽ uidetur tribuere: hoc interiecto discrimine, quòd illorũ quidẽ ratio sit muta, reconditaq;, id quod est ἐνδιάθετος λόγος: nostra autẽ, explicetur sermone. Cuius opinionis uidetur etiã fuisse Fabius Quintilianus, qui secundo suarum Institutionũ libro sic disserit: Et hercle Deus ille princeps, parẽs rerum, fabricatorq; mundi, nullo magis hominem separauit à cæteris, quę quidem mortalia essent, animalibus, quàm dicendi facultate. Et paulò pòst: Sed ipsa ratio nec tam nos iuuaret, nec tam esset manifesta in nobis, nisi quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus: quod magis deesse cęteris animalibus, quàm intellectum & cogitationẽ quandam uidemus. Nam & moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus, & excludere, quinetiam reponere alimẽta in hyemẽ, opera quædã nobis inimitabilia, qualia sunt cerarum, ac mellis, efficere, nõnullius fortè rationis est: sed quia carent sermone, quæ id faciunt, muta atq; irrationalia uocantur. Deniq; homines quibus negata uox est, quantulum adiuuat animus ille cœlestis? Quare si nihil à dijs oratione melius accepimus, quid tam dignum esse cultu, ac labore ducamus, aut in quo malimus præstare hominibus, quàm quo ipsi homines cæteris animalibus pręstant? Hæc Fabius. Non defuerunt tamen qui rationẽ illam enunciatiuam, etiã brutis tribuerẽt. Quippe inter Græcos Porphyrius libro περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων, duplicem, ut Galenus & ipse rationẽ exprimit. Quarũ unam quidem uocat προφορικὸν λόγον, hoc est, rationem uocalem: alteram uerò, ἐνδιάθετον, quod est, reconditam, siue, ut nos uertimus, intus delitescentẽ. Ac sanè illius rationis primo loco assignatæ, participes etiam esse feras pronunciat. Neq; enim mirandum esse, si earum sermonẽ minimè percipiamus, cùm nec Persarum, nec Scytharum idioma ullus Græcus intelligat. Huic sententiæ subscribere uidetur palàm etiam Lactantius Firmianus libro de ira Dei, sic disserens: Nam cætera quæ uidentur hominis esse propria, etsi non sint talia in mutis, tamen similia uideri possunt. Proprius homini sermo est, tamẽ & in illis quædam similitudo sermonis. Nam & dignoscunt inuicẽ se uocibus: & cùm irascuntur, edunt sonum iurgio similem: & cùm se ex interuallo uident, gratulandi officium uoce declarant. Nobis quidem uoces eorum uident̃ inconditæ, sicuti & illis fortasse nostræ. Sed ipsis qui se intelligunt, uerba sunt: deniq; in omni affectu certas uocis notas exprimunt, quibus habitum mentis ostendant. Et paulò pòst: Quid tam homini propriũ quàm ratio, & prouidentia futuri? Atqui sunt animalia quæ latibulis suis diuersos & plures exitus pandant, ut si quod periculum inciderit, fuga pateat obsessis. Quod non facerent, nisi inesset illis intelligentia & cogitatio. Ac postea subdit: Quòd si horum omniũ, quæ adscribi homini solent, in mutis quoq; deprehenditur similitudo: apparet solam esse religionem, cuius in mutis nec uestigium aliquod, nec ulla suspicio inueniri solet. Huc pertinẽt quæ Plin. lib. x. cap. xxviij. Naturalis hist. ait de Luscinijs: Certant inter se, palamq; animosa contentio est. Victa, morte finit sæpe uitam, spiritu prius deficiente, quàm cantu. Meditantur aliæ iuniores, uersusq; quos imitent̃, accipiunt. Audit discipula intentione magna, & reddit, uicibusq; reticent. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio, &c. Recedere tamen hæc iam ab instituto uident̃: cuius prorsus eram oblitus, nimirũ delinitus historiæ naturalis dulcedine, perinde ac si loton arborem, suauissimam quidem illam, gustassem. Galenus itaq; τὸν ἐνδιάθετον λόγον quodammodo opponit τῷ προφορικῷ: ita ut illa quidem, quæ sola inest brutis, sit ratio occulta reconditaq;: hæc autẽ qua nos ipsi, ueluti auctario quodam, præditi sumus, illustretur sermone. Quòd autẽ hæc ita habeant, nõ alium testem, sed Galenum producamus in mediũ, qui seipsum interpretatur, commentario primo in librũ Hippocratis κατ' ἰητρεῖον, sic disserens: τῶν αἰσθήσεων ἁπασῶν τὴν γνώμην ἐφεξῆς ἔταξεν, ὅπερ ἐστὶ τὴν διάνοιαν, ἣν τινὲς καὶ νοῦν καὶ φρένα κοινῶς οἱ ἄνθρωποι καλοῦσιν. ἐπειδὴ καὶ ὁ κατὰ φωνὴν ἐστί τις λόγος, ἀφορίζοντες ἀπὸ τούτου τὸν προειρημένον λόγον οἱ φιλόσοφοι, καλοῦσιν ἐνδιάθετον, ᾧ λόγῳ τάτε ἀκόλουθα, καὶ τὰ μαχόμενα γιγνωσκόμενα ἐμπεριέχεται, καὶ διαιρέσεις, καὶ συνθέσεις, καὶ ἀναλύσεις, καὶ ἀποδείξεις, ὅσα τἄλλα τοιαῦτα. Quæ omnia fideliter simul & eleganter à Victore Trincauelio, uiro citra cõtrouersiam doctissimo, sic sunt in sermonẽ Latiũ cõuersa: Post omnes sensus statim intelligentiam collocauit, hoc est, cogitationem, seu rationẽ, quã homines cõmuniter mentem & intellectũ nominare consueuerũt. At uerò quoniã & in uoce quædam ratio reperit̃, ideo philosophi, ut hanc ab illa discernerent, interiorem hanc appellarũt, qua & consequentia, & repugnantia cognoscimus: quibus diuisio, cõpositio, resolutio, ac demonstratio, cęteraq; id genus comprehendunt̃. Atq; hactenus circa hanc primam annotationẽ: quam pertractaui, minimè quidem ut suggillarem Erasmum, qui tam illustrauit bonas artes & disciplinas, quàm qui maximè, sed ut Galeni mẽtem exactè illius studiosis exponerẽ, id q̃d uideor abundè iam præstitisse.

## *Libro de optima secta.*

Pagina 57.

IVnius Paulus uertit: Et ægrotantes non multo in conficiendis cibis labore indigere. Græcè habetur: καὶ ὅτι οἱ νοσοῦντες δέονται τῶν μὴ πολλῆς κατεργασίας δεομένων βορῶν. Hoc est: Et quòd ægri egeant cibis, qui non admodum difficulter coquantur: uel qui longam elaborationem non postulent.

Pag. 58.

Ab huiusmodi præceptum nascitur: liquidi cibi omnes febricitantibus bene faciunt. Græcè legimus: ἐκ τούτου γίγνεται τὸ θεώρημα τόδε· αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι τοῖς πυρέττουσι συμφέρουσι. Quod est: Ex his tale oritur theorema: Cibi humidi omnibus febrientibus conferunt.

Pagina 61.

Aiunt enim, antequàm adhibendorum remediorum uires quis didicerit, nihil aliud utile ab experientia prouenire. Græcè legitur: φασὶ γὰρ πλὴν τὰς δυνάμεις τῶν προσφερομένων ἰαμάτων, ἕτερον οὐδὲν χρήσιμον ἐκ τῆς πείρας παραγίνεσθαι. Quod est: Aiunt enim, præter hoc quòd facultates exhibendorū per eam cognoscuntur, oihil aliud utile ab ipsa experientia accedere, &c̄. Fefellit autē interpretē uocularū πλὴν καὶ πρὶν, affinitas atq; similitudo.

Pagina 86.

Quandoquidem non ab effectis, sed ab efficientibus (quemadmodū & ipsi profitent̄) indicationes accipiendæ sunt. Grçcè legitur: οὐ γὰρ ἀπὸ τῶν ἀποτελούντων, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῶν ἀποτελουμένων, ὡς καὶ αὐτοὶ ὁμολογοῦσι, χρὴ τὰς ἐνδείξεις γίγνεσθαι. Quę contrario modo uertenda erant: sic scilicet: Non enim ab efficientibus, sed ab effectis (quemadmodū & ipsi fatentur) indicationes sumendæ sunt.

Pag. 95.

τὰς κοινότητας semper cōmunia uertit, non communitates: ut sanè uertendum est, si uelimus ueram Galeni phrasim atq; sententiam exprimere.

## *Lib. de constitutione artis medicæ.*

*Ad calcem libri.*

BArtholomæus Syluianus uertit: quod labefactatur. Aldinus codex habet: ὅτι διαφθείρεται. hoc est, quia corrumpitur. Basiliensis autem: ὅτι διαφορεῖται. & rectè quidem: quod uertendum est: quia digeritur & resoluitur.

## *Lib. I. de elementis.*

Pag. 190.

LEonicenus: Vel secūdum substantiam quibus contigit esse elemēta. Cui uersioni suffragantur cæteri interpretes. Græcè tamen legit: ὁ κατὰ τὰς οὐσίας, ὡς συμβέβηκεν αὐτοῖς εἶναι στοιχεῖοις. hoc est: An secundum substantias, quarū ratione cōtigit ipsis esse elementis. Cęterū loco ὡς crediderim esse legendum ἄν: nisi quis fortè dicat Galenū uti latina phrasi, utpote diu in urbe Roma uersatum.

Lib. III. Pag. 285.

Linacer: Vt si carnosi quis iuuenis in frigida lauatione corpus eius ex accidenti, nō ex propria potestate, calfacere dicat. Græcè: οἷον εἴ τις τὸ ψυχρὸν λουτρὸν εἰς ἐπίδρασιν τῶν θερμαίνειν τις φαίη τὸ σῶμα κατὰ συμβεβηκὸς, οὐκ οἰκείᾳ δυνάμει. Quod sonat: Vt si quis dicat frigidam lauationē calfacere corpus carnosi iuuenis ex accidenti, non facultate propria.

## *Lib. de inæquali intemperie.*

Pag. 314.

LInacer: Calfit quidem sanguis aliquando uniuersus, quicunque non naturalem illum calorem, qui ex humoris putredine est obortus, recepit. Græcè legitur: ἐκθερμαίνεται μὲν ἐνίοτε σύμπαν ὅλον τὸ αἷμα, καὶ δέχεται τὴν παρὰ φύσιν ἐκείνην θερμασίαν, τὴν ἐκ τῆς σηπεδόνος τῶν χυμῶν ὁρμωμένην. Quod uertimus: Calfit quidem sanguis quandoq; uniuersus, recipitq; illum calorem præter naturam, qui ab humorum putredine proficiscitue.

Pag. 318.

In qua alterum sit comprehensum. Græcè habetur: ἐν ᾧ θάτερον οὐχ ὑπάρχει. hoc est, in quo etiam non adsit alterum.

## *Lib. de animæ morum, & corporeæ temperaturæ mutua consecutione.*

Cap. III.

BArtholomæus Syluianus: At incorporeæ substantiæ, cùm per se ipsa esse posſit, neque qualitas aut species corporis sit, differentiam nullam intelligo. Cui uersioni alij subscribunt interpretes. Græcus tamen codex habet in hunc modū: ἀσωμάτου δ᾽ οὐσίας, αὐτῆς καθ᾽ ἑαυτὴν εἶναι δυναμένης, ἐν ἄλλοις δὲ καλοῦντος, ἢ εἴδους σώματος, οὐδεμίαν τῶν διαφορῶν. Quod sic sanè uertendum est: Incorporeæ uerò substantiæ, quæ ipsa quidem per se consistere ualeat, nec corporis qualitas aut species sit, equidem oullam differentiam inuenio, &c̄. Quibus nimirum uerbis conuellens opinionem Platonis, qui animam cōstituebat incorpoream quandam substantiam, & quæ posset per se subsistere, conatur Galenus ostendere, illam esse aut qualitatem, aut aliquam speciem corporis: cùm alioqui, si esset quid alienum & abstractum à corpore, neutiquam illam diuisionem admitteret, qua in tres species, seu differentias, uel à Platone ipso distinguitur.

## *Lib. III. de naturalibus facultatibus.*

Pag. 444.

LInacer: Siquidē interna arteriæ tunica. Græcè legitur: ὁ γὰρ ἐνδον χιτὼν τῆς γαστρός. Quod est: Etenim interna uentriculi tunica.

## *Lib. I. de motu musculorum.*

Pag. 504.

Codices latini sunt deprauati: in quibus habetur: At reliquum, & quartum, & motum transgresſi, consideremus, &c̄. Græcè nanque habetur: ἐπὶ τὴν λοιπὴν καὶ τετάρτην μεταβάντες κίνησιν, τὸν τρόπον αὐτῆς καὶ τὴν ταύτης σκεψώμεθα. Hoc est: Ad reliquū autem & quartum motum transgresſi, modum ipsius expendamus.

Libro secundo. Pag. 521.

Leonicenus: In quācunq; autem talium constituens membrum, musculis circa ipsum tonicè agentibus commiseris, figuram sic seruant, adeò ut sedentes quidam dormiuerint, &c̄. Græcè legimus: ἐν ᾧ γὰρ ἂν τῶν τοιούτων καταστήσῃς τὸ κῶλον, τοῖς τονικῶς ἐνεργοῦσιν ἀμφ᾽ αὐτὸ μυσὶν ἐπιτρέψας τὴν φυλακὴν τοῦ σχήματος, οὕτω φυλάττουσιν, ὥστε καὶ καθεύδουσι πολλάκις ἐνίους ὀρθοὺς τινας. Quod sic uertimus: In quacunque enim talium constituens membrum, si mu-

sculis circa ipsum tonicè agentibus commiseris figuræ custodiam,adeò illam tuentur, ut sedentes sæpe quidam dormiuerint.

Pag. 522.

Itaq; & supinum iacere,& hiare,stertoris, aut exolutionis, aut ebrietatis, aut ignauiæ sunt signa. Græcè: καὶ τὸ χάσκειν ἐν αὐτῷ τῷ ῥέγχειν. Quod est:& hiare cum stertore.

Pag. 524.

At(dicet fortè quispiam) nō assequimur mente ea fieri: nam nec palpebrarū motum semper, &c̄.Quo in loco Galenus respondet ad obiectionem tacitam.Ac proinde ita debemus legere:At (dicet fortè quispiam)non assequimur mente ea fieri. Neque etiam (supple,dicemus nos)palpebrarum motui semper adhibes mentem, &c̄. ac sic sanè sentētia illa euadit perspicua.Tu interim consule græcum exemplar.

## Lib.I.de semine.

Pag. 557.

IAnus Cornarius:Attractoriam quidem familiarium,per quam attracturum, & alteraturum, alimentumq; sibi facturū erat: expulsoriam autē alienorum & superfluorum.Sic autē habet græcus uetustus codex:nam impressi sunt deprauati:ἑλκτικὴν μὲν τῶν οἰκείων, ᾗ καθέξειν τε καὶ ἀλλοιώσειν ἔμελλε καὶ τροφὴν ἑαυτῷ ποιήσασθαι, τῶν ἀλλοτρίων δὲ καὶ τῶν περιττῶν ἀποκριτικήν.Quod est uertendum:Attractricem quidem,familiarium:& qua etiam retenturum erat, quaq; alteraturum, & sibi nutrimentū facturum : ac deniq; alienorum,superfluorumq; excretricem . Galenus siquidem impræsentiarū quatuor illas facultates, maximè inter se distinctas, ascribit semini : nec uult ipsum per attractricem, aut alterare, aut sibi alimentum conficere : id quod dictu esset planè ridiculum : cùm nimirū singulis earum facultatum sit suum munus proprium,nullaq; alterius operationē usurpet. Attractricis quippe,est attrahere:retētricis, retinere & constringere : alteratricis,alterare & concoquere : expultricis deniq;,aliena & superuacanea expellere : id quod satis superq; à Galeno demonstratum uidetur, quum in alijs locis, tum uel maximè in commentarijs de naturalibus facultatibus.

Pag. 567.

Vertit in hunc modum:cui cæteri interpretes suffragantur:Et ob id sanguini facillimū est carnem fieri : difficillimum uerò membranæ,& neruo,& uenæ,& arteriæ,& tunicæ. Græcè legitur: καὶ διὰ τοῦτο τῷ αἵματι ῥᾷστον μὲν γενέσθαι σαρκί, χαλεπώτερον δ' ὑμένι, καὶ νεύρῳ καὶ φλεβί, καὶ ἀρτηρίᾳ, καὶ χιτῶνι. Quod est uertendum : Idcirco facillimum quidem est sanguini,fieri carnem : difficilius autem membranam,& neruum,& uenam,& arteriam, & tunicam. Docet quippe eo in loco Galenus, ipsas particulas solidas uix posse confici ex sanguine, carnem autem facillimè : cùm nimirum illæ quidem,à semine : hæc autem à sanguine,originem nanciscantur.

Pag. 582.

Continetur autem in testibus seminarius humor.Et paulò pòst : Trahunt igitur etiam testes seminarium humorem.Vtrobique autem græca exemplaria habent: ἰχῶδες ὑγρόν. hoc est: humor serosus : qualis certè genitura ipsa existit,& præcipuè quæ in sinistrum descendit testem:cùm uidelicet sinistrum uas seminariū oriatur ab emulgente uena,quę serosissimū sanguinem uehit ad renem sinistrum,ut illic expurgetur.

Lib.II. de semine. Pag. 590.

Corn. Posse autem Hippocrates etiam opinatus est, ex utrisq; permistis unum perfectum semen fieri,etiā si hoc ita esse impossibile sit.Græcè legimus:δύναται δὲ, καὶ ὡς Ἱπποκράτης ᾠήθη, κἀξ ἀμφοῖν κεραννυμένων ἓν τέλειον γίγνεσθαι σπέρμα. καὶ τί ἦν δυνατὰ, εἰ μὴ ταῦτα; Quod nos uertimus:Potest autem(quemadmodum existimauit Hippocrates ) ex ambobus mistis, etiam unum semen perfectū fieri. Et quæ obsecro possibilia essent, si hæc talia nō forent?Itaq; non refellit opinionē Hippocratis, sed illam potius ( quod solet semper)ceu Dei oraculum,& recipit,& amplexatur.

Pag. 602.

Non tamen impossibile est animo concipere tale temperamentū animalis corporis,ut perfectum animal generet absq; alterius cōmistione. Græcè autem legitur : ὡς γεννῆσαι ἀτελές. Hoc est : ut imperfectum generet. Quam lectionem probandam esse indicat sequens dictio,quæ ita habet:Animal tamen perfectum in seipso concipere,uerè difficile est. Aduertat item candidus Lector, passim in cōmentarijs de semine, Cornarium τὸ θῆλυ,quod est in Gręco,quodq; fœmineū significat,uertere nobis muliebre.

Pag. 620.

Apparet ex his quatuor uasis, quæ appellatū umbilicū, simulq; meatum iuxta uragon constituunt, &c̄. Græcè legimus : φαίνεται γὰρ τῶν εἰρημένων τεττάρων ἀγγείων, ἃ κατὰ τὸν ὀνομαζόμενον ὀμφαλὸν, ἅμα τῷ κατὰ τὸν οὐραχὸν πόρῳ συνίστασιν, &c̄. Quæ sonant:Apparet enim ex his quatuor uasis,quæ iuxta appellatum umbilicum,unà cum meatu,qui ad urinaculum est,coëunt.

## Lib.de instrumento odoratus.

Pag. 654.

LVdouicus Bellisarius:Eaq; quæ de foraminibus dixit aperiri solitis,quanq̄ non intelligentiā fugiunt,&c̄. Græcus codex habet:ἀλλὰ καὶ τὸ λεγόμενον ὑπ' αὐτοῦ περὶ τῶν ἀνακαλυπτομένων πόρων, ἀδύνατον μὲν ἐστί.Quæ ita uertenda sunt:Cæterùm q̄d ab eo dictum est de reseratione meatuum, impossibile quidem non est.

SECTIONIS PRIMAE PARTE SECVNDA.

## Lib. II. de anatomicis administrationibus.

Pag. 64.

ANdernacus : Quòd ungues igitur ex prædictis omnibus coalescant.Græcè: ὅτι μὲν ἐκ συμπεφύκασι τοῖς εἰρημένοις ἅπασιν οἱ ὄνυχες.Hoc est. Quòd igitur prædictis omnibus ipsi ungues accrescāt.

Lib.III. Pag. 76.

Andernacus : Amplæ magnitudinis porrigi

neruos diximus. Græcè: ἡ φορὰ τῶν μεγάλων ἐστὶ νεύρων. Hoc est: magni feruntur nerui.

Pagina 78.

Detectis enim plurimis iam brachij partibus, reliquos duos neruos, propter internam ipsius regionem, conspicis: in quam etiam prædicti tres paulò inferius, quàm tertius neruus est, inferuntur. Græcè legitur: γεγυμνωμένων γάρ σοι τῶν πλείστων μέρων ἤδη τοῦ βραχίονος, ἐπισκέπτου λοιπὰ δύο νεῦρα κατὰ τὴν ἔνδον αὐτοῦ χώραν (ἐν ᾗ καὶ τὰ προειρημένα τρία τὴν ἔμβασιν ἔχει) ὀλίγῳ τινὶ κατωτέρω τοῦ τρίτου νεύρου. Quod est: Nudatis enim iam plurimis brachij partibus, reliquos duos neruos iuxta ipsius regionem internam (in quam etiam prædicti tres inseruntur) expende, paulò inferiores, quàm situs sit tertius neruus.

Pag. 90.

Manu autem immissa, intercipienda est. Græcè: καθεῖσθαι δὲ τὴν χεῖρα, καὶ διαλαμβάνεσθαι. Hoc est: Demitti autem manum, intercipiq; : estq; subaudiendum, oportet. Vult siquidem, ut manum liberè demittamus, ac sic pendulã excipiamus uinculo, ad hoc ut uenæ exactè promineãt: id quod hodie etiam in quotidiano est usu.

Pag. 102.

Omnia latina exemplaria ob typographorũ inaduertentiam sunt deprauata. Habent enim: Mox alia penitus grandis: cùm penitius legendum sit: quandoquidem græcè legitur, διὰ βάθους μᾶλλον.

Lib. VI. Pag. 175.

Andernacus: Quam possibile est solius peritonęi facere. Græcè: ὃν οἷόν τε τῷ περιτοναίῳ μόνῳ ποιεῖσθαι. Quod equidem uerterem: Quam possibile est à solo peritonæo fieri. Constat nanque eam suturam abdominis, à nerueis illis peritonæi filamentis conflari.

Pag. 185.

Gulosis uerò & timidis inest magnum iecur & multifidum, aliter quidem affectis. Græcus codex excusus habet: τοῖς μὲν τοι λίχνοις, καὶ δειλοῖς μέγα τ' ἐστὶ, καὶ πολυσχιδὲς ἅπαρ, ἑτέρως περὶ δὲ τοῖς ἐναντίοις, &c. Sed in quodam antiquissimo legimus: ἑτέρως δὲ τοῖς ἐναντίοις. Hoc est: Diuersum autem contrarijs. Atq; ita legendum esse, nemo tam obtuso ingenio est ut non uideat.

Pag. 187.

Hoc autem sub tenui tunica aperiri euidenter apparet. Græcè: ἐναργῶς δὲ ὁρᾶται τοῦτο ἀνοιγόμενον ὑπὸ λεπτῷ τῷ χιτῶνι. Quæ sic uerterem: Perspicuè autem hoc sub tenui comprehensum tunica apparet.

Lib. VII. Pag. 197.

Andernacus: Non tamen ipsi cordis corpori pericardios hæc tunica connexa est, uerùm in alijs omnibus haud parua quædam regio intermedia est, motui cordis accommodata, ad basim ipsius, quæ, ut est expositum, orbicularis est, prodeuntibus ex ea uasis connexa. Græcè legimus: οὐ μὴν αὐτῷ γε τῷ σώματι τῆς καρδίας ὁ περικάρδιος οὗτος χιτὼν συμπέφυκεν, ἀλλ' ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν οὐ μικρά τις ἐστὶν ἡ μεταξὺ χώρα, τῇ καρδίᾳ κινουμένῃ πρέπουσα· κατὰ δὲ τὴν ἑαυτοῦ βάσιν, ἥ τις (ὡς εἴρηται) κύκλος ἐστὶ, τοῖς ἐκφυομένοις αὐτῆς ἀγγείοις συμπέφυκε. Id quod uertimus: Non tamen ipsi cordis corpori pericardios hæc tunica connexa est: uerùm circa alias quidem omnes illius partes, haud parua quædam regio intermedia est, motui cordis accommodata: ad basim uerò suiipsius, quæ sanè (ut iam exposuimus) est circulus, exortis ab illo uasis annectitur.

Lib. VIII. Pag. 232.

Andernacus: Quemadmodum etiam si in contractione thoracis per sectiones inaniti, aëre extrinsecus illapso, eas obturaueris, respirabit confestim animal. Græcè: ὥσπερ γε καὶ εἰ ἐν τῇ συστολῇ τοῦ θώρακος ἐκκενωθέντος διὰ τῶν τομῶν τοῦ παρεμπεπτωκότος ἔξωθεν ἀέρος, φράξῃς αὐτὰς, ἀναπνεύσει τε καὶ φωνήσει παραχρῆμα τὸ ζῷον. Quod sic clarius uertitur: Quemadmodum si in cõtractione thoracis inaniti, aëre per sectiones elapso, obstruxeris ipsas sectiones, respirabit, uocemq; edet confestim animal.

Pagina 241.

Nam intercostalibus musculis uehementer hoc tempore protensis. Græcè autem legitur: προσταλλομένων. Hoc est: Contractis, aut, concidentibus. Pag. 248.

Quæ manifestam sui inspectionẽ efficit. Græcè legitur: σαφῆ τὴν δι' αὐτοῦ θέαν ἐργαζόμενος. Hoc est: Manifestam per se inspectionem faciens. Quibus uerbis Galenus significat, ubi per anatomen, costas succingens membrana, sola & simplex relicta fuerit, nempe liberata à costis & musculis: facilè nos per ipsam, ceu per cornu quoddam aut uitrum, inspecturos interna uiscera.

Ibidem.

At manifestior adhuc speculatio fit, quum in diaphragmate nudato, peritonæi uertex auellitur. Græcè: σαφεστέρα δ' ἔτι τοῦδε γίγνεται θέα κατὰ τὸ διάφραγμα γυμνωθὲν, ἀποσπωμένης τῆς κορυφῆς τοῦ περιτοναίου. Nempe: Manifestior autem adhuc fit speculatio per diaphragma nudatum, ubi peritonęi uertex auulsus fuerit.

Lib. IX. Pag. 251.

Andernacus: Dum igitur membranæ cerebri plexus ossibus quæ ambiunt detegis, subinde quippiam abrumpitur. Græcus codex habet: ἐν αὐτῷ μὲν ὂν τῷ γυμνοῦσθαι τῶν περικειμένων ὀστῶν τὰς δὲ πλοκὰς τῆς μήνιγγος, πολλάκις ἀπορρήγνυταί τι καὶ διασπᾶται. Quod est: Interim enim dum exuuntur à circumiectis ossibus, ipsius meningis plexus, sępenumero quippiam abrumpitur, diuelliturq;.

Pagina 253.

Atq; ipsius usum simul inspiciendo nudabis. Græcè legitur: καὶ τὴν χρείαν αὐτῶν ἅμα τῇ θέᾳ γυμνώσεις: qui locus est deprauatus: planeq; constat, nõ γυμνώσεις, sed γνώσεις, legendum esse: ut reddatur ita Galeni sententia: Atque ipsius usum simul inspiciundo exploraueris,

## *Lib. IIII. de vsu particularum.*

Pag. 404.

NIcolaus Regius: Cùm autẽ nulla iam supersit. Græcè: ἔτερος δ' οὐδεὶς ἔτι. Quod est: Nulla autẽ iam supersit. Quam lectionem si non recipias, tota Galeni sententia abrumpitur, uixq; intelligi poterit. Pag. 414.

Ad ilia. Græcè legitur: κατὰ τὰς λαγόνας: quod est: per ilium regionem.

Pag.

Pag. 428.

Et paulò minus alba. Græcè habetur: καὶ μικροῦ δεῖν, λευκά. Hoc est: Et parum abest, quin alba.

Pag. 403.

Cùm tamen neque intestinorum quoduis coquendi alimenti, neque uenæ sanguinis gignendi gratia extiterint. Græcè legimus: γέγονε δ' ὅτι τῶν ἐντέρων οὐδὲν ἕνεκα πέψεως, ὅτι φλέβες αἱματώσεως. Quod est uertendum: Neq; uerò ullum intestinorũ gratia concoctionis est conditum: neq; gratia sanguificationis, ulla uenarum.

Pag. 434.

In transuersos & rotundos uillos dissoluendam. Vbi græcè legitur: ἀναλυόμενον. Hoc est: resolutam.

Lib. V. Pag. 447.

Omnes Latini codices sunt mendosi, in quibus legitur: Ne quod inferiorum intestino externo aliquando indigeret auxilio. Est siquidem legendum, intestinorum.

Lib. VI. Pag. 477.

Quod uerò deinceps est: Simul cum particulis quę ipso thorace continentur, agemus: satius esse scribere arbitrati, in hunc librũ distulimus. Græcè legitur: τόδε ἀπὸ τοῦδε, τῷ τῶν ἐν θώρακι μορίων ἐξηγήσει συναναγράφειν ἄμεινον εἶναι νομίσαντες, εἰς τόνδε τὸν λόγον ἀνεβαλόμεθα. Quod sic sanè uertendum est: Quod uerò reliquum erat, satius esse putantes, si id inter eas partes conscriberetur, quæ in thorace ambiuntur, ipsum in præsentem cõmentarium distulimus.

Pag. 479.

Cõcentum esse respirationis. Græcè habetur: τὸν αὐτὸν ῥυθμόν. Hoc est. Eundem concentnm.

Pag. 481.

Molles enim quum sint hi, ac tenues, longoq; interuallo secundum rectitudinem tendantur, maximamq; præterea particulam à seipsis pendentem, uentriculum scilicet, habeãt, quem cibo compleri subinde oportebat: ab ipsius tum mole, tum pondere tensi assiduè, facilè disrumperentur. Græcè habetur: μαλακὰ γὰρ ὄντα ταῦτα, καὶ λεπτὰ, καὶ διὰ μακροῦ κατ' εὐθὺ τεταμένα, καὶ μέγιστον μόριον ἠρτημένον αὐτῶν ἔχοντα, τὴν γαστέρα πληρούμενον σιτίων ἑκάστοτε, ὑπὸ τοῦ ταύτης ὄγκου τε καὶ βάρους ἀεὶ κατατεινόμενα, ῥᾳδίως ἂν ἀπερρήγνυντο. Quæ sic nobis transferenda uidentur: Hi enim molles ac tenues quum sint, si etiam longo interuallo secundum rectitudinem tenderentur, maximam præterea particulam à seipsis pendentem habentes, uentriculum scilicet, quem subinde compleri cibo oportebat: certè ab ipsius tum mole, tum pondere assiduè tensi, facilè disrumperentur, &c̃. Nam quòd ij nerui minimè secundum rectitudinem producantur, indicat sermo superior, ubi Galenus sic ait: Adde huc, quòd neruis qui à cerebro in uentriculum iuxta stomachum deferuntur, obliqua uia tutior multò erat futura, quàm recta.

Pag. 492.

Quem sanguinem appellant. Græcè habetur: ἣν αἱματικὴν ὀνομάζουσιν. Hoc est: quem sanguificum uocant.

Pag. 511.

Post autem idipsum. Græcè αὐτὸ τὸ αὐτό. Cæterùm cùm τὸ αὐτὸ nihil aliud quàm spiritum referat, nos certè (quem postea) uertimus.

Pag. 532.

Per anastomosin applicuisset. Græcè legitur: ἀναστομώσαντα. Hoc est: aperuisset.

Lib. VII. Pag. 545.

Nicolaus Reg. Si omni natura cartilago fuisset nudata. Græcè habetur: ἀφύσει γυμνὸς ἦν ὁ χόνδρος. Sed legendum est φυσικῶς, ut uertamus: Si cartilago naturaliter esset nudata.

Lib. IX. Pag. 635.

Nicolaus Reg. Quæq; in ea est, membranam pericranium. Græcè: καὶ τὸν κατ' αὐτῆς περικράνιον ὑμένα. Quod utiq; uertendum erat: Quæq; ex ea oritur pericranion membranam. Nemo siquidem nescit ex crasso cerebri inuolucro, per cranij suturas elapso, pericranium ducere originem.

Pag. 637.

Atq; ita rursus superiori parte diuisis unitionis ipsorum. Græcè: καὶ ὅτι πάλιν σχιζομένων, ἔμπροσθεν αὐτῶν τῆς ἑνώσεως. Quod nos uertimus: Atque ita rursus diuisis post eam, ante unitionem quidem ipsorum, &c̃. Galeni quippe sententia est, neruos illos uisificos, priusquàm crassa meninge excidant, conspirare in unum: diuaricari autem, ubi illam fuerint elapsi: pręterea, ante coitionem ipsorum, peluim quandam constituere.

Pag. 647.

In omnibus animalibus primi hi neruorũ omnium sunt iam durissimi. Græcè legimus: διὰ παντὸς ταῦτα πρῶτα τῶν νεύρων, ἀκριβῶς ἤδη ἐστὶ σκληρά. Hoc est: In uniuersum autem, ex neruis ipsis, hi existunt primi, qui iam exquisitè sunt duri, &c̃. Nam dicere neruos septimæ coniugationis esse neruorum omnium durissimos, hominis planè est in anatome minimè exercitati: cùm liquidò constet, neruos omnes, qui ab spinali oriuntur medulla, eis longè duriores existere.

Pag. 650.

Neque perforatum. Græcè: καὶ ἀκατάθραυστον. Sed ἀκατάθραυστον est legendum, uertendumq;: Et quod comminui non possit.

Pag. 653.

Qui uerò ad ossa maxillæ inferioris magnos dentes scilicet penetrant, &c̃. Græcè habetur: ὅσον δ' ἐς τὰ τῆς κάτω γένυος ὀστᾶ παρεγχέομενον τοὺς ὀδόντας τοὺς μεγάλους. Quæ sonant: Quantùm uerò ex ipsis ad ossa maxillæ inferioris magnos prætergrediuntur dentes. Quæ lectio ex sententia subdita etiam colligi poterit.

Ibidem.

Propagines recipiunt per eam quidem uiam, quæ per genam fert, quam paulò antè indicauimus, malæ conspicuas & magnas: gingiuarumq; aliæ quidem maiores, aliæ uerò minores: omnes tamen tenues ac uix cõspicuas accipiũt, uelut & longi dentes. Græcus codex habet: ἀποσχίσεις λαμβάνουσι, κατὰ μὲν τὴν διὰ τῆς γένυος ὁδὸν, ἣν ὀλίγον ἔμπροσθεν ἐδείξαμεν, αἱ γνάθοι σαφεῖς καὶ μεγάλας· καὶ τῶν οὔλων, τὰ μὲν ἔλαττον, τὰ δὲ μᾶλλον. ἅπαντα δ' οὖν λεπτάς τε καὶ δυσθεωρήτους, τά τ' οὖλα, καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ὀδόντων. Hoc est: Recipiunt propagines per genæ regionem, quam paulò antè indicauimus: cæterùm molæ quidem, conspicuas & magnas: ex gingiuis autẽ, hæ quidẽ, minus: hæ uerò, magis

conſpicuas : omnes tamen tenues, obſcuraſq́, tum gingiuæ, tum reliqui dentes.

Pag. 658.

Tres enim ſunt omnino capitũ figuræ. Græcè : *ὅλα γὰρ αὐτῶν ἔτι τὰ πάντα σχήματα.* Quod eſt: Ipſorum autem uniuerſæ figuræ ſunt tres, &c̃. Agebat autem de capitibus faſtigiatis, quorum figuras ait eſſe tres : nempe unam, ubi utraque eminentia, anterior uidelicet & poſterior abeſt: ſecunda, ubi anterior tantùm : tertia denique, ubi poſterior duntaxat eſt exoluta. Quòd ſi de uniuerſis capitis figuris Galenus impræſentiarum egiſſet, prẹter has tres, annumeraſſet etiam naturalem figuram, atque adeò complures alias ſe præter naturam habentes.

Lib. x. Pag. 664.

Nicolaus Reg. Quocirca medius is uehiẽ ad ipſum cryſtallinũ. Græcè habetur: *ὅτι διὰ τοῦτο μέσον ἔχεται κατ᾽ αὐτὸ τὸ κρυσταλλοειδές.* Quod nos uertimus : Ac proinde medius in ipſo uehitur cryſtallinus humor, &c̃. Ait itaque non uitreum humorem in cryſtallino, ſed cryſtallinũ in uitreo, ueluti ſemiſectam ſphærã in aqua (hac enim utitur Galenus analogia) natare: id quod licet uidere manifeſtiſsimè. Siquidem cryſtallinus humor inſtar glaciei eſt cõpactus: uitreus autem humidior eſt, ipſamq́ aquam refert. Ob idq́ in eo cryſtallinus uehitur, ueluti globus ſemiſectus in aqua.

Ibidem.

Atq; etiam ophthalmia laborantes lux quidẽ offendit, eosq́ deprehendit. Græcè: *ἀλλὰ καὶ τοὺς ὀφθαλμιῶντας ἐλέγχει μὲν ἡ βλάπτει τὸ φῶς.* Quod clarius uertitur: Quin & lippitudine laborantes redarguit quidem ſplendor, ac lædit.

Pag. 671.

Cùm igitur opifex noſtri prouidere uellet, ut qua eſt foramen hoc, tunica cornea humorem cryſtallinum aliquando non contingeret. Græcè legitur : *ἵνα ἐν μηδὲ κατὰ τοῦτο τὸ τρῆμα ψαύσῃ ποτὲ ὁ κερατοειδὴς χιτὼν τοῦ κρυσταλλοειδοῦς ὑγροῦ, προνοήσας ὁ μὲν ὁ δημιουργός.* Quod eſt uertendum : Vt igitur nec per hoc foramen cornea tunica aliquando cryſtallinum humorem tangeret, cùm proſpexiſſet conditor noſter, &c̃. Non proſpexit ſiquidem ut aliquando non tangeret, ſed ut nunquã cryſtallinum cornea contingeret: quemadmodum reuera non tangit, niſi dum ipſius oculi fabrica omnino labefactatur.

Pag. 679.

Aceruati hi omnes ſuis aponeuroſibus. Græcè: *ἀπονευρώθησαν δὲ πάντες.* Quod eſt: Diſſoluti autem omnes in filamenta neruoſa.

Lib. xi. Pag. 713.

Nicolaus Reg. Quòd ſi magni ſint. Græcè: *ὅτι μεγάλοι.* Hoc eſt : Quoniam magni exiſtunt.

Pag. 714.

Omnia Latina exemplaria habent, ad palatũ columnam. Græcè legitur : *κατά τε τὴν ὑπερῴαν καὶ τὸν κίονα.* Quod eſt: iuxta palatum atq; columnã.

Pag. 741.

Qui igitur hic quoque natura contraria uniri inter ſe poſſe deſperauit? Græcè : *πῶς οὖν ὁ φύσει αὐτοῦ ἐνταῦθα, τοῦ μὴ ὑπὲρ ἀλλήλοις τὰ ἐναντία κατέγνω;* Quod ego ſanè uerterem : Quo pacto igitur hic quoque natura contraria inter ſe mutuò unire conſtituit?

Pag. 746.

Tum quod ex baſi capitis eſt, quæ dura eſſe oportet. Græcè : *ἔτι τε γὰρ τῶν ἐκ τῆς βάσεως ἔτι τῆς κεφαλῆς, σκληρῶν εἶναι δεομένων.* Quæ ſonant: Quodq́ ex ijs ſit, quæ baſi capitis inſunt, quæq́ dura eſſe expediebat.

Pag. 747.

Ante hos uerò tertium. Vbi legendum eſt: ante hæc uerò tertium : cùm ille articulus referat duo naſi oſſa. Similiter paulùlò inferius, ubi uertit Nicolaus Regius: ſupra quos alij ſunt duo: legendum eſt: ſupra quæ alia ſunt duo: cùm nimirum etiã illi articuli manifeſtè referant ad oſſa.

Lib. xii. Pag. 767.

Nicolaus Regius : Ob idq́ erat neceſſe quoſdam ei parte anteriore apponere. Græcus codex habet : *καὶ διὰ τοῦτο ἀναγκαῖον ἦν αὐτοῖς τινὰς αὐτοῖς ἐμπροσθεν μῦς.* Quod uertimus: Ac proinde neceſſum erat quoſdam ipſis parte anteriori opponere muſculos.

Pag. 771.

Motus enim & ſenſus omnium partium inferiorum læduntur læſo ſpondylo. Græcè clarius habetur : *κινοῦσι τε γὰρ καὶ αἰσθάνονται ἀπάντων βλάπτεται τῶν κάτω τοῦ πεπονθότος σπονδύλου μορίων.* Hoc eſt: Motus enim & ſenſus omnium particularũ, quẹ ſub læſo ſpondylo conſiſtunt, uitiantur.

Pag. 778.

Via autem omnis, quæ eſt inter primam productionem, & finem ultimæ. Græcè habetur : *ἡ δὲ μεταξὺ τοῦ τε πρώτης ἐκφύσεως, καὶ τοῦ ἐσχάτου τελευτῆς ὁδός.* Quod nos uertimus : Via autem quæ eſt inter primam productionem, & inſertionem ultimam, &c̃. Quandoquidem eo in loco Galenus ſummam uiæ ſecuritatem commendat, quæ ducit neruos à prima productione ipſorum, quæ fit ab ſpinali medulla, uſque ad particulas in quas inſeruntur.

Ibidem.

Ad poſteriores ſiquidem partes ſpinæ os attinet : quo loco cartilago quàmplurima ei circumiacet. Græcè legitur : *ἄχρι μὲν δὲ τῶν ὀπίσω περάτων ὅπερ ἔτι ὃ ἄκανθα, κατὰ ταῦτα δ᾽ αὐτῷ χόνδρος περίκειται πάμπολυς.* Quod ſic potius uerterem: Quatenus autem ad poſteriores fines uergit os quod acantham uocãt, eatenus ei cartilago plurima circunducitur.

Pag. 782.

Niſi quòd in thorace quum coſtæ non ſolùm eis ſint, &c̃. Græcè : *ὅ ὅτι κατὰ μὲν τὸν θώρακα τῶν πλευρῶν οὐ μόνον διαρθρουμένων αὐτοῖς.* Quod eſt: An quòd in thorace, quum coſtæ non ſolùm eis eſſent articulatæ, &c̃.

Lib. xiii. Pag. 795.

Nicolaus Regius : Apparet enim perſpicuè, quòd nõ præſtiterit ab utroq; ipſius fine neruos quoſuis producere, ob id fuiſſe pertuſum. Græcè habetur: *φαίνεται γὰρ ἐναργῶς, ὅτι καθ᾽ ἑκάτερον αὐτοῦ τὸ πέρατον, οὐκ ἦν ἄμεινον ἐκφῦναι τινα νεῦρα. καὶ διὰ τοῦτο τέτρηται.* Quẹ ſonant: Apparet enim perſpicuè, quòd nõ præſtiterit per utrunq; ipſius finem aliquem

nerũum

neruũ producere:ob idq́ipſum fuiſſe pertuſum.

Pag. 797.

Quemadmodum & alijs omnibus eius loci ſpondylis propagines quaſdam exiguas mittit, quomodo & reliquis coniugationibus neruorũ qui ſunt in collo. Græcè: ὥσπερ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι τοῖς τῇδε σπονδύλοις, ἀποφύσεις τινὰς σμικρὰς, ὁμοίως ταῖς ἄλλαις συζυγίαις τῶν νεύρων τῶν κατὰ τὸν τράχηλον. Quod eſt uertẽdũ: Quemadmodũ & alijs omnibus eius loci ſpondylis propagines quaſdã exiguas mittit, quo modo & reliquæ coniugationes neruorum qui ſunt in collo.

Pag. 800.

Quas à ſpinali medulla neruos recipere præſtiterat. Græcè legimus: εἰς ὅσον ἐκ τοῦ κατὰ τράχηλον νωτιαίου τὰ νεῦρα λαμβάνειν. Hoc eſt: Quas à ſpinali medulla colli præſtiterat neruos recipere.

Pag. 813.

Porrò à ſcapulæ proceſsibus ſuperna quidẽ, quæ eſt ad ſummitatem humeri (quam quidem à coruini roſtri forma κορακοειδῆ nominant) interna uerò, &c̃. Codex quidam uetuſtus habet: ἀπὸ δὲ τῶν ἀποφύσεων τῆς ὠμοπλάτης ἄνωθεν, τῆς κατὰ τὸ ἀκρώμιον, ἣν ἐκεῖνοι κορακοειδῆ προσαγορεύουσιν, ἔξωθεν δέ. Quę ſonant: Porrò ab ſcapulæ proceſsibus ſuperioribus, eo quidem, qui eſt ad ſummitatem humeri (quem illi coruiformem appellant) externo uerò, &c̃.

Pag. 814.

Qui ortus máxima ex parte coſtæ imæ ſcapulæ. Græcè: ἐκπεφυκὼς τοῦ πλάτου μέρους τῆς ταπεινῆς ἐν ὠμοπλάτῃ πλευρᾶς. Quod nos uertimus: Qui ortus à maxima parte inferioris, quod in ſcapula eſt, lateris.

Ibidem paulò inferius.

Qui ex inferiore fine coſtæ imæ ſcapulæ proficiſcitur. Græcè: τοῦ κάτω πέρατος ἐκπεφυκὼς δὲ ταπεινῆς ἐν ὠμοπλάτῃ πλευρᾶς. Quod eſt uertendum: Qui ex inferiori ora lateris humilioris, quod in ſcapula eſt, proficiſcitur.

Pag. 816.

Fertur ad humerum. Græcè legitur νῶτον. hoc eſt, dorſum. Et paulò inferius, Nicolaus Regius uertit: hoc quidem maximè trahit: cùm uertendum fuiſſet: hunc, ſcilicet humerum, maximè trahit.

Lib. XIIII. Pag. 821.

Nicolaus Regius: Quæ propter corporis imbecillitatem, aut uitam omnino breuiſsimam. Græcè legitur: ὅσα διὰ τὴν τοῦ σώματος ἀδυναμίαν ἔτι βραχυχρόνια, τίκτει. ſed legendum nõ ἔτι, ſed ἦν. ut uertamus: Quæ ob corporis imbecillitatem uitam exquiſitè breuem ſortiũtur. Quippe ſententia Galeni eſt: quæ ob corporis imbecillitatem, admodum breuis uitæ futura erant, aut præda etiam fortioribus: ijs animalibus remedium aſſidui interitus excogitaſſe naturam, nempe fœcunditatem generationis.

Pag. 828.

Verùm (quod nuper diximus) fœmina in motu eſt imperfectior, mas uerò perfectior. Græcè: ἀλλ' (ὡς εἴρηται νῦν) τὸ μὲν ἀτελέστερον ἐν τῇ κινήσει θῆλυ, τὸ δὲ τελειότερον ἄρρεν γίνεται. Quod eſt: Cæterùm (quemadmodum eſt nuper dictum) quod imperfectius mouetur ſemen, fit fœmina: quod uerò perfectius, mas.

Pag. 832.

Habet enim is dextro plures flexus uariciformes. Græcus codex antiquus: καὶ γὰρ ὄν καὶ ψυχρότερος ὁ ἀριστερὸς τοῦ δεξιοῦ. Quod eſt: Etenim ſiniſter dextro eſt frigidior.

Pag. 833.

Siquidem fieri poteſt, ut etiam ſi initium à fœmina ſit profectum. Græcè: προϊούσης γὰρ δὴ τῆς ἀπὸ τοῦ θήλεος ἀρχῆς, ἐνδέχεταί ποτε, &c̃. Hoc eſt: Procedente enim principio à fœmina, fieri aliquando poteſt, &c̃.

Pag. 836.

Propagines quædam ad matricem rectà ferantur. Græcè: πρὸς τὴν κατ' εὐθὺ μήτραν. Hoc eſt: ad matricem quæ è directo eſt ſita.

Pag. 838.

Fieri non potuit quin naturæ artem admiretur. Græcè: ἀδύνατον αὐτοῦ μὴ θαυμάσαι τὴν τέχνην τῆς φύσεως. Hoc eſt: Impoſsibile eſt, quin ibidem artẽ naturæ admiretur.

Pag. 842.

Inſunt autem matrici & corpora muſculoſa. Græcè: ἔνεστι δὲ αὐτῷ τὰ μυώδη σώματα. Quod eſt uertendum: Inſunt autem ei uaſi muſculoſa corpora. Quandoquidem articulus ille, non matricem, ſed ſpermaticum uas, de quo nimirum Galenus agebat, refert.

Lib. XV. Pag. 857.

Nicolaus Regius: Hæc membrana omnibus matricis partibus, quæ ſunt intra orificia, ſubijcitur. Græcè: καὶ τοῖς μεταξὺ τῶν στομάτων ἅπασι μέρεσι δὲ ὑμὴν διπλοῦς ὑποτέτακται. Quod eſt: Atque omnibus matricis partibus, quæ inter orificia conſiſtunt, duplex ſubijcitur.

Eadem pagina.

Eæ uerò paululùm progreſſæ. Græcè: προελθόντα δ' ὀλίγον. Quod eſt: progreſſa autem parum: ut ſenſus ſit, matricis uaſa (non radices arboris, quemadmodum arbitratur interpres) paululũ progredientia, per coniugationem coaleſcere.

Pag. 868.

Ac ſi ter aut quater non concinnè excidens non ſuffocaretur, eo certè modo accideret ex quadringentis, uerbi gratia, fœtibus centum impediri. Græcè legitur: ἀλλ' εἰ μὲν ὅτι ἐστὶ, ὁ τρισάκις ἢ τετράκις ἐκπεσόντων ἅπαξ ἐκωλύετο, συνέβαινεν ἂν οὕτω γε τετρακοσίων κυημάτων, εἰ τύχοι, ἑκατὸν ἐμποδίζεσθαι. Quę dictio uidetur eſſe corrupta. Ego uerò ſic illã uerterem: Cæterùm ſi ex tribus aut quatuor nõ cõmodè excidentibus fœtibus, unus impediretur, contingeret utiq; ſic, ex quadringentis, uerbi gratia, centum prorſus extingui.

Lib. XVI. Pag. 879.

Nicolaus Reg. Affuſa autem ſiccis corporibus ac tenuibus, ut ipſa perpetuò pinguedine natiua humectet, quæ celeriter in diuturnis inedijs, ac uehementibus laboribus, & caloribus immodicis exiccat, atq; indureſcit, &c̃. Quo in loco interpres id pinguitudini tribuit, q̃d de corporibus tenuibus & ſiccis intelligendũ eſt. Ait nanque Galenus: quandoquidem talia corpora facilè per labores & exiccantur & indureſcunt (id q̃d uerba illa, ξηραινόμενα καὶ σκληρυνόμενα, planè uobis

declarant)naturam illis ceu remediū quoddam, pinguitudinem adiunxisse.

Pag. 904.

Quocirca &arteriæ productio, quæ in dextrū renem prorumpit, producitur ab arteria superiore ea quæ ad sinistrum it. Græcè habetur: καὶ ἡ εἰς τὸν δεξιὸν ἐμβάλλουσα νεφρὸν ἀποβλάστησις τῆς ἀρτηρίας, ἀνωτέραν τὴν ἔκφυσιν ἔχει τῆς εἰς τὸν ἀριστερὸν ἰούσης. Quod uerti debet: Atque arteriæ productio, quæ in dextrū renem fertur, superiorem habet exortum, quàm illa quæ ad sinistrum tendit.

Pag. 912.

Tum à parte posteriore in anteriorē. Græcè ἐκ πρόσθεν ὀπίσω. Hoc est, ab anteriore ad posteriora.

Lib. XVII. Pag. 918.

Nicolaus Reg. Quòd si ipsum primū mouēs (quod est princeps animæ facultas) respexeris, musculi rationem instrumenti habebunt: sin ad os quod ab ipsis mouetur, non, sed hanc effectoris habebunt rationem. Græca dictio accuratius mentem Galeni exprimit: πρὸς μὲν ἂν τὸ πρῶτον κινοῦν (ὅπερ ἐστὶν ἡγεμονικὸν) ὀργάνου λόγον οἱ μύες ἔχουσι· πρὸς δὲ τὸ κινούμενον ὀστοῦν ὑφ᾽ ἑαυτῶν, καὶ τοῦτον μὲν, ἀλλὰ καὶ τὸν δημιουργοῦ. Hoc est: Ad primū igitur mouens (quæ princeps animæ facultas existit) musculi comparati, instrumenti rationem obtinēt: ad os autē, quod ab ipsis mouet, & illam, & rationē etiā opificis.

Pag. 919.

Quoniam autem nōnulli corporū elementa ea substantijs omnino posuerunt, ut naturæ artificio coniungi nequeant. Græcè habetur: ἐπεὶ δ᾽ ἔθεντό τινες στοιχεῖα τῶν σωμάτων ὑπέθεντο τὰ τοιαῦτα ταῖς οὐσίαις, ὡς συναφθῆναι μὴ δύνασθαι τέχνῃ φύσεως. Quę sonant: Quandoquidem nōnulli elementa corporum talia substantijs initio constituerunt, ut coalescere naturæ artificio non possent.

Pag. 924.

Licet autem ipsam perspicias naturam uel ex ipsis hominibus. Græcè: ἰδεῖν δὲ ἔξεστι νῦν φύσιν λογικὴν καὶ κατ᾽ αὐτοὺς τοὺς ἀνθρώπους. Quod est: Cernere autem nunc licet quandam ratiocinatricem naturam, uel in ipsis etiam hominibus.

Pag. 925.

Neque (quod dixi) contraria de ipsius uniuersi elementis opinio, quam temerè quidam posuerunt, inhæseris. Quæ oratio aures grammaticorum offendit. Græcè autem legimus: πλὴν εἰ (καθάπερ εἶπον) ἀντιπνεῖ τις δόξα περὶ τῶν στοιχείων τοῦ παντὸς, &c. Hoc est: Nisi (quemadmodum dixi) refragetur aliqua opinio, de elementis uniuersi concepta, &c. ἀντιπνεῖν siquidem est resistere, refragari, reluctarique.

Eadem pagina.

Non igitur soli medico opus de Vsu partium est utile, sed multò certè magis medico philosopho, qui totius naturæ scientiā studeat sibi comparare, eumque oportet his sacris initiari. Græcè legitur, καὶ κατ᾽ ἐκείνην χρὴ τελεῖσθαι τὴν τελετήν. Quod nos uertimus: Iuxta cuius indagationē nos consenescere oportet. Licet etiam ad uerbum reddere: In cuius quidem indagine oportet nos diem ultimam claudere.

Pag. 928.

Omnia latina exemplaria habent, uel iaculis infixæ: fortè ob inaduertentiam typographi. Legendumque est, infixis.

## *Lib. III. de placitis Hippocratis & Platonis.* Pag. 970.

ANdernacus. Cōmuniter reliqui huc ferri uidentur. Felicianus: Plerique omnes uerò in hanc sententiam propendere ac ferri mihi uidentur. Græci codices impressi habent: κοινῇ δέ μοι δοκοῦσι λαοὶ φέρεσθαι ἐπὶ τοῦτο. Cæterū uetus quidam habet non λαοί, sed ἄνθρωποι. Hoc est: Cōmuniter autem mihi uidentur homines. Atque ita legendum esse, in primis docet illa Galeni præcedens dictio, κοινὴν ἐνταῦθα φορὰν ὁ Χρύσιππος εἴρηκε, τὸ κοινῇ πάντων ἀνθρώπων δοκοῦν. Hoc est: Cōmunem impræsentiarum inclinationē appellauit Chrysippus, cōmunem hominum opinionem.

Pag. 977.

Nisi clarè Homerus in his percenset. Felicianus: Nisi his carminib. Homerus exprimit. Græcè: εἰ μὴ σαφῶς ἐν τούτοις Ὅμηρος ἐνδείκνυται. Sed corruptè legitur εἰ μὴ, αὐτὸς οἶμαι. Itaque uertendum est: Clarè Homerus (ut arbitror) in his percenset.

Lib. VI. Pag. 1090.

Andernacus. Sed temporis spacio animal offenditur, iecore in totius corporis tabem (quam atrophiam uocant) & pallorem elauguescente. Felicianus: Iecore enim debilitato, sensim animal, moraque temporis, læsionem in alimento & colore contrahit. Græcè: ἀλλ᾽ ἐν τῷ χρόνῳ βλάπτεται τὸ ζῶον εἰς ἀτροφίαν τε καὶ ἀχροιαν, ἥπατος ἀτονήσαντος. Quę nos uertimus: Sed tēporis spacio animal læditur, nutrimentique usu non promouetur, ac pallidum cōtrahit colorem, iecore malè affecto.

Pag. 1099.

Maxima autem fides, iecur nullum humorem in animalis particularum nutritionē cordi præparare, sed ipsum uniuersam eius speciem absoluere, quòd una sit uena quæ ex iecore aut corde procedat, altera uerò nō item contrà enascatur ex alia ipsorum parte, quæ elaboratū humorem in totum corpus deducat. Felicianus: Iecur uerò nullum humorē in alimentū membrorū animalis cordi præparare, sed ipsum totā humoris formam perficere, inde argumentū maximū habere possumus, quòd una tantū uena cernitur à iecore ceu à corde exoriri: neque alia quæpiam ex alia parte seu iecoris seu cordis extat, quæ humorem ipsum & succum iam concoctum in totum corpus semel traducat. Vterque autem ipsorū coactus est cum mendoso codice hallucinari. Legitur autem in uetustissimo quodam: τὸ μίαν εἶναι φλέβα τὴν ἐξ ἥπατος εἰς τὴν καρδίαν ἐμφυομένην, ἑτέραν δὲ μηδεμίαν ἐκπεφυκέναι κατ᾽ ἄλλο μέρος αὐτῆς ὡς ὅλον ἅπαξ φέρουσαν τὸ σῶμα, &c. Quæ nos conuertimus: Quòd cùm una sit uena quæ ex iecore in cor procedit, nulla alia enascat ab altera ipsius cordis parte, quæ elaboratū humorē in totū corpus deducat.

Lib. VII. Pag. 1136.

Andernacus. Meritò igitur generatur hic spiritus in cerebri uentriculo. Felicianus: Verisimilius igitur est spiritum hunc in cerebri uentriculis oriri. Græcè legitur: εὔλογος ἂν γεννᾶσθαι μὲν τοῦτο τὸ πνεῦμα κατὰ τὰς κοιλίας τοῦ ἐγκεφάλου. Hoc est: Rationi autē est consonum, hunc spiritū gigni iuxta uentriculos cerebri, &c. Etenim animalis spiritus, non

nō in uentriculis cerebri, ſed in plexu retiformi, qui iuxta illos eſt, gignitur: unde in uentriculos eructatur, ut illinc, ueluti ex quibuſdam fonticulis emanans per neruos, uniuerſis animalis particulis motum atq; ſenſum largiatur.

Pag. 1146.

Quemadmodū guſtus humores. Felicianus: Sicuti ſuccos guſtatus. Gręcè legitur: καθάπερ ἡ γεῦσις τῶν χυμῶν. Hoc eſt: Quemadmodum guſtus ſapores. Ait enim uiſum colores ſentire, perinde ut guſtus ſapores percipit.

Ibidem.

At coloratum corpus ſimul cum eo cognoſcit, quemadmodum guſtus quod humores obtinet. Felicianus: Cùm illis uerò poſtea coloratū corpus, ſicut guſtus id quod ſuccos in ſe habet. Græcè: καθάπερ ἡ γεῦσις τὸ τοὺς χυμοὺς ἔχον. Quod eſt: Quemadmodum guſtus id quod ſapores continet: χυμὸς ſiquidem, non modò humorem, ſed ſaporem etiam crebrò ſignificat.

Pag. 1151.

Quemadmodū & tactilis ſenſus inſtrumenta ſenſus renixu. Felicianus: Quemadmodum uerò ſenſus tactus ſenſilia per cōcurſum. Græcè: ὥσπερ γὰρ ἡ ἁπτικὴ αἰσθάνεται αἰσθητὰ δι᾽ ἀντιβάσεως. Quod eſt: Quemadmodū tangendi ſenſus ſenſilia, per renixum.

Ibidem.

Humorū dignotio corrumpitur. Felicianus: Succorum dignotio etiam interit. Græcè: διαφθείρεται τῶν χυμῶν ἡ διάγνωσις. Quod eſt: Corrumpitur ſaporum dignotio.

Pag. 1166.

Qui clarius manifeſtiusq; ſanè quemadmodū & alij complures, quaſi non habita illius duntaxat ratione, qui à me illum accepturus erat, ſed tanq̄ aliorum quoq; imperitiorū illo manus eſſet peruenturus, à me eſſet ſcriptus. Cui etiā ſuffragatur Feliciani tralatio. At græcus codex habet in hūc modū: ὃ σαφέστερον ἦν ἂν ἐγέγραπτο, καθάπερ καὶ ἄλλα πολλά, μὴ πρὸς μόνον ἀποβλέποντα τὸν λαμβάνοντά με τὸ βιβλίον, ἀλλ᾽ ὡς καὶ τῶν ἀμαθεστέρων ἐκείνου μελλόντων ὁμιλήσειν αὐτῷ. Quæ perſpicuè magis conuerti poſſunt, in hunc modū: Qui manifeſtius ſanè mihi cōſcriptus eſt, quemadmodum alij plures: idq; non habita eius tantū ratione, qui à me illum accepturus erat, ſed aliorum etiam imperitiorū eo, quibus debebat item communicari.

Lib. IX. Pag. 1238.

Andernacus: Itaque ſcopi ſecundum quos ſingula hæc rectè aliquis aggrediatur, omnino pauci ſunt: nempe in ipſis exercitatio, quæ non parum temporis requirit. Felicianus: Fines igitur quibus ſingula hæc rectè aliquis tractare poſſet, prorſus pauci ſunt: exercitatio ſcilicet, quæ tamen non paruo tempore uidetur indigere. Græcè legimus: οἱ μὲν οὖν σκοποί, καθ᾽ οὓς ἕκαστα τούτων ὀρθῶς ἄν τις μεταχειρίζοιτο, παντάπασιν ὀλίγοι· τὸ δὲ κατ᾽ αὐτοὺς γυμνάσιον, οὐκ ὀλίγου χρόνου δεόμενον. Quod ſic uerterem: Scopi igitur ſecundum quos ſingula horum rectè tractare quis poſsit, omnino ſunt pauci. In ipſis autem exercitatio, haud exiguum tempus deſiderat.

# SECTIONE SECVNDA.

## *Lib. Num ars tuendæ ſanitatis ad medicinalem artem ſpectet.*

Pag. 4.

IVnius Paulus: Ad neruorum ſutorem. Græcè: τοῦ νευρορράφου. Hoc eſt: ad illum qui neruis conſuit.

Pag. 33.

Sic uertit, aut peruertit potius carmē Homeri:

*Dictior eſt cunctis medicus mortalibus unus.*

In alijs tamen exemplaribus legitur, doctior: Vtrobique autem ſententia poëtæ eſt corrupta, Græcè ſiquidem legitur:

ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων,

Cuius ſententia eſt:

*Vnicus exiſtens, ritè tamen omnia callens.*

Pag. 44.

Duabusq; artibus præpoſitis hæ ſingulæ deſeruit. Græcus antiquus habet: καὶ δυοῖν ὑπηρετεῖ τέχναις ἀφεστώσαις ἑκάτερα τούτων. Hoc eſt: Duabusq; artibus ſeparatis harum ſingulæ inſeruiunt.

## *Lib. I. de alimentorū facultatib.*

Pag. 59.

MArtinus Gregorius: Deinde affigentes. Græcè: κἄπειτα περιπλάττοντες. Hoc eſt: Ac deinde circunlinentes. Monet ſiquidem illic Galenus, ut poſteaquàm cauitatem cydonij mâli repleuerimus ſcammonio, mâlum ipſum obducamus, atque circunlinamus, luto uidelicet, aut fermento: ac dein aſſemus. Qui modus obſeruatur hodie in præparando ſcammonio.

Pag. 63.

Et omnium maximè per aluum ſubſidet. Græcè: καὶ μάλιστα τῶν ἄλλων ὑπέρχεται κατὰ γαστέρα. Quod uerterem: Inter cæterosq; maximè per aluum deſcendit.

Lib. II. Cap. de fugacibus fructibus.

Pag. 102.

Martinus Gregorius: Vtuntur autem omnes ipſa (cucurbita ſcilicet) magis quàm alio quouis fructuum eſculentorum: quòd cęteris fructibus ſint aridiores ac ſicciores. Hoc tamen non reperitur in græco exemplari: nec uidetur etiā rationi conſonum: cùm cucurbitæ, nulli aut certè paucis aliorum fructuum, humiditate cedant.

Pag. 128.

Læditur autem maximè ab ipſorum eſu, quòd aut inflammetur, aut ſcirrho obſideatur. Græcè: βλάπτεται δὲ καὶ φλεγμαῖνον, καὶ σκιρρούμενον ἐσχάτως ὑπὸ τῆς ἐδωδῆς αὐτῶν. Quod eſt: Extremè autē ab ipſarum (palmularū uidelicet) eſu læditur, ſi obſeſſum phlegmone, aut ſcirrho fuerit. Neq; enim tam perniciosum ait eſſe fructum palmarū Galenus, ut ex ſolo ipſarum eſu poſsit hepar aut inflammationem, aut ſcirrhum contrahere: at iam inflammatum, aut ſcirrho induratum hepar, ab uſu phœnicum maximè oblædi pronunciat.

Lib. III. Pag. 169.

Martinus Gregorius: Quoniam non temerè in uentriculo cuiuſquā coagulatur. Græcè: διὸ καὶ σπανίως ἐτυρώθη τινὶ κατὰ τὴν γαστέρα. Quod eſt: Ac

proinde rarò alicui fuit coagulatum in uentre.

## *Lib. de euchymia & cacochymia.*

Pag. 807.

FErdinandus Balamius: Haud sanè exquisitis admodum cibis utatur. Græcè: οὐδὲ τῆς ἀκριβοῦς πάνυ διαίτης δεῖται. Hoc est: Nec cibis admodum exquisitis indiguit.

## *Lib. de cognoscendis curandisq; animi affectibus.*

Pag. 875.

BErnardinus Donatus: Nec tamen illud dixerim melius esse, &c. Est tamen codex corruptus, qui sic instaurari debet: εἰ μὴ τὴν ἀρχὴν ἄμεινον ἦν, &c. Quod nos uertimus: Nisi fortè melius esse uideatur, initio, &c.

Pag. 281.

Magnum quippe fuerit credo, si nullus eorũ moderatior in cibo & potu sumendo sit uisus. Quòd si te ipsum hoc honore afficere decreuisti, &c. Græcè habetur: μέγα γὰρ οὐδὲν ἐκείνων ἐσθίειν τε καὶ πίνειν ἐγκρατέστερον· εἰ δέ τις ὅπως σαυτὸν ἔγνωκας τιμᾷν. Quod est: Magnum quippe non fuerit si in cibo & potu illis temperantior uideatis. Sed si te hoc honore afficere decreuisti, &c. Vult nanq; eo in loco Galenus (id quod paulò pòst subdit) ut nõ cæteros modò, sed nos etiã ipsos uincamus, modestius nempe, & continentius uiuentes hodie, quàm heri. Pag. 893.

Ac per hoc ipsum præceptum singulis diebus in singulis huiusce operis partibus, nos ipsos exerceamus. Quod quidem cùm cæteris ex puerili disciplina contingat, alijs illis, quibus in hoc fortuna non fuerit, serò tandem ea ratione quam exposui, continget. Græcè habetur: τὴν δ' ἐν τοῖς κατὰ μέρος ἔργων ἄσκησιν καθ' ἑκάστην ἡμέραν ποιουμένων ἐπὶ τοῖς δὲ τοῖς δόγμασιν, ὅπερ ἐκ τῆς πρώτης παιδείας ἐνίοις ὑπάρξει, τοῦτο τοῖς ἀτυχήσασιν ἐκείνοις ὕστερον ποθ' ὑπάρξει, δι' ἧς εἶπον ὁδοῦ. Quod est uertendum: Cæterùm si operibus particularibus circa hæc præcepta singulis diebus se exerceant, quod quidem ex prima educatione contingit cæteris, id infelicibus illis postea tandem cõtinget ea, quam exposui, ratione.

Pag. 296.

Etenim ex ijs in quibus ipsa se exercuerit, multò existit generosior. Quo in loco reddendo, interpres est græcam phrasim secutus, quæ habet: ἐξ ὧν ἐγυμνάσατο. id quod præstiterit uertere: Eo quòd se exercuerit.

## *Lib. I. de sanitate tuenda.*

Pag. 345.

LInacer: Nempe per nares genasq;. Græcè: κατά τε τὴν ῥῖνα, καὶ κατὰ βλέφαρα. Hoc est: Iuxta nares & palpebras. Ait nanq; Galenus, oculum explodere quicquid in eo excrementi gignitur, non per nares, sed per foramen quoddam, quod in angulo interiori oculi, iuxta nares, intra palpebrasq; consistit: id quod in oculorum anatome satis superq; iam demonstrauerat.

Lib. II. Pag. 355.

Linacer: At procedente tempore, ubi iam adoleuit. Græcè: ὅταν δ' ἤδη μειράκιον ἡμῖν γίγνηται. Quod est: Vbi iam adolescit.

Pag. 441.

Frigidi nanq; succi marcorem. Græcè: ἐπὶ μὲν γὰρ τοῖς ψυχροῖς τά τε κώματα, καὶ οἱ μακρότεροι τῶν ὕπνων. Hoc est: Frigidi enim, sopores ac prolixiores somnos inducunt.

Lib. V. Pag. 476.

Linacer: Hæc facies, ubi naturalem planè habitum crura receperunt. Græcè: ὅταν δέ σοι ταῦτα πράξαντι, κατὰ φύσιν ἀκριβῶς ἔχῃ τὰ σκέλη. Hoc est. Hęc tibi perficienti, si exactè secundum naturam se habeant crura.

## *Lib. I. de simplicium med. facultatib.*

Pag. 882.

THeodoricus Gerardus: Verũ ei qui eodẽ sensu cõmunicat, licet suggerere. Græcè: ἀναμνῆσαι μέν τοι τὸν ἤδη αὐτοῖς αἰσθήσεως κεκοινωνηκότα. Hoc est: Recordari autem eum, cui talis sensus fuerit cõmunicatus, possibile est. Galenus itaq; ait, impossibile quidem esse, ut exactè quis interpretetur differentias astringentis, austeri, atq; acerbi saporis: fieri autem posse, ut recordetur illorum, ubi talia semel gustarit.

Lib. III. Pag. 658.

Theod. Quòd si ad id nonnihil faciat ipsius raritas. Græcè: συντελεῖ μὲν οὖν εἰς τοῦτο καὶ ἡ μανότης αὐτοῦ. Hoc est: Cõducit itaq; ad hoc etiã ipsius raritas. Lib. IIII. Pag. 698.

Theod. Diuersis tamen hactenus uiribus omphacis acetiq; succus constant. Græcè habetur: διαφέρει γε μέν τοι τὴν δύναμιν κατὰ τοσοῦτον ὀξους ὄμφακος χυλὸς ἴσος. Quod est: Eatenus autem facultate differt ab aceto omphacium. Pag. 699.

Etenim ad hypochondria ardentia, præstantior est succus omphacis, quàm aceti. Græcè: ὄξους αὐτοῦ. Hoc est: Præstantior est ipso aceto. Nam aceti succus non datur præter ipsum acetum. Exprimitur autem ex uua immatura, cuius cremor appellatur omphacium.

Pag. 704.

Ac partim in hac coniugatione. Græcè: καὶ τὰ μὲν ἐν τῇδε τῇ συζυγίᾳ τῆς κράσεως. Hoc est: Atque hæc quidem, in hac temperamenti coniugatione.

Pag. 711.

Omnia saltem cuti nostrę imposita. Gręcè: πάντα δ' οὖν. Quod est: Omnia igitur, &c̃.

Lib. V. Pag. 738.

Theod. Tantoq; siccius, quantò uincit siccitas, Græcè habetur: ἐστὶ τοσοῦτον δ' ὑγρότερον, ἐφ' ὅσον ὁ ξηρότης, &c̃. Quod est: Eatenus autem humidius, quatenus siccitas superat.

Pag. 734.

Ex familiari animantis natura fiat alteratio. Græcè: ἐξ οἰκείας ὕλης τῷ ζώῳ τὴν ἀλλοίωσιν γίγνεσθαι. Quæ sonant: Ex propria animali materia ipsam alterationem fieri.

Pag. 754.

Alia uerò ex putrescente arescenteq; generationem sortita. Græcè: ἡ δ' ἐκ σηπεδόνος ἐξαυχμώσης ἔχει τὴν γένεσιν. Quod est: Hæc autem, à putredine exasperante ducit originem.

Lib. VI. Pag. 793.

Theod. Idcirco mihi uidentur ueteres coronis ex eo plexis uti solere. Græcè additur: παρὰ τὰ συμπόσια. Hoc est: in conuiuijs.

Pag. 807.

Equidem uidi puellum, quandoq; octo totis mensi-

mensibus morbo comitiali liberum. In græco ex emplari additur: ἐξ ὅτου φέρει φησι. Hoc est: Ex quo tempore, uel quandiu radicem ipsam gestauit.

Pag. 819.

Cæterùm licet zingiber & piper album. Græcè legitur: καὶ τὸ μακρὸν πέπερι. Hoc est: Et piper longum. Pag. 820.

Cui accedit & ea quæ ex salis est farinæ natura. Græcè: καὶ προσέτι δὲ ἀπὸ τῶν ἁλῶν, καὶ δὲ ἀπὸ τῆς ἄλφιτα κατὰ φύσιν. Hoc est: Et ea quæ ex salis est, & ea quę ex farinæ naturâ.

Pag. 834.

Sicuti sanè etiam coitus semen pudendo circunlita. Gręcè legitur: κατὰ συνουσίαν. Hoc est: Coitus tempore.

Pag. 843.

Sed quę illi amaritudinis dum potatur adsunt opera. Græcè: ἀλλ' ὅσα πικροτάτου ἔργα πρόσεστι πινομένου φαρμάκου. Hoc est: Sed quæcunque amarissimo pharmaco, dum bibitur, adsunt opera, &c.

Pag. 850.

Quinq; partibus succi plus erat. Græcè: πεντάπλασιος δὲ ἦν ὁ χυλὸς ἐκάστου. Quod magis appositè uertitur: Ad utrunq; autẽ succi portio erat quincupla. Pag. 866.

In semine quidem uiuentẽ habens qualitatẽ acidam. Græcè habetur: κατὰ δὲ τὸ σπέρμα. Hoc est: Iuxta semen, uel circum semen. Ait quippe Galenus id q̃d res est: nempe quicquid in mâlo Medico, siue citrio, iuxta semen adhęret, & unde exprimitur succus, cum acore quodã siccare. Quãdoquidem semen citrij minimè talem facultatẽ sortiri, uel ex gustu intelligi poterit.

Lib. VIII. Pag. 873.

Theod. Piri quidẽ syluestris prorsum atq; absolutè amarus est: scilicet fructus. Græcè habet: ὀμφακές. Hoc est: Acerbus.

Pag. 875.

Veluti & chartæ cõbustæ cinis, nisi quatenus infirmior est, q̃ papyri. Græcè: πλὴν ὅσον ἀσθενέστερα ἐστὶν ὁ δὲ παπύρου. Quod est: Nisi quatenus cinis papyri est infirmior. Cui lectioni suffragat Paulus, cuius uerba sunt hæc: Ad singula tamen papyri cinis multò inferior est. Pag. 884.

Non tamen nec reficcare, nec refrigerare manifestò potest. Græcè: ὁ μὲν οὖν ξηραίνειν, οὔθ' ὑγραίνειν ἐναργῶς δύναται. Quæ sonant: Cæterùm nec reficcare, nec humectare manifestò potest.

Pag. 887.

Caries lignorum, & maximè quę particeps est astrictionis. Græcè: σαπρότης ξύλων, καὶ μάλιστα ὅσα μετέχει στύψεως. Hoc est: Caries lignorum, eorum maximè, quæ astrictione sunt prædita.

Pag. 889.

Nõnullam item amarã qualitatẽ obtinet. Græcè: τινὸς καὶ δριμείας ποιότητος. Quod est: Nõnullã item acrem qualitatẽ. Pag. 899.

Sion quantùm gustu odoratum est. Græcè: σίον δὲ ὅσον ἀρωματίζει τοῦ κατὰ τὴν γεῦσιν. Quæ sonãt: Sion quatenus gustui utcunq; aromaticum est, &c. Nihil siquidem est odoratum gustui, sed ipsi tantũ olfactui. At quæ aromatica sunt, ea simul mouent olfactum & gustum.

Pag. 905.

Et nimium habet humiditatis. Græcè habetur oppositum: καὶ ἥκιστα μετέχειν ὑγρότητος. Hoc est: Et minimum habens humiditatis.

Pag. 906.

Phorbij semine ad leucomata cum melle applicant. Græcè legitur χρῶνται. Hoc est: Vtuntur.

Pag. 936.

Cæterũ utriusq; in medio est spuma litri. Græcè habetur: ἐν τῷ μέσῳ δὲ ἀμφοῖν ἐστὶν ἡ τοῦ νίτρου. Hoc est: In medio autem amborum est nitri sapor. Nam cùm paulò superius disputasset de sapore tum aphronitri, tum salis, postea subdidit, inter illos medium nitri saporem consistere.

Pag. 938.

Dictum tamen paulò antè est, aphrolitrum in medio consistentem habere facultatem aphronitri & salis. Corrigi tamen codex græcus mendosus debet, qui habet: ἀφρόλιτρον: quandoquidem esse legendum νίτρον, hoc est, nitrum, ex capite de sale liquidò constat.

Pag. 941.

Quæ in editioribus domorum, in quibus fornaces extructæ sunt, partibus colligitur. Græcè: ὁ ἐν τοῖς ὑψηλοτέροις μέρεσι τῶν οἴκων (sed legendum τοίχων) ἀθροιζόμενος κατὰ τὰς καμίνους. Hoc est: Quæ in editioribus partibus parietum ipsius fornacis colligitur. Pag. 981.

Quod patientis inguinibus. Græcè legitur: τοῖς λαγόσι. Hoc est: Ilijs.

Pag. 1000.

Capitibus mænidum sale inueteratarum, ad sedis fissuras utebatur quidam. Græcè additur: κεκαυμένας. Hoc est: Vstis.

Pag. 1004.

Noui autẽ nostratiũ quosdam ossa potui exhibuisse. Græcè legimus: ἔγνων δέ τινας τῶν καθ' ἡμᾶς, ἀνθρώπων ὀστᾶ κεκαυμένα πεπωκότας. Quod est: Noui equidem nostratium quosdam, propinantes humana ossa combusta.

Pag. 1006.

Porrò si laueris ea, ussfferisq;, ignea in aquã natura deposita, ipsam efficiunt cum tenuitate calefacientem, adeò ut & putrefaciat. Sed nonnun quàm reliquum terrenum est, morsus expers: id quod maximè implendis, cicatriceq; claudendis ulceribus humidis est utile. Græcus codex manuscriptus habet in hũc modum: ὁ δὲ πλυθεὶς αὐτὰ κεκαυμένα, τὸ μὲν οὖν πυρῶδες μετὰ τοῦ πνευματικοῦ τῷ ὕδατι, καὶ τοῦτο γε ἐργάζεται θερμαῖνον λεπτομερῶς, ὡς καὶ σήπειν ἐνίοτε· τὸ δὲ γεῶδες λοιπὸν, ἄδηκτον γίγνεται, χρήσιμον, ὁ μάλιστα ἐστὶν ἐπὶ τῶν ὑγρῶν ἑλκῶν χρήσιμον. Quæ sic nos uertimus: Quòd si ea, ubi exusta fuerint, laueris, quicquid habebant igneum, id totum in aqua ponunt. Ac proinde aqua quidem ipsa, excalfaciens cum tenuitate redditur, adeò ut putrefaciat interdum. Reliquum uerò terrosum, morsus expers efficitur, maximeq; implendis, & cicatrice claudendis ulceribus humidis auxiliatur.

## SECTIONE TERTIA.

### *Libro de causis respirationis.*

Pag. 25.

Cornarius: Sic etiam circa costas musculi, quorum in medijs ipsius regionibus duo & uiginti

numerantur, duo quidem primarum costarum. Græci codices antiquissimi habent in hunc modum: ὥσπερ δὲ καὶ οἱ κατὰ τὰς πλευρὰς μῦες, οἱ μὲν ἐν ταῖς μέσαις χώραις αὐτῶν δύο καὶ εἴκοσιν τυγχάνουσιν· καὶ δύο δὲ οἱ τῶν πρώτων πλευρῶν, &c. Quę in hunc modũ nos uertimus: Sic etiam costarum musculi, qui quidem in medijs regionibus ipsarum cõsistunt, numerantur uigintiduo: ac præterea duo alij primarum costarum, &c.

Ibidem.

Ex dictis uerò circa spinam musculis. Græcè: τῶν δ' ὀρθίων τῶν κατὰ τὸν τράχηλον. Quod est: Ex rectis uerò, qui iuxta collum consistunt.

Ibidem.

Qui demum circa superiorem uentrem sunt musculi. Græcè: οἱ δὲ κατὰ τὸ ἐπιγάστριον. Hoc est: Qui uerò in abdomine, siue epigastrio sunt musculi. Etenim superiorẽ uentrẽ Galenus semper uocat uentriculum: Epigastriũ autẽ, est tota illa membrana carnosa, quæ molem intestinorum continens, ex cute, pinguitudine, quatuor obliquis, duobis transuersis, tandemq; rectis musculis constat.

Ibidem.

Violentæ uerò, tum sima humerorũ, tum interna mediarum costarum pars. Græcè legitur: βιαίας δὲ ἔτι κατὰ τὰ σιμὰ τῶν ὠμοπλατῶν, ἔτι ἔνδον τῶν μεσοπλευρίων μοῖρα. Quæ sonant: Violentæ uerò, tum sima scapularum, tum musculorum intercostalium interna pars.

Ibidem.

Similiter autem & expirationis, inuiolentæ quidem, musculi circa superiorem uentrem: uiolentæ uerò, externa mediarum costarum pars. Græcè habetur: ὡσαύτως δὲ καὶ τῆς ἐκπνοῆς, ἀβιάστου μὲν, οἱ κατὰ τὸ ἐπιγάστριον μύες· βιαίας δὲ, τῶν μεσοπλευρίων ἡ ἐκτὸς μοῖρα. Quod est: Similiter etiam & expirationis, inuiolentæ quidem, musculi abdominis: uiolentæ uerò, musculorum intercostalium exterior pars.

## *Lib. I. de difficili respiratione.*

Pag. 28.

COrnarius: Iuxta quas, aut ueloces, aut tardæ appellantur. Græcè: καθ' ἃς ἤτοι ταχεῖαι, ἢ βραδεῖαι λέγονται. Quod nos uertimus: Iuxta quas, uelo ces aut tardi dicentur motus. Quippe uoces illæ, ταχεῖαι καὶ βραδεῖαι, referuntur πρὸς τὰς κινήσεις, hoc est, ad motus de quibus Galenus pauló superius egerat.

Similiter ubi pauló inferius Cornarius uertit.

Secundum quas aut magnas, aut paruas appellant. Vertendum erat: Aut magni, aut parui appellantur.

Pag. 33.

Vtilitate multum urgente. Græcè habetur: ἱκανῶς ἐπειγούσης. Quod est: Sufficienter urgente.

Pag. 35.

Sed si utilitàs multum sit exoluta. Græcè: ἀλλ' εἴπερ ἐκλυθείη τὰ τῆς χρείας ἱκανῶς. Quod est: Cæterùm si quæ ad usum pertinent, exoluta sufficienter fuerint.

Ibidem.

Eius uidelicet, quæ circa expirationem consistit. Græcè: δηλονότι τῶν περὶ τὴν ἐκπνοὴν συνισταμένων. Quod est: Earũ uidelicet, quæ circa inspirationem consistunt.

Ibidem consequenter.

Quare immodestia. Græcè: ὥσπερ γε καὶ ἡ ἀμετρία. Quæ sonant: Quemadmodum etiam immoderatio.

Ibidem.

Atque ita sanè esse, ratio ipsa poscit: repugnat autem quippiam eorum, quæ euidenter apparent. Græcè legitur: ἆρ' ἂν ὁ μὲν λόγος οὕτως ἀξιοῖ, μάχεται δέ τι τῶν ἐναργῶς φαινομένων; Quod est: An igitur sic ratio poscit, repugnat autem quippiam eorum quæ euidenter apparent? Sic autem esse legendum, atq; uertendum, indicat oratio subdita, ubi Galenus ait: Ego quidem omnia hæc cõsentientia reperio.

Pag. 42.

Nulla est autem differentia, quod ad id quod coarctatum est attinet, ut pulmo non possit, &c. Græcè: διαφέρει δ' οὐδὲν πρός γε τὸ προκείμενον τῷ πνεύμονα μὴ δύνασθαι. Quæ clarius uertuntur sic: Perinde autẽ est, ad hoc ut pulmo compressus non possit, &c.

Pag. 49.

Contractiones itaq; thoracis citra horũ concitationem, nonnunq̃ magnam inspirationẽ facere possunt. Græcè habetur: αἱ γὰρ χωρὶς δὴ τούτων συστολαὶ τοῦ θώρακος οὐκ ἄν ποτε μεγάλην ἐκπνοὴν ἐργάσαιντο. Quæ sonant: Contractiones sanè thoracis citra horum concitationem, nunquam magnam expirationem facere possint.

Pag. 54.

Quanquam & adhuc eximium quiddam ad inæqualitatis erat generationem respiratio habebit præter pulsuum rationem. Græcè: καὶ τοίνυν περιττόν τι εἰς ἀνωμαλίας γένεσιν ἕξει ἡ ἀναπνοὴ πρὸς τὰς σφυγμούς. Quod est: Quinetiã abundans quid, ac ueluti auctarium, ad inæqualitatis generationẽ respiratio habebit, præter pulsuum rationem.

Pag. 55.

Nimirũ quód & uisa aliquando plus, aliquando minus, rationem ab eo quod secũdum naturam est, amoueant. Ego uerò, non uisa, sed cum græco potius phantasmata uerterem.

Lib. III. Pag. 105.

Cornarius: Propterea quòd per distantiã organorum respirationis fit motus. Gręcè magis perspicua est sentẽtia: διότι κατὰ διαστήματα ἡ τῶν ἀναπνευστικῶν ὀργάνων κίνησις. Quod uertimus: Quia per distantiam organa respirationis mouentur.

Pag. 112.

Densus & magnus fit spiritus. Græcè: πυκνὸν καὶ μικρὸν γίνεται τὸ πνεῦμα. Hoc est: Densus & paruus fit spiritus.

Pag. 112.

Densum autem & magnũ eum, qui inflammationem respiratoriorũ organorũ indicat, haud quaquàm quis dixerit, nisi etiã calidus efflетur. Græcè legimus: τὸ δὲ πυκνὸν καὶ μέγα, τὸ δὴ φλεγμονὴν τῶν ἀναπνευστικῶν ὀργάνων ἐνδεικνύμενον, οὐκ ἂν ὀρθῶς τις λέγοι, &c. Quod uertimus: Densum autem & magnũ, indicare incendium organorum respirationis, nemo rectè dicere possit, &c.

## *Lib. de vsu pulsuum.*

Pag. 141.

LInacer: At quomodo igitur ex pulsu maximè præsagimus. An inquies, minimè quidem ut ex causis id genus, quæ plurimum momenti habeant: imò ut ex opportunis signis. Græcè: *πῶς οὖν ἐκ σφυγμῶν τὸ μέγιστον προγινώσκομεν, οὐχ ὡς δὴ αἰτίων πολὺ δυναμένων, φαίη τις, ἀλλ' ὡς ἐκ σημείων ἐπιτηδείων.* Hoc est. Quomodo igitur ex pulsibus maximè præcognoscimus? Minimè quidem ut ex causis admodum efficacibus, aliquis dicere posit: sed ueluti ex opportunis signis.

Pag. 142.

Quo minus mirum est, quum exiguum illi cōmodum ex corde suggerat, si iugularibus uenis uinculo exceptis, exiguum quoque sentiat incōmodum. Græcè legitur: *τῶν καρωτίδων λεγομένων ἀρτηριῶν βρόχοις διαληφθεισῶν.* Hoc est: Carotidibus uocatis arterijs, uinculo exceptis.

## *Lib. I. de differentijs pulsuum.*

Pag. 185.

HErmannus Cruserius: Atque inter septendecim hos pulsus, qui ex trinis dimensionibus cōstant. Græcè legitur: *ὄντων δὲ τούτων ἑπτὰ καὶ εἴκοσι σφυγμῶν, τῶν κατὰ τὸ ποσὸν ἐν ταῖς τρισὶν ἅμα διαστάσεσι συνισταμένων.* Quæ nos uertimus: Quum itaque hi septem & uigınti pulsus habeantur, qui secundom quantitatem in trina dimensione consistunt.

Pag. 190.

Certis bifariam, aut triplici proportione. Græcè: *ἢ ὡς ἐν πολλαπλασίῳ λόγῳ.* Quod est: Aut multiplici proportione.

Pag. 208.

Coius delapsom à primo distentionis termino, nulla dirimit manifesta quies: Græcè legitur: *καὶ τὴν καταφορὰν αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ πέρατος τοῦ πρώτου διαστολῆς,* &c. Quod est: Eius autem delapsum à primæ dilatationis fine, &c.

Pag. 212.

Si iam moueri omnes simul cœperint. Græcè: *εἰ μὲν οὖν.* Quod est: Si igitur.

Ibidem.

Non tamen in secunda contineatur, sicut nec ipsum rhythmum. Græcè: *οὐ μὴν ἐν τῇ γε δευτέρᾳ τὴν ὑπαρξιν ἔχουσαν, ὥσπερ οὐδὲ ὁ ῥυθμὸς αὐτός.* Hoc est: Non tamen in secunda consistat, sicuti neque ipse rhythmus.

Ibidem.

Tempus enim partis quæ præter cæteros prima motu deficitur minimū est. Græcè habetur: *ὁ μὲν γὰρ τοῦ πρώτου παύεσθαι πεπαυμένου τοῦ κινήσεως μορίου χρόνος, ἐλάχιστος ἔσται.* Quod est uertendū: Tempus enim partis, quæ prima omniū moueri desinit, minimum erit.

Ibidem.

Et item rhythmus in singulis cōmutatur. Græcè: *καὶ οὕτως ὁ ῥυθμός,* &c. Quod est: Atqoe in hunc modum rhythmus, &c.

Pag. 213.

Iam uerò, ubi unà omnes partes moueri cœperint, motæque æquo sint tempore, si alteræ distentionis non idem omnes initium partes ordiantur, &c. Græcè tamen magis perspicua est sententia: *τῆς δευτέρας διαστολῆς μὴ ἅμα πάντα τὰ μόρια τὴν αὐτὴν ἀρχὴν ποιήσηται.* Hoc est: Secundæ autem dilatationis nō idem omnes initium partes ordiantur.

Pag. 214.

Non potest esse in utroque genere inæqualitas. Græcè: *ἀνάγκη καθ' ἑκάτερον τῶν γενῶν γενέσθαι τὴν ἀνωμαλίαν.* Quod est: Necessariò in utroque genere sit inæqualitas.

Ibidem.

Non sit autē prioris finis distentionis in omnibus æqua. Græcè: *ἡ τελευτὴ τῆς προτέρας διαστολῆς μὴ ἴση πᾶσι γένοιτο.* Quæ sonant: Finis aotem prioris dilatationis non sit omnibus æquus.

Lib. II. de differentijs pulsuum.

Pag. 232.

Herm. Siquidem quantitas unius dimensionis, nō magnitudo, sed longitudo est. Græcè habetur: *τὸ γὰρ κατὰ μίαν διάστασιν ποσόν,* &c. Quod nos sanè maluimus uertere: Etenim quantitas unios extensionis, &c.

Pag. 239.

Nam longnm quidem pulsum, nisi aliqua cōiuncta sit profunditas & latitudo, non esse posse, nemo causam dicit. Clarius id græcè habetur: *ὅτι μὲν οὖν ἄνευ τοῦ πως ἔχειν βάθους καὶ πλάτους οὐ δύναται μακρὸς εἶναι σφυγμός, οὐδεὶς ἀντιλέγει.* Nempe: Quòd igitur absqne aliqua tum altitudine, tum latitudine, pulsus longus neqneat consistere, contradicit nemo.

Lib. III. de differentijs pulsuum.

Pag. 254.

Herm. Quā in secūdo libro inuentorū. Græcè legitur: *ἐν τῷ τρίτῳ.* Quod est: In tertio.

Ibidem.

Etenim nō mutaras oportebat nominū significationes. Græcè habetur: *καὶ γὰρ ἔδει μετατιθέναι τὰ σημαινόμενα τῶν ὀνομάτων.* Hoc est: Etenim retractare oportebat significata nominum.

## *Lib. I. de dignotione pulsuum.*

Pag. 375.

HErm. Quinetiam caloris qualitatē, occursus arteriæ motu excitatus apertius animaduertit. Græcè: *καὶ μὴν δὴ καὶ τὴν τῆς θερμασίας ποιότητα, σαφέστερον ὁ διὰ τῆς κινήσεως προσβολὴ τῆς ἀρτηρίας γνωρίζει.* Quod est: Quinetiam qualitatem caloris, im pulsus ille, qui in motione arteriæ contingit, apertios indicat. *γνωρίζειν* siquidem non modò cognoscere, sed ostendere, & indicare significat. Vnde *γνωρίσματα* semper accipiontur pro indicijs & notis. Adhæc arteriæ occursus nunquam animadoertit differentiā aliquam pulsus, sed intercedente ipso, tactus noster singulas deprehendit.

Lib. II. de dignotione pulsuum.

Pag. 375.

Herm. Etenim si quo uidetur arterias maiores habere homo qui comparatur, hoc maiorē etiā habeat distentionē. Græcè legitur: *εἰ μὴ γὰρ ὅσῳ, τοσούτῳ.* Hoc est: Si enim quantò uidet arterias maiores habere, tantò maiorem etiam, &c.

Ibidem.

Aot sit maior. Græcè: *ἢ ἐλάττων ᾖ.* Quod est: Aut sit minor.

Lib. III. de dignotione pulsuum.

Pag. 383.

Herm. Quæ cùm ita sint, optimam rationẽ dabimus operam ut monstremus dignoscendarũ singularum dimensionum: ac de prima dicemus longitudine. Græcè habetur: ἐπεὶ δ' οὖν ἔχει ταῦτα, πειρατέον ἐνδείξασθαι τὸν βέλτιστον ἀρίστης διαγνώσεως ἐν ἑκάστῃ διαστάσει, καὶ περὶ πρώτης γε λεγέσθω τῆς κατὰ τὸ μῆκος. Hoc est: Quandoquidem igitur hæc ita habent, danda opera est, ut demonstremus modum optimæ dignotionis in dimensionibus singulis. Ac primò sanè de illa dicamus, quæ uersatur circa longitudinem.

## Lib. I. de causis pulsuum.

Pag. 418.

HErm. Causæ quæ pulsus uariant, partim generationis eorum sunt, partim tantũ alterationis. Græcè habetur: τῶν τοὺς σφυγμοὺς τρεπόντων αἰτίων, τὰ μὲν, τῆς γενέσεως αὐτῶν ἐστιν αἴτια· τὰ δὲ τῆς ἀλλοιώσεως μόνον. Quæ sic multò aptius uertuntur: Causarum quę immutant pulsus, hæ quidem generationis ipsorũ sunt causæ, hæ uerò tantũ alterationis.

Pag. 419.

Et quæ his succedunt externæ. Græcè: καὶ τὰ τούτων ἔτι τὰ προκατάρχοντα. Hoc est: Et præterea quæ harũ sunt procatarcticæ, præincipientésue.

Ibidem.

Ac quæ nunc commemorauimus, externæ appellantur. Græcè: ταυτὶ μὲν οὖν τὰ νῦν ἀρτίως, προκαταρκτικὰ λέγεται. Quod est: Hæ igitur, quas nunc recitauimus, procatarcticæ causæ appellãtur.

Ibidem.

Quæ has etiam præcedũt, quæ quidem in humoribus sunt, præcedentes. Græcè: τὰ δ' ἔτι τούτων ἔμπροσθεν, τὰ ἐν τοῖς χυμοῖς, προηγούμενα. Quod est: Quas uerò ante has, illæ nempe quæ circa humores uersantur, antecedentes, &c. Multò autem clarius assequêris Galeni sententiam, si hanc orationem cum superiori coniunxeris, in hunc modum: Hæ igitur quas nunc recitauimus, procatarcticæ causæ appellantur. Quas uerò ante has, scilicet exposuimus, antecedentes, &c. Nam putare quòd præcedentes uocatæ, procatarcticas unquam præcedant, hominis planè fuerit in Galeni dogmatis minimè exercitati. Siquidem ut præcedentes causæ uocatas coniunctas gignũt, sic ipsæ gignuntur à procatarcticis.

Ibidem.

Breuiter sic habeto: Quæcunque extra corpus positæ quicquam in corpore alterãt, externæ uocantur. Quæ has etiam antecedunt, præcedentes causæ corporũ affectuum. Hi affectus ubi continentes moueant, euadunt præcedentes illarum causæ. Græcè: καθόλου γὰρ εἰπεῖν, ὅσα μὲν ἔξωθεν ὄντα τοῦ σώματος, ἀλλοιοῖ τι τῶν κατ' αὐτὸ, προκαταρκτικὰ λέγεται, προκατάρχοντά γε δὴ τῶν ἐν τῷ σώματι διαθέσεων· αὗται δὲ αἱ διαθέσεις, ὅταν τὰ συνεκτικὰ τρέψωσι, προηγούμεναι γίνονται αὐτῶν αἰτίαι. Quæ sonant. In uniuersum autem, quæcunq; extra corpus positæ, aliquid in corpore immutant, procatarcticæ causæ, siue præincipientes uocantur: utpote incipientes prius quàm ipsæ dispositiones corporum. Quæ quidem dispositiones, si quando excitauerint continentes, ipsarum antecedentes causæ redduntur.

Pag. 421.

Quum ex his causis pulsus proficiscantur, omnes illorum uariationes, causarum necesse est comites sint alterationum. Græcè: κατὰ ταύτας δὲ τὰς αἰτίας, τῶν σφυγμῶν γενομένων, ἀνάγκη πάσας τὰς διαφορὰς αὐτῶν ἕπεσθαι ταῖς τῶν αἰτίων ἀλλοιώσεσιν. Quæ clarius interpres in hunc modum potuisset reddere: Cùm autem secundum has causas fiant pulsus, necessum est ut omnes mutationes ipsorũ, consequantur ad alterationes causarum.

Pag. 422.

Sed de his qui ambigunt, perinde ac Archigenes errant, qui in Magnum disputat de pulsus celeritate. Nam à robore nõ potius quàm ab imbecillitate proficiscitur facultatis. Græcè: ἀλλ' οἱ περὶ τούτων ἀμφισβητοῦντες, ὁμοίως ἁμαρτάνουσιν Ἀρχιγένει, πρὸς Μάγνον διαφερομένῳ περὶ τάχους σφυγμοῦ, ὡς οὐχ ὑπὸ ῥώμης μᾶλλον, ἢ ἀῤῥωστίας γίνεται τῆς δυνάμεως. Hoc est: Cæterùm qui de his dubitant, in eundem cum Archigene errorem incidunt, qui in Magnum disputat de pulsus uelocitate, quòd scilicet nõ à robore potius, quàm à languore facultatis proficiscatur. Sic autẽ esse uertendũ, colliget Candidus lector ex alia castigatione quã subdam.

Ibidem consequenter.

Nam neutrum sequitur necessariò, attamen peculiaris celeritas robori facultatis est. Vbi legitur Græcè: μᾶλλον μὲν ὅμως οἰκεῖον τάχος μὲν, ῥώμῃ τε δυνάμεως, καὶ πλήθει θερμασίας, &c. Quod est: Magis tamen est familiaris celeritas quidem robori facultatis, atque caloris copiæ. Itaque Galenus Archigenem impræsentiarum causatur, quòd contenderit pulsuum uelocitatem non magis à robore, quàm ab imbecillitate uirium procedere: quum ipsa pulsus celeritas facultati uegetæ, quàm imbecillæ, magis sit familiaris atque genuina.

Pag. 429.

Celeres dicimus pulsus, itemq; tardos esse, non ægrotis modò, uerumetiã ualentibus nonnullis. Quod naturaliter quidem ijs confirmamus suppeditare. Clarius tamen percipitur sententia Galeni ex græco exemplari: ταχεῖς γὰρ δὴ λεγομένους εἶναι τοὺς σφυγμοὺς, ὡσαύτως δὲ καὶ βραδεῖς, οὐ τοῖς νοσοῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ὑγιαινόντων ἐνίοις, οἷς καὶ φύσει γε τοῦτο αὐτοῖς ὑπάρχειν φαμὲν. Hoc est: Celeres itaque, ac similiter tardos pulsus, non ægris modò, sed inter sanos etiam, naturaliter nonnullis adesse dicimus.

Pag. 430.

Semel quidem certè tardi, uel parui, si ualida facultas sit, ut multum sit usus remissius, nunquã fiant. Græcè: πάντως γὰρ βραδεῖς ἢ μικροὶ, τῆς δυνάμεως ἐῤῥωμένης, οὐκ ἄν ποτε γίνοιντο, κἂν τὰ τῆς χρείας ἱκανῶς ἐκλυθῇ. Quod est: Absolutè enim tardi, uel parui, haud unquam euaserint pulsus, facultate uegeta existente, uel si quæ ad usum pertinent, admodum exoluta fuerint.

Pag. 434.

Paulò enim celerior pulsus est, ex mollitudine perfectus instrumentorum. Legendum tamen est iuxta græcam ueritatem, non perfectus, sed profectus. Quippe ob inaduertentiam typogra-

pographorum (quod uerisimile est) omnes latini codices eo in loco sunt deprauati.

Lib. II. de causis pulsuum.

Pag. 448.

Herm. Crebrior nõ nũc primũ, sed statim à primo fiet. Græcè: πυκνότερος δ' ἄν, οὐ νῦν πρῶτον, ἀλλ' εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ἐγένετο. Quod est: Crebrior autem, non nunc primùm, sed statim ab ipso initio euaserat.

Pag. 449.

Tum longioribus coguntur interuallis inæquales pulsus interpolare æquales. Quæ oratio gignit quandam ambiguitatem. Græcè legitur: διὰ μακροτέρων οὕτως ἀνάγκη χρόνων τοὺς ἀνίσους σφυγμοὺς παρεμπίπτειν τοῖς ἴσοις. Hoc est: Ac sic necesse est, per longiora interualla inæquales pulsus intercidere æqualibus.

Pag. 451.

Iam uerò intercurrentes quos uocant pulsus, alia ratione ac intermittentes dignoscũtur. Græcè legitur: ἡ δὲ τῶν παρεμπιπτόντων καλουμένων σφυγμῶν διάγνωσις, ἐναντία τῇ τῶν διαλειπόντων ἐστίν. Hoc est: Vocatorum autem intercidentium pulsuum dignotio, contraria est illi, quæ debetur intermittentibus.

Pag. 460.

Quod paruis interuallis tum contentio uincatur. Græcè: ἐκ μικροῦ διαλείποντι διαστήματος ἐντεινόμενον τῆς τόνου. Id quod equidem uerterem: Quòd uidelicet tunc per exigua interualla ipsa facultas moueatur.

Pag. 463.

Accidit autem tale quippiam, dum distenduntur arteriæ, ut superficiem earum motarum clarius sentiamus, &c. Græcè: τὴν ἄνω περιφέρειαν αὐτῆς μᾶλλον αἰσθανόμεθα κινουμένης, &c. Hoc est: Supernam superficiem ipsius, dum mouetur, magis percipimus, &c.

Ibidem.

Et cõgrediatur minus multis interpositis corporibus. Græcè: καὶ δι' ἐλαττόνων ὁμιλεῖ σωμάτων. Quod breuius & elegãtius sic uertitur: Et tactui per pauciora corpora occurrit.

Pag. 467.

Siquidem robur facultatis diximus esse tantùm debere in altis pulsibus, ut maximã distentionem possit moliri, nec loca cingentia arterias capere eam ualeant. Græcè habetur: ἄγε δὴ τὴν ῥώμην τῆς δυνάμεως τοσαύτην ἐλέγομεν εἶναι δεῖν ἐν τοῖς ὑψηλοῖς σφυγμοῖς, ὡς δύνασθαι μὲν ἐργάσασθαι μεγίστην διαστολήν, κωλύεσθαι δὲ ὑπὸ τῶν περιεχόντων τὰς ἀρτηρίας χωρίων. Quę sonant: Si utique facultatis robur in altis pulsibus tantũ dicebamus esse debere, ut posset maximam quidem dilatationẽ moliri: minimè autẽ à locis arterias ambientibus coërceri.

Pag. 468.

Quid iam si hoc uerum est, num longus continuò is pulsus est? Græcè: τί δ' ἄν, εἰ τοῦτ' ἐστὶν ἀληθές; οὐχὶ καὶ βραχὺς εὐθέως ὁ τοιοῦτος γίνεται σφυγμός: Quæ sic sunt teddenda. Quid igitur? An si hoc uerum est non continuò is pulsus etiam breuis existit?

Pag. 470.

Longè hic maior est contractionis tempore distentionis tempus. Græcè: παρὰ πολὺ πλέον ἐνταῦθ' ὁ τῆς συστολῆς ἐστι χρόνος τῆς διαστολῆς. Hoc est: Multò enim hic est maius cõtractionis tempus tempore dilatationis.

Lib. III. Pag. 471.

Herm. Postq̃ de pulsuũ alterationibus quæ ex primis & præcipuis causis proficiscuntur, satis primo in libro disputauimus. Græcè: τὰς μὲν ἀπὸ πρώτων τε καὶ κυριωτάτων αἰτίων ἀλλοιώσεις τῶν σφυγμῶν, ὁ πρόσθεν λόγος ἱκανῶς διεξελήλυθε. Quod est: Alterationes quæ à primis & principalissimis causis proficiscuntur, abundè præcedens sermo exposuit.

Pag. 472.

Viri mulieribus pulsum ferè habẽt longè tum maiorem, &c. Græcè habetur: ἄνδρες μὲν ἂν γυναικῶν ὡς ἐπίπαν μείζονα πολλῷ, καὶ σφοδρότερον ὡσαύτως πολλῷ, καὶ βραδύτερον ὀλίγῳ, καὶ ἀραιότερον ἱκανῶς τὸν σφυγμὸν ἔχουσι. Hoc est: Igitur uiri mulieribus in uniuersum pulsum habẽt longè tum maiorem, tum uehementiorem: paulò autem tardiorem, ut sufficienter rariorem, &c.

Pag. 473.

Bis rursus τὸ ὡς ἐπίπαν uertit (ferè) cùm, in uniuersum, potius uertendum fuisset.

Pag. 475.

Qui pulsum non diuturnum statim etiam uelocem arbitrantur esse. Græcè habetur: τὸν βραχύχρονον. Hoc est: Pulsum, cuius motus breui absoluitur tempore. Atqui non omnis pulsus qui nõ diuturnus existit, est breuis tẽporis: cùm is qui in mediocritate consistit, nec sit diuturnus, nec brachychronus.

Pag. 485.

Tandem ad remissionem & paruitatem redeunt. Græcè: χρονίσαντες δέ, πάλιν ἐπανέρχονται εἰς ἀμυδρότητα. Quod est: Vbi autem diuturni fuerint, uertuntur in remissionem.

Lib. IIII. Pag. 499.

Herm. Planũ autẽ est hæc intelligi debere de lætitia quæ per se, & modicè pulsus mutat. Græcè: δῆλον δ' ὡς ἐπὶ τῆς κατὰ τὸν ἴδιον λόγον ἀλλοιούσης τοὺς σφυγμούς, τῆς συμμέτρου ἡδονῆς εἴρηται ταῦτα. Hoc est: Liquet autem de lætitia modica, & quæ propria ratione pulsus immutat, hæc dicta fuisse.

Ibidem consequenter.

Nam si nimia quidem lætitia sit, ut facultatẽ opprimat, pulsus sæpe per accidens cõtrarij existunt. At tunc oppressæ facultatis fiunt pulsus. Græcè: πολλάκις γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς καὶ οἱ ἐναντίοι γίνονται σφυγμοί, τῆς ἡδονῆς ἀμέτρου γενομένης, καὶ διὰ τοῦτο καταλυούσης τὴν δύναμιν. ἀλλὰ τότε γε οἱ τῆς καταλυομένης δυνάμεως γίνονται σφυγμοί. Quod est: Sæpenumero enim ex accidenti, contrarij pulsus oriuntur, si sit uoluptas immoderata, ac proinde facultatem exoluat. Cæterùm tunc sanè tales pulsus contingunt, quales solent uiribus resolutis accidere, &c. Plurimum autem differt resolutio facultatis ab oppressione. Opprimitur siquidem à maxima humorum colluuie: resoluitur autem ab exhalatione benignorum humorum, maximeq; spirituum uitalium, qui euanescere solent, quum ob alias causas, tum etiam ob lætitiam & uoluptatem insignem. Vnde multos legimus repentino gaudio perfusos, animam exhalasse.

Pag. 507.

Quæ difficultate nutrimenti extinguuntur.

Græcè: ἐνδείᾳ δὲ αὐτῆς φορᾶς ἀποσβέννυνται. Quod est: Penuria enim ipsæ nutrimenti extinguunt, &c. Non autem omnis difficultas nutrimenti, eiusdem penuria existit: quum alimentum uitiosum, difficultatem quidem importet, penuriā uerò non item.

Ibidem.

Quem marcorem Philippus uocat ex morbo senium: quem ferè habent senescentes, & interim iuuenes etiam. Græcè: καλεῖ δὲ τοῦτον μαρασμὸν ὁ Φίλιππος, ἐκ νόσου γῆρας. καὶ συμπίπτει μάλιστα μὲν τοῖς παρηβῶσιν, ἐνίοτε καὶ τοῖς ἔτι ἀκμάζουσι. Hoc est: Philippus hunc marasmum uocat ex morbo seniū. Atque inuadit præcipuè quidem, iam senescentes. Interdum autem, & consistentes ætate.

Pag. 511.

Iam uerò etiam magis inæquales eos meritò esse, ne hoc quidem est obscurum. Græcè additur: διὰ τὴν γειτνίασιν. Quod est: Ob uiciniam.

Ibidem.

Longè enim frigidior, & ut ita dicam, letalior peripneumonia est morbus lethargicis. Græcè: ἐπὶ πλέον γὰρ ψυχρότερον, καὶ, ὡς ἂν εἴποι τις, νεκρωδέστερον τῆς περιπνευμονίας ἐστὶ τὸ τῆς ληθαργικοῦ νόσημα. Quæ sonant: Longè enim frigidior, atq; (ut quis dixerit) perniciosior est morbus lethargicus peripneumonico.

Ibidem.

Si item hoc teneas, lethargum ex ipso potius cerebro, phrenitim præcipuè gigni ex tenui meninge, & ex septo transuerso. Græcè habetur: ἀλλ' εἰ δή, ὅτι καὶ κατὰ μὲν αὐτὸν τὸν ἐγκέφαλον ὁ λήθαργος μᾶλλον ἔχει τὴν γένεσιν· ὁ φρενῖτις δὲ κατά τε τὴν λεπτὴν μάλιστα μήνιγγα, καὶ τὸ διάφραγμα. Quod est: Si noris aūt, quòd lethargus quidem gignitur potius in cerebro: phrenitis uerò, præcipuè in eius tenui meninge, atque etiam in diaphragmate. Lethargus itaque non ex cerebro, sed ex pituitoso humore collecto in cerebro: ut phrenitis non ex tenui meninge, sed ex bile in illa aceruata, suam ducit originem.

Pag. 513.

Conniuent ferè oculis. Græcè: τὰ μὲν πολλὰ μύουσι τοῖς ὀφθαλμοῖς. Quod est: Vtplurimum conniuent oculis.

Pag. 518.

Vteri suffocati pulsus. Græcè: ὑστερικῶν πνίξεων. Hoc est: Suffocationis inductæ ab utero, pulsus. Vterus quippe minimè suffocatur, sed ubi ex plenitudine uel inanitione conuellitur, respirationis organis plurimum facessit negocij, animalíq; in maximam anxietatem perducit.

## *Lib. I. de præcognitione ex pulsibus.*

Pag. 213.

HErmannus: Non esse uenientium tantùm præscientiam. Græcè legitur: τῶν μελλόντων. Quod futurorum, quàm uenientium, aptius interpretabimur.

Pag. 225.

Postea in corporibus quæ ægrotant tantùm. Græcè legitur: τῶν νοσούντων ἁπλῶς. Hoc est: Quæ ægrotant simpliciter.

Ibidem.

Nec aliter in ægrotantibus, si quidem ægrotant tantùm indicabit magnus pulsus morbi calidum affectum esse. Græcè: οὕτω δὲ κἀπὶ τοῖς νοσοῦσι, τοῖς μὲν ἁπλῶς, ὁ μέγας σφυγμὸς ἐνδείξεται θερμὴν τὴν νόσου διάθεσιν. Quod est: Similiter etiam in ægrotantibus, si ægrotent quidem simpliciter (hoc est, si morbo simplici sint correpti) magnus pulsus indicabit calidam ipsius morbi dispositionem.

Ibidem consequenter.

Sin recens aliqua adsit alterano. Græcè additur illa particula, ἔξωθεν. Hoc est: Adueniens extrinsecus.

Pag. 538.

Non tamen ubi contracta præter proportionem profunditatis est. Græcè: ὁ μὴν ὅταν γε μειωθῇ παρὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ βάθους. Quod est: Nō tamen ubi imminuta fuerit infra proportionē profunditatis.

Pag. 539.

At cùm crassior fit, si quo homo euaserit seipso crassior, hoc fit pulsus minor. Græcè habetur: εἰ μὲν ὅσον περ ἑαυτοῦ παχύτερος ὁ ἄνθρωπος ἐγένετο, τοσούτῳ καὶ ὁ σφυγμὸς μικρότερος. Hoc est: Si quidem, quantùm seipso homo crassior fit redditus, tantò etiam pulsus minor uideatur.

Pag. 549.

Habes primas & simplicissimas pulsuum mutationes in celeritatē & tarditatem: harum causas præcedentes & externas eadem inueniuntur ratione atque illæ, &c. Græcè: αὗται μὲν αἱ πρῶται τε καὶ ἁπλούσταται μεταπτώσεις τῶν σφυγμῶν εἰς τάχος, καὶ βραδύτητα, καὶ τούτων αἰτίαι προηγούμεναί τε καὶ καταρχτικαί, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον εὑρισκόμεναι ταῖς, &c. Quæ sic sunt uertenda: Atque hæ sanè sunt primæ & simplicissimæ mutationes pulsuum in celeritatē & tarditatem, causæq; earum antecedentes & primitiuæ, simili methodo inuentæ ac illæ, &c.

Pag. 552.

Ac quo fit uehementior. Græcè: καὶ ὅσον γε σφοδρότερος. Hoc est: Et quantò uehementior fuerit. Ibidem paulò inferius (ubi legitur: Quò fit languidior) Quantò fit languidior, legendū est.

Ibidem.

Alterationes pulsuum, quædam in remissionem & uehementiam, & solæ fiunt frequenter, & ab una causa. Græcè habetur: αἱ δ' ἀλλοιώσεις τῶν σφυγμῶν, αἱ μὲν εἰς ἀμυδρότητα, καὶ σφοδρότητα, καὶ μόναι γίνονται πολλάκις, καὶ ὑφ' ἑνὸς αἰτίου. Quæ sic nos uertimus: Alterationes autem pulsuum, quæ quidem in remissionem & uehementiam fiunt, illæ certè & solæ frequenter fiunt, & ab una causa.

Lib. II. de præcognitione ex pulsibus.

Pag. 556.

Herm. Magna enim copia ex putrescentibus humoribus aceruatur. Græcè habetur: κατὰ τὰς σήψεις. Hoc est: In humorum putrefactionibus.

Ibidem paulò antè.

Fuliginosorum excrementorum ingentē colligi numerum. Græcè legitur: πλῆθος. Quod rectius uertitur: multitudinem. Numerus quippe nō de cōtinua, sed dicitur de quātitate discreta.

Pag. 562.

Robur ualidorū, omnem excipit causam paruam. Græcè: τῶν δ' ἰσχυρῶν ἡ ῥώμη πρὸς ἅπαν ἀντιμάχεται τὸ μικρὸν κακόν. Quod est: Validorum robur, reluctatur omni affectui exiguo.

Pag. 564.

Est autem eorum pulsuum ingens frigiditas causa generandorum, quæ occupet uel corpus cordis, uel spiritum & sanguinem, quem continent eius sinus: uel partem aliquam uicinam. Græcè legimus: τῶν ὁμιλούντων. Hoc est: Consentientium particularum, uel aliquod commercium habentium. At multa consentiunt mutuò, atque in unum conspirant, quæ minimè sibi uicina existunt. Quemadmodum cor & cerebrū, quæ neruorum & arteriarum ratione iunguntur tanta necessitudine, ut affectio unius, alteri consortij lege communicetur.

Pag. 565.

Siquidem generantur hi producta raritate: ac quum procurantur, reuertunt per raritatē ad pristinum statum. Græcè: ἄγε καὶ ἡ γένεσις αὐτῶν ἐκτεταμένης ἐστὶ ἀραιότητος· καὶ ἡ λύσις, ἐπάνοδός τις τὴν ἀρχαίαν συμμετρίαν ἐστὶ διὰ ἀραιότητος. Quod nos uertimus: Siquidem generatio ipsorum fit raritate producta: solutio autem est reditus quidam per raritatem ad commoderationem pristinam.

Pag. 573.

Quem primò equidem unum ferire iterum putaui. Clarior tamen est in græco hæc sententia: ὃν δὲ καὶ μόνον ὑπενόησα κατ' ἀρχὰς ἅπαξ πλήττοντα δίς. Hoc est: Quem solùm primò sanè putaueram bis ferire.

Pag. 580.

Reciprocantur modò ex ultima pulsus abolitione: modò ex paruo pulsu & languido. Quorum quidem uocantur etiam reciproci utrique: sed hoc interest inter hos, quòd illi decurtati fiūt reciproci, hi deficientes reciproci. Græcè legitur: ἐπανέρχεται δὲ ποτὲ μὲν, ἐκ ἀσφυξίας ἐσχάτης ἣν ἐφθάκει ἀφικνουμένη· ποτὲ δὲ, ἐκ μικροσφυξίας τε καὶ ἀμυδρότητα καὶ τούτων καὶ καλοῦνται παλινδρομοῦντες μὲν ἀμφότεροι, διαφέρουσι δὲ τῷ, τοὺς μὲν, μειοῦρους ἅμα παλινδρομοῦντας τοὺς δ', ἐκλείποντας παλινδρομοῦντας. Quæ sic nos uertimus: Reuertitur autem motus arteriæ, interdum quidem, ab ultima pulsus abolitione ad quam peruenerat: interdum autem, à paruo pulsu & languido. Quorum sanè utrique pulsus, recurrentes dicuntur: hoc tamen interiecto discrimine, quòd illi quidem, deficientes recurrentes existunt: hi autem, imminuti recurrentes, seu decurtati.

Lib. III. de præcognitione ex pulsibus.

Pag. 589.

Hermannus: Cordis calor, pulsus (ut diximus) uariat. Verùm quia duorum generum est, aut à putribus genitus humoribus, cuius acris qualitas & fumosa est: aut cum humiditatis defectu, à natura remotus sola quātitate: ille prior constans & obfirmatus est, &c̄. Græcè legitur: ὁ γάρ τοι θερμότης ἐν τῇ καρδίᾳ ἀλλοιοῖ μὲν ὡς ἔφαμεν τοὺς σφυγμούς· ἀλλ' ἐπεὶ διττὸν κατ' εἶδός ἐστιν, ὁ μὲν ἕτερος, καὶ σηπεδόνος χυμῶν ἔγγονος, ὅς ὁ ποιότητα δριμεῖά τις ἐστὶ, καὶ λιγνυώδης· ὁ δὲ ἕτερος, μεθ' ὑγρότητος ὁλίγης, αὐτῷ μόνῳ τῷ ποσῷ τοῦ κατὰ φύσιν ἀποκεχωρηκώς, μόνιμος μὲν ἐστι, καὶ δυσλυτος ὁ πρότερον ῥηθείς. Hoc est: Cordis calor, pulsus (quatenus dictum est) immutat. Cæterùm quandoquidem duplex is secundum speciem est: unus quidem, soboles putredinis humorum existit, cuius nimirum qualitas acris est, & fuliginosa: alter autē, cum benigna humiditate coniunctus, sola quantitate à naturæ modo recedit. Est autem constans & ægrè solubilis, quem primo diximus loco.

Ibidem.

Verecūdiæ etiā atq; iræ comitatur. Græcè: αἰδοῖ καὶ θυμῷ συνεπομένη. Quod mallem equidē uertere: Timorē atq; iracundiam concomitat. Quandoquidem pudor, haud quidē tanti momēti est affectus, ut pulsum usqueaded immutare possit. αἰδὼς γὰρ, cùm pudorē, tum etiam metū significat.

Pag. 592.

Nec si pestilentem animā. Græcè: οὐδ' ὅτι λοιμώδη τὴν ἀναπνοήν. Hoc est: Nec quia pestilentē respirationem, &c. Nam tametsi per translationem interdum anima sumatur pro spiritu, ac præsertim apud poëtas: Medica tamen ars admodum seuera cùm sit, minimè oblectatur metaphoris.

Pag. 599.

Iam os etiam attendunt. Græcè: συνεπισκοποῦνται δὲ ἅμα καὶ τὰ κατὰ τὸ στόμα μόρια, &c̄. Hoc est: Contemplantur simul etiam partes ori adiacentes.

Pag. 602.

Qui putredini humorū comitatur, etiam par est perpetuò huius magnitudo, nō tamen ut naturalium, neq; aliorū generū, uerùm cùm de natura parum desciuit, &c̄. Græcè: τῇ δ' ἐπὶ σήψει χυμῶν, ἴσον μὲν ἀεὶ καὶ τοῦτο τὸ μέγεθος, οὐκ ἴσον δὲ τῷ κατὰ φύσιν, οὐδὲ τῷ ἄλλων γενῶν, ἀλλ' ἐπειδὰν μὲν ὀλίγον ἐξίστηται τοῦ κατὰ φύσιν, &c̄. Hoc est: Eius autem febris quę humorum putredinem sequitur (scilicet proprium indicium erit) par semper magnitudo in pulsu: nō tamen ut in ijs quę pro naturę modo se habent, neque ut in alijs generibus. Cęterùm ubi exiguum quid à naturę modo recessit, &c̄.

Pag. 603.

Tardi nō perinde, sed si uicinis sibi frigidius sit corpus cordis. Græcè: βραδεῖς δ' οὐχ ὁμοίως σαφεῖς, ἀλλ' ὅσον ἐπὶ πλέον ἐψύχθη τὸ σῶμα τῆς καρδίας τῶν γειτόνων ἑαυτῇ, &c̄. Hoc est: Tardi autē nō usqueadeò conspicuè, sed pro ratione excessus, quo uicinis partibus est cordis corpus frigidius.

Pag. 604.

Neq; scilicet alij sensui tribuunt album, nigrū, flauum, rufum, pallidum, fuscum, cęruleum, reliquaq; colorum nomina, pręter oculis obiecta. Gręcè legimus: οὔτ' οὖν ἐπ' ἄλλην φέρειν αἴσθησιν τό τε λευκὸν καὶ μέλαν, καὶ ξανθὸν ἢ πυῤῥόν, ὠχρόν τε καὶ φαιὸν, καὶ κυανοῦν, ὅσα τ' ἄλλα χρωμάτων ἐστὶν ὀνόματα, πλὴν τῆς ὄψεως. Quod est: Neq; igitur ad alium referunt sensum, album, nigrum, flauum, rufum, pallidum, fuscū, cęruleum, & quęcunq; alia colorū nomina, pręterquàm ad uisibilium sensum.

Ibidem consequenter.

Neq; etiam alijs austerū, dulce, amarum, acerbum, astringens, salsum, salsugiuosum, pręterq̄ quę gustantur. Gręcè: οὐ αὖ πάλιν ἐπ' ἄλλα τὸ αὐστηρὸν καὶ γλυκὺ, καὶ πικρὸν, καὶ τρυφερὸν, καὶ στρυφνὸν, ἁλμυρόν τε, καὶ ἁλμυρὸν, ὅτι μὴ τῶν γευστῶν: Quę sic sunt uertenda: Neque rursus ad alios sensus, austerum, dulce, amarum, astringens, acerbum, salsum, & salsuginosum, pręterquàm ad gustum.

Ibidem.

Neque iam ullis alijs calidum, frigidum, siccum, humidum, molle, durum, uerùm his quę

tanguntur, omnes attribuunt. Græcè legitur: [illegible]. Quod est: Sed neq; in alijs sensib. collocant calidũ, frigidũ, siccum, humidum, molle & durum, præterquã in tactilium sensu.

Pag. 605.

A proprijs ad impropria. Græcè legitur: ἀπὸ τῶν ἀκυρίων ἐπὶ κύρια. Hoc est: Ab improprijs ad propria.

Pag. 610.

At febris hectica, rarissima à primo existit. Græcè: [illegible]. Quæ uertimus: Rarissimè igitur statim ab initio oritur hectica febris.

Pag. 611.

Si adiecerimus sermoni quandam distentionem. Græcè habetur: διορισμόν τινα. Hoc est: Distinctionem quandam.

Pag. 614.

Cor ipsum ad intemperiem inducit uictus, si diutius sicco utaris. Græcè: [illegible]. Quod est: In ipso autem corde siccam intemperiem producit etiam uictus ratio siccior, si diu fuerit administrata.

Pag. 615.

Durorum pulsuum autè demonstrauimus esse paruitatem, mollium magnitudinem. Græcè habetur: [illegible]. Nempe: Duris igitur pulsibus demonstrauimus antea esse paruitatem cum item, quemadmodũ mollibus magnitudinem.

Lib. III. de præcognitione ex pulsibus.

Pag. 619.

Herm. Genus igit respirãdi, omnes fluxiones idem habent: at nõ eadẽ omnibus suffocatio, sed omnibus calidioribus comitat potius. Græcè habetur: [illegible]. Quæ sic sunt uertenda: Igitur species respirationis, similis omnibus fluxionibus adest. Suffocatio autem ipsa, non similiter omnibus, sed magis calidas omnes fluxiones sequitur.

Ibidem.

Alia præterea uarietas erit, quòd interim affecta pars thoracis fit, interim succingens costas tunica. Codex græcus uetustus habet: [illegible]. Quæ sonant: Variabũt etiam uel hac ratione, quòd interdum quidem pars affecta thoracis sit musculus: interdum autem, costas succingens membrana.

Pag. 620.

Ac si ab solis excrementis citra febres intendatur. Græcè: [illegible]. Quod est: Si igitur à solis excrementis in ipso genitis distendatur.

Pag. 624.

In statu arteriæ sunt moderati. Græcè: ἐν μὲν τῇ συστάσει τῶν ἀρτηριῶν. Quod est: In consistentia quidem arteriæ.

Pag. 625.

Qui ex multa bile feruente ob putredinem, hoc patiuntur. Græcè habetur: [illegible]. Hoc est: Quicunq; autem ob atram bilem efferuescentem ratione putredinis, tale quid perpetiuntur.

Pag. 626.

Sin frigiditas morbosa cerebrum afficiat, cùm illi cor consentiat, tardiores atq; rariores æquo pulsus erunt. Græcè: [illegible]. Quæ sonant: Frigiditate autẽ morbosa in cerebro genita, si cor etiam cumsortij lege afficiatur, minores, tardiores, atq; rariores ijs, qui pro modo naturæ habebant, gignentur pulsus.

Pag. 627.

Subtilis meninx, quę cerebrum amplectitur. Græcè legitur: ὁ διαζευγνὺς τὸν ἐγκέφαλον. Hoc est: Quæ disiungit cerebrum. Etenim liquet ex consectionibus, per illam tenuem membranã, quæ mista arterijs & uenis totum cerebrũ permeat, distingui planè dextram à sinistra ipsius cerebri partem, atque adeò ab utraq; cerebellum, quam uocant parencephalida.

Pag. 629.

Vnum etiam reliquum est, de testibus ut dicamus. Nam hæ partes etsi intra inguina sint, statim febres propter uasorum uicinitatem accendunt. Græcus uetustissimus habet: [illegible], &c. Quod est: Quamuis enim extra inguina sint, subitò febres accendunt ubi inflammati fuerint.

Ibidem.

Nam uenientium sumi præsagia ex præsentibus. Græcè legitur: [illegible]. Quod sic rectius interpretabimur: Quòd autem futurorum etiam præcognitio ex præsentibus conciliatur.

Ibidem.

Hæc omnia ex affectibus præsagiũtur. Græcè habetur: ἐκ τῶν διαθέσεων. Ex dispositionibus.

Pag. 630.

Morbus enim cognoscitur ex loco affecto, eiusq; affectu. Græcè: καὶ τῆς ἐν αὐτῷ διαθέσεως. Hoc est: Et eius dispositione.

Ibidem.

, Cùm morbum semel superatura est natura. Græcè: [illegible]. Hoc est: Quo tempore natura superauerit absolutissimè morbosam dispositionem.

Ibidem.

Propter quos cibum non sentiant. Græcè: ἐφ᾽ οἷς ἀτροφοῦσι. Quod est: Ob quos ciborum usu non promouentur.

Ibidem.

Iam uerò etiam animalis facultatis imbecillitates, cerebri ingenti intemperiei comitantur, eiusdem quasi suffocationes impletionibus eius uentriculorum, & obstructionibus meatuũ qui in eos penetrant. Græcè habetur: [illegible]. Quæ sic nos uertimus: Similiter autem animalis facultatis imbecillitates, magnas cere-

brum

bri intemperies sequuntur. Quæ uerò ueluti suffocationes sunt, succedunt tum repletionibus uentriculorū ipsius, tum obstructionibus meatuum qui ad eos pertinent.

Pag. 633.

Alterius quàm uitalis. Græcè: ὥσπερ τοῦ ἑτέρου ζωτικοῦ. Quod est: Quemadmodum alterius uitalis.

## *Lib. I. de diebus decretorijs.*

Pag. 646.

ANdernacus: Cum bonis signis accidit, quæ à contemplatorio prius indicata est. Græcè: ἐπισήμου δὲ, τῆς προδηλωθείσης ὑπὸ τῆς ἐνδείξεως. Quod equidem maluissem sic uertere: Insignem autem, quę ab indice præostensa fuerit. Fieri siquidem potest, ut crisis aliqua prius indicata iam fuerit ab indicatorio die, quæ tamen cum bonis signis nō accidat. Crisis quippe, quæ septima die in exitiū desinit, omnia secum habet signa exitialia, tametsi fuerit à quarto die præostensa.

Pag. 651.

Fœtida multa tum deijciunt. Græcè: καὶ δυσώδη τὰ πολλὰ διαχωροῦσι. Hoc est: Et fœtida utplurimum deijciuntur.

Ibidem consequenter.

Sudores rari quidem ęquales toto manantes corpore, & calidi: quales si quando oboriuntur, plurimum afficiunt ægros. Græcè: ἱδρῶτες δὲ σπάνιοι μὲν οἱ ὁμαλοί, καὶ δι᾽ ὅλου τοῦ σώματος, καὶ θερμοί, ἐὰν δὲ γένωνται, ... τὰ πολλά. Quod est: Sudores autem, rari quidem ij, qui æquales, & per uniuersum corpus, & calidi exitūt. Quòd si tales aliquando exoriantur, utplurimum intercipiuntur.

Pag. 654.

Prope hos uerò tertiusdecimus. Græcè: καὶ τούτων ἐγγὺς ιζ'. Hoc est. Decimusseptimus.

Pag. 671.

Hęc igitur quatuor genera, quorū partes etiā sunt diuersæ, dum naturæ morbus incidūt, subinde circuituum ordinem destruunt. Græcè habetur: ταῦτ᾽ οὖν τὰ γένη τὰ τέσσαρα, καὶ πολλαπλᾶ καθ᾽ ἓν ... τὴν τάξιν τῶν περιόδων. Hoc est: Hæc igitur quatuor genera, quæ uarias habent species particulares, si naturæ motus præpediant, sæpenumero circuituum ordinem destruunt.

Ibidem.

Septimo die necessariò futura est. Græcè additur: ὑγιεινή. Hoc est: Crisis.

Pag. 674.

Quippe cùm secundus, exēpli gratia, & quartus, uehementissimam accessionem afferat, uel primus, tertius & quintus, ad sextū diem mors prædicetur. Gręcus antiquus habet: ὁ γὰρ καὶ δευτέρας ἡμέρας, ἂν τύχῃ, καὶ τετάρτης ... καὶ πρώτης τε καὶ τρίτης, καὶ πέμπτης ... προδηλωθήσεται. Quæ sic uidentur esse uertenda: Si enim secunda dies (si sic contingat) & quarta uehementiorem accessionem inducat, quàm prima, tertia & quinta, hauddubiè ad sextā diem ipsa mors prænunciatur.

Pag. 677.

Et iudicia. Græcè: καὶ κρίσεις. Hoc est: Et indicia.

Ibidem.

Decimusoctauus autem, uigesimiprimi. Græcè: ὁ ιη', μόνος δὲ κα'. Nempe decimusoctauus autē, solius uigesimiprimi.

Lib. v. Pag. 693.

Andernacus: Hac ratione omnes acuti particulares fiunt. Postq̃ uerò omnes coiuerint, diuturni. Græcè habetur: καὶ ὅτι γίνεται τὰ μὲν καθ᾽ ἕκαστα μέρη ἅπαντ᾽ ὀξέα· τὸ σύμπαν δὲ, χρόνιον. Quæ iudicio meo sic sunt uertēda: Atq; ita sanè omnes ipsius morbi partes, acutæ redduntur: totus autem morbus, diuturnus, &c. Agit quippe de morbis imperfectè solutis, & quorū recidiuæ in diebus decretorijs tum incipiūt, tum iudicant. Ad quarum sanè ortus, solutionesq;, si respexerimus, unaquæque ipsarū uidebitur esse nobis morbus quidam acutus, cū tamen pars unius morbi diuturni existat.

Pag. 694.

Igitur accessiones ipsę ex acutissimis morbis per quatuor in uiginti auctæ finiuntur. Græcè: αὗται μὲν οὖν ἤδη διὰ τετάρων ἐς τὴν κ', ... προσθήκῃ ἀφικνοῦνται. Hoc est: Ii igitur iam copulati per quaternariū, multiplicatiq;, adiectionis ratione perueniunt usq; ad uigesimum.

Pag. 711.

Obscuratur omnino, cùm Solis lumen circa eam emergit. Græcè legitur: καὶ ἀφανὴς παντάπασιν, ἡνίκα ἂν ὑπ᾽ ἐκείνου περιλάμπηται. Quæ sonāt: Obscuratur omnino, ubi sub illo, hoc est, sub Sole, illustratur.

Pag. 712.

Item comitialiū circuitus custodit, inde quòd Solis plus, uel minus participat. Græcè legitur: ᾗ ἂν ἡλίου πλεῖον ἢ ἔλαττον μεταλαμβάνῃ. Hoc est: Quatenus plus uel minus ex ipso Sole participat.

Ibidem.

Capitis dolorem conciliat. Græcè: καρηβαρικὸν ἀπεργάζεται. Quod est: Capitis grauitatem cōciliat: uel grauedinosos reddit.

## *Lib. I. de crisibus.*

Pag. 731.

LEonicenus: Statim in tēpore accessionis hominem occidunt. Græcè: ἐν τῷ δὲ ἐπιδόσεως χρόνῳ. Hoc est: Augmenti tempore.

Pag. 736.

Quæ uerò extrà conturbatur, debet incipere concoqui, quare & longiori tempore, & uirtute forti indiget ad coctionē. Græcè. τὸ δ᾽ ἔξω ταραττόμενον ἄρχεσθαι πέττεσθαι μέλλει, ὅθεν δεῖται καὶ χρόνου ... καὶ δυνάμεως ἰσχυρᾶς ἐς τὴν πέψιν. Quod est: Quæ uerò extrà conturbatur, nondum incœpit concoqui. Quare meritò hæc est deterrima. Etenim ut coquatur, prolixū tempus, roburq; facultatis desiderat.

Ibidem.

Hæc uenosæ naturæ passionē significat. Græcè: τὸ τοιοῦτον, ... ἀκριβῶς ἀπεψίας, γαστρός. Quod est: Talis enim urina, uenosi generis affectus existit: sicuti & exacta cruditas, uentris. Ibidem.

Cùm uerò etiā statim mingitur in nas urinarū. Gręcè: ὅταν δ᾽ ἢ καὶ ταχέως διαχωρῆ, ... Quæ sonāt: Cū autē etiā celeriter diffluit, uocat affectus is à quibusdā in matulā

hyderos, &c. Agit nanque impræsentiarũ Galenus de diabete, seu de stillicidio urinæ præter uoluntatem effluẽtis. Qui affectus alteratricis & retentricis facultatis, ueluti extinctio est: ut ibidem idem Galenus testatur. Quare per talem fluorẽ, impropriè sanè dicemus urinam mingi, cùm citra imperiũ uoluntatis, atque inuito homine delabatur: id quod explicat τὸ ταχέως διεξέρχεσθαι.

Pag. 760.

Color uerò uiridis fit in transitu ad nigrum, & quoddam ueluti principium nigri. Græcè legitur: καὶ ἔστιν οἷον προοίμιον τοῦ μέλανος. Quod sonat: Estque ueluti quoddam principium nigri.

Pag. 771.

Quòd si ab eo quod est nihil expuere, aut expuere, uerùm liquida, & omnino cruda fiat trãsmutatio. Græcè: εἰ δὲ ἐκ τοῦ μηδ᾽ ὅλως πτύειν εἰς τὸ πτύειν μὲν, ἀλλ᾽ ὑγρά τε καὶ τελέως ἄπεπτα μεταπίπτοι, &c. Hoc est: Si uerò ab eo quod est nihil prorsus expuere, ad expuere quidem, sed liquida & omnino incocta fiat transmutatio, &c. Fieri tamen potest, ut is error non à Leoniceno, sed à typographo sit commissus.

Pag. 777.

Si qua uerò uniuersa fiat permutatio, & multò magis adhuc eam quæ antecedit agitationẽ. Græcè habetur: καὶ πολὺ δὴ μᾶλλον ἔτι τὴν προηγουμένην αὐτῆς ταραχὴν, &c. Hoc est: Ac multò magis illam perturbationem, quæ permutationẽ ipsam præcedit: scilicet crisim appellare consueui.

Pag. 786.

Tertianam itaque febrem fieri cõtingit absque rigore uehementi. Græcè: ἢ ἐν ἀκριβῆ τριταῖον, οὐκ ἐνδέχεται μὴ οὐ μετὰ ῥίγους σφοδροῦ γενέσθαι. Quod est: Igitur exquisitã tertianã haud licet fieri absque rigore uehementi, &c. Est enim Atticis familiare, ut pro una, duabus negationibus sæpe utantur.

Pag. 799.

Sed nihilominus hoc, si multa quiete ægrotanti adueniente. Græcè habetur: μηδεμιᾶς ἀπυρεξίας γενομένης περὶ τὸν κάμνοντα. Quod est: Nulla prorsus explicatione, siue absolutione à febri, in ægrotante facta.

Lib. III. de crisibus. Pag. 814.

Leonicenus: Si uerò tantùm febricitent, sine alicuius uisceris passione, aut inflammatione hepatis, uel renum, uel uesicæ, uel splenis, maximè urinis oportet animũ adhibere. Græcè: πυρεττόντων δὲ μόνον, ἄνευ σπλάγχνου τινὸς διαθέσεως, ἢ τινος τῶν καθ᾽ ἧπαρ, ἢ νεφροὺς, ἢ κύστιν, ἢ σπλῆνα φλεγμαινόντων, &c. Quæ sonãt: Si uerò tantũ febricitent, absque alicuius uisceris passione: aut si quæ etiam inflãmatio adsit in aliquo eorũ quæ ad hepar, uel renes, uel uesicam, uel splenem pertinent, urinæ sunt spectandæ. Quòd autẽ ita legendum sit, indicant Galeni uerba, quæ statim subdit in hunc modũ: Semper enim cùm febris affuerit, uel ex sola humorũ putredine accensa, uel ex membro inflammationem patiente: censeo præcipuè esse inspiciundas urinas, atque inde agnoscendas coctiones.

Pagina 818.

Febris enim quæ propriè synochus nominatur, longus est status. Magis autẽ tota hæc febris status est. Græcè: τοῦ μὲν ἰδίως ὀνομαζομένου πυρετοῦ συνόχου, πολυχρόνιος ὁ ἀκμὴ· μᾶλλον δ᾽ ἀκμὴ πᾶς ἐστιν ὁ τοιοῦτος πυρετός. Quod nos uertimus: Eius autem febris, quæ propriè dicitur synochus, diuturnus status est. Imò uerò tota eiusmodi febris, status quidã existit.

Pag. 827.

Tres quidẽ hi sunt modi perturbationis morborum. Græcè legitur: μεταβολῶν. Hoc est: Permutationis.

Pag. 831.

Tu itaque supponens aliquam esse uitalem potentiam, stude ut agnoscas eorum ita in robore, sicuti in imbecillitate dispositionẽ. Græcè legit: αὐτῆς. Hoc est: Ipsius: facultatis uidelicet.

Pag. 832.

Moriturus autẽ, ad declinationis tempus pertingere minimè potest: nõ tamen necessariò etiã non ad statum. Græcè habetur: οὐ μὴν ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἀναγκαῖον εἰς τὸν τῆς ἀκμῆς. Hoc est: Sed nec necessariò etiam ad tempus uigoris. Sic autẽ legendum esse, indicant uerba Galeni sequentia, quæ talia sunt: Contingit enim ipsum in augmẽti & principij etiam tempore mori.

Pag. 843.

Si igitur præter rationem aluus comprimitur, uel urinæ: iam propè crisi existente, rigorem sperare oportet. Si non, distinguendum est. Græcè legitur: εἰ δὲ τοῦτο, διορίσασθαι, &c. Quod est: Qui si accidat, distinguendum, &c.

Ibidem.

Si enim multa, &c. Græcè: εἰ μὲν γὰρ πλείω. Hoc est: Si enim plura. Quæ lectio illustratur à superiori, ubi Galenus ait: Considerare oportet nunquid alui excrementa plura quàm priora, uel pauciora, ante crisim exierint. Cui orationi subdit: Si enim plura.

Pagina 846.

Si uerò ad abscessus conuertantur, cõmunia quidem omnia indicia sunt, ubi de ægri salute non desperatur, quòd neque morbus soluatũ, neque urina multa & multam habens subsistentiã, sed cruda & tenuis appareat: propria uerò morbi nõ futuri ualde diuturni sunt, subita difficultas anhelitus superueniens, moxque quiescens, quã grauitas capitis, ac dolor subsequitũ, & grauis somnus, ac surditas, his in glandulosis carnibus post aures, necessum est abscessus fieri. Græcè legitur: εἰ δὲ εἰς ἀποστήματα τρέποιτο, κοινὰ μὲν ἅπαντα γνωρίσματα, σωτηρίας τοῦ κάμνοντος ἔχοντος, τὸ μήτε λύεσθαι τὸ νόσημα, μήτε οὖρον πολὺ, καὶ πολλὴν ὑπόστασιν ἔχον, ἀλλ᾽ ὠμὸν, καὶ λεπτὸν φαίνεσθαι· τὰ δ᾽ ἴδια, τῶν μὲν μὴ λίαν χρονιζόντων, εἰ δυσπνοήσας ὁ κάμνων ἐξαίφνης γενόμενος, ἀποπαύσαιτο [illegible] τάχιστα δυσπνοίας, διαδέξαιτο δ᾽ ἂν αὐτὸν ὀδύνη, καὶ βάρος κεφαλῆς, καὶ κῶμα, καὶ κώφωσις, εἰς τὰς ὑπὸ τοῖς ὠσὶν ἀδένας ἀνάγκη τοῦτο γενέσθαι τὴν ἀπόστασιν. Quæ nos sic uertimus: Si uerò morbi ad abscessus conuerti uideanũ, cõmunia quidem omnia indicia sunt, ubi ægri salus non est deplorata, quòd nec morbus soluatur, nec urina multa, & multã habens subsistentiam, sed cruda & tenuis appareat. Propria uerò nõ admodum diuturnorũ morborũ, si æger in difficiliorẽ respirationẽ repentè incidẽs, breui quidem liberetur à tali respirandi difficultate, sed excipiat ipsum statim dolor atque capitis grauitas: præterea inexpugnabilis dormiendi necessitas, surditasque. Huic autẽ, in glãdulosis post aures partibus, necessum est abscessum oriri.

Ibidem.

Ibidem.

Vel inflammatio. Græcè legit: ἡ φλόγωσις. Quod nos, uitandæ amphibologiæ studio, uertimus: Vel incendiũ. Siquidem hæc uox Inflammatio, est uulgo medicorum recepta pro tumore quodam rubeo, renitenteq́ & calido, utpote orto à sanguine: φλόγωσις autem, siue efferuescentia caloris, aliquando potest accidere citra talem affluxum sanguinis.

*Lib. de præcognitione.*

Pag. 860.

LEonardus Iacchinus: Ego enim posthac sedulò cauebo, tum ipsis cedens, tum inscitiam patefaciens. Græcus uetustus habet: καταφρονῶν τὴν ἀμαθίαν αὐτῶν ἐν ἐγχειρούμενος. Quod nos uertimus: Tum inscitiam eorum dissimulans. Cui lectioni subscribit sequens sententia, quæ est talis: Hæc cùm facere decreuissem, inscitiam eorum & prauitatẽ redarguere destiti. Habetur quippe in codice græco ἐλέγχειν, quod non tam detegere, ut uertit interpres, quàm redarguere significat.

*Lib. de præsagijs ex insomnijs.*

Pag. 889.

IOannes Ficardus: Phlegmatis humidi plenus est. Græcè habetur: φλέγμα ψυχρόν. Quod est: Pituitæ frigidæ.

# SECTIONE
## QVARTA.

*Lib. III. de symptomatum causis.*

Pag. 152.

COpus: At quoniam complures sunt intestinorum circũuolutiones, necesse est, ut alimẽta per singulas, ex superioribus ad inferiora deferant. Deinde, quod grauitatis præsidio fieri non potest, nempe ut propellantur ea quæ per intestinorum circumuolutiones fixa continentur, id potentiæ haud difficile est. Quippe habẽt intestina insitam uim, qua expellant ea quæ sibi molesta sunt. Cui uersioni suffragatur etiã & Linacri translatio. Græca tamen dictio sic habet: ἐπειδὴ πάμπολλαι τῶν ἐντέρων εἰσὶν ἕλικες, δι᾽ ὧν ἀνάγκη καθ᾽ ἑκάστην αὐτῶν ἐκ τῶν ὑψηλοτέρων ἐπὶ τὰ ταπεινότερα φέρεσθαι τὰ σιτία, τοῦτο δὲ τῷ βάρει μὲν, καθ᾽ ἑαυτὰ μόνα, τῇ δὲ τῶν ἐντέρων ἐνεργείᾳ προωθεῖσθαι τὰ σφηνούμενα κατὰ τὰς ἕλικας αὐτῶν, ἐχόντων δύναμιν ἔμφυτον ἀποκριτικὴν τῶν λυπούντων αὐτά. Quæ ita uertenda censeo: Cùm autem complura sint intestinorum uolumina, per quæ à superioribus ad inferiora deferri alimenta est necesse: cibi sanè ipsi, ob grauitatem diu immorari non possunt. Quòd si eorum quippiam hæreat in spiris ipsis impactum, id ab actione intestinorum (quibus inest facultas quædam expellendi infestantia) propellitur. Itaque sensus Galeni est, excrementa alui, quæ ex cibis reliqua sunt, tum suo pondere delabi, tum facultate expultrice ab intestinis exterminari.

*Lib. de morborum temporibus.*

Pag. 322.

ANdernacus: Etenim inflammationis affectus calidior quàm prius euadit, cum tumore maiori, item dolore simul & tensione. Græcè: θερμότερον γὰρ ἑαυτοῦ σὺν ὄγκῳ μείζονι, μετ᾽ ὀδύνης τε ἅμα καὶ τάσεως γίνεται τὸ φλεγμαῖνον. Quod est: Calidior itaq; seipsa euadit cum tumore maiori, doloreq́; & tensione, pars phlegmone obsessa.

Pag. 334.

De complexis postea disseram. Græcè: περὶ δὲ τῶν ἐπιμικτῶν ἐφεξῆς ἐρῶ. Quod est: De mistis autem deinceps dicam.

*Lib. de totius morbi temporib.*

Pag. 339.

ANdernacus: Vnum quidem & princeps generationi eorum attribuitur. Græcè legitur: καὶ πρῶτον. Hoc est: Et primum. Agit enim illic Galenus de ipsius morbi temporibus. Inter quę unum & primũ ordine, non dignitate, tribuit ipsi generationi. At cùm princeps aliquid dicimus, de ipso excellentiam quandam, prærogatiuamq́; enunciamus.

Pag. 346.

Post quod rursus augmenti tempus est, non æquè manifestum ita in omnibus: neque illud quod à uigore sequitur tempus omnino sensile. Græcè: εἶθ᾽ ὁ πάλιν ὁ τῆς αὐξήσεως, οὐχ ὁμοίως ἐπὶ πάντων αἰσθητὸς ἐστὶ χρόνος, εἶθ᾽ ὁ τῆς ἀκμῆς ἐφεξῆς πάντως αἰσθητός. Quod est: Post quod rursus augmenti tempus est, ne ipsum quidem similiter sensibile in omnibus. Post hæc uigoris sequitur tempus, idq́; omnino sensibile.

Pag. 348.

Vel amarum uehementer. Græcè: ἢ πυῤῥὸν ἰσχυρῶς. Hoc est: Aut fuluum uehementer. Disputat nanq; illic de sputi coloribus.

*Lib. I. de locis affectis.*

Pag. 373.

COpus: Itaq; quot modis cõtingat urinæ meatum stipari. Græcè habetur: κατὰ πόσους δὲ φράττεσθαι ἐγχωρεῖ συγκλείεσθαι τὸν πόρον τοῦ τραχήλου τῆς κύστεως. Hoc est: Itaque quot modis contingat obstrui meatum colli uesicæ.

Pag. 380.

Essentia quidem nondum læditur. Græcè: οὐδέπω μὲν ἡ οὐσία βέβλαπται. Quod est: Substantia autem nondum est læsa. Aliud quippe dictu est non lædi, atq; aliud nõ esse læsam. Siquidem quod nõdum est læsum, fieri potest ut iam lædatur.

Pag. 381.

.Quòd si antequã ulcus induxerit, egredi desinat, affectus ipse nondum dysenteria dicetur. Græcè habetur: εἰ μὲν δὴ πρὶν ἑλκῶσαι, παύσαιτο διαῤῥέον, &c̃. Hoc est: Si uerò priusquàm exulceret, perfluere desinat, &c̃.

Pag. 388.

Igitur si in uentriculo cibi non suapte natura in fumũ transmutantur, efficientem causam calidam: si uerò saporem acidum referunt, eam frigidam esse necesse est. Græcè legitur: εἰ μὲν ἂν κνισώδη τὰ σιτία κατὰ τὴν γαστέρα, μὴ διὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν, ἀναγκαῖον εἶναι τὴν ταῦτ᾽ ἐργαζομένην αἰτίαν ἔσεσθαι θερμήν· εἰ δ᾽ ὀξύνεται, ψυχράν. Quod est: Si igitur in uentriculo cibi in fumum nidorosum uertantur, idq́; nõ ex sua ipsorũ natura, efficientem causam calidam: si uerò acescant, frigidam esse necesse est.

Ibidem.

Quippe ubi igneo calore uentriculus infestatur, panem, aut chondrum, sine humore

deijci uidebis, perquã exigua in ipsis facta transmutatione. Græcè legit: τὰς ἐκκρίσεις μὲν γὰρ περὶ ἀκράτου γιγνομένας κατὰ θερμότητα πυρώδη χωρὶς χυμοῦ, τὸν ἄρτον καὶ τὸν χόνδρον ἴδῃς διαχωρούμενα, βραχυτάτην δὲ αὐτὰ μεταβολὴν γεγονυίας. Quæ sic uertimus: Etenim ubi igneo calore, citra humoris affluxum, uentriculus infestatur: uidebis tum panem, tum chondrum deijci, perquàm exigua in ipsis facta trãsmutatione. Cui lectioni subscribit sequẽs in Galeno sententia, quam etiam interpres peruertit. Ait enim ibidem.

Quòd si humor quoq; deijciatur, qui cibum corrumpere posit, uidentur cibi in huiusmodi humore submersi. Græcè habetur: ὁ δὲ χυμός τις ὢν μοχθηρός, ὁ φθείρων τὴν τροφήν, &c̄. Quod nos ita uertendum duximus: Quòd si humor quoq; in uentre prauus constiterit, qui nimirum cibos corrumpat, &c̄.

Pag. 398.

Quocirca coniecturam feci, neruorũ qui primi à septima uertebra procedunt, partẽ quampiam ob ictum fuisse inflammatam. Græcè legimus: ἐτεκμηράμην ἐν τῷ πρώτῳ τῶν κατὰ τὸν ἕβδομον σπόνδυλον νεύρων ἐκπεσόντος, μέρος τι ὑπὸ τῆς πληγῆς φλεγμῆναι, &c̄. Quod ita uertendum est: Coniecturam feci, nerui post septimam uertebram excidentis, statim in primo exortu partẽ aliquam, ob ictum, fuisse inflammatam.

Pag. 399.

Ergo neruorũ qui à ceruice prodeunt, ultimi exigua pars, ad minores peruehit digitos. Græcè: ἡ τελευταία ὁ ταπεινὴ μοῖρα. Hoc est: Vlnmi humilior pars. Ibidem.

Illi præcipuè spinæ parti, quæ in affecta particula principatum obtinebat. Græcè: ὁ τὴν ἀρχὴν ἔχει τοῦ πάσχοντος μορίου. Quod est: Quæ principiũ affectæ partis in se continebat.

Pag. 404.

Verũ animalibus instrumentis omnibus naturale quoq; munus debetur. Græcè: ἡ φυσικὴ διοίκησις ὑπάρχει. Hoc est: Naturalis quoque dispensano adest.

Lib. II. Pag. 405.

Copus: Quippe ut dolor tristis sensus est, ita uoluptas blandus est sensus. Græcè: ὁ γάρ τοι πόνος, αἴσθησίς ἐστιν ἀνιαρά, καθάπερ ἡ ἡδονὴ προσηνὴς αἴσθησις. Hoc est: Dolor enim est tristis sensus, quemadmodum ipsa uoluptas, blandus.

Ibidem.

Quòd si rem accuratius inspexeris, handquaquàm doloris species dicendus est stupor. Græcè: οὐδὲ διαφορά τις ἐν πόνοις ὁ ναρκώδης ἐστίν. Quod est: Ne differẽtia quidem inter dolores est, stupidus dolor. Pag. 408.

Morbus uerò lateralis, membranæ costas succingentis est morbus. Quæ ubi costis quidem uicina est, necessariò cõprimitur. At media ipsius pars, comprimi non potest. Græcè: ὅσον μὲν οὖν ὁμιλεῖ τοῖς ὀστοῖς, ἐξ ἀνάγκης θλίβεται· τὸ μεταξὺ δὲ, πᾶν ἄθλιπτον τηρεῖ αὐτοῦ, &c. Hoc est: Quæ ubi costis quidẽ adhæret, necessariò cõprimitur. Quòd uerò ex ea inter costas est situm, incompressum remanet.

Pag. 410.

Alius, qui ob tensionem fit, non soli affectæ parti proprius, ut qui uicinas partes interdũ afficiat. Græcè legitur: ἕτερος δὲ, ὁ κατὰ τὴν τάσιν, οὐκ ἔτι ἴδιος μόνου τοῦ πάσχοντος, ἀλλ' ἔστιν ὅτε καὶ διὰ τὰ πλησιάζοντα γινόμενος, &c. Quæ sic uertimus: Alius uerò qui fit ob tensionẽ, non amplius soli affectæ parti proprius, sed ob uicinas partes etiam interdũ accidens. Pag. 411.

Neq; enim ut à tenui corpore, breui temporis spacio exire poterat, sed à profundo quodã. Græcè: ἀλλ' ὡς ἐκ βάθους τινός. Hoc est: Sed ueluti ex profundo quodam.

Pag. 412.

Quemadmodum in bene ualentibus, qui libera utuntur respiratione. Græcè: καθάπερ ἐν ταῖς ἀβιάστοις ἀναπνοαῖς. Hoc est: Quemadmodum in respirationibus haud uiolenter factis.

Pag. 425.

Ipsa enim omnes pelli subiacẽtes partes, spissitudine superat. Græcè: ὅτι πυκνότερον τῶν ὑποκειμένων αὐτῷ τὸ δέρμα ἐστίν. Hoc est: Quòd nimirũ cutis omnes sibi subiectas partes spissitudine superet.

Pag. 432.

Quinetiam calidam sentiunt respirationem. Græcè legitur: τὴν ἐκπνοήν. Hoc est: Expirationem.

Pag. 436.

Verumenimuero, quòd principium sensus & motionis ab impetu prodeuntis, sedem in cerebro habeat, &c. Græcè: ὅτι μὲν ἂν ἀληθέστατόν ἐστι, τὸ καθάρχον αἰσθήσεώς τε καὶ κινήσεως τῆς καθ' ὁρμήν, ἐν ἐγκεφάλῳ καθιδρῦσθαι, &c. Hoc est: Quòd igitur ũerissimũ est, nempe ducem sensus & motus ab imperio prodeuntis, in cerebro collocari, &c. Differt siquidem plurimũ ipsius motionis & sensus dux ab earum operationum principio. Quippe omnium functionũ animalium principium est cerebrum: at dux est ipsa facultas, quæ in illo gignit, & ab ipso emanat, hoc est, animalis spiritus.

Lib. III. Pag. 455.

Copus: Præterea quamuis iam dictæ temperies sint cõtrariæ. Græcè legitur: δυσκρασίαι. Hoc est: Intemperies.

Pag. 458.

Si uerò simul cum uniuerso corpore facies quoq; conuulsa uideatur, non solùm eam partẽ, quæ ex spina procedit, uerumetiã cerebrũ ipsum curamus. Græcè legitur: οὐ μόνον τὴν ἔκφυσιν τοῦ νωτιαίου. Hoc est: Non modò spinalis medullæ exortum.

Pag. 462.

Igitur quemadmodũ phreniticis, febris unũ quoddam accidens dispositionũ cerebri censetur: sic è conuerso in ardentium febrium dementia, multis elatis ad ipsum uaporibus. Græcè habetur: καθάπερ ἓν ὁ τῶν φρενιτικῶν πυρετὸς ἕν τι τῶν συμπτωμάτων τῶν ἐγκεφάλου διαθέσεων ἐστίν, οὕτω τῶν διακαῶν πυρετῶν ἡ παραφροσύνη, πολλῶν ἀτμῶν θερμῶν ἀναφερομένων εἰς αὐτόν. Quod est: Quemadmodũ igitur phreniticorum febris, unum quoddam est cerebri dispositionum symptoma: sic delirium, ardentium febrium symptoma existit, ad cerebrũ elatis multis uaporibus calidis.

Pag. 465.

Fitq; interdum ut rufo colore homines affatim in melancholicã temperiem decidant. Græcè legitur: οἱ ἐξέρυθροι τὴν χρόαν ἄνθρωποι. Hoc est: Admodum rubicundi. Ibidem.

Quippe in his uenis sanguinem cõtineri constat

ftat, uel hoc argumento, quòd alimentũ corpori nõ distribuitur, sed in uentriculo manet incoctum, cùm ipsum meatus antea susciperent, magnam ipsius partẽ in imum uentrẽ excernerent: tum quòd postero die uomitu reijciant, utpote nõ digestis per corpus cibis. Græcè habetur: *δῆλοι γὰρ, ὅτι μὲν ὑπὸ ἐμφράξεως περὶ ταύτας τὰς φλέβας, τὸ μὴ ἀναδίδοσθαι τὸ σῶμα τὴν τροφὴν, ἀλλ' ἐν τῇ γαστρὶ διαμένειν ἀκατέργαστον, πρότερον τὸν πόρον τούτων ἀναλαμβανόντων· τὰ δὲ πολλὰ ἀποκρινομένων ἐς τὴν κάτω κοιλίαν, καὶ τῇ ὑστεραίᾳ ἐμοῦν αὐτὰς, οὐχ ὑπαγόντων ἐς τὸ σῶμα τῶν σιτίων.* Hoc est: Obstructas autem esse eas uenas, hinc constat, quòd alimentum corpori minimè distribuatur, sed in uentriculo inconfectum remaneat, cùm ipsum hi pori antea susciperẽt, magnamq; eius partem in imum uentrem excernerent: quodq; postero die cibi uomitu reijciatur, utpote non digesti per corpus.

Pag. 474.

Tamen sola spiratio, quę musculorum pectus mouentium munus est, seruatur. Græcè: *τῶν κινούντων τὸν θώρακα.* Hoc est: Mouentiũ thoracem. Etenim pectus (quod Græci uocant *στῆθος*) thoracis pars anterior existit.

Pag. 477.

Quemadmodũ in ore stomachi accidit. Græcè: *ὥσπερ ἐπὶ τὸ στόματος τῆς κοιλίας.* Quod est: Quemadmodum in ore uẽtriculi. Nam stomachũ semper accipi aut pro gula, aut pro ipsius ore uentriculi, apud omnes tum Gręcos, tum Latinos, si tamen excipias barbaros, est in confesso.

Pag. 479.

Quemadmodum & reliquarum quoque partium interdum aliquę. Græcè tantũ legitur: *ὥσπερ γε καὶ μέρος τι.* Hoc est: Quemadmodũ pars aliqua ipsarum.

Lib. IIII. Pag. 483.

Copus: Cùm enim nullo in oculo malo apparente, cernendi sensus deperditus est, demissus à cerebro neruus causam, ut uel inflammationẽ, uel duritiem in se cõtinet, aut ex humorũ defluxu, aut aliter quomodolibet foramen ipsius obturatur. Atq; huiuscemodi affectus oculo, ut instrumentali parti accidere necesse est. Græcè. *ἐπειδὰν μὲν ἐν μηδενὶ φαινομένῳ κακῷ περὶ τὸν ὀφθαλμὸν, ἀπολέσθαι τὴν ὀπτικὴν δύναμιν συμβῇ, τὸ καθῆκον δὲ ἐγκεφάλου νεῦρον ἐς αὐτὸν ἔχει τὴν αἰτίαν, ἤτοι φλεγμαῖνον, ἢ σκιρρούμενον, ἢ ἑτέρως ἄλλως δὲ ἐπιρροῇ ὑγρῶν βλαπτόμενον, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως ἐμφραττομένου πόρου τοῦ καθ' αὐτό. καὶ ταῦτα μὲν ὡς ὀργανικῷ μορίῳ συμβαίνειν ἀναγκαῖον αὐτῷ.* Quæ ad uerbum sic uertimus: Cùm igitur nullo malo apparente in oculo, perire cernendi sensum contigerit, neruus à cerebro in ipsum descendens, est causa, idq; uel inflammatus, uel scirrho affectus, aut utcunq; aliter ex humorũ affluxu læsus, aut quouis alio modo obstructo ipsius meatu. Quę sanè omnia, ceu parti organicæ, necessum est illi accidere.

Pagina 491.

Quorum alij quidem cõmunes sunt per cerebri neruorumq; consensum. Græcè: *διὰ τὴν πρὸς τὸν ἐγκέφαλον, καὶ τὰ νεῦρα κοινωνίαν.* Hoc est: Ob cõmercium quod habet cum cerebro & neruis.

Pag. 493.

Proinde & tertiæ, & quartæ cõiugationis nerui. Græcè: *καὶ διὰ τοῦτο τά τε κατὰ τὴν δευτέραν, καὶ τὴν πρώτην συζυγίαν.* Hoc est: Proinde secundæ & primæ coniugationis nerui. Arbitror tamen legendum: Secundæ & quartæ: id quod colligo ex superiori sententia, ubi Galenus ait: Sanè affecto in utraq; parte, tam dextra quàm sinistra, cerebro, in eo uidelicet spacio, unde tertia neruorũ cõiugatio prodit, omnes uicinæ partes simul affici consueuerũt. Hæc Galenus. Atqui regiones eæ, à quibus oriũtur secunda & quarta neruorũ copula, proximæ sunt origini tertiæ coniugationis. Ibidem.

Id autem per neruos non à tertia coniugatione, sed à ceruicis uertebris procedẽtes, efficitur. Nam hi per totam ferè faciem sparguntur, exigua ipsius parte excepta, quæ à quinta coniugatione prodeuntes neruos suscipit, in suprema uidelicet lati musculi parte. Græcè legimus: *ὁ πλατὺς ἐπὶ τούτῳ παρὰ τῆς τρίτης συζυγίας τῶν νεύρων οὐ λαμβάνει, ἀλλ' ἐκ τῶν κατὰ τὸν τράχηλον σπονδύλων, ὡς ἅπαν ὀλίγου δεῖν, ὅτι μὴ κατὰ μέρος τι μικρὸν αὐτοῦ τὸ παρὰ τῆς πέμπτης συζυγίας ἐμφυομένων νεύρων, ἵνα τὸ πλάτυσμα τὴν ὑψηλοτάτην ἔχει χώραν.* Quæ sic nos uertimus: Cæterùm latus ille musculus non recipit neruos à tertia coniugatione: sed nerui à ceruicis uertebris procedentes, in illum ferè totum disseminantur, exigua ipsius parte, sublimioriq; excepta, in quam deferuntur nerui à quinta coniugatione, &c. Sic autem esse uertenda hæc, colliges ex lib. XVI. de Vsu partium, pag. 893.

Pag. 498.

Sed in lumbis totus neruus ex superiori excidit uertebra. Vbi si transuersa eueniat uertebrarum luxatio, eadem secum trahens & spinam & neruum, illæsum seruat ipsius secundum naturã ortum. Græcè legimus: *ἐπὶ δὲ τῆς ὀσφύος ὅλον τὸ νεῦρον ἐκπίπτει κατὰ τὸν ὑψηλότερον σπόνδυλον, ὥστ' ἐνταῦθα μὲν ὡς ἐς τὰ πλάγια ῥεπόντων σπονδύλων, ἑαυτῷ συναπάγεται τόν τε νωτιαῖον αὐτὸν, καὶ τὸ νεῦρον, ἀβλαβῆ φυλάττει τὴν κατὰ φύσιν ἔκφυσιν αὐτοῦ.* Quod sic clarius interpretabimur: In lumbis autem totus neruus ex superiori excidit uertebra. Quare in eis sanè, trãsuersa spondylorum luxatio, unà secum abducens et spinalem medullam & neruum, illæsum seruat ipsius secundum naturam ortum.

Pag. 502.

Nam in ijs magna ex parte totus thorax dilatari consueuit. Græcè: *ἐπὶ πλεῖστον γὰρ αὐτοῖς ὁ θώραξ διαστέλλεσθαι ἔθος.* Quod est: Nam ŋ plurimum distendunt uniuersum thoracem.

Pag. 510.

Quinetiam uitiari uocem haud obscurè contingit, cùm uel acutior, uel maior redditur, ob id quod fauces à suis musculis nequeant distendi. Græcè: *βλάπτεσθαι δ' ἔτι συμβαίνει τὴν φωνὴν ἐς ὀξύτητά τι καὶ μέγεθος, ἐν ἀμυδρῷ, καίτοι οἱ φάρυγγος μῦες ἀδυνατοῦσι τείνειν αὐτήν.* Hoc est: Contingit quoq; haud obscurè lædi uocem in acumen & magnitudinem, ubi etiam fauces à suis musculis contendi non possunt.

Pag. 514.

Quòd si per inspirationem cuipiam narium pinnæ manifestè contrahi uideantur, id uerò efficax prostrati roboris indicium est. Græcè. *ὅτε μὲν ἡ κατὰ τὰς εἰσπνοὰς ἐσπασμένα ἔχῃ προδήλως φαίνηται τὰ πτερ-*

φύγια, σημαῖον καὶ τοῦτο μέγα δυνάμεως ἀῤῥωςίας. Hoc est: Quæ nares, per inspirationes habent pinnas admodum dilatatas: id quod etiam magnũ imbecillæ facultatis est signum.

Ibidem.

Ob spiritalium uerò instrumentorum angustiam, totus quidem thorax magna ex parte & celeriter, & frequenter dilatatus. Sed qui sic laborant, exufflare omnino nõ consueuerũt. Græcè: ἐπὶ δὲ ταῖς στενοχωρίαις τῶν ἀναπνευστικῶν ὀργάνων, ὅλος μὲν ὁ θώραξ ἐπὶ πλεῖστον διαστέλλεται ταχέως καὶ πυκνῶς· τὴν δὲ ἐκπνοὴν χωρὶς ἐκφυσήσεως οἱ κάμνοντες οὕτως ἴσχουσιν. Quæ sonant: Ob spiritalium uerò instrumentorum angustiam, totus quidem thorax plurimum dilatatur, celeriterq́ & frequenter. Expirationẽ tamen, qui sic laborant, absq́ efflatu perficiunt.

Pag. 515.

Ac licet continenter spirare cogatur, non tamen exufflare solet: id enim aucti caloris proprium est. Græcè: καὶ διὰ τοῦτο συνεχῶς ἀναπνεῖν ἀναγκάζεσθαι χωρὶς ἐκφυσήσεως, ἴδιον γὰρ τοῦτο θερμασίας πολλῆς. Hoc est: Ac proinde continenter spirare cogetur, absque efflatione aliqua: id quod aucti caloris est proprium.

Lib. v. Pag. 528.

Copus: Iam ex iecinoris quoque affectu mori accidit, sed alia ratione, inedia scilicet. Græcè legitur: διὰ γὰρ ἀτροφίαν. Hoc est: Ob atrophiam. Quo affectu detenti, edunt quidem, sed ciborũ usu non promouentur.

Ibidem.

Verùm hæ consentiente corde eueniunt. Græcè: ἀλλὰ καὶ αὗται γίνονται διαθέσει συμπασχούσης τῆς καρδίας. Quod est: Sed & ipsæ etiam fiunt corde, lege consortij, affecto.

Pag. 540.

Respirationis tẽpore. Græcè: κατὰ τὴν ἐκπνοήν. Hoc est: Expirationis tempore.

Pag. 544.

Ita rursus intendi præcordia. Græcè: καθάπερ γε πάλιν ἀνασπᾶσθαι τὰ ὑποχόνδρια. Hoc est: Quemadmodum rursus reuelli quidem præcordia.

Ibidem.

Non incipiente uidelicet affectu, sed cùm paratus iam fuerit. Græcè: ἤδη κατασκευασμένου τοῦ πάθους. Quod est: Iam constituto affectu.

Pag. 548.

Nam ad propriam eius rationem pertinet, & appetentiam prohibere, & natantes cibos corrumpere, quemadmodum id haudquaquã fieri solet, cùm cibi in uentriculi fundo firmantur. Græcè: ἐπειδὴ κατὰ τὸν ἴδιον λόγον ἀποστρέφεται τε καὶ διαφθείρει τὰ ἐπιπολάζοντα ἐδέσματα, ὡς τά γ' ἐν τῷ πυθμένι τῆς κοιλίας στηρίζεσθαι πεφυκότα, καὶ μάλιστα εἰ ἂν ᾖ δυσδιάφθαρτα, τοιοῦτον οὐδὲν πάσχει. Quæ ad uerbum sonant: Quandoquidem propria quidem ratione fastidit cibos, eosq́ natantes corrumpit. Nam qui cibi in fundo uentriculi confirmantur, ac potissimum si corrumpant ægrè, nihil talium patiunt.

Pagina 549.

Totum enim uentrem purgat, uiresq́ reparat. Græcè: καὶ ῥώννυσι πρὸς τὰς οἰκείας ἐνεργείας. Hoc est: Atq́ ad proprias actiones corroborat.

Pag. 553.

Atque in pulmonis inflammatione erysipelatis participe, ardentes febres excitantur: quemadmodum ubi in uniuerso quoque corpore biliosi humores ad immoderatum feruorem perueniunt. Græcè: ὥσπερ γε καὶ καθ' ὅλον τὸ σῶμα, διὰ σηπεδόνα χυμῶν χολωδῶν εἰς ἄμετρον ζέσιν ἀφικομένων. Hoc est: Quemadmodum etiam per uniuersum corpus, ob putredinem biliosorum humorũ immodicè efferuescentium.

Pag. 568.

At fellis folliculus, ut pote cui nullum succurrit ab animali facultate præsidium, &c̃. Græcè: ὡς ἂν οὐδὲν εἰς τὴν ἀπέκκρισιν βοηθούμενος ὑπὸ δυνάμεως ψυχικῆς. Hoc est: Ceu, qui nihil iuuetur ad excretionem à facultate animali.

Lib. VI. Pag. 570.

Copus: Neque aliarum partium ulla afficietur, in his qui aqua frigida uitiosa epota, mox aqua inter cutem corripiuntur. Græcè legitur: ἐπὶ τῶν ἀθρόως καὶ ἀκαίρως ψυχρὸν ὕδωρ μοχθηρὸν πιόντων. Hoc est: In ijs qui cõfertim, intempestiueq́ aquam frigidam simulatq́ uitiosam bibunt.

Pag. 577.

Verùm cùm primùm eos uidissem, curationem à medicamentis, quę urinam ciere possent, tentaui, quam postea experientia comprobauit. Græcè: ἀλλὰ τήν γε θεραπείαν ἰδὼν πρῶτον αὐτὸν, ἤλπισα διὰ τῶν οὐρητικῶν φαρμάκων ἔσεσθαι, καὶ οὕτως ἀπέβη. Hoc est: Cæterùm curationem, ubi primùm eos uidi, per diuretica medicamenta speraui futurã. Atque ita successit.

Pag. 584.

Paucis omnino interuallis utraq́ excernuntur. Græcè: ἀλλὰ ἐκκρίνει κατ' ὀλίγον ἀμφότερα. Quod est: Sed paulatim utraq́ effluunt.

Pag. 589.

Quæ mulieribus ad pariendum à natura data est. Græcè legimus: τὸ πρὸς τὴν κύησιν. Hoc est: Ad conceptionem.

Pag. 590.

Itaque pereunte ob uteri affectum spiratione, quoniam uniuersum corpus refrigeratur, id enim manifestè uidetur, fieri potest, ut nulla prodeat ab ore spiratio, quamuis ea quæ in arterijs fit, nequaquam intercipiatur. Græcè: ἐγχωρεῖ τοίνυν ἐπὶ τῆς ὑστερικῆς ἀπνοίας, ἐπειδὴ καταψύχεται τὸ πᾶν σῶμα (φαίνεται γὰρ ἐναργῶς τοῦτο) τὴν μὲν διὰ τοῦ στόματος ἀναπνοὴν μηδόλως γίγνεσθαι, τὴν δὲ διὰ τῶν ἀρτηριῶν γίγνεσθαι. Quod sic ad uerbum reddidimus: Fieri autem poteſt, ut pereunte ob uteri affectum spiratione, quandoquidem tũc totum corpus perfrigeratur (id quod euidenter apparet) minimè quidem fiat per os respiratio: transpiratio autẽ, quæ fit per arterias, seruetur.

Pag. 593.

Ac sanorum modo educatus. Græcè: διαιτώμενον τι κατὰ πάντα σχεδὸν ὑγιεινῶς. Hoc est: Salubriq́ secundum omnia usus uictus ratione.

Pag. 594.

Aut præ marcore fœdum, molestumq́ reddit odorem. Græcè: ἢ σαπεδόνος αἰτίαν ἀηδῆ τὸ ὄζημα. Quod est: Aut putredinis grauem odorem referens.

Pag. 597.

Eam esse censetur uasorũ ad ipsum peruenientium

tium & plenitudo & suspensio. Græcè legitur: τ πρὸς αὐτὰς καθηκόντων ἀγγείων ὁ πλήρωσις, ἅμα ταῖς ἀρτήμασιν αὐτῶν. Hoc est: Vasorũ ad ipsum peruenientium, appendicumq́; eorum, plenitudo. Sic nanque legendum esse, indicat dictio sequens, quæ est talis: Itaq; multiplicatus sanguis in uenis, eas extendit, atq; uicinas ipsis appendices. Nam ubi interpres conuertit uincula, codex græcus habet, ἀρτήματα.

Ibidem.

Igitur si æqualiter undiq; trahantur, recta erit, & sine inclinatione ipsorum transmutatio. Si uerò inæqualiter, ad partem uehementius trahentem intenduntur. Græcè: ἐὰν μὲν ἐν ἰσοῤῥόπως ἑλκονται πανταχόθεν, ἀπαρέγκλιτος αὐτῷ ἡ μετάστασις γίγνεται· ἐὰν δὲ ἀνισοῤῥόπως, πρὸς τὸ μᾶλλον ἕλκον ἐκτείνονται. Quæ sonãt: Si igitur æqualiter undiq; trahatur uterus (apud Græcos enim αἱ μῆτραι in plurali significant uterũ) recta erit ipsius transmutatio. Si uerò inæqualiter, ad partem uehementius trahentem, intenditur.

Pag. 599.

Nonnullis panus in extrema ilium parte excitatur, ueluti uiris quoq; eodem in loco nonnunquàm oriri solet. Qui ubi suppuratus aliquando fuerit, secari debet. Atque hanc partem siue membrum suppuratum dissectumq; uidimus, interdum ignorantibus medicis inexpertis quid incideret: interdum uerò intelligentibus quoq;. Atq; omnia membra ita suppurata facilè curantur. Græcè legimus: ἐνίαις δὲ καὶ φυματῶδες ἐγείρεται κατὰ τὸ πέρας τῶν λαγόνων, οἷον καὶ τοῖς ἀνδράσι γίγνεται κατὰ τὸ χωρίον τοῦτο. ἐπεὶ τινι διαπυΐσκον, καὶ τομῆς ἐδεήθη. κατὰ τοῦτο γὰρ τὸ μέρος καὶ κῶλον εἴδομεν ἐκπυηθέντα τε καὶ τμηθέντα, ἐνίοτε μὲν ἀγνοούντων ὅ τι πάσχοι τῶν ἀπειροτέρων ἰατρῶν, ἐστὶ δ' ὅτε καὶ γιγνωσκόντων, καὶ πάντα ἰάθη τὰ οὕτω ἐκπυήσαντα κῶλα ῥᾳδίως. Quę sic nos uertimus: Nonnullis autem panus in extrema ilium parte excitatur, quales uiris quoq; eadem in parte nõnunquàm oriri solẽt. Cuidam uerò fuit suppuratus, ac proinde sectione fuit opus. Iuxta hanc ipsam partem uidimus colon intestinũ & suppuratum, & sectum, interdum ignorantibus medicis inexpertis, quid inciderẽt: interdum uerò intelligentibus quoq;. Quoties autem sic suppuratum fuit colon, facilè curationem recepit, &c̃. Miror autẽ Copum, alioqui uirũ citra cõtrouersiam doctissimum, hoc in loco peruertisse Galeni sententiã, cuius nimirum similem, libro tertio de locis affectis, pag. 571. ip̃e rectissimè in hunc modum transtulerat. Iam ortum supra inguina panum, ac suppuratũ, cùm medicus incideret, stercus subsecutum, in colo abscessum esse declarauit.

Pag. 606.

Quippe eodẽ tempore omnes totius animalis arteriæ, inter sese similiter producuntur. Græcè: διαστέλλονται. Hoc est: Dilatantur.

## *Lib. I. de differentijs febrium.*

Pag. 611.

Leonic. Ac nihilo minus in corde ipso, ut quæ ad idem cõfluat cum omnibus ipsis. Græcè: ὡς ἂν σύῤῥουν ὑπάρχουσα πάσαις αὐταῖς. Quod est: Ceu confluxile & conspirabile cum uniuersis arterijs.

Pag. 613.

Ex quarũ numero febris est una, quoniam in corde quædam præter naturam caliditas generatur. Græcè legitur: ἐπειδὰν ἐν τῇ καρδίᾳ. Hoc est: Vbi in corde, &c̃.

Pagina 614.

Ira autem est ueluti quidam feruor ac uehemens motus potentiæ irascibilis in ipso cordis corpore sita. Græcè legitur: καθιδρυμένης. Hoc est: Collocatæ: sic ut participium hoc referat nõ iracundiam, sed irascibilem facultatem, quæ in corde suam sedem sortitur.

Pag. 615.

Quoniam autem constringi terminũ exteriorem, aut obstrui penitiorũ partium meatus cõtigerit. Græcè legitur: ἐὰν δ' αὖ δὴ. Sed legendũ est: ἐπειδὰν δὴ. Hoc est: Vbi uerò, &c̃.

Pag. 616.

In obstructionibus quidem foraminum. Græcè legitur. τ πόρων. Hoc est: Meatuum.

Ibidem.

Quoniam nõ bene continentur. Græcè: μηκέτι κρατούμενοι. Quod est: Cùm neq; amplius uincant.

Ibidem.

Propterea autem, quicunque cibi glutinosi sunt ac crassi, sunt magis morbis obnoxij. Græcè: Διὰ τοῦτο καὶ ὅσα γλισχρὰ, καὶ παχύχυμα τ ἐδεσμάτων, νοσωδέστερα. Hoc est: Idcirco quicunque ex cibis lẽti & crassi sunt succi, ij magis morbifici existunt, &c̃. Humana siquidem corpora dicuntur obnoxia morbis: cibi autem, uel morbifici, uel salubres.

Pag. 617.

Ex quibus omnibus simul cor affici est necessarium. Græcè: οἷς ἅπασι συνδιατίθεσθαι τὴν καρδίαν ἀναγκαῖον ἐστι. Hoc est: Cum quibus omnibus simul cor affici est necessarium.

Pag. 630.

Sicuti in his qui nõ tempore frigidam bibũt. Græcè. ἀκαίρως. Hoc est: Intempestiuè.

Pag. 633.

Et quidem sæpius commouent, dormitantiũ more. Græcè legitur: καὶ μέν τοι καὶ μύουσι ὡς τὰ πολλά. Hoc est: Ac sanè sæpius conniuent.

Pag. 635.

Omnibus siquidem hecticis febribus hoc inseparabile adest indicium, allato cibo quidem, febrem accendi. Græcè legitur: αὐάπτεσθαι μὲν τὴν θερμασίαν. Hoc est: Caliditatem quidem accendi.

Pag. 636.

In omnibus siquidem febribus alijs, huiuscemodi introitus etiam pręter cibum assumptum, fiunt incompressi. Græcè legitur: ἀσάλευτοι εἰσβολαί. Hoc est: Inconcussi insultus.

Pag. 637.

Si enim aquam frigidissimam miscueris. Græcè legitur: καταχέῃς. Hoc est: Infuderis.

Lib. I. de differentijs febrium.

Pag. 644.

Leonicenus: At in tertianis quidem, causam à qua prouenit, rei quodãmodo pungentis, ac ferientis sensum repræsentat: in quartanis antẽ, refrigerantis. Græcè: ἀλλὰ τὸ μὲν ἐν τοῖς τριταίοις ῥῖγος οἷον νύττοντός τε καὶ τιτρώσκοντος, τὴν αἴσθησιν ἐνδείκνυται τ ποιοῦντος αἰτίου· τὸ γε ἐν τοῖς τεταρταίοις, οἷον ψύχοντος. Hoc est: Sed qui in tertianis accidit rigor, ceu rei cuiusdam pungentis atque ferientis, sensum causæ

repræſentat: qui in quartanis autem, tanquàm refrigerantis.

Ibidem.

Atque in pluribus circuitibus continenť. Grę cè additur: τοῖς κατὰ μέρος. Hoc eſt: In pluribus particularibus circuitibus.

Pag. 646.

Ac ſecundæ acceſsionis feſtinat inuaſio. Græcè: καὶ τῆς δευτέρας παροξυσμοῦ πρωιαίτερον ἡ ἔφοδος. Hoc eſt: Multò magis feſtinat inſultus: ſiue, anticipat.

Pag. 647.

Quicquid optimum fieri contigerit. Græcè: ὅσον ἂν ἐγχωρῇ γενέσθαι χρηστόν. Hoc eſt: Quicquid potuerit corrigi.

Pag. 657.

Sic & hemitritæus, dimidiam eius partem habet tertianam. Græcè habetur: ἑαυτῆς. Hoc eſt: Sui ipſius.

Pag. 661.

Eſtq; tardi ac difficilis motus, frigida ac lenta exiſtens materia. Græcè legitur: ἀργοῦ καὶ δυσκινήτου, καὶ ψυχροῦ, καὶ βραδυπόρου τὴν φύσιν ὑπάρχοντος. Quod eſt: Quum nimirum is humor piger, ægrè mobilis, frigidus, ac naturaliter tardè permeans exiſtat.

Pag. 663.

Nam ex his quæ de bilioſa & pituitoſa febre ſimul commiſtis conſcripſimus, licet & hæc ad atræ bilis humorem transferentem, eius cum utraque illarum complexionem ac confuſionem pariter coniecturari. Græcè legimus: κἀπὶ τὸν μελαγχολικόν. Hoc eſt: Ad melancholicam febrem.

Pag. 665.

Externa autem corrumpere, quod eſt putreſcere. Græcè: ὅπερ ἐστὶ σήπειν. Hoc eſt: Quod eſt putreſacere.

Ibidem.

Calor autem extrinſecus, ſanguinē opprimit. Græcè: θερμαίνεται δ' ἐπικτήτῳ τῷ αἵματι. Hoc eſt: Incaleſcit autem externo calore ſanguis.

Pag. 666.

Quod ex his humoribus, qui carbunculi appellantur, contingit. Græcè: ὥσπερ κἀπὶ τῶν καλουμένων ἀνθράκων, &c̄. Nempe: Quemadmodum in uocatis carbonibus.

Pag. 668.

Inflatur. Græcè: ἐκφυσᾶται. Hoc eſt: Efflatur.

Pag. 669.

Ita & in interioribus quæcunq; non uidentur eandem proportionis ſimilitudinē ſeruare, fieri concipiendum. Gręcè: οὕτω χρὴ νοεῖσθαι καὶ τῶν ἐντὸς, ὅσα μὴ φαίνεται, τὴν αὐτὴν ἀναλογίαν σωζομένην ἔχοντα. Hoc eſt: Sic oportet imaginari etiam in interioribus, quæcunq;, cùm non ſint obiecta uiſui, eandem tamen analogiam perpetuò ſeruant.

Ibidem.

Et meatus, qui materiam inutilem excernūt: Græcè legimus: ἐξοχετεύοντες. Hoc eſt: Deducentes. Si quidem non meatus, ſed facultas ipſa expultrix excernit.

Pag. 673.

Quia uidelicet humor, quē proprius calor nō obtinet, nihil habet reliquū. Græcè: ὅτι τι τὸ μὴ κρατούμενον ὑγρὸν ὑπὸ τῆς οἰκείας θερμότητος ὑπόλοιπον ἔχει, &c̄. Hoc eſt: Et quia humori qui à proprio calore non uincitur, nihil amplius ſupereſt, niſi &c̄.

Pag. 677.

Neq; etiā omnibus æqualiter accendi aut diſſolui cōtingit. Græcè legit: χρεών. Hoc eſt: Oportet.

Pag. 678.

Vt febris accendatur. Græcè: καὶ πυρετὸν ἐξάψαι. Hoc eſt: Ac febris accendatur.

Pag. 679.

Sed id ſolùm quod ita eſt extenuatum, & in ſubtilioris uaporis naturam tranſierit. Græcè: ὡς εἰς ἀτμοῦ λεπτοῦ μεταβάλλειν φύσιν. Hoc eſt: Vt in tenuis uaporis naturam tranſierit.

Pag. 680.

Quidam feruentium humorū difflatus. Græcè additur: ὄντα. Hoc eſt: Exiſtens.

Pag. 681.

Quod qui putreſcere incipit humor, in aliquo membro conſiſtit. Græcè legitur: ἕτερον ὑπάρχον. Hoc eſt: Alter, ſiue diuerſus, exiſtit.

## *Libro de arte medicinali.*

Pag. 706.

LEonicenus: Et inſalubrium. Græcè: καὶ νοσωδῶν. Hoc eſt: Et morbidorum.

Pag. 709.

In uno autem tempore, quod ita eſt neutrum, conſiſtere nequit. Græcè additur: ἀκριβῶς μέν. Hoc eſt: Accuratè quidem nequit conſiſtere.

Pag. 713.

In hac enim neceſſe eſt, ut poſteriores, prioréſue partes. Græcè legitur: τά τε ὄπισθεν, καὶ τὰ ἔμπροσθεν. Hoc eſt: Poſteriores prioreſq; partes.

Pag. 715.

Mediiq; ſunt inter eos qui omnino ſunt criſpi, & ſimplices. Græcè corruptè legitur: καὶ ἁπλῶν, pro ἁπαλῶν. Hoc eſt: Lenes.

Pagina 716.

Capilli quoq; in his ſtatim in lucem editis, habent in capite ortū. Gręcè habetur: ταχέως ἐπὶ τῇ κεφαλῇ φύονται. Hoc eſt: Celeriter generantur.

Pag. 718.

Implentur uerò atq; aggrauantur eorum capita à calidis. At ſi humectentur, tunc multò magis excrementorum habent multitudinem. Græcè: εἰ δὲ καὶ ὑγραίνοιντο, πολὺ δὴ μᾶλλον ὅταν καὶ πλῆθος ἴσχωσι περιττωμάτων. Hoc eſt: Quod ſi humectentur etiam, tunc multò magis, præcipuè dum excrementorum copia redundant.

Pag. 720.

Paruitas uerò oculorū, adiuncta quidem concinnitate, ac uirtutum operatione. Græcè: καὶ τῇ τῶν ἐνεργειῶν ἀρετῇ. Hoc eſt: Et operationum uirtute.

Pag. 723.

Ad actiones autē prompti ſunt, & iracundi, & impudentes. Græcè legitur: καὶ ταχεῖς. Hoc eſt: Celeres: nō impudentes, quod interpres uertit.

Pag. 725.

Sed de inſitis uniculq;, ac naturalibus nos expoſuiſſe. Legendū tamen eſt: ſunt à nobis expoſita. Alioqui non rectè fluit oratio, ſi illinc eam deducas, ubi Galenus ait: Quod quæcunq;, &c̄.

Pag. 735.

Dictum uerò eſt in tertio de cauſis accidentium, quòd cuiuſq; potentiæ uirtus & uitiū, temperatura principalis exiſtit. Græcè habetur: ἀρετὴ δ' ἐν τῷ τρίτῳ περὶ τῶν ἐν τοῖς συμπτώμασιν αἰτίων, ὡς τῆς ἑκάστης

ἰσχύος δυνάμεως ἀρετὴ τι καὶ κακία, ὁ προηγουμένη ἐκρά-σεως ἕπεται. Quæ iudicio meo fic funt uertenda: Dictum autem eft in tertio de fymptomatum caufis, quòd ipfius potentiæ uirtus & uitium, à temperie præcedente oritur.

Pag. 736.

Ad imum uentriculi locum, quem Græci pyloron uocant. Gręcè: ἐπὶ τὸ πυλωρόν. Hoc eft: Ad imũ orificium uentriculi, qui ianitor appellatur.

Pag. 746.

Horum autem fingulorũ, quæ dicta funt, qualitas in ipfa corporis conftitutione eft eligenda. Græcè habetur: ἐπὶ τῆς ἀρίστης κατασκευῆς. Hoc eft: In optima conftitutione.

Ibidem.

Alteram uerò eam quę ad optimã transferũt. Græcè: ἑτέραν δὲ τὴν ἐπὶ τὴν ἀρίστην ἀγόντων. Hoc eft: Alteram uerò, earum quæ ad optimam ducunt.

Pag. 751.

Alias quidem effe falubres caufas eius temperaturæ. Græcè legimus: δυσκρασίας. Hoc eft: Intemperantiæ.

Pag. 754.

Atq; ad illas impellemus, quę nullum habent principatum. Græcè: ἐρεθίσομεν δὲ τὰς, ὡς μὴ κυρίως τα. Hoc eft: Irritabimus autem illos, qui ad partes minimè principes, fcilicet ducunt.

Pag. 757.

Intentio tamen, quoad fieri poteft, curationẽ adhibere, ad cõtrarium euerfionis adducendo. Græcè habetur: ὅσα μὲν ἐν τῷ πνεύμονί τι καὶ θώρακι περιέχεται, μετὰ βηχῶν μὲν ἀναπτύειν, ὑπὸ δὲ φαρμάκων λεπτυνόν-των. Quod eft: Quæcunq; igitur in pulmone atq; thorace ambiuntur, cum tufsi fanè expurgant, fed à medicaminibus extenuantibus.

Ibidem.

Aut per urinam, aut per uentriculum. Græcè: ὁ γαστήρ. Hoc eft: Aut per aluũ. Nam uentriculus, fiue ἡ κοιλία, uentrem fuperiorem fignificat: quẽadmodum ὁ γαστὴρ, inferiorem.

Pag. 760.

Prius à parte repellendum: mox difpergendũ. Græcè: ἀποκλύσαι τὸ μέρος πρότερον, ὁ διαφορῆσαι ὕστερον. Hoc eft: Prius debes repellere à parte, quàm aggrediaris difcutere.

Pag. 764.

Hæc igitur omnia fanare pofsibile eft. Græcè legitur: σχεδὸν δυνατὸν ἐστιν. Hoc eft: Propémodum eft pofsibile. Pag. 765.

Quare & duplex fanandi modus. Alter quidẽ ad oppofitã partẽ ei à qua facta eft permutatio, intẽdendo atq; impellendo. Alter uerò, id quod cõtinet, firmius folidiusq; reddendo. Græcè: ἐπὶ μὲν ἐκείνου τῷ μὲν ἐπὶ ἀντιθέσει τι καὶ ἐκ τοὐναντίου, ὃ παρεκλίθη, θάτερον τῷ δὲ, τὸ περιέχον ἰσχυρότερον ποιεῖν. Hoc eft. Quare & curatio ipfa, in illa quidem (hoc eft, in luxatione) fiet ad oppofitã partem ei, ad quã facta fuit permutatio, impellentibus nobis. In altera uerò (hoc eft, in enterocele) id quod continet, firmius folidiusq; reddentibus.

*Lib. Quomodo fimulantes morbum fint coarguendi.* Pag. 771.

Ficardus: Quando ex indigeftione. Græcè: ἐξ ἀπεψίας. Hoc eft: Ex cruditatibus.

# SECTIONE QVINTA.

*Lib. II. de medendi methodo.*

Pag. 45.

Linacer: Nyctilopa dicunt. Græcè legitur: νυκτάλωπα. Hoc eft: nyctalopa. Dicitur autem nyctalops, qui noctu cæcus eft, cùm clarè interdiu cernat. Plin. lib. 8. cap. 50. huius uoculæ meminit, dicens: Reftituit uefpertinam aciem his, quos nyctalopas uocant.

Pag. 67.

Quippe ipfam fequentis fiue agendi infinuationem. Grçcè: τὴν γὰρ οἷον ἔμφασιν τῆς ἀκολουθίας. Hoc eft: Ipfam ueluti confecutionis imaginem.

Lib. III. Pag. 115.

Linacer: Sin ficcior debito particula tantò fuerit, quantò corporis temperamentũ iufto eft humidius. Græcè habetur: εἰ δὲ πλέον ἤ τὸ μέτριον τὸ μόριον ξηρότερον, ὅσον τὸ σῶμα ὁ ἐκράσεως ὑγρότερα. Hoc eft: At fi particula fuerit ficcior iufto, quàm corporis temperamentum fit iufto humidius.

Lib. IIII. Pag. 144.

Linacer: Exiguorum flatus mutatio. Græcè: μεταστροφὴ πόρων. Hoc eft: Trãfmutatio oĩs meatuũ.

Lib. V. Pag. 171.

Linacer: Præfertimq; per anguftas, uel principes particulas. Grçcè: καὶ μάλιστα διὰ στενοχωρίας τινάς. Hoc eft: Et præcipuè per anguftias quafdam.

Lib. VIII. Pag. 285.

Linacer: Itaq; fi iam prçfens febris eft, &c̃. Grçcè: εἰ μὲν ἤδη γεγονότες εἶεν οἱ πυρετοί. Hoc eft: Si igitur genitæ iam febres fuerint.

Pag. 317.

Alterã quæ ex ipforũ quæ indicant, dignitatibus cenfeatur. Græcè: ἑτέραν μὲν αὐτοῖς τοῖς τῶν ἐνδεικνυμένων ἀξιώμασι μετρουμένην. Hoc eft: Alteram, quæ ex indicantiũ dignitatibus fpectatur. Huic uerfioni noftræ fubfcribit quod habetur lib. XI. pag. 394. Perpenfis fcilicet indicantiũ fcoporũ tum magnitudine, tum dignitate.

Pag. 394.

Perpenfis fcilicet eorum quæ indicent. Græcè additur: σκοπῶν. Hoc eft: Scoporum.

Lib. XII. Pag. 433.

Linacer: Quod ad dolores exfenfus torpore fedandos, nullo minus eft celebre. Græcè: εἰ ἀργὸν ὄντων ἐνδοξον ἥκιστα πραΰνειν ναρκοῦσαι τὴν αἴσθησιν. Hoc eft: Quod ad dolores fedandos ftupefaciendo fenfum, nullo minus eft celebre.

Pag. 442.

Nam fi imbecillum illi caput eft, & quod facilè calentibus uinis impleatur, &c̃. Grçcè legitur: οἴνῳ τῷ θερμῷ οἴνων. Hoc eft: Et calidis uinis. At multa frigida uina facilè incalefcere poffunt, fi uidelicet igni admoueantur.

Lib. XIII. Pag. 490.

Linacer: Imò pofteaq̃ uniuerfum corpus uacuaueris, ac neceffariũ eft, eorũ quæ in inflãmata parte continent, aliquid educas. Græcè: ἀλλ' ἐκκενώσαντα τὸ σῶμα πρότερον, καὶ χρὴ συγγινεσθαι ἐξ ἀρχῆς τι τῶν περιεχομένων τῷ κατὰ τὸ φλεγμαῖνον. Hoc eft: Sed pofteaq̃ uniuerfum corpus uacuaueris, utileq; fuerit, eorũ quæ in inflãmata parte continent, aliquid etiam

educere. Ibidem.

Generandis autem adhuc uitijs. Græcè: γινομένων δ' ἔτι τῶν κακῶν. Hoc est: Vbi uerò affectus etiamnum in generatione constant.

Lib. XIIII. Pag. 529.

Linacer: His uerò etiam picari cõmodum est: idq; tertio aut quarto quoq; die. Græcè: διὰ τριῶν ἢ τεττάρων ἡμερῶν, ὁ πιττώμενος. Quod est: Curriculo trium, aut quatuor dierũ. Cum qua lectione in unum conspirat sententia illa, quæ paulò pòst habet in hũc modum: Ergo neq; assiduè id ægrotanti corpori admouere conueniet: nec cùm conueniet, sæpe illinire: uerùm in hyeme bis, in æstate semel id fecisse, est satis. Vnde liquet ex sententia Galeni, minimè quidem tertio, aut quarto quoq; die, illos ægros picandos esse, sed semel quidem æstate, bis autẽ hyeme: sic tamen ut singulæ uices triduum, aut quatriduum occupent.

Pag. 531.

Membranulam mollem firmamq; cuti gummi illitæ circumuoluens. Græcè additur: χάρτου. Hoc est: Ex charta membranulam.

## Lib. I. de arte curatiua ad Glauconem.

Pag. 7.

LEonicenus: Et oculorũ motus manifestus. In excusis exemplaribus græcis legitur: ἄδηλος. Vetustissimus autem manuscriptus habet: δῆλος. Vt sit sensus: Oculorũ etiam motus indicat, &c̃. Nam qui fieri potest, ut manifestus sit in eis oculorum motus, cùm uix possint (quod postea subditur) palpebras ipsas attollere?

Pag. 14.

Nam quæ uelociter fiunt, ac celeriter ad statũ ueniunt, &c̃. Græcè legitur: τὰ γὰρ ὀξέα. Hoc est: morbos acutos.

Pag. 17.

Non igitur notæ, minimeq; exquisitæ febres diuturnæ sunt, ut quotidianæ & quartanæ. Græcè: οὐκ ἦν οὖν ἐξαιτοῦς χρόνιοι ἡμέτεροι τοῖς ἀμφημερινοῖς οἱ ἐκ ἀκριβοῦς. Hoc est: Non igitur quemadmodũ exquisitæ quotidianæ & quartanæ, sic etiam nõ exquisitæ sunt longæ. Pag. 29.

Atq; ideo uehementes euacuationes, quæ ex matricibus fiunt, cucurbitulæ mamillis appositæ statim sedant. Græcè: αἱ παρὰ τοὺς τιτθοὺς προσβαλλόμεναι. Hoc est: Iuxta mãmas applicitæ. Debẽt itaq; dum sic reuellere est animus, nõ ipsis mamillis, sed radici earũ, cucurbitulæ ipsæ applicari, si qua fides medicorum decretis sit adhibenda.

Pag. 37.

An calidæ sint, an urentes. Græcè: καὶ διακαεῖς. Hoc est: Atq; urentes.

Ibidem.

Ac submersæ quodammodo. Græcè: οἷον σμυχόμενοι. Quod est: Veluti fumigantes.

Pag. 38.

Sed ante crisis perturbationẽ. Græcè: ἀλλ' ἐν τῇ πρὸ τῆς κρίσεως ταραχῇ. Hoc est: Sed in ipsa ante crisim perturbatione. Ibidem.

Nam si quod in eo membrũ agitatur. Græcè: εἰ γάρ τι καὶ πάλλοιτό τι τῶν ἐν αὐτῷ μορίων. Hoc est: Etenim si quæ in ipsa facie pars palpitet.

Lib. II. Pag. 42.

Leonic. Nam ex duabus speciebus, quæ quidem nuper dictæ sunt, altera &c̃. Græcè legitur: τῶν γὰρ ἄλλων δυεῖν εἰδοῖν, τὸ μὲν ἕτερον τῶν προειρημένων. Hoc est: Aliarum uerò specierum duarum, hæc quidem, cuius nuper mentionem fecimus.

Ibidem.

Sed minus calida & acri, quã sit prior. Græcè: ἢ αἱ πρότεραι. Hoc est: Quàm illæ species priores.

Pag. 46.

Sufficit autem in huiuscemodi affectibus, uehementiam doloris mitigare, cum aliquo ex his quod ex uino dulci, & oleo rosaceo, & pauca cera, quæ in utroque sit liquata, conficitur. Græcè legimus: ἔστι δὲ διὰ γλυκέος τε καὶ ῥοδίνου, καὶ κηροῦ βραχέος ἐν ἀμφοῖν τηκομένου, σύγκειται. Hoc est: Quæ ex passo, & oleo rosaceo, & pauca cera, quæ in utroque liquata sit, constant.

Pag. 48.

Herpetes autem, quantùm ad totius corporis euacuationem attinet, ut erysipelata curare oportet. Quantùm uerò ad ipsius particulæ patientis locum, &c̃. Græcè: τὰ δὲ περὶ τὸν αὐτὸ τὸ πεπονθὸς μόριον. Hoc est: Quantùm uerò ad eam, quæ patienti debetur particulæ.

Pag. 51.

Aut mamillis cucurbitas apposuerit. Græcè: ἢ παρὰ τοὺς τιτθούς. Quod est: Aut iuxta mamillas.

Ibidem.

Et cucurbitulas coxis applicueris. Græcè legitur: μηροῖς. Quod equidẽ mallem uertere, inguinibus, aut fœminibus.

Pag. 52.

A coniunctis euacuatio facienda est. Græcè: ἀπὸ τῶν συζυγιῶν. Hoc est: A coniugatis.

Pag. 54.

Iam uerò, & qualitates quædam extraneæ. Græcè: ἄηθεις. Hoc est: Insolentes.

Pag. 71.

Igitur emplastica omnino medicamẽta, quale est Macharionis, & Epigoni, & quod Isis cognominatur, ubi ad emmotorũ usum deducunt, cerati indigent admistione. Nempe hæc ad finus utilia sunt. Græcè legitur: ὅσα τοίνυν ἐμπλαστικὰ φάρμακα τελέως ἐστὶν, ὁποῖόν τι τὸ Μαχαιρίωνος, καὶ τὸ τοῦ Επιγόνου, καὶ τὸ προσαγορευόμενον Ισις, ἐπὶ τὴν τῶν ἐμμότων χρῆσιν ἀγόμενα, κηρωτῆς μιγνυμένης δεῖται· ταῦτα γὰρ ἐπιτήδεια τοῖς κόλποις ἐστί. Hoc est: Quæcunq; igitur exquisitè emplastica medicamenta cùm sint, quale existit quod ad Machærionem, Epigonemq; refertur, quodq; Isis cognominatur, ubi deducuntur ad emmotorum usum, cerati miscella indigent: ea enim ad finus utilia sunt.

Pag. 78.

Quæ à natura purgationem nõ habent. Græcè: ὅσαι μηδέ τινι καθάρσεως τὴν κατὰ φύσιν κάθαρσιν. Hoc est: Quæ naturali sua purgatione priuantur.

Pag. 80.

Passiones insequunẽ. Græcè: συμπάσχουσι συνεχῆ. Hoc est: Per cõsensum afficiunẽ cõtinuæ partes.

Ibidem.

Cùm prope loca mortalia fit insignis adustio. Græcè legitur: ὅταν ἐγγὺς καιρίων μορίων. Sed legendũ est, κυρίων. Hoc est: Prope principales particulas.

Pag. 82.

Hæc quidem ad te missa, qui longè peregrinaturus eras, mediocriter se habere uisa sunt. Græcè:

cè: ταῦτα μὲν ἐν ὡς ἀποδημίαν σοι μακρὰν στελλομένῳ, νομίζω συμμέτρως ἔχειν. Hoc est: Atq; hæc quidem arbitror tibi esse abundè, qui ad longam profectionem accingeris.

## *Lib. de curandi ratione per venæ sectionem.* Pag. 90.

THeodoricus Gerardus: Quoniam autem calida simul, humidaq; omnia, facillimè putrescere apparent. Græcè: τάχιστα. Hoc est: Celerrimè.

Pag. 98.

Neq; enim ubi tanta crudorū humorū copia accumulata est, ut secandam uenam præcipiat, ratio redarguitur. Nam istis uiriū robur nō adest. Estq; hoc indiciū eos haud posse sanguinis missionē perferre, quando unà cum colore corporis totius, qui tum uisitur, sanguinē abundantē indicāte, pulsus adest inæqualis, aut in uehementia & magnitudine per inæqualitatē eius, obscurus & paruus exuperant. Græcè legimus: οὐδὲ γὰρ ὅπου πλῆθος ὠμῶν χυμῶν ἤθροισται τοσοῦτο, ὡς κωλύεσθαι φλεβοτομεῖν, ὁ λόγος ἐλέγχεται. ῥώμη γὰρ τούτοις δυνάμεως οὐ πάρεστι, καὶ αὐτό γε τοῦτ᾽ ἔστι γνώρισμα τοῦ μὴ δύνασθαι φλεβοτομίαν ἐνεγκεῖν αὐτοὺς, ὅταν ἅμα τῷ χρώματι τοῦ παντὸς σώματος ἐνδεικνυμένου πλῆθος αἵματος ἀλλοιωθῇ, ὁ σφυγμὸς ἀνώμαλος ᾖ κατὰ σφοδρότητα καὶ μέγεθος, ἐπικρατούντων κατὰ τὴν ἀνωμαλίαν αὐτοῦ, τῶν ἀμυδρῶν τε καὶ μικρῶν, &c̄. Cæterū ubi legitur κωλύεσθαι, legendū est κελεύεσθαι. Vt sic totā illā orationē (quæ ueluti responsio quędam ad obiectiones tacitas est) conuertamus. Neq; uerò ubi tanta crudorū humorū copia accumulata est, ut secandam uenā prohibeat, sermo hic redarguit. Nam istis uiriū robur nō adest. Estq; indiciū eos haud posse sanguinis missionem perferre: quòd præter colorem totius corporis degenerantē in ipsis ab eo, qui solet sanguinis copiā ostendere, etiam eorū pulsus inæqualis in uehemētia & magnitudine existit, prępollentibus secundū ipsam inæqualitatē imbecillis simul & paruis, &c̄. Hāc uersionē confirmāt quę Galenus paulò pòst subdit in hunc modum: Habebis eorū indiciū, tum colorem plumbeum, aut ex pallido album, omniaq; potius quàm rubrum.

Pag. 99.

Geminam me uacuationis uiā proponere nostis. Per uacuationē quidem, &c̄. Græcè legitur: διὰ φλεβοτομίας μὲν. Hoc est: Per uenæ quidem sectiones.

Pag. 105.

Nec uerearis multū detrahere, si rubrior flauiorq; multò fluat: aut pro puro aut rubro, liuidus. Græcè habet: καὶ μὴ ὀκνεῖν συχνὸν ἀφαιρεῖν, ἕως ἂν ἐρυθρότερόν τε καὶ ξανθότερον πολὺ ῥυῇ, ἢ ἀντὶ καθαροῦ τε καὶ ἐρυθροῦ, πελιδνόν. Hoc est: Nec uerendū est multū detrahere, donec rubicundior, longeq; flauior effluat: aut pro puro & rubro liuidus, &c̄. Siquidem cōstituit signū Hippocrates (ut idem Galenus testatur) quòd aliquid sanguinis è phlegmone in uenam sectam assumptū sit, permutationē ipsius.

Pag. 107.

Sic affecto liene, haud æquè adiuuerit cir a medium digitū sinistræ manus incisa uena. Græcè: οὕτω τοίνυν καὶ σπληνὸς πάσχοντος ἡ δὲ κατὰ τὸν παρὰ μέσον δάκτυλον φλέβος διαίρεσις ἧττον δὲ ἀφελοῦσ᾽ χείρ. Quod est: Similiter etiam laborante splene, sectio uenæ quæ iuxta annularem digitum est in sinistra manu, contulerit. Huic lectioni subscribit quod habetur pag. 106. in hunc modum: Quemadmodū putant, qui lienem curari aiunt, à uenæ ad secundum paruum digitum sitæ, sectione.

Pag. 109.

Nisi prius expurgatus foret. Græcè: αὐτοῦ τοῦ προκενωθέντος. Hoc est: Nisi prius uacuatus fuisset. Siquidem non agit illic Galenus de euacuatione quæ fit per medicamenra, quam rectè aliquis purgationem uocauerit: sed de illa quæ perficitur per uenæ sectionem, & quæ minimè purgatio dicenda est.

Pag. 111.

Datur autē & hoc tempore medicamentū q̄d propriè amarū appellatur, centum habens drachmas, mixtis aliorum medicaminū cuiusq; sex. Græcè legitur: ὃ τὰς ρ᾽. ἔχει ∠ δὲ ἀλόης μεμιγμένας τῶν τῶν ἄλλων φαρμάκων ἐξ ἑκάστου. Hoc est: In quo ad centum aloës drachmas, cuiusq; aliorum medicaminum drachmæ senæ miscentur, &c. Est enim Andromachi compositio, cuius Galenus meminit octauo de compositione medicamentorum secundum loca.

Pag. 112.

Quamobrem podagricos ex cubito purgato. Græcè: χρὴ κενοῦν. Hoc est: Vacuare oportet.

Cap. de reuulsione. Pag. 119.

Vberibus admota. Græcè: παρὰ τοὺς τιτθούς. Hoc est: Iuxta mammas.

## *Lib. de venæ sect. aduersus Erasistratū.*

Pag. 126.

IOsephus Tectander: Vt interim noxas reticeā, quæ ex inedijs necessariò euenire solent. Græcè: τῶν μακρῶν ἀσιτιῶν. Hoc est: Ex longis inedijs.

Ibidem.

Acerbiora, malignioraq; effecta. Græcè: δριμύτερα γενόμενα. Hoc est: Acriora effecta.

## *Lib. de venæ sect. contra Erasistratæos.*

Pag. 145.

IOsephus: Ego uerò, quanq̄ antea sermonem cum medicis instituere opus habebam, quo ea considerarem, quæ illi pro non admittendo uenæ sectionis usu, dicturi fuissent, &c̄. Græcè: ἐμπροσθεν μὲν ἐν ἐδεδοίκειν ὡς λόγους ποιεῖσθαι τοῖς ἰατροῖς, εἰκάζων ἃ μέλλουσι λέγειν ὡς τὸ μὴ χρῆσθαι τῇ φλεβοτομίᾳ. Hoc est: Primò igitur ueritus fueram cum medicis sermonē conferre, coniectans quæ dicturi essent de non admittenda uenæ sectione.

## *Lib. de marasmo.*

NIcolaus Lauachius: Hinc liquidò apertū est, quòd si corporis totius sit affectus tabes, affici animal sine principis membri passione nequeat. Græcè habet: ἐκ αὖθις δὲ ἀρχῆς τῆς ζωῆς πασχούσης γίνεται. Quod nos uertimus: Minimè quidem fit, nisi sit etiam principium animantis affectū. Pro quo principio intelligendum sanè est cor ut potè quod unum præcipuè in marasmo afficiatur.

Eodem lib. iuxta finem.

Cæteris autē ex uisceribus ut plurimū ab affecto loco in uētrē redundās biliosus succus hecticas ciere febres potest. Græcè: ἐκ τῶν ἄλλων μὲν ἐν ἐκ τῶν κάτω σπλάγχνων μετὰ χολώδους χυμοῦ συνίστασθαι πυρετοὺς ἑκτικοὺς, ἀποσκήπτοντος εἰς τὴν γαστέρα τοῦ πάσχοντος

νῶν. Hoc est: Vtplurimū autē secundum reliqua uiscera gignitur hectica febris, infuso bilioso humore in uentrem uisceris malè affecti.

# SECTIONE SEXTA

## LIBRO PRIMO, DE COMPOSITIONE PHARMACORUM SECUNDUM GENERA.

Pag. 25.

ANdern. Docti pariter estis primæ curationis consilium à morbosis dispositionibus suggeri. Græcè: ἐμάθετε δὲ καὶ ὅτι ὁ πρῶτος σκοπὸς τῆς θεραπείας ἐκ τῶν νοσωδῶν εὑρίσκεται διαθέσεων. Hoc est: Didicistis autē primum curationis scopum à morbificis proficisci dispositionibus.

Pag. 33.

Non adhuc extremū frigus admoliemur. Græcè: οὐδέπω δεόμεθα τῆς ἐπικτήτου ψύξεως. Hoc est: Nō amplius egemus aduentitia frigiditate.

Lib. II. Pag. 79.

Andern. Hæc sanè sed & prius ostendimus, in tertio Therapeutices cōmētario, diximus, quòd præscientes ea ex demōstratione cōueniente ad reliqua deducā. Græcè legitur: ταῦτ᾽ οὖν εἴρηται μὲν ἡμῖν καὶ πρόσθεν, εἴρηται δὲ καὶ νῦν τῷ τρίτῳ τῶν θεραπευτικῶν μεθόδων, ὅτι προεπισταμένους δι᾽ αὐτὰ μετ᾽ ἀποδείξεως τῆς προσηκούσης ἐπὶ τὰ λοιπὰ προάξω, &c̄. Hoc est: Hæc igitur dicta nobis iam antea sunt, expositaq́ etiam in tertio lib. de medendi methodo. Quare prǽscientes ipsa cū decenti demōstratione, ad reliqua promouebo, &c̄. Cæterū diminutè legitur in impressis codicibus, ὡς αὐτῶν ὄντων, id quod fefellit interpretem.

Lib. III. Pag. 143.

Andern. Huius generis est lixiuia quæ stacte dicitur. Atq; hanc ipsam quæ ex materia subtili usta est, cedrinū oleū uirtute superat. Græcè: ἐκ τοῦ δὲ γένους ἐστὶ τῷ κεδρίνῳ καὶ ὁ σταχτὸς καλούμενος κονία. καὶ πάντων αὐτῶν, ὅσοι ἂν ἐξ ὕλης λεπτομεροῦς γένωνται κεκαυμένης, ὑπερβάλλει τῇ δυνάμει τὸ κέδρινον ἔλαιον. Hoc est: Eiusdem cum cedrino est generis lixiuia stillatitia uocata. Atq; inter species lixiuiæ, illa est potentior oleo cedrino, quæ ex materia tenuiorū partium combusta, confecta fuerit.

Pag. 153.

Iam alijs multis pharmacis potentiā pauculis annis retinere cōtingit: attamen euphorbiū alio nullo sanè minus post thapsiā. Sed clarius in græco exemplari: συμβαίνει μὲν οὖν καὶ ἄλλοις πολλοῖς τῶν φαρμάκων ὀλίγοις ἔτεσιν ἀπόλλυσθαι ἰσχυρὰν τὴν δύναμιν, οὐδενὸς δ᾽ ἧττον τὸ εὐφόρβιον μετά γε θαψίαν. Cæterū alijs etiam compluribus pharmacis accidit, ut pauculis annis eorū uis euanescat: id quod post thapsiam, nullo minus euphorbio contingit.

Pag. 172.

Tale igitur consecutis, & hanc ipsam cōmemoratam unctionē audacter puncturis imponito, ubi oras hiare metus est. Cuius contrariū habent prorsus codices Græci: ἐφ᾽ ὧν εὐλαβῇ μῦσαι τὸ νύγμα. Hoc est: In quibus ueritus fueris ne conniueant atq; occludant oscula. Siquidem ut hiare Græcis est χάσκειν, sic μῦσαι claudi, & orificia obstrui: id quod in punctis neruis est summū malum. Ac proinde Galenus, ut omni ratione aperiantur, ducit esse magnū operæprecium.

Pag. 180. Vbi agitur de sumptuosis pharmacis.

Vbi enim quispiā pharmacorū medicorumq́ studiosus nō plura quingētis myriadibus haberet, nullo simpliciori dignabatur uti: multò magis uel diues aliquis uel monarcha odoratum simul, & quod multa cōstet pecunia uolet habere pharmacū. Illa tamen sententia prior clarius ex dictione græca percipitur: ὅτε γάρ τις ὁ πλεῖον ἔχων πεντακοσίων μυριάδων αὐτὸς φιλοφάρμακός τε καὶ φιλίατρος, ᾐδεῖτο τῶν εὐτελῶν ἰδίᾳ χρῆσθαι, &c̄. Quæ sonant: Quandoquidem enim quidam pharmacorū & medicinę studiosus, tametsi non haberet plures quinquaginta myriadibus, dedignabatur tamen uti medicamentis uulgaribus: multò certè magis, &c̄.

Lib. IIII. Pag. 197.

Andern. Non tamen cum refrigeranti oleo liquare ipsum oportet. Græcè legitur: οὐ μὴν δὲ διὰ τοῦ τυχόντος ἐλαίου τήκειν αὐτὴν προσήκει. &c̄. Quæ sunt uertenda: Non tamen obuio quouis oleo ipsum liquare oportet. Quam lectionem confirmat sequens sententia, quæ talis est: Sed si quidem rubor aut calor aliquis in circumpositis ulceri partibus præpollere uideatur, ex quopiā astringentium simul & refrigerantium: cuiusmodi myrtinum atq; melinum est.

Lib. VI. Pag. 329.

Andern. Quòd auxiliorū quædam ratio sola inuenit, quædam experientia, quæ & ipsa rationem requirit: nōnulla utriusq; opem postulant, subinde nobis est declaratum. Græcè habetur: ὅτι τῶν βοηθημάτων, ἔνια μὲν ὁ λόγος εὑρίσκει μόνος, ἔνια δὲ ἡ πεῖρα, καὶ αὐτὴ τοῦ λόγου μὴ χρῄζουσα, &c̄. Hoc est: Quòd auxiliorum quædam à ratione sola inueniantur: quædam ab experientia sola, nec desiderante rationem, &c̄. Multa siquidem sola experientia citra rationis opem inuenit.

Lib. VII. Pag. 380.

Andern. Porrò ex ijs quæ à glutinatione ἰχκολλα nominātur, nullum auferendum est prius, quàm sua sponte abscedāt. Atqui si laueris, permittenda sunt. Græcè legimus: ἀλλὰ κἂν λούηταί τις, ἐᾶν ἐπικεῖσθαι. Hoc est: Imò uerò etiam si quispiam lauet, sinenda sunt ut adhæreant. Monet itaque tenacia medicamenta, quę applicamus corporibus, ne in balneis quidem esse amouenda, donec ultrò ipsa decidant.

## *Lib. I. de compositione pharmacorum secundum partes.*

Pag. 433.

IAnus Cornarius: Alijs uerò herbis quę iuxta humiliores regiones proueniunt, reliqui totius corporis pili similem generationē habent. Gręcè legitur: τῶν δ᾽ ἄλλων πλείους, ὅσαι κατὰ τὰ ἀνότερα χωρία φύονται. Hoc est: Reliquis autem herbis quę in marcidis exuccisq́ proueniunt regionibus, &c̄. Nempe, alij totius corporis pili similem generationem sortiuntur. Comparauerat siquidem primò ipsos capitis pilos tritico, aut hordeo crescenti in aruo aliquo præpingui & fœcundo. Nunc uerò lanuginem reliqui corporis, similem ijs herbis habere generationē ait, quę in aridis locis, sterilibusq́ proueniūt. Confirmat hanc lectionē nostram Galenus lib. XI. de Vsu partiū humani corporis, ubi agit de pilis ciliorū. Cęterū codices qui excusi habentur, nō ἀνότερα, sed mutata ο, in ω, ἀνώτερα, hoc est, superiores, habent: quan-

quanquam interpres non superiores, sed inferiores uertit.

Pag. 483. De acero.

Vtpote quod substantia sua modicè calidnm est, plurimũ uerò frigidum, & partium tenuium. Græcè habetur: ὡς ἂν ἔχοντι μὲν κατὰ τὴν οὐσίαν ὀλίγον θερμὸν, ἔχοντι δὲ τὸ πλεῖον αὐτοῦ ψυχρὸν λεπτομερές. Quæ mallem sic reddere ad uerbũ: Vtpote quod substantia quidem sua obtineat pauxillum calidi: plurimum autem frigidĩ, atq; tenuium partium.

Lib. II. Pag. 526.

Corn. Quę Archigenes cõsequẽter scripsit, in quibus est etiam Galeni censura. Græcè: ἐν οἷς καὶ Γαληνοῦ διάκρισις. Hoc est: In quibus etiam habetur Galeni distinctio.

Pag. 535.

Itaq; balnea temperata, & unctiones, & potus dilutus eis exhibenda sunt: omnisq; diæta liquidior & boni succi constituenda. Græcè habetur: καὶ ἡ σύμπασα δίαιτα ὑγροτέρα τε καὶ εὔχυμος παραλαμβανέσθω. Hoc est: Omnisq; uictus ratio humidior, et boni succi eligenda. Atqui non omnis uictus ratio liquida, est humida: cùm plurima sint consistentia fluida, quę maximã tamen exiccandi uim posidẽt: ut, exempli gratia, tum mel, tum acetũ.

Pag. 555.

Post exacerbationem uerò pharmacis hemicranicis est utendum: si quidem multa caliditas percipiatur, his quæ refrigerans quippiam habent: citra uerò hanc, his quæ multũ excalfaciãt. Vbi Gręcè legitur: τοῖς ἱκανῶς θερμαίνουσιν. Hoc est: Iis quæ sufficienter calfaciant.

Lib. III. Pag. 56.

Cornarius: At uerò consimilis dolor est ex serosis & saniosis humoribus in corpore aurium generatis, ei qui ex mordacium humorum illapsu forinsecus facto contingit. Græcè tamen nõ habetur, in corpore aurium generatis: sed simpliciter: In corpore genitis. Vt sensus sit, cõsimilem fieri dolorem humoribus ex toto corpore in aures illapsis, ei qui ex mordacium humorũ insultu forinsecus facto, contingit.

Lib. V. Pag. 703.

Cornarius: Si uerò liuidi per omnẽ suam substantiam facti appareant dentes, nihil mirũ est, ipsos inflammationi aliquid simile pati. Græcè legimus: ὅταν δὲ πελιδνοὶ δι' ὅλης ἑαυτῶν τῆς οὐσίας οἱ ὀδόντες φαίνωνται ποτὲ γενόμενοι, θαυμαστὸν οὐδὲν ἤδη πάσχειν αὐτούς τι καὶ τῇ φλεγμονῇ παραπλήσιον. Quæ sonant: Cùm autem liuidi aliquando tota substantia uideantur dentes, non est quòd miremur, si perpeti etiam posint aliquid inflammationi simile.

Lib. VI. Pag. 741.

Cornarius: Quando uerò ueluti induratum quiddam de inflãmatione relinquitur, penitus non conuenit, astringens ad discussorium miscere, nisi prius totum corpus sit euacuatum. Contrarium Græci codices dictant: ὅταν δὲ οἷον σκιρρῶδές τι λείπηται τῆς φλεγμονῆς, οὐδ' ὅλως χρὴ μιγνύειν τῷ διαφοροῦντι τὸ στῦφον, ἂν μὴ κεκενωμένον ᾖ τὸ σύμπαν σῶμα. Quod est: Cùm uerò ex inflammatione quippiã ueluti induratum relictum fuerit, penitus nihil astringens miscendum discutientibus est, si uniuersum corpus sit euacuatũ. Galenus itaq; præcipit, ut post totius euacuationẽ corporis, si phlegmone in scirrhum degenerauerit, solis digerentibus, discussorijsq; utamur: quandoquidẽ tunc uerendum non est, ne humores concitemus ad partes: nimirum corpore ab omni redundantia libero & immuni existente, ob præcedentem euacuationem.

*Lib. de Theriaca ad Pisonem.*

Pag. 1045.

ANdernacus: Quoniam non solùm hoc nomine cæteris omnibus præcellunt, quòd imperiũ à dijs sint adepti, sed etiam quòd uniuersa bona, uniuersis libenter impartiant: sicuti & dij ipsi tantùm ex æquo gaudij concipiunt, quantus eorũ numerus extiterit, qui ab ipsis redduntur incolumes. Hæc tamen posterior sententia uidetur esse longe diuersa in græcis codicibus, qui sic habẽt: ἅπερ καὶ αὐτοὶ οἱ θεοὶ, ἐν τῷ ἴσῳ καὶ τοσοῦτον τὴν εὐφροσύνην ἔχοντες, ἐν ὅσῳπερ καὶ οἱ ἀπ' αὐτῶν διασωζόμενοι. Quod est: Non secus quàm dij ipsi, tantũ ex æquo gaudij concipientes, quantùm illi qui ab ipsis seruant.

Pag. 1049.

Nos uerò cùm hæc uideamus, sciamusq; id quod posit ratione uniuscuiusq; medicaminũ naturæ uirtutis proprietatem uerè agnoscere. Græcè legimus: ἡμᾶς δὲ ταῦθ' ὁρῶντας, καὶ τῷ λόγῳ τῆς ἑκάστου φύσεως τῶν φαρμάκων τὸ οἰκεῖον τῆς δυνάμεως φιλαλήθως ὁμολογῶν τὸ δυνατὸν ἀληθές, &c. Quem locum difficilem ego sanè sic uerterẽ: Nos uerò cùm hæc cernamus, assequamurq; ratione id, quod uerè posit exprimere proprietatem facultatis naturæ cuiusq; pharmaci, &c.

Pag. 1067.

Ad hunc enim peculiariter uerba potius habeo, quoniã manifestiores etiam in corpore cõuersiones, mutationesq; nõ indicat. Gręcè legitur ἐπεὶ καὶ φανερωτέρας ἐν τῷ σώματι τροπάς τε καὶ μεταβολὰς εἶχεν ἐνδείκνυσθαι. Hoc est: Quoniã manifestiores in corpore cõuersiones, mutationesq; indicare potuisset.

Pag. 1074.

Porrò erunt animalia colore subflaua, corpore robusta. Græcè habetur: καὶ εὐκίνητα σφόδρα. Hoc est: Eximia quadam agilitate mobiles: uiperæ scilicet.

Lib. I. de antidotis.

Pag. 1171.

Andernacus: Hac Nicomedes rex utebatur, si quando eos qui eum uocauerant, in suspicione haberet. Græcè legitur: ἄν ποτε ὑπώπτευε ἄχρι τοὺς κεκληκότας. Quæ sonant: Si quando eorum, qui inuitassent ipsum, habebat sibi fidem suspectam. Siquidem τὸ καλεῖν, tum uocare, tum inuitare, ad conuiuiumq; hortari significat.

ANNOTATIONVM AND. LACVNAE IN GALENI INTERPRETES FINIS.

# EPITOMES GALENI RERVM MEMORABILIVM, QVAE

*in illa cõtinentur omniũ, Index perquàm copiosus: cuius prior numerus columnam, posterior uerò eiusdem columnæ uersum denotat.*





Acetum

Animalium

Balneo-

C

Carne

Cera-

Constitu-

D



OO

Excre-

Facul-

Fistula

G



Galenus

Hordei

M



Maguetis

Medica-

Odora-

Os

P

Perito-

Qua-

R


V

Venam

Vrinas

*Errata operis sic castigato.*

Col.5.uers.44.lege, sumus, pro fumus. 81.1.rodit. 86.13. abortus. 161.60. perit. 92.4.tendóue. 93.65.agunt. 188.4.inspirationem. 228.56.iniuriis. 253.55.perciperent. 265.53.semisecta. 266.51.duritie. 304.50.semen. 318.24.etiam. 451.12.halitum. 476.36.circa. 483.33.egit. 617,65.æquilibrium. 685.8.sanguificatio. 737.7.propriam. Ibid.18.paratissimũ. 754.30.pleuritide. 782.30. mordax. 790.39.differentijs. 824.31.calidior autem & humidior. 895.35.tolerent. 897.26.copiosos. 906.18.accendunt. 912.26.expeditissima. 963.64 etenim. 1060.63.adiuuabunt. 1107.64.pure. 1153.36.aliud. 1158.54. industria. 1186.45.labores. 1206.37.ac perfectè. 1210.64.aceto.




PALMA VISING.

